

Emptus parisijs die 4° Junij 1640

[illegible] [illegible] de la Métaphysique
de [illegible]ANELLA.
[illegible] [illegible] Galt, [illegible]
[illegible] au dos.

Pars mea Deus in æternum

Ad, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

THOMÆ CAMPANELLÆ

STYLEN. ORD. PRÆD.

VNIVERSALIS PHILOSOPHIÆ, SEV METAPHYSICARVM RERVM, IVXTA PROPRIA DOGMATA, PARTES TRES, Libri 18.

DVCE DEO.

SVORVM OPERVM TOMVS QVARTVS



Pellissier Defeligonde

PARISIIS,

M. DC. XXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ex Lib. Balt. fontfrede

SVB SANCTISSIMA MONOTRIADE,



ILLVSTRISSIMO DOMINO D. CLAVDIO DE BVLLION,

REGI CHRISTIANISSIMO A SECRETIORIBVS CONSILIIS, PRIMIQVE ORDINIS SANCTI SPIRITVS Equiti Torquato; Ærarij totius Regni Franciæ summo Præfecto, veræque virtutis Patrono optimo.

S*VPREMI Numinis prouidentia factum esse considero (ILLVSTRISSIME DOMINE) vt Operum meorum, quibus scientias omnes instauraui nutu Dei, optimum optimo viro dicaretur. Siquidem postquam me decepta crucifixit Hispania, non digna referens iis quæ pro illa scripsi, piaque resuscitauit Gallia Musarum perenne refugium, me totum meorúmque studiorum fructus non vulgares Galliæ deberi non ingratus profiteor. Itaque cum Regi Christianissimo atque inuictissimo primum opus ad patrocinium fidei obtulissem contra Atheismum & contra Gentilismum, & contra Hæretecismum: alterumque Cardinali amplissimo supremo regni Ministro, vndique Oculato, vndique Aurito, tanquam artis & naturæ secretario librum mirum de Sensu Rerum: Tertium verò, quod Physiologica, Ethica, Politica, & Oeconomica, cum suis appendicibus complectitur, Cancellario magno Franciæ, apprimè pióque doctóque dedicassem; Reliquum erat vt tibi (solidissimæ virtutis vir) in cuius manu totius regni fundus & Basis seruatur, Opus quartum offerrem; euenitque vt non nisi istud maximum volumen pro te paratum haberem; Tuáque simul insuper liberalitate non vulgari, qua & editio-*

nem librorum, & vitæ meæ conseruationem sponte non rogatus, largiter foues, illectus, imo & vi munificentiæ tuæ tractus, perficerem, quod æquum erat. (Domine Præclarissime.) *Codex iste, si vt decet confectus est [id quod posteritas iudicabit] appellari potest Biblia Philosophorum, sapientia scientiarum, diuinarum & humanarum rerum Arx; omniumque quæstionum de cunctis rebus actualibus & possibilibus, stimulantium mentes hominum, resolutio; ita vt omnes Gentes scientiarum legumque suarum veritates & errores radicitus ex hoc codice explorare valeant. Præterea etiam sicuti se habet Prudentia ad omnes virtutes, vel Poëtica Ars ad omnia poëmata, ita hæc Philosophia, quam voco vniuersalem & Metaphysicam, ad omnes scientias, & artes inuentas & inueniendas vt Officina & fons ipsarum referri potest. Ego, qui nunquam mea laudæui opera, hoc vnum, pro veritate ad Nationum vtilitatem laudare cogor, cum ritè agnitum sit omnes humanos libros adistum esse, quasi pueriles notitiæ ad prouectas; & quicunque ante me Metaphysicam aggressi sunt, potius eos Logicam, & Grammaticam insulsam & inordinatam tradidisse, quàm Metaphysicam, non ego, sed quibus & meam videre datum est, testantur: Et Christiani, id est verè Rationales, qui Christum non vulgariter, vt vnum Sectariorum sed sublimiter, vt Dei Rationem vniuersalem verbum & Sapientiam colunt, applaudebunt vehementer. Quapropter non deerunt qui mihi succenseant, quod non summo Pontifici, aut summo Regi illud consecrauerim. Ego autem in promptu responsum habeo, quòd potius summæ supereminentissimæ Monotriadi, vnde primordia, principia, & causæ rerum, magnique influxus, inditi rerum vniuersitati ad transferendas diuinas ideas, sicut in hoc volumine demonstratur, consecrari debet; sicut & consecro; atque rogo illud æternum Numen pro tua, proque mea incolumitate incessanter. Præterea quodam fato accidisse, inquam, vt non nisi tibi sub Numine offerretur: quandoquidem simul intellexi fatalis oblationis rationem. Considero enim quod septem Græciæ sapientes celeberrimi in te sapiente Gallo vno continentur, & superantur. Alij enim sibi solis sapiunt, vtilésque sunt: vt Thales, Bias, & Periander. Alij Reipublicæ & non sibi, vt Pherecides, Socrates, Pythagoras, Solon. Alij solis amicis, vt fortè Mison, & Cleobulus, sicut Soli Regi Zopirus. Tu verò Bullion & Tibi & Regi & Amicis sapis, & prodes, & proficis. Scripsi equidem in hoc libro de vita diuinitùs comparanda, & angelitùs comparanda, & cælitus comparanda, & humanitùs comparanda, etiam & diabolitùs & bestialiter comparandis, atque te participem superiorum in quarto loco tanquam exemplar contemplatus sum. Namque facile multis est inuenire Canones viuendi, & Philosophandi, aliisque prædicare, sicuti sapientes Græci, & Latini fecerunt, sed inaniter, cum ad facta deuenitur. Tu verò* (Domine illustrissime) *solidam rationem viuendi tenes secundum naturam humanitus præcellentem in suo ordine mirificam; proptereáque dedit tibi Deus quæcunque in Rep. vniuersali humanitùs optimo viro debentur, dignitates primas, diuitias ingentes, vxorem inclytam, liberos ingenio, doctrina, & forma præstantes. Quibus omnibus simul nemo sapiens potensque potitus inuenitur. Tu verò quæ à maioribus non hæreditasti bona habes: & quæ hæreditasti bona auges, & cumulas. Quid nobilitatem Generis memorem, quæ etsi magna, ferè nihil ad splendorem & honores, quos tua prudentia, & solertia consequutus es? vt non immeritò magnus ille Cancellarius de Sillery, insigne semperque memorabile decus Galliæ, optauerit quacumque ratione posset te bonum sibi bono deuincire; vnde Neptem suam in vxorem pro complemento desideriorum suorum tibi dedit. Præterea quàm bene te gesseris, & legum diuinarum & humanarum peritia, & prudentia agendorum fulgens, factus Consiliarius in Senatu Parisiensi, nemo ignorat; & honores subsequentes, quibus continuò auctus es, declarant. Nam in Regis priuatum Consistorium ascendisti, sublimiora tractaturus. Et cum Princeps vir, & alij Re-*

*gni Proceres, deficientes à Rege, exitium Regno minarentur, efficacem prudentiam tuam elegit Rex ad seditionem placandam. Deinde nutu Regis Dominum de Lesdiguieres Polemarchum mirifica suauique eloquentia ad Regis partes, & ad Fidei Catholicæ communionem traxisti. Similiter & quam sapienter oraueris ad conciliandum pacem cum Domino de Lesdiguieres, & Duce de Rohan, sectariorum Ductore, miramur adhuc. Præterea cum Italiæ liberationem Rex per Dominum de Lesdiguieres, & Sabaudiæ Ducem, aduersus Genuenses, qui Hispanicum Dominatum in Italia fouent, moliretur; tu vnicus visus es idoneus, qui Iustitiæ & stipendiis militum in exercitu præesses. Post hæc ad dignitatem Regij Ordinis sancti Spiritus promoueri te dignum censuit Iustissimus Rex; imo & custodiam sigillorum eiusdem Ordinis tuæ prudentiæ creditam esse voluit, cum applausu & Eminentissimi Domini Cardinalis, qui est quasi alter sol in Gallia, atque amplissimi Regni Principum approbatione. Tandem inuictissimus Rex de Consilio omnium Procerum sub tua fide atquecura totius Regni vastissimi Gazas tractandas optauit, & fecit: quo in munere tantam fidelitatem, tantamque industriam & prouidentiam ostendisti, vt vix Patriarcha Ioseph in Regis Ægypti thesauris curandis te anteire posit. Siquidem & rem mirificè auges, & sedulò conseruas, & iustè dispensas, vt te omnes admirentur, & colant. Per te factum est, vt Rex & Principes cognoscerent, quanta Regni Gallicani Opum vis, super opes omnium Regnorum antecellat. Legi equidem in historiis, quòd tempore Ludouici XII. exigebantur in tributis quasi quindecies centena millia scutorum. At sub Francisco I ter decies centena millia: sub filiis eius quinquies ferè decies centena millia: quæ sub Henr. III. vltimo de Valesiorum domo, ad decies decem centena millia, id est, ad decem milliones: Nec sub Henrico IV. metam hanc transcenderunt. Nunc autem ex quo tu regium curas Ærarium, ad 27 milliones, & 38. & 40. imò & 60. ascenderunt: quantum simul iuncti non habent Rex Turcarum Rex Hispanorum, Rex Anglorum, ac Imperium Germanicum, in vnum conflata. Accedat nunc Græcia cum omnibus sapientibus suis, & Babylon cum satrapis suis, & Hispania cum suis Aurifodinis & Argenti, & Negotiatoribus per Orbem sparsis, & conferamus, num ipsi omnes facere potuerint in vastitate Regionum suarum ad vtilitatem Reip. quantum Bullionus vnus fecit in Gallia. Per te (*Præstantissime vir*) Regnum hoc formidabile iam factum est opum vi, quantum formidabile semper fuit armorum vi; vnde iam inuasit timor omnes Reges Terræ, ne Regnum hoc, quod viginti milliones hominum alit, ex quibus ducenta millia armatorum strenuorum statim eligi possunt, ex singulis centenariis vnum adsumendo; ac quadraginta iam milliones aureorum exigit ad stipendia, & plus panis, & vini, & pecoris, & aliorum bonorum Terræ, habet, quam tota ferè Europa, propria omnino vtatur fortuna: vt non sine causa eius expeditiones vel obliquè impedire satagant: & nostri confœderati sunt iudices, qui clàm hostibus, palam nostratibus fauent, tantæ potentiæ timore tanto perculsi, quanta inuidia æmuli vexantur. Sed non diu aberit, quin Gallia suis viribus opibúsq; contenta, sola per se ipsam, tantorum Heroüm ministrantium & adsistentium virtute, sub Borboniis eius crescente fortuna, quæ in Valesiis minuebatur, Libertatem Mundo Christiano & Iugum Mundo infidelium imponat. Nec timendus est vulgarium rumor: qui, externorum Regnorum quia non considerant gubernatum, aut quia tributorum onus ferrè indocti olim fuerunt, submurmurant: Etenim Præstantia tua prouidentissima ita Rem Gallicanam tractauit; quemadmodum conferendo tecum audiuisse memini, vt sublatis tributis extraordinariis, adhuc cum modico grauamine Populi, remaneant in Ærario Regis redditus millionum 40. Peritioresque mox facti mutabunt vocem, cum nouerint in aliis Regnis præsertim in Italiæ partibus singulos homines pro suo capite tantum, etiamsi nihil habeant in bonis, sol òque labore viuant, soluere Principi scuta viginti. Item & pro*

bonis naturalibus, & artificialibus plus dare, quàm accipiunt; & nullum contractum duplicis tributi expertem esse; & Ciuitates iam vacuas hominibus propter illatas miserias, cogi ad soluendum, quantum, cum erant plenæ. Item singulis mensibus, nedum annis, augeri tributa, & impositiones: item Principes illorum agros, cum alternatim vacant, tanquam propria vendere ad pascua Pecoris alieni, partim veri, partim ficti; vt ascendant ad cupiditatis suæ complementum; ac deinde reuendere eisdem Dominis tanquam impinguatos pecorum sorde. Itaque bis vendunt non suum, & semel nec suum nec alienum. Profectò quæ Eullionus facit in Gallia apparet extraneis summa clementia; magnique moderaminis specimen. Non mirum ergo quod Rex & Principes eius, tantis honoribus Eullionum prosequantur; & quod tantæ diuitiæ & gloriæ in domo eius, quantas viris optimis largiri à Deo solitum esse testatur Dauid Rex Propheta; Longæuam vitam, & filiorum gaudium, probitate ac scientiis imbutorum, vt posset ab illis Respub. sperare consimilia his, quæ à tanto accipit Genitore. Intraui in domum tuam: ibique spectando ædes, structuram, signa, & vasa, & ornamenta Peregrina, Opulentiam, Magnificentiam, Artificium, & Ingenium, & Ordinem in Ministris, & in supellectili, profectò maiori stupore affectus sum, quàm Regina Sabæorum, dum Salomonis domum contemplaretur. Quapropter gaudeo me tantum inuenisse Patronum; cui Biblia Philosophorum consecrarem, & sub cuius tutela, iam ad quatruplum in te aucta pia generosa Gallica, à miseriis & calumniis perpetuò liber essem. Accipe ergo munus nostrum eo, quò tibi offertur animo (Vir Generose *) & tuere me vt cæpisti, qui Te colere, ac pro te & in Cælo & in Terra æternum laudare numen non desinam, quod tam affluenter bona animi & corporis & fortunæ tibi ad beneficium Reipublicę, & Priuatorum, & Amicorum, & studiosorum, optimo largitur Dispensatori. Vale.*

Psal. 111. Gloria & diuitiæ in domo eius, &c. *Et Ps.* 127. Vxor tua sicut vitis abundans, &c. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, &c. Potens in terra erit semen eius, &c.

Fr. THOM. CAMPANELLA,
Ord. Præd.

Paris. in Cœnob. Præd. Reform.
die 15. Aug. 1638.

APPROBATIO PARISIENSIS. I.

NOS infraſcripti Doctores Facultatis Pariſienſis approbauimus Librum inſcriptum, F. THOMÆ CAMPANELLÆ *Partes tres Metaphyſicorum Dogmatum*, in quo ſunt libri octo, tanquam nihil in ipſis veritati Chriſtianæ contrarium; ſed cuncta quæ in ipſis habentur, maximam ſapiunt eruditionem, & ſagaciſſimi ingenij ſolertiam. In quorum fidem propriis manibus ſubſcripſimus. Pariſiis, die decima quinta Octobris 1635.

F. ANTONIVS MALLET.

FR. FRAN. GRILLAV.

APPROBATIO II.

NOS infraſcripti Theologi Pariſienſes, legimus R. P. TH. CAMPANELLÆ *Philoſophiam Communem, ſeu Metaphyſicorum Dogmatum tres partes*, in quibus is vir ingenij ſummi noua & mira ſcribit, arte ſubtili naturæ reconditiſſima. Explicat verè noua ſingulari methodo, etiam quæ multis contrait. Sed liberum credit cuique ſua ſupponere principia, & ſuas ſtruere hypotheſes, dummodo S. R. E. ferulæ ſe ſuaque dicta ſubmittat, & nil quod fidei aut bonis moribus aduerſetur, ſcribat. Ergo cum in opere iſto, tale quid non animaduertimus, ſed S. Scripturis & Patribus omnia ſua fulciat; & prelo & luce non indignum ducimus. In Prædicatorio maiore Pariſienſi, die 8. Nouembris 1635.

A. MALLET.

F. L. BAVLDRY, Magiſter & Prior Præd. Turro.

LICENTIA.

NOS Frater Antonius Mallet, Doctor Pariſ. ac Congregationis Gallicanæ Ord. Præd. humilis Vicarius Generalis, tres partes Philoſophiæ Communis, ſeu Metaphyſicorum Dogmatum, compoſitas ab admodum R. P. M. THOMA CAMPANELLA, atque à Doctoribus approbatas, vidi, & approbaui, tanquam vtiliſſimas ad omnium ſcientiarum fundamenta & veritates comprobandas, Entis, & Nihili conditiones, occaſiones, cauſas, principia, & primalitates agnoſcendas in veſtigiis & imaginibus Primi Entis, ſanctiſſimæ nempe Monotriadis. Item obiecta tranſcendentalia eorum, & influxus magnos pro eſſentiarum omnium ad exiſtentias deductarum, ac educendarum, & mutandarum ratione: earumque conglutinationes quintuplices; principia, & fines, ideationes Rerum, præſidentes intelligentias naturæ, & Politicæ gubernatui; examen Sectarum, Legiſlatorum, & Religionis radicem, & vim, & finem; & rerum ſyſtemata, & ſæcula ſæculorum. Quæ omnia & longè plura feliciter, & ingenioſè tractata cum magna Chriſtianæ rei vtilitate, & gloria ſuper omnes mundi ſectas, obligant nos non modo ad facultatem præſtandam de more vt imprimantur, ſicuti tenore præſentium, no-

ſtrique authoritate officij amplè præſtamus, & elargimur: at etiam iubendum quantum poſſumus eidem P. M. THOMÆ CAMPANELLÆ, quàm citò curet huius Theſauri à toto orbe deſiderati promulgationem. Datum Pariſiis in noſtro Collegio ſancti Iacobi, die primo Iunij 1636.

FR. ANTONIVS MALLET, qui ſuprà.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR Grace & Priuilege du Roy, il eſt permis à Philippe Bürelly, Italien, de faire imprimer, vendre, & diſtribuer par tel Libraire ou Imprimeur, & en tel volume & caractere que bon luy ſemblera, vn Liure iutitulé *Philoſophiæ Vniuerſalis, ſeu, rerum Metaphyſicarum iuxta propria dogmata partes tres*, composé par le R. P. THOMAS CAMPANELLA, de l'Ordre des Freres Preſcheurs; & ce durant l'eſpace de vingt ans entiers conſecutifs: Faiſans tres expreſſes defenſes à tous autres d'imprimer ou faire imprimer, vendre, ny debiter aucun deſdits liures pendant ledit temps, ſans le conſentement dudit Burelly, à peine de confiſcation des exemplaires, & de trois mil liures d'amende, comme plus amplement il eſt porté par ledit Priuilege. Donné à Paris, le 18. Ianuier 1638.

Par le Roy en ſon Conſeil,

CEBERET.

THOMÆ CAMPANELLÆ

PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV *METAPHYSICORVM DOGMATVM,* PARS PRIMA.

LIBER PRIMVS.

SVMMA.

VERITATIS *Doctorem indubitata fide dignum solum esse* Deum, *qui loquitur nobis, aut res facto exprimendo, aut voce reuelando. Homines verò omnes mendaces, vel quia timent, vel quia ignorant, vel quia sic volunt: nec esse fide dignos, nisi vbi loquuntur tanquam testes rerum lectarum in libro Dei, qui est Mundus, vel ab ore Dei, vt diuini scriptores. & quibus notis dignoscantur ab his, qui proprio arbitratu, vel humana in schola opinantes, loquuntur. ob id necessariam esse Metaphysicam, & ob alias causas, & de quibus consideret. & Arist. non tradidisse Metaphys. sed Logicam in* XI. *libris, & in postremo impietatem: & ob hanc & ob alias causas nouam cudi oportere: & quæ in hac noua tractanda sunt.*

PROOEMIVM.

DEVS solus est verax, quoniam potentissimus, sapientissimus, atq; optimus omnino est: omnis autem homo mendax, aut quia impotens, aut quia ignorans, aut quia malus non vult verum dicere, sed falsum, vel ex parte. Ex impotentia mentiuntur, qui metu Principũ, aut legum, sibi, & rei familiari, & suis prospicientes, falsa dogmata docent, aut defendunt glossulis & distinctiunculis argutis: Cuiusmodi videtur Diogeni, ac Catoni, Sacerdotes Gentilium, falsos deos, & cultum inanem tuentes, quorum sciebant & detestabantur intrinsecus falsitatem. Multi hodie Hæreticis Principibus adulantes similiter mentiuntur. E cõtra Principes & Legislatores timentes imperiti populi furorem, quam semel ebiberunt falsam opinionem ei confirmant, vt Patriarcha Alexãdrinus. Theophilus Anthropoformitis contra Origenem subscripsit, & Aaron populo idolotrare volenti. Et Lygurgus religionem patriam firmauit, quam euertere posse diffidit. Atque adeo inualescere solet timiditas hæc, vt doctissimos homines rapiat ad consentiendum, & credendum inolitis mendaciis, eisdemque propriam adaptent Philosophiam, vt olim fecisse scimus Varronem, Ciceronem, Platonem: & Persæ hoc tempore sapientes ex Mahometis Alcorano philosophantur. Sed hi dempto timore & vtilitate, quam ex falsitate capiunt, si pollent ingenio, reuertuntur.

Ex ignorãtia non mẽdaces,sed potius falsi dicuntur,qui docẽt quod nesciũt putãtes se scire, vt Auer. Auicen. Lucret. Epicurusq;,excusso metu Religionis,docuerunt falsa pro veris,nullis Poëtarum more ambagibus sententiã velantes, sed pro arbitratu philosophãtur,aliorum prestigiis capti,vel ingenii exilitate fallentes : & omnes Philosophi, & Theol.plurimi sic errant. Vnde Thomistæ Scotistis videntur indocti, & Scotistæ Thomistis, & S. Augustinus & Lactantius negant esse Antipodas, quoniam ignorant Mathematicam, & vulgus solem putat esse pedalem &c. Voluntate autem mentientes , alij perniciosè, alii iocosè, alii officiosè reperiuntur. Iocosa vt Poëtæ imperiti, qui ad voluptatem solam putant Poësim conferre, quicquid iucundi meditantur fabulosè, scribunt. Et in vulgo hic mos mentiendi videtur quędam esse vrbanitas. Dicunt enim ego mancipiũ,tu es Dominus meus, illi,cui obsequi nolunt. Officiosa quoque voluntate mentiuntur, qui veritatem dicere metuentes fabulis, & alienorum exemplo eam proponunt,vt Natan ad Dauid, quem palam arguere nolebat,parabola ficta perstrinxit: & hi neque mendaces dicuntur, quoniam non voluntate mentiendi fingunt. Sic Pytagoras dogmata sua velauit, ne sanctum daret canibus. Alij vero volunt fallere ad vtilitatem , quemadmodum putat Varro omnes legislatores finxisse Deos, & simulasse se missos à Deo, vt populus legibus obedientior esset, fæliciorque : cuiusmodi mendacium laudat Plato, laudat & Origenes & Hieronymus & Chrysost. si perniciosè non fingit dogmata de Deo falsa,sed aliquid loco medicinę:veluti medicus dicit puero ægrotanti , vt amarũ bibat pharmacum, quoniam dulce est. In Philosophia autem naturali ac diuina hoc mendacium non admittitur , sed in actibus forsan humanis, vt cum fingit quis, se longius ire. At perniciosè mentiuntur, aut ex inuidia, aut adulatione, vel ambitione, aut auaritia, aut odio. Inuidia mentiuntur Sacerdotes Hebræi contra Christum. Adulatione Homerus Græcis contra Troianos. & Deorum stupra canit, & rixas prauis hominibus eadem sectantibus applaudens. Ambitione Arist. volens videri omnium sapientissimus,dogmata antiquorum falsificat impugnat, & torquet,& furatur,contraria dicens,& sentiens, vt inquit Lactantius,in eum,& Patres multi, & D. Thom. 4. de Reg. Princ. 4. & quam ipse ignorat veritatem , proponat tanquam sciens tegendo suam ignorantiam argutiis; & eorum contemptu.

Auaritia Hippias vt venderet doctrinam, dicit se omnia scire, & defendit quamcumque opinionem, ne discipulis videatur indoctus: sic Causidici defendunt clientes scelestos, & scholares regnantẽ Arist. ne videantur desipere. Odio Porphyrius , & Talmudistę scripserunt contra Christianos apertissima mendacia; & Cornelius Tacitus contra Hebræos, quod Asinum adorarent. & quidem vitia hæc coniuncta pessima pariunt mendacia. Lutherus enim ambitione & odio percitus, negat Petrũ fuisse Romæ, & Papatum,& liberum arbitrium, & multa ex Historicis notissima nobis & naturæ; & plerique Philosophorum nouas condunt sectas, vt videantur cæteris sapientiores, & quotidie noui ob idem insurgunt Hæresiarchæ, qui polluti ignorantia,ambitione, odio, & adulatione , aliisque eiusmodi vitiis, nihil est quod non audent docere, vbi metus abest.

Quapropter volentes veritatem agnoscere de humanis, & diuinis rebus, ad doctorem confugere oportet indubitata fide dignum , & non inuenimus talem nisi Deum. Ipse enim non timet cum sit omnium Dominus: neque aliquid ignorat,cum sit omnium Artifex, & res ipsæ tantum & tantæ & tales eoque sint modo, quas,quantas,quales, & quomodo ab ipso per suam sapientiam fiunt; neque vult mentiri, quippe qui nemini adulatur, aut (veluti falsò Simonides ait) inuidet : neque indiget, neque ambit honores, qui dat omnia omnibus & honores: neque si ambiret mentiendi habet occasionem cum ipse sciat, & possit omnia. Neque odit quemquam , cum homines & res cunctæ sint ab eo ex amore,non odio,aut cogente ipsum vi, factæ; neque mendacium proferret contra eas, si odiret , vt putat Caluinus, nam non nisi malas odiret,ipse autem malum fecit nihil. quamobrem æquum duxi euertere omnes scholas humanas, Deo oppositas, & ad scholã Dei homines errantes reuocare. Deus autem duobus ad nos loquitur viis, nempè vel res ipsas producendo,vel reuelando humano more,sicut doctor discipulis. Cũ Deus res facit,codicem viuum facit, vel auget: in quo dispicientes addiscamus,vnde dictum est ad Brigidam , quod vniuersitas rerum, quam Mundum appellamus,olim sapientia Dei vocata est, & S. Antonius , & Bernardus, & Chrysostomus Mundum vocant Dei codicem:& profectò sic est, quoniam hic Deus scribit omnes conceptus suos, & verbo ipsum exprimit. Propterea nil est in Mundo, quod non aliquid in mente Dei latens idealiter exprimat. Dicere autem Dei ac scribere est ipsum facere realiter, sicut nostrum est declarare facta, vel facere intentionaliter, vt cum fabulas fingimus, quas realiter exprimeremus si Deo ęquiualẽtes essemus. Hũc autem codicẽ legimus & discimus per sensus exteriores , & ex sensationibus multis fit memoria, quæ anticipatarum sensationum est conseruatio, ex memoriis experimentum. Cum enim aliquid sæpè ita per sensus esse deprehenderimus, vt quod Reubarbarum purgat choleram in Petro & Martino , dicimur experimentum habere , ex quo conficimus principium artis, quæ est experimentorum multorum coaceruatio ad vniuersales regulas. Quas nunquam veras dicimus , nisi fuerint à sensibus approbatæ : & cum obliuiscimur , aut dubitamus, denuò ad sensum recurrimus , consulentes Codicem Dei, num ita sit, necne. Principia enim artis, quæ intelligimus, siue sint nomina imperfectè naturam rei significantia, siue sint definitiones, perfectè eandem significantes, siue propositiones vniuersales, à sensu accepimus per inductionem , quod & Arist. in 2. Poster. docet , licet sui oblitus. Quoniam verò non omnis sensus certus est de re , quam legit in libro Dei, si enim æger est , aut non indebito situ,& modo sentit, aut plenus est aliquo impedimento, vt cum lingua est amara, & oculus croceus , profectò rem sentit aliter quam est. Item neque sensus noster res omnes legere potest, tum quia non potest præterita sensisse, neque totum mundum percurrisse. Item aliqui sunt inepti ad scientias , & minus bene considerant. Propterea vtendum est sensibus aliorum nostris similibus. Ergo de præteritis fidem adhibemus Historiographis , & de illis, quæ non videmus eis , qui viderunt.

Examen testis humani.

Alioquin , nescirem vtrum sit nouus mundus, & vbi est Ierusalem , an fuerit Cæsar in mundo , nisi illis , qui viderunt, crederem , hæc est illorum

sensu sentirem: propterea cum nos librum Dei totum legere non possimus, credendum est legentibus, qui nobis testificantur, videlicet Philosophis, Historicis, Legislatoribus, Patribus, & Matribus. Si enim ita non fieret, scientia nostra esset trunca, modica & exilis. Et sicut ex his, quæ sentimus, cognoscimus ea, quæ non sentimus, quatenus sunt similia: Quia enim noui plures ignes calefacere; & quia plures vidi homines, habentes nasum, credo, omnes habere nasum (nam hæc est ratiocinatio, quæ est sentire in simili): sic etiam ex his, quæ vidimus nos, credimus ea, quæ viderunt alij, & hoc est sentire alienis sensibus. Hi verò, qui collegerunt omnium experimenta, feceruntque artes, dicuntur magistri, & præceptores aliorum hominum, qui huic vacare exercitio minimè possunt. At hi magistri, vt dictum est, omnes mendaces sunt, vel quia ignorant, vel quia nolunt veritatem aperire, sed de industria mentiri; propterea examinandi sunt omnes ad Codicem Dei.

Non enim quia Arist. dicit, solé non esse calidum, neque lucidum, sed atterendo aërem, facere lucem & calorem, credam illi, nisi prius per sensus hanc sententiam examinauero. Inueni enim plurimos homines errare, & transcribere libros suos ex libro Dei cum falsitate. Neque enim omnis homo dignus est fide, sicuti neque noster sensus luscus, aut croceus. Qui ergo passionibus interioribus caret s. inuidia, odio, ambitione, auaritia, adulatione, metu, is, sicut oculus purus, aptus est legere librum Dei: si enim spiritus est impurus non potest rem sapere sicuti est, sed sicuti afficitur ipse. Ecce Scotistæ dicunt Thomistas esse indoctos, & Thomistæ Scotistas, & Peripatetici Platonicos, & Platonici Peripateticos, & omnes sectarij omnes sectarios, quoniam non legunt authographum Codicem Dei, vt discant quid Deus in illo scripsit, sed quid dicit Magister; & legunt librum suorum Magistrorum, tanquam autographum, non tanquam exemplatum; & sicut amator omnia vitia amasiæ reputat venustates, sic hi magistrorum suorum errores: è contra qui odit, aut inuidet, nil boni se conspicere putat in eo quem odit, sed omnia mala, quia malus est ipse ad eum, sicuti speculum viride omnia viridia repræsentat, & qui aliorum videt ocularibus, omnia illorum instar videt; & hic pessimus est mortalium error, qui vsque ad sanctos penetrat. D. Tho. putat sub æquinoctiali non habitare homines contra Auicenn. & Albert. quia Arist. ita opinatur, cui ipse credendum magis putabat. Origenes multa fictitia dogmata præstigiis Platonis & Philonis, & Pythagoræ capt⁹, docet. Quapropter indubitata fide dignus ille est, qui loquitur vt testis eorum, quæ legit in libro Dei, non autem qui vt opinator, iuxta proprium alienumve arbitratum. Naturale est homini credere melioribus, vel sibi, vel naturę: sibi vt Filius Patri, quoniam scit in Patre non esse voluntatem decipiendi: sed magis Sancto secundum naturam, quia minus decipit. At cum ægrotat magis credit Medico, quam Patri: quoniam ille sapientior est in medicando: sed si est quis Medicus & sanctus, vt Damianus; huic maiorem præbet fidem, quoniam scit eum scire veritatem medicinæ, & nolle dolosè mederi, aut malefacere. Sed tamen quis magis credet Diogeni libero, quàm Aristippo adulatori timido? ergo apud homines ille est secundum naturam præceptor, qui est fortis animo, sciens, & bonus, ergo Deo similis. Sed si quis est bonus, & non sciens, sed opinans, huic non debetur fides sicut scienti. Ecce enim S. Augustinus & Lactantius negant extare Antipodas, & sunt sapientes & sancti. Christophorus Columbus nauigans in alterum hemisphærium testatur, extare Antipodas, vtri credendum est? Profectò Columbo testi per sensum ex libro Dei, non Augustino opinanti de schola humana. Hoc ergo principium ponimus: fidem præbendam esse testantibus, non autem opinantibus, quamuis sanctissimis: sed si vtrique sunt testificantes, credendum est sanctioribus, quoniam habent hoc plus quod nolunt sponte fallere. Si verò vtrique opinantes, credendum est sanctiori, si tamen alter non meliores affert syllogismos. Vnde plus Auicennæ probanti plagam æquinoctialem habitari, quam S. Thomæ, non habitati, ante experimentum credendum fuit; & in Mathematicis plus Ptolomæo, quam Bedæ: & profectò peccatum est anteponere opiniones testimoniis. Nam testimonium est lectura libri Dei. Opinio verò est ex his quæ legimus in libro nostro, vel alienæ mentis coniectura per similitudines non essentiales. Habet ergo aliquid de nostra imaginatione, elongata à sensu. Nos autem certitudinem mensurauimus secundum accessum & recessum à sensu. Veritas enim est rei entitas, sicuti est, non autem sicut imaginamur nos: sensus autem testatur de rebus vti sunt, imaginatio verò vti nos putamus esse. Itaque authoritas opinantium nulla est contra testes: alioquin falsus esset Columbus & verax Augustinus. Item Mahometis authoritas ponentis plures terras sub nostra terra, & maria super maria, & aëres, & bouem magnum ab Oriente in Occidentem, qui sustinet prædicta systemata, similiter quæ fingit de cœlis cœli, de sede Dei, de spatiis, de gallo plorante mortes hominum, vera censenda essent, nec liceret vltrà philosophari, sed poëtare. Quapropter damnaui semper obstinationem in verba magistri opinantis: nec arbitror posse scientiæ vlli eum esse idoneum, nedum Metaphysicis, qui in aliqua secta obstinatur.

Examen testium diuinorum.

Alio modo loquitur Deus, cum reuelat seruis suis occulta, siue Physica, siue supernaturalia, quæ sensus non cognoscit, nisi quædam, & exiliter in causis, aut signis, aut effectibus, & cum pandit arcana sua per reuelationem ad sensum exteriorem, aut in spiritu interiori, aut in mẽte, quam accepimus ab illo; & hæc sapientia non est opinatiua, sed testificatiua, & omni fide digna, quoniam non ex lectura libri diuini, in quo bene legere nescientes erramus, sed ex diuino oraculo, siue per se, siue per Angelorum mysterium panditur. Quod oraculum necessarium esse non Hebræorum modò & Christianorũ schola, omniũque Legislatorum etiam in scientiis naturalibus, sed & Pythagoras, & Socrates, & Plato in Timęo, ad perfectionem scientiarum docuerunt, sed quia plurimi in Mundo gloriantur, à Deo sese accepisse religionem, & reuelationem, vt Moyses, Dauid & Prophetæ sequaces, Apostoli Christi, Minos, Numa, Mahometus, Amida, Zamolxis, Simon Magus, & alii; idcirco videndum est, quibusnam ex his danda est fides. Profectò qui mittitur à Philosophis, habet notas Philosophicas, qui à Deo diuinas. Namque ex his alii sunt decepti à diabolo, & sunt simul aliorum deceptores, vt Mahometes: alii sunt deceptores, & non decepti, vt Pythagoras & Zamolxis, & fortè Numa, fingentes se colloquio Deorum frui quo leges eorum fierent populis venerabiliores. Alii vero non sunt neque decepti, neque deceptores, sed Dei nun-

cij. Si enim Deus est, & curam hominum gerit, necessariò dat illis Legem, & Prophetas, sine quibus vita humana in incertum fluctuat (teste Socrate ac Salomone). Signa ergo à Deo accipiunt miraculosa supra naturam, quæ alij homines, & natura ipsa facere non possunt, nisi Deus. In quibus inspice, vtrum sint à magia diuina vel naturali, vel diabolica, vt infrà examinabimus. 2. Dat sigillum Deus, quod est martyrium: si enim credit Nuncius vera esse, quæ prædicat ex parte Dei, pro Deo mori non dubitat. 3. Est prophetia, vt si quæ prædicit eueniant an non, & vtrũ sit diuina, an naturalis, an diabolica examinabimus. 4. Est præconium priscorum, qui de hoc nuncio propheta-runt: tunc enim scimus quod sit à Deo, & non deceptor, neque deceptus. 5. Est successio si discipuli eius, & discipuli discipulorum, faciunt miracula, & martyrium subeunt, & prophetant cum veritate. Tunc enim non poterunt Pomponatius & Arist. temperamento miracula tribuere, cùm temperies indiuidualis discipulis communicari nequeat. 6. Vita præceptoris, si non est contra virtutes naturales, & morales, & à vitiis remotas. 7. Si leges eius nõ sunt contra naturã & veritatem, & vtilitatem humanam. 8. Si cęremonialia sint symbolica, rationalia, & possibilia. 9. Si quæ supernaturaliter credenda proponit, sunt supra naturam, an contra naturam. Et 10. Si transhumanat credentes, faciunt eos optimos, loqui cum Deo: diuina sapere, humana despicere: alienos ab auaritia & ambitione, concordes inter se & cum aliis à Deo missis. Qui omnes has habet notas non est dubitandum de illo secundum Philosophiam omnia examinantibus, quin sit à Deo. Nam secundum fidem à Deo infusam absque his credere datur multis. Non enim per syllogismum, sed per illuminationem interiorem aspiciunt veritatem, sicut interiores tenebræ & impuritas absque syllogismo inclinat hominem in falsitatem.

At & hæc signa examinare difficillimum, nisi principia & fines omnium rerum, & fundamenta scientiarum pernoscamus. Propterea ego THOMAS CAMPANELLA postquam omnes sectas Philosophorum, & Sophistarum, & religiones, & leges diuinitus, & humanitus traditas, & ab impuro dęmone hominibus prauis insinuatas, & scientias & artes cunctas rite percurri, statui de vera sapientia sermones scribere, vnde quilibet posset, & scientias examinare ex libro Dei, & connexiones earum per Encyclopædiã introspicere, & falsitates & veritates deprehendere. Idcirco de principiis rerum primis & finibus atque de scientiarum fundamentis erit doctrina hæc, quam Metaphysicam appellamus: Propterea quod Physicas excedit, & communem Philosophiam, propterea quod circuit omnes, & ad primas causas erigitur & ad supremam, vnde causationem & cognitionem omnium gradatim contuemur.

Aliqui negauerunt hanc verè scientiam esse, quoniam nihil putauerunt esse incorporeum, & quod exteriori sensu non cognoscunt, & Animam nostram aiunt esse mortalem, ideoque si qua sunt immortalia, ad nos non pertinere: sic dicunt Epicurei, sed imperitè quidem, quoniam solis corporibus effectus naturales tribui non possunt. Porrò si elementa sensibilia & ipsorum vires sensibiles calor, videlicet, frigus, humor, & siccitas, sufficerent ad reddendum causam omnium quæ in natura eueniunt & quę in Arte, & in Politica humana, non essent exquirenda alia principia Metaphysicalia, sed nec de magnetis attractiua vi, nec de scorpionis ictu, nec de canis rabidi morsu totum hominem immutante, nec de animarum origine, nec de corporis structura, aut atomis, nec de prophetia, nec de miraculis rationem ex elementis quibuscunque iactis reddere Philosophi potuerunt, & Hippocrates qui coactus calori dat intellectum, & diuinationes, fatetur in morbis quibusdam inesse quid diuinum & ignotum, & Arist. qui ex atrabile facit Sibyllas & Poëtas indoctè quidẽ, fatetur naturam dæmoniam esse, cũ de sõnis propheticis loquitur, sed vnde, ignorat. Quapropter scientia supra Physicã desideratur.

Ratio necessitatis Metaphys. scientiarum.

Præterea, scientia omnis cõsiderat de particulari Ente, vt Physica de naturali, Mathematica de quãtitate, Medicina de corpore sanãdo, Politica de Reip. corpore gubernando, Astronomia de motibus corporum cælestium. Dum autem tractant de his, pręsupponunt sic esse, & principia prima & fines ignorant. Si enim dicas Physico, quare homo est homo: Resp. quia est animal rationale, constans ex corpore, constituto ex elementis in tali temperie, ac tanta, quæ rationalem sortiri possit animam, quæ de notis rebus ad ignotas ratiocinatur. Et cùm totius corporis & animæ partes declarauit, satisfecisse putat. At de principio & fine nihil considerat. Non enim vnde venit rationalitas & sapientia, & quid sit, & quæ causa incorporea illam pariat: & cur magis in homine quàm in leone, & propter quem finem: satis est enim sibi, si dixerit particulares; vt propter quid sit iecur, gratia sanguificandi, pedes gratia ambulandi, &c. Sed de toto homine non loquuntur. Quemadmodum quis nunc me interroget, quare nunc scribam, & respondeam, quia habeo pennam, & atramentum, & paginam, super quem moueo pennam digitis, & digitos vis motiua, & hos caracteres exaro. Vbi profectò modum tantum attingo secundum Physicam, non rationem sapientiæ veræ, secundum quam ritè responderem, quod mens mea à Deo impellitur illuminatione & motione. Mens autem vtens spiritu effundit ideas, mouendo manum, & manus instrumenta ad faciendos caracteres, qui sint signa veritatis à Deo, vel Dei libro perceptæ, ad instruendos homines ad gloriam Dei, ne in illius errent operibus. Similiter si quæras à Matemathico, cur oculus est circularis. Resp. quia lineæ à centro oculi ad circunferentiam sunt æquales; sed Physicè, vt videat vndique: Metaphysicè verò, quia diuina sapientia talem figuram perfectam de sua idea oculo dedit, vt facilè conuoluatur ad videndum circunstantia, non solum vtilia, & noxia, vnde seruetur homo, sed totam rerum machinam ad primæ causæ intelligentiam comparandam, & multa huiusmodi.

2. Ratio Metaphys. scientiarum.

Præterea, nulla scientia tractat de rebus cunctis, prout sunt, sed prout apparent, & sunt nobis. Danda ergo est scientia, quæ entia vt sunt doceat, non solum in proprio esse, sed etiam prout referuntur ad omne esse, & ad primi entis & mundi, & singularum rerum vsum & ordinem & connexionem. Et Galenus enim agnouit medicinam de Plantis, non prout sunt, neque prout referuntur ad omnia entia, sed ad corpus humanum considerare, cui genista est amara, sed non capræ.

3. Ratio.

Præterea, omnis scientia vtitur quibusdam vocibus communibus, de quibus nulla scientia tractat,

4. Ratio.

vt de Ente, Toto, Parte, de Vno, de Numero, de Potentia, Sapientia, Amore, Fato, Necessitate, Contingentia, Veritate, Bonitate, Malo, Falso, & similibus, & vtuntur his vocibus, tanquam vulgaribus vocabulis, in quibus tamen latet communis sapientia: oportet ergo tradere scientiam, quæ de his sermonem declaret.

5. Præterea, sunt causæ primæ nobis ignotæ, propter quas res corporales sunt, & à quibus sunt, & de his oportuit Philosophum dicere, & non de particulis mundi tantùm, sed de toto mundo, & systematibus, & si qua sunt extra hunc mundum, & de principio & fine illorum, & colligatione ad incorporeas causas & inter se.

6. Præterea, non modo oportet scire quid sit homo hic, & nunc, sed quid semper ab æterno, & in æternum, & de eius igitur vltimo fine, & de primo principio, & de infinitate mentis eius, & gratia cujus, & vnde sit immensa. Item de reuersione eius ad suum principium, & de cultu diuinorum entium, & primi Numinis; quoniã hæc ad homines spectant, cùm nationes cunctæ de his tractent: quod si omnes decipiuntur, vnde hæc tanta potest esse deceptio? Videmus enim quò ad Quia non decipi: sed quò ad Quid, sensus humanos: propterea de his disputandum fuit, & de prouidentia prima, super omnia systemata, & sæcula, & de sæculis sæculorum, & vnde errores & mala irrepserunt inter opera diuinissima; & an sint aliæ causæ pares diuinitatis, quod infrà reprobabimus. Quod Pythagoras, & Plato, & Stoici, & quicunque præstantissimi vniuersaliter philosophati sunt, vel ex parte sunt, vel ex parte obseruarunt. Quare omissis Democrito & Epicuro ad hos examinandos procedamus.

Nec Arist. nobis præripuit hunc laborẽ, nam cum vellet Metaphysicam tradere, nihil minus quàm Metaph. docuit: Neq; enim probat principia & fines rerum, neque scientiarum, neque connexiones, & de Ente & de communibus Entitatis non loquitur philosophicè, sed tanquam Grammaticus, qui Dictionarium facit, & vocis significata distinguit, sicut patet in 4. suę Metaphys. Neque ordinatim iuxta seriem aliorum ex aliis, sed confusè tãquam qui tradit Grammaticam, & non deriuationes naturales. Itẽ supra principia Primalitates & Realitates entis non adducit, quæ ponimus nos Potentiam, Sapientiam & Amorem; neque de nihilo, ex quo & ente cuncta secunda Entia fiunt: neque de magnis influxibus, per quos fiunt, neque de rerum deriuantia ab ente primo, neque de reuersione ad idem. Quinimo excludit Ideas, per quas fit deriuatio. Aufert basim Entium, ipsum s. spatium, & negat Matemathica: & cum omnia ab vno primo Ente sint, quasi non sint ab eo, sed nec fiant, neque sciantur, neque regantur loquitur, sed Deũ se solum curantẽ introducit, & tot Angelos quot sunt sphæræ, & ęquè ęternos cũ Deo, & non plures, neque pauciores, eosque alligat perpetuę agitationi sphærarũ; & dum imitantur Deum contra Deum voluere asserit; ponitque pugnam pro imitatione, & violentiam pro amore in cælo, & discordiam in sublimibus, præcipuè inter reluctãtes & reuoluentes. Et tandem cum proposuisset dicere de causis altissimis, XI. libros cõsumit in procemio. Duodecimus est Metaphysicus; vbi tot impietates, & deliria scribit, quot propositiones scribit: Deum scilicet se solum nosse: non curare inferiora, quia vilesceret: mouere orbem primum non influendo virtutem, sed sicut obiectum amatum; quod etiam lapidi mouenti animum ædificatoris conuenit; & tot Angelos quot sphæræ, qui dum amantes, Deum imitantur, tanquam odientes aduersantur. De numero verò sphærarum Matemathicas capit suppositiones ab Eudoxo, & Calippo fictas ad calculum non ad veritatem Physicam. Excludit Ideas & plenum Ideis Ideatorem Deũ artificem: sed mundũ semper fuisse docet, sẽperque futurũ & motus & tẽpus, alioquin putat non extare Deũ; & tamen ex nouitate certus est. Libri vero præcedẽtes sunt Logicæ disputationes & repetitiones Physicarũ positionũ. Neq; de sapientia nisi logicè quidquam promit. Propterea nos hunc laborem aggressi sumus, vt dirigatur homo in scientiis secundum veritatem, & non secũdum opinionem, & hypotheses earum, & ad finem suum propter quem factus est à Deo: de qua directione, quæ per Religionem fit, nihil dixit Arist. neque religionem consonam esse naturæ, nec supernaturalem, sed tantum politicam inuentionem & frenum plebeculæ putat; & hinc ortus est Machiauellismus, pernicies generis humani. Neque de illustratione mentis humanæ, quæ habetur per conuersionem ad superos quicquam locutus est; aut verum esse putauit; sed quasi delirium, & fabulam aspernatur, & atræ bili Sibyllarum voces diuinas, & alienationes Prophetarum dedit, cuius rei nos tot tantosque habemus testes. Neque examen veræ, ac falsæ Religionis adduxit. Neque Deum colendum, quem nec prouidentem facit, arbitratur, nec post mortem nobis felicitatem aliquam in Dei cura, & arcanis constituit: sed tota intentio eius est destruere Metaphysicam Platonis & Pythagoræ. Et ne videatur nihil dicere altum, de Deo fabulatur, & motoribus orbium, quæ vix Epicureis Poëtis concedenda forent. Auerr. autem, & Alex. qui homini copulationem cum extrinseco intellectu promittunt, nullam religionem docent naturalem, sed per syllogisticas scientias fieri putant, post habituationem intellectus humani. Et tamen neque ipsi, neque Arist. neque Auicennas, qui spreta Mahometis corporea felicitate, hanc copulationem approbat: neque alius in mundo per scientias syllogisticas diuino abstractoque intellectui coniungi gloriantur vnquam. Neque trans humanari, & operari miracula & prophetiam, & Deo frui per scientias, nisi extrinsecè in effectibus quis visus est vnquam; veluti per Religionem videmus plurimos, & per copulationem vi amoris & saporis diuinorum supra se eleuari.

Quapropter nouam condere Metaphysicam statuimus, post vbi à Deo errantes per flagella reducti sumus ad viam salutis, & cognitionem diuinorum, non per syllogismum, qui est quasi sagitta, qua scopum attingimus à longè absque gustu, neque modo per authoritatem, quod est tangere quasi per manum alienam, sed per tactum intrinsecum in magna suauitate, quam abscondit Deus timentibus se: vnde certè de Metaphysicis rebus facti, audemus hominibus vias ostendere, duce Deo, de quo in Theologicis tanquam saluatore & reuelante ea, quæ nesciebamus, alia ratione considerabimus.

Itaque in prima Parte tractabimus, vtrum sit scientia, & quam modica sit, & ex parte, vt is solus sciat, qui nouit se nil scire perfectè, & ex toto: & de erroribus, qui contigerunt ex præsumptione scientiæ, & qui ex professione ignorantiæ, & de cõsiderandis in cuiusque rei cognitione. De Epilogo cognitionis, quæ est definitio, & de regulis cognoscendi quæ à sensu primario non cognoscuntur.

In secunda Parte, de Ente, & non Ente principiis rerum Metaphysicis, & de primalitatibus constituentibus ipsum Ens & non Ens, vt de Potentia, Sapientia, & Amore, & de Impotentia, Insipientia & Disamore, & de Primis Influentiis, Fato, Necessitate, & harmonia, & de istorum defectibus Fortuna, contingentia & dissonantia. De Deo vno, quod est istorum vita, & de Numero Prouidentiaque, & de basibus existentiarum.

In tertia Parte de origine Mundi, & Fine, & de Angelis, & de Ideis, de Systematibus, & de Connexione diuinorum Physicorum, & Mathematicorum Entium ad Systematum constructionem; & de Anima humana, de Immortalitate, de Exilio, & Sæculis sæculorum, de Miraculis, & de requisitis Notis; insuper ad Legislatores examinandos, & de Reuersione per religionem ad primum Ens, & principium eius, qui est Deus. Ergo in prima Parte, principia sciendi. In secunda Parte, principia essendi. In tertia Parte, principia operandi, quatenus à primo sapientissimo Ente, & gubernante sunt Deo.

PRIMA DVBITATIO.

Quod non sit scientia nec sapientia hominibus, ex eo quòd, quæ scimus, sunt minima pars eorum, quæ ignoramus. Et hæc pars minima non tota, nec totaliter sapientiæ humanæ subiicitur, sed ex parte, & ab extrinseco, & imperfectè, nec secundum mensuram sui esse, sed nostræ affectionis: & per accidentia, per effectus & per similitudines, & non per suam quidditatem.

CAPVT I. ART. I.

SApiens est, cui res sapiunt, prout sunt, dicebat sanctus Bernardus rectissimè: cui ergo res non sapiunt, aut, non prout sunt, sapiunt; is insipiens est & ignarus. Talis autem videtur homo. Etenim ea, quæ scimus, sunt minima pars eorum, quæ ignoramus. Neque .n. cognoscimus Deum, neque Angelos, neque diuina Entia, neque quæ sunt extra Mundum nostrum, & quæcunque sensu non sapimus. Item neque Cælum videmus, neque aërem; neque si qua sunt systemata præter stellas. Nam cum luna diuidua est, videmus partem lumine carentem, esse persimilem Cælo in colore; & sæpe nouæ stellæ visæ sunt, & Planetæ alij Galilęo apparent, & Indis, si Agrippæ credimus. Quis ergo scit vtrum sint alia systemata, instar lunæ, quæ nunquam lucent, & à Cælo cælantur, & apparent interdum in forma Cometæ, vt Pythagoricis probatur. Ignotus est & numerus stellarum latentium, & non latentium, & vis, & motus, & quies, & quicquid intra stellas latet. Quæ autem sunt in mari non sentimus, nisi paucissima: similiter & quæ in terra. Neque ipsam terram nisi portionem, in qua sumus nos. Neque homines, nisi quos vidimus: & profectò & Pygmeos, & Monoculos, & Acephalos, & Semicapros, & alios multiformes in mari, & in terra, & in aliis systematibus suspicari licet, cum Plinius, & sanctus Augustinus, & Hieronymus de illis contestentur. Quapropter non videtur esse scientia vlla de historiis: si quis enim videt hominis manus, aut nasum solum, non dicitur scire quod sit homo. Nos autem particulas Mundi videmus, & non totas, totum autem Mundum impossibile est: ergo non sapimus Mundum, neque quæ sunt in Mundo. Nec si quis dicat, nos scire alia Entia per historias & reuelationes satisfacit. Quoniam hoc non est sapere, sicut manducare ore aliorum non est nobis manducare. Neque ego saporem vini habeo, quod bibis tu. Quapropter quia futura sunt ignota, & præterita vix nota aliorum narratione, & diuina per reuelationem, præsentia verò absunt à nostris sensibus quamplurima, & quam paucissima adsunt, vt domus nostra, & consanguinei, & ciues, & prædia, quę sunt ad totum mundum longè minus, quam indiuisibile punctum. Nam tota terra cælo comparata est punctum. Quis autem totam terram interius exteriusque nouit? fatendum est, nos scire minus quam punctum indiuisibile. Hoc autem minus est nihil, ergo nihil scimus. Sed sicut pediculus in capite animalis, nihil scit de animalis scientia, & essentia, ex partibus internis & externis, sed tantum modicum vsum, quem sibi capitis furfur, & particula præstat, sic nos in mundo: & sicut vermis in ventre hominis, qui totum ignorat hominem, & statum suum, & seipsum.

Præterea enim quæ oculis nostris & sensibus exposita sunt, ignota sunt quoad quidditatem, & situm & quantitatem & relationem. Ipse nimirum sol apparet pedalis quantitatis, & tamen dicunt, esse terra maiorem, quid autem sit sol, nemo definiuit, neque qualis; & vtrum stet in centro, aut moueatur in gyro: Dubitant homines Ptolomaici & Copernicei; Peripatetici verò nesciunt vtrum sit lucidus, & calidus. Quod si sol notificans omnia, est ignotus, quid de cæteris dicemus rebus? Præterea, quas videmus res, non ex toto videmus; sed tantum superficiem videmus, & tangimus: interiora verò ignota sunt. Quæ autem gustamus, nec nobis pandunt nisi saporem. Colorem enim & quantitatem, & atoma, & materiam, & quidditatem, per saporem nescimus: quapropter rem nullam scimus, nisi particulam eius exteriorem. Neque enim totam superficiem hominis simul videre, & tangere datur, neque totaliter. Quod si quis dicat; nos scire totum, quia scimus partem, cui simile est totum, sicut ex modico calore, totum scimus calorē, & ex parte superficiei totam, is non satisfacit. Quoniam totum, & heterogeneum non est simile

parti. Item scire, per aliud non est scire illud, sed aliud Quapropter Deum per effectus & Angelos scimus, sed hoc non est sapientia, quoniam non sapimus Deum, nisi per aliud, sicut tangimns scopum per sagittam.

6. Prætereà quæ sensibus nostris patent, sunt accidentia, color, sapor, motus, superficies, odor, qualitas tangibilis; substantias autem non nisi per accidentia sapimus. Ergo non ipsam sapimus, sed effectum, & vestes, sicut qui gustat carnem assatam per fumum, quod non est gustare; & qui non tangit hominem, sed vestimentum, quod non est tactus hominis. Nec intellectus intelligit quidditatem, quæ non sentitur. Nihil enim est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, nec enim cæcus iudicat de colore. Quapropter non rectè Arist. quidditatis cognitionem dat intellectui, quam sensus apprehendit nullus. Alioquin licebit nobis fingere quidditates, & Mundos alios & Systemata per similitudines captas à sensu.

7. Vtrum quoque sint alij mundi nescimus, & totum Ens & particulas eius, vel minimas non percipimus nisi discursu, quo neque numeramus: & hoc non est sapere.

Videtur ergo non esse sapientia nisi ex parte valdè exigua, & hoc confirmat Apostolus, dicens, *ex parte cognoscimus*, & alibi; *qui putat se sapere, ipse se seducit*. Et Salomon ait: *Dixi, sapiens efficiar & sapientia longius recessit à me*. Datur ergo modica exilis, & ex parte, quod non est verè sapere intrinsecum.

8. Item, neque si intrinsecaremur rebus, saperemus, prout sunt, quoniam sapimus, prout ab illis afficimur; alius autem aliter afficitur. Ergo sciremus res secundum mensuram nostram, non secundum mensuram entis & veri, vt mox patebit.

9. Item, effectus nescitur ignorata causa; causa autem ignoratur ignorato effectu. Quomodo sciemus? circulo? ergo idem erit notius vt notificat, & ignotius vt notificatur, & seipsum notificat; quod est impossibile.

10. Item, oportet in causis ire in infinitum. Non enim nota est res vlla nisi per antecedentium, & propriarum causarum cognitionem. Infinitum autem non contigit sciri intellectus nostri finibus contractum, ergo, &c.

(∴) (∴) (∴)

DVBITATIO II.

Quod neque minimam partem rerum, quam putamus scire, sciamus; ex eo quod oportet infinita scire, & corruptibilia, quæ non sunt scibilia; ad hoc quod sciamus aliquid; quod est impoßibile. Item scire per vniuersale Aristotelicum, aut Platonicum non dari propriè, sed per simile & minus notum, & imperfectè, & à longè. Quod non est sapere. Item, neque vnum indiuiduum eorum, ex quibus vniuersale venamur, posse cognosci, si infinita ad ipsum pertinentia ignorantur. Neque, vt putat Arist. posse ad propositiones immediatas deueniri: neque ad prædicata essentialia, neque ad causas primas certasque in omni genere rerum, & causarum.

CAP. I. ARTIC. II.

Ratio

PRæterea non modo minimam rerum partem scimus, sed neque hanc minimam; quoniam vt sciamus quid sit homo, omnes oportet nosse homines: hoc autem impossibile; ergo neque homo scit. Sed, ait Arist. sufficit scire vniuersale, quoniam ad particularia descendere non possumus, cum sint infinita. Sed hoc vniuersale Arist. nihil est, nisi similitudo particularium, homo enim est essentialitas, in qua conuenit Martinus, Petrus, & alij. Scire autem communia, absque singularitatibus, est scire confusum, languidum & imperfectum, vt probat D. Thomas: quod Deus esset ignarus nisi omnes particularitatees nosset. Quapropter hoc est scire rerum communitatem, non autem entitatem. Quod enim est, si noui quod Roma est ciuitas Italica, nisi mœnia, & domos, & ciues, & Senatum, & Principes, & regiminis modum, & status, & ordinem sciam? Sic, quia cognosco Petrum esse hominem, nihil ferè cognosco, nisi quod conueniens Francisco, Ioanni, & Paulo, & cæteris. Ergo nescio Petrum, sed similitudinem eius cum aliis. Sapere autem est, intrinsecus rem sicuti est, intelligere, & non modo, quia similis est aliis.

2. Præterea, non contingit scire vniuersale, nisi ex consideratione particularium, vnde nascitur scientia Arist. & reminiscentia Platoni. Particularia autem infinita sunt, & sciri non possunt, ergo neque vniuersale.

4. Præterea sunt corruptibilia, quæ nunc sunt, nunc non sunt, & in continuo fluxu & refluxu sunt. At scientia est de his quæ sunt & sempiternorum: sicut quod duo & tria faciunt quinque semper verum est nec contigit aliter se habere, indiuidua ergo cognosci nequeunt, ergo neque vniuersalia.

Item, vniuersalia non sunt nisi in indiuiduis, quæ ignorantur, ergo & illa. Item sunt ens rationis, quod non potest esse obiect. scient. realis.

5. Sed resp. Plato, nos ex inspectione indiuiduorum excitari ad notitiam vniuersalium, quæ sunt Ideæ semper eodem modo se habentes, & in his ponendam esse scientiam, & definitiones, & de-

Resp. Plat. quod sciētia est de Ideis.

monstrationes de his vniuersalibus verificari. Non enim mortuo Petro, vel delirante, verificatur, quod sit animal rationale; neque hyeme, quod rosa sit flos rubens, nisi de idea hominis, & de idea rosæ.

1. *Dubitatio.* Sed contra. Idea est nobis ignotior quam Petrus & Rosa, quoniam longè est à sensibus, vnde nos capimus scientiam, ergo de illa non est scientia; sed opinio: Cum dubia præsertim multa sint, vtrum ideæ sint.

2. Præterea idea est incorporea, & alterius substantiæ à Petro corporeo: nos autem quærimus quid sit Petrus corporeus.

3. Medicus etiam de hac ægritudine quærit scire, vt possit huic mederi. Medicina autem non applicatur ideæ incorporeæ, sed huic corpori; similiter omnes artes in hoc ligno, & in hoc lapide laborant & metallo: ergo scientia nostra est de hoc, non de illo; & definitio & declaratio est huius, non ideæ, sicut & operatio.

4. Videtur quoque æquiuoca esse scientia de idea & de Petro, quoniam idea est alterius ordinis rerum.

5. Item idea quæritur à nobis vt ignota, & non præsupponitur tanquam nota. Vix enim sapientissimi post longam inquisitionem ad ipsam attingunt: notificare autem notum per ignotum insipientis est. Similiter dare definitionem Petri ideæ est delirium. Petrus enim corporeus est secundum substantiam: quis autem dicet ideam esse substantiam corpoream rationalem, natam Romæ, mortuam Neapoli? &c.

6. Idea præterea videtur ad opus artis conferre, non ad scientiam.

Respond. Arist. 1. Resp. aliter ab Arist. quod non est necesse omnia nosse indiuidua, sed aliqua, quoniam ex his abstrahitur vniuersale, quod scitur, & sempiternum est: Sed profectò errat: nam Medicus hunc hominem scit hac ægritudine affectum his pharmacis curandum. Dicunt quod scit hunc hominem, quia scit hominem. Dum enim intellectus scit vniuersale, flectitur ad singulare.

2. Sed hoc vanũ est: quoniam syllogismus est de singulari, & homo vniuersalis curandus notus est medico ex experimentis factis in multis particularibus, vt Arist. ipse docet, licet ergo per vniuersalia tradatur Ars, tamen ex particularibus inuenitur prius. Vnde in 2. post cap. vlt inuestigãs quomodo nouim9 vniuersale vnde principiũ Artis. Resp. quod, ex aliquot particularibus, quæ possunt facere principium, sicut multi milites particulares principium pugnæ faciunt in bello, sed non vnus, aut duo, sic inductio fit ex multis, vt quia Petrus visus est videre & Paulus & Martinus & alij multi, concluditur hoc vniuersale, omnis homo videt.

3. Bene quidem, sed non secundum sua dogmata, quia solius vniuersalis putat esse scientiam. At neque potest sic vniuersale colligi, quoniam sæpè contigit falli, si non omnia inspiciatur indiuidua. Neque enim omne animal habet cor, licet multis animalibus insit. Neque comedit omne, si Astomi odore viuunt, teste Plinio: Neque omnis homo habet caput, si Acephali sunt in Africa. Neque omnis homo est rationalis, si plurimi irrationaliter viuunt. Et quid dices de Satyris, & Syluanis, & Pygmæis? Item vniuersale nihil est, aut posterius

4. sing. prænotis. Item posito, quod pauca singularia facere vniuersale possint, tamen videtur adhuc neque singulare vnum prænosci posse, Oportet enim scire si cognoscenda est hæc charta, in qua scribo, ex qua materia, ex qua forma, & quomodo, & à quo artifice est formata, & vbi, & quando, & propter quid. Ex quibus neque vnum licebit scire, si enim chartæ solam materiam quærimus. Dicamus, quod sit linum in panno inueterato, cõtuso à Fabro Chartario in oppido Pizzoni, gratia scribendi in eo. Tunc, inquam, quot Atomi sunt in hac charta, & quot linei flocculi, & quomodo conglutinati sunt alij cum alijs, quibus nodis, intersecationibus, flexuris, texturis, respectibus, & quis cũ quo. Porrò hoc neque Artifex ipse scit, neque enim quot capilli in capite distincti sunt scimus; quomodo sciemus flocculos, & partes flocculorum hic conglutinatorum iunctas intertextasque?

5. Deinde, quæro etiam si hoc scieris per Dei reuelationem: iterum vnde illi flocculi, & quomodo peruenerunt ad compositionem huius chartæ; & cur illi, & non alij. Dicis, ex pannis laceratis, factis ex lino.

6. Tunc quæram rursus de textura, & laceratione panni, cur, quomodo, & propter quid, & quotupliciter; & iterum de lino illo vbi factum est, quo semine, in qua terra, & qua, & quanta aqua, sub quo cælo; & quomodo magis in linum illa terra commutata est, quam alia, & de partibus lini innumeris, & de compositione, & conuenientia.

7. Rursus, de dispositione terræ ad lini productionem, sub quibus constellationibus, & quomodo hæ constellationes & dispositiones successerunt aliis, & illis aliæ vsque ad principium mundi, Et ad Deum: & cur Deus potius in hac terra prædestinauit linum nasci, quàm ciceres, & hunc, & in hoc anno, & vt tegatur iste hac tela, & non aliud, & ex

8. ea fiat hæc charta; & quot formis fuerit formata materia hæc chartæ antequam susciperet istam, & quem ordinem habuerint & successionem fatalem, & qui sensus, opiniones, rationes, & occasiones

9. præcesserunt ab initio hucusque ad hanc huius carthæ compositionem.

10. Similiter quæritur de hac forma, vnde facta est, si respondes ex typo confecto de funiculis, tanta ac tale præcedente contusione in aqua, ipsius lini, vt fieret in minutias, ac deinde ex pansione ab artifice chartario super typum, & iuxta Ideam eius, hanc accepit formam.

11. Tunc quæro de minutiarum conuenientia, ordine, situ, figura, quantitate, compositione, & de contusione & aqua & typo & de partibus eorum; & de causis efficientibus, materialibus & finalibus, secundum intentionem naturæ & artis & Dei; & de dispositionibus Cœli, & Terræ & Caloris & Frigoris, ad huius formationem conferentibus, secundum Fatum, Necessitatem, & Harmoniam ab initio Mundi vsque nunc: & de causis, concausis, respectibusque earum. Et quia res præteritæ sunt causæ, & concausæ & præparationes & signa præsentium, oportebit de illis cunctis dicere.

12. Item de Idea Artificis, vnde formata est: Ex Idea ne sui Magistri an ex Natura, & Idea naturæ & magistri Chartarij vnde venerit per successionem donec peruenias ad Ideam Dei, vnde originatur.

13. Et tunc quæro, cur Deus sic prædeterminauit, & non aliter, & per has causas, & concausationes ad huius formationem deuenerit.

14. Eædem quæstiones sũt de tempore, cur tali die facta est charta hæc, & vtrũ in alio potuerit fieri, seruato ordine fatali, & quomodo ille dies pendet ab aliis diebus & solis circulationibus, & quot fuerunt ante

ante illum circulationes, vsque ad Mundi exordium; non enim nisi præteritas sciamus, presentes scimus, quoniam essentia presentis est ab ordine præteritorum; nescio Petrum esse decimum militem, nisi sciam quod alij nouem præcesserunt in ordine.

15. Item cur sunt tot dies & non plures, & quot lucis & caloris gradus effecerunt ab initio successionem temporalem hucusque, vnde disposuerunt, vt fiat hæc cartha in hoc die. & vtrum fuerint semper dies æquales, & vtrum sol regulariter motus sit semper, vt putat Arist. vel per anomalias, vt inuenit Copernicus. Et quibus diebus tardatur, & quibus acceleratur, & vtrum aliqua tardatio, vel acceleratio attulerit huius diei dispositionem: & vtrum sol descendendo in terram paulatim fecerit alibi consimilem: 16. & vtrum in præteritis sæculis & in futuris facta erit, aut fieret, hæc eadem charta numero, reuertentibus spheris cunctis ad idem punctum & causationem, vti opinatur Albumasar. 17. Oportet etiam scire omnia similia, & contraria, vt ad huius scientiam deueniamus. De loco similiter quærendum est, vbi sit 18. Pizzonis, & vbi Calabria, & quam proportionem habet ad alias Mundi partes, sub quo climate sit, quantum distat à polis, & ab æquatore, situm quoque longitudinis, & cur ibi & non alibi sit aut possit esse, & vnde hæc dispositio ordinis rerum, vt ibi sit officina chartaria: & cur in particula illa Pizzonis respiciente ad occasum, vbi fluuius præterlabitur, & in illa certa fluuij parte: & quam habet conuenientiam ad alias Mundi partes, & disconuenientiam: & quæ stellæ fauent illi, & quæ nocent, & de situ eius ad Mundum, & ad partes eius exteriores: & num tellus quiescat ac moueatur, vt Copernicus docet, & num sit in Mundi centro vel in quarta regione Cæli, vt idem putat: & cur stat: & quod partes habet, & atomos, & quam relationem hæc omnia habent ad Pizzonim, & causationem. similiter de centro ter- 19. ræ, & de his, quæ sunt in ea, & de circumferentia dicendum foret: & de miliaribus, passibus, palmis, digitis, & minimis mensuris & ponderibus omnium systematum.

20. Deinde de Artifice similiter quæro, quis est, quomodo vocatur; qua rerum serie contingit illi tale nomen, cur hanc chartam fecit.

21. Si respódes, vocatur Fráciscus filius Marci, quia sic Pater voluit, fecit chartam iussu Domini sui vt venderet, & victum requireret. sed hæc non declarant illum mihi perfecte secundum se, neque secundum hanc chartam; secundum se enim oportet nosse de partibus eius homogeneis, & etherogeneis, de mixtura caloris & frigoris, temperie: & de materia, & dispositionibus, & elementis & causis fatalibus, & occasionibus, quibus factus filius Marci, & Marcus ab alio, & ille ab alio donec venias ad primum, sidatur. alioquin nescies, quæ particula Mundi iste sit. Si enim noui vnguem, & nescio cuius animalis digitique & vsum & quidditatem, profecto nil certe, nec perfecte noui.

22. Præterea de ratione nominis vnde orta est, vt vocetur Franciscus, nam voluntas patris refertur ad Auos, vel ad instinctum & deuotionem S. Francisci, & tunc quærendum est itidem eadem de illis & de S. Franci.f. vnde id habuit vt colatur: & hoc nomē qua ratione datum est illi & de priscis Franciscis, & significatis, & de fatali ordine dirigente voluntatem primi nominatoris ad hoc nomen, & cur alij eiusdem nominis non habent easdem qualitates, nec sunt Chartarii, & de Anagrammatismis, & Nomandia & Cabala huius nominis.

23. Iterum de voluntate faciendi chartam & de Domino quærendum est. & si dicas: indigentia posuit Franciscum in hoc exercitio: quæro vnde fuit indigentia hæc in hoc, & non in alijs: & causas & dispositiones præuias.

24. Similiter de Idea, & voluntate, & de anima eius & Anima Mundum regente: & de principiis, Potentia, Sapientia, & Amore, quomodo modificata sunt ad hanc animam constituendam. & vtrum sit à Deo hæc anima, & quibus dispositionibus venit ad hanc voluntatem, & ille ab aliis vsque ad Deum.

25. Tunc quæro, cur talem ordinem posuit Deus? quis mouit eum ad faciendum hæc omnia? vt daret locum talem huic homini inter hæc omnia, & cur fecit Mūdum & chartam. vtrum indigeat vel non, & si indiget honore, vel bonis externis, vel aliqua re, & charta ista? Aut fecit ex liberalitate? & cur quę sibi nihil opus sunt? sicut ostendat gloriam suam: cui nā? Non enim erat cui: neque enim nos formicis ostendimus, multominus ergo Deus creaturis, quę nihil sunt in conspectu eius; imo nec erant, vt eis ostenderet gloriam suam.

26. Et vtrum Deus sit corporeus, an, pars Mundi, aut extra Mundum? & quo fato motus est ad Mundi fabricam? & cur non ante; & vtrum ab æterno, vel ex tempore? & cur tot mala reperiuntur, si ipse bonus est: vel si malus, cur fecit bona? & vtrum sint plures Dii, vel vnus & cur non saluat omnes homines? & quid faciebat antequam Mundum crearet? & vbi erat: & cur potius ipse est Deus, quam ens aliud: & vnde tanta sors contigit illi (quærit Cardanus) quibus ignoratis profecto nulla res scitur: quoniam res omnis particula est Mundi. si quis nescit has causas, & relationes, & successiones & ordines, nihil de illa scit: vt si quis videret folium vnius arboris, & nunquam vidisset arbores, neque sciret quid sint, ille profecto ignoraret quid sit folium, & quod est ad tegen- 27. dos fructus ab æstu, & frigore, eiusque compositionē. Quod si quęrerent de albedine huius chartę, nunquam satis responderi potest, an ex atomis, & elementis non coloratis Democraticis & Aristotelicis: vel quomodo sit lux opacata ex nostra Philosophia; & ex quot gradibus lucis & caloris exorta: & quid sit lux, & eius angulos, reflexiones, vias, pyramides & omni atomo aëris, & ex rebus ex quibus resilit, & quomodo retinetur: & cur contigit illi hic opacari, & quid sit opacitas & gradus eius. Quapropter qui putat se scire nihil scit, vt Socrates & Apostolus dicebat.

Arist. respondet, quod sufficit peruenire ad causas propinquas & principales, quæ sunt finitæ, & scitu faciles, & in scientiis ad propositiones immediatas; sed inconsiderate loquitur. Propositio enim immediata est nota ex terminis. Termini autem ex sensu singularium. At nullum singulare contingit perfecte nosci, nisi simul omnia entia noscantur, vt probatum est, ergo frustra illas propositiones imploramus.

1. Poster. & 8. Metaph. 1.

Præterea, sufficit ad vitæ scientiam seruandæ, & aliquo modo, nosse hominem, & vinum, & res nostras, sicut vermi particulas casei, intra quem nascitur, & nutritur ex eis: sed non ad scire simpliciter, quid sit vinum, homo, panis, & ortus eorum, & elementa, & mundus, & rector: sicut nec vermis scit totum caseum: nec eius quidditatem, nec situm in mundo, & ele-

menta, & causas vnde est, & ad situm venit vsum: vt supra. Quod autem immediatum sit principium, nec prorsus declarans, ex seq. vide.

2. Conf. Arist. quod non sit processus ad infinit. in scientia.

Probat quidem Aristoteles non procedi in infinitum in causis efficientibus, quoniam non daretur hoc causatum à causa præcedenti, nisi daretur prima mouens præcedentem, alioquin nunquam deuenisset hic effectus per infinitam successionem, vt ait in 2. suæ Metaph.

Nec in materialibus, quia sicut ex puero fit senex, & quod fit, est medium, & supponit extrema: sic ex potentia fit actus, & supponit materiam primam, ad quam oportet deuenire. Item cum ex elementis fiunt elementata, iterum ex elementis fiunt elementa, & est circulus non infinitudo.

Neque in finalibus: quia datur vltimus finis, alioquin auferetur natura boni, & nulla causa conabitur operari, si ad finem suum non peruenit intentum: & actio intellectus practici esset nulla, vel temerè.

Nec in formalibus, quoniam definitio constat ex priori, quod est genus; & posteriori, quod est differentia. Si autem processus datur infinitus, non datur pars prior, ergo neque posterior, ergo neque cognitio. Item destrueretur scire, quoniam nunquam deueniremus ad prædicata rei indiuidua formaliter. Item in infinitum non est scibile. Item forma determinat materiam, ergo est finita, alioquin non finiretur.

Resp. ad 1.

Sed rationes hæ petunt principium, & nullę sunt, neque in eius Philosophia; quoniam mundus est ipsi æternus, ergo nunquam peruenitur ad primum efficiens huius chartæ, ergo nunquam facta fuisset hæc charta.

Auic.

Neque vt dicunt Arabes, accidentaliter ordinantur causæ indiuiduales, ideoque possunt esse infinitæ. Alioquin (inquam) & singulariter potuisset res omnis ex omni fieri, & tolleretur rerum ordo.

Ad 2.

Item nec quia accidentale, propterea infinitum pertransibile fuit. Secunda ratio stulta est, quoniam licet materia prima detur, tamen hoc fit ex illo, & illud ex alio corpore sine fine in eius Philosophia. In nostra vero ex tot quot scire non contingit, vt visum est. Puer enim adhuc ex semine est, semen ex sanguine, sanguis ex pane, panis ex frumento, frumentum ex terra & sole, & in his remanet quæstio, quæ sint rerum elementa, & quomodo ad hunc sanguinem & puerum redacta sunt sicut de hac charta disseruimus: & circulus elementorum, & elementatorum ignotus est: & gradus, & successiones, occasiones, & fatum & ordo, & Ideæ transportatio ad hunc puerum vsque.

Ad 3.

Tertia fallitur, quoniam licet omnis causa habeat finem potissimum: tamen ordo omnium ad hunc ignotus est, vt patuit ex præcedentium causarum concursu, varietate, dispositione, respectibus, & cætera.

Ad 4.

Itē vsus mundi & vt ens totū, & partes, & fines earū, ignota sunt. Quod ait de formalibus, nihil ad rem: formalitates enim sunt vniuersalitates abstractæ in Aristotelismo, quæ sunt finitæ, quia nos nescimus omnes abstrahere. Quęstio quoque nostra est de vno indiuiduo, & multis, de quibus fit abstractio, & iam ostēdimus, illud vnū ignorari; similiterq; concedam non dari scientiam, neque ad proprietates intimas rei posse deueniri. Vnde ipsi Peripatetici omnes canunt, *vltimas differentias esse ignotas*: ergo licet sint, tamen remanet, quod probamus esse ignotas. Forma finit materiam, at nos modum nescimus, vt patuit de forma chartæ, & particulatum ordine, situ, complexione, & gradibus lucis, caloris, frigorisque temperiem consistentiamque hanc effingentibus.

Alia resp. Arist.

Quod verò in primo post. ait, oportere solum prædicata essentialia eiusdem prædicamenti inspicere, quæ sunt finita, vanum est. Nam prædicata hæc ab ipso sunt conficta, & differentiæ vltimæ sunt ignotæ. Neque ipse definiuit quid sit ignis, aut lapis, aut aqua, aut aliquod ens per essentialia, sed per respectus. vt cum ait. *Natura est principium motus*, & tamen omne principium est aliquid in se, quod non docet ipse. Similiter ait. *Motus est actus mobilis. Anima est corporis physici*, &c. Vbi solum respectus ad subiectum docetur, non autem essentia qualit. & animæ, & quomodo ex elementis non animatis fit anima, & quæ sit eius substantia. Quapropter putat scire quod nescit, sic solet dicere: *Lux est actus diaphani*: *Qualitas est, qua dicimur quales*: Asinitas ergo, qua asini, & cætera.

Præterea, prædicata cathegoriarum sunt vniuersalia abstracta, quæ probauimus esse ignota, ignoratis indiuiduis. Item licet ad cognoscendum hominem possit dici quod sit animal rationale; tamen quid sit *animal* & *rationale* nunquam scies, nisi corporum, & animalium omnium notis partibus, causis, concausis, prauiis dispositionibus, mundi, loci, temporis vsque ad Deum. Alioquin erit scire particulam nasi, & non animal, vt supra disputabamus. Hæc autem omnia scire neque per nos, neque per alios possumus. Item nec quæ sint rerum elementa scimus, & animalis, & rationabilitatis; aliter enim aliaq; Arist. & Plato, & Pythagoras, & Telesius, & Democritus, & Heraclitus assignant. Scimus ergo imperfectissimè, & ex parte, & extrinsecè, & hic, & nunc, & confusè particulam sine eo, cuius est, quoniam extra genus suum omnia pertinent, & singula ad omnia, & singula entia, vt declaratum est.

(.·.) (.·.) (.·.)

DVBITATIO III.

Quod non datur scire ex eo, quod non prout sunt sapiunt, quæ sapere nobis dicuntur. Nullus enim sensus sentit res sicuti est, sed sicuti afficitur, & alij aliter; licet putent quandoque idem sapere, non sapiunt idem. Vel ergo nos non sapimus, aut res non sunt, vti esse videntur, aut aliis aliæ sunt; aut nos non sumus, quod videmur.

CAP I. ART. III.

1. CETERVM neque ex parte contingit sapere. Cum enim omnis sapientia à sensu fit, & per sensum; quæ enim cogitamus non per sensum, aut per ea, quæ sentimus, chimerica sunt, & cæcus non iudicat de colore: sélus vero nihil verè sapiat. Consequens est, vt nulla sit sapientia. Sapientia enim dicitur à sapore, & gustu sapiente res prout sunt. Et magis hic sensus dat nomen sapientiæ, quàm alij; quoniam non modò sentit rerum naturas extrinsecas, robustasque, sed etiam intrinsecas, latentes, languidas. Tactus in vino cognoscit frigus extrinsecus, occupans vinum, & ligans eius vires: gustus verò & frigus sentit extraneum, & calorem intrinsecum latentem per saporem, qui est calor natiuus cum mole attrita in minutias, vel fluente, linguæ subiens poros, & spiritum in eius neruiculis inclusum afficiens, seque illis manifestans, vt alibi probatum est. Quapropter solus hic sensus intrinsecatur obiecto, & obiectum illi totum; & propterea sapiens est, qui rem intrinsecus nouit, non qui superficiem modo per intellectum. Sed intellectus nil intus legit, nisi deforis acceperit per sensum; sensus autem nullus sapit nisi gustus: gustus vero nec verè sapit, nam sæpè dulcia iudicat esse amara, & è contra. At sensus sicut patitur, ita iudicat. Ergo sésibile agit in ipsũ, ergo dulcefacit, & amarefacit ipsum. Ergo vel entia non sunt, vt nobis sese pandunt agendo; vel nos non sapimus, & mutamur, & non sumus, quod sumus. Gustus ergo nihil sapit, dum dulcia iudicat esse amara, & salsa insipida, vt patet in his, qui perfusam bile linguam habent, aut febriunt.

2. Item quod vni sapit dulce & suaue, alteri est insuaue, caro pinguis displicet mihi, alteri verò macra. Genista capræ est dulcis, nobis amara; pueris placent dulcia, senibus displicent, sed subamara bene sapiunt. Itẽ quod sapit sanis, insipidũ est ægris: & in ætatibus variatur gustus. Cur autẽ magis puero, quam seni prudentiori credamus? & cur magis seni defectum patienti, quam robusto iuueni? Item colerici, flegmatici, malencholici, sanguinei differunt gustu; & alij aliis delectantur saporibus. Vnde prouerbium quod, *de gustibus non est disputandum*, quoniam varij incertique sunt. Si ergo gustus vires rerum ostendit intrinsecus, ita vt sapientiæ nomen det, & tam varius est, quomodo credemus ill? Ergo sapientia per sensum non datur, neque ex parte.

3. Omitto quod animalibus aliis alij sunt sapores, gallinæ sapit frumentum, & hominis stercus, boui carduus & ficulnea, coturnici helleborus; quæ nobis displicent aut sunt venena. Item puella veneno nutrita missa ad Alexandrum Magnum, indicat gustum in assuefactione consistere, & non esse sensum scientiæ, sed apparentiæ: Nam & nationum sibi diuersi.

4. Si vero odoratum consulas, non sentit, nisi tenuem exhalationem; quæ sæpè mentitur rei substantiam. Odor enim lilii bonus est, sapor malus; odor cimicis prauus est nobis, rosæ autem bonus; & tamen cimix propinquior est nostræ naturæ quam rosa; illa enim animal est vti nos, non autem ista.

5. Item nos non sentimus odorem lapidis, neque hominis, neque ferarum, vti sentit canis, & olfactu sumus illis deteriores: & tamen quæ nobis fætent, canibus olent. Ergo decipimur, & non sentimus res, neque ex parte.

6. Præterea quod ægris putet, sanis bene olet, & quod senibus olet, pueris displicet. & iuxta temperiem hominum alij aliis placent odores. Ergo non sunt, secundum naturam nisi apparentiæ ad sensum nostrum. Quod enim est in natura, est omnibus. At fætor & odor non est omnibus. Vinum enim fætet aliis, aliis olet: & alius est nobis & brutis. Fætor autem & odor sunt differentiæ specificæ huius generis, qui est odor, sicut homo & equus species animalis. Ergo sicut sensibus species commutantur, ita & intellectui; ergo aliis videtur homo rationalis, aliis Asinus rationalis, & homo irrationalis, vt patet in disputatione Grilli, & Vlyssis apud Plutarchum; & qui sapiens videtur Scythis, nobis videtur stultus: & quod sanctum illis, nobis profanum; & nihil verè sapimus, neque ex parte, sed secundum apparentiam exteriorem fallacem.

7. Item probatur ex tactu; nam manus Medici, febricitanti apparet frigida; sano verò calida. Item duorum sanorum alteri calida, alteri frigida, vtri credendum est? Item aqua & vinum & aër frigida apparent tactui nostro, & tamen rationibus multis patet calida vt probat Telesius de aqua, & omnes Philosophi de aëre, excepto Cardano, & Empedocle. Præterea Ethiopibus Regio nostra videtur frigida, nobis temperata, Schytis vero calida. Ergo calor & frigus non sunt nisi apparentia, & respectus. similiter pro temperamento, & ætatis differentia variantur tactus & cognitio caloris frigorisque. Quinimo manibus aliquod appositum videtur calidum, quod pectori & testicolis appositum videtur frigidum.

8. Idem docet Pondus, nàm puero sestertia duo

grauia sunt, & ægro & seni, iuueni vero leuia. Cui credendum est tribus testibus, an vni? Item formicæ granum frumenti graue est, nobis leue: pluma leuis videtur, & ta men cadit deorsum, ergo est grauis, & nos fallimur. Item in aqua natant mille sestertia lignorum, dragma autem lapidis grauat in profundum, ergo nō datur graue & leue, vel ipsorum scientia. Item multus ignis grauat sursum plusquam paucus, sicuti multum lapidis grauat deorsum plusquam parum; & in hoc deceptio est, quoniam lignum natat multum, non autem lapillus: vnde Plato æstimat non dari graue & leue, ergo neque rarum, neque densum; nam rarus est vapor aquæ comparatus: densus vero aëri, ergo sunt respectus, non autem entitates. similiter molle lutum comprimenti, non autem super tangenti vermiculo. Puer puero durus, seni blandus mollisque apparet. sic de leui & aspero dices, & de cæteris tangibilibus. & quod mirabile est, grando & glacies duriores aquis, sunt tamen leuiores, quippe quæ in eis supernatant. Quapropter nihil verè sapimus circa tangibilia. Nonne piscibus aqua, & arboribus nix, est calida, nobis vero frigida? & pro diuersitate animalium diuersæ sunt apparentiæ eiusdem tangibilis obiecti.

9. Qui auditum consulit idem inueniet; nam aliis alia placet melodia. Asini vox asino placet, nobis displicet: & nationes hominum aliæ alias musicas habēt: & senibus & pueris, & adolescentibus alij placent soni. Item sonus aëris nobis cognatus non sentitur, sic tactus aëris est occultus, & tactus ossis nostri cum carne nostra, & partium cum partibus, similiter & motus qui soni sunt. Cælum mouetur & Aër, & nos sonum eius non percipimus; sumus enim sicut qui in molendino degunt, qui sonos alios difficile percipiunt preoccupati ordinario sono; & cum continuo moueatur & sonet aër, non tamen à nobis sentitur. Ergo cæteros sonos aut non sentimus, aut secundum apparentiam, aut secundum entitatem. Item ieiuno, & ægro asper sonus apparet, qui sano & saturo est placidus. tuba exhilarat equos, terret ceruos & columbos; sonus tympani obtundit, tintinnabuli pungit, cytharæ mulcet nos, sed alios aliter, & bruta aliter, vt nescias quo pacto ex sonis Philosophandum sit.

10. Consule visum, & incertiorem deprehendes, lux enim ipsa maxime visibilis non videtur, quoniam solem intueri periculosum. Quæ ad nos autem aduenit, & à rebus illustratis resilit, maculata est vultibus rerum, & languida ita, vt nunquam ipsam in sui puritate conspicere possimus: quæ verò oculum lædit, non sapit, neque ipsa sapimus.

11. Colores vero per se non videntur nisi per lucem, ergo non prout sunt: ergo non ipsi nobis sapiunt. Quod patet ex eo, quoniam totum cælum videtur cerulei coloris: & tamen secundum rationem album est. Item mare alibi album est, alibi nigrum, alibi viride, alibi cæruleum spectatur; & tamen aqua maris, vase excepta, alba transpicuaq; apparet. Item in alio situ, aliter idem color videtur, & speciem mutare, sicuti si asinus appareat, nunc homo, nunc asinus, nunc elephas: patet hoc in columbæ collo, vbi conspicimus eundem colorem, nunc viridem, nunc alurgum, nunc subrubeum, nunc nigrum. Quomodo licebit, ergo determinatum asserere colorem aliquem? Nam omnes colores [illegible] debent.

Præterea in nocte omnes sunt nigri, in die vero apparent varij. Item miscentes tegmina & subtegmina in pannis villosis diuersorum colorum in alio situ colores alios apparere faciunt; & in certis florum variorum, idem apparet rubeus, & viridis, & croceus; & sericum tinctum croceo in luce solis apparet croceum, in lucerna vero nocturna apparet viride. Item Iris confirmat, quæ in alio situ alios ostentat colores, & ab aliis videtur, & ab aliis vero non, pro situ, vnde aspiciunt. Ergo non videntur res prout sunt, sed neque videntur extare, nisi respectus. Quod si visus, qui est sensus sapientissimus in proprio obiecto tam incertus est, quomodo erit in alieno? Profecto res eadem à longe conspecta apparet parua: prope magna, vt nauis, & quodcnque ens. Quis autem scit vtrum pronuncianda sit magna, vel parua? Nam etsi tangat pupillam, non videtur. Ratio ergo videndi est distantia. Arist. dicit debitam tantam distantiam non multam, neque minimam. At quis scit in quanto spatio consistit certa distantia, vnius ne vlnæ, aut palmi, quanta requiritur vt sine errore videamus?

Præterea, cum sapere sit rei saporem habere prout est, debet potius intrinsecari, ne dum appropinquari & tangere vt percipiatur obiectum. Ergo hæc distantia est fallaciæ quædam, & non sapientiæ conditio, vt & nos in Physicis probasse videmur.

Item, quod alteri apparet magnum in eadem distantia, alteri apparet paruum. Et idem apparet vnum, & duo oculis commotis vt nescias iuxta cuius sensus philosopheris.

Præterea sanis, ægris, iuuenibus & brutis, alia apparet magnitudo eadem & figura: formicæ lapillus videtur esse mons. Elephanto vero nec discernitur eius quantitas: vnde Aristoteles putat magnum & paruum non esse entitates, sed relationes.

Profecto idem de coloribus dicendum. Namque idem color brutis aliis est albus, aliis est niger, aliis croceus, aliis rufus. Ecce noctuæ vident abeunte sole, lepores & blattæ in tenebris iter conficiunt, & edunt, in die vero non vident, vt neque pulices, neque fortè cimices. aër ergo niger nobis tunc est, nycticoraci albus, lucidusque. Fuit etiam homo qui semper propriam imaginem in aëre spectabat, nos autem neque aërem videmus, neque atomos, nisi quosdam ad solis radium, neque fila retis araneæ, & nodos, & texturam. Quapropter crassa est à sensu, visus sapientia.

Item Brigida & Dominicus diabolum videbant & Angelos, cæteris ibidem inuisibiles. Item sol existimatur ab oculo vnius palmi, quantitatem habere, & sydera etiam quasi puncta, & pro punctis vtuntur Astronomi; nihilominus ratio suadet esse longè maiorem.

Remus in aqua fractus apparet, & extra rectus sanusque. Et in alio situ aliam delineaturam res ostentant, vt patet in perspectiua, vbi lineas quasdam rectâ aspicientibus delineationem inutilem repræsentare vidimus; obliquâ vero hominis certi faciem.

Et qui est in naui, non nauim, sed terram moueri credit, vti & Pythagorici, non terrā, sed solem.

Et vitrum serratile recta conspectum, apparet transpicuum albumque, oculis verò superpositum apparet croceum, rubrum, viride, cæruleum. Quo-

modo ergò oculis absque errore credemus? Nummus in aqua grandis apparet, & in peluis superficie; eiectaque aqua, exiguus & in fundo.

Pisces quoque alium videndi modum habent, vnde chrystallinum illis rotundum, in homine verò lentis figuram refert.

Pupilla aliis est rotunda, catis verò oblonga.

Tenebræ catis lucidæ sunt cùm videant mures, capiantque; nobis verò obscuræ. Quis me docebit veritatem, si sensus vnde omnis notitia nascitur, tam varius incertusque est? Intellectus (resp. Arist.) sed intellectus nihil habet, quod non à sensu in eius dogmate: cæcus enim non intelligit colores, neque surdus de sonis disputat. Item si, quæ non sentimus, intellectu iudicemus, tunc licebit omnes rerum naturas pro arbitratu fingere; & verum erit non secundum rem, sed secundum nostram intellectionem, ergò sunt infiniti mundi vt ponit Epicurus, & Deus corporeus vt Anthropomorfitæ, & sol non est lucidus, vt Arist. & non extant Antipodes, vt Aug. ergò ad sensum reuertamur.

12. Sed neque ex multorum concordi sensu licet idem concludere. Nam nunquam rem eandem in eodem situ plures spectare possunt, neque habere eandem dispositionem organi, & sensus: sed dicimus omnes hanc paginam esse albam, quia simili modo afficimur, sed non eodem.

13. Præterea de partibus obiecti, & gradibus nulla est conuenientia aut certitudo sensibus. His autem sublatis, tollitur philosophia naturalis, Astronomia, Musica, Perspectiua, &c. & vnicuique propria est sua philosophia pro sui sensus affectione à rebus: & nulla fortè est vera, quoniam nullus rem sapit sicuti est, sed sicut ipse ab ea patitur. Verum alij aliter patiuntur, vt senes, pueri, Itali, Germani, sani, ægri, cholerici, hilares, fortes, languidi, semper aliter; & inter hos cuique proprius accidit patiendi modus, ergò & sentiendi & iudicandi. Præterea neque quid sit color, & sapor & odor, & sonus sentimus. Vnde Philosophi in his digladiantur, neque horum partes, vt lucis angulos & vias & respectus: neque gradus, non enim albedo vna, sed multiplex: neque dulcedo: neque causas, neque modum. Albedo in calce ostendit calorem nimium, in saccharo blandum, in capillo & niue frigiditatem; sic de singulis speciebus incerti sumus. Ergo multò magis de his quæ per eas sentimus: ergo per hæc ignota nec intellectus quidditates percipiet.

DVBITATIO IV.

Si Philosophandum est secundum sensum, brutorum potius sensu Philosophandum, qui nostris præpollent sensibus cunctis, & pluralitate obiectorum, & sagacitate, & perspicacia. Ita vt & prophetia præstare nobis, & inuentione scientiarum videantur.

CAP. I. ART. IV.

SI autem secundũ sensum Philosophandum est, & hic incertissimus est, & non sapit, profectò nulla dicitur Philosophia, sed videmus, si qua est Philosophia rectius philosophari secundum sensum brutorum, quã

1. hominum. Aquila enim visu nos præcellit procul magis conspicit; & felis qui etiam in nocte videt, ergò eis credendum est in his, quæ videntur, non autem nobis. Araneæ quoque & formicæ acutius vident, quæ fila & calliculos & nodulos, & morsum grani intuentur; Apis verò ceram & fabricam cellicularum, & mellis guttulas minimas, nobis occultas, quod quanta ratione tractent Salomon admiratur, sapientissimaque vocat animalia.

2. Canis quoque odoratu nos superat, vnde ferarũ sentit odorem, relictum in transitu, nos latentem; & equus insidias paratas olfacit, & lupus fracturã exigui styli & ligniculi, quod nos latet, ergò credendum potius eorum quam nostris sensibus. Ergò quia canibus sapientiorib. secundum olfactum non fætet merda, neque putrida caro, non datur fætor: vel non est fætor, quem nos putamus fætorem, neque odor, quem nos putamus odorem: siquidem odores nostri spernuntur à canibus, & excrementum bouis nobis olet, illis fætet: & zipetium est sudor ex testiculis animalium, & muscus eorum sordities est & excrementum. Ergò falsò odores & fætores nominamus secundum nos, cum non ita sint in natura; vel si ita sunt, brutis credendum, non nobis est.

3. In sonis idem euenit; nam Musica hominis displicet lupo sagacibus prædito auribus: vlulatus verò lupinus placet; & vox Asini Asino, & sibilus serpentis serpentibus, qui nobis est horribilis. Habent luscinIæ aliæque aues musicam nostra meliorem, vt nescias an nostra, vel illorum musica verè sit.

4. Circa gustum magis credendum est illi, quoniam operam dant ventri maiorem. Capræ genista est dulcis, nobis amara: Ergò non datur dulce, & amarum; vel si est, non est dulce, quod nobis neque amarum. Canes edunt hominis merdam, & cadauera tanquam sapida, nos verò hæc auersamur. Item rebus ferè cunctis apponimus sal & oleum, vt benè sapiant, quæ brutis non apponuntur, ergò insipida nobis sunt, sapida illis. Hic autem sapor illis notus, est nobis occultus. sic vescuntur herbis suauiter multis, quæ nobis noxiæ sunt, & nos adulteramus sapores rerum coctione, sale, oleo, pipere, quoniam nescimus veros discernere, qui verius brutis innotescunt. At in tactu, in quo putatur homo omnia superare animalia, quoniã temperiem

5.

habet optimam, credendum quoque illis magis, quam nobis est. Nos enim calorem aquæ non sentimus, qui piscibus est manifestus. Item homo calidus est, & caloris gradus suo inferiores non sentit, vnde febricitans medici calorem æstimat frigiditatem; & timoris gelu verum æstimat, ac febris rigorem, ita vt reputent quidam intra venas etiam frigus, vel frigus nihil esse in rerum natura.

Præterea aër, aqua, vinum, oleum, & liquores omnes & lapides & arbores, qui à calore constituti sunt, frigidi apparent nobis, & altercantur Philosophi vtrum aër, aut aqua, aut terra sit primum frigidum apud Plutarchum, alij putant hæc omnia frigida, alij hæc omnia calida ob tactus defectionē: Ergò credendum est animalibus, vel illis, quæ minimum habent caloris & super excedentes sentiunt gradus.

Item nec maximos sufferre possumus calores & frigora absque nostri exitio: ergò paucissimos nouimus, plures autem innotescunt Brutis vt Pisci, Cancro. 20.

Præterea granum frumenti graue est, nobis autem eius grauitas est occulta! Formicæ verò manifesta; ergò illi credendum: similiter Apes & Araneæ texunt telas & cellas miro artificio tangentes particulas minimas & ordinantes, quæ nostro tactui non innotescunt.

Quod autem aiunt medici, hominem esse temperatissimum, & mensuram rerum, imperitè dicitur, quoniam nobis est temperatissimus homo, non naturæ. Asino enim Asina videtur temperata, homo verò excedens, & qui hectica laborant asinino vtuntur lacte, ad temperiem conciliandam, non sic humano. Item si medium inter calorem & frigus, & humidum & siccum constituendum est, is non erit homo, alioquin tot gradus essent in excessu, quot in defectu vltra citraque, hoc autem vanum est, nec prodest ad discernandos gradus inferiores, neque ad valdè superexcedentes.

Prætera enim multas res tangimus, vt similes, quas non sentimus (simile enim à simile non patitur) nec inferiores & atomos. Tangunt nos ferusculæ, & nisi mordeant, latet tactus earum. Nihil ergò nostro tactui credendum est.

6. Præterea animalia sentiunt passiones aëris, & præparationes pluuiarum, & tempestatum, & serenitatum & bellorum, vt pecudes, corui, Alciones, vultures, & quasi prophetia pollent ex causarū tactu, quæ nos latent, neque apti sumus ita prophetari; ergò sensus eorum melior, & præsertim tactus.

Arist. ait, quod molles carnes ad disciplinam aptæ sunt, at hoc ideò verum quoniam patiuntur magis, sensus autem passio est. sed profectò mulieres sunt ignaræ, & tamen molliores; & lymaces & vermiculi molliores maiorem fidem exigent in tāgibilibus & doctrinis: sic & alia, quę minimas quoque res percipiunt tactu, & frustrà medici temperiem homini probiorem adscribunt: stultius Protagoras facit hominem mensuram omnium.

7. Præterea homines plurimi & nationes inclytæ coluerunt, coluntque animalia tanquam Deos, vt Ægyptij, Romani, Africani, Lybies, Iaponenses, Indi, Africani, quoniam in eis prophetiam & diuinitatem inueniunt. Anseres insidias Gallorum præsenserunt in Capitolio, nō autem custodes. Auium garritus, & pullorum gestus prædicunt belli euentum, & anni vbertatem, & caritatem. Multa à serpentibus docentur homines. Canis docuit purgationem per vomitum, Hippopotamus Phlebotomiam, Ibis clysteres; & Salomon mittit nos ad formicarum scholam, vbi solertiam discamus & prudentiam. Modum belli gerendi à piscibus docetur Alexander; & à Gruibus ordinem militarem. Ab Apibus verò regimen Monarchicum, obedientiam subditorum, excubias, pugnas, operum partitiones, pigrorum punitionem. Quapropter homo colit animalia; sed hominem animalia non colunt, licet in quibusdam seruiant, sicut & homo homini seruit, & capit ab eo vicissim emolumentum. Norunt bruta vires herbarū, serpens fæniculi virtutem aperuit Dioscoridi; & hirundines calidonia cæcos sanant natos: lapide quodam à se nominato vtitur Aquila; Reiuuenescendi medicinam scit Ceruus; syllogismo mirifico Cancer depascitur Ostreę carnes absque sui læsione inter testas iniecto lapillo: Canis verò leporem capit viam syllogisticè intersecando; teste Ambrosio & Basilio: simia opera mira edit, vt homo, & homunculos præcedit.

8. Et quidquid eorum vitæ congruit, longè magis, ac nos nostra, pernoscunt. Ars politica, Militaris, Medicina, Iustitia, Prophetia, & Religio, quam solam deesse, Lactantius opinatur, est in brutis: nam Elephas lunam adorat vt gentiles, & à coitu se baptizat, vt Mahometani, & inter Apes religio est. Neque enim posset politica absq; religione existere, & Fuci videntur etiam Sacerdotes sacris vacantes. Formicæ etiam si Plinio credis, festos dies habent in interlunio, & plenilunio vacantes.

9. Sermo est inter gregales feras, vt etiam Lactantius & alij Theologi, nedum Porphyrius & Auicennas, affimant; nam variant voces, ac mutua dant responsa, vti nos. Nec quia nos eorum non intelligimus sermones, non loquantur: nam nec Turcarum sermo nobis percipitur Italis. Item linguas humanas discunt, vnde canis de Polonia Neapolim adductus, non intelligebat quod sibi Polonicè non dicebatur. Non pronunciant autem sermonem nostrum, quoniam diuersa habent organa, ac diuerso imitantur modo; sed profectò inest illis memoria, ergò vt ex præteritis syllogizent futura: & prudentiam ergo habent, vt concedit S. Thomas & rationem, vt alij Theologi concedunt, & omnia quæ nos, & supra nos prophetiam & magisterium: ergo melius philosophandum videtur cum eis, quam nobiscum. & hoc apud Plutarchum disputans Vlysses in Circis pomerio cum animalibus contendit: vbi etiam virtutes in animalibus certiores esse probantur, quod D. Thomas & Sotus de naturalibus concedunt, quoniam repugnantiam non habent inter naturam & rationem, sed natura vt ait Arist. dæmonia est, & vt Lactantius & Gregorius Nyss. est summa ratio, ergo si præstant natura ratione præstant.

Arist. in lib. de Somn.
Lact. li. 3. de fals. sap.
Ny. li. de opif. hom.

DVBITATIO V.

Quòd nec à sensu nostro, nec brutorum philosophandum sit, eò quòd non sapit res, sed rerum imagines vel accidentales, exteriores à quidditate.

CAP. I. ART. V.

Resp. SED neque cum eis, neque nobiscum: cum enim neque capiamus res, neque prout sunt, frustrà philosophamur. Nos enim ac bruta haudquaquam res percipimus sensu, sed simulachra rerum. Intellectu verò simulachra simulachrorum: non ergo res nobis sapiunt. Palam enim 1. est in visu, quod non recipit lapidem, sed imaginem lapidis coloratam, neque colorem lapidis; is enim remanet in lapide, sed simulachrum coloris vt putat Arist. vel lucem tinctam lapideo colore resilientem è lapide in oculum, vti nos in Physiologia docebamus. sic de cæteris apparuit rebus: ergò non sapiunt nobis ipsæ res: sicuti ergo, qui Elephanti pictam imaginem vidisset, non saperet Elephantem, nisi modo exili falsoque, sic est omnium rerum visio per imaginem falsam. Olfactus & auditus perci- 2. piunt rei sonum & tenuitatem, quæ rem falso repræsentant per signum, sicuti qui ignem videt per fumum, sed rei quidditatem non capit: ac si credimus Arist. hæc sunt accidentia communia, substantiam quasi nihil declarantia, & sæpè fallunt: non enim omnis odor suauis indicat substantiam suauem, neque sonus acutus hominem acutum: longè autem minus si intentionalia, vti volunt in Peripato, sunt sensuum obiecta.

Tactus vero accidentia percipit exteriora, semper 3. penè cum falsitate & contrarietate. Nix enim tactui frigida, oculis vero calida, rarefacit enim visum. Calx manibus temperata est, ori & pudendis & intestinis, calidissima. & Arist. tactus non res, sed rerum species percipit. Nobis autem non interiores vires, sed exteriores: ergo non Entitatem rei, sed alienam. Gustus vero qui interiorem sapit, non 4. tamen dicitur quidditatem sapere, alioquin mellis quidditas esset dulcedo. sic & sacchari & fici. Ergo diuersarum specierum vel generum esset eadem essentia, quod implicat contradictionem, ex quo diuersa sunt essentialiter. Item insipida est caro & lapis, & tamen diuersæ sunt quidditatis: neque sapor ponitur in definitione. Cum ergo non res, sed 5. imagines accidentales rerum percipiamus, consequens est, vt res ipsæ non sapiant nobis, quod à Peripateticis affirmatur, non rerum, sed specierum facientibus sensum, Plato etiam in Thææteto sensu affectiones, & imagines sola percipit. Protagoras nec obiecta constare, nisi quia apparent, affirmat.

DVBITATIO VI.

Quòd eò minus secundum sensum philosophandum sit, quò nec rerum imagines, pr[...] sunt, sapit, sed falsatas, & adulteratas, & non omnes, sed quasdam nec rerum omnium.

CAP. I. ART. VI.

PRÆTEREA neque sapiunt nobis imagines prout sunt: antequã.n. penetrent vsq; ad sentientem animam adulterantur mixtione sensorij & medij, per quæ 1. sentimus. Siquidem vires summas rerum sentire non possumus, neque imas, quoniam non agunt in nos, vt dictũ est, sed mediocres tantum; mediocres autem alterantur à medio, & organo: lapidis enim color delatus per aërem alteratur ab aëris colore, vel tantillum, nam lux vapores transiens fædatur, fit rubra, crocea, viridis, palearis, vt patet in fumo, & iride: Ergo sicut vapor, qui est aër crassiusculus fædat lucem valde: sic aër, qui est vapor tenuiusculus fædat lucem & colorem ab ea delatum exiliter; non ergo venit ad oculum qualis è lapide resilit: sed propter consuetudinem hæc alteratio non innotescit nobis, sicuti nec motus aëris continuus, quem tamen apposita manu auribus in ea repercussum sentimus. Similiter oculi tunicæ, vt cornea, vuea, & aqueus humor, fædant, alterantque colorem; nec transpicuitas est ita pura, vt non alteret, sicut Arist. credit; namque lux solis, per cælum delata transpicuissimum, fædatur, & fit cerulea. In aqua vero marina magis. Et cristallinum vitrum serratile purum, res videri facit variis colorata coloribus. Ergo palam est, quod simulachra rerum alterata suscipimus. Ergo cuncta falso iudicamus: nec enim pura potentia, vt Aristoteli videtur, est organi susceptiui sensilium obiectorum forma, sed qualitas actu. Similiter odor & sonus transeunt 2.

per aërem, & alterantur, & in sensoriis alterantur, & debilitantur: Ergo non sapimus prout sunt.

3. Ipsę quoque tangibiles qualitates alterantur à nostra carne, & ab aëre intermedio, & ab extraneis accidentibus, vt sese nobis declarare nequeāt. Vnde tactus piperis quoque calidissimi, frigidus est, sed in ore calidus, quoniam frangitur, & rei natura nobis intrinsecatur: sed tamen alteratur à sputo, à lingua, & caruncula: & nunquam sicuti est percipitur.

4. Entia magna neque per imagines proprias sentiuntur vt Deus, & Angeli, sed per effectus, ita vt nullum de his saporem habeamus. 5. Cœlestia vero corpora, & sydera propter distantiam non percipiuntur, vti sunt, neque imagines eorum ad nos nisi alteratissimè feruntur: nam aër, in quo habitamus, ita crassius est, cœlo comparatus superiori, sicut aqua comparata aëri. Vnde Plato opinatur, nos sydera non videre, sed quasdam imaginarias fulsiones: quemadmodum pisces non vident, quæ in nostro sunt aëre, nisi per simulachra alterata ab aëre & aqua, non verè repræsentantia rem. & rectè Apost. dixit, quod *videmus per speculum in ænigmate*, ea quoque quæ ex parte videmus. (Corin. 2.)

6. Quin omnia quæ videmus nos esse imagines aliarum rerum verarum existentium in mundo Angelico, & in Deo, rectè docent Platonici, & Augustinus. Ergo nos remotissimi sumus à sapientia rerum tanquam in antro positi vmbras transeuntium solummodo conspicientes.

DVBITATIO VII.

Quod res non possunt nobis sapere prout sunt, quoniam sunt in continuo fluxu, & refluxu, vt nunquam eadem res bis sit nobis, neque enunciari posit antequam mutatur: & Aristotelis responsiones ad hoc argumentum vanas esse: similiter & Platonis.

CAP. I. ART. VII.

1. PRÆTEREA quod percipitur, sapimus: res autem nullæ neque simulachra percipi possunt, quoniam versantur in continuo fluxu, refluxuque, & non sunt semper eædem, sed aliæ atque aliæ semper. vt cum vis aliquam nosse sensu vel intellectu, antequam cognoscas, mutetur, & sit alia, sicut fluuius, vt antequam dicas, Petrus est albus, mutatur ille Petrus in aliud: manifestum est enim, quod entia nostra omnia calore sunt constituta, qui continuo proprium attenuat subiectum, & sursum exhalat, & loco exhalantium aliæ succedunt partes, quod Arist. in primo de Generatione, & corr. fatetur: & Origenes ait, quod homo est sicut vter in quem influit & refluit alia semper aqua, & in lib. 2. Regum, quod *sicut aqua dilabimur.* Et Dauidi, quod *sicut vmbra prætermimus.* Et Iob, *Homo nunquam in eodem statu permanet.* Et Salomon, *Omnia vanitas.* Hoc etiam nos in Physicis confirmauimus. Quapropter concludit Heraclitus quod nullius rei potest dari scientia, quoniam antequam sciatur mutatur.

Socrates in Thæetheto, dum soluit auget dubitationem; ait enim, si omnia sunt in motu, igitur vel in motu, & mutatione omni, id est, in gener. & corrupt. augmento, decremēto coloratione, calefact. frigefactione, & cæteris omnibus: vel in aliqua tantum. Si in omni, ergo nec nos videmus, nec visile est, nam statim sensus ac sensile transit: ergo nō magis nos audire, & videre, quam non audire, nec videre, dicendi sumus, cum audimus & videmus: ergo simul tollitur sensus & sensuum veritas, ergo nec sensus est scientia. Hanc rationem concederet Heraclitus, qui scientiam aliquam esse negat, multo autem magis Sceptici. Cum autem addit, si sunt omnia in mutatione non omni: tunc per illam permanentiam, quę inest, permittetur scientia. Respōderet, quod in omni mutatione sunt, aut quod illa permanentia adiunctis alterationibus affecta, sui veritatem negat. (Conf. Soc.)

Arist. respondet, quod remanet secundum speciem & secundum totum, non autem secundum partes, & materiam: scientia autem de specie est. sed hoc est declarare nos non verè scire, si enim partes influentes & defluētes ignoramus, quia scimus in eadem forma totum manere, nulla sapientia est, nisi confusa & communis & extrinseca, non attingens intima rei. Neque totum scitur ignoratis partibus. Quid enim scio, si hominem habere corpus scio, non autem naturas vniuscuiusque partis, scilicet manus, capitis, iecoris, cordis, nerui, carnis, & aliarum. & vsus & texturas & copulationum & relationum, actionem, repassionem: & partes partium, & partium particulas? Profecto id esset, sicuti si quis sciret, hanc esse scripturam, & ignoraret virtutes singulorū characterum & copulationem & sensum. & hoc palam est, quoniam scimus hanc esse carnem, sed partes carnis & particulas & fibras & nexus & respectus, & affectiones, nescimus, sicuti qui ciuitatem intuetur, & ciuium singulorum ignoret officia & vsus, & artes & communicationē. (1. Arist. resp. conf.)

Præterea sicuti non contingit bis in fluuio eandem tangere aquam, sic neque eandem rem nosse. Subito enim variatur, & aliæ partes succedunt cōsimiles: ergo scimus simile non idem, & cum video Petrum, statim fit aliud: & Petrum, quem vidi, nescio, sed alium, vel illum, & non hunc, nisi vt simile, at neque hunc.

2. conf. Respondet Arist. in 4. suæ Metaph. quòd licet mutentur secundum quantitatem, non tamen secundum qualitatem. Sed hoc falsum est, quādo fluxus & refluxus corporum fit à calore alterante, qui continuo mutatur, augetur, minuitur, exhalat, reficitur,

citur, vt patet in tactu ipso ante, & post commistionem, & cursum & cogitationem, nedum in ætatibus senili, iuuenili, puerili, in quibus variæ sunt semper quantitates.

3. Conf. Deinde respondet, quod non omnia mouentur, quoniam deueniendum est ad primum ens immobile, vt probatum est in 8. Phys.

Sed hæc probatio reprobata est à nobis in Phys. & in 2. parte huius doctrinæ. Item licet illud ens sit immobile, non tamen propterea datur scientia de rebus apud nos variabilibus. Prætereà illud ens occultissimum est, & per effectus cognoscitur & difficillime: namque vt ipse ait ex Plat. sicut oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad ea quæ sunt naturæ manifestissima, hoc est ad Deum & Angelos.

4. Conf. Deinde respondet Arist. quod cœlestia sunt maximæ entitatis, ita vt tellus, quasi punctum ad ipsa, & propterea sufficit, quod de cœlestibus est sapientia. sed profectò insipienter loquitur, cùm quia scientia hominis est de rebus, quæ nobis circumstant; quæ licet ad cœlum sint quasi punctum, tamen scientia nostra de hoc puncto est, qui nobis nō est punctum. Cœlestia vero remota sunt à nobis, nec de illis certitudo est: neque enim an ignea sint: an ex floribus elementorum, an ex quinta constent essentia, an sint materialia, vel solum corporalia adhuc declaratum est.

Quin nec de sphærarum distinctione, & numero & motibus certa vlla datur scientia, vt patet ex Mathematicis. Arist. enim tanquam si optimè nouisset cœlestia, quibus etiam lucem & calorem notissimas res negat, & discordias tribuit, spernit scientiam terrestrium. Stat ergo solida ratio, quod eadem res non potest simul enunciari; & quando aliquid de aliquo prędicamus, mentimur; quoniam illud iam mutatum est: ipsa quoque cœlestia versantur in motu locali, vt nō possis notari situm alicuius stellæ; quin antequam figas intuitum, varietur, vt patet in acceptione horoscopi, & in rota Nigidij. Imo neque scimus, vtrum nos, vel sphera stellata moueatur, vt patet in Chrysostomo & Copernico. Eadem enim apparentia est moto visu, ac visibili, & naui, ac scopulo. Arist. quoq. & Auerr. de cœlestibus sese incertissimos fatetur. Mirum ergo quomodo nunc in cœlestium scientiam confugiunt ex cæterorum scientia exclusi.

(.·.) (.·.)

APPENDIX AD ARTICVLVM SEPTIMVM

Prothagoræ de scientia, & obiecto, & modo sciendi, sententiam esse vanam, nec satisfacere iam dictis argumentis neque Platonicam, &c.

NOVA DVBITATIO.

Opin. Proth. PRÆTEREA confirmatur dubitatio, quoniam Prothagoras, qui putat, sensum esse scientiam, sese à Platonicis defendere non potuit. Ait ergo, hominem esse mensuram omnium rerum, existentium quidem vt sunt; non existentium, vt non sunt: ac tales res esse, quales cuique videntur, siue nobis, siue brutis; nam quales sunt, tales etiam sentiuntur. Fiunt enim motu, ac continuo motu seruantur, & continuo mutantur, ergo nunquam sunt in facto esse; proprio exercitio seruantur, & non quiete. siquidem eorum etiā est fieri, ergo exerceri, & moueri. Hinc fit vt aliis aliter videantur. Porro enim nihil est absolutè tale magis quā non tale: sed per motū & mistionem, & relationem vnius ad alterum, huic quidem tale, illi vero non tale fieri, ac videri, & phantasiæ tale præsentari; & propterea varias esse opiniones sapientum de eadem re. Nulla res secundum seipsam est vnum aliquid. Albedo enim & quisque color, nec oculorum aspectus est, neque corporum motus: sed ex aspectu, motuque medium quoddam resultans, id est talis circa oculorum passio. Amplius enim quicquid est motum est: motus autem actio & passio, ex quorum mistura omnia fiunt. Color ergo, sapor, odor nihil sunt, sed quod fiunt in sensili agente, & sensu patiente. Quibus non concurrentibus aut discissis, nihil sunt obiecta prædicta. Neque enim obiecta sunt, sed quid compositum ex rerum actione & sensus passione. Nam nec vllum agens & patiens ens est secundum seipsum, sed ex congressu alterno tale fit vtrunque; neque enim ignis est calefaciens, neque manus calefiens, nisi in congressu alterno.

Cōfutatio. Sed contra hæc arguit Socrates, quæ eueniunt dormienti & furenti, & morboso falsa, sunt, & non vt apparent, ergo scientia, quæ verorum est, non est sensus cuique suus.

Resp. Respondet Prothagoras, sunt itaque illis omnia visa vti apparent, quoniam alius est congressus ipsorum cum obiectis, atque noster.

Confut. Sed contra, si omnia sunt cuique vt apparent, ergo omnia honesta iustaque forent.

Nec alius alio homine iustior, sapientiorque: imò nec Deus nobis sapientior, meliorque, quibus nimirum, quicquid videtur, est, sicut & illi.

Item neque esset discendum: omnes enim rectè iudicant de rebus: sunt enim illis sicuti iudicant. Item videntes scripturam hanc scirent legere. Idem enim est scire, ac videre, Prothagoræ.

Item barbaram linguam audientes simul intelligeremus: sentire enim est scire, intelleregique.

Resp. Respondent Aduersarij, scimus quidem quod sentimus, id est, characteres literarum, & vocis sonū æquè omnes & figuras, & colores, & strepores altos, & submissos: non autem significatum, quod non videmus in literis, neque audimus in voce.

Confut. Sed contra ergo significatum alio videmus principio, quam sensu. Præterea si videre est scire, ergo non videre est nescire: ergo non datur memoria visorum, si quæ meminit ergo simul scit, quo meminit, & nescit quo non videt. Aut si altero tan-

tum videt oculo, altero minime, simul sciet, & nesciet.

Resp. Respondet, sciret habitu non actu cum meminit. Item non ex hoc sapientes, vel insipientes, quia vera vel falsa, vt opinaretur. Cum enim opinantur, opinantur quæ patiuntur: patiuntur à quibus mouentur; mouentur ab his, quæ agunt; agunt quæ sunt, quæ autem sunt, vera sunt: ergo omnes vera opinantur, non tamen bona, & decora. Sapiens ergo, qui benè affectus, quæcunque offeruntur vt bona suscipit, bonaque putat, & sicut putat ita sunt. Insipiens verò, qui malè affectus, mala eadem iudicat, & mala sibi sunt.

Huic responsioni Socrates nihil opposuit, forsan quia vera; & augetur eius veritas exemplo Dei, cui omnia apparent bona, atque sunt, quoniam sapientissimus est, testante Moyse: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Salomon ad Deum, *nihil odisti eorum, quæ fecisti, neque enim odiens aliquid fecisti, aut constituisti. Quomodo autem aliquid permaneret, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset conseruaretur?* Igitur & esse, & conseruatio rerum fiunt. & diliguntur à Deo tanquam bona; ergo etiam quæ nobis videntur peccata, & mala, quemadmodum infert Simon Magus apud S. Clementem, & secta nouissima libertinorum Germanorum.

Gen. 1. Sap. 11.

Opposit. Socratis. Socrates mox arguit contra id, quod dicebat Prothagoras, omnes vera opinari in omni arte: credimus esse verum, quod artifici apparet, & non quod nobis inertibus. At per Prothagoram falleretur, qui iudicat falsum, quod sibi apparet, verum autem quod artifici. Hoc autem assertum conuincitur, esse erroneum ex eò, quòd Medici salubria putant ægroto multa, quæ ægrotus iudicat insalubria; & Imperatores strenui approbant consilia tāquam vtilia, quæ aliis videntur noxia, & nautæ iudicant non esse nauigandum quia periculosum aliquo tempore; alij vero iudicant tutum, postmodum euentus docet Medicos, & Imperatores & Nautas rectius sensisse & sapienter; ægrotum verò, & imbellē, & nauticæ ignarū non rectè nec verè.

Præterea ipsi quoque Medici aliquando iudicant quædam salubria, quæ postea sunt re noxia, ergo non omnes verum opinantur nescientes, nec nescientes. Ergo scientia non est opinio & sensus.

Præterea omnes dubitant de aliqua re homines quando omnes aliquid vel plura ignorant, ergo homo non est omnium mensura, nec, quicquid opinatur, verum est; alioquin nemini esset dubitandum de eo quod sibi videtur.

Præterea omnes opinantur errare Prothagoram dicentem, omnia vera cuilibet, prout apparent. Ergo si vera opinatur omnis homo, Prothagoras fallitur. Si autem Prothagoras respondet affirmatiuè, contedit se falli; si negatiuè, dicat, eos tamē falli, qui opinantur Prothagoram errare. Tunc nihilominus sequitur Prothagoræ dogma erroneum, quòd videlicet *omnes vera opinantur, dum iudicant, sicut eis apparent.*

Examen rerum prædictarum.

AT quidem istæ Socratis rationes nihil docent, nisi quod non datur scientia, propterea quod neq; quod apparet omnibus est verum, neque quod vni; nisi quid melius nos doceat, quo pacto scire licet.

Fund. Plat. Ait igitur Plato, in nobis esse sentientem vim vnam, organa vero diuersa, quæ in illam ferunt sensilia obiecta, sicut lineæ in centrum, quæ iudicat de illis obiectis, distinguit & confert. Hanc vim sentientem communem, non putat sufficere, nisi addatur altera, phantasia vocata, quæ iudicet quid cui simile, & dissimile sit, & numerum, & bonum, & malum, & ex vno in aliud ratiocinatur, & ex præteritis futura; quæ quoniam non inest animalibus cunctis, neque pueris, sicuti sensus, altera ponenda est à sensu, & in hac fundatur opinio, quę circa singularia, & corruptibilia versatur. At neque ista vis sufficit, quæ de rebus hic, & nunc & bis iudicat: sed requiritur insuper alia, quæ vniuersalia consideret supra locum, & tempus & indiuidua, quæ vocatur Platonicis ratio, & cogitatiua, & intellectus interdum, qui discurrit per vniuersalia vniuersaliter, opinionem locat in eisdem particulariter. Supra rationem ponit Mentem, seu intellectum superioris ordinis, quæ rationes rerum non discursu, atque motu, sed simplici, stabilique intuitu percipit; supra enim motum, ac tempus præest status, æternitasque: supra mentem ponitur animę vnitas, id est summi boni character, quo non ideis, rationibusque, sed summo bono iungitur, vnitati nempe rerum principio.

Dogma. Tunc Plato probat, quod scientia non est sensus ob rationes iam dictas; & quia sensus percipit passiones rerum corporearum, & non essentias, quę est veritas de rebus.

Neque est opinio & phantasiæ scientia, quam vis hæc percipiat essentias; non enim potest esse opinio falsa eorum, quæ nouit, vt .s. suscipiat vnum notum pro alio noto: vt si dicat: opinor hominē esse asinū, quorū vtrunq. norat: qui .n. vtrunq. noscit nō accipit vnū pro alio, neq ignotū aliud pro alio ignoto, cū neutrū norit, neq. ergo iudicat: neque ignotū pro noto, neque notum pro ignoto accipiet falsus opinator, neque fallitur opinando ea, quæ non sunt: nihil enim non existit, neque ergo phantasiam mouet, quod enim offertur illi, est aliquid vnum. Item neque pro pulchro turpe, & pro boue hominem: cū enim opinio sit sermo interior, sicuti non dicimus in exteriori, pulchrum est turpe, & homo est bos, sic neque in interiori.

Respōdet quod species seruata in memoria copulata præsenti sensationis speciei, si accipiatur altera pro altera, efficitur opinio falsa, vel si cogitata pro altera cogitata. Sed contra ait, si scit quod memoria tenet, & copulat cum sensu alieni obiecti, ergo simul scit, & noscit.

Respondet scit habitu, nescit actu.

Sed contra habens scientiam duorum, cum commutat alterum pro altero per scientiam commutat; ergo scientia est causa falsitatis, & ignorantiæ, ergo & ignorantia causa erit scientiæ.

Respondet in anima est species scientiæ, & ignorantiæ, & potest capi altera pro altera. sed contra, si vtranque scimus, quomodo commutamus?

Præterea ponenda esset species, qua noscitur scientia: & iterum scientia, qua noscitur species: & iterum in infinitum. Quapropter non scientia, nec rerum notiones sunt causa falsitatis, sed confusio notionum & negligentia animi in distinguendo, seu inaduertentia, & deceptio, sed vnde accedat deceptio, & obliuio, & inaduertentia non docet Plato satis, vt oportet: sed iam putat, se probasse, quod scientia non est opinio falsa.

Quod autem non sit scientia opinio vera, sic docet. Rhetor opinionem veram persuadendo inducit, cum verum refert, non tamen scientiam. Non enim est scientia de humanis fluxibilibus negotiis.

Respondet Theodorus & Leucippus, scientia est opinio vera cum ratione. Persuasus autem opinatur non ex ratione, sed ex fide. Nam & elementa, propterea sunt ignota, quia rationem non admittunt: composita vero nota, quia admittunt, sumptam, scilicet ex principiis.

Sed contra cognitio compositorum est ex cognitione componentium, non enim scio syllabas, nisi sciam literas: nec elementalia, nisi & elementa: nec totum scitur ignoratis partibus: at si totum est species, carens partibus, ergo simplex, ergo ignotũ, sicut & elementa. Item in omni arte fundamentum scientiæ est notitia elementorum.

Præterea opinio vera cum ratione non est scientia: aut enim ly ratio sumitur pro oratione, & sic est falsa & scientia quia cum oratione.

Aut pro discursu super elementa, & sic est scientia falsa: contingit enim diuerso ordine elementa transponere, & confundere.

Aut pro definitione, ergo tunc est differentia, ne dum genus callet, qui vera opinatur, ergo frustra additur cum ratione.

Respondet, in opinione sensus, imaginatioque differentiæ includitur: in scientia, intelligentia certa: ideo additur cum ratione, id est, notione differentię. Sed contra! ergo nugatio, quia idem per idem. si enim vera opinio est cum notione differentiæ, frustra additur: idem enim est, ac si dicas scientia est opinio vera cum scientia differentiæ.

Tandem Plato vult genus stabile, & intelligibile, scientia, rationeque percipi: sensibile, fluxibileque, opinione, sensuque. Ratio est ibi via: hic sensus, ibi scientia finis, hic opinio. Intelligibile autem duplex primum & secundum, primum sunt ideæ, intellectus humanus, & mentes immortales, secundum numeri, & figuræ. Primorum cognitio est intellectus, secundorum intellectualis.

Item sensile aliud primum, vt corpora, corporeaque: aliud secundum, vt vmbræ & imagines, quæ ad corpora sunt, sicut Mathematica ad diuina. Perceptio ergo corporum est credulitas, vmbrarum imaginatio: ergo de Mathematicis, & corporibus & vmbris, non est scientia: scientia enim in solo intellectu diuinorum locatur, ergo est sapientia.

Tandem intellectus, id est, scientia, est idearum, constat doctrina, & cum vera ratione nihil nutante; propriaque est Dei & electorum hominũ: opinio vero est sensilium, constat persuasione, sine ratione nutans, incertaque ratio mediat inter intellectum, seu sapientiam diuinorum, & opinionem naturalium.

Scientia ergo Platoni est diuinorum certa ratione comprehensio in mente residens, in ratione perfluens, à Deo menti inserta, à præceptore Dialectico, Deo aspirante, in rationem reducta, rationem in mentem dirigens, mentem cum diuinitate coniungens.

Verùm cum diuina etiam lateant nos longe magis, atque humana, vt sol nictycoracem; videtur Plato non rectè scientiam in intellectum ponere, qui nihil nouit, nisi à sensu. Quid enim indiget sensu, si per se se omnia nouit? præsertim diuina, in quibus relucent omnia? si vt accipiat errores phantasticos, vtique in pœnam corporibus immittitur. si sic, cur non reminiscitur condemnationis? Nihil enim prodest, neque iudici, neque Deo, nisi reus sciat propter quid patiatur? Præterea scimus, quod intellectus incertus recurrit ad sensus testimonium, ergo sentiens anima est Magistra prima, & testis, & emẽdatrix totius sapientiæ, quæ cum à Platone reiiciatur, vt fallax, eique opinio vix committatur, nam imaginantis dicitur esse; cõsequens est, vt nec vnde sit scientia. Veriores quoque essent imaginationes, & deliria, quam sensationes, si sensus est passionum, imaginatio vero essentiarum: ergo veriores erunt imaginati Briarei & Centauri, & fabula Ariosti, quàm sensus solis & telluris, & aliorum obiectorũ. Nemo etiam sanus dicet, quod ab intellectu incipit scientia, sed à sensu; ergo philosophandum ab eo, sicut instituit Autor rerum. At vnde est, quòd mens non corrigit sensum errantem si ipsa non fallitur? Tertullianus etiam in sentiente anima contra Platonem disputans, scientiam reponit.

Dubitatio in Plat.

DVBITATIO VIII.

Quòd, neque si res stent immobiliter, licebit nobis sapere, eò quòd nos in continuo motu sumus, & spiritus noster semper est alius.

CAP. I. ART. VIII.

AT posito, quòd res stent immobiliter, haud propterea erit scientia; nam nos continuo mutamur, neque sumus ijdem semper. vt enim in Phys. declaratum est, sensoria nostra perpetuo mutantur in fluxu, & effluxu partium. Spiritus quoque sentiens semper est alius, quoniam exhalat incessanter, & nouus reficitur ex sanguine: sicut flamma lucernæ abiens, & remanens ex oleo alia persimilis. Quapropter sicuti, cum ignitum lignum mouemus in

gyrum, videtur esse in omnibus gyri partibus, cum non sit nisi in vna, ac decipimur; sic videtur nobis idem esse spiritus, & tamen semper est alius. Quamobrem qui aliquid sentire incipit, non idem desinit sentire, neque prosequitur ipsum sentire; sed alius loco eius persimilis: & interdum exhalat antequã communicet scientiam spiritui succedenti, veluti patet in nimis calidis hominibus, & in Sybillis subito obliuiscentibus, & Attica peste correptis, qui sanati, & scientias, & proprium nomen obliti ignorabant. Ergo nos non sapimus, neque sumus, qui sapimus ijdem, nisi per successionem, sicut eadem ciuitas, & idem senatus perseuerat successione, quia sequentes homines seruant, hæreditantque mores priorum & decreta & leges. Quapropter cum dico: Ego scio Petrum esse album, antequam orationem hanc terminem, sum alius & non ille ego, qui cœpi; & Petrus quoque est alius, vt dicebamus; ergo versamur in loco alienationis, & varietatis, neque scimus vtrum verè sciamus, aut somniemus, aut vigilemus; & vtrum scire sit scire: nam & si mens à Deo indita perseueret eadem substantia, vt credimus, antequam id sciamus, tamen ipsa nihil sapit, nisi spiritum, qui sentit, & obiecta subministrat, & cum sit semper alius, & obiecta alia, necessario videmur delirare.

DVBITATIO IX.

Ex eo quod scire videtur esse paßio, & alienatio, & insania, vel totalis, vel partialis, & destructio, vel totalis, vel partialis, videtur in dignißimum nomine sapientiæ.

CAP. I. ART. IX.

1. PRÆTEREA idem ostenditur ex modo sentiendi: nullam enim sentimus rem, nisi ab illa patiamur & alteremur? Sentio enim calorem, si calefio: odoré, si afficior illo: sonum, si intonet auribus: colorem, si pupillam coloret & spiritum; & Aristot. ipse consentit, omnem sensum fieri per assimulationem. Assimulatio autem fit quando agens sibi passum assimilat; patitur ergo sensus, & non modo perfectiuè, vt putat Arist. sed etiam corruptiuè; multus enim calor destruit temperiem, & sensum temperiei tactus; & sonus grandis obtundit spiritum: si ergo sensus est passio, vel passionis comes, ergo sentientes aliquid alienamur à nobis ipsis in illud aliquid: Alienari autem est fieri aliud, & Arist. & Telesius concedunt, scientem inscibile mutari; & ex parte Plato: ergo scire est alienari. Alienari est insanire, & perdere proprium esse & acquirere alienum; ergo non est sapere res, prout sunt, sed fieri res, & alienatio. sed alienatio est furor, & insania: Tunc enim insanit homo, cum in aliud esse conuertitur. Vnde commorsus à tarantula, vel à cane rabido, vertitur in naturam tarantulæ, & colorem eius sectatur & sonum: & similiter in canis naturam, ita vt latret, & semen catulis persimile emittat: in furore tandem perditur: sic ergo omnis passio licet extrema non sit, fortissimaque sicut ipsa, est tamen similis, & pars ipsius; ergo est furor vel furoris & insaniæ pars. 2. Indicant hoc alienationes & extases, quando homo in Deum conuertitur, & ex sui natura alienatur, & diuina sapit, & à terra eleuatur, & corpus ægrè nutrit, & functiones animalis deserit, vt patet in sancta Catharina Senensi, & sancto Francisco; vnde furore diuino pleni dicuntur apud Hieremiam, & Platonem, & Bernardum. Quapropter palam est, quod scire sit alienatio, & perditio proprij esse, etiam si melius acquirat vt sancti viri: neque enim quia lignum fit ignis nobilior se ipso, non perditur, alienaturque à sui natura. Quorum verò exstasis est ad inferiora, vilius alienantur, vt amatores mulierum, aut pecuniarum, deserentes seipsos rapti in obiectum, vt poëtæ & experientia docet.

3. Hoc enim patet quoniam, quis spiritu tenuiori donati sunt, facilius sentiũt, & sapiunt; tenuis enim spiritus est passibilis magis à quacunq. re, vel lãguida mutatur. Scire ergo est pati, & destrui: id quod atrabiliosis euenit citius, propterea commercium auersantibus. Viri fortes robustique sunt minus sapientes, quoniam minus passibiles: *Consilio* autem *pollet cui vim natura negauit*, ait Cato. Sapientes ergo propter hanc passibilitatem scientificam, subiacent infortuniis, deliriis, podagris, paupertati, stomachi doloribus, phthysi, hecticæ, violentæ neci, Principum persecutionibus, vt patet legentibus vitas Philosophorum & Prophetarum; ergo stultitia videtur, & pœna. & quidem apes, formicæ, araneæ, cæteraque exilia, debilia, & facilè passibilia animalia, pollent sapientia; robusta verò, ac sana, virtute vincendi, & dominandi. Sapientia ergo videtur seruitutis indiciũ, stultitia, & afflictio spiritus. 4. Hoc Salomon confirmat dicens, *Qui addit scientiam, addit & laborem*, & quod studium eius *sit occupatio pessima, afflictio spiritus & vanitas.* At afflictio detestabilis, sapientia vero laudabilis: ergo non extat verè sapientia apud homines, sed fortè apud Deum; cuius scire est actiuum, & sicut inuentoris & non passiuum, & sicut imitatoris. 5. Item enim nescimus quomodo sciamus, vtrum per informationem, an per immutationem, an per sympathiam, an per reminiscentiam; & vtrum res ipsæ nos doceant seipsas, aut docti eramus: & quomodo sensus & intellectus informatur lapidis forma, vel in ipsum mutetur & in multas, ita vt semper destruatur, mutata forma, & esse; vel intellectus prius erat omnia.

DVBITATIO X.

Quod sapere humanum sit desipere, quoniam per ipsum sapere animal ignorat se ipsum quid sit, & operationes, & actiones proprias. Item, ignorat homo vtrum mortui sint viui, & dormientes vigilantes, & stulti sapientes: An è contra: & illud verius esse. Quod multipliciter probatur ratione, experientia, & oraculis: & Arist. responsio insufficiens, & falsa ostenditur.

CAP. I. ARTIC. X.

1\. PRæterea confirmatur, quod sapere humanum sit desipere; qui enim alienatus est à sui notitia per id, quo alienatur desipit, & insanit: sapientia autem nostra hoc facit: Nam nostra anima ignorat quid sit anima. Vnde Philos. innumeris quæstionib. implicitisũt, quęrẽtes animam; & tamen ipsorum anima ipsa est quærens, & quærit seipsam & non inuenit; sicuti stultus quidam, qui asino insidebat suo, quærebat asinum suum: vel sicut Amphitruo apud Plautum Comicum, seipsum quæritat à Mercurio deceptus. Et 2. quidem anima Aristotelis dicit, animam esse corporis formam: & statim delirio correpta, dicit alteram sui partem non esse formam, quæ est immortalis & immista & statim separat hanc in actiuam, & passiuam. Mortalem vero in plures formas organorum, & potentias, phantasiam, memoratiuam, motiuam, sensum communem: & tandem nihil dicit quomodo ex elementis inanimatis anima nascitur, aut vnde nam venit, quid sit principium eius. Plato vero dicit animam esse numerum se ipsum mouentem, & venisse à Deo, esseque immortalem, & de corpore in corpus transire, etiam brutalem animam, esse ergo immortalem. Et tamen in nobis animã ponit sensitiuã in corde, & in iecore aliam appetitiuam, vtrasq; mortales, & copulat eas corpori. Critias esse sanguinem, Democritus atomos rotundos, & ex non sentientibus corpusculis, sentientem facit animam. Empedocles ignem, Aristoxenus harmoniam elementorum, Galenus temperies trium viscerum, Hippocrates calorem natiuum, Alexander temperiei actum, Telesius spiritum corporeum calidum, tenuem sentientem. Varro aërem inspiratum ore, attractum pulmone, expansum per viscera, Manicheus Dei particulam & lucem, Pythagorici, auulsionem ætheris, Horatius ex Stoicis diuinæ particulam auræ.

Lib. 2. de An. T. 1. 2. 3. 4. mox T. 11. lib. 3. T. 17.

Et profectò ita istorum animæ degladiantur de quidditate propria, sicut de re alienissima. Qui autem ignorat se, quomodo sciet alia, *quæ etiam quanto magis quæret, minus inueniet*, teste Salomone?

3\. Præterea anima est intra corpus: nam, abeunte ipsa, corpus torpet: ipsa distribuit cibos per venas & coquit in iecore, & sentit, intelligit, vigilat, dormit, & somniat, & tamen nescit quomodo has operationes ipsa facit: vnde quærimus in Anatomia partium vsum, & disputamus, quomodo fit motus & quies, & nutritio & sensus, & intellectio: & post longum studium neque ipsi Philosophi hæc sciunt, sed in his contra inuicem pugnant: & alij aliter fieri dicunt. Porro videtur anima esse quasi faber intra domum tenebrosam laborans, qui nec videt seipsum, nec opus proprium, & per fenestras prospicit, & percunctatur alios, an ipse bene operetur: & vtrum sit in carcere, vel extra: & quid ipse sit: & quis posuit eum ibi. Sic anima intra corpus opacum habitat: & has operationes operatur, non videns se, neque opus suum, & prospicit per fenestras oculorum, & inspicit Anatomias & interrogat alios, quid ipsa anima sit, cur stat in corpore, quis posuerit eam ibi: & quasi ebrius à somno surgens interrogat de seipso, & de his, quæ fecit in ebrietate & quomodo in alio cubiculo sit repositus. Quapropter videtur sopore, & ebrietate, & sui ignorantia capta esse Anima: quomodo ergo poterit sapiens dici, aut sapere se putare?

4\. Hoc manifestat varietas opinionum de anima, deque aliis rebus, de quibus altercantur alij aliud sentientes, quemadmodum stulti Neapoli in loco incurabilium inclusi: sed quia aliud delirium nostrum & aliud illorum, videntur nobis illi stulti, & nos illis.

5\. Præterea nescit homo, vtrum viuus sit vel mortuus, liber, an captiuus: quomodo ergo scit? videtur ergo esse scire delirium, & quid est ignoramus, & vtrum vere simus in mundo, & sicut qui somniat, putat se vere videre, vereque manducare, idem euenit cunctis vigilantibus.

Quis enim scit vtrum vera sint, quę video, cum iam ostenderimus colores aliis aliter videri, & idem nobis apparere dulce, aliis amarum: & alias res aliis placere, aliis displicere, profecto si res sunt & nos eas sapimus, sunt omnibus eædem. Nunc autem quot capita, tot sententiæ, non modo inter plebeos, sed inter Philosophos & Legislatores: ergo mundus est, vt rectè dicitur in prouerbio, *Cauea stultorum*: Spiritus à sole genitus in corporibus terrestribus agitatus, & originem suam repetere non valens, corpus organis format, quibus possit illud mouere, & se, atque illud nutrire. Quapropter calor solis sepultus, est anima plantarum & brutorum. Sic & anima humana, si est quid nobilius, est magis quoque sepulta, quoniam in corpore fæculento, terreoque sibi magis dissimile detinetur: quod autem sepultum est, mortuum est. Si ergo in regno mortis anima est, nihil verè sapit, donec reuiuiscat: vnde Trismegistus, *corpus* vocat *sepulchrum portabile, indumentum ignorantiæ, & prauitatis, ac mortem viuam*, Plato vero carcerem: sic, Origenes, Am-

In lib. de bono mor is. 7.

brosius, & Theologi, antiquiores & Poëtæ, & post Paulus. *Quis, ait, me liberat de corpore,* alias, *de carcere mortis huius?* Libertas carcerem præsupponit: à morte sepulturam. Tandē vtramq; sententiam confirmat Dauid dicens: *Educ de carcere animam meam.* Sic & Euripides exclamat: *Quis scit an viui sint mortui, & mortui viui?* & quidem exire de sepulchro & carcere, est ire ad vitam & libertatem: vnde Petrarcha appellat mortē finem carceris obscuri, & Theologi principium vitæ & natalitia. Cum ergo simus in morte, non sapimus. Item, qui est in morte, videt vmbras rerum, non ipsas res. Quapropter quæ videmus non sunt. Quod & Plato docet exemplo eorum, qui in antro captiui educati sunt, versi faciem ad antri interiora, vbi vmbræ transeuntium per ostium visuntur. Et siquidem si homines aliaq; entia vnquam vidissent nisi vmbras illas, putarent alia non extare entia, sicut & nos vmbris assueti putamus scire res, quæ non sunt res. Et patet quidem quoniam quod est semper, eodem se habet modo, & non potest non esse: quod vero nunc est, & nunc non est, non verè est, sed apparenter est, & vmbra: & sicut colores iridis, & in collo columbæ.

Psal. 144.

Res autem huius mundi huiusmodi sunt, quoniam nunc sunt, & nunc non sunt: nascuntur, & moriuntur, & dum sunt, nunc sunt paruæ, & nunc mediocres; nunc magnæ, nunc viuidæ, nunc demortuæ & ęgræ; & nunquam in eodem statu permanent, vt & diuini Scriptores fatentur. Ergo non verè sunt, sed sunt vmbræ rerum verarum, quas Plato ideas vocat, & Basilius, & Augustinus perfectius res existere in angelico mundo, perfectissimè autem in diuino putant, apud nos vero vmbratiles esse, & Dauid: *In imagine, ait, pertransit homo: & dies eius sicut vmbra prætereunt, & sicut somnium.* Ecce somnia sunt res apparentes, & nunc sunt, & nunc non sunt. Sic & res mundanæ, & vt dicit Eraclitus, non sunt sēper eædē, neque bis, sed neq; semel, ait Cratillus, propter influxum, & effluxum partium: qui ergo putat se scire, nihil scit, vnde Salomon ait. *Stultorum est infinitus numerus,* & iterum, *omnium operum Dei nullam potest homo inuenire rationem, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueneniet: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Et Apostolus. *Qui putat se scire, is nondum nouit quomodo oportet illum scire.* Et alibi, imò ait. *Stultus fiat vt incipiat scire.* Quas ob res putare oportet, nos scire nihil, quando vtrum viui simus, vel mortui nesciamus; hinc Sceptici Philosophi profitentur se nescire, vtrum sciant vel nesciant.

Psal. 38.
Psal. 143.
Ecclesiastes 1.
Ecclesiastes 3.
1. Cor. 8.

6. Resp. Arist. refut.

Item, neque Aristoteles videtur rectè respondere, quod in rebus iudicandis magis credendum est vigilanti, quam dormienti, & magis sano, quam ægroto; & magis propè, quàm longè, spectantibus magnitudines, & colores: pondera vero robustis, non debilibus.

1. Etenim, inquàm, si robustis, tunc palea & milium non erunt grauia, neque ergo tendent deorsum. Si propè, & non à longè: ergo sol non est lucidus, quoniam à longè spectatur.

2. Item, si propè, ergo positum super sensum sentiretur sensibile: quod non vult, vel assignanda est distantia, & semper fraudabimur à magis vel minus.

3. Item, neque docet, vtrum animalibus, an nobis credendum de sensibilibus: quod maximè declarandum erat. Equus enim hominem videt longè maiorem, quam nobis apparet: alioquin ipsum non timeret: siquidem in quibusdam speculis vultus apparet grandis valdè, in quibusdam modicus valdè: sic sunt oculi nostri, & brutorum varij, & forsan mihi & tibi varia est rei apparentia.

4. De sano & ægro decipitur, quoniam si anima est in loco mortis per ægritudinem liberatur, & melius cernit quam per sanitatem, sicuti per ieiunium magis quam per cibum, non secus ac fracto carcere, vel attenuato ex parte, videmus foras melius: vnde diuus Thomas & Gregorius aiunt, infirmos ad mortem videre entia incorporea, & alia sapere, quoniam à corporis vinculis iam liberantur. Ergo vera est Homeri sententia, imperitè ab Aristotele damnata, quod Hector per vulnus alienatus sapiebat alia. Et moriens prædixit Achillis mortem à Paride.

5. Similiter quod de somno & vigilia dixit Aristoteles, corruit: somniantes enim à corporeis quasi alienati sunt rebus: & spiritus collectus ad opera nutritionis dat menti locum sapiendi, etiam futura, quod vigilantibus non euenit, teste Augustino.

Item lamiæ dormientes intersunt tripudiis Dianæ, & Dæmonum, & operantur sicut vigilantes, vt scribitur etiam in Concilio Ancyrano: diuus Ambrosius dormiens interfuit exequiis sancti Martini, & celebrauit officium, & mortui sæpè apparent vigilantibus & dormientibus, vt omnium confirmant Nationum historiæ.

6. Qua de re non imperitè quærunt veteres, num res sint quales apparent dormientibus, an vigilantibus, sapientibus, an insipientibus, sanis, aut ægris. Tandem si cui res non sapiunt est insipiens: & cui sapiunt non prout sunt, est desipiens, cum visum sit nunc sapere desipere: ergo ignorare est priuari insipientia. Sic Columbus ignarus inuenit nouum orbem, quem Lactantius Theologus, & Xenophanes Philosophus extare negant. Flauius Nauta vsum magnetis: & alius mechanicus Bombardas, & alius Idiota Typographiam inuenit: at vocati sapientes vulgò mirari ista vix sciunt satis: & stulti & indocti faciunt miracula, & sapiunt diuina. Sapiētes vero obstupescunt, vnde S. Aug. audiens mirabili sancti Antoni, ait. *Surgunt Idiotæ, & rapiunt regnum Dei. Nos autem cum scientiis nostris in tenebras deiicimur.* Propheta ait. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*: &, *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi*, inquit Apostolus. Vnde & Christus noster sapientibus videtur stultitia, & doctis Iudæis scandalum. & Aristoteles Deum non mittere somnium docet, eo quod non optimis, & sapientibus, qualem se reputabat ipse, immittuntur. Sed si nouisset se nihil scire, & stultum se fecisset, vt inciperet scire, aliter dixisset. Imò sancti doctissimi Augustinus & Thomas, vbi putant, se nescire aliquid, rectè loquuntur: vbi verò sapere indoctè: nam negat ille Antipodas secundum sapientiam, & iste habitationes humanas sub æquatore: & omnes errant sancti, dum scientiis vacant: dum verò dicunt, se nihil scire, diuinant iter, & conuertuntur ad superos.

7. Et rectè Socrates ait, Philosophiam veram esse separationem animæ à corpore per contemplationem: tunc enim verè videmus, & non nunc: vnde Franciscus, Paulus, Catharina, & alij rapti in extasim entia diuina vident, & arcana Dei sapiunt aliter: ergo mortui sunt viui, & nunc qui putantur viui, & vigilantes, dormiunt in inspectatione vmbrarum

inceptarum, non autem somniantes, nisi vbi somnium est sine auulsione à corporeis, quemadmodum expertis probatur.

Sap.3. Nonne Sybillæ videntur Aristoteli, & Galeno insanire, & tamen ipsæ diuina pandunt? Ergo sunt, qui videntur insani, & è contra, sicut ait Salomon. *Nos insensati vitam illorum reputabamus insaniam.* Christus quoque stultus reputatur Herodi, & Gentilibus, & Luciano, & Hebræis, & consanguineis propriis; nobis verò Dei sapientia. Quapropter incertum est quis sit viuus, sapiens, & vigilans, & qui mortuus, stultus, & dormiens: vt quid clamat Apostolus. *Hora est iam nos de somno surgere*: ad sapientes huius mundi, ad insipientes verò, *mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et alibi. *Si mortui estis mundo, quid adhuc tanquam viuentes de mundo decernitis?* Ad Rom. 13. Col.3.

(∴) (∴) (∴)

DVBITATIO XI.

Exempla delirantium, & oscitantium secundum Philosophiam hominibus traditam; vnde probatur quod scire sit desipere.

CAP I. ART. XI.

PRÆTEREA quod dormiamus, deliremus, & in mortis regione simus, Probatur ex opinionibus Philosophorum circa notissima adeo exorbitantibus, vt stultis stultiores appareant. & primus Aristoteles, qui eos corripit, putat solem non esse calidum, neque lucidum, quo quid stultius? sed generare lucem, caloremque atterendo aërem, sicut ex attrito lapide calor, & lux excuditur: & tamen quomodo tam remotus ab aëre sol possit percutere, & ignire aërem effugientem ictus, & non sicut lapis percipientem, declarat nunquam: nihilominus Peripatetici omnes, Græci, Arabes, & Christiani, reclamante Basilio, Ambrosio & cæteris Patribus, Aristoteli adhærent, licet plurimi restituerint lucem soli, dictis Aristotelis non acquiescentes, vt Auerroës & Simp. testantur, sed ita ruditer, vt adhuc negent illi calorem. Vide qu. Phys.

Item ex elementis non sapidis, non coloratis, non sentientibus: facit sapores, colores & sensus.

Et formas rerum educit de materiæ indiuisibilis sinu.

Heraclitus etiam ita delirat, vt omnia moueri putet, & nihil immobile esse, neque terram: & frigus nullum extare.

Zeno vero alio delirio correptus, nihil moueri putat, nec dari motum, quia, si quid mouetur de termino à quo ad quem transire habet, & per medium medij: & cum diuisibile sit in infinitum omne spatium, & infinitum non possit pertransiri, sequitur, quod non detur motus.

Arist. stultius respondet, quod pertransitur, per aliud mobile infinitum, tangens media in potentia, non in actu: cum tamen palam extremum mobilis tangat semper in indiuisibili & sphera spheram circumiens, tangat semper punctum puncto.

Similiter Parmenides, & Melissus putant, omnia esse vnum, & non diuidi murum ab aqua, & ab homine: sed sensu ita falso videri

Democritus nullum ens esse vnum sed concretionem atomorum, & formas, colores, sapores, calorem, frigus non extare, nisi in apparentia expositione atomorum resultantem. Et vbi dicit solem quotidie nouum nasci ex vaporibus, & interire.

Copernicus cum Philolao terram putant esse in quarta Mundi regione, & moueri in gyrum; solem vero in centro stare immobilem, cuius contrarium sensus videt: & tamen ratio apparentiarum & calculus motus stellarum verior secundum supputationem Copernici, quam Ptolomęi, & Alphonsi, ponentium terram in centro immobilem, ostenditur & sensui congruit.

Epicurus putat nihil extare, nisi quod sensu percipimus. Plato autem quæ videmus non esse, sed alia, quæ intelligimus verè entia esse.

Pythagoras, dicit se meminisse, quod olim ipse fuerit, Euphorbius, & Thais: & transierit de corpore ad corpus.

Enuius Pöëta meminit se fuisse Homerum. si hæc deliria non sunt, nulla erunt deliria.

Item Anaxagoras dicit niuem esse nigram, quoniam nigrescit.

Telesius vero niuem & aquam calidas esse docet. Si isti sapiunt quis furiosissimus non sapiat? Taceo, quæ Mahometes ad insaniam plures Nationes trahens, docet de cælestibus, & terrestribus systematis, vt de cælo lapideo, aqueo, igneo, & de Angelis cornutis, ferentibus sedem Dei: quorum cornua ex igne, & niue componit: & de septem Telluribus substetatis à boue vno, cuius caput in Oriente, & cauda in Occidente: & de Monte Caf, substentante cælum, ne ruat: & huiusmodi.

Quæ tamen ex eo quod multis nationibus non apparent insaniæ, eo magis indicant mortalium sapientiam insanire. & si licet adducere exempla ex diuinis. Andreas & Petrus Apostoli crucem vocant dulcem, & suauem, & delectabilem, & tormenta delitias, quæ Gentilibus videbantur stultitia. Et Cicero, non fuisse ærumnosum Attilium, cum cruciaretur à Pœnis: Caluinus vero hominem cogi ad volendum quicquid vult, nec posse non velle, neque me posse nunc non scribere. Plutarchus etiam probat, Stoicos contra communes hominum conceptiones dogmatizare.

(∴) (∴) (∴)

DVBITATIO XII.

Deliria multa circa rerum principia, ſcientiam non eſſe admonent; & diuerſas eſſe opiniones de principiis ſcientiarum; & non probari, ſed accipi: vnde ſcientia videtur apparentia, & vanitas, idem in religionibus, & legibus contrariis facilius patere.

CAP. I. ART. XII.

1. IDEM confirmatur ex diuerſis hominum ſententiis circa ſcientiarum principia, & rationibus contra illa. Et primo quidem Metaphyſica principia ſunt nobis ens, & non ens: ſed non ens non eſt, quomodo ergo principium eſt? Ens vero etiam non eſt, ſi enim entia ſunt: quæ nos ſentimus, non ſentimus autem quæ in nos non agunt, quæ non agunt non ſunt: ergo entia illa non ſunt.

2. Præterea quomodo ſcimus illa eſſe, ſi nec quæ videmus, ſcimus eſſe, vt ex dictis patet?

3. Nam præterea obiecta ſenſuum non ſunt; vt calor & frigus, dulce & amarum, album & croceum, fætor & odor, conſonantia & diſſonantia. Namque, vt ſuperius declarauimus, quod vni eſt dulce, alteri videtur amarum, & quæ fætent nobis, olent canibus, & quod magnum eſt formicæ, paruum eſt elephanti; & quod aſino eſt muſicum, nobis

4. eſt immuſicum quapropter hæc non ſunt in natura, ſed apparentia: ergo entia ſenſibilia non ſunt: ens enim verum eſt, quod autem verum non eſt, ens non eſt.

Item, omnis ſenſus patitur à ſenſibili: ſi patitur, ergo datur agens: ſed idem cibus in me agit dulcedinem, in te amaritudinem: ergo non eſt id, quod agit, vel duo contradictoria ſunt ſimul: ergo idem eſt, & non eſt.

5. Hoc principium eſt omnium ſcientiarum, videlicet, duo contradictoria non ſunt ſimul vera, neque ſimul falſa: ſed hoc principium in Metaphyſica euaneſcit: ergo & alia. Vnde Democritus ait, aut nihil eſt verum in natura, aut nobis immanifeſtum eſt. Anaxagoras autem & Democritus ponunt contradictionem verificari, quia ex eodem ente fit aqua & ignis: & quia componitur omne ens ex ente & non ente, vacuo & pleno.

6. Item enim ſenſus alteratur, & immutatur à rebus: ergo efficitur ſimilis ipſis immutantibus. Agere enim, eſt facere ſimile ſibi. At ſenſui idem videtur eſſe dulce & amarum: ergo eſt dulce & amarum, alioquin non mutabitur in dulce, & amarum: & nunc bonum furari, nunc malum. Ergo quod eſt, non eſt: & quod non eſt, eſt. Ergo non datur ſcientia, neque veritas, neque falſitas. Hinc ſequitur quod idem ſit affirmare & negare. Et quod non omnis propoſitio eſt vera, aut falſa: ſed mihi, vel aliquo tempore apparet vera, aliquo vero vel tibi falſa: ergo corruit Logica, & ſyllogiſmus, inſtrumentum ſcientiarum.

7. Præterea omnia entia componuntur ex ente & non ente: ex bono & malo, ex potentia, & impotentia, ergo de omnibus verificatur contradictio. Ita & centrum rotæ agitatæ ſimul mouetur & non mouetur. Et ambulans ſuper nauim contra curſum Nauis, mutat & non mutat locum. Ergo & propoſitio omnis eſt falſa & vera.

8. Præterea de principiis Metaphyſicis eſt controuerſia. Alij enim ponunt vnum & multa cum Pythagora. Alij potentiam & actum cum Ariſtotele. Alij Ens & non Ens, vti nos. Alij infinitum & finitum, vt Platonici. Peripatetici vero nulla ſtatuunt certa principia, ſed voces omnes communiſſimas dignificant. Alij putant Metaphyſicam non extare.

9. Contra principia Mathematica multæ ſunt quæſtiones. Arithmeticus enim ponit numerum & vnitatem Geometra punctum, lineam, ſuperficiem, & profunditatem. Nec tamen iſta probant. nam vnitas vbi eſt, niſi in rebus vnis? ergo eſt vel accidens vel ſubſtantia rerum. Non ſubſtantia: quia vnus homo & vnus lapis eſſent eiuſdem ſubſtantiæ, ergo eſt accidens. Ergo ſcientia hæc vtiliſſima, eſt de accidentibus tractans: & cum hoc accidens ſit in quãtis rebus & non quantis, mirabile eſt quomodo poteſt accidere ſubſtantiis diuerſi ordinis, & accidentibus. Et cur hanc æquiuocationem non docent Mathematici, neque ſua principia probant. Cur enim vnum & duo faciunt tria non probant, ſed ſupponunt. Nulla autem ſcientia hoc probat: ergo & inanis. Nam neque ſenſui id patet, ſed humano decreto: facimus numerum vſque ad decem: ſunt in Africa, qui non porrigunt vltra ſex. Quis nam melius decernit?

10. Punctum autem, cuius eſt pars, nullibi reperitur, neque linea ſine latitudine, neque latitudo ſine profunditate, neque corpus ſine materia. Ergo Mathematici ſupponunt principia hæc ad libitum, & non ſecundum naturam.

11. Item, falſa dogmata probant, quod ſphæra tangat ſphæram in puncto, quod falſum experimur.

12. Item quod omne continuum diuidatur in infinitum: quod experientia negat & Phyſica: ſubito enim ſequitur, quod non detur motus, eo quod non eſt pertranſire continuum.

13. Præterea, æqualis eſſet molis, granũ milij & elephas, & totus mundus, quoniã in infinitum diuiditur milium æque ac iſta. Quod autem partes habet infinitas, infinitum eſt. Infinitum autem infinito non eſt minus nec maius. Nec poſſunt eſſe infinita plura. Vnum enim occupat omnia.

14. Præterea, vtrum linea conſtituatur ex punctis vel ex lineis infinitis, & omnis lineæ pars conti-

neat

neat lineas infinitas, ita vt pars sit æqua toti; & sic de superficie & de corpore ex eis, & de tempore ex nunc, & de motu ex momentis, sunt altercationes consimiles: & cur qui negant infinitum, asserunt, & qui asserunt ponunt infinita plura, & maiora, & minora, & minuibilia sine minutione. Vnde corruit axioma: Omne totum est maius sua parte: & aliud, si ab æqualibus inæqualia demas quæ remanent sunt inæqualia. Et quod datur principium & finis permanentium & successiuorum: quod Arist. negare cogitur si ex momentis & punctis, & nunc componantur. Fallax ergo Mathematica & delirium.

15. Falsæ ergo sunt scientiæ illi subalternatæ. Quod primo de Astronomia per alias rationes patet. Nam alij volunt tot esse spheras, quot stellę: Alij octo tantum, alij nouem, alij decem, alij vnum. Plato & Timeus terram in centro mundi moueri statuunt, & solem in secunda sphera: & motum proprium planetis singulis. Ptolomeus & Ægyptij terram in centro immotam, solem in sphera quarta, & nouem tantum spheras: quarum prima rapit alias ab ortu ad occasum, quæ de se mouentur ab occasu ad ortum. Eudoxus ponit motum raptus, & multiplicat spheras, iuxta apparentias motuum vsque ad viginti sex. Calippus ad triginta quinque, Arist. ad quadraginta septem, propterea quod Planetæ nunc tardi, nunc veloces, nunc Australes, nunc Boreales: nunc alti, nunc humiles. Copernicus vero terram moueri in quarto cęlo sentit, solemque in centro immobilem, spheramque stellatam similiter immobilē, & vnum dat motū Planetis ab occasu in ortum: sed quia præter hunc motum habet tellus alium ab occasu ad ortum in horis viginti quatuor, videntur omnes stellę ferri ab ortu in occasum in eodem tempore, & addit librationes, & excentricos, & Epyciclos: & Ptolemaicos aufert: eius calculus nunc corrigitur à Thicone. Galilæus putat, se quatuor nouos planetas inuenisse circa Iouem: duosque alios circa Saturnum. Alij quoque Mathematici omnes fixas stellas putant esse soles nostro similes, circa quos alij Planetæ vel occulti nobis suis in Theatris voluantur. Quis non delirare hos putet in sic extraneis sententiis contrariisque? & quod peius est, Lactantius & Theologi, qui Mathematicos delirasse ponendo Antipodas, dixerunt, ipsi delirare iam videntur. Mathematicos autem inter se digladiari in ambignum certum est: Considerant insuper alios fictos circellos & librationes ad saluandos nouos motus apogeorum, excentricitatis, obliquitatis & punctorum cardinalium, & fixarum motum in posteriora. Hec ego abstuli omnia nec mihi satisfeci. Item alij fixarum motum & mundi consummationem ponunt in quadraginta nouē millibus annorū, vt Alfōsus. At Ptolomeus in triginta sex millibus, Copernicus in 26816. Albategnius in paulo paucioribus: Plato in decem millibus. Talmudistæ in sex millibus: Indi Philosophi in octo millibus: alij proprium arbitratum: alij in certas apparentias sequendo Anomaliarum., & de quantitate anni altercantur, & nihil certi pronunciant: similiter & de quantitate stellarum, & distantiis, & motibus, sed tanquam insani sententiam defendunt quisque suam.

16. Astrologię principia stultitiæ plena videntur, quoniam assignant trigonos & terminos, & domos. & exaltationes planetarum. Alij alias & absque probatione solum ex coniectura. Trigonus Arietis Europæ dominatur apud Ptolomeum. Arabes vero præficiunt Asiæ orientali, sic de cæteris. Nec conueniunt Caldęi cum Ægyptiis, Arabibus, Græcis, Latinis: sed quisque suam tuetur opinionem. Item horoscopum & figuram geneseos, aliter capit Caldæus, aliter Ptolomeus, aliter Alcabitius, aliter Regiomontanus: aliter Porphyrius: & omnes putant se rectè prophetare ex his. Directiones quoque Promissorum ad significatores alij in Zodiaco, alij in æquinoctiali celebrant. Et quidem modis omnino variis, qui in æquatore conueniunt. Diuinant ergo more Bacchantium. Nec docuere vnquam, cur Iacob & Esau simul nati diuersam sortiti sunt fortunam, Gildardus vero & Medardus eandem, & plurimi eodem in bello vel naui necati cælo diuerso, & tempore nati, morte eadem & tempore cur intereunt. Modus quoque diuinandi varius est prædictis autoribus & rationibus, nec in re tanta conuenire volunt. Proprio arbitratu ista fingunt principia. Alij vero à Deo reuelata esse contendunt, cum ratione destituuntur. Plato in Epin. non nisi à Deo principia hęc scire hominem potuisse, pręsertim figuras cęlestes terrestribus respondentes, similiter Hebræi. Alij ficta ad memoriam humanitus opinantur.

17. Principia quoque prospectiuæ inania videntur: Nam visionem faciunt extra mittendo & per angulos maiores & minores: Nec tamen adhuc scit anima, quomodo ipsa videt, & vbi, extra an intra corpus. Nec declarant vnquam quomodo montem magnum oculus videt, si enim intrat in oculum, quomodo potest tantus? si exit spiritus ab oculo, vt aic Galenus, quomodo non statim volat ad cognatum cælum? nec ventus eum propellit? si lux, vt Plato, quomodo lux insensata sentit? & quomodo simul totam tangit turrim cum radius fit gracillimus? Præterea cum de Iride Mathematici sermonem faciunt, vt Physici, discordes sunt. Neque de figura, neque de coloribus illius; & de duplicatis Iridibus quicquam certi proferre potuerunt, vt in quæstionibus Physiologicis nobis probatum est. Imo neque quid sit color, neque quid sit lux, neque ex quibus rebus & gradibus componantur colores, Prospectiui nos docebunt vnquam.

18. Principia Musicæ vana sunt, quoniam consonantia, & dissonantia non sunt secundum naturam, sed apparentiam. Quæ enim placet mihi, displicet tibi: & sano placet sonus, ægro vero dissonus est, & nobis voces brutorum inconcinnæ apparent, & nostræ illis: & Musica Turcica Italis dissona. Hispana vero aspera, è contra Italica illis dissidet. Item soni molles & submissi sunt homini consonantes, qui mouent spiritum ad sui mensuram, sed non semper spiritus eodem motu pollet, nam calescit, tepescit, crescit, minuitur, & pro temperie hominum & Nationum diuersa est Symphonia, & fortè Musica nihil est, nisi apparentia: cur enim octaua & quinta & quartacon sonant, nulla datur ratio ex parte rei, quæ non conueniat septimæ & secundæ, sed forsan ex parte nostri. Ergo est sola apparentia non existentia.

Præterea secunda propinquior est primæ, quam tertia: & tamen tertia illi consonat, & secunda dissonat: nec verum est, quod numerus consonantiam dat sonis, quoniam alius numerus aliis conuenit, sed fortè omnes consonant soni, sed non omnibus: vnde Rex Scytharum Musicam Ismeni auersatus, dixit se gaudere hinnitu equorum magis.

19. Principia naturalis Philosophiæ incerta sunt, valdè: & in his delirant homines supra modum. Nam

quot capita sectarum tot sententiæ. Arist. duo ponit principia actiua, vnumq; passiuum: postea facit elementa quatuor cum deberet ex duobus actiuis duo. Ocellus & Hipp. quatuor elementa statuunt in inuicem transmutabilia. Empedocles duo prima elementa & duo secunda, in inuicem non transmutabilia: & rursus duas agentes causas Odium & Amorem. Thales aquam rerum facit principium: sic Eusebius & Rabini quidam. Diogenes Aërem. Anaximenes vaporem. Heraclitus ignem, qui feruens est cælum, tepens aër: vnitus aqua: extinctus terra: sic omnes ex vno elemento generant congregando & disgregando. Anaxagoras omnium rerum Chaos & Mentem ex eo extrahentem, & cunctas generantes res. Hesiodus Chaos & amorem, Parmenides omnia vnum: sed tamen secundum Physicam, ignem & terram. Democritus vacuum & corpuscula atoma: quæ magis minusque collecta casu quodam omnia faciunt corpora, & mundos, plures & infinitos. Alij mundum ponunt vnum finitum, vt Aristot. Alij infinitum vt Pythagorici, qui & bonorum & malorum ponunt principia. Pythagoras numeros præficit & Mathematica. Plato Deum, Ideas, & materiam, & quatuor elementa ex Mathematicis composita. Telesius calorem & frigus & materiam principia simplicia, elementaque duo: cælum & terram. Gregorius, terram, pontum & æthera. Nos materiam & spatium principia passiua, actiua vero frigus & calorem in Physicis: duoque elementa solem & terram sed in Metaphysicis, Potentiam, sapientiam, & Amorem. Patricius, spatium & fluorem, lucem & calorem. Paracelsus; sulphur, sal & hydrargyrium, Stoici, spiritum & materiam elementarem. In modo generandi, componendique secunda entia, mirum in modum discrepant Philosophi. Neque quid certi ab eis accipimus, sed quilibet mordicus suam tuetur opinionem, & alienam deridet quasi stultam: ergo vel omnes stulti, vel vnus tantum sapit: Nam Salomon de millibus vnum repetit sapientem: & Sceptici nihil se scire tandem, his examinatis, profitentur.

20. Principia moralis scientiæ, quæ sunt Bonum sectandum, & Malum declinandum, adeo sunt incerta, vt nihil magis: hinc fluctuatio politicæ oritur, & legum incessanter. Alij enim ponunt summum bonum, respectu cuius cætera sunt bona, in voluptate corporea, vt Epicurus & Mahometes: summum vero malum dolorem. Ergo quod placet licet, vt Semiramis in Babylone legem tulit. Bias summum bonum in lucrando, vt Respub. Ianuensium ad hoc inclinat. Stoici in virtute, quibus fauet Respublica Athenarum. Alij in gloria, honore, & dominio: sicut olim Respublica Romana. Arist. in sapientiæ speculatione, cæteris bonis associata, vt Ægyptij. Telesius in conseruatione, vt Veneti. Nos autem in æternitate tranquilla. & licet quærant bonum omnes, tamen confundunt illud. Putant Turcæ honestum & bonum plures ducere vxores: Christiani & olim Romani malum & turpe. Sodomia apud Græcos tenebatur ex lege Solonis: & apud Fezitas hodie exercetur in publicis prostibulis: nobis vero punitur igne. Furtum olim Lacedemonibus & Germanis honorarium: nunc Catainis & Indis pœna capitali punitur. Peccatum est bibere vinum Mahometanis: vtile videtur cæteris nationibus. Comedere carnes humanas delitiosum & gloriosum est Americanis, & Aphris nonnullis: cæteris nationibus horribile, & impium. Comedere porcinas & anguillas Iudæis nefas & Turcis, nobis vero licet. Bellũ gerere nefas Anabaptistis, Lacedemonibus gloriosum. Stoicis & Catainis omnia peccata sunt grauia: libertinis vero peccatum non datur. Edere semel in die antiquis mos fuit, recentioribus non sufficit bis. Nudari in palestra Græcis laudabile: Anglis vituperabile apparet.

21. Et tandem circa bona vtilia, & iucunda, & honesta dissentiunt Nationes omnes, & homines ferè singuli pro temperie, ætate, conditione & statu. At quis non admiretur quorumdam Gentilium deliria, reputantium peccatum, vxorem deflorare: idcircoque Defloratori, tanquam carnifici, soluentium pecuniam, vt primam aperiat viam? & illorum, qui ærei Simij, quem tanquam Deum adorant, Veretro vxorum vuluas affricari, primo faciunt, donec deflorentur, prælibante Deo? Braxilienses vero, quando vxores pariunt, mariti ipsarum loco, lecto decumbunt, & tanquam ipsi pepererint, pharmaco & visitationibus, non autem vxores honorantur.

22. Præterea cum virtus omnis iustitia sit, qui autem colit iustitiam, probatur esse stultus apud Ciceronem oratione Carneadis. Si enim Romani & qui occupant regiones aliorum, quod suum non est, primis Dominis restituere vellent, vacui ad sua prima tuguria opibus & honoribus, omnique ludibrio expositi, prædaque effecti, redirent. Similiter in naufragio si quis tabulam ad salutem arripienti non auferret, aut in bello Equiti saucio, equum quo fugeret, profecto stultus haberetur, propriam vitam morti exponens, vt iustitiam colat. Similiter, qui seruum fugitiuum, aut domum pestilentem venundaturus, vitia mercis promeret, vnde pretium minueretur, vel nullum fieret, iustus esset & simul stultus: & qui vendenti aurum pro auricalco emptor declaret spreto lucro aurum esse: multaque huiusmodi adducuntur in medium, & leges contrariæ: vnde tanta varietas fit, vt mirere. & quotidie nouas ferunt & abrogant non modo nationes, sed ciuitates singulæ, ita vt nunc idem actus præmio dignus, nunc pœna habeatur: & apud omnes iustitia ad libitum statuatur, propterea que vt inquit Salomon, *iustus perit in iustitia sua & impius multo viuit tempore in malitia sua. Noli ergo esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.*

23. Sed nulli deterius delirant homines, quam in Religione & Theologia. Alij enim pro diis colunt animalia, cocodrillos, serpentes, aues, vt Ægyptij, & Braxilienses: alij fluuios, lapides, arbores, vt olim ex parte Romani, hodieq, Indi: alij faciunt homines deos, vt Greci olim Romani, Chinenses: alij adorant elementa, vt Persæ: alij sydera & cælum, vt Ægyptij, Cuzcani, & Libyes interiores. Alij numina plura inuisibilia, vt Diabolos & angelos, sicut Tartari & Iaponenses, qui & Stellionis tẽplum habent, vt Romani febrem, pallorem, tremorem, passiones humanas tanquam deos coluerunt. Quid stultius? & tamen hi sapientissimi hominum fuerunt. Alii numen vnum incorporeum, à quo legem accepisse gloriãtur, vt Moyses, & antiqui Hebræi. Talmudistæ enim Deum faciunt corporeũ, qui oret pro peccatis suis, irascatur contra seipsũ, tundat pectus & ploret, pœnitẽtia duct⁹, quod Hebraicã euerterit gentẽ. Itẽ quod ludat cũ pisce Leuiatã, quod disputauerit aliquãdo cũ Rabinis & victus fuerit: multaq; deliria huiusmodi de Deo dicunt, ab innumeris credita nationib⁹.

Mahometes Deum corporeum facit, sedentem super solium, delatum duobus ab Angelis cornutis, quarum tanta est magnitudo, vt ab altero in oculum auis volando in mille annis non perueniret. Multaque de cælo & cælicolis deliramenta scribit, & media orbis pars ipsa sectatur. Christiani Deum colunt trinum & vnum, & incorporeum æternum, mox natum, crucifixum, & resuscitatum, reuersum in cælum, & manducatum in Sacramento: & ab omnibus diffident nationibus, quas singulatim numero excedunt: qui tamen Mahometanis & Iudæis, & Gentibus insanire videntur, non secus ac Tartari quidã, qui ex luto & sanguine Deũ faciunt, & Americani olim ex pasta è sanguine Arietino. Sed in cultu & sacrificiis quanta varietas? Alij panem sacrificãt, alij pecudes, alij boues, alij porcos; & omnes omniũ aspernantur ritum, & pro his pugnant in inuicem vsque ad mortem. Alij omnia spernunt sacrificia: & Diogenes pediculos centum loco boum super altare Dianæ irridens cultum sacrificauit. Cato autem mirabatur quomodo sacerdotes, victimas extorquentes, tanquam pro diis esurientibus, & manducantes, non riderent obuius alter alteri, quod sic populo illuserint.

Præterea, alij putant Deum mundi authorem, & tamen falsis sacrificant diis. Alij casum; alij elementa quatuor, alij æternum faciunt, & absque prouidentia: vtunturque religione tanquam populorum fræno & illusione, vt Epicurei, & aliqui Aristotelici & Macchiauelistæ.

15\. Præterea, inter se religones diuisæ sunt in plures hæreses absq; numero, quoniã alij aliter idem dogma interpretantur. Ergo vel dogma illud est multiplex, & fundat contradictionem, vel homines omnes delirant, & sic neutro modo scientia datur. Item, credunt omnes propria religione saluari, & totum damnari mundum, quod Deo indignum videtur. Ergo vel omnes placent Deo religiones, vel Deus non curat de his. In hoc quoque delirium sua inflat vela. Quod Iaponenses, Caluinistæ, Americani quidam, & Mahometistæ hominem liberum non esse credunt ad volendum, & nolendum, & quosdam damnari, quosdam saluari prædestinante Deo ad bonum & ad malum: quam prædestinationem effugere nequeunt; & tamen colunt Deum & iustitiam omnes, tanquam saluandi omnes. Catholici Christiani, Stoici, & Græci, Lacędemones, Attici, Saducei, putant hominem esse liberum: Sed alij prouidentiam super liberis actibus eius tollunt, alij admittunt. Et mirum quidem quoniam ipsamet anima hominem ignorat, vtrum cogatur velle, quod vult, an sponte velit. Et in hoc tanta pugna est, vt se mutuò perimant, nescientes quid faciunt, & de rebus minimis vsque ad mortem concertant, tanquam insanientes. vt enim biberent in calice Bohemi, bella sæuissima contra Ecclesiam Romanã & Cæsarem excitarunt. Præterea, quosque deterrimos faciunt Principes & Reges, optimos vero occidunt tanquam pessimos: post mortem vero eosdem colunt, quos occiderunt, vt Socratem; Senecam, aliosque Sapientes, & Apostolos, & Prophetas: & eadem approbant & reprobant perenni instabilitate. Vnde Democritus tantam varietatem stultissimam considerans, continuò alienam ridebat stultitiam, & ipse reputatus est stultus ab hoc ipsum à conterraneis, quod Hypocratem ad eius curam conduxerunt. Inspice quoties in die vel in hora mutatur homo de velle ad nolle, de gaudio in tristitiam, de consideratione in considerationes inanes, & esse sicut colorem instabilem in columbæ collo comperies. Rectè Salomon de homine dicit, & de rebus cunctis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Vide quæso, sciunt se morituros, & tractant de vita præsenti, negotia & prouisiones tanquam de perenni: sicut qui in itinere velocissimo positus Palatium ędificare currendo statuat.

16\.

17\.

DVBITATIO XIII.

Probatur ex opinione Sapientum, & Oraculis sanctarum scripturarum, quod non sit scire, sed potius desipere; & quod neque scit homo, vtrumsciat, vel nesciat.

CAP. I. ART. XIII.

VIDENTVR quoque Philosophi ac Theologi hanc sententiam confirmare. Nam Empedocles dixit, alios aliter sapere propter aliam corporis temperiem, & mutari sapientiam, prout mutatur homo. Ait enim.

Ad præsens hominum crescit sapientia semper.

Et alibi.

Vt vario semper mutato corpore quisque,
Sic sapere est illi mutato, ac mente moueri.

Homerus quoque ait.

Talis est mens hominum terrestrium, qualem
Quotidie inducit pater hominumque deorumque.

Parmenides vero pro membrorum structura; quod ex physionomia quoque Arist. patet: & pro temperie variam esse mentem hominis, canit sic:

Namque, vt quisque suam retinet per membra reflexa
Temperiem, sic mente valet, mortalis vbique.

Item Parmenides putat, Deum esse rerum mentem, & in se aliter sapere, aliter in elementis, aliter in nobis, quod non Plinio, & Varroni placet. Anaxagoras quoque ait, talia esse entia nobis, qualia existimamus: vt genista dulcis capro, amara homini. Ergo non sunt nisi apparenter.

Idem videtur Prothagoras dixisse, quoniam homo omnium rerum est mensura. Ergo sunt res quales, & quantę apparent homini: & alię aliis. Homerus quoque insanum Hectorem ex vulnere dicit alia sapere: sicut & omnes ecstatici quæcunque ex passione vi-

dentur, qui omnes Aristoteli insaniunt: ergo omnes insani sapientes sunt, licet nobis, aliter sapientibus, non videntur sapere.

Plutarchus etiam materiã & animam mundi ante rerum originem temerariis motibus fluctuasse & insaniisse iuxta Platonis dogma sentit: post distinctionem vero ex chaos in ordinem cuncta redacta esse, & animam furere desiuisse: At nunc cum in tot mundi partibus aliter sapiat pro mẽbrorum structura & temperie, vt Parmenides dicebat, immo singulis momentis varietur in vno homine, consequens est, vt insaniã cunctis in rebus agnoscamus pro sciẽtia.

Heraclitus & Cratillus, & Democritus non esse scientiam dicunt: & hic quidem in fundo putei latitare autumat. Anaxagoras in tenebris: Empedocles strictas esse sensuum vias, ne intret sapientia, dixit. Plato putat, scire, esse quoddam confabulari, ideo scientiam dialogisticè tradidit.

Socrates, qui oraculo teste, fuit hominum sapientissimus: cum omnes sectas Philosophorum, & scientiarũ percurrisset, tandemque vidisset, eos se reputare sapientes, dixit se propterea illis sapientiorem, *quod sciret se nihil scire.*

Arcesilaus vero neque hoc se scire, quod nihil scire profitetur. Cum enim argueretur, vtrum sciant, Sceptici, se nescire, ne cogerentur hoc fateri se scire, dixerunt, vt Sextus Empiricus ait: Neque hoc scio, vtrum sciam, vel nesciam, me nihil scire. Ergo ratio Arist. in xi. Metaph. contra eos nulla est. & cum obiicitur, cur pedibus ambulatis, & non manibus? Ergo scitis ita esse ambulandum? Respondent, se nescire vtrum sic ambulent, sed ita videri faciendum: sed posse aliter se habere, retinentque assensum in omnibus. Propterea & Pythagoras Sophi nomen abiecit, seque Philosophum nominauit, quasi desperans scire, quamquam amat scire.

Salomon quoque eiusdem videtur sententiæ dicens. *Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quam erat: & alta profunditas quis inueniet eam?* Et alibi. *Intellexi, quod omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ sunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat: etiam si dixerit: sapiens se nosse, non poterit reperire.* Et alibi. *Cunctæ res difficiles non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* & mox studium sapientiæ vocat, *occupationem pessimam, quam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* Et alibi, *Laudaui magis mortuos, quam viuentes, & fæliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est.* Et, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* omnia studia humana videntur: & Ecclesiasticus considerationem nostram de operibus Dei vocat scintillam. Et Iob particulam incertam. Et Apost. *Qui putat aliquid scire, se seducit.* In Moralibus vero Salomon ait. *Eadem cunctis eueniunt bona, & mala, vnde corda filiorum hominum implentur malitia, &, vidi loco iustitiæ iniquitatem, &, vidi neque velocium esse cursum, neque fortium bellum, nec sapientum panem: nec Doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casúmque in omnibus.* Et Ioannes Apost. *Totus mundus in maligno positus est.*

Sap. c. 7. cap. 8. cap. 1. cap. 4. cap. 9.

DVBITATIO XIV.

Ex eo, quod vocabula significantia res, quas scimus, non rectè significant, sed perperam, & casu quodam ac temere; Probari scientiam nostram esse vanam, cassam, irrationalem, & stultam, ad proinde verè nullam esse.

CAP. I. ARTIC. XIV.

1. IPSA tandem rerum nomina ab hominibus posita, admonent, nullam esse scientiam, vel admodum exilem, & delirium multum. Sicuti enim homo intelligit res, ita intelligẽdas aliis dat, perque nomina notatas significat: sed nominũ alia posita sunt casu quodam; quædam de industria: quædam per manifestam insaniam, si à casu palam est, non per scientiam. Cur enim vocatur cartha hęc materia, in qua scribo, & non panis, neque lupus, nesciunt homines. Verum signa talia posuerunt casu quodam. Nam apud alias nationes aliter res eædem nominantur. Turca panem vocat Ecmec: Iudæus, Lehem: Epirota, Zomi: Græcus, Artos: quæ voces nihil inter se conueniunt. Sed Pan apud Græcos, vocatur totũ vniuersum, & Deus quidam. Quapropter nescimus vtrũ ille cibus, quo vescimur, debet panis appellari, an nomine alio, sed casu quodã, prout primis nominatoribus accidit, tale nomen datum est.

2. Nomina alia de industria sunt, vt lapis, qui dicitur ita, quasi lędens pedẽ, quoniã in ipso offendimus pedem, & triremis lignũ, quo nauigamus, eo quod tres habet remos: & digitus crassus, pollex: quia præpellet cæteris: sed in his vocibus nulla est scientia: quoniã non modo lapis pedẽ lędit, sed etiã ferrũ, gleba, lignũ, & omne durũ. Vocare autẽ aliquid nomine alieno, non est industriosa sapiẽtia, sed delirare: sicut stultus quidã apud Incurabiles vocabat se Regẽ, alter Alexandrũ, alter Monotriadẽ sãctã. Præterea latet in hoc alia ignorantia, quoniã lædo habet primã longã, quã in lapide breuiam*. subito, quasi proprij decreti & sciẽtiæ obliti more delirantiũ. Propterea adhuc quęrendũ est, quomodo potius lædo idẽ valet quod offendo, quã cõmendo, & cerno: & inuenies, quod si ethymologia aliqua sit de industria, tamen principiũ eius est à casu: & sic sũt principia scientiarũ, quę ab artificibus vt patuit, supponũtur. Idẽ patet in nomine Triremi. Nam si quis habet tres remos in domo sua, potest etiã vocari Triremis. Itẽ neq; sẽper tres remos habet hoc instrumẽtum, sed rarissimè, & quasi nunquã, ergo nomẽ accepit ab eo, quod minus est in eo. At si dicatur Triremis, quoniã tres vnum remũ serui mouent: hoc etiã falsũ: nã & 4. & 5. & 6. & 2. & 1. aliquãdo. Pollex quoq; vocari poterat quicquid perpollet in re qualibet, ne dũ in manu. Porrò si in hisce vocibus deliramus, quãto magis in his, quod non est sensus apud nos? Deum vocamus à Thein, quod est ardens, aut videns, aut currens, quod nomen

3. igni potius conuenit, quam omnium Authori.

In quibusdam vero nominibus nulla est apparentia scientiæ, sed stultitia. Vocamus aquam in qua cocta est caro, ius: ius autem lex est iustitiæ. Atque conuenientia quæso, inter legem, & brodium carnis, & oleris? Fœdissima res est pugna, in qua homines mutuo cæde sese mactant: & tamen vocatur *Bellum*, id est pulchrum. Nemus obscurum est, & vocatur lucus à luce. Diabolus rector tenebrarum, lucifer. Vide quã longe à scopo aberramus.

4. Et tandem cum multa suis careant entia nominibus, induimus ea nominibus alienis, sicut furiosus quidam alienas induebatur vestes, sibi methaphoricas. sic æquiuocatio & metaphora corrumpit omnem intelligentiam, idem nomen pluribus attribuendo.

5. E contra verò rei vni plurima damus nomina, quæ possumus distribuere eis, quæ carent. Ensis & gladius & machæra vocatur instrumentum cominus bellandi. Aqua & latex, & lympha, ille fluor, quo potamur; & tamen brodium caret nomine Latino, & vocatur ius, & non potius latex aut gladius. Et quia nomina scientiam humanam pandunt, sunt enim signa earum, quæ sunt in animo notionum, palam fit delirium nostrum. Item in omnibus linguis contingit.

6. In Theologia vero ita aberramus à vera nomenclatura, sicut à rebus magis, quam in cæteris: dicimus enim Deum misereri, stare, videre, brachiũ fortitudinis extendere, esse substantiam, sapere, irasci: quæ dicta, sunt plane blasphemiæ, sed non imputantur nobis, quoniam stulti sumus, & tanquam stultis ignoscitur. Neque enim Deus substat formis, & accidentibus, vt dicatur substantia: neque oculos corporeos habet, quibus conuenit visio: neque linguam, qua loquatur: neque gustũ, quo sapiat, neque brachium quod extendat: sed transferuntur à nobis hæ voces, melius non sapientibus: vnde Catharina Senen. reuersa ab exstasi, dixit, se vidisse arcana Dei, quæ non licet homini loqui: quoniam, inquit, omnis sermo noster de rebus diuinis est blasphemia. quod S. Paulus prius admonuerat: & Dionysius Carthusianus, & alij probauerunt. Plato etiam, qui nomenclaturarum ethymologias rimatur, originales voces nescit à casu eximere. videtur quidem Homerus rectè dixisse, quod fluuius Trojæ apud mortales vocatur Xanthus, apud deos vero Scamander. vbi ostendit, alio modo veraci, & non stulto, res in cælo nominari, quàm in terra: & sancta Brigida dicit, quod mundus vocabatur in sui origine, sapientia Dei: nos autem nomen mundi, id est pulcri, inuenimus, eo delectati, instar furiosorum, qui pulchrum vocant serpentem & stercus, & quicquid eos delectat. Aut ignorantis, scientias Codicis, & laudantis figuras.

7. Nomina ab hominibus imposita, idem pandunt. dictus est ille Cæsar à cæso latere: & ille Orlandus nescio qua causa & Viri fortissimi bello fuerunt. At nunc vocamus Cæsares & Orlandos quoscunque nebulones ignauissimos. Agrippa quis dictus est à pedum ægritudine, & nunc sanissimi pedes vocantur Agrippæ.

8. Si autem consulas Poëtas, qui vocabulorum profitentur sapientiam mirificam, omnia deliriis in inuenies plena. Nam non modo epitheta superflua apponunt dicentes, lac album, sol lucidus, flauus Menelaus, quæ omnis homo scit: sed etiam de industria metaphoras faciunt, & transferunt voces, sicuti in comædia vestes alienas vestiuntur personati. Neq; hoc sufficit, nisi etiã sensus transferant, & faciant fabulas & parabolas, confitentes se stultos esse, & stultis adulari & loqui. De tribus virtutibus fingunt tres mulieres: pro furore canẽ, pro inuidia maciem, &c.

9. Si Astronomos inspicies; & quid non desipiunt in nomen clatura? stellas vocant Canes, Asellos, Præsepium, caput Medusę, Scorpionem, Serpentarium, Arietem. Taurum, & quod fœdius est Antinoum, Palilitium, nomina mutuati vilissimarum rerum. quos è contra imitati Alchimistæ, hidragirium vocant, Mercurium: aurum, Solem; plumbum, Saturnum: & cætera stultissima comperies in eis vocabula, non ex propria rerum natura, sed ex remotissima mutuantes.

10. Galenus pariter in anatomia vocabula assumit ex figuris literarum & aliarum rerum, quasi confitens inscitiam rerũ, quas tractat; & delirium, quo illos tractat.

11. Vidi namque delirantem quendam inspicere stellas, eisque nomina dare, prout in buccam veniebant; sæpeque ex similitudine aliqua. Homines quoque transeuntes vocitabat nouis nominibus. Quod autem faciebat ille solus, & reputabatur stultus quoniam solus erat (si enim omnes idem faceremus, videretur ille sapiens) id facimus oẽs in communi. Vnde Democritus ridebat magis de totius humani generis, quam de vnius hominis stultitiis. Propterea Isaias Propheta ait, quod in sæculi renouatione *non dicetur vltra is, qui insipiens est princeps, neq. stultus vocabitur, maior.* Palã .n. sæpeq; insipientissimus, quia sedet in solio, vocatur rex, cũ tamẽ regis vocabulũ sapientissimo fortissimoq; tantum conueniat, & vocatur Sacerdos, qui animum militis habet crudelis, & impietas vbiq; ferè appellatur iustitia, & religio, vt patet apud nationes; quod non semel cõqueruntur DD. Sancti, & cõtrarias voces eisdẽ dant rebus, quia cõtraria sentiunt: sed quid vltra? Nonne Poëtæ profitentur decipere, & fingere palam nobis vt pueris, & oratores falsa suadere, & quicquid volunt; & tamen hi in Rep. recipiuntur tanquam diui, quoniam stulti sumus, amicique stultitias nutrientium?

12. De nominibus religionum iudicent alij: & hoc tempore conuiuium vocatur pœnitentia: caro, pitantia, dormitio, mentalis oratio: & vt Cato dicit apud Salustium, *Bonarũ rerum vocabula amisimus, quoniam aliena bona largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo nominatur.* Quid ergo dicemus?

13. Tandem non inueni vocabulum, neque propriũ, neque commune, quod rem ipsam significet: sed quandam eius proprietatem extrinsecam, aut remotam, vel potius similitudinem cum aliis. Non ne delirat homo, cum se vocat homo, quasi ab humo, quia de humo factus est? & tamen eius substãtia non est humus, sed caro, os & anima rationalis. Itẽ ex humo fit arbos, rana & anguilla, & alia multa, nec vocantur homo: sic de cæteris obseruaui vocabulis. Immò & grammaticos vocabulorum cõseruatores, aspernari ea, quæ rectè significat, amplecti autem quæ autoritas cõmendat stultorum ore. Non enim dicunt à virtute virtuosum, quia Cicero dicit studiosum: vide Asinitatem? Ergo tandem ad tot tantarumque dubitationum solutionẽ paremus viam, vt cumque poterimus.

PREAMBVLA RESPONSIONVM ad præmissas dubitationes.

Quid sit sapere, & ignorare, & veritas, & falsitas ex concessis communibus, prout præsenti expedit disputationi; & qui dicunt, se nescire, vtrum nesciant, vel sciant sibi ipsis aduersari, qui vero dicunt se scire hoc, quod nihil scitur, rectius sapere.

CAP. II. ART. I.

AD prædictarum difficultatum solutiones & notitiam veritatis scientiarum, parantes viam, asserimus sapientem esse, cui res sapiũt prout sunt: & sapere esse, rem percipere sicuti est. Nã quicunque putant, se aliquid scire, propterea ita putant, quod credunt, se rem, sicuti est, scire. Qui verò putant se nihil scire, propterea ita putant, quod rem nullam, sicuti est, putant se scire. Qui verò hoc vnum scire profitentur, quod nihil sciant, itidem propterea ita profitẽtur, quod putant se hoc assecutos esse, prout est, videlicet, quod nihil sciant. Similiter qui ex parte putant aliquid scire, & ex parte ignorare, quoniam putant partem rei ignorare, vel nõ sicuti est scire; sed aliter; partem vero scire. Ergo quoniã putantes scire, veritatẽ dicunt, se scire: sicuti putantes ignorare veritatem, dicunt, se ignorare: namqui colorem in columbæ collo non verum esse dicunt, putant eos ignorare, qui putant se illum scire, ita esse verumque. Propterea dicimus, veritatem esse rei entitatem sicuti ést: falsitatem vero sicuti non est. ipsa enim entitas intellecta, quatenus intellecta, ac scita, veritas dicitur. Quatenus vero ignorata non dicitur falsitas: sed nescita per insipientiã: at ignorata sicuti est, & scita sicuti nõ est per desipientiam dicitur falsitas. & propterea quidã putant nihil esse verum, vel quia non potest percipi, sicuti est: vel quia non est, sed apparet esse, & fallit nos, veluti somnium, & chimera. Quas ob res qui neque hoc scire profitentur, vtrùm sciant aliquid, vel nesciant, nõ rectè dicunt. Etenim hoc necessario sciunt, hoc se nescire. & licet hoc non sit sapere, quia est per negationem, sicut tenebrarum visio, non est visio, sed priuatio visionis: tamen hoc habet humanus animus, quod scit, se tunc nescire, quatenus percipit se non videre in tenebris, & in silentio non audire. Si enim hoc non perciperet, esset lapis, cui idem fortè sit illuminari & non illuminari, quoad visionem. Propterea cum his, qui negant, se scire quod nesciant, disputari non potest ex concessis, quoniam principium omnis disputationis tollunt. Nam vnde perceperunt, quod nesciunt se nescire, aut scire, nisi ex eo quod res sicuti sunt non posse percipi post longum studium nouerunt? Ergo notũ est illis hoc, & dum hoc negant, positionem negant. Item sciunt quid est veritas, & quid est sapere, alioquin non possent dicere, se veritatem ignorare. Dicere enim est affirmare aliquid. Porrò cum dicunt, se ignorare, vtrum ignorent, vel sciant, & vtrum loquantur hoc, an non, sequenti pharmacho, quando ita dicunt, curandi sunt. Hoc enim oportet prius satagere ad propositum sermonem.

Scientiam esse, ex vocibus & passionibus vehementibus, & operationibus certis, & memoria earundem, & sententiæ mutatione, scepticos fateri oportere.

CAP. III. ART. II.

1. O Sceptici, inquam, quando vos alloquor, quare respondetis? dicunt, nescimus. Sed quare respondetis, nescimus, ad vocantem, non autem ad silentem? ergo percipitis vocẽ vocantis, & interrogantis. Dicunt nescimus, an percipiamus; sed ita videtur, & nescimus vtrum nos interroges. Tunc, inquam, profectò palam est, quod vos interrogem; neque enim respondetis non interroganti; &, quod videtur, est. Præterea 2. quare comeditis, & itis in domum vestram, declinantes alienam, & disputatis? Respondent forsan, se nescire vtrum comedant, eant in domum, & disputent: sed ita videri. Aio: cur ita videtur & non aliter? Respondent, neque hoc scimus. Interrogo: videntur ne vobis edere nec ne? profectò non audebunt negare: non enim possum dicere, quod non edam, & quod nihil faciam, neque verè, neque ap-

parenter, alioquin non mouerentur ad has operationes, neque responderent interroganti, nisi verè, vel apparenter, sese vocari perciperent. Quod si fatentur ita apparere, iam concessum est, quod sciant ita apparere: si vero dicent se nescire vtrum appareat, an verum sit, quod faciunt; tunc palam fatentur se facere ac scire, se facere verè, vel apparenter: sed dicunt nescimus, vtrum hoc respondere sit respondere, an fodere, an currere: cur enim magis 3. dicitur respondere quam aliter? & cur hoc sit scribere, & non psallere? & cur hæc sit penna & non tabula? quibus inquam, vos conceditis aliquid esse iam respondere: sed dubitatis quid sit. Nam de impositione vocabuli declarantis entitatem rei contenditis; ergo conceditis aliquid vos scire, videlicet quod sit, vel appareat, sed quid sit ignorare; & 4. vtrum scribere sit saltare. Verum hoc facilè curatur, nam licet hæc vox data sit huic actioni perperam; tamen probè scitis hanc esse actionem, cui datum est nomen, scribere; siue verè, siue falsè. Neque ego quæso nunc vnde, sed ad quid impositum est nomen.

Si dicitis, hoc nomen scribere, significare plura. Nos, inquam dabimus illis pluribus suum cuilibet nomen, & tunc scitis illud nomen significare hanc actionem, & istud aliam. si dicitis significare infinita, non potest vobiscum disputari, nisi deueniatur ad hoc vt dicatis significare hanc solam actionem ex impositione nostræ nationis. Quod si hoc conceditis palam est, quod aliquid scitis, quod si hoc rursus ignoratis, faciam vt sciatis. Ecce verbero 5. Scepticum, tunc dico; sentis dolorem necne? si dicit: non sentio, ego verberabo donec fateatur se sentire. tunc si fatetur, se sentire: ergo, inquam scis, te dolere. si dicit apparenter, se dolere, & non verè: ego iterum verberabo, donec dicat, verè verè: ergo addam, aliquid verè scis. Et profectò non per ludum ita facio: sed quoniam puto, sentire esse sapere, vt mox declarabo, & tu dicis, te nihil sapere; & quia sentire est pati à re sensibili, vel ex passione: & passiones ordinariæ tibi non videntur sentiri, addo passionem validam, quam non possis negare. Qui enim non sentit exilem aëris motum, sentit grandem venti motum. Ergo iam Scepticus noster sentit, & sicuti est, nam dolorem sentit; sed ait nescio, vtrum iste sit dolor, & ita vocandus, neque quod sit res dolorifica. Tunc aio, scis saltem, illam esse passionem, cui imposuimus nomen, dolor. Hoc si negas rursus experire. si affirmas, iam sapis aliquid. Rem autem dolorificam quid sit, nescis, sed ego baculo percutiam te, & cogam fateri, te baculo verberatum; & accusabis me apud iudicem, quod te baculo, non autem stuppa, verberarim. Maximè, scis ergo id vocari baculum; sed cur & quomodo, & num rectè, dubitas; & quid sit. At ego faciam, vt dicas esse longum & durum, & intentatum, & agitatum manu mea. Item recisum ex arbore, & frangibile esse, ex quibus te conducam ad noscendum quid sit, & si non perfectè. similiter ab igne combustus, fugis, & vocas auxiliū, & dicis quia noscis te comburi & calefieri: & naturā ignis esse huiusmodi vt vrat & calefaciat & dissoluat: quantum enim sentitur de eius esse tantundem de essentia.

6. Præterea non subitò homo deuenit ad hanc sententiam, vt putet se nihil scire: ipsi enim Sceptici antequam philosophari cæpissent, existimabant, se scire, saltem per sensum: nam & ambulare & manducare, & loqui se putabant; & similiter lucem extare, ac tenebras, & in luce operandum, non in tenebris: neque enim in tenebris scribunt, aut micant, aut suunt sceptici, sed ad lucem solis, vel lucernæ: & cum passi essent ab igne, & à frigore, & à spinis, se infrigidatos, calefactos, & spinatos dixerunt; quoniam senserunt, & contra frigus medicinam calidam, non frigidam, quæsiuerunt; sentire autem & quærere medicinam vtilem, scientia est & ars. Nunc autem vbi philosophati sunt negant ipsi non quidem ex animo, sed vel ex proteruia, vt videantur aliquid mirè dicere, quod cæteri non dicunt: vel quia didicerunt non esse humanam scientiam perfectam, sed confusam, instabilem, & ex parte, & adulteratam. Quapropter hoc saltem se per philosophiam inuenisse & sciuisse, iam coguntur fateri. Nam quomodo prius dicebant, se videre lucem, & pati dolorem & æstum, nisi sentirent? profectò & nunc meminerunt præteritarum passionum. Idcirco enim manducant, esurientes, panem, & non lapidem; quia meminerunt, panem esse cibum illis, consuetum & conuenientem: lapidem verò minimè. Item emunt calceos à caligario, & anulum ab aurifice, & non à coquinario. Præterea Medicum vocant ad infirmos curandos, non autem piscatorem, & parent dicto Medici, & non piscatoris; ergo fatentur factis, se scire, non modo hoc, quod faciunt; sed insuper quod sit in mundo humana scientia medicina, & aurificina, & piscatoria, & coquinaria, &c.

Quapropter cum dicunt, se nescire, negant perfectionem scientiæ, & modum & propter quid, non autem esse scientiam & artem & sensum. 8.

Tandem quod verè aliquid sciatur, hinc patet, quoniam quando aliquis scit phantasticè, solus fallitur; & quod dicit non apparet itidem aliis, sicut ipsis; vt febriens ex parua linea in pariete videt quasi serpentem, quem tamen cæteri non vident: & furentibus multa videntur & affirmantur, quæ sobriis negantur. At nunc ego scio, me scribere, vel illam actionem agere, quam vocamus scribere, & quicunque sciunt quid vocamus scribere, videntes me nunc, dicunt me scribere. Neque falli contingit omnes: nam postquam scripsero legunt scripturam hanc viri multi, & dicunt esse scripturam, & legunt eodem modo; ergo non apparenter ego scripsi, sed verè quandoquidem omnes consentiunt & sentiunt, quæ dico in hac charta, consimiliter. Ergo verè ego scribo: ergo datur veritas, & scientia aliqua, saltem quia res est, & si non quid est. & quam omnis homo fatetur.

EXTARE VNIVERSALISSIMA CERTISSIMAQVE *in quibus non contingit falli, ex quibus ad scientias formandas procedimus. Item in quibus falli possumus: & cur de anima cognoscente, & de modo cognoscendi prius dicere oporteat.*

CAP. III. ART. III.

CVRATIS ex parte his, qui se nihil scire profitentur, mox curandis ex toto, ac simul illis qui omnia scire profitentur, & qui omnia esse sicut apparet: sternenda est via ex certissimis & notissimis nobis, & naturæ, infallibilibusque. Hæc autem sunt vniuersalissima vt Ens, Entisque Primalitates, Potentia, Sapientia, & Amor vnicuique propriæ, quæ nec ignorari, nec per deceptionem incerta fieri posse, ex iam dictis notum est, idque etiam contra Academicos conuincit Augustinus in xi. de ciuit. Dei, cap. 24. 25. 26. vbi *certissima esse*, inquit, *hæc tria nobis*, videlicet, *nos Esse, Scire, & Velle. Nam*, inquit, *nos esse nouimus absque dubio & falsitate, ac nostrum esse diligimus: ac nosse: & in his tribus nulla nos falsitas verisimilis turbat, si quidē circa illa obiecta erramus, quorum notitiam habemus ex illorum speciebus, aut motibus illatis ab ipsis: qui cum similes sint aliis, possunt nos decipere, vt vnum pro alio accipiamus, vel quia non totaliter repræsentant. At nostri Esse, nostrique Scire, nostrique Velle, nulla est species aut motio fantastica, sed præsentia perennis. Itaque circa hæc falli non possumus.* Quamuis autem negent Peripatetici animam seipsam noscere directè, sed reflexè tantum, infra confutabuntur. Pro nunc sufficit D. Thomas August. adhærens, quod noscit se notitia præsentialitatis, non autem obiectiua, nisi reflexè. Inquit ergo August. *Mihi certissimum est quod ego sum. Quod si asseris, habeo hanc certitudinem. si negas; & dicis me falli? plane confiteris quod ego sum: non enim possum falli si non sum. Nihil enim nec verè scit, nec fallitur. Item, ergo quod noui me esse, non fallor.* Item, *nosco me nosse, nec fallor. Sicut. n. noui me esse, ita noui me nosse esse: & ista duo,* scilicet, *me Esse & me Nosse diligo, amoque: ergo addo tertium,* scilicet *Amorem ipsi Esse & Notitiæ. Neque potest quis dicere me falli, cum dico me amare, esse, & nosse, cum in his quæ amo probatum sit quod ego non fallor, videlicet in Esse, & Nosse: quanquam & si illa falsa essent, falsā me amare verum esset: nam quo pacto reprehenderer & prohiberer ab amore falsorum, si illa me amare falsum esset? Verum ergo est quod illa amem & infallibile. Nam siue sint falsa, siue sint vera, verus est amor. Nemo non vult se beatum esse: ergo nemo non vult esse, ergo certissimus est amor iste sicut Esse, & Nosse.* At quoniam Augustin. Ambrosium sectatur in hoc dogmate, qui declarat Monotriadem æternam per *Posse, Scire, & Amare*; & in æternis idem est Esse & Posse. Propterea si certissimum est nos esse, certissimum est me posse esse. Quod si fallor, ergo certissimum est me posse falli, & non falli, ergo æquè certum est posse sicut esse. Eadem probatio currit in cæteris entibus, siue enim sint siue videantur necesse est vt sint, & si non necessariò certum quod ita sint

Quapropter notiones communes habemus, quibus facile assentimus alias ab intus innata ex facultate, alias deforis per vniuersalem consensum omnium entium, aut hominum; & hæc sunt certissima principia scientiarum. Et quæ ab his necessariò deriuantur sunt in secundo gradu certitudinis, ergo nos esse, & posse scire, & velle, est certissimum principium primum: deinde secundario, nos esse aliquid & non omnia: & Posse, Scire, Velle, aliquid & non omnia vel omnino. Cum autem ad particularia, & ad quædam deuenitur, ex notitia præsentialitatis ad notitiam obiectiuam, incipit incertitudo: propterea quod anima alienatur à sui notitia per obiecta: & obiecta non se pandunt totaliter, nec distinctè: sed ex parte & confusè.

Porrò nos possumus, scimus, & volumus alia, quia possumus, scimus, & volumus nosipsos: si quidem possum leuare pondus quinquaginta sestertiorum, quia possum eleuare me ponderatum illis; & sentio calorem quia sentio me calefactum, & amo lucem quia amo me illuminatum; & cibum quia me cibatum: nec vnquam ens vllum Potest, aut Scit, aut Vult aliquid, nisi quia seipsum illo aliquo affectum. Ea autem, à quibus non contingit nos affici, impossibile est Posse, aut Scire, aut Velle. confusio notitiæ innatæ & illatæ deceptionem parat. Ad hæc autem pernoscenda sequens sermo de scientia, de sciente, & modo sciendi attexitur, vnde primas deinde dubitationes dissoluamus.

(.·.) (.·.)

DE SENSV, ET ANIMA ſentiente.

Senſum fieri per paſſionem, & aſſimilationem rei ſenſibilis agentis in ipſum, & non modo perfectiuam, vt Ariſt. putat, ſed etiam corruptiuam.

CAP. IV. ART. I.

QVONIAM omne ſentiens, prius recipit ſenſibile ac ſubinde ſentit ſenſibile,& mox afficitur amore, vel odio illius: conſtitui ipſum oportet ex poteſtatiuo recipiente,ex cognoſcitiuo iudicãte, & ex appetitiuo amãte,odienteque: igitur videtur ex principio ſentire eſſe quoddam pati. Tunc profectò ſentio calorem cum calefio, & frigus cum frigeſco; & lucem cum illuminatur oculus; & ſpinam, cum ſpinatur caro; & ſaporem vini,cum lingua illo fit ſapiens;& odorem, cum in naſo ſubit vapor; & ſonum cum motus aëris multus peruenit ad aures, & ſonat in eis. Ergo ſentire eſt pati. Nulla enim res ſentitur, quæ non poſſit agere in ſentientem vim. Ea enim, quæ ſunt in America nos Itali non ſentimus, quoniam in nos non agunt; ſed maximè ſentimus, quæ maximè in nos agunt, vt frigus maximum,& calorem potentiſſimum. Senſus ergo videtur eſſe paſſio, per quam ſcimus quid eſt quod agit in nos, quoniã ſimilem ſibi entitatem in nobis facit. & Ariſtot. id concedit: probatq; in principio, eſſe diuerſũ ſenſibile à ſentiente; in fine verò fieri idem,& tunc ſentiri, veluti lignum primo eſt igni contrarium, cum verò ignitum eſt, eſt illi vnum: idcirco ignit, calefacitque: ſic anima facta res ſenſibiles ſentit. At in hoc diſcrepat à nobis Ariſt. quod putat ſenſum eſſe *Ariſt.* paſſionem perfectiuam ſemper, & non corruptiuam: idque probat, quoniam potentia ſenſitiua non perdit aliquid dum ſentit, ſed accreſcit: fit enim ipſum ſenſibile, paſſio autem, quæ eſt alteratio, cauſat perditionem aliquam. Præterea ſenſus poſt ſenſationem hilaris remanet, & gaudens quaſi ſui perfectione, quoniam factus eſt actu id quod erat potẽtia, potẽtia autẽ omnis ab actu perficitur.

Confut. Sed hæ rationes nullæ ſunt: ſenſus enim omnis eſt dolor, aut voluptas; ergo cum dolor ſit corruptiuus, & voluptas conſeruatiua, ſenſus eſt vtraque paſſio vel iudicium de vtraque paſſione.

Sed dicunt, non pati ſenſum ratione ſui, ſed organi ſenſorij, & carnis. At falluntur, quoniam dolor eſt ſenſus, vel affectus, ſequens ſenſum mali deſtruentis, & non ſentitur in eorum philoſophia à corpore, quod deſtruitur, non enim omnia ſentiunt illis entia, vti nobis, nam quomodo ſentiant in 2. p. declaratur. Quapropter neque arbor, neque lapis dolorem ſentiunt in Ariſt. dogmate, dum franguntur: ergo neque corpus, niſi in quantum ſenſus eſt in eo, dolet: & quia ipſemet ſẽſus deſtruitur,& dolorem ſentit,& non organum per ſe: ergo eſt paſſio realiter corruptiua ſentientis naturæ. Item calor moderatus afficit tactum voluptate, immoderatus dolore, quoniam ille ſimilis eſt tactui, iſte vero diſſimilis excedenſquè valde. Simile autem à ſimili augetur, à diſſimili deſtruitur, & vertitur in aliud: ergo nõ facit facultatis actuatio perfectionem, niſi ſit immutatiua ad melius, accretioque non extra gradum entitatis patientis. tantus enim ſenſus à tãto ſenſibili augetur, quoniã extra gradum ſuum nõ enormiter trahitur. ſic modicus ſolis calor vernalis arbores perficit, immodicus æſtiuus deſtruit. Nec propterea nõ erit paſſio eiuſdem generis illa & iſta.

Ad 1. Ad primã rationem Ariſtotelis reſpõdetur: quod accretio non inducit paſſionem extra genus. Lux enim tincta à vapore accreſcitur rubedine,& herba à ſole calefacta, augetur in caliditate, neque propterea eſt paſſio perfectiua alterius generis à corruptiua. Præterea, vt videbimus infrà, facultas ſentiens perdit aliquid ſui gradus, quoniã in ſui ignorantiam cadit ex additione rerum ſenſilium, in quas mutatur,& propterea has ſentit,& ſeipſam nõ ſentit manifeſtè, vt poſtea declarabimus. Neque quia lignum fit ignis, non perdit eſſe lignum: neque quia modicum caleſcit nõ perdit gradum ſuum, vel tantillum ex parte. ſed hoc latet, quia modica eſt perditio. *Ad 2.* Ad ſecundum dicitur, quod gaudiũ eſt ſcire etiam dolorifica, non quia ſit aliud paſſionis genus; ſed quia ex his, quę ſcimus diſcimus, noxia & vtilia: hæc vt ſequamur, illa, vt declinemus: lætitia ergo eſt per accidens, non ratione paſſionis, ſed conſeruationis, quam ex illa paſſione venamur; ſicut placet vapulaſſe à magiſtro, non quia vapulatio eſt, ſed quia diſcimus per eam.

In hoc ergo fundatur ſcientia, quia ſimile ſibi facit omne agens. & cognoſcimus illud quid ſit, quoniam ſimiles illi efficimur, vel ex parte, vt patebit: ſi autem ſimile non facit ſimile, nihil ſcimus. Vtrum autem paſſio ſit cauſaliter, vel eſſentialiter ipſa ſenſatio, dolor vero affectio ab eo ſubſequens, alter nos manebit ſermo. Platonici vero ſenſũ fieri per ſympathiam contendunt: in anima enim omnium rerũ ponunt ſimilitudines, quæ à rebus obiectis excitatæ, ipſarum ſcientiam excitant, renouantur. Quantum hoc valeat in Phyſ. quæſt. declaratum eſt, & in ſequentibus amplius notum fiet. Putamus enim, obiecta ſciendi occaſionem præbere, nõ ſcientiam: Poteſtatiuũ ſuſcipere ex parte motionem obiecti, cognoſcitiuum ex illa paſſione iudicarè quid ſit obiectum occaſionaliter, ex ſe ipſo vero cauſaliter. Appetitiuum affici iuxta iudicium cognoſcitiui, & paſſionem poteſtatiui, benè vel malè; & tamen ex tribus iam dictis primalitatibus eſſentiari animam, vt in 2. parte declarabitur.

OMNEM SENSVM ESSE TACTVM realem causaliter, & fieri per paßionem realem, & non intentionalem, vt Peripatetici opinantur, & varios tactus pro varietate organorum.

CAP. IV. ART. II.

QVONIAM quando patimur, siue pefectiuè, siue corruptiuè, realiter patimur; nam realiter aguntin nos obiecta, alioquin non realiter pateremur, neque realiter sentiremus. Item nō modo res actiuæ sentirentur, sed etiam passiuæ, & quæ non communicant nobiscum in materia, sicut Angeli & spatium & materia ipsa. cum autem actiuæ solùm sentiantur, & quæ robustius agunt, magis: consequens est vt sensus passio realis sit: quod Arist. in tactu, & in auditu fatetur. At in omnibus fateri cogitur; ipse enim ait, fieri per assimilationem agentis, patientisque, & propterea organa sensus innata, & res similes non sentiri, quoniam non patimur à simili, sed à contrariis. Verum Aristotelici parum sibi constantes, non esse realem passionem & immutationem sensus, asserunt, sed intentionalem dicunt alij: alij verò spiritualem. Si enim, inquiunt, realis, naturalisque immutatio fieret, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur. Præterea manifestū est in visione: color enim lapidis non recipitur in oculo, sed species lapidis, nec Petrus, sed imago Petri in pupilla inspicitur. Præterea colores in oculo recepti, non immutant oculum; non enim remanet albus, vel niger ex hoc, quòd sentit album, nigrumque colorem. ergo sine alteratione sentit intentionaliter. Præterea ipse aër per quem transeunt colores, non coloratur; si autem naturalis esset alteratio, coloraretur: & quidem eadem res ab innumeris spectatur hominibus, & radij visuales eorum sese intersecant, & tamen res visibilis non impeditur in diagonia; quod euenire oporteret, si species reales inter sese resecarent. vnde quidam concludunt species huiusmodi esse indiuisibiles & Aphrodiseus in secundo de anim. cap. 38. negat esse passionem realem & species reales, sed immò esse docet habitudines relatiuas, vt sicuti columna fit mihi dextra & sinistra ita color fit in oculo, & speculo per præsentiam sensibilium.

Arist. rationes probantes immutationē sensus non realem, sed intētionalem.

1. 2. 3. 4.

Aphrod. docet esse habitudines relatiuas.

Sed profectò errant valde: Arist. enim in toto cap. 1. num. 4. lib. 2. de anim. sensum passionem esse realem, & per alterationem fieri plurimis docet exemplis. Ipse quoque Aphrodis. in primo de ani. cap. de anim. sensibus, sic definit sensum. *Est* (dicens) *potestas animæ, per quam id, quod ipsam habet, suscipiendis sensilibus simile factum, quadam actione intercedente, atque adhibita actione eadem sensilia & iudicare, & discernere potest.* Et mox declarat sentire esse per similitudinem quæ fit per alterationem. & quo pacto in principio sensus agenti obiecto est dissimilis, & per alterationem fit similis. Et in sequenti capite docet, oculum realiter recipere colorem, & fieri illi similem, & ideò proprium non habere colorem, aut habere talem, vt mox videre posit. Et in sequentibus declarat, auditum fieri per tactum realem: dicens, *Inuelutus, &* (vt Arist. placet) *inædificatus aër auribus mouetur ab eo aëre, qui extrinsecus incutitur, & intrinsecus quodammodo à percußione formatur. Igitur aer non diffusus, difflatusuè permanet ob id, quod vndequaque coercetur. Ea de causa formulas sese mouentis exterioris aeris excipiens eas ad primam vsque ad sensilem vim per externos quosdam meatus admittit: ibidemque animæ sensili causa est vt sonos vna recipere & dignoscere posit.*

Doctrina cōtra præfatos.

Similiter tractans de odoratu, ait. *Odorum est quod eam anima potestatem habet, quæ facta odorem odorabilem immutatione ac similitudine odorem excipere ac iudicare, natum est.* De gustu verò & tactu ipsi omnes docent idipsum; neque enim nisi calefiat manus, sentit calorem; neque lingua dulcedinem, nisi dulce fiat. Quapropter cum palam sit, ipseque Aristot. & sequaces omnes fateantur tactum per naturalem fieri immutationem, nullo pacto alij sensus per intentionalem fiendi erunt. Omnis enim sensus tactus est. Etenim nisi sensile sensum tangat, non fit sensatio; & hoc dico de sensile per se, non per accidens: sunt quidem sensus organa graciliora, quæ tactum ita exquisitum habent, vt alterius generis videantur, cum tamen sint vnius. Palam enim quòd gustus, vel ipsorum testimonio, fit tactus intrinsecus magis; qui & vires latentes rei tangibilis, non modo vigentes, vt communis tactus percipit. Omne enim tenue graciléque patitur, magis quàm crassum, & omne penetrans agit magis quam adhærens. Quia ergo alia sensoria sunt graciliora & admittunt interius obiecta, idcircò videntur sentire aliter: Ecce quidem mentula tactum veneris habet, quam manus non habet: manus verò pulsationem febrilem sentit, quam pes non sentit. Pes spinam percipit, quam vnguis non percipit.

Item lingua percipit saporem, qui latens calor natiuus cum rei substantia est agens, quem non percipit mentula. Nares verò admittunt tenuitatem, exhalantem ad sentientem animum, quam lingua non admittit. Aures rerum motiones per aërem delatas in aëreo excipiunt tympano, quas nares nequaquam excipiunt. Oculus tandem non modo tactiones habet has, sed lucis tactum per suam transpicuitatem, se infundentis, admittit. Et quia lux tincta insilit coloribus rerum, & per consequens magnitudinibus coloratis, idcircò rerum percipit co-

lores, & figuras & quantitates. Quapropter ad pauca respiciunt, qui intentionalitates afferũt, excludendo realitates. Non enim modò reale est, quod crassum est, sed & quod tenue. Neque quod robustum est modo, vt calor multus, sed & quod exile, vt languẽs, qui est sapor. Ipse quoque Auerr. (vt in Phys. quæst. ostendimus) aliam nullam inter reale & intentionale inuenit differentiam, nisi vigentis & languidi, & permanentis in subiecto, & non permanentis, quia non fortiter recipitur, & seruatur in subiecto. Porrò insuper, inquam, cum species intentionales in sensibus recipi dicunt, se ipsos seducunt. Aut enim sunt intentionales, quia sola intentione nostra considerantur, & hoc stultum est: nam nos & bruta sentimus absque intentione Peripatetica: vel quia sunt reales, sed exiliter, & non constantes, vt color iridis, & hoc nos dicimus: at non semper, nam aliqua obiecta fortia imprimunt se ita sensibus, vt expelli vix queant. Siquidem calor potens tactum afficit, remanetque in eo realiter: similiter lux multa oculos afficit, vt discedente luminoso, adhuc oculi luce affecti perseuerant, vt etiam albumen niuis. Quod Aphrodis. & Arist. confitentur. De gustu idem nouimus, deque sonis magnis in auditu remanentibus, & de fœtoribus in naso. Verum quoniam non manent quantum opus est, vt immutent organum in sui naturam, vel nõ adeò robusta sunt obiecta (hæc enim declinamus) propterea videntur non realiter recipi. Sic calor exilis aquam non immutat in vaporem sicut fortis: nec propterea ille exilis dicitur intentionalis.

Sed hoc mirabile est, quod inuenerunt speciem soni, & saporis, & caloris, qui nullam habent speciem præter se ipsas: decepti à formis, quæ in oculo recipiuntur, vnde putant omnia obiecta formas esse; quod mox reprobabimus.

Soluuntur rationes contrariorum. *Ad 1.*

Nunc ad argumenta respõdentes, dicimus ad primum, quòd non propterea erit immutatio intentionalis, & non realis, quia realiter alterata nõ sentiunt: non enim sensus est ipsa passio nobis, sicut Peripateticis, sed perceptio passionis, immò actus est iudicantis de passione percepta. At Aristoteli est assimilatio sentientis cum sensibili: propterea si necesse est fieri per alterationem realem, quoniam realiter patitur sensus, ac realiter sentit, sicut lignum cum ignitur, ignit. In nostra quoque Philosophia omnis passio est simul quodam modo sensatio, vel quodam modo sentiendi causa, quoniam res omnes contrariæ seipsas mutuò ad necem persequuntur, & fugiunt, & expellunt. ergo & contrarium quodammodo sentiunt, & simile. Proptereaque necesse est quodammodo sensum eis inesse. Alioquin si non quodam modo sentirent contrarietatem & amicitiam, non se mutuo insectarentur, neque auersarentur, nec proinde fieret actio, quomodo nec generatio & corruptio, & omnia versarentur in chaos, propria loca & cognita corpora non petendo, neque aliena fugiendo; & ibi manerent, vbi primò posita essent; quod in commentariis de sensu rerum luculenter docuimus, & in secunda parte huius operis declarabimus: Nec Angelorum impulsu, sed natura sui sensitiua contraria sic operari. At neque si non fieret in omni passione sensus, probent Aristotelici, passionem non esse realem; cum euidens sit, quæ in nos magis agunt realiter, sentiri magis: quæ minus, minus, quæ nihil, nihil.

At cum volunt sensibile positum supra sensum non sentiri, ideoque non esse realem actionem, quoniam sentiretur magis, quò agens patienti applicaret magis: Nego assumptum. immò contrarium illis solummodo est verum. Neque enim odor, neque sapor, neque sonus, neque calor, nisi intrinsecus recipiantur sentiuntur. Cùm verò à longè in nos agunt, ab aëre deferũtur, si aërem afficere potentes sunt. Palam enim ignis calefacit nos, non tactu modo immediatè, sed per intermedium quoque aërem, calorem effundendo: magis tamen, cum sine medio tangitur.

Sed quidem visus decepit eos, propterea quod colorem non videmus oculo superpositum; & ratio deceptionis est, quia putant colorem, & colorata, obiectum visus esse, quod tamen non est. obiectum enim est, quod per se agit in potentiam, & per ipsum alia, & ipsum non per aliud. Cum ergo lux per se visibilis sit, & omnia videri faciat, & ipsa ab aliis non fiat visibilis. palam, quia obiectum est verum, primum, vniuersaleque visus. Quando igitur hanc aspicio chartam, oportet hanc distare ab oculo, vt possit ex ea lux in oculum resilire; nam lux tincta charteo colore insilit in oculum, mouetque spiritum ad coloris notionem, & per consequens & colorati. Si autem chartam oculis superponas, lux non potest in chartam insilire, & resilire intermedia; idcirco non videtur. At ipsa lux oculis superposita magis videtur, quam remota, licet ob sui robur oculum destruat: sicut & ignis magis sentitur, dum tangitur immediatè, quam per aërem; licet destruat suo robore tactionis organum, & vitrum & aqua natantis oculũ tangentes, quoniam transpicua sunt, & lucem intermediare non impediunt, benè videntur. Ergo obiectum proprium, nisi tangat non sentitur. Color ergo non solum oportet resilire à colorato, sed ingredi oculum, vti patet. Nam in pupilla cernitur color Petri & simul figura colorata, sed non nisi per lucem intrantem delata: sic in speculo non recipitur imago, nisi in tanta distantia quanta opus est, vt lux imagine tangatur, & ab imaginato resiliunt, & in speculo sic tincta recipiatur, vnde ad nostrum oculum, vt ad secundum speculum reflectitur. Patet autem quod lux, speculo proxima, plus splendet in eo, quam remota; ac proinde si speculum videndi sensu polleret, diceret, sensile approximatum sentiri magis. & qui per Telescopium sydera aspiciunt vitrum corneæ tunicæ superponendo, sententiam Peripateticorum vanam ostendunt. De sonis vero, & saporibus id ipsum est manifestum, quoniam obiecta sunt per se propria dictorum sensuum.

Ad 2.

Ad secundum, cum aiunt, non esse colorem Petri, neque Petrum in oculo, concedimus: at non sequitur, ergo non mouetur visus realiter suo ab obiecto. Nam Petrus non est obiectum visus, neque color, sed lux. Lux autem realiter intrat oculos: color ergo videtur per lucem ipso fœdatam, & figura per colorem: & Petrus per vtrumque syllogismo quodam sensuali. Dicimus ergo ab his, quæ obiecta propria non sunt, moueri sensum realiter, sed per accidens: ideoq; non ipsa, sed aliud, cui mixta sunt, sentiri. Id autem palam realiter mouet.

Ad 3.

Ad tertium negamus, propterea quod colores non remanent in oculo & in aëre, immutationem non esse realem. Nam neque vox, quæ realis per-

cussio est, remanet: neque lux abeunte luminoso: neque imago in speculo abeunte eo, cuius est imago; & nihilominus realiter recipitur vox in aëre, & lux & figura in speculo: & realiter videtur. Quod ipse Aphrodisiensis fatetur, & diuus Thomas ex eo, quòd realiter lux calefacit, & alterat aërem: licet Egidius, & Scotus inficiantur: sed inaniter probant ex hoc, quod recipitur in oculo, suam negationem. ex quo nimirum contrarium elicere debuissent, nisi ex Aristotelis verbis, proprio negato sensu, philosopharētur. Dicimus ergo in oculo & aëre colores recipi non per se, sed per lucem, illis tinctam; quod Aphrodisius ipse exinde animaduertit, quòd lux ex herbis exiliens, aërem, & aduersum parietem herbaceum facit, & ex purpura purpureum, & ex albore nimio aërem albidum, obiectaque corpora. Nec quia non remanent colores isti, reales non sint. Nam propterea non remanent, quod tanti vigoris non sunt, vt aërem queant per se immutare, sed per lucem. Lux autem in transpicuo tanquam in simili facilè recipitur, vt in secundo libr. patebit. Non autem perseuerat, quoniam ipsum non immutat: neque enim potest ipsum vrere in ignemque lucidum vertere, cùm attenuatus iam sit; vstio vero sit attenuatio. Item aër tenuis est, & lucem continere non potest multam. at nec transpicuum vllum nisi ipsa conglobetur & remaneat, vt in stellis, vel in densitate ignita, sicut in carbone & ferro. In aëre autem conglobari nequit, quoniam ad suum cognatum reuertitur globum semper, à quo dependet. Ergo nec potest color in aëre permanere, si lux ipsam deferens abit. Patet hoc in iride, vbi lux fædata à vapore, coloratur; vapore autem dissoluto euanescit color, quoniam lux abit, aut non fædatur; aër enim illis similis est, nec ipsam fædat: vel si fædat, nobis fædatio occulta est, hoc modo videndi præditis, assuefactisque, non autem Antiferonti. sic etiam neque propterea quod calor solis in aqua, vel exilis ignis, non permanet, dicendus est intentionalis, sed non robustus, adeò vt possit stabiliter immutare: vel subiectum non esse coloris permanentis receptiuum. Non enim color agit ipse in aërem, sed lux colorata; sic & in oculum, in quo non remanet; ergo, luce abeunte, nisi exiliter. si enim penitus immutat, destruit; id quod facit, perseuerās albor niuis, & solis lux. at palam abeuntibus coloribus viuidis, remanet in oculo ipsorum exilis color; & ego inspiciens purpuram aliquantulum, cum mox aspicio parietem, non purpureum ipsum video, sed croceum: omnesque res obiectas similiter. Etenim purpureus color exiliter impressus in crystallino, croceus est; & quicquid videtur, deinde croceum apparet, quoniam lux ab eis resiliens in purpureum redditum ingrediens oculum, diluit illum, ac mistione fit crocea apparentia delati vultus à luce. Item motus venti, & vox in aëre recepta, non permanet, & tamen realiter insunt.

Quod autem aiunt ex eo, quòd colores in aëre, non se mutuo impediunt, intentionales esse iudicandos, aut indiuisibiles, falsum est; nam lucis ignorant naturam: quæ nimirum in quos insilit angulos resilit, & vsquequaque, & vndequaque multiplicantur, & in quolibet aëris atomo angulos facit, & pyramides innumeras, & se mutuo intersecant, suam propter incorporeitatem; vnde plures candelæ vmbras plures eiusdem styli iaciunt, & per plura foramina opposita exerunt radios. Quoniam ergo non colores, sed lux fædata ab eis resilit, non se impediunt luces cum eiusdem sint naturæ. Alij quoque sunt radij & pyramides, in oculum meum subeuntes, & in tuum, & in aliorum spectantium; & de his in Physiolog. quæst.

Ad 4. Quod autem non indiuisibiles nec intentionales sint, color niuis ostendit, qui oculos, sua actione rarefaciendo, obcæcat, & albor & herbaceus color, & vmbrosus, qui in aere spectantur, & in aduersis corporibus ad præsentiam albissimarum rerum, & herbarum, & nigrarum. Item in speculo recipitur imago, & color diuisibiliter sparsim in partes.

Ad Aphod. dictum. Ad quartum Aphrod. dictum facilè patet ex his responsio, & quoniam sibi ipsi aduersatur, & naturæ, & Aristoteli suo, dum relationem docet esse sensationem absque passione. Quis vnquam vidit solam approximationem, vel præsentiam sufficere ad sentiendum? Columna fit dextra mihi, me mutato; sed oculus non videt, nisi ipse mutetur. Præsentia visibilis, nisi per lineam rectam visionem non facit; neque si sit visibile proximum, veluti propria auricula: neque si remotum vt quæ retrò sunt, ergo requiritur rectitudo, vt illa intret in oculum; quæ ab obiecto resilit, quæ autem ex auribus resilit, extrorsum porrigitur. Quoniam autem & lux eius testimonio actiua est, idcirco absque passione non fit visio. manifestè quoque oculus alteratur, & sensus omnis, licet speculum alterari non videatur, quoniam non ita immutatur, vt apparens sit immutatus, sed nisi lux recta insiliat, imago non apparet. Item si præsens sit odor, ita vt in fronte super naribus sit, non fit odoratio. At si ponatur in terra, fit; quoniam tenuitas est odor, quæ ascendens subit nares. ex frōte autem non descendit, cum suæ naturæ sit ascendere, ergo nec intrat nares; ergo non sola præsentia facit sensationem, sed actio & passio post requisitam applicationem. Omnis ergo sensus est tactus, & fit per passionem fortem, aut debilem, per se, vel per accidens: actio autem & passio non fiunt nisi tangēdo per Arist. primo de gener. Tanguntur autem quorum extrema sunt simul.

ANIMAM SENTIENTEM NON ESSE *incorpoream, sed vel corpus, vel formam corporis. & cum forma esse nequeat, esse tenuissimum corpus habitans in crasso ad operationes vitales concinnato, sicut nauta in naui.*

CAP. IIII. ART. III.

QVONIAM ostensum est, animam sensitiuam reali passione affici dum sentit, necesse est ipsam esse corpoream, neque enim passionibus corporalibus afficeretur, nisi esset corpus, vel corporis habitus formatus. Propterea quæremus, vtrum sicut in mundo datur materia corporum, ita detur aliqua materia animorum, vel sit passio & facultas corporis, vt calor & humor.

Quoniam vero corpus animalis difforme est, constans ex partibus diuersis, temperamento, colore, dispositione, operatione & vsu; instrumentisque variis, & ossibus, neruis, carnibus, visceribus, manibus, pedibus, capite, oculis, dentibus, &c. Palam est quod vnica forma informari non potest. Sed sicut sanctus Ambrosius concludit in libro de Isaac, & in libro de Noë & Arca, anima erit in corpore, sicut homines in Arca diuersis nidis, & organis, & vsibus efformata. Vnde Arist. inerudite animam esse formam corporis organici statuit. Ex quo enim organicum est, videri debet domicilium, & opificium animæ, vt nauis nautæ, & domus habitatoris, & ciuitas ciuium, sicuti oculatius Plato loquitur, & sancti nostri Chrysost. Ambr. Iustinus, Greg. Nyss. & alij. Agens.n. non est forma sui organi.

At contra hanc sententiam Arist. & Aphrod. in Periphrasi argumentantur: ergo abeunte anima remaneret corpus, sicut nauis egresso nauta.

1.
2. Item, nauta non est in tota naui, sed anima est in toto corpore.
3. Item, posset anima abire, & iterum regredi in corpus, vt nauta intra nauim.
4. Item, nisi anima contineat corpus vt forma, quid erit continens tot diuersas partes?

Ad 1. Respondeo, veram esse consequentiam primam. Palam enim, abeunte anima, corpus remaneret idem, vt patet in Christo, & in multis denuò, subitoque per miraculum resuscitatis. Quod si manu tenueris morientem, comperies resolutionem vsque ad materiam primam minimè fieri, sed eosdem oculos, & carnes, & ossa permanere in sua forma. At deinde dissolui, quoniam anima, quæ nutrimentum procurabat, coquebat, & distribuebat ad corporis instaurationem, non adest: & per consequens proprio calore, & iniurantium vi, consumitur cadauer, vt etiam domus & nauis absque habitatore paulatim cadauerosa fiunt, destruunturque.

Præterea, muscæ, colubri, & apes necatæ aquis, si organa fracta non sunt, reuiuiscunt ad solem, spiritu, qui in aquam versus erat, iterum in tenuitatem reducto. Ergo non fit resolutio vsque ad materiam; neque anima est forma, sed spiritus vitæ, vt Moses docet & Ambrosius, & cæteri.

Ad 2. Ad 2. Dico animam sentientem in toto non esse corpore æqualiter: quoniam os, & nerui, & pili, minus participant sensum. Sed neque reperitur anima sensitiua libera, nisi in cellis cerebri, ex quibus excurrit per neruos in corpus totum, & animat, & sensificat, & mouet membra: in quibus aliæ sentientes animæ particulæ implantatæ intra fibras insunt, tanquam ligati remigantes in naui, communicantes cum liberis nautis consensu imperij & regiminis. Sensus ergo qui in toto est corpore, est communis sensus rebus omnibus. Omnes enim sentiunt, & is communicat cum sensu animæ liberæ, & vinculatæ in corporis regimine. Attamen si anima dormit in capite collecta, vel aliquo membro introrsum succursura reuocatur, reliquum corpus remanet absque sensu, licet exili quodam proprio sensu polleat. qui & exilior in cadauere remanet, ex quo fiunt vermes, & timet interfectoris præsentiam, vt in secunda parte docebimus. Quapropter, palam est quod anima non est eadem in toto corpore, nisi contiguitate corporeitatis, & continuitate sensus. Neque nauta, sed plures nautæ in tota sunt naui. Et alij remigio irretiti vt spiritus implantatus: alij excurrunt liberi quo opus est ad salutem totius. Sic spiritus animales in toto corpore eiusdem substantiæ, vt in medicina contra Galenistas declarauimus.

Ad 3. Ad 3. Quod anima non regreditur in corpus, propterea quod est illi dissimilis, & vinculis fatalibus detinebatur: sed ad cognata volat corpora, hoc est ad aërem cælumque si spiritus tenuis est, vti probauimus: manebat ergo sicut remigãs, aut sicut in carcere inter neruosum genus: à quo abscedens, inuenit meliorem sortem: vel interit, sicut declarabimus. multo autem minus mens à Deo immissa regredi poterit, cum dissimilior sit longe magis, atque sentiens anima ponderoso corpori. Neque credendum est his, qui in Scandinauia alienati, dicunt, se animo ad mundi partes varias ire: vnde renunciant, quæ viderunt, ac in corpore reuerti. Deluduntur enim à diabolis, sicut Lamiæ sæpè sæpius soporatæ, putantes Idolorum festiuitatibus sese affuisse, sed de hoc altero animæ genere posterius.

Ad 4. Ad 4. dico, non contineri corpus ab Anima sensitiua, cuius est vas, & organum multiplex: sed à constructione & formatione facta per opus animæ & mundi vel Angelorum occultis compacta ligaminibus & vtilitatibus: sanguis enim ligat corpus, cum spiritu: spiritus vero sanguinem cum mente. Regitur autem ab Anima, sicut Nauis à Nauta, constructa tamen ab Naui factore, de quo insequenti parte.

Quod autem non informet corpus sentiens anima, iterum probat etiam S. Augustinus, quoniam in-

trogreditur in mæstitia, in lætitia vero egreditur ad oculos: somnus & vigilia docent etiam nunc colligi, nunc effundi. Vnde neque esse plures sensus plurium organorum partiales formas, putandum cum Aristotele.

Nam quando homo attentè quid conspicit, minus bene audit: & quando per vnum oculum intra dioptram vult aspicere, claudit alterum quasi retrahens totam animam videntem ad vnum: & cum Musicis mulcemur sonis, vix videmus: & tandem collecta anima in caput ad audiendum, fit somnus, destitutis membris aliis motrice anima, sentienteque: vnde concludit etiam S. August. quod si forma esset, non posset intro, & foras ita ferri: neque oculus dormientis, aut attentè audientis, posset non videre apertus, cui nimirum propria forma & vis visiua non deesset: non enim forma potest quid secedere ab informato quippiam.

Si autem anima ita per se mouetur, corporea est. Neque enim si corporis esset forma, à subiectis partibus separaretur: siquidem nec niuis albedo, & aquæ temperies, adest, & abest, ita, vti vult. id etiam docet mors, nam à carbonis vapore suffocatur, & à vehementi lætitia foras confluens in oculos ad insperatum bonum, se ipsam perimit. Item neruis humore perfusis ipsa non intercurrit, ergo corporea est. Et mirum quî sit indiuisibilis, & tamen in corpore diuisibili extenditur vt forma quanti.

Sed Galenus obiicit lucé incorpoream, quæ tamen posito obice non transilit. Hoc verum, est aliena in regione, & de nigro & opaco obice, non de transpicuo. At anima suo est in domicilio & nitidis humoribus impeditur. Apoplexia quoque suffocatur. Vini vapore modico statim reficitur: multo obruitur & suffocatur, vt flamma oleo: vnde concludere liceat, Animam sentientem esse spiritum corporeum, intra neruosum genus habitantem, calidum, tenuem, sensitiuum, lucidum, passionibus aptum. Ergo & sensationibus, sicut S. Ambrosio videtur & Lactantio, & nos luculenter in Physiologicis, & in Commentariis, de sensu rerum explicauimus: & ipse Moyses spiritum vitæ animalium ex sanguine esse præfatos docuit Patres. Ipsa quoq; sensatio idem adstruit. Nam simul percipit album & nigrum: quod non posset, nisi in diuersis sui partibus afficeretur. Res enim incorporea & indiuisibilis nequaquam potest simul duobus affici contrariis, & oppositis subesse formis, vt rectè arguit Arist. & perperam soluit, sicut in Physicis probauimus, hic autem ista prælibamus, vt qua ratione fiat sensus, & sapere pernoscamus: in Phys. enim quæstione luculenter demonstrauimus. Eamdem tamen animam posse contraria iudicare in se vna indiuisibili, licet recipiat diuisibiliter in partibus alibi notificabimus.

SENSVM ESSE CAVSALITER PASSIONEM

præsentis; memoriam esse passionem anticipatam, & immanentem, quasi sopitam: reminiscentiam esse eiusdem passionis renouationem per aliud agens simile aliquo modo: rationem animalem esse sentire rem in simili. Intellectum Aristotelicum esse sentire à longe, vel rei similitudinem absentis, & non proprietates ex dictis palam.

CHAP. IIII. ART. IIII.

QVANDO igitur sentiens patitur anima à re aliqua immutatur in illam, sed non totaliter, alioquin moreretur in se, & fieret res illa, à qua immutatur, vt lignum fit ignis: sed neque à tota re immutatur, quoniam impossibile est. Tum quia non ab interioribus & cunctis obiecti partibus tangi potest: sensus autem omnis tactus est, & fit tangendo, vt dictum est. Tum quia si à vehementibus viribus rerum potentium tangeretur, in illas immutaretur, & iudicium præcedens amitteret, & nouum acquireret: sicut lignum proprium perdit sensum, & accipit sensum ignis, in quem suus conflatur, & tanta passio facit obliuionem. Vnde ens nullum recordatur, quid ipsum fuerit antequam nasceretur. At spiritus paululum immutatus ab obiecto, sapit illum paululum, & ex illo paululo sapit reliquum per discursum à simili. Sic dum ignis calorem tangit, iudicat de totius ignis viribus, & de omni calore: quoniam omnis calor, inquantum est similis calori tacto per sensum, est vnum & idem: & in hoc contingit falsitas, quoniam non totum percipimus, nec præsentialiter. sed partem & per similitudines, vt antea docebamus. Ergo sensus est partis sapientia: totius vero similium est scientia, ratio, & syllogismus. Deinde omnes sensus simul causant totius rei cognitionem. Quemadmodum pomum visu cognoscitur, ita coloratum & figuratum: tactu frigidiusculum, densum, & crassum, gustu dulce, naribus odorosum. Et sic collectis his sensibus, fit de tota rei substantia argumentum: quoniam idem vnusque sensus, si verè spiritus sentiens, audit, videt, gustat, olfacit: sed in diuersis sensoriis, vt sanctus Augustinus etiam probat Ergo ex sensibilibus notis ex parte per sensum, & ex toto per iudicium, nascitur argumentum, & scientia de toto & partibus essentialibus & integrantibus.

Istæ auté passiones illatæ ab obiectis remanent in tenuitate spiritus, sicut motiones in aëre: & similiter ratiocinia cognoscentis sensus ex passionibus partium ad tota, & similium ad similia: & hæc retentio vocatur Memoria. Quæ quando expergefit ab aliquo simili, dicitur Reminiscentia.

Qui enim passus est, aptus est magis iterum pati: vt qui nauseam in mare passus est, reuidendo mare, iterum vomit: quoniam sopita passio reficitur. Et quot sunt similitudines, tot sunt reminiscétia & syllogismi, vt similitudo essentiæ, quantitatis, figuræ, passionis, actionis, operationis, coloris, loci, temporis, accidentis, relationis, similitudinum, & dissimilitudinum. Quia vero passiones singulares in sensum

non remanent: propterea quod paucis in obiectis offeruntur, ideoque paucioribus mouent vicibus, atque minus: vniuersales vero remanent, quæ in pluribus sunt: sunt autem in pluribus, quatenus plura sunt similia, atque vnum, vt Petrus est similis Paulo & Antonio, ac cæteris, in humanitate: propterea sensus interior abeuntibus obiectis, præsentialiter mouentibus, non retinet singulares proprietates, sed similitudines probe retinet, in quibus plura conueniunt obiecta, & hoc sentire dicitur intelligere Peripateticis, quod quidem sentire languidum est, & à longe: vt cum video Petrum? longe, dico est animal: prope vero est homo: proxime est Petrus. Ex quibus patet, sensum esse notitiam innatam sui, & per hoc perceptionem obiecti præsentis: & sapientiam partis eius obiecti: rationem vero esse sensum similis in simili, ergo & totius, quo partes omnes vt similes sunt vnum: Memoriam esse sensum anticipatum, id est, passionem sopitam vt cicatricem: Reminiscentiam sensum renouatum, ex repati & resentire simile in simili. Intelligere verò sentire languidum, & à longe, & confusum: quoniam non distinguit intelligens, instar pueri, qui vocat omnes homines Patres: quoniam singulares Patris notas nescit retinere, sed cómunes, in quibus cum venit cum aliis, vt nasum, os, vocem, vestes, bustum: sed non nasum simum, vocem asperam, figuram oblongam, vestes laneas has Patris: Sic & canes & equi vniuersalia norunt magis quam particularia. Quapropter patet quomodo fiat sapientia in homine, & quomodo, vt sanctus Iustinus ait, alia est ratio, & intellectus sensualis, in quo thesaurizat Arist. sapientiam: & aliud mentalis vnde assurgimus ad inuisibilia & æterna: de quo Theologi, & meliores Philosophi loquuntur vt suo in loco examinabimus. Nunc aliorum dogmata perpendamus.

SOLVVNTVR RATIONES PERIPATETICORVM *probantium, animam sentientem esse incorpoream, & corporis formam.*

CAP. IIII. ART. V.

VIDETVR quidem Aristotelianima sentiens incorporea & indiuisibilis, & nihil actus, sed pura potentia, & non per modicam immutationem, sed per informationem fieri sensum.

1. Primum probat, eo quod est forma corporis, & non elementorum vnum: alioquin non cognosceret alia.
2. Item, si esset corpus, corpora non perciperet: oportet enim recipiens denudatum esse natura recepti.
3. Item ait Aphrod 2. de Anima, cap. 24. Corporis qualitates sunt sensiles, non autem animæ, vt vitium, & virtus.
4. Item, esset corpus animatum, ergo esset animal.
5. Item, sustentaretur à corpore crasso, & non sustentaret.
6. Item, si est ignis aut spiritus: ergo sub aliqua ratione & temperie: aliàs omnis ignis esset anima. Hæc autem ratio est incorporalis animæ, & non spiritus igneus.
7. Præterea, moueretur motu elementi sui.
8. Præterea, corpus penetraret corpus. Si vero incorporatur, erit sicut mellicratum: & non altera pars regens, altera recta in animali.
9. Item, omne corpus esset animatum, si anima, qua anima, est corpus.
10. Amplius, corpus subsistit & mouetur per se: anima autem non subsistit, neque mouetur, cum sit forma, sicut grauitas & leuitas, quæ non mouentur per se, sed sunt quo aliud mouetur.
11. Item, si moueretur à seipsa, discederet à seipsa.
12. Item, operationes animæ, quiete perficiuntur, vt intelligere, & sapere.
13. Item, cum omnes operationes & functiones non fiant sine corpore, neque anima sentiat, neque intelligat per se, sed homo per ipsam, vt probant in primo de Anima: Consequens est, vt forma sit, qua homo sentit & intelligit, sicuti leuitas est forma, qua ignis mouetur. Forma autem omnis incorporea est per se, licet corporis sit actus & perfectio.

Quanquam hæc alibi soluta sint, quoniam confert præsenti notitiæ: Respondendum est primum, *Ad 1.* quod anima, quatenus anima, habet regere corpus, viuificare, & animare. Regens autem distinctum est à recto: alioquin idem esset regens & rectum, vti leuitas est mouens & mota. Amplius abeunte forma, dissolueretur compositum, sicuti ignis perdito calore, vel leuitate: sed corpus manet post mortē cum sua temperie & forma, ita quod sola separatio animæ à corpore facit mortem citra dissolutionem, vt Theologi de Christo, & experientia de cunctis, contestantur. Et cum dormit anima, exteriores partes sunt eædem: sicuti nauis quiescente nauta suo rectore. Non ergo anima est forma nec indiuisibilis. Imò omnis forma corporis diuiditur cum corpore.

Ad 2. Ad 2. dicimus, qualitates animæ esse sensiles: sed qualiter in aëre: quo tamen tenuior est anima. Nam animæ calor in corpore manifestus est, vt sanctus Athanas. etiam probat animam calidam, in def. de anima. Lux quoque in oculis, dum lætatur spiritus in ipsos confluens, & similiter tenuitas fumefaciens: licet lux & tenuitas non satis manifestæ sint, quoniam anima ab anima non sentitur: similiter nec aëris color, nisi intra ampullam aquæ sentitur, neque motus ordinarius. Motus autem animæ manifestus quo corpus, & se mouet in somno, & vigilia, & cæteris motionibus. Virtutes autem & vitia non sunt qualitates corporeitatis animæ sentientis, sed rationes & modi operandi, qui per operationes percipiuntur, sicuti relationes corporum & amicitiæ & inimicitiæ, caloris & frigoris:

quæ diſcurſu non ſenſu percipiuntur, ſed per ea quæ ſentimus.

Ad 3. Ad 3. inquam, anima non eſt corpus animatus, ſed corpus ſentiens & animans. Animari enim eſt intra ſe habere aliud ens, quod regit ipſum, vt domus animatur ab homine habitante accidentaliter: ſic homo ab anima, ſubſtantialiter. Aër quoque ſentit, ſed non eſt anima, quoniam non eſt incluſus in corpore, ſecundum rationem animandi. Propterea animal non eſt, ſicut vter plenus aëre, quemadmodum obiicit Aphrod. Sed ſicut nauis homine in ratione regendi per organa & artificia ad hoc parata, vinculis vitę, vt in lib. de Sen. rerum.

Ad 4. Ad 4. dicimus animam mouere corpus, vt nauta nauim, & viciſſim ſimiliter vectari à corpore, cui facta eſt vnum ens. *Ad 5.* Concedo ad v. cum ſancto Ambroſio, & Athan. & Nyſſen. & Baſil. eſſe ignem & ſpiritum ſub quadam ratione; non tamen illa ratio eſt anima, ſed modus animæ eſſentialiter.

Obiectio. Sed contra, inquit Ariſtoteles, ignis vrit in infinitum, & ſine ratione: anima autem & calor natiuus moderatè & cum ratione. Ergo anima regit calorem, & non eſt calor. *Reſp.* Cui reſpondimus in Phyſicis, quod etiam calor animalis ſemiurit in infinitum pro rata ſuarum virium; non tamen tantumdem agit validus atque blandus calor: ſemper tamen attenuat, liquefacitque ingeſtos cibos quantum poteſt. Moderatio quoque calori ineſt modificato intra craſſam molem, & ita agit, & prout ab initio agere cæpit Fato Neceſſitate & Harmonia regulatus ab Autore naturæ, vt infra. Verum & cibos noxios calefacit, quod non faceret ſi ab alia regeretur anima, dico in brutis. Et palam demortua animalia in aqua non olæſis organis, vt muſcæ & apes, in tepido furno, reuiuiſcunt, & aues in Iſlandia ſub hyeme gelatæ, in vere reuertuntur ad vitam: *Et in putrefactis* (inquit Ariſt.) *ſegregata caliditas conſtituit corpora: quoniam* (inquit) *eſt in terra humor, in humore ſpiritus, in ſpiritu calor, vt quodam modo omnia animæ ſint plena.* *De gen. animal. lib. 3. c. 11.* Anima ergo, qua corpus eſt tenue, dat motum corporibus craſſis, & vitam, ſi cum eo coaluit: qua vero ſentit non eſt corpus, quoniam ſentire eſt commune cunctis rebus actiuis, paſſiuiſque, vt in ſecunda Parte docebimus. Hipp. quoque & Galenus ſæpè ſæpius animam calorem faciunt natiuum: plerumque vero temperamentum viſcerum. Nos vero ſpiritum corporeum participem primalitatum, vt Moyſes, & Patres.

Ad 6. Ad 6. Dicimus penetrare corpus: etenim in cerebri habitat cauitatibus, & per neruos extenditur ad extremas partes, & ingreditur ad imas. Nerui autem perforati ſunt vt in opticis palam eſt: & porus ſpinalis medullæ Galeni teſtimonio, quanquam ipſe, ac Veſalius cæteris in neruis per deceptionem poros non agnoſcant intra fila, ex quibus contexti ſunt: quos ego inſpicio in eis coctis, ſectiſque: & tumor in eorum extenſione aliquid aggrediente Anima, palam oſtendit corporis tenuis per craſſum penetrationem. Et rerum natura docet, motum eſſe rerum tenuium vt ventorum & aëris, & ignis.

Vide q. Phyſ. Alibi oſtendimus contra Galenum non eſſe Animam cerebri temperiem, quę inſenſata eſt, eius quoque teſtimonio: ſed ſpiritum in cælis cerebri habitantem nutritum ex ſanguine, vt etiam D. Ambroſius & Nyſſ. demonſtrant.

Ad 7. Ad 7. Negatur quod non ſubſiſtat vt aër: & quod organici ſit forma corporis, cui nimirum eſt ſolummodo agens intrinſecum. Si autem eſſet vt grauitas non poſſet regere corpus, vt dictum eſt, neque ſeparari, vt experimur: nec eſſe indiuiſib. vt ipſe vult.

Ad 8. Ad 8. Stulta ratio eſt ipſius Ariſt. nam à ſe moueri actiuè, non eſt moueri ſicut à termino. Non enim quia ignis à ſe mouetur ſurſum, diſcedit à ſe, ſed à terra.

Ad 9. Ad 9. Operationes Animæ perficiuntur quiete corporis, impedientis motiones Animę. Non autem quiete Animæ, cum ſint motiones ipſę cogitationes, vt patebit.

Ad x. Ad x. Concedo, fieri operationes communes cum corpore, vt Nauis cum remigante: non tamen cogitationes, & intellectiones. & licet affectiones corporeæ excitentur ex eis: hoc tamen euenit, quia ſpiritus ipſe corporeus eſt: & dum agitatur ad cogitandum, agitat corpus, & impedit operationes corporeas, pulſum nimirum, & nutritionem. Nec anima ſentit qua corporeitatem participat, ſed qua primalitates. Corporeitas tamen vt res corporeas percipiat, medium eſt. neque verum eſt, quod animal ſentit, & intelligit Anima, ſicut graue mouetur grauitate, ſed ſic vt nauis dicitur præliari præliantibus nautis: & cythara melodiam facere, ſonante cytharedo.

Vtrum autem ſit in homine anima à Deo indita, his non comunicans, poſterius declarabimus. Nunc enim de operibus animæ apud Phyſiologos priſcos notis, contra quos inſtituimus diſputationes, eſt ſermo.

Propoſitionem illam, intus exiſtens prohibet extraneũ falſam eſſe præterquam in vaſis corporum, & incontrar. Ad primam rationem redeuntes, qua dicunt, Anima ſi corporea eſſet, alia corpora cognoſcere nequiret, falli dicimus. Sed contrarium eſt verius. Non enim corporum aſſimilationi, per quam notitia fit, aptari poſſet, niſi corporea eſſet (& loquor ſolum de anima tantum ſenſitiua) ſicuti neq; oculus videret, niſi lucem haberet implantatam: neque auris, niſi aërem: neque nares niſi vaporem, vt ſuo in loco probatum eſt. At Angelos incorporeos hac ratione ſentiret, ſic ſt incorporea, quod falſum eſt: Ponimus quoque ſentientem animam eiuſmodi corporeitatis, quæ omnibus commenſurari queat: ſicut aër, qui omnium figuris formatur, omniumque motionibus agitatur: idcirco omnia ſentit mouentia. Non autem remanent in ea formæ, ſicut in lapide: non enim poſſet alias denuo ſuſcipere: immo ſemper idem actu ſentiret, & nunquam obliuiſceretur: vt Theophraſtus quæritabat: ſed euaneſcũt, ſicut in aëre: remanet tamen affectio quædam, vt cicatrix. Propereaque anima eiuſmodi aërem non ſentit, quoniam ſimilis eſt illi, & vix ab illo patitur: quantum autem patitur tantum illius quoque percipit ſenſu, æſtimatione vero & totum, & ſimilia.

Obiectio. At alij contra arguent. Si eſſet corpus, ſpecies corporum non ſuſciperet incorporaliter, ſed corporaliter, ac proinde lapis corporeus eſſet in ſenſu, non forma lapidis incorporea.

2. Præterea, neque res incorporeas ſentiremus, aut intelligeremus, vniuerſalẽ vid. hominẽ, & amicitiã, & litem, & virtutẽ. *Solutio.* Hæc tamen ratio nulla eſt in noſtro dogmate: non enim ſuſcipit anima rerum ſpecies, ſed motum, quo à rebus afficitur: neque totius, ſed partis, per quam ſentit totum diſcurrendo: ſic & amicitiam & incorporea per ſpecies corporeas imaginatur. Quod etiã calor facit, qui frigoris ſentit inimicitiam. Item ſpeculũ imaginem Petri ſuſcipit incorporaliter, nec tamen non eſt corpus. Ipſi quoque Peripatetici intentiones in aëre corporeo

poreo

poreo ponunt: ergo secum pugnant. Cum autem addunt, corpus non reflecti supra se veluti anima sensitiua, quæ cognoscit sese cognoscere falluntur, quoniam speculum videt se in altero speculo: sic anima se in altera anima, vel operationibus tuetur. Hoc pronunc. quoniam alia multa remanent propalanda mysteria, cum Primalitates absolutas, & earum participationes agnouerimus. Et quid sit scire in natum, & quid illatum.

(∴) (∴) (∴)

SENTIENTEM, INTELLIGENTEMQVE *animam, non esse puras potentias, quemadmodum Aristoteles opinatur, neque omnia sentire, & intelligere. Sed esse ens actu substantiale, & ea tantum sentire, à quibus vt robustioribus pati potest.*

CAP. IV. ARTIC. VI.

Ex his facilè declaratur absurda Peripateticorum sententia, asserentium, sensum & intellectum esse potentias purè passiuas: alioquin, inquiunt, si essent quid actu aliorum obiectorum, non possent recipere actualitates: neque omnia corpora sentire, nam intus existens prohibet extraneum. Sicut nec oculus croceus potest alios videre colores: sed omnes illi apparent crocei.

Nos autem dicimus, inter corporalia entia alia esse simplicia, quæ compositis, & concretionibus affici possunt. Alia composita, contractaque ad entitatem particularem, & hæc omnia percipiunt propria entitate, & non rei perceptæ. Sicut enim lux, quia simplicissima est, cunctis potest tingi coloribus, & omne simplicius suo crassiori potest affici. Colores autem crassi non suscipiunt alios colores. Vnde apud tinctores niger pannus colore tingi albo non potest, vel croceo, vel rufo: albus vero tingi potest omnibus, quia simplicissimus est: croceus tingitur rubro, quoniam rubro est simplicior, sed fuscus non tingitur rubro, quoniam crassior & contractior ad naturam materiei: sic aqua salsa, quia crassa est, non dulcescit, si misceas duplam dulcem: at si dulci multæ exiguam appones salsam, salsescit. Vinum quoque rubrum parum, tingit album multum, & è contra. Sic anima sentiens non est potentia pura sicut materia, sed ens actu: at quidem simplex, ideoque pluribus potest entitatibus affici.

Porrò, licet oculus croceus omnia videat crocea: haud tamen oculus transpicuus omnia transpicua: siquidem transpicuitas est albedo simplicissima absque corpulentiæ opacitate, qualis in albedine huius chartę, mista nempè nigredini materiali: quam si cremaueris, alba tenuitas discedit, remanetque materialis facies nigra, non genita ab albo calore, sed detecta ab attrahente albas tenuitates, quæ nigredinem sua mistura vincebant, tegebantque. At opacitas chartæ huius nigredinem ostendit concorporatam. Si ergo oculus & aer transparentes omnes colores suscipiunt, cum tamen ipsi simplicissimo sint colore donati. Sic & anima, cum sit spiritus transpicuus, tenuis, aptus est tingi coloribus cunctis in oculo: moueri motibus cunctis in aure: vaporibusque cunctis grauari, vel attenuari in n[ar]ibus: & calefieri frigefieriq; vbique corporis: & saporibus, qui calores sunt, suo calore validiores affici in lingua. & hoc palam est quoniam non omnes colores nos percipimus, non enim aëreum, quia nobis similis, neque figuram nostræ faciei: quoniam aër illa figuratus non potest mouere spiritum, quemadmodum Antipherontis debilem spiritum intra tenues laxasque oculi tunicas positum feriebat, ita vt propriam imaginem semper in aëre spectaret. Pluri[m]a sunt in aëre ignota nobis robustioribus. Verum in nocte aëris color & lux lepori & blactæ illucet, nobis vero minimè. Sapor carnis nobis occultus, panditur cani: odor aquæ (omnis enim vapor odor est) non sentitur nobis qui calidiores sumus, sed vermibus & cucurbitis. Odor ferarum canibus notus, nobis occultatur, quia spiritus non est in naribus nostris ita tenuis, vt affi[c]iatur ab illo, sicut caninus. Genista nobis amara est, sed capræ suauis: quoniam spiritus nos blando, illa vero crasso donata est. Caro pinguis mihi displicet, quoniam meum dilatat spiritum moderatum valdè, aliis crassiori donatis spiritu, placet. Ecce ergo solutio dubiorum in opinionis Aristotelicæ reprobatione consistit. Si enim sensus esset pura potentia omnibus omnia eadem apparerent, nunc autem est actu ens, & quia habet gradus entitatis, eædem res aliis aliter sapiunt. Et ipse Aphrod. cum Aristotele conuictus rei veritate, concedit tantum non esse puram potentiam, sed consistere in mediocritate. Et ideo calores similes non percipere, sed potentiores, ait, & languidiores: sed in hoc decipitur, quoniam languidiores minimè percipit tactus, sicut Aristoteles & Aprod opinantur. Quin manus Medici est frigida febricitanti, & iuxta eorum dogma deberet percipi calida, sicut & mihi sano, si languidiores perciperet tactus. Sed debile non agit in fortem, vel si agit, plus patitur quam agat: ergo minus sentitur. At in lingua sentitur, quoniam penetrat vsque ad spiritum cum propria mole, & simul illum grauat,

Nota.

constipat, vel dilatat, vt vapor crassus afficit aërem tenuiorem. Sic vapores carbonis occidunt homines, quoniam sua nigredine tingunt lucem spiritus: suo calore symmetriā dissipant: sua crassitie tenuitatem aggrauant: motumque demunt: ergo immutant totum, hinc mors: sed si est pura potentia incorporea ipsa anima, omnes reciperet entitates & à nullis doleret, quoniam omnibus apta esset; vel nullas quoniam cum eis non communicaret. Cum ergo à quibusdam doleat: dissimilis est illis: ergo est ens actu acui opposito: & omnia sentit se robustiora & contractiora, nō autem simpliciora nec languidiora, vt Angelos, & aërem. Si tādem ratio Arist. valeret, cum sit anima substantia & forma corporis, non cognosceret substantiam vllam, neque formam, quoniam intus existens prohibet extraneum. Affirmandum ergo, quod anima est ens actu, sed in potentia solum ad ea, quæ robustiora sunt, possuntque in ipsam agere: Neque opus esse denudatam, nisi eo, quod recipiendum est, vt patuit, & secundum gradum receptibilis.

(.·.) (.·.) (.·.)

SENTIENTEM ANIMAM NON *informari rei sensibilis forma, dum sentit: sed solum immutari tantillum à sensibus actiuis per se, & ab aliis per accidens: & sententiam Peripateticorum de informatione, esse erroneam: & de modo spoliandi obiecta formis, & vestiendi potentiam sentientem, esse stultiorem. Nec dari sensum agentem propter hunc vsum, neque intellectum actiuum.*

CAP. V. ART. VII.

EX his alia Aristotelis sententia excluditur, qua opinatur sensum esse potentiam, quæ fit actu ipsum sensibile per informationem, & tunc sentit, sicuti lignum potentia ignis, fit actu ignis, & tunc calefacit. sensus ergo & intellectus Arist. sentit & intelligit cum facti fuerint ipsa sensibilia, & intelligibilia. In principio autem esse sicut tabula rasa, in qua nihil est depictum, & potest omnes suscipere picturas. Species sensibiles non putat in sensu manere, sed vel euanescere, vel seruari in phantasia, quæ illi interior est sensus: alioquin non sinerent alias sentiri. Idem, dicunt alij de intellectualibus speciebus, alij negant.

At quod sensus non sit potentia, sed ens actu non omnia sentiens, sed excedentia tantum obiecta, iam ostendimus. Et ipsi Peripatetici coguntur fateri, facientes ipsum sensorij formam. Forma autem actus est, non potentia, nisi respectu. Quod autem non fiat per informationem, facilè ostenditur. Nam quomodo forma lapidis potest in sensu recipi? & quis spoliat lapidem propria forma, & defert eam ad vestiendum sensum, & intellectum? & quomodo lapis potest absque propria forma remanere, quin destruatur? Et quomodo potest infinitas formas emittere ad oculos infinitos spectantium in ipsum? Item, quomodo solis formam & ignis capere possumus absque illorum & nostra destructione? Item, quomodo anima, suscepta vna forma, potest aliam percipere, quin prior deleatur? Neque enim in tabula rasa secundam depinges figuram, non deleta prima.

At contingit plura simul sentire, ne dum successiuè, quod in re indiuisibili fieri nequit: quomodo autem hoc fit, quin perdatur ipsa vis sentiens, quæ facta est vnum cum sensibili, vt aiunt, magis quam ex materia & forma? Id enim est corrumpi, amittere propriam formam. quod si remanet, quare non semper sentit, intelligitque? lignum enim factum ignis actu semper calefacit: habet enim formam ignis, sic habens formam lapidis, semper lapidem, sentiret, intelligeretque.

Præterea nulla datur forma caloris, saporis, & soni, & vaporis, sed mouent, immutantque sensum, & illa motio cōseruari potest vt in aëre: at species, quas Arist. fingit, nullo pacto sunt, neque permanent. In visu quidem recipitur lux tincta rerum colore: & quia color est in figura, affert secum rei figuram speciemque: sed visio fit per motionem spiritus à luce, & quia lux taliter est colorata, taliter spiritus afficitur & sentit. At aliorum sensuum obiecta talibus simulachris non copulantur, neque simulachra sunt, quod in gustu & auditu Arist. ipse fatetur. Quapropter non informatur sensus ab eis, sed immutatur, paturque; & ex tali passione tale obiectum per assuetudinem discit: siue: vt Plato putat, rememoratur. Non enim pueri ex voce noscunt homines, & multo minus talem: neque ex colore, nisi vbi assueuerint.

Et profectò, si sensus indiuisibilis est, puraque potentia, & sapore vini, & lactis simul informari non potest vt duabus formis: vtique non erit informatio, sed passio in diuersis sui partibus, sicut dictum est. Vtque hanc informationem defendant Peripatetici, dicunt, esse lapidis speciem in anima, non realem, sed intentionalem. Nos autem ostendimus, quod realiter mouet, & anima realiter patitur: ergo realiter est. At quæ species potest esse caloris in anima, si caloris nulla est species & simulacrum, nisi calor effusus ipse: & Aristotelis textus contrarius est his omnino; licet sibi parum & ipse constet. Sed posito quod sint intentionaliter, palam est quod in speculi parte eadem plures imagines recipi non possunt, neque seruari. In anima autem recipiuntur simul & seruantur. Intelligo enim saporem, & colorem album,

& nigrum, & Petrum, & lapidem, atque memoria teneo.

Respond. remanere in habitu, non in actu. Sed nunc in actu video album & nigrum huius scripturæ, & simul audio grauem & acutum musicæ sonum actu.

Præterea habitus, vel est ipsa species, vel anima reddita facilis ad patiendum: si hoc, nobiscum sentiunt: si illud, remanet eadem difficultas: sicuti enim calor in actu, frigori in actu contrariatur, ita calor in habitu frigori in habitu: quoniam seruatæ sunt species eorum. Patet enim quod in debili esse calor semper aget, licet debiliter, sicuti in robusto robustè, alioquin propriæ obliuisceretur naturæ.

Præterea, illa species, quæ actu mouet animam, illa net recipitur in ea, & seruatur: ergo seruata est eadem, eodem agens modo: cur ergo non semper sentimus, intelligimusque? Sed de his in nostro Dogmate postea. Neque dicunt, quis spoliat lapidem propria imagine, & deferat ad animam cognoscentem. At quoniam Arist. species sensu perceptas spoliari singularitatibus ab agente intellectu, vt possint in passibili recipi intellectu, docet:

Propterea Auerroistæ inuenerunt sensum agentem, qui faciat formam lapidis immaterialem, quo possit à sensu recipi immaterialiter. Sed hanc sententiam, quæ tamen dicit aliquid, & si non rectè, excludit Alexander & Latini potiores, dicendo, quod indigent species perceptæ in phantasia actiuo intellectu, vt fiant actu potentes mouere, non autem species obiectæ sensui, quoniam iam sunt in actu, & possunt mouere sensum. Sed profectò & isti nihil dicunt, & secum pugnant: nam si actu mouere possunt: ergo non sunt intentionales species sensatæ, sed reales. Propterea enim lux realis ponitur diuo Thomæ, quia realiter immutat aërem. Vide q. Phys.

Item, illa sententia non declarat quo pacto sensus actiuus priuat sua forma lapidem: & vtrum ipse deferat eam ad oculum, & quomodo ipse potest deferre, nisi informetur ipsa. Si autem informatur, patitur: ergo non est purè actiuus. Item, vbi manet hic sensus, extra sensoria, an intra? partitus, an vnus? & vtrum sit substantia, vel forma aëris? & quomodo spoliat intra linguæ poros vinum saporis forma, & eam gustanti animæ offert? & cur oculos auertentes non amplius videmus? si enim sensus agens in oculo formulam posuit, vtique videbimus secundum illam, vel tantillam, quoniam sensus agens cum ea est in oculo, & non in lapide tantum. Eadem quæstio est de intellectu actiuo, qui superfluus est, si agens est superfluus. Et quæro, vtrum ipse recipiat, & deferat. An solum actu & sensatam speciem? Si actuat, cur ipsa potest deinde intellectum mouere passiuum, & non ante? Accepit ne aliquam lucem ab actiuo, an solum facta est immaterialis? Si hoc asserunt, ergo fit minus actiua. Quo magis enim calor fit non realis, sed intentionalis, eo minus agit, & palam omnia realia plus agunt, quam intentionalia, ab eis vocata.

Præterea, vt mox ostendemus, cognitio vniuersalis est in sensu, & fit ex impotentia singularitatum, sicut in speculo & oculo à longe conspicitur homo & corpus vniuersale: propè vero conspicitur Petrus. & rectè Durandus sustulit intellectum agentem: quoniam abstrahere species vniuersales non est actus alicuius agentis causæ, sed debilitas obiecti in singularitatibus, & fortitudo in communitatibus. Oculus quoque abstrahit albedinem à dulcedine pomi, gustus vero è conuerso; quia dulcedo & non color, aptus est in ipsum agere.

Præterea, diuinæ, infinitæque virtutis videtur posse de materiali facere immateriale, & formas de subiecto in subiectum transferre, sicut dicitur in libro de Essentiis, diuo Thomæ adscripto. Et cum hoc deprehendissent Peripatetici plures, non tamen ita excelluerunt ingenio, vt docerent, quid est specierum sensilium deferens. Solus Niphus ait, facere id sensum actiuum & intellectum, virtute Dei. Sed nos quærimus Physiologismum in quæst. naturali, non miraculum: quod in naturalibus etiam sanctus Augustinus quæri non debere docet. Nec enim Deus in singulis intellectionibus, & sensationibus miraculizat supra naturæ vires inoperans

Nobis quidem facilis est responsio, quod omnis actio fit tangendo, & omnis sensus est tactus. Nam odor, sonus, sapor, & calor, in sensum agunt immediate, aut per aërē delati: species autē lapidis fertur in oculum à luce tincta. Nec spoliamus lapidem sua forma, sed, lucem ipsa tingi, docemus, vt manifestum est: lux autem sic tincta, subit oculum vsque ad spiritum, ipsumque propria affectione afficit: sed Arist. vsum lucis ignorauit. Putat enim esse vt actu & aërem ad suscipiendas species visibiles: sed deinde non docet, quomodo afficitur speciebus, & defert eas? & cur aër in oculum non ingrediatur, quomodo afficit potentiam interiorem oculi?

Quapropter Galenus spiritum extra oculum educit, vt videre possit: Sed imperite, vt in Phys. docuimus. Quis enim retinebit eum, flante vento? & ne per se euolet in cælum?

Plato vero educit lumen: & hoc reprobauimus: quoniam ocularia docent ingredi lumen: & Imago in pupilla conspecta idem probat.

Democritus tandem simulachra defluere à lapide, & in sensum agere putat, esseque corporeos atomos in tali figura volantes. Sed cur, inquam, à ventis non impelluntur, cum præterfluunt? & cur conspectus lapis non deficit, si tot spoliis continuo priuatur, vt ipse ponit? & quomodo in somnis in anima ingrediuntur in tenebris sopitam? sed de his in quæstionibus Physiolog.

Quapropter cum impossibile sit simulachra corporea Democriti & incorporea Peripateticorum, ex rebus educi, & ad sensus deferri, haud quaquam per informationem visio facienda est, nec sensus vllus. Cætera argumenta ab eis nil soluta sunt. Neque enim si fit vnum ex sensu & sensibili, ex intellectu, & intelligibili, magis quam ex materia & forma, vt aiunt: Docent cur cesset sensus & intellectus, & quomodo tot informetur formis, & quomodo formis insensilium, quæ sunt entitates actiuæ, & non formæ: & quomodo formam solis & cæli capimus, & quis defert; & quomodo lapis illuminatus emittit suam similitudinem duplicem in oculos duos, & millenas in oculos mille, simul conspicientes, & simul quidditatem in phantasia, quam intellectus agens purificat, vt passiuus percipiat, sicut patet.

Nos autem diximus modicam immutationem sufficere ad sensationem, quoniam ex illa sen-

ſus iudicat reliquas obiecti partes, & eiuſdem conſimila generis: neque propterea negamus ideas, ſed non eſſe ſicut rerum figuras, niſi figurabilium ponimus, ſed entitates. Verum à nobis vocari formas ex ſimilitudine artificialium formabilium: quoniam melius loqui, quam ex noſtris non nouimus. Participationes autem diuinæ entitatis ſunt ideæ, vt infra docebimus, & ſcientia Angelorum eſt per has ideas, ſed non quaſi formulas, domus, & cytharæ, & anuli, quæ ſi ſunt & in anima, profecto omnis cogitatio fiet per excitationem à ſenſilibus in lumine diuinitatis, cuius particeps anima cognationem habet cum eis, ac proinde non moueri ab ignobilioribus, ſed excitari, & occaſionem accipere recognoſcendi, ſicut ſuo in loco declarabimus, videbitur.

(∴) (∴) (∴)

SENSVM, NON PASSIONEM, SED

perceptionem paßionis eſſe, & actum ex paſsione ſpecificatum: & ſapientiam eſſe perceptionis rei ſaporem, & ideo partis. Scientiam vero eſſe totius, & ſimilium quæ per illam partem ſentimus. Et vnde nam ſit hæc habilitas diſcurrendi ex parte ad totum: ex obiectis ne, an ex cognoſcente vi? Altiſsimarum rerum vocari ſapientiam, vel per analogiam; vel quoniam, ſi ſapimus res prout ſunt, ad altiſsima facilè diſcurrimus, per quæ de inferioribus ordinamus: & qualis eſt ſpiritus, qui ſapit rectè: & qualis qui perperam; & quomodo in hoc ſapientiæ fundatur Diſcurſus, Reminiſcentia, & Intelligentia; neque requiri ad hanc Intellectum Agentem. Et quæ operatio indicat in nobis ineſſe mentem ſentientem ſuperos.

CAP. V. ART. I.

LICET oſtenderimus, ſenſum eſſe paſſionem realem contra Peripateticos, haud tamen nunc conſentimus eis, quod ſit paſſio. Videtur enim nobis paſſionis potius eſſe perceptio. Neque enim quandocunque patimur, ſentimus. Dormientes enim pulicis morſum non ſentimus, & tamen illum patimur, non ſecus ac vigilantes: & ſtudio nimis attenti, vix ſentimus, quæ nos tangunt. Et, qui ecſtaſi rapiuntur, aut ira, aliaue paſſione vehementer, puncti acubus, nil ſentiunt: ſed poſt ecſtaſim dolent. Ergo non ſola immutatio eſt ſenſus, ſed immutationis perceptio. Videtur tamen magis actus eſſe vitalis iudicatiuus, qui rem perceptam prout eſt cognouit, nam & bruta multa percipiunt abſque iudicio, ſimiliter & delirantes. Præterea, res omnis ſentit ſe, præſertim anima, vt probat Auguſtinus, & amat ſe, vt Thomas: & tamen non patitur à ſe. Ergo ſenſus eſt ex paſſione per accidens, vt infra.

Quando autem coniungitur ſenſibilis res animæ ſentiēti, fit ſapientia, quoniam ſapor rei, ſicuti eſt, illi comunicatur. Sed quia partem rei tunc ſentit, & ex illa totum omniaque illi ſimilia: non datur ſapientia totius in nobis: ſed ſcientia tantum, quæ emanat ex ſapientia partis: & hæc diſcurſus quidam ſenſitiuus eſt.

Datur enim & diſcurſus mentalis, quo ex intuitu partis intellectus iudicat totũq; ex ſenſilibus, in ſenſilia, quo ſimilia ſunt: Proptereaque Angeli vbi totum intuentur, habent ſapientiam totius, & non indigent conſequenti diſcurſu, niſi vbi non totum, vel non totaliter aliquid ſapiunt. Deus autem, qui omnia tota, & totaliter ſapit, ſapientiam ſolam habet, & non ſcientiam, quæ ex diſcurſu fit: Ideoque Theologi optime ſentiunt in Deo non dari ſapientiam diſcurſiuam, ſed intuitiuam: licet ſæpè confundant nomen ſapientiæ, atque ſcientiæ. Alij vero ſapientem vocant, qui altiſſima nouit, & artes reliquas moderatur. Tamen ex hoc habere videtur, vt ſit ſapiēs, quia bene ſentit ſenſu & bene legit mente. Ex eo enim modico quod ſentimus, de cæteris iudicamus. Qui autem non rectè ſentit, nec rectè iudicat.

Cæterum rectè ſentit, qui purum habet ſpiritum non nimis calidum pertenuemque, qui facile patiatur ac ſubito exhalet, antequam communicet ſpiritui nouo, qui cōtinuo ex ſanguine aggeneratur, perceptas paſſiones, ac proinde ſcientiam. Hi enim carent memoria ob eiuſmodi ſubitaneum effluxum, licet ſenſu facile omnia percipiant. At vbi non conſeruatur perceptio, deficit prudentia, probuſque diſcurſus: ex his namque quæ paſſi ſumus, didicimus in futurum declinare noxia, & ſectari vtilia: ordinare & præcipere: quod ſapienti tribuunt Philoſophantes.

Præterea, tenues ſpiritus abundant fuliginibus ex ſanguine nimis calefacto eductis, quæ diſcurſum interturbant.

Eſt enim diſcurſus à ſimili ſimile ſentire, colligereque. Neque debet ſpiritus eſſe craſſus nimis, quoniam non ſuſcipit paſſiones latentes, languidaſque vires obiectorum, ſed tantummodo magnas, ideoque ad ſcientias occultas non eſt idoneus, neque ad

discursum. Quæ enim crassa sunt, pigrè mouentur ex simili ad simile. Debet quoque in amplis cellis, & benè formatis habitare, vt possit motiones, quas passus est recolere. Inspiciendo enim præterita discit futura propter istorum consimilitudinem. Motus autem recolere non potest, nisi in spatioso loco. Manifestè enim cum aliquid recordari volumus, præteritos illius motus recolimus, & res spectamus, quibus cum illud sensimus, vel similes. Intelligere insuper vniuersale accidit, eo quod non remanent particularitates motionum in spiritu passo rarè, & languidè, sed motiones multiplicatæ & magnæ. video Petri indiuidualitates solum in Petro, sed humanitatem in eo, & in aliis. & ideò memini quod sit homo, & intelligo quod sit homo; non autem cum simo naso, latis vnguibus, scabrosa carne, quæ in his non vidi, nisi sit insigniter scabra caro, vt ingentem in me generet passionem. Quapropter abstractio vniuersalis non fit per virtutem aliquam agentem, sed ex langore actiuitatis in singularitatibus; vel ex raritate agendi. vniuersale autem fit ex continuitate, continuitas ex multitudine similium incessanter obiecta. Sed sapientia est notitia rerum, sicuti sunt. & ideo à sensu incipit, & per illum certificatur, roboratur, renouatur, emendatur. Ergo vniuersale Peripateticum crassi spiritus apti sunt percipere, inepti ad singularitates. Tenues vero purique vniuersale Platonicum, & idæas rerum in se percipere, & imaginari possunt magis ac simul rerum singularitates: & vnæ cum Mente ad diuina leuari.

(∴) (∴) (∴)

SPIRITVM SENTIRE NON ORGANIS, SED

per organa: suisque realitatibus rerum realitates Physicas, à quibus poßit pati per se vel per aliud, vel per accidens. Et an organa plura in brutis aut in homine desiderantur, & an ad supernaturalia extendatur, & vtrum omnes animæ sint mortales, vel dentur aliquę immortales mentes: & vnde ortum vtraque habent.

CAP. V. ART. II.

Si sentire fit per assimilationem sentientis cum sensibili: assimilatio autem fit per passionē realem à realitatibus, non ab intentionalibus obiectorum. Consequens est vt anima sentiens sit ex realitatibus potentibus pati, constituta; non autem potest pati, nisi quod potest moueri, & immutari ab obiectis, & affligi, & lætificari. Non potest immutari, nisi in subiecto conueniat cum illis; ergo necesse est animam sentientem rem corpoream esse, quæ patiatur à corporibus, & qualitatibus, & viribus corporum, habeatque cum illis & symbolum, & commune subiectum, quibus patitur receptiuè vt materia, & perditiuè vt calor à frigore, & acquisitiuè vt tepiditas à calore potiori, Ergo est spiritus mobilis, tenuis, lucidus, calidus, secundum naturam obiectorum; & insuper sentiens, appetens, atque potens, ex participio primalitatum; ergo quatenus mobilis sentit sonos, quibus agitatur per aures. Quatenus lucidus sentit lucem à qua afficitur per oculos, & quidquid cum luce defertur, vt figura, magnitudo, & numerus. Quatenus calidus sentit frigus à quo patitur, & calores excedentes ipsum calorem.

Similiter per corporeitatem tenuem sentit grauitatem, leuitatem, cōpressionem, & dilatationem: Ergo & siccitatem, & humiditatem, mollitiem, viscositatem. Sapores enim & odores sunt corporalitas, vel tenuis, vel crassa, cum calore natiuo. & propterea habet tot vias, seu sensoria in corpore, quot sunt obiecta corporalia, vel corporata, & quot vitæ animali sunt necessaria. Si qua enim alia sunt obiecta sibi non necessaria, eorum non habet sensoria & facultates: patet in plantis, in echinis, quibus desunt organa nostra, quia illis non sunt necessaria: & putant se habere omnia, nec extare alia ab his, quæ habent: nec pisces desiderant pedes, quia illis non egent.

Videntur ergo organa sensoria data esse non tanquam instrumenta sentiendi, sicut calamus est instrumentum scribendi, sed tanquam viæ & canales per quos obiecta sensibilia ad animam sentientem introducantur; quæ si non esset corpori inclusa nō indigeret huiusmodi portis & fenestris, sicut nec ventus indiget pedibus vt moueatur, nec oculo vt illuminetur. Quæ tot esse debent quot sunt communicationes obiectorum sensibilium cum anima sentiente, iudicatura de eis, vtrum bonæ sint vel malæ ad vitam totius compositi ex anima & corpore. Communicant autem se vel per motum qui dicitur sonus dum sentitur, & iudicium fit de molibus, & huius gratia factæ sunt aures: vel dum lucem seipsis tinctam reflectunt, ac proinde annunciant colorem & se coloratas, & ob hoc sunt oculi: vel dum tenuem substantiam attenuante calore emittunt, & hanc percipit nasus, vnde fit iudicium de emittentis natura: vel internas vires & latentes dum atteruntur intrinsecus, communicant & sapiuntur, & ideo est lingua: vel regnantes vires etiā non innatas effundunt calorem scilicet & frigus, & propter hoc est tactus: qui etiam passiones materiales percipit syllogismo sensato, ex quo cedunt aut renituntur. Aliud à rebus forsan non communicatur. Idcirco forsan alia sensoria non sunt. Diuinorum autem sensus est in nobis, vel ex falsa imaginatione vt dicunt Epicurei; vel ex mentis copula cum superis, vt Bernardus inquit, quæ non indigēt sensorio vt possint ad animam cognoscentem ingredi, quippe quib. omnia sunt peruia; mundus.n. mentalis est interior & anterior ad corporalē, & ad Mathematicum, vt in 2. parte demonstrabitur.

Hic autem quinq; sunt quærenda. Primum vtrum à rebus naturalibus in nos aliæ realitates præter dictas deueniant; quæ non percipiuntur à nobis, propterea quod non habemus organum, & viam per quam introducantur, sicuti plantæ & cæci non iudicant de coloribus, & plantæ & surdi non iudicāt de musica, quoniam illæ per negationem, isti per priuationem sunt expertes visionis & auditionis. Secundum, vtrum res sensibiles sentiantur, quia sunt nobis contrariæ; à contrariis enim patimur, nō à simil.bus (ait Arist.) sensus autem per passionem fit. An vero quia nobis communicantur propter symbolum, quemadmodum diximus, spiritum, quia mobilis est sentire motus sonantes: & quia lucidus lucem, & illuminata, & quia corporeus corpora & corporata: & quia &c. vnde Emped. ait animam ex quatuor Elementis esse compositam vt possit terram, terra sentire, aërem, aëre, ignē, igne, aquā, aqua innata. Si ergo intelligere debet diuina etiam implantatum diuinitatis participium habere debeat. Tertio quærendum vtrum anima sensitiua sit elementorum aliquorum, vt calor, & frigus vel omnium realitas, vt corpulentia. & sicut habemus ab elementis motum, quietem, quantitatem, calorem, frigus, & corpulentiam, ita etiam & vim sensitiuam: vel aliunde, & qua via.

Præterea vtrum sicut corporea moles est materia omnium corporum, ita etiam aliqua substantia sensitiua, sit substantia animarum sensitiuarum corruptibilium, vt quæritat Augustinus. Item vtrum sit alia substantia in mundo ex qua fiunt animæ intellectuales hominum incorruptibiles; nam si eadem substantia vtrarumque, non erit differentia inter hominem & brutum, nisi in organis & temperie: & vbi seruatur ista materia animorum in elementisne, an in anima mundi, an in substantia Dei vt Stoici & Manichæi asserunt: non enim potest Pomponatius intelligere, qua ratione alię animæ mortales, aliæ immortales sunt: cum non differant in substantia, sed in magis & minus.

Præterea vtrum ignoremus aliqua quamplurima quia non habemus organum, quo ad nos intrent, vel quia non habemus symbolum, cum eis nec communem materiam qua patimur, sicut elementa ad inuicem. Non enim calor fit frigus, sed materia calida fit frigida; sic nec anima fit Angelus, sed materia animæ fit angelica per passionem communis materiæ. Vel quia excedunt nos, sicuti summus calor & solis lumen oculum nycticoraci; cum qua licet communicet in materia, non tamen percipitur ab eo propter excessum, sicut nec vermis natus in caseo comprehendit caseum, sed particulas tantum sibi adiacentes, nec formica montem. Vel propter defectum, sicut manus febrientis non sentit calorē manus medici suo exiliorē, vnde omnis sensus ad mediocria non ad excedentia, nec ad excessa porrigitur.

Resp. ad primam & quintam quæstionem, nobis ignotum esse, vtrum aliæ realitates rerum ad nos deueniant: tum quia illorum sensoriis organis caremus, sicut echinus nostris, tum quia non habemus symbolum cum illis, tum quia spiritus animalis cōstitutus in mediocritate non potest excedentia cognoscere antequam ab illis mutetur eius iudicium; nec excessa, quæ in ipsum agere non possunt, imo nec simillima, à quibus augemur non patimur: ex his ergo elucescit animalis sciētiæ modicitas, quoniam oportet nos pati vt sciamus. Seipsam autem ignorat anima, quoniam ab obiectis immutantibus alienatur à sui natura in ipsorum naturam. Hinc vtraque scientia, & innata & illata vacillat, & alteratur & confunditur. Diuinorum vero sensum non habemus nec sensorium, & si in nobis non est alia anima præter sensitiuam, omnis cogitatio de illis fit ex prauitate imaginationis, sicut enim fingimus Centauros, & Briareos, & Monoculos, ita etiam & Angelos alatos, & Deum gubernatorem rerum ex similitudine auium, & principis gubernantis in ciuitate, quemadmodum dixerant Epicurei. Si quidem ex passionibus multis anticipatis, quæ sunt notiones rerum, alias etiam res imaginamur. Si autem aliud genus animæ datur homini diuinitus, illud habet sensum diuinorum, & non per sensoria, vt in sequentibus manifestabitur sermonibus. pro nunc est retinendus assensus.

Ad 2. quæst. dico, sensationem illatam esse iudicium de obiecto inferente passionem: cognosco enim calidum quia ab ipso calefio; debet ergo obiectum agens esse contrarium patienti spiritui, alioquin in ipsum non ageret; propterea enim materiam non sentimus, neque spatium inane, neque Angelum, neque lineam, quia ab illis non patimur, seu cognoscuntur ratiocinio, vel quia similia his, à quibus patimur: nam simile in quantum simile est idem cum suo simili, idcirco cognito vno cognoscitur alterum, vnum illi: vel quia coniunguntur rei actiuæ à qua patimur, & sic videtur figura & motus & distantia, quatenus sunt coloratæ figuræ, & mobiles, & distantes res, ac proinde colorant lucem, & figurant, & motificant, & distantificant: & in his nutat scientia, quando vnum accipitur pro alio; & non totaliter, sed partialiter percipitur; si enim totaliter destrueremur; ergo cogimur ad modicum scire. Quando igitur anima sentiens percipit lucem coloratam & figuratam obiectis, patitur ab illa in quantum non est omnino idem cum luce spiritui innata, sed sicut aqua turbida tangens limpidam, immutat in turbidam ita vt sentiat se in turbidatam & in turbidantem alteram. Non posset autem sentire nisi afficeretur, & fieret similis sensibili obiecto; non fit autem similis, nisi quia communicat cum illo in materia, sicut aër non mutaretur in aquam, nisi eadem materia esset vtriusque. Neque enim calor conuertitur in frigus, nec aëris forma in formam aquæ, sed res calida in frigidam, & materia aëris in materiam aquæ. Cum ergo dicit Empedocles, nos sentire terram terra, aquam aqua, sicut lucem implantata luce, non est verum nisi ratione communis materiæ, quæ patitur receptiuè, & lux seu forma acquisitiuè: nam si perditiue prorsus vt calor à frigore, esset destructio iudicij sensitiui. Animam vero tot tantaque vt possit sentire ex primalitatibus habet. vt infra.

Ad 3. quæst. infra respondebitur, cum probabimus, vim sensitiuam non fieri ex aliqua substantia, sicut corpora ex materia communi: nec inesse quibusdam solum elementis, sed etiam calori & frigori, & materiæ & spatio vniuersali; de quibus quomodo patiantur, & sentiant in libro de sensu rerum dictum est, & in secunda parte dicetur: & hic quantum est opus præsenti negotio: primalitates enim essentiant rem omnem. Nec est aliqua substantia subsistens, vnde sensus ortum habent, (vt corpora de materia) quam dicunt animam mundi, vel si est non per decisionem, sed per multiplicationem & defluxum, vti sol lucem, sentientibus

daret rebus. pertinent ad essentiam, non ad substantiam primalitates ad intra. induũt ad extra respectum accidentalem.

Ad 4. quæst. quæ torsit Aug. & Philosophos oẽs, dicimus, in homine esse alterũ genus animæ, quod vocamus mentem cum Ambrosio; nec ab elementis, nec ab aliqua substantia instar corporeorum, decidi; sed à Deo non corporato vt putant Manichæi, neque corporeo, sicuti docent Stoici & Tertullianus; sed per emanationem ineffabilem: de qua in sequentibus libris erit sermo. Neque enim homo differt à brutis secundum magis & minus in operationibus animæ dignoscendus; sed sicut res superioris ordinis, namque obiecta habet & fines superioris ordinis, Deum videlicet Angelos, Ideas, & beatitudinẽ superexcedentem omnia bona corporum; propterea que contra sensitiuam animam, bona caduca tantummodò curantem, pugnat non ex obiectorum confusione, vt sensitiua, sed diuersitate. Nec frustra quæritat longe meliora & inuisibilia, nec suaderi hoc illi humani vel Papatus, neque vt famelicus abstineat ab oblato cibo, vt facit homo. Nec Religio, quæ totum genus humanum regit, vana esse potest: siquidem nullum membrũ nec organum, nec sensorium natura dat, aut facultatem aliquam, plantis aut brutis aut hominibus, quæ non sint vtiles, sed deceptoriæ, qualis esset cultus Dei, si nihil præter bona corporea brutis communia, ab ipso consequi nati essemus.

Præterea viri sancti & Legislatores qui cum superis communicauerunt, non possent tam enormiter ista mentiri, nec deceptores esse neque decepti, sicut in 3. p. probabimus.

Præterea, si anima humana ex elementatione veniret, sicut spiritus brutorum, nequaquam vltra elementa aut supra, erigeretur: neque enim vlla forma, aut vis corporea extra corpus suum vagatur, nec vllus effectus supra causam erigitur, nec pars supra totum. Mens autem humana in momento intelligit cœlum, terram, supra elementa, & supra solem erigitur, & iterum supra mũdum imaginatur alios mundos, & iterum alios innumeros sine fine: & cum putatur finire, incipit iterum vltra intelligere sese ampliando in infinitum, vnde intelligimus, quod non sit elementorum vis aut mundi particula, sed proles participatioque infiniti Dei; nam quamuis imaginata sint falsa, ipsam tamẽ imaginationem extendi sine fine, verum est. Præterea intelligit ante nos tempora infinita, etiam & post nos in infinitum. Nec cohibetur locis aut temporibus, sed omnia loca & tempora transcendit: ergo infiniti numinis soboles potius quam mundi particula, qui solum hoc & nunc sapit, videri debet. Eandem infinitatem & per consequens immortalitatẽ ostendit in amando & appetendo; quidquid enim acquisiuerit etiam totum mundum non contentatur. Desiderat vagari per totum orbem, videre stellas & quæ in eis latent, & alia systemata exteriora, & Archangelos, & Deum ipsum infinitum; res autem naturales aliæ, sua modicitate contentantur vt plantæ, & bestiæ. Immortalitas autem finitis tempore, & loco non congruit secundum naturam; habentibus contrarium, vel diuersum. Mens autem contrarium non habet, vt sensus: sed omnia contraria scit & iudicat desuper.

Inspice deinde artes humanas, ad quas non habent instrumenta parata à natura, sicut bestiæ, cornua, dentes, rostrum, vngulas, pilos, plumas, squammas, immo etiam fila quibus texunt telas, aranea, & sericus intra se habent. Homo autem omnia sibi comparat instrumenta, quibus arma & vestes sibi adsciscit, domat, possidet, lapides, metalla, arbores, greges, armenta, & ipsum mare, per quod nauigat. Item fulminat archibugio sicut Iupiter, dat sermonem chartis, & horologiis sapientiam; vtitur igne diuinissimo corpore, tanquam vilissimo: facit de nocte diem per lucernam vincendo leges fatales: notat tempora, solstitia, æquinoctia; facit miracula, prophetat, & in his tanquam diuinioris ordinis ens excedit bruta; quæ nec ad minimam horum partem perueniunt, quamuis excedant hominem in viribus sensitiuis, aquila visu, lupus auditu, canis olfactu, aranea tactu; nullum tamen ex eis ad hoc perueniet vt sciat ludere scacchis, quod minimum est. De his infra. Hæc autem homo non facit naturali ex scientia impressa, vt aranea statim nata texit retia: & hędus noscit lac Galeno in vasculo aliis vasculis aliorum liquorum associato: & ambulat sine duce: sed ratione à se expressa post tempora: à se non à natura dependens.

Quod autem putant ex passibilitate probare animam mortalem, decipiuntur: nam si anima esset corporis particula, vel qualitas, vel elementatio, cruciatibus corporis vinceretur, sicut vincitur sensitiua. sed Laurẽtius, & Sceuola assantur, Anaxarchus contunditur in mortario, Regulus innumeris cruciatibus confringitur, mens tamen immota manet inuictaque non cedit.

Igitur dolor, ægritudo, ebrietas, furiositas, obliuio, totalis etiam proprij nominis, quam scribit Thucidides, sunt spiritus & corporis; sed non Mentis. memoria enim rerum naturalium in spiritu seruatur; mens autem cognoscendi certè & verè, & non fallaciter sicut spiritus, spem habet diuinitus inditam, & quæ pro tempore accipit, vt melius acceptura, non curat. Hæc autem in inferioribus paulatim certiùs aperientur. Præterea hoc clarum est, quod homo disputat de omnibus, & cognoscit, quod non est scientia sensitiua, quorum non est sensorium; aut symbolum: nec excedentum, nec excessorum obiectorum: & noscit quod nihil perfectè scit: hæc autem non nouerunt bruta, nec discere sunt apta, ergo homini Mens diuinior inest, quæ ista metitur & sapit: & tandem sapit se non sapere: & cur & suadetur omittere bona præsentia propter meliora. Hæc autem brutis ignota sunt & pueris: nec suaderi, aut percipi possunt, quoniam passionibus & obiectis feruntur, & ratione sensuali: non autem intellectuali, quæ superioris ordinis esse comprobatur, quantum elephantus in sagacitate excedit plantas, & longe superius.

Appendix ad articulos præcedentes.

AT profectò in anterioribus valdè pugnantia secum Peripatetici dicunt, primo, quod anima sit forma & pura potentia; forma enim actus est corporis: ergo non est pura potentia, sed ad obiecta est aliqua potentia, ad ea nimirum quæ possunt in forma corporata recipi ita vt patiatur: vnde nec ad qualitates excessas neque ad excedentes est potentia, neque ad ea quæ non communicant secum in subiecto formato, vt Angeli; nec ad diuersa, vnde visus non est in potentia ad sonos & odores. Præterea contra se asserunt, animam esse potentiam & indiuisibilem & formam corporis. Indiuisibile

enim non poteſt informare diuiſibile & extenſum corpus niſi ſecum coextendatur: Igitur indiuiſibile eſt, & non ſicut centrum; quod contra ſe affirmat Ariſt. Præterea omnis forma ſiue accidentalis ſiue ſubſtantialis corporata, diuiditur ad ſubiecti diuiſionem, vt albedo & figura; quæ nec ſecundum rem, nec ſecundum rationem poſſunt eſſe indiuiſibiles; niſi forte quidditatem vocet indiuiſibilem, quoniam omnis pars albedinis in niue, habet totam quidditatem albedinis: quo ritu quidditas etiam corporis eſt indiuiſibilis; tum quia quidditas non diuiditur, tũ quia omnis pars corporis quanti habet totam quidditatem corporis quanti. Animam autem ſenſitiuam realiter diuidi, ergo & corpoream eſſe, indicant vt dictum eſt paſſio, motus de ſenſorio in ſenſoriũ, vigilia, ſomnus, conuulſio, apoplexia, & alia hic & in Phyſ. dicta: ſed nunc ad propoſitum lacertorum ſectæ caudæ, ſentiente ſpiritu ac mouente animatæ, donec agitatus ex anguſtis neruis egredi poſſit totus. Ariſtotelis fallax reſponſio, quod ſunt plures animæ in potentia, quæ eſt vna in actu, imperitiſſima eſt; propterea enim poteſt fieri plures quoniam corporea eſt, & poteſt diuidi ſicut vna aqua in plures aquas, & vna planta in plures plantas. quarum ſpiritus non poteſt ſubito & ſimul exhalare, ſicut in perfectis animalibus amplorum vaſorum: ideoque in partibus retinetur, & nutritus viuificat. Et quoniam dant Peripatetici ſenſitiuæ animæ incorporeitatem & indiuiſibilitatem, quæ formis corporatis nõ conuenit, viam ſibi obſtruxere, qua ad animæ humanæ dignitatem & immortalitatem ſine falſi ſuſpicione peruenitur.

(.·.) (·.·)

SENTENTIA PERIPATETICORVM DE SApientia, ſcientia, intellectu, & opinione, & de ſenſibus interioribus, & exterioribus, & de intellectu paßiuo, & actiuo. Item de partibus animæ, & ſubiecto, ſecundum Peripateticos, & Platonicos & Galeniſtas, cum eorum fundamentis.

CAP. VI. ART. I.

DIFFICVLTATES igitur in principio poſitas ſoluere volentes, viam à Peripateticis præpeditam complanare neceſſe habemus. Hi enim profitentur, ſcientiam non eſſe ſenſus, ſed intellectus, quem faciũt alterum genus animæ, alij mortale, alij immortale, alij actum corporis, alij aſſiſtentem ſubſtantiam; & ab eo regulari putant ſenſum cũ errauerit; & ſcientiam non eſſe ſingularium, ſenſui cognitorum: nec corruptibilium, ſed vniuerſalium, æternorumque. & ſic ſatisfaciendum putant his, qui tollunt ſcire propter ſenſus deceptionem & ſenſilium varietatem: ſemper enim homo eſt animal rationale, ſed non hic. Putant autem ſenſum ſingularia ſolum percipere cum præſentia materiæ, vt hunc hominẽ, non autem hominem. Porrò ſenſitiuam animam primo partiuntur in exteriorem, quam in quinq; prædictas diuidunt, faciuntque eas quinque formas, quinque ſenſoriorum. & in interiorem, quam Ariſt. in phantaſiam, & memoriam, & ſenſum cõmunem diuidit. Auerr. verò addit cogitatiuam. Auicen. æſtimatiuam. Eſt quidem illis ſenſus communis vt ſingulorum ſenſuum obiecta conferat, videlicet albedinem per viſum acceptam & ſaporem pomi per guſtum, & odorem per naſum &c. Alioquin niſi conferantur, & vniantur, eſſent potentiæ ſicut ego & tu, diuerſa ſentientes, & ſcientiam eiuſdem obiecti totalis non adunantes. Item vt cognoſcat ſenſationem. Viſus enim non videt ſe videre. Scimus autem nos videre, ergo per ſenſum non particularem: ergo communem. Quem Alexand. ponit in corde: Auicen. in cella cerebri, quæ eſt in fronte vnica, & ei Auerr. & Latini adhærent. Aſſignant inſuper communi ſenſui ſenſilia communia. Nempè motum, quietem, numerũ, figurã, magnitudinem, intercapedinem. Quæ non coloribus modo, ſed ſonis & tangibilibus coniunguntur: & quia ſunt quinque ſenſoria, non ſunt, niſi quinque ſenſus, & non plures exteriores. Mox phantaſiam eſſe motũ, per quem ſimulachra quædam gignuntur in anima. Hunc autem eſſe alium à ſenſu probant, quoniam ſenſus fit ſenſilibus, duntaxat præſentibus & in vigilia, & non eſt noſtræ ſpontis ſentire, ſi abſit obiectum, & ſemper verax eſt de proprio obiecto; imaginatio verò eſt de abſentibus & in ſomno, & cum volumus. & ſæpè fallax eſt. Præterea vt arguit Plato in Theæteto, ſenſus omnibus ineſt animalibus, non autem imaginatrix: vermes .n. & oſtrea carent. Data autẽ videtur homini vt eum regat in ſomno, ait Ariſt. ſed Auicen. & Auerr. & Latini, vt ſit theſaurus ſpecierum à ſenſu communi acceptarum: quas non poteſt iſte ſeruare, quoniam in parte capitis anteriori humida eſt: ideoque commendat eas phantaſiæ, quæ eſt in parte ſicciori, id eſt, in ſecunda cella, quã ponunt in medio capitis, ſed Ariſt. in corde lib. de ſomn. Quod autem non ſit idem phantaſia cum intellectu, & ſcientia; probat ex ratione Platonis, Ariſtoteles, & Aphrod. quoniam intellectus & ſcientia nunquam falluntur, & ſunt ſolum in rationalibus animabus. Phantaſia verò fallitur, & eſt in irrationalibus. neque eſt opinio, quoniam hæc eſt aſſenſus cum ratione. Mox hanc animæ partem in duas ſecat Auicen. in eam ſcilicet quæ ſpeciem conſeruat, quam propriè phantaſiam vocat: & in eam, quæ de ſpeciebus negotiatur, copulans, & diuidens, quæ imaginatrix dicitur. Addit Auerr. vim cogitatiuam, quam in capite poſt hanc locat, cuius munus eſt ex ſpeciebus ſenſatis elicere non ſenſatas, vt ex verbo iraſcentis apprehendimus inimicitiam: & ex actibus, vitia & virtutes, quæ ſenſibus exterioribus non ſentiuntur. Hanc vocant in nobis cogitatiuam, & ra-

Plato in Theæt.

& rationem particularem, quia fit cum discursu singulari: in brutis vero quia per instinctum sine discursu, vocant æstimatiuam: huic subnectunt cellam in occipite in qua locant Memoriam: cuius est seruare species has insensibiles, quoniam benè sicca est illa capitis pars, beneque retinet. & hæc solo instinctu expergefit in brutis: in homine verò etiã cum discursu, & vocatur reminiscentia. Differt memoria ab imaginatiua, vt probatur ex præfatis functionibus, & quia insuper muscæ carent memoria, nam disciplinabiles non sunt: non tamen imaginatione, qua mouentur. adiiciunt his vim motiuam in corde, & appetitiuam, de quibus alibi. Addit partem animæ rationalem, quam separant à sensuali, quoniam illa est in homine, & non in brutis; & Alexand. vult, eam aduenire post sensiliũ adeptionem, quia confert ad bene esse, non ad esse. Postea addunt intellectum passiuum, qui possit omnia fieri, & vniuersalia intelligere, & scientiam facere, in qua non sit error: & quia, vbi est patiens, datur & agens; adiiciunt intellectum actiuum, cuius est munus phantasmata defæcare materialitatibus, & facere vniuersalia, hoc est intelligibilia, qualis ipse est: sicut lux colores potentia visiles, facit actu visiles, ait Arist. vel sicut Alexand. dicit: *Quemadmodum ignis maximè actiuus vocatur, quia omnem materiam, quam occupat consumit, sibiq; pro alimento præbet, cum tamẽ patiatur quatenus nutritur: eodem modo intellectus actiuus existimandus est, à quo potius denominatur anima agere, dum intelligit, quam pati à passiuo, quoniam à nobiliori fit denominatio.* Verũ de intellectu passiuo digladiantur. Alexand. enim ipsum ex temperie elementorum optima nasci putat, vt eorum perfectionem: actiuum vero esse substantiam gubernatricem hominum in cunctis eandem vnicamque. Auerr. verò vtrumque abstractum ponit & immortalem, & vnicum in cunctis hominib. Latini vtramque potentiam animæ immortalis faciunt, quæ plurificatur cum indiuiduis. Animam vero esse formam corporis, non autem ipsas potentias: sed conueniunt omnes, quod scientia est sempiternorum, vniuersalium defæcatorum ab intellectu agente. Opinionem vero, esse rerum contingentium, etiam in intellectu quatenus reflexè singularia intelligit, & ita fieri practicum volunt; & distingui in speculatiuũ & practicum, huiusque habitus esse prudentiam & artem; illius verò sapientiam, quæ est causarum altissimarum: & scientiam, quæ est conclusionum vniuersalium: & intellectum, qui est principiorũ demonstrationis, nempè quod omne totum est maius sua parte &c. & in his non esse errorem, sicut in sensu, ideoque antiquiores errasse, quia hanc scientiæ arcem non inuenerunt.

2. de anim. cap. 19.

Probat autem, sensum esse aliud ab intellectu: quoniam ille est alligatus organo corporali, & cognoscit alteratione corporali, & à vehementi sensibili offenditur, & cognoscit singularia tantum hic & nunc. At intellectus nõ est alligatus organo: intelligit vniuersalia, sine alteratione corporali, & à vehementi intelligibili confortatur, ita vt magis postea intelligat minus intellectilia. Item sensus cognoscit hoc esse: intellectus vero quidditatem formalem, conuenientem huic & aliis.

Aliud animæ genus faciunt nutritiuam, quę alit, auget, & generat, & has omnes ponit in corde Arist.

Disputant Peripatetici vtrum sint plures animæ vel vna. Scotus cũ Græcis & Arabibus eas substantialiter plurificat: D. Thom. solum potentias. Galenus, sequens Platonem, ponit Rationem & Motiuam in capite, Irascibilem in corde, Vegetatiuam in iecore, quoniam est dissidium inter illas: sæpè .n. ira repugnat rationi, & appetitui, & hic illis: sed differt à Platone, quoniam temperiem cerebri facit animam, solamque sensu donat. Plato autem dat sensum etiam cæteris: at in cerebro ponit animam immortalem non ex temperamento, neque formã. Deinde Galenus diuidit sentientem cerebri temperiem in discursiuam, imaginatiuam, & memoratiuam. Quoniam per ægritudines agnouit posse vnamquamque deperdi seruatis alijs duabus. Plato autem in cerebro sensum communem, & phantasiã, & rationem, & mentem ponit, vt dictum est in cap. 2. art. 8. sed de his disputatum est in quæst. Phys. & in medicinalibus. Nunc vt proposito est opus disserendum, consulimus.

(.·.) (·.·)

OMNIA ENTIA PARTICIPIO SENSVS

prædita aliquo esse: propterequae suo quodam naturali modo sentire, si seruari debeãt: at animam vegetantem, & irascibilem magis, & rationem participare: pugnamque inter eas non indicare diuersitatem animarum vti Galeno, Platonique videntur, sed obiectorum & finium, & misturam boni, & mali respectiuè in eodem obiecto: & partium animalis temperiem variam, vsumque varium, ac sentiendi modos.

CAP. VI. ART. II.

IN Apologia pro nostro libro de sensu rerum, omnia entia sensu naturali prædita esse Theologicũ esse dogma, cõueniens perfectioni rerum & veracitati diuinitatis, probatum est ex sacris literis, & Patrum & Scholasticorum, & Philosophorum omnium, testimonio, exceptis Epicureis Deum negantibus.

Nos autem iterum in 2. par. demonstrabimus, omnem rerum naturam, quasi sentiendi facultate donatam esse, & potendi, & appetendi. Hic autem prælibamus. Siquidem res cunctæ potentia essendi, & sensu essendi, & amore essendi consti-

tuuntur, ex primi entis participio. Neque ad momentum duraret tota natura, vel eius particula, si non posset esse, aut non sentiret esse, aut non amaret esse. sensu enim cognoscunt insuper nedum esse, sed contrarium ens, quo cum pugnant vsque ad necem, & simile congaudent, & noxia & vtilia, quibus destruuntur & seruantur, & illa vitant, ista sectantur. Ablato autem sensu, non erit fuga, neq; sequela, neque actio, neque passio, neque rerum distinctio, sed chaos vt in proprio commentario declaratum est. & diuinæ literæ sæpè admonent; sapientiam Dei super omnem carnem, & super omnia opera Dei, effusam esse, ita vt in aliis participata sit naturalis sensus, in aliis animalis, in aliis verò rationalis, concludere liceat. & alibi omnia naturæ elementa, & elementata viuere, ac Deo obedire necessario asserunt.

Eccl. 1.

Eccl. 42.

Primum ergo genus animæ, quod vegetatiuum vocant & concupiscibile, in plantis repertum, sensitiuum aliquo modo imperfecto prorsus est, non tamen quantum in animalibus, in quibus etiam alius est sensus spiritus, alius carnis, alius ossis & dentis, & nerui: obtusior, sc. clariorque. Neque ex eo, quòd planta materialiter suscipit nutrimentum nō sentit, veluti arguebat Arist. Nam & tactus noster, & gustatio sensu fit materiali, & tactus veneris similiter, quem huic tribuunt animę, quam secant in nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Neque enim planta nutrimentum bonum à noxio distingueret absque sensu, sed omnem & ex quacunque terra sugeret; neque exhilararetur pluuia, erectis viridantibus foliis: nec mereret, demissis squallentique vultu in magno æstu comis: neque sciret partes cibi distribuere: nec partes sine sensu attraherent: nec appeterent; appetitur enim nihil nisi prænoscatur: neque spinas contra feras parare: folia contra frigus & æstum, semen contra mortalitatem. & licet à causis instigentur melioribus, haud tamen instigari queant citra violentiā nisi sentiant. Non enim lapis obedit, sed fera, & si, vt S. Hieronymus ait, omnia sentiunt creatorem, cur non & cibū? & proficua, & noxia, quanquam non sunt animalia? Præterea enim non quemcunque cibum appetitiua captat, sed proficuum; & coquit multum calore multo, paucum, pauco, vti peritus coquus: & fœminas concupiscit non quascunque, sed blanda temperie, pulchraque donatas: in quibus semen fructificet melius, & procurat generationem contra mortem, quod est rationis, vel participatę opus, vel obedientis non erranti intelligentiæ. Vnde D. Thomas facit vegetatiuam participio sensitiuam, & sensitiuam participio rationalem, & rationalem participio intellectualem seu Angelicā ex Dionys.

In 8. Mat.

Similiter & irascibilis, cui Galenus dat tractare arma, & imperia, facinoraque gloriosa. quæ non modò sensum, sed rationem summam requirunt. Præterea non irascimur, si quis nos lædit casu, vel nostri boni gratia, vti præceptor & medicus, sed si propter despicientiam. quam nosse est opus rationalis, & imaginantis animæ. Sentit ergo & imaginatur ipsa irascibilis, participatque rationem; neque enim obediret rationi, si eius non sentit præcepta, & persuasiones. proptereaque Arist. in Ethicis rationis participium illis adscribit. Si enim cōtra quem irascitur, audit eum peccasse non sponte, statim vindictam paratam omittit. At quomodo id nouit, aut persuasa fuit tam cito, nisi sentiat, discurratque? temperies autem cordis & iecoris stupidas, insensa asque, & materiales, despectum & persuasionem, & præceptum imaginari obaudireque posse, nil credendum: sed sapientiorem vim à crasso corpore minus dependentem, qualis est spiritus. Sensum autem discurrere & memorari, & imaginari, concedit Galenus, quamuis immotam stupidamque temperiem hisce operationibus ruditer præficiat, idcirco nunc ad Aristot. sermo dirigatur; prius tamen satisfaciendum Galeni ratiunculis: quæ eædem sunt cum rationibus Manichæorum, teste Augustino.

Non enim quia contra iram insurgit ratio, & contra noxij cibi concupiscentiam, ira & ratio & concupiscentia sunt tres animæ subiecto distinctæ. Nam & rationalis dum secum disputat, contra se argumentatur, donec veritatem inueniat: nec propter hoc duplex anima, sed in obiecto obscuritas, & incertitudo. aliquando etiam id accidit ex corporearum partium diuersa temperie, quibus alia prosunt & nocēt: igitur quia placet linguæ frigida, & nocet stomacho, & pugnæ febricitātis, dum vtriq; parti satisfacere vult spiritus, secum pugnat. Similiter dum præceptis simul patris & matris cōtrariis cupimus obedire, fit repugnantia in anima, dissidiumque. Est ergo diuersitas in obiecto & fine, & temperie gubernati corporis, diuersas apparentias, & argumenta in anima cognoscente, facientibus, non autem in ipsa cognoscente. nihilominus tamen ex eo, quod contra corpus & spiritum mens diuina appetit, & à corporis gubernatu alienatur, eiusque omittit curam omnino in exstasim rapta; spiritus vero corporeus è contra diuina auersatur, & inferiora concupiscit vsque ad delirium & insaniam, diuinæque vitæ prorsus repugnat; legi Dei non subiectus; ex his concludere licet mentem humanam, & spiritum animalem duas esse substantias, alteram diuinam, alteram mortalem, fines oppositos habentes. Quod ex Apostolo argumentum sumimus, non ex Galeno, qui animam mortalem modo triplicem facit, vanis argumentis adductus, quæ & in brutis conspicitur, sicut suo in loco declarauimus. Hanc tamen mortalem triplicem in facultatibus, non in substantia facimus, sentientem, imaginantem & ratiocinantē per participationē, sicut & S. Thom. videtur. Mentem vero per essentiam, quoniam ex primalitatibus constat, & non ex corpulentia, primalitatum participe, quemadmodum animalis spiritus in cunctis organis idem. quomodo autem Mens sit forma, postea dicendum.

In q. Phys. & in 2. de sens. rerū, & in Med.

VNAM ESSE SVBSTANTIAM SENTIENTEM *in omnibus organis, & vnum realiter sensum: sed plures sentiendi modos ob pluralitatem obiectorum, & non extare sensum communem à particularibus distinctum: sed eundem Spiritum esse, qui sentit obiecta communia, & particularia confert, & sentit se sentire, contra dogmata Peripateticorum.*

CAP. VI. ART. III.

QVINQVE sensus exteriores secundum substãtiam sentientem idem sunt. Secundum verò organa plures sunt, & secundum obiecta, quæ pluribus organis hauriuntur: nam & organa artis ad rerum diuersas tractãdas etiam diuersa sunt. Plura autem organa plures operandi modos, sentiendique requirunt; plures autem modi plures requirunt facultates, quæ in substantia animæ vnum sunt: in relatione verò ad obiectas res, plura. manifestum est præterea, dari sensum veneris in genitalibus, actu, & instrumento, & obiecto differentem ab aliis, & sensum famis in ventriculo similiter. Non enim idem est cum eo; ille enim non dolet, nec famescit, vt iste. sunt sensus ergo, vel modi sentiendi tot, quot sunt partes in homine. Aliter enim sentit dens, & caro, & spiritus, & omnia organa potestatiui, & appetitiui sensum habét materialiter, licet formaliter & principaliter non sentiendi, sed potendi, & appetendi organa sunt. Ad diuersos ergo vsus sensilium, quibus seruamur & destruimur, diuersa facta sunt organa. Prout eadem vel plura diuersis modis nobis communicari possunt, vt supra dictum est. Neque item decuit eodem organo videre & gustare, sicut nec eadem lyra canere, fodere, & pugnare, quoniã obiecta sese impedirent, & organum destruerent: vti enim lux & color admittatur, requiritur transpicuitas: ad saporem verò spongiositas. spongia in oculo destrueret oculum, & cibus operiret viam transparendi, lucemque admittendi. Tot autem sensus animali insunt, quot opus sunt ad eius conseruationem. Quapropter, cum non omnia entia sint eius conseruationi necessaria, non omnia sentire opus habet: sed quæ sunt sui ordinis proficua & noxia. Angelos enim nõ sentit, neque tenuissimum aërem semper, neque vires rerum languentes, quoniam ab his lædi, vel iuuari nihil, vel parum potest. Vtrum autem in homine sit sensus diuinorum, alibi demonstrabitur: si enim ad ipsum pertinent; habet, quo illa sentiat. & quia sensibus externis non cõueniunt cum sint alterius ordinis, diuiniore quodam cernuntur pacto, meliorique viuendi modo. ad vitam enim corpoream nosse oportet, quæ nocent, aut iuuant, à nobis curanda: quæ autem nos curant non cognosci, sed ipsa nos cognoscere ad custodiam oportet, ideoque bruta Angelorum cognitione actiua non indigent, sed passiua. Mens autem quidquid operatur sentiens anima, & ipsa operatur cum ea: sentit enim, memoratur, reminiscitur, imaginatur, ratiocinatur circa naturalia, & insuper operationem habet propriam erga transnaturalia per se, ad quem etiam rapit spiritum sensitiuũ. Patet in extasi ad superiora: sicut spirit⁹ rapit mentẽ ad inferiora, vt patet in ira & libidine, propter consortium vt infra. Vnum autem esse sentientem spiritum in animali, paulò antè declarauimus, cum introrsum & extrorsum spiritum moueri ostendimus; & nunc videre in oculis, nunc in capite operari, dormientibus externis partibus. Item quòd cum attentè quid inspicimus, ægrè audimus, quoniam totus spiritus in oculos ferè confluit: at quoniam corporeus est, potest simul in diuersis organis partiri functiones; sed cum vna necessario offertur, maior pars illo confluit, & ad alias ęgrè sufficit. Ex hoc excluditur positio sensus communis: cum enim idẽ spiritus in cunctis operetur sensoriis, ipsemet obiecta ipsorum confert, & distinguit, & non altera pars animæ, aut potestas in altero posita organo. si enim alia esset non posset illa simul nosse: siquidem si tu saporem sentis, & Petrus albedinem, non possum ego illum saporem, & albedinem distinguere, & conferre, neque tu, vt Arist. contra se ipsum admonet ratio. Sed in hoc quoque falluntur Peripatetici, quoniam putant sensum esse organi formam, & non spiritum, qui organis sentit; sed neque vnquam declarauit Arist. quomodo idem sensus communis indiuisibilis possit diuersis obiectis simul informari, & iudicare. nam confert & diuidit. Respondet tamen responso sumpto ex Platonis Theætheto, videl. quod vnum indiuisibile sicut centrum, quod quidem est multa, relatũ ad lineas protensas ad peripheriã. Sed aio: multiplicitas relationis esse ita potest in vno indiuisibili, non autem passionis: sensus enim patitur à sensibili. ideò quæro quomodo potest contrariis & diuersis obiectis simul moueri & pati, & informari. quod anxiè Aphrod. disquirit, & cùm dubitasset, vtrum sint in sensu communi, sicut albedo & dulcedo in vno pomo, & nequaquã approbandum videretur, quoniam si contraria sensus iudicat contraria esse, necessariò afficitur ab eis contrario modo: neq; quia recipiuntur immaterialiter, non sunt contraria album & nigrum, vt postea dixit. Nam probauimus realiter pati sensum, & iudicare; propterea quod patitur contraria à contrariis contrarietatem, alioquin nunquam talia iudicabit, qualia sunt. Tandem videtur eidem Alexand. posse sensum cõtraria percipere, quia in diuersis suis partibus, quarum quasi linearum est ipse terminus, diuersa obiecta patitur. sed hoc fieri non potest. non enim centrum afficitur, dum lineæ afficiuntur: ergo oportet ad ipsum centrum peruenire cõtraria. cum autem peruenerint, oportet centrum, si indiuisibile est, totum illis affici, ergo contrarię passiones simul erunt. quapropter nequaquam Peripatetici satisfaciunt, neque spiritum sentientem & corporeũ

agnoscant indiuersis sui partib. patientē simul diuersa, & iudicantē diuersa propter sui continuitatē. & is est, qui sensilia cōmunia vna cum particularib. internoscit, & sentit, se sentire in singulis sensibus, nā & migrat in alterum oculorū totus, cum quid spectandū benè est. & ipse Aphrod. & Arist. sententia » docet; non modo sensum communē, sed particularē » sensum sentire propriam sensationē: nam ait, sensi- » bilis rei actus & sensus vnus est; fieri autē sensibile » est sentire sensibile: ergo, qui sentit sensibile, sentit » se fieri sensibile, quod est sentire: alioquin pati se nō » perciperet, & quidem in oculo remanet albedo ab- » eunte vehementi albo indicans hoc. Visus autē non videt oculum, quoniam in eo videt, & non sibi ob- « iicitur: sed neque sensus communis videt oculum. « neque se, sed videt se videre quod videt. Quomodo omne cognoscens extranea illa fit, & alienatur à se, ac videtur sese non cognoscere cum cognoscit, vt in 2.p. declarabimus. Quapropter Aristot. imperitè sensum communem ponunt: & rationes eorum sunt inanes, secumque pugnantes. Plato autem ponit sensum communem rectius, quia non ponit sensus plures vt formas organorum, sed organa tanquam fenestras ad vnum sensum non alligatum organis sensoriis, cui copulat mox phantasiam, & huic rationem, & huic mentem.

In 2.q.nat. cap. 7.

MEMORIAM NON ESSE ALIVD A SENSV, *sed eandem animam memorari & sentire. memoriam esse sensum anticipatum: Reminiscentiam verò sensum renouatum, & vtranque per realem paßionem, contra Aristotelicos & Galenistas. Rationumque contrariarum solutio.*

CAP. VI. ART. IV.

Cvm igitur spiritus sentit obiecta, patitur in potestatiuo, & simul iudicat in cognoscitiuo. Passio autem remanet, abeunte actiuo, sed lāguida. Hęc autem remansio est memoria. Ergo idem spiritus sentiēs est qui memoratur, nō aliqua res distincta. obliuisci quoque contingit, quoniā aduenientib. nouis passionibus priores cessant, & oblite- rantur: sicut in aqua per nouam motionem prior motio deletur. sed tamen remanet facilitas ad illam præhabitam motionem, sicut cicatrix. Ideoque facilè pati potest, quod prius passus est. Manifestè quidem passus nauseam in mari, cum meminit, iterum nausea afficitur; & qui vulnus accipit, quoniam meminit, horrescit. & quidem insuper occisus corā occisore: ergo idem sensus patitur, & recordatur, quod est repati, & resentire, & renouatio passionis. magis autem repatitur, si simile offertur obiectum, vt memini Romam dum video Neapolim, & fratris dum video alterū similem fratri; vel locum in quo reliqui fratrem, vel tempus. vnde quot annis eodē die memoriam facimus earundē rerum & solemnitatum, & passionum: ac quoties consimile offertur. Memoria ergo est repati, & in hoc differt à reminiscentia: quoniam quādo à simili repatimur, videtur fieri sine discursu. Quando vero ab adiunctis simili dicitur reminiscentia: veluti cum ex tempore recordor loci in quo fui tali in tempore, & locatarū & contemporanearum simul rerum: & vtraque est in nobis, & in brutis: vnde asinus non vult per viam transire, in qua cecidit, neque per consimilem illi; & singulis annis mutant hirundines regionem, & equi pascua, in regione nostra, ab armentario nec incitati. Necessaria fuit animantib. memoria cunctis, vt ex præteritis discant cauere vel sequi futura obiecta, noxia, vel vtilia. Ergo falso Arist. separat memoriam à sensu, & imprimit eam sensorio. sed & sensus, & memoria à sensorio separanda erant. Quando autem docet muscas non memorari. Ergò esse aliud à sentire: nil forsan dixit, nā & ipse muscę memoriam habent eorum quæ manducarunt, & reuertuntur ad pastum. Non tamē disciplinam suscipiunt nostram, sicut simij & asini, quoniam proportionatæ ob suam paruitatem nostræ disciplinæ non sunt: sicuti nec apes, quas memorari non audet negare Arist. sed tamen priuat auditu; quod & falsum est: audiunt enim tinnitum ferri, & proprios susurros, & excubantiū, & vocantiū ad opera, vt manifestū est. Neq; ipsi Aristotelici credūt Arist. in hoc: exilitas tamē earū spiritus nostro est improportionata, ideo nō coütūtur disciplina, nisi forsan cibo illectę.

Sed Galenus arguit, perdi memoriā, seruato sensu. ergo. resp. non propterea memoriam non esse in virtute sentiente, sed quādo nimis tenuis est spiritus à nimio calore attenuatus, pars eius exhalat antequam alter spiritus aggeneretur, & afficiatur eius motionib. notionibusq; idcirco runc cōtingit obliuio. Multi quoq; propter infirmitatē, omnē perdiderunt scientiā, quod sanè indicat in spiritu eā seruari, & nō in intellectu Arist. ac posse perdi, quoniā vehemēti ægritudinis passione obrutus, dum cōtinuo exhalat, non cōmunicat nascenti spiritui ex sāguine, passiones scientiæ: sed illā grandē modò passionē, quæ est ab infirmitate. Quapropter sanatus, est prorsus alius. sed aliqui quorū ægritudo nō tanta fuit, similis Atticę pestis, vt omnino deleret pręuias motiones, facile deinde reminiscūtur, inspecto codice, & obiectis sciētiæ, iterū mouentib. cicatrices, obductas, sopitasq. Ipsę quoq. sybilla nimio percitę calore, quę sagaciter vident decantant (aiunt aliqui; de qua re nūc nihil assero) abeunte autē attenuato spiritu, teste Iustino mart. obliuiscuntur oraculorū, sicut diximus in 3. de sens. rerū, & in 3. par. præsentis operis. Prophetæ autē diuini nō obliuiscūtur, quoniā absq; eiusmodi alteratione illuminantur. Hinc facile coniectabimus quāobrem tēperatura præditi calida, tenuissimoq; spiritu, facile vel minutissima sentiūt: sunt tamen obliuiosi. E contrà crassi spiritu, difficile: nec nisi grādia sentiunt, eorumq; memoria pollent, sed difficile reminiscūtur, discurruntq. mediocres autē mediocriter sentiūt, & memorantur & melius discurrūt. Quapropter falsum est, quod sicci cerebro sunt tenacioris memoriæ, humidi vero labētioris: illi. n. calore nimio exiccati spiritus habēt

Obiectio Galeni. Solutio Auctoris.

tenuissimos fugacissimos, ideoq; minus retinēt. Isti crassos, idcircò minus recipiunt, magisq; tenēt. Cerebri autē temperies cōmoditatē solū præstat, & incommoditatem. Ratio sensus & memoriæ & reminiscentiæ est in tenuitate & puritate crassitie & impuritate spiritus. vide q. Phys. & Med.

ANIMAM IMAGINANTEM EANDEM *esse Sentienti, Memoranti, & Ratiocinanti; contra Arist. & Auicen. & eorum rationes contrarium probantes, vanas esse. & quo pacto contingat veritas & falsitas in sensu imaginante.*

CHAP. VI. ART. VI.

QVONIAM vero quæcunque sentit spiritus, retinet, non sicut species in tabula, sed sicut motiones in aëre, ex quibus iudicat de mouentibus. Igitur phantasiā ad conseruandas motiones in sicco frustra ponit. Idem enim sentiens spiritus eas conseruat. Neque ad copulandas, & diuidendas species. Non enim quasi manu tractantur, & copulantur, & disiunguntur, sicut corpora ab artifice: & aurum & argentum ab aurifice: sed ipsa sentiens anima seruat, quas sentit, species: quia fit ipsæ species Aristotelicis: nobis vero quia mota est, potest moueri. Ergo non alia virtus accedit faciens hæc, sed ipsámet habens motiones, potest copulare motionem auri & montis, & fingere montem aureum: & hominem sine capite imaginari, motionem hominis non totam recolendo: vel quia vidit in rebus diuisiones rerum & copulationes, & relationes, & harum motiones in spiritu quoque seruantur: propterea potest anima applicare motum diuisionis motui hominis & efficere diuisum hominem, & hæc potestas est in eo ob conseruatas species, vt possit, quæ non videt sensibus, ex ipsis imaginari. Quemadmodum imaginor cuiusmodi sit Anglia, ex eo, quod vidi Siciliam: & formo angulos maiores, quoniam & horum motus in spiritu seruantur. Sic Mathematici videntes eleuari solem, deprimique in oppositis punctis imaginantur cælum crassius, & gracilius, & excentricitatem. Vbi palam est, hanc imaginatiuam esse aliquando applicationem rerum sensatarum ad non sensatas, & imaginatarum ad faciendas. Sicut inuentor molendini imaginati, fecit molendinum reale: & auis ex imaginato nido, facit realem. Ergo est discursiua, vt etiam vult Plato & Syllogistica, vt sic: vt ex speciebus alias species facit: & memoratiua, vt species retinet. Ergo idem sensus est phantasia; & non fit per species, sed per motiones Quod phantasiæ nomen ipsum docet, & Aphrod. hoc in loco: *Quæ species*, ait, *est albedinis, aut soni typus*? Et Themistius in Paraphrasi de insomnis. Hæc facultas spiritus melius est in mente: fingit Fabulas, Briareos, Chimeras, Poëmata, Scripturas, & Ideas faciendorum opiciorum: ergo valdè rationalis est. Sed fallitur, quando res imaginatur non sicuti est: veluti si Constantinopolim putarem esse prorsus similem Neapoli. Siquidem dum applicas similitudines incertas, contingit falli, dum certas minimè: & huiusmodi est syllogismus alius à simili accidentali & remoto, alius à simili essentiali & propinquo. In somno potest imaginatio, quoniam reliquiæ diurnarum motionum expergiscuntur. quiescente spiritu à motionibus aliis, & repræsentant visa in die, tanquam præsentia, vel copulantur motiones, & disiunguntur, & apparent monstrua. Spiritus autem quoniam afficitur sicut in die, putat simulacra esse nuncia veri præsentis, quoniam non sunt sensoria aperta, vt videat, an ita sit in re: & dum vacat nutritioni, est insufficiens discretioni.

Notandū. Hîc notandum quod in somnio & in delirio, putant Epicurei perdi animum, alij mentem, in ægritudinibus verò animam, vnde duas res faciant animum & animam. Quod si contigeret tantum in homine, putaret quispiam eos vera prædicare: cum nec verum videri debeat assertum. Cur enim somnium & delirium perdant potius mentem: ægritudo vero potius animam, gratis asseritur. Nos autem putamus, in ægritudinibus prauè affici dispositiones corpusculumque spiritus. In deliriis vero primalitates & motiones eiusdem. Siquidem & à fuligine infestatus, videt vmbras & serpentes: & à vapore cui supernatat, videtur sibi volare: & non modo in nocte, sed etiam in die ista contingunt. Quando nimirum spiritus attenuatus est, & à quacunque re parua afficitur multum. Sic videns lineamenta in pariete, videtur sibi animal videre: quoniam species animalis in phantasia sopita resurgit ex modica illa similitudine. Et quia insuper debilis est, cum non possit discurrere ad notitiam, & venari quod hæc apparitio est falsa, decipitur, & assentitur, sicut in somnis. Et si credit omnino ita esse, iam delirat, se ipsum corrigere non valens: si vero sic apparere sibi opinatur, non autem existere quod apparet, ægrotat spiritus, sed nondum insanit.

Præterea, cum quis nimio alicuius afficitur timore, vel odio, quidquid videt, putat esse aliquid illius, quoniam spiritus vehementer imaginatur rem amatam, aut formidatam, & dum in ea passione existit, obiecta illius passionis quasi sub veste repræsentantur: Possunt & passiones illatæ hanc nutrire affectionem, vnde à cane rabido commorsus vel tarantula, ita afficitur paulatim, immutaturque in affectus caninos, vt imaginetur, se esse canem, & latret: quoniam spiritus caninus effectus est à canino veneno, crescente in illo, vnde nutrimentum canino ritu coquit & afficit, animatque semen canino quasi spiritu: veluti frumentum seminatum, retinens Ideam, vnde decisum est, aliud frumentū ex terra in se immutata progenerat. Hinc palam fit, scire esse quoddam fieri vel sequi ad fieri: & totale fieri perfici, mutato ipso scire in rem scitam, & ab ipso nasci appetitum & impulsionem: vt in 2. parte monstrabimus. Quapropter palam sensus exterius imaginatur: sed non semper sicut interius: quoniam ille ab obiectis extrinsecus corrigitur & emendatur: iste vero mini;

mè, vbi solum absentia sentit: licet somnians aliquando syllogizet se somniare: si spiritus liber est. Hinc soluitur Platonis dubitatio in Theæteto, quomodo dum aliquid cogitamus, multæ species rerum aliarum, quasi columbę volantes in nostro animo expergiscuntur: quoniam scilicet omnes motiones similes sese mutuo excitant cuiuscunque prędicamenti similitudine essentiali vel existentiali, & cum sit aëreus spiritus multis simul agitatur.

Rationes quibus distinguitur Peripateticis à sensu imaginatio, vanæ sunt. Prima petit principium. Id enim quærimus num idem sensus percipit præsentia & absentia: ipsi vero separant eum per hoc, quod absentia & præsentia non sunt eiusdem virtutis cognoscitiuę: in quo etiam experimento conuincuntur, cum palam sit, quæ sensus percipit, remanere in eo, & per illa de aliis imaginari posse; & in vigilia fieri etiam imaginationem, dictum est. & in somno sensum: non enim imaginamur, nisi videre, audire, & pati, quæ à sensibus accepimus, vel eisdem consimilia, quoniam motus absentis, & qui relictus est à præsentibus, debilior est. Item planum est quod idcirco possimus imaginari, quod obiectum iam est in sensu: non autem sentire exterius, quoniam non adest. Sed neq; est alia ars, quæ potest & cogitat ædificare, & quæ ædificat: sed differt obiecto pręsẽti & absẽti. Ad aliud: fallitur imaginatio, quoniã absens obiectum est: species vero eius non ita fortis est, eo absente, vt præsente: itaque aliter quam sit, potest offerri, dum eius motio recolitur, & ab aliis intercipitur: vel similis pro illo excitatur alia. Sed & sensum falli circa proprium sensile vidimus, quoniam remus in aqua & in aëre aliter apparet, & color rubeus in sole, apparet croceus in lucernæ lumine, & propè & procul aliter: sic phantasia: sed præsertim fallitur in syllogismo, vt etiam sensus, nam putat aliquando, lapidem ponderare sestertia quinque, qui tria ponderat: & reputatio illa est ab alterius lapidis consimili magnitudine, & aggreditur vtrunque pari conatu, & fallitur: sic est in phantasia, omnia obiecta sensuum percipiente.

Ad alteram rationem dico, cunctis animalibus inesse phantasiam: quoniam in omnibus perseuerat illata passio ab obiectis, & secundum illam sectantur, aut fugiunt. Ostreę vero licet non gradiantur, tamen dilatantur & constringuntur: non syllogizant autem ipsa neque plantæ, quoniam spiritum fortem non habent in spatiosis cauitatibus liberè se mouere potentem: neque indigent, cum cibo adnato vescantur. Non datur autem sensus non necessarius vtili. sed neque quia talpæ non vident, visus non pertinet ad sensum: sunt quidem eiusdem spiritus functiones & actiones iuxta organa diuersæ & obiecta eædem.

Neque vt regat anima in somno ponenda erat alia à sensu communi, neque vt seruet species insuper alia à memoria, & sensu communi.

Quod dicit Auicen. cellam anteriorem humidiorem, mentitur: quoniam humidior est media, si qua est. Neque corporalis humiditas & siccitas species retinent, sed vis incorporea illis: spiritus nobis. Mirum quomodo nunc ista dicant. Sed has cellas, falso fictas fuisse, mox videbimus.

Galenus vero, qui memoriam in sicco, & obliuionem in humido, & aliquando in frigido organo constituit, in medicinalibus nostris reprobatus est. Nouimus etiam calidissimo, siccissimoque temperamento præditos, obliuiosos esse ob exhalantem spiritum ante commercium renascentis: humidissimos quoque obliuiosos, ob vapores spiritum obnubilantes, ac simul stupidos ad discurrendum. Frigidos autem & siccos bene memorantes, & sentientes, ob spiritus tenuitatem & retentionem: vnde spirante borea perficitur cognoscitiuum, spirante austro flaccescit.

Ad aliam rationem, qua secernitur ab intellectu, respondemus, petitionem esse principij. Hoc enim quærimus num eadem vis aliquando attingat verum, aliquando non attingat veluti sensui exteriori. Ipsi autem è contra partiuntur attingentem à non attingenti, puerili quidem ratione, vt mox videbimus. Et ipsa opinio cum syllogismo non debet videri alia à syllogistica phantasia, vt dictum est. Mirum quidem quomodo erranti phantasiæ concretæque valdè, Arist. regimen animalis dormientis commendat, quod intellectui abstractiori iuxta eius dogma, minusque tunc operoso, committendum erat. Melius forte Lactantius, mentem, eo quod separari non potest, ne si velit ad exteriorem vigiliam effundi corporis quietem interrumpat saluberrimam, detineri docet in imaginum negotiatione, ab obiectis auocatam, opinatur.

De Opif. Dei c.15.

ANIMAM SENTIENTEM EANDEM *esse ratiocinatiuam contra Peripateticos.*

CAP. VI. ART. VI.

RATIONEM vero à sensu & phantasia non differre realiter in fundamento, sed operationem eiusdem animæ, palam fit ex dictis. Non enim totam rem sentimus, sed particulam. Ex modica autem immutatione sensus iudicat de toto obiecto immutante. Non enim alius iudicat simile non agnitum, nisi quia agnouit illud in simile: hoc autem sensus est. Qui vires totius ignis non iudicat nisi per concludentem syllogismum.

Item, omne animal habens memoriam, habet prudentiam, vt docet D. Thom. Memoria enim, teste Arist. ad hoc data est illis, vt ex præteritis discant agere in futuro. Nisi enim herbam vtilem esse, postquam gustarunt, memoria tenerent, illam non repeterent. Ex præteritis autem futura nosse, est syllogismus: quoniam in simile, simile discunt. Ergo imperitè Aristoteles animalibus dat pruden-

tiam, quibus negat rationem.

Præterea ostendimus, quod ratiocinari, est sentire aliquid non in se, sed in suo simili: in se enim est sapere, in simili scire: omnis autem scientia discursiua ex præcedenti fit cognitione: quæcunque ergo in præcedenti cognitione alia rursus cognoscunt, discursiua sunt: Eodem modo fit Remimiscentia, & Imaginatio similis, per aliud simile, & totius per partem. Ergo omnes hæ functiones, sunt eiusdem animæ, nec negandæ sunt animalibus, licet in nobis sunt perfectiores, tum ob spiritum perfectiorem, melioresque cellas, tum ob mentis à Deo immissæ adsistentiam informãtem: canis cum videt baculum, timet verbera, quia syllogizat, se posse verberari hodie, sicut nudius tertius.

Prętera persequens leporem, dixit, hæc via est longa: & transit ad breuiorem: & intersecat leporis cursum. Cancer pernoscens cõchilij testaceis operculis suos teneri pedes, si quando eius carnibus vesci aggreditur, immittit calculum inter opercula, ne possit concludi. syllogismos apum, & formicarum, & aranearum, dum telas texunt, & armant, & muscas venantur, non nisi proterui negabunt. Nonne persentiscunt plurimas pluuias ex aëris immutatione: & bella & tempestates? dicunt, hoc fieri instinctu: temere quidem, cum videamus non instinctu; sed passione præcedenti argumentari ea de consequentibus, & in cæteris syllogismo vti. Quapropter Porphy. Lactantius Firmianus, Osius Cardinalis, Plinius, Valla, Plutarchus, Virgilius, Ouidius, & meliores Philosophi, brutis rationem concedunt. Nos autem inferimus, illis oportere alterum genus animæ tribuere supra sensitiuum, vel transmigrationem animarum ex hominibus in bruta, quam in 3. Parte, & in Phys. reprobauimus: vel sensui syllogismum suum restituere non modo ex particularibus, vt Thomistæ volunt, & Auerroistæ, sed etiam ex vniuersalibus, id est, ex prædicatis confusis. Omne enim hordeum scit equus sibi esse bonum, ne dum hoc ordeum: alioquin nonnisi hoc vesceretur, & memoria nulli esset vsui. Rectè ait sanctus Thomas, sensitiuum est participio rationale: mens autem per essentiam. Quod autem hìc non eliciant syllogismum ex se, sicut homo per mentem, sed obiectorum occursu, sic trahente sensum: in Phys. probatum. Hoc etiam in Commentario postmodum demonstrabimus, vtriusque differentiam considerantes.

(.·.) (.·.) (.·.)

ANIMAM INTELLECTIVAM AB ARIST. *cognitam, esse ipsam sensitiuam, nec distingui realiter ab inuicem, & vniuersale, & singulare ab vtraque cognosci, & syllogizari esse, & essentiam. Additur solutio contrariarum rationum.*

CAP. VI. ART. VII.

RATIONEM concedunt particularem sensui, quia cogitatiuam ponit Auerr. sensualem portionem. Licet alij hanc in brutis instinctu regi doceant: sed vniuersalem omnem negant: quoniam hæc nonnisi habentibus intellectum, cuius est vniuersalia nosse, concedenda videtur. Sed profectò illum intellectum vniuersalis, quem Arist. hominibus tribuit, magis conuenire brutis palam est.

Intelligere enim, est intus legere quæ de foris accepimus: eadem vero virtus suscipit obiecta, & iudicat, alioquin non susciperet. Rebus enim cognoscitiuis suscipere est pati, & cognoscere ex illa passione. Quapropter si vniuersale est in rerum natura, prius à sensu percipitur. Si non est, fingitur. Fingere autem phantasiæ est, quæ sensus est, vel ipsorum testimonio.

Præterea idem est vniuersale & particulare. Petrus enim est homo, & hic homo: idem ergo est obiectum, ergo eadem facultate cognoscitur.

Si asseris cognosci posse vniuersale, non cognito particulari, falleris. Intellectus enim non capit obiecta extrinsecus, sed intrinsecus à sensu delata, ergo sensus iam percepit vtrunque. Quod si non totum percipit intellectus, est languens sensus, vel partialis. Non enim quia visus colorem pomi abstrahit à sapore, non sit sensus, sicut gustus. Neq; quia à longè video hominem, propè vero video hunc eundem hominem esse Petrum, alius est visus hominis & Petri, sed alius videndi modus. Homo autem & Petrus sũt vniuersale & particulare, ergo idem obiectum est sensatum & intellectum, vnde Scotus dat vniuersale à parte rei, & licet S. Thomas in intellectu vniuersale, in rerum natura particularia ponat: tamen vniuersalem hominem præcisè sumptum, non vt in re, nec vt in intellectu, facit obiectum scientia realis.

Præterea ipse Arist. in secundo Post. sensum nosse vniuersale docet, & vniuersalia principia fieri à sensu cognoscente hominem & Calliã hominem, & illum & cęteros singulos. Item primo Phys. testatur sensum cognoscere vniuersale, quoniam prius hominem à longe conspicio quam Petrum: & pueri appellant omnes homines Patrem, antequam distinguere sciant: & D. Thomas vocat hanc cognitionem confusam, quæ est magis vniuersalis: distinctam, vero, quæ est minus vniuersalis. Confusum autem imperfectum est: & quoniam exiens de potentia ad actum prius (ait) peruenit ad actum imperfectum, quam ad perfectum: idcirco priora sunt communia & vniuersalia, tam sensui, quam intellectui: particularia vero posteriora vt probat PP. q. 85. Ergo tam sensus, quam intellectus apprehendunt vniuersale, & hæc

In 1. Phys. & PP. q.

notitia est confusa, ergo perperam dignificatur intellectus supra sensum per hoc quod est confusorum notitia: & deprimitur sensus, quia est distinctorum, cuius contrarium dignificat Diuus Thomas in Deo.

Præterea enim sensus lusorias aleas deforis aspiciens, videt vniuersale, quia, scilicet, est alea, intus vero singulare: quia est hæc alea singularizata septem spatis. Ergo vniuersale est similitudo rerum, nota sensui. Singulare vero dissimilitudo similiter nota, & illa confundit, & est causa ignorantiæ, vt inquit Augustinus. Ita distinguit, & facit scire rem intimo modo. Cognoscit ergo sensus vtrumque: & similitudo seruit discursui ad aliud: dissimilitudo & proprietas ad sapientiam de eo, in quo ipsa est. Nec Peripatetici huic exemplo respondebunt, licet Cajetanus aliter respondeat, quod sensus cognoscit hunc hominem, hoc animal à longè: non autem hominem, & animal, & ideam: sed profecto nil doctè. Si enim hunc nosset hominem, eius singularitates, quibus est hic, nosset, & sciret esse Petrum, dum à longè aspicit. Ergo hunc locum, & tempus hoc, & hoc animal, quod est homo vniuersalis.

Præterea, in imaginatiua somniamus hominem, & non hunc vel illum aliquando: intellectus vero sæpè noscit hunc & illum: alioquin non posset syllogizare, nisi propositiones vniuersales.

Præterea, quando intellectus abstrahit vniuersale à singularibus, præcognoscit singularia: alioquin abstraheret falso sicut ex pluribus pomis singularibus abstraheret speciem pyri, vel peponis. Quod etiam euenit sensui à longè conspicienti, cum sentit cucurbitas esse pepones.

Præterea, materia singularis est, & non sentitur, sed intelligitur (inquit Plato.)

Præterea, singularia primò mouent intellectum, & deinde abstrahitur vniuersale, ipseque Arist. in 2. Post. probat vniuersale ex inductione facta per sensum cognosci: non potest autem alia esse virtus, quæ colligit singularia, & quæ concludit vniuersale, alioquin essent sicut ego & tu, nec fieret collatio & conclusio. Propterea Scotus & Duran. Theologi primates dicunt, intellectum cognoscere singularia, etiam directè. Nos autem ostendimus, quod sensus cognoscit etiam vniuersale. Ergo eadem est anima vtrunque noscens.

Præterea, anima separata, & Deus & Angelus cognoscunt singularia. Ergo non erat intellectus noster faciendus aliud à sensu, propterea quod cognoscit singularia, cum illi non repugnet, quatenus intellectus est eadem nosse; imo eo magis ipsi conuenit, quo magis corpori inhæret singulari. Si enim singularia non possunt intelligi secundum naturam, neque à Deo intelliguntur, sicut triangulus non potest habere quatuor angulos, etiam Deo.

Aiunt cognosci per species immateriales ab intellectu separato. Sed (aio) etiam in sensu immaterialiter recipiuntur ipsorum testimonio, præsertim in interiori: ergo nihil obest.

Præterea dicit S. Thom. & Caiet: & omnes Peripatetici, quod intellectus propterea non intelligit singularia, quia sunt materialia: ex quo sequitur quod sensus non sentit vniuersalia, quia immaterialia: sed sensus pecudis sentit amicitiam: & leo honorem & despicientiam: vt fatentur Thomistæ & elephas sensum vocis, vt experientia & historiæ testantur, & Lactātius conuincit optimis argumentis brutis hæc cognosci, & alia multa in immaterialia. Ergo itidem intellectus est materialium, & materia non sentitur sed intelligitur.

Concedit Auerr. Auicenn. & D. Thom. quod sensus percipit eiusmodi immaterialitates, sed interior, qui est cogitatiua, vel æstimatiua: ergo (inquam) cur ponunt adhuc frustra intellectum alium à sensu interiori cum ratio distinctionis data, nulla sit inter intellectum sensumque interiorem.

Palam quoque equus matris concubitum auersatur, teste Arist. ob reuerentiam, quæ immaterialis res est: & hoc ego expertus sum.

Præterea vbicunque est memoria, est & notitia vniuersalis, non enim equus hoc hordeum, quod hodie manducat, nouit, sed per hoc omne hordeum, cui hoc simile est: neque pecus illum lupum, quem vidit, sed omnem lupum.

Præterea syllogismus expositorius, quem interiori concedunt sensui, non modo particulares sumit propositiones, sed etiam vniuersales: dicit enim. *Hic est mihi inimicus, & hic est lupus, ergo est mihi fugiendus.* Qui sane syllogismus propterea valet, quoniam sensus omne noxium esse fugiendum prænouit: omneque id, à quo læditur, alioquin non fugeret ouis, nisi illum modo à quo passa est. ipse quoque canis contra omnem latrat hominem & herum in nocte: mox agnito hero in voce non amplius latrat, sed blanditur: vbi sane interuenit syllogismus ex voce immateriali recognita ad quidditatem personalem: & iterum vniuersalis inimici persecutio ex olfactu quoque syllogizat transisse feram, & non hanc, sed quamcunque. Differt ergo intellectus Aristotelicus, vt intus & extra à sensu tantummodo, non essentialiter.

Rationes contrariæ facilè soluuntur. *Resp. & Solutio.*

Ad 1. Ad primum dicimus, quod spiritus sentit exteriora in particularibus organis, nec tamen affixus illis, licet suæ corporeitati sua sit primalitas coniuncta, vt qui videt per fenestram, non est affixus fenestræ. Quæ vero ex notis per fenestras cogitat: quasi liberius pensiculat, vnde videtur organo non affixus, cum tamen absque phantasmatum, seu motionum suarum reuolutione, nihil intelligat, etiam Arist. testimonio. Et profectò, si immortalis est, & organo non affixus sensus interior, quem esse intellectū putat Arist. propriæ species intellectæ sufficerēt illi ad semper intelligendū: nec indigeret denuo motionibus: sicut ignis actu semper calefacit. Cum autem obliuio & deceptio in eo fiat, consequens est, vt non sit nisi aëreus sensus præteritas recolens motiones: quæ propterea videntur factæ esse vniuersales ex singularibus, quia obiecta absunt, eorumque motiones penè deletæ immanent: & quæ plus in ipsum impressæ sunt repræsentatæ à pluribus magis: magis enim recordor quod Petrus sit homo, quam quod sit squalidus, aut prudens, aut velox. Homo enim in multis memouet obiectis, non autem squaliditas. Ergo motio & passio similitudinis & communitatis est, intellectio, & quia languida, vt roboretur, recolit phantasmata, seu motiones sensatas.

Ad 2. Ideoque secunda ruit ratio, ex hoc enim dicitur intelligibile, quia absens est, & mouet exiliter: qui ergo potest ab eo pati, quod exiliter mouet, magis patitur ab eo quod fortiter & multum, ergo vehemens intelligibile comparari debet paruo sensibili: & sic verum est, quod qui videt minuta corpora, magis videt magna, & qui videt aërem, & Angelum, magis

gis videt aquam & hominem, & qui videt remota, videt quoque propinqua magis: & hoc valet in sensu & intellectu Aristotelico.

Ad 3. Tertia ostensa est fallacissima: sensus enim hic & nunc sentit singulare præsens: absens vero absque hic & nunc, cum habeat ipsum in se perceptum. Non retinet autem loci & temporis singularitatem, quia minus mouent. Verum & intellectus memorans prę-terita temporis & loci ipse intellectionem habet: & eclypsim futuram indagans, tempus & locum syllogismo prędicit: hoc autem opus est intelligentis non sentientis: ergo vtriusque est hic & nunc, sed sensus præsentis proprius. Item recordatur sensus canis verberum, & non temporis: ergo absque hic & nunc est etiam memoria sensualis & licet sensus fiat alteratione corporali, hęc non excludit ab eo intellectionem, quoniam sensus etiam est absentis: ab absente autem corpus non patitur vt à præsenti. Item speculantes aliquid attente, functiones sensus & nutritionis ægre perficiunt, & incalescunt capite multaque patiuntur: ergo idem spiritus intelligit, & sentit & nutrit, nec sufficit cunctis vbi nimis vni vacat functioni: & mens naturalia non sine spiritu sensitiuo tractat.

Ad 4. Ad aliam respondetur quod intellectus quidditates cognoscit per multas sensationes, & non per se. Nihil enim scit quod non senserit. Idem autem sensus experimentum facit, & ex memoratis quidditatem concludit. Quantum enim patet esse, patet essentia. Scimus enim res esse, quia nos mouent: mouent autem sicut sunt, suam entitatem in nobis imprimentes, entitas autem est quidditas. Cognoscit rusticus eclypsim, quia est, & quid est: nam videt esse lunæ obscurationem: non autem cognoscit propter quod est, quoniam non est perscrutatus causas, sicut Astrologus. At, neque agens causa est quidditas Aristot. sed formalis. Hanc autem scit rusticus, quoniam est luminis priuatio. Astrologus causas sensu venatur, quia vel extinctione, vel obiectu opaci alicuius impedientis illustrationem. Ex quo tandem quia fit in diametro, cognoscit terram interponi. Similiter scimus ex gubernatu & productione aliarum causarum, Deum esse causam creantem & gubernantem; & tamen de quidditate scimus, quantum de existentia, vt doctè fatetur Durandus.

Item, sensus ipse videt ignem lucere, & attenuare, & calefacere, & mouere, & ipse conclusit. Ergo ignis est corpus calidum, lucidum, attenuatiuum, per se mobile. Si autem aliquid tribuat igni, quod non à sensu, vel ab his, quæ sentit accepit, fallitur in sua definitione, & reuertitur ad sensum pro dissolutione dubij circa illam, vt magis patet in Mathematicis, & Arist. fatetur. Si autem sensus, id est, anima sentiens, quidditatem non nouit, non potest corrigere falsitatem. Tandem vltimæ differentiæ sunt ignotæ intellectui (dicunt ipsi Peripatetici) quoniam non sunt notæ sensui similiter & Angelus & Deus, doctè Tertullianus sentienti animæ omnes cognoscendi modos inesse probauit.

(.·.) (.·.) (.·.)

APPENDIX.

DIFFERENTIA ANIMÆ HVMANÆ, ac Brutorum.

Nec quia animalia ratiocinatur, & intelligunt vniuersale, sunt homini conferenda. Hæc enim non habent essentialiter, sed ex participio, quatenus spiritus eorum corporeus participat Primalitates, & non est ipsæ Primalitates incorporeæ, puræque: nec ergo purum ratiocinium, puramque ex se habent intellectionem. Ratiocinantur enim, prout ab obiectis & passionibus sensus imaginationisque feruntur ex altera notitia in alteram: non tamen eliciunt ratiocinium sponte, libereque, sicut homo, qui mentis vi innumerabilia excogitat etiam cum ab obiectis non mouetur.

Præterea, ex humanis, ex naturalibus ad diuinorum cognitionem discurrit, & cultum benefactoris & creatoris sui exinde cognoscit: Propterea que Theologi doctissimi, diuinorum sapientia, & religione erga Deum, & arbitrij libertate, distinguunt hominem à brutis: Diuinioremque animam supra sentientem in eo agnoscunt. Vnde argumentum Arist. Quod si anima humana habet propriam operationem, in qua non communicat cum corpore, & altiorem sensitiua, contingit ipsam separari tanquam alterum genus animæ; Non est vanum, sed in minori propositione errant, dum optimam, quæ est intelligere, dicunt esse phantasiam, vel non sine phantasia. Nam & datur sine phantasia, etiam in multis se notitia innata cognoscentibus: & cum phantasia potest esse, & non incipiendo à phantasia, vt notitia diuinorum: vel si ex phantasia, tamen vltra quod potest dare sensitiua phantasia in infinitum extensio. Sic etiam intellectio brutorum non est similis humanæ, de qua Theologi loquuntur, sed similis Aristotelicæ, qui cognitionem vniuersalis causati ab ideatis, quæ etiam brutis maximè inest, tanquam optimum donum hominibus præbet. Humana enim est vniuersalis ideæ insuper causantis ideata, ipsarumque idearum diuinarum, ad quas bruta non eriguntur.

Præterea, neque intus colligunt rerum naturas, sicut homo, sed extrinsecus, quæ sensibus hauriunt, modica perceptione concipiunt. Eadem sapientia Dei fecit nos & illa, & quidquid nobis inest, inest & illis de virtute cognoscitiua vmbratili, & per participationem. Neque enim dissimilia totaliter sibi fecit Deus entia. Addit in nobis Mentem immortalem, cui nomen Rationis & Intellectus tribuerunt Doctores. ex notis ignota nominantur. Ambros. tamen contendit in lib. de Digni-

tate hominis, non Intellectum, & Rationem, & Animam, sed Mentem appellari oportere: sic Iustinus & alij. Nec propterea dicemus, bestias rationales, neque intellectiuas, licet similes sint ex parte nobis in his, quoniam vocabula respiciunt id, ad quod sunt imposita, non vnde sunt imposita, & ad quod essentialiter & perfectissimè est tale, non quod ex participio imperfecteque. Quamuis tota rerum Physicarum natura prædita sit corporeitate & qualitatibus actiuis & passiuis: tamen genera & species earum gradibus idealibus distinguuntur: & vna est in aliis omnibus aliquo modo Sic quāuis omnia entia, vt entia essentiētur priualit. tamē gradibus specialibus distinguuntur, & vnum est in altero quouis, sed non illorum gradu essentiali, exemplum accipe de sapientia, quæ est naturalis in elementis & lapidibus exiliter, lapis autem in metallis eminentius: metallum in lapide vilius, in planta eminentius, vegetant enim sicut planta quasi participio: planta v. per essentiam, planta participat sensitiuum gradum. Animal per se habet illum. Sensitiuum est rationale participio, homo vero per essentiam, est homo intellectualis participio: Angelus essentialiter, qui participio est Deus & sapiens diuina. Deus per essentiam, & eminenter omnia, id est, vnitius, vniuersalius, & plenius. Ideo confunduntur nomina essentialia, vt ex Dionys. & Thom. Deus quoque propter hoc vocatur spiritus, similiter Angelus & anima: sed ventus prius dictus est spiritus, vt ex quo. Similiter Salomon vocat sensum ipsam animā à Deo infusam. *Terrena inhabitatio* (ait) *deprimit sensum, multa cogitantem*, & Iob. *Quis dedit* (inquit) *Gallo intelligentiam?* quam Dauid negat equo & mulo: & diuus Thomas cogitatiuam vocat intellectum, rationemque in secunda secundæ, & prudentiam tribuit brutis.

At differentiam inter nos & illa Aristot. non nouisse, contendimus. Operationes enim, quas, immortali tribuit animæ, brutis conueniunt magis, quibus qui eas negant, vt hominis immortalitatem tueantur, veritatem suspectam reddunt, & Theologiam conuellunt: quæ non ex vniuersalis Peripatetici notitia, sed ex diuinorum sapore, hominem à brutis distinguit, quemadmodum apud Lactantium lib. 3. & Bernar. in lib. de considerat, & Iustinum, & Basil. & Ambrosium, manifestum est. Arist. autem hunc saporem Dei negat in anima: negatque inter hominem & Deum amicitiam: idcirco nil concludit. Brutis ergo spontaneitatem non libertatem: Rationem & intellectum sensualem, non mentalem, qui nec nomen intellectus sed æstimatiuæ tantum mereatur, nos agnoscimus, vti & Philosophus Christianus distinguit.

Præterea, hoc etiam contra Atheos probauimus, quod hominis operationes animasticæ etiam circa corpora, non excedunt solum brutales secundum magis & minus propter melioritatem temperiei, & organorum, sed sicut rerum superioris ordinis longè præcellentis omnia bruta, & corporea entia, sui vigore & excellentia, non corporearum dotum causa. Habet etiam operationem mens, qua non communicat cum corpore ac organo sicut sensus: nec vt obiecto vt intellectus, quem oportet phantasmata speculari: vnde ipse fatetur quod est phantasia vel non sine phātasia. i. motione spiritus animalis: vt cum sapit diuina: & cum ad infinitum tempore & loco extenditur: sicut in 2. & 3. p. videbimus. omnes operationes spiritus sunt perfectiores in homine, non ex temperie & organis melioribus, sed à mente perficiente spiritum & operationem, cum simul operantur.

(∴) (∴) (∵)

FABRICAM CELLARVM CEREBRI NON ESSE *cuiusmodi Peripateticis ponitur: nec ipsorum, sed nostris congruere dogmatis, quod sint tenuioris, corporeique spiritus gratia, in ipsis habitantis. Rationes Galeni de anima discursiua, esse vanas: & Aristotelis de intellectu agente chimericas.*

CAP. VII. ART. I.

AT contra Peripateticos clamat quoque Natura. Ponunt enim cellas in capite quinque, aliam post aliam seriatim, quasi ipsi hominem ita plasmassent. Profectò, vt ait Vesalius, non absque impietatis crimine.

Non dignantur enim opera Dei inspicere, sed proprio arbitratu fingunt omnia. Palam duo sunt ventriculi non vnus, in duobus temporibus anterioribus vsque ad occiput, dilatati tanquam aulæ duæ, membrana inter media, parietibusq; de cerebri substātia distinctę: in quibus spatiatur spiritus, vt si altera deficiat, vtatur altera, sic enim duos parauit natura oculos & aures & nares.

Tertius vētriculus est in occipite, in quo contēplaturus fortè secedit, tanquam in penetrale cubiculum, sub his vero inferius, quarta est cella, vnde diffunditur cerebrum per spinam: est & ibi retiforme arteriale, quod agitando spiritus elicit sanguinis vaporem, vnde reficitur semper nouus, & hæc cella pro cænaculo seruit. Incorporea quidem anima Peripateticorum & indiuisibilis talibus cellis cerebroque non indigeret, nec temperies Galenistarum: cui cauitas prodest nihil ad sensum &, intellectionem: videntur autem prædictæ cauitates in molli cerebro extructæ indicare spiritum corporeum mollem, tenuem, in eis habitantem, ne à duro osse, vel neruo, dum motiones notionum recolit, lædatur: & per neruos egredientem, & ingredientem: nam ex capite manifesti procedunt nerui, venæ, & arteriæ, sicut & Prisci Philosophi & Chrys. & Lactant. Theologi docuerunt, & nos in quæst. Phys. & medicinalibus contra Galenum probauimus. Neque quia adolescentis fracto cerebro reuixit anima, non sit spiritus sed temperies Galeno: ipse enim spiritus sub cęnaculo in spina sese abdiderat: postea vero refecta domo reuersus est: cuius fracta temperies si esset anima periculum non euasisset: non enim, sicut in vteri strangulationę reuocatur à Galeno in cerebrum ab vtero

per fumos fœtidos ad domus defenſionem, reuocari potuiſſet: & in Antro Agnanæ ſuffocatur vapore fœtido, ſi diu intermanet homo: ſi parum, aqua aſperſus reuiuiſcit, quia ſpiritus in caput ingreſſus, pugnaturus contra ingredientem vaporem, mox frigus ſentiens inimicum, egreditur contra frigus.

Quod autem Ariſt. in corde ponit mentem, ſenſuſque interiores, inertiæ plenum eſt. Cor enim officina ſanguinis arterialis continuo agitatum ad attenuandum ſanguinem, ſpiritumq́; fuliginesque expellendas inceſſanter operoſum, nequaquam contemplantis animæ, quietem ab operibus corporeis optantis, ſedes, ponenda erat, mechanicis deſtinata modo negotiis. Spiritus autem in ædibus cerebri quieſcens: vnde ſenſuum origo, & organa, lucidæque feneſtræ, contemplationibus vna cum mente erat deſtinandus, diſcurſus impeditur à fuligine, non autem imaginatio. Imaginatio à vehementi affectui: non autem diſcurſus totaliter in cæteris: ſed in illa imaginata re læditur, & ſemper comparticipant, ſicut in medicinalibus probatum. Memoria vero vehementi paſſione, & nimis attenuati ſpiritus abſceſſu, etiam nihil affecta temperie cerebri: ſolis primalitatum affectibus erumpentibus deliria & paſſiones mirificæ excitantur: diſcurſuſque velociſſimi, ſtupidæ, immotęque temperiei cerebri nihil conuenientes. læſo cerebro, vel ſolo ſpiritu inhabitante, functiones in corde & iecore ægré perficiuntur: quoniam idem ſpiritus omnes obiit, haud tamen imperare poteſt pulſui ne pulſet: neque ventriculo ne coquat cibum, quoniam neque ſibi poteſt præcipere ſpiritus ne velit, aut ne intelligat, aut non moueatur: functiones vitæ immediatè neceſſarias nunquam omittit: non neceſſarias omittit, vt in lib. de Senſ. rer. & in medicinal. vbi etiam implantatum ſpiritum, & ſi non à libero, vel non ita ſtrenuè & prudenter naturales obire functiones, quamuis contrarium pręcipiat mens, docuimus. Naturalibus inſuper organis, & compoſitione, & aëris inſpiratione quadam vi & conſequentia cogentibus, & coagentibus: namque vi & ſpontaneitate naturam vti plurimum probauimus.

Intellectum agentem fruſtra poni, cum nulli ſit vſui, alibi oſtendimus, & inferius patebit. Neque profecto dicent vnquam, vnde obliuio & deceptio, ſi in anima immortali ſit indelebilis ſcientia, quæ retinet ſpecies magis quam materia formam indelebiliter (vt aiunt) neque ſi tantus eſt actibus intellectus inſtar ignis, cur non à principio intelligimus: at ſi poſtea accedit, cur ceſſat paſſiuus intelligere poſtmodum ſemper ab actiuo illuſtratus, actuatuſque ſpeciebus: & cur partem, & non totam rem intelligit, ſi formas defæcatas rerum capit, voratque, fitque cum illis vnum? & cur non & brutis illabitur? ſi in ſphæra inſpirati aëris eſt intellectus? & cur non reminiſcuntur? & quod nos ſumus intellecti, & tamen dicimur intelligere: ſi abſtractus intellectus vterque noſtra phantaſmata intelligit, ſicut fingit Auerroës? & quomodo homo eſt homo, ſi intellectus, quo eſt homo, externus eſt? & quomodo ſui obliuio capit intellectum in corpora intrantem, nil tamen ceſſat cum tanta ſui iactura intrare? & cur ſi intellectus agens primo intelligitur, vt Alexander affirmat, non ſemper omnia intelligimus? Nec Angelos illi conſimiles? & cur hoc latet? figmenta profectò Poëtarum ſunt, de quibus in ſequentibus. Vt quid etiam indiget incorporea anima, cellis, cerebroque? & cur non fecit ſiccam ſenſus communis cellam, ne indigeat phantaſiæ cella? & cogitatiuæ ſimiliter, ne alia adderetur cella pro memoria? & vbi ipſi has viderunt? & quomodo in inſenſato cerebro, frigidoque, cui Ariſtoteles tribuit vſum refrigerandi cor dumtaxat, non autem ſenſilia retinendi, ſenſumque, nunc Peripatetici ſenſus ponunt interiores? quam ridiculum quoque ſit ſpecies incorporeas cellis ſiccis, humidiſue, omninoque inſenſatis ineptis ad vſum animæ cognoſcentis, abſtractæque, imprimere, nulla adigente vi, multoties in Phyſ. & Medicinal patefecimus.

DE SAPIENTIA, SCIENTIA, OPINIONE, Suſpicione, Fide. De ſeminibus, & arboribus ſcientiarum, & principiis. Quod Ariſtoteles omiſerit ſemina, & ſapientiam: & demonſtrat ex ſcitis, & neſcit vnde. De demonſtratione Quia & Propter quid. De propoſitione immediata & per ſe nota: De circulo difformi. De terminorum quidditate, ex ſenſu prænoſcenda. Vtrum ſcire ſit reminiſci. De vniuerſalis acceptione. Confirmatio dictorum ex oraculis Sanctorum.

CAP. VIII. ARTIC. I.

HÆC eſt ſapientia humana. Quidquid tactu intrinſeco percipimus, ita vt illud in nobis, & nos in illo ſimus, ſapore eius affecti, illud ſapimus, quia actio eorum eſt communicatio entitatis. Hæc autem pauciſſima ſunt, & quaſi nulla. Vix enim quæ guſtamus, & tangimus, & obiecta per ſe ſenſuum, ita ſapimus. Neque enim totam lucem ſuſcipit in oculo ſpiritus, neque prout eſt. Sapere ergo hoc quod, ſcilicet, non ſapimus niſi pauciſſima ex parte & imperfectè, eſt ſapientia ad quam pertingit homo: & quod neque omnia, neque nihil ſapimus, ſed aliqua, non tamen omnino.

Si ſentiens vis eſſet pura potentia, aut ſen-

H ij

tiret res, non ſentiendo ſe à rebus affectam, ſentiret profectò res prout ſunt: ſed quia ſentit alias res propter hoc quod ſentit ſe immutatam ab illis, propterea non ſentit ſicuti ſunt. Non omnia entia ſentientia eodem modo ſentiunt idem obiectum, quoniam alia iuuantur ex toto, vel ex parte: alia læduntur pro ſua temperie & gradu. Hoc autem ex ſenſu vario, hominum & brutorum intelligo per diſcurſum conditum luce diuinitatis.

Nam ſingula animalia, ſingulique homines idiotæ putant, res eſſe, prout ſibi videntur. Vnde capra geniſtam prædicat ſimpliciter dulcem, & idiota mel: putantque (ſicut Ariſtoteles facit, & Medici quidam cum Protagora) ſe eſſe rerum menſuram, quarum ſanè non niſi Deus eſt: qui & ſator eſſentiarum. Voluit autem Deus artifex rerum iuxta menſuram donationis ſuæ, vt non omnia omnibus eodem modo ſentirentur, ne per hoc eadem cunctis placerent ac diſplicerent: ac proinde placentia non ſufficerent, & diſplicentia nulli eſſent vſui. Si enim nos ac beſtiæ omnes triticeo veſceremur pane, vix ſufficeret triticum muſcis, & ſerpentibus, & capris, generaque animalium multa perirent. Sique omnibus diſplicerent caſtaneæ, fruſtra creatæ eſſent: vt nihil ergo ſit abſque vſu, etiam ſtercus hominum ſapit gallinis, & arboribus, & vermibus ex illo natis, aliorumque ſtercora placent nobis: nec omnis res omnibus, & ſi omnibus omnes. Propterea ergo fecit Deus, vt alia aliter afficerentur, atque ſentirent, ac ſub inde appeterent aliud.

Appetitus enim fertur incognitum probè ac iucunde afficiens, odiumq; verò incognitum prauè iniucundeque afficiens. Verum ergo quæ ſapimus nos, prout ſunt ſapimus: Incertum eſt mihi, atque ignorare profiteor: & hoc noſſe quod videlicet ignorem an ſapiam prout ſunt entia, ſapientia, mirifica eſt.

Indocti vero & bruta, ſe ſapere, prout ſunt, res obſtinate arbitrantur. Inter corporales ſentientes res homo in mediocritate reputatur. At quia aliter afficitur quā ignis & lapis & vermis: & quia non eſt pura potentia ſenſus, neque rerum menſura, ſed menſuratum in Ente omni, præter quam in Deo: neque res vlla, res alias, provt ſunt, ſentit ſed quælibet pro modulo ſuo: Deus autem ſolus omnia nouit prout ſunt, qui ſolus non patitur à rebus vt ſciat, ſed ſcit eas, quia facit eas, datque ſingulis propriarum entitatum menſuram: quippe qui eſt ipſe res omnes eminenter: & non fit per immutationem res ipſæ, vt ſciat ipſas, ſicuti nos immutamur in ipſas vt ſciamus ipſas: ſed eſt. Ergo intelligere ſuum eſt eſſe vel per eſſe: noſtrum vero eſt fieri, & pati, vel ex paſſione iudicium.

Cęterum intelligimus alias res, quoniam intelligimus nos ipſos mutatos ab aliis rebus in ipſas: nos quidem per noſmet, ſeu per eſſentiam: illas per aliud, id eſt per nos immutatos per illas in ſenſu ab abdito & addito, nec per totas res, ſed per partem, & realitates earum. Senſus rerum occultat ſenſum noſtri ob mutationem noſtri in ipſas, vt in ſecunda Parte patebit. Non eſt ergo ſapientia externorum tantum, ſed quoruncunque dummodo prout ſunt ſciamus. Cum vero neſcimus prout ſunt, ſed aliter propter ſpiritus impuritatem, aut intemperiem, vocatur ſapientia falſa quoad nos. Sic ouis, cum geniſtam non ſuauem ſentit, falſa eſt in ſenſu ſuo, non in noſtro. Senſus autem noſter in ratione noſtra eſt illa notitia, quam Theologi intuiuam vocant. Et hoc Lactantius volebat, cum mentem ſentire pronunciat: ac Tertullianus ſentire animam non poſſe niſi intelligat, neque intelligere niſi ſentiat, affirmauit, quoniam intuitionem ſenſus pro intellectione accepit: & vtraque ſanè operatio eſt in mente clarius, cum tangit materialiter obiectum, & in ſpiritu exilius non ſenſualitas attingit. At inſuper ſola mens videtur diuinitus hoc doceri, quod videlicet, non omnia, prout ſunt, cognoſcimus, quod bruta, cum reputent res eſſe prout ab ipſis noſcuntur, minimè docentur. Hoc arcanum nec Plato introſpexit.

Ex his autem quæ nouimus, ad ignota diſcurrimus propter ſimilitudinem, & hoc eſt ſentire in ſimili; notitiaque eſt diſcurſiua, quæ in omni ſenſu reperitur ita celer, vt vix in tempore fieri videatur, quando de parte ad totum homogeneum fit. Sed quando ad aliud totum eiuſdem vel alterius generis, eſt in tempore. Primæ notitiæ ſunt aliarum menſura, ex modico enim calore, totum mundi calorem intelligo, quia ſimile, inquantum ſimile eſt vnum ſuo ſimili, ex primis notitiis ſingularibus colligitur vniuerſalis, in qua ſunt ſimiles.

Idcirco, ad menſuras longitudines & latitudines vtimur pede, vel palma manus, nobis notiſſima: & hanc duplicando addiſcimus quantitatis menſuram. Similiter ad multitudinem vtimur digitis, qui vſque ad decem porriguntur, eiſque in ſuo denario replicatis, conficimus numerum, quo cognoſcimus multitudines, applicando, ſicut palmum pannis, ita numerum pecuniis, & aliis numerabilibus. Ad menſuram ponderum vtimur grano nobis noto: ex duodecim granis facimus dragmas, ex dragmis vncias: & ſic omnia pondera ſeriatim noſcimus. Idem fit in naturalibus: ex hoc calore, alios calores: ex homine, alios homines, illi ſimiles in humanitate: & bruta eidem ſimilia in animalitate: & corpora in corporeitate, & Angelos in mentalitate. Igitur, ſapientia duplicatione cauſat ſcientiam & collatione: ſed formica non vtitur grano fortaſſe, ſed re longè minori, ad rationem ponderum: neque palmo noſtro, ſed ſuo: neque numero noſtro ſed ſuo: quem fortè expedum ſuorum numero capit, ſi tamen ipſa numeraret: & inferior gradu caloris, calores excedētes: nos vero maiori. Elephas quoque pro modo ſuo aliis vtitur principiis ſciētiæ, ſapientialibus. Angelus etiam in Apocalip. pede ſuo, non noſtro pede, & palmo metitur cæleſtem Hieruſalem. Diuinus vigor eſt in homine, qui propriæ menſuræ ſubiicit cælum & mundum. Metitur vires rerum ſapore, & dulci aliquando cæterorum per acceſſum & receſſum ab illo. Colores quoque albedine opacata, quoniam tranſpicuum aëris albedinem non bene ſentit. Tempora horis, & quartis & minutis: & iſtæ menſuræ, principia ſeminaria ſunt ſcientiarum. Similiter motu ſui pulſus facit muſicam, & carmen, conſonantia ſpiritum mulcente: & tamen apud bruta alia eſt muſica, aliaque menſura carminis: nam & hominum nationes variæ ſunt in his: vnum quodque ens habet menſuram ſuam, & iuxta illam ſapit, & nos iuxta noſtram: ſolus Deus iuxta omnes.

Quapropter falsò Ariſt. putat principia intellectu haberi, cum ipſe ſenſus ſapiat illa, ipſaq; mens ſentiendo ſapiat conſimiliter ac diſcurrendo ſciat ex

his,quæ sapit: brutum non facit ex sapore scientiam in cunctis,nisi in naturalibus sibi per discursum sensitiuum: non vt mens ex sensatis longe plurima, & sensata & diuina per intellectiuum vt palam est. Eliciuntur enim cōclusiones per similitudines, quæ aliquando sunt certæ; si similitudo essentialis est,vt quia Petrus est visibilis, est etiam Ioannes. si accidentalis incertæ,vt si ille albus,ergo & iste:vnde visum est Aristotelici p. post. quod opinio sit solum de contingentibus; scientia verò de necessariis.

At hoc falum est. Nam quod Petrus sit albus cōtingens est, & tamen scientiam certam de ipso habeo ex hoc,quod albesit oculus in eius aspectu: & sapientiam insuper per sensum. opinio ergo est de necessaria, & de contingentire per medium incertum: illud enim quod notum est nobis sapienter incertum est,vtrum conueniat ignoto. Necessario mouetur vel quiescit sol: & tamen Ptolomæus & Copernicus opiniones habent oppositas per media non necessaria, quoad illationem, licet scita sapienter,nedum scienter. suspicio autem est, quandō nec opinamur: procedit enim ex hic quæ raro: opinio ex his quæ vt plurimum. Ideoque est assertio cum formidine de opposito: sapientia autem opiniones & scientias certificat ex his, quæ semper vera,sicut Columbi sapiētia sensata correxit Philosophos & Theologos,negantes Antipodas. Fides est credere aliorum sensui,id est,consentire,vel sentire alieno sensu; vt quod Constantinopolis in extremo Europæ sit, ibique regnat Rex Turcarum, his qui viderunt credimus, id est, conuidimus, ne scientia nostra sit curta nimis: similiter de diuinis assentimus Apostolis & Prophetis, qui viderunt; vnde ait Ioannes, *Quod vidimus & audiuimus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* Ipsis ergo fuit sapientia, quod Christus resurrexit; nam viderunt & tetigerunt, nobis verò est fides,quatenus eorum sensu tangimus. est scientia quatenus argumentamur illis credi oportere. Quapropter omnis cognitio ad sapientiam refertur. Sapientia autem ad saporem & intuitu: magis autem ad intrinsecum & totalem.vnde diuino quodam sub lumine intuentes, & sapientes,credimus interdum sine testimonio.

Principia autem scientiarum sapientia constituit. nam ex multis indiuiduis, sæpè sensis, fit memoria; ex memoriis experimentum solidum: ex experimentis propositiones vniuersales,quæ sunt fines inuentiuæ scientiæ, & doctrinalium artium principia secunda,vt arbores,non vt semina.Semina enim sunt sapientiæ, & pertinent ad inuentionem: illa verò ad doctrinam.vt quod omne totum est maius sua parte.quod non potest idem esse,& nō esse. quod omnis triangulus habet tres: vniuersaliter tamen innata nobis esse, quoniam ex quo nati sumus,ab his passi sumus, & collegimus vniuersalia principia ex singularibus: sed profectò quando dubitatur de his, recurrimus ad sensum. Rectè ergò Tertul. & Telesius sensum solum sapere dixit, omnesque antiquiores. Cum video Martinum,& Petrum,& Andræam, afficior singularitatibus eorum,quæ vni soli conueniunt, & non alijs. Et voco eos indiuidua,quoniam ab aliis diuisi, & in se vnum singuli; Video quoque quod sentiunt & ratiocinantur,& in hoc sunt similes.ergo & vnum: & huic consimilitudini do nomen vnum, & dico, homo. Homo enim est multa similia singularia, vel similitudo multorum essentialis: video hominem postea cum asino & leone conuenire in sensu & motu, & differre figura & operatione; & pono differentias quasi singularitates indiuiduorum: cōmunitatem vero seu similitudinem noto communi nomine, & dico, Animal; animal ergo est multæ communitates similes, vel similitudo & communitas communitatum: est enim communitas multorum vnitas,qua in aliquo similia. & sic ascendendo vsque ad Ens peruenio,in quo omnia conueniūt: & quod est omnium communitatum communitas, quia video in eo quod sūt similia,esse & vocari ens. Cōmunitates hæ sunt trāscendens genera & species, quas Porphyrius non definiuit secundum esse,quod sunt in natura & in intellectu,sed secundū vsum in prædicatione logica, & vocauit ea nominibus Politicarum communitatum, quæ habent vnitatem in coexistentia. ex his communitatibus fiunt principia scientiarum communia, quæ tamen collecta sunt ex singularibus sensatis. Sensus ergo siue mentis,siue spiritus gustatiua,seu mauis, quasi intuitiua est sapientia, vnde nascitur discursiua ex eo, quod non omnia intueri licet, nec simul & semel nobis, sicut Deus. Arist. ergo valde imperitè intellectui scientiæ primatum dedit,languido nempe,remotoque sensui; vtrum autem sint ideæ communitatum infra patebit. Nec quia intellectus vniuersalium certus est,principatum obtineat. Propterea enim certus est, quia pluribus sensationibus anticipatis præditus est. & cum non possit singularitates retinere,in quibus est varietas, retinuit communitates in quibus est conformitas: idcirco scire nostrum languidum est: diuinum autem validissimum,quia omnes singularitates pertingit vsque ad intima medullarum.

Cum igitur Arist. docet omnem scientiam fieri ex præexistenti cognitione, ac præexistere cognitionem vult de subiecto Quid est, & de passione Quia est, & de propositione vniuersali,Quia vera est; nequaquam tradit scientiam rerum primam, nec sapientiam eius semen, neque inueniendi modum. oportet enim in suo dogmate ad sciendum quod Luna eclypsatur, præcognoscere quid est luna,& quia eclypsatur. & quia verum est,quod omne opacum oppositum luminoso aufert luminis effusionem. Hæ autem quomodo prænoscuntur nisi sensuum experientia? ergo imperitè detrahit sensibus,& tribuit intellectui,quod non nisi à sensu habet. debebat ergo prius docere, quomodo cognoscitur; quid est subiectum, & quia sit passio, & quî fiat axioma: & quidem recurrit ad sensum circa axiomata inductiuum à singularibus:non autem circa quidditates & definitiones. At axioma noscitur in quantum terminos cognoscimus, vt ipse ait. Nosse autem terminos quid sunt oportet: nomina enim imponuntur ad rerum quidditates explicandas, vel imperfectè: & cum non possit perfectè adduntur definitiones, quæ sunt perfecta nomina, sicut nomen est imperfecta definitio. Porrò Philosophus non à nominis interpretatione debet incipere,vt Stoicis vsurpatur,sed à rei inquisitione, ac deinde illi nomen dare iuxta rei naturam. Ergo non satisfit Scepticis, nisi doceantur quidditates,quas nos ex rei origine,in qua sex causarum genera inspicimus, si causas habent, & tempus & locum. Item ex materie, mēsura & dispositione & rei facie, & figura, & actione & passione, & similitudine, & differentia,& accidentibus,sapien-

ter inspectis, scienter venamur, vt infra patebit: nam cuius & quomodo innotescit existentia, innotescit & quidditas.

Non autem omnia entia prædicta notabila habent, sed quid simile: neque nostris sensibus obiiciuntur omnia: idcirco quædam est demonstratio à causa. vt pluit, quia vapor in aere densatur: quædam ab effectu, vt pluit quia madefit viator: quædam à signo, vt linea hæc est æqualis huic, quoniam, hac super hanc posita, conueniunt; quod nō est neq; causa, neque effectus æqualitatis proprius: & in his fallimur, quando tribuimus rei, quod non habet, aut auferimus quod habet. Niuem dicimus prorsus frigidam ex tactu: ex colore vero calidam. Tunc distinguendum est vtri præstanda fides. Quod ex dictis considerabilibus innotescit. Consideratio enim est multorum simul inspectio ad eliciendum ex inde iudicium, vt syderum faciunt inspectores. Similitudo confert ad sciendum rem per aliam rē: dissimilitudo per se, & ad distinguendum rem à re. Propositio ergo per se nota est ex propriis, & secūdum naturam rei, vt quod Deus est primum ens, & quod albedo est lux de mortua: sed tamen secundum nos per se nota dicitur, quæ sensui exposita est magis, vt quod nix est alba.

Et propterea contingit earum rerum, quæ à sensu remotæ sunt, fieri propositiones per se notas, non nobis: vt Deus est autor rerum; quædam vero nota nobis, vt homo sentit passiones: quædam vtrisque, vt sol lucet. Nam de sui natura potest aliquid esse ignotum, vt quod per renes colatur vrina: indiget enim medio ad probandum: sed medium notificat omnia tanquam notius minus notum, & hic est terminus quidditatiue notus, saltē quoad id, quod probamus. Nam nescimus lunæ quidditatem: & tamen probatur de ea eclypsis: quoniam scimus quid nominis lunæ, & quid rei quoad eclypsim, sc. quod est per se non lucens.

Et sic datur circularis demonstratio cum ab effectu causa noscitur, & fit propositio vniuersalis quoad indiuidua naturę, vel temporis, vel loci: quę postea alios effectus manifestat, vel eundem alio modo. & sic non idem notius & ignotius in circulo difformi non secundum idem. Probat enim Ptolomæus ex lunæ magnitudine terræ magnitudinem, & ex vmbra terræ tanta lunam tantā. Cum ergo Scotus ait, eandem esse per se notā, & naturę, eo, quod cuilibet scienti terminos est nota: verum dixit, cum sciuerit, sed non ante; quoniam quærimus hic propositionis significatum & signum: & iuxta illud melius loquuntur Thomistæ.

Sed ad principia secunda scientiarum inuentarū, quæ sunt prima doctrinarum, nempe ad propositiones per se notas, deinde procedamus. Nunc autem in principiis primis inuentarum immorādum est, quæ sunt quidditates rerum per vocabula significatæ, vt quid est lux? Calor cur calefacit? Nos autem ista scimus, quatenus nos mouent per se, vel cū alio, suaque afficiunt similitudine. Quæ autem nos non mouent, ex aliorum similitudine. vt: quid sit Deus? Dicimus enim esse, qui fecit & gubernat omnia, & hoc intelligimus scienter, & inspecta sapienter factione, & gubernatu rerum naturalium, ac politicarum per Regem. Dico ergo quod lux est quod illuminat. & quia calorem vnitum illuminare video, dico esse caloris apparentiam: sed quid, est calor? quod calefacit. sicut enim patitur sensus ita iudicat, & quia calefacit omnia, & attenuat & mouet, & albefacit, & illustrat, dico esse potentiam, vel principium calefactiuum, illustratiuum, attenuatiuum, motiuum: & ex multis actionibus agnosco esse principium naturæ actiuum. Verum ipsam caloris entitatem prout à Deo fit, nūquam intelligo: sed quid facit in nobis, & eius vsū in mundo. Cum enim ex quo calefacit potestatem calefaciendi ipsum inuenero, nihil amplius inuestigare vltra possum, nisi quod potest hoc. vtrū à Deo habeat vt possit hoc, vel ex sui natura, & quid est natura, & quæ potentia Dei in illo, scire non datur. Neque cur duo & tria faciunt quinque intelligo, sed faciant accipio, vt notum. Et quoniam quæstio, an est, quid est; propter quid est; aut facit: à quo est, de quo est, instar cuius est, id est, similitudinem rei cum re; & propter quid est, & finalem causam; sed non omnem similitudinem, neque omnem finalem causam: nam neque similitudinem primam in prima idea, nec causam finalem vltimam, imò neque omnes medias, & vsus omnes agnoscimus, sed quosdam: similiter in cæteris quæstionibus multo pauciores similitudines, paucioresque vsus.

Cum ergo demonstratio sit rei ignotę: quæ autem sensui patent, clara sunt, exili prædita sapientiali claritate, idcirco ergo non demonstrantur. Siquidem propter quid luna obscuratur, & nix est alba, demonstramus: Non autem quod illa obscuratio extat & nix alba extat: sed sapientia percipiuntur & non sicut sunt, semper. & hoc dixit Socrates & Salomon: & hoc scire, quod non sapimus prout sunt, scientia summa est. vnde discurrimus, quod alia vita nobis debetur, in qua sapiamus res, prout sunt, ergo in Deo, in quo solo datur nobis sapere hoc. & omnia, vt infra, & tota & totaliter.

Mathematica vero noscuntur prout sunt magis, quoniam sunt mensuræ à nobis positę. Omnis autē inuentor scit opificium suum magis, quam imitator. In Physicis vero imitatores sumus. granum, & palmus, & denarius, sunt nobis noti, suntque aliorum notitia & lux, sed tamen in mille annis non intelliget homo physicè essentiam grani & palmi, & denarii, vt in prioribus disputationibus probatum est.

Ad Scepticos ergo redeuntes, dicimus, quod si cognoscimus rē esse, cognoscimus & quid est, saltē quid nominis à nobis impositi; ergo aliquo pacto ante nominationē esse quidē, quia agit in nos: illud autē quod efficimur est nobis, vt ignis est nobis illuminās, calefaciens, attenuans, mouēs; omnia enim hæc patimur ab eo nos. Ea autem, quæ non agunt. per aliud noscuntur, & eorum quidditas occultior est: quoniam per simile & per effectum scitur. vt Angelus est, qualis anima nobis: & qualis seruus Deo, & qualis rector naturalibus. Vtrum autem idem sit esse & essentia, posterius examinabimus. In sensilia ergo non percipiuntur sapientia, vt Plato putat, sed potius noscuntur quid non sunt, & cui similia sunt analogicè non vniuocè, quam quid sunt. Quæ autem consideranda sunt in rerum quidditate agnoscenda, in 2. lib. explicabimus. Lapidē enim intelligo, si notauero causam eius remotam, esse solem & terram, propinquam vero fluorem, & indurantem calorem frigusque. Item ideam & vsum defendendę telluris, & artis, & formam multiplicē, deinde dispositionem, quod sit durus: deinde figuram exteriorem. Deinde colorem, quod albus, vel rufus. Deinde actionem, quod grauat: & passionem,

qua resistit tangenti, & difficile frangitur, & non flectitur. Deinde operationem, quod non mouetur, neque quiescit per se, sed torpet in alio substentatus. Deinde similitudinem, quam habet cum osse, & planta, & metallo. Deinde dissimilitudinem cum eisdem, & alias oppositiones cum aliis. Deinde accidentia ipsius & circunstantias, vt quod lædit, quod per accidens à calore durescit, & frigescit; quod fiat certis temporibus & locis; quod seruit huic fabricæ, de quibus infra. Et hæc omnia pertinentia ad essentiam & existentiam, inspicit sensus, inspectionemque discursu supplet vel imaginatione. ex sensatis deinde & imaginatis, & ratiocinatis per discursum mentalé emanet iudicium. quod est definitio in naturalib. sententia in moralibus, mensura in Mathematicis.

Scientia ergo non est reminiscentia, nisi in anima à Deo indita, si fortè creata est cum dono scientiæ, sicut putat Augustinus in lib. de diuinatione dæmonum cum Platone. Nos etiam probabimus, Mentem, Potestate, Sapientia, Amoreque essentiari in se ipsa: quæ primalitates cum respiciunt exteriora obiecta, pariunt facultates sc. potestatiuam, cognoscitiuam, & volitiuam: ex quibus sunt passiones in potestatiuo: notiones in cognoscitiuo, & affectiones in volitiuo: ex quibus triplicibus facultatibus cum extenduntur ad obiecta, emanãt actus. qui regulati, prout ad finem prosunt, sunt virtutes: absque regula, vitia. Ex sapientia ergo essendi essentiali nascitur sapor per facultatem sapiendi obiectorum exteriorum; quem saporem semen scientiarum vocauimus. Est ergo sapientia in anima à Deo: obiecta autem sapibilia, minimè nisi anima omnium rerum ideas habeat, quas nequaquam habere puto, cum ipsa rerum non sit artifex ideator & excogitator: sed quatenus est participium diuinitatis omnia excogitantis, & ideantis, & parentis, habet in sua sapiẽtia, quo possit omnia scire, quæ ideator Parens facit: & hoc sub eius lumine, sicut in sequenti parte demonstrabimus. At in spiritu corporeo, à sole genito, cum sit nouus, fit scientia de nouo magis. sed quia generans etiam sapiens est, & sibi similem facit, & spiritus Patris spiritum filij, potest videri reminiscentia eorum, quæ didicit, vel naturaliter sciuit parens similis genito, non autem quæ prius ipse genitus; præsertim cum filij parentibus assimilantur.

Ambiguitas Platonis in Memnone, videl. si quærimus quod nescimus, inuẽtum nequaquam agnoscemus. Neque enim seruum fugitiuum obuium, si non prius noueramus agnoscimus: sin autem nouerimus, ergo scire est reminisci. Nam & puer ordine interrogatus in Mathematicis rectè respondet, sicut qui recolit, quod didicerat, oblitus se seriatim recordatur.

Facilè soluitur in nostra Philosophia. quo enim ad sapientiam, potest inuenire, quoniam similis est genitori, & sciuit illam in simili, vnde venit: quoad scientiam verò in sapientia: nam si noui hominem esse rationalem, noui etiam Petrũ esse rationalem. & non in potentia vt Arist. dixit, sed in actu: posse enim scire, non est scire. Si enim quæro seruum fugitiuum, cum inuenero, illum non agnoscam ex eo, quod potui scire, sed ex eo, quod sciui illum. Sciui autẽ quia similis est Petro mihi prænoto; vel prænoto causæ, vt patri vel primi. Item si vniuersale est essentiale per sapientiam notum, nequaquam scio particulare. Si enim quis dicat, omnis homo habet caput, sermo iste valet, si non extant Acephali. Quapropter non rectè dicam: ergo Æthiops habet caput. Non enim hoc noui, nisi Æthiopem sub capitatis esse præsciuerim. Igitur falso incusantur antiquiores ab Aristot. quia dixerunt, nescio hanc dualitatem esse parem, nisi sciam esse dualitatem: licet hoc exemplum sit de essentialibus, & valeat semper: sicut hæc, ignis hic calefacit; quoniam scio omnem ignem calefacere. Non tamen valet in accidentalib. vel fortuitis. vniuersales ergo propositiones non sunt faciendæ, nisi de essentialibus: essentialia sunt, quę conueniunt rei secundum esse intrinsecum ex propria essentia & semper, vt infra patebit, vel in omni loco. Datur enim vniuersalitas, indiuiduorum, & temporum, & locorum. sed nec ambiguitas Memnonis tollitur ex cognitione particularis in vniuersali, vt dissimulat Arist. Quæstio .n. est de quidditatibus indiuiduorum, ex quibus fit vniuersale, & quomodo anima illa prænoscit, & quo lumine. Nec nisi ex participio diuinatis omnia de sua excogitatione generantis ac scientis, potest afferri ratio: nisi quis omniscium esse substantiam, de qua fiant animæ, vt Aug. dubitat, assereret.

Quapropter demonstratio potissima est, cui omnes sensus omnium hominum testimonium perhibent in sapientia ex omnib. cõsiderabilibus. Aliqui enim sensus faciunt scientiam, vel opinionem, vel suspicionem, si ex paucioribus considerabilibus experimenta collegerunt. Inuentio est à sapientia sensuum. Doctrina ab vniuersalibus collectis inductione sensuum, & quia hæc contingit fallere: propterea magis credendum est expertis quam doctioribus: experientia enim causat scientiam & corrigit: Doctor collectam habet ab expertis, in particularib. quam applicat ad alia singularia.

Hoc idem probatur testimonio D. Basilij, qui fictitiam materiam Aristotelicam, quæ quid non est secundũ sensum, deridet: & Tertulliani Platonicos accusantis, quod sensui intellectum anteponant. Et Petri Apostoli apud S. Clem. qui Simoni Mago alium ponenti mundum supra hunc, aliumq; Deum; restitit, dicens, nobis dedisse Deum nostrum sensoria quinque, quib. eum per sua opera agnoscamus: fingere autem, quæ non nouit sensus, est stultitia: & ille Deus debuisset nobis sensum sui præbere, sicut fecit Deus noster. & cum quærit Magus, cur vsque nunc non comparuit Deus vester? Resp. quod vbi est ratio, ibi est sensus: in omnibus autem rebus est ratio impressa, vel expressa, vt patet ex constructione totorum, partiumque, & vsu, & finibus: ergo est sensus, & hæc sapientia Dei diffusa per omnẽ creaturam, vt etiam inquit Ecclesiasticus, qua Deum in operibus suis agnoscamus. *Eccl. 1.* ipse quoque Arist. inquit, esse imbecillitatem intellectus deserere sensum propter rationem. & in 3. de cælo. quod sciẽtia tam practica quam speculatiua, cuius iudicium non peruenit vsque ad singularia, vnde incipit, perfecta non est. Non enim quæritur in philosophia, vt loquamur in aëre, sed de rebus, quæ sunt in vniuerso. Quæ omnes Arist. singulares sunt.

ARISTOTELIS RATIONES, QVIBVS *probat non eſſe ſapere per ſenſum, inanes eſſe, & contrarium rerum eſſe confirmatur, & præcedens doctrina declaratur.*

CAP. VIII. ART. II.

SED ſui oblitus in primo Metaph. probat ſapientiam non pertinere ad ſenſum, & experimenta. Cum enim oſtendiſſet, quod in agilibus magis credendum eſt experto, quam artifici, & artem ex experientiis fieri: ſtatim probat contrarium.

1. Quia, inquit, magis arbitramur ſcire per artem, quam per experimentum.
2. Præterea artifex poteſt defendere poſitionem, & arguere oppugnantes, non autem expertus.
3. Præterea ille magis cunctis accommodatur.
4. Amplius artifices ſciunt propter quid. Sunt enim ſicut Architecti reſpectu inferiorum artificum, præſcribentes regulam & finem: experti vero ſciunt. Quia, tantum: & ſunt tanquam inſtrumenta inanimata reſpectu Architecti.
5. Item ſignum ſcientis eſt poſſe docere; quod artifici conuenit, non autem experto.
6. Præterea nullum ſenſum ſolemus vocare ſapientiam: nam quanquam intelligunt ſingularia, haud tamen eorum ſciunt cauſam. ſcit tactus quod ignis calefacit, ſed non propter quid.

Deinde cum probaſſet, ſpeculatiuam ſcientiam eſſe nobiliorem practica, quoniam illa eſt gratia ſui: & vltra communes ſenſu admirabilis; affert conditiones ſapientiæ ſex, videlicet 1. ſcire omnia: 2. & difficillima, quod alij ſenſus vtentes non aſſequuntur: 3. & certiorem cæteris eſſe; 4. & docere poſſe cauſas rerum quarumnis, 5. & eſſe ſui gratia, & non vitæ aut fortunarum: 6. & ordinare cæteras ſcientias vt famulas. Sed cognoſcens vniuerſaliſſima eſt huiuſmodi: nam in vniuerſalib. continentur omnia, & ſunt difficillima: quia ſenſibus remota, & certiſſima, quia priorum, & ſimpliciorum, vt entis &c. ad quæ aliæ artes faciunt additionem: Item poteſt docere cauſas omnes, quoniam vniuerſalia ad omnia extenduntur. Item eſt gratia ſui, quoniam maximè ſcibilia, & minus operabilia ſunt vniuerſalia. Item cognoſcit vniuerſale bonum, cuius gratia cætera ſunt agenda. Ergo omnes ordinat.

Poſt hæc oſtendit Metaph. eſſe digniſſimam: 1. quia ſpeculatiua, 2. quia libera, 3. quia diuina poſſeſſio, 4. quia Dea ſcientiarum. & in poſteriorum primo vlt. cap. & in 2. poſt. cap. vlt. iterum dixit ſenſum ignobiliorem intellectu, quia neſcit cauſam neſciens vniuerſale.

His rationibus reſiſtentes, dicimus, quòd, ſi ars eſt collectio multarum experientiarum ſenſatarum. experimentum vero eſt particula artis: profectò ſapientior eſt artifex experto: eique credendum eſt magis non tanquam alteri ab experto, ſed tanquam eidem, aucto, multiplicatoque: ideoque poteſt artifex defendere poſitiones, & oſtendere cauſas, quia plura experimenta fecit ipſe, vel alij, qui artem cōgregauerunt ex eis. Qui enim expertus eſt, quòd rheubarbarum purgat choleram, non dicitur habere artem, nec poſſe reddere cauſam, neque docere, niſi prius naturam cholerę prædiſcat per alias experientias proprias, vel medicorum: Item naturam rheubarbari amaram, & ſtomachoſam, perſimilem choleræ: Item quod omne ſimile attrahit ſimile, quod per alias in conſimilibus experientias ſcimus. Deinde ex hiſpoteſt docere, quod rheubarbarum in ventriculo trahit ad ſe choleram ſibi ſimilem per corpus ſparſam: & ſpiritus illa ſtimulatus, ſtringit fibras rectas, & dilatat tranſuerſas vaſorum, & ſic expellit infeſtantem choleram vna cum rheubarbaro. At totus hic diſcurſus ex pluribus experimentis, ſe mutuo iuuantibus fit: quæ propoſitiones vniuerſales pepererunt: experimenta vero ex ſenſu. Quapropter ſenſus eſt ſapientiæ principium totius, & correctio. vnde quando in aliqua ex propoſitionibus erramus, recurrimus ad ſenſum, vt, qui docuit, ipſe corrigat. Quamobrem comparatio experientiæ ad artem eſt vnius hominis ad plures homines: & non hominis ad Angelum, neque aſini ad hominem, vt Ariſtotelicis videtur. Igitur quatuor prima argumenta ſoluta ſunt.

Ad 5. Ad quintū dico, quòd expertus ſcit quia & quid, ſi vna tantum experientia pollet. ſi vero multis, ſcit propter quid. Ruſticus ſcit quia obſcuratur luna, & quod obſcuratio eſt defectus lucis. Mathematicus vero ſcit propter interpoſitionem terræ; ſed hoc ſcit, quia ipſe, vel alij, quibus fidem adhibet, ſenſata experientia obſeruarunt, obſcurationem fieri in plenilunio, quando eſt in diametro ſolis, & terra in medio. Cæterum, quæ artifex non nouit per experientiam, nequaquam ſcire dici poteſt, ſed opinari. Ecce Ariſt. probat & Virgil. & alij, ſub æquatore homines non habitare, quoniam inquiunt, calor ibi multus expellit temperiem humanam. ſed quia tam multus ibi non eſt, quantum putarunt, fallax fuit ratio artificis; & corrigitur nunc à ſenſus experimento, ad illas regiones nauigantium. Auguſtinus negat Antipodas rationibus artis: ſed ſenſus nunc ipſum emendat. Ergo expertus in eo quod expertus, præualet ratiocinanti artifici: & artifex præualet experto, quatenus magis expertus ſuis & alterius experimentis. & ideo præſcribunt artifices regulas, quoniam artem habent collectam ex experimentis; proptereaque Medicus imperat coquo, & pharmacopolæ, qui de inſtauranda ſanitate artem non habent.

Ad 6. Ad 6. dicimus artificem docere tanquam expertus: vnde Columbus docuit nos nouum orbem, & docuit Philoſophos & Theologos; quia eſt teſtis experientia ſenſatus: illi vero per artē opinantes & non teſtificātes: ergo nec ſapientes. nemo .n. poteſt teſtari niſi ſapiens eius quod teſtatur, vt dictum eſt.

Ad

Ad 7.

Ad 7. verè non vocamus sensum sapientiam, quoniam non sapimus; sed sapientia dicitur à sapore, qui sensui gustus intrinsecatur. Quapropter sensibus primo conuenit sapientia; & ideò in spiritu cælesti est intuitiua sapientia, & tactus quidam gustusque diuinus, faciens scire sine motu & discursu, vt etiam Plato dixit. & Mens quatenus sentit, sapit, non quatenus ratiocinatur. sed nomen sapientiæ transtulimus ad eum, qui omnia scit. quoniam non omnis sensus sapit res sicut est, sed tantum spiritus purus instar lucis, & non instar rubedinis. sicut oculus rubeus omnia rubea videat, sic spiritus impurus impurè, & aliter quam sunt etiam pro modulo suo. siquidem omne sentiens eatenus sentit alia quatenus sentit seipsum, immutatum ab aliis. Quod autem se non sentit, neque alia sentit vt dicitur in 2. p. & spiritus ergo impurè sentiens, non sentit res prout sunt in nostro modo sentiendi. Propterea ineptus est ad iudicandum de similibus, & est natura mendax, fuliginosus, praui discursus, interruptique, si tenuis: si crassus, tardi, & modici: *Optimus est autem* purus, *qui per sese omnia nouit*, (dicebat Hesiodus.) *Proximus huic erit, qui credit recta monenti:* quoniam ex parte purus est. *At qui ignorat ipse, nec credit sapientibus, hic inutilis est impurusque.* Qui ergo facile experitur cuncta prout sunt, & memoriter tenet, & aliorum sapientum rimatur experimenta, & artes, hic verè sapiens dicitur: licet sapiens sit quoad fundamentum rectè sentiendi, vnde fit sciens per discursum. Nam modica est sapientia, & nulla esset scientia, nisi similia quoque cuncta in vno simili saperemus nostris, & aliorum insuper sensibus. Et quia bruta non ratiocinantur multa, & remota, & occultas ex paucis sapienter inspectis; sed primo plerumque sensu mouentur: dicuntur irrationalia & insipientia. At neque verum est, quod sensus non sapit causas; immò quas artifex nouit, ex sensatis experimentis nouit. & sensus dicit, ignem esse calidum, sed non propter quid: neque ipse artifex, nisi adducat causam finalem generationis rerũ, & agentem Dei voluntatem. Quod tamen nouit ex eo quod videt, ignem producere omnia: & quod voluntate nos operamur. Ergo neque Arist. docuit vnquam, cur ignis sit calidus. & Plato, qui adducit rationem Mathematicam ex angulis acutis, obscurat, quod erat clarum. Quis enim hos angulos in re incorporea ponat, & mollissima tenuissimaque corporeitate? Nec dicit quid, & propter quid, & de quo, & à quo, sed tantum quo, & hoc obscuriter. Aristot. verò, qui facit ignem ex motu cœli per accidens, nec causas, nec quid docet, & insuper delirat. Non enim attritus aër incalescat, & ignescat, cum atteri non possit: nec ictum expectare, nec à cælo deprimatur. Quapropter mirum, quomodo Arist. quærit causam, vbi ipse non quærendam dixit, quia sunt immediata, nec docuit. dicimus niuem esse albam, quia ex nube lucida, calidaque concreuit: sed non de principiis simplicibus dicemus causam, sed quidditatem. quidditas autem est id, quod res est siue habeat causam, siue careat secundum nos. Nam qui ideas intueri posset, aliquid altius responderet. Cum vero præferr speculatiuam practicæ, errat, si negat aliam vitam nos manere. nam omnis scientia est propter conseruationem in nobis, vel in filiis, vel in fama, vel in Deo. & ipse Arist. fatetur, omnes scientias esse propter operationem, alioquin Paxonas æquaretur Mercurio. Quid enim prodest diuina contemplari, non nisi vt contemplentur, qua contemplatione ægritudinibus scatente infæliciter viuamus? Rectè quidem Lactantius inanes esse speculationes absque operationibus, & vsibus nostræ fælicitatis contra Peripateticos existimauit. Ambrosius quoque speculatiuam scientiam vocat perfunctoriam & vacuam, nisi impleatur fælicitate practica; vnde D. Thom. sapientiam Christianam operatiuam esse monuit, dicente Dauid. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Labor qui est in praxi facit ignobilitatem: & ideò indoctis imperatur. At si sciens nauifactor ædificet sine labore nauim, vt Deus facit omnia; non vilis, sed nobilis ex praxi dicetur. Deinde conditiones sapientis enumerans Arist. non ineptè loquitur, sed cum ea tribuit noscenti vniuersalia, errat: si sunt vniuersalia in prædicando, & non in causando. Probatum est. n. esse incertum, & confusum, & truncum, qui singularia non nouit: si autem illa vniuersalia ex singularibus sciuit, vtique per sensum sciuit. si autem ab alio recepit, credita sunt: neque potest alias regulare nisi experimentis roboretur, vt patet in Medic. & in omni scientia, quod & ipse docet in tertio de cælo, & suæ Metaph. primo: sed quis non miretur, quòd cognoscere, rem esse, & bonam, & finitam, putant esse certissimam cognitionem, cum ipse, & D. Thom. confusissimam vocarint? Artes ergo addentes ipsam certificant. si enim scio hominem esse finitum Ens, & bonum, & verum; profectò communia scio, & similitudinem remotam cum aliis: non propria eius, nec distinctionem. Definitio autem est ex genere, & differentia, videlicet ex communi, & proprio: demonstratio ex propriis essentialibus, vt ipse ait. Ergo incertus est de rebus, qui vniuersalia tantum eorum prædicata scit. Adde quod neque vniuersalia sciuntur, nisi intuitu singularium: ergo ad causas est recurrendum propinquas & remotas, & remotissimas. Verum est quod certior sũ, quod homo sit corpus, & ens, quã quod sit animal, & quod sit rationale: sed illa certitudo non est huius scientia, nisi remota: indigna nomine sapientiæ, intrinsecus penetrãtis. De causis vniuersalibus verum est, sed reuelatis auditui, vel cæteris perceptis sẽsibus spiritus, vel mẽtis: rectè cõsideratis cõsiderandis omnib. vt infra. Metaph. autẽ propterea est scientiarum domina quia speculationes, & praxes omnium scientiarum callet, & probationes habet, & per omnes causas propinquas, remotas, & remotissimas, & non subiicitur dictis hominum, sed rerum veritatibus in diuino codice naturę ritè perceptis, si puro spiritu & lucido, & perfecto cõnstat. considerat etiam Ens rei inueniendo, & Rationis in docendo.

Nota 22.

Psal. 110.

RESPONSIO AD PRIMVM ARTICVLVM, *primi capitis: vbi dubitatum eſt, quod non ſit ſcire niſi valde modicum, & confirmatio & declaratio dubiorum.*

CAP. IX. ART. I.

AD primam ergo dubitationem in primo artic. pr. cap. propoſitam, dicimus, verum omnino ibi oſtenſum eſſe, quod ea, quæ ſcimus ſunt minima pars eorũ, quæ ignoramus. ſed hoc ſcire, ſumma ſapientia eſt nobis, ad Dei magiſterium nos inuitans & cogens: cognoſcentes ſanè conuenire nobis ſcire ea, quæ intelligimus, nos ignorare, nedum vitæ corporali neceſſaria, quæ ſcire omnibus brutis datur, quantum ſufficit: quod eſt ſcire ſecundum quid: ſed etiam quæcunque quibuſcunque ſunt, & inſuper quæ Dei, & totius Entis, quod eſt ſimpliciter ſcire, vniuerſali Philoſopho ſeu Metaphyſico dignum propriumque. Siquidem cognoſcimus ignorantiam noſtram atque exiſtere quam plurima ignorata. Id quod nemo ſcit, niſi qui plurimum philoſophatus eſt, ſcientiam quæritans, non gloriam aut pecuniam, aut honorem ex ſcientia. Hic enim videt quantum deſit ad ſcientiam; & quomodo inſectatur volantes aues, & quo plures ſectatur, eo plures emergere, ita vt nec ſufficiat dubitare, nedum ſoluere intellectus ad rerum perſcrutationem. Ad pauca autem reſpicientes, putant ſe ſcire, quoniam quam multa ignorent ipſi ignorant. Quibus ignoratis neque ſciunt, quæ putabant ſe ſcire, niſi ſimul illa, & omnia ſciantur: vnde Socrates poſt omnium rerum perſcrutationẽ, dixit: *Vnum ſcio quod nihil ſcio.* Et D. Hieronymus poſt totius Scripturæ ſanctæ interpretationem propriam, & aliorũ Græcorum, Latinorum, & Hebræorum, variaſque euentilationes verbi diuini, dixit, *Hoc de his ſcio, quod nihil ſcio.* Idcirco admonet nos magiſter gentiũ, dicens: *Qui putat ſe aliquid ſcire i is nondum nouit quo oportet illum ſcire.* Hippias è contra modica in Grammatica & Dialectica verſatus, putauit ſe omnia ſcire, aliique rudiores ex hoc quod ſciunt verba Magiſtri, putant ſe omnia ſcire. Ad quos ait Apoſt. *Qui vult ſcire, is ſtultus fiat, vt incipiat ſcire*, id eſt, prius intelligat ſe nihil verè ſcire, perfecteque.

Haud tamen enim tollimus ſapere ex parte, vt probatum eſt, atque ſicut, & quantum homini neceſſe eſt. Hoc autem parum ita locuples eſt, vt infinita penè ſciamus per diſcurſum ex illo modico. Nonne geometra ex noto palmo menſurat vlnas, & paſſus, & miliaria, & ex his ambitum terræ; ſiquidem ambulãs ex borea in auſtrum, miliaria ex poli depreſſione metitur, quotquot miliaria vnus depreſſionis gradus dat, & multiplicatis 360. gradibus, totum terræ ambitum ſcit. Gradus cæli partitur in circello ſimili ipſi cælo, & per proportionẽ, quæ ſimilitudo eſt quantitatum, de paruo ad magnum, menſurando aſſurgit, inſpectiſque motionibus ſtellarum in circulis, eclypſes prædicit, diſtantias, & magnitudines in parua tabella. Ecce quantum fructificat modica ſapientia: ſic in Phyſicis ex particula caloris ſapit calores omnes in ſuo ſimili, & ex vno innumeros mundos. Eſt ergo nihil ſcientia humana in comparatione, ſed aliquid in ſe, quia quantum vitæ ſufficit humanæ. Multa ſcimus aliorum ſenſibus, vt dictum eſt, præterita, & abſentia: & in cauſis futura, quando ſimiles, vel tales ſolent producere effectus: & effectus oſtendunt occultas cauſas per hoc, quod nouimus manifeſtas cauſas ſimiliter effectus ſuos facientes. Solem pedalem ſenſus videt, ſed tamen ipſe ſeipſum corrigit, quia videt ſe decipi in magnis, per diſtantiam apparentibus paruis; quibus propinquans maioritatem deprehendit. Hinc ſcit ſolem diſtantem videri minorem. Mox metitur hoc ab vmbra terræ in pyramidem effuſa. vbi autem luminoſum eſt maius opaco, ſenſu didiceramus pyramidalem fieri vmbram. Hinc ſyllogizamus ſolem terra maiorem, & ex quantitate vmbræ iterum magnitudinem.

Quod autem dicimus, quidditates non innoteſcere ſenſibus, verum eſt de his, quæ ſenſibus per ſuos effectus patent, vt Angeli & Deus: non autem de his, quæ per ſe mouent ſenſum, vt calor, frigus, lux; neque de his, quæ vna cum per ſe mouentibus innoteſcunt. Nam & ſi hominis quidditatem ex ſolo colore non noui: tamen ex actionibus, operationibus, ratiociniis, ſenſationibus, figura, ſimilitudine, differentia, quidditatem ſentio. Hæc ſæpè ſentiendo, & ex his diſcurrendo ad interiora per rationem tanquam per pharetram ad ſcopum, atque per intellectum tanquam per iaculum, intus legendo, ſeu tangendo, quidditatem attingo. Quod autem ſemper aliquid eius ignotum ſit, nemo neget. Neque enim Peripatetici profitentes ſapere, vltimas differentias ſe ſcire affirmant. Nos quidem ex etherogenea parte neſcimus totum, ſed ex inſpectione totius huius, alia tota ſcimus. ex homogenea vero, & totum ſuum, & alia tota. Dei quidem diuinorumq; entium, non communicantium nobiſcum in materia & actione & paſſione, quidditatem attingimus quantum & eſſe, per effectus. & qui omnes effectus ſcrutatur rectè, & intrinſecus, plus ad quidditatem aſſurgit, ſed ſimilitudine analoga, nõ vniuoca. Propterea ſummi Theologi quidam profitentur ſe noſcere Dei exiſtentiam, ſed non eſſentiam ab effectibus: alij vero non mediocres, etiam eſſentiam, ſed imperfectè: quod quidem analogicè non autem vniuocè. In cæteris ritè dubitatum eſt, & dictum Apoſtoli veritatis eſt plenum.

RESPONSIO AD SECVNDAM DVBITATIONEM, & declaratio.

CAP. IX. ART. II.

AD secundam dubitationem conclusum rectè dicimus, quod scire ex parte adhuc sit imperfectissimum:& responsum Aristot. rectè improbatum esse. Hoc tamen adnotandum: quod non omnia singularia inspicere oportet ad vniuersale concludendum, vbi affirmatur, aut negatur quid essentialiter. Si enim Petrus & Ioannes est animal, statim sequitur omnis homo est animal: quæ sequela tutior est in simplicib. vt si hic ignis & ille est calidus: omnis ignis ergo calidus. Non autem valet in accidentalibus: sed in his, quæ plerumque accidunt, vera est indefinita, vt homo est albus: in casualibus, singularis; vt aliquis homo est sine manu. Hoc autem nouimus ex eo quod sentimus quædam semper, quædam plerumque, quædam raro, quædam rarissimè coniungi, aut disiungi. At quæ semper, fundant demõstrationem: quę frequenter, opinionẽ, quæ raro, suspicionẽ. Responsio quoque Platonis benè improbatur. & Arist. perperam illi adhæret, quod scientia sit vniuersaliũ æternorum: scientia enim est rem nosse, sicuti est; vt corruptibilem, quia est corruptibilis, æternam quia æterna. Cæterum ideas requiri ad perfectionem artis. Nisi enim verum ensam sciam, non iudicabo de entibus. Nisi verum optimũ sericum nouerim, non intelligam cætera, quæ per accessum ad optimum mensurantur: similiter qui ideam literæ non habet, non scribit: neque ædificat, qui ideam ædificij non percepit: Idearum enim vis, & ad cognoscendum & ad operandum necessaria videtur Augustino. sed tamen omnis rei perceptio scientia est. Idearum vero perfectissimi sapientis est: & rectè colliguntur ex singularibus: sed hæc nobis notiora sunt secundum spiritũ sensit: at secundum mentem ideæ, quæ participationes sunt diuinæ artis, vt in 3. part. patebit. Cum autem quæritur, cuius est scientia, singularium ne, an vniuersalis. Resp. quod inuentiua tractat singularia: doctrinalis vniuersalia, ex singularibus collecta similibus. Argumentum Platonis & Scoti erat: non datur scientia de singularibus quoniam infinita, & mutabilia: veritas autem rei non mutatur: ergo de vniuersali: non enim tractat de hoc & illo homine, sed de homine in cõmuni. sed homo vniuersalis, vt dicit Arist. aut nihil est aut posterius est, quoniam fit vniuersale ab intellectu abstrahente: ego est ens rationis: scientia autem est de ente reali, & anteriori ad opus intellectus, faciẽtis entia rationis: ergo scientia non datur. Respondet Plato, datur vniuersale quod est idea ante opus intellectus, & illud est æternum, & verum semper ideoque scibile. Argumenta Arist. contra ideas, soluentur in 3. par. pro nunc dicimus vniuersale non fieri à nobis, nisi virtute ideę in qua sunt vnum particularia quò similia. Scotus propter hoc addit, quod datur vniuersale à parte rei ante opus intellectus, ens reale, & scientię realis obiectum. Sed contra ait S. Thom. ex Arist. particularia sunt primæ substantię, quibus sublatis nihil remanet; nec vniuersale, nec accidentia: ergo vniuersale non est in re ante opus intellectus. Propterea ait S. Thom. homo vt particulare est in rerum natura, vt vniuersale est in intellectu ens rationis. Sed præcisè sumptum non est vniuersale nec singulare: abstrahit enim ab esse in re, & in intellectu. & forsan sic est obiectum scientię realis. Et profecto aliquid sapit ista distinctio, quod nos dicebamus: videlicet quod scientia inuentiua tractat singularia, ex quorũ similitudine reale resultat in Mente vniuersale, quod est principium scientię, vt Ars est & docens. non vt sciens: & à quo, est rei ens: ad quod, rationis, vt in 2. lib. Cætera argumenta, quæ ostendunt neque vnum singulare sciri posse, bene concludunt de scientia completa, & perfecta, & totali, sed non de ex parte, & imperfecta. & quod ad sciendum hanc chartam oportet omnia entia scire, & entium relationes vsque ad Deum. Quæ autem ad dubitata sunt ibi de Deo, in 2. par. quantum licet humanitus dissoluentur; & responsiones Aristotelis obiectæ, rationabiliter reprobatæ sunt, sicut melius declarabitur.

Declaratum est superius, quod circulatio difformis non reprobatur, velut vniformis. siquidem causa ab ente vno, tenuiter noscitur: ex multis, strenuè. & tunc licet ad alium effectum ignotum per eam noscendum reuerti. Præterea quando contingit, notiorem esse effectum, ab eo incipiemus; quando causam, ab ea. Deinde licet regredi si alia adminicula superueniunt in notificato, ita vt fiat notius. In causis autem non procedimus in infinitum; quoniam datur Deus, & creatio rerum, & priores noscuntur similitudine posteriorum: sed hic clarescit exilem esse scientiam vt probatum est.

(.·.) (·.·)

RESPONSIO AD TERTIVM ARTIC. principalem, ac declaratio mirifica de sapientia humana, & cæterorum entium.

AD 3. rectè dubitatum esse dicimus; quoniam cum sensus patiatur à rebus: Res autem agant prout sunt: actio enim est effusio propriæ entitatis. ergo sensus non fallitur dum patitur, nam verè patitur, & res sensiles verè agunt. Quod autem aliter aliis eadẽ videãtur, & è contra, non accidit ex eo, quod res non sunt: neque quia mutantur, cum simul & semel à duobus eadem res gustata, & visa aliter appareat: sed quia, qui patiuntur, aliter dispositi sunt & hoc scire est vera huius negotij sapientia. Non enim possumus dicere, vulpem non relinquere sui odorem, quem non sentimus, cum à cane sagaciori experiamur sentiri. Neque zipetium esse odoriferum, cum sit excrementum animalis, cuius stercus illi fœtet magis, quam humanum: sed asserendum quod nobis est odoriferum: aliis verò fœtidum: sic & venenum. sed cui credendum sit magis, nemo profectò audebit decernere, cum palam nos canis superet in odoratu. Cæterum hominem præstantiorem in sentiendo, dicimus: quia has differentias notat, brutis ignotas. Putant enim bruta res esse, quales illis apparẽt; nos autem sentimus non ita esse, sed aliter nobis atque illis apparere pro modulo essendi, atque sentiendi cuique suo.

Quod autem inquit Arist. in iudicio de coloribus propè spectantibus: & de ponderibus iuueni, & de cæteris credendum vigilantibus atque sanis; Verum est de scientia, quæ competit homini tantum ad tuendam vitam: & non de scientia simpliciter rerum prout sunt in se, & ad alia entia, nedum nobis ad nos. quoniam reuera omnes patiuntur aliter, & aliter: ac nescimus, quis sit metrum aliorum, cum nemo sit potentia omnia, neque actu eminenter omnia, à quorum accessu & recessu gradus rerum enumerantur: sed potius fatendum, ab eadem re affici omnes pro mensura sua. si enim ægrotus sentit frigus, quod nos latet, cur ei non credemus, cum & canis sentiat odorem, nos latentem, & coruus, & erniosus pluuiæ præparationem, nobis imperceptibilem? Charta alba sentit nigredinem in argento latentem albo: lapis vero probatorius tingitur albedine argenti, quoniam simile non patitur à simili, sed contrarium, & hoc nosse est sapere. sentimus tamen genistæ saporem nos, & capra, & serpens, coruus, & omne animal, gustans illam: sed aliter, ex quo intelligimus, esse aliquod agens dissimiliter in gradu, sed non in re; ergo sapores & colores, & soni sunt entia: & gradus habent, non substantialiter diuersos. Sonus enim tubæ non differt substantialiter à sono cymbali, & venti, & campanæ, & sibilantis: quilibet enim sonus est motus aëris à nobis perceptus: sed quod idem sonus aliis sit vnisonus, aliis dissonus, aliis grauis, aliis acutus, aliis molestus & lethalis, aliis placidus: nascitur ex modo patiendi, quoniã alij magis, alij minus, aut aliter afficiuntur. Quia ergo lingua caprędura est, & spiritus crassus calidusq; valde, non vincitur à nimio genistæ calore, idcirco ei moderatus apparet. Nobis vero blandiori temperie donatis, amarus, quia superamur: sensibus duriuscula lingua præditis, & spiritu exiccata in mole retento, amara bene sapiunt, quoniam non ita fortiter possunt afficere ipsos ob duritiem. Pueris autem displicent, quia molliori spiritu linguaque; ac proinde extra symmetriam suam afficiuntur magis. Vidi hominem duris præditum membris ingenioque: qui carnem ex olla feruentem accipiens & comedens, neque manu, neque lingua vrebatur. Alij vero ingeniosi vix post horam mediam ex olla extractam carnem tangere possunt, quin vrantur. Sunt ergo res absolutæ & non relationes, sed agendi modus est relatio, & proportio ad patiens. Quapropter omnis motus aëris sonat, sed nõ nobis, nisi qui nostri spiritus excedit motum, & non maximè: sic enim etiam destruit. omnis vapor est odor, sed non nobis, nisi aliquis vapor. omnis calor est calefaciens, sed non sensibiliter omnibus: omnis res deorsum vadens ponderosa est, non autem nobis, nisi quæ excedunt. Omne elementatum est saporosum, quoniam calorem corporatum, saporis principium habet; sed non nobis. Quamobrem sal apponimus vt sapiat. omnis calor est visibilis, quoniam lucis est pars, sed non nobis. Aëris enim color latet nos, non autem vespertiliones; & omne corpus est esca potentiori, sed non nobis. Qui autem in infimo gradu caloris calidus est, sentit calores omnes; sed vbi sit hic gradus, nescimus. & si est vincitur à mediocri: ergo neque omnes? Theophilus qui ex mente Aristotelis existimat, intellectum esse materiam primam: & hæretici quidam cum Dauid de Dinando, qui materiam primam opinantur esse Deum, ita dicerent, vt in secunda parte examinabimus. similiter infimus coloris albi gradus patitur alios omnes propter sui simplicitatem; & debilissimum animalium pondera sentit omnia, veluti fortassis formica vel lendis. At neque hæc ratio vera est. siquidem sentit formica pondus vsque ad dragmam, sed non vnciam neque libram, quia illi infinita forsan apparet. ergo neque sex tertium: multo ergo minus montes.

Homo igitur constitutus in medio, non tamen æqualiter distante ab extremis, sentit pondera maiora, sed non montis & totius terræ. Verumtamen ex eo modico, quod sentit discurrit ad totum. si enim tanta tellus grauat centum sextertiis, tunc numerat, quot tantę itidem partes sunt in terra, atque ex eis ponderat totam, quoniam simile indicat simile: si vnam dragmam dant grana duodecim: ergo alia duodecim dant etiam

vnam, quoniam similis rei est vterque duodenarius. Ergo viginti quatuor dant duas, quia duo denarij sunt: & dragma similis est dragmæ. Ecce quomodo simili simile totum perpendimus, & hic relucet hominis diuinitas. Ex circello, totum cæli circulum immensum metitur eodem pacto. Verumtamen gradus caloris, & saporis, & soni difficilius discernit, quoniam innumeri sunt: eorumq; mensura non est stabilis, sicut mensura quantorum. Primus albedinis gradus non est idem omnibus, neque nobis notus: neque res alba sic est mensurabilis, nisi ab Angelo. Scimus tamen, aliquos sapores, & colores, & sonos, ex quibus conficimus scientiam, humanitus tantum possibilem, intensiuè & extensiuè imperfectam: sed multo plures latent. Enim vero lucem nouimus, opacatam modicè fieri albam, plus albidam, plus croceam, plus puniceam, plus purpuream, plus viridem, plus cæruleam, plus fuscam: at quidem innumeri latent gradus inter istos, & ante & post istos. & quilibet horum secatur in innumeros, & scire quod non possunt sciri est sapientia hominis: & in his paucis quiescit. At insipientia est, putare, non plures esse, quam quos notauit homo. Et quod brutis, & aliis entibus sint iidem gradus. At Medici vulgares in hoc præ cæteris falluntur, quod caloris gradus faciunt quatuor, saporum septem. Item, eas dant rebus vires, quas in nos ostendunt. Ergo cicorea, & nix, & aqua, frigida illis pronunciatur, cuius oppositum color & sapor ostendunt. Tactui igitur sic videri, pronunciandum erat, quia nos sumus calidiores: sed non cæteris sensibus nostris, neque tactui animalium omnium. Nam feruentem aquam tepida iniecta demittit. Extat etiam ignis ardens in aqua. Horum rationes perscrutari in similibus, functione sensus, multas rerum differentias & conuenientias considerantis. & vbi quid essentiale est, vbicunque aliquid carere videtur eo, falli nos, existimandum est: si enim color, & transpicuitas, & sapor, sunt calor, & caloris opus: vtique vbi hæc conspiciuntur, licet in frigidis, latere calor dicendus est. Nix ergo calida. At neque frigus ei negandum, sed extraneum: calor autem intrinsecus & innatus. Quæ autem conueniunt per accidens, non faciunt fidem. Neque enim quia calor indurat sicut frigus, omne durum erit frigidum. Siquidem durities à calore fit per accidens, dum partes molles extrahit, durasque detegit, sub mollibus latentes. Propterea de his infra erit sermo.

Concedimus ergo, multo plura latere in his, quam patere: sed discursu plurima sciri, qui ex sapientiæ metro nascitur, vt dictum est: vnde autem sint sapores, & colores, & odores, ritè philosophantibus patebit.

Prospectiua, Medicina, & Rythmica, non adeo errant, quoniam declarant & metiuntur res, sicut apparent nobis, non sicut sunt, & mensurant ea iuxta sensum plurimorum: & non paucissimorum, vt dicemus. Veruntamen conuincuntur, non habere scientiam, nisi secundum nos, & modicam, & exilem.

Porrò licet fallantur sensus in multis, tamen corriguntur à seipsis per alias sensationes. Propterea si Platoni culpantur, Tertulliano inculpabiles videntur: siquidem, qui remum videt fractum in aqua, corrigit se per hoc, quod extra aquam experitur eundem visu, tactuque integrum. Quo facto, inuestigat causam deceptionis: quia, videlicet, in aqua res fit grandior ideoque apparet vicinior portio, quæ est intra aquam, ea, quæ foris: ergo fractura apparet in confinio aquæ & aëris. Similiter quærit causam cur lux crescat in aqua, & deprendit transpicuitatem densam, in qua lux densatur magis: & huius quærit causam nempè quod transpicuitas est caloris opus, & lux caloris facies, quæ gaudet, & multiplicatur in re sibi cognata. At in mari profundo tingitur copia materiæ: fitque cærulea: & in profundissimo fuscatur & in vitro serratili videtur fracta: & in basi crassa fædatior: propè angulum clarior: Sic omnia soluit per alias sensationes. Quas qui conferre aptus est, is doctus facile fit. Nil culpatis sensibus, siquidem non nisi ita sentiunt. Nec rerum naturis, quoniam non nisi sic talibus sensibus aptæ sunt præsentari. Quando ex distantia secus apparet, corrigit se sensatione propinqua. Quando in ægritudine aliter videt, corrigit se in sanitate, eadem videns: & suo & aliorum sensibus emendatur. Neq; verum est prorsus quod Arist. ait, circa proprium obiectum non decipi sensum: sed semper organi indispositione, vel distātiæ, vel medij culpa falli, vel phantasiæ. Nam inter iuuenem & senem & puerum, nihil horum est causa, sed solum sentientis spiritus varietas. Neque inter canem & porcum. Bilis in lingua amarefacit sputum, & sputo amarescit cibus illitus: sensus autem verè sentit amaritudinem: & phantasia tunc non est in causa: & cum in pariete videt ex lineola serpentem, non phantasia videt, sed sensus, qui ob sui exilitatem afficitur multum ab obiecto modico, & iudicat propter hoc multum, neque phantasia ostendit equo hominem maiorem quam nobis, sed humorum & tunicarum oculi crassities, nisi phantasiam pro sensu accipias, vti nos. Cum ergo Arist. increpat eos, qui dicunt, res esse sicut apparent vnicuiqu, eerrat.

Non enim intelligunt illi, res non esse, nisi quia apparent, sed verè esse: At aliis aliter. Verè enim formicæ est graue, quod mihi est leue, & mihi sestertium panis facit saturitatem, & est virtus: tibi vero repletionem, & est intemperantia: & manus pueri est seni blanda, alteri autem puero subaspera. Igitur distantia, & organum, & medium, & obiecti varietas causant accidentalem fallaciam non per se, sed propter gradum essendi & sentiendi aptum ita sentire ad sui vtilitatem, vt quicunque alius modus inducat inutilitatem. Sapientia ergo est has varietates pernosse, & rem & relationem distinguere, & mensuram sciendi vnicuique propriam esse intelligere, videlicet, propriam temperiem singulorum ex proprio essendi sentiendique gradū: Idcirco vnicuique suam: solumque Deum omnes omnium habere, & insuper veram propriamque, ne dum aliorum apparentes. Christus ergo, vt respondeam Tertulliano, sentiebat res, prout humano modo sentiuntur: quatenus erat homo, quatenus vero erat Deus, & illum & alios omnes sentiendi modos agnoscebat, & insuper proprium verumque, ne dum apparentes, sicut de Deo asserebamus.

Phantasia sensus affectio est, & pertinet ad mensuræ variationem, vt dictum est Ad saluandum denique contradictionem, sufficit, quod simul & semel eidem sensui, siue sano, siue ægro, sub eodem medio, & distantia, & organo non apparet idem sensile diuersum in eadem sui parte, videlicet, album & nigrum, dulce & amarum.

RESPONSIO AD QVARTAM Dubitationem principalem, vtrum animalium sensu sit philosophandum.

CAP. IX. ART. IV.

AD quartum, quod præstantia sensus non consistit in organi bonitate, sed in spiritus excellentia, qui sentit in organo. Potest enim vir sapiens in domo vili habitare, & stultus in gloriosa. Spiritus autem temperies videtur esse melior in homine, quoniam medius est inter cethe & lendem, si hæc sunt extrema secundũ quantitatem. At cum Elephas præcellat asinum, homini in magnitudine & figura propinquiorem, & aranea exigua sagacior est: attendenda est non corporis quantitas, sed spiritus temperies, & in quo philosophatur, habitaculum. Homo quidem cerebri magnitudine cuncta præcellit animalia, & cellarum amplitudine: & forsan tactu, gustuque. Licet enim limax sit mollior, tamen ob exiguitatem & mollitiem comprimitur spiritus eius in eo, & antequam excedentia, iudicet obiecta, habitaculum & spiritus dissoluuntur. Siquidem & pueri mollissimi multam propter humiditatem, licet subito patiantur, ęgrè tamen discurrunt: quoniam in repletis, non in liberis habitat cellis. Ægrè etiam recordantur, quoniam spiritus multus aggeneratus delet præcedentis notiones: & cura augendi corporis, & in assuetudo arctacioque syllogismos. Spiritus hominis liber in bene formatis cellis, facilè præteritos recolit motus, & cum præsentibus confert: & ex vno simili multa similia iudicat: & recordatur patiens aliquid, omnium subinde passionum suarum, & aliarum, & semel quippiam videns, non modo memoria retinet, sed in illo plurima videt, hoc est, omnia similia & contraria per discursum subitaneum & sagacem.

Porro licet Aquila à longe videat, ex re tamen visa non considerat omnia similia & contraria: sic licet iuuenis acutius videt, quam senex; haud tamen considerat omnia conuidendo, quæ causant rem visam & concausant, & effectus eius, & similitudines aliarum cum ea, & contrarietates & relationes. Propterea quasi non considerantes extemplò appetunt, prosequunturque, vel oderunt, fugiuntque quod cognitioni ipsorum offertur: senex vero & ingeniosus vir illa omnia pensiculat, & ponderat bona & mala, latentia in re visa, vel tacta quocunque sensu, & ex præteritis & præsentibus cuncta præuidet, propterea enim data est memoria: licet ergo lupus audiat sagaciter, & canis odoretur procul, & quæ nobis sunt in odorabilia, tamen non nisi rem vnam, vel paucissimas ex auditu, vel olfactu percipiunt obiecta: homo vero plurima. Propterea que bruta credunt, omnia esse quanta, qualia & quomodo illis apparent: homo vero nequaquam: sed solem maiorem extimat, quoniam expertus est quæ à longè conspiciuntur minora videri. Item sapores num esse, nisi sibi, quales videntur; cum prænoscat, aliis aliter videri: quod pueri non prænouerunt: bruta vero etiam si prænouerint non considerauerunt. Quod autem vir ita plurimum simul subitoque possit considerare non modo habet ex spiritus & organorum interiorum probitate, sed etiam ex mente, à Deo immissa, quæ spiritum & hominem totum informat, eiusque operationes perficit, diuinęque sapientiæ, vnde deriuatur, propinquior est, vt in 3. p. demonstrabitur.

Propterea que homo cunctis dominatur animalibus: non autem animalia homini: & licet adoret ea, quatenus putat, diuinitatem in ipsis latere: sicut etiã in lapidibus, & stipite, & fonte idololatrando: & hoc per deceptionem non per naturam, quæ soli Deo optimo maximo nos subiicit: hoc tamen dominium brutorum super hominem non indicat, sed diuinitatis speciem olfactæ per hominem vbicunque vt in 3. P. ostendemus.

Præterea homines non modo faciunt, quæ bruta faciunt, sed longè plura ac meliora: sicut mens non solum scit quæ, per oculum, per auditum & alia sensoria percipiuntur, sed longè plura. Retia enim, & elaborata acu faciunt mulieres. melius quam aranea: Cellas & Remp. fabricantur & ordinant excellentius, quam apes, non tamen, ita minuta fila, & cereas tractant guttas melleasque, quoniam organa habent corpulentiora, visumque minus patibilem. Attamen homo quidam totam Homeri Iliadem, tam minutis literis scriptam intra nucem vnam obtulit Alexandro magno, vt longè videatur araneas superasse & aues: & alius hac tempestate comediam Dãthis in nuce conclusit, & alius catenula minutissima lignea ligauit pulicem: aliaque huiusmodi vidimus mirabiliora, Aranea autem non ascendit in tantam tenuitatem in sua proportione. Omitto libros, leges, horologia, arma, naues, mirifica specula, &c: de quibus in 3. Parte, vbi etiam notare libebit, quod natura dat brutis vestes, & arma, & robur in principio confitens illis se cuncta dare, tanquam carentibus ingenio, quo possint ea sibi comparare: homini verò tanquam filio prudentiori, hæreditatem hanc non dedit, sed proprio ingenio ditandum reliquit. Vide infrà. Simul ac nascitur aranea texit telas ad muscas venandum, & hedus ambulat, & lac discernit: quoniam natura docentur, & muniuntur, sicut piscis piscator vocatus vtitur subito esca & hamo, sibi adnatis; vt serico fila ad folliculos suos innascuntur: homo autem natura facit ferè nihil, nec mammillas captare, nec ambulare, nisi longo post tempore arte comparata laboret. Vtrum autem melior sit naturæ quam artis scientia, & in corporibus elementorum & elementatorum maior an minor, suo loco declarabitur.

Vide hist. S. Barrij.

Præterea, videtur data rebus scientia ad sui ipsarum conseruationem. Et quia planta oculis non indiget, & auditu, & olfactu ad cibum sectandum, & à longè præcaptandum, cum viuat de succo terræ, neque ad fugienda hostilia, cum sit duritie munita, crassoque spiritu donata: idcirco talia organa non accepit.

Item, quia muscis victura erat aranea, culicibusque, data est illi scientia texendi retia, & manus ad hoc idoneæ. Canis à longè cibum procurare habebat, ideo viguit olfactu. Lupus in timore rapturus pecudes, indiguit auditu celeri. Aquila in altis habitans, procul contemplatura escam, visu egebat acuto: sic de vnguibus, & rostro, membrisque cæteris philosophandum. Homo verò dominus rerum omnium mente excelluit & sensu, non organis adeò commodioribus ad omnia, idcirco mente simul omnia metitur: & quia ipse solus diuina sentit, & prophetat non pluuias modo, & quæ ad vitam pertinent corporalem, vt bruta, sed ad æternam: idcirco mente donatus diuina videri debet. Propterea que spernit corporea diuinioribus confisus bonis. Non indiguit reticulis muscarum, neque cellulis apum, neque nidis auium, quoniam suæ commoditati non proportionantur, sed omnia tractare necesse habuit. Propterea que manus habet ad paranda arma, vestes, cibum, omniaque instrumenta vitæ, artes faciendi de nocte diē, & dandi loquelam chartis & horologio, & tonandi, &c. in quibus excedit bruta nō secundū magis & minus, sed sicut lōgè superioris ordinis, & sapientiā habet angelicam, qua cælum & terram, & omnia metitur, & diuina sapit, Deum verum colit religione. Elephanti vero & bruta colunt astra, non tanquam religione dictante, nisi vmbratili, sed commoditate adiumentoque, ex eorum luce trahentes: id quod, & heliotropicis herbis & lunaribus accidit, vt in 3. Parte examinabimus, & in Antachitofellismo. Miracula, & Prophetiæ, & Martyrium comprobant hominis diuinitatem, non temperiei, & organorum modo melioritatem. Quod si contendas, memento quod non datur cithara fossori, sed citharedo, etsi datur non proficit. Sic manus datur homini tanquam diuino ad mirifica, & non brutis, quibus non prodest: nec enim simius candelas accendet, nec ollas faciet, aut aleas, nec vtetur eis: quoniam mente carent.

Mutatur in homine sapientia cum ætate, quoniam spiritus corporeus, quo mens inuoluitur, ita quoque mutatur, sine quo dum forma est hominis, non datur illi philosophari, nisi rapiatur ab inferis ad superas, vt post modum demonstrabimus. Quapropter philosophandum est homini secundum sensum proprium, & sensum animalium, sed decernendum est secundum proprium: res enim sunt sibi sicut videntur sibi, cum quo sciet etiam aliter esse aliis, non quia res, sed quia cognoscens est aliud, cognoscendique modus: & interdum vtrumque: & hoc est sapere, brutis negatum: multa diuinant idiotæ & bruta per instinctum Dei: vt cum quis in sylua noctu errans, viam Romanam optatam inuenit, potius huc quam illuc dirigens iter. Alius vero, quia aliquid prænouit, hoc est, quia ad Occidentem est: & multorum euentuum nobis sunt bestiæ signa, non significatores, magistrique. Sed de his in 2. & 3. Parte, vbi & ista soluentur argumenta.

RESPONSIO AD QVINTAM DVBIT. principalem. Et notandum quod id, quod in sensu recipitur, sentitur vt quod, & vt quo.

CAP. IX. ART. V.

AD quintam iam superius responsum est, quando ostendimus omnes sensus recipere realiter rerum entitates, vel ex parte, qua totum & alia consimilia metiuntur. illud enim modicum, quod sentimus, est nobis aliorum mensura. Quapropter, primò mensuramur à rebus, quia similes illis efficimur ex parte: deinde per illam partem mensuramus res, sicut digito palmum & palmo vlnas. Solus autem visus suscipit simulacrum non coloris, sed colorati.

Color enim, quo tingitur lux, realis est, & quia similis rei, à qua coloratur lux in figura: ideo rem coloratam percipimus: & licet sensus vnus totam quidditatē rei cōpositę non percipiat, omnes tamē, & crebro simul percipiunt partim per se, partim per accidens: per so tactus calorem ignis realem sentit, tenuitatem vero per accidens, quia cedit tactui: aut attenuare conspicitur: lux per se videtur, tenuitas per accidens, quatenus introrsum illuminata: ex his autem quidditas ignis innotescit, licet non totaliter, neque tota sensu sentiente, sed discurrente: mente autem iudicante, quæ simul sentit, & simul discurrit: iudicat autem quasi per se, quidquid sentiens anima non attingit.

Hinc aduertere licet, quod Peripatetici non rectè docent, speciem receptam in oculo non esse quod sentitur: sed quo sentitur: nisi enim ipsa sentiretur non esset causa, vt id, vnde aduenit, sentiatur. Sic nisi calor receptus in manu sentiretur neque causa esset vt ignis sentiatur: propter quod enim vnumquodque est & illud magis: est ergo lux colorata in oculo, quæ verè sentitur, vt quod: & quia ipsa sentitur, & similis est rei coloratæ, ex qua reflectitur, est simul quo res colorata sentitur. Sic palmus est, quod nobis notus est primo: & quo simul innotescit longitudo trabis palmo mensuratæ. memento tamen lucem in oculo propterea à spiritu sentiri, quod sentit seipsum illuminatum vt dictum est prius; licet autem vnus sensus fallat, non tamen omnes & semper: & qui videtur falli, etiam verus est. Nam tangens

vinum ſentit frigus externum, guſtans vero calorem etiam internum: & vbique ſapor & color albus caloris nuncius: multa quoq; nigra ſunt calida, quod ratiocinio ſcimus ab affectu vel paſſione, vt carbo, qui combuſtus eſt: nec fallitur lingua biliosa in eo quod ſētit cibū amarum, ſed in eo quod tribuit amaritudinem illi per iudicium etiam quando non inerat.

(.·.) (.·.) (.·.)

RESPONSIO AD SEXTAM Dubitationem principalem.

CAP. IX. ARTIC. VI.

AD ſextum reſponderi non poteſt, quoniam veritatem concludit, vnde patet, quod ſcire eſt noſſe, quod neſcimus res, ſicuti eſt, ſed quadam adulterina ratione ex notis argumentamur ad quod non ſapienter nouimus. Profectò, quæ non valdè afficiunt ſenſum, ita vt deſtruant, certius ſentiuntur, quoniam non poſſunt ita adulterari: ſed exceſſa & æqualia ferè nihil prout ſunt: ſed ſyllogiſmo quodam quaſi diuinatiuo, quo brùta carent: nam non niſi excedentia ſyllogiſmo norunt ſenſuali: non mentali, vt dictum eſt.

RESPONSIO AD SEPTIMAM Dubitationem principalem.

CAP. IX. ART. VII.

AD ſeptimum dicimus, quod ſcire eſt, noſſe res prout ſunt: hoc ergo ſapere nobis datur, quod non licet ſapere. Præterea, ſi ſcimus, res in continuo fluxu eſſe, nec poſſe ſciri, rectè ſcimus. Neque fugiendum eſt ad vniuerſalia abſtracta incorruptibilia, neque ad ideas. Aliud enim eſt ſcire illa, & ſcire hæc, quæ ſunt ſenſibus expoſita: de quibus eſt ſcientia noſtra.

Præterea, neque tanta varietas eſt, quin poſſint ſignari à nobis res multæ, & ſignificari: lapides enim & metalla poſt aliquod tempus ſeruant idem pondus. Ergo exhalatio quaſi nihil abſtulit ab eis. At ſi dicas, illud, quo ponderamus, etiam variatum eſſe, quoniam & ipſum exhalat: afferā aurum ſeruatum in aqua, vbi exhalare quaſi nihil datur & ipſum poſt liquefactionem ſeruat idem quoque pondus. Quapropter licet tantillum varientur, non perditur ſcientia & prędicatio: nam & hoc tantillum variationis fieri, ſcimus. Ipſe quoque homo permanet idem, quoad partes etherogeneas: nam & iecur, & manus, & caput, & alia membra permanent: particulæ autem influunt & refluunt: hoc autem ſcimus: Sed ais: dic quot particulis, & quibus miſturis, vinculis, reſpectibus, faciūt carnem aut ſolum hepar? Dicam: Neſcio. Non enim nos ſumus fabri, ſed cognitores: cognoſcimus autem craſſo modo res craſſas. Neque enim atomos videre aut numerare licet. Quorum autem fabri ſumus ſcientiam habemus, vt huius ſcripturæ, & carminis quot ſunt ſyllabæ & pedes, ſed non quot guttæ atramenti & atomi chartæ, quoniam rerum materia non fit à nobis, ſed concinnatur. Deus ergo ſolus ſcit totum & partes & guttas roris & vias lucis & numerum arenæ, vt ait Eccleſiaſticus. Quapropter fatendum eſt, ſcire noſtrum eſſe imperfectiſſimum, & res variabiles, & hoc nos ſcire priuatiuè non poſitiuè: ſcimus, idem indiuiduum eſſe Petrum ſecundum formam: & tamen augeri, & minui & mutari continuo ſecundum particulas, vt dictum eſt. Nec indiguimus ſcientia harum particularum: ideo non eſt data nobis. Sic api data eſt ſcientia guttarum mellis, & araneæ ſenſus filorum tenuiſſimorum, quoniam in illis viuunt: qui nobis negatus eſt. Nec natura ſuperfluam ſcientiam, nec mancam diſtribuit rebus: ſed quantum ſufficit cuiuſque conſeruationi: vnde appetunt alia, & aliter, quia ſapiunt aliter. & quoniam homo non ſolum ſcientiam pro vita corporali ſecūdum quid, appetit, ſed quidquid eſt cupit ſcire ſimpliciter, & quid ſibi ad hoc deeſt ſapit, neceſſario ſequitur aliud genus animæ ſuperioris ordinis eſſe in homine:

Ad Protagoram tandem putantem, quidquid videtur eſſe cuilibet, ſicuti videtur, verum eſſe dico: quod ſic verè cuilibet res apparet, non autem quod ſit in ſe ſicut nobis apparet. Non enim homo eſt menſura rerum, ſed Deus autor rerum, qui proprium cuilibet quem dedit eſſendi modum, optime nouit: nec ab eis accipit ſcientiam, quid, & quantæ, & quomodo ſunt. Sed dat, vt ſint ſic & tantæ, & cętera. Nec ſcientia noſtra eſt opinio falſa, vt illa Ariſtotelis de habitatione ſub æquinoctio: nec opinio vera, vt illa Auicennæ de eadē habitatione. Sed quæ ſenſatis innititur experimentis, & de hoc vide Reſp. ad Dubit. 3. & cap. 8. art. 1. & ſequen. diſputationes, vbi & quod ab intellectu ſolo philoſophantes in Phyſicis falluntur, niſi diuina reuelatio affulgeat, declaratum eſt contra Platonem & Ariſt.

RESPONSIO AD VIII. Dubitationem principalem.

CAP. IX. ARTIC. VIII.

AD octauam Dubitationem, dicimus verum ibi probari: namque ideo obliuiscimur, & ex ægritudine perdimus scientiam, quoniam spiritus semper est alius, & solum successione: idem & hoc nosse fuit magna sapientia. Telesius præ cæteris in hoc sapit, & Lucretius ex parte. Igitur Socratis & Salomonis sententia comprobatur, & de hoc dictum est prius.

Patet ergo ex parte rei, & ex parte nostri esse successionem scientis & scibilis. Stabilitatem vero in immortalibus tantum seruari. Mentem vero immortalem à Deo infusam, quia spiritu, & à spiritu caduco sapit, dum informat, obliuisci, ac decipi. Nec deliramus, si hoc etiam cognoscimus: sin minus, aut si verè nos scire putamus, vtique deliramus cum Hippia & Aristotele. Mens autem à spiritu haurit sensum naturalium, & cum eo sentit, memoratur & imaginatur, & ratiocinatur propter communionem Primalitatum: idcirco obliuiscitur & decipitur cum illo, & per illum.

RESPONSIO AD NONAM Dubitationem.

CAP. IX. ARTIC. IX.

AD nonum dicimus, sapientiam formaliter non esse passionem, sed perceptionem & iudicium de passione, ac proinde de obiecto, passionem inferente. Quoniam suam entitatem effundit omne agens. Et quidem prius cognoscit seipsum omne ens, alioquin non amaret esse proprium ignotum. Cognoscit autem se, quia est id quod est: sentit autem deinde alia dum sentit se immutatum in alia: & adeò assiduis immutationibus assuescit alia nosse, quod sui obliuiscitur, vel sui cognitionem mutat: propereaque anima non videtur seipsam nosse. At hoc verum est de notitia superaddita, non de innata & abdita: sic etiam videtur oculus non videre colorem pupillæ superuenientem à lapide, figura lapidis figuratum, sed lapidem forinsecus: & tamen non videt lapidem forinsecus, nisi quia in pupilla intrinsecus receptum lapideum prius sentit colorem, à quo subito refert notitiam ad extrinsecum. Neque tactus ignem nisi quia susceptum in se calorem igneum sentit.

Fatendum ergo, quod scire sit pars alienationis: non autem est delirare, nisi prorsus alienetur, sicut qui rabie, vel amore, vel ira, vel timore nimis afficitur, ita vt afficientem mutetur in rem, adeo, vt non possit de reliquis & de se iudicare. At si insuper mutatum fuerit prorsus, dicetur corruptio: verumtamen hoc mutare non est scire, sed sciendi causa vel occasio, igitur cum scire sit iudicare, donec perdatur iudicium, remanet. Rursus passio sciendi causa actiua non est, quæ causet scientiam, sed occasio specificatiua scientiæ, quæ ex innata sapientia prodit: siquidem sapientia inest: sapor accedit, obiectorum communione: & scientia non acquiritur, sed scibilia acquiruntur. Sapientia est primalitas sicut potestas & voluntas: & non habet causas, sed specificationes in obiectis Non enim indoctus lapis docet me, quid est lapis. Qui enim sese scit, specificatur à calore vt sciat calorem per hoc quod scit se calefactum à calefaciente: semper ergo scire est sui: & hoc latet non considerantes quod omne Ens amat se: quia sentit se sensu abdito per se: per accidens vero & reflexè sensu addito, dum propriam sentit operationem, sed de his in 2. Parte.

Hic animaduertendum, quod mutari in Deum cognitum & amatum non est perdi, sicut in cætera: quoniam Deus est omnis Entitas eminenter. Ergo & nostra. Franciscus ergo videtur insanus nobis, sed non naturæ cum per deificationem alienatur: mutari vero in res alias est perdi quod eramus, vt probatum est.

Verum quia fieri alia & plurima per tales immutationes est insuper dilatari proprium esse, nempè ex vno fieri plurima: adhuc diuina res est scire etiam per passionem: vnde gaudemus, passos esse etiam mala, quoniam scimus per hoc cauere mala & sectari meliora. licet ergo interueniat vanitas, & afflictio spiritus: tamen sapientia non est afflictio formaliter, sed acquiritur per afflictionem dulcedine conditam: & dicitur à Salomone occupatio pessima ipsa sophistica, per quam putant homines, se posse scire

opera Dei tota & totaliter: non autem si quis nouit ex hoc se plura, & plus ignorare, quam sciat sobriè sapiendo: vnde ipsemet dixit, quod *tantum differt sapiens ab insipiente, quantum lux à tenebris.* Quod vero multa sit vanitas in scientiis: solaque diuina sit vanitatis expers, nos quoque fatemur. Nec quia sapientes subiacent morbis & persecutionibus tyrannorum, stulti vero dominentur, sapientia sit mala: non enim ipsa est causa omnium malorum: sed aliorum ignorantia est causa omnium malorum, quæ eueniunt & bonis & malis. Sapientia autem est sanitas orbis terrarum in omni gubernatu & artibus: sapientes post mortem venerantur, & ex malis sciunt elicere gaudium: & animæ eorum in manu Dei, quanquam visi sunt oculis insipientium mori. Clarior est in terra & in cælo Petrus occisus, quam Nero occisor: imo & Lucanus clarior Nerone, & Socrates Melito, cęterisq; suis persecutoribus. Sapientum vita, dicta, ac facta gubernant homines, & dominantur etiam post morte. Molestias suscipiunt hilariter tanquam in comedia per iocū, spectante Deo & Angelis eius, verberati, vitam sibi diuinam exinde præsentiscentes: stulti vero neque ex iucundis rebus gaudere sciunt: & natos ad morte sese in perpetuum sentiunt, & eorum memoria in maledictione est. Moriuntur in se, in fama, & in Deo. Sapientes, licet in se mori videantur, viuunt in se, in fama & in Deo, vt in 3. Parte.

RESPONSIO AD DECIMAM DVBIT. *vbi de scientia innata, & illata, & de causis delirij, & scientia somniantis, & ægri, & ecstatici, & oppositorum.*

CAP. IX. ART. V.

AD decimum ergo patet responsio, quod anima indita corpori, est extra originem suam. Sicut solaris calor in visceribus terræ, & dum à variis rebus mouetur, patiturque, sui obliuionem & ignorantiam incurrit. Verum, sicuti calor solis, licet sit factus lapidis, & plantæ, & animalis, in quodam gradu, essentia: & vitam animalis procurat, & perpetuum nutrit carcerem: nunquam tamen intermittit facere tenuitates, & sursum ad cognatum solem euolare: quem innata scientia nouit: at illata erat oblitus. Sic nunquam anima à Deo immissa, cessat ad Deum reuerti, vbi tantillum à corporea mole, & illatis passionibus liberatur, quoniam innatam notitiā non amittit, licet eius vsum ob additas passiones intermittat. Quemadmodum filius semper amat patrem, licet inimicus patris sit factus ob rixas superuenientes. Hoc autem religio ostendit, quæ est reuersio ad suum principium.

Item somnia & ecstases, inquibus anima quasi semilibera à passionibus, negotiisque, coniungitur superis. Quod & in ægritudinibus mortiferis palam fit, teste experientia, & diuo Gregorio, & Thoma, cæterisque Theologis: imò & Poëtis & Philosophis melioribus: quod Arist. stultè irridet: sed de his in 2. & 3. Parte.

Concedo ergo hominis sapientiam accessoriam, quatenus mistam passionibus additis, adducere delirium: sed quatenus passio, non quatenus sapientia. Ergo & anima ignorat seipsam, & quærit seipsam propter additam deceptionem modicæ alienationis. Ergo verè sapiunt qui religioni vacant: quoniam ad suum reuertuntur principium & passiones superant illatas: sed secundum esse corporalis vitæ stulti apparent, quoniam corpus maceratur & mors acceleratur: vnde corruptio corporis subsequitur, derelicti instar exstincti carbonis, vitali lucido calore priuati.

Discrepantia opinionum de animæ quidditate, & functionibus, nascitur ex scientia illata, non ex innata. Secundum hanc enim omnes norunt animæ diuinitatem: verum quia inuoluta est corporeo spiritu, patitur cum eo alienationes in peius ad inferiora, vti per Primalitates suas ad superiora, videtur aliis corporea, aliis incorporea, aliis calor, aliis temperies, aliis sanguis: quoniam alterationes fiunt in subiecto illi spiritu, nutrito ex sanguineo vapore: atque communiter afficiuntur.

Et errant Philosophi in hoc, quoniam non omnes functiones examinant & operationes, & passiones, & accidentia, & similitudines; palam enim motus, concoctio, nutritio, agitatio, est ab igne: sensus vero in omni re quodammodo: sapere diuina à Deo: ergo hæc simul commista videri debuissent: sed de hoc in 2. Parte erit sermo.

Ad id vero quod probatum est, nos esse in sepulchro, & in regione mortis, & carcere: Respondemus verum esse: & hoc scire sapientiam esse: & qui hoc negat, desipere: sicut enim calor in sole viuit, & intra terram est in mortis sepulchro: sic anima in Deo viuit: At intra corpus, sepulta est. Non enim mori est annihilari, sed extra proprium bonum principiumque vitale, esse separatum. Cyrillus contra Origenem negat, nos esse in carcere ad pœnam peccati olim in cælo commissi, sed non inficiabitur, quod simus in loco exercitij ad meritum comparandum, vt probant alij doctores cum Nazianzeno & Lactantio: & Ambrosius sæpè, præcipuè *in libro de bono mortis*, in sepulchro & carcere animam esse, conuincunt: & quod peregrinamur à vita Deo, vt Apostolus admonet.

Propter eaque religio quamuis innata, indiget reuelatione & fide: quoniam passiones carceris nos alienant à nostri, nostræque originis notitia: & sumus in cauea stultorum & videntium per foramina in ęnigmate & ex parte. Exemplum Platonis conceditur.

Atq; alia entia, diuiniora sensilibus reperiri, quod discursu scimus: imò potius sagacitate, ad quam discursus non attingit (sagacitas enim est innatæ notitię scintilla) & reuelatione tandem, quasi in carceribus mundi indigemus. Deus autem indigentię supplet. At non propterea quod res huius mundi sunt alterius vmbræ & mutantur, non datur scientia, & differentia inter somniantem & vigilantem. Nam scire quod mutantur & sunt sicut vmbræ, est aliquid scire. Item somnus vocatur hęc vita per comparationem ad meliorem extra corpus: neque enim hoc sciremus, nisi somnia à vigiliis prius discreuissemus. Nec somnio est credendum æquè ac vigiliæ circa corporalia. Si enim somniaui, me comedisse, non propterea sum satur, veluti cum vigilans comedo: Neque si somnio, me esse Romæ, dum sum Neapoli, vadam surgens de lecto ad templum Capitolinum.

Reuelationes autem factę in somnis, non sunt somni visiones: quæ sunt imaginum remanentium ex notitiis diurnis: sed sunt ab Angelis aut à Deo, aut à dæmone, aut ab aëris affectione: quæ in vigilia etiam fiunt, non secus ac in somnio. Visio autem amici in vigilia & in somno, non est eadem, quemadmodum reuelatio. Qui autem ambulant in somno, somniantes ambulare, imaginationem sequuntur vehementem sopitis exterioribus organis, quando eunt corporaliter: sensus enim imaginans videt intus, quæ foris viderat, & per visum interius, diuinat ambulando exterius visam viam: si tamen non est nouiter impedita. Namque offendiculum non declinát noctambuli, sed cadunt incursantes in ignotum impedimentum, vt experti sumus: & quemadmodum peritissimus cytharista ex præuia scientia digitos mouet ad vnamquamque chordam artificiosè cytharizando, dum simul loquitur, aliudque attendit, consideratque, quam sonum: & si aliquid noui in fidibus accidit, vnde offenditur musica, non considerat: ineruditus vero Tyro singulas chordas, singulasque digitorum motiones attendit, aptat, circunspicit: & si quid accidit, etiam considerat. Sic noctambuli ex præuiis notitiis gressus regunt offendiculaque noua minimè circunspectant. sed lamiæ aliquando corporaliter feruntur in nocte à dæmone vectatæ, aliquando in imaginatione per præsentata obiecta delusæ. Ambrosius ab Angelo exequiis Martini præsentatur Scotus putat, posse idem corpus in pluribus esse locis, quia esse præsens prius est, quam in loco: Negant Thomistæ. Nos hoc credimus: sed multiplicationem præsentiæ esse à superis. Sed de hoc alibi: secundum ergo scientiam ordinariam vigilantibus adhibetur fides.

Sanis quoque magis quam ægris in naturalibus, inquam, secundum hominem: namque magis patitur æger, putatque se videre plusquam videt: quia plusquam vigilans afficitur, & phantasiantis idola illi applaudunt, & fuligines, & passiones, apparitiones commiscent, vt dictum est prius.

At circa pondera imbecillioribus credendum est secundum naturam: secundum nos neque fortibus, neque flaccis: illis enim leuiora, istis grauiora apparent.

Circa passiones occultas ægris & imbecillioribus assentiendum, quippe qui facilius patiuntur à minimis.

Circa diuina, probantibus per miracula, & transhumanationem, vt in 3. Parte declarabitur: qui enim coniungitur superioribus, dominatur inferioribus. Idcirco videntur nobis Idiotæ secundum sapientiam illatam, acquisitâque, sapientissimi tamen sunt secundum inditam infusamque. Item diuina patiuntur cum lucro: Physiologi vero mortalia cum detrimento, ex parte, inquam, passionis, vt dictum est. Quapropter hi non possunt de illis iudicare, sed *spiritualis omnia iudicat*, vt dixit Apostolus. Inuentores artium numine praeunte attigerunt: vel inspectione idearum naturæ, quas scrutantur, non autem Sophistæ.

Ignorantia autem, quatenus ignorantia, in his & in illis, pessima est. Qui vero nouit se ignorare, sapit: qui putat se scire, quæ nescit, dupliciter desipit, ignoratque, vt Lactantius Antipodas non extare. Quapropter, non omnis, qui videtur sapiens, est sapiens in omni re. Neque ignarus est omnis ignarus semper. Atqui dormiens, est quandoque vigilans, vt qui non vacat Deo, dormit Deo. Nam qui dormit exterius, vigilat interius: spiritus enim nutritioni vacat, vincendisque vaporibus infestationibusque: sicut qui Palatium claudit vt manducet, aut vulneri medeatur. Excitat nos Apostolus à somno peccati illatarumque passionum, ad vigiliam inditi luminis, diuinæque notitiæ. Hoc stultum reputatur Aristoteli putanti, nos diuinis iungi non posse Quapropter sapiunt omnes aliquid in sensu suo: sed meliores melius, quia puriori modo, vel melioribus quoque afficiuntur entibus.

(∴) (∴) (∴)

RESPONSIO AD VNDECIMAM Dubit. principalem, de deliriis Philosophorum.

CAP. IX. ART. XI.

Ad vndecimum respondetur, quod quicunque ex his sequuntur sensum spiritus mentisque, non desipiunt: qui vero rationem non discurrentem ex sensatis, sed ex imaginatis per similitudines & dissimilitudines accidentales, & non essentiales, vtique desipiunt. Hoc autem accidit, vel ex desiderio apparendi doctum: vel ex imbecillitate spiritus nimis affecti quacunque de causa, vel ex modica & rara inspectione paucorum, & non multorum simul inspiciendorum multa valde: vel quia alieno sensu philosophantur.

Porrò Aristoteles soli negans lucem caloremque, vt videatur quid magnum dicere supra Phi-

losophos priores, paratior sanè aliena exinanire, quam propria implere, vt de ipso testatur Tertullianus.

Item, mouetur ex similitudine accidentali remotaque. Non enim motus facit calorem, sed sopitum, constipatumque excitat in lapide. Et propterea silex in vno ictu plus ignis & cineris emittit, quam pipernus pluribus & fortioribus. Aër autem tenuis est, & calorem constrictum non habet, neque suscipit ictum, neque potest à remotissimo sole flagellari. Ergo stulta est eius ratio: quia dissimilitudines non inspexit, sed modicam tantum similitudinem & parum.

Heraclitus putat omnia moueri, id est, mutari aliquo pacto, non inaniter. Sed de centralibus terræ partibus, & de firmamento absque sensu proprio vel alieno loquutus est, potuitque errare. Errat etiam si omnem mutationem omni rei simul incessanter dat.

Zeno ratione victus Mathematica, derelinquendo sensu, inerrat. Quis enim infinitum putet digitum, æquè ac mundi axem?

Parmenides quoque rationem sequitur & similitudines, conuenientiamque rerum inter se quæ faciunt omnia vnum, omittitque simul dissimilitudines quæ plurificant contueri. At cum esse dissimile sit non esse, non prorsus desipit, vt patebit: præsertim si omnia vnum in primo ente facit.

Democritus desipit, quia passiuas causas considerat, & fortunam in partibus. Actiuas vero negligit, prouidentiamque conspicuam in toto. Sic etiam cæteri, qui partem & non totum perscrutantur, neque totaliter.

Astronomi sequuntur apparentias in Cęlo: causasque assignant fictas, quoniam mensura motuum pro nobis fit: nobis autem idem est numerus denarius in fabis & in lapidibus. Sic idem est in Epicyclo, & extetrico, & in motu telluris ac solis. Etenim eadē apparentia fit moto visu, ac visibile: Propterea que quoad calculum vtrique diuinant. At quia non considerant simul cæli substantiam, & operationes, omnesque passiones, nec totaliter, falli possunt. Consideranda enim sunt prædicamenta decem in omni re, vt sequentes sermones docebunt. Variant etiam in magnitudinibus ob mensuram aliter acceptam in terræ diametro, palmo in pannis correspondente: & parallaxes sub alio medio applicant.

De Platone diximus.

De Pythagora & Ennio, imaginationem, dicimus, exilem, tanquam sensus præsentis obiecti, illis acceptam esse, vt somniantibus, nisi deceptione officiosa vsi sint de industria.

Anaxagoras respicit non niuem, sed materiam eius opacam.

Telesius frigus externum non negat, dum calorem niui dat internum, quem gustus, color, transpicuitas, materiaque passa, & terræ impinguatio comprobant, & oculatius inspexit, quam Medici. Mahometis deliria partim ex mendacio officioso, vt putaret Varro, partim ex apparentia rerum non introspecta, partim ex præjacto lucro credulitatis, & sui vanitate & Iudæorum dolo, alibi patefecimus.

Petrus & Andræas tormenta non vocant dulcia per se, sed quia sunt medium ad acquirendas dulcedines æternas: quorum saporem in sapientia mentis prælibant. Sic amaram Medicinam dulcem vocat æger, sanitatis auidus. Et prælium, victoriæ causam, bellum, id est, pulchrum nominant, quanquam horrendum.

Caluinus negat libertatem, & tamen eximit se ab aliorum seruitute. Hoc ergo negat ex proteruia, non ex sensu, neque ratione sensata, victus forsan passionibus, ideo curandus est verberibus. Qui si dicat, ne me verberes. Tu respōdes non possum aliter facere, aut velle. Tunc enim ipse dicet: desine, quia potes: nec fato cogeris verberare, sed liber es in uolendo, & nolendo. Sic Zeno, negans motum, fatebitur, moueri manum ad sui verberationem.

Cæteri Philosophi prædecessorum amore, vel religionis propriæ metu, vel diffidentia inueniendi meliora, cæcutierunt.

Nos autem non minus gloriosum putamus indisputatione vinci: quam vincere: victus enim scientiam & humilitatem magnanimam lucratur: victor vero honorem. Quapropter abiecta ambitione, litigio, metu, & auaritia, philosophandum est, mente prorsus libera ex totis totum, & totaliter, non partem & partialiter contuendo in diuino codice, non in scholis humanis, & per testimonia non per opiniones, quemadmodum à principio dicebamus.

RESPONSIO AD DVODECIMAM

Dubitationem, in qua ponitur scientiarum diuisio secundum esse, & secundum vsum, & de modo procedendi in eis, & defenduntur omnia principia scientiarum & fundamenta ex parte reuelantur.

CAP. IX. ART. XII.

AD duodecimum respondeo, quod de rebus aliæ scientiæ tractant secundum quod veniunt ad vsum nostrum: & istæ reuera sunt artes, non scientiæ ex toto: aliæ secundum id quod sunt, & istæ scientiæ.

In primo genere sunt Medicina, Coquinaria, Oratoria, Poëtica, Musica, Prospectiua, Astrologia, Politica, Moralis, Grammatica & similes.

In secundo vero, Physica & Metaphysica: ex vtroque autem participat Mathematica. Quapropter non est quærendum à prioribus quid sit res, sed quid nobis sit. Pronunciat quidem Medicus, lactucam esse frigidam, & aquam non habere odorem, quoniam nobis ita est.

Physicus vero, noscens odorem esse vaporem, & aquam euaporare, dicit, habere odorem, sed non proportionatū nobis: sed ceruo fortasse, & lactucam esse calidam, quoniam à calore generatur, & nutritur: Quia vero eius succus calorem nostrum magnū obtundit, vocatur nobis frigida: sic Astrologus lunam vocat frigidam, quæ tamen lucem à sole calido calidam accipit. sed quia rarefacit lentè poros, & parat frigori aliquando introitum: & aquas, frigidas nobis reputatas, æstu insensibili tumefacit, dicitur frigida: similiter Saturnus vocatur maleficus, quia calorem nostræ temperiei aduersum in gradu emittit. Venus autem benefica, quia persimilem, & nostri fomentatiuum: & tamē in sua sphera est vstiuus valde. Hūc verò protensus debilitatur, & nobis proportionatur.

Similiter Musicus dixit sonare ea tantū, quæ nos dimus, & tamen aër, & aqua sonant, dum mouentur, & cælum: omnis enim motus sonus est, vbi auditur, vbi non auditur, retinet nomen motus dumtaxat. Item musicos sonos vocamus diapason, diapente, diatesseron, aliasque paucissimas consonantias, & tamen sunt alij soni musici innumeri; sed non nobis, & musica brutorum nobis dissona est. E contra gemitus auium nobis hilaris musica videtur: & garritus hilaris illis, nobis obstrepens est.

Prospectiua ponit colores visiles, & radios & distantias, prout nobis congruit, non prout sunt. Neque enim aëris colorem cælique sentit, neque spiritus animalis, cui quasi aëreum non immerito colorem assignat Tertullianus; negatum menti ab Augustino. Item in tali situ res ita videri accipit: nec curat an visio intra missione, vel extramissione fit, nec quomodo res in natura apparent omnibus naturis, sed nobis.

Physicus autem, prout sunt, considerat; & quod non sentit, esse non negat, cū essentialis similitudo per syllogismum eos ostendit. Metaphysicus quid sunt in se, & ad omnia, & ad primas præcipuè causas. orator non veritatem pandit, sed quod vult verum videri, idcirco impurificat auditoris spiritum, vt impurè, & qualiter ipse vult, recipiat rem, & nō sicut est. Laudat enim eos, & captat beneuolentiam sibi suisque, mouet odium contra aduersarios. Hoc autem facit ostendendo se vtilem, vel iocundum, vel honorificum auditoribus, & reipub. & Deo, rebusque vnde viuunt: aduersarium vero inutilem noxium vel iniocundum, vel vituperosum.

Hinc patet neminem posse veritatem assequi, qui aliqua præuia notione, aut affectione occupatur, aut passione fortiter: Non enim sentit rem, sicuti est, sed sicuti ipse affectus est. Non enim philosophandum oculis Aristotelis, neque amici & fratris, neque inimicis, neque auaris, neque ambitiosis, neque inuidis: sic enim nunquam veritas elucescit; Nonne Scotistæ reputant Thomistas obtusos propter amorem Scoti, & grammatici omnia Petrarchæ verba adorant tanquam à Deo: & hi vsum & autoritatem venerantur: propterea que voces, significatiores spernūt præ Ciceronianis. Neque .n. volunt dicere *virtuosum* à virtute, sed *studiosum*; & irrident Theologos, & Metaphysicos, recta vocabula inuenientes.

De Poëtis palam est, quod sermo eorum est ad mulcendas aures; & si qui veritatem pandere velint, sub fabulis rerum delectabilium, eam proponunt, mensurasque carminum ex ratione musica nobis, non naturæ, accipiunt.

Moralis alia est Turcis, alia est Christianis, alia Iudæis, alia Iaponensibus, cæterisque nationibus; quoniam non rerum attendunt naturam, sed commodum nationis, aut principis, aut populi, aut senatus. In principiis primis conueniunt omnes: vt quod bonum procurandum, & malum fugiendū, & in conclusionibus, ergo malefici puniendi: non autem in specificationibus: vt quod carcere, vel exilio, vel morte, &c. Similiter & politica leges habet, & modum regendi. Inclinationes etiam à cælo & climate contractæ variant moralitatem, quibus benè vti Principes non nouerunt. Conuenit Hispanis rigidus Principatus ob acumen, & astutiam: Scythis vero Anarchia, licentiaque ob spiritus crassitiem: mediis regionibus respublica, ob temperiem, & alibi aliter.

Igitur scientiæ istæ de rebus sunt, sed non prout sunt, sed prout ad nostrum sunt vsum. Idcirco antiquiores ex hisce rationibus res non esse, perperam concludunt: si enim non sunt, ergo neque ad vsum venire possunt neque decipere nos. Sunt igitur, sed nobis aliter: vt serpens optimus sibi, & serpenti pulcher: nobis vero horridus: sed secundum naturam, neque horridus vt nobis, neque ita pulcher vt serpenti: sed in suo gradu essendi, bonus est secundum quod est. Nec mirum si variæ sunt de his sententiæ, quoniam sunt aliæ vtilitates aliis, aliæque apparentiæ, alijque cognoscendi modi. Has autem varietates, & varietatum causas considerat Philosophus: magis autem Metaphysicus, omnia circumspiciens desuper: propterea que sapiens est, quoniam res, prout sunt, considerat in se, & ad nos, & ad omnia: & licet gradum earum rerum prorsus non attingat, tamen proximè accedit; & nosse quod non attingit totaliter perfecteque sapientia est, in qua gloriatur Socrates. Lactantius vero summique Theologi irrident Philosophos omnes, tanquam putantes verè scire aliquid in naturalibus.

Ad Metaphysicas ergo non est idoneus quicunque aliqua passione, vel impuritate, vel defectu ex natura, vel studio affectus. sed ad alias scientias potest aptus esse, præsertim mechanicas. Auarus enim si non extremo laborat vitio, ad mercaturas habilis est. scurra ad comedias. Crudelis, crassus, impurusque spiritus ad belligerandum, non ad regendum: mollis animo ad musicam: fuliginosus ad fraudes: lucidus ad iudicia, & tribunalia regenda; cui si addas tenuitatem ad prophetiam: spiritus copiosus & crassus, non impurus ad mathemacas, sed purus lucidus, mediocris indispositione, blandus in calore, est aptus physiologiæ. & si plusculū tenuitatis addas, Metaphysiologiæ, ac Theologiæ: ille enim à rebus sensilib. prout sunt magis quam cæteri afficitur, iste etiam ab insensilibus, & per puritatem primalitatum sibi cognatioribus, magis. Quapropter si res sunt, sunt & scientiæ, quoniam de rebus est scientia: sed si cognoscuntur prout sunt est sapientia. si prout nobis vtiles est scientia, ars, & peritia. Nunc ipsorum principia defendamus.

DEFENDITVR METAPHYSICA & Logica.

AD primū igitur dico, quod principia entis finiti, seu potius proprincipia sunt Ens, & nō Ens; sed entis, vt ens, sunt proprincipia, siue primalitates, Potentia, Sapientia, & Amor, vt in 2.p. ostendemus. Non Entis vero, impotentia, insipientia, & disamor. vnum autem & multa esse idem quod infinitum & finitum: Potentia & actus ibidem declarabuntur. Et de entibus sunt voces communes, vt patebit. Quod autem non ens possit esse principium entis finiti ibidem probatur. Finitio enim est terminus essentiæ, & existentiæ, quæ non potest nisi ad non esse simpliciter, vel non esse sui saltem, terminari. Nec requiritur nonentis entitas, vt sit ita principium, sed non entitas, quoniam est principium termini, non rei terminatæ, nisi quatenus terminatæ ad non esse. Rei enim est ens, terminatæ, non ens; sicut docebimus.

Ad aliud respondeo, quod quæ sunt, esse, scimus, si nos mouent; & scimus, esse aliter aliis aliter affectis. Nec tamen propterea non sunt: neque enim vox asini non est vox, quia mihi est dissona, & ipsi consona; sed in gradu suo est sicut est; nobis vero est, sicut afficimur: & quia realiter afficimur, est realiter. similiter color varius in columbino collo, color verè est, alioquin non moueret visum: sed quia non est stabilis, & idem in omni situ, dicitur non esse, prout apparet: non tamen nesse siquidem lux solis à plumis columbę tingitur aliter, sic & sic relata ad nos; namque iris ex aduerso apparet, quoniam lux tincta reflectitur ad nos: ex obliquo minime, quoniam non eadem lux ad nos peruenit, vel non sic tincta per aliud delata medium. Omne ergo, quod videtur, est in natura & in nobis: sed aliter vtrique; qui videt in linea parietis serpentem, videt aliquid, id est, lineam; & serpentis motio, notionem faciens est in suo imaginante sensu ab olim recepta, quæ statim ab illa extrinseca similitudine excitatur; & sic videns putat, videre serpentem, & verè videt sic: sed non totum visum est foris, sed fit compositio ex motione exteriori & interiori: & exilis est spiritus, & passionis ægritudine rapitur, non potens discursum facere nouum ad cognoscendas similitudines ipsius lineæ cum serpente: vel nō habet tempus quādo ex improuiso fit trāseuntis visio; idcirco remanet cum illo cogitatu, quod viderit serpentem, & quidem nigrum, si linea exterior nigra fuit, vel fuligo nigra in spiritu accidente. Rubrum vero si propè crisim, sanguis per narem erupturus, in capite eruberans, spiritum imaginantem rubedine affecerit. sic enim etiam affecta tunica oculi rubedine, res exteriores videmus rubras facta compositione interioris, exteriorisque notionis. Propono igitur hoc principium. Quod non est nec intus, nec extra realiter, vel notionaliter, mouere animam non potest. Ergo neq; apparere, ergo aliquo modo omnia sunt: & idola, quæ somniamus intus: sed decipimur nō quia non sunt, sed quia putamus, esse etiā foris, quæ sunt tantūmodo intus. In his vero, quæ sunt foris, decipimur, quia putamus, idem esse naturale, & nobis cognitum, sicut est in natura, & aliis & sibi: sed non propterea quod sunt, verificant contradictionem: contradictio enim est inter esse, & non esse; neque ergo quia tibi ægrotanti linea in pariete est serpens ruber, mihi vero lineola tantum, idem erit & nō erit secundum idem, & ad idem: similiter quia suauis est tibi pinguedo, quæ mihi insuauis est, non idcirco eadem est pinguedo secundum idem suauis, & in suauis: sicut nec quia Petrus est homo, & non est asinus, propterea est & non est. contradictio enim est eiusdem de eodem secundū idem ad idem, & in eodem. sed mihi non est serpens, & non serpens: suauis & in suauis eodē tempore, & parte mei. Nec rubor colli columbini est rubor, & nō rubor mihi metipsi in eodem situ & tempore, & solis, & colli statu, & collustratione. sed mihi in alio situ est rubor, & non rubor, alioque tempore, vel mihi, & tibi simul alia lux aliter insilit ab eo in oculum. Neque eadem res est amara, & non amara mihi & capro: neque mouet me aliter, ac caprum, ita vt me amare faciat, & illum dulce faciat: sed facit idem in illo & in me, sed in me linguæ dispositio, & calor, blandusque spiritus in lingua molliori, genistæ temperies, gradusque caloris amarus est. Capro vero dulcis, cui crassior inest spiritus, vel tenuior, & lingua duriuscula, non sic facilè patiens. Ex quo scio, entia esse eadem sibi in se, sed non mihi & capro, & aliis. Homo est eiusdem semper figuræ: sed aliter apparet pisci & caballo, & mihi pro diuersitate speculi ocularis, & affectibus spiritus: nam & ipsa specula manufacta diuersissimum idem repræsentant obiectum. Arist. id non cognouit, neque respondere sciuit: propterea quod natura essentialiter diuersos ponit sapores, & colores, & non secundum magis, & minus differre, vti nos. Deinde attribuit deceptionem phantasiæ: cum hoc sit verum dumtaxat in dormiente, & vigilante, qui putat, rem esse foris, sicut in se est, quod & sensui accidit, & intellectui interdum, nedum phantasiæ.

Ad Democritum facilis est nobis responsio, quia vacuum, & plenum sunt duæ res, facientes vnam: & non dicimus, vacuum esse nihil, sed basim corporum: de hoc infra, & quo pacto ipse agentes causas, & finales omisit.

Ad Anax. patet, quod fiunt res ex ente materiali, quod non est id, quod fit. sed id, quod fit, est in agente, & per effusionem in materiam recipitur, & resultat ex vtroque vnum. De eo, quod Aristot. respondet, quod præexistit in potentia, patebit falsitas in 2.p. quoniam omnis potestas est actus, potestas, & entis. Compositio entis, & non entis iam

dicta est, & ibidem elucidabitur, quod potius est constitutio, & essentiatio finitorum.

Rationes Aristotelis in 4. suæ Met. contra negantes contradictionem, & principium Logicum, non declarant, quod volunt omnes. Ipse enim fundat se in eo, quod res sunt, & non solum relationes. At nos diximus, quod in se & in nobis sunt absolutæ: sed in modo & in magis & minus, sunt relatiuè. Nec Arist. licet deceptos eos putet, qui ponebant omnia esse sicuti apparēt, idemq; putabant esse sensum & intellectum; hoc euertit dogma, neque ad argumenta respondit: quin imo eius ratio probat, quod volumus: secunda improbata est superius: tertia falsa est, quoniam iudicium sapientis perpendit omnia considerabilia eiusdem obiecti, non autem insipientis: quarta negatur, quoniam sensus non iudicat de alieno obiecto, hoc est per alienum sensorium. Visus enim non dicit, fel esse dulce, donec gustu probetur, & in hoc est error philosophantiū, quoniam non omnes consulunt sensus, sed vnum, sic tactus dicit niuem frigidam: nec decipitur, quoniam eius obiectum est frigus præualens: sed vtrum etiam sit calida, alij sensus iudicent oportet. si infers ergo cōtradictio est vera. Negabo. Nam nix intrinsecè est calida, extrinsecus frigida. Sed Arist. cogitur verificare contradictionem: ipse enim ponit in mistis 4. contraria intrinsecè essentialiter: ita vt omnis pars misti sit mista, ergo & calida & frigida. Ergo idem secundum idem est calidum, & non calidum illi, sicut probatum est in Physiologia. At neque quia cardo ianuæ stat & mouetur, contradictio verificatur Scepticis: stat enim situ, mouetur loco & partibus. sic ambulans super nauim mouetur in ea per se, sed per accidens stat ad mundi sitū: sed vidi lignum versum in lapidem in museo Imperati: figura erat ligni & lineatio, & species, sed pondus & tactus lapidis: quoniam petrifico succo penetrante & indurescente, & concrescente, lapideus factus, vt pali, super quibus Veneti ædificant, aut pyrum saccaro confectum: sed hæc non est cōtradictio entis, & non entis; nam quod est lignum, non est lapis, licet compenetratio sit duarum substantiarum, & ex parte transformatio, sicut frumentum fit lolium.

Quinta ratio concludit verum non quoad nos, sed quoad res: perseuerans enim eadem potest dulcis & amara apparere, pro patientum temperie viribusque vt dictum est.

Sexta vera est, quod sit dulcedo & amaritudo accidentalis in respectu nostri: at secundum id, quod est in suo gradu, essentialis est.

Septima soluta est, quoniam non iudicamus, res esse, quia sentiuntur, sed apparere sic & sic. Quod autem dixit, vnum relatiuum nō referri ad duo: verum est secundum eundem modum & actionem. Palam enim album est simile mille albis, & calor ad plura calefacta, & argentum album est lapidi lydio: chartæ vero nigrum secūdum alias sui partes. Non ergo cæcitas antiquorum erat, quia putabant eandem esse substantiam sentientem & intelligentem, sed quia putabant cum Aristotele, quidquid apparet esse etiam in natura, sicut apparet nobis sanis.

Principium scientiarum in secunda parte demōstrabitur: hic solum scire licet: quod res quatenus est non potest non esse: siquidem ens non potest esse nihilum. ergo non potest contradictio verificari.

Quod autem entia sint, probatum est cōtra Scepticos, & non posse falli in hoc quod affirmamus nos esse, posse, scire & amare, & pati, addo: propterea quod nos mouent, afficiunt dolore & voluptate. si autem idem esset esse, & non esse, dolere & non dolere, edere & non edere, nequaquam sectaremur illud, & non hoc. Neque differret oculis apertis videre & clausis. Præterea autem vtraque pars contradictionis, aut semper est vera, aut semper est falsa. si semper vera, ergo idem erit homo, & non homo: sed asinus est non homo & lapis, & murus, & ens quodlibet est non homo: ergo omne ens erit homo, & simul nullū ens erit homo: quoniam ita est vera negatio, sicut affirmatio: & dolere erit lætari, & omnia erunt omnia. si vero falsa vtraque, ergo homo non est homo. neque lapis, neque nihil, neque ens, neque non ens, ergo nulla erit res, neque videtur esse. Nam & falsum erit, quod videatur; ergo qui dixit, vtrāq. esse falsam, affirmat se dicere falsum: & qui dixit vtramque esse veram affirmat se dicere falsum; quoniam qui contradicit illi, etiam est verus. Item non erit magis falsum, quod tria sint duo, quam quod sint centum, neque veritas erit esse quod est, & falsitas quod non est. Præterea inter esse, & non esse non datur medium: ergo non possunt verificari, aut falsificari propositiones contradictoriæ. medium enim per abnegationem non datur quod sit ens, & non ens secundum idem. Neque per participationem (inquit Arist.) sed fortè fallitur in hoc. Nam pallidum participat esse, & non esse albedinis: at quia secundum quod participat non esse albedinis, non est albedo, idcirco non fundat contradictionem. sic enim rubeus est albus comparatus nigro, & non albus comparatus candido. Non tamē albedo est nigredo: sed rubeus est compositus ex vtrisque, & secundū quod est alter non est alter, neque vterque. sed hæc insequentibus. Ergo omnis propositio est vera, vel falsa, secundum idem, & hoc principium Logicæ stat: magis autem cum tractabimus de ente, & non ente.

DEFENSIO MATHEMATICORVM.

Principia autē Mathematica, quæ Arist. potius euertit, quā statuat, habent fundamentum in natura, ex eo enim, quod sensus res inter se diuisas videt, vocat earum diuisarum rationem quatenus diuisarum, numerum. Vnitatem verò indiuisum quodcunque ens: præcipuè autem corpusculum: & punctū, vnde nobis innotescit primitus ratio vnitatis & numeri: quorum Analogiam ad vnitatem, & numeros non visos, Metaphysicus deinde speculatur. Tunc quoniam in corporibus numeratis est varietas multa, & insuper in rebus accidentibus corpulentiæ, hanc relinquit Physicis consideran-

dam Mathematicus: ac mensuram sibi facit, qua omnem multitudinem pernoscat. at quoniam vt dictum est, cognoscimus ignota per aliud notum, tanquam per lumen notum colores occultos; formauit sibi homo numerum, qui sit mensura omnium numerabilium, sicut ex modico calore, quo afficitur ab igne, metitur vires ignis, & omnes pronoscit calores, quoniam simile, qua simile est vnum suo simili. sic etiam vno quodam numero, sibi notissimo, omnia numerat: notissima est nobis digitorum nostrorum diuisio, quam vsque ad decem habemus: hinc fecimus numerum denarium, & denarium denarij, cui dedimus nomen clauturam centenarium, &c. At vtrum eodem vtantur Angeli, ipsi norunt. Sed si res omnes ipsi sciũt, non accipiendo scientiam à rebus, vtique rem omnem proprio numero sciunt, & non numero humano denario neque replicatione. Colores namque per lucem metimur, vt qui luci proximior est, sit magis color, & per recessum ab ea, vsque ad nihilum procedimus. Verum nos etiam cólores numero digitorum notamus. similiter & Angelos & omnia: cum tamen verum sit, cuiusque rei proprium esse numerum, & non digitalem. Non enim colores ad decem tantum porriguntur, neque homines, neque lapides eiusdem speciei. Solus autem Deus proprium numerum rerum nouit, qui ideas earum habet, & participabilitates earundem scit. Hinc vide quam imperitè medici calorem producunt ad quatuor qui ad mille produci posset. At numerus eorum non esset per vnum, duo, tria, sicut numerus digitorum; sed necessitas cogit ita facere in cunctis, etiam quæ non diuiduntur interponendo rationes nostras numerales.

Cur autem vnum & tres faciunt quatuor, ratio assignari non potest, sed sensus ita accipit, vt in digitis euenire probat: hoc autem nosse pertinet ad rationum idealium considerationes, non quas ponit homo artis principia in notissimis digitis, sed quas Deus ex seipso effundit. omnis enim ars ex notissimis naturæ habet ideam secundum se, sed secundum nos in notissimis nobis; quæ accipit non intelligens primas notitias: vnde & natura dependet; propвтereaque exempla damus in scientiis ex notioribus nobis, & non quod ita sint semper, sed vt addiscentes intelligant. Qui autem in Deo res vident, non offerunt exempla posteriora, notioraque nobis, sed ipsasmet primas ideas; vnde res ideantur vt sint, à quibus postmodum noster intellectus ideatur vt sciat.

Quapropter stabilis est Arithmetica, & tractat de numero, & mensura idealiter ideatione nostra non diuina, sed quæ ex diuinis. De mensuratis verò, numeratisque vt entibus, tractat Physicus & Metaphysicus. & quamuis accidat rebus à nobis numerari, tamen essentiale est illis esse in numero secundum non suæ essentiæ, sed essentiæ ordinis rerum essentiationem, vt manui essentiale est quinque digitos habere, si in ordine manus, & in vsibus manui conuenientibus consideratur. essentiale est etiam animalibus esse plura, & non vnum, & essentiale est mundo numerum certum habere suarum partium; alioquin totus esset vna stella, vel vngula vna, aut chaos. Non curat tamen Arithmeticus an numerus ordini rerum sit essentialis: & an vnitas Petri, sit Pauli vnitate maior, vel alba, vel fortis: sed omnes accipit æqualiter, quoniam singularitates notare impossibile est, neque vnquam numerus absoluitur, si accidentia eius pensantur. Accidit enim numero esse numerum linearum, aut boum, aut albedinis. Deus autem omnes has nouit differentialitates, & accidentalitates. sic Logicus dicit, quòd homo est animal rationale: & hoc conuenit omnibus indiuiduis consimilibus. At differentias accidentales omittit. Verumtamen abstractior est Mathematicus, qui substantiis, & accidentibus, & Physicis, & diuinis, & cunctis rebus eandem applicat mensuram denarij; nullas differentias notando. si enim vnus lapis trecentorum sestertiorum sit, & tres lapides, quisque dragmæ vnius, & quatuor Angeli absque pondere, adhuc dicit Mathematicus, vnus, & tres, & quatuor, isthic faciunt octo. Tractant ergo de rebus vt subduntur cognitioni nostræ, quoad discretionem quantitatis: & entitatis quatenus quantæ, vel similis quanto: & vtitur notissima sui parte ad notificanda omnia ignota, & non magis substantias, quàm accidentia & quantitates, dummodo discerni queant. ergo de rebus tractant non prout sunt, sed prout cognoscuntur in sui discretione. & hoc modicum notitiæ vires tantas habet, vt mirabilia fiant ex eius applicatione scientifica. Etenim cælum & terram, & omnia nobis subiicimus numerando: & sumus quasi rerum fabri ne dum cognitores: & quia res magnæ sunt & paruæ optimo iure ponitur vnitas indiuisibilis abstracta, carens positione; ne fortè non possit nisi ad corporea applicari: ita quod etiam à digitis abstrahitur, vnde ortum habet. Habemus ergo hanc scientiam syllogisticam, quia ex nostro numero noto, ignotas res, vt discretas, scimus per multiplicationem, subtractionem, partionem, compositionem.

Et secundum naturam secatur in parem, & imparem, quia vel diuiditur in partes æquales, vel inæquales, & bis duo faciunt quatuor, & ter tria nouem; quoniam ita in numeris inuenitur, & ex his in reduplicatis reduplicamus. Profectò diuinum numen est in homine, quo tantos, ac tot syllogismos ex tam modica facit re, propter similitudinem, quam habent res in numero, quatenus ab iisdem idæis primis & postremis accipiunt consimilitudinem: per quam sunt vnum, & cognoscuntur sub vno ente primo: ergo rectè diximus, hanc scientiam seu artem non res, prout sunt, sed prout cognosci possunt tractare: & tamen prout sunt quantum ad distinctionem, sed non quantum ad res distinctas, in quantum nostra idea ideata respondet ideæ diuinæ ideanti.

Pro Geometricis.

Similiter & Geometria ponit punctum esse vnitatem habentem positionem in corpore, cuius non est pars. & lineã ex fluxu puncti, punctualiter fluentis, facit: & superficiem ex lineæ fluxu lineaIiter fluentis, & profunditatem ex fluxu superficiei fluentis superficialiter, non quia ista sic fieri dicit: sed quia ad cognoscendas magnitudines vtilia sunt. Nihil enim differt, vtrum sic vel aliter fiant dum sic sint, sed vt memoria teneantur, & connexio ipsarum inter se exemplariter habeatur, ita finguntur. Habet enim fictio fundamentum in re duplex: vnum est operatio nostra, nam puncto huius pennæ protracto deduco lineam, & re longa protracta, quasi planum formo, & plano producto infra. formo profunditatem, vt patet: sed hæc indiuisibilia considerantur: tum quia termini mensu-

mensurandorum corporum indiuisibiles sunt: si enim diuiduntur non sunt termini, sed id, quod extremum est, terminus est, & quia mensura corporum est secundum extrema, idcirco tales facimus acceptiones. Porro quoniam in corpore deduci non possunt, propterea quod materia repugnat, & calor & frigus, aliæque passiones: idcirco finguntur in spatio, in quo sedet mundus, & ad eius extensionem & quantitatem corpora sunt extensa, quantaque, & hoc est fundamentum certius, vulgaribus Mathematicis ignotum. Non enim de Polo ad Polum licet deducere lineam obsistentibus interpositis corporibus, nisi per spatium cõmensuratum illis, per quæ non manus corporea, sed intellectus præcedens corpora quasi diuinitus subito penetrat. Mensuramus autem ex prædictis dimensionibus omnia per replicationem & proportionem, quæ est similitudo quanti. Prius tamen accipiuntur quædam sensu præcognita, vnde cæteræ syllogizantur quantitates: & quia per sensum nouimus diametrum esse tertiam circuli partem, deducimus quod si terra 30000. miliaria habet in gyro, habet 10000. in crassitudine. Varietates autem intercisæ rotunditatis non consideramus. similiter quia omnis triangulus est omni triangulo suæ speciei similiter essentialis: cognita base trianguli parui mihi facilè mensurabile intra magnum positi, atque base magni tunc licet mihi latus parui mensurare palmo, & ex eo latus magni cognosco, quia sicut se habet basis ad basem, ita latus paralellum ad latus. & sic etiam distantias omnes venamur: semper ex notis similibus ad ignota similia procedentes: & non fallimur, quoniam varietates materiales, fallentiæ causas, non consideramus: potest enim hoc considerari non consideratis illis, non tamen negari coniunctio huius cum illis. Ergo curta est hominis scientia, & tamen per hanc sydera metitur, & distantias, & motus, & magnitudines, ex eo quod trianguli, & circuli, & quadrati parui, sunt similes magnis; similitudo autem influxus vnitatis est: ergo quæ similia sunt vnica scientia cognoscuntur.

Non tamen ex numeris, ex lineis, & superficiebus, & angulis, oportet corpora componere Physica, sed Mathematicas res, quæ in spatio considerantur idealiter, vt in 3. p. patebit, & quia idealia sunt, omnem materiam, & ens omne circuunt, & connotificãt. Nec quidem ignis fit ex triangulis acutis, vt Plato voluit, quoniam acutorum more penetrat, neque terra ex obtusis, quamuis sic loquantur antiquiores ad notificanda ignota per nota entia, & à nobis posita. Ad pauca ergo respiciunt opinantes, quod notitia numerorum, & geometricarum rerum omnes scientias nobis præbeat, cum manifestum sit, eas non nisi particulas notiorum rerum adducere, & à melioribus abstrahere: si præter atoma Democriti aliquid in natura actiuum, & sublime, & diuinius extat. similiter ergo Mathematicus diuidit lineas in infinitum, & porrigit eas in infinitum, accipiendo hanc hypothesim, vt sibi non repugnantem ad regulas commodius tractandas, non tamen Physica entia talia esse putabit: sed nisi Mathematicas producat extra mundum, non metietur mundum: & nisi ex infinitis eas componat non posset diuidere quantum vult ad numerationes conficiendas; est ergo scientia hæc quoad nos ita: de rebus vero non vt sunt; sed vt mensurãtur, nõ quoad esse, sed quoad magnitudinem.

Potius tamen Ars, qua Physica entia mensuramus, non autem prorsus scientia. Nec Mathematica rerum admittit infinitum in Quantis. Quantitas enim est ipsa rerum Tantitas & Finitudo: ergo nec corpus, nec planum, nec linea datur infinita, nec numerus: cum & magnitudo, & numerus sint mensura finiti entis, vt Sic. In doctrinalibus verò accipimus infinitum secundum nos non secundum naturam vt metiamur. Non enim natura est omne quantum diuisibile in infinitum, sed stat diuisio in atomis. & componi lineas ex punctis, & motum ex momentis, & tempus ex nunc, palam est. alioquin darentur plura imò innumerabilia infinita, etiam eiusdem lineæ, & pars æqualis toti: & infinitum infinito maius. & linea & motus & tempus non haberent principium nec finem, vt in Phys. quæst. probauimus, & in sequenti libro monstrabimus.

Quapropter Astronomia ponit tot spheras, quot motus varietates videt: nec tamen ita esse dicit, si sobrius est: sed ita calculum motus cælestis absoluit. similiter ponit excentricos, epyciclos, motum telluris, & librationes, non quod ita sint, sed vt apparentiarum metiatur varietas. Nam idem accedit si numeratio fiat in lapillis atque in fabis, non quoad rem numeratam, sed quoad numerum: videntes enim hæc prout sunt, sciri non posse, sed prout mouentur; & modus, quo mouetur, sit ignotus, numerant tempus motus in circellis, & in librationibus, & in terræ gyro: quoniam eadem apparentia est moto visu ac visibili. Sed Physicus aliter ista tractabit. Arist. autem Calyppo & Eudoxo Mathematicis inhærens, petentibus eiusmodi ficta principia, se alienum à Philosophia ostendit. at in 3. p. de spheris, cæli substantia, de mundi ætate, & exorbitantiis motionum, & animaliis variis, per quas mundi ætatem alio numero alij metiuntur: sic annos & menses in 3. p. tractabimus, & in omnibus his procedendum est ex notis sensu cæli motionibus, & ex magnitudinibus acceptis tanquam notis: supponunt enim diametrum terræ, quo metiuntur distantias per parallaxes certæ quantitatis, alij septem, alij decem mille milliarium. sic alij alio tempore obseruãtes cęlum, in quo est irregularitas, alias mensuras motuum supponunt. Nec instrumenta Mathematica sunt stabilia & exquisita omnibus, idcirco diuersum calculum faciunt Mathematici: omnes tamen aliquid veri denunciant, & prout illis apparet ex suppositionibus, tempus deliquiorum, & aspectuum ferè prædicunt, fidem scientiæ adstruentes. Nulla apparentia sine aliqua existentia, vt dictum est. quod enim nihil est mouere non potest: omnis autem sensus motione fit: & ex hoc discursus, & scientia.

Pro Astro.

Principia Astrologiæ super notitia sensus fundantur; palàm enim motus diarius Solis motui annuo proportionatur, & sicut mane fit in aduentu solis super horizontem; meridies in culminatione: vespere in submersione: media nox in opposita depressione: sic etiam Ver principium anni in regione, ad quam sol accedit, & mane anni fit: æstas & meridies, vbi vicinissimus: Vesperi autumnus anni, cum, & vnde incipit recedere: Hyems nox media vbi distantissimus, & hæc eadem conueniunt rerum ætatibus, per quam res sunt in mane dum nascuntur calore blando foti: in meri-

Pro Astrolog.

die dum vigent, calore multo roborati: in vespe-ri dum senescunt calore abeunte destituti: in media nocte & hyeme, vitali calore paulatim penitus priuati. Cum ergo tantum symbolum sit in omnibus rebus intra seriem fatalem, mutuaque correspondentia, nil mirum, si ex causis vniuersalibus & periodis motionum, & passionum ipsarum ad particulares causas & effectus earum periodosque vitarum fit diuinatio.

Palam etiam in principio arietis & libræ totus mundus eandem habet lucem & tenebras. In tropicis verò conuertitur ad austrum & boream. ergo aliqua nouitas ex nouo agendi modo erga nos: hinc quatuor quartis annum partiuntur; singulis quartis tria dant signa, quoniam Luna duodecies in anno soli coniungitur & opponitur. ergo duodecim menses, & partes signiferi fiunt: & quia in triginta diebus fit coniunctio, ideò signo cuilibet triginta dant partes, quarum quælibet solis retrocessioni, vel sub deficientiæ à fixis in vna circulatione orbis, correspondet. Circuit enim, intra tropicos delatus sol, trecentis sexaginta quinque vicibus tellurem, quæ sunt 365. dies, additis horis sex paulo minus. Confirmant hoc suppolares, quibus idem est annus & dies. secundum naturam quoque signa oriuntur & occidunt tortuosa, & directa propter obliquitates signiferi. in quo etiam secundum rem, non nostra imaginatione tantum, est linea solaris motus ecliptica vocata secundum latitudinem. Item alibi plures, alibi pauciores, alibi grandiores, alibi minores cernimus stellas. Atque anni tempora mutata, pro accessu & recessu solis variari, prout syderibus iungitur his, aut illis, & Lunæ, & Planetis; quos in motu diuersificari, palàm est. variosque congressus aspectusque ad inuicem, & ad fixas, & ad luminaria facere. Calorem ergo duplicatum plus agere, modificatum vero alio modo agere.

Prætereà dicimus, motu, lumine, aspectu stellas agere in inferiora, atque calore. Motus enim defert lucem caloremque ad diuersas mundi Plagas, singulis momentis aliter atque aliter, nedum diebus & annis, aërem quoque mouet. Calor agit vbicunque, prout potest sese imprimendo, & quicquid à calore fit, mutaturque, faciendo atque mutando. Aspectus autem vires modificare caloris atque lucis, nemini cælestia terrestriaque intuenti, ignotum est. Item ad sigillationem, & ordinem corporum valere Physicorum, res artificiales ad certum situm, in quo ædificantur, propendentes, monent. Lucem verò agere nedum immutatione, qua est idem calori, sed etiam manifestatione, qua, res cognitione præditas, agendi commoditate, atque instigatione, donat. Addit diuus Augustinus afflatus à syderibus: Thomas verò efficaciam & naturales potentias ex primalitatum communicatione & concinnatione, vt mox patebit. Figuras etiam tam ordinarias in cœlo, quam extraordinarias, quæ planetarum configuratione fiunt, nedum ad temperiem, sed ad configurationem inferiorum valere, qui experimentis consensionis, & dissensionis superiorum cum inferioribus vacant, apprimè norunt. Stupidus profectò est, qui solares herbas cum sole circumuolui, lunares cum Luna, saturninas cum Saturno, conspiciens, per cælestia de terrestribus posse fieri iudicium, negaret. nam & animalia, quæ spiritum habent tenuiorem, & succus fluidiores, eò facilius caloris, lucisque actionem suscipiunt, quo facilius aër & aqua syderum motiones sentiunt, quam lapis atque tellus. & tamen non modo Lunam & Solem in lapillis à cælo sculpi experimur, sed etiam Plejadas, & Hyadas, aliosque asterismos numero ac dispositione cælestibus consimiles. Experimur etiam eclypses & cometas, addentes cælo nouitatem, nouitatem & terrestribus inferre rebus, proficuam vel noxiam, prout sympathiam, vel antipathiam cum præfatis impressionibus atque locis, in quibus fiunt, habere probaueramus. Profectò nulla mutatio in causis magnis, quin tota machina consentiat: veluti mutato Principe, aut superaddito nouo Magistratu in ciuitatibus vsque ad plebiculam bona malaque communicantur. Palàm etiam est, res ordinarias ab ordinariis actionibus, & synodis & configurationibus luminarium inter se cum fixis & Planetis fieri; extraordinarias verò ab extraordinariis congressibus & Cometis, nouisque stellis, & impressionibus.

Et quoniam sub aliis stellis in summo cælo positis, vel in angulis, vel post angulos, alias res, atque easdē sub eisdē aliter pati, disponique accidit, non iniuria partimur cælum in duodecim situales domos, quarum aliæ angulares, aliæ succedentes, aliæ cadentes nuncupantur: ac proinde de rerum inferiorum temperamento, viribus, coëxistentia, & fortunis, iudicamus. & ex multis experimentis facta est ars. Quoniam verò aliter in aliis regionibus, aliter à cælo affectis, ita se habent; ideò non vbique idem iudicandi modus, hinc Astrologorum altercatio, dum alterum dictis, nedum in communibus, sed in peculiaribus propriæ regionis inhærent.

Deinde multi non in sensu fundant syllogismos, neque in propinquis, sed in remotis similitudinibus, non à certis causis certos effectus venantes per studiositatem, sed ab incertis per curiositatem positis, in superstitiones inciderunt.

Quomodo autem trigoni, & domus, & exaltationes Planetarum ponantur secundum naturam in proprio commentario Astrolog. & hic in 2. & 3. parte docebimus.

In figura cæli erigenda altercatio est. quoniam experientia non eadem semper, & multa sæcula ad ipsam requiruntur, ac homines imaginatione rationali; & diuinatione quadam, ista ponunt: idcirco scientia hæc miris scatet incertitudinibus. Vis directionum fictitia non est. Namque vbi significator est, fit promissor in figura, succedens secundum motum diurnum. Et quoniam dies & annus fiunt à Sole, habent partes consimiles, & dies correspondet anno. Ergo quod fit in vno gradu motus solis diurno, habet symbolum in toto motu solis annuo. Igitur quot gradus inter promissorem & significatorem interponuntur, tot anni erunt in progressu vitæ, donec effectus promissoris succedat, in exordio per diarium horariumque motum ideatus. Profectò quod in principio rerum fit, porrigitur in progressus & fines; cum nil aliud sit effectus quam principium extensum diffusumque: vnde iuxta semina euentusque in seminando, de fructibus iudicamus, & semen leprosum filium leprosum facit, & lapis proiectus vi, seruat vim illā quā à principio sortitur, donec aëre & vapore, & obstaculis aliis minuta euanescit. Ergo dispositio prima ita

poteſt, ſic, vt ait Lucanus de Roma ſemper bellicoſa, & ſanguinaria.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Et Venetia condita Attilæ timore vrgente, dumque reliquias conſeruat ſuas, ſemper cauta, timida, & rerum ſuarum ſtudioſa conſeruatrix, & iuſti tenax eſt. Et iuxta paſſionem Parentum in coitu filij propenſionem hæreditant. Quapropter in principiis cælantur progreſſus & fines, licet variari queant in liberis agentibus per voluntatem, aut per myſterium Dei. Vnde Eſaü differt à Iacob, vterque tamen principatum ſuæ gentis habet. Diuus autem Thomas etiam Phyſicas diuerſitatis cauſas in libro de fato adducit, Auguſtini reſpondens argumento. Sed Coſmas & Damianus gemelli, Geruaſius & Protaſius, Gildardus & Medardus, aliique multi gemelli, quos ipſe vidi, oſtendunt eandem morum & corporis ſimilitudinem, & vitæ, & mortis genus & tempus idem plerumque. Rarò autē non ſic, ob horizontis & Aphetarum ſubitam varietatem. Qui vero in bellis occumbunt diuerſis nati temporibus atque locis, ab aliqua præpotentiore conſtellatione communi adiguntur: quæ ipſorum particulares conſtellationes vincit, ſicut in Aſtrologicis demonſtrauimus, & in 3. p. huius operis ſermo redebit.

Quoniam igitur cælum agit Phyſicè, non moraliter, nec ſuper naturaliter, propterea abeo Phyſicos euentus partim certos, vt communes, partim incertos vt particulares, iudicamus. De moralibus videl. quaſi per coniecturam ex naturalibus affectibus: quibus ratio repugnare poteſt: de ſupernaturalibus nihil, niſi quatenus ſignantur à Deo.

Pro Opticis. Proſpectiua verò non tractat, quomodo fiat viſio, ſed quomodo apparentiæ obiectorum, ſed ſupponit extra mittendo, quoniam idem euenit in apparentia intromittendo, & extra mittendo: ſed veritas ad Phyſicum ſpectat: Apparitio ad proſpectiuum; qui rectè docet ſitus & varietates. ſic neque Muſicus, quomodo fiat auditio: ſed quod tales voces conſonant, tales diſſonant nobis. Metaphyſicus autem rationem inuenit ex rei natura. Hæc autem principia ſenſui ſunt manifeſta, ſed quod aliis rebus aliter ſint. Proſpectiuus non perpendit, ſed in aliis ſitibus ad nos tantum.

(∴) (∵)

DEFENSIO PHYSIOLOGIÆ.

Circa naturalium principia Phyſiologi diſſentiunt, quoniam non omnia conſideranda omnes conſiderant: vel quia ſenſu alieno philoſophantur, vel quia paſſione quapiam gloriolæ aut auaritiæ, aut odij, noua dogmata quacunque ex apparentia fingunt. Qui tamen philoſophantur, in ſenſu fundantur, & omnes aliquid veritatis attingunt.

Ponit Thales aquam principium Phyſicorum, quoniam putauit terram ſuper immenſam natare aquam, nondum antipodibus agnitis: & quoniam virtus ſeminalis eſt in humoribus, & quoniam ex ipſa expanſa fit aër, ex concreta tellus. Verùm cum in vallibus terræ modica portio aquæ contineatur, nec ex quantitate, ſed actiuitate principium celebretur, ipſaque aqua, aquā non generet, ſed generetur à ſole ex liquefacta tellure, nec aër & tellus ex ipſa primitus fiant, nec humor ſeminalis non genitus à calore ſit, deceptus videtur Thales.

Anaximander ponit vaporem, putans totum mundum eſſe vaporem ſparſum, vel concretum, quoniam ſtellæ videntur per cælum. Diogenes aërem ob idem. Nam & tellus his comparata eſt punctum: ſed decipiuntur, quoniam tellus in vaporem ſoluta, non minor eſſet toto æthere. Præterea non ſunt vires ſummæ in aëre: non ergo eſt principium.

Melius Heraclitus poſuit ignem: ſed quoniam ex eo non poſſunt fieri niſi ignea, debuit ponere & terram. Item frigus eſt calori contrarium, & ſecum pugnant. Diceret Heraclitus, frigus eſſe priuationem caloris, nam minor calor videtur frigus eſſe in manu Medici, & in vino, ſed fallitur: licet enim priuatio caloris videatur frigus, tamen hoc ideo accidit, quod calor ille in alia dilatatus materia, minuitur in ſe: ſicuti feruor aquæ, cui tepentem inieceris: ſed manifeſtè frigus conſtipat, frigefacit, effunditur contra calorem, & concentratur, à calore circundatum. Priuatio autem concentrari ad præliandum non poteſt, cum ſit non ens, neque agere: ergo neque glaciare, neque ignitam pilam glaciei iniectam extinguere. Neque tenebra eſt priuatio, neque durities, vt in ſecundo libro patebit. Præterea quomodo ignis ex ligno generat ignem ſola extractione? & cur non vrit niſi à ſcintilla exteriori extrahatur? & quomodo poteſt totam ſyluam excitare ſcintilla: quæ tota ignis eſt, & non vrit, nec apparet niſi frigida, & igni oppoſita. de hoc in ſequent.

Item hi omnes Agentem tollunt cauſam. Quid autem erit generans ex his principiis: & quomodo ſeipſam conuertunt in alienum ens. Præterea tollunt & diuinam cauſam: neque enim ſtupida hæc elementa mouebunt ſe arte tam mirabili ad rerum fabricas, & animalium formationes, ad ipſa nil pertinentes.

Empedocles quoque quatuor elementa inepte ponit in inuicem non conuertibilia. Nam cum omnis contrarietas reducatur ad vnam primam, atque duo ſint prima contraria, calor, & frigus, à quibus lux & tenebra, motus, & quies, raritas, & denſitas, & ex his aliæ: conſequens eſt vt duo ſint prima corpora non quatuor, ſi tota, & totaliter inſpexiſſet. At Ariſtot. qui duo ponit ad agendum contraria cum Parmenide, mox non duo elementa cum Parmenide, ſed quatuor ſtatuit

cum Hippocrate, & Ocello in inuicem transmutabilia, non autem intransmutabilia cum Empedocle: quoniam non proprium sequitur sensum, sed aliorum dicta transcribit, & ab omnibus victus argumentis priscorum, videtur victor velle videri.

Præterea considerandum erat, quod elementa summas habent vires: omnia faciunt, & non fiunt ab aliis: aqua autem & aër sunt debiles, & non faciunt se, sed fiunt è terra à sole immutata, liquefacta, & attenuata. Ergo duo ponenda sunt principia, vt Parmenides & Thelesius Physicè deducunt; & Lactantius, & Hieronymus ex sacris Literis, hanc dualitatem comprobat. sed quia hæc composita sunt, transeundum est ad simplicia. Manifestè enim calor & frigus subiectam materiam transmutant, vnde videntur ex ea ignem siue solem, & terram constituisse, & ex his omnia, dum pugnant. sed neque ista sufficiunt; quoniam non mouentur, nisi amore & odio: Ideo Empedocles melius addidit amorem, & odium: sed quia odium non habet entitatem, vt probabimus, non rectè.

Lact. l. 3. cap. 11. Hier. in Iob. 38.

Item quia actio, & constructio rerum ab his est cum sapientia: neque amatur, quod nescitur: addenda erat sapientia & mens, vt facit Anaxagoras. sed insufficienter, quoniam sapientia nisi possit non agit: ergo & Potentia. Et quia potestas, sapientia, & amor, sunt æquè prima, & constituunt ens, intus essentiando, non exterius agendo. Idcirco hæc nos posuimus non causas, neque principia vocando, sed Primalitates, & Proprincipia; ex quibus egrediuntur facultates tanquam principia exteriorum actionum, & affectiones tanquam extensiones, & regulæ ipsarum tanquam artes. Chaos Hesiodi, & Anaxagoræ euertimus, quoniam, quæ fiunt, non sunt in materia tantum, sed in agente partim, partim in materia. Neque quia in materia extat ad rem faciendam dispositio, itidem præextat res. Hæc enim dispositio in Physicis est à sole, agente à principio mundi hucusque, & præcedentia omnia sunt dispositiones ad consequentia. Et agens per sapientiam habet ideas faciendorum. Idcirco rectè Plato Deum & ideam præficit Chao. Stoici autem spiritum actiuum, & verbum, id est diuinam artem: sed non rectè spiritum corporeum Deum. nobilius enim est incorporeum esse, & immistũ, vt dominetur.

Pythagorici numeros adducunt, quæ sunt principia cognoscendi, & distinguendi effectus materiamque ad formationem, at non etiam agendi, & materiandi, vt suo in loco probabimus. Videntur ergo omnes aliquid veri attigisse quicunque ex his, quæ sentimus, philosophari cæperunt. Qui autem dereliquerunt sensum, inciderunt in vanitates. similiter & qui non omnia sensuum obiecta, & omnes eorum considerauerunt.

Democritus enim solam considerauit materiam: alij causam agentem non totam: neq; enim ideam, neque finem, & singuli addentes, ad philosophiam parauerunt iter.

Mirum tamen de recentioribus, qui sal, sulphur, & hydrargirium, principia corporum faciunt, propterea quod ab igne corpora mista in hæc soluuntur; cum tamen nec vltima resolutione in hæc soluantur, sed in ignem & terram: neque à se ipsis tanquam potentibus principiare, sed ab igne, qui mista in hæc conuertit, imò & in aërem, non tanquam in principia, sed in principiata ab ipso igne, & in diuersis terræ partibus à calore sic concinnatis, pridem causata: & latentia intra tellurem, vt eius partes vel partus; non autem manifesta in mundo, tanquam corpora magna actiuissimaque, vt conuenit elementis agentibus & materiantib. omnia corpora. Nec secus cæteri Chimici errant in quatuor elementa ab igne separari mista putantes: non enim liberat ignis elementa, cum sit ipsis contrarius, sed potius ea, & elementata conuertit in se ipsum: si qua ergo sunt crassiuscula, atque tenuiuscula situ separata in alembichis, hoc ideò euenit; quia materiæ dissimilares sunt, nec omnes idem patiuntur ab igne, sed alia attenuantur magis, alia minus, alia sursum magis, alia deorsum situm accipiunt, nisi quis ob Empedoclis inconuertibilitatem ita euenire statuat. quod à Medicis vulgaribus, conuertibilitatem approbantibus, contra proprium dogma asseritur, dum ex eodem cibo & sanguine ab vno calore humores contrarios quatuor elementares generari à contrario ipsis vnoque calore nimirum, contrarios inaduertenter asseritur, de quibus in quæst. Phys. luculenter diximus.

Tandem qui infinitum ponunt principium, rectè dicunt: neque enim possemus illud imaginari in nostra modicitate, quod infinitum est in sua entitate, nisi sit: alioquin Mens humana pars rerum esset maior & capacior toto: sed qui hanc infinitatem corporibus dat, incerta loquitur. Et qui finiunt mundum, coniecturam capiunt ex rebus finitis, & finito cæli motu, & in iis opiniones dicere licet, non autem assertiones, quoniam à sensu remota sunt, nisi numen reuelet. Quomodo autem reuelationes sint examinandæ, in 3. par. constabit.

Principium moralis Philosophiæ, quod malum est fugiendum, & bonum sectandum, omnibus est commune nationibus hominum, & rerum. Item quod bonum sit illud, quod placet, & malum, quod displicet. At quoniam in his, quæ placent, coniuncta sunt mala, quæ subito, vel paulò post nobis totis, aut nostri partibus, aut filiis, aut amicis, quibus cum seruamur, displicent: & in his, quę displicent, vt in pharmaco, latet, quod placet nobis nostrisque: Propterea homines alij aliter de bono & malo sentiunt. Et profectò hoc principiũ in nostra Philosophia probatur, quod bonum sit nobis illud, quod seruat nos; aut demonstrat, aut disponit, aut adducit ad conseruationem: malum quod destruit, aut fert ad destructionem: & hoc quia omnes res propriam cõseruationem vt summum bonum, quærunt: & destructionem, vt summum malum auersantur. Ergo à conseruatione, & destructione habent cætera, quod sint bona, vel mala, prout ad ipsas ferunt. Quapropter quoniam idem alio tempore, & loco conseruat, vt ignis in hyeme, & eminus; alio vero tempore, & loco destruit, vt ignis in æstate & cominus: propterea idem videtur esse aliis bonum, aliis malum, & variatur ratio sequendi, fugiendique; quæ in nobis appellatur virtus, & in Republica lex, circa alias res pro temporibus locisque. Omne ens est bonum sibi, & similibus suis, vt serpens

Pro Moralibus.

serpenti, asinus asino, homo homini, ignis igni, quoniam simul conseruatur. Accidit tamen vt homo homini sit malus, inquantum appetunt idem bonum, quod vtrique simul est insufficiens. Vnde figulus figulum odit, quia lucrum ex figulina non sufficit ambobus. Sic etiam dissimilia dissimilibus mala sunt: per accidens tamen alterum alterius est medicina & salus. Est ergo omne ens bonum secundum naturam sibi ipsi & mundo, cuius est pars, & Deo bono, cuius est effectus bonus: sed homini tantum id, à quo seruatur. Et quia caro porcina leprosis Hebræis noxia erat, optimè per legem vetabatur: nunc autem superstitiosè, quoniam non obest, & vtilis est. Et quia Nationes variæ sunt moribus, & temperamentis, & conuictu, & rebus vnde seruantur: ideo aliis viuunt legibus. Lex tamen omnis probat bonum, & reprobat malum, vel secundum veritatem, vel secundum nos. Similiter virtus quæ lex priuata est, non omnibus eodem modo eadem. Siquidem intemperantia est alteri libra carnis in cæna, alteri vero sobrietas, pro temperamento, & fine vario. Ratio ergo sumitur in moralibus à bono: ergo ab his quæ ad appetitum pertinent: in intellectualibus à vero, in operabilibus à possibili: vnde dicimus, contra rationem esse in Politicis & Moralibus, quidquid repugnat fini summoque bono Reipublicæ ac partium: in doctrinis vero quicquid veritati, aduersatur. Moralis ergo scientia fundamentum habet in Natura, & circa summum bonum omnes concordant homines, quod sit immortalis conseruatio. Summum vero malum, destructio. Sed alij putant, vitæ corporalis tantum esse, diuiniorem non agnoscentes: ideoque in fruitione præsentium ponunt finem. Alij in filiorum propagatione, in quibus etiam post mortem conseruantur. Alij in fama gloriantur. Alij vero, in Deo conseruationem æternam sibi conuenire, intelligunt post temporum periodum, reuelationibus & argumentis fidem præstantes. Propterea que circa modum acquirendi bona quæ sunt media ad propositum finem, discordant omnes. Alij enim religione parari putant: alij lucro diuitiarum: alij facinoribus inclytis: alij deliciis carnis. Atque omnes iuxta proprium sensum mouentur, aut ad sensum, quem vocamus fidem. Verumenimvero, quoniam non omnes consideranda omnia considerant: propterea falluntur. Etenim quia in nobis vitam immortalem, cuius gratia cuncta operantur entia, non habemus à Deo autore vitæ, quia solus immortalis est, nos consequi oportere putandum est, vt in secunda & tertia Parte declarabimus.

Quapropter, Libertini stultissimè arbitrātur, nullum esse peccatum. Manifestè enim omne desiderium, aut verbum, aut opus voluntarium, quod destruit nos, aut Rempubicam, qua seruamur, aut prolem, in qua viuimus post mortem, aut honorem, quo amplificatur conseruatio, aut religionem, qua Deo, omnium conseruatori, coniungimur: aut postponit maiora bona minoribus, peccatum est. Alioquin idem esset occidere se, & seruare se: edere decem panes atque vnum: obedire parentibus, & vim inferre: ponere manum in igne & in mensa: blasphemare Deū summum bonum, ac laudare. Neque profecto lex imperans, aut vetans, est hominum arbitratu inuenta, sed natura, conscientiaque dictante. Si enim omnes furari possent, nemo laboraret in telluris cultu & opificio, & alter alterum sese occideret laboresque impotentium comederent. Si libidini cuicunque operam dare liceret, perderetur proles in seminatione extra vas naturale: & quilibet ad pulcherrimam ferretur: pulchræ non parerent tot seminibus se inuicem perimentibus: deformes contristarentur: libidinosi laxato fræno ægritudinibus scaterent: similiter & qui sine lege gulæ indulgerent: cruditatibus, podagris, & pigritia, à natura punirentur. Imo & homines se inuicem comederent. Quapropter lex necessaria fuit, vt singuli propriis muneribus destinati, sanitate & amicitia bonisque communibus conseruarentur: contrariaque mala declinarentur. Regulæ autem priuatæ, ac publicæ virtutes dicuntur, & leges. Nec quia sodomia peccatum non erat Grçcis, quoniam amicitiam inter maiores & minores, & bonorum vtilium & iucundorum, videbatur communicationem conseruare: propterea naturæ, & nobis, non sit mala, qui consideramus insuper ex illa perditionem prolis: effeminationem iuuentutis, vilitatem Reipublicæ, & diminutionem virtutis & naturæ. Ergo potiora sunt bona in nobis per prohibitionem, quam in illis per concessionem. Mala autem illis potiora: nobis autem nulla, quoniam per virtutes conseruamus eiusmodi amicitias. In modo ergo acquirendi bonum, non in re discordant Nationes. nec discordant in principiis, nec in conclusionibus manantibus à principiis: sed in determinationibus conclusionum, seu modificationibus. Omnes enim conueniunt in hoc quod in prole conseruamur, & in conclusione: ergo matrimonia sunt instituenda: at quomodo, & cum quot, & quibus mulieribus, & cum dote, aut sine dote, est discordia.

Pro Politica.

Porrò, si Moralis principia vera sunt, Politicæ quoque vera sunt. Politica enim multorum congregatio est in vnum facta, vt posint mutuis officiis bene simul seruari, quod seorsum non poterant: ideoque in Republica bonum totius, partis præponitur bono. Sicut ergo mala & bona insunt vni, & virtutes & vitia, quibus bona malaque acquiruntur sic & ciuitatis. Lex enim virtus est communitatis, virtus vero lex personæ: præuaricatio virtutis est vitium, & habet pœnam à natura podagras, dolores, ignorantias, &c. Sic legis præuaricatio à Politica, exilium, carceres, &c.

Ex Politicis.

At Politica, aliis Monarchia, aliis Aristocratia, aliis Democratia conuenit pro gentium temperie. Borealibus enim licentia, Meridionalibus seueritas, Mediis regionibus mediocritas conuenit. Hinc Monarchia, Anarchia, Aristocratia, Oligarchia, Democratia, Politia, & misti modi viuendi reperti sunt.

Natura autem Monarchiam approbat magis, vt dictum est in Politicis. Iustitiam esse secundum naturam in Ethicis probauimus: quia media fini vero optimoque iustificat in omnibus virtutum operationibus. Quapropter sicuti iniustum est, ciuibus auferre bona, vel animo, aut corpori, aut fortunæ nocere: ita etiam toti generi humano. Quamquam Barbari solum, quod sibi, aut suæ ciuitati est bonum, iudicēt simpliciter bonum. Cum tamen non sit bonum, nisi quod summo bono Deo, quo beandi sumus, placet: nec malum nisi quod à Deo summo bono recedit. Carneadis autem oratio non veram iustitiam, sed apparentem destruit. Principium religionis stat, natura, videlicet, *colendum esse principium nostrum, à quo esse, & bene esse, & conseruationem accipimus.* Omnis quippe homo suos

colit benefactores: & res ad ſuum principium reuertitur, in quo proprium eſſe magis conſeruari, ſentit: vt ignis in cælum, gleba in terra, aqua in mari, in quo ſuæ entitatis eſt vniuerſitas, præpotentius ſeruatrix. Si ergo Deus eſt hominum principium, colendum eſt, & contendendum regredi ad ipſum. Omnes quidem Nationes colunt Deum: ſed errant, quoniam alij alium putant Deum: at conuincendi ſunt ex hoc, quod Deus eſt optimum & maximum ens. Ergo neque viliora nobis, neque æqualia ſunt Dij, neque partes, nec ſuperiora, ſed totum & ſuprema. Supremum autem non poteſt eſſe niſi vnum, vt conſtabit in ſecunda & tertia Parte, cum religionum errores corrigemus, & hoc firmabimus, quod omnes Nationes putant ſe Deum verum colere, niſi ſint deceptores. Sed quoniam cognitio addita obliterat inditam, erramus: ita quod quicquid bene facit, aut poteſt bene facere, colitur à Gentilibus, tanquam Deus, & relinquunt Deum, quo cuncta poſſunt id, quod poſſunt. Sed de his poſtea, vbi inueſtigabimus quod religio eſt à Deo, & quibus notis dignoſcatur quæ eſt ab ipſo.

RESPONSIO AD XIII. *Dubitationem principalem.*

CAP. IX. ART. XIII.

AD 13. allegatorum ſapientum, & oraculorum accipimus auctoritatem. Quoniam palam eſt, nos ſcire ex parte, & non prout ſunt res, ſed prout afficimur: & iuxta ætates, & climata, & affectiones, alios aliter ſapere. Ariſt. quoq; Phyſionomia idem probat, falſoque eos Ariſt. incuſat, quod ſequantur ſenſum à Tertulliano ipſe accuſatus. Nam etſi res non varietur, tamen noſtri varietas variat ſcientiam, vel modum ſciendi. Nec res vlla perfectè ſciri poteſt, vt probatum eſt. Salomonis & Socratis laudamus ſententiam.

Scepticos ex parte reiicimus, quoniam palam eſt, nos aliquid ſcire, vt quod frigemus, caleſcimus, ſcribimus, ſumus in platea, & quod nunc ipſe non manduco. Religio quoque dat ſcire quia: vt quod Deus ſit, quod remuneret, quod Creator & Conſeruator. Attamen profitetur ſe neſcire perfectè quid ſit Deus, quid præmia, quid creare, quid conſeruare: ſed ex parte & imperfecte: non quia reuelator ignarus, ſed quia homo non capax, & hoc pluribus probatum eſt. & ideo aliquando ad Deũ ibit.

Scepticos paulo ante reprobauimus. Ariſt. vero qui profitetur ſcire per intellectum, nonniſi à ſenſu haurit ſcientiam, & iam oſtendimus, intellectum eſſe rerum, quas ſentimus, & experimur.

(∴) (∴) (∴)

RESPONSIO AD DECIMAMQVARTAM *Dubitationem, vbi de nominum impoſitione recta & non recta, & ſecundum Poëtas, & Philoſophos, & Grammaticos, & de fundamento ipſorum naturalium.*

CAP. IX. ART. XIV.

AD 14. dicimus, vocabulorum temeritatem non indicare nullam eſſe ſcientiam, ſed variam, imperfectam, & ex parte. Si enim vocabula ſunt, aliquid ſignificant. Ergo proferens, aliquid ſcit. Neque enim vocabula ſunt, niſi ſigna rerum ſcitarum, à nobis edita, vt quod ſcimus, aliis poſſimus ſignificare. Profectò ſi homo ſolitarius viueret, vocabulis non indigeret expreſſis, contentus his notis, quæ rerum inſpectio in Mente imprimebat.

Primi autem homines, ſimul conuenientes, exprimere cæperunt impreſſas notas ſignis exterioribus, ſimilibus profectò rebus notatis per notas, & explicandis extrinſecus, ſicuti muti nunc ſolent: maximè autem per interiectiones: deinde imitati ſunt res ipſas ore. Aërem enim expiratum verberant dentibus, labris, palato, lingua, gingiuis: & gutture modulantes, donec rem, quam volunt, repræſentẽt. Sic Græci ab eo ſono tup. tup. quem lignorum percuſſio in auribus facit noſtris, dixerunt, τύπτω, Latini vero verbero à vibratione flagelli, quo percutiebant ſeruos: nunc autem dicimus Batto Italicè, quod Latinè etiam olim, quaſi percuſſionem lentarum rerum imitantes. Sicut enim patitur ſpiritus à rebus, ita eas imitatur, & ore exprimit paſſiones. Verum quia non ab omnibus per ſe patitur, fecit vocabula, vtcunque exprimentia aliquid earum rerum, à quibus afficitur: vel per miſturam propinquarum & connexarum, & dixit, lapidem, quaſi lædentem pedem: & virgultum, quia vergit ſurſum: non enim poteſt voce totam rei naturam imitari, ſed à notabiliore paſſione, vel operatione, vel realitate notat. Sic dicitur Cęſar, à cæſo latere: Naſon à magno naſo: Moyſes, ideſt, ſaluus, ab aqua: Eua mater cunctorum: Agrippa ab æ-

gris pedibus: & quidem Romani & Hebræi rectius vocabula imponebant, quam nunc solemus, quoniam ab aliqua saltem proprietate, & officio, & euentu, & facinore: vt Fabius à ferendis fabis: Lentulus à lentibus: Cincinnatus à cincinno: Beniamin à filio doloris parturientis. At vocabula originalia, vnde ista deriuantur, priora sunt, nempè ab imitatione, quæ ex literarum modulamine capi posset, vt cacare rectè positum est, quoniam ca, ca, facit Anus dum deponit superflua. Edere autem perperam profertur: rectius manducare: quoniam maxillas eleuantes & stringentes facimus sonum Mam, & Mamb. & res magnæ magnis vocabulis, & paruæ paruis exprimere debemus: & simplices vocalibus literis, quæ fiunt sola arteria: compositæ consonantibus, quæ fiunt instrumentis aliis arteriæ aërem configurantibus. Sed quidem nullum vocabulum ab essentia rei, sed ab actu, quo in nos agit, accipitur: vnde videntur ignotæ essentiæ, sed prout afficiũt nos, notificari literis. quidem exprimendę forent tot, quot sunt essentiæ, quémadmodum apud Chinenses fieri narrant, optime quidem si ab essentiis eliciuntur; sed non nisi Dei potest esse hoc inuentum, qui eas solum nouit. Chinenses autem aliundè vti nos figurant, quibus præter hoc literæ sunt 24. ad dictiones figurandas.

Literæ elementa sunt vocis in Idiomate Hebraico, & simul numerorum notæ, & insuper signa rerum, non secus, atque dictiones: proptereaque nescias, quibus configurari debeant. Etenim quatenus dictionum sunt partes, similes esse debent configurationibus oris in pronuntiando, qua ratione recta O, fit rotundum apud nos, quoniam ore rotundo formatur: & I. longum cum titulo, quoniam in naribus stricto ore arteriei super resonat. A, vero vndique aperta esse deberet, quia ore profertur aperto. Et literæ stridulæ rebus stridentibus significandis aptæ: liquidæ liquescentibus: Altè in summo palati formatæ, vt, l, longis altisque. Nescimus autem an antequam Esdras perditas in transmigratione Babylonis literas reficeret, priores ita formatæ essent, vt rebus aptentur. Quatenus vero numero significant, diuisiones numerorum in sui formatione repræsentare deberent: & quatenus res, ipsis rebus omnino persimiles: hoc autem ab Hebręis vix requirendum, quoniam non tot caracteres habent, quot sunt res significandæ. Chinensibus autem & Hieroglificis Egyptiis potius conueniret. In nostro autem Idiomate quomodo sint formandę ore ac litura, & quomodo emẽdandæ, & nouæ inueniẽdæ si desint ad omnis rei expressionẽ in Grã. & in Poëtica diximus. Dictiones præterea rebus conuenire habent ex literarum positu sonoque: & quidem si diuinitus positæ sunt, vt Cabalistis conuenit dicere, & non casu in vna quaque lingua: aliquid continent transpositæ in mysterio, sicut patet ex plurimis Anagrammatismis, & in exemplo Pici in primum Geneseos capitulum. Sed forsan non licet vel impossibile est ex his mysteria promere, quoniam sępè dantur ad curiosorum deceptionem nomenclaturæ, ex instituto humano itidem, non diuino: homo autem tot sensus includere non nouit præsertim in lingua, vbi literæ numeros & res non significant: Quid si à natura? etiam cauebimus. Signa enim pluuiæ non semper vera, neq; Medicinæ: nomina autem à pluribus intellectibus sunt, non concordantibus semper. Solus Deus scit omnia ex omnibus, & quomodo ex atomis eisdem transpositis innumerabiles fiunt res: non autem quiddam ex quodam.

Normandia quoque certam non habet veritatem: non enim ab vno intellectu imponuntur nomina cuique enti sua intelligente, ac proinde includente in nomenclatura quidquid in rerum serie cuique contingere habet. Nec enim omnes Cæsares fortunam Cæsaris primi consecuti sunt, vtinam saltem essentiam significarent cuiusque propriam: quod fortasse verum fuit, quando Adam, diuinitus instructus, res nominibus donauit. Postmodum vero rerum nouitas, vulgi stultitia, aëris & cæli varietas, nationum commistio, omnes voces turbauit: & sicut naturam imitantes à principio significabant, nunc ad placitum stultorum significant: idcirco Plato naturam, Aristoteles placitum, approbat.

Qui habitant ad Boream plures consonantes apponunt, quoniam regionis frigus, arctans spiritum introrsum, egredi prohibet, & percuti, & repercuti facit. Hispani vero & Africani calidioris cæli, dictiones faciunt longas, plenasque vocalibus, quasi sola arteria pronuntiatis, educto spiritu foras nimis per calorem, instrumenta relaxantem, ad aëris amicum calorem libere prodeuntem. Itali vero mediocriter ex vocalibus & consonantibus. Immo in Italia ipsa aliter Veneti quoniam in liquido habitant solo, & mollibus instrumentis donati, spiritum verberare vix possunt. Ergo vocabula, vocalibus plena, subtractis consonantibus, pronunciant: Lombardi voces truncant, quoniam à frigore totas exprimere prohibentur. Calabri calidiores producunt nimis. ergo quoniam modus patiendi, & imitandi varius, ideo variæ, & linguæ. At & nationum mistio vocum origines aboleuit. Si vnica esset lingua sapientiores essemus ob scientiarum communionem: cæpit in Babel, volente Deo scelus punire linguarum, insipientiæq; pœna, diuersitas.

Grammatica igitur fundamentum habet in re: nomina enim imponuntur ad rei essentiam significandam, quamuis ex non essentia, sed à passione, quam ab illis afficimur, imponantur. Verba, ad actus significandos: participia ad essentiam simul cum suo actu, siue essendi, siue existendi, siue operandi, siue agendi, siue patiendi: pronomina personalitates essentiarum notant, & earum flexionesin id, quod earum est, vt ego, & meus, tu, & tuus. Aduerbia determinationes actuum: præpositiones, essentiarum & actuum relationes quascunque ad inuicem: interiectiones tandem animi passiones non secus atque oratio ipsa, & simul patientem connotant: coniunctiones rerum societates, & dissocietates, vt in Logicis explicauimus. Quoniam vero essentiæ multæ, atque essentialitates & actus & respectus in nostrum non agunt sensum per se, necesse fuit vocabula nostris ex rebus mutuari, & hoc indicat exilem esse de rebus illis scientiam, vt similitudinariam. Sicuti enim scimus, ita pronuntiamus. & quia res multæ inter sese similes sunt: & quo similes, eo vnum, propterea vocabulum commune damus, quo nimirum Petrus, Fabius, & Cesar, dicuntur homo: Asinus & leo, & capra, animal. & si similitudo eorum essentialis est, nomen vocabimus vniuocum, vt homo. Si proportionalis, qualis inter palmam, arborem, & manum ex similitudine ramorum & digitorum, vocatur analogum. Similiter vbi in vno est per se: in altero per illud vt Ecclesia dicitur hominum congregatio, & templum, in quo congregantur. Vbi autem eadem res plura habet nomina, Synonima dicuntur: vbi nulla est similitudo nisi nominis, æquiuoca sunt. Quapropter ex his planum est, quam im-

becilla fit scientia, quoniam neque vni rei vnum nomen dare, neque proprium cuipiam damus ex natura, sed ex parte, prout intelligimus. Si ergo lapis falso dicitur à læso pede, quoniam & alia lædunt pedem, id falsum est, ex quo imponitur, non ad quod: & hoc respiciendum est. Similiter in nominibus diuinis, vt cum Deus dicitur ab ardore & cursu, falso ex quo: sed verè ad quod: cogimur enim vulgi & principum ignorantum vocabula tenere, ad placitum posita, cum tamen impositio ad Metaphysicos & Legislatores pertineat: conseruatio vero ad Grammaticos: quorum neque est considerare quo pacto vocabula indiuiduorum apud nos penè omnia falsa sunt: quoniam neque proprietates vel extrinsecas indicant, vt olim Romanis & Hebræis, sed ad placitum ponuntur, imitatione nulla præeunte. Communia vero non item, nec indiuiduorum æternorum. Sol a enim dicitur rectè, quasi solus lucens, & luna lux aliena: & Bombarda à bombo ardente.

Præterea si res propriis adnotarentur vocibus, licet perperam A quo, non tanta esset ignorantia: sed quia etiam transferuntur, æquiuocantur, & plura congeruntur, erramus sicut & in rebus aliam pro alia accipientes: hoc autem Metaphysicus perscrutatur.

Poëtæ tandem de industria transferunt voces per metaphoras, & sensus per fabulas: tum vt occultent his, à quibus timent, veritatem: tum aut per varietatem & imitationem delectando doceant. In quo laudantur, sicut Medicus absynthium dulce, vt potetur ab ægroto, affirmando.

Res quoque fabulis & parabolis significatæ, non sunt significatum principale: sed aliæ res, quæ per illas vt per similes signantur: At qui ad fallendum & vitiandum ita fingunt, rectè per Platonem de Republica expelluntur, quoniam ens rationis in deceptionis mutant.

Sydcrum vocabula secundum id, ex quo imponuntur, Metaphorica videntur & æquiuoca: sed quia imponuntur ad aliquid propriè significandum, fiunt analoga. Serpens enim & taurus, & leo, sunt Asterismi talibus animalibus, ex quibus sumuntur nomina, propitii: neque enim ob solam memoriam à principio sunt huiusmodi nomenclaturæ, vt suo in loco manifestabimus.

Vocabula diuina sunt partim Metaphorica, partim appropriata, partim propria, si ad quod imponuntur analogice respicias, ac de his in 2. par.

Metaphysicus ergo nulla vocabula transferat, sed vtatur propriis: & vbi non sunt, inueniat ex rei natura. At si illa natura sensibus est ignota, & per effectus habetur, vti res diuinę, licebit analogia vti, & appropriatione, seruata semper similitudine maxima, quam inuenire potest. Singulis quoque artibus licet propriorum obiectorum & instrumentorum fingere eas, quæ desunt, voces: Dicemus ergo Bombardam, & Hecceitatem, & Quodlibetum, & Beatitatē, & Originale: & Essentiare: & Canonizare: & Primalitates, & alia huiusmodi, quæ stulte irrident Grammatici. Imitatio sit nobis regula in rebus notis, nec vtemur alienis. At si quando transferre sensus & vocabula, oportet in declamationibus & Pcëmatis, similitudines vicinas non remotas quæremus. Et in cunctis scientiis exempla & comparationes adducemus idearum loco, declarantes, non obscurantes, nisi vbi de industria fit enigma. Quia enim contingit scire res quasdam in se, quasdam in simili, quasdam in effectu: propterea licet significare quasdam per voces proprias, quasdam per mutuatas, quasdam per analogas, & notas fingere & inuenire.

In scientiarum inuentione incipiemus à rebus, quas vocibus nouis propriisque signabimus, imitando: *Licuit* enim *semperque licebit*, ait Horatius, *Signatum præsente nota producere nomen:* Nō secus atque nouas res nouoque modo intelligere: ita tamen, vt si potis est, ipsæ voces sint diffinitiones. Sed quoniam non tantum possunt nostræ voces, vtimur genere & differentia, & descriptione, sicuti deinde monstrabimus. Ex vocibus autem, quæ sunt definitiones imperfectæ, ad communitatem redactis, fiunt propositiones vniuersales, quæ sunt finis inuentionis, & principium doctrinæ, finis scientię, & principium artis. Quarum aliæ determinationes vocantur, ad potestatiuum pertinentes. Aliæ positiones ad cognoscitiuum: Aliæ decreta ad volitiuum. In doctrinis vero: quarum prædicta principia sunt, quę erant fines inuentionis, à vocum significatione, vt faciunt Stoici, incipiemus, & à definitione, decreto, propositione, & determinatione: ex quibus conclusiones producemus.

In artibus vero & agibilibus, à decretis incipiemus operari, quæ fines erant Consiliorum. Ratio enim examinans agibilia, vocatur Consilium: examinans obiecta potestatiui, Perpésio: erga obiecta cognoscitiui, Syllogismus: erga appetitiui, Examé. Quæ ratiocinia fiunt verè consideratis singularum primalitatum in suo ordine facultatibus, extensionibus, organis, & obiectis. Resp. pleniora ad Dubitationes 14. in seq. apparebunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

PRIMÆ

PRIMÆ PARTIS METAPHYSICORVM DOGMATVM.

LIBER SECVNDVS.

AB ESSE RERVM EXTRA CAVSAS PRIMODVM confusè cognito, essentiarum postmodum suboriri scientiam distinctam. Igitur considerare oportere rerum originem: ergo & Primalitates, Essensationes, Principia, Principiationes, Causas, Causationes, Semina, & Occasiones, & Conditiones: & quæ ex his resultant complementa essentiarum, & existentiarum circunstantias, causas, & comprincipia, & quid est ens rei, & ens rationis.

CAP. I. ARTIC. I.

SAPIENTIA in nobis ab Auctore Naturæ inest essentialiter, & datur, sicut potentia & amor essendi: scientia vero per sapientiam, extrorsùm obiecta entia respicientem, accidentaliter acquiritur. Ens autem sensibile est, quod primò obiicitur, cognoscitúrque confusa notitia: namque & infantes, & à longè sentientes rem esse, quæ in ipsorum agit sensum, primitus sciunt: mox vero distinguunt, quid sit, & quid non sit, quod esse sciunt. Quidditas ergo sensibilis est primò notum distinctè: si tamen ad exactam definitionem peruenire, & ad totius notitiam totaliter quis possit. Porrò, sapientia humana non est rerum conditrix, neque interna rebus, vt possit ipsas à priori & intrinsecus cognoscere, sed quia in se agunt, exterius sentiens, quia sunt, mox rimatur quid sunt. Vox ergo Ens, prima est, primæ notitionis confusæ index, ac nominaliter sumpta dicit quid & essentiam rerum, seu quidditatem: verbaliter vero quia & actum essendi, hoc est, esse seu existentiam. Existentia vero est esse in alio & extra causam, vti & veteres monuerunt.

Quod in se est, verè est, simplicissimum, & vnum, ergo & primum, infinitum: nec sua essentia distinguitur ab existentia: ergo non est in se vt condistinctum, nec in alio, vt in 2. Parte dicemus. Et quod in alio, finitum est: Finitur enim ab alio, & multiplex est, ex essentia & existentia compositum, ex vnitate & multitudine, ex identitate ac diuersitate: sed vtrum essentia sit in existentia, vel existentia in essentia, in secunda Parte videbimus. Nunc autem quoniam ab existentia rerum notitia incipit in nobis: existit autem quod extra principium est, quod sanè in se est, si enim extra se, iam principiatum esset. Quod autè extra est, oritur, quod oritur, eius, vnde oritur, similitudinem gerit, quam pro sua essentia accipit. Ergo ad rerum cognitionem nobis possibilem, consideranda est primitus origo, seu natura. In hoc autem inspiciendæ sunt primalitates, principia, causæ, elementa, semina, conditiones, & occasiones originis, & quicquid ex his subsequitur in rebus, ad existentiam ortis deductisque, vt quantitas, qualitas, vis, actus, actio, passio. Præterea & quæ excipiunt existentiam, tempus & locus: & tandem similitudo earum, & dissimilitudo cum causis suis, & cum coëxistentibus rebus, & insuper, quæ accidunt illis à coëxistentibus, & propter coëxistentiam.

Porrò dicimus ens reale quicquid reperitur factum à Deo vel à Natura ante rationis humanæ operationem artificiosam. At ens rationis non ratio vel operatio rationis naturalis, sed quidquid producit humana ratio, siue ars, post esse reale entium, vtiliter, siue intra se, vt nomina, verba, syllogismi: siue extra se, vt vestis, domus, scriptura. Omnia opera Dei sunt entia rationis seu artis diuinæ, &

Ens rei & rationis.

quidquid est extra Deum, nobis verò sunt entia realia: quæ autem facimus nos, dicuntur rationis, id est, artificialia, si ad certum vsum. quando vero inutiliter, vt paralogismus, & circulatorum ludicra præstigia, dicuntur entia irrationalitatis & deceptionis, siue actiuæ, vt hæretica propositio, & fabula, & sophisma, & militare stratagema: siue passiuæ, cum quis putat Deum esse corpus, & otiosa patitur: & spectro decipitur. Siue vtrinque, vt cum deceptus decipit. Metaph. tractat ens rei & rationis.

(∴) (∴) (∴)

DE ORIGINE, ET NATVRA, ET ARTE.

CAP. I. ART. II.

VIDETVR quidem natura ipsa rei origo, & natiuitas, si respicias vnde nomen imponitur. Nasci dicitur quidquid viués ab alio producitur viuente coniuncto, secundum similitudinem essentiæ: vt filius à patre, & matre: arbos, vel fructus ab arbore. Pediculus autem ab homine, vel ex homine nasci non dicitur, nec folium ex arbore: quoniam & si ab eorum substantia producantur, haud tamen eandem contrahunt essentiam: Etenim nec folium est arbos, nec pediculus homo. Nec mundus nascitur à Deo, nec gladius ab artifice, quoniam coniuncta secundum esse principia non sunt, licet similitudinem idealem, non substantialem habeant. Verum extendi solet nomen natiuitatis etiam ad hæc. Non tamen requiritur transmutatio semper in eiusmodi natiuitate, quam & Theologi ponunt in Deo. Et in intellectu humano nasci dicitur conceptus, & verbum, licet deficiat essentialis in hoc similitudo.

Nec quidem artificiata ab artifice nascuntur, inquantum etiam non contrahunt similitudinem naturalem sed mentalem: potius autem dicuntur fieri. Nec calor ab igne nasci dicitur, quoniam & si procedat in similitudinem naturæ, non totam contrahit naturam: non enim ignis materiam habet, sed tantum speciem.

Ignis autem ab igne, rectè nasci dicitur: sed qui vitam animatorum modo esse volunt, negant hoc. quod vero ex nihilo fit, non nasci, sed creari dicitur, propter inconiunctionem cum agente, substantiam non effundente. Igitur nasci & natura est id quod dictum est.

Origo vero est quid communius. Nam plantæ ex terra oriuntur: & pediculi ex homine.

Factio mox addit etiam quid communius: nam & si ensis non oriatur ab artifice, tamen fit. Creatio autem addit supra fieri productionem ex nihilo: & emanatio dici solet. Productio autem est processionis species, quoniam passionem simul importat. Processio autem, minimè: & ideo dicimus, à calore motum procedere, & radium à luce: non tamen produci: idcirco in diuinis optimè processionis nomine vtuntur Theologi, licet necessitas cogat etiam ad intra productionis vocabulo vti. At si vnde imposita sunt inspicias, videlicet à procul cedere, & procul duci, deficiunt ab ineffabili eloquio Theologico: sed ad quod imponuntur bene valent. Sicut enim cognoscimus, ita nominamus: & quia primò cognoscimus confusè, confusa nomina habemus. Mox cum incipimus distinguere, quod non est, non quod est, penetramus: Et ideo confusa nomina transferimus, extendimusque, propriora distinctioraque inuenire non valentes.

Post quam natura condita est & origo ipsa natiuitas, & generatio, extensum est vocabulum ad essentiam rei, quæ nascitur & generatur. Vnde dicimus, naturam Petri, naturam hominis, & pediculi, & arboris: & sic nomen naturæ longè communius est: non modo enim verè nascentium, sed quorumlibet factorum, aut productorum entium essentia vocata est natura. Nam natura caloris & frigoris, & albedinis, & entis, & domus, licet minus consuetè de artificialibus dicimus: & in hoc sensu Sedulius in Ecclesia canit,

Mutauit vnda originem.

Hoc est, aqua naturam, id est essentiam, versa in vinum.

Translatum est deinde nomen naturæ, quatenus importat essentiam, etiam ad ea, quæ non nascuntur, nisi per accidens, vt triangulus & musica: & tandem ad ea, quæ nullo modo nata sunt, aut producta. Dicimus enim, Dei naturam, id est essentiam, & Angelorum, & cæli naturam, dicunt Peripatetici, qui ipsum æternant: & ternarij, & quaternarij naturam, dicunt Mathematici. Naturam quoque materiæ, & cuiusuis entis: & quãdoque non entis, vt naturam Nihili, & Chimeræ, & Centauri, sed quatenus apprehenduntur, vt entia ab intellectu: quapropter, omne intelligibile Boëti⁹ naturã vocat: sed magis propriè substãtia rei vocatur natura, quæ subsistit, hoc est forma simplex, vt calor, & materia eius, vel mistio, seu mistionis entelechia, seu perfectio. Et quia hæc sunt principia motus & mutationis rerum intrinseca, definiunt, naturam esse principium motus eius, in quo est primum per se, & non secundum accidens. Principium enim extrinsecum violentia est, non natura: & quod est intrinsecum, sed non primum per se, non est natura. Non enim Medicinæ ars, qua Medicus se ipsum sanat infirmum, licet principium sanationis intrinsecum, est natura: Non enim sanatur in quantum Medicus, sed in quantum infirmus, cui accidit esse Medicum. Siquidem & non Medicus sanari potest. Hæc tamen definitio non quid sit natura absolutè, sed relatiuè ostendit, vt Physicis quæstionibus declarabimus. Violentia ergo est causa extrinseca, contra intrinsecam inclinationem debitam agens naturam. Vt cum homo occidit ho-

minem; & lapidem proiicit sursum: & filium nutrit ad impietatem. Natura ergo aliquando opponitur violentiæ, aliquando arti, aliquando supernaturalitati, aliquando libertati, quæ addit naturæ, non demit, neque opponit.

Naturale autem dicitur, quod est huiusmodi secundum principium intrinsecum: vt grauibus tendere deorsum naturaliter, secundum innatam corpulentiam: & naturaliter homo aspicit cælum ob vultum erectum, & ferrum secat secundum quod est durum & acutum. Violentū verò quod patitur aliquid non ab intrinseco in quantū huiusmodi, veluti lapidis proiectio sursum. Mistum dicitur ex violentia & natura, quoniam ex parte consentit, quod patitur, vt lignum siccum naturaliter comburitur, & senex moritur: viride, aut adolescens, violenter. Et hæc in magis & minus naturalitatis & violentiæ dilatantur.

Verumenimuero violentum opponitur spontaneo aliquando potius quam naturali: naturaliter enim elementa in inuicem agunt, patiunturque secundum naturam vniuersalem, licet violenter secundum particularem. Naturale vero opponitur miraculoso & artificiali, vt in Theologicis docebamus. Secundum naturam dicitur id quod natura non facit, nec respuit, vt cum lapis deorsum impellitur: & homo ad diuina rapitur.

Quid ars. Artem filiam naturæ atque extrinsecam vocamus naturam: quoniam omnia vel plura, quæ humana tractat ars, composita sunt: & homo facit ipsam naturæ imitando compositionem, in plantis, aut animalibus, & cæteris huiusmodi, in quibus architectura Dei manifesta est magis, quoniam & loco & essentia nobis, expluribus rebus compositis, similia sunt magis: ideo magis agnoscimus naturam in compositis, quam in simplicibus: & propter analogicam similitudinem vocamus naturam ingenium, & artem, inditam rebus, conducentem ipsas ad fines suos: & proportionaliter artem, dicimus, esse naturam extrinsecam, res conducentem ad finem nostrum. Siquidem ex ferro gladium formamus propter prælium, & ligones propter agriculturam, & ex arboribus scamnum ad sedendum, hastas ad pugnandum, lectulos ad dormiendum. Natura vero ipsis indita: fecit ferrum ad exprimendam Ideam diuinam in eo, & ad terræ fortitudinem: arbores vero ad ideas proprias: & folia ad fructus tegendos à calore & frigore: & spinas ad defensionem ab iniuria animalium: fructus ad comparandam illis immortalitatem in similibus inde nasciturís: & quia cuilibet Enti & speciei propria indita est ars, id quod proprium est semper facit. Laurus ergo baccas producit & folia eodem semper modo, ac propria: ficulnea ficos, & non castaneas. Similiter in vena ferri, ars producendi ferrum inest, & non aurum: non secus in lignario ars lectulum faciendi & arcam, non autem calceos inest: & in calceario ars calceamentaria, non lignaria.

Patet ergo, artem esse extrinsecam naturam: Naturam vero intrinsecam artem diuini artificij. Siquidem ars nauifactoria intrinseca esset quercubus & abietibus, vtique in formam nauis abietes & quercus nascerentur, & crescerent, aut glandes earum naues essent: quæ cum non insit, accedat exterior ars, oportet ex talibus lignis fabricàns naues. Quæcunque autem fabricatur ars extrinseca, intrinsecam artem, id est, naturam imitatur. Naues enim facit persimiles auibus: horologium, cælo: ollas, ventriculo: ciuitatem, corpori animalis. At & interiorem similitudinem imitatur cum in legibus Dei Rationem: in Codicibus, mundum: in Archibugio, imitatur tonitruum: in sermone, creationem: sicut enim creando Deus significat quæ sunt intra se: sic homo loquendo.

Distinct. Artium. Sunt quidem artes aliæ imitantes naturam in potestatiuo, ad vsum potestatiui humani artificia redigentes. Potestatiuum vero secatur in substentatiuum, contentiuum, colligatiuum, transmutatiuum, municiuuum, & offensiuum. Igitur ars alia facit columnas, alia trabes instar ossium substentantium. Animalis statuam, ad sustentandum domos, & templa, & lectulos, & mensas, & eiusmodi: sic lapides parietibus interponunt. Aliæ ad continendum faciunt vasa, & domos, & naues, & arcas instar cerebri, & pectoris, & abdominis, & vesicæ, & viscerum. Aliæ ad colligendum faciunt funes, corrigias, ligulas, glutinum, filum, instar neruorum tendonum, fibrarum, &c. Aliæ ad transmutandum faciunt fornaces, chimicas, calmarias, vitrarias, pharmacopeas, instar iecoris, & cordis, in quibus cibi transmutantur. Aliæ ad muniendum faciunt ciuitates, & domos, & vestes, instar aluearium apicularum, & nidorum, & plumarum, & coriorum, & squammarum & corticum. Aliæ lanceas, & gladios, & falces, & aratrum, instar spinarum, & cornuum, & vnguium, & rostrorum, & exertorum dentium, & mussi porcini: aratrum enim, huius imitatione, terram findentis, factum esse, Plutarchus autumat.

Post hæc sunt aliæ artes imitantes cognoscitiuum naturæ ad vsum cognoscitiui humani, secatur cognoscitiuum in mentale & sensitiuum. Artes mentem imitantes, eique seruientes, sunt Grammatica quæ res signat vocabulis, & significat sicut natura proprietatibus. Et Logica quæ definitiones, & diuisiones, & syllogismos facit, sicuti mens in cognoscendo, eiusque actibus regulam & famulatum præbet. Item, Rhetorica, quæ instrumenta suadendi conficit, imitando mentes, nunciantes, & probantes vtilia. Et Poëtica ideatrix exemplorum ad docendum, imitans virtutem imaginatiuam: & historiographia, narrationes tractans, & testificans, sicut sensus menti testificatur de naturalibus, in quibus scientiæ fundantur. Scientiæ autem ab arte secernuntur, quoniam illæ considerant res: istæ accommodant vsui humano res, siue in anima, siue extra animam. Et ideo omnis ars præsupponit scientiam; & omnis scientia vt ordinatur ad docendum, ars est, quoniam vniuersalia tradit præcepta. Ars in scientia, scientia in sapientia fundantur Matemat. ex scientia & arte constat. Sensitiuum sub diuisum est, in liberum & organicum: quod diuiditur in visorium, auditorium, olfactorium, gustatorium, & tactorium. Propterea, etiam aliquæ artes, imitantes Deum, cuius imaginem gens humana gerit, ad vsum mentis tractant etiam scientiam, & quæ vsui animæ sunt, vt Philosophiamm, Religionem, Contemplationes, Transhumanationes, Diuinationes: Adde Sacerdotium, Prophetiā, quæ quidem non sunt artes humanitus inuentæ; licet humanitus perceptæ, docente Deo: quidquid autem extrinsecus faciunt ad

populi informationem mirificam, ad artis rationem accedit magis. Ad idem pertinet, & legislatura, in qua mens Deum æmulatur, vetantem, & imperantem, & intrinsecus persuadentem. Aliæ artes significant, & signa imprimunt, instar memorantis animæ, & imaginantis, & ratiocinantis, vt Typographia, Scriptura, Pictura, Verificatoria, Historiographia, & aliæ id genus notionibus internis correspondentes, easque adiuuantes. Aliæ instar oculi fecerunt ocularia, oculum iuuantia, & speculum: alia auricularia instar aurium, aures iuuantia, vt melius, vel à longè audiant.

Ad idem valent fistularia, & organa, musica multigena, multis tractata artibus. Quædam vero olfactui deseruiunt artes, cuius instar opificium edunt. Siquidem faciunt olfactoriola, myropolium, vnguenta, turibula instar florum & rosarum, quæ nobis bene olent, componendo tamen interdum ex pluribus similitudinibus naturalibus opus vnum artificiale. Fiunt & Herryna ad purgandas nares narium instar, multaque alia Medicis nota.

Artes ad discretionem saporum, paucissimæ sunt, cũ sit appetitiui sensus iste præcursor: nec ad illum formaliter pertineant, nisi quæ saporum discretionem faciunt: inter quas enminet termopolium, quæ aquam generoso vino calidam miscere docet, vt vini sapor intrinsecus bene percipiatur. Item quę Medicinalium potionum sapores adulterat, vt lingua decepta non significet appetitiuæ animæ salubrem molestiam. Sic natura pulchritudine & deformitate mala & bona detegit, atque tegit. Aliæ artes deseruiunt tactui: Quæcunque enim non pertingimus manu, aut periculosum est tangere, aut inamænum, per media instrumenta artificiata tangimus, vt baculo, & arundine metimur longitudines & latitudines quasi palmo & pede: forcipe tangimus ignem: forficibus diuidimus pannum: pectine, chordas cytharæ: specillo profunda vulnera: hæc autem facit ars, digitos manus imitando.

Tandem aliæ artes appetiuum naturæ imitantur, humano appetitiuo deseruientes: quod fecatur in præparatiuum, concoctiuum, expulsiuum, nutritiuum, generatiuum: fruitiuum. Propptereaque agricultura, & pastoralis, vtentes ipsa natura, artem adhibent, qua nascantur immobilia mobiliaque animalia, in escam hominum: colligunt fructus instar apum & formicarum: venantur, sicut accipitres & leones: datur & molendinaria, dentes molares imitans ad præparandum cibum: carnificina, lupum partientem catulis Coquinaria ventriculum olla & sartagine æmulatur: furnaria, coctiones solis.

Destillatoria, intestinorum alembicos. sunt & fartores, cupedinarii, æmulatores viscerum, in quibus meliorantur & absoluuntur alimenta. Imitantur nutritiuum, qui refectorium, & mensas in conuiuia, & symbola curant. Expulsiuum iuuat Medicina euacuatiua, imitando industriam Naturæ, quæ per stimulum amaræ bilis, pungendo intestina, educit excrementa.

Item qui cloacas & matulas curant, æmulantes sequestrationem excrementorum in lienem, inueficas, & ad exteriores partes, in quo conuerritores suæ artis habent originem: sunt aliæ artes generationem curantes, vt qui matrimonia tractant, instar naturæ, quæ mares fœminis in omnium animalium genere copulat: quod & pastores & armentarii, bestias multipilicando, faciunt: licet eorum finis non generatio, sed nostrarum sit escarum: similiter & agricolæ dum seminãt, & inserunt plantas, & maritant. Igitur multæ artes sunt puræ humanæ vt scriptura: multæ quæ simul cum natura cooperantur, vt Agricultura, Medicina, Bombardaria: & hoc per magis & minus: vnde Mathematicæ vsus est ars, notitia scientia.

Lupanaria autem curantur à lenonibus, nil imitantibus naturam ad generationem, sed ad impuram voluptatem, & propterea non facitunt ens rationis sed deceptionis actiuæ & passiuæ. Etenim multæ sunt artes alteri vsui non destinatæ, vt quæ mulcent sensus inani melodia, & saporibus noxiis, & picturis libidinosis, & odoribus superfluis, & spectaculis vitiosis, & fuco fœdant: multa huiusmodi facit natura, non vt fallat, sed vt exerceat ingenia.

Porrò, ex his artes verè sunt, quæ naturam imitantur, aliquam formam in materiam imprimendo vtiliter: inter quas ferraria videtur præcellere, quæ omnium artium instrumenta facit, arma militibus: asciam & terebram & securim, lignariis: falcem & vomeres agricolis: frena & calcaria equitibus: acum & forficem sutoribus: celte latomis: nec est, qui non indigeat opificio ipsorum.

At non propterea videtur nobilissima artium: siquidem & Medicus & miles, immo & barbitonsor, & anularius, pluris extimantur: ergo non necessitas dignificat artem, nam & cloacaria necessarior, balneatoria vtilior. Arist. ignobiliores facit artes, quæ fedant corpora artificum, vt cloacaria, & conuerritoria, & tinctoria.

Sed profecto errat, nam Pictores & Aurifices fœdant corpus magis, quam Vestiarij & Textores sericorum, nec tamen ignobiliores habentur: videtur forsan nobilior, quæ ingenio tractatur: quam, quæ corpore: nihilominus militia præce lit exploratoriam, sæpè quoque & scripturam. Propterea, diximus in Ethicis nobiliorem existimandam, quæ materiam tractat meliorem, & minus fœdat, corpus, & animum nobilitat, & ingenio maiori tractatur, & necessariores præstat vsus: vt quæ mentem iuuant, Logica, Poëtica, &c.

Insuper notare libet, non omne exercitium, ex quo viuit homo, artem esse, nisi aliquam formam meliorem in materia, de qua tractat, imprimat. Igitur nummularia, negotiatoria, lenocinium, & huiusmodi, non sunt artes, sed exercitium & peritia, plerumque deceptioni commista. Saltator autem & Musicus & Cytharedus imprimunt figuras & transformationes in proprio corpore, & ore, & aëre, transeuntes: quarum vsus est in fieri, non in facto esse: & vtiliter fit: aliquando tamen inutiliter: & tunc vt Chrysostomus probat, non esse ars, nisi ei, cui vtilis. Imitantur autem in hoc motiones cælestium concinnans, & auium cantus, & spiritus animalis operationes, vnde Plato numerum, se ipsum mouentem, vocauit animam: nec enim facit aliquid foris, quod intus non fecerit. At, sicut ars nostra extrinseca, artem intrinsecam imitatur, id est, naturam: ita ars intrinseca, artem in mente Dei prælucentem.

Rectè Augustinus sapientiam Verbum Dei, quæ intra Deum est realitas Dei, artem vocat æternam & legem & rationem, vt ad extra operans manifestatur: à qua fluit secunda ars, quæ est natura: à qua tertia ars, quæ rationalibus est propria creaturis. Continet autem ars diuina eminenter in se naturalem & nostram artem; idcirco sicut natura effectus suos, similes sibi in essentia producit, vt homo hominem; & ars humana effectus suos producit iuxta similitudinem Mentalem, nō essentialem: non enim hæc scriptura est mihi similis in essentia; esset enim homo: sed in idea mentis meæ mihi est similis; & domus ædificatoriæ artis ideæ, non autem ædificatori, vt homini. Itaque quæcunque facta sunt, & fient, similia sunt diuinę arti, & intrinsecè & extrinsecè, & non in essentia modo, neque in idea modo, sed in vtroque: At eminenter, non formaliter Deus illis. Et non composita modo, sed etiā simplicia arti eius respondent: & totus mundus est suæ ideæ effectus principalis, eique persimillimus. ens enim rationis diuinæ est.

Quid autem sit hæc ars, rebus indita, Physiologi, quærentes, dixerunt: Alij esse participationem abstractæ ideæ, vt Platonici: alij defluxum Colcodeæ, id est, intellectus, formarum datoris, vt Auicennas: alij formam, & speciem vnius cuiusque rei, quæ in compositis est vltima perfectio, resultans ex mistione quatuor Elementorum, secundum quam constituitur in esse tali tale ens: in elementis verò videtur aliis esse qualitas simplex vt calor in igne: aliis forma specifica, vnde fluit qualitas. Verum ignotam dicunt hanc formam, & differentiam. Per ipsam enim & constituitur in se finitum ens, & differt ab aliis. & hæc est sententia Peripateticorum, quæ multas continet absurditates, si ab opifice mundi, vel Rectore, non habet forma modum quælibet suum. Stupidis enim ex elementis sapiens natura non constat. Nobis autem videtur esse natura, innata ars, ipsa essentia rei quatenus ex potentia, sapientia & amore, tanquā principiis Metaphysicis constituitur: sed modum habere à Fato, id est ab ordine diuinæ sapiētiæ à Necessitate, & Harmonia, instrumētaliter: ex his enim influentiis magnis fit, vt alio modo sit Sapientia, Amor, & Potestas in lapide, & alio in animali, & alio in igne. Hæ autem à primo ente influentiæ pendent, in quo summa Potestas, Sapientia, & Amor: Cuius participabilitas est idea, principaliter modum dans, non absque ministerio Angelorum diuinæ prouidentiæ executorum, vt suo in loco videbimus. Et quia innumeri sunt gradus participabilitatis, innumeræ sunt ideæ in ente primo, vtpotè infinito. Ideoque ens quodlibet propriam habet naturam, simplex simplicem, compositum compositam, subsistens subsistentem, inexistens inexistentem: & secundum eam potest, scit, & amat esse, ideoque seruatur in Esse, in quo est Deo similis aliquo pacto, tanto tempore & modo, quanto & quomodo potest, scit, & amat: ex qua Potentia, Scientia, & Amore fluunt facultates, respectus, actiones. vt in 2. p. palàm fiet: Non habent ergo propriam naturam, quæ ex primalitatibus non essentiantur: ergo nec artem intrinsecus operantem sed operatam.

Inertia est opposita arti, cum casu quodam temerario absque numero & mensura ad certum finem res fit: sed incerto operatur modo. Et tam in obiectis potestatiui quam cognoscitiui, quam volitiui, hoc accidit. Cum ergo de quacunque re scrutari oportet, naturam inspicere primo conuenit, an sit eius natura æterna, vel facta, & an per productionem, aut creationem, aut natiuitatem, aut emanationem, aut factionem: & in hoc deinde cōsiderare opus est tempus, & loum originis: pertinent enim ad existentiam. Deinde elementa, deinde causas, deinde principia essentiæ & existentiæ.

(·.·) (·.·)

DE PRIMALITATIBUS ET PRINCIPIIS & causis, & seminibus, & occasionibus: & quomodo hæc seriatim ex inuicem sint & in inuicem. Item quomodo oriuntur occasiones, & de conditione causandi. Et quæ genera rerum ex causis singillatim oriuntur tam ad essentiæ complemētum, quam ad existentiæ rationem generatim.

CAP. II. ART. I.

PRimalitas est vnde ens primitus essentiatur. Principium est vnde aliquid primitus est. Causa est vnde aliquid fit. Elementum est, ex quo aliquid primitus componitur. Semen est compendium causarum & principiorum & elementorum, & primalitatum, in effectus substantiam veniens. Occasio est Motiuum causæ ad causandum: & vnde causæ, vt causent sic & non aliter, sortiuntur. Conditio est accommodatio causę ad causandum, vt combustionis stuppæ est ignis ad stuppam approximatio. Propterea omnis causa operatur, & causat ex occasione aliqua, quoniam non est prima: & ex conditione nisi enim applicetur non causat. Prima autem causa non eget occasione aliqua, quoniam dat, nec applicatione, quoniam est vbique & præuia & intima cunctis, vt suo in loco probabitur, & à se. Effectus autem dicitur, quasi extra causas factum aliquid, in quantum aliquid, id est, aliud quid à causis. Causæ enim licet sint in effectu participatiuè, non tamen vt causę, sed vt causatum. multiplicantur enim aut partiuntur in aliud numero ens constituendum.

Primalitates, essentiantes essentiam, omnia præcedunt. ex primalitatibus extantibus, seu extra respicientibus, oriuntur principia, vocata facultates à

Philoſophis, egreſſiones & viæ in ſacris literis. Quæ extenſæ ad obiecta exteriora, pariunt paſſiones, notiones, & affectiones: extenſiones autem iſtæ, quæ in nobis ſunt reales, in Deo vero reſpectus tantum, producunt principiationem, & rerum vniuerſitatem. Ex principiationibus, cauſę: ex cauſis vero vnitis, ſemina: & ex concurſu rerum occaſiones, quæ per Neceſſitatem, Fatum, ſupra explicatum, & Harmoniam, reguntur, à primalitatibus influxum Habentes: ſicut Conditio cauſam ad cauſandum accommodat; ſi enim agens patienti non approximetur, vel hoc ad illud nō ordinetur, actio non fit: ſicuti ſi non veneris (conditio eſt) non dabo tibi librum. Sic occaſio ſpecificat cauſationem: poteſt enim cauſare cauſa, ſed non cauſat ſic, niſi occaſio ferat, vt raptus Helenæ occaſio eſt Troiani belli. Eſt etiam aliqua occaſio data, vt qui ponit offendiculum viatori: alia accepta, vt qui ex offendiculo didicit. Poteſt aliquid fieri abſque occaſione, ſed non abſque cauſa, & conditione cauſandi, & hoc cum cauſa, ſe ipſam ex ſe determinat, vt Deus & Libertas.

Dicimus eſſe eminenter aliquid in aliquo, quia vnitius, vniuerſalius & plenius. participatiuè vero, diſperſius, particularius, & diminutius, vt calor ſolis in plantis, & lapidibus, &c.

Sicut in ſemine ſunt omnes cauſę, in ſubſtantiam cauſati ſimul deductæ: nihil enim eſt cauſatum, niſi cauſarum participatio, vel in ens aliud numero contractio; ſic in cauſa eſt omne principium, ſiue principiorum participatio: in principiis vero ſunt primalitates; ita quod in primalitatibus ineſt principium, & cauſa, & ſemen eminenter. In principiis, cauſa & ſemen eminenter. ſic in cauſis ſemen. Item omne ſemen eſt cauſa, ſed non è contra: & omnis cauſa principium, & non è contra: omne principium primalitas, & non è contra. ita quod inferiora in ſuperiorib. eminenter, ſuperiora in inferioribus participatiuè reperiuntur. Quapropter quoniam tres ſunt primalitates: tria etiam ſunt principia, extantia erga principiata: videlicet Poteſtatiuum, Cognoſcitiuum, & Volitiuum. hoc dico in genere: nam çum extra reſpiciant, multiplicantur: vnde in vnico viſcere animalis datur potentia attractiua, retentiua, digeſtiua, immutatiua, expulſiua, calefactiua. Et ſimiliter in cæteris rebus. Cognoſcitiuum quoque ſecatur in ſenſitiuum, intellectiuum, imaginatiuum, memoratiuum, diſcurſiuum, declaratiuum, &c. Deinde etiam ſubdiuiditur, vt patet in ſenſoriis, ad obiecta varia variis.

Ex his deducitur, tria eſſe quoque cauſarum genera. Agens enim & Materia ſunt poteſtatiui: quoniam potentia actiua, & receptiua eius ſunt. illa intus à primalitate: hæc extra ad primalitatem. Idea & forma ſunt cognoſcitiui: illa intus ex Sapiētia primalitate: hæc extra ad eius exemplar.

Ergo & Amoris duplex eſto cauſa, finalis, licet nomina duo nondum habeat. Alia eſt finis interior primalitati, *Propter quem*, vocatus. omne enim agens propter ſe operatur vltima finalitate. Alia eſt finalis *Quo* vt finis nauis eſt nauigatio, quo eſt perfecta forma nauis, vt ſit apta ad Propter quem. Propter quem .n. lucrū eſt, & conſeruatio eius, qui principaliter facit nauim; vt ſuis in locis aperiemus. Igitur prætерea cum ſit ſextuplex nominata cauſa, actiua, idealis, formalis, materialis, finalis, & perfectionalis: erit quidē ſemen cauſa: non autem omnis cauſa ſemen, (niſi proxima; non autem propinqua neque remota, neque remotiſſima:) ſed compendium omnium cauſarum, deciſum ad cōſtituendum aliud numero ens. Ariſt. negat cauſam idealem, quoniam putat ſufficere agens ſine idea ad cauſandum. & quoniam idea eſt in agente, & idem cum eo: Perficientem verò nec agnouit. At ſic etiam finis non eſſet cauſa, nec forma. ſunt enim effectus agentis & materiæ. Propterea Seneca contendit duas modo eſſe cauſas agentem & materiam: quoniam verè cauſant, & præcedunt cauſatum: cæteræ concauſant, aut ſuccedunt. Quas ſi conferas (ait) confer & motum, quoniam neceſſariò concauſat. ſimiliter & diſponens. Reſp. niſi determinetur agens à fine, non agit: & cum fuerit determinatum, niſi dirigatur ab notitia & idea mediorum non agit, neque poteſt cauſare. Non enim idea carens ſcriberdi, ſcribet, ſed maculabit chartam: neque ignorans A. facit magis A, quam B. aut aliud fortuitò. Finis quoque eſt cauſa in intentione, ad ipſum enim dirigitur actio, & propter ipſum. ſed ipſe finis ad agentem, qui ſui cauſa vult finem, & poteſt ſe determinare: alioquin erit alterius non ſui gratia. ab idea verò vt ab ipſo. Forma eſt cauſa in facto eſſe, vt ideæ vicaria, & materiam determinās ad certum eſſe, & perficiens ad finem dat ornamentum & commoditatem, vt finem conſequamur externum, & *quo* propter internum & *gratia cuius*. Motus non eſt cauſa, ſed cauſationis actus. diſpoſitio eſt principium effectus. Primalitates edicunt cauſas ſex. Quod ſi ſola poteſtas dignificetur, quoniam emanationes ſapientiæ, & amoris ſunt ab ipſa, erunt tantum duo genera cauſarum, vt Seneca ſcribit, agens ſcilicet & materia. ſed æqualitas primalitatum etiam in Deo, non admittit Senecæ poſitionem, niſi ſtrictiſſimè contendatur.

DE CAVSARVM CAVSATIONE & vſu.

CAP. II. ART. II.

CAVSAM diximus, vnde aliquid fit, & qua poſita ponitur effectus, & qua dempta non ponitur in actu igitur: cauſa efficiens eſt, à qua aliquid fit, dico, fit, non, eſt; quia quatenus eſt, à principio eſt. ſed quatenus eſſentiatur, à primalitatibus eſt; quatenus fit, à cauſa fit. Idealis, inſtar cuius fit. Formalis, quo fit. Materialis, de quo fit. Finalis, propter quod fit. Perfectionalis, ſecundum quod per fit, ſeu perficitur.

Ly Vnde eſſentiatur, cōtinet eminenter, & vnite ly vnde eſt; ſicut ly ens, ly aliquid. Et ly vnde eſt,

ly vnde fit, & in causis. Ly *vnde* distribuitur in A quo, De quo: Instar cuius: Quo, Propter quod: & Secundū quod. sicuti ly essentiatur in principiis trahitur ad ly est & existit, & extat, &c. & in causatis ad fit, & efficitur, & propterea ly essentiatur continet eminenter ly est, & fit: sicuti primalitas principia, & causas.

Omnis autem causa est in quadruplici gradu ad affectus postremos, vt plantæ, alia causa remotissima vt Deus; alia remota, vt sol; alia propinqua, vt calor in terra receptus, & in planta genitrice; alia proxima, vt calor seminalis, qui in Plantæ substantiā labit. similiter materia remotissima, est corpus informe: remota est elementum ex corpore, & virtute actiua compositum: propinqua, vt terra lenta blando calore præparata: proxima, vt illa terræ particula & caloris seminalis, de qua hæc planta oritur.

Idealis remotissima est in primi opificis mente exemplar plantæ huius: remota est in cæli vultibus, & in Angelorum ideantium intellectu: propinqua est in arbore generante: proxima est in semine, vel in eo, quod semini proportionatur.

Forma proxima est in planta genita hac, propinqua in generante: remota in Elementis: remotissima in mundo archetypo.

Finis vltimus, propter quem omnia, est Deus: remotus est hominum vsus: propinquus est genita planta: proximus, est eius existentia.

Semen ergo est omnes istæ causæ in vnum redactæ, seu causarum omnium simul participatio non remotissimè, nec remotè, nec propinquè, sed proximè, cum quo tamen stat, quod proxima est participatio propinquæ: propinqua remotæ, & remota remotissimę: quæ in omnibus plus est ipsa, quam ipsæ. Vnius effectus numero est causa totalis & principalis numero: neque enim duo scriptores scripturam hanc simul possunt facere simul: sed possunt seorsum, non tamen hanc ipsam numero, duæ tamen pennæ possunt: siue enim hac siue alia possum ego scribere: sed causę partiales possunt esse plures, duo enim trahunt vna tractione nauim, vt in hoc, non vt ab hoc. item consilians, adiuuans, & occasionans possunt esse plures, quoniam vnam faciunt omnes istam simul. Causa vniuersalis prius & posterius agit effectum, quam particularis; & simul coagit immediatè secundum esse: mediatè verò secundum hoc & sic esse: in quo particularis est immediator. & ideò effectus est similior particulari. sol & homo generant hominem, qui tamen soli similior in communibus: homini in particularibus. idem dicendum in omni genere causarum: vna enim forma totalis, vnus finis, &c.

Ex ideali quæ manant Cathegorię.

EX causa ideali oritur similitudo inter ideata, & oppositio. Similitudo est participatio idealis vnitatis: oppositio est idealis pluralitatis: pluralitas est Entis, & Non entis simul passio. Est enim vnus Petrus sibi, at cum Francisco fiunt plures, propterea quod Petrus non est Franciscus: ergo non ens facit, vt Petrus non sit Franciscus: ergo vt sint plures: ens autem, vt sint. Prima ergo similitudo seu vnitatis influxus, est inter ens, & ens, & iterum inter non ens, & nonens: & vocetur coordinatio. Coordinantur enim inter se entia, non autem cum nonentibus: sic & nonentia cum nonentibus, non cum entibus. Ordo enim dispositio multorum sub primo, id est, vno seriatim esse. sic & prædicamentaliter & causaliter entia sub Ente, & nonentia sub Nonente disponuntur. Oppositio autem inter ens, & nonens vocatur Contradictio: omnibus enim modis atque seipsis opponuntur, nullamque inter se habent communitatem: sic & ipsorum primalitates & obiecta.

Secunda similitudo est inter ea, quæ insunt in aliquo ad inuicem, & quæ non insunt, cum debeant inesse, vocetur Cohabitudo, penuria vocabulorum, quia est inter habitus communitas, vt inter visum & auditum. Oppositio verò Priuatiua dicitur, quæ inter visum & cæcitatem inter auditum & surditatem. quæ nō est simpliciter nonens, sed nonens talis subiecti. Priuatiuorum societas dicatur compriuatio.

Tertia vnitas est inter modos essendi, & vocatur Cōgenereitas, quia sicut homo est, ita & asinus, sub animali & subsubstantia: eius oppositio vocatur Diuersitas, quæ inter genera causarum & causatorum distinguit: alium enim essendi modum habet materia, alium forma, alium finis, alium agens, aliū idea: nec in inuicem transmutantur. similiter & quantitas, qualitas, actio, figura, & cætera, quæ ex eis oriuntur.

Quarta vnitas, quæ inter species, non sibi contrariantes, fit, vt inter calorem & tenuitatem. Contrarietas verò est oppositio inter duas species maximè distantes sub eodem genere, ab eodem subiecto sese expellentes, vt calor & frigus, lux & tenebrę.

Quinta vnitas inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, vt inter Petrum & Paulum. Oppositio verò inter species non contrarias dicitur Differentia, vt inter asinum & canem.

Postrema vnitas est inter ea, quæ sunt numero vnum, vt inter Petrū, & principem Apostolorū, quia in eodem subiecto sunt personali. Oppositio verò inter Petrum & Paulum dicitur numeralis, quia seorsum ponunt in numero singularitates & hæccheitates.

Septima communitas est Analogica, & proportionalis, vt quæ inter Remum & Alam: sicut enim Remus ad remigandum, ita Ala ad volandum, & sua oppositio vocatur Disparitas, sicut homo ad humanitatem, ita caballus ad mare, quæ omninò disparata sunt, quoniam non habent ordinem ad vnum.

Octaua communitas est inter absolutum & absolutum, vt inter terram & arborem. Oppositio eius vocatur Relatiua inter correlatiua vt inter causam & effectum, scientem & scibile, &c. & hæc pertinent ad coexistentiam sicut & accidentia, & locus, & tempus.

Nona communitas est inter idem & idem. oppositio verò est Variatio eiusdē seu Alteritas, qualis est inter eundem Petrum adolescentem, & eundem Petrum virum, & inter teporem & feruorem.

In eadem re numero sunt omnes oppositiones prædictæ, excepto Deo, in quo sola oppositio realis relatiua. Etenim in Petro est cōtradictio Petrus, & non Petrus: non enim albedo sua est Petrus: Itē priuatio Grammaticæ. Item diuersitas inter animam, & corpus & iram Petri. Item contrarietas inter calorem, & frigus in eodem. Item differentia inter ossum & carnem Petri. Item numeralis oppositio: non enim idem numero oculus dexter cum

sinistro, licet sint in eodem numero. est etiam disparatio: non enim pilus ad caput, sicut cor ad pulmonem. Item relatio iecoris ad sanguinem, & capitis ad capitatum, & tandem variatio inter iuuenem, & senem Petrum, & tandem omnia prædicamenta, & principia, & causas, & primalitates in eodem Petro reperies. in Deo autem minimè.

Quæ conueniunt in substantia, vocantur coessentialia in eodem Petro, vt caro & cor: in quantitate, æqualia vt duo pedes: in figura, conformia vt duo oculi: in actu verò cooperantia, vt duæ audientes aures. in colore concoloria; in passione compatientia: in actione coagere: in accidentalitate, coaccidere. opposita verò in substantia carent nomine, sed dicuntur opponi substantialiter, & esse aliud.

Sed in quantitate, inæqualitas: in forma, difformitas: in operatione, dissensio: in actione, contentio: in passione dissidium: in accidente disiunctio. Similiter in prædicamentis existentiæ vocatur in loco, simultas loci, & collocatio. Oppositio autem intercapedo, discrepantiaque: in mediocriter, vicinitas & distantia. In tempore consimiles dicuntur contemporanei, & coætanei. Oppositio temporis, interstitium: non tamen oportet in his superstitiosum esse.

Ex actiua causa, quę suboriuntur cathegorię.

EX causa actiua per extensionem sui extra se egreditur actio, quæ est diffusio similitudinis agẽtis in patiens. & duplex, alia artificialis, alia naturalis. Artificialis effundit similitudinẽ idealẽ, vt homo scribens facit scripturã, nõ homini similẽ, vt cum homo generat hominem, calor calorem. Præterea quoniam omne agens agit propter finem, excogitatum in se, vel in alio: excogitatio autem est idea, sortitur alias causas, alias nempè morales, quę cõsulunt de actione & fine, alias operosas, quæ disponunt, adiuuantque Potestatiuum, sicut moralis cognoscitiuum, & obiecta appetitiuum.

Iterum alia actio est remotissima, alia remota, alia propinqua, alia proxima, sicut causa agens. Præterea alia est formalis quando propriam imprimit similitudinem per effusionem sui extra se; alia materialis, cum, non effusione, sed sui mistione, agit, vt graue aggrauat; alia est vehemens & quę ex Primalitatibus vim mirificam habet, & declaratur per sympathiam, & antipathiam, quę causis elementaribus tribui non possunt. alia ordinaria excogita natura proficiscens. Præterea alia est per se, vt calor calefacit; alia propter se, vt calor mouet, & attenuat. Alia per accidens, quæ opponitur eique est per se, vt calor frigefacit: alia per accidens opposita ei quæ est propter se, & potius debet dici præter intentionem: vt cum elementa non faciunt elementum, sed plantam, animal, metallum, &c. sic & calor per accidens indurat; & facit per accidens, nos in naturæ ignis cognitionem deuenire, & generat plantam. Præterea alia causa est principalis, vt Ferrarius; alia instrumentalis, vt malleus; alia media, vt discipulus malleator. Similiter actio cõsideratur vt à principali, cui est similis, & vt ab instrumento, cui non assimilatur nisi extrinsecè, & vt à media, cui ex parte correspondet. Instrumentalem facultatem ad effectum debet habere, quod assumitur à principali: non enim cithara potest esse instrumentum ad fodiendum, sed ligo. nec Deus potest assumere rem aliquam vt instrumentum ad creandum ex parte termini à quo, sed solum ad quem. Sicut per sacramentum creat gratiam in homine.

Præterea omne agens agit in ignobilius & posterius. Ergo in primalitates, qua primalitates, vim non habet vllum causalem, sed occasionalem. obiecta ergo non dant id, quod est primalitatũ, sed specificant & occasionem præbent ita exercendi se. Intelligibile ergo non mouet intellectum ad intellectionem, neque dat illi vt intelligat, sed vt hoc intelligat occasionem offert. Neque appetibile dat appetitui appetere, sed ad sui appetitionem inuitat. neque possibile dat potestatiuo potentiam, sed vt exerceat potentiam in se, prębet occasionem: neque per se, sed per accidens. Huiusmodi ergo causa occasionalis, alia offert se potestatiuo, vt põdus & leuitas, magnum & paruum, nociuum & hostile, tractabile, possedibile, frangibile, secabile, trahibile, contentibile. Alia verò cognoscitiuo, vt visibile, sonus, sapor, odor, tacti'is qualitas, memorabile, imaginabile, intelligibile. Alia appetitiuo, vt alimentum, & venus, & ludus: & omne bonum iocundum, aut autile, aut honorarium. Horum actiones infra declarabuntur.

Ex formali cathegorię.

EX causa formali oritur Qualitas, quæ est modus, terminans quantitatem siue materialem, vbi vocatur figura, siue essentialem, vbi est limes essentiæ & existentiæ, & primalitatum: siue simpliciter, siue secundum nos. In coexistentia rerum sequitur Configuratio, & Constituatio: quatũ alia simplex, vt circulus; alia composita, vt pyramis cilindroides; alia decomposita, vt figura hominis ex manus & capitis, & crurum & aliarum partium resultans figuris multis. Configuratio etiam est inter figuras coeuntes in vnam, qualis inter figuram nasi, & oculi, & temporum, & aliarum partium faciei: alia est inter eas, quæ non coeunt, sed aspectum habent mutuum, vt inter Planetas & fixas stellas, & cælestia & inferiora.

Ex materiali cathegôrię.

EX causa materiali, cum diuiditur, oritur numerus corporeus; cum vnitur, magnitudo in longitudinem, latitudinem, & profunditatem. & cum terminatur, oritur mensura. Ex his, tanquam ex quibus imposita sunt, hæc nomina ad cognoscendum numerum, & magnitudines incorporeorum, & totius entis ascendimus; cuius diuisio facit numerum: vnitio, magnitudinem; terminus, mensuram vtriusque.

Ex vnione materiali oritur continuitas, & contiguitas, & consequentia, prout maior vel minor vnio. Præterea ex vnione continui, est densitas: ex diuisione raritas. illa vnitatis, hæc numeri est influxus. Inter vtrumque autem est iter; ex denso enim fit lentor, deinde mollities, ac seriatim viscositas, fluor, liquor, vapor, & tandem tenuitas inuisibilis, quæ ad numerum per diuisionem est supremus ingressus. & consimile quid cogitamus in abstractis & concretis rerum virtutibus.

Ex finali quæ oriuntur cathegoriæ.

EX causa finali oritur Actus, qui est finis rei omnis: vnumquodque enim est propter suum actum, vt aratrum propter arare. mensura propter mensurare: similiter & quæ non videntur ad aliud, sed propter se actu suo sunt, & seruantur, vt tellus quiete, sol motu; intellectus intellectione: & facit propositionem Secundum quod ipsum, vt homo homat, calor calet: Actio verò solum Per se, vt homo homificat, calor calefacit. Differt actus ab actione, quia ille conseruat rem in se, & propter essentiam, vt calere seruat calorem in se: ista in aliud effundit, & propter existentiam vt calefacere in ligno, in manu, &c. Oritur ex finali causa etiam Perfectio: cum enim est in suo fine quod libet, dicitur perfectum ad existentiam, & ad vsum. Quanquam triplex est finis, perfectionis, vt forma & actus; terminationis, vt punctum lineæ, & destructionis, cum esse ad non esse suum terminatur per mortem. Ad alienum enim est terminationis.

Ex perfectionali.

EX perfectionali sequitur Vsus, & Ornatus, ad vsum conferens. vsus autem propter vtile: vtile propter agens propter se.

Hæc sunt quæ considerare oportet tanquam principia cognoscendi, & constituendi rerum omnium. & quidem si spectes res, & non res omnes analogica, non vniuoca, quemadmodum in Physicis & Medicinalibus, & Matemathicis, & in omni scientia considerantur: siquidem aliud genus est materia Angelorum, aliud corporum, aliud caloris & frigoris, aliud spatij. Similiter & de forma, & de actione, & fine, & idea distinguendum in cunctis: ex quibus oriuntur per analogiam distributam iam dicta prædicamenta.

Præter dicta prædicamenta, ex causis essendi manantia, dantur prædicamenta ad existentias spectantia, quæ sunt in Physicis, Locus, Tempusque Physica; in Angelis, Æuum & aliquid innominatū receptiuum: in Deo æternitas & in se: corpora autem in spatio & transmutatione tanquam & loco & tempore suo. Formæ corporatę habent corpus pro loco, successionem pro tempore. Hæc omnia pertinent ad existentiam. Adde etiam respectus extrinsecos, & accidentia exteriora. ita vt sint quatuor ad existentiam proprincipia, & circumstantia septem.

Principium essendi est vnde aliquid est, & de quo, & à quo, & propter quem, vt dictum est.

Existendi verò, in quo aliquid est. Charta ergo hæc est literis his materia existentiæ, non essentiæ, quia in charta, & non de charta, quæ omnia postmodum probabuntur.

DE PRINCIPIATIONE ET PRINCIPIO, *& acceptionibus eius multis & distinctionibus & egreßionibus, generatim.*

CAP. II. ART. III.

SIcut ordine naturæ ex Primalitatibus ad principia, ex principiis ad causas, ex causis ad semina, & occasiones, procedebamus: mox ordine doctrinæ de seminibus & causis diximus, ita nunc eundem ordinem doctrinæ seruantes ad principia, & primalitates regredimur omnium essentialitates, tanquam à posteriori primum enucleando. Porrò seminatio est emissio compendij causarum ad nouum numero Ens, per propriam existentiam producibile. Causatio verò est effectio, id est, extra factio, hoc est suę participationis ad existentiam per mutationem deductio. Non enim sufficit causatio, vt sit ab alio, nisi etiam fiat. Linea enim est à puncto, nō tamen causatur à puncto: principiatur tamen. Igitur principatio est principiantis prima emissio, quę in principiato est pars prima, ideoque vocatur principiū ordinis, sicuti in principiante est principium originis. Non ergo in principatione requiritur materia transmutabilis, quemadmodum in causatione, vnde creatio ex nihilo propriè est principiatio: & cum animus ex non præcedentibus aliquid noui imaginatur & excogitat. Principium ergo, quo est causa, transmutat, & in causatum & partem substantiæ effundet. Quo verò principium principiat, vel principiatur, nihil effundens substantiale per efficaciam primalitatum.

At quidem triplex videtur esse principium, videlicet quod est primū ad principiandum aliquid ex se, & per se; & hæc sunt volūtas, intellectus & potestas, quę ex primalitatib. relatis ad obiecta aut quomodolibet ad extra, emergunt: & hæc sunt principia actionum & operationum, & causarum & causatorum: quidquid enim aliquid agit, aut operatur, idcirco agit aut operatur, quia potest, aut scit, aut vult, prout aliæ operationes pertinent ad potestatiuum, alię ad cognoscitiuum, aliæ ad volitiuum: nam omnis effectus est ab omnib. primalitatib. realiter: at formaliter ab vna, cui similior.

2. Vocatur principium omne id, quod præbet occasionem prædictis principiis ad principiandū hoc & non illud, sicut dicitur raptus Helenæ principiū belli huius Troiani: & obiecta sensuum dicuntur principia sentiendi, non quia dant sensibus sentire, sicut dat principium primo modo dictum, sed occasionem sentiendi hoc. Et principium expulsionis Regum Romanorum dicitur Lucretię stuprum. Quod quidem stuprum non agit in expulsione, sed dat occasionem irascendi, ex qua ira bellum & expulsio. Hæc tamen non operantur principia, nisi apprehendantur à principiis primo modo dictis.

3. Modo principium dicitur, quod primo in re principiata fit, vt fundamentum in domo, & caput in animali secundum naturam: secundum nos verò principium est vnde facilius ac melius incipimus, vt in poëmate, & in scientiis, vnde melius addisci-

mus: licet in Theologia ſit principium magis ſecundum naturam.

Præterea quælibet pars, vnde nos primo incipimus in illa negociari, vt principium exercitus eſt ille miles, vnde prius numeramus, quamuis ille nō ſit antiquior tempore, neque dignitate maior. ſic autem principium ſemper eſt pars principiati, ſicut principium primo & ſecundo modo dictum influit in principiatum. Quapropter Ariſtotelici errant priuationem facientes principium, cum nec influat in principiatum, nec ſit pars prima principiati, ſicut primus dies Ianuarij eſt principium Ianuarij, non autem vltimus Decembris.

Principium in omni ordine eſt primum: primum autem eſt vnum, vt lingua Hebraïca meliùs inſinuat, ita vt idem ſit principium quod vnicipium, quod & ratio ſuadet, quoniam ſi plura, alterum altero erit prius, & illud prius erit vnum & primum. Si autem æqualia, tunc aut contraria, aut concordia. Si contraria, nihil producent, altero alterius principiationem impediente æquis viribus. Si concordia, ergo vnum. vnitas enim præcedens facit concordantiam.

In primis vnitas maxima conuenit, in ſecundis multiplicitas: ergo illa plura erunt vnum; nam neque contraria non erunt ab vno ente primo, cum & ipſa conueniant in eſſe. Ergo ſapientia, poteſtas, amor, principia rerum etiam ad extra vnum ſunt; ac rectè Theologi, Trinitatem in maxima vnitate ponunt principium rerum primum vnum ſimpliciter tam in eſſendo, quam in operando. Rurſus principiata, quæ principiandi iterum vim ſortiuntur; ad vnitatem referuntur: ſiquidem vnus eſt locus baſis exiſtentiæ rerum, vnaque prima materia principium compoſitionis, & vna prima contrarietas principium actionis, ac conſtitutionis elementorum.

Diſtinguuntur tamen principia, quæ ſunt vnum realiter, ab obiectis, & inſtrumentis, & actibus. ſed radicaliter à primalitatibus habent diſtinctionem in tria, ſcilicet poteſtatiuum, cognoſcitiuum, & volitiuum. cætera enim omnia ad hæc tria reducuntur, quæ habent diſtinctionem ab intrinſeco. ſed quæ ab his ſunt, habent ab extrinſeco, qui ſunt actus, obiecta & inſtrumenta, addentia diſtinctioné habentibus, & dantia non habentibus. ſiquidem quemadmodum artes, quæ ſunt principia factibilium, ſunt in eodem intellectu eiuſdem exiſtentiæ, atque eſſentiæ radicaliter, diſtinguntur vero cum ad obiecta referuntur realiter, quæ aliis actibus, aliiſque inſtrumentis tractantur. Foſſor enim ligone tractat terram: Cythаredus Cythara melodiam: lignarius dolabra lignum dolat: ſic & in Primalitaibus, immò & in cuiuſque Primalitatis gradibus. Cùm enim vna ſit Anima ſentiens, videtur tamen alius eſſe ſenſus videndi lucem per oculum, alius capiendi ſonum per aures, alius iudicandi ſapores per guſtum, & ſic de ſingulis. Quapropter conſtituemus multiplicia Principia ex vno realiter, diſtincta formaliter, quæ diſtinctio ſi reperitur in eiuſdem Primalitatis egreſſionibus atque viis ad extra, multo magis in tribus. ſunt etiā nedum Artes, ſed & virtutes, & vitia, Principia operationum, non omninò, ſed talium: ſunt enim regulæ, vel enormitates Paſſionum, Notionum, & Affectionum; quæ ex Principiis, ad extra relatis extenſiſque ſuboriuntur. ex quibus actiones quidem fierent, non tamen tales, quales à virtute & vitio: quæ propterea principia modificationum potius vocabuntur. Præterea quot poſuimus organa & actus ad certa obiecta in Animali per egreſſionem Poteſtatiui & Cognoſcitiui, & Volitiui; tot etiam ponimus principiationes & Principia, hoc eſt principium ſubſtentandi pondera, continendi effugientia, colligandi diſſidentia, tranſmutandi repugnantia; reſiſtendi nociuis, oppugnandi hoſtilia. Item Principia iudicandi viſilia, audiendi ſonos, olfaciendi odores, guſtandi ſapores, tangendi corpora, & qualitates actiuas. Item & memorandi, & imaginandi, & ratiocinandi, & intelligendi. Præterea ſunt principia appetendi alimenta, & digerendi, & abſoluendi, & diſtribuēdi, & expellendi excrementa, & generandi ſimile, ſiue ſeminandi: quæ omnia indigent occaſionibus, cum egrediantur ex modificatis Primalitatibus. At cum in Deo ſint abſque modo, occaſionem non habent, ſed dant.

Item in actibus intraneis innatis primalitas creata non indiget occaſione: ſed ſolum in illatis. ibi enim Deo propinquior.

Porrò intra primam eſſentiam principiatio ſecundum modum, qui creaturæ conuenit, non datur, neque cauſatio, quanquam Latini Theologi Principium ex penuria Vocabuli, & Greci Cauſam, ibi nominent; & Durandus materiam, non tamen principiatum, neque cauſatum, neque materiatum agnoſcunt, licet eminenter & tranſcendenter Primalitas habeat virtutem Principij & Cauſæ, vt mox declarabimus, ad extra. Non enim datur tempus, neque reale, neque imaginarium; neque dignitas maior in eſſentiatione primi, ſed ſumma æqualitas in ſumma vnitate. Principiatio prima ad extra vocatur Creatio, quæ ex nulla ſubſtantia per ineffabilem vim creantis producit res ad exiſtentiam, in qua recipiunt vt poſſint eſſe, ſciant eſſe, & ament eſſe, ideoque tranſeunt eſſentiæ ad exiſtentias ſine motu & mutatione creantis, ac ſubitò, cum nulla ſit tranſmutanda res materialis in Creatura repugnās Creanti, nec imbecillitas in creante tardans operationem: ſi enim eſſet tranſmutatio, non eſſet principiatio prima ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & partis ſc. formarum, & non totius, ſc. formarum & materierum. Stoici errant, coæternantes materiam Deo. Ergo & primam principiationem ſic negātes.

Poſtmodum quæ primitus creata ſunt ſimilitudinem Creatoris habent in eſſendo, & in principiando. Ergo principiant quia poſſunt, ſciunt & volunt, vel naturaliter, vel artificialiter, vel moraliter: non tamen totum, nec totaliter, quemadmodum principium primum, alioquin eſſent etiam prima, pluraque prima: ſed partem tranſmutantes ex parte, ita vt in cauſarum tranſeant ordinem, quæ potius exiſtentiam dant, quam eſſentiam.

DE ESSENTIATIONE ET PRIMALITATIBVS

& manationibus, relationibus inter eas, & de multis essentiandi modis: & de entis, & non entis essentialitatibus, & obiectis.

ARTIC. IV.

ESsentiatio tandem est entis constitutio intrinseca, simplicissima, prima, toticipatione non participatione, ergo nec mutatione constituentium essentialitatum, nec constituti essentiati; celeberrima secundum se, nobis verò ineffabilis. Siquidem apud nos alia essentiantur ex pluribus & oppositis, quæ sunt vnita potius quam vnum. vnio autem influxus est vnitatis non vnitas, quemadmodum exercitus ex Duce, Centurionibus, vexillariis, ac Militibus, ordinatis ad vnum finem, qui per ordinem influit suam vnitatem, dicitur vnus essentialiter, exercitus essentiatione, non autem essentiatione hominis. Alia per mistionem, dantem vnitatem, essentiantur, vt Theriaca & Melicratum; alia per compositionem, vt ignis ex calore & tenui corpore, sic & quodlibet ex materia, formaque sua siue artificialiter siue Physicè. Nam neque gladius habet essentiam gladij, nisi ex metallo duro, & forma acuta constituatur, & hæc ex diuersis essentiis, aliunde participatis, multisque ex prædicamentis constant. Aliud tandem ex essentialitatibus, innominatis apud veteres, nobis autem primalitatibus vocatis: propterea quod sunt æquè prima tempore, dignitate, & natura, & vnum omninò propter identitatem realem, & coessentialem coentitatum mutuam in se ipsis: non enim essentiæ sunt, sed essentialitates eiusdem essentiæ, quàm essentiant absque gradu: & hæc identitas est summa vnitas, & omnia essentiantur per Analogiam ad ipsam. etenim nisi sint vnũ, essentiam non habent suam: neque enim multitudo hominum absque ordine & fine, in quem vniuntur, est exercitus: neque theriaca essentiam suam habet, nisi res, ex quibus fit, compenetratione & contemperatione fiant vnum. Neq; anima & corpus est homo, nisi substantialiter vniantur: immò nec Theologi, Christũ, dicunt, esse vnum, nisi quia anima & corpus & diuinitas substantialiter vniuntur in vnam personã. Quapropter ex maxima vnitate est maximi entis, vt entia essentiẽtur dum vniũtur: hoc autem deinde manifestius erit. Essentiatio ergo prima habetur ex eodẽ idem. Idem enim est, quod maximè vnum est. maximè autem vnum nec compositionem, nec mistionem habet, nec distinctionem absolutam, sed minimam relatiuam, quam habere oportuit, vt ex interna verbi productione æterna, temporanea deinde sequeretur externa & rerum multitudo. Sunt ergo Primalitates, nõ quidẽ tres Essentiæ, aut Res, aut Diuinitates, aut Vnitates; sed Essentialitates Realitates primi Entis: primum autem idem est quod vnum, vt patet ex Hebraica phrasi. Essentiatur autem primum ex Potestate essendi, ex sapientia essendi, ex Amore essendi. Non enim est vllum primum, nec quod primum imitetur, nisi possit esse quoquo pacto, sapiat esse, amat esse. Sunt autem istæ Primalitates alia ab alia. Amor enim est à Sapientia & à Potentia. ignoratum enim, & impossibile amatu, non amatur: & est in Sapientia & in Potentia: non enim posset esse Amor è potentia & sapientia, nisi potentia & sapiẽtia haberent amorem. Ex nihilo enim actiuo nihil. & ens nullum dat, quod non habet. Est ergo amor in potentia & sapientia. Ergo à potentia & sapientia non recedit cum procedit. necessario itidem est potentia & sapientia in amore manente: non enim manat, nisi quam simillimum. Ergo quam vnum: ergo procedens toticipat, non participat. sapientia nõ est ab amore, sed à potentia: non enim sapimus, quod non possumus: sapimus tamen, quod non amamus, & tamen procedens non recedit: nõ enim potentia dat quam non habet sapientiam, neque sapientia manat dissimilis. Ergo manat vt vnum. Ergo potentia est in sapientia & in amore, toticipantibus, licet sit ipsarum fons. Ex his ergo tribus primalitatibus essentiantur, essentia nil discreta, & si ipsa sit quod, à quo, in quo, & propter quod, cũ distinctione reali relatiua non absoluta, vt possint esse & in cæteris entibus, quæ ex primo manabunt. Primalitates non sunt totum, neque pars, sed simul cõsideratæ totius, non simul, partis habent similitudinem; & eminenter continent principia, & causas rerum, & essentiãt per se essentialiter, sed quo eminenter etiam causaliter & principialiter.

Porrò Angelus & Mens humana acceperunt propinquius extra primum ens existentiam. Ergo limitatas primalitates & vnitatem. Ergo ad mistam ex essentia & existentia. Quæ autem longius recesserunt dissimilitudine, non loco, corporatas habent has primalitates, nec ęquè participatas. In omnibus tamen repræsentantur, vt in 2. p. liquebit. Est in essentiatione processio: procedens Quod à Quo solam relationem dicens, non autem principatio, neque causatio, nisi secundũ vocem, aut eminenter.

Quod autem finitur, Non ente finitur: ergo participio Nihilitatis: finis enim limitat esse ad non esse suum, vel alienum. Ergo etiam Nihili sunt primalitates, Impotentia, Insipientia, & Disamor: quę secundum intelligentiam appositas habent emanationes & rationes. Et ex his Non entis, atque ex dictis Entis primalitatibus constituitur Ens finitum.

Præterea obiecta primalitatum vtrarumque sunt Existentia, & Non existentia, seu Possibile & Impossibile. secundarũ Veritas & Falsitas: tertiarum, Bonum & Malum. ex his in rerum multitudinem effusæ sunt influentiæ magnę Necessitas, & Contingentia ex potentia & impotentia. Fatum & Fortuna, ex sapientia & insipientia. Harmonia & Disarmonia, ex Amore & Dysamore: quæ omnia in 2. parte patebunt.

TRACTATVS DE RATIONE cathegoriarum.

Quod Similitudo ſcientiarum via cogat nos de Ideali cauſa, vnde omnis ſimilitudo, & diſtinctio habetur, atque de ſuis cathegorijs, ſermonem facere.

CAP. III. ART. I.

QVanquam ordo naturæ poſcit, vt de agente cauſa, & de materia, eorumque ſequentibus prædicamentis, primo dicamus, quoniam Poteſtatiuo correſpondent intus & extra: deinde de his, quę Cognoſcitiuo reſpondent, & tandem de iis, quæ Volitiuo: nihilominus quoniam in hac prima parte volumus ratio ſcientiarum tractatur, de Idea & Forma, earumque aſſeclis, quoniã ſpectat ad cognoſcitiuum intus & extra, cogimur primo loco ſermonẽ facere, ſicut dictum eſt, quod duplex cauſa ſingulæ primalitati ſubeſt. ita dicimus ex parte cognoſcentis: at & ex parte cognitionis ſimiliter doctrinæ ordo expoſcit, vt de Idea, & prædicamentis, quæ ab ipſa fluunt, primo diſſeramus. ſiquidem res cognoſcimus propterea, quòd earum ſimilitudines in nobis imprimuntur, vt Peripatetici autumant, aut quia excitantur, vt Platonici, aut quia ſpecificantur, vt nos ſuperius dicebamus. Similitudines autem ab ideis ſunt; neque .n. ſimile aſſimilat, niſi virtute vnitatis. Præterea prima cognitio confuſa eſt entis & vniuerſalis, in quo conueniunt plurima quatenus ſimilia: ergo quatenus ideata ab eadem idea. Subſequitur cognitio diſtincta, cũ diſſimilitudines diſcernere datur. Diſſimilitudo autem naſcitur ex hoc quod hæc idea nõ eſt illius: ergo de prædicamentis Similitudinis, & Diſſimilitudinis faciendus eſt primus ſermo: ſiquidem & ipſa definitio, quæ finis eſt inuentionis, & principium doctrinæ, ex ſimili, & diſſimili conſtat: Alij dicunt, ex genere & differentia; quæ pariunt cognitionem confuſam & diſtinctam Præterea omnis ſcientia menſura eſſe videtur. Ab illata enim paſſione metitur ſenſus vires agentis obiecti per ſe: per accidens verò naturas etiã miſtarum rerũ cum obiectis. Actio autẽ effuſio eſt ſimilitudinis, & per aſſimilationem ergo fit cognitio, vel acceptam, vt creaturis euenit; vel datã vt Deo: ipſe.n. per ideas & ſimilitudines, quas reb. elargitur, cognoſcit res. nos autem, quia à rebus moti, illis aſſimilamur, per id, quod habemus diuinum ac præſtantiſſimũ principium deitatis, quo imaginari, ideare, & cognoſcere res innumeras, & innumeros mundos etiam quimus. Hinc oritur diſputatio inter Ariſtotelem & Prothagorã, illum aſſerentem, hominem eſſe menſuram rerum quia noſcit metiendo: hunc verò negantem, quia dum res metiuntur hominem, homo noſcit; alias quidquid videretur cuilibet verum eſſet. Quorum vterque bene dicit aliquo pacto. Homo enim menſurat rerum vires, quia prius ab illis menſuratur, hoc eſt afficitur ipſarum ſimilitudine. ſed in principio menſurari dicitur à rebus, quoniam hoc adaptari eſt, & ſimilis illis fieri, & tunc eſt pati in nobis: in Deo verò eſt excogitare facienda: In iudicio verò noſtro conſiſtit mox menſura per eminentiam cognoſcitiui participantis Deum, quo principio poteſt iudicare quæcunque ſunt à Deo, vt oculus per inditam lucem, exteriores luces, quemadmodum anteriores ſermones declarauerunt. Igitur ſimilitudo maximum quid ad cognitionem confert: vnde radix & principium & cognitionum, & ſyllogiſmorũ, primaria eſſe videtur. Hoc autem fit virtute ideæ diuinæ, quæ ſimilitudines rerum parit: & humanę, per quam homo de ſimilibus iudicat. Præcedat ergo ſermo de idea, at de his, quę ab ea emanãt prędicamẽtis ſubſequatur.

De quidditate ideę, & neceßitate ad ſcientias & operationes, & de idea diuina & naturali & animali, & rationali: de controuerſiis inter Theologos non ſecus atque inter Philoſophos de ideis diſſerentes. Item eſſe ideas generum, ſpecierum, & indiuiduorum, & tranſcendentium, & non entium, aliis tamen rationibus.

ARTIC. II.

IDealis cauſa eſt, per quam agens & cognoſcit effectum poſſibilem, & facit ad ipſus ſimilitudinem: ideoq; non poteſt agens niſi caſu & temere abſq; idea operari: & ſic nec magis faciet A. quam B. ſi non habet ideam ipſarũ: ſicut Moyſes per exẽplar, quod monſtratum eſt illi in monte cognouit tabernaculũ faciendum, ac ad illius certam ſimilitudinẽ fecit. Et quilibet artifex primo cõcipit intellectu rẽ faciendam; deinde facit, alioquin aut nihil, aut quod non vult, facit. Idea igitur eſt in intellectu agẽtis nõ formaliter, ſed obiectiuè: non.n. quatenus intellectum informat, eſt cauſa, ſed quatenus in ipsã inſpicit intellectus artifex, ac faciendi modũ ediſcit. Poteſt ergo exẽplar intrinſecũ eſſe atq; intrinſecũ. Pictor .n. vultum Papę viuum inſpiciendo, noſcit Papã, & iuxta illã notitiã depingit: & has ideas extrinſecas negat Amb. in opifice Deo. At cũ aliquid excogitat pingendũ, quod non habet exemplar in rerum natura, tunc pictor intrinſecũ habet exemplar à ſeipſo productum, in quo inſpicit mox pingendo. *Exam. l. 1. cap. 2.*

Et has ideas Auguſtinus, Iuſtinus, aliiq; Theologi ponunt in Deo. Verũ quidquid excogitant artifices humani, & quælibet cauſa ſecũda, nõ à ſe excogitãt: ſed exẽplaria naturæ componunt, vel diuidũt, vel ſimul cõponunt, diuidũtq; in mente ſua: & ad illorum *Lib. 83. 9.*

exemplaria tanquã noua, deinde extra operãtur:at noua non sunt:aliquo.n.pacto præcesserũt. Sic Poëtæ Chimeras, & Centauros, & Monoculos describunt ex naturis rerum compositis diuisisque, veluti & Zeuxis ex mulieribus Crotoniatis quidquid pulchrum erat composuit, & quidquid deforme resecauit, ad Veneris imaginem exprimendam. Ad imaginantem ergo animam pertinent exemplaria. Nam & Mens etiam sentit, & imaginatur.

At, primus rerum opifex exemplaria ex se produxit: alias non esset primus. Scotus arbitratur, ab æterno Deum produxisse singula entia in esse cognito in mente sua, & hæc esse exemplaria & ideas rerum faciendarum.

Lapis ergo productus in esse cognito est causa lapidis producendi in rerum natura. Hæc opinio valdè conuenit Platoni, qui ideas non in cælo, aut aëre, aut terra ponit, vt Aristotelici falso illi imponunt, sed apud Regem opificem omnium, vt patet in Timeo, in Parmenide, & in Epistolis. Diuus Thomas necessariò ponit ideas in mente Dei, & vitando multiplicitatem, dicit, esse ipsam diuinam essentiam non naturaliter, sed obiectiuè, nam quatenus Deus cognoscit illam pluribus modis participabilem, & imitabilem à pluribus rebus, possibilibus vt sint: eatenus essentia illa sua est idea, & tot ideæ, quot modis potest participari: quæ rationes sunt cognoscendi dumtaxat earum rerum, quæ nunquam fuerunt, aut sunt, aut erunt: & pertinent ad speculatiuam scientiam Dei: rerum faciendarum vero sunt etiam exemplaria. Est ergo idea essentia Dei, & relatio simul ad creaturas: non vt duæ res, sed vna res determinabilis, ac determinatio eius. Nec prius intelligitur essentia, vt imitabilis & determinabilis, & mox sequitur respectus idealis: sed ipsa intellectio essentiæ Dei, vt imitabilis, est constitutio respectus idealis. Nec enim Deus intelligit res extra se distinctè, quia ideas intuetur, vt artifices humani, & causæ secundæ: sed quia perfectè seipsum intelligit, intelligit etiam se omnibus modis imitabilem, & ita intelligendo, constituit omnes ideas sola intellectione necessariò ante actum volũtatis liberum: ac cur à voluntate determinantur exinde ad opus: vnde plures videntur ideæ speculationis, quam operationis: plura enim Deus potest facere quàm fecit. Et hoc esse rerum obiectiuum, vt in Deo, est ens reale, & idem cum essentia diuina, vt imitabilis: potest tamen dici entitas realis, Deus ad intra: at verò, ad extra rationis, id est, artis. At ista identitas in causis secundis inueniri nequit: eorum enim verbum & excogitatio erga obiecta, accidens est, & quod facit rationis est vocatum ens, imaginatiuumque. Et quoniam Deus intelligendo totam essentiam suam, & modos imitationis eius, & non imitationis insuper, exprimit in se ipso propriam imaginem, quam Stoici etiam, ne dum Theologi Christiani vocant Verbum Dei, per quod omnia facta sunt. ideo Thomistæ Verbum procedere ex notitia essentiæ, & creaturarum, entium, & nonentium, vt cognitorum, & vnicum esse: quoniam importat relationem ad cognoscentem, & dicentem, & exprimentem primò & per se: & ex consequenti ad creaturas expressas. Plures autem esse ideas in Verbo, quoniam idea respectum ad creaturam primò importat. Et quia hic respectus sequitur ad cognitionem, & non actionem, ideo æterni sunt, & non ex tempore. Et quidem post Verbi productionem, ideas produci consequenter, vt putat Scotus, non valdè conuenit, quoniam essentia antequam intelligatur, est plurimis modis imitabilis & omniscia. Ergo sunt ideæ fundamentaliter in essentia prius, sicut impressa in nobis notio ab obiecto: sed constituuntur posterius ab intellectione expressiua: hinc ex totali omnium possibilium & actualium intellectione simplici vnica actuali, nõ procedẽte de potentia ad actum, nec discurrente: emanat Verbũ, alioquin nõ toticiparet, sed participaret diuinitatis perfectiones. In quo Verbo, quia relucet sciẽtia rerũ, vt sic, & vt faciendarum: Omnia per ipsum facta esse, testatur Euangelium, & sine ipso, nihil: quoniam mouentium est manifestatiuum tantum: entium vero manifestatiuum & factiuum. Sed in sequenti parte horum discussio nos expectat. Scotus considerat Verbum, quà Dei est sapientia: non qua ars. At D. Thom. vtrumque.

P. p. q. 15. — *Teste Lactantio, Seneca, & Plut.* — *Ioan. 1.*

Aristoteles quidem negat ideas, & putat, esse metaphoricum dictum, transumptum ex artificialium factione, & satis esse putat, vt simile producat simile: homo, hominem: ignis, ignem: nam, inquit, si ita non essent, posset nasci virtute ideæ etiam homo ex non homine. Sed profectò impiè stulteque loquitur. Quoniam enim ipse negat, Deum esse rerum opificem, sed mundum, & ea, quæ in ipso continentur, æternat: Consequens est, vt nulla idea sit in Deo, neque extra, nisi in artificibus, qui naturam imitantur.

At quoniam huius contrarium longè verius est: & artem imitari naturam, & naturam Deum, agnoscimus: & Deum excogitasse, quæ fecit ac præfatum esse, vt ait Zeno & Crhisippus, & nõ quasi instrumentum inanime, non intelligens, quæ facit: nec sicut ignis, ignarus ignificationis propriæ, temerè diffusis vsquequoque viribus, sed ordine certo, numero ac mensura opera sua edere: necessario ideas ponimus. Falsum quoque est semper à simili simile edi: namque animalia multa nascuntur ex terra humefacta sæpè spontè, & non ex animalibus, & plantæ multæ, & lapides, & metalla omnia, vt incessanter experimur, ex non plantis, nec seminibus, & ex non lapidibus, & ex non metallis: & primus homo, & prima ficulnea, & primus elephas, nequaquam spontè nasci potuere, vt contra Auicennam, Epicurum & Diodorum scripsimus, nisi ab artifice Deo. At si spontè, vtique præextitisse exemplaria eorum, necesse est: homines enim, & animalia, & plãtæ, & metalla non semper fuerunt ab æterno, sed cum sint elementata facta sunt: immo neque nunc musca facit muscam, sed vermiculos: nec ex ranis semper rana oritur, neque pediculi, & vermes in ventriculo, ex vermibus ex pediculis fiunt; idea ergo dat similitudinem: causa vero vniuoca est quasi vas & fiscella similitudinis in compositis: in simplicibus vero est vt natura, quoniam calor facit calorem. Videmus præterea, horum elementorum concursum esse temerarium, nec vnquam potuisse ex his, quæ propriam dumtaxat amplificationem, & contrarij destructionem intendunt, curantque, tam affabrè elaborata entia summo magisterio, & propter fines & vsus certos fieri, nisi ab artifice longe potentissimo, longè sapientissimo, longeque optimo, ad tales productiones corrigantur. Nec enim ignis, & metallum, & lima, ad gladij formam ex se perueniunt. Et Arist. ipse deridet eos, qui mundum & secunda entia casu fieri posse, docent. Sed enim melius tantum opus Opifici committitur sapiẽtissimo, quam fortunæ: &

in hoc laudat Anaxagoram, qui præficit Mentem. Quomodo ergo nunc naturæ stupidæ, & ignaræ, ideas respicienti nullas, ideatorum entium compositionem mirificam ipse committit? Sicut qui committeret, aut iuberet non præhabenti ideam A. & B. has scribere literas.

Cum autem Peripatetici aiunt, aliquid simile semini in putrefactionibus inesse, Alij vero à cælo, vel cæli anima spontè nascentia efformari: nihil dicunt: etenim illud simile semini à quo factum est simile? Non ab alio simili: ergo si non à casu, à cælo, vel Deo. Si à cælo ergo cælum habet animam, ideis fæcundam. Et si est factum, à prima causa accepit animam. Ergo in prima causa præexistunt ideæ.

Stultum prætereà est, putare, hominem per se generare omnino principaliter: qui sane ignorat quot sunt partes in corpore fabricando, quot ossa, nerui, humores, quibus vinculis colligata, quibus vsibus applicata insint. Quapropter concurrit homo vt instrumentũ, respectu Dei, ad fabricam hominis, fabricam non intelligens, vt dicit mulier in 2. lib. Machabæorum, & diuus Hieronymus in Epistolis, & ab idea Dei fit formationis modus, sicut Stoici per Verbum hæc celebrant. Galenus etiam quamquam Atheus in lib. de Sem. & in 17. de Vsu part. obstupescens, confitetur causam primam, rerum formatricem: & Auicenn. Coholdeam: & Alexander, intellectum: solus Arist. stupido & inanimato semini opus summi artificij stupidus ipse committit.

Platonici & diuus Augustinus, & nouissimè Franciscus Patricius, ne dum ideas, sed etiam virtutes seminales ab ideis deriuant in mundum, ex quibus fiunt, & quæ sponte, & quæ ex certis formationibus nascuntur. D. Thomas virtutes actiuas elementorum, putat, esse idearum semina: addit tamen cum Origene assistentiam Angelorum: & profecto propinquius ad veritatem. Angeli enim præsunt rerum generationibus & formationibus: vnde Boetius dixit, formas materiales à formis immaterialibus oriri, non quidem (inquit S. Thom.) de ipsorum substantia nec de nihilo, sed de concinnatione elementorum, ab intelligentiis non errantibus ad certam formam exprimendum, quæ est participatio diuini esse. Fato enim modo supra exposito, Necessitate & Harmonia influentibus in rerum vniuersitatem à Cõditore adiguntur elementa ad rerum formationem, vt dictum est: forma autem est modus, ideæ respondens, ab ideatoribus per talia instrumenta impressa materiæ.

Præterea in cunctis rebus præexistunt similitudines propriæ, immo & entitates, quæ in eis sunt ipsa essentia, & cognoscitur à cunctis naturali cognitione abdita & innata. Ignis enim se ignem esse, sentit, & vult, & consimiles ignes, ad quos fertur: sic & tellus tellurem: & inimica entia mutuo se feriunt, & tanquam nota inimica sibi aduersantur inuicem. Ergo producentes sibi similem quælibet res, ideam habent propriam essentiam, ad cuius similitudinem producunt: & sicut artifex ideam propriam inspiciendo, idest, excogitatam, architectatur artificiata, ita natura instinctu Dei quælibet naturalia. Ergo datur idea naturalis, vt ignis in igne, quæ est sua essentia vt cognita, & vt possibilis multiplicari: & tandem vt volita multiplicari. Omne enim agens potest, sentit, & appetit suam diffusionem, potestate, sensu, & appetitu, aut naturalibus, aut animalibus, aut rationalibus: vnde datur & artificialis: sicut scripturæ huius in mente mea, quam exprimo quatenus scriptor, non quatenus homo: vt homo enim hominem, vt scriptor scripturam facit. Deus autem & artis & naturæ eminenter similitudines præhabet, & quælibet similitudo & idea secundorum entium à primis effluxit ideis, & propagatur, & multiplicatur mutabiliter apud nos iuxta multiplicem participationem primarum: & sicuti Naturã, diximus, artem intraneam esse, ita in ipsa ponimus ideam. Semen enim ficus ficulneas & ficos edit: semen castaneæ castaneas: & frumenti frumentum, quoniam seruat ideam, quam à generante frumento contraxit: & sicut ibi ramos, folia, stipitem & spicas efformauit & nutriuit, ita & in semine, terræ commisso, facit, terram alterando, & in substantiam suam & partes, qualiter in parente fecerat, efformando, & concinnando. Non tamen facit id, quod est alterius seminis, quoniam suam modo & non alienam Ideam & artem habet: sicut ferrarius ferramentorum habet artem, non vestimentorum. At Deus, qui omnium ideas habet non ex animali animal semper, sed vndecunque vult producit: ipse enim est forma omnium formarum, teste Augustino.

Lib. de verb. Domini.

Habet & cælum ideas non primas, vt putant Ethnici Astrologi in suis figuris, sed quasi sigilla primarum, per quæ formæ inferiorum ab ideis & ideatoribus imprimunt. Hoc autem sympathia inferiorum cum Asterismis cælestibus & vultibus declarat: propterea non intelligunt stellata signa quod faciunt: sunt enim sigilla instrumenta sigillantis: & vt sic virtus cæli ex non seminibus producit imperfecta. Quæ enim perfecta sunt, etiam proximis indigent causis seminibus & dispositionibus. Non enim homo nisi ex homine, sed non sine cælo vt sigillo: nec sine calore & frigore, vt instrumentis actiuis, imò neque artes. Cælum enim (ait diuus Thomas) ordinem dat rebus, & naturalibus, & artificiatis. Ergo datur idea diuina, & intellectualis, & rationalis, & animalis, & naturalis, scilicet in Deo, in Angelo, in Homine, in Aue nidificante, & in Igne, ignem producente ad sui similitudinem, quæ etiam in homine cum agit naturaliter.

In opus de fato, vt opus de occult.

Porrò Aristoteles perperam idealem causam efficienti identificat. Constat enim, instrumentales causas absque ideis operari, principales vero non nisi per ideam. Quod enim ignorat faciendum effectum, nequaquam faciet: & si facit indeterminatè facit, non magis hunc, quam illum effectum. Atqui si propter finem cuncta agunt, & finis est ideæ effectus: non enim nisi præcognitum ob finem agunt: Igitur idea est, si finis est: & si finis, vt præcognitus, est alterum genus causæ ab ipso agente præcognoscente, multo magis idea, quæ etiam finis est causa, & vt præcognoscatur, & vt fiat, quomodo fit. Alioquin solum agens & materia erunt causæ, vt Seneca contra Arist. & Plat. probare nititur eodem argumento: vide q. 3. Phys.

Ideas, putamus, extare in prima causa non modo specierum, vt Plato, sed indiuiduorum, & generum: quoniam omnia hæc nouit Deus, & facit.

Cum autem aiunt quidam, non esse generum ideas, quoniam non possunt fieri genera, nisi in speciebus: hi destruunt propriam positionem: Et enim nec species fieri possunt, nisi indiuiduis. Igitur nec specierum, vti volunt, essent ideæ. Itaque arbitramur, indiuiduorum esse ideas totales, partium partiales: veluti trianguli totius ideam esse totam: linearum vero & cuiusque anguli esse ideales partes

in tota. Accidentium vero propriorum, & consequentium essentiam, esse idealitatem: sed non ideam, quoniam in totius idea continetur. Similiter specierum esse ideas tanquam totales respectu indiuiduorum: modos eius participationum: qui modi sunt ideæ ipsorum: quo pacto ab vno sigillo multa signantur in cera eius indiuidua. Et ergo esse ideas, continentes ideas specierum sicut tetragona trigona: totius quoque Entis creabilis esse ideam vnam: quatenus omnia entia conueniunt in hoc quod sunt, vel possunt esse. Ergo habent similitudinem in esse: ergo & ideam, quoniam & illam similitudinem nouit Deus: & ex illa fecit, vt conuenirent entia facta vel factibilia. Ergo & ideam boni & veri, & vnitatum: quatenus Deus rerum similitudines in bonitate, & veritate & vnitate præscit, & facit. Hinc mirari licet vehementer Peripateticos, quod cum negent ideas, simul tamen participatione speciei, indiuidua, & species faciunt generis: hoc autem esse nequit: genus enim & species, & vniuersale Arist. nihil est in mundo aut posterius quid naturalibus ab intellectu formatum. Ergo cum sola indiuidua subsistant Aristoteli, vtique Petrus & Franciscus & Martinus non erunt homines participatione speciei humanæ, nisi sit hominis idea extra phantasiam nostram, quam participent antequam nos formemus vniuersale: nec equus & homo erunt animalia participatione generis si idea animalis non est, sed è contra homo & animal erunt participatione huius & illius hominis, & animalis. Quapropter ipsorum Logica ipsorum Metaphysicæ contradicit.

Porphyr. in Prædicab.

Nonentium vero non damus ideas proprias, nec Disamoris, nec Insipientiæ, nec Impotentiæ, nec Falsitatis nec Mali: sed cognoscuntur per ideas Entium, & Amoris & Sapientiæ & Potentiæ: & Veri & Boni.

Materiam quoque primam habere ideam, quoniam & ipsa creata est, quod Platonici negant, affirmamus. Si enim ens est, habet ideam suæ entitatis, & si non est, vt Peripatetici volunt, non habet ideam, neque ex illa quidquam fiet.

Porrò idea corporis rerum idea materiæ Thomistis videtur: rectè quidem, quoniam fatentur sic materiam esse corpus. At ipsi corpus esse formam, nescio quo pacto prædicant, cum ex non corpore, non fiat corpus, nec corpus actiuum, sed passiuum penitus ens sit, licet forma eius, quæ non est corporeitas, agat: corporeitas enim est idem, quod materieitas & ex corpore, in corpore, & ad corpus fiunt generationes & resolutiones. Materia autem Peripatetica est ens in anima ipsorum, qua sublata, adhuc fiunt entia ex materia, quæ extra animam corpus est de genere substantiæ, vt D. Thomas docet in Opusc. de natura generis, alioquin, ait, ex materia & in materia, quæ, non est corpus, nulla res naturalis fieret. Nomina idearum sunt abstracta ante concreta, vt albedo, humanitas: quorum concreta sunt album & homo. Abstracta vero post concretum non dicunt ideam, sed idealitatem ideati aliquam, vt realitas, essentialitas, formalitas, cuius concretum est forma abstractum præcedens est formitas: vt in Logica.

SIMILITVDINEM ESSE VNITATIS idealem influxum. Dissimilitudinem, pluralitatis. De speciebus earum in omni prædicamento essentiarum & existentiarum: & de vocabulorum vnitionibus, rebus correspondentium. Item vnitatem secundum amplitudinem, & non secundum quidditatem, secari in Æquiuocam, Vniuocam, Synonymam, Analogam, & Denominatiuam, & de ipsarum virtute ad ignorantiam & scientias faciendas: & de Entis & Transcendentium communitate controuersiæ, & resolutiones. Item & in Re, & in Mente, & Intellectu esse vniuersalia in repræsentando. In causando verò, & in essendo solum in primo Opifice. Inter quem & Creaturas esse analogiam duplicem.

ARTICVLVS III.

QVONIAM quæcunque sunt alicuius entis participatio, ab illo etiam habent vt similia sint, quatenus & illi simul similia sunt: similitudo etiam ducit nos in similium cognitionem: quatenus enim similia, sunt vnum: & quid scit vnum, scit etiam vna. Rursus, quoniam & similitudo est inter quæcunque similia quatenus plura, nec perficitur cognitio similis in cognitione similis, nisi & quantam & qualem habeat distinctionem agnoscamus: ptopterea de Similitudine & Dissimilitudine nunc prædicamenta adiicimus. Est autem similitudo effectus, vel affectio, vel influxus vnitatis. Ergo dissimilitudo pluralitatis. Vtrum detur vnitas subsistens per se, à qua omnia participent, vt Plato, & Pythagoras, & Parmenides docent: an vero vnitas sit prædicatum vniuersale, sicut animal, quod non per se subsistat, sed in hoc & in illo: vel sicuti ens, quod non est nisi hoc, aut illud, licet de omnibus dicatur, quemadmodum Arist. in x. suæ Metaphys. opinatur, sequens huius voluminis pars declarabit.

Nunc autem supponamus, Deum esse per se ens, per se vnum, per se bonum, per se verum. Vnde cunctis rebus Vnitas, Entitas, Bonitas, Veritas influit. Nec enim de vno quatenus vnum per essentiam, hic est sermo, sed de vno sparso inter multa, quatenus sunt eadem, vel æqualia, vel concordia, &c. Dictum est enim, quod vnitas, seu similitudo, alia est in natura & essentia, quæ vocatur identitas, vel coëssentialitas: alia in quantitate, quæ Æqualitas, in Operatione, Concordia: in Figura, Conformitas, in Actione, Conuenientia: in Passione, Compassio: in Accidente, Coincidentia, vel Concursus: in Contrarietate & Dissimilitudine,

Competentia, vel Contentio: in Colore autem & Figura simul, Similitudo dici solebat ex nominis impositione: Nunc autem Concoloritas. In Similitudine adhuc est similitudo similitudinum, vocata Consimilitudinitas, & Proportionalitas.

Contra verò Dissimilitudo, quæ pluralitatis est influxus, dicitur Diuersitas in Essentia: Inæqualitas in Quantitate: in Operatione, Discordia: in Figura, Difformitas: in Colore, Dissimilitudo, nunc Discoloritas: in Actione, Disconuenientia: in Passione, Dissidium, vel Dissensio, mutuato vocabulo, quoniam proprium non habet: in Accidente, Disiunctio: in Dissimilitudinibus, Condissimilitudinitas, in similitudine ad illud.

Præterea dicebamus ea, quæ sunt eiusdem temporis aut loci contemporanea: & simul loco, collocanea, & à loco & à solo dicuntur esse conterranei. In itinere, Comites: in labore, Socij: in dignitate, Collegæ: in militia, Commilitones: in mensa, Sodales. Et cum deficit vocabulum, mutuamur à simili, addita nota similitudinis Con, vt conuiuere, contristari, cohærere, condigni, contacentes, consentientes, &c. dicimus. Similitudo quoque naturæ, temporis, & loci, & ordinis, & dignitatis. Per notam Simul exprimi solet eleganter, vel per ly Vnà.

E contra vero in oppositis dissimilitudinibus ponitur interstitium temporis: distantia, in loco: dissociatio, in victu: soletque exprimi per notam seorsum, truncatam, aut per distantiam truncatam, aut per, In, negatiuè sumptum: Dicimus enim separari, segregari, semoueri, securum, quasi seorsum parari, seorsum aggregari, seorsum à cura: seductum, seorsum à dolo & cætera.

Præterea diffidere, dispar, quasi distans pars: dissentiens, quasi distanter sentiens: disgregare & dirimere, &c. Item in coniunctum, ineptum, quod tamen, in, potius negationem importat: siquis tamen in his notis est abusus apud scriptores vulgares, vnde diximus, non oportere superstitiosum esse in vocabulis: cum sufficiat nobis intelligere, quod verum est: loqui vero, sicut necesse est: is index est multarum ignorantiarum, modicæ scientiæ nostræ admistarum. Prudens tamen Grammaticus ad veras origines conuertatur, quæ ex verbo & nota notionis dant indicium: dicitur enim sum, & Ens ab eo, quod sumus, deinde adsum, quasi apud sum: absum quasi ab hoc sum: qui enim est ab alio recessit ab eo: coexisto, & compono, quasi simul cum alio sum & pono: desum, quasi deorsum sum: exto, quasi extra sto, & sum: insum, quasi intus, vel in alio sum: quando enim sumitur ly, in, negatiuè, non ab intus, sed à non, dicitur, transformato: obsum, quasi oppositus sum: præsum & prosum, idest, ante & pro alio sum: subsum, & supersum, idest, sum sub & supra: adde transeo & transto pro vltra esse & ire: vnde si rectè inspexeris, ad sexdecim, aut decem & septem compositiones verborum cum cæteris notulis orationis grammaticaliter pergimus in omni verbo, propterea quod ex actibus, qui per verba significantur, res innotescunt, & coëxistentiæ & cooperationes eorum, & omnes similitudines & oppositiones notamus in essentiis earum & hoc fit ab idea rationali inspiciente diuinam in naturarum connexione, & productione.

Hoc prædicamētum nequaquam influxum vnitatis aut vnitatem vocamus, tametsi omnis similitudo est vnitas, vel ab vnitate; sed Similitudinē, quoniam lucis & coloris manifestatio, cuius vnitati prius inditum est nomen similitudinis, vniuersalior est apud nos, & clarior & principium cognoscendi plurimorum. Adde etiam quod & passio animæ notionalis similitudo ab omnibus Physiologis nuncupatur, & simulacrum.

Videtur quidem Similitudo ad alterum esse: non enim sibi simile quippiam dicitur, nisi quatenus sumitur in alio tempore: sicut dicimus, solem semper sibi similem: quia hodiernus crastino quoquo pacto opponitur, vel in diuerso loco: sicuti scelestum dicimus, sibi vbique similem, quia in omnibus locis & temporibus diuersis & multis sceleste agit. Vel ratione essentiæ & actionis diuersarum: vt dicimus Socratem esse sibi similem in dicendo, viuendo, & scribendo. sibi autem similis nemo dicitur, nisi idem bis diuerso modo sumatur, saltem secundum intellectum: sicut dicimus in Psalmo: *Tu autem idem ipse es*, & idem eidem est idem, quæ coniunctio est notionalis, non realis. Quapropter Parmenides apud Platonem cauet dicere *Vnum est*, ne fortè ex esse & vnitate compositum intelligatur, & consequenter non verè vnum.

Rectè quidem: sed quia caremus Angelorum sermone, & deficimus ab ineffabili diuinitate, cogimur de simplicissimo ente composita verba facere, non compositionem asserentes erroneam, sed vt cunque quod intelligimus balbutientes.

Gradus vnitatis, & fluentium ab ipsa, & dubitationes de ipsis.

PORRO summa vnitas, aut secundum amplitudinem consideranda, aut secundum quidditatem: primo modo Ens in quo vniuntur quæcunq; sunt, fuerunt & erunt aliquo pacto, & sunt in natura & in mente: secundo modo inter hæc entia est maximè vnum id, vnde habent omnia, vt sint, & vnum sint, & seorsum, & simul: ideo tenet arcem omnium vnitatum, & per essentiam vocatur Vnitas: illa vero Communitas.

Omnis quidem communitas vocatur aut æquiuoca, aut vniuoca, aut analoga, aut denominatiua in scientia sermonis, quæ tamen non correspondet ad amussim scientiæ rei: siquidem denominatio fit eorū, quæ sunt per participationem, ab eo, quod est per se, per essentiam, vt calidi à calore, hominis ab humanitate: & hoc deficit, secundum rem vbi concretum est idem cum abstracto, vt Deus & Deitas.

Æquiuocatio parturit ignorantiam, eo quod non similia, tanquam similia vocitat, vt brodium & iustum, iuris nomine: & populum arborem, & populum homines.

Vniuocatio facit quidem scientiam respondentem rebus ex parte: nam quæ sunt vnum in essentia ideata, vno nomine donantur: quod quidem accidit in genere & in specie. Sed indiuiduis parit ignorantiam, quoniam in quo sunt diuersi numero, in eo notantur vt vnum, non secus ac vbi in specie sunt vnum.

Petrus enim Lombardus, & Petrus Apostolus, in quo differunt, vocantur Petrus, sicut, in quo conueniunt, vocantur homo. E contra, synonymitas impedimentum in scientia facit, cum res vna pluribus donatur vocabulis, quia ponit pluralitatem in vnitate.

Analogia confert multum scientiæ: etenim & denominationes

nominationes secundum Naturam, quæ non sunt secundum Vocem, declarat, qualis est inter ideas, & ideata, & signa, & causas, & respectus earum; & inter primam Bonitatem, & primam Vnitatem, & omnia bona, & omnia vna. Nam sicut Vrina, & Dieta, & Medicina dicuntur Sana, ab Animalis sanitate, cuius etiam in Diffinitionibus, quatenus sana, suscipiunt nomen: sic omnia dicuntur bona, quia sunt effectus aut signa bonitatis primæ, aut via ad ipsam. Præterea, omnem conuenientiam inter ea, quæ non sunt eiusdem essentiæ, sed habent ad inuicem rationem quasi coëssentiæ, vt inter Alam & Remum, Vmbilicum & Radices: & propterea commutatim dicuntur de inuicem: vt Vmbilicus est radix Animalis, & radix est Vmbilicus plantæ. Verumenimuero hæ vnitates Logicæ non sufficiunt, cum & plurimæ sint, nondum explicatæ, quæ per oppositiones suas magis clarescunt: nō solū enim quę differunt, habēt oppositam similitudinem vniuocam, sed etiam quæ sunt diuersa, & quæ contraria, & quę numero opposita, & quę relatione. Tētabimus ergo proprias vnitates & oppositiones in cunctis Entibus, & non Entibus reperire.

Quemadmodum in principio dicebamus, vnum agnoscebat intellectus, quod numerando poterat primum dicere, & cum altero facere numerum, sicut Petrus cum Paulo. Deinde, quæcunque numero diuersa, conueniebant in vnum, vno nomine donabat, vt homo, qui communitatem indiuiduorum exprimit. Mox ascendendo alias communitates huic similes cernens, nomine communi eas insigniebat, vt dicendo Animal, & Corpus, & Substantia, & tandem Essentia, & Ens: quatenus omnia conueniunt in hoc, quod sunt. Et hæc est communitas amplissima sicut oppositorum est, Non ens.

De transcendentibus. Quæritur autem vtrum Communitas hæc amplissima, Analogica sit, vt placet D. Thomæ, vel vniuoca, vt Scoto: vel æquiuoca, vt Rabi Moysi: & quot sunt vocabula hæc communissima Transcendentia vocata, eo quod transcendunt omnia genera rerum. Arist. quidem Ens, Verum, Bonum, & Vnum Transcendentia numerat cum Platone: Auicennas addit Rem & Aliquid, quia de omnibus dicuntur, sicut illa: quidquid enim est, Aliquid est, & Res est, & Vnum est, & Bonum est, & Verum est: quod qua ratione verificetur, in 2. Parte monstrabimus. At quidem, si ratio Auicennæ valet, addendum esset numero Transcendentium Quale, & Ad aliquid, & Hoc, & Ipsum, & omnia pronomina. In omni enim Ente non solum est Bonitas, Veritas, Vnitas, & Realitas, & Aliquid: sed etiam Relatio ad alterum aliquo pacto, & Modus essendi, qui est Qualitas, & Hecceitas, & Ipseitas. Item, haberi potest addi: nam & Deus à Nobis habetur, vt loquitur S. Hilarius, & omne Ens habetur ab alio, saltem à loco, & locus à locatis: & quidquid est, dicitur habere esse, ita vt idem sit esse, quod habere. Vnitas horum omnia circuit. Præterea, si vocantur cuncta Entia, quatenus vnum in esse: ergo vnum præcedit Ens, vt Plato vult, & Aristoteles negat.

Iterum, dubitandum occurrit, vtrum Ens dicatur ab Esse, seu existere, secundum quod transcendens est, an ab Essentia, quæ abstrahit ab existētia, & quomodo acceptum, diuiditur in substantiam & accidens. Nam, sicut dictum est, ab existentia, siquidem Ens est primo cognitum confusè, quia primitus omnis res esse: deinde quid est, discernimus: cum ipsa sit extra essentiam, videtur Auicennæ, Algazeli, & Alfarabio accidens esse. Homo enim, quatenus homo, & quodlibet Ens, definitur & cognoscitur absque sua existentia. Siue enim sit, siue non sit, in Natura rerum Rosa, cognoscitur quid sit. Existentia ergo extrinsecum est, & accidentaliter denominat Ens sumptum participialiter. Accidens autem non potest diuidi in substantiam & accidens: si autem dicitur ab essentia, sumitur nominaliter pro eo, quod est: ergo non differunt Ens & Essentia realiter, vt Thomistæ asserunt: sed tunc omnes essentiæ, quatenus existunt, habent similitudinem mutuam: ergo Ens participialiter est transcendens supra Ens nominaliter, & tunc erunt duo transcendentia: alterum ab Esse, pro Essentia: alterum ab Esse, pro Existentia. Et hoc vltimum erit vniuersalius & certius transcendens. Et quia id, Quod est, & non Quo est, conuertitur cum Vero, Bono, & Vno: ergo supra Verum, Bonum, & Vnum, erit esse, quo sunt, non quod sunt: & super hoc esse iterum erit vnum quo assimilantur in esse isto: omnis enim similitudo à præcedenti vnitate. Attamen Thomistæ, ponentes esse in eodem prædicamento, cum quidditate, non effugiunt Auicennæ difficultatem, sc. quod accidens transcendentalius, & prius substantiis & veris essentiis poneretur: nam & ipsi sæpè extraneum prædicatum vocant existentiā, & non ingredi definitionem nec essentiam. Pręterea, quodnam Ens diuiditur in decem Prædicamenta? si nominaliter dictum: ergo ipsum non est transcendens, vt Arist. sæpè docet, sed quid aliud, videl. Ens participialiter dictum: sed hoc est præter essentiam rerū: ergo non potest in decem genera rerū partiri. At in hoc videtur consentire D. Thom. videl. quod Ens participialiter diuiditur in decē genera, in 1. Par. q. 5. & 6. & in Ver. q. 21. vbi dicit, quod Ens & Bonum diuisum simul in decem Prædicamenta conuertuntur, & sicut res est Ens, ita bona, sed non est Ens per essentiam suam. Ergo nec bona per essentiam suam.

Ergo (infert Cajet. in lib. de Ente, & Essent.) non dicitur Ens nominaliter ab Essentia, sed participialiter ab Existētia, id, quod secatur in decem genera: hoc est, in Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Agere, & Pati, Quando, Vbi, Situm, & Habere: aliàs fallaciam ęquiuocationis committeret D. Tho. in Boëtio: est enim Ens simpliciter per suū Esse substantiale, sed non bonum simpliciter, nisi adsit esse vltimum, quod est existentia actualis, qua Ens est Ens secundum quid, sicut per essentiam simpliciter. Ergo Bonum in decem genera diuisum est Ens participiale vltimum, & non nominale. Sed iterū est dubitatio, quoniam Ens, diuisum in decem genera, est Ens nominaliter: hoc est Quidditas, vt probat D. Thom. in 1. cap. de Ente & Essentia. Prædicamenta enim abstrahunt ab existentia, & statuuntur per quidditates. Ideo malè Cajetanus interpretatur D. Thom. vel obscuritas rei inconstantiam inter illos parit. At si ita est, non ritè Bonum Enti identificat: nam iterum in x. Metaph. D. Thom. dicit, Ens diuidi in decem Prædicamenta, siue Actus, siue Potentia sit. Bonum autem ponit Ens solum in actu, hoc est perfectum. At si Ens & Essentia sunt vnum realiter, vt Scotus opinatur, & differunt sicut res & modus rei: tunc cum quælibet res habeat modum suum, constituet Ens, & Essentia etiam duo transcendentia non diuisa realiter, sicut & vnum facit transcendens, nec tamen diuiditur ab Ente realiter. Cæterum, quoniam ipsorum disputatio inextricabi-

lis est, quia per verba Aristot. varia & inconstantia, non per Naturæ decreta, ad veritatem ambulant, ideo quousq; arcana Metaphysicalia ingrediamur, differatur disputatio: Nunc satis sit dubitasse. Non enim quærimus nisi similitudinem, quæ has fundat communitates.

Et quia communitas est filia vnitatis, vtrum in rerum natura huiusmodi vnitas inueniatur, necne D. Tho. in lib. de Ente & Essent. tripliciter considerat genus & speciem, & transcendentales cõmunitates.

Vtrum datur vniuersale ex parte rei.

Primò, secundum quod sunt in rerum natura, & sic dicit omnes esse singulares, & non reperiri vniuersalia. Nec enim homo communis, nec albedo, nec Ens commune est in Mundo, sed hic, & ille homo, & album, & hoc Ens.

Secundò, quatenus sunt in intellectu & sic habent communitatem: homo enim dicitur de Petro, & Paulo, & Martino & cæteris, tanquam vniuersale de particularibus: est enim vnum versum in multa.

Tertio modo, præcisè & solitariè, idest abstractum ab accidentibus, quæ illis conueniunt in rerum natura, vt esse album, hic, hoc tempore, & cætera: & ab accidentibus, quæ illis conueniunt in intellectu, vt scilicet esse genus, esse speciem, esse vniuersale. Tunc ait, hominem præcisè consideratum habere vnitatem formalem, Paulum verò, eius indiuiduum, numeralem: non tamen esse hominem per se præcisè vnum, nec multa: si enim homo, in quantum homo, esset vnus, in vno solo indiuiduo posset reperiri: quoniam hoc esset illi essentiale, quia quatenus homo: si vero esset multa & communis homo in quantum homo: tunc non posset reperiri in vno, vt Phenix, & Sol, & tunc ille vnus esset homo communis, si homo quatenus homo est cõmunis. Ergo Paulus esset homo communis, & Franciscus homo communis. Nec in quantum homo præcisè est vniuersalis, nec species, nec particularis, nec albus. Nam hæc conueniunt illi quatenus est in intellectu, aut in singularibus, & non quatenus homo: nam si quatenus homo, quilibet homo particularis esset species & vniuersalis, aut particularis, & albus, &c. Homo ergo præcisè est animal rationale tantũ, & quia est vnum non vnitate numerali, conueniente sibi in singularibus, vel in intellectu subiectiuè, sed vnitate formali, alias non esset Ens, nec diffinibile, nisi esset vnus: ideo non repugnat illi esse commune, nec proprium: Ergo potest singularizari, & vniuersalizari: singulare autem in actu non est nisi in indiuiduis: vniuersale in actu non nisi in intellectu: vocant vniuersale in actu ipsam rem cum aptitudine ad essendum in multis: in potentia vero ipsam rem cum non repugnantia: vt homo quatenus homo non habet repugnantiam ad essendum in pluribus, sed non sequitur: ergo habet aptitudinem, vt aiunt Thomistæ: Scotistę vero concludunt. Ergo habent aptitudinem: sed aiunt Thomistæ: si inquantum homo habet hanc aptitudinem, ergo quilibet homo habet ipsam, ergo & Paulus potest esse vniuersale, & in multis, quod est falsum. Ergo homo præcisè vt homo nec negat se in multis, nec affirmat. sed cõtra, ait Scotus, ergo non datur scientia realis de vniuersalibus, si non sunt in re absque opere intellectus. Item nec homo generat hominem, quoniam non est communitas cum vnitate. Item nec reperitur alia vnitas quam numeralis: quoniam in re per se non datur vniuersale. Item sensus quoque nouit vniuersale, ergo est in re.

Nos autem dicimus, in re esse vniuersale, idest, ideam, à qua oritur similitudo, quæ est vnitas singularium: & hac ratione non dari in singularibus, quæ sola sunt in natura inferiori, aptitudinem essendi in multis per se, nisi per ideam: homo enim generat hominem, & calor calorem, multiplicando seipsum in diffusione ideæ. Vna Ars ædificatoria in mente artificis, plura ædificia construit: nullum autem particulare ædificium habet aptitudinem essendi in multis, nisi illud, quod est in mente artificis: & ideo rectè D. Thomas à singularitate abstrahit, & rectè Scotus dat vniuersalitatem in natura: sed propriam vocem ignorat: & quia homo præcisè consideratus non est in rerum natura, sed vel singularis in re, vel singularis in intellectu, licet vniuersaliter multas repræsentet, sicuti vna statua Cocodrilli plures Cocodrillos: sed est in mente Dei, sub qua omnia consideramus, teste Augustino: ideo vnitatem in Deo, & communitatem habere, dicendum erat, quoniam in re, & in Intellectu particulare est omne Ens, præter quam in repræsentando. In re autem & in Intellectu idem homo plures homines repræsentat: quibus est similis, ideo vniuersale in repræsentando vbique est, scilicet in re, & in Intellectu: prædicatur autem quatenus in Intellectu formaliter, sed in re fundamentaliter. Scientia autem non est vniuersalis & communis, nisi confusa & doctrinalis: particularium vero distincta & vera, vt in Deo, & in nobis innata & inuentiua. Cognoscere per vniuersale est per simile, nõ per id ipsũm cognoscibile. Deficiunt autem à similitudine omnimmoda Entia inter se cuncta: si autem homo quatenus homo est Animal rationale, & Petrus, similiter & Paulus, & Franciscus, & alij. Ergo vnum sunt. Ergo nulla diuisio inter eos. Sic nec inter hominem & equum in quantum Animal: & sic inter omnia in quantum Entia: vnum ergo omnia sunt, vt rectè dicit Parmenides.

Quæstio de multitudine.

Sed multitudo vnde est? non ex forma, quia vna; non ex materia, quia vna. Ergo ex compositione: sed cur compositio est varia? Propter contrarietatem causarum actiuarum, vt dictum est. Et quia quædam cum materia, quædam sine materia: & hæc accedunt magis minusuè ad ideam primam, & constituunt gradus pro vario participio Entis, & Non entis, vt in 2. Par. In Deo autem summo Ente omnia vnum sunt: & ideo transcendentia, quæ prius de Deo dicuntur, quam de creaturis, non possunt sumi præcisè, sed dicuntur de omni re, & de omni conditione rei, siuè sit in anima, siuè extra animam: non sic autem sub illis contenta genera: non enim calor est materia: sed Ens & Vnus, & Verus, & Bonus, & Aliquid. Nec vniuersale est particulare: sed vtrumque est Ens, & verum, & cætera.

Sed vtrum vnitas rerum in esse, & bonitate, & veritate sit sicut hominis & equi in animalitate, disputatio est magna. Asserit Scotus vniuocationem, Moyses æquiuocationem, D. Thomas Analogiam: & metaphysicè D. Thomas melius attingit, logicè Scotus, physicè Moyses Ægyptius. Manifestum est enim, nihil posse æquiuocè dici sub Ente, neque Analogicè, neque vniuocè, nisi & in Ente communissimo prius sit æquiuocatio, vniuocatio, & analogatio. Si enim homo in quantum animal est vniuocum asino, erit & in quantum Ens. Nam homo in quantum animal est Ens, non secus ac substantia sensitiua: & ita asinus. Item si sanum est analogum animali & Medicinæ, erit & in quantum Ens: habent enim entitatem per se & in quantum sana.

Item si canis est æquiuocum stellæ & pisci, erit ens eiusmodi; Si enim non est Ens, neque æquiuo-

cum est: prius enim etiã sunt, quã habeant, quod sut.

Præterea, si naturas rerum contemplemur, videbimus alias tam minimæ entitatis, vt quasi nihil sint, veluti motus, cuius non est pars præterita, nec futura, sed præsens momentum, qui nec motus est: & sua entitas ergo quasi ex non entibus componitur: deinde sunt aliæ tam maximæ entitatis, vt cælum & Angelus, & Deus, quibus motus comparatus nihil est. Item vmbra, corpori comparata, quasi nihil est: quanto magis Deo? Ponere ergo in his vniuocatiònem in quantum sunt, stultum esse videtur. sol generat plantam, sed adeo nobilior est illa & difformis ab ea, vt æquiuocum non vniuocum agens dicatur, & nihilominus habet planta calorem & motum & vigorem acceptos à sole: vnde multo magis æquiuocum erit Deus immensus vt Ens ad suas creaturas entes: & quidem Thomistæ, concedunt Deum esse agens æquiuocum & Scotistæ; vnde mirum quomodo Ens dictum de Deo & creaturis isti vniuocant, præsertim cũ inter infinitum & finitum nulla sit proportio, nec proinde comparatio & analogatio.

E contra videtur esse vniuocatio, quoniam causa producit sibi simile semper, & teste Apostolo: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quomodo autem conspicerentur nisi similitudo multa Dei sit in Creaturis? multo ergo magis inter substantiam & accidens. Ergo rationabile est, quod Ens, & Bonum, & Sapiens, &c. dicantur vniuocè de Deo & Creaturis: alias omnis argumentatio peccaret æquiuocatione. Item Ens non habet definitionem, sed per per se ipsum diffinitur, scilicet, est habens esse, vel quod est. Sed de omnibus rebus potest dici quod sunt, si in potentia, in potentia; si in actu, in actu: si magna, magnopere: si parua, paruopere. Ergo species siue affectio vna omnium rerum, in quantum sunt, potest imprimi in intellectu, formarique conceptus repræsentationis omnium similium in esse: & ergo obiectum vniuocum fieri. Hoc concedunt Thomistę: sed aiunt, hunc conceptum obiectalem entis non distingui à conceptibus particularium entium re, sed ratione tantum. Sed contra quo pacto possunt esse vnum illa, de quorum altero intellectus est certus, & de altero dubius? Certus est quod est Deus, & quod est lux, non autem quid est Deus, & quid lux: certus etiam sensus esse Ens, quod à lõgè videt, non autem quodnam ens. Præterea, ens distinguitur realiter ab essentia per Thomistas, ergo conceptus hominis quidditatiuus inquantum hominis, est alius realiter à conceptu hominis, inquãtum entis; Ens autem participialiter est transcendens: perperam concedunt alietatem conceptuum, & non secundum rem, sed secundum rationem. Quibus autem esse ab essentia non ita opponuntur, fauet forsan iam dicta ratio: etenim & conceptus ille entis abstractissimus vniuocus conuenit cum suis vniuocatis in esse: ergo datur vnitas causans hanc conuenientiam anterior: & iterum illa vnitas conuenit cum illo conceptu, & cum suis, quibus est communis: ergo & abstrahenda est altera, similitudinis vnitas, & sic in infinitum, vt arguitur in Parmenide. Propterea forsan diuisio conceptus entis ab entitate particularium non erat secundũ rem, vt Thomistis videbatur. Quæ vero addunt contra Scotum, quod ens esset genus, & similia non sunt in conuenientia, nisi secundum Arist. Decreta, calumniantis Platonem. Dicerent enim, qui liberè philosophantur, ens esse generalissimum vniuocè dictum de suis speciebus in quid, sicuti & Aristoteles aliquando Ens & Bonum appellat Genus.

Cum vero obiiciunt, quod Genus non prædicatur de differentiis suis, sicut Ens de suis, falsum est: nam rationale est Animal, & irrationale est Animal, si sumatur vt Animalis differentiæ: & de disgregatiuo & congregatiuo visus differentiis coloris dicitur quoque color. Si autem opponunt, quod Animal nõ dicitur de rationali, nisi per speciem, vt Aristot. sumit contra Platonem falsas sæpè propositiones (teste D. Thoma, & Auerr.) Respondebitur etiã, quod neque Ens dicitur de per se, & de per accidens, de subsistenti, & inhærenti, nisi quia dicitur de substantia, & accidente, & sic de aliis differentiis.

In Post. prædicã. & in Metaph.

Quapropter ex eo, quod Ens dicitur de suis differentiis non habet quod non sit genus, sed ex eo, quod genus physicè est aliqua rerum series, ad inuicem communicantium, ab aliis seriebus diuersa vnde Deum contineri sub genere partiali ac physicè, falsum est cum eius natura sit omnis natura & non aliqua alicuius secundi generis & modi essendi: est autem aliquid sub vniuersali logico. Alioquin nihil diceretur de Deo & de creaturis communiter, si sub illo communissimo non conciperetur Deus: & D. Thomas ab hac sententia non recedit: potest ergo vniuocum dici Ens ex ea parte, qua similitudo ab intellectu in cunctis rebus consideratur, & nomine & ratione entis donatur. Deus enim in eo, quod est, *est, Qui est*, sui ipsius testimonio: esse autem per se, & à se, conuenit ei in quantum Deus est Ens physicè, non in quantum est, nisi quatenus subinde quidditas in eo est suum esse: alias omne Ens in quantum est, esset à se, per se, & in se. Similiter & substantia, quo Ens, est quod ipsa est: & accidens, quod ipsum est: sed quatenus substantiã, substantia est, per se, & in se: Accidens autem quatenus accidens, in alio, est: & non dicitur, in se, neque in alio, nisi quia Ens de illis dicitur: veluti nec rationale de homine, nisi quia animal: vt in cunctis videatur verum, quod dixit Arist. in 3. Metaph. tam in differentiis entis, quam aliorum generum subalternorum: & in hoc ex parte errat Scotus, quod vniuocum effecit Ens, & non item genus propter rationem, minus hoc probantem.

Exod. 3.

Verum D. Thomas & similitudines & dissimilitudines rerum conspiciens, nomen communissimum non æquiuocum, nec vniuocum ponit, sed quasi participans vtroque extremo hoc est analogum: & ideo Metaphysicus est, qui omnia rimatur & considerat. Non enim propterea quod res sunt ab alio, non sunt entia, nec propterea quod Deus est à se, non dat rebus vt sint. Ergo vnumquodque se habet ad esse suum, sicut Deus ad suum proportionaliter: ita autem se habere analogica similitudo est. Nam sicut duo ad vnum habet proportionem duplam, ita octo ad quatuor. Per se autem ac primo dupla est inter vnum & duo: per hanc vero & secundario inter octo & quatuor. Quæcunque autem sunt in rerum vniuersitate sunt entia, vera, bona, vna, ab esse, veritate, bonitate, vnitate, quæ Deus est: & à se quatenus à se nihil sunt, à Deo autem sunt. Non quidé est proportio inter creaturam, vt Finitã, & Deum vt Infinitus: sed est proportio inter creaturam vt Ens, & Bona, & Vna, &c. & Deum, vt Ens, Bonus, Vnus, &c. In hoc ergo quod etiã sunt, illi similia sunt, & resultat Proportio & Similitudo analoga inter eos, qualis est inter Alas Auis, & Remigium Nauis. Remigium. n. alas imitatur, & ab idea alarum participat esse; & habent similitudinem in volando & natando, ex consimili formatione & actu. & hæc analogia, vocatur

proportionalitas,& instituit prædicationẽ mutuam. Vnde sicut dicimus remum alam Nauigij, & alam remigium auis: ita Naturas rerũ esse Deitatis participationem,& Deitatem esse rerum Naturas causaliter,& eminenter,apud Trismegist. Alia est analogia attributionis, quando videlicet,aliquod prædicatum per se tribuitur alicui subiecto: cæteris vero in respectu ad illud, vt sanum per se dicitur de Animali,quoniam secundum se, ac propriè sanitatem habet. De Medicina vero,quatenus est causa sanitatis in Animali,& de vrina,quatenus est signum sanitatis in Animali,dicitur Sana: & cũ definiuntur hæc ordinata ad vnum primum, recipiunt illud in definitione. Quid est enim vrina, in quantum sana? signum sanitatis in Animali,&c.

Videtur autem Cajetano non conuenire hæc analogia Deo,& Creaturis: propterea quod non recipiunt Deum in sua Definitione, sed substãtiæ & Accidenti. Nihilominus D.Thomas expresse ipsam asserit.1.Par.q.13.& vocat vnius ad alterum, quoniam nomina dicũtur de Creaturis,quatenus sunt Dei effectus & signa: de Deo vero per se & simpliciter. Et licet non ponatur Deus in ratione hominis, quatenus Ens,& quatenus Sapiens: hoc ideo est,quatenus quædam vniuocatio Logica præintelligitur. Formaliter enim nomina hæc non dicunt Sapientiam Finitam, nec Infinitam,nec esse à se, nec ab alio: & ita dicuntur vniuocè, vt Scoto videbatur. Et ratio est, quia prius innotuere nobis Creaturæ quàm Creator, & nomina ex Creaturis ad Creatorem transferimus: & secun dum id, à quo imponuntur, principalius prædicant humana quàm diuina, non autem secundum id,ad quod imponuntur. Et ideo non ponitur Deus in definitione Creaturarum, in quantum Entes sunt, & Bonæ, & Sapientes: sed in definitione Vrinæ & Medicinæ,in quantum sanæ, ponitur Animal,quoniam & secundum id,ad quod imponitur nomẽ: & secundum id,à quo imponitur, prius de Animali dicta est Sanitas: & in eo prius innotuit. Cæterum, fundamentaliter loquendo,& secundum Notitiam inditã, non additam per prius hæc nomina dicuntur de Deo:& definitiones Creaturarum,in quantum Entium, & Bonarum, & Verarum includunt Deum,primum Ens, primam Bonitatem,primum Verum, si ipsas resoluas ad principia sua: quoniam sunt effectus & signa primæ Entitatis, primæ Sapientiæ, primæ Bonitatis,& quædam participationes, & imitationes.

Et videtur Imitatio fundare primum modum analogiæ, & Participatio secundum, & illa ab hac suboriri. Quanquam reflexio dicitur de Iride, & de Echo, & de Imagine speculari absque dependentia alterius ab altero per solam imitationem: tamen datur prima reflexio, qua istæ omnes participant, quãuis sit ignota, & confugere nos facit ad ideam. In Creaturis tamen & Creatore imitatio & participatio palam sunt, vt possint fundare vtramque analogiam simul inseparabiliter. Propterea enim Creatura Est,& Bona est, quia à Diuina Bonitate est, & ipsam imitatur; vt sicut illa appetibilissima, ita ista appetibilis, vt in 2. Parte. Porrò D. Thomas cum Platone, & Augustino,& Boëtio ibidem q. 6.art.4. omnes Creaturas, asserit,esse bonas bonitate diuina effectiuè, exemplariter, & finaliter, ab extrinseco. Intrinsecus autem propria Bonitate formali, quatenus tamen est similitudo Bonitatis Diuinæ. Similitudo autem vnitas est,vt alibi docet. Ergo nõ modo extrinsecè, vt vrina dicitur sana, referuntur res ad Deum: at etiam intrinsecè. Et quia deficiunt ab eius repræsentatione habent imitatiuam similitudinem, & analogicam.

Propereaque Deum potius analogicam causam, quam æquiuocam in Theologicis nostris, ostendimus,& in 2.Par.Metaph.etiam ex dictis D. Thomę. Errant Peripatetici in exemplo solis, quia non æquiuocè, sed vniuocè calidus est, & si æquiuoca causa hominis: conuenit ergo cum eo in similitudine analogica sol,& non ęquiuoca:& ita cum Deo: sed hoc magis conuenit Deus nobiscum, quod exemplar habet hominis, & vim,& omnes causas totaliter eminentissime: Sol vim non exemplar, nisi per modum fluentis, sicut omnia instrumenta habent: nec causationem totam: vnde pura æquiuocatio non inuenitur in rebus participio, vel imitatione, vel respectu alio coniunctis. Ergo nec in Metaphoris: risus enim prati est similis aliquo pacto risui hominis: ergo habent aliquam rationem communem.

Porrò inter Populum Arborem,& Populum Turbam hominum nulla est ratio communis in hoc nomine Populus: neque enim translatum est mutuo ab vno ad alterum: & hic est pura æquiuocatio, vbi, nulla considerata similitudine, fit nominis communicatio, licet in aliquo iterum nomine habeant vniuocationem: Populus enim arbor,& Populus homines, vniuocantur in vocabulo corpus animatum: quæ æquiuocantur in vocabulo Populus. Et quoniam similia inter se habent causam tertiam suæ similitudinis, ideo frustra Peripatetici in Indiuisibili,& in Intellectu inuestigant communitatem Generum,& Specierum,& Transcendentium: ibi enim solæ vnitates numerales insunt: hîc communitates non reales. Cõmunitas ergo realis est in prima omnium vniuersalissima causa. Cognoscimus ergo & in Deo: at qualiter cognoscamus, non cognoscimus. Videmus enim, sed non videmus nostrum videre. Sic & August. sæpè docet, sed nolunt doceri sequaces eius, ab Arist. seducti. Et supra probauimus simile, non facere simile, nisi in virtute ideæ. Nec prędicari nisi per illam: Nam & si homo ille in mente Dei non prædicetur de Petro & Paulo, nisi analogicè, nec sit in Petro & Paulo, nisi participatiuè: nihilominus homo non habet quod sit communis indiuiduis,& de illis prædicetur realiter, nisi ab homine ideante, aliàs non esset prædicatio superioris de inferiori: sed singularis de singulari: cum dico, Petrus est homo. Sigillum in ære vnitas est, facitque communitatem in sigillatis rebus.

Quot autem sint Transcendentia, & num Accidentaliter, aut Essentialiter prædicentur, in 2.Parte declarabitur.

Ex his ergo dicimus, res omnes conuenire in communissimo nomine Ens, ac dici eiusdem ordinationis & analogiæ. Eademque ratione omnia Nonentia sub vocabulo Nihilum, & Nonens:& Participationes, & Imitationes inter Nonentia, quales inter Entia, in ordine quoque suo.

DE PRIMA OPPOSITIONE INTER ENS, & Nonens, istorumque coordinatione.

ARTIC. IV.

DIssimilitudo prima, primaque oppositio, quam summam vocamus, non solum secundum amplitudinem, sed etiam secundum quidditatem, est inter Ens & Nonens, quæ nullo pacto conueniunt, neque ideam habent communem, neque medium inter se. Omnes quidem oppositiones habent sua opposita, in aliquo vno conuenientia saltem in esse: quæ autem neque in esse conueniunt, in nullo conueniunt. Quod maximè est vnum in quidditate conuenit cum his, quæ non sunt maximè vnum in quidditate, eo, quod sunt: & illud & ista imitantia illud, & habent oppositionem: quæ autem neque in Ente conueniunt, omnibus modis opponuntur.

Et vocatur hæc dissimilitudo Contradictio, quę pertinet ad transcendentia, & est radix omnis dissimilitudinis. siquidem dissimiles res sunt, & contrariæ, & diuersæ, & inæquales, quia hæc non est illa, vel non quanta illa, vel non sicut illa, &c. Ergo Nonens dat formaliter dissimilitudinem, ac pluralitatem Entibus. Ergo in Deo, vbi non est vllum Nonens, est summa vnitas, & nulla pluralitas realis absoluta.

Contradictio dicitur affirmatio & negatio eiusdem de eodem. secundum idem, & in eodem, vt Petrus est, & Petrus non est: & Petrus est homo, aut albus, & Petrus non est homo, aut non est albus. Negationum, alia simpliciter negat, caditque super verbo, vt Petrus non est albus; alia priuat, & cadit super prædicato obiectiuo, quia priuat subiectum adiecta forma, vt Petrus est non albus, & non videns, & exprimitur per ly In appositum, vt Infamis, Iners. Alia est infinitans, & cadit super subiecto substantiuo essentiali, vt Nō homo, de quo infinita prædicata dici possunt. Negatio negans fundat contradictionem. Quia verò Nihilum vocabula non habet suorum generum, ac specierum, veluti Ens, oportet illud per vocabula Entis exprimere. Petrus ergo est Ens: Non Petrus, nonens Petri. substantia Ens, non substantia non Ens substans. Nihilum autem Nonens simpliciter: Ens verò Ens simpliciter. Idcirco huiusmodi oppositionem per orationem exprimimus. Dicitur enim affirmatio & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto secundum idem esse, in eodem loco & tempore, & parte: Defectu primi non est contradictio Petrus est albus, & Petrus non est niger, vel non pallidus, vel non est. Respectu secundi non est contradictio, Petrus sedet, & Petrus albus non sedet, vel Paulus non sedet. Petrus enim albus potest alius esse ab illo Petro, qui sedet. Respectu tertij non est contradictio, Petrus est homo, & Petrus non est homo secundum diuersa, id est, secundum speciem est homo, non secundum mores, in quibus similis est Bestiis. Respectu quarti non est contradictio Petrus est albus, & Petrus non est albus dentes: potest .n. in alia parte esse albus, & in dentibus niger. similiter non valet, Petrus sedet nunc, & non sed & mox; & sedet in domo, & non sedet in Platea. Vera igitur contradictio est inter Esse, & Nonesse, & ideò non habet medium, veluti contraria & priuatiua, aliæq; oppositiones: ratione cuius possunt esse ambæ veræ, vel ambæ falsæ propositiones de illis formatæ. Nec enim contradictio est, homo est albus, & homo non est albus; quia de aliis indiuiduis verificatur. & iterū de eodem respectu medij, vt si Petrus est pallidus, potest dici, est albus & est niger, & vtraque falsa simpliciter: & ex participio vtraque vera, & similiter non existente Petro in rerum Natura, vtraq; falsa est, Petrus est sanus, & Petrus est æger. At siue sit, siue non sit, semper altera contradictionis pars est vera, altera falsa, vt Petrus est sanus, & Petrus non est sanus. Verum enim est, quod non sit sanus, quia nec est. similiter in priuatiuis Petrus videt, & Petrus est cæcus, ambæ sunt falsæ si Petrus non est: si autem est altera falsa, altera vera & non semper: nam quando dormit, neque videt, neque est cæcus. sed in contradictione semper est altera vera, altera falsa, siue sit, siue non sit in Natura, vt Petrus videt, & Petrus non videt: vtrum possit transmutari Ens in Nonens in inuicem, in 2.p. declarabitur.

DE SECVNDA SIMILITVDINE, ET DISSImilitudine, quæ est habituum, & priuationum multipliciter, & de ordine, & regressu earum, & quare contradictoria, & quælibet oppositio quatenus contradictionem includit, non potest vtrinque esse vera, vel falsa.

ARTIC. V.

SEcunda similitudo est eorum, quæ insunt, sicut prima erat eorum, quæ sunt. Quidquid autem inest, habetur à subiecto, cui inest, propterea que vocantur habitus; & eorum similitudo vocetur Cohabitudo. Triplices autem sunt habitus; quidam essentiales, vt vita; quidam proprij, vt visus; quidam accidentales, vt sedere, & esse album, esse Regem & diuitem. Nec modo dicitur inesse aliquid in subiecto, sed etiam vt in toto, vt in loco, vt in potesta-

te, vt in notitia, vt in appetitu, vt in fine: qui modi essendi, In, reducuntur ad quatuor, sc. esse in Primalitatibus; esse in materia, accidentaliter, vel substantialiter, esse in toto, esse in loco, & è conuerso: propter eaque totidem sunt habitus & habere, & hæc omnia sunt diuersi generis: alium enim modum essendi, In, habet intelligibile in Intellectu, & è Conuerso; & alium locatum in loco, & locus in locato, & alium forma in materia, & materia in forma, & denique alium pes in corpore, & corpus in pede; qui etiam possunt distingui secundum genera totalitatum, & locorum, & Materierum, & Primalitatum: siquidem & possessor in possessione, & possessio in possidente videntur alterius generis essendi, In, ab, appetibili in appetente, & è conuerso. sic de cæteris.

Oppositio huic similitudini corr領spondens, vocatur Priuatio, quæ non est inter Ens & Nonens, vt contradictio, sed inter Ens, qui inest, & est habitus, & carentiã eius in subiecto apto nato habere illum, quando, & vbi, & quomodo, aptum natum est habere: Ergo inter album, & non albũ esse est cõtradictio: sed inter album & non album, quod est subiectum, aptum habere albedinem, & non habet, est priuatio, vt in niue si nigrescat, & cæcitas est priuatio visionis: nix enim vt nix, & homo quatenus Animal, possunt esse albi & videre. Igitur lapis nõ dicitur cæcus, quia non est natus videre, neque non videns priuatiuè, sed negatiuè, nisi impropria fortasse priuatione, & ideo propriè vtraque est falsa, lapis videt, & lapis est cæcus; sed lapis videt & non videt, altera vera. Priuatio igitur est germen contradictionis, quia nihil ponit nisi subiectum; contradictio verò, neque subiectum nisi vbi simpliciter contradictio non est, sed cum priuatione, aut contrarietate. Porrò non dicitur homo priuatus vi generandi absolutè, quia puer non generat: nec catulus cæcus ante diem nonum; nec Petrus cæcus, quia non videt auribus; propterea diximus vbi & quando, & quomodo natum est habere.

Distinguitur priuatio in suas species, sicut & habitus, & semper sequitur habitum; non tamen post priuationem suscipitur habitus, si priuatio pura est, & essentialis, vt mors & perfecta cæcitas. si autem priuatio est cum altero contrariorum, aut accidentalis, aut imperfecta, est priuatio secundum quid: & ipsam potest consequi habitus. Contraria enim successiuè recipiuntur in eodem subiecto, vt calor, & frigus, lux & tenebra, & omnes formæ simplices contrariæ: quarum imperfecta, solet dici priuatio, perfecta, habitus.

Decompositæ autem & differentes, non sic, vt mox diximus. Similiter si non perficitur priuatio, potest regredi habitus, vt post in valetudinem oculorum perfecta visio, & post infirmitatem sanitas: similiter & in accidentalibus, vt ad non sedere sequitur sedere, & è contra: Ergo obliuionem in Cognoscitiuo, inappetentiam & odium in Volitiuo, & infirmitatem in Potestatiuo, quatenus respiciunt ad obiecta extrinseca accidentaliter, possunt subsequi recordatio, amor, robur, &c. Itidem respectu loci, & locati, potest subsequi priuationem habitus, particulariter, non autem vniuersaliter: priuatur enim homo hoc loco, & iterum regreditur ad hunc locum; non tamen priuatur omni, quia priuaretur existentia; nec regreditur ad omnem, nisi vbi habet existentiam; non enim ad Solem, neque ad Saturnum, sed ad terram, in qua habet locum. Pars etiam potest regredi ad totum, postquam totum priuatum est parte, & pars toto, si totum est similare, & commassabile, non autem si organicum & incommassabile: non enim crus, aut brachium recisum iterũ inseritur priuato corpori. In materiam verò non regreditur eadem forma numero post priuationem, nisi forma subsistentiam habeat propriam, sicut Anima humana in resurrectione, & supernaturaliter: naturaliter autem minime. At neque eadem specie, nisi forsan post plurimas mutationes, sicuti vbi ex vino fit acetum, ex aceto vapor, ex vapore aqua, quæ irrigando vitem transit in vinum. sicut enim tempora non reuertuntur, sic neque habitus: subiectum autem reuertitur, & quidquid est incorruptibile. Præterea nec per diuinam potentiam fieri posse dicimus, vt idem sit, & non sit: Ergo impossibile est, vtramque partem contradictionis esse veram, vel falsam; & consequenter nec priuationis, nec contrarietatis, nec aliarum dissimilitudinum quatenus in se claudunt contradictionem. Propter quam idẽ esset secundum idem calidũ simul, & non calidum. Deus autem sibi ipsi contradicere non potest: ergo dũ dat eidẽ rei esse, non potest simul dare nõ esse, seu subtrahere esse. Nec ligna & ossa, & frumentũ conuersa in lapidem, quæ ostentat Imperatus in suo Museo, probant contradictionem: quoniam verè sunt conuersa in lapides, & secundum faciem sunt lignum & grana: non ergo secundum idem, ibi est affirmatio, & negatio lapidis. Nec ergo priuatiua oppositio, quatenus non ens sapit, ad Physicũ spectat. ipsa.n.in omnib. saltem impropriè reperitur: vtrum omnes habitus sint eiusdem generis vniuoci, an analogi posterius dicendum restat.

DE SIMILITVDINE, SEV COMMVNITATE

generica, & diuersitate, distinguente secundum Artem, & constituente: & quomodo Philosophi priores Platonici, Democratici, Pythagorici, & Peripatetici constituerũt; & quę, & quot rerum genera, eorumque examen. Item quomodo secundum nos, & secundum Naturam aliter constituuntur, & aliter secundum Artes particulares, & generales.

ARTIC. VI.

SVbsequitur tertia communitas, quæ vocatur Generica, mutuato vocabulo ex genere polytico, in quo multitudo hominum, relatorum ad vnum primum, & ipsum primum, vnde deriuantur, & iterum locus, in quo coeunt, genus appellantur: ita ergo quæcunque entia sub aliquo

principio ad inuicem ordinata consimilem habent essentiam, & mutuum vsum, & transmutationem inter se, si transmutabilia sunt; dicuntur esse eiusdem generis, sicut in genere actiuarum naturarum calor & frigus: in genere coloris, album & nigrū; in genere dispositionis materialis, humor, & siccitas: in genere Animalium Homo & Asinus. Quapropter, quæ hanc conuenientiam, & causam, & commutationem non habent, eiusdem generis vniuoci non sunt, sicuti nigredo, & scientia, & triangulus; quæ mirum est, quomodo Arist. posuerit simul in genere qualitatis vniuoca.

Sunt communitates genericæ aliæ superiores, aliæ inferiores, quæ vocantur species illarum; aliæ generalissimæ, quæ species esse non possunt, & inter esse opponuntur nō diuisa per se, & non esse, vt contradictoria, neque per in esse & priuari, sicut priuatiua; sed per alios essendi modos ita separatos, vt inter ea non sit transmutatio: non enim ex linea fit homo, nec Musica ex lapide, nec ex albedine scientia, sicut ex corpore corpus, ex calido frigidum, ex albo nigrum. Nec quia sunt in eodem subiecto conueniunt genere, nisi habeant ab vno primo originem, & inuicem conuertantur: non enim sapor & rotunditas in pomo sunt eiusdem generis.

Porrò diuidi Ens, & ad certas reduci communitates multipliciter contingit: cum enim vna sit rerum vniuersitas nostræ considerationis obiectum, potest primò secundum partes sui principales diuersificari eo modo, quo in ipsa diuisæ cernuntur sensu aut mente; sicut corpus humanum in sua membra. Itaque aliud Ens est à se, & hic est solus Deus, aliud ab illo, & hoc multiplex secundum accessum, & recessum ab eo. Primum namque gradum post ipsum habent Angeli, qui in nouem quasi genera secari possunt subalterna, prout ex sacris dicimus eloquiis. In secundo cælum: in tertio sidera fixa: in quarto errantia: in quinto aërem: in sexto aqua: in septimo terram: in octauo quæ cōposita sunt ex eis diuidendo ponimus aues: deindè terrestria Animalia: deinde aquatica: deinde lapides: deinde mineralia: deinde plantas, & earum diuersa genera. Ventos quoque addere, niues, pluuias, grandines, tonitrua, coruscationes, nubes, cometas, impressiones ignitas, & multa eorum genera, & partes, vel integrales, vt iam dictæ; vel speciales, vt in corpore humano, Os, Neruus, Cartilago, Vena, Sanguis, Corium, Pulmo, Pilus, & cætera huiusmodi, proprias habent considerationes; & sic à Physico tractantur. At quoniam diuisio penes materiam à multis formis, vel paucis, multifariam agentibus, dissectam, ab arte reiicitur: Ars enim adunat similia, & tanquam vnum considerat, eò, quòd nequit singularitates rerum notare: si enim quæ oculis quotidie obiiciuntur penitus considerare vellemus, nec in tota vita vel vnā benè agnosceremus; Nam & Medici, qui versantur circa corpus humanum, post tot anatomias, & libros, considerationibus plenos, vix de oculo vno, vel de aure, vel osse vno rectè, & cuncta consideranda norunt, sicut patuit ex superioribus sermonibus. Propterea diuisio in integrales non datur Arti generum cōstitutiuæ; sed potius diuisio conuenientium in modo essendi, sicut speciales partes in corpore.

Quoniam verò, quæ sunt in mundo, singularia sunt: singularia iterum in multis sunt similia, in multisque dissimilia, præcipuas rerum similitudines, & dissimilitudines, finitas numero, non autem singularitates infinitas considerat Plato: infiniti enim esset laboris, nec forsan vtilis. Non enim homo viuit ex vna re tantum, sed vtitur omnibus mundi rebus. Ideoque prætermissa illa vna singulari, considerat in ea id, quod commune habet in cæteris, vt, quomodo cæteris vti debeat, postmodum sciat. Hinc est quod Ars ex vniuersalibus constat propositionibus, congruentibus cognitioni similium multorum, absentium, futurorumque. Historias autem particularium scribit vt de Alex. de Petro, & de Antonio, quatenus sunt quoddam exemplum vniuersale imitabile, vel declinabile, ad acquirendum summum bonum, mediaque bona, & ad declinandum mala. Et quando in exemplo deest, quod conuenit optimo viro, poëticè fingit illum, vt Virgilius in Ænea, Xenophontes in Cyro. Ars ergo breuitas est considerationum, præcipuas similitudines adunans, & distinguens, vt melius addiscant. Dum loquimur de Saturni stella, dicimus quidquid habet in se, tam proprium, quam commune cæteris stellis. Mox cum de Ioue loquimur repetere non oportet ea, quæ cum Saturno communia habent, videlicet, quod sit stella formata ex calore, lucente ob vnitionem in cælo per se ambulans, &c. sed his posthabitis, dicimus, Iouem esse eiusdem essentiæ cum Saturno, differre tantùm colore, situ, qualitate, motu, & mensura huiusmodi: similiter & cum de Ioanne loquimur, non oportet prædicare, quæ communia habet cum cæteris, quæ dixeramus.

Rerum communitates secundum Artem ordinare, ac distinguere sapientia postulat. Natura quoque monet, in singularitatibus non immorari, nisi vbi communitati est vsui. Igitur non prius de Cælo, & postea de Terra, & postea de aqua, & de cæteris dicendum: sic enim sermo nunquam absolueretur, sed quæ communia habent communiter, & quæ seorsum, seorsum.

In communitatibus, si spectes principium, quod est genus omnium, sicut Romulus, genus Romanorum, vnum inuenitur, quod simul est causa effectiua, exemplatiua, & finalis, scilicet Deus: vnde Apostolus *genus (ait) ergo cum simus Dei*: Et alibi, *A quo omnis paternitas in Cælo & in Terra nominatur.* Si verò communitatem, & connexionem, omnia Entia erunt vnius generis, sicut omnia Nonentia alterius generis.

Act. 17.
Ephes. 4.

Si verò similitudinē Patriæ & loci spectes, omnia corpora & corporalia cōueniunt, sicut Romani in Romana terra: & omnes formæ in materia, quæ genus subiectum Aristoteli vocatur; tantique est apud ipsum, vt diuersi generis esse, quæ diuersa habent subiecta in 5. & in 10. suæ Metaph asserat: etenim quia coloris subiectum est superficies, & saporis humor, videntur ipsi color & sapor diuersi generis. Vocatur etiam genus in Physicis elementum, & elementata sui generis, vt genus aquarum; genus ignium, & ignitorum. Item cuiusque formæ differentiis communitas, vt genus carnis, genus ossis, genus plumbi: maximè autem si habet sub se species, vt Metallum, & Animal, sicut Roma diuersos ordines ciuium: alia enim species sunt Senatores, alia Milites, alia Plebs, alia Magistratus. omne autem genus hominum ab Adam, & omnia Entia genus à Deo sic habent. Sed reuera Genus est Finitorum entium secundum aliquem essendi modum,

quo adunatorum ſeparantur ab aliis: & ideo infi-tus Deus ſub aliquo genere ſeu modo eſſendi non eſt, ſed vt principium Generum.

Opinio Plat. Quoniam quidem difficillimum eſt communitates primas inuenire & ordinare; alij acceperunt eas reſpectu noſtri, ita vt ſint principales quaſi notiones & cognoſcibilium ſigna, quæ prædicamenta vocamus. Vnde Plato aliud genus vocat intelligibilium ſtabiliumque, quæ Animus per rationem inueſtigat, & horum, putat, eſſe ſcientiam: Aliud eſſe genus ſenſibilium ſemper in fluxu, & mutatione currentium, quorum ſenſum facit, & opinionem, ad quam per ſenſus peruenitur, ſicut ad ſcientiam per rationem. Iterum partitur intelligibile in primum, & ſecundum. Primum ponit ideas, Deum, Animas & Mentes immortales. in ſecundo loco numeros & figuras, & Mathematica. Primorum cognitionem, vocat Intellectum; ſecundorum Intellectualem. ſenſibile iterum partitur in primum & ſecundum genus: locat in primo corpora corporeaſque res: in ſecundo vmbras & imagines, & apparentias, quæ ſe habent ad corpora, vt Mathematica ad Diuina. Obiecta verò ſenſuum diuerſa facit genera, potius apparentiarum, quàm rerum: idcirco ſcientiam ab his non venatur, ſed opinionem & ſuſpicionem.

Reprobatio. Nos autem hanc partitionem, nec ſufficientem putamus, nec ſecundum Naturam ordinari prædicamenta; ſed ſecundum noſtri Cognoſcitiui modum, & varietatem. Probauimus autem non modo intellectum intelligere diuina & Mathematica, ſed etiam Phyſica & Moralia; ſicuti & ſenſus etiam Mathematica ſentit: Diuina verò in rebus ſenſibilibus tanquam in imaginibus. Item ſentientis quoque Animæ eſſe rationem, & phantaſiam, vt etiam Theologi multi probarunt, præcipuè Tertullianus, & D. Thomas, qui vnicam ponit hominis formam: Conſtat etiam, hominem diuina non percipere naturali via, niſi prius examinatis omnib. ſenſibilibus obiectis. Præterea etiam Diuinorum eſſe opinionem, & ſenſibilium ſcientiam, cum res prout ſunt attingimus, aut attigiſſe ex parte, putamus, alioquin neque Deus cognoſceret ſenſibilia, neque Angelus per ſcientiam, ſed per opinionem tantum, ſi natura obiecti, & non perfectio cognitionis ſcientiam facit. ſi quis etiam diceret, quatuor eſſe genera Entium, Diuinum, Phyſicũ, Mathematicum, & Morale, is profectò forſan melius diſtingueret: quoniam & ſi ad nos partitio referatur huiuſmodi, tamen ſecundum Naturam habent, & communitatem & diſtinctionem. Diuina enim vocamus, quæ ex ſolis primalitatibus conſtant, vt Deum, Angelos, & Mentes: Mathematica, numeros, & figuras, & ſpatium. Phyſica omnia corpora, & virtutes actiuas corporales, & quidquid ex eis in corpore accidit. Moralia verò quæcunque ad regulam, & enormitatem in gubernatu Animalium rationalium, & Mundi, & Angelorum, ſpectat ad res publicas. Hæc tandem diuiſio vix tangit Ideas, & relationes; non enim pertinent ad Diuina, cum ſint potius reſpectus participabilitatis Diuinæ eſſentiæ ad exteriora: neque diuiſio eſt vniuocorum generum. Nam & Phyſica Entia adhuc habent genera diuerſa, vt ſubſtantia & color: & in diuinis Angelis operatio, & eſſentia & virtus.

Opinio Medic. Qui autem à ſenſibus philoſophantur, ac diuina non ponunt: Mathematica vero & Phyſica confundunt, dum conſiderant prædicamenta notionaliter, quinque tantum faciunt genera diuerſa, videlicet, obiecta ſenſuum, id eſt, colorem, ſonum, ſaporem, odorem, & qualitatem tangibilem. Nec ab re, quæcunque enim nouimus, non per ſe nouimus, ſed per iſta obiecta: lux enim, quæ primus eſt color, coloribus rerum tincta, oculos ſubit, mouet ſpiritum tincturis illis; qui ex paſſione illata iudicat conſequenter de obiectis. ſic figuras, quantitates ac proinde figuratos homines, lapides, ſtellas, & alia percipimus. Tactus per ſe calorem & frigus nouit: per illos vero & mistione, & commiſtione addiſcit humiditatem, ſiccitatem, grauitatem, acumen, obtuſitatem, motum & alia multa. Per ſaporem, internas vires, craſſaſque ſubſtãtias. Per odorem verò, tenues & vnde ſpirant. Per ſonum, motiones & mobilia. & conferendo obiecta ſimul, & coniunctiones, quas habent in rebus, de natura rerum Hominis Animus pronunciat. Quoniam vero eadem res continet omnium ſenſuum obiecta vnita, vt pomũ; alibi verò videtur ſeparata: non enim dulcedo, & mollities pomi eſt in lapide, ſicut color & corpulentia: tandem contemplatur, quæ conueniunt ſemper eidem rei, & quæ non ſemper. *Ex primo.* Item in quibus eſt ſimilis aliis, & in quibus diſſimilis ſemper; & in quibus ſimilis, & in quibus diſſimilis aliquando: & tunc quæ primò inſunt multis, dicit eſſentialia illis, & facit communitates genericas tanquam notiones multorum ſimilium: quæ vero aliquando, ab illorum ſeparat eſſentia, & aliis tribuit eſſentiis, quibus congruũt ſemper & in omni. Igitur quia quinque ſenſuum obiecta non ſufficiunt ad communitates rerum, quandoquidem non illa modò obiiciuntur nobis, ſed multa alia cum illis; idcircò genera non conſtituimus illa obiecta maximè quidem conſtituenda, ſi non agnouiſſemus, eandem eſſentiam eſſe caloris tangibilis, & ſaporis & odoris, excepto, quòd diuerſa mole, & diuerſis inſenſoriis cognoſcuntur. Præterea multa ſunt, quæ ſenſibus non obiiciuntur. Fortaſſe etiam nec ipſa ſunt, ſed fiunt ex congreſſu agentis obiecti, & patientis ſenſus, ſicut de ſaporibus palam eſt. Quoniam eadem res aliis dulcis, aliis amara, aliis fætida, aliis benè olens.

4. Opin. & reprob. Propterea quidam partiuntur res in Entia in Subſiſtentia, & in Apparentia. ſed iſta communitates valdè vniuerſales confundunt ſcientiam generum. *Opin. Democr. & reprob.* Democratici etiam; qui ex obiectis ſenſuum philoſophantur, non diuidunt genera in huiuſmodi obiecta, ſed in vacuum & corpus & connexa, (quæ ſunt figuræ, & pondera) & in concretiones, (quæ fiunt ex corporibus atomorum) & in euenta. Sed hæc diuiſio potius materialis eſt, nec omnia complectitur, cum ſint alia Entia præter hæc diuina & Phyſica.

Opin. Pythag. Reprob. Alij verò ad duo principia omnia deduxerunt genera, hoc eſt ad Bonum & Malum; ſicut Pythagorici multi, & Perſæ, & Cataini.

Verumenim verò diſtinctio hæc ad obiecta voluntatis tantum ſpectat, ſicut prior ad obiecta cognoſcitiui. Neque enim datur Bonum & Malum in Natura, niſi Ens & Nonens. *Entia* enim *omnia bona ſunt valde*, & teſtante Deo, tanquam ſummi boni participia: alterum tamen alteri dicitur malum reſpectiuè, non abſolutè vt frigus, calori, & calor frigori. Vitia enim dicuntur moraliter mala ſimpliciter, quia à veri boni conſecutione errant: Phyſicè autem ſunt exceſſus, defectuſque extenſionum primalitatum erga obiecta. Excedit etiam

Bonum

Bonum & Malum diuersitatem, & transit ad priuatiuam positionem & contradictoriam, in quibus sunt transcendentia, & non genera, vt in 2. p. manifestabimus.

Opinio Alcmeonis. Quidam Pythagorici decem genera contrariorum fecere videlicet Finitum, & Infinitum, Impar, & Par: Vnum & Multitudinem, Dextrum & Sinistrum, Marem & Fœminam, Quietem & Motũ, Rectum & Obliquum, Lucem & Tenebras, Bonum & Malum, Quadratum & altera parte longius: ex his autem fuit Alcmeon Crotoniates, qui non modo prædicta contraria principia ponit, & quascunque ergo contrarietates dignificat, vt calorem & frigus, album & nigrum, dulce, & amarum; graue & acutũ, consonantiã & dissonantiam, &c.

Reprob. Verum enim verò non rectè videntur processisse: aut enim ponunt hęc tanquam differentias summorum generum, aut tanquam prima genera siquidem differentiæ sunt, habebunt genera propria, quæ diuidunt. At quæso, cuius nam generis differentia est Bonum & Malum? aut enim Bonum conuertitur cum Ente, & sic malum erit Nonens, contradictoriè oppositum, in nullo genere conueniens cum Ente. Si autem Malum sumatur priuatiuè pro carentia debitæ bonitatis in aliquo subiecto, tunc bonum & malum non genera constituunt, sed analogas communitates.

Præterea cum sint obiecta Primalitatis tertiæ, non conueniunt cum Recto & Obliquo, quæ sunt passiones Mathematicarum rerum, sed longè excedunt: quomodo ergo statuerunt principia hæc æquè prima?

Præterea Rectum & Obliquum; Quadratum & altera parte longius, ad figuram pertinent, & sunt passiones quantitatis Physicæ; quomodo ergo numerabuntur cum primis generibus, cum sint inferiorum generum, differentiæ & species?

Præterea finitum & infinitum partiuntur Ens, & non Deum à Deo. genera autem sunt finita, & finitorum Entium communitates, & Ens aliquod, non autem Ens simpliciter: Si autem Genera non essent Finita, omnia essent vnum genus, vt in 2. p. videbimus. Impar & Par numerum, vel si finitum & infinitum quantitatem respiciunt Physicam, ambæ contrarietates istæ infrà principia sunt. Non rectè ergo statuuntur finitum & infinitum genera. Et si par & impar sunt differentia numeri, quomodo adhuc ponunt vnitatem & multitudinem, quæ sunt numerus & principium eius tanquam prima? Et si vnum & multa transcendentaliter ponuntur, ad vnum genus Entium non spectabunt. Quod si ad omnia genera pertinent principia ista Pythagorica, tunc redarguentur à luce & tenebris, & quadrato & altera parte longiori, quæ non sunt in omnibus, sicut est Bonum & Malum, vnitas & multitudo.

Dextrum & sinistrum, vel ex virium fiunt diuersitate, & ita dextrum calori sinistrum frigori videntur tribuenda; vel calori robusto, & debili, vel partibus rerum melioribus, & peioribus; & sic etiã masculinitas illis, fœmininitas istis. Potius autem igni & terræ primis Elementis à calore & frigore constitutis, vel materia sit fœmina, & causa agens masculus.

Præterea hæ contrarietates non videntur per se inesse, sed per respectum, sicuti magnum & paruum, quæ etiam addi poterant ponentibus par & impar, vnum & multa. Quæ insuper ex materiæ diuisione & vnione ortum habent in Physico genere: materia autem hæc patitur à causis actiuis: causæ actiuę à Primalitatibus, quę non dant nisi quod habent saltem eminenter, & idealiter, & hoc erat distinguendum.

Motus & quies sunt species operationis. ergo habent superius genus, vel sunt mutatio & mutatum esse, & sic pertinent ad finem, & media, & mutationes, nec quidem videntur genera constituere.

Opin. Raimũdi Lullij. Recentiores principia posuerunt generica Absoluta, & Relatiua nouena. Absoluta sunt Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria. Relatiua verò, Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Maioritas, Æqualitas, Minoritas.

Equidem puto non recto examine.

Bonitas enim & veritas, sunt obiecta voluntatis & sapientiæ: declarandum autem erat, quomodo obiecta & facultates sunt genera ęquè prima, & vtrum hæc omnia sint vnum secundũ rem, & vbique rerum: differant autem solum ratione; an in quibusdam rebus quædam, & differant realiter: etenim neque voluntas, neque sapientia videntur esse in linea & in albedine, neque gloria; sunt tamen Bonitas & Magnitudo, & Veritas in omnibus: datur enim linea magna, & bona & vera: nõ tamen sapiens & volens.

Præterea neque intellexisse videntur naturam Primalitatum, & quomodo voluntas est à sapientia & Potestate: sapientia verò ab vna Potestate.

Præterea cum Bonitas in cunctis reperiatur, vnde summi generis rationem tenet, eadem ratione ponenda erat vnitas, & entitas, absque quibus res non sunt vllæ.

Item obiectum Potestatis, & Virtutis. Præterea Ens vt cognitum vocatur verum, vt amatum verò Bonum. Sunt ergo extrinsecę denominationes, quæ non constituunt essentialem, & intrinsecam principationis vim.

Videtur autem homo coaceruasse communia ad sermones cõfarcinandos potius quàm ad rerum genera distinguendum.

Relatiua etiam non satis probantur: non enim differentia & contrarietas solummodò oppositiones sunt, sed & contradictio, & priuatio, & diuersitas, & disparitas, aliaque multa; quę si ad vnum primum commune vocabulum conducenda erant, sufficiebat oppositionis nomen, vel dissimilitudinis, quemadmodum & omnes similitudines ad concordantiæ nomen reduxit.

Præterea æqualitas est concordantia in quantitate: non rectè ergo ponitur aliud genus relatiuorum, alioquin quemadmodum ponit principium & medium, & finem oportebat etiam addere causam, & effectum. Sunt etiam relationes non solum in quantitate & similitudine, & oppositione, & in causatione, seu ordine, cuiusmodi hic ponuntur, sed in omni Prædicamento. vnde non videtur sufficienter loquutus. Vel si de Relationibus loquitur transcendentalibus, erant addenda alia, vt possibile, contingens, necessarium & omnium potentiarum ad sua obiecta respectus.

Opin. Peripatet. Quærentes Peripatetici quid rerum genera di-

ſtinguit, & quid diſtincta conſtituit: & quare potius in vno genere, quam in alio, hæc vel illa Entia adunentur, & quare non ſit vnum genus primum, vnde alia oriantur genera. Reſpondent, non poſſe dari genus vnum omnium ipſorum propter diuerſitatem rationum formalium; nam & ſi conueniant ſub Ente & Bono, & Vero, & Vno; Ens tamen æquiuocum eſt illis, ait Porphyrius. Æquiuocum autem voce, & non ratione commune eſt. Ariſtoteles verò in princ. 4. Metaph. & in prin. 12. putat vnum eſſe verè Ens, quod vocat ſubſtantiam: Cætera autem non eſſe Entia, ſed Entis Aliquid, & reſpectu ſubſtantiæ habere eſſentiam, quatenus aliquid eius ſunt. Et veluti (inquit) ſanum dicitur de Animali eſſentialiter & verè: de vrina autem & de medicina non dicitur verè, ſed ſecundum quod referuntur ad Animalis ſanitatem; vrina eſt ſana, quia eſt ſignum ſanitatis, medicina eſt ſana, quia cauſa ſanitatis in animali: Per ſe autem nec medicina, nec vrina ſanæ ſunt; ita per ſe Ens eſt ſubſtantia, alia verò ab ipſa ſunt Entia, quia ſignum eius ſunt, aut via ad ſubſtantiam, aut motus eius, & generatio eius, & corruptio eius. Et ita vilificat omnes Entitates, vt negationibus ipſas comparet. Sicut enim dicitur homo non Aſinus, & cæcus, & denominatur à Nonentibus, ita dicitur ſubſtantia quanta, qualis, ad aliquid, agere, pati, in loco, in tempore, & poſitu, & habere; quæ ſunt nouem accidentia: non enim ſunt verè Entia præter ſubſtantiam, niſi eius denominationes: & non quod, ſed quo ſubſtantia eſt talis, vel ſic.

Propterea diuidunt Ens Peripatetici in per ſe, quod vocant ſubſtantiam: & per aliud & in alio, quod vocāt accidens: eſſentialeque ſubſtantię putant Eſſe, accidenti vero Ineſſe.

Accidens poſtmodum ſecant in nouem prædicamenta, vno dato ſubſtantiis.

Perperam quidem, ſi Ariſtotelis decreta maneant. Ex quo enim ſubſtantia eſt, & cætera inſunt, duo tantum prædicamenta facere deberent: quidditas ſubſtantiæ eſt Eſſe per ſe & ſubſiſtere; ſed hic modus Eſſendi facit vnum genus: ergo & Ineſſe vnum deberet dumtaxat facere: & ſi hoc multiplicant, & illud debent multiplicare; & ſicut ly Accidens eſt Analogum ad decem genera, & non vniuocum; ita & ly ſubſtantia ad alia genera. Siquidem & ipſe Ariſtoteles in fine 10. Metaph. corruptibile, & incorruptibile facit differentias Entis, & non alicuius generis; ſed differre, ait, pluſquam Genere. Cum autem in eius Philoſophia ſint ſubſtantię corruptibiles, vt elementa, & elementata; & aliæ incorruptibiles, vt Cælum, materia prima, & intelligentiæ, & Deus; debuit duo ſaltem prædicamenta ſubſtantiæ facere. & iterum cum corporea ſubſtantia incorruptibilis diſtet genere incorruptibili, quoniam non conueniunt ſubiecto, nec commutatione, quod generis vnitatem requirit Ariſtoteles in præfatis libris, & in quinto, & in decimo. Ergo aliud genus eſt Dei, & intelligentiarum, aliudque cæleſtium corporum: ergo eius prædicamenta ſunt in ſufficientia ex parte Entis, & abundant ex parte Nonentis.

Auerroes quoque agnouit, quod Plato prius docuerat, intelligentias cum corporibus non eſſe in eodem genere; immò nec corpus cæleſte cum inferioribus ſubſtantiis; neſciuit tamen Ariſtotelis ſeruitutem excutere, Prædicamentaque ſtiuere noua.

Scotus quoque intellexit, quod ſi eſſe In, eſt eſſentiale cunctis accidentibus, debet vnum ſtatuere Prædicamentum, & non nouem; vnde rapitur ad negandum de Eſſentia Accidentis eſſe aptitudinalem ſaltem inhærentiā ad ſubſtantiam. Et perperam quidem ſi Ariſtotelis dicta conſideraſſet, vbi Nonentibus & negationibus Accidentia comparat, & extrinſecam dat illis Entitatem, ſicut vrinę ſanitatem. Benè tamen Scotus loquitur in argumento: Siquidem eſſe, In, eſt eſſentiale accidentibus: Ergo vniuocum, ergo conſtituat vnum genus vniuocum: nam & Ariſtoteles in ſecundo poſt. probat Ens non eſſe genus, quia non eſt de Eſſentia rerum: at ſi de eſſentia rerum eſſet, vtique genus eſſet: ergo idem valet & de Ineſſe argumentum.

Rurſus Ariſtoteles in 5. Metaph. tex. 13. & ſequentib. diſtinguit Ens in Per ſe, & Per accidens: & vocat Per accidens quidquid eſt compoſitum ex variis eſſentiis, vt homo albus ex ſubſtantia, & accidente; vel albus Muſicus ex duobus accidentibus diuerſi generis; vel Muſicus homo, quod eſt idem; ſed in figura prædicationis differt. Haud tamen ex hoc Ente per accidens facit ſcientiam, aut Prædicamentum. Ens verò per ſe ſtatim diuidit in decem cathegorias, *Quoniam* (ait) *ſignificat vel quid, vel quantum, vel quale, vel facere, vel pati, vel ad aliquid, vel vbi, vel quando, vel* (ſicut in prædicamentis complet) *ſitum, vel habere.*

Vbi ſanè ſibi & naturę repugnat; quoniam ſi accidens eſt quid diuerſum à ſubſtantia, debet proprium facere prædicamentum, vti apud nos. Item ipſe in fine eiuſdem 5. Metaph. diuidit Accidens in id, quod ineſt alicui, & non ex neceſſitate, neque plerumque, vt foſſioni, quę eſt actio, ineſt inuentio theſauri, non intenta in illa actione, & homini Muſico ineſt eſſe album; ſimiliter non neceſſario nec plerumque. Aliud accidens ponit quod per ſe ineſt, ſed non ingreditur eſſentiam vt riſibilitas in homine. Ergo Ens per accidens non eſt, niſi complexum ex Entibus per ſe: tamen accidit Muſico eſſe album, & albo Muſicum, & inuentio foſſioni, & foſſio inuentioni, & Petro eſſe album, & album eſſe Petrum, ſicuti & triangulo eſſe ligneum, & ligno eſſe triangulum. Ergo perperam Ariſtot. non facit prædicamentum Entis per accidens propter hoc, quod complexum eſt: nam & Ad aliqud complexum eſt. Nulla enim res eſt ad ſe, niſi conſiderata vt alia. Quapropter videtur ſibi ipſi repugnare, quod dum diuidit Ens in per ſe & per accidens, conſtituit Prædicamenta Entis per ſe, & non per accidens: cum tamen ex profeſſo declarauit in 4. & 11. & 12. Metaph. accidentia, ex quibus facit nouem Prædicamenta, non eſſe Entia, niſi per accidens, & per aliud, veluti vrina non eſt ſana niſi per Animal: & comparauit ea Nonentibus, priuationibus nimirum ac negationibus, & præcipuè in lib. 6. tex. 4 dicit, Accidens ens eſſe ſolum nomine, non re. Nec dicant accidens, & per accidens eſſe diuerſa, eo quod accidens ſit præter eſſentiam, & inſit contingenter, & non plerumque, vt ipſe ait.

Siquidem hoc eſt etiam Ens per accidens. Accidens .n. non eſt abſolutū, ſed ſubiecti, id, quod eſt:

& idcirco per ſubiectum Ariſtoteli definitur. Et quod ſint idem, rurſus patet, ex eò, quòd in 5. Metaphy. T. 13. vbi docet quid ſit per accidens, ponit de Muſico ædificāte exemplum: qui non quatenus Muſicus, ædificat, ſed quatenus accidit Muſico ædificatoria, & ædificatoriæ Muſica in eodem ſubiecto. Quod exemplum repetit in 6. & 7. vbicunque de Ente per accidens, & de cauſa per accidens, & de accidenti ſermonem habet. Quapropter ſui oblitus, excludit Accidens à Prædicamentis. In 6. autem de accidentibus dicit, non eſſe ſcientiam, & tamen de illis diſputat, quid ſint & propter quid ſint, & quare ignorātur: vbi D. Thomas ait, *Quamuis ea, quibus conuenit eſſe per accidens, non cadant ſub conſideratione alicuius ſcientiæ, tamen ratio huius, quod eſt, eſſe per accidens, ab aliqua ſcientia conſiderari poteſt.* Doctè quidem: ergo non rectè excluditur ab Ariſtotele. & ſi enim particulares ſcientiæ non tractant de ipſo, vniuerſalis tamen, vt Metaphyſica, & Dialectica non omittunt. Item de indiuiduis non eſt ſcientia in quantum indiuidua, teſte Ariſtot. ſed in quantum ſub vniuerſali ſunt. Ergo & de accidentibus eſt etiam ſcientia in communi, & non de hoc vel illo niſi ſub illo communi: quare nos nō abs re de Accidenti, & Circunſtantię genus fecimus. Habent enim Entia particularē eſſendi modum, quatenus accidunt aliis. Præterea dant definitionē de Accidenti Peripatetici, per quā Accidens in communi notificatur, & de ſimilibus particularibus conſimiliter, ſicut per definitionem hominis de indiuiduis. Habet etiam genus, quo cum aliis Entibus Accidens conuenit; & differentiam, qua diſcrepat, ergo cognoſcibile eſt. Præterea enim Theologi, & Philoſophi diſputant de Fato, de Caſu, & Fortuna, & determinant quid ſint, vnde, & quomodo, & quid de ipſis ſcitur, & quid ignoratur. Hoc autem ſcire eſt: nam & de homine quid ſcitur, & quid ignoratur, & de Cælo, & de ſtellis, & de infinito, & de luce inſuper, dicunt ſapientes. Profecto non datur ſcientia de omnibus, quę accidunt homini, vel Petro, cum datur ſcientia de homine, & de Petro. Sed quod accidant ei innumerabilia, & præſertim hæc.

Miru n præterea, quomodo Ariſt. Ens per ſe diſtinxerit in ſubſtantiam, & in nouem genera accidentium, quæ tamen ſolo nomine Entia eſſe docuit, vel reſpectu ſubſtantiæ. D. Thomas in lib. de Ent. & eſſ. putat propterea Accidentia in concreto non poni in prædicamento: ſic enim dicunt primo ſubſtantiam, ſecundatio vero ſe ipſa ſecundum id, quod ſunt per ſubſtantiam & in ſubſtantia. Album enim non dicit Ens per ſe, ſed ſubiectum ſubſtantiale, albedini ſubſtratum. In abſtracto vero ſignificari Accidentia per ſe, & ita ingredi, & conſtituere Prædicamenta, vt albedo, qualitas: in concreto enim quid per accidens dicunt, & hoc videtur Auicennas velle, vt teſtatur idem in 5. Metaph. Verè D. Thomas argumentatur: nam ex principiis Ariſtot. ſequitur, vt non poſſint conſtituere Prædicamentum Accidentia in concreto, quoniam dicūt quid per accidens: Ariſt. autem ex per ſe entibus Prædicamenta ſtatuit. At Ariſtoteles hoc nec cōſiderauit, nec docuit; ſed ſecum ſtultè pugnauit: nam & in lib. Prædicam. & in 5. Metaph. diuidit Ens in ſubſtantiam, Quantum, Quale, Facere, Pati, Habere, &c. vbi ſemper concreta ponit Prædicamenta, & non abſtracta. Non enim dicit quantitatem, ſed quantum: nec Qualitatem, ſed Quale; vt album, non albedinem.

Rurſus vbique in Metaph. & in Pædicam. ponit album non albedinem in qualitatis prædicamento. Fruſtra Caiet. conatur conciliare Ariſtotelem cum D. Thoma; quod nimirum Logicè loquendo concreta accidentalia non ſunt in Prædicamento, veluti ſubſtantialia: ſed Metaphyſicè ſūt. Repugnat enim Caietano Ariſtoteles, quippe, qui in Logica, & in Metaphyſica ponit accidentalia concreta in Prædicamento: in abſtracto autem ferè nunquam. Rectè D. Thomas ſecundum rem iuxta modum ſignificandi in abſtracto Accidentia tanquam abſoluta à ſubſtantia Prædicamentum facere docuit, quidquid erret Ariſtoteles: ſubſtantias verò in abſtracto non facere Prædicamentum vt humanitas, quoniam ſignificat per modum partis, ſicut nec forma, nec materia per ſe, niſi reductiuè. Quod enim in prædicamento eſt, totum eſt, vt poſſit prædicari: & rectè monet quoad ſignificandi, & prædicandi modum; ſed de totalitate & partialitate, & eſſendi modis, alibi, vt mox docebimus: non enim modos prædicandi nunc quęrimus, ſed eſſendi, qui Ens ad genera cōtrahunt.

Ratio numeri prædicamentorum apud Peripateticos.

RAtionem, quā Prædicamenta ſunt decem numero, & hæc potius quam alia, nullam aſſignat Ariſtoteles, niſi quia eſſe tot modis ſignificatur, quot dicuntur prædicata. *Igitur quia, quæ prædicantur, alia dicuntur Quid, alia Quantum, alia Quale, &c. ideò Eſſe toties ſignificatur, vbi ex modis dicendi modos ſignificandi, & Eſſendi proponit. Alibi verò ex relatione ad ſubſtantiam ipſa videtur aſſignare: vnde, inquit, maximus quidem inter Peripateticos, tripliciter ad ſubiectum poteſt ſe habere prædicatum.*

Vno modo, cum eſt id, quod ipſum ſubiectum, vt cum dico Socrates eſt Animal. & hoc prædicatum ſignificat ſubſtantiam primam, id eſt particularem, de qua omnia prædicantur.

Secundo modo ſumitur prædicatum ſecundum, quod ineſt ſubiecto. & ſic vel ineſt per ſe, & abſolutè, vt conſequens materiam, & ita eſt Quantitas: velut conſequens formam, & ſic eſt qualitas. vel ineſt ei nō abſolutè, ſed in reſpectu ad aliud, & ſic eſt Ad aliquid.

Tertio modo vt prædicatum ſumatur ab eo quod eſt extra ſubiectum: quod quidem ſi non ſit menſura ſubiecti, prædicatur per modum habitus. vt cum dicitur Socrates eſt calciatus, vel veſtitus. Si autem ſit menſura eius, cum menſura extrinſeca ſit, vel tempus, vel locus ſumitur prædicamentum, vel ex parte temporis, & ſic erit Quando vel ex loco, & ſic erit Vbi, non conſiderato ordine partium in loco, quo conſiderato erit Situs.

Alio modo vt id, à quo ſumitur prædicamentum ſecundum aliquid ſit in ſubiecto, de quo prædicatur, & ſiquidem ſecundum principium, ſic prædicatur vt Agere, nam actionis principium in ſubiecto eſt. ſi verò ſecundum terminum, ſi prædicabitur vt Pati: nam Paſſio in ſubiectum patiens terminatur. Hæc ille.

Sed vtinam, nec ego quid vltra, quod egrè facio, emendandum putarem. ſed veritas vtroſque

mouet: & stat intellectuum discordia cum concordia voluntatum. Rectè quidem ex Arist. dogmate, iuxta modum prædicandi de substantia, prędicamenta venatur: Verum non satis declarat quod vult. Si enim Accidentia constituunt Prædicamenta quatenus significantur in abstracto, quia sic, vt ibi dicit contra Auicennam, sunt Partes Entis per se, in concreto verò Entis per accidens, quod in Prædicamentum non ingreditur: Ergo non erunt Prædicamenta à modo prædicandi de substantia: sic enim sunt concreta & per accidens, sed à modo existendi per modum substantiæ, sicut ipse dicit in abstracto; quo quidem modo non prædicantur de substantia, sed de inuicem, superius de inferiori, vt albedo est color, scientia est habitus, &c.

Item si prædicationes per modum substantiæ constituunt prædicamentum, & omne Ens propriam habet essentiam, seu substantiam, vt ipsi loquuntur, tunc debuit vnum prædicamentum de essentia fieri, in quo omnes modi prædicandi inter se eiusdem generis continentur. Nam non minus substantialis est hæc, albedo est color, quàm Socrates est animal: ergo si fit primus modus prędicandi, quando prædicatum est idem cum subiecto; secundus quando inhæret subiecto, tertius, quando denominat ab extrinseco: igitur cum in hac prædicatione, albedo est color, & triangulus est figura, dicatur de subiecto id quod est subiectum vt in primo; non sola erit prædicatio hæc constituens substantiæ genus, sed omnia genera. Nam genera sunt diuersa, vt aiunt à diuersis modis essendi, & faciunt prædicationes essentiales sub se cuncta: quatenus autem genus de altero prædicatur, fit accidentalis prædicatio: non ergo hoc accidentale facit genus, sed essentiale: & ita sanè ordinantur prædicamenta. ita enim accidentalis est hæc, pater vel albus, vel musicus, est homo, sicut ista, homo est albus, vel musicus, vel pater. Nam & hæc, triangulus est ligneus ab Arist. accidentalis dicitur, & verè. & in prædicamento ad Aliquid dicitur, quòd seruus refertur ad Dominũ in quantum Dominum, non in quantum hominem, aut bipedem, aut animal: hæc enim ait, accidentia sunt Domino quatenus relatiuo sicuti esse vicinum refertur ad vicinum: accedit autem vicino esse columnam vel hominem, & ita dices de cunctis generibus. Non ergo prædicamentum substantiæ facit prædicatio prædicati, quod est idẽ cum subiecto: nam in omni genere est hæc identitas intra suam cathegoriam. Quapropter facienda erant duo prædicamenta analoga, alterum de essentia, alterum de accidente, quod copulat diuersas essentias. Deinde constitutis vniuocis essentiarum cathegoriis, sufficiebat vnum prædicamentum de Accidente, pertinente ad existentiam exteriorem, quemadmodum nos fecimus, nisi velimus plurima conficere accidentalia, quot nimirum sunt coniunctiones cuiuslibet generis diuersi cum quolibet genere diuerso. Item non rectè iuxta eorum principia docet prædicata inhærentię absolutę esse duo, alterum à materia sc. Quantitas: alterum à forma sc. Qualitas: & vnum respectiuum sc. ad Aliquid. Quantitas enim ex non quanto fieri, & fluere nequit in doctrina Aristotelis: nec enim lineam facit ex punctis, sed ex lineis: nec corpus ex superficiebus, vt docet contra Platonem. Quomodo ergo nũc fluet ex materia penitus incorporea, & magis non quanta quam punctus, corpus & quantitas, cum nec ex punctis & superficiebus quantis fieri possit Aristoteli? At si propterea quod formę Materia vnitur, habet, vt causet quantitatẽ. Igitur hoc nõ à se, sed à forma illi venit. Quę rursus cum nec sit quanta, non potest quantitatem dare: multo autem minus materia, quę est potentia tantum passiua, cuius est recipere modò, non dare. palàm etiam erit, quòd nec compositio non quantorum faciet quantitatẽ, quando Peripatetici punctum puncto additum quantum non facere maius, decernunt. Rectius ergo ponimus nos corpus substantiale, vt & docet S. Thom. opusc. 42. sortiri quantitatem, cum terminos certos adipiscuntur: quantitas enim terminus, & mensura substantię est: corpus autem Physicum substantia est. Et quia forma ipsum determinat, forma dat ipsi quantitatem, quatenus quantitas est mensura tantę, videlicet materię, quanta sufficit formę, eam occupanti; vt patet in omnibus Qualitas autem mox sequitur, vt modus tantę quantitatis, seu magnitudinis. Quapropter non ex materia non quanta fluit quantitas, nisi sumatur pro corpore substantiali, quod nobis est ipsa materia: sed à certo gradu, & vsu formarum: quæ statim terminatę moli dant figuram siue intraneam, siue extraneam; quæ Qualitas est, modusque passiui actiuique principii: Illud est à forma, & præcipuè Aristoteli, & D. Thomę nec minus falsum esse, omnem qualitatem à forma prodire. De actiuis enim qualitatibus verum est, vt de coloris gradibus, & temperiebus; non autem de passiuis. Nigredo enim passiua qualitas, & materię vultus est, vt mox aperiemus: item corpulentia, & inertia materiæ modificat actiones, & agentes formas, & facies earum, & vires Qualitas autem modus est quantificatę substantię, & omnium accidentium, vt & D. Thomas comprobat in 2. 2. Præterea intellectus carentes materia formaque, cum sint virtutes per se subsistentes, habent qualitates suas. Et vnumquodque agens voluntarium modificat, & qualificat actus proprios, largiturque illis certam quantitatem, & qualitatem. Non ergo prædicamenta Quantitatis, & Qualitatis sunt à materia, & forma Physica tantum, nec vniuoca. Peripatetici insuper de materia quippiam enunciare non debent, cum illis nec sit quid, nec quale, nec quantum, sed potentia ad recipiendum, non ad dandum quidditatem, qualitatem, & quantitatem. Quantitas præterea spatij, quod omnino est immateriale, vnde nam erit? & quantitas virtualis intelligentiarum, à quà materia?

Præterea non rectè dicitur Quantitas, & Qualitas, quasi absolutè consequi materiam, & formam: & quæ insunt respectiuè constituere Ad aliquid. siquidem & Quantitas est respectiua. Est enim Quanti Quantitas; & si magna vel parua est, respectiua est, teste Arist. & quidem si multa aut pauca, aut bicubita, aut tricubita, aut dupla, semper respectiua est. & radicaliter videtur esse respectus: quoniam tanta est magnitudo in materia, quantam determinat sibi forma ad proprium vsum. Non ergo quantitas est à se, & gratia sui, sed agentis gratia formæque, & vsus eius: alias in quolibet subiecto eadem esset quantitas. similiter & qualitas refertur ad quale. Item est qualis, & qualificantis, & qualificati qualitas: & sicut modus est ad aliquid, ita & ipsa: non pro-

pter se dumtaxat est. Omitto autem, quod & similitudines, & æqualitates secundum hæc prædicata dicuntur, & sunt relationes. Quia igitur relationis fundamentum, & terminus est omne ens, & entis magnitudo & modus, frustra conantur facere aliquid prædicamentum ex his quæ insunt substantiæ ad aliud. Quæcunque enim insunt, sunt ad aliud & extrinsecè, & intrinsecè. Rursus non videtur rectè positum Relationis prædicamentum ab eo, quod inhæret substantiæ, quoniam ab ipsa substantia sumi potest, vt declarabitur de identitate generica, specifica, & numerali substantiarum, & de forma & materia, substantialiter relatis ad inuicē. Porrò, si ad aliud est, non ab eo, quod inhæret, sed ab eo, quod adhæret hoc prædicamentum fieri debeat: quoniam secundum suum esse non est, In, sed Ad. At potius inter extrinseca numerari debeat prædicata, cum præsertim columna fiat dextra, non mutata, nec sibi inhærente dextreitate.

Tandem sufficientia prædicatorum extrinsecorum valdè inanis esse videtur: *aut enim sunt extra, non vt mensura, & sic est habitus* (aiunt) *aut vt mensura, & sic erit locus, aut tempus, vnde ponitur Vbi, & Quando: aut secundum aliquid est in subiecto, licet sit extrinsecum, & sic vel secundum principium, vel secundum terminum, & ita prædicatur Agere & Pati*, &c. Membra siquidem huius diuisionis sunt perperam secata. Nam si extrinseca prædicata alia sunt vt mensura, & alia vt non mensura: ergo quicquid dicitur secundum principium & terminum, pertinet ad non mensuram. Ergo non modo habitus, sed Agere & Pati ita condiuiduntur ab Vbi, & Quando. Ergo ly, non vt mensura, debebat distribui prædictis tribus prædicamentis, & assignare proprias differentias, & ostendere, quod non sunt aliæ, quæ possint prædicata statuere; & quod hæ verè statuant.

Et de Situ quidem quasi cōsequenter ad Vbi loquitur, addito ordine partium. Ergo & ipse pertinet ad mensuram, & cur non supra Quando addimus ordinem partium, vt faciamus aliud prædicamentum? Poterat quidem addere & memoriam, & facere prædicamentum memorabilitatis Quoniam si vestimentum hominum facit Habitum, cur non & memoria? & ad habitum possent addere ornamentum, & facere prædicamentum ornamenti.

Præterea, falsum videtur, quod non sit adiacens vestimentum, vt mensura, cum debeat vestito æquari: vt corium coriato, ita calceus calceato. Ergo hæc distinctio à tempore est nulla. Alibi vero idem autor ait. *Extrinseca esse quinque videlicet, corpus adiacens, locum, tempus, causam, & effectum: & à loco sumi Duo, Vbi, & Situm, addendo ordinem partium: à reliquis singula, itaut sese principia sint prædicamentalia ab extrinseco.* At hoc est non quærere rerum varietates, sed res Arist. per vim accommodate. Non modo enim vestis adiacet, sed & corpus adiacens: ergo non solum Habitus, sed Ambitus erit prædicamentum. Nam licet Aristoteli locus sit superficies ambientis, tamen in prædicamentis locum non esse superficiem, sed spatium immobile, specificè distinctū à superficie, sicut homo ab asino docet. Sed esto superficies, adhuc corpus ambiens, habet suam adiacentiam. Item, nec Vbi facit prædicamentum, quia est corpus ambiens Aristoteli: nam esse in platea & in domo, est denominatio prædicamentalis, & tamen in

Sup. 3. Phys.

platea non ambitur à platea, sed ab aere adiacente, qui est ibi. Prædicamentum ergo constituit illi locus communis & vulgaris, & non ambiens superficies quæ debuisset ergo magis quam vestis apponi.

Præterea, non solum homo denominatur à vestimento, sed à possessione prædiorum, pecuniarum, & mancipiorum, nec minus quam à vestimento. Quare ergo ab his extrinsecis non constituit itidem prædicamentum, cum præsertim non vt mensura denominet? Equus quoque dicitur phaleratus ab extra, & inferratus: ab intra vero dicitur & impilatus (nam oportet vocabula fingere) & impellatus. Aues quoque pennati, Pisces squamati, Boues cornuti, Accipitres vngulati, Limaces testacei: Ergo non ab extrinseco solum est prædicamentum Habitus: & hæc enim Haberi dicuntur, & non transumptiuè (vt aiunt) sed magis intrinsecè ac propriè, quam vestes. Dicitur homo etiam vulgariter impossessionatus, ammeretricatus, qui habet possessionem & meretricem, & vxoratus, quia vxorem. Si dicas hoc pertinere ad dominium, & consequenter esse Ad aliquid: ego similiter dicam, habere vestes, Ad aliquid esse. Ergo superfluè positum est prædicamentum habitus, vel addenda essent adhuc alia. Dicitur homo quoque habere Dominum, & Regem, & Molestias & Albedinem, & Lætitias, & Oleum, & Vxorem, & Quantitatem, & Scientiam, & Pulchritudinem, & Rationalitatem: & sic de cæteris Entibus. Ergo vel ly habere significat esse, & pertinet ad omne genus, vel relationem, & sic pertinet illi Ad aliquid, nobis ad omne genus, vel ad potestatiuum transcendens omnia genera vniuoca, sub intellectu principio agendi vel patiendi: nam & habere pecuniam & habere febrem, dicimus. Et in 5. Metaph. & in Postpræd. ita videtur Aristoteles sentire. Perperam ergo facit Prædicamentum habitus, cui oportet addere suum post Prædicamentum, & confiteri per hoc esse illud imperfectum, & non vniuersale genus Entis.

Mirum præterea quomodo ponunt Agere, & Pati extrinseca, & non inhærentia, cum ipsis omnia Accidentia inhæreant præcipuè ista: nam si quia veniunt ab extrinseco, vtique & accidentia separabilia aliud facerent prædicamentum quatenus aduentitia. Præterea esse causam, & effectus sunt relationes, vt ipsi docent, & quomodo, ergo nunc fundant duo Prædicamenta? Item esse simile, & dissimile, sunt denominationes ab extrinseco: ergo non sunt quinque solum. Item cur ab his non fiunt prædicamenta?.

Post hæc communi argumento conuincitur, Quando, Vbi, Situm, & Habere, non esse Prædicamenta: Vbi enim, Loci, Situs, Locati, Habere vero est actus relatiuus potestatis passiuę, vel actiuæ. Tempus & locus in genere quantitatis apud Aristotelem: locatum esse in Ad aliquid numerauit, & rectè: Habere autem ad potentiam pertinet, cuiuslibet prędicamenti: Ens enim in Potentiam, & Actum primo sectum, distribuitur postea in decem prædicamenta, teste D. Thoma cum Aristotele: ergo superfluo ex his prædicamenta componit, ea ratione quod extrinsecè prædicant, tum quia etiam obiecta prædicant extrinsecè, denominantque, nec faciunt prædicamentum: tum quia Prædicare est actus intellectus, qui si non fundatur in re, non fundat significationem Entis. Aristoteles vero dixit in 5 Metaph.

text.14. prædicata, propterea quia etiam significant, prædicamenta facere, sed sufficiebat tempus, & locus & relatio, nil additis Vbi, & Quando, & Positione.

Si dicant, quia hæc quatenus prædicant mensuram, sunt prædicamenta, fallaciter loquuntur: non enim omnia extrinseca prædicamenta constituuntur quo mensura sunt: nec ex esse mensuram, fit nouum prædicamentum. Neque enim habitus, neque relatio sensibus nota, vt & ipsi docent. Item in prædicamento Quantitatis, Tempus, & Locus, posita sunt, quatenus mensuræ sunt, quemadmodum omnes docent expositores eius. At in 5. Metaph. vbi quantitas non consideratur, vt mensura substantiæ, sed vt Ens, non ponuntur in prædicamento quantitatis quando, & vbi: ergo sufficit, ex eo quod sunt quanitates, denominare substantiam, vt mensura ab extrinseco, nec addenda erant noua prædicamenta, absque nouitate formali, vel reali.

Verum Peripatetici deinde propterea asserunt, hæc esse prædicamenta, quia addunt relationem supra quantitatem, videlicet mensuram, & situs mensuræ addit ordiné. Quam re ij fimet proprios pandunt errores Non enim prædicamenta sunt permista ex duobus: Sic enim facerent Ens per accidens quod Aristoteles in 5. Metaph. excludit à prædicamento: Nunc autem quomodo mistum ex relatione, & quantitate dignificant ad Prædicamenta prima?

Resp. & Refutatio. Præterea hæc relatio supradicta aut est realis, vt Scotistæ dicunt: aut rationis, vt Thomistæ, quibus mensuram esse fit à sola ratione. Si realis, erit in prædicamento Ad aliquid, vt Aristoteles docet: Non ergo faciet nouum prædicamentum: si est rationis, tunc fictitium erit prædicamentum: ex ea enim parte, qua est reale, Vbi, & Quando, & Situs sunt in quantitate & relatione: ex ea vero, qua ad Aliquid, habent quidditatem formalem prædicamenti. Sed hæc quidditas est rationis: ergo prædicamenta eorum non sunt realia, vt ipsi docent vnanimiter. præterea adhuc erunt quoad quidditatem in prædicamento Ad aliquid, nam D. Thom. 1. Par. q. 28. & cum eo Caietanus affirmant, priuilegium habere prædicamentum Ad aliquid, quod sit verè Ad aliquid quamuis sit Ens rationis: substantia autem quatenus Ens ratione concepta non est substantia.

Alij effugere hæc Argumenta conantur dicendo, quod quidditas horum prædicamentorum est composita ex quando & relatiuo, non per accidens, vt homo altus, sed per se, quia alterum se habet per potentiam determinabilis, alterum vt actus determinans. Neque in conuenire prædicamentis, cum rationem participent, quatenus prædicant, à ratione habere quidditatis Complementum.

Addunt quoq; vanitates multas, quod respectus horum prædicamentorum non sit Ad aliquid, quia dicunt In, vt in loco, in tempore, sic, & non Ad. Sed ineptè loquuntur. Etenim & album dat homini esse album, & coniungitur illi, vt actus potentię: est enim homo in potentia albus, Albedo vero actus, quo fit albus. Similiter & quælibet prædicamenta possunt coniungi, & nouas coustituere cathegorias. Item Arist. Prædicata posse statuere cathegorias, dicit, quatenus significant esse. Prædicata autem rationis dicunt & non significant. Ergo non constituunt. Id enim quod supponunt est, & alterius generis: Id, quod ponunt, non est, vel diuersi generis est: quomodo ergo Impermista & realia & per se facient prædicamenta? tandem reiecimus, quod aiunt esse In excludere Ad, sed includere magis dicimus: sed si hoc esset verum quando inest intrinsecè, tamen falsum est quando extrinsecum, teste D. Thoma: & cunctis melioribus Peripateticis: esse autem in loco, & in tempore, non est sicut in subiecto, sed sicut in mensurante extrinseco: hoc autem magis facit relationem, quam tollit. Mensuratum nanque ad mensurã ipsi Arist. in 5. Metaph. & in xi. est relatiuum. Ergo nil dicunt. Totum quoque est in partibus, & partes in toto, & tamen referuntur ad inuicem. Ergo & cætera. Quia tãdem situi addunt ordinem, nil formalitatis afferunt prædicamentalis. Quoniã hoc est relationé relationi addere, népè mensuræ ordinem, & sicut homo Albus est per accidens, ita & magis homo albus musicus. Nobis vero omne per accidens prædicamentum facit vnum vt ratione dicebamus. Quid autem errauerint Peripatetici in singulis prædicamentis sigillatim in nostris sermonibus palam erit.

De institutione Prædicamentorum, ex diuersitate, & communitate generum secundum nos & naturam.

QVoniam diuersitas facit genera plura: Diuersitas autem est interea, quæ habent modum essendi ita oppositum, vt alterum de altero non possit prædicari nisi accidentaliter, & denominatiuè. Idcircò nec possunt ab inuicem notificari. Reponenda ergo sunt in eodem genere quæ habent idem subiectum, & generationem ad inuicem, & Communitatem essentialem, quam ex definitione formali vnica, conueniente singulis, sub eodem essendi modo constitutis vniuocè & essentialiter, cognoscimus.

Quapropter, aliter constituuntur genera in scientiis particularibus, aliter in communibus. Siquidem in Moralibus, quæ pro obiecto habent Bonum non simpliciter, sed bonum humanum tria dantur genera, Vtile, Honestum, & Iocundum, quæ tamen physicè possunt differre essentialiter: fama enim quod est bonum honestum, accidens est: diuitiæ, quæ bonum sunt vtile, substantia est, & tamen in genere boni conueniunt, & vniuocantur: quemadmodum Populus arbor, & Populus hominum multitudo, cum sint vtrumque in genere substantiæ vniuocè, tamen æquiuocantur in hoc nomine Populus. Item, diuersificantur secundum diuersam subiecti moralis scientiæ participationem.

Sic etiam in Medicina fecimus Prædicamenta septem, quatenus in Medicinæ ratione conueniunt. Siquidem, sub Saturno posuimus Stellas Saturninas, & Animalia, & Plantas, & Lapides, & Metalla Saturnina. Item, partes corporis humani Saturninas, & Morbos saturninos, & Colores, & Sapores Saturninos. Hęc autem omnia, quæ in Natura habent analogiam, in Medicina tamen sortiuntur quandam vniuocationem, itaut dicantur eiusdem generis & diuersificentur genere, & quæ sunt eiusdem generis physici, quatenus diuerso modo communis subiecti rationem participant, hoc est medicinale, sunt diuersa. Similiter in Mathematicis, quorum subiectum est quantitas, fiunt sua genera, Numerus, Magnitudo, & Pondus.

In Logica vero posuimus Prædicamenta decem;

quatenus sunt rerum Notiones Communes inter se, ac diuersos modos prædicandi habent non communicantes ad inuicem nisi accidentaliter denominatiuè, quapropter damnauimus Aristotelem, quod figuram & scientiam posuerit in prædicamento qualitatis, inter quas nec subiecti communicatio, nec generationis, nec prædicationis ad inuicem, reperitur. Nos autem & ad notiones diuersas, & essendi modos, simul respeximus. Genera vero Metaphysica vniuersaliter distinguere oportet & secundum naturam & secundum nos: sunt autem quædam propria Metaphysicis, vt Potentia, Sapientia, & Amor, & eorum obiecta, & influxus: de quibus in 2. Par. erit sermo, quoniam sunt genera omnium generum. Alia vero sunt communia toti vniuersitati: quæ non est vnum, nec multa, sed vnum & multa simul. Alioquin mundus esset vel vnus homo, vel vna linea: aut omnia ita essent diuisa, vt Mundum vnum non constituerent, sed alius esset Mundus linearum, alius colorum, alius hominum: quod est impossibile. Ipse enim vel solus homo habet omnia genera rerum in se, vt sit homo. Genera autem omnibus rebus communia ex Metaphysicis. Analogicis ortum habent in Physicis: quapropter innotescunt nobis in origine, seu constitutione Hoc autem est per causationem, principiationem, aut essentiationem. Notissima autem nobis est causatio: Quapropter in hac venabimur genera constituentium causatum. & quia inuenimus sex causarum genera, scilicet materiam, formam, agens, finem, ideam, & perfectionem: quorum vnio substantialis facit Ens per se, quamuis ex diuersis compositum. Accidentalis vero vnio Ens per accidēs. Idcirco, hi duo primi modi sunt cōpositorum: fecimus quidem in Logicis prædicamentum, vnum Entis per se quod vocauimus accidens: alia vero ex his, quæ ex substantia manant: ex substantia autem extant media quædam inter accidentia & substantiam, quæ vocantur extantia & complementum substantiæ: quæ complementa suboriuntur ex singulis generibus causarum: ex materia enim extat quantitas, quasi quædam egressio non recedēs ab ea: sicuti neque egressiones Primalitatum, principia vocata, à Primalitatibus recedunt. Ex forma vero figura, & dispositio: ex Agente, actio, ex Perfectione ornatus & vsus, quæ ad accidens pertinent. Ex fine Actus, ex Idea, Similitudo, & Relatio, Passio autem ex materia & agente subsequitur. Quapropter plura his genera non sunt. Posuimus quidem colorem quatenus est principium notificandi: nunc tamen ad agentes vires & causas referemus. Dissimilitudinem addidimus ad diuisionem consequenter, quę est inter Ideas saltem in esse notionali, & in rebus quatenus non sunt omnino Ens.

Iterum respiciendo Entis modos sic venamur genera: aliud Ens est à se & in se, vt Deus, ergo extra omne genus: aliud ab alio, & in alio, ideoque genera habet, pro vt creatura. Quæ ab alio eorum aliud subsistit, vt Angelus, homo: aliud sustentat, vt locus, aliud subest, vt materia: aliud substat, vel subiicitur, vt compositum: aliud superstat, vel præest, vt agens calor & frigus: aliud inest vt forma, aliud extat, vel in existit, vt proprietas, & Conditio, vel Naturalitas: aliud inhæret, vt Accidens extrinsecum aduentitium: aliud adsistit siuè adhæret vt Corpus Corpori, & Ens Enti relatum ad exteriora. Qui modi non omnes efficiunt genus quisque suum: Etenim compositum ex materia & forma non est vnum, genus, sed diuersorum vnio substantialis. Præterea substantia non est vnius generis nisi analogicè. Angelus enim & lapis non communicant ad inuicem in subiecto, commutatione, & notificatione. Prȩterea modus extandi tot constituit Prædicamenta, quot causæ sunt subsistendi: Causæ vero quot sunt modi essendi, & existendi, quod vocatur qualitas.

Genera ad existentiam pertinentia: sunt locus & tempus, & accidens aduentitium: qua in voce & ipsum subiectum accidens est: accidit enim homo albedini, & albedo homini, vt coniungantur. Accidentia vero: quæ non existentiam sequuntur, sed essentiam, media sunt, vt quantitas, figura &c quæ comitantur essentiam ad existentiam sicut illa ad coëxistentiam.

Porrò quæstiones indicant etiam rerum diuersitatem & genera: quærimus enim *quid est? & à quo est? de quo est? propter quid est? quo est? instar cuius est?* in quibus interrogationibus ly *quid* essentiam postulat. Cæteræ vero quȩstiones causas essentiæ & existentiæ, quam explicamus per *An est:* deinde vero adduntur quȩstiones *quantum est? quomodo est? quid agit? quid patitur? quando est? vbi est? cui simile est? & cui non est?* Alias quæstiones non habemus, nam *quale est* confertur cum *quomodo est*, sicut ly *cum quo est*, ad *quando & vbi*, forsan, nisi melius, ad adiacens aduentitium. Et circunstantiæ nomine continentur.

Dantur ergo prædicamenta ad existentiam pertinentia, de quibus quærimus per quando, & vbi, & cum quo, & ad quod, & Circunstantiarum dici potest.

Dantur & ad essentiam completam, vt cum quærimus *quid est?* quod de compositis prius quærebatur. Deinde vero ad simplicia translatum est: non enim modo dicimus quid est homo, sed etiam quid est materia, cum tamen potius de quo aliud est, vel cui subest, essent quæstiones eius: sic de cæteris simplicibus.

Putamus autem quidquid dicitur, in his prædicamentis contineri, nec permiscenda esse diuersa genera in Metaphysicis ordinationibus. Arist. quidem coactus est efficere Anteprædicamenta, quæ sunt Vniuocum, Æquiuocum, & Denominatiuum: & Post prædicamenta, quæ sunt Oppositio, Prius, & Posterius, Motus, & Habere, propter insufficientiam suarum cathegoriarum, quas ab Archita accepit, nec perficere sciuit. Hæc autem omnia in prædicamento Similitudinis & Dissimilitudinis nobis includuntur, vel Actus, vel Circunstan.

Postmodū in 5. Metaph. addidit alia quædam genera, quę in suis prædicamentis concludere non valebat: scribit enim de Principio, de Causa, de Necessario, de Natura, de Elemento, de Vno & Multis: de Ente, vti nos narramus, seriatim. Postea addidit de substantia: de eodē, de Diuerso, de simili, de quatuor oppositis, de Priori & Poster. de Pōtestate, de Possibili: de Impossibili: mox de Quanto, de Quali, de Ad aliquid, de Perfecto, de Termino, de Per se, de dispositione, de Habitu, de Passione, de Priuatione, de Habere, de ex aliquo, de Parte, de Toto, de Diminuto, de Genere, de Falso, de Accidenti. Constat autem hęc absque ordine dicta esse, & quidquid primo obuiam habuit, scripsisse prȩter pauca, vbi ipsa natura, promptè se offerens, cogebat ordinem admittere: cathagorias intermiscet quasi vocabula quædam & non omnes. Nec quę transcendunt seorsum, posuit: Necessarium, Contingens, Ens, Nonens,

Vnum, Multa, Verum, Falsum, Bonum, Malum, Possibile, & Impossibile: quæ sanè opus erat in altero ordine, & secundum dependentiam & cohærentiam seponere, vt in secunda Parte videbimus. Nec quomodo in Physicis, & extra Physica huiusmodi vocabula significant, declarauit. Nec quæ in cathegoriis includere poterat, tractauit, sed seorsum, dependentiam non intelligens. Nec communes essendi modos & prędicandi à particularibus sequestrauit, sed Ad aliquid, & Quale, Actioni, & Passioni æquauit, communissima nempè transcendentia particularibus generibus. Præterea, nec Notiones inspexit, nec Entitates, nec Rationem dictorum suorum reddit: sed accepit prædicta vocabula ex communi vsu loquendi, declarauitque quot modis dicatur, nihil super Grammaticum sapiens, vt in suis locis videre licet.

DE QVARTA SIMILITVDINE, ET *oppositione sub genere: quæ vocatur Communitas specifica, speciesque, & de quarta oppositione, quæ contrarietas inter species primas & actiuas; differentia inter secundas, & non actiuas.*

ARTICVLVS VI.

SVB Communitate generica, reperiuntur aliæ Communitates innominatæ, sed vocabulo communi vocantur Communitates specificæ: Inter species autem reperitur concordia & contrarietas. Concordes species vocantur, quæ simul in eodem subiecto manent, vt color & lux, & tenuitas in igne: linea & superficies, & profunditas in quantitate: vniuntur autem ad cōplementum essentiarum, nec in inuicem transmutantur, sed simul coeunt ad eundem finem, seq; mutuò iuuant, & conferre & non differre mox dicentur. Quæ autem maximè distant sub eodem genere, contraria sunt. Maxima distantia à locorum oppositione sumpta est, vt in Mundo inter Orientem & Occidentem: & quæcunque puncta consimiliter per diametrum opposita: quadrato autem opposita, & sextili, & trigono media sunt inter opposita diametro. Similiter dixere Physiologi haberi differentias maximas in Physicis, & has esse contrarietates, mediocres vero contrarietates esse differentias.

Porrò, videtur inter actiuas modo res esse oppositio, quæ mutuò se expellunt ab eodem subiecto, nec possunt simul manere, vt Lis & Amicitia, Calor & Frigus: sunt autem nata fieri circa idem, ex quo enim sunt eiusdem generis, idem subiectum habent, vnde & in principio rerum vnam materiam ab vna contrarietate in duo corpora prima diuisum esse, dum ambo idem appetunt regnum, in Physicis posuimus. Omnes quidem principia rerum contraria faciunt: quoniam cum in effectibus sit contaarietas, vtique & in causis oportet esse. Vnde omnes primam contrarietatem principium posuerunt. Quæ autem sit prima non conueniunt: alij enim contraria intelligibilia posuere, vt Empedocles, Amorem & Odium: Pythagoras, Par & Impar: Plato vero Magnum & Paruum, quod sensibilibus & intelligibilibus conuenit ad ipsorum gradus. Alij sensibilia contraria, vt Anaxagoras Congregationem & Disgregationem. Nam cæteras Contrarietates vnitas in Chaos præposuit. Diogenes, & Anaximander, & Tales, & Heraclitus, & quicunque vnum elementum posuerunt, duobus substernunt contrariis, quæ vocant Rarum & Densum: quod sanè idem est cum Congregato & Disgregato. Democritus & Epicurus Solidum & Inane, quod idem est: Rarum enim inanitatis participio maiori, densum soliditatis est. Alij Calorem & Frigus, vt Parmenides & Telesius.

Alij addiderunt duo elementa primis: & duas ergo faciunt contrarietates: nam calori & Frigori adiiciunt Humiditatem, & Siccitatem, vt Ocellus, Hippocrates, & Aristoteles: qui in Physicis Parmenidem, in 2. de Generat. Ocellum sectatur. Alij autem decem genera contrariorum, vt Alcmeon Crotoniata cum Pythagoricis suis, scilicet Finitum & Infinitum, Impar & Par, Vnum & Multitudinem, Dextrum & Sinistrum, Marem & fæminam; Quietem & Motum, Rectum & Obliquum, Lucem & Tenebras, Bonum & Malum Quadratum & altera pars Longius. Nec his contentus Alcmeon non modo prædicta contraria principia facit, sed cuiusque generis contrarietatem principiorum donat dignitate, vt Calorem & Frigus, Album & Nigrum, Dulce & Amarum, Graue & Acutum, Consonantiam & Dissonantiam.

Verumenimuero non rectè videntur processisse, eo quod contrarietates materiales ab actiuis non distinxere. Rectum enim & Curuum, Rarum & Densum, Humiditas & Siccitas, Vacuum & Plenum, nihil per se agunt, sed causarum actiuarum sunt effectus, asseclæ, sedes, & dispositiones, & instrumenta quædam ad sic essendum, & agendum. Non enim Rectum generat Rectum, nec Triangulus generat Triangulum, nec Rarum Rarum, sed ab Arte, vel à Natura, vel à Deo fiunt in materia propter finem. Oportet, quoniam eadem materia omnes hasce passiones & figuras recipit, vnum ponere principium materiale, subiectum genus rerum: causas vero agentes plures. Nam si vna, vna tantum figura figuraretur materia, & vna dispositione & consistentia donaretur, nisi causa actiua sit intellectualis, quæ plurimas formas intendat.

At, quomodo materiam secabit, disponetque ad plurimas, nisi contrariis instrumentis primò vtatur? Vnde & Plato, qui ex informi materia Deum omnia facientem, introducit; etiam contrarietatibus vtentem, inducit, quod Physicus ordo requirit; alius enim quicunque miraculosus est. Porrò non oportet, causas esse infinitas in Physiologia, nec plures effectibus: etenim ab vna causa plures effe-

ctus

ctus fieri videntur. Pauciores ergo causæ actiuæ sunt. Sed inter actiuas est contrarietas: mutuò enim sese expellunt ab eadem materia. Et siquidem omnes contrarietates sunt æquè primæ, vtique plures contrarietates vnum genus subiectum partiuntur, quod videtur absurdum. Si autem altera ab altera oritur, veniendum est ad primum, vel primas contrarietates, & illas etiam causas actiuas rerum Physicarum dicendum est. Omnis quidem contrarietas ad calorem & frigus reduci videtur. Hæc ergo erunt duo principia rerum. Rarū enim fit à Calore, Densum à Frigore per se, à Calore per accidens. Disgregatio est Caloris opus subiicientis sibi materiam: Congregatio pariter Frigoris. Lux facies est Caloris, tenebra frigoris: lucent enim quæ multo Calore vnito constituuntur: &, eo dissoluto non lucent: Frigida autem tellus totius nigredinis est Regnum: Album autem & Nigrum sunt lux & tenebra demortuæ. Dulce & Amarum à Calore materiato secundum magis & minus habentur. Nec extremi sapores sunt, sed proximi: Cum dulcia amarescant subito, nullo interposito gradu: potius autem insipidum & salsum extrema ponenda erant, vt in Physicis probatum est. Graue & Leue, Humiditas & Siccitas sequuntur constrictionem & expansionem materiæ, factas à Calore & Frigore, vt declaratum est. Acutum & Obtusum sunt materiales termini ab eisdem causis actiuis acta. Solidum & Inane sunt materia & locus: sed ipsorum compositio Rarum & Densum facit etiam, Democrito. Motus est operatio Caloris, & quies Frigoris: & Torpor materiæ inertia. Finitum & Infinitum sunt passiones quantitatis materialis, ex quo imponitur nomen. Ad quod vero etiam transferuntur ad omnia. Par & Impar passiones numeri sunt: Numerus vero ex diuisione materiæ est. Similiter vnum & multitudo.

Verum hæc non videntur esse Caloris & Frigoris effectus, nisi in materia subiecta illis. Numerus autem, Finitas & Infinitas etiam extra Calorem & Frigus, & Materiam inueniuntur, præsertim Entia inuiolabilia ponentibus multa: ergo à superiori Arte & Entitate emanare oportet. Sic quadratum & altera parte longius, rectum & obliquum, ad Figuram, quæ materiæ est terminus pertinet. Nec fiunt à Calore & Frigore per se, sed quasi ab aliqua impulsis Arte. Sic Dextrum & Sinistrum relationes fundantur in virium varietate, quam profecto Calor & Frigus non intendunt, sed casu illis accidit robur & languor in fine pugnæ, vtque ex languore & robore secunda constituuntur Entia, sicut accidit materiæ magnam & paruam fieri. Masculinitas & fœmininitas, Cæli & Terræ sunt post modum. Primodum vero illa Caloris & Frigoris, hæc materiæ: in elementatis autem elementa imitantibus, nobis innotuere, quam artificiosè acciderint ex Conditore & Moderatore contrariorum. Bonum tandem & Malum, obiecta sunt Odij & Amoris, quę Physica transcendunt principia, & opponuntur contradictoriè, vel priuatiuè.

Ex his ergo patet primam contrarietatem esse Calorem & Frigus in genere Physicorum actiuorum: genus autem est vna corporea moles prima materia subiecta illis: ex quo Logici ea genera rerum facere didicerunt: in quibus contraria & differentia conueniunt Entia, mutuum vsum, & notificationem, & commutationem habentia.

Idcirco dictum est, Contraria fieri circa idem, ac maxime distare in eodem genere, quod sibi partiuntur, pro quo pugnant, nec simul stare possunt. Ergo similia sunt cum idem appetant, imò Calor similior videtur Frigori, quam materiæ: Diuersitas enim maior est oppositio quam Contrarietas. Ambo quidem actiua sunt, incorporea, suique diffusiua contraria: materia vero iners, corporeaque, recipiensque causa est. Vnde autem habeant contraria quod se inuicem destruant, cum idem appetant, curentque, in secunda Parte manifestabitur: quoniam propter indigentiam subsistendi, & obiectum impar appetitui ipsorum. Proptereaque partiendo materiam, duo prima corpora constituerunt. In constitutione vero oppositis procedendo modis, contrarietates secundas genuerunt. Calor enim attenuauit propriam molem vt moueret, quatenus à frigore recederet: suaque apparentia donauit, quæ lux est: frigus vero condensauit, immobilitauit, vt ab eo se tutaretur in medio, & contenebrauit. Ergo Lux & Tenebra est secunda Contrarietas: Motus & Quies tertia: Tenuitas & Densitas quarta. Et quidē huiusmodi cōtrarietates habent idem genus subiectum cum Calore & Frigore, quoniam ab eis dependent, non tamen idem genus Logicum: nam in eo quod secundæ, similitudinem aliam adhuc sortiuntur genericam: lux enim & tenebra ambæ sunt color, seu apparentia virtutum actiuarum: & ideo sub genere, seu communitate, seu dicas similitudine coloris maximè differunt, & ergo sunt contraria. Motus & Quies, cum Calore & Frigore, idem subiectum & simul habent, & tamen aliam similitudinem in eo, quod sunt aliquid, ex illis procedens: videlicet, Operatio, Quies Frigoris, Motus Caloris. Motus ergo & Quies conueniunt in genere operationis siue actus. Crassities vero & Tenuitas, in genere dispositionis: Illa enim dispositio est materiæ Frigoris, ista Caloris: quod & rectè euenit: nam ex inuicem generantur, sed à Calore & Frigore agentibus. Sicuti enim ex calido fit frigidum, ita ex tenui densum, ex obscuro lucidum, ex quiete motum, & è conuerso: habent enim idem subiectum, sed non simul. Non autem dicitur fieri quies ex calido per se, sed ex motu: nec motus ex crassitie, sed ex quiete: quoniam contrarium contrario per se proprio succedit in eodem subiecto: non autem succedit diuerso per se formaliter: sed fundamentaliter verum est, calidum fieri ex quiescente, quoniam ex frigido, cui annexa est quies, quæ operatio eius est. Magis autem per accidens est, fieri calidum ex Curuo: Curuitas enim frigoris non est assecla.

Postquam autem pugnare cœperunt contraria prima, ex ipsis & eorum asseclis facta sunt Entia secunda, quæ vocamus elementata: in quibus contrarietas languida est, ac refracta. Vnde orta sunt noua genera, hoc est, nouæ dissimilitudines, & quæ sub illis distant, & mutuò se se expellunt, dicuntur contraria media, quæ sapiunt naturam extremorum: inter Calidum enim & Frigidum est remissio eorum, & non habent nomen: vocatur autem tepiditas refractus calor, & sapor, qui factus est natiuus secundis rebus. Et dicitur sapor, quatenus refertur ad gustum: & in hac affectione, quam gustui inducunt, habent similitudinem, quæ genus est, & vocatur sapor. Quæ autem in sapore maximè distant, sunt insipi-

dum & salsum, seu potius stipticum & salsum: insipidum enim saporis priuationem dicit. Et quia Calor insufficiens ad mouendum gustum, & qui maxime vincit gustum, vt igneus, sunt seorsum ab hoc actu afficiendi ita gustum, non dicuntur sapores, nec in genere ergo saporum continentur apud nos, cum tamen aliis Animalibus sint: & Angelis introspicientibus cuncta, non sint particulare genus, sed gradus caloris varii: quos nominare nescimus nisi à passione nostra, & à subiectis: est enim Calor, Ignis, Aëris, Aquæ, Piperis, Allii, Cæpæ, Carnis, Medullæ & cætera. Hoc autem genus non participat frigus, sed vnius contrarij scilicet Caloris varietatem. Non ergo simpliciter maximè distant, sed in genere suo. Et cum sapor fiat ex albo & ex calido, & ex frigido non tamen per se ex his, sed ex opposito sapore dicitur fieri, vel sapor ex insipido.

Colores autem sunt lux & tenebra passæ ab inuicem, non tamen ex tenebra frigoris affecla, sed materiali, & ex luce componuntur, nisi sic eadem frigoris & materiæ facies: & in his verum est, quod sapiant naturam extremorum. Croceum enim, Pallidum, viride, puniceum, & alij intermediis comparati ad Albedinem viuam, quæ est lux, dicuntur nigri: comparati ad nigrum, albi: & fit generatio ex eis, tanquam tenentibus contrarij extremi locum: & hæc contraria mediata vocantur, & necessario suscipiunt magis & minus. Alia autem sunt mediata, sed mediis non nominatis, vt sanum & ægrum: multi enim nec sani, nec ægri omnino sunt: & exempla Aristotelis de horum immediatione falsa sunt, quoniam nomine carent, sed non re, vt Galenus scit. Dicuntur autem mediata per abnegationem, quoniam dicitur Bernardus nec sanus nec æger, qui integra sanitate non fruebatur. Non propterea in omnibus datur per negationem mediatio, vt inter manum & pedem id, quod non est manus, nec pes, vt quidam ridicule dicunt: nam manus & pes non ad idem genus spectant, in quo est communicatio & commutatio.

Idem dic de odoribus & de dispositionibus. Nam ex grauitate resultat similitudo, & genus ponderum: ex terminis materiæ, genus figuræ: ex mensura, genus quantitatis: cuius extrema sunt magnum & paruum. Æquale autem medium, inæquale vero proximum est alteri extremo, vt palliditas albori. Viriditas enim fortè media est inter album nigrumque, vel extremum extremo est maximè inæquale.

Accipiuntur quoque genera postquam elementa facta sunt, à similitudine essentiali rerum, vt genus Animalium, genus Lapidum, genus Plantarum, genus Mineralium, genus Lignorum, genus Vaporum, genus Ossis, genus Carnis: & quidem cum huiusmodi non constent ex differentiis extremis, non amplius caloris frigorisque in eis contrarietas attenditur: cum quia cum solo calore fieri non possunt: tum quia gradus caloris nobis ignoti sunt, quia languidi: & apparent quasi instrumenta modificata ab ideis actiuis. Quamobrem ratio & caloris modificatio in Formis de compositis artificiosè innotescit. Idcirco ab his & ab operationibus differentias balbutimus. Nam quia formam essentialem diuersam ab elementis sortiuntur, habent inter se diuisionem ab his, & inter se: & horum oppositio vocatur Differētia: Contraria enim maximè distant sub eodem genere primo: hæ autem sub secundis generibus differentiæ diuidunt genera, & constituunt species.

Sunt autem species communitates minores generibus, continentes sub se indiuidua, quæ diuersa numero vocantur: & quidem Communitates minimè propria indiuidua continent, idcirco vocantur Specialissimæ: maiores autem sunt Communitates specialissimarum Communitatum, & vocantur genera subalterna, & species simul superiorum Communitatum maximarum, in eodem ordine, quæ vocantur Generalissima, & diuiduntur per contrarietatem, quemadmodum genera posteriora per differentias. Non tamen omnia generalissima habent actiuitatem. Ergo nec contrarietatem, qua simul ac maximè distent, seque mutuò expellant ab eodem subiecto, sed illas tantum, quæ simul manere non possunt. Siquidem summè extrema in quantitate accipimus Magnum & Paruum, vel Continuum & Discretum, quæ ex inuicem fiunt. Differentiæ vero sunt inter Ternarium & Quaternarium, Tricubitum & Quatricubitum, Longum & Breue. Similiter in figura, contrarietas est Rectum & Curuum, non respectu actionis, qua carent, sed vsus propter quem sunt. Differentiæ vero, vt inter Triangulum, & Quadrangulum, & inter figuram Asini, & figuram Hominis.

In genere operationis contraria sunt Motus & Quies, quoniam maximè opponuntur: differentia vero, vt inter motum Mercurij, & motum Lunæ & sursum & deorsum, quæ licet respectu termini sint contraria, ratione tamen actus, differentes sunt: ratione mobilis aliquando sunt & idem: idem enim corpus potest sursum & deorsum moueri. Momentum & Pausæ instantanei sunt extremi: motus & Quies mediant in Magis & Minus: Sicut pallor, rubedo inter colores.

In actionibus vero contrarietas non videtur esse respectu agentium, cuiusmodi est calefactio, & frigefactio: Etenim plus distat creatio à calefactione, quam calefactio à frigefactione: In illis enim diuersitas est, in his Contrarietas: at in eodem genere, vt prius dicebamus, diuersitas non reperitur. Quapropter actio non videtur genus vniuocum, sed analogum si sumatur pro fluente forma: Alia est enim forma fluens, qua agit Calor, & homo, & Deus. Si autem pro fluxu videtur actio vnum genus: sed hæc cum de Actionibus erit sermo. Differentia ergo erit inter calefacere & augere, quamuis respectu fluentis formæ sit diuersitas: Contrarietas calefacere & frigefacere, augere & minui: & eadem dicenda sunt de passionibus. Similiter Albedo & Infirmitas inquantum Entia sunt diuersa: at inquantum in genere accidentis sunt similia, & differentiis discernuntur sicut calefactio auri, & frigefactio eiusdem dicuntur accidentia contraria, quod contrarios & incompossibiles pariunt effectus subiecto: sic de cæteris iudicabis.

Possunt res differentes idem numero decompositum Ens, constituere, vt Caro, & Neruus, & Ossum, & Calor, & sanguis, componant Animal, quod etiam ex diuersis rebus componitur, vt ex Anima & Corpore. Contraria autem vnum numero nunquam cōstituunt pacificè; licet Peripateticis secus videatur.

Præterea in Intermediis temperamentis fit mutua successio ex calore in frigus & è conuerso, propterea quod, gradus habet languidos, ideoque admittunt alienum plerumque absque subiecti destructione, quoniam materialitas vtrisque resistit: vnde eadem

manus nunc calescit nunc frigescit, non tamen ignis, neque pura tellus has vices compatitur: summus enim Calor, summumque frigus oppositum gradum compatiuntur nullum. Attamen specierum materialium atque differentium non est successio in eodem subiecto, sicut contrariorum, nisi sub quodam ordine secreto: & cum ex altera fit alterum, dicitur fieri sicut ex priuatione, vt sanguis ex pane, tanquam ex non sanguine, & ex sanguine caro, tanquam ex non carne: & ex non carne vapor, ex vapore aqua, ex aqua glacies vel ignis. Magis tamen seruatur ordo in de compositis etherogeneis: vnde ex carne non fit sanguis, nec ex sanguine chilus, nec ex chilo panis, nec ex pane frumentum quoniam quælibet forma dispositio est ad certam formam subsequentem: vnde ex priuatione ad habitum non fit regressus, sicut è contra fit. Fit autem in contrarium quoniam simplices formæ agentes sunt, & non requirunt tanquam dispositiones præuias formas, sed ipsę sua actiuitate disponunt & informant, id quod materialibus formis non licet, nisi plurimis factis mutationibus donec veniatur per circulum ad suam præcedentem, vt ex carne cruda fit assata, ex ea cibus, ex cibo chilus, ex chilo sanguis, ex sanguine iterum cruda caro. Hũc autem ordinem Fatum, Necessitas, & Harmonia, perducunt sub Conditore naturarum: quæ naturæ adhuc sunt in fieri non in facto esse, donec transeat cursus seculorum, idcirco posterior actio & res non potest esse prior, sicut nec medium viæ potest esse finis.

Contrarietas ergo est inter duo, Diuersitas inter multa, Differentia iterum inter multa: vnius enim generis plures sunt species. *Facit Deus*, ait Ecclesiasticus, *omnia duplicia, vnum contra vnum.* Et siquidem prodigalitas est auaritiæ contraria, & liberalitas vtrisque, non tamen secundum se, sed quatenus nobis bona est liberalitas, suaque extrema mala: sic tepidum bonum nobis est, cõtrariaturque frigido & feruenti, quatenus nobis sunt mala. sed secundum Naturam aliter se habent, secundum quam dumtaxat medium est, non contrarium. Quapropter Animal per differentias bimembres non partitur formaliter, cum plures habeat species non contrarias, sed differentes. Sequens autem sermo declarabit quod rationale, & inrationale, non sunt differentiæ extremæ, sed habitus & priuationis notæ vnius, & omnium specierum: sic etiam posset dici omne Animal aut alatum, aut inalatum, & omnis color albus, vel non albus. Perfectum & imperfectum differentias faciunt, sed non veras. Ergo inuenire in secundis generibus difficillimum est: in primis autem & simplicibus non item.

DE VNITATE NVMERALI, ET diuisione, seu oppositione eius, sub omni rerum ordine.

ARTIC. VII.

VLTIMA vnitas ampliatiua, dicitur vnio numeralis, eo quod potest esse, quod est vnum hac vnitate, principium numeri per se, & in quālibet parte numeri positum variat speciem, vt Petrus: hic Asinus, hoc Album, hæc actio, & cætera. Videtur enim numerus vnitas replicata. Habet idem numero propriam materiam, propriamque formam, vel esse & essentiam, indiuisas in se, & diuisas ab alijs: ideo vnum numero vocatur indiuiduum. Quod si aliquod Ens nullam diuisibilitatem admittat, nec Esse & Essentiæ, nec Suppositi & Naturæ: illud erit maximè vnum per se, vt Deus: facit autem vnitatem numeralem formaliter Hecceitas, quæ est Singularitas, & Indiuisibilitas, & Particularitas.

Vnum quodque enim Ens quatenus naturam aliquam per se dicit, in multis non est: Sed quatenus participatur, diuiditur in multa: quæ multa faciunt numerum in eo, quod vnitatem illam habent in se ipsis diuisam absque diuisione: vt litera A. reperitur in multis paginis & versibus multiplicata: tamen vna est in se, hoc est quatenus idea, & dicitur species vniuersalis at quatenus ideata, & participata, multiplex, causatque oppositionem numeralem. Vnum quodque autem horum multorum quatenus habet ideam A, quæ est vna, vnum est, & ex his vnis constat numerus, in quo omnis pars dicitur suppositum, quia supponitur ideæ communi: & hypostasis idest, sequestratum ab aliis. Item persona, quia per se sonat, aut repræsentat essentiam in sua existentia & non in causa tantum. Sed propriè persona dicitur de intellectualibus indiuiduis: quoniam & dignitatem per se & seorsum sonat, sicuti in tragœdia quilibet interlocutor, (ab hoc enim mutuatum est nomen) & non potest dici vnum numero, nisi quod perfectè habet & repræsentat vnitatem primam. Si enim non tota forma. A. inest, sed media sic. F. non est. A. nec potest principium numerationis fieri: nec posita post quatuor A. facit quinque sicut, nec dimidiatus homo, sed in homogeneis secus est, vt dictum est prius: quoniam forma totius in qualibet illorum parte saluatur, cuius contrarium in heterogeneis vidimus.

Verum quoniam numerus est ratio cognoscendi, illud in omni genere est vnum, quod est primum in essendo & cognoscendo. Sed enim magis mouet vim cognoscitiuam, & ex illo reliqua metitur: vnde vnitas mensura omnium generum dicitur. Sicut in genere colorum lux est prima, & secundum accessum & recessum ab illa causatur multitudo, & ordo: non enim est secundus Rubedo, vel Viriditas, sed Albedo, quæ vicinior luci: tertia Pallor, & cetera. In ingenere saporum est salsus primus, & secundum recessum ab eo fit numerus ordinatus. In genere hominum est Iesus Christus, primogenitus omnium, non autem Adamus, aut Iaphet: quoniam ille est primus tempore, non humanitate. Hic neque tempore, neque excellentia humanitatis. Iesus autem excellentia, & ideo men-

ſura aliorum, vt Plato in Dialogo ſecundo de legibus propoſuit. In Republica quoque dicitur primus Rex, ſecundus Magiſter militiæ & cætera: & in omni coordinatione ſic habetur. Palmo, quoque menſuramus pannum, vtentes palmo quaſi vnitate notiſſima, & totum pannum, dicimus, eſſe tot palmos, ideſt, tot vnitates repetitas: ergo & in his vnum eſt menſura, quia cum ſit aliquo pacto, quod eſt de ratione vnius, indiuiſibile, ſaltem acceptione: nec in magis, nec in minus fallere poteſt, præſertim ſi eſt minimum: vnde magis vtuntur in pannis, & ligulis, digito tanquam vnitate replicata: & digitali in liquoribus vendendis: & grano primo in ponderibus. In longitudinibus, & milliaribus poſſunt vti & paſſu, & vlna, ſumentes hæc ſicut vnum indiuiſibile, & primum: & ſimiliter motu diurno velociſſimo & regulatiſſimo ſolis, vel reducto ad regularitatem ſicut vno in motibus & temporibus numerandis, ipſi Aſtronomi vtuntur: & eo replicato numerum, ideſt, notitiam conficiunt. Sic enim ex paſſione illata à calore ignis modica, menſuramus totam potentiam ignis: & quia non eſt materialis, facimus quaſi gradus materiales, vt à Medicis vſurpatur, vnde materiæ diuiſionem multiplicationi deſeruire cognoſcimus: at ipſum indiuiduationis principium eſſe non licet dicere, niſi ſub quibuſdam ſingularitatibus ſignatum, inditis à forma agente, & diſtribuente iuxta virium varietates, & vices agendi, & repatiendi modificationem, vt reuera intelligamus, quamlibet indiuiduationem modo alicui participationis ideæ primæ reſpondere: & quia prima eſt vna, & multitudo eſt vnitates, ideo ab vnitate indiuiduatio eſt, & gradus eius Infiniti Infinita indiuidua edunt. Modus autem participationis non materiæ eſt fructus, ſed agentium quoque cauſarum, illam multipliciter diuidentium, prout Fato, Neceſſitate, & Harmonia reguntur ad tranſportandas ideas. Ergo rectius Platone Diuus Thomas ideas non modo ſpecierum, ſed etiam indiuiduorum poſuit. Scotus ſignificantius dixit, heccæitatem principium indiuiduationis; ſed ignorauit quid ſit, & vnde, & quomodo.

Idem ergo numero eſt, quod ſibi ipſi idem eſt in eſſentia ad exiſtentiam deducta ſimpliciter: vt Petrus, & hoc album, & hæc A. Sed quia aliud eſt vniforme & ſimilare, vt aurum, aliud difforme, vt homo, magis idem eſt aurum hoc, quam iſte homo: quoniam ex materia & figuris & humoribus & ſpiritibus, & manibus & oſſibus, & pedibus conſtat multiformibus. Sed homo habet vnitatem à forma totius vna, vt hic homo hac humanitate eſt vnum: hoc aurum vero ab vniformitate partium quoque eſt vnum, & quia ſimilare aliud eſt ſecundum formam modo ſenſibilem, vt lignum, cuius omnis pars eſt lignum: & aqua, cuius omnis pars eſt aqua, ſed tamen conſtant ex partibus craſſis & tenuibus occultis. Aliud vero ſimilare ſecundum formam etiam non ſenſibilem, cuius omnes partes æquè diſpoſitæ ſunt in craſſitie & tenuitate, vt argentum viuum, aurum, aqua vitis: & hæc magis vnitatem numeralem faciunt formaliter. Sed adhuc magis ſenſibiliter vnum ſunt formaliter & materialiter, quorum partes vnitæ ſunt magis, vt hic lapis, quam fluida, quorum minus, vt hoc vinum. Rurſus formæ ſubſiſtentes magis identitatem numeralem habent, & ordinem ſecundum acceſſum ad primam vnitatem: vnde nobiliores vocantur diuo Thomæ, qui per pauciores ſpecies plus intelligunt.

Sciendum eſt, quod eſt numerus in natura alius quam in nobis. Natura enim ponit primum & ſecundum & tertium, iuxta receſſum à primo, aliorum menſura, vt à luce in coloribus: ab equo ſtrenuiſſimo & eleganti ſſimo in equis: ab homine diuiniſſimo in hominibus: & in Republica à Rege, qui verè ſit Rex, & non perſonatus. Nos autem hoc ignorantes, numeramus ab eo, quod primo nobis ſe ſe offert, tanquam à noto prius & magis: & ideo ponit primum in militia Dux primo obuium militem, & numerat omnes ordinatè, & non ſecundum receſſum à primo ſecundum virtutem. Sed neceſſitas ſæpè docet nos, primum ponere ſtrenuiſſimum in bello: in pacis negotio, ſapientiſſimum: in curandis nobis, amiciſſimum.

Idem numero per accidens ſunt quæcunque diuerſæ eſſentiæ in vno ſubiecto inueniuntur. Hic Homo albus: accidit enim homini eſſe idem cum albo, ſed non cum rationali: & albus Franciſcus, & Muſicus albus, & Franciſcus Muſicus albus claudus: nihil enim refert vtrum pauca aut multa præter eſſentiam accidant, & faciant inter ſe identitatem numeralem, & cum eſſentia. Vnitas & identitas numeralis fit vel ſubiecto vno, continuitate, vel colligatione, vel contactu, vel coherentia, vel ordine: eſt enim ordine Ciuitas vna. Ciuitas autem luxurioſa eſt idem numero per accidens: & exercitus vnus numero eſt ordine: cui ordini accidere poſſunt multa, & vnitatem numeralem per accidens conſtituere vt hic exercitus arrogans, velox, circularis, & cætera, eſt idem numero, & de hac Identitate numerali, quæ eſt eiuſdem ad ſe quatenus ponit in numero ita dictum ſit.

Modus autem eſſendi vnus numero poteſt dici de hoc homine, de hac linea, de hoc pariete, de hoc Angelo, per Analogiam: & dicitur proportionalis, de qua mox ſermo erit.

Vnitas autem, quæ exprimitur per identitatem, inuentam inter indiuidua in eo quod eſſentialiter ſimile habent ad inuicem, vocatur ſpecies: ideſt, communitas eſſentialis indiuiduorum: quæ quatenus ſimilia à virtute cognoſcitiua conſimili modo, ideſt, vno ab omnibus affecta, apprehenduntur, vt vnum, & vno nomine donantur: vt cum Petrum & Paulum & Franciſcum, & alios quatenus ſimiles & vnos in eſſentia ſentit, vocat hoc vno nomine, Homo: & de his putant eſſe veras definitiones & demonſtrationes. Peripatetici, & multum aberrant, vt dictum eſt, quoniam ex imperfectione Artem faciunt non ex perfectione: vtrum autem huiuſmodi vnitas indiuiduorum exiſtat per ſe, vt Platoni imponitur, vel in mente diuina, vt Theologi aſſerunt, vel in intellectu noſtro ſolum, vt Thomiſtæ, vel etiam in re formaliter, vt Scotiſtæ, declarauimus ex parte in ſuperioribus ſermonibus, & inferioribus ex toto.

Quando diuiſionem non ſuſcipit aliqua vnitas nec replicationem, videtur eſſe idem indiuiduum & ſpecies: vt D. Thomas opinatur de Angelis, niſi obſtet exiſtentiæ ab eſſentia realis diſtinctio. Nam de Deo & de ſole certi ſumus ita eſſe: ſed de hoc in 2. Par. Corporea quoque moles per ſe eſt vna numero & ſpecie ſimul, ſed per accidens multiplicatur, dum diuiditur à contrariis formis: Per ſe magis vnum numero & ſpecie eſt locus baſis rerum: at ratione corporum locatorum diuiditur per accidens in ſurſum & deorſum, hic, illic, &c. Sed eius diuiſio eſt minus intrinſeca quam materiæ.

Entia, quæ non subsistunt à Peripateticis accidentia vocata, vidétur indiuiduari indiuiduatione subsistentium, vt albedo in hoc albo homine, aut ligno, &c. & ideò non possunt vocari personę, quoniam non per se, sed in alio sonant. Subsistentia autem seipsis indiuiduantur, vt Angeli, quia sunt in diuerso gradu Entis. Similiter etiam composita à partibus componentibus in gradu Ideæ indiuiduãtur: formæ autem actiuæ essentiales vt color, & frigus, & animæ, quæ non subsistunt nisi in corpore: corporum diuisione à se facta diuiduntur, sed corpora non diuiduntur, nisi ex contentione contrariorum formarum. Cælum enim & terra ex eodem corpore facti sunt, diuisio à calore & frigore. Secunda quoque Entia ex eodem bello oriuntur, & indiuiduantur hæcchæitatibus fatalibus, vt dictum est.

Species autem indiuidua non est. Calor enim totus idem est specie & numero: sed diuiditur in corporibus à resistentia materiali, & frigoris, & vicibus agendi, & coagendi: at si per se subsisteret, vnus esset prorsus. Conuenit ergo hic calor cum illo calore in specie: numero autem disconuenit ob subiecti diuisionem: at si vniantur subiecto, perdunt numeralem diuersitatem, quod & fluida docent: pars enim aquæ alteri parti est discors numero, non specie, sed si coniungantur, fiunt vnum numero & specie simul: quod fluidis est facile euenire ob formæ cõformitatem & vnibilitatem: non autem & heterogeneis, & duris, non potentib. vniri. Per accidens fiunt quædam speciẽ eadem, quæ diuersa sunt essentia, vt Franciscus Musicus, & Petrus Claudus: vbi Claudus & Musicus fiunt idẽ specie, qua eisdem specie accidunt: per se autem distant genere.

Differentiæ numerales ab existentia, & non ab essentia capiuntur: quamquam enim in essentia Petrus & Paulus sunt vnum, non tamen in participio essentię extra causã productæ; sicuti duę imagines sigilli sigillatæ ab vno sigillo. Quærentibus autem quid faciat essentiam hanc; respondetur, sua singularitas vocata hæccheitas; quæ per existentiam hanc significatur; vnde Petrus necessario esse alius à Paulo, declaratur non solum per hanc Animam, & hoc corpus, sed per hunc locum, hoc tempus, hunc Patrem, hanc Matrem, & hanc generationem, figurationem, cæteraque accidentia, ita in hoc vno, quod non in aliis.

Sed Arist. putat horum non esse scientiam, neque definitionem. At si habent proprium & commune, quod respondet generi & differentiæ, vtique definiuntur, & sciuntur.

Genus hominum secundum Partes Terræ diuiditur, & sectas & Patrias, & tempora, & mores, & particularitates cuiusque. Conuenit Iacob cum Esau in genere Hebræo, & Patre & Matre, & natiuitate hac: sed alter prior, alter posterior, alter mitis, alter ferox, aler pilosus, alter leuis, alter duas, alter quatuor vxores habuerunt: & alias actiones & passiones sortiti fuere. Sed dicit Aristoteles hæc possunt cõuenire aliis indiuiduis vt Medardo & Gildardo: ergo non faciunt scientiam propriam. Quod inquam, si sic se habet, nulla vita hominum à Plutarcho, & à Liuio descripta certos nos faciet de indiuiduis descriptis: & quod in historia Francorum scriptum est de Medardo erit idem numero cum eo, quòd de Gildardo: quia similes moribus, Vita, Morte, & Episcopatu, Sanctitate, Natiuitate, &c. Ergo non facit differentiã in his hæccheitas: facit autem. & sicut scimus Cæsarem conuenire cum multis, & differre à cunctis: nam & si omnia accidentia Cæsaris aliis euenirent, tamen impossibile est, vt in eodem tempore, & eodem loco numero sint, & nascantur iterum à Iulia matre, & Cæsaribus Romæ, & cum eodem Pompeio pugnent, & comedant cum Cicerone, tunc, ita, & ibi, &c. nisi reuertantur eadem sæcula numero & res, vt Virg. ait. *Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles*: de quo sermone ingens restat in 3. par. disputatio: sic etiam scimus, Medardum à Gildardo numero distingui, & hæccheitatibus earundem accidentium, & existentiarum. Difficile est omnia indiuidua nosse; multò autem magis differentias. Sunt enim in indiuiduo plures similitudines, & oppositiones, quam in specie, & plures in specie, quam in genere, & plures in genere, quam in transcendenti, distinctè loquendo. Confusæ enim sunt eædem in superioribus, & inferioribus, vt rectè D. Thomas docere videtur.

DE IDENTITATE, ET ALTERITATE *in vnitate numerali.*

ARTIC. VIII.

Quoniam in eodem indiuiduo creato præsertim corporeo, reperitur pluralitas & dissimilitudo, siquidem Petrus ex Anima & Corpore, quantitate & Albedine ex essentia & existentia constituitur: Similiter & hæc Anima, & hæc linea præter pluralitatem, quam fecit esse & essentia, admittit facultatum, & partium multitudinem, & vsum, & operationẽ, & prioritatis, & posterioritatis: quæritur an aliquid reperiatur ita Vnum, quod in se nullam admittat oppositionem & dissimilitudinem. Hæc autem vnitas & similitudo videtur sui esse, & ad se & vocatur identitas; idcirco quæstio est vtrum sit aliquod, quod non componatur ex identitate & oppositione, sed solam habeat in se identitatem. Profectò neque Democriti atomum Corpusculũ huiusmodi videtur omnino sibi idem; quandoquidem possumus ab eo trahere lineas oppositas ad Occidentem, ad Orientem, & ad alias mundi Plagas: Ergo admittit in se respectus, & situs varios præter suam essentiam. Vnde Parmenides concludebat apud Platonem, quòd vnum non est, neque enim in alio, quia cõponeretur ex esse & eo, in quo est: neq; in se ipso, quia admitteret oppositionẽ sui ipsius quod est, cũ seipso, in quo est. Præ-

terea neque poteſt eſſe, quia participaret eſſe: ergo componeretur ex vnitate & eſſe, ergo non eſſet vnum. Quapropter non videtur poſſe dari vnum, quod ſit idem omnino ſibi, omnis expers oppoſitionis, diſſimilitudinis, & pluralitatis. Hanc nos quæſtionem in 2. par. reſoluendam mittimus. Hic ſolummodo ſcire licet, quòd intellectus noſter apprehendit id, quod eſt Vnū ſibi omnino Idem, non tamen vbi eſt, nec quid eſt, ſed eius participio quæcunque ſunt Idem habere Identitatem, intelligimus: nec eius vnitas eſt numerica, nec ſpecifica, nec generica, nec vna eorum quæ nobis nota ſunt. Eſt Idem quod omnino eſt inuariabile, incommiſcibile, indiuiſibile, quanto ergo magis ad hanc vnitatem res accedunt, eò magis dicuntur vna quæque ſibi eſſe idem. Opponitur eidem Alteritas, vel variatio: quidquid enim admittit in ſui conſtitutionem id, quod non eſt omnino idipſum; illud dicitur componi ex identitate & alteritate. At vtrū detur idea alteritatis, cuius participatio dicatur res altera ſibi, quemadmodum datur Idea identitatis, qua dicitur idem ſibi quidquid eſt idem: Diſputat Plato, & videtur concedere. Nos autem ſuo in loco hoc determinabimus. Nunc autem dicimus aliquid alterum à ſe, ſeu varium, vel quia mutatur ſicuti hæc albedo nunc eſt intenſior, nunc remiſſior; & hic homo nunc eſt iuuenis, nunc ſenex, nunc triſtis, nunc hilaris: vel quia componitur ex rebus alteris, vt hic homo ex Anima & Corpore: & hæc anima ex eſſentia, & virtute, ex paſſione, & operatione; & hæc eſſentia ex Poteſtatiuo, Cognoſcitiuo, & Volitiuo. Et iterum hoc Poteſtatiuum ex ſeipſo, & actu ſui, quo originat Cognoſcitiuum. Et iterum præciſo etiam actu ex eo, quod in ſe continet formaliter, & materialiter: formale enim ſuum eſt ſua poteſtas, reale autem eſt, & Cognoſcitiuum & Volitiuum, ſi intelligantur antequam producantur: de quibus omnibus in 2. p. vtile manet examen.

DE RELATIVA OPPOSITIONE multiplici.

ARTIC. IX.

Amplius autem dicitur aliquod vnum, quod abſolutum eſt, ab alio non dependens, neque in cognoſcendo, neque in cauſando, neque in ordinando, quod per nomen vnum abſolutum exprimitur, ſicuti cum dico Mundus, quod vocabulum nullam relationem dicit ad aliud: & cum dico, ferrum: abſolutum enim videtur vocabulum: ſed ſecundum rem, cum Entia ſint ad inuicem ordinata, & relationem habeant ad ſibi coexiſtentias, naſcitur oppoſitio, quam vocant relatiuam. Vtrum autem aliquid ſit ſecundum rem penitus abſolutum, quemadmodum eſt ſecundum vocem, magna dubitatio eſt: non enim eſt res, quæ non ſit cauſa, vel effectus, vel concauſa, vel conſimilis, vel diſſimilis aliis: quapropter in omni re eſt etiam relatio: ſed quædam nomina important hanc relationem, vt materia refertur ad formam: ſeruus ad Dominum: quædam verò non important, vt ſpatium & Petrus & Mundus, & huiuſmodi; quæ propterea abſoluta vocantur, hoc eſt, ab aliorum conſortio libera quaſi per ſe. Verum & id, quod eſt per ſe, & vnum, habet etiam relationem quandam rationis, quatenus eſt idem ſibi ipſi. Immò etiam in Deo inuenerunt Theologi relationem realem diſtinguentem realiter, cum tamen ſumma identitas ſit in Deo.

Omnis ergo relatio oppoſitionem facit, ſed aliquando minimam, quando eſt eiuſdem ad ſeipſum: vel in interna eſſentiatione. Facit etiam ſimilitudinem: quæ enim opponuntur relatiuè, neceſſario ſimul ſunt intellectu & natura, vt mox manifeſtabimus: Hoc autem ita ſe habere manifeſtum eſt, quoniam omnia oppoſita ſe mutuò deſtruunt vt in contradictione Ens deſtruit Nonens, & è conuerſo, & in priuatiuis priuatio tollit habitum, & habitus priuationem: & in contrariis calor expellit frigus, & frigus calorem: in differentibus ſimiliter, non quia eſt homo in rerū natura, eſt & aſinus, & ſi non ſe tollunt mutuò à Natura, tollunt ſe à ſubiecto; nec ſe ponunt tamen in eſſe. Similiter diuerſa genera non ſe mutuò ponunt, licet ſint compoſſibilia, magiſque contraria. non enim quia linea eſt, albedo eſt.

In relatiuis autem hoc peculiare eſt, quod poſito vno neceſſe eſt ponere reliquum, & perempto vno perimitur reliquum. Nam ſi eſt pater, neceſſario eſt filius. Tolle filium, & non erit ille amplius pater; & qui perdit ſeruū, non eſt Dominus; & ſi eſt ſeruus ergo habet Dominum: & qui eſt Dominus, neceſſario habet ſeruum. Hoc autem vnde eſt, niſi quia huiuſmodi oppoſitio fundatur in mutua habitudine rerum, quæ abſque fundamentali ſimilitudine, & vnitatis influxu in eſſentias & exiſtentias, & vinculo non fit, & ideò omnia contraria ſeu diſſimilia, & omnia ſimilia relatiua ſunt: vt ſimile ad ſimile, & diſſimile eſt, ſibi ipſis vero minimè: & hęc compoſſibilitas fundat oppoſitionem Ad aliquid. Hoc etiam atteſtantur definitiones relatiuorum, quæ Ad aliquid, tanquam ipſam exercentia relationem vocabulo ſignificantiſſimo, continente in ſe definitionem quoque, vocantur à Platone. Ita autem definit, *Ad aliquid dicuntur, quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodo libet aliter ad aliud*: vt Dominus dicitur ſerui Dominus in genitiuo: & ſimile ſimili ſimile dicitur in datiuo: & ſcibile ſcientia ſcibili in ablatiuo, & magnum ad paruum dicitur magnum, in accuſatiuo caſu.

Sunt autem relatiua duplicis generis, nam quædam dicuntur Ad aliquid ex conſequenti, ſed primario important quid abſolutum, & hæc vocantur relatiua ſecundum dici à D. Thoma, veluti caput primo ſignificat membrum, & ſecundariò relationem ad totum, quatenus eius eſt pars. Similiter dicitur Deus Saluator, Creator, vbi prædicata hæc primo important eſſentiam, & conſequenter rela-

tam ad Creaturas. Quædam vero sunt relatiua nomina, quæ immediatè & primo important habitudines relatiuas, & hæc vocatur secundum esse relatiua, vt duplum statim refertur ad dimidium, & seruus ad Dominum. Platonis definitio vtraque comprehendit, & rectè: quod & sanctus Iustinus in quæst. ad Gentiles confirmat. Aristoteles tamen ipsam corrigit dicendo, *Ad aliquid sunt, quæcunque hoc ipsum quod sunt, est Ad aliquid quodam modo se habere.* vbi videtur sola relatiua secundum esse acceptare, & negat substantiis Relationem, quin omni generi, excepto quantitatis, actionis, & passionis, vt patet in 5. Metaph. In prædicamentis autem dubitat, vtrum in substantiis sit, & vt Platonem carperet, inclinat ad negationem. Dicit enim Bouem non esse alicuius bouem, nec hunc Hominem illius alterius hominem. De partibus substantiæ est dubietas; sed nec dici sibi videntur relatiuè. Manus enim alicuius potest dici manus. *Etenim,* ait, *relatiua ita se habent, quòd si quis definitè cognouerit vnum, & reliquum nosse, oportet.* Si enim nosti hunc esse patrem, scis hunc alterum esse filiũ eius, alias non perfectè nosti esse patrem. At si quis nouerit manum, non tamen sciet, cuius est manus: vt si per fenestram quis manum extendat, ipsam nouimus, non tamen cuius sit. Sed valde in hoc Arist. errat; quoniam in quocunque genere est habitudo, & ordo vnius ad aliquid, in illo est relatio. In omni autem est: ipsa enim substantia dicitur quia substat; refertur ergo ad id, cui substat: & vt dicit ipsemet Aristoteles, *Ad relatiua declaranda oportet nomina fingere.* Remus enim habet relationem ad nauim, propter quam est, sed quia secundum vocem non videtur referri, dicemus Remum rei remitæ remum: & caput capitati caput; non animalis, quoniam conchylia Cancri carent capite: & ala alati ala. Constat autem hæc omnia esse substantias in eius Philosophia. Dicimus ergo substantiam superstantis substantiam: & locum locati locum. Licet enim accidens sit Relatio, non tamen inhærentiam habet, sed adhærentiam, quoniam ad aliud est non in alio essentia huius accidentis. Omni autem prædicamento accidit referri. Dominus refertur ad seruum, & licet super actione & passione fundetur huiusmodi relatio, tamen substantia est basis eius. At vt tollatur omnis fuga, homo quoque humanitate dicitur homo, & Animal anima animal, & bos ad bouinitatem refertur, & forma ad materiam, materia ad formam in quantum substantia. Porrò inter Petrum & Paulum est similitudo essentialis, quæ vocatur speciei: est Petrus ergo Paulo idem specie, & homo Asino idem genere. Hæc autem identitas relatio est fundata super substantiam immediatè, vt docet D. Thomas p. p. q. 28. art. 1. & Caietanus ibidem ait, *Quod sicut inter duo alba est relatio similitudinis in qualitate, ita inter duos homines identitatis specificæ realis est relatio.* Ergo & veluti nos dicebamus inter duo Æqualia in quantitate: inter Cõcordantia in operatione: inter Conformia in figuris: inter Conuenientia in actionibus: inter Compatientia in passionibus, & sic & magis de cæteris. Verùm & inter cuiuslibet generis species, & indiuidua est identitas, & diuersitas inter genera, & Contrarietas & differentia inter Contenta sub eodem genere: quæ omnia important relationem similitudinis & dissimilitudinis. Scotus asserit in substantiis relationem, & cum eis identificari præsertim in creari, & creatum esse. in Deo autem Theologi omnes Ad aliquid ponunt, essentiæque identificãt, vt nullo pacto dubitari liceat Relationem esse in omni genere, & inter genera. At quia actio sæpè mediat, non tamen à substantia est aliena: & ipsum enim agens, & essentia vt agens non differt à se ipsa, & vt sic actione refertur. Manifestè quoque situs & habere ab Aristotele in Prædicamentis inter Relationes numerantur. Non ergo in sola quantitate & actione & passione existit.

Ad rationem Aristotelis dicimus, malè procedere: quoniam Bos & homo non dicuntur Ad aliquid extraneum ex ratione vocabuli; tamen dicitur homo humanitate, sicut calidum calore, bos bouinitate, ignis igneitate: multo autem verius, si humanitas & bouinitas ideæ sunt, sicut necesse est esse, vnde vicissim humanitas hominum est humanitas, & sicut in communi dicitur Ad aliquid, ita in singulari: hæc enim humanitas huius hominis est, & hæc manus huius manati manus: & hoc Cor huius Cordati Cor. Nec quia non noui, cuius est manus, ideò non sit relatiuum: quo pacto enim noui esse manum, noui &, cuius est: nec enim quia noui hoc esse mãcipium & illum seruum ex signo, quod in fronte fieri seruis consuenit, statim scio, cuius est seruus, nec quia scio hunc puerum habere Patrem, noui Patrem, cum nesciam, nisi quòd sit filius, non autem cuius sit filius. Itaque cum dicitur, *Si quis nouerit definitè vnum relatiuorum, nouerit & alterum.* Intelligendum est quoad existentiam, vt dicit Boëtius: vel quoad quidditatem formalem, vt sentit Auerr. Ex quo enim noui, hunc esse filium, definio, hic est habens Patrem, & Pater eius est, qui habet hunc filium. Relatiua enim mutuò definiũtur quoad esse relatiuum, & mutuò cognoscuntur; non autem quoad Esse substratum relationi: illud enim accidens est relatiuo in quantum huiusmodi. Imago quoque refertur ad imaginatũ, non tamen quia noui imaginem Cæsaris, noui Cæsarem omnino.

Si igitur relatiua sunt, quorum quidditas est ad aliud, manifestum est, non iuxta fundamentum hoc dici, sed iuxta formã relationis: Non enim albedo est ad aliud, nisi quatenus similis alij albedini. Nec causa est effectuum secundum esse substratum, sed secundum esse causalitatis: vnde igni accidit esse elementum, teste vel ipso Aristotele. Si ergo hæc quidditas est ad aliud, se habet ad Conuertentiam, nam alterum ad Alterum refertur. Ergo posita seponunt, & perempta se perimunt. Sed quia non rectè assignantur aliquando non videtur sic esse. Non enim si dicamus, Alam Auis alam, conuertuntur: quoniam scarabei & muscę non sunt Aues, & habent alam. Nec si dicamus alatum pennis alatum, valet, quoniam vespertilio alatus est absque pennis. Sed assignabitur melius alatum ala alatum vel alatione.

Canone autem vniuersali cognoscuntur, si rectè sunt assignata, quando sepositis cæteris, relatiuo adiunctis, terminus, qui remanet dicitur relatiuè ad suum oppositum, ille est verè Correlatiuũ: quãdo vero è contra, non est verè Correlatiuum; si enim dicamus, seruus hominis, vel bipedis, vel rationalis, non rectè dicemus, nisi Domini. & è contra. Ad esse enim relatiuum hæc omnia sunt accidentia, sicuti ad esse absolutum accidens est ipsum relatiuum. Cum autem dicimus relatiua simul esse Natura, intelligendum est, quod simul orien-

tur & occidunt, & neutrum est alterius Causa, in esse relatiuo; non in absoluto. Non enim duplum est dimidij, nec dimidium dupli causa, vt dicit Caietanus. Sed hoc videtur falsum, sufficit enim vt simul oriantur & occidant, quoniam hoc non constituit totam relationis vim. Nam duplum est Causa, vt sit illud dimidium & è contra; & pater est causa vt sit filius, & filius est causa vt sit pater, formaliter quidem forma partis: nam totius forma est paternitas & filiatio.

Oppositio autem relatiua in hoc consistit, quod pater nō potest esse filius, nec filius pater sui ipsius. Similitudo in hoc, quod vnum alterum contra ponit, & alterum ad alterum esse facit. Semper intellige in esse relatiuo, quoniam pater est prius filio, & opifex opificio, vt ibi Iustinus docet, & causa effectu in Esse materiali, sed non in relatiuo, quoniam posita se ponunt, & perempta se perimunt.

At dicet quis, si relatiua sunt simul intellectu & natura, ergo prius est simul intellectu & Natura cū suo posteriori: sunt enim prius & posterius correlatiua. Hoc autem nihil absurdius. Resp. quod in relatiuo esse non in absoluto sunt simul. Nec enim dicitur aliquid prius ab aliquo dicente, nisi & simul intelligente posterius, ad quod dicitur prius, nec etiam est prius antequam sit quod posterius relatiuè: sicut nec homo est pater antequam filius nascatur.

In his quæ sunt Ad aliquid quatuor reperiuntur, duo relatiua, & duæ relationes, vt inter Patrē & filium, quæ sunt extrema relatiua, reperitur paternitas, qua pater est pater, & simul refertur ad filiū, & se habet per modum formæ ordinatæ ad aliud: est etiam filiatio, qua filius est filius formaliter, & simul refertur ad patrem: Paternitas autem & filiatio habent fundamentum in potestate generandi actiua, & generandi passiua: sicuti dominatio & seruitus, per quas constituuntur correlatiua Dominus & seruus, fundantur in potestate & subiectione. Quapropter cum Aristoteles inter scientiam & scibile format hoc prædicamentum tanquā inter duo correlatiua, fallitur. Non enim scientia est Correlatiuum, sed relatio, sicut paternitas. Scibile enim ad sciente vel scitiuum refertur ad suum Correlatiuum in genitiuo; ad relationem verò, in ablatiuo casu: vnde dicimus, scibile scitiui scibile. Et scibile scientia scibile, non autem scientiæ. Latet tamen intra duo Correlatiua semper duplex relatio, quamquam innominata. Cuius rei inaduertentia decepit antiquiores, ita vt relationē pro relatiuo ponerent; aliquando verò etiam simultatem temporis, & naturæ negarent. Quapropter inter scitiuum & scibile mediat scientia ex parte scitiui, & scibilitas ex parte scibilis. Scientia autem fundatur in virtute Cognoscitiua: scibilitas verò in potestate obiecti ad agendum in ipsum scitiuum. potest etiam scitiuitas ex parte scientis vt relatio sumi; scientia verò vt habitus acquisitus, relationes continens iam dictas. Similiter autem inter vicina duo Correlatiua, mediat vicinitas, quæ videtur esse vna relatio, & tamen est duplex, altera ex parte huius, altera illius: quæ fundantur in collocatione mutua huius iuxta hoc, si quis rectè intueatur.

Verum tamen relatiua quædam sunt secundum rationem ab vtroque extremo: vt cum nonentia per rationem nostram quasi Entia referuntur. Veluti si dicamus, Nihil nihili est causa. Aut cum idem eidem idem facimus, sumendo per rationem id, quod est vnum, bis, & duplicem vtrinque identitatem pro relatione duplici subaudiendo, fundatam in duplici seu duplicato intellectu eiusdem rei.

Quædam verò sunt secundum rem ab vtroque extremo, vt Dominus & seruus, pater & filius, duplum & dimidium, calefaciens & calefactum. Quoniam in vtroque est habitudo realis alterius ad alterum.

Addunt Peripatetici tertium modum, quando videlicet ex altero extremo est relatio realis; ex altero vero rationis. Quia vnum ordinatur ad alterum: sed non è conuerso, puta quia diuersi sunt ordinis. Veluti scientia refertur ad scibile, non autem scibile ad scientiam, & sensus ad sensibile, non autem sensibile ad sensum: vnde nec se habent ad conuertentiam. Quoniam ablato scibili non aufertur scientia, & posito scibile, vt Angeli quidditate, & circuli quadratura, non tamen ponitur eius scientia. Et putant in huiusmodi posse fieri mutationem in vno extremo realiter, in altero vero solum secundum intellectum. Nam fit sensibile actu, nihil ipso mutato, sed sensu mutato: & columna fit mihi dextra, nihil ipsa, sed me mutato; & creatur Mundus mutatione facta in ipso secundum rem, & non in Creatore, nisi secundum rationem, & hoc docent ex Arist. 5. Metaph. tex. 26.

Vnde Scotus elicit, quia non sunt mutua hæc relatiua, posse esse ac verè esse terminum relationis, quid absolutum terminās relationem antequam cointelligatur. Deus enim nullo intellectu considerante est Creator, facta in Mundo mutatione per relationem creationis, quam terminat, nulla relatione Deo adueniente.

Nobis autem videntur quæcunq; referūtur extra Animam, esse realiter relatiua ex vtroque extremo semper, quamuis accidat relatio in altero nulla sui mutatione facta in esse In, sed in esse Ad. Cum enim Columnæ ego vicinus fio, referor ad illam, & ipsa ad me; dicitur namque vicina, & vicinior & vicinissima cum tango eam: non autem sibi, sed mihi est vicina. Et tamen nihil ipsa mutatur, sed ego ad ipsam. vicinitas autem Ens existentiale reale est in vtroque, in me & in ipsa. Similiter si albo Cygno consimilis Cygnus in albedine nascatur, statim nascens nato est similis, & natus nascenti, nulla facta in Nato mutatione, sed in nascente. Ita & Deus non sola ratione, sed realiter est Creator nulla mutatione in se facta, sed in creato esse. Hoc autem videtur impossibile Peripateticis, quòd aliquid denominetur ab extrinseco tale, nulla in eo deueniente forma, vnde tale dicatur, veluti est impossibile, quòd Columna dicatur calida non calefacta ipsa, sed quia ego calefio.

Verùm si relationis quidditas consideretur, secus se habet. quoniam relatio vt sic dicit Ad, & non In; Calor autem dicit In, & ideo non potest à calore meo dici calida Columna, sed à vicinitate mea potest dici vicina, quoniam realiter ego illi vicinus sum, vnde & ipsa mihi. Denominari ergo realiter ab extrinseco proprium est relatiuis quatenus, Ad, dicunt. Conuenit quoque agentibus causis dici agentes ab actione, quæ non est in eis, sed ab eis. & quidem in hoc errauit Gilbertus Porretanus, quòd posuit solas relationes affixas, & adhæ-

adhærentes, quæ aduenient absque mutatione sui, & ita statuit de omnibus, quod nõ est verum. Nam vicinitas est in spatio: sed à me ad Columnã: Calefactio autem est in calefacto, & refertur ad calefacientem, in quo non est; sed duplum est ab inhærente sibi formaliter duplicitate, & dimidium ab inhærente dimidietate: & pater à paternitate, quæ est causalitas filij in ipso Patre, & filius à filiatione, quæ est realitas existentiæ filij in filio. Præterea Relatio non pertinet ad essentiam, nec ad existentiam, sed ad coexistentiam rerum. & ideo non possum ego dici realiter calidus caliditate tua, quoniã hoc pertinet ad esse substantiale vel accidentale, aut ad existentiam: sed esse vicinum pertinet ad coexistentiam, & ideo ego fio columnæ vicinus me mutato in existentialitate, columna verò mutata in coexistentia: quoniam reuera ipsamet etiam est mihi vicina, & facta est mutatio in columna nõ in esse In, sicut in me: sed in esse Ad, quod pertinet ad coexistentiam.

At dubitatio est magna vtrum relatio distinguatur à fundamento: si enim ipsa albedo Cygni, qua similis est Columbæ albæ, est similitudo, vtique nõ distinguitur relatio à fundamento. Si autem similitudo est aliquid aliud, relatio est aliud à fundamento realiter. & si est aliud, in quo est? & quomodo aduenit non mutato illo, cui aduenit? non enim potest caliditas aduenire alicui, nisi illud calefiat. Sed si non distinguitur realiter; ergo relatio est Ens rationis, superadditum fundamento. Ergo nõ verè refertur pater ad filium, nisi quia nos intelligimus referri. Præterea dubitatur an absolutum potest esse Correlatiuum. Asserit Scotus, quoniam nulla mutatione facta in Columna, fit mihi dextra: quando autem fit dextra erat absque relatione. relatio ergo aduenit absolutæ, & non respectiuæ Entitati, vt Deo creanti Mundum. alias affert probationes ex dictis Arist. quæ non sunt efficaces nisi apud Aristotelicos. Sed tunc si relatio est Ens rationis, non est verè relatio. sicut rosa in mente, nõ est verè rosa, nec depicta rosa, est rosa: ergo nec relatio picta in mente.

Ad secundam primo respondetur, relationes esse in Mundo reales, & pertinere non ad essentias vt sic, nec ad existentiam, sed ad coexistentiam: & rem quamlibet ad quamlibet habere respectum, & omnes ad totum, & totum ad Deum. Deus autem non refertur ad Creaturas, sed respicit ipsas, quia non ordinatur ad illas, sed eminet illis. Nomina autem rebus aliquando imponuntur ex ea parte, qua habent respectum ad alias: & talia significant relationem, & quando homo vocatur pater aut causa, refertur ad filium, & ad effectum. Quando autem consideratur solitariè, dicitur homo, & non refertur vt sic, nisi ad proprium Esse, quod dependet ab idea vnde ipse est homo, videlicet ad humanitatem: & hæc relatio est intrinseca cunctis, & substantialis non accidentalis, aut solum coexistentialis: & huiusmodi relationes sunt in Deo ad intra, & vt respiciunt ad extra causant existentia; & non causantur. Philosophi autem Peripatetici hanc innatam dependentiam ignorantes, negant ideas, & relationes substantiales: & aduentitias modò agnoscunt, & ideò prædicamentum faciunt de Relationibus: & cum ægrè posset illud vnum satisfacere etiam post prædicamentum illi addiderunt; cum tamen omnium prædicamentorum comitem facere debuissent.

Quapropter dicimus, relationem non differre realiter à fundamentis vt coexistentibus sic; sed à fundamento, quoniam est ipsa inter duo, & vnum non potest ad seipsum referri, nisi respectu materialitatis & formalitatis suæ, diuersarum nempe entitatum, aut per Fictionem intellectus; Consequens est, vt non sit relatio distincta à fundamentis, sed ab vtroque est distincta realiter, seorsum consideratis: quoniam ipsa non est entitas vnius, sed duorum non vt entium, sed vt coexistentium, mutuò se respicientium. vnde grauitas, qua deorsum inclinatur res corpulenta non est relatio, sed ille respectus, quo fertur deorsum, qui est innominatus, & potest dici, grauitatio, & relatio, non differt à loco deorsum, & à graui simul; quoniam importat ordinem alterius ad alterum: & est simul in graui, & in deorsum, sed quasi adhærens huic, illi verò quasi inhærens, sed non simpliciter, nisi vt per coexistentiam trahens Ad. quia vt est In, relatio non est. Hoc ergo accidens vt est In, relatio non est, nec distinguitur à fundamento, vt verò est Ad, est Relatio, & distinguitur à fundamento, & non à fundamentis, vt relatis in coexistentia, sed quatenus absolutis in esse substantiali & accidentali inhærentiæ semper distinguitur. In relatiuis enim, vt dictum est prius, reperitur dissimilitudo quatenus hoc non est hoc, & sic distinguitur relatio exercita ab eis. Et est similitudo quatenus non modo non esse, sed neque intelligi possunt seorsum, & alterum sine altero. Ergo illa similitudo est essentialis essentialitate respectiua, non autem absoluta, neque respectiua fundamentali, sed formali, ergo est vnum esse Ad vtriusque; ergo non distinguitur relatio communis ab eis vt relatis. & quidem licet paternitas, qua pater constituitur, & filiatio, qua filius, distinguantur realiter quatenus debent esse In, & constituũt sicut duæ formæ: tamen illa Entitas, qua non possunt esse, neque intelligi separatim est vna vtriusque realiter vt relatis. Et cũ arguitur, ergo est Ens rationis, & non reale: conceditur in essentia, at in coexistentia negatur: quoniam realiter Pater vt refertur ad filium est pater, & filius est filius vt relatus ad patrem: quatenus autem non relatus, non est filius iste, nec ille Pater. Relatiua ergo non sunt absoluta simpliciter, sed coexistentia absoluta vt relata. Ignis enim non est elementum simpliciter, sed vt refertur ad elementata. Causa autem referendi est actio eius, vel potestas actiua: esse autem elementum non distinguitur realiter à potentia actiua, sed à passiua elementati distinguitur: sed relatio inter eos à neutro distinguitur cõsideratis Ad, sed absolutè consideratis, bene distinguitur. Igitur Relatio aduenit non absolutæ Entitati, quatenus absoluta, sed respectiuæ Entitati fundatæ in absoluta. Igni enim non accidit elementum ab extrinseca relatione: sed igni quatenus potenti causare: quatenus autem potens, respectiuus est, & non absolutus. Potentia autem est res potens vt videtur multis. D. Thomæ autem distinguitur ab essentia realiter: multo ergo magis relatio, sed non à potentia vt relata. Ita ergo videtur errare Scotus: quoniam relatio dominij non aduenit Deo absolutè considerato, sed considerato cum potentia ad coercendum & regendum: potentia autem respectiua est, nisi sit potentia essendi, de qua infra. Similiter columnæ aduenit esse mihi vicinam, non quate-

nus Columna eſt, ſed quatenus vicina eſſe poteſt, quoniam eſt Ens corporeum, & in loco: vicinitas autem, locorum affectio eſt. Similiter ſenſus relatio ad ſenſibile non accedit ex eo, quòd Ens eſt, ſed ex eo, quòd ſentiri poteſt. Sentiri autem poteſt, quia poteſt afficere ſenſum: poſſe autem reſpectiuum eſt. Similiter duo non ſecundum eſſe ſubſtratum referuntur ad vnum: ſed quia continent vnum, poſſunt referri ad ipſum. Quapropter errat Scotus, quoniam errauit Ariſtoteles. Namque ex eo quod refertur aliud ad ipſum, non ſequitur ipſum referri, quia abſolutum eſt, ſed quia reſpectiuum eſt. Etenim Angelus ſenſibilis non eſt, quia ſenſum mouere ex ſua quidditate incorporea & abſtracta non poteſt. Ergo nec poteſt referri ad ſenſum.

Ex huius quæſtionis ſolutione ſimul patuit primæ. Nam ſi abſolutum in quantum abſolutum poteſt eſſe Correlatiuum, benè ſequitur, relationem non diſtingui realiter à fundamento. At ſi non poteſt eſſe niſi quatenus continet cum Entitate abſoluta etiam reſpectiuam, tunc ſola reſpectiua poſſunt eſſe fundamentum & terminus: & relatio quatenus dicit In, ab eis non ſeparatur niſi ratione, at ſic non eſt verè relatio: quatenus dicit Ad verè relatio eſt, & ſeparatur re ab eis abſolutè conſideratis, ſed relatis, minime. Igitur quando eſt albedo in Cygno, illa non eſt relatio ad albedinem naſcituri Cygni, ſed ſimilitudo eſt relatio. Albedo igitur abſolutum ens eſt: poſſe autem eſſe ſimilis alteri, eſt reſpectiuum, dependens ab vnitate. mox, nato altero Cygno, fit ſimilis. Relatio ergo ſimilis ad ſimilem diſtinguitur realiter ab albedine, non autem ab albedine ſimili, conſiderata Ad, ſed conſiderata In, ſimilitudo autem vnitatis eſt influxus. Ergo non præerat niſi in virtute, & facta eſt actu per alterius natiuitatem & aduentum, & non diſtinguitur ab vtriſque albis vt ſimilibus, ſed vt albis. Sed quia omnia ſimilia in tertio ſunt ſimilia, vt duo ſigillata in ſigillo. Idea autem realiter differt ab Ideatis, vt ergo ſimilitudo eſt ab ea, differt à relatis: & quidem ab vnitate prima eſt omnis vnitas Idealis. Ergo omnis relatio eſt à Deo, & per Deum. vtrum autem contraria ſint contrària, quia participant ideam contrarietatis, vt dicitur in Parmenide, ac proinde ſimilia, in ſecunda parte diſputabimus.

In hoc quoque errat Ariſtot. quod relatiua definit, *quorum quidditas eſt Ad aliud*: & ideò ſimul eſſe Natura, ſtatuit, & dici ad conuertentiam, & poſita ſeſe ponere, & perempta ſeſe perimere. Deinde verò ſcibile excipit, & putat, eſſe poſſe ſine ſcientia. Et tamen in 5. Metaph. ſcibile & ſenſibile inter relatiua per ſe, & non per accidens enumerauit. Definitio ergo ſua repugnat definito, vel non conuenit omnibus partibus definiti communis: quod abſurdiſſimum reputant Peripatetici. Ideò Auerr. & Alber. locutum eſſe ſermone famoſo, & non vero, putant, dum ſenſibile, & ſenſum relatiua facit, & non conuertibilia. At D. Thomas, & ſequaces norunt, Ariſtotelem non rectè comparaſſe Correlatiua. Si enim perſtitiſſet in ſuo Canone, vtique agnouiſſet, ſenſibile non referri ad ſenſum, neque ſcibile ad ſcientiam, eandem ob rationem, quia ante ſcientiam eſt ſcibile, & perempto ſenſu, remanet ſenſibile. Cum enim ſenſibile dicat id, quod poteſt ſentiri, & ſcibile quod poteſt ſciri, non debet referri niſi ad ſcientiam in potentia, & non actu; vel ad ſcitiuum, & ſenſitiuum in potentia, & non actu. Ipſemet enim Ariſtoteles docuit, cauſam in potentia, ad effectum in potentia dici, & cauſam in actu, ad effectum in actu, in eodem libro. Quoniam ædificans ad ædificatum refertur, & ædificator ad ædificabile, & calefactibile ad calefactiuum: Ergo ſenſibile ad ſenſitiuum debeat quoque referre, & non ad ſenſum, & ſcibile ad ſcitiuum. Sic autem conſtat ablato ſenſitiuo auferri ſenſibile in eo, quod ſenſibile: & ablato ſcibili auferri ſcitiuum, & è contra, formaliter loquẽdo de poſitione & ablatione Eſſe eorum relatiui, non autem abſoluti: & hoc patet in Columna, quæ dicitur vicina, quia ego illi factus ſum vicinus. Et tamen conſtat, ipſa ablata vel me, neutrum dici vicinum. Poteſt quoque dici, quod ſicut quadratura circuli eſt ſcibilis in potentia, ita datur ſcientia de ipſa in potentia: & cum erit ſcita in actu, ſcientia de ipſa erit in actu: & ita omnia congruunt, quod S. Iuſtinus in q. ad gent. docuit, loquentes de relatione opificis in potentia & in actu. Rationes autem Ariſtotelis ideo & S. Iuſtino ſunt vanæ, quia ab abſoluto etiã ad relatiuum procedunt; referuntque contra canonem ſuum in prædicamentis, & in 5. Metaphyſ. cap. de cauſis poſitum. Verum Ariſt. contraire videtur in eo, quod dicit, idem relatiuum non poſſe bis referri, aliàs autem, aiunt expoſitores, haberet duplex eſſe: quoniam referri eſt eius eſſe. Itaque ſi viſus refertur ad viſibile, non refertur ad videntem reſpectu Ad, ſed In, quatenus accidens. Nos autem Patrem, dicimus, referri ad multos filios relationibus exercitis multis; non enim eadem actione genuit hunc & illum: ſed fundamentali potentia generatiua vnica refertur ad plures. Ita dum ignis calefacit circumſtantes multos, refertur ad illos eadem potentia, diuerſis autem reſpectibus, & qui ſimul trahit fune capreolos multos, ſimiliter. Duo quoque ad vnum, & ad quatuor referuntur, & ad ſex, & ad omnes numeros diuerſis relationibus, tanquam actibus, fundatis ſuper vna potentia. Item homo quoque eſt pater, frater, & filius, & tribus relationibus refertur ad filium, fratrem & patrem. Poteſt ergo plurificari relatio in eodem ſubiecto & fundamento. Quapropter ſi viſus ad videntem refertur, vt ad ſubiectum, & totum, relatiuè dicitur, & non quia eſt in eo, ſed quia ad eum. Dimidium quoque eſt in duplo, & tamen duplum refertur ad illud, & è contra; & totum, ad partes in exiſtentes.

At ſi hoc eſt dubium, ſumatur accidens extraneum, vt ſcientia refertur ad ſcientem, vt ad cauſam in actu: ad ſcitiuum vt in potentia, ad ſcitum, vt ad obiectum in actu; ad ſcibile vt in potentia, & inſuper ad ſuam cauſam materialem. Sunt ergo diuerſæ relationes ſiue modi referendi, vnica autem relatione ſeu actu relationis non niſi ad vnum refertur. Manifeſtè patet, quoniam idem non poteſt eſſe viſio & videns, & viſus: ſcientia & ſciens; & altera alterius dicitur in genitiuo, & ſe habent ad conuertentiam: Ergo neſcio cur cum eſſe In, non poſſint habere etiam eſſe Ad, Accidẽtia & formæ, vt referantur. Item quot habet cauſas, tot relationes habet omne Ens: ad quodlibet enim genus cauſæ proprio ſpectat reſpectu: ſimiliter ad effectus. Nam idea agentis, & poteſtate actiua, & forma, qua agit, refertur agens ad effectum præſertim Thomiſtis.

Rursus Ad aliquid per accidens quædam dicuntur, quia eorum genera sunt ad aliquid, vt Musica dicitur Ad aliquid, quia scientia est Ad aliquid. 2. homo albus dicitur Ad aliquid quatenus est duplum ad hominem aliquo pacto. 3. ponitur Ad aliquid abstractum ab Aristot. quia est ad aliquid suum Concretum, vt æqualitas est Ad aliquid, quia æquale est. Sed errat, quoniam per se æqualitas est æqualium æqualitas, & non modo quia æquale refertur ad æquale: omnia Entia quatenus accidunt, aut quatenus sunt similia, aut quatenus dissimilia, sunt Ad aliquid, & hæc tria vltima prædicamenta sunt respectiua per se.

De Similitudine, & Dissimilitudine existentiali.

Similitudines & dissimilitudines, ex rerum vnitate & pluralitate manantes, hoc est, ab Esse, & Non esse, pertinentes ad Esse rerum, declarauimus: reliquum est, vt, similitudines & dissimilitudines, pertinentes ad existentiam rerum, fluentes ab vnitione & plurificatione, declaremus. Sunt quidem existentiæ prædicamenta, Tempus, Locus, Societas, & relatio ad extra, & Accidens. Quapropter dicuntur similia tempore quæcunque sunt simul, ita quod vnum non præcedat alterum vllo pacto, sicut duo Brachia in homine. Secundo dicuntur simul tempore quæcunque simul nascuntur, & intereunt, quamuis prius alterum altero oriatur, sicut duo gemelli Medardus & Gildardus. Tertio dicuntur simul tempore quæcunque in aliquo tempore quamuis non simul nascantur atque moriantur, vt Cicero & Pompeius. Quarto quæ coexistunt in duratione quamuis alterum sit alterius ordinis rerum, & excedat à parte ante, & post durationem alterius. Quo pacto D. Thomas docet, omnia temporalia coexistere æternitati. Æternum enim nō habet prius, nec posterius, sicut tempus & temporalia; & tamen superest, & excedit vndique temporalia, & coexistit eis sicut centrum circuli fixum toti Circumferentiæ mutabili. de qua coexistentia in 2. par. redibit sermo: vtrum autem simultas temporis sit essentialis rerum singularibus naturis, an rerum ordini in 2. par. declarabitur; vbi etiam an singularitas, & Hæcceitas Petri potuerit esse ab aliis parentibus, & ab aliis concausis rerum sub alio ordine, apprimè disputabitur.

Totidem etiam modis dicitur oppositio & dissimilitudo temporis, quæ vocatur interstitium, & prioritas, vt prior tempore est Esau Iacobo, & caput iecore: & prius Noë quàm Dauid in secundo modo; & tandem dicitur prior æternitas tempore, quia omnia tempora antecedit quāuis etiam comitetur & subsequatur.

Simul loco dicuntur quæcunque idem spatium rerum inhabitant corporaliter, vt omnia Mundi corpora Cælestia & Terrestria ipsorumque systemata. 2. specialiter simul loco dicuntur quæcunque in eodem systemate ad eius compositionem coexistunt, vt omnes Planetæ ambientes Solem, si Sol esset centrum Regionis Planetarum. 3. dicuntur simul loco quæcunque non circa vnum Solē, sed circa vnum conuertuntur Planetam, vt Iupiter ac Medicea sidera. 4. quæcunque in loco vnius sideris habitant, vt quæ sunt intra Lunam, vel intra Iouem. 5. quæcunque eiusdem corporis magni tenent habitationem, vt Pisces in Mari, Quadrupedia in terra, Aues in Aëre. 6. qui in eadem parte alicuius elementi conuictum habent, vt habitatores vnius Ciuitatis. 7. Deinde quæ sunt in eadem domo vel platea. 8. Deinde quæ sunt in eodem corpore indiuiduo, vt caput, pedes, manus, viscera, in homine coexistentia simul in compositione essentiali. 9. Tandem quæcunque sunt in eodem membro, vt in Capite, siue compositionem seruantia, vt aures, oculi, & nasus; siue excedentia, vt pediculi, & vermes. 10. Et tandem quæ sunt in eadem particula minimæ particulæ diuisibiles, & demum indiuisibiles. Hæc enim omnia sunt in loco, & mutant locum cum toto quæque suo.

Opponuntur autem his localiter, primo quæcunque non sunt in toto Mundi spatio corporaliter, his quæ sunt corporaliter, vt Angeli & Mundus archetypus Mundo visibili: Deinde quæ sunt ad alterius solis ambitum, si tamen plures essent soles, vt quidam opinantur, his, quæ ad nostrū. 3. quæcunque alterum insequuntur Planetam, vt Iouiæ stellæ Saturninis. 4. sicut vna stella Medicea sub altera Medicea. 5. sicut ea, quæ in aqua his, quæ in terra. 6. deinde quæ habent habitationem in aliis vnius elementi partibus. Deinde quæ in eadem habitatione aliud habent domicilium. 7. Tandem quæ in eodem corpore indiuiduo alterum obtinent situm, vt Iecur & Cor. Tandem quæ in Iecore aliqua intercapedine separantur.

Datur prioritas & posterioritas loci, vel secundū Naturam, vt quod est in Capite, vel in medio ad ea, quæ consequenter se habent, vel secundum Nos, vt quod prius obuiam fit.

Ex prioritate & posterioritate loci & temporis, agnita est prioritas & posterioritas ordinis, vt proœmium est prius narratione.

Et dignitatis vt Rex prior Iudice.

Et Naturæ, vt quando duo simul nascuntur, sed alterum alterius est Causa, vt homo & risibile, calor & ignis.

Item Originis, vt quoniam hoc est ab hoc non tanquam à Causa, vt Volitiuum ex cognoscitiuo, & Cognoscitiuum à Potestatiuo, sed tanquam à coessentialitate.

Item prius, à quo non cōuertitur existendi consequentia: potest enim esse sine eo, quod illi aliquid addit. Quemadmodum si duo sunt, sequitur vnum est, sed si vnum est, non sequitur ergo duo sunt. Et si Animal est, non propterea homo est, sed è contra: homo enim præsupponit animal, & addit aliquid: neutrum tamen causa est alterius.

Locus dans existentiam partibus, est totum; accidentib. verò est subiectum, quando exteriora sunt: relationibus verò est correlatiuum extrinsecū, quibus non existentib. illa non sunt.

In his autem nulla vera vnitas, sed vnitio, quarum alia essentialis, vt materiæ & formæ, animæ & corporis, quę terminantur ad vnam subsistentiam substantialiter, semper tamen dissolubilem, quandocunque diuersorum est copula. Alia accidentalis, vt cum extrinsecus post esse completum copulantur, vt esse simile alteri, esse relatiuum ad extrinsecum, calefieri & frigefieri ab extrinseco calore & frigore, & alia huiusmodi. Quæ quando vni accidunt quod substantialiter est vnum numero, dicuntur simul in accidentalitate, vt albedo & rotunditas in pariete, sicut & duo subiecta quando idem accidēs.

vtriſque aduenit, vt Columba & paries dicuntur vnum albedine, & ſimilia: quæ vnitas relationem exercet. Societas tandem omnem cõplectitur exiſtentiarum copulam, ſiue ſit loci, ſiue temporis, ſiue itineris, ſiue laboris, ſiue officij, ſiue &c. Sic diſſocietas eſt contra.

De Similitudine & Diſsimilitudine ſimilitudinum, & diſsimilitudinum.

DAtur quidem ſimilitudo ſimilitudinum non ſolùm ſecundum rationem, quæ multiplicatur in infinitum, ſed etiam ſecundum rem, quę vocatur ſimilitudinitas: ſicut enim album eſt ſimile albo, ita homo homini, cum tamen ſint diuerſorũ generum. Erat quidem ſimilitudo diuerſorum numero, ſpecies; diuerſorum ſpecie, genus: diuerſorum genere, analogum. Et quia genera ſunt ſimilitudines ſpecierum, conſequens eſt, vt ſimilitudo ſimilitudinũ ſit analogia, quam vocant proportionalitatis, quæ apud Mathematicos ſtatuitur inter quatuor terminos, vt ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita octo ad ſexdecim: duplum enim eſt id, in quo conuenit vtraque ratio. Datur etiam ſimilitudo diſſimilitudinum, vt ſicut ſe habet Canis ad Albedinem, ita linea ad motum; in vtriſque enim ad vtroſque terminos eſt diuerſitas; in aliis autem Contrarietas, vt ſicut Calor ad frigus, ita ſiccitas ad tenuitatem. Et hæc ſimilitudo diſſimilitudinum inter quatuor terminos duorum generũ, ſed commutatos, & mutuatos, & non ſepoſitos; nam ſicut diſſimilis eſt canis albedini, ita homo nigredini: in vtriſque enim diſſimilitudo eſt diuerſitas. Fit etiam in tribus generibus, vt ſicut diuerſus eſt canis albedini, ita linea cani. Et tandem in quatuor generibus, ſicut diuerſus eſt canis ab albedine, ita linea ad operationem. Fundat ergo analogiam proportionalitatis ſimilitudo diſſimilitudinum. E conuerſo ſe habet diſſimilitudo ſimilitudinum: alia enim eſt Similitudo albi ad album, quam lineæ ad lineam: illa enim concoloritas, hæc æqualitas. Tandem datur diſſimilitudo diſſimilitudinum, quæ vocatur Diſparitas; nam linea diſſimilis eſt motui & calor frigori, vbi diſſimilitudo caloris ad frigus eſt contrarietas, lineæ verò ad motum eſt diuerſitas. Ergo inter tria genera fundatur diſſimilitudo diſſimilitudinum: ſimilitudo verò inter quatuor, & tria, & duo. inſuper diſſimilitudo diſſimilitudinum: in duobus & in vno fit genere, non autem excedit tria, ſicut patet comparanti per ly ſicut, & ly non ſicut. Attamen illa duo & tria gerunt vicem quatuor ex reſumptione. neutra enim non in quatuor exercetur. Vtrum autem, quæ diſſimilia ſunt, participent ideam diſſimilitudinis realem, ſicuti quæ ſimilia ſunt participant ideam ſimilitudinis realem, & vtrumque ſunt ſimilia in diſſimilitudine, & diſſimilia in ſimilitudine, & ſimilia in inſimilitudinibus, & diſſimilia in diſſimilitudinibus participent ideas idearum; & iterum vtramque ideam, videlicet diſſimilitudinitatis, & ſimilitudinitatis; non poſſumus affirmare antequam de Ente & Nihilo diſputamus in 2. par. & Parmenidis apud Platonem diſſertationes iuxta noſtra dogmata diſſoluamus.

De diſtinctionum notionibus, & numero, & quidditate. Et de identitate ad cunctarum ſcientiarum vſum.

QVemadmodum in rebus ſunt vnitates & pluralitates, ita in ſcientiis inſunt correſpondentes illis identitates & diſtinctiones. Diſtinctio in ſcientia triplex eſt, alia ratiocinij, alia rationum, alia realis. Diſtinctio ratiocinij alia eſt ſecundum animam ratiocinantem, alia ſecundum animam ſermocinantem, quæ dicitur grammaticalis. Illa fit, cum anima vtitur eadem re bis, vt cum dicit Petrus eſt Petrus, & Deus eſt in Deo, & vnum eſt in ſeipſo. Quod verum non eſt, vt arguebat Parmenides: ſi enim vnum eſt in ſeipſo, tunc non erit verè vnum, aliud enim eſt id, quod eſt, ab eo, in quo eſt: ergo duplex. Similiter neque Deus in Deo, alioquin alius eſſet à ſe. Neque Petrus eſt Petrus: non enim idem ſubiicitur & prædicatur. Poteſt tamen intellectus bis ſumere Petrum & Deum, & vnitatem diuidendo & componendo ideas notionum; neque errat, niſi re vera putet indiuiſa diuiſa, & diuiſa indiuiſa. Habet autem poteſtatem hoc faciendi, quoniam à rebus, quas cognoſcit conſueuit imaginari vnum multiplex, & multa vnum, propterea quod bis ab vna re, & diſſimiliter, & ſemel à pluribus rebus, aliqua vnione vnitis, afficitur. Pluries enim vidit Petrum, & Solem, idcirco poteſt eodem bis vti: album verò, & Petrum, & figuram ſimul vidit, idcirco poteſt tanquam vno vti. Deus autem quoniam ſimul & ſemel omnia videt, & non repetit viſionem, non poteſt eadem re bis vti in notionibus ſuis, licet poſſit bis eam facere, & pluries extra ſe. Idemque cognoſcat quomodo etiam nos bis, & pluries re eadem tanquam multiplici vtimur.

Diſtinctio grammaticalis eſt, cum vocabulum eſt duplex, & res vna, quod proprium eſt ſynonimorũ, cui opponitur identitas æquiuocationis, quæ ſub eodem nomine diuerſas importat ſubſtantias. Porrò cum D. Thomas inquit; In Patre & in Filio, & in Spir. S. eſſe potentiam generandi. ſ. actiuè & paſſiuè, & impersonaliter, eiuſmodi diſtinctio non eſt purè grammaticalis, vt quidam opinantur; licet à Grãmaticis ſumpta ſit. Reſpõdet. n. in re oppoſitio realis relatiua, quæ hanc fundat diſtinctionem. Sic neque ly generandi, vt eſt gerundium, & vt participium, diſtinguatur grammaticaliter, ſed realiter: ſunt tamen vnum grammaticaliter. Ergo cum in Deo, dicimus eſſe generationem paſſiuam, & Græci dicunt eſſe cauſam Patrem filij, & alia huiuſmodi, grãmaticaliter ſumenda ſunt: nulla enim paſſio & cauſatio eſt in Deo ſecundum rem, licet vocibus paſſiuis & cauſatiuis in Grammatica vtamur, quoniam Grammaticam diuinam non habemus, ſed deſumptam ex humanis, vt dicebamus de vocabulorũ ſignificationib. ſermocinantes. Nec tamẽ imputatur nobis huiuſmodi culpa, niſi ſimul in re ita eſſe credamus quemadmodum ex imbecillitate loquimur & ratiocinamur, quod & ſenſui ſæpe accidit. Cum enim in pariete videt lineam oculus diſtortam, ſtatim ſuſcitatur in mente notio ſerpentis, vnde & videtur ſibi & ſerpentem videre ex cõpoſitione ſpeciei externę interneque. delirabit autem, ſi ita eſſe affirmabit: ſic etiã cum diſtinguit videndo hominẽ hominis caput, ſi affirmabit reciſum

esse à corpore, quod ab opposita absconditur tabula. Porrò latet & in anima quid diuinum componendi, diuidendique, potens instar Dei. Vnde & Poëta diuinus est, fabellarum textor per compositionem & diuisionem omnium prædicamentorum, & indiuiduorum. Quod enim aliquando accidit alicui ex imbecillitate scientiæ, alij vero ex actu & stratagemate, sicut Vlysses.

Est controuersia inter Metaphysicos de Natura Entis rationis: videtur enim non esse in re, sed à ratione fieri ex his quæ in re sunt, vt Genus, Nomen, Verbum, Diuisio, Compositio, Vniuersalitas, quæ tamen non fiunt nisi ob similitudinem à rebus acceptam: vnde & vocabula hæc omnia translata sunt à Politicis, & Physicis rebus, ad Logicalia.

Propterea alij dixerunt, Ens rationis esse vel relationem, vel negationem. Sed profectò & relatio est realis, vt inter Dominum, & seruum, & Calefaciens & Calefactum: & negatio est realis: realiter enim homo non est Asinus: ergo habet in se realiter negationem asinitatis. Dicitur tamen negatio Ens rationis, quatenus à ratione concipitur vt Ens: nonens enim non est conceptibile. Neque potest dici nonens esse nonens, quia esse non affirmatur de non Ente, sed quia sic concipimus, ita loquimur.

Quidam dicunt subiectiuè & obiectiuè, & collatiuè fieri Ens rationis. Sed quoniam si intellectus subiicitur speciebus realiter, species illę reales erunt: Præterea nec obiicitur intellectui, quod non est: prius enim est, quam moueat & obiiciatur. Idcirco neque obiectiuè, neque subiectiuè videtur ponendum Ens rationis. Propterea alij consequi, non fieri Ens rationis, putant. Si enim fit à Causa reali, est Ens reale: sed durum est, aliquid consequi nullo causante priori, nec posteriori: nomina enim & logicalia verè ab intellectu fiunt.

Propterea forsan dicendum est, Ens rationis quando non est in re, neque rebus correspondens, vt chimera & negatio: non autem negatum & chimeratum: quorū vtrumque in re est, siue in intellectu, siue extra. Intellectus ergo phantasiando facit Ens rationis collatione & compositione propria, rebus non correspondente. Species ergo montis & auri sunt reales Animo: Compositio vero ipsorum Ens rationis. Quapropter ideæ propriæ rationis nostræ sunt Entia rationis: quæ verò sunt in Natura & in Deo, sunt Entia realia. Et sicut Deus fingit realia Entia, sic intellectus Entia rationis absque fine.

Propterea dicebamus, quidquid est ante opus intellectus nostri in Natura, esse Ens rei: quidquid additur ab humano intellectu, propter commodum hominis, esse Ens rationis, id est, artis nostræ, siue in anima fiat, vt Fabula, Nomina, Definitiones sunt, &c. siue extra animam, vt Domus, Nauis, Astrolabium, &c. si frustra, erit Ens deceptionis, actiuæ vel passiuæ, vel vtrinque: vt ly Deus non est: sunt Centauri: album est nigrum, hamus non te capiet si escam hauseris, ô piscis. Nihilum est: cum eius essentia sit non esse; in quo intellectu est realiter ante intellectus considerationem.

Quæcunque sunt idem re, & distinguuntur ratione, fundant exactam contradictionem, quod si non accidit, non fuit sola distinctio rationis. Contradictio enim est, cum dico vestimentum est album, & indumentum non est album: non autem cum dico, homo currit, & animal non currit. Quapropter datur secunda distinctio, quæ vocatur rationum, quæ fundamentum habet in re ita vt ab intellectu nostro plures rationes fiant verè & realiter distinctæ, non autē rerū distinctione, sed realitatum.

Quapropter cum Entitates plures faciunt vnum Ens, & tamen definitiones patiuntur plures, fundant hanc distinctionem, quam Scotus vocat ex natura rei, Thomistæ secundum rationem ratiocinatam: Nos autem rationum vocauimus distinctionem & idealem, quia alteram ideam alterumque conceptum, & rationem, in nobis pariunt cum apprehenduntur. Hanc distinctionem ponunt inter Intellectum & Volūtatem, & inter Attributa diuina, & inter ENS, & Verū, & Bonum, & Vnum, & inter Deum & Deitatem. Arbitrantur autem alij fundamentum habere in re, Complementum in intellectu nostro huiusmodi distinctionem: alij vero nullo intellectu considerante peractam esse hanc distinctionem: propterea quod ita distinctè sunt istę realitates, quod contradictionem non concernunt. Non enim contradictio est voluntas vult, & intellectus non vult. & Deus generat, & Deitas non generat, immo vtraque vera, sicuti contradictio est: indumentum est, & vestimentum non est: Bonum est appetibile, & Ens non est appetibile.

Nos autem existimamus, quod quemadmodum distinctio rationis fundat contradictionem, vt cum dico: vestimentum est, & indumentum non est: & distinctio realis nullam cōcernit contradictionem, vt asinus est rudibilis, & homo non est rudibilis: ita distinctio rationum, siue idealis, siue rationis ratiocinatæ vocetur, medio se habere modo putanda est: omnes enim realitates quæ conueniunt in re, & existentia, & distinguuntur solum rationibus cum ita se habent, quod si de vna aliquid affirmamus realiter, de altera tamen non possumus negare realiter, sed tamen formaliter. Dicimus ergo Intellectus intelligit, & voluntas vult, sed non possumus dicere id quod est Intellectus non vult & id quod est voluntas non intelligit. Intelligit enim realiter materialiter, quatenus est vnum cum intellectu voluntas realiter & materialiter: non autem intelligit formaliter. Contestatur huic vnitati Theologia Scholasticorum, asserentium, quod Deitas generat, & generatur vt quo, & non vt quod. Similiter etiam dicimus Verum & Bonum esse obiectum Intellectus materialiter non formaliter, verum autem formaliter. Sic etiam dicendum de omnibus primalitatibus. Potentia enim potest formaliter: scit & vult materialiter: Sapientia scit formaliter, potest & vult materialiter. Amor vult formaliter, scit & potest materialiter & realiter. Eadem ratione dicimus, quod potentia est sapientia, est misericordia, est virtus in Deo realiter, sed non idealiter, seu definitiuè: & formaliter, non à forma sed à formalitate: & sic omnes quæstiones dissoluuntur inter Scotistas & Thomistas, qui inter rem & realitatem distinguere perperam non satagerunt. Idcirco non sola modificatio cognitionis nostræ facit distinctionem realitatum completiuè, sed etiam rei exuberantia pluribus rationibus perceptibilis. Siquidem idem Calor est odor in naribus, est sapor in lingua, est Calor in tactu, est lux in oculis: modi autem sentiendi contracti aliter atque aliter, videntur rationes & res plures eiusdem rei facere. Calor ipse quoque cum mole tenui aliter afficit atque cum crassa, & aliter in transpicuum, aliter in opacum se transfundit organū: vnde multiplicitates rationum conficiuntur. Idem apparet in primalitatibus

& tranſcendentibus ex parte noſtri, & ex parte ſui rationes multiplicantibus.

Diſtinctio realis quædam eſt eſſentiæ tantum, vt inter pomum & ſuam albedinem: quædam exiſtentiæ tantum, vt inter Petrum & Paulum, qui conueniunt in eſſentia hominis, non autem in eſſentia contracta ad exiſtentiam: vnde diſtinctio eorum eſſentialis non eſt, niſi quia naſcitur ab exiſtentiali: quædam vero vtroque modo, vt Angelus & linea.

Diſtinctionum realium, alia eſt contradictoria, vt inter Ens & Nihilum ſimpliciter: alia priuatiua, vt inter Ens & non Ens in aliquo ſubiecto. Alia diuerſificatiua, vt inter genera diuerſum modum eſſendi contrahentia. Quæ etiam à Scotiſtis dicuntur diſtingui ſe totis, quia non habent aliquid commune vniuocum. Perperam quidem in ſuo dogmate, cum ipſum Ens vniuocum faciant. Vnde ſolum Ens & non Ens videntur mihi ſe totis diſtingui. Alia eſt diſtinctio contrariatiua qualis inter ſpecies, quæ ſe ab eodem ſubiecto expellunt. Alia differentialis qualis eſt inter ſpecies. Alia diſparata, qualis eſt inter diſſimilitudinitates paulo ante deſcriptas: & opponitur analogiæ: alia eſt variatiua, qualis inter album intenſum & remiſſum. Alia numeralis, quæ pertinet ad exiſtentiam iam dictam. Alia relatiua, quæ duplex eſt inter rem & rem, & realitatem & realitatem: de quibus in ſuo loco ſermonem fecimus.

Dicuntur autem aliquæ Diſtinctiones Reales, Formales, Materiales, & Eſſentiales in Peripato. Putant enim animam diſtingui à ſuis potentiis realitate eſſentiæ, non exiſtentiæ. Quod tamen verum non eſt, niſi potentia ſumatur relatiuè. Radicaliter enim eſt anima, vel realitas animæ. Diſtingũnt formaliter ea, quæ habent materiam eandem, non autem formam: ſiue illa forma ſit rationis, ſiue Phyſica vis, materiæ inhærens. At ſecundum rei veritatem, & vnde impoſitum eſt nomen, formaliter tantum diſtinguitur triangulus ligneus, à quatrangulo ligneo, quemadmodum materialiter diſtinguitur triangulus ligneus, à triangulo ferreo: materialiter autem & formaliter triangulus ligneus, à quatrangulo ferreo: & ſapor à linea. In cæteris autem reſpiciendum eſt ad rem, & ad modum rei. Omnis enim res ſe habet vt materia, modus autem eius ſicut forma, finis quoque quod formam prærequirit, dicitur apud S. Thomam in Moralibus formaliter diſtinguere.

Addunt diſtinctionem realem inter rem includentem aliquid intrinſecè, & excludentem illud, qualis inter hominem & animal: homo ſiquidem actualiter includit rationalitatem: animal vero non includit. Similiter etiam inter rem includentem aliquid extrinſecè & non includentem, qualis eſt inter Medicum & Hominem: actualiter enim Medicus includit medicinam & humanitatem, homo vero ſolam humanitatem. Sed omnes iſtæ diſtinctiones reducuntur ad habere & non habere, & ſunt reales vel ideales, prout res habita & non habita opponuntur.

Addunt Scholaſtici diſtinctionem modalem, qualis eſt inter currere velociter ac tardè: & inter neceſſario & contingenter: & inter idem, prout eſt in potentia, & in actu. ſed profectò cum modus rei ſit forma rei, impropriè dicitur modalis hæc diſtinctio. Nos ergo inter currere velociter & tardè ponimus diſtinctionem alteratiuam. Inter neceſſario & contingenter ſuperioris ordinis eſt diſtinctio declaranda in 2. Parte. Reducuntur enim ad Eſſe & non Eſſe, quemadmodum diſtinctio Boni & Mali, Veri & Falſi, Conſonantis & Diſſonantis, cum metaphyſicè ſumuntur. Cum enim ad Phyſicas feruntur veritates, aliam habent diſtinctionem, aliamque in moralitate. Primò enim modo conſiderantur prout ſe habent ad Eſſe & ad non Eſſe. Secundò modo, prout ſe inuicem oppugnant: tertiò modo prout bonum faciunt hominem aut malum in ordine ad finem: quæ ſuis in locis ſigillatim patebunt.

DE CAVSA FORMALI, ET SVIS *Cathegoriis, & prius de Formæ acceptionibus, & Definitione, & Diuiſione.*

CAP. IIII. ART. I.

SECVNDO poſt ideam Forma ſeruit cognoſcitiuo, quæ nimirùm in re extra mentem ideam repræſentat ideatam. Et quidem diſtinguendi res & naturas vim habet & notiones, validam. Homo enim recens natus antequam operationes & actiones ſpecificam eius eſſentiam declarent, nihil differre videtur à Catulo, aut Piſce, aut filio Simiæ, niſi per figuram exteriorem, cui primò datum eſt nomen formæ, minus autem diſcernitur Triglia à Cephalo, & Piſcis à Piſce, quorum nobis notitia parua, niſi per figuram: quæ autem eandem figuram habent eiuſdem ſpeciei reputantur vt Vipera & Aſpis, Lacertus maior & minor, Anguilla & Serpens nigra, videntur colore ſimillimæ, & eiuſdem ſpeciei reputarentur, quoniam figura minorem differentiam oſtendit, præterquam in pennulis, & ſpinæ emerſione: niſi vita terreſtris & maritima, exterioris exiſtentiæ differentia, ſtatim indicarent & eſſentiæ diſcrimen.

Ex formæ exterioris notitia ad formam interiorem cognoſcendam per analogiam tranſcurrimus, & per illam ad omnis rei modulum, ſeu qualitatem.

Definitio Formæ, Analoga, & Vniuoca.

FOrma igitur in ſua communitate analogica conſiderata, eſt modus ſeu qualitas cuiuſque rei, Omne enim Ens finitam habet eſſentiam pro ma-

teria, & limitem suæ essentiæ pro forma, seu qualificatione materiæ, per quem limitem distinguitur ab aliis Entibus, & constituitur in suo proprio esse. Ita quod forma Entis & non Entis participium est: quo enim constituit, Entitas est: quo distinguit, non Entitas. Homo siquidem per rationalitatem constituitur in Esse humano, & distinguitur ab Asino, & aliis. Per Esse humanum est, par non humanum, seu per asininum, & alia, non est. Ergo Entis & non Entis est omnis substantiæ limes, & sumitur à limitibus corporum: qui ipsorum corporum esse includunt, & faciunt ad non Esse. Hæc enim pagina, est pagina vsque ad limen suum, & vbi desinit esse, ibi limen eius. Ideo Pythagorici ponunt principia finitum & infinitum, hoc est, formam & materiam: quas Plato vocat finitudinem & infinitudinem: essentia enim omnis informis ad infinitas formas est in potentia: formata vero & qualificata certum finem habent in re & in mente. Non enim distinxerunt quantitatem à Materia & Essentia, quæ materiæ loco est incorporeis in rebus. Quod modus finitatis sit forma post.

Forma autem, sumpta pro causa, est id, quod aliquid fit, factumque constituitur in esse specifico essentiali, vel accidentali: distinguiturque ab aliis Entibus. Ergo forma huiusmodi per se non est Ens subsistens, sed materiæ qualitas. Cum enim materia sit vna, & in formis, accedentibus formis multiplicatur numero & qualificatur terminis. Dant ergo formæ esse non simpliciter, quoniam non etiam dant materiam, sed tale: quoniam qualificant materiam, non actuè sed formaliter. Ergo principium distinctionis quo est forma, non materia, quæ erat vna. Est tamen materia principium distinguibilitatis. Ergo & indiuiduationis principium est ipsa formalitas & signatio talis, Materia enim de se non signatur, nec à dimensionibus, sed à forma tantas dimensiones requirente, vt regnet in materia: ergo si materia signata est principium indiuiduationis: ergo vt formatione insignitur, sic & essentia. Distinguit autem actiuè causa agens: forma, modaliter. Modus autem est ab idea principalis agentis: ita quod forma est effectus agentis quatenus ideantis. Ergo esse formę ad ideam refertur: forma enim harũ literarum ad ideas ipsarum in mente mea est, & sine ideis non fit forma, nec formatio, Agens enim in indeterminatum non facit actionem. Nihil autem obstat formæ, quin sit causa formalis, licet sit effectus in generatione & creatione, & factione. Nam & materia licet ab agente sit Deo, habet tamen vt sit causa materialis: materiat enim: sic & forma format: & finis finalizat, quamuis non præcedat nisi in intentione: est tamen causa vt sic agens agat in tali materia, vt cum tali formatione, quæ fini est apta. Siquidem Bellum est causa, qua agens lanceam agat ex ferro, & non ex melle: & acuminatam, non rotundam. Non ergo sola materia & agens causant, vt videtur Stoicis.

Quorum est Forma.

DAtur insuper forma rei genitæ, & forma generantis, non qua agit, sed qua moderatur sic actionem: & forma generationis, vt forma generationis aquæ ex vapore est conspissatio: generationis vero vaporis ex aqua, est rarefactio: & quia omne Ens factum est siue per creationem, siue per generationem, siue per factionem, siue per deriuationem: Propterea dicimus, omne Ens factum formam, idest, limitem, seu qualitatem suæ essentiæ habere: incorporeum incorpoream, corporeum, corporeã: simplex simplicem: compositum, compositam, mistamuè: per quam qualitatem fiunt & constituuntur ad exemplar, quo agens suam modificat actionem. Ergo forma seu qualitas est in omni prædicamento, dicimus qualitatem substantiæ & quantitatis, & coloris, & actionis, & passionis, & operationis, & similitudinis, & accidentis, & temporis & loci &c.

A Quo, & ad Quod Forma *dicitur.*

NOmen formæ prius impositũ est ab artificiatis: ex eadẽ enim materia ligni, faciũt lectulum, & scamnum, & baculum, res nimirum differentes, propterea quod differentes inducunt formas variasque, prout artificibus placet propter finem. Species quoque forma vocatur deinde, quæ apparens pulchritudo est, signum videlicet virtutis formatricis: vnde pulchra formosa vocantur, quoniam bene formata sunt ad finem. Igitur pulchritudo est perfectio formæ, & quædam eius qualitas: datur enim & forma formæ materialiter tamen sumptæ, vt mox patebit. Constituit autem pulchritudo formam in esse pulchro: distinguitque à non pulchris. Deinde transiuit nomen formæ ad figuras naturalium, vt dicimus formam rotundam cæli, cornutam lunæ, curuam brutorum, rectam hominis, & cætera: & quoniam figura consistit in externorum terminorum rei quantæ habitudine & ordine ad inuicem, nomen formæ transiuit ad particularum internorum dispositionem & temperamentum inter se, quo ad proprium esse conducuntur: & quia cum sunt in propriæ essentiæ modo & qualitate, tunc habent, vt iuxta illum modum agant: Propterea etiam forma vocatur actus: & quidquid actuat, forma: non quia traducit rem de potentia ad actum, vt dicunt: non enim forma hoc facit, sed agens, dans formam, quæ deinde est actus sic suæ materiæ per analogiam, sicuti operatio est actus, seu actio operantis taliter, vtque oportet. Præterea quoniam quidquid intelligimus quasi Ens essentiamque illimitatè, vocarunt veteres materiam: quidquid vero inhæret, aut modificat, vocarunt formam & qualitatem: sic animam vocant subiectum scientiæ: scientiam vero formam seu qualitatem: similiter & virtutes, quas vocant habitus & dispositiones siue corporeis, siue incorporeis in rebus.

Mox ipsius scientiæ obiectum, super quo quasi inhæret consideratio, vocarunt materiam scientiæ, modum vero considerandi formam scientiæ. Præterea indeterminatum & confusum vniuersale accipiunt materialiter in notionibus, differentias vero distinguentes, & species, formaliter: cum tamen homo, & Animal, & rationale, sint idem realiter. Non autem dicere solent formam Angeli, & animæ, ne videatur Angelus & Anima materialis, sed sumunt essentiam Animæ materialiter: qualitates & limites formaliter. Deus autem, cuius nullus est limes, nec modus, nec qualificatio, non habet formam, neque analogicam nisi secundum rationem. Etenim in diuinis accipitur idem aliquando materialiter, aliquando formaliter.

DE FORMA PARTIS ACTIVA ET PASSIVA, & de Forma Totius.

ARTICVLVS II.

AMPLIVS autem forma dicitur alia actiua, vt Calor & Frigus, in igne, & terra: quamquam Calor non sit id, quo fit ignis: sed qui facit ignem etiam absque alia causa agente, vt patet cum in speculis vnitur, & in nubibus, & in ferro, & hæc potius est forma formans. Non enim formæ est agere, sed agentis causæ, quæ vocatur forma, quatenus inest materiæ, licet non sit forma. Alia est forma passiua, vt tenuitas ignis, & soliditas telluris: quæ dispositio particularum ignis est ad vsum caloris in igne regnantis: vt enim agat moueatque calor, sicut oportet à tali materiæ dispositione iuuatur: idcirco & materiam coagere putauit Ægidius. Penetrat enim calor, mouetque magis, seruatque seipsum, in materia tenui, quam in crassa, in qua tamen crassitie vnitur. Non ergo materia coagit quo materia, sed quo qualificata. Vnde Democritus atomas materiæ partes ratione figuræ agere imaginatur, quamuis omnem virtutem actiuam naturæ abstulerit: manifestum est autem in artificiatis, quod forma materialis deseruit agenti. Forma agens manifestè per se fit vt quod à suo agente, propriam essentiam effundente, vt lux speculi à luce solis. Forma passiua non adeo. Etenim cum non detur à calore, sed subsequatur calefactionem, videtur fieri vt quo. Siquidẽ circulus non fit, sed lignũ circulatur ab agẽte, ideam non seipsum effundente, sed materiam formante: at Aristoteli neque forma agens videtur fieri vt quod & per se. Quod tamen falsum est de anima: quæ à Deo creatur, & fit, & est vt quod. Et calor non solum in igne, sed vbicunque fit: vt non fit solum quo fit ignis, sed quod fit ipse etiam, vt patet in ferro ignito, vt deinde docebimus. Datur & forma totius in vnaquaque re, vt igneitas, quæ ideæ ignis respondet, quæ est essentia ignis in causa: in effectu vero existentia, particeps essentiæ. Et quidem in notionibus vocatur forma, quæ respondet ideæ; in natura vero est ipsamet essentia. Porrò forma totius & partis non est eadem re, vt putat Auer. Alioquin Anima in homine, & Calor in igne esset forma sui. Præterea, nec forma totius prædicat formam partis, & materiam communem, non indiuidualem, vti docent Latini: sed prædicant materiam concinnatam sub tali forma: Ergo & indiuiduatam, & formalizatam, & qualificatam in communi. Sic enim à forma formata & qualificata designari potest. Igneitas ergo dicit, non materiam ignis communem & formam partis, id est, calorem: sed ipsum calorem, & corpus ignis non commune, sed prout calore formatum est ad ideam ignis. Sic humanitas animam & corpus humanum formatum ad ideam hominis, & ideo potius essentia quam forma dici debet, vt Richardus Vict. monet. Sed obiiciunt hoc: quod humanitas non prædicatur de Homine, & de Petro: ergo non dicit totum, sed partem.

Respondeo, quod si est forma totius, necessario significat totum. Et licet conditiones omnium indiuiduorum non significat nisi in communi: haud propter hoc de Petro non prædicatur. Nam si propter hoc, saltem de homine prædicaretur, qui etiam à singularitatibus est abstractus. Sed non prædicatur, sicuti nec albedo de pariete, sed album. Ergo alia est ratio, videlicet, quia humanitas significat ideam totam abstractam: homo vero concretã & contractam. Tota autem idea non exhauritur in hoc & in illo homine, nec de illis dicitur. E contra vero prædicatur diuinitas de Deo, & de Diuinis personis, quoniam in illis non est participatio, neque contractio, sed toticipatio & identitas, vt in Theologicis dictum est. Videtur quidem forma totius constitui ex forma actiua & passiua, vt igneitas ex calore & tenuitate: potius autem ex materia attenuata. Non enim tenuitas est aliquid separabile, sicut calor à materia sua, re, vel ratione.

DE FORMA SIMPLICI, ET COMPOSITA, & Decomposita.

ARTIC. III.

DATVR quippe forma totius simplex, & composita, & decomposita. In homogeneis enim rebus, qualis est aqua, forma totius vnica est Aqueitas, quæ tamen ex materiali forma, scil. liquore, & actiua, scil. ex gradu caloris aqueo, sic contemperatis vt faciant vnum totum Ens, constat. Et simplex dicitur ob vniformitatem particularũ. Sic igneitas, Terreitas. Composita vero est sicuti pyramis Cylindroides, quæ ex angulo & circularitate componitur. In Physicis elementatis putat Empedocles consimiliter se habere, quippe qui ex seruatis elementis res quasdam visui similares etiam, producit, vt pyropum, melicratum, & huiusmodi. Decomposita tandem in organicis corporibus est manifesta: siquidem neruus in planta, & in animali, alium habet colorem, & dispositionem,

dispositionem, & temperiem, ergo & formam: similiter aliam caro, aliam os, itaut quo pacto hæc difformia sint vniformia, id est, vnicam simul habeant formam, sicut aqua, imaginari nequeas, nisi compositam in animali: qualis in domo, & in molendino, & in exercitu, formam facias: quæ est modus quo essendi tot entium simul in vnum, ita vt vnam decompositam faciant: quam Auicen. vocat formam Totius (forsan melius) & partium, vt humanitas, molendineitas, & huiusmodi: impossibile est autem, in his formam partium esse vnam simplicem, quæ Peripateticis Entelechia, vltimus habitus, & perfectio nuncupatur, vt grauitas rei grauis. Alius enim est habitus Nerui, & Ossis, & Carnis, & Spiritus: quorum quisque simplex videtur: alius insuper Manus, Pedis, Capitis, Viscerumque, qui ex his recomponitur: & alius ergo totius animalis habitus, qui ex his componitur.

Indicat sanè diuersitatem formarum species partium & organorum diuersa, & temperies, & consistentia diuersa, & diuersi vsus, & actus, vt mirum sit, quomodo eandem formam partium difformium, specie distinctarum, & insuper organorum diuersorum, eumdemque actum, faciant animam Peripatetici, qualis est grauitas in lapide vnica.

Propterea, Patres Scholæ Christianæ, tanquam Artificem in suis instrumentis includunt corpori animam, vtque Nautam naui, præcipuè autem Ambrosius in libro de Isaac, & de Noë hanc reprobauit Enthelechiam. Neque illi obstat Clementinum Decretum de summa Trinitate & fide Catholica, quo animam à Deo immissam corpus informare, probatur. Hoc enim contra Auerroistas tunc regnantes, vnicam ponentes animam, in cunctis hominibus assistentem: ideoque non informantem, decretum est: non contra Ambrosium, Lactantium, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium Nyssenum, aliosque Patres iuxta sancti Thomæ animaduersionem, qui plurificant animas, æternantque singulas: sed etiam si formam corporis dicant, incommodum non patiuntur. Potest enim forma immaterialis, non ex materiæ qualificatione emergens, sicut forma securis, & leuitas ignis (quibus exemplis vtitur Aristoteles & Aphrod.) non dependens à corpore, sed à Deo, difformes partes informare, infusa, non confusa, possessasque à corpore, vt testatur Ambrosius. Sic enim lux à sole, non ab aëre & nube, & aqua dependens, has difformes res informat, vt in Phys. probatum est. Formarum præsertim totius nomina non habemus: dicantur ergo Humanitas, Animaleitas, Planteitas: partium vero Osseitas, Nerueitas, Spineitas. Similiter in artificiatis Horologeitas sit forma Totius. Partis autem cuique sua, vt Roteitas, Cordeitas, &c. Vtrum figura Decompositorum sit essentia, vel essentialis in sequentibus palam fiet.

Lib. de Bono Mor.

DE FORMA ET FORMATIONE
vltima compositorum: & vnitate multiplici.

ARTIC. IV.

ITERVM quærunt, quid sit forma intrinseca Compositorum. Non enim sufficit dicere, est ipsorum modus & gradus, quemadmodum dicimus de Angelis, quorum modus & limes est qualitas eorum substantialis, & quasi forma, quoniam vltra non intelligimus. Sed quid sit iste modus, apud nos sensibiliter cognoscibilis in Compositis elementis & elementatis; Peripatetici, teste Alexand. dicunt, esse vltimam perfectionem, quæ resultat ex mistura elementorum: quam putat incorpoream & immobilem per se, & inseparabilem à Composito: & nasci & mori cum illo: quoniam eius est perfectio vltima atque potestas: sicuti grauitas in terra, & leuitas in igne. Nec tamen est ipsa mistio & harmonia mistorum Alexandro, quemadmodum Aristoxeno, & Galeno videtur: sed quod resultat ex ea. Sicuti Triangulus (ait) non est linearum iunctura, sed quod ex iuncturis specificum esse, & perfectio fit. Et quia per animam animalia in suo esse constituuntur, putat, animam esse corporis formam: ergo & cum corpore corruptibilem. Intellectus enim, qui non corrumpitur, non ponitur Aristoteli, & Alexandro, & Auerroi, cæterisque Græcis & Arabibus, forma corporis. Hinc fit, vt omnem formam, putent esse simplicem: nam mistorum forma non est mistio, neque temperies harmonica eorum: sed quod deinde resultat vltimo perficiens totum, quod necessario est vnum, quoniam indiuisum in se, & diuisum ab aliis. Idcirco Pythagoricos, ab vnitate formas defluere, arbitrari. Dicunt tamen, omnes formas esse ignotas, & ab exterioribus formis vel actibus nominari. Platonici vero idearum participationes seu imitationes, probant esse formas: veluti ideæ artis participio ferrum formam gladij, & ligonis, & falcis suscipit. Quod Peripatetici fabulosum dicunt, ac metaphoricum sermonem. De quo infrà disceptabimus.

At nos formam essentialem intrinsecam in extrinseca exprimi, dicimus, in eaque considerari oportere, atque in operibus suis. Nec sentimus omnium esse formam simplicem cum Aphrodisiensi, nisi simplicium: compositorum autem, compositam, quoniam & difformem habent vnitatem. Alioquin omne totum compositum esset simplex, & non compositum ex partibus, & eadem esset vnitas puncti & aquæ & animalis, eademque indiuisibilitas. Quis autē affirmat, eandem esse vnitatem circuli, & trianguli, & quatranguli & elementi & elementati, æquè indiuisibilem? in circulo vna est linea, in triangulo tres vnitæ, non vnum, præsertim in Scaleno: maior quoque est vnitas literæ, quam syllabæ: ergo & forma simplicior: quoniam partes syllabarum habent etiam proprias formas, ex quibus conflatur forma

syllabæ. Nemo etiam sani capitis dicet, vnitatem Animæ & Angeli esse parem, nec minus simplicem vnitate elementatæ arboris. Nec Pythagoricis ita visum est. Scotus quoque intellexit compositorum vnitatem esse multiformem, cum triplicat formam partis in homine. Videtur quoque Aphrod. ad formam totius potius respexisse, quam partis: & totum abstracto modo considerasse, tanquam totalitatis particeps, quæ est idea totorum: quam tamen Peripatetici nolunt agnoscere.

Esto igitur in similaribus vnica forma simplex: in dissimilaribus plures partiales conuenientes in vnam formam totius, sicut literæ in formam syllabæ, caro & os & neruus in formam manus. In toto enim partes sunt esse proprio & totius. Rursus ex dissimilarium, & difformium vnitatibus & conuenientiis in totalitatibus partialibus fiunt totaliter totalis vnitatis & formæ decomposita Entia per formam decompositam, sicut dictio ex syllabis, & Animal ex capite, pedibus, visceribus, manibus, & cætera.

Patet enim quoniam aliquod est totum ex forma ordinis vt exercitus. Aliud & colligatione contiguitate addita ordini, vt domus: vel insuper compositione & alteratione ad consimilitudinem mutuam, vt Theriaca: Aliud essentiatione, quæ multiplex est, vt dictum est prius. Aliud omnibus modis, vt mundeitas forma mundi: qui non minus est vnum quam homo vnus ob formæ vnitatem. Sortiuntur enim formam res vnde vnitatem: forma enim est, quo res fit & est: est autem quia vna per se, vel participio, vt in 2. P. monstrabimus. Videtur quidem in his, quæ generantur apud nos, forma esse mistura & modificatio virtutis agentis, & materiæ: Cuius partium situs, ordo, & figuratio, ita disposita sunt ab agente proximo, vt vnum essendi certum gradum modumque constituant. Disponuntur autem ab Agente Causa inexistente, participio nimirum propinquæ, & remotæ, & remotissimæ, non inexistentium: sicut cum ex aqua fit aër: videtur quidem paulatim rarefieri per calorem additum, qui ipsi aquæ accidens est, quoniam de foris accedit supra gradum blandi caloris sui natiui, à quo in aquæ esse constituitur. Cum vero adeo rarescit, vt possit sursum eleuari, fumus est ex aqua factus, & vapor.

Forma ergo vaporis est partium, quæ erant aquæ, dispositio & temperies talis à tali tantoque calore, qualis, quantusque requiritur donec vltima perfectio raritatis inducitur, quæ cum calore suo essentia est vaporis, idest, forma totius. Fumus vero magis attenuatus & calore copiosiore non robustiore præditus, aër est. Similiter cum ex vapore fit nix, conspissatio modica vsque ad mollitiem mutat vaporem in niuis essentiam: Multa vero in glaciei essentiam. Igitur forma videtur materiæ affectio & modus ab agente causa confectus, conseruatusque, vnde rectè Arist. aliquando formam substantiæ qualitatem esse docet: & differentiam formalem non in quid, sed in quale prædicari essentiale, sicut formalis accidentalis in quale accidentale.

VNDE EST, QVOD CERTVS GRADVS qualificationis in specie, certa constituat Entia secundum Philosophos, & veritatem, & omnes causationes.

ARTICVLVS V.

At, vnde est, quod talis qualificatio materiæ ab agente, constitutiua est aquæ: alia ignis, alia vaporis, alia auri, alia animalis? & cur non inueniuntur aliæ rerum species, quamque sunt? Non enim forma centauri & hircocerui, & oliuitis, multæque aliæ à Poëtis, & Pictoribus repertæ, per compositionem & diuisionem earum, quæ existunt specierum.

Opinio Democ. Democratici respondent casu quodam ita accidere in rerum natura, vt fiant huiusmodi formæ, & non aliæ: & figuras atomorum esse finitas, nec quibuslibet modis copulari posse.

Confutatio. At cum videamus, quæ arte fiunt, formas in artificis mente præexistere: neque enim scribit literas, qui in mente earum exemplaria & scientiam non habet: neque formam gladij imprimit in ferro, nisi ferrarius, scientiam & ideam gladij efficiendi habens: multo magis id in naturalibus præesse oportet; vbi nimirum formæ pulchriores diuiniores & ad vsum aptiores, in elementatis comperiuntur. Item infinitorum figuræ non sunt finitæ.

Excluditur hinc etiam sententia Empedoclis, qui necessitati materiæ formationes tribuit. Non enim necessitas artificiosa est, sapiensque: formæ autem artificio sapientiaque constant. *Confut. Emped.* Nec grauitas & leuitas, ex quibus Empedocles accersit necessitatem, sunt nisi propensiones Appetitus: Appetitus autem proles est sapientiæ & potentiæ. Ergo Sapientiæ & Potentiæ alicuius diuinitatis opera erunt formæ. Manifestum est etiam quoniam ad formationem non grauia semper deorsum, & leuia sursum ordinantur. Caput enim grauius est pulmone, nihilominus sursum magis eleuatur in hominis formatione. Nec omnia, quò fert necessitas, sed quo amor & vsus vt plurimum feruntur.

Stoicorũ & Var. senten. & Plinij. Stoici Deum includunt Mundo, tanquam spiritum omnia permeantem, ac formantem, & temperantem.

Varro animam mundi eundem facit, cuncta formantem: & Plinius ipsum esse naturam vniuersalem similiter factitantem.

Deridet hos Aphrod. in libro de Mistione, quod Deum tanquam figulum in luto reuoluendo ac formando occuparunt. Damnat etiam Aristoteles Anaxagoram, qui intellectui primo abstracto-

que hoc formationis negotium infelix commiserit. Vilesceret enim, si fœtidorum formationi vacaret.

Auicen. non Deum, sed Cholcodeam, id est, formarum datricem, formationibus præficit Alexand. vero similiter intellectum agentem. Similiter & Themist cum nequirent à non diuina causa formationes deriuare. Galenus in lib. 17. de Vsu Partium, & in lib. de Format. fætus animam mundi cum Platone adhibet, quod interdum facit Basilius, & Augustinus, qui insuper cum Origene Angelos conducit huiusmodi ad functiones mirificas. Boetus formas in materia, à formis, quæ sunt sine materia, deriuat. Concedit hoc sanctus Thomas 2. contra Gent. Attamen modum formæ à participatione idearum omnes ferè adducunt. Etsi enim agat quæcunque diuina causa, nisi aliquo modo & ratione agat, non aget certas determinatasque in materia formationes. Item, nisi mentis diuinæ ideis correspondere nt gradus rerum & formæ certis, nequaquam sciremus vtrum magis sit meliusque aurum hoc, quam illud, & melior homo Cæsar quam Thersites. Oportet enim id esse melius, quod ad perfectionem speciei suæ accedit magis. Perfectio autem forma est: quæ nisi respondeat certæ ideæ, non potest assignari, cur sit perfectio magis, quam imperfectio. Nec quæ plus & melius conseruantur, melioresque edunt operationes, ita seruari & operari possunt ob aliud, nisi quod accedunt magis ad suæ essentiæ gradum & puritatem, qui gradus nullus est, nisi præsit idea: vt in seq. Parte declarabimus, quando has opiniones examinare oportebit.

Auicen. *Alex.* *Themist.* *Galen.* *Plat.* *S.Basil. & S.Augustin.* *Origen.*

Oppositio Peripat. ipsorumq; sententia.

Hæc omnia deridendo Peripatetici, quoniam diuina corporalibus communicare non posse, opinantur: ideoque nec Ideas extare: respondent quæstioni cum Arist. in 7. Metaphys. suæ, formationem esse opus naturæ, operantis propter finem omnia: & formas non fieri, ideoque non præexistere in causa formatrice naturali: sed compositum fieri ex forma & materia. Si enim forma fieret, fieret ex materia & forma, ac proinde compositum esset, & non forma. Compositorum enim est factio. Ipsa ergo forma est, quo fit compositum: non quod fit. Alij addunt: incipit & desinit esse: sed non creatur, nec generatur, nec corrumpitur, per se forma, tam essentialis & intrinseca, quam accidentalis & extrinseca: sed per accidens ad creationem, & generationem, & corruptionem compositi. Et est (aiunt) in potentia materiæ ad talem actum, & cum fit actu per agentem causam, fit compositum, & non ille actus, nec materia.

At hæ responsiones declarant nihil. Cum enim summa ratio elucescat in formatione & figuratione naturalium: & corpora ipsa elementaria Aristoteli sensus & rationis expertia videantur, dicendum erat, quo pacto natura corporalis stupida agat, ob quem non intelligit, finem, & tam artificiosè agat: & vnde hæc sapientia illi? Præterea artificiales formæ nec fiunt Aristoteli: sed compositum artificiatum, nec tamen propter hoc non prærequiritur peritia artificis, & idea ad ipsarum effectionem: dicendum ergo est quis autor formationis, & si non formæ, in naturalibus tam sapientior opifice artificioso. Præterea in semine humano & plantarum non est Anima nec actu primo nec secundo, ait Arist. in 2. de Gen. An. & tamen vis seminis format sapienter animal & plantam: vnde hoc? Respondet, semen decisum retinere motionem animati Agentis, dum coit, quemadmodum virga, postquam mota est, mouentis adhuc retinet motionem & vim: & virtute eiusmodi motionis formare deinde animal ex menstruo muliebri, generanti simile, animamque producere ex eodem menstruo. Hunc sermonem in 9. Phys. stultum esse, demonstrauimus, vt & in 2. P. huius voluminis faciemus: verum, quatenus præsenti tractatui opus est, dicimus esse stultissimum. Motus enim artificiosus & intelligens non est: quomodo ergo artificiosè format corpus, & animam nouam producet ipse inanimis, & quasi Non ens, nobilissimum Ens: item motus virgæ, absente motore, paulatim desinit in quietem, at motus seminis augetur donec formet mirificis organis corpus, & gignat animam. Ergo non motus seminis, sed spiritus, qui est in semine format corpus sibi, & fit anima, sicuti vermis in folliculo serico, vti scripseram cum Telef. Alb. & S. Tho. in 4. contra Gent. Item nullum Animal neque ipse homo, vt testatur Iob, & mulier Machabæa, fætus formationem intelligit, nec quo fiat, nec ex quibus. Quomodo ergo proprio semini stupido longè rudiori & insipientiori committet solo motu formationem & animationem, quam nec ipse homo adultus cognoscit post longos syllogismos & anatomias? Præterea Planta sensus expers est Aristoteli, & semen eius absque motu decidit in terram, quomodo, quæso, tam mirificè plantam generat? Præterea animalia multa ac plantæ spontè nascuntur absque semine: in quibus nec vis formatrix nec motio generantis fingi potest, qualiter in semine. Nec Telluri dari potest in Aristotel. hæc virtus: cui nimirum in animis & insensata est, tanti magisterij mirabilis, quo fit planta penitus vacua. Nec naturæ id assignet propter finem operanti, vti docet in 2. Phy. Natura enim Aristoteli non est aliud quam materia vel forma. Materiaque ipsi stupida est, & non Ens, nisi quis dicat, materiam esse Deum cum Dauide de D nardo, vel intellectum communem cum Theophilo, Peripateticis stultissimis, contra quos in 2. p. disputabimus: forma vero non intelligit, neque generat, sed generatur: ipsa enim terminus est generationis, non principium. Item & si generans agat per formam, cum plantæ & seminis forma non sit intelligens, tam sapienter plantam non efformabit. Nec Arist. semini dat nisi motum ad huiusmodi productionem.

Cæterum in 2. de Gen. & Cor. videns Arist. ab elementis insensatis mirabilia opera effici nequaquam posse: valdè enim instrumentaliter generant (inquit) qui calore & frigore & materia solummodo vtuntur: Exclusis ideis Platonis, eo, quod sunt immobiles, ac semper eodem modo se habentes, ideoq; mutationis, quæ est in Generatione & Corruptione, causæ esse non possunt: adducit ipse aliud principium mobile, hoc est Cælum: quod quatenus mouetur in obliquum, est Causa generationis accedendo, & Corruptionis recedendo per motum annuum: quatenus vero ab ortu in occasum diario fertur motu, est causa perpetuitatis rerum mutationis per circulum: quoniam (inquit) omnis deficiens ignobilisque motus ab indeficienti nobilique pendet: idem docet in 2. Metaph.

2. Arist. consideratio.

Verum hoc nihil penitus declarat: quoniam & si motus Cæli causa sit motuum inferiorum haud tamen aperit quomodo formatio & figuratio rerum inferiorum, mirificæ sapientiæ plena, à motu insipiente, & quasi non Ente, fiat, & quo pacto Calor & Frigus à Cælo regulentur,

Confutatio.

ficut ferra ab artifice, ad bene fecandum & formandum.

Sequaces Ariftotelis Recentiores, dicunt, non à motu, quatenus motus eft, fieri inferiorum formationem, fed quatenus fit ab Angelis mouentibus Cęlum, qui fapientia Dei pleni funt.

Refponf. Peripatet.

Aft hoc contra Arift. intentionem eft: ipfe enim vbique & in Metaphy. contra Platonem docet, fufficere omne fimile fibi fimile generare, nec caufas feparatas requiri. Aliàs (ait) nafceretur homo fiue præfit, fiue non præfit generans homo. Hic autem in 2. de Gen. & Cor. docet, omnes caufas inferiores effe quafi Inftrumenta Cæli, nec ideas requiri vllas. Ergo non modo generatio fponte nafcentium, fed etiam ex fimili vniuoco quoque fibi, à cælo eft. At in 2. de Cælo T. 42. & vbique de cæli præfidentia loquens, præfertim primo Meteor. docet, Cælum non agere nifi per motum: nam & lucem & calorem à Cælo fieri, flagellante aërem, vt lapis calibem, fentit, & docet. Hancque effe eius fententiam in q. Phyfic. per verba eius, & Simplicij, & Alex. & Auerr. demonftrauimus. Ergo quafi per accidens, & prorfus per accidens agunt Angeli in inferiora. Quos & in 12. Metaphyf. inferiora non curare, nec intelligere, infuper docet, alioquin ideas etiam in eis potuiffet, vt in artificibus: nec Platonem propter hoc derideret. Ergo idealiter non agunt, nec propter finem, fed cafu quodam in noftra Entia. Ergo fi Angelorum ex parte, cafu fiunt tam elegantes rerum formationes, ergo non ab ipfis fiunt. Ergo vnde & quomodo fiant, nec declarari poteft ab Ariftotele. Nec quidem fi virtutem accerfant diuinam & ordinationem: nam beatificat Deum Ariftoteles & Angelos in hoc, quod præftat eis hæc vilia noftratia non intelligere, idem Auerr. in 12. Metaphyf. affeuerat, & Aphrod. ibi, & in 2. quæft. Nat. cap. 21. vbi dicere, Deos mouere Cælum, ac agere propter mortalium falutem proprias actiones, fimile eft (inquit) ac fi quis dicat, dominos & liberos feruorum gratia effe, & propriis actionibus fungi illorum falutis, & ordinis gratia. Et quia finis nobilior eft his, quæ gratia finis, feruus ergo domino nobilior, & cætera.

Confutatio.

T. 51.

Præterea, Ariftoteles negat ideas in mente Angelorum, nec vnquam illis formas & formationes committit: fed contrarium clamitat contra Platonem. Ergo nihil docent Peripatetici puri: propterea alij ad Colchodeam & intellectum Anaxagoricum confugerunt. Præterea fol ponitur ab Ariftotele generationis & corruptionis caufa per acceffum & receffum. Et tamen conftat, folem ab eo vel poni inanimatum, & fic nil fapienter format: vel animatum, & fic non poteft à longè eius anima nifi in terram vfque extendatur vt faber ad opus, inferiora fingere, & elementorum virtutes ftupidas inobedientefque admirabilia dirigere officia, vt fecans ferram. Quid autem dicemus de cæteris intelligentiis Ariftotelicis? Formantne ipfæ, necne? Si formant, quomodo concordant cum Intelligentia folis, & quomodo difcordant? & quomodo multa monftra gignunt earum effugientia artem? & vtrum Angeli de propria fubftantia, an de nihilo formas producant, dicendum erat. Vtrumque enim & Ariftotelicis & naturæ repugnat?

Receffus præterea folis eft caufa nulla corruptionis, nifi fecundum opinionem: Nam frigus terræ, tunc præualens, eft vera caufa corrumpens, & non fol nifi vt rem ouens prohibens. Idem enim non eft caufa generationis & corruptionis per fe. Receffus vero & abfentia nihil caufalitatis ponit. Item fol in æftate multa corrumpit, & vrit, ergo falfum eft quod acceffus generet: fed Calor accedens generat moderatus Entia noftra, corrumpit immoderatus eadem. Frigus vero per fe calida Entia deftruit, per accidens feruat: & fimiliter Entia propria fi qua effent: fed de his in quæ. Phyf. plurimum.

Has Peripateticas opiniones Diuus Thomas pertranfiuit tanquam veras, exponendo Ariftotelis textum. At in prima Parte Theologiæ infufficientiam monftrauit earum, declinando in Auguftini fententiam, ficuti patet in Quæftione 115. artic. 2. & 110. artic. 1. vbi rationes rerum feminales primò effe in verbo Dei, docet: fecundò effluere in corpora vniuerfalia, videlicet, in cælum & elementa: tertiò in particularia, vt funt hominis, & plantæ, &c. quartò in feminibus particularium, vt plantarum, & animalium: & ex his in actum deductis fieri formationes, Angelorum virtute, mouentium creaturas corporales ad opera propria. Et hæc fententia eft Auguftini, qui Angelos mouere ad formas tantum, non autem dare nifi agricolando, docet in tertio de Trinitate, & in libro octuaginta trium, quæft. & fuper Genefi ad lit. & Boeti in libro de Trinit. & Orig. fæpiffimè.

At diuus Thomas in his, quæ excedunt Naturæ modum, illos adminiftrare creaturam corporalem. Sed fi confideras, Naturam ftupidam non poffe artificiofa fingere Entia, vtique latenter diuus Thomas concedit Angelis formationem. At in quæftione centefima prima, articulo fecundo negat, propterea quod forma non fit (ait) fed compofitum. Compofitum vero ab agente fimili præficitur, vt ignis ab igne.

Sed hoc non eft fimile (inquam) in cunctis nifi in elementis, vbi forfan artificiofa formatio non requiritur (quis enim fcit, an ignis virtus fapienter atoma corpufcula igniendo, ad fuum regnum difponat?) At in compofitis hoc non videmus, præfertim in fponte nafcentibus, & fecundum naturam fimiliter. Non enim homo, nec mulier formationem fætus fciunt, non modo facere, fed nec quomodo fiat, intelligere, vt mulier Machabæa teftatur, & Iob, & Salomon, & experientia. Idcirco Deo committunt omnes fætus plafmationem. Arift. tandem 3. de Generat. Anim. cap. 11. non acquiefcens fuis alibi dictis: cum animam humanam ab elementis accerfire non poffet, dixit venire de foris: fed vndenam non expreffit, vt Anaxagoras & Plato. At de brutorum anima quæritans, quæ fponte nafcuntur fine Generante, ait. *In putrefactis fiunt animalia, quoniam ineft in terra humor: in humore, fpiritus: in fpiritu, calor: vt quodammodo omnia anima fint plena.* Vbi fanè manifeftè fatetur elementa effe animata, inquit Auer. in Commento, & calorem effe animatum, id eft, animafticum dicere debuiffet: & Alber. ait: Calor eft pars animæ. Nam fpiritus, qui verè eft anima intra organicum corpus, ex calore tenuitate luce, & fenfitiua vi, & poteftatiua, & appetitiua conftat. At ex his confeffis nequaquam poteft Arift. reddere caufam formationis, fed tantum fenfus elemẽtorum, & miftorum. & cum elementa feipfa

tantum multiplicare intendant, quo pacto alienum opificium curabunt, & facient tam rationabiliter?

Vnde Telesius quia calorem & frigus sensu donat, negatque naturalium formarum esse organa, sed principales causas agentes, frustra etiam conatur ostendere, formationes rerum fieri à calore moderato per mutuam cum frigore actionem, & solis absentiam. Cum enim (ait) inclusus fuerit intra molem corpoream si in spiritum agitur, efformat plantas & animalia, iuxta materiæ commoditatem, & sui rigorem. Et ergo præbendo sensum & modificationem spiritui, præbet artificium. Doctè quidem, vt docuimus in disp. de vsu obliquæ lationis solis, tot, tantisque modificationibus deseruientis. Sed quidem cum ista modificatio, & agendi modus non præconcipiatur sapienter à calore, sed quadam necessitate fatoque adigatur ad huiusmodi operà, dum facere ignem intendit tantummodo: & tamen animalia, plantasque facit; necesse est diuiniori causæ tribuatur, vel animæ mundi, vt Patres cum Platone interdum docent, præsertim Bas. & August. vel Angelis vt idem Plato & Origenes, & August. sentiunt. & D. Thomas idem ad .v. ait, *Nihil prohibet ex virtute Angelorum, aliquos effectus sequi in rebus naturalibus, ad quæ agentia naturalia non sufficerent: sed hoc non est Angelo obedire materiam ad nutum, sicut nec cocis obedit materia ad nutum, quia aliquem modum decoctionis operantur per ignem secundum aliquam artis moderationem, quam ignis per se non faceret. Cum reducere materiam in actum formæ substantialis non excedat virtutem corporalis agentis, quia simile natum est sibi simile facere.* Hæc D. Thomas bene cuncta. Hoc enim est nobis formare, quod Cocus facit & Artifex, & licet forma non fieret, sed compositum, vt ipse vult cum Arist. tamen compositum fit dum forma fit in materia, vel formatur materia. Omne enim Quo Aliquid est, aut fit, aut scitur: per se priùs est, fit & scitur. vt calor, Quo ignem calidum esse sentio, prius sentitur, vt Quod, quam faciat sentiri ignem, vnde manat, vt Quo. Nos autem contendimus, hanc formationem siue per se, siue per accidens fiat, non posse agenti committi naturali, insipienti, & viribus vsquequaque diffusis absque arte operāti: vnde Telesius de formatione fœtus, nec audendam esse inquisitionem: sed suspicere & admirari modo potentiam & sapientiam conditoris, oportere admonet. Itidem Lactantius de opif. Dei. Et Galenus nuper allegatus, animę Mundi rem mandat coactus, & admirans.

Tandem D. Thomas putat, naturam agere veluti à Deo directam, instar sagittæ à iaculatore.

Rectè quidem (inquam) si nunquam erraret in monstris & orbatis natura. Talis enim iaculator nunquam erret, oportet. At exempla dantur, non quod ita sint, sed vt addiscentes intelligant. Deus enim non extrinseca vi, sed indita mouet. Porro .n. si Natura sensus, & potestatis & Amoris particeps sit, vtique dirigi potest. Non enim vi prorsus sicut sagitta, sed suauiter sicut filia percipiens, docetur opus explendum; vnde S. Hier. 8. in Matth. putat creaturam imperium Creatoris suo modo sentire. Et ipse D. Thom. q. 22. de volunt. art. 1. tandem ait, quod si naturalia impellerentur à Deo sicut sagitta, nō verè appeterent finem, sed dirigerentur ad finē. At quidem ait, verè appetunt: ergo sentiūt, seque ipsis mouentur ad appetitos fines. vnde explanat quod non appetunt animaliter. nec sentiunt per speciē acceptam, sed inditam. & sic indito sensu natura sentiunt: vt in Iob. 14. lect. docet. sic etiā dixit non semel Aug. & Arist. 3. de gen. an. cap. 11. *Quodammodo omnia*, ait, *anima sunt plena*. Expleat ergo, Deo duce non violentante, sed seruante naturas in suis primalitatibus & appetitibus. Elementa enim amore propriæ entitatis, & conseruationis pugnant; nec sol nisi Solem & Cælum facere intendit, & tellus tellurem: Et quodlibet elementum idem, ad suæ entitatis vitam & amplificationem. Quòd assequi non desperant, quoniam inuicem sunt transmutabilia. Non agerent autem, nisi mota aliena vi, si Empedoclis inconuertibilitatem sortita essent; frustra enim operarentur. Verùm dum præliantur in coexistentia, ordinata, contra se inuicem, vt sese in tuto ponant, necessariò debilitantur, & corrumpuntur, & in gradus variantur: qui quodam fatali ordine miscentur, & manifestantur, in quandam harmoniam temperantur, itaque & in varias formas aguntur: Coacta in secunda Entia abire, dum aliud curant, mox spontè faciunt, quod nollent: quoniam spontè pugnant & concitantur mox, vt necessitas vrgere cæpit. Deus autem seminauit intra res cunctas primalitatum participes scil. potentiæ, sensus, & Amoris, magnos influxus; videlicet Necessitatem, Fatum, Harmoniam, quibus sic & non aliter agere patique rebus accidit coactas ita posse, sentire, & velle, nec aliter, propter eiusmodi influxus: eorumque actionibus eiusmodi per ministerium Angelorum regulatis vtitur ad formationes, ideis respondentes diuinis, non secus ac Faber vtendo igne, ferro, incude, malleo, forcipe, lima, & aqua, & ministris malleatoribus, & admotorib. attemperat suæ ideæ, efformatque tādem gladios, ligones, focilia, horologia, suas ideas exprimendo: quod non intendunt ignis, incus, malleus, aliaque instrumenta: sed faber, nec ministri, nisi prout à Fabro docentur. Formæ ergo non ab elementis, sed à primo rerum opifice, vtente elementis, non casu quodam vt Aristoteli videtur & Epicuro, nec necessitate, vt Empedocli: sed voluntate, imperio, & sapientia; exequentibus calore & frigore instrumentalibus causis Naturalibus, mouentibus, & alterantibus, regulatis, Necessitate, Fato, & Harmonia per opifices ministros Angelos, à Deo ideas suspicientes, & in materiam effundentes, sicut artifex facit & cocus; quod omnes Philosophi rationales, ac Theologi senserunt, quēadmodum in 2. p. declarabimus.

Plures equidem puto formas in Angelis imprimi, quam in materia corporali: vt informentur, & informent, & intelligant, & forment: fiunt ergo in accidentali esse per eas: in essentiali autem per finitudinem, & qualificationem essentiæ ipsorum in primalitatum gradibus.

AN FORMÆ LATEANT IN SINV MAteriæ. An materia sit pars essentiæ: & quomodo differat Essentia & Forma: & an vnitas sit prima solaque rerum omnium Forma, vt ex Plat. sequitur dogmate.

ARTIC. VI.

VTrum autem formæ, vel formarum inchoationes, sint in gremio materię latitantes, quéadmodum Peripatetici opinantur, in 2. p. huius voluminis disputamus. Nunc autem ex artificiatis rationem prælibare conuenit: veluti enim artificiatæ figuræ sequuntur extrinsecam partium inter se adaptationem ad finem; ita naturales intrinsecam. quoniam artifex harum intraneus est, illarum extraneus. Et quoniam figuræ formæ sunt materiales, non autem actiuæ, ideo in materiæ potentia præexistere dixi: quoniam expositione partium materiæ resultant, vt patet ex ceræ figurationibus variis. & maximè manifestatur in folio grandi Circulatorũ, qui in foro ludicra exercentes, ex eodem folio, multiplicibus effigiato modis, complicatoque, efficiunt ad nutum, formã turris & statim aliter reuoluentes idem folium vertunt in formam mortarij, & campanæ, & bireti, & patini, & tympani, & laternæ, & pateræ: ostentando has, & alias formas plurimas quasi in momento temporis. Ex quo patet, materiam formari, & formas materiales eius esse: ast ab arte sic fingi ipsam, ad exemplar agentis causæ. non tamen in materia præexistere cum eius sit accipere non dare, nisi vbi præparata est, instar illius folij: aut seminis. in quo bene Albertus ponit inchoationem formæ, non autem in materia pura, vel quacunque. non enim ex lapide faciet illas formas circulator, nec ex informi omnino, sed formata flexibilitatis qualitate, & plicationibus. Omnes enim formæ præcedentes sunt præparationes ad consequentes.

Formas verò actiuas non præesse in materia vllo pacto: quippe quæ non transmutatur in has, sed in illas: non enim materia fit calor, sicuti fit acuta, acumen. Recepit enim terra calorem effusum à sole: acumen autem & rotunditas non effunditur, sed materia acuitur & rotundatur.

Verum si participio ideæ sit actiua, & materialis forma, nulla forsan præest in materia: cuius nimirum recipere, non dare, est. Omnes autem per se fieri; Compositum verò ad earum factionem.

At si forma est compositi gratia, aliter dicendum, quam si compositum gratia formæ: in illo enim propria materia eligitur, in hac è contra quęlibet: & hic forma est tota essentia, ibi forma cum materia simul.

Materia ergo videtur essentiæ pars, nisi modificata. Non enim ferrum est serræ pars, nisi quia durum: Forma enim serræ in cunctis esse potest materiebus, sicut & trianguli, sed non vsus: cum autem omnia sint ad vsum Dei, & vniuersitatis, omnia ex materia signata ad talem vsum, constant.

At cum dicit Plato, materiam non pertinere ad essentiam, quando quidem circulus siue in ligno, siue in cera, siue in ære, circuli semper essentiam habet; idemque de hominis forma opinandum, videlicet ad eius essentiam non pertinere carnes & ossa. Nam & si (ait) semper forma hominis in carnibus & ossibus nobis apparent; non propterea caro & os eius essentiam ingrediuntur: si enim non fierent circuli nisi ex ligno, non propterea lignum esset de essentia circuli. Ita nec quia panis semper fit ex tritico apud nos, eius essentia erit triticum, cum ex Maiz in America etiam fiat panis. Nec quia gladius apud nos semper fit ex ferro, essentia eius erit ferrum, cum & ex auro, & ære apud Americanos, ferro carentes, fiat.

Arist. in 7. Met. t. 39. respondet, non esse simile de circulo & homine. Homo enim sensibilis est substantia, circulus verò intelligibilis: & ideò potest absque sensibili materia inueniri: attamen habent (ait) Mathematici intelligibilem materiam, vt triangulus latera, & circulus semicirculos, sed tamen non definiuntur per suam materiam, quoniam particularis & indiuidualis est, sicut materia Socratis sensibilis, vt eius carnes & eius ossa, quæ non pertinent ad rationem speciei, cuius solius est definitio. & ideò semicirculi non ponuntur in definitione circuli vniuersalis, quia sunt partes singularium circulorum, & non vniuersalis.

At quidem & Plato & Arist. nobis in hoc non placent. Animal enim est quid compositum ex materialibus partibus & formalibus, vnitis in totius essentiam ob finem, à Deo præscriptum. Et sicuti gladij lignei non est finis, ita nec hominis lignei, vel non corporalis; si qui autem sunt homines incorporei ad vsum inferioris Mundi non spectãt; nec de illis est nostra scientia, & definitio, & demonstratio. Quapropter frustra est quærere definitionem Animalis rationalis nostri, conuenientem aliis, nobis ignotis. In nostris autem materia est pars essentiæ, ideò per materiam quoque definiamus. At vniuersaliter per materiam vniuersalem, particulariter per particularem, vt Socrates & hic sol: quod autem singularium sit etiam scientia dictum est prius, & iterum dicetur. Cæterum Mathematicorum entium materia non est: Ipsa enim formæ sunt, & potius in spatio, quam in corpore intellectæ. Forma autem vt sic non habet partes, sed vt in materia ostenditur, & in spatio intelligitur. (Nulla autem materia circuli rationem intrat.) Et omnibus aptatur, & prior est quàm materia, sicuti & numerus. Quapropter sicuti non est quærere materiam numeri, sic neque circuli. In omnibus enim entibus esse queunt: quoniam ens consequuntur. Et ideæ primæ separatæque essentiæ videntur Platonicis, post Deum, Angelos, & Ideas: Pythagoricis verò primæ, sed omnia sensi-

bilia lustrantes, & præminentes. Absque enim numeris&figuris rerum vniuersitas nihil, vel chaos & indistinctum & informe: nec vlla res esset id, quod est. Habent tamen Mathematicæ figuræ aliquid per modum materiæ; à qua etiam separat illas Plato, vnde relinquitur nudus numerus. Si enim à triangulo lineas, quæ eius materia sunt, auferas, remanet solus numerus Ternarius: si à Circulo lineam, remanet vnitas, si à linea continuum, remanet dualitas. Putat autem, Circulum separari posse à suo continuo, quod est linea curua. sicuti & ab ære, & à ligno. Ergo soli numeri sunt rerum essentiæ & species. Contradicit huic sermoni Arist. quoniam (inquiens) quæ eodem numero participant, eiusdem forent essentiæ, vt triangulus & syllogismus; & tricolor Iris, & tres equi. Præterea dualitas cum sit materia quædam Platonicis, auferéda est ab essentia, & remanebit sola vnitas: similiter Trinitas, & aliæ formæ numerales. Ergo sola vnitas erit essentia rerum: ergo omnia Entia erunt vnum. Porrò hæc omnia vera sunt aliquo pacto; & argumenta Arist. verum concludunt, nec pro inconuenienti habetur apud Plat. vt patet in eius Parmenide, quod omnia sint vnum, prout participant primam vnitatem, quæ Deus est. Et numeros ipsos esse eiusdem vnitatis effusionem, & participationem, & replicationem: & ita Entia omnia primi Entis participationes. Diuersificari autem ob diuersas receptiones Esse in essentiis abstractis, aut materialibus, vt docet D. Thomas. de his posterius.

Nos autem in præsentiarum nullam formam, dicimus, coarctari ad particularem materiam, nisi ob peculiarem vsum, quem nouit Deus perfecta notitia solus: quanquam nos ex functionibus plures dignoscimus vsus. porrò si quid ex his Mathematicis diuinum, & prius intelligimus, & ad vnitatem perducimur, vt præfatæ rationes insinuant: haud tamē definitiones Mathematicorum diuinis sacrisque existentiis vniuocamus: sed notis modo adaptamus, & ignota olfacimus, & Metaphysico admiramur intuitu. Essentiam ergo aliud esse à forma volumus: istam enim partem, illam totum. Aurum enim perdita forma & figura, cōsistentia, densitate, actum in liquorem, perpetuis ignibus, non perdit essentiam, & cum separatur à sua materia crassiori non reficitur in ipsa, sed in hydrargirio, vti experientia testatur: vnde videtur forma non esse ex sola particularū positura, & gradu caloris, sic contemperato illi, sed insuper ab idea, suam speciem imprimente incorruptibilem per se, & nō transmutabilem in aliam speciem, sicuti formæ transformantur. Et quidem species pertinere ad primalitatum gradus, & naturas; formas verò ad materiæ finitudinem, & contemperaturam eius cum gradu agentis causæ proximæ, consentaneum est: vnde etiam, perdita forma, pellis ouina timet lupinæ pellis sonitum, & alia multa adsunt exempla in 2. par. dicenda. Bene ergo Richardus distinxit inter formam & essentiam, seu naturam.

QVORVM EST IDEA, ESSE ETIAM

Formam, non vniuocè, sed analogicè sumptam: ergo & Materiæ, & Formæ, & Accidentis, & Substantiæ, & Nonentis, &c.


ARTIC. VII.

Dubitatur autem, vtrum quorumcunque est idea, sit etiam & forma: dictum est enim quod datur idea generis, & speciei, & indiuiduorum, & accidentium, & materiæ primæ, atque insuper non Entis: quidquid enim mente concipitur, ideam habet, & notionem, & nomen. Profectò de ideis generalibus & specialibus, & indiuidualibus nulla est dubitatio: similiter & de formis totalibus: animalitas enim & humanitas, & Cæsareitas, necessariò sunt in Mente conditoris: sed de formis, quas vocant partiales, quæ & verè formæ sunt (formæ enim totales potius essentiæ, quam formæ videri debent) dubitatio oritur: non enim facilè assignabimus formam animalis, formam corporis, formam substantiæ, formam quantitatis, formam similitudinis, formam operationis, formam actionis, & aliorum generum, alioquin & formam formæ, cum forma sit genus, inuenire oporteret. Dicebamus, quòd omnis rei finitudo, & qualitas formæ habet vicem: omnis infinitudo siue indeterminatio tam materię, quam essentiæ, vicem materiæ gerit: omnis autem res in quocunque prædicamento posita habet essentiam, & qualitatem terminumque essentiæ, excepto Deo, quia non est in prædicamento. Quamobrem omne Ens sumi posse & materialiter, & formaliter, asserebamus: ergo & formam rei omnis inuenire licet, non totius solum, sed & quam vocant partis. Porrò forma plantæ est qualitas vltimaque perfectio temperamento particularum materiei, & caloris in ipsa planta, atque insuper Primalitatum. Alio enim modo continentur primalitates in planta atque in lapide, & in animali. Ex elementatione ergo materiei, & virtutum actiuarum, & primalitatum ad certam redactorum ideationem, constituitur essentia plantæ, & vniuscuiusque rei elementatæ, quam vltra ideationem citraque non videtur ratio essentiæ stare posse. Propterea Pythagoras essentias rerum numeris comparauit, quibus omnis adiectio subtractioque variat speciem. Peripatetici autem dixerunt, substantiales formas habitusque non suscipere magis & minus. Quod fortasse non rectè dicitur: non enim omnis aqua perfecta æqualiter est, sed suscipit alteritatem & variationem: verum cum tantæ variationis latitudini, & gradibus latitudinis, desint nomina, idcirco forsan retinentes vnum nomen, putarunt, & vnum esse gradum in rebus. vnde Afrodisiensis & Auer. interdum fomas rerum suscipere magis & minus, asserunt: & D. Thomas in scriptis Metaphysicis non modo substantiales formas ratione sui magis & minus non recipere, docet, sed

etiam accidentales. Si enim, inquit, albedo separata esset, non intenderetur nec remitteretur: vtraque tamen & accidentalis, & substantialis suscipit magis, & minus ratione materiæ, quam magis minusvè possident, secundum maiorem vel minorem intensionem: quod naturales potentiæ & impotentiæ ex ea intensione orientes Alberto manifestabant. Præterea indiuiduum nascens & moriens, & adolescens, manifestè in se remissiones, & intentiones suæ formæ, ex viribus & operationibus variatis, declarat. Præterea sensibilitas quæ forma est animalis, alium gradum habet in spongiis, alium in lumbricis, alium in lepore, & asino, & homine: & in huius indiuiduis Mercurio & Paxona. De formis etiam agentibus palàm est, quod, dum pugnant, seque ipsas castigant, variantque in magis & minus, ad constitutionem elementatorum veniunt, alioquin duæ res fierent tantum sicut duo sunt elementa.

De formis etiam passiuis nō minus: eadem enim materia fit magis minusque acuta, & magis minusque rara.

Dubium autem & de formis totius, an, prout magis minusque intenduntur & remittuntur, speciem variant. Ipsa enim sensibilitas vel animalitas in magno & paruo non variant speciem, vt in Pygmeo & Gigante, sicut nec Circulus totius Mundi est alius specificè à circulo vnius oculi. Sed si quid addas, quòd non ad quantitatem, neque ad qualitatem accidentalem, sed ad speciem, & ideam attineat, vtique variatur species. Siquidem addito vno angulo triangulis, non amplius sunt trianguli, sed quatranguli: si præsertim substantiali modo addas, non accidentali: vt si triangulo A. addas



angulum B. remanet quidem triangulus A. cum accidentali angulo B. extra suum latus: si autem per extensionem laterum addas angulum C. fit quatrangulus omnino, diametro sectus. Igitur nulla variatio in quantitate & qualitate mutat speciem nisi substantialiter fiat, ita vt non modo res addita sit substantia, sed modus etiam addendi. Non enim si quaternario numero addas albedinem aut locum, facies quinarium, sed si addas vnitatem illius rationis, qua constituebatur quaternarius, eodemque modo constitutionis. Gradus igitur animalium, variarum specierum constitutiui, certis respondent ideis & ideationibus, indiuisibiliter in opificis mente ordinatis, variabiliter autem in materia extrorsum receptis. Nec ergo nouam formam facere potest nisi Deus: cuius est substantias & essentias constituere. Mulus ergo, quoniam ex Asino & Equa nascitur, & quæ Animalia in Africa ex commistis speciebus dicuntur fieri, non habent nouam ideationem, nisi consentiente natura, quæ diuina est Ars, rebus indita, ad suos illas perducens fines. Vtrum detur formarum in formas transmutatio, in sequentibus sermonibus disputabitur. Quapropter arbitror, Pythagoram non vocasse formas ipsas numeros, sed potius ideas, in quibus nulla est alteritas & variatio.

Difficilè quidem est formas assignare generum, & specierum. Etenim subitò ad essentias potius quam ad formas prolabimur: animalitas enim, & arboreitas non sunt forma animalis & arboris, sed essentia ex propria re, & rei modo proprio constituta, quemadmodum & Angeleitas, & albedinitas & lineitas, & operationeitas, & punčteitas. Nec fingamus, Animam sentitiuam esse Animalis formam, cum non sicut forma insit, sed sicut operator in suo operatorio substantialiter vnitus. At quid dicemus de forma lapidis, & de forma ferri, & aquæ, & aliorum? quomodo assignabimus eas? Profectò nominibus caremus, quia & istarum formarum notitia compræhensiua caremus. Describemus ergo eas ex facie & operationibus, & actionibus, & figura, quemadmodum Dioscorides in plantarum naturas inuestigat.

Accidentium formas non habemus, quando ipsamet formæ sunt. Attamen cum calor sit ita calor quod non est linea, nec sapor, nec Angelus, profectò & qualitatem sui habet, & terminum habet, alioquin indeterminata res esset, & diceretur de quolibet, sicut essentia est indeterminata, & dicitur de omni Ente; & qualitas est indeterminata, & dicitur de omnis Entis modo, & tamen qualitas essentiæ ita est qualitas, quod non est essentia, & è contra essentia ita est essentia, quod non qualitas. Dicebamus autem à principio, à formis res determinari per Entis, & non Entis mistam passionē. Quapropter asserendum est, formam analogicè dici: proptereaque alia ratione in accidentibus, & in substantiis, & rebus materialibus, & immaterialibus declarare oportet. Si quidem respicias vnde imponitur nomen, figura corporalis primum tenet locum huius nomenclaturæ. si verò ad quod imponitur, terminus & modus cuiusque rei substantialis primatum habebit. Igitur quia forma habet talem modum essendi, qualem non habet materia, dicitur habere & formam propriam. Sed quoniam hoc esset nugacitas, dicimus habere propriam qualitatem siue modum: & quia iste modus est constitutiuus essentiæ seu terminatiuus constitutionis, dicitur natura eo modo sumpta, quo omnis essentia Natura vocatur. Quapropter dicimus naturam Angeli, naturam Materiæ, naturam formæ, naturam puncti, &c. Ingeniū videl. dicitur ipsa natura, sed magis compositorum, intus habentium. Sed de omnibus simplicibus etiam dices: vt ingenium formæ est informare.

Igitur non dicimus, formam materiæ aliquam esse propriā, sed ingenium & essentiam & naturā propriā, qua recipit omnes formas, & secundum quam ipsa non est forma, neque locus, neque accidens, sed verè materia, tale nimirum Ens formis substernibile, non quibuscunque sed propriis: non enim materia suscipit formam loci & Angeli, sed materiales terminos, sui nempè ordinis: neque forma dat esse quodlibet rei cuilibet, vt Peripatetici dicunt, alioquin materia non esset in rerum natura Ens aliquod per esse materiale, sed formale: suscipit enim esse formale vt sic, quo nihil ridiculosius reputat S. Iustinus Martyr, vt videlicet materia sit principium, & Ens per esse formæ, & non per esse materiæ, quemadmodum si diceremus, lapidem esse lapidem per esse plantæ, & non per esse lapidis:

lapidis: quod tollerabilius esset: Etenim inter lapidem & plantam est sola differentia, sed inter materiam & formam est insuper diuersitas. Est ergo idea materiæ, quia est Entitas materiæ, non autem est forma materiæ; sed gradus suæ Entitatis siue essentia, quæ taliter constituit ipsam inesse materię quòd non in alia. Similiter etiam est gradus formæ, quò ita est forma, quòd non aliud: nec tamen propterea erit forma formę, nisi altera ratione sumatur ly forma longè communiori, in qua communitate dicimus, quod quorumcumque est idea, est etiam & forma: sed non vltra: non enim albedo est alba altera albedine, nisi secundum rationem.

Nonentis autem quemadmodum est idea ita, & forma, hoc est per Relationem entis: idcircò non Ens simpliciter, informe est. Sed non Ens hoc, vt cæcitas, quę est non esse visus, qualificatur per respectum ad habitum: non enim cæcitas est nihilum, sed hoc nihilum terminatè in animali. Neque nō homo est omne nonEns, sed huius non Ens, id est, hominis: quo quasi finitur & formatur, & sigillatur non Ens per ly Non homo.

PARS II. CAPITVLI IV.

DICENDVM ESSE JAM DE GENERIBVS rerum, quæ ex Formali causa suboriuntur: eaque videri Figuram præcipuè, & configurationem. Qualitatum autem species ex forma non oriri, sicuti Aristoteli placet: nec esse per se qualitates, excepto forsan habitu, & dispositione, & figura, & de ipsarum rationibus.

ARTIC. VIII.

SVBORIRI ex forma qualitates, eiusque prædicamentum Peripatetici scripserunt, quemadmodum ex materia quantitatem. Cui quidem positioni repugnant, cum mox qualitatem in species genere diuersas partiuntur, & inter illas species formam connumerant. Siquidem prima species est illis habitus & dispositio: secunda naturalis potentia & impotentia: tertia passio & passibilis qualitas: quarto est forma & circa aliquid constans figura: vbi cum distinguunt inter formam & figuram, quæ est aliqua forma, nempè extrinseca, de omni forma tanquam de specie qualitatis scientiam facere videntur. *Qualitatem* autem definiunt, *secundum quam quales esse dicimur.* Cuiusmodi etiam omnia definire ridiculosè possumus: quantitatem videlicet, à qua dicimur quanti: animam qua dicimur animati, & sic de singulis.

Arist. in Prædic.

Peccant etiam, dum prædicamentum illis vniuocum ex æquiuocis, & analogis cōponunt. Non enim qualitas vnius est prædicamenti, sed omnis, vt paulò antè monebamus; quod & species Aristoteli assignatę declarant. habitus enim scientiæ & figura non conueniunt in subiecto genere, nec in inuicem transmutantur, vt dictum est prius. in Metaphys. autem licet facere qualitatis prædicamentum analogum, sicuti & de forma analogicè loquuti sumus, & de essentia.

Prædicamēta autem, quæ ex formali causa oriūtur, propriè sunt figura & situs, seu configuratio.

Naturalis enim potentia & impotētia, quæ sunt ad operandum aptitudo, & ineptitudo, pertinent ad primalitatem primam Metaphysicam: nec sunt in corporibus nisi à victoria, & imbecillitate principij potestatiui. Nec verè qualitates, sed vires qualificationis eius. Etenim accidentia qualificant & terminant materię indeterminationem, & determinantur ab ea. Albedo enim non recepta videtur D. Thomę infinita & immodica. Capit autē modum ab huius materię comprehensione taliter formatę.

Passio autem & Passibilis qualitas, vt verecundia, erubescentia, timiditas, calor, adustio, suspirabilitas, gaudium, cæteręque subitaneę passiones, & qualitates, quas patimur, dum immutamur, pertinent etiam ad potestatiui passibilitatem, dum ad obiecta extenditur. Similiter etiā ad affectiones volitiui, vt cupido, inuidia, liuor, ægritudo, alteratioque omnis, quę ex huiusmodi extensionibus in subiecto oriuntur in composito ex primalitate & corpòreitate, elementaribus prędita viribus. Sunt ergo qualificationes compositi ex principiis seu facultatibus, extensis ad obiecta, originem habentes incorporaturam.

Porro nec actio, nec passio qualitas est, sed modus actionis passionisque dici qualitas potest: neq; enim actiuū esse, neque passiuū, qualitates sunt, sed ipsorū modus, seu modalitas, & forma seu formalitas. sicuti ad essentiā pertinens non totaliter, est essentialitas non essentia, realitas non res. Ergo ad prędicamentū passionis passio: quod autē ex ea remanet, siue calor, siue feruor, habent propria prędicamenta, videto.

Habitus autē videtur esse vltima perfectio, quę habetur à subiecto in fine generationis, vt vltimus gradus rarefactionis aquę, quo constituitur eius corpus in gradu vaporis, est habitus, seu forma vaporis; prędecentes verò pręparationes ad talem gradum, dispositiones vocantur, eò quòd materiam pandunt, & particulas ponunt ad inuicē distantiores, vel extensiores, donec tandem perfectū vaporis modū acquirant, à situ & positu exteriori partiū ad totū mundū, accepto vocabulo. Eadē ratione vocatur dispositio omnis positio materialis, & immaterialis, prętparans aliquid habendū, vt disciplina dicitur dispositio ad scientiā, scientia verò habitus: dicuntur etiā habitus corporis ipsa partiū ad inuicē

habitudo,&ipsius corporis qualitas,qua ita se habet taliterque,& non aliter; propterque Qualitas est Talitatis relatiuũ. Sanitas ergo & ęgritudo vocãtur bonus,& malus habitus. Itẽ esse colericũ,aut flegmaticũ, dicitur cholericus, aut flegmaticus habitus ab eo,quòd sic se habet, & non aliter.

Sunt etiam habitus & dispositiones accidentales, & essentiales:& vocantur qualitates,& talitates,& modi & formę,vel formalitates. Pertinet igitur habitus ad formam: & quidem egressum habet à forma totius vel partis, plerumque autem à com positione; vnde dicimus alios habitus materiales, alios formales, alios compositionis, alios ab agente causa. & quia cum aufertur habitus,etiã esse,quod per habitum sumus, & sic nos habemus, deperditur; dicitur habitus opponi priuationi. Hinc quidquid habetur, habitus est: & quo tollitur, priuatio, quemadmodum declaratum est in cap. de dissimilitudine & oppositione.

Videtur autem habitus à forma esse non solum compositi, sed etiam compositionis: & sic oriri quemadmodum dictum est, siue accidentaliter, siue essentialiter. At verò figura, & configuratio sunt res, in quibus maximè virtus formę manifestatur. veluti enim artificiales figuræ sequuntur extrinsecam partium positionem, ac qualificationem, atque adaptationem inter se ad finem; sic figura naturalis intrinsecam earundem adaptationem ad finem: quoniam huius artifex intraneus, illarum verò extraneus. Vocatur etiam figura habitus, quo sic se habet figuratum, & non aliter in suis partibus & ad finem. dicitur & forma ob idipsum, vt dictum est: de figura ergo nunc dicere opportunum videtur.

DE PRÆDICAMENTO FIGVRÆ.

Quid sit Figura, & vniuocè, & analogicè, & in quibus.

ARTIC. IX.

FIGVRAM dicimus terminatæ quantitatis corporalis cõstantis modum seu qualitatem extimam. Dixi *terminatæ corporeitatis*, quoniam incorporea figurata non sunt, nisi æquiuocè,& analogicè, & secundum modum considerandi: quemadmodum Angelos dicimus acutos,& Deum pingimus cum diademate triangulari,ad ostendendam diuinarũ personarũ incorpoream trinitatem. Dicimus etiam figuras syllogismorum, prout termini eorum disponuntur ordine cõsimili ad Mathematicas figuras. Rursus nec spatium, in quo Mundus est, figuram habet. incorporeum enim est passiua incorporeitate, vt moles,& non actiua, vt calor, & Angelus,& Deus. Figuratas tamẽ res suscipit: quibus etiam figurari intelligitur extrinsecus & relatiuè ad aliud, sicut non Ens per Ens etiam formatur.

Albedo autem & frigus figurã non habent, sed insunt figuratę rei,& per accidens figurata dicũtur, magisque spatium, quod non inest figuratis, sed insunt ei figurata. Per se autem dicuntur metaphoricè figurata, quandoquidem calorem dicimus acutum, quia penetrat, vt aculeus: propriè igitur, corporũ est figura. Quapropter non rectè quis vnitati & puncto figuram dabit: nec excludimus quin punctus figuræ sit aliqua formalitas, vt cum in angulũ desinunt acutissimum. Democritus quidem atoma corpuscula figurat, facit enim ex eis angulosa, & rotunda,& hamata,& aspera, & lenia, vt apud Lucretium videre est. At profectò non verè atoma sicuti puncta indiuisibilia intelligit hæc semina sua Democritus: sed sensui nostro atoma, & secundum nos ponuntur. Et hoc sanè perperam. si enim angulum habet corpus minimum, non erit minimũ, nec indiuisibile: potest enim diuidi angulus ab eo ita vt remaneat rotundum, aut obtusum. figura distinctionem requirit: distinctio autem non nisi in quanto; licet ergo nullæ vires sufficiant diuidere atomum Democriti: ex sui tamen Natura diuisibile est.

Definiunt Mathematici figuram per id, quod termino vel terminis concludi potest, vt Euclides inquit. Quapropter nisi circundatio adsit, figuram adesse negant. Ergo planas figuras, & solidas constituunt comprehensas, illas linea, istas superficie circulari: idcirco in linea non clausa figuram non admittunt, quamuis duobus punctis terminetur. Nobis autem non id, quod termino vel terminis concluditur, videtur esse figura: Concluduntur enim corpora & superficies: quæ figuræ non sunt, sed quantitates habentes figuram. Quapropter melius dixisse videmur, quod figura non est terminus, nec quod terminatur quantum, sed qualitas & modus termini quantorum. idcircò & in linea non concludente figuram inuenimus: quis enim lineam rectam non dicet figuram habere rectam, & curuam habere figuram curuam? Nonne semicirculus absque chorda est figura? & colubet in spiras actus, figuras facit etiam si nõ claudat aliquid? Addidi in definitione, *extimam*, scil. qualitatem: non enim, quæ extremis carent, figuras habent, sicuti nec numerus infinitus est par, aut impar, cum finiti numeri paritas & imparitas differentiæ sint non innumeri: sed hoc exclusum erat per ly *terminatæ*. nunc autem ly *extimam* admonet nos, non dari figuram, nisi linearum & superficierum. Profunditas enim figurari non potest. & cum baculus curuatur, & tota soliditas sua; non dicitur profectò soliditas figurari curuitate, nisi per respectum ad superficies extremas: & cum ab imo intumescit mare, & crispatur mutando situm, interiores partes non figurantur, nisi quatenus ipsarum quælibet separabilis est, fierique potest extrema; vel extrema est altera ad alteram, sicuti minutiæ in aceruo farinæ. Aër quoque, ventis agitatus, mille figuratur modis in terminis impetus & agitationis.

non totus aër mundi mouetur simul, cum ego manum extendo: sed ad terminos agitationis figuratio relationem habet. Dimensiones ergo quatenus intrinsecæ sunt, interminatæ sunt, & non qualificatæ, vt patet in spatio & in materia: quatenus autem termini sunt, figurantur,

Dixi, *Constantis*, quoniam humida corpora terminos non habent proprios, vt dicebamus, ergo nec figuram, quæ terminorum est qualitas. Recipiunt tamen figuram alienam, vt vasorum, in quibus reponuntur. Dant igni pyramidalem figuram Pythagorei, sed perperam quidem decepti à flammulis lucernarum in pyramides extentis. Quæ figura non conuenit naturâ illis: sed quia sursum ad cognata corpora cælestia statim vt generantur, ire contendunt, in parte ima elychni, faciunt basim: quia fumus ardens est flamma: multus autem crassusque est fumus in ortu, mox attenuatus vstióne, erigitur, & coit semper in angustius, donec desinat in angulum: tum quia fumus calore minuitur, tum quia tenuitas præit crassitiem, tum quia quasi vnitur, vt aërem penetret, & transeat, acumine dante viam. Quod & aqua declarat ab alta turri præcipitata simul, quæ similiter in pyramidem descendit, cuius conus est deorsum, basis sursum. Multitudo enim in principio indeficiens, facit corpulentiam, in fine verò acumen, quoniam pars grauior prius descendit, vt præit, & quia vt penetret acuitur. Nec aqua est Natura pyramidalis, potius autem globosa, vt apparet in foliis arborũ cadens. Sed neque hoc eius circularitatem docet, omnia enim liquida in circulũ globantur, vt vinum, oleũ, & liquefactũ plumbum, & æs, & calybs: quoniam propria consimilitudine gaudent, & vniuntur vt seruentur. Ignis quoque si figura donari debet, circularis est, nam stellæ igneæ maximè in sphærã formatæ sunt. At quoniam & quæ non habent figuram propriam, & alienam suscipiunt, essentiam suam in alienæ susceptione declarant; ideò non satis rectè positum est *Constantis*, nisi vt videamus in quibus differentiam facit. Nam circularitas guttę aquæ non facit differentiam à gutta vini, quæ similiter circularis est. Nec rotunditas Saturni Solem, aut Iouem à Saturno distinguit, sed magnitudo, & vis, & calor, & situs. Cælum & terram itidem globosa esse, probamus; sed maximè contraria, lapides quoque constantis consistentiæ omnes figura non discrepant: nec metalla, nec oua: plantæ verò parum: Ergo in omnibus videtur figura minimè valere. Omitto nubes figuras varias suscipientes, non tamen natura Entia diuersa. Dicendum ergo quare in quibusdam figura diuersificat, in quibusdam minimè.

DE FIGVRIS AB ARTE, A NATVRA, *à Casu: & vtrum, & vbi sunt de essentia, aut complementum essentialitatum: & quomodo ab Idea, & ab vsu, vbique ob finem certum.*

ARTIC. X.

FIgurarum aliæ sunt ab arte, vt literæ, & gladius, & nauis: alię à Natura, vt hominis & piscis: aliæ à vi & necessitate, vt telluris, & compressi mellis. aliæ à casu, vt si cadat atramentum super tabellam, & suscipiat formam piscis. Figuræ, ab arte inductę, sunt quasi essentiæ artificiatorum: per ipsas enim differunt & constituuntur. gladius enim à falce eiusdem ponderis, non nisi in figura differt. Essentia enim eorum ab arte est: & ideo nullam à materia sortiuntur diuersitatem vt sic. Culter enim lapideus, quo Iosues circumcidit populum, idem est cum cultro ferreo, & lancea lignea eadem est cum ferrea, & triangulus ligneus, & ferreus non differunt, nec circulus in charta, & in ære depictus. At quoniam propter vsum artificiata omnia fiunt, hominisque sunt instrumenta: & formę in quadam materia non constant, nec benè introducuntur, ideo videtur penes materiam habere differentiam: lancea enim lignea non reputatur lancea, non quia non habet formã & essentiã lanceę, sed quia essentia hæc est propter vsum belli: Bello autem ineptum est lignum, quia non durat; ideò videtur lancea lignea & chartacea, non esse lancea, nec serra lignea esse serra, quoniam ad secandũ minus valet. magis autem erit si ænea. Codex quoque fit ex charta, vt scribamus & legamus, at si folia habeat ex corticibus arboris, aut ex ferri tenuissimis laminibus, & inscriptus sit, vtique codex erit ad legendum, non ad scribendum: quia forma eius non est materiæ essentia, sed figuratio, & vsus. vnde videtur vsus esse forma figuræ, sicut figura est forma artificiati: & ideò licet sit idem carlinus æneus, & argenteus in figura, quia tamen figura est propter vsum, & argentum vtilius re, vel æstimatione, est; ideò non videntur esse eadem moneta. At si similiter vtilia sunt in diuersa materia, vtique nullã ob ipsam differentiam ostendent; vt lectulus factus ex ære & ex ligno, & mensa ex ligno cedrino, & cypressino, diuersis specie in materia, sunt idem specie, & forma, & vsu. Triangulus autem, quadratus, circulus, & cæteræ figuræ, eadem sunt in quacunque materia, quando non ad vsum considerantur. Et quidem in monetis identitas materiæ magis valet ob hoc, quam formæ, vt Philippinus, & Carlinus admonent. sed non si habeat figuram Solimani Regis Turcarum, quæ apud nos non expenditur, quamuis aurea. vsus ergo est artis forma postrema in multis: quarum verò artium vsus est sola repræsentatio, differentias nullas à materia habeat, nisi quoniam formam benè & non benè suscipit. Philippi igitur imago in tabula, & in pariete, & in lapide eadem: similiter & D. Petri vbicunque, quoniam hæc ob memoriam, & adorationem modo fit. Hinc quæstio inter Platonem & Arist. vertitur: ille enim materiam non pertinere ad essentiam, putat, sed formã dumtaxat: iste vtrumque pertinere. Vera est sententia Platonis, quando formę solius est vsus: vt forma literarum est propter

significare, idcircò vbicunque fiant à materia essentiam non habent. vbi autem est solius materiæ vsus, non est forma de essentia: vt si argentum informe in emptionibus appendi soleret, sicut fit in Æthiopia; vbi verò vtrisque est opus, essentia est ex vtrisque. Quapropter lancea chartacea non est lãcea, sed ferrea: neque ferrum nisi formatum acuminato fastigio. vsus enim lanceæ non est nisi ex vtrisque.

Et quoniam naturalium quoque est finis & vsus, idcircò forma & figura sic materiata, & materia sic figurata, essentiam conficiunt. Et sicut in Natura generat ignis ignem ex ligno, non educendo latentem in materiæ gremio, sed seipsum effundendo in lignum, & conuertendo per sui amplificationem lignum in se, vt etiam Arist. coactus fatetur in 7. Metaph. 29. Ita Ars, sui ideam effundendo, formas producit in materia alias compositione, vt domum: alias mixtione, vt campanam ad formas incauatas ex fuso ære: alias ordinatione vt exercitus formam: alias positione, vt superliminare: quod lignum, ita superpositum ad ianuam, est limen: alibi verò positum, erit sedile: alias Tractu, vt caracteres: alias Compressione, vt signum in cera. Omnes hæ figuræ formæque præexistunt in agente eædem specie: alias non fierent. Fieri enim est essentiam deduci ad existentiam: vnde qui non habet scribendi artem ideamque caracterum, & fabricandi gladij ideam, & si agat non tamen magis scribet quam plantet. Et si scribendi artem habet, scribat autem absque certa idea, non faciet magis A. quam O. aut C. aut quamcunque aliam literam, dum facienda est A. nec magis faciet gladium, carens idea gladij, quam ligonem, aut forficem, aut calamum. Et in incertum operabitur quodlibet, vel nihil, sicut infans ducens calamum super chartam; scribet autem sed non significanter. saltabit & cytharizabit absq; idea & arte, haud tamen pyrrichium & harmonicè vti artifex. nec ignis nisi suam effundat ideam faciet magis ignem, quam terram aut aurum. quidquid autem effundit, habet, & dat, non autem educit de materię sinu. quomodo enim in frigida re, quam ignit, latuisset ignis, nisi simus Anaxagorei? & quomodo sol ex terra obscura educet lucem tam subitò, nisi ipse effundat lucem: quam tellus non dat, sed reflectit reijcitque datam? similiter vbi causa adiuuans est, non habens totam ideam, non dabit. Medicus ergo & cocus non dant formã sanitatis & oculi, sed natura. Nec enim Medicus præscit distinctè, sed confusè quibus modis humorum particulę quælibet, & pars corporis quælibet afficiendæ sint, & contemperandæ, vt sanetur æger: sicut nec qui ministrat ædificatori, scit quam dispositionem lapides in fabrica sortiri debent, sed ædificator.

Quæ autem casu fiunt habent ideam in primo opifice, vel in anima Mundi, vtente elementaribus ad formationem huiusmodi, quod enim est præter intentionem causæ particularis, non effugit intentionem vniuersalis. multa enim seruo accidunt præter intentionem suam, putatque sibi casu fieri, quæ tamen à Domino suo ordinata fuerant, vt sic illi acciderent, vide p. 2.

Figuræ autem extrinsecę, naturâ efformatę, non sunt essentia, nec pars essentię rerum naturalium, sed consequuntur essentiam, & compositionem talis materiæ cum tali forma; propter eius vsum naturalem, veluti artificiatæ propter artificialem: & quæ sunt ob eundem vsum figuræ conformantur etiam in difformibus, vt nasus in homine & cane. vsus autem est conseruatio essentiarum in indiuiduis; & in super conseruatio indiuiduorum ad aliud ordinatorum propter illud aliud est. & quoniam essentiæ datur essendi modus, Necessitate, Fato, & Harmonia fluentibus à potestate, sapientia, & amore, in rerum coexistentias: vtique & formæ essentiali, vt sic sit figurata & qualificata, indidem eueniet omni. Tellus rotundam figuram assumpsit dum exhalantem vndique calorem cũ attenuata in cælum mole, frigus circumdatum vndique fugiens, partes occupatę molis suæ in medium vnit. sphericamque ex necessitate figuram sumit sic: atque vt melius hac figura mutuo seruantur: quemadmodum Cæsari milites in Belgio & in Africa, ab hostili circumdati multitudine, in sphæram coiuerunt. & aquę guttę, & sputum in sphærã sese cogentes, seruantur. Cælũ quoque sphæricum est, quibus non immensum, vt vndique terram obsideret, vtque melius in gyrum ferri queat. Stellæ similiter, vt circumrotentur, vtque partes mutuo tactu gaudentes interius fruantur, quam si angulos haberent, vnionem exterminantes. Mundus quoque sphæricus perhibetur ob conseruationem, capacitatemque maiorem. Omnes ergo sphæricę figuræ eundem ferè ob vsum à suis causis sunt. omnis autem simul vsus ad vsum Dei sunt.

Haud rectè igitur Copernicus terræ motum dat circularem, vt suo actu suam figuram exprimat: quandoquidem & stellę fixæ sunt Copernico rotundæ: quæ tamen ipsi videntur immobiles; sibi ergo aduersantur & naturę. Non enim omnis rotunditas est propter motum, sed propter conseruationẽ: quæ verò motu seruantur, ad hunc vsum ipsam habent; quæ quiete ad quiescendum tutò: & quæ pugna, vt vndique possint pugnare, & quę ne ab alio separentur, & destruantur, ob hoc ipsum, vt sputum, & guttæ; ignis autem vt ascendat sursum pyramidalem mutuatur, vt dictum est.

Tenuia igitur humidaque adsumunt figuras proprias ad vsum in quibus corpulentia non impedit, & ideo gutta, & igniculus sic figuratur, non autem magna moles aquæ. nubes quoque in aëre varias suscipiunt figuras; & cometę, & stellę cadentes; non tamen retinent illas, quoniam inconstantis consistentię sunt. & quælibet res eiusmodi, ob aliquem vsum sic figuratur. Visuntur enim cometæ in figuram gladij, & hominis, & spicę, & aliarũ rerum, ad significandũ super huiusmodi Entia, nutu Dei, & ministerio Angelorũ, quanquam casuali elementorum concursu, & nostri interdum respectu: non autem Dei: *Nihil sine causa*, ait Iob. Non ergo figuræ nubium & cometarũ casu sint, & non ob finem aliquando significandi, aliquando disponendi aërem, aliquando ob sui conuersionem in aquas & ros, vt tellus perfundatur alibi & alibi, aliter & aliter, ad varios partus & educationes, eadem scriptura testante, & vsu declarante.

DE FIGVRA SIMPLICI, COMPOSITA, & Decomposita, & suis vsibus ad operationes & notitias.

ARTIC. XI.

FIGVRARVM aliæ Simplices, vt circulus: aliæ Compositæ, vt rotunda pyramis: aliæ Decompositæ, vt figura hominis & plantæ. Figurarum elementa sunt lineæ & superficies: primi earum modi sunt rectitudo, & curuitas, & angulus. Angulus constat ex duarum linearum non in rectam consequentiam contactu, fiunt anguli recti cum linea super lineam perpendiculariter, nec vnde inclinatam cadit: obtusus angulus est recto maior, acutus recto minor, & fiunt in lineis & superficiebus, non modo enim spina acuta est, sed gladius quoque anceps, licet fastigio careat. Datur superficies lenis & aspera, non modo curua & recta. Lenis nullos habet angulos, sed omnes partes æquè, foras præminentes. Aspera angulosa est, partibusque eleuatis & depressis constat. Magis autem si duris, crebrisque Ex angulis fiunt trianguli, quatranguli, pentagoni, hexagoni, &c. secundum numeros. Ex quorum compositione, & circulis, & semicirculis, & rectis, & curuis, innumerabiles conficiuntur figuræ Decompositæ.

Quæcunque functionem vnam modo habent, vnicam quoque simplicem habent figuram, si vnica operatione functio expletur, vt stella.

Quæ plures habent functiones composita terminantur figura, vt gladius vtrinque acutus, & aculeatus, & serra, & fax.

Quæ multiplices ob functiones sunt, Decompositas sortiuntur figuras, iuxta partium vsum, vt homo: cuius oculus est rotundus, vt vndique videat, & facilè circumuoluatur ad intuitum: nasus triangularis, & deorsum spectans, vt odores obuij penetrent. Pedes plani, vt illis firmetur: ossa variis distincta sectionibus, & configurationibus ad flexionem machinæ, & erectionem, & motus. Et tandem viscera & externæ partes omnes propriam nactæ sunt figuram ad proprium vsum, prout in Physicis declarauimus. Tota autem figura hominis ex tot partium constat figuris: similiter & plantarum, & brutorum, & nauis: & qui physiognomico syllogismo vti sciunt, ex figuris multum innatæ virtutis agnoscunt. Anates enim collum longum habent & rostrum, planum paleatum, vt intra aquas extendant, & pisciculos, aut vermiculos captent. Pedes planos, membranisque digitos vnitos, vt non submergantur. Ciconia vero, vt serpentes absque læsione rapiat, longum gerit collum & rostrum. Canis nares oblongos, vt à longe odoretur feras. Bruta cuncta prona in terram sunt, vt inde escas accipiant: homo sublimem habet vultum, vt cælum contempletur. Ceruus leuia & longa crura, quia timidus, vt fugiat: Vnde ex similitudine brutorum & ex passionis modo & affectu innato, ad quem sequitur figura affectui deseruiens, licebit de humanis effectibus syllogizare. Magis autem, si addas faciei immutatæ modum in quolibet affectu ad eos, qui ita modificatam habent faciem, transferas iudicium, vt in libris de Sensu rerum diximus abundè.

Figura composita tria requirit, partium distinctionem in toto, & communionem, & ordinem. Respectu primi aqua non habet propriam & vix lutum non efformatum. Respectu secundi partes hominis diuisæ gladio non habent figuram hominis, sed exercitus habet figuram exercitus, quia communicat ex vno ordine & fine victoriæ. Respectu tertij non erit homo si oculos habet in pedibus, manus in naribus, iecur in capite: quoniam natura oculos posuit in capite eleuatissimos, vt lucernas toti deseruiens: sensus in capite, vt exploratores: manus ad humeros, vt possit externa Entia tractare. Pedes imos, vt statuam humanam deferant quocunque melius animæ videtur: vsus ergo omnia nos docet, ordinem autem non dicimus prioris & posterioris, licet & sic includatur, sed quo communitas seruatur: ordo enim ratio est, ratio autem sapientia, vel effectus sapientiæ: sapientia autem omnia regit & cõseruat: quomodo ergo maxime conseruatur Ens, maxime ordinatur, ergo & figuratur.

PARS III. CAPITVLI IIII.

Quæ de Situ & Configuratione.

QVID SIT SITVS, ET CONFIGVRATIO in toto Mundo, & in singulis partibus eius, & corporum organicorum, ad Mundum, ad Functiones, & ad Coexistentiam.

ARTICVLVS XII.

AD ordinem partium in toto particulari datur consequens ordo partium ad totum vniuersale, quod est mundus: & iuxta hoc sumitur Situs, & Prædicamentum de illo fecere Peripatetici. Sed falso vocant ipsum ordinem partium in loco. Locus enim nullas habet partes, & vndique similis est: sed debuissent dicere ad mundum, & hoc pacto caput spectat ad cælum & sursum: pedes ad terram, & deorsum: facies ante, quorsum mouemur: spina retro, vnde fit motus. Verum situs partium, in rebus duplex est, alius respectu functionum propriarum partium, alius respectu mundi. In mundo

quoque situs duplex, alius proprius, al us respectiuus. Figura mundi, cum sit simplicissima, quoniam circularis, continet in se omnium rerum figuras particulares. Sicuti in homine, præter figuram totius, extant figuræ partium, vt Iecoris, Cordis, Vertebrarum, Ossium, & cæterarum partium. In mundo autem videtur esse diuersitas ex functione vniuersali, quæ est motus, & ex partium diuersitate maximarum, quæ sunt stellæ: & ex centro & circumferentia diuersis Entitatibus. Quapropter statuimus in Physicis, dextrum cæli esse plagam Septemtrionalem, quoniam ibi plures sunt stellæ & potentiores: sinistram partem Antarcticam, quoniam pauciores & imbecilliores: Orientem retrò vnde motus, & Occidentem ante quorsum motus: quamuis vbique possint signari Oriens & Occidens ad quamlibet regionem, tamen verum est, ita ferri solem & astra, & non è contra: sursum quoque dicimus cælum & peripheriam quoniam nobis est sursum, & naturæ fortasse, quia nobiliora Entia putantur in Peripheria: deorsum vero centrum nobis & naturæ, ob oppositas causas. Aristoteles autem contendit sursum esse Arctoum polum, deorsum Antarticum, dextrum Orientem, vnde motus, sinistrum Occidentem, ante alterum hemispherium, retrò nostrum: quoniam hominem considerauit in Geographica pictum, cuius manus dextra sit in Oriente, sinistra in Occidente, pedes in Austro, caput ad Boream, faciem ad Hemispherium superius, dorsum ad superius.

Sed hæc consideratio est puerorum, picturæ adaptantium res visas. Cui etiam Hetruscorum & Iudæorum consideratio opponitur: qui dextrum faciunt Occidentem, sinistrum Orientem. Meridiem ante, quoniam ibi nobis est via Solis & Planatarum, retrò Boream, vnde frigus & vmbra. Constat etiam Aristotel. & naturam & hominis figuram reclamare. Natura enim virtuosiora posuit in Occidente & Septemtrione: & nullam fecit differentiam partium, nisi ad Boream & Austrum: Orientem autem & Occidentem vbique signauit. Hominis præterea positione veluti mouetur iuxta functiones suas: ad Occidentem autem mouetur, vt similis sit cælo: occidés ergo erit ante, & Oriens retro: Ergo necessario Boreas dextrum, vt videtur Pythagoricis, Auster sinistrum: sursum autem ac deorsum pedes & caput declarant: quarum Antipodes nobiscum conueniunt & contrariantur.

Rabbini auté considerant influétias erga nos, ideo Altare suo ritu collocant vt lucernæ sint ad Austrũ: mensa tamen & tabernaculũ ad Boream. At, in situ rerum iuxta functiones aliter consideratur situs in aliis. Planta enim habet os, vnde comedit in terra, tellus ergo illi est sursum, vt Plato testatur, ergo cælum deorsum. Si autem mathematicè mundum consideras, non est cur magis centrum, quam circunferentiam appelles sursum. Habent quoque homines multi dextram partem fortiorem, & alij sinistram: his ergo dextrum est quod illis sinistrum. Arbitror, in plantis & pomis reperiri has differentias: pars enim, quæ aspicit solem viuidior & melior, ergo dextra: huiusmodi enim situs in figura ob vsum considerantur. Ad posituram vero nostram multa sunt dextra ac sinistra vt columna mihi est dextra: at sedenti Petro ex parte opposita est sinistra: & Septemtrio est dextrum cælo, sed mihi, spectanti ad Orientem, est sinistrum. Peruinis nos quoq; videmur esse deorsum & è contra illi nobis, quod Lactantium decepit in consideratione mundanæ constitutionis. Porrò enim qui (si qua sunt systemata in mundo præter nostrum) habent singula situm suum proprium, à nostro dissidentem: ita quod incolæ lunares centrum lunæ habent pro situ inferno, peripheriam vero pro superno, & ante & retro computant ad proprios respectus, sicuti & nos ad nostros: & sicuti se habent Entia humana ad humana, ita se habent & systemata ad alia systemata: ita quod si darentur plures soles, qui sunt centra multorum systematum, quemadmodum videtur recentioribus Pythagoricis, se haberent illa systemata ad soles quæque suos, quemadmodũ medicæa astra ad Iouem, & Saturnina ad Saturnum, & luna ad tellurem: hoc tamen discrepantia, quod centra multorum systematum paruorum essent mobilia: magnorum vero systematum immobilia. Quem autem ordinem habeant omnia systemata ad inuicem & ad primum, si infinita sunt, vt falso à quibusdam reputatur, ratio excogitari non potest: si vero finita, ad vnum primum se se habebunt: sicuti amphiteatri nostri planetæ sex ad solem nostrum: quam rationem imitantur planetę medicæi erga Iouem: quam insuper imitantur res extra mediceos ad centrum proprium, sicuti res telluris ad centrum telluris nostræ: & quoad virtutem & motum, & situm. Vbi sane & fructus arborum, & montes ipsi, & ædificatæ à nobis domus, vniuersitatem referunt nostram: habent enim singula hæc indiuidualiter proprium Orientem, Occidentem, Austrum, & Boream, sursum, & deorsum: & qua spectant ad meridiem & Orientem sunt calidiora, & coloratiora: & qua ad Boream & occasum, frigidiora, minusque colorata: ita vt simul in eodem monte ex altera parte sit æstas, ex altera hyems, sicuti est in tota tellure simul hæc diuersitas: referente parte suum totum: At si mundum totum, systematibus orbatum, quis consideret, neque sursum neque deorsum neque ante, neque retro, neque centrum, neque circumferentiam vllam relinquemus. Non enim nostra tellus est in hoc mundi situ, quia iste situs est centrum vniuersitatis rerum conueniens soli telluri & omni, vnde argumentabatur Arist. ruditer, quod si quæ aliæ tellures essent ad hanc nostram venirent: sed è contra hunc situm factum esse centrum ab ordinatore rerum, solius telluris nostræ. Aliosque situs centra aliarum terrarum, si forent, vel stellarum: in quibus res cuilibet propriæ, vbi vnionem habent, ibi centrum habere dicuntur: gaudentque omnes propriis systematis positione: quemadmodum cor, & viscera, & membra Petri, eo situ gaudent, quem sortita sunt in Petro: nec situm affectant Cordis & viscerum, & membrorum Pauli: sic & omnis materiæ pars propria forma contentatur, nec aliam optat, nisi incipiat ab opifice præpotenti in alias transmutari.

DE SITVS VIRTVTIBVS OCCVLTIS *ab situatorum vsu, & à Cælo, & configuratis rebus coëxistentibus, & à toto mundo.*

ARTICVLVS XIII.

SITVS ergo magnam habet vim, non à loco, vt quidam apud Plutarchum opinantur, sed à Mundi partibus, ad quas res situatur: ergo à reali relatione existentium ad coëxistentias, & vsus. Eadem enim tabula in Ecclesia est altare, & in domo est mensa: idem lignum super ianuam est superliminare, alibi vero sedile. In exercitu quidem & in cunctis, quæ figura constant, plurimum valet situs ad operationes, & actiones, & pugnas, & passiones, & conuictum, & iuuamen, & molestiam: maxime autem in cælestibus. Sol enim sub imo cælo (quod tamen non secundum se & omnes alios, sed secundum nos, imum est) nihil lucet nobis, & nascentibus non est vitæ dator Apheta: super horizontem vero lucet & dat vitam: & in angulo Orientali significat rerum principia, & iuuentam, & vires: quemadmodum & luna post coitum cum sole: principiationi aptum, destinatumque. In medio Cæli, Regna, Imperia, sublimationes, potestates, & rerum naturarum medietatem: Antipodibus vero contrarium: In occidente vero fines, & senectutes, & cadentia. Refert quoque multum ad rei constitutionem & vitam, cuiusque plantæ, saltem respectu inferiorum, ad quæ directè, vel obliquè totas vel dimidiatas, robustas, aut impeditas, permanentes, aut defluentes demittrant: vnde in angulis existimantur fortes, & sub stellis sibi amicis, & orientales à sole, à cuius impedimento liberentur, & occidentales à luna: quæ collectas propterea vires illis deferat. Item vbi habent apogea: In succedentibus, mediocriter se habent: In cadentibus vero cadunt vires stellarum, non autem adeo in nona, quoniam medio cæli propinqua: & qui hæc negat, neget quoque ollam & carnes non aliter cocturam in alio situ ab igne concipere: & solem matutinum non alias à meridiano, & à vespertino, vires ad nostrum viridarium demittere: nec in omnibus cæli sitibus diuersimode semper aspiciendo, terram in diuersa Entia conuertere: quinimò idem Ens, eidem sibi dissimillimum constituere in calore, in consistentia, in temperie, vigore: vti planta quælibet manifestat: imò & flos vnus multicolor & multiformis.

Præterea, quantum valeant configurationes coniunctionum, oppositionum, quadratorum, sextilium, & trigonorum, separationes, defluxus, pulsationes, frustrationes, abscissiones, solitudines, aliæque passiones prædictorum aspectuum in syderibus, nemo nouit, nisi qui quotidie cælestia obseruat, mutationesque inferiorum ab his in nostro systemate: quas tamen alias in aliis syderibus & systematibus esse, oportet: aliosque analogicè producere effectus.

Præterea situs in artificialibus vim habet: & ex vsu: nam gladius non acie sed capulo prensatur ad vsum: & à mundo: Clauus enim figurationem, in qua cuditur, seruat, dum super subere in aqua natat, non secus atque magnes ad Polos terræ se se vertit: & arborum rami depressi vi ad suum situm in altum reuertuntur: videmus & bacillos ferreos in eundem situm fabricatos paralellos in aqua fieri: decussatim vero fabricatos, se se intersecare: & cadauera in mari necata conuerti mox ad situm, quem habemus in vtero matris: aliaque multa mirabilia, quæ herbæ admonuerũt cum sole aut cum luna, aut cum Saturno ad situm mundi eundem conuersæ: & D. Thomas, cælum ordinem dare naturalibus & artificialibus, de figuris Mathematicis scribens, rectissimè dixit. *In lib. de Fat.* Situs quoque particularum materiei videtur constituere Entia Democrito: de quo alibi: sed actiuorum & passiuorum facit occasionem & conditionem & vsum, non secus atque in carminibus compositio & transpositio dictionum & literarum constituit aut destruit carmen & sensum & vim.

DEFINITIO SITVS ET FIGVRÆ *per recapitulationem: & admonitio, & de vsu eorum, &c.*

ARTICVLVS XIV.

EST autem Situs ordo partium rei ad partes vniuersi: figura autem ordo partium rei in ipsa re & toto: & quoniam sedere & stare sequuntur quandam positionem partium, reputantur à Peripateticis de prædicamento situs, cum tamen non sint nisi operationes ab anima editæ cum corpore ita situato. Configurationem enim partium gratia vsus operationum & functionum esse, iam dictum est. Ideoque situs & figura non sunt duo prædicamenta sed altera alteram consequitur, sicuti pars totum, & situs partis situm totius non effugit: & quandoque è conuerso, de situ autem stellarum & telluris magna controuersia est inter astronomos: quę ab vsu decerni non satis patet nobis, ignorãtibus omnium vsus vel omnes: necà motibus & phęnomenis, aliter enim aliis visuntur. Sed diuina contemplatio est in his. Quæritur enim figura mundi & non situs: siquidem non ad alium mundum hic respectum habet. At si habet, maior disceptatio restat: & de vsu partium mundi longè diuinior speculatio est,

quam admirabilis illa Galeni & Vesalij de vsu corporis humani. Det nobis Deus in alio libro quippiam sapere magis, quam cum quatuor libros de Motibus astrorum scripsimus.

DE CAVSA EFFICIENTE, ET Materiali, earumque asseclis, ex Potestatiuo deductis.

DE CAVSÆ ACTIVÆ EX POTESTATIVI

extensionibus dependentia: deque eius multiplici acceptione, definitione, & declaratione, & causatione multiplici, distinctioneque ab actu: & mistione eius cum actu & passione: & quomodo formæ non est actio, seu iuuamen ad agendum.

CAP. V. ART. I.

OMNIS Vis, seu Facultas, seu Principium, radicaliter, sunt primalitates, & idem cum essentiata re, ex August. At inductæ respectum ad extra, quoniam accidens est respectus, distinguuntur forsan realiter ex Thom. ex primalitate. n. prima respiciente ad extra, oriebatur principium, id est, facultas potestatiua, à qua aliquid est: quæ dum extendebatur, siue cum sui mutatione, siue absque, in extremo extensionis causam efficientem & operantem conferebat.

Actio enim non fit nisi præcederet posse, & spes, aut præsumptio, aut ira, aut timor, aut audacia, aut quęcunque alia extensio potestatiui formaliter: Cum qua tamen realiter associatur semper volitiui affectus, id est, amor aut odium & istorum asseclæ: ac cognoscitiui, id est, sensus, aut phantasia, aut cogitatio, & cætera huiusmodi: opera enim primalitatum ad extra sunt indiuisa: in fine autem extensionis videlicet spei, audaciæque oritur actio, qua constituitur, aut potius declaratur causa agens, quæ edit opus extra vel imperando vel exequendo: quod facit, vel principaliter, vel instrumentaliter ex potestatiuo. Cum enim agit ex volitiuo, aut ex cognoscitiuo, non dicitur causa effectiua, sed concausa: cum videl. ex hoc, quod nos volumus, alij occasionem accipiunt, vt velint, & agant. Sciens enim amicus amici voluntatem etiam iniussus operatur aliquid secundum illam voluntatem: similiter causa consilians aut docens non est causa sed concausa: & vocatur à modernis Theologis causa moralis non ineptè, à Physica vocata, distinguendo: vocant autem Physicam, quæ in causatum verè influit, producitque effectum ex potestatiuo Cæteræ causæ adiuuantes potius instrumentales sunt, si ex potestatiuo sunt: vt qui scribit, me dictante, hunc librum, adiuuat me ad libri effectionem. Similiter & qui præparat, vt lignaria: est quasi instrumentum naui factiuæ. Cum ergo Auicen. distinguit effectiuam causam in perficientem, qualis est inducens formam gladio: in præparantem, vt qui ex ferro calybem facit, aptum gladio: & adiuuantem, vt discipulus ferrarij gladium facientis, & in consiliantem, vt qui ita faciendum, vel fieri oportere gladium, suadet, consulitque: locutus videtur absque perfecto iudicio. Consilians enim causa & consentiens pertinent vtraque ad primalitates æquè primas, & ideo potius concausæ dicuntur occasionemque potius causandi præstant, quam effectum. præparans autem & adiuuans non spectant ad alias primalitates æquè primas, sed ad eandem, id est, ad potestatiuam: & ideo dicuntur causæ subseruientes: sicut Paulus Apostolus vocat Doctores coadiutores Dei. Deus autem dicitur adiuuare & coadiuuare interdum, non quia subseruit, sed quia naturali agenti addit suam vim. Auxiliari enim, teste Chrys. est augere vim causandi per additionem concausantis siue melioris, siue ignobilioris, per easdem tamen primalitates: auxilium enim diuinum, vt probauimus in Theologia, afficit volitiuum, illuminat cognoscitiuum, & roborat augetque potestatiuum ad posse & ad agere: est tamen vbi non nisi vnam primalitatem meliorat, diuidens prout vult: agit physicè & moraliter in causam & cum causa in bonis actibus: cum causa, saltem in malis, physicè tantum. Ergo vnius effectus vnica est proxima causa totalis: adiuuantes, consiliantes, alieuę instrumentales, vel alterius ordinis, remotæq;, possunt esse plures.

Ex his ergo agnoscimus, quod actio procedit ab actu, id est, exterior ab interiori: & ideo efficientem dicimus causam, à qua, non vt componente, exitur actio seu effectus. Prius autem diximus esse *id à quo aliquid fit.* Cum autem facere & efficere sint operationes extenti potestatiui: manifestum est, quod causæ consiliantes & consentientes, id est, conuolentes, non sint causæ nisi partiales quatenus per potestatiuam simul agunt: consulens enim nisi imprimat aliquid in animo eius, cui consulit, quod vi potestatiua facit, non est causa: dicimus *fit*, quoniam nisi fiat quid, non est causa id, vnde ortum habet effectus: non enim fons est causa riui: non enim ab eo fit riuus, licet ab eo sit, vnde dicebamus, *principium esse id, vnde aliquid est*, quod rationem causæ non subit nisi etiam faciat: potius autem si etiam transmutet: vnde Deum mundi principium potius, diximus, quam causam, quoniam non de aliquo fecit mundum neque de sui substantia, sed imperio virtuoso, præcedente idea & volitione faciendorum. Continet tamen principium eminenter causam. Porrò efficiens non est pars rei factæ, sicuti materialis & formalis

formalis causa:neque est idea,neque finis. Propterea dictum est, *A quo, non vt componente, effectus editur*: per ly enim *non componente distinguitur à materiali & formali:* & per ly *editur* ab ideali & finali:quarum neutra edit effectum, sed illa dirigit agens vt sic & non aliter in incertum agat: nisi enim factor gladij ideam gladij habeat non magis gladium, quam ligonem aut manum faciet. Ista vero,id est,finis,dat occasionem, vt agat sic:nisi enim præconcipiatur vtilitas nauigationis & belli necessitas,agens non faciet nauim nec gladium:neque ad ideam nauis & gladij respiciet: neque materiam eliget aptam fini,sed quamcunque.& profecto cum dicimus, *A quo*,per ly *A quo*,statim fit distinctio efficientis à quacunque:materia enim est *de Quo:forma Quo*:idea,*instar cuius*:finis *propter quod*.Agens autem *A quo*: sed quoniam & principium est id, *A quo aliquid est*:additum est, *fit:* facere enim contrahit ipsum principiare ad hunc modum causandi. Cum autem dictum fuerit in 2. cap.causam proximam esse partem effectus:diximus enim causam remotissimam,vt Deus,& remotam vt sol, & propinquam vt calor solis in terram effusus, non esse partem plantæ, sed nec hominem partem filii, nec plantam plantæ. At calorem illum,qui architectatur plantam in suo semine, & qui hominem in semine humano, & spiritum ipsum decisum cum semine,transire in substantiam effectus, quamquam timeat Arist.ne agens sit simul effectus,& ędificans sit ædificatum:haud quidem contra hanc sententiam locuti sumus: non enim spiritus, qui est in semine ædificat seipsum, sed corpulentiam seminis organizat ædificando organa: nec cum generat ex sanguine spiritum: non enim seipsum eundem numero, sed alium numero facit,sicuti ignis cum faciet ignem quamquam seipsum effundat per accidés, tamen dum afficit corpulentiam,& mouet,simul mouet se, afficitque ob vnionem. Sic & calor,dum sursum mouet ignis corporeitatem, mouet quoque seipsum per accidens: cum tamen motus sui à se non sit actio,sed actus operatioque.

Est enim operatio habitus seu actus innatus essentiæ rei perennis, conseruans illam in suo esse : & propterea non tendit ad finem, quia simul & essentia finiretur: sicuti motus solis & quies terræ. *Actio autem est effusio similitudinis seu essentialis, seu mentalis in aliud, quatenus aliud :* qua similitudine impressa cessat actio:vt cum conceptus meos impressero in hac charta, cessat scriptio: & cum ignis lignum in ignem sibi simillimum conuerterit, non amplius illud ignit: & quo virtuosior fuerit agens causa,eo citius actionem absoluit.

Propterea Deus in instanti agit: lux etiam aërem in momento illuminat minus subitaneo : actionis enim duratio fit vel ex impotentia agentis, vel ex resistentia patientis vel ex vtriusque simul:quibus cessantibus,statim perficitur:si vna cessat, aliquantulum tardatur:si duæ,minus: si omnes,minimum.

Videtur & aliquid medium esse inter operationem,& actionem. Cum enim intellectus aliquid extra intelligit, tardat intellectionem & tandem finit. Actus autem finitur nunquam, nisi cum morte operantis : & tamen nullum effectum extra se producit intellectus dum intelligit. Quapropter Peripatetici, qui, causam agentem à patiente vbilibet separatam esse oportere, docent in 5.suæ Metaph.deinde actionem hanc immanentem in agente, & effectum simul in agente, quod est contra proprium dogma: & quamuis diuidant intellectum agentem à passiuo: nihilominus passiuum intelligere post acceptam speciem actiuè, scribunt: similiter voluntas,cui non dant actiuam & passiuam partem, agere, dum vult, immanenti videtur illis actione. Nos autem recipi obiectum à potestatiuo, iudicari à cognoscitiuo, volumus: remanereque effectum iudicij transeuntem iudicio, dicimus: nec tamen admittimus actionem, sed dicimus, operationem esse, id est, actum:siquidem intelligit anima seipsam semper actu vitali,non actione:cum autem res obiectas intelligit,non res illas intelligit, sed seipsam ab illis mutatam in illas,vti cum sentio calorem,sentio meipsum calefactum primo, deinde discurro ad notitiam calefacientis: remanetque illa notitia tanquam effectus in spiritu animali, cuius efficiens est intellectus primalitasque: sed in intellectu non est actio,sed actus,qui ab obiecto solum specificatur, non fit, neque ab intellectu fit, sed operatur; finitur autem modus & specificatio. Cum enim intellectus cessabit intelligere, cessabit esse : sed cum cessat intelligere hoc, desinit esse hoc: sed non desinit esse: sic spiritus mouet corpus actiuè dum operatiuè mouet seipsum: & cum cessat mouere corpus sic, non tamen cessat mouere: alioquin extingueretur, sicuti in 4. Medicinæ demonstrauimus. Sic neque ignis desinit esse calidus, & se formaliter calefacere seu calere, licet desinat actiuè calefacere hoc, vel illud: posse enim & noscere & appetere, perennes sunt actus. De his in 2. P. lucu- lentius.

Datur quidem in spiritu mistio actus, & actionis, quatenus enim calidus,mouet,quatenus corporeus, mouetur. Item mistio ex actu actione & passione: cum enim spiritus mouet corpus de domo in plateam,corpus patitur,spiritus autem agit in corpus,in se vero operatur:Ac simul quatenus inclusus est corpori, patitur illam actionem, quam in corpus edit: quid mirum quando & in artibus hoc verum? idem enim homo vertit se, & vertitur: haud tamen faciet se:vt de non esse ad esse se producat:hoc enim solum impossibile.

Telesius autem Seneca & Scotus redarguunt Aristotelem, propterea graue non mouere seipsum deorsum, reputantem,quod idem esset ædificans & ædificatum: non enim habent pro inconuenienti in naturalibus, vbi natura est principium intrinsecum, quod idem sit agens & patiens,sicut est in artificialibus, & inuiolẽter motis, in quibus aliud separatumque est mouens à motu, ædificans & ædificatum: nec ineptè loquuntur,quatenus ex materia & agente fit vnum: sed quia semper verum est,hoc esse agens, & hoc materiam, idcirco idem compositum non idem simplex alteram ego agens esse & patiens nisi in Empedocleo dogmate.

Nulla causa agit per formam suam vti Peripatetici opinantur, sed per suam vim actiuam, nisi vbi etiam forma sit actiua: ignis enim non agit igneitate, sed calore, non quatenus calor est forma, sed quatenus actiuus: alioquin omne habens formam, ageret: multæ autem formæ actiuæ non sunt, vt forma gladij & lapidis. Præstant tamen commoditatem agenti: acumen enim formæ gladij ad perforandum agenti vtile est, non autem obtusum ferrum, aut lima: modificat etiam forma actiuam vim: siquidem ligonis forma vim actiuam rustici ad fodiendum determinat, non autem ad meandum:Sic & sigilli forma, vt talis fiat impressio, & non aliter à grauante.

V

MVLTIPLEX DIVISIO causæ agentis.

ARTICVLVS II.

EFFECTIVARVM causarum alia est vniuersalissima, quæ totum producit effectum, non indigens priori agenti, vt Deus, qui materiam facit & formam ex nihilo præsupposito. Ideoque potius principij rationem habet, quam causæ. Et cum causant aliæ causæ, non possunt causare, nec conseruare causatum, nisi ipsa etiam causet.

Alia vniuersalis vt cælum & terra, quæ Entia multigenia sibi non formaliter consimilia, ex materia viribusque à Deo sibi prius datis efficiunt, plantas nimirum, animalia, & cætera Entia secunda: & sine hac causant causæ, excepta causatione, in quam ipsa influit, & præcedit in causando.

Alia particularis, vt cum ignis generat ignem vnigenium sibi, & homo hominem. Sed ex præsupposita materia, à Deo creata, cui solum dant formam alterando.

Alia proxima, quæ in substantiam effectus abit, vt semen & calor effusus.

Datur tandem & causa artificialis, quæ non modo materiam, sed & compositum Ens præsupponit, ex quo ipsa suos format effectus, vt ex ligno lectulum, ex ferro ensem; Quippe plus præsupponit ars, quoniam naturæ & Dei præsupponit actionem: natura minus, quoniam Dei solum actionem materiamque. Nihil Deus, quia primus rerum est effector: efficit esse simpliciter, & non hoc vel illud Ens, vel modificationes Entis. Ergo necesse est agnoscere creatricem causam totius Entis: & ideas rerum, ab ipsa in naturam, & à natura ad artem, defluentes, & ab artifice principali iterum in artificem instrumentalem, & exinde in materiam receptiuam existentiæ rerum.

Datur iterum efficiens totale, vt qui solus trahit nauem, & ignis generans ignem: & efficiens partiale, qui cum alio trahit: vt pater, qui non nisi cum matre generat.

Porrò datur & causa agens principalis, quæ ex seipsa operatur, & cui effectus oritur persimilis. Datur & instrumentalis, quæ non mouet, nisi mota: per se vero inanimis est, in quo instrumentum est, vt penna scribit à me mota: à se autem minimè: nec sibi assimilat passum in essentia, sed tantum in existentia & extrinsecè. Sicut scriptura hæc similis est menti meæ in sensu & forma caracteris: in grossitie vero aut gracilitate, est similis pennæ: & mundus Deo est similis idealiter: calori vero & frigori tantum extrinsecè, & instrumentaliter.

Duplex enim est Assimilatio, vt à principio dicebamus: altera mentalis, vt scriptura scribenti homini: altera naturalis, vt geniti genitori. Quapropter seruus, in quantum intelligit, quod facit, habetque ideam effectus, dicitur causa adiuuans Herum: in quantum vero ab eo mouetur, ad faciendum est instrumentum Heri: itaque medium quid est inter instrumentum & agentem causam. Theologi etiam omnes causas agere tanquam instrumētum Dei hac ratione dicunt. Habēt enim vim actiuam propriam, qua agunt: quod tamen non possunt nec agunt nisi potente, & agente, & mouente Deo, cuius participante esse & operari. Impulsus quoque diuinus non est in nobis, sicut in sagitta, sed sicut est in seruo, vel in filio. Alia enim seruiliter, alia filialiter, alia necessario, alia contingenter à Deo, naturas non violante, sed seruante, mouentur, vt in secunda Parte demonstrabimus.

Præterea, dantur instrumēta magis & minus principalia, vt arcus, & lyra: & coniuncta, & disiuncta, vt manus & calamus: & multa, & pauca pro dignitate & necessitate operis.

Verumtamen, quemadmodum causa actiua est simul loco & tempore cum passiua in productione effectus: multo magis cum suis instrumentis coniunctam esse oportet, intrinsecus vel extrinsecus substantialiter, vel accidentaliter, sicut anima cum corpore, vel cum gladio.

Præterea, aliquando causa per se, & propter se, causat vt calor cum calefacit: aliquando propter se, sed non per se, vt calor cum attenuat materiam, vt possit ipsam mouere ad sui salutem: aliquando nec per se, nec propter se, sed per accidens, vt calor cum indurat materiam & nigrefacit, dum attenuare ac albefacere contendit. Et hi quidem effectus, quando sunt præter potestatem agentis causæ, dicuntur contingentes & à sorte fieri: quando vero præter intentionem & cognitionem agentis, dicuntur casuales, & à casu fieri. Quando vero præter voluntatem agentis, dicuntur fortuiti, & à fortuna, vel in fortunio accidere. Attamen quæcunque sorte, casu & fortuna eueniunt, respectu secundarum causarum & proximorum sic eueniunt, in quibus modificatur effectio primæ causæ, non autem respectu causæ primæ, cuius potestatem, & sapientiam, & voluntatem effugit Ens nullum: quæ nimirum Necessitate, Fato, & Harmonia effectus omnes causasque modificat, vt sic agant, & non aliter, quemadmodum contra Epicureos in secunda Parte declarabiums. Similitudo autem effectus fortuiti, in causa non fortuita præexistat, sicut & Moyses dicit, quod in manus occidentis casu fortunaque hominem, tradidit illum Dominus prouidenter. Effectus assimilatur causæ principali, non instrumentali: proximæ non remotissimæ. Filius enim Petri est filius & Dei: attamen Petro non Deo similis est. Ergo immediatius agit Petrus immediatione attingentiæ & personæ. Deus vero immediatione virtutis, vt sanctus Thomas 2. cont. Gen. cap. 70. sicut principium immediatum syllogismorum. Modificationes effectus causæ vniuersalis à particularibus non pertinet ad Esse, sed ad Nonesse, per quod est sic & nunc, & non aliter, & alibi, & aliàs. Et ideo error & culpa est particularis causæ, quoniam in modificatione erratur, non in effectione vniuersali, qua Deus ad bonum omnia agit & mouet.

PROPONVNTVR QVÆSTIONES plures de Agentibus, & Actionibus.

ARTIC. III.

QVÆRITVR autem, si agens & patiens oportet esse simul, & se se tangere .2. Et an agens semper repatiatur, quorum vtrumque Democritus affirmat. 3. Et an agens agat impellendo passum vi: vt placet Epicureis. 4. An intrudendo aliquid in passum per meatus, sicut placet Empedocli. 5. An vero per diffusionem sui in aliud, sicuti nobis videbatur: nunc autem dubitamus. Etenim nec magnes tangit ferrum quod mouet, etiam interposito pariete. Nec effundit aliquid in ferrum tam virtuosè, vt etiam parietem absque impedimento transiliat. Neque per validitatem intrudit se in ferrum, sicuti Empedocli placet. Neque graue imprimit aliquid in manu, quam deorsum aggrauat, nihil communicando. 6. Quæritur etiam, an Actio & Passio sint inter se cōtraria. Non enim agit calor in lineam, sed in frigus, quod sibi similius est, quam linea. Rursus, quia agens assimilat sibi passum, assimilare autem calor sibi frigus non potest: ergo non agit in frigus, sed in aliquid tertium. 5. In materiam, vel in lineam, vel in aliud. 7. Præterea, quæritur an ignobilius agat in nobilius. Videmus enim obiecta sentientis animæ vilissima agere in sensum. Imò & intellectum (inquit Augustinus) prætereaque vilesceret (ait Aristot.) Deus si inferiora respiceret. 8. Item, an actio sit apparentia quædam, nascens non ex agentis potestate, sed ex congressu agentis cum patiente, sicuti dicebat Protagoras, omnibus esse vera ea, quæ apparent sensibus: quoniam actio fit ex congressu obiecti cum sensu, in quo obiecto nulla est talis vis, sed si ex tali congressu. 9. Præterea, an ea, quæ agunt in sensuum sint actiua secundum naturam, an secundum apparentiam: I'é, quot sint primæ effectiuæ causæ rerum, & modificationum, & accidentium. His enim definitis sufficienter de actiua causa loquuti videbimur.

DE EFFECTIVA CAVSATIONE PHYSICA distincta in Materialem, Effectiuam, & Transnaturalem.

CAP. V. ART. IV.

TRIPLICEM esse causationem Effectiuæ causæ, inuenimus in Physiologicis quæst. alteram Materialem, alteram Actiuam, tertiam Metaphysicalem: quam Hippocrates vocat diuinam.

Prima fit mistione, seu intrusione, & impulsione, & cum diminutione plerumque agentis. Quemadmodum cum humidum agit in siccum, & è contra, & graue grauat deorsum. Quod non faciunt effundendo extra se propriam similitudinem, communicandoque illam passo, per sui amplificationem: sed cum miscentur seipsis, tegunt passi formam, & teguntur, nihil immutando per conuersionem alterius in se, nisi per vim actiuam, si quando habent illam sibi vnitam. Sic aqua mista terræ, terram humectat, mollificatque, non conuertendo terram in aquam, sed compenetrando terram, & terræ siccitatem abscondendo sub sua humiditate. Quemadmodum è contra, terræ ariditas aquæ humiditatem temperat, tegitque ex parte: sicque fit mistio neutro alterum in sui naturam conuertente: & hac ratione agit omne siccum seipsum communicando idem, non amplificando alterum numero. Similiter & humidum, & omnis passio materialis declaranda. Spina quoque, & lancea pungit non agendo, sed se intrudendo, aliena, non propria vi. Similiter sigillum dū ceram signat. Graue etiam dum deorsum vadit si quid impediat, aggrauat illud, non faciendo illud graue, sed sua mistione quorsum ipsum vadit, deprimendo non ex intentione. At, nec qui remouet prohibens, dat graui grauitatem, sed tollit incommoditatem, & pertinet ad conditionem causandi, non ad causationem.

Causatio vero actiua est, cum agens effundit propriam similitudinem in passum, aliudque numero Ens facit, transmutando passum: sic ignis generat ignem, & calor calorem, & frigus frigora, sese in alienum effundendo subiectum, ac multiplicando. Hæc enim est causæ agentis veræ virtus, seipsam, videlicet, amplificare, multiplicare, augereque numero. Et hoc proprium actiuarum causarum, quæ sunt calor & frigus. Materialia enim & quanta, additione crescunt, & subtractione minuuntur: actiua vero intensione ac multiplicatione sui augentur, & remissione minuuntur.

Datur & actio ex his mista: qualem faciunt pulueres, & liquores in pharmacorum mistione, & in corpore nostro applicata. Namque ex materiæ vi obstruunt, solidant, exsiccant, humectant, ex vi caloris alterant, calefaciunt, & confortant. Est etiam vbi infrigidant per accidens: quod faciunt, vel aperiendo viam calori inflammanti, vt exhalet, vel expandendo calorem vnitum in membro inflammato in sui ipsorum admistam materiam minus calidam, ac proinde minuendo, vt cicorea, cum iecur dicitur refrigerare, vel quia minus calidum apparet

robustiori calido frigidum, sicuti manus Medici ægroto febrienti: quod ratione expãsionis etiam fit. De quibus modis diximus abũde in in lib. 5. Medic.

Causatio Metaphysica est quando aliquid agit non quatenus elementum, aut elementatum Physicum, sed vi primalitatum: id, quod Medicis occultum fuit. Adhuc enim quæritur quomodo venenum, & pestis occidit. Non enim quia calidũ, quandoquidẽ piper calidius nõ occidit: neque quia frigidum, cum nix frigidior, nec occidat: nec quia siccum, cum siccior lapis pumex, nec occidat: neque quia humidum cum aqua, & aër humidiores, & oleum humidius, neque occidant. Similiter qua ratione magnes trahit ferrum, cum nulla ex qualitate Physica id efficiat. Aliquando respondet Hippoc. in his esse causam diuinam, id est, occultam: quam alij à cælo, alij ex temperamento accersunt. Sed profectò rabidi canis spuma vim habet vertendi hominem in caninum, & non à cælo, sed à vehementia morbi: & cancer totum consumit solidum, non ex qualitate elementati: neque cælesti. Rex quoque imperat omnibus non ex Physicis viribus, sed diuiniori ex ratione. Item calybs, & magnes attrahit ferrum: Rhabarbarũ choleram, caput viperæ vulneri inflictò à vipera appositum, attrahit ad se venenum. Quod quidem à sui natura habet, vt tantillum tumefaciat, occidatque hominem tam magnum, & tam cito. Lapis autem Bezoar contra venena omnia valet, nullis qualitatibus elementaribus fretus: aliique lapilli diuinas vires ostendunt: aguntque multi, nec tangendo: alij vero dum gestantur sicuti alectorius victoriam in hostes, & peonia contra epilepsiam, olea contra cucurbitas.

Quid dicemus ad hæc? Profectò fatendum, primalitates, & vires rerum actiuas, & corpulentiam, simul mistas esse in rerum corporearum naturis: atque actiones ab omnibus his prouenire, in vnam rem actis: verum quæ à materia magis, materiales dici, vt quæ siccum, & humidum, & graue, & acutum permista subsequuntur, & non multiplicantur de se. Quæ vero à viribus actiuis, eas diffusione dicimus, ac multiplicatione celebrari, vt dictum est. Quæ vero à primalitatibus magis, eas diuiniori modo edi: propterea enim canis rabidi non autem & sani spuma augetur, multiplicaturque in vulnere hominis vsque ad conuersionem spiritus humani in caninum, quod potestatiuum eius vehementia affectum: & à corpulentia iam penè spoliatum, aptum est se se multiplicare: quod non fecit spuma sani canis in vehementiam non sublimata. Vidimus etiam galli gallenacei calidi morsum efficere gallinaceum, & manus vt gallus alas, quatere, & vocẽ galli imitari. Similiter auri spiritus corpulẽtia spoliatus, vim accipit vertẽdi hydrargiriũ in aurũ. Et quidquid antipathia, & sympathia efficitur, virtute primalitatum fieri putandum: caput viperæ venenum sibi persimile, suumque allicit: rhabarbarum amarum, croceumq;, choleram amaram croceamq;: sena bilem atram, cui est similis, trahit in ventriculum: quam spiritus irritatus simul pellat deorsum.

Non autem agunt in similia, nisi attractione: non enim vipera occidit veneno viperam, sed attrahit ad se venenum. In opposita autem agunt pulsione, & afflictione. Sic cæpa fugat rosam, & oleum cucurbitas, & lupinum vitem.

At quæso cur trahit ferrum magnes: & non aurum? quoniam ferrum huic similius, aptumque in sua temperie, & primalitate huius attractionis. Manifestum est enim, quod vires actiuæ, & corpulentia indices sunt conformitatis primalitatum in sua consimilitudine: vnde plantæ, & fructus humani corporis membris, aut visceribus similes, conferunt illi membro, aut visceri: dissimiles vero nocent, etiam diuina actione, nedum Physica, sicut scripsimus in Magia & Medicina.

Primalitas longius extendit vires, quam actiuitas, & longius actiuitas, quam materialitas: imò nec materia agit, nisi impellente, aut cogente actiuitate: nec vis actiua, nisi primalitate præstante, ac mouente. Propthereaque primalitas vires suas exerit vehementiores, & procul magis à corpulentia spoliatur: proptereaque transpicui lapilli virtuosiores opacis, quoniam in illis materia deuicta est magis, & spiritus, & subtilitates, & quintæ essentiæ vocatæ recentioribus, quò magis secernuntur à materia, agunt magis. Certius tamen, ac vehementius in rem aptam pati, quemadmodum flores in apem, magnes in ferrum, venenum in hominem, non plantam. Nulla autem esset effusio contraria, primalitatum, nisi modificatio corpulentiæ, & actiuitatis, gradus oppositos per accidens in primalitatibus faceret. Claui ferrei super suberibus natantes cum se voluunt quisque ad positionem suæ originis, indicant, primalitates ex dictis causis sortiri oppositionem.

MODVM AGENDI DEMOCRATICVM, *& Empedoclæum, & Anaxagoræum, insufficientes esse, ac falsos, minus tamen, atque Aristotelicum.*

ARTICVLVS V.

RATIO autem agendi difficilis est inuentu. Quidquid autem dixerunt veteres, diminutum est: non enim videntur respexisse nisi ad vnum ex prædictis agendi modum. Democritus quidem sustulit causam agentem metaphysicam, & formalem: admisitque tantummodo materialem. Cumque non posset rationem reddere contrarietatis, & actionis, recurrit ad figuras varias, & ad vacuum, & plenum: posuitque corpuscula atoma omnia deorsum ferri: quædam vero minus grauia sursum extrudi. Igitur mutuò se collidunt, & quasi violenter agunt, casuque fit, vt nunc hoc, nunc illud constituant Ens.

Confutatio. Resp. 1.

At cum videamus, mirifico artificio sapienter, & non temerario casu res fieri propter fines certos, & certa lege, certisque ex seminibus, & non ex quibuslibet casualiter, remanet opinio eius indigna, cui credatur: cumque nos agamus propter finem, quod non faciunt atoma, ex quibus animam nostram componet: vtique aliquid diuinius supra corpora, & actiuum supra passibilitatem materiæ, Democrito agnoscendum erat.

2. Præterea esto, quod hoc atomum moueat hoc, quod tangit: (omnis enim actio democratica fit tangendo corporaliter) profectò modum non inueniet, quomodo anima cogitat ea, quæ sunt supra mundum per actum seu actionem cogitationis, quæ nulla tactione fit; & quomodo magnes trahat ferrum, moueatque interposito citam pariete.

3. Præterea demonstratum est in Physicis, non omnia corpora tendere deorsum quatenus suis sunt informata formis, atque viribus, sed quatenus corpora vnius systematis vniri omnia ad conseruationem illius systematis erga centrum, & maiora minorum facere extrusionem; immò videmus ignem in cuniculis bellicis accensum non modo sursum non extrudi à grauioribus, sed, vt ipse tendat sursum, omnia grauantia, & impedientia subuertere, nimirum arces, & montes, & quidquid obsistit. Hoc autem Democrito magis conuenit dicere suisque Epicureis, quippe quibus spatium vniuersale videtur infinitum, nullumque centrum, aut periphæriam secundum Naturam habere, sed prout casu Mundi hic, vel ibi nascuntur, sortiri centra, atque periphærias. Ergo & in spatio vbique posse cuiuscunque systematis centrum fieri: quod & Lucretius sperat Mundis morientibus, & renascentibus. Ergo non magis atoma huc ponderare, quam aliorsum. Quamobrem rationem dant nullam actionis & passionis atomorum inter se; multò autem minus earum, quæ fiunt propter finem; ac denique minimè diffusionis caloris, & frigoris, & sapientiæ, & amoris.

4. Quod præterea aiunt, dum hæc atoma in istarum concretionum atoma intrant, facere actionem, & passionem, & falsum, & insufficiens est. Intrando enim atoma replent tantum non conuertunt corpora in aliud corpus, nisi habeant vim sui multiplicatiuam, amplificatiuam, & generatiuam. Nihil ergo faceret ignis in ligno, nisi repletionem vacuitatum ligni, non autem conuersionem ligni in ignem; maximè autem cum vna fauilla syluas ingentes, innumerasque deuorat, inque ignis immutat Naturam; quod multa aqua penetrans multò tempore lignum non conuertit in aquam, ergo quia caret vi actiua, quæ inest igni.

5. Nec quia magis in porosum, quam in solidiusculum, fit actio, propterea nihil erit actio nisi introitus, & impulsus huius in hoc. Pori enim præstant commoditatem agendi tantum, interiusque, & facilius immutandi; non autem vim transmutandi, agendique, vt patet in ligno sicco poroso, & viridi pleno. Absentia quoque, ac distantissima in cogitantem agunt animam Epicureis nihil tangendo, nec simulachra hominis in America habitantis animam meam somniantem, & cogitantem illius, mouent, cum nec venire ad nos præsertim noctu per immensa itinera antequam dissoluatur Ens in aliud, queant.

Emp. sent. Empedocles etiam, qui actionem celebrat elementorum per intrusionem huius in hoc, eisdem premitur incommodis, excepto eo, quod qualitates actiuas elementis quatuor dat. nec ex commistura vel figuris atomorum eas nasci opinatur.

Reprobatio 1. Verumtamen cum in transmutabilia faciat inuicem elementa, nec ex terra aquam, aut ignem generet, omniaque faciat sola mistione; incidit in Democriti sententiam: non enim reddit causam, cur scintilla ignis totam syluam in ignem conuertit, sui profectò (vt video) amplificatione, non segregatione: quomodo enim poterat tantus ignis non transmutatus intra syluam latere, nec manifestari, syluamque incendere, sed indiguit scintilla vna, quæ liberet ipsum manifestetque, tantumque tantula de commistionis vinculis exoluat? Frustra 2. præterea in inuicem agerent elementa duce Natura sapientissima, si nulla spes esset conuertendi, vincendique, in inuicem, suumque Regnum amplificandi. Quod si adiguntur ab exterioribus causis, quemadmodum duo gladij duorum bellãtium, oportet, Deos elementis cuique suum assignare, qui litem, & amicitiam inter eos moueant, faciantque. Ergo nec casu, & necessitate materiæ res euenirent, vt Empedocles docet, sed deorum industria: quod tamen non affirmat, & Nos in 2. p. reprobabimus, quia Naturæ formas, & vires, propter cætera inconuenientia, amputat: Præterea nec modum agendi assignauit, sed conditiones, & commoditates.

Anax. op. Confut. 1. Anaxagoras, qui omnia, segregante primo Intellectu, & congregante, facit: inconuertibilitatem particularum specificarum cuiuscunque generis in homiomeria ponit; easdem patitur difficultates. non enim Mens segreget tantos ignes in sylua latentes, qui sanè debuissent ex seipsis prosilire, cùm longè plus de ipsorum Natura, quam de aliena, eos irretiente, præfuisse in sylua, ipsorum corruptio tanta declaret. 2. Præterea quid opus habebat intellectus scintilla ignis ad eliciendos hos ignes, nisi, & ipsa scintilla sui sensu, & amore per sui amplificationem hoc faciat? cum præsertim intellectus sit immistus, vt dominetur, ac potentissimus, vt dicit Anaxagoras, & voracior igne, vt dicit Alexander. 3. Præterea intellectus est cognoscere, voluntatis velle; potestatis autem posse, atque agere. Ergo quamuis poneret sensum Anaxagoras in omni re, vnde oritur sympathia & antipathia, veluti Nos scripsimus in lib. de Sensu Rerum, haud tamen intellectus imperio congregaret, & disgregaret res, ad nutum ipsum sentientes, nisi & potestas sit in intellectu ad agendum, nedum ad cognoscendum, & in rebus ad exequendum: potestas autem amplificatiua est, vt patet in igne. Diminutus ergo fuit Anaxagoras, quia solas Metaphysicas operationes considerauit, sicuti Democritus solas materiales, Empedocles verò medias, & materiales, sed posita inconuertibilitate suam positionem detruncat, Democraticamque facit. Rationes autem horum Philosophorum infra soluentur. & quidquid Arist. contra eos dixit, in quæst. Phys. examinatum est.

Arist. 1. Gen. & Cor. t. 44. & seq. Cum autem Arist. istorum sententias detestatus esset, nihil melius ipse adduxit ad faciendum agere & pati: siquidem prius supponit actionem, & passionem non fieri, nisi tangentibus se inuicem agente, ac passo: quorum videlicet (ait) extrema sunt simul, ergo habent situm, ergo locum, cuius est sursum, & deorsum: ergo sunt grauia, & leuia, & patibilia, & mouentia, ac mobilia. Sed sicuti datur mouens motum, & non motum, ita (ait) tangens tactum, & tangens non tactum, sicuti contristans non contristatus tangit non tactum. *T. 53.* Deinde (ait) quod proximum agens patitur tangendo, repariturque quia mouens est, motumque; sicuti pharmacum corpori applicatum ægrotanti: primum autem mouens, agensque immotum, & non patiens

est, vt Ars medicinæ, quæ pharmacum applicat: & ipsum alteratur: si quid autem abstractum est, illud erit agens, non repatiens.

Denique concludit Entium aliud esse in actu, aliud verò potentia; & illud agere, quia potentia actiuum; hoc pati, quia potentia passiuum. Indiuisibile autem, & non tangibile, pati non est aptum.

T. 77. Amplius ait, quia idem sit humidum, & congelatum, nulla facta compositione alicuius rei, & intrusione, vt putat Empedocles, neque transpositione, nec augmento, & diminutione, quod fieri oportebat, si Democriti ratio de actione esset vera; immò absque vlla mutatione, solum quia hoc pati, illud agere aptum est; consequens est, vt actio, passioque fiat, quia hoc actu, hoc potentia.

T. 82. Mox non contentus generare & corrumpere omnia per actionem, & passionem Arist. tractat de mistione, fierique omnia mistione putat cum Empedoc. quæ non est corruptio elementorum omnium, nec aliquorum, alioquin esset generatio non mistio: nec intrusio in frustula minutissima disgregatio, alioquin esset mistio nobis, sed non lynceo; nec coaceruatio, oportet enim, homiomerum esse mistum, ita quod sicuti omnis pars aquæ est aqua, ita omnis misti pars mista: quapropter concludit, esse elementa in misto potentia non actu, & mistionem esse elementorum alteratorum vnionem.

Cõfutatio 1. Nos autem in Physicis hæc omnia destruximus: si enim generat Arist. cum his, qui transmutant corpora: cur nunc miscet cum Empedocle non transmutante? contraria profectò sentit, & docet, vti Lactantius etiam adnotauit in illum.

2. Præterea ridiculum est dicere, actionem, & passionem fieri, quia hoc actu, illud potentia. Nihil enim aliud declarat, nisi quod hoc potest agere, illud pati: quod principij est petitio. Debebat enim nos docere, quare hoc potest agere illud vero pati: & quomodo agit, qua via & ratione. Emped. quidem, vt Democ. & Anax. aliquid, vt queunt, de hoc dicunt, Arist. autem dicit nihil, nisi, quia sic potest esse, illudens nobis quasi pueris.

3. Ratio etiam sua de humido, cum gelatur, & de gelato cum liquescit, absque partium intrusione, aut transpositione, aut mutatione, nulla est. Mutantur enim partes dum frigore coguntur, & calore disgregantur: manifestum est enim, quod si plusculum immoretur agens calor, non solum disgregat humorem gelatum, sed etiam in fumum agit perficiendo disgregationem. Ergo non quia hic actu, ille potentia. Sed quia frigus omnia immobilitat, quæ ad se trahit naturam, calor vero mouet: atque sic euenit, ille cogit, iste soluit particulas: quia vim sui diffusiuam habet, amplificatiuamque, vt a principio diximus. fieri gelu, & solui Democritus diceret intrusione frigoris, & caloris corporeorum: omnia enim corporea sunt Democraticis.

Præterea docendi eramus ab Arist. quomodo tangens non tangatur contristans, nec Medicina: & faciens aliquod non fiat, nec repatiatur. Ipse enim, quæ sunt alterius generis, & ordinis, in inuicem agere non vult: propterea que irridet Platonem, quod abstracto opifice & ideis ad transmutandam materiam, vtitur: quæ nimirum cum materialibus communicare nequeunt. Nunc autem agere & tangere non tacta fatetur: sed quomodo, non declarat. Exemplum enim eius est quod baculus motus mouet in 8. Physic. similiter, & brachium, sed quomodo anima, seipsam non mouens, moueat alia, nulla docuit ratione: similiter nec de Deo. In 12. tamen Metaphysic. cum docuisset, quod omne mouens transit de potentia ad actum: ideoque Deo nullam potentiam posuisset: statuit, Deum mouere, non infundendo vim motiuam sphæris, & Angelis, sed tanquam obiectum amatum. Etenim mouet amantes pulchra mulier ad sui amorem, & obseruatio fortiter, nihil ipsa sciens, aut volens, aut agens in nos. Sed profectò ridiculus est. Mulier enim & quidquid sensitiuis aut intellectui obiicitur, agit in cognoscentem animam, teste Arist. ipso in 3. & 2. de An. Ergo & desideratum obiectum aliquid influit. ea etiam, quæ non vidimus, saltem, fama narrante, in nos agunt: aut imaginante anima, quæ non sunt per ea, quæ sunt quando amamus: non Entia, quæ credimus esse Entia: formamus enim idolum, quo deinde afficimur. Anima enim mouet seipsam causaliter: ab obiectis verò mouetur occasionaliter. Propterea Arist. inueniendus erat modus agendi vltra materialem, quem deridet in Democrito & vltra formalem, quem quæsiuit, & non inuenit, alius insuper Metaphysicus: & disputandum erat, quomodo in sensum, & animam agunt obiecta: nam quidquid dixit in libris de anima, de principio specificante cognoscitiuum fuit, non de vna actione, quamquam ipse putauit animam fieri actu ab obiecto informante, vt intelligat, sentiatque, sicuti in primo libro & in 2. Par. huius voluminis, & in Phys. aperimus Præterea exempla data sibi repugnant. Non enim Medicina agit in pharmacum, sed Medicus in dogmate Arist. nisi vt quo. Nos autem dicimus, Medicinam esse scientiam cognoscitiui & concausam, potestatiuum vero agere vt causam: quod in medico est exequens, aut imperans.

Modus ergo agendi primalitatum adhuc occultus est, an fiat missione sui, vt materialitas, an multiplicatione, vt virtus actionerum, an meliori ratione: quod equidem credo: declarabitur autem, cum propositæ paulo ante quæstiones soluentur.

RESPONSIO AD QVÆSTIONES *Articuli tertij cap. 5. & primo ad primam. Vtrum agens & patiens oportet simul esse loco, & tempore, seque mutuò tangere, & de cæteris seriatim.*

ARTICVLVS VI.

SIGILLATIM ergo respondente ad propositas quæstiones: dicimus ad primam, oportere esse simul tempore, & loco, agentem patientemque causam: ac prætereà simul se tangere, ac misceri, quando est actio materialis. Quando vero formalis saltem per medium se se tangant. Actiua enim vis per medium amplificatur, vt solis lux per aërem vsque ad tellurem, quam immutat. Vtrum autem, non existente intermedio aëre, actio pertransiret difficile est dictu. Si enim corpus modò est caloris, lucisque subiectum, nescio qua ratione per vacuum spatium multiplicetur. Nulla enim via hoc doceri potest, nisi aër vacuum intercipiat, sitque raritas vacuitatis admistio, vt Democrito placet. Non enim lux transiiret per atoma sparsa. nisi esset corporea, neque tenebra, si Ens est. Metaphysicam vero actionem etiam per vacuum transire, affirmamus. Sunt enim in vacuo primalitates. Nullum autem agens agit, nisi id, perque id, quod communicat secum in materia, & generatione. Non enim linea patitur ab albedine. Manifestat autem magnetis vis transuecta murum, & noster intellectus, qui cælum transuolat intelligendo ita se habere. Oculus etiam ob symbolum, quod habet cum luce, suscipit lucem, & auris ob implantatum aërem sonos aëris externi.

Responsio ad secundam Quæstionem.

QVapropter ad 2. q. respondemus, actionem fieri, passionemque inter simillima, quãdo est materialis: graue enim facilius trahit deorsum graue quam leue, & humidum facilius agit in humidum, quam in siccum, cui parum se se miscet.

Quando vero formalis effusiuaque, similiter: facilius enim in lignum calore arefactum agit ignis, quam in viride minus deuictum. Sed tamen actio non fit, nisi præsit aliqua contrarietas. Quæ enim simillima sunt, in inuicem non agunt Actio enim fit ad conuertendum passum in agens, quod autem conuersum est, non amplius conuerti habet.

Sed quoniam non agit calor in lineam, sed in frigus, visum est Aristoteli, actionem inter ea, quæ conueniunt genere, differunt autem specie. Cum enim alterum in alterum verti non possit, neque enim calor fit frigus, sed calidum fit frigidum, consequens est, cũ mutua est actio, passioque repati, nõ autẽ cum passibile non est agens, quoniam est diuersi generis. Sic ergo Angelus & Deus agunt non repatiendo. Sed nec in contrarium. Vnde homo ex virtute primalitatum non modo agit in calidum, sed in frigidum, in lineam, in albedinem, in motum, in amicum, in hostem. Inepta autem sunt omnia passiua agere in actiua per se. Actiua vero nec in primalitates agunt, nisi per accidens & occasionaliter. Primalitates autem corporatæ non agunt in abstractas: nisi occasione, & symbolo: abstractæ agunt in omnia: & cõcretæ in multa etiam diuersa, vt homo: qui neque hoc facit suo calore, sic enim non nisi in frigidum: sed animæ potestatiuo, comitante cognoscitiuo, & volitiuo, ipsorumque instrumentis. Aliæ enim sunt in homine actiones materiales, aliæ actiuæ, aliæ primalitatum. Illæ enim vno modo se habent, nisi varientur à primalitatum virtute: ista mille modis potest, sapit, & vult, & ordinat suas & illas actiones. Porrò etiam scire licet quod agit agens in contrarium destruendo, & per accidens: in subiectum vero genus sese multiplicando, perficiendo, & suam donando similitudinem. Vnde agnoscemus contrarium penditiuè pati, materiam verò receptiuè. Ex his solutæ sunt quæstiones sex. quæ sequuntur sequenti sermone examinabuntur.

Quæstio nona de causa resistentiæ pro soluendis propositis.

SEd prius quærendum, an contrarium resistat agenti causæ, an vero materia. Videtur enim calefacienti resistere frigus: mouenti vero sursum, grauitas, quæ materialis est passio. Vnde etiam subrogamus: appetunt ne idem contrarium, & materiam resistens: necne? Cui facilè respondetur, omnem resistentiam per se esse à contrario, non quidem odiente contrarium per se, sed se ipsum amante, sibique illud volente bonum, quod contrarium vult, nempe subiectam regnare materiam: quam vt retineat oppositis donat affectionibus. Materia ergo resistit ex affectionibus illatis, non autem innatis: neque enim frigori, neque calori, neque motori vlli in sua ipsa posita entitate repugnaret, sed quia fit rara, densa, mollis per virtutes agentes, incommoda redditur oppositis agentium viribus. Est etiam, & ab ordine vniuersi repugnantia. Cum enim omnia seruentur vnitate, ac singulorum systematum singulæ particulæ vnionem affectent, centrum quoddam vnionis constituunt, ad illudque vndique concurrunt pro suæ tamen formationis, quæ proprium situm requirit, vi: idcirco cum omnia tendant, vel deorsum, vel sursum ad proprium situm, omne agens contra propensionem patientis inuenit resistentiam. Vnde in Physicis probauimus, quod extra mundum, suaque systemata, res seorsum positæ nullam habent, neque quietem, neque motum, neque propensionem, neque grauitatem, neque leuitatem, quæ sunt impetus amoris erga proprias vnitatis, sed à qualibet minima vi, & sisti, & moueri quorsumlibet possunt, ipsæque mundus totus trahi quorsumque vno capillo posset per immensum inane quantulacunque vi ferente.

Nam & nauis in aëre ponderosa, grauat nihil in aqua, ita quod detractis ferramentis, & figura secante aquas, ac vētis, capillo vno trahi non sursum, quia grauis densitate, nec deorsum, quia aëre implantato tenetur: sed ad latera quæuis posset cum nulla illorsum vis repugnet. Contra propensionem mouere est violentus semper motus.

An ignobile agat in nobile per se, vel per accidens.

AD reliquum quæstionis, verum esse fatemur, ignobiliora eiusdem ordinis agere in nobiliora: non autem alterius ordinis. at vniuersim ignobiliora nō agere in nobiliora, sed è cōtra. non igitur materia agit, quia nō est actiua tantū in qualitates actiuas, calorem nimirū frigusque: sed etiam quia inualidior. At calor, & frigus in ipsam calefaciendo, frigefaciendo, segregando, disgregando, ac proinde in humectando, & exiccando, ceterasq; qualitates materiales inducendo. Quod si quando agit materia, non se ipsa agit, sed impressæ qualitatis virtute. Similiter qualitates non agunt in primalitates, sed potius aguntur: potestas enim sapientia, & amor nullo pacto à calore & frigore, vel materia ad proprium mouentur actum, neque in aliquod Ens mutantur, sed potius à potestate habent, vt possint agere; sentire verò, appetereque à sapientia, & amore. A materia enim, non actiua, neque sciente, aut amante, quæ calor, & frigus operantur, nec habere qualitates possunt. Propterea que Platonici ab anima Mundi, non à materiæ qualitates deducunt. Rectè quidem si calor, & frigus essent modificationes materiæ, non autem Entia realia, realiterque agentia. Siquidem anima Mundi ex nihilo eas creare non potest; neque de propria substantia, alioquin ipsa calida esset, & frigida. Ergo à primo opifice, primo materiæ, & animarum conditore qualitates creatas esse, vique sese generandi multiplicandique donatas oportet.

Quæritur autem qua ratione fit, vt nimio calore æstuante, aut frigore stupescente anima, in delirium, aut stupiditaté abeat ipsa quoque Mens solis constituta primalitatibus. Nos quidem in Physicis dicebamus, quòd corpus per sanguinem spiritui, & sanguis per spiritum menti copulantur. Spiritus autem primalitates habet cum mente communes; corpulentiam, cum materia; calorem, & lucem cum elemento materiali communem habet, vt compositio cum omnibus stet. Materia ergo qualificata agit in materiam spiritus, & qualitates in qualitatem per se: per accidens verò in copulatas illis primalitates Mentis. vnde ad aliud posse, ad aliud sapere, & ad aliud velle feruntur.

Sed profectò dicet quis, si proprij spiritus qualitas, & corpulentia, primalitates ita aberrare facit: ergo & omnis corpulentia, & qualitas: Respōdeo, non virtute sua, sed primalitatum, quæ in qualitatibus, & corpulentia insunt virtute, in primalitates alias actionem vsque deferri. Ergo ne instrumentaliter, & non principaliter agent qualitates in primalitates? At hoc quomodo fieri potest, vt instrumentū pertingat ad id, quod non est sui generis, sed longè superioris non mutata Natura? sed hæc quęstio alteram quæstionem accersit. Qua nimirum ratione fieri potuerit, vt primalitates qualitatibus copulentur, & Mathematica, & numeri cum materia, & qualitatibus, & materia cum incorporeo spatio. reuertitur etiam quæstio, vtrum tanquam instrumentum Dei possit aliquid facere, quod per se non facit, sicuti ignem Theologi agere in animam, gehennæ adiudicatam, docent. Hoc autem nō vsq; in 3. partem derterminari poterit. nunc autem inquirendum est, quomodo obiecta agant in cognoscentem animam, & an realiter sint, veréque agant, sicuti nobis videtur, & quot sunt numero, & quam scientiam in nobis faciant, aut expergefaciant, aut specificant. Hic nota non posse corporalia agere in intellectū passiuum virtute agentis intellectus nobilitata, nisi agāt in agenté prius: vel agēs sit Deus, vt Theologi multi volunt: qui dant igni vim torquendi actiuam, vt infra vide 2. p. de Mund. 5.

OBIECTA NON PRÆBERE SCIENTIAM,

neque hanc scientiam, sentienti, & intelligenti animæ, sed excitare non ad sciendum, sed ad sciendum hoc, occasionaliter, & per accidens. Et calorem & frigus non esse apparentias rerum, sed res: veréque agere, quia actiua sunt: calefactionemque, & frigefactionem non esse scissionem, & densationem triangulorum intrusorum in patiens; sed effusionem caloris & frigoris: contra Democ. & Plat. & Anaximenem. ergo formalem, non materialem esse.

ARTIC. VII.

QVòd quidem obiecta cognoscitiui non præbeant cognitionem causaliter, sed occasionaliter, ex dictis in primo libro, & in Physicis, manifestum esse potest. Non enim lapis obiectus sensui, atque intellectui docet nos, quid sit lapis, neq; facit, nos scire, neque scire hoc, cum sit ipse stupidus, nedum longè nobis in sua notitia ignorantior: sed occasionem offert, vt sciamus hoc, non autem vt sciamus. neque enim mouet animam ad exercitium actus, sed ad specificationem actus. Immò neque mouet, nisi fortè materiam spiritus, cui primalitates insunt, quæ occasionem sciendi lapidem ex præcedenti arripit passione, non sua: fit tamen sua quatenus receptiuum corporeum vnitum est cum receptiuo potestatiui incorporeo. Sæpè etiam accidit vt contristemur ex his, quæ nolunt etiam nos contristari, atque timeamus, vbi non est timor, & gaudeamus, vnde non est occasio gaudendi, sed nos gaudendi occasionem accipimus. Ergo obiecta dant occasionem, quasi per accidens: Mens autem per se, deinde vitaliter operatur.

Art. 8. Calor & frigus non sunt.

Quærimus autem, si sensilia præstāt nobis occasionem sciendi, quia aguntin spiritū sentientē, vtrū verè agāt, & quomodo & quātarū scientiarū, & quomodo nos per ipsa acquirimus habitū. Si enim verum est, quod calor & frigus non sunt qualitates actiuæ per se, sed videntur tantum ita nobis, & quòd obiecta sensuū apparentia sunt, nō veritates, perperam nos in sensibus fundamenta scientiarum locauimus: ac falsò statuimus, dari actionē mediā inter materiale, & metaphysicalē: peribit etiā tota sciētia de Natura, quā in philosophia tradidimus, & quidquid Telesius & meliores Theologi docuerūt.

Videtur Democrito, suisq; asseclis, quidquid non est corpus, aut vacuū incorporeū, non esse Ens, sed vel figurā atomorum corporū, vel concretionē ex eis, vel euentum ex coexistētia concretionū. Igitur calor, & frigus cum non sint vacuum, nec plenum, erunt pleni figuræ, & relationes. Hoc etiam rationabiliter dicitur: quoniam ea tantum calefaciunt, quæ penetrant, lacerantque corpora. Hoc autem opus est acuminis: igitur ignis congeries aculeatorum videtur atomorū. Siquidem vrticæ, & piper, & quæcunq; nos tangentia, vrunt, penetratione id efficiunt. Nō ergo calor est actiua qualitas sui multiplicatiua: sed aculei corporei penetratiui, & diffusiui instar aquæ, non sese generātis, sed effundentis. manifestant hoc sapores, & odores, quiquo penetrātiores, eò calidiores. Findunt.n. lacerātq; acumine linguā, & spiritum odorantem. Prçterea rerū minutarum, minus sensui expositarū notitia, ex magnorum cōsimilium notitia capienda est. Corpora magna apud nos penetrant quò acutiora, vt spinæ, enses, claui, lanceæ. Pythagoras videtur his fauisse quandoquidē pyramidalem figurā dedit igni. Plato etiā in Timeo, terrā componit ex superficiebus: superficies ex quadratis, quadrata minuta ex triangulis, dico latera æqualia habentib. isoscelib. vocatis. Propter eaq; cubicam terræ cōuenire sex facierum figurā, nec penetratiuā, sed penetrabilem à cæteris elementis tribus, videlicet aqua, aëre, & igne; quæ tria componit ex superficiebus compositis ex triangulis scalenis in sodiliditatem actis. Siquidem ignis pyramidalem figurā ex triangulis quatuor ęquilaterib. quorū quilibet ex triangulis sex scalenis componitur. Igitur ex paucitate basium, & triangulorū, item ex acutie suscipit ignis leuitatem, & penetrandi vim. Aërem verò, qui proximus est igni in acumine, & leuitate, figura donat octodra, id est octofacierum, ac triangulorū octo rectorum, quorum quilibet ex sex triangulis scalenis similiter cōstat. Propter eaq; ex aëris parte vna fiunt duæ ignis in dissolutione, atq; aër duplo minus leuis, minusq; acutus. Aquā tandem figura donat Icosaedra hoc est viginti facierum, qui viginti æquilateri, quorum quilibet in sex partitur scalenos: propter eaque ex duabus partibus aquæ cum dimidia fit vna aëris inconflictu elementorum.

Terra autē in hæc elementa non inuertitur, licet in aërem & aquā minutim dispergatur, quoniā non cōstat ex scalenis, sed isoscelib. in inuicē non mutabilib. transmutantur autē in inuicē cætera tria, quia ex eisdē sunt triāgulis, vt facilè in inuicē trāsferātur.

Ex his Platonis decretis apertè constat, nihil esse illi calorem, & frigus nisi triangulorum acumen, & obtusitatem: quemadmodū Democrito videbatur.

Quod si Platonici contendunt, hanc esse materiei elementorum compositionem, non autem excludi actiuas qualitates, quas ab anima Mundi nō à corporib. accersiunt, ab ipso Platone condemnantur: qui nimirū acumini triangulorum dat calorē: neq; aliud esse calefacere, quā scindere, penetrareq; frigefacere verò huius oppositū. Eius propterea verba audiamus. *In primis (ait) qua actione ignis calidus dicitur, videamus: quod ita demum perspiciemus si discutionē diuisionemque ab eo factā in nostro corpore consideremus. Quod enim acumen quoddā ea passio est, fermè est omnib. manifestum. Tenuitatē verò angulorū, laterumque subtilitatem, paruitatē particularū, motus velocitatem, quibus omnib. vehemens, & penetrans est, velociterque occurrit, diuidit semper, & dissipat, considerare debemus figuræ ipsius generationem memoria repetens. Ea quippe non alia Natura corpora nostra diuidens, & exiguas in partes partiens, meritò passionē illam, quæ legitimè calor nominatur, inducit. Cōtraria verò huic passio, licet cuique manifesta, sua tamē explanatione non careat: Humidæ namque partes corporum partib. nostris humidis grandiores, cum in corpus influunt nostrum, minores quidem partes extrudunt, sed in earum sedes sese insinuare non possunt, humorē autē nostrum coagulant: atque ex inæquali, & agitato immobilem propter æqualitatem coagulumque faciūt, inque angustum cogunt. Quod autem præter naturam coactum est, secūdum naturam renititur, seque reuocat in contrarium. In hac reluctatione quassationéque tremor, rigorque consistit, omnisque huiusmodi passio, frigus, quodve eam infert, frigidum nominatur.* Hæc Plato. quibus ex verbis nemo aliud intelliget, nisi calorem & frigus esse passiones, nobis ab elementis illatas per accidens, non per sui diffusionē. illāq; esse ab aculeis triangulorū penetratione dissoluēte in minutias penetrata corpora. hanc verò triangulorum crassitiem indere, dum cogit humidū nostrū in angustum, cuius locum non replent: ac proinde repercussionem coacti humoris ad suā regredi sedē contendentis. hincq; fieri frigus, & tremorem: & quod infert passionem talem dici frigidum, quod tamen non est, sed dicitur. Sic ignis calidus dicitur ex acumine cum calor non sit actiua vis, sed acumen. Idem dixit Anaximenes, calorem vocans disgregationem: frigus verò densationem: quoniam hianti ore eodem calorem emittimus; stricto verò statim frigus.

Reprobatio 1. At profectò nō rectè videntur de calore sentire, quod sit passio ex obiecti, & sensus tactus congressione facta; neq; sit ex parte rei, nisi acumē. si enim sic se habet, tunc queadmodū calor est acumen, ita & frigus erit rotunditas: cōtrarias.n. passiones inducunt. Inter figuras autem angulus acutus circa passiones inferēdas obtusæ opponitur rotunditati. Democ. tamē ignē ex acutis, & rotūdis facit atomis.

2. Mirum præterea quomodo Plato penetrationis ignis passionem facit calorem, nec tamen non penetrantis figuræ facit passionem frigus.

3. Præterea reluctatio coagulati ab externo humore nostri humoris nō fieret frigus, nisi ab humorib. liquidisq; reb. nō penetrantib. sed extrinsecus agētibus. & quidē videmus, non esse adeò sæuum aquę frigus, quātopere sæuit in nos frigus borealis flatus & aëris sereni, nō humidis vaporibus obsiti: Quod sanè penetrat vsque ad viscera, nec obsistit modo forinsecus.

Præterea solus metus facit frigus in nobis discedente calore ad interiora nullo externo humido cogente. Ergo frigus non est passio ab humido.

Hæc tamen ratio probat etiā, frigus Ens nō esse, sed passionem, licet non qualiter Platoni ponitur.

Fauetq; illis, qui priuationem puram faciunt frigus. Nos autem ex eo, quod frigus operatur condẽsando, & frigefaciendo, & se concentrando, & persequendo calorem, & extinguendo, probauimus in Physicis esse Ens actiuũ. Neq; enim agit, nec fugit, nec se cõcentrat, quod nihilum est. ostendimus etiã absentiam caloris facere sensum frigoris in corpore nostro quãuis Hipp. à pituita frigida insequente faciat frigus in palpitationib. & tremorib. morbificis: Galenusque cõtestetur. Tamen experientia admonet fugiente spiritu calido morsum flauæ bilis calidæ amaræque, sensum frigoris subsequi. quoniã omnis defectus caloris sic apparet. Et Medici enim manus febrienti apparet frigida, & tepens aqua feruenti iniecta remittit feruorem. Sed ex hoc sequitur quod aliquando frigus non sit res aliqua, sed passio. Quis autem nos certos reddet non semper esse passionem, quemadmodũ Platoni videtur?

Profectò videmus in tota Natura, caloré suas vires amplificare, calefacere, attenuare, moueréq; occupata corpora: frigus è contra se quoque amplificare, attamen incrassare, immobilitaréque, quę corripit, opera caloris: & nubes sanè, & aquas, & liquores oẽs glaciare. hoc a. fieri non potest ex solo caloris abscessu, vt Plato videtur docere: & Arist. ab eo in 4. Met. sed si calor abscedit, ergo res aliquã est, & non sola acuties angulorum.

Prætereà anguli non generant angulos, neque spherę spheras cũ materiales sint figuræ non actiuę. at calor colorem generat, & frigus frigus, amplificantque se absque termino: res ergo actiuæ sunt.

Prætereà sequeretur, quod calor in rebus tenuib. esset robustior, frigus verò in crassis. Nihilominus videmus etiã in ferro ignito, calorem esse fortiorẽ ad agendã: frigus verò in tenuissimo boreali vento; igitur actio eorũ non est ab acumine, & obtusitate, sed à vi diffusiua, & actiuitate multiplicatiua sui.

Prætereà calor vnitus syluas accendit, vertitq; in ignem. aculei autem hoc facere non possunt cũ sint quantitatis termini nõ actiuæ, nec conuertiuę alius in se. Ergo solum replerent vacuitates lignorum aculei ignis, non a. forarent, disrumperent, accẽderent, & in ignem verterent, nisi vim actiuissimã, & sui diffusiuam, & multiplicatiuam: & victricem cõuersiuam aliorum in se.

Præterea in cuniculis accensus calor adeò efferatur, vt montes, & ædificia ingentia diruat, nullisq; machinis cohiberi potest, quin euolet potentissimus ad cognata corpora. Ergo actiuus est ex potestate, & non passio nostri sensus ex obiecto acuto. Similiter frigus gelat aquas, tellurem aquosam siccam facit longè magis ac calor. occidit calorem, & animalia in statuas duras cõuertit. Hoc a. est facere illius, & nõ nostri sensus solummodo passio ex eius obtusitate. imo penetrando etiam operatur.

Item nostris modo sensibus calor esset calor, quib. est passio: at in tota Natura est calor calefaciens, igniens, attenuans, mouens: frigus verò infrigidãs, stringens, immobilitans. Item sapor mellis est nobis dulcis sed non capræ, & fætor non est cani, qui nobis est: quoniam istæ qualitates sunt ex congressu sensus talis cum tali sensibili: & sicut quod nos titillat non habet naturam titillantem in omnibus, sed in nobis & in aliqua parte nostri. At calor & frigus idem faciunt in nobis, & in brutis, & in plantis, & in toto mundo. Ergo sunt res verè faciẽtis, & non tantũ sic apparentes. Res est omnium: Apparentia aliquorum & aliquibus.

Præterea falsum est, quod caloris actio sit diuisio, frigoris vero coactio. Hæc enim non per se sunt, licet propter se, sed caloris est ignitio, calefactioq; frigoris verò frigefactio. Hæ autem passiones scil. attenuatio, & constrictio sequuntur calefactionẽ, & frigefactionem, tanquam dispositiones subiectę molis, à calore, & frigore regnatæ.

Præterea non minus forsan frigus penetraret occupata corpora, quam calor. Ergo frigus calefaceret, si penetratio est passio, vocata calor; vnde Virg. ait, *penetrabile frigus adurit.*

Item nullo modo in aculeato aëre reperiretur frigus, nec in aqua forsan: horum enim omnium sunt ijdem trianguli scaleni differentes sola pluralitate ab igne.

Præterea minor ignis vehementior esset maiori cui trianguli pauciores, si propterea ignis acutior, vehementiorque est aëre, quod iste octo, ille quatuor obtinuere facies ex scalenis constitutas.

Item si calor esset aculeorum cõgeries tunc ignis communicatus deficeret, atque etiam sol continuò minueretur: cuius contrarium experimur. ignis enim non deficit, sed seipsum multiplicat quaque versus, non sursum modò, sed & deorsum, deuorans suppositos cibos, ligna, fumos, & ceras, & olea. Et non tendit sursum extrusus à grauioribus; sic enim numquam candelã consumeret deorsum, sese effundendo: nec euerteret arces sponte vt exeat sursum, cum pondus arcis ipsum non expellat.

Præterea hoc notandum est, quod sicut materia non agit per se, sed per qualitates actiuas, id est, calorem & frigus, sic neque vires actiuæ nisi per Primalitates, & ideo magnes trahit ferrum etiam post parietem locatum. Et aqua chimica ex corrosiuis à lumine sale & vitriolo, &c. educta, nõ dissoluit cerã & sebum, & vasa terrea, & lignum: & tamen metalla dissoluit calefacit ignit mirifica iræ quasi ostensione. & tamen sunt minus porosa, præsertim aurum, & minus penetrabilia. Ergo non penetratio angulorum, quæ magis fit in ligno & cera, sed inimicitia ex primalitatibus hoc præstat, etiam fulminoso igni qui metalla liquefacit, & in tenuitatem vertit, & non cortices, & vaginas.

Ad rationes Democriti, & Platonis facilis est responsio, quod calor non quà triangulatus penetrat, sed qua potestatiui particeps magis. Nec eius esse opus per se, nisi calefacere. at verò attenuare propter se vt in ignem, proprium nempe in subiectũ, conuertat occupatam molem. Omnis a. operatio propter se, præsupponit operationem per se, sicut per accidens propter se. Frigus quoq; dicimus penetrare, & quidem constringere, quo in tellurem, suum nempe subiectũ omnia cõuertat. Quod facit tanquã instrumentũ opificis rerũ ad conseruationẽ primorũ corporũ, ac generationẽ secundorũ per se a. frigefacere. Cõcedimus acutiores esse calidiores, propterea calor erit acumen, sed acuminis causa. Pythagoras & Plato locuti sunt ad doctrinã enucleandam, non ad dogma statuendum. Quod si fecerint, non rectè factum, confitemur. Cum autem dicũt, vrticas & acuminata calorẽ facere. nego equidem ex vi acuminis, sed caloris immisti. Præterea excitatur calor læsione & succurrens vulneri, ibi sui facit augmentũ. Sic etiam à niue tacta incalescimus queadmodũ in Phys. demõst. Nec cineris aculei in filo gossipino madefacti impacti ossum secarẽt, nisi tracti & impulsi: per se. n. non agunt, sed per qualitates, sicut qualitates per primalitates.

R. ad Plat.

De passionibus ergo materialibus nempe duro, molli, sicco, humido, & cæteris, quæ rarefactionem, & condensationem materiæ sequuntur, concedimus, quod diffusiuam vim non habent, neque agunt, nisi per accidens, sicut & acumen, & obtusitas. Quod Philosophis priscis suadere debuisset, calorem, & frigus melioris esse conditionis, quippe qui sese amplificando, & non modo sui mistione, agunt materialiter, sicut in Phys. comprobatum est. Ex non frigore, & nō calore, fieri frigus, & calorem ab aliquo Ente, excepto Deo, impossibile prorsus est, quoniam materiæ pars non sunt. at ex non acutis, nec mollibus fieri mollia, acutaque, quoniam materia vertibilis est, hæque sunt eius terminationes, quotidie experimur. Quomodo autem ex lapidibus contusis non generatur calor, sed excitatur, nec à nitro frigus in vino fiat, sed præ inexistens concentratum augetur seipso ob vim diffusiuam sui potestatiui, dictū est in Physicis abūde.

Aristot. meliusculè quidem de calore & frigore sentit. Qualitates enim actiuas vocat, speciesque elementorum, à quibus fit humectatio, exiccatio, copulatio, segregatio, cæteræque passiones, vt ait in 4. Meteor. licet contra proprium dogma, qui duo posuerat actiua principia in Physicorum primo cum Parmenide, nunc in 2. de Gen. accipiens ab Ocello quatuor elementa, dederit humiditati & siccitati actiuam vim: inepte quidem cum nō sint hæc aliud, quam expansio, constrictioque materię. Tandem de calore, & frigore non certam protulit definitionem. Inquit enim, *Calor est, qui disgregat & herogenea, & congregat homogenea, frigus autem, quod vtraque congregat.* Sed profectò verba hæc Naturam caloris non declarant, nec frigoris à priori, sed ab effectu, non per se, sed per aliud. Non enim caloris est disgregare, sed calefacere: nec frigoris congregare, sed frigefacere. Declarandum autem erat, quid sit calefacere; non enim ipse Platoni consentit Democritoque, quod fit disgregatio per aculeos. Item & quomodo fiat. Similiter & de frigore. Præterea & quod dixit falsum est. etenim caloris est omnia disgregare, sicuti frigoris omnia cogere. Per accidens autem fit, vt cum in rem dissimilarem agit, partes minus repugnantes in se conuertat, eleuetque; quibus spoliatæ repugnantes, terrestresque vniantur ad sui conseruationem, & indurescant. Manifestum est enim, quòd & repugnantes auctus calor in fornace colliquat, attenuatque omnes, vt probatum est in Physic.

De Gen. & Cor. 2. T. 8.

Quapropter dicimus, calorem & frigus non esse passiones materiæ, vt dictum est à veteribus, sed actiuas virtutes genitas ab actiuissimo rerum conditore, incorporeas, suique diffusiuas, & multiplicatiuas ad rerum generationes, & formationes tanquam organa opificis seruientes; sui verò gratia, solum suam similitudinē efficientes: necessitate autem, fato, & harmonia cogi, vt quæ non intelligunt secunda Entia affabrè elaborata efficiant: dum ille molem occupatam attenuare, & mouere, suique Regnum facere, istud verò suum constringendo, immobilitandoque, prout in Phys. dicebamus. Omnes autem actiuas rerum vires, quæ à primalitatibus solis non sunt, horum esse participium, asserimus: has autem primas.

DE ESSENTIA, ET NOTIONE ET *numero saporum secundum veritatem, & confutantur Platonis, & Democriti, & Arist. sententię. Deque horum vsu in scientijs.*

ARTIC. VIII.

Quapropter sapor est ipsemet calor attemperatus secundorū Entium materiei, cum qua subiens linguæ poros, sentienti spiritui suæ actiuitatis mensuram, & materiei qualificationem cognoscēdam prębet. Manifestè enim sapor agit: actio autem secundorum est à primis actiuis. Diximus etiam, omnes gradus elementati caloris sapores esse: non tamen omnib. eosdem, sed alios aliis pro linguarū structura, admittente aliter alibi sapidū obiectum ad sentientem animam. Ideoque quod nobis est dulce, non est capræ similiter dulce, nec arbori: sicuti quod magnum est formicæ, paruum est nobis: hoc autem considerare sapientiæ est: quæ ex illata passione, de agente obiecto iudicat non passiuè, nec actione, sed actu: vt dicebamus. est enim homo suæ scientiæ mensura per sensum: aliorum verò per considerationem.

Hinc quis gradus caloris, quæuè materię dispositio inest obiecto saporoso ex actionibus iam dictis mēsurat Mens. Quæcunq; sentit calida esse per rationē, in nostro autem tactu, ac gustu nec calorē liberū, nec irretitum, qualis in sapore, imprimūt, sed non calida, nec saporosa apparent, ea nostro calore nostrâq; temperatura minorē calorē stupidioremq; temperiē sortita esse, iudicat. Deinde quæ insipidum obtinent gustū nobis æquè calida dicit: quoniā à simili non patitur vllum Ens. sic & cum tangit æquè calida, accidit. Post hoc sequitur stipticus sapor, qui linguam stringit quasi panno, non quidem calore, sed molis indigestę atomis obtusis. quemadmodum cum pomū à principio digeri per solē cæperit: inest & quædam amarities si & calor multus comitatur crassitiem qua constipantur pori. Cum autē coctus fuerit iste sapor magis, tunc fit ponticus, qui solet pungere linguam, quales sunt fructus acerbi cuius partes à calore incipiunt acuminari. Post hunc subsequitur acidus multiplex. acetosus enim est in aceto, & acer in arangiorum & limonum medulla, & ardens in cæpa; prout calor multus vnitior, aut rarior, & partes magis, minusque acuminatę fuerint. Sapor enim non est purus calor, sed calor cum propria mole agens. Sequitur dulcis, cum videlicet acuties, elabente calore, cæperit ex parte exhalare: hic blandè linguam subit, emollit duritiem, humiditatem minuit, calefacit suauiter. Multiformisque est. alia enim dulcedo mellis calidior; alia mannæ solutior, alia pineorum, & ouorū, & carnis, & sacchari: De quibus diximus in lib. 5. Medic. prout partes fiūt materię acutiores, & minus acutæ, & calor, maior minorque, & materia laxior,

densiorque. Dulce concalefactum magis dum exhalat tenuitas blanda, amarescit, remanente crassiuscula parte cum calore vnitiori, sicuti patet cum carnes assantur vsque ad vstionem, & cum appia mala fracescunt: & saccharum epotum bilescit. Et quidem ex tenui parte dulcedinis fit vnctuositas, qualis in oleo: ex crassa fit amarities, qualis in amurca. Non enim amarescunt nisi vrantur, & subsidant. Colocyntis tamen ex caloris vehementia, vt in bile. Hæc enim in crassitie vsta, propterea quod vnitior, amaritiem agit. Tandem ex amaris benè incoctis fiunt aromatici sapores, quorum alij ardent sicut in pipere, alij stiptici suaues sicut in mirto, cum blanda coctura solis dimittit amaritudinem: alij acres sicut in cynamomo, & gariophilis. & quidem aromatici sunt plurimi: ex varietate cocturæ, & materiei crassitie, & tenuitate, acutie, & obtusitate; & qui calidiores & corpulentiores, sunt stomachosiores, quales in rhabarbaro. Alios grad⁹ nos non agnoscimus quamuis innumerabiles sint, & alij quidem ad linguas aliorum animalium. Ex his tamen nobis materiæ qualitates, & caloris vires venari licet, & copiam & inopiam, vt in Medic. Ex crassatione combusta, liquefactaque, fiunt sales virtuosorum saporum, amaritiei vicinorum, sicut alibi probatum est.

Op. Dem. Negant Democratici caloris sui diffusitiui, vires in saporibus; arbitrantes fieri omnes ex figurarum ratione. angulosi enim discerpunt linguam, ac videntur austeri. alij replent crassitie affliguntque, vt amari. alij intrant facilè ex rotundis compositi atomis, vt dulces: alij minus crassi blandè intrantes suauitatem inducunt, alij acuminati secundum magis & minus.

Confut. Sed profectò non rectè, nec sufficienter. Amaritiem enim, & in adusta crassitie experimur, & in vehementi calido non crasso, qualis in colocyntida, & in flaua bile. Item saccarum dulce in bilem transit amaram, quod non fieret, nisi adderetur calor maior: atomorum enim figura in ea non mutatur, nec transpositio aliquid facit. Nam si mille modis in mortario saccarũ cõtundas, non mutabitur in amarum. Ergo noua qualitas actiua additur amarescẽti.

Præterea vitrum & lapilli contusi in aculeata atomia soluuntur, nec tamen saporis acuti, aut aromatici, aut salsi vim acquirunt. Sunt ergo figuræ atomorũ commodæ ad saporem, & partes eius ad agendum cum calore, non autẽ per se sapores absq; caloris vi. Patet etiam, quod amara bilis in aquas, & vina iniecta, & modicum salis, amaritiem, & salsedinem in multa aqua expandunt. Hoc autem non accideret, nisi ex concinnata temperie noua, noua qualitas esset sapor; sed .n. sparsa moles atomorũ aliũ accipit ordinẽ, & situm, & agendi vim.

Plato etiam in Timęo sapores passiones vocans similiter confutatur. Celebrat .n. omnes lenitate, & asperitate materiæ, venas à lingua in cor protensas afficientibus. Ex asperitate blanda facit austeros, ponticosque: ex maiori asperitate acerbos & acres, quales piperis, & cæparum. Item purgantia linguã, & quæ illi inhærescunt, plus iusto, amara iudicat, vt nitrum. Lenius autem nitro abstergentia, dicit salsa. Acuta dicit quæ ferue facta vicissim calore linguæ, in cerebrum ascendunt. Acidam qualitatem vocat, quæ tensionem in venulis facit, & bullas & ebullitiones. Dulcia vocat quæ humida sunt, leuiterque agunt in linguã restituendo illi propriã symmetriã, & asperitatẽ lenit, contracta relaxat, sparsa colligit.

Arist. autẽ in libro de sensu, & sensili cum confutasset Empedoclem, ponentẽ saporũ seminariũ in aqua, propterea quod à sole fructus arborũ absque vlla aqua in omnigenos mutantur sapores, & escæ coctæ similiter. Tandem docet, saporẽ esse passionem in humido factã à sicco, non igneo, sed terreo: sicuti & cũ lauantur in aqua res coloratę accipit aqua colores: sic cũ siccę, sapores: vt patet cum ex cinere colantur, & fontes multi sunt acidi, & salsi, & amari, & dulces ob idem. Item ait, oportet, siccum nutritiuũ esse saporis, quoniã sapor est gustus obiectum, qui sensus est nutrimenti: quod ex humido siccoq; constat. Nutrimur autẽ ex dulci; natura .n. attrahit in nobis sicuti ignis, & sol sursum, quod ex tenui, dulcique, relinquitq; salsum, & amarũ, quale est mare, & stercora, & vrina. Cæteri sapores miscẽtur ad condimentum, non ad nutrimentũ. Deinde oẽs sapores componit ex dulci, & amaro, quemadmodũ colores ex albo, & nigro extremis. amarũ sicco tribuit, dulce humido: cui cognatum facit pingue: sicuti amaro salsum, acrem, austerũ, acerbum, & acidum in medio ponit. Deinde reprobat Democritum, figuris vtentem in saporum doctrina.

Videtur quidẽ Plato in sententiã Democriti abire, quoniã ad asperũ, & lene, vnde Arist. siccum, & humidũ mutuatur, omnes refert sapores. qui sanè cum actiuę res sint, ad passiones materiæ reduci non debent, vt etiam optimè probauit Galenus, & nos in Phys. qq. si .n. agit tã mirificè in sensũ sapor, mirũ est quomodo sola figura videri potuit. Rationes contra Epicuriũ adductę, Democratcũ quoque Platonẽ cõuincũt. Singillatim autẽ eius verba examinari non est pręsentis operis. Hic .n. tantũmodo quid nobis annuncient sapores ad scientiã cõficiendam, inquirimus. Quomodo etiã ad cor non pertineat ipsorũ iudicium in Phy. qq. simul dictũ est. Rationes quoq; Arist. contra Democritũ ibidem confutatę sunt, quamquam insufficiens sit etiam huic negotio Democritus.

At Arist. sermo secũ pugnare ibidẽ visus est. si .n. sol facit saporẽs in fructib. & cocturis escarũ. ergo calor est saporis causa, & substãtia, non autẽ humor passus à sicco. Præterea quantũvis siccissimi lapidis & vitri in aquã ponas, etiam contriti, nunquã fiunt sapores, nisi accedat caloris coctura. Præterea falsũ est, quod à sicco amarities, & ab humido dulcedo. Etenim multa sicca dulcia sunt, vt sacchar ũ, & ossũ: multaque humida amarissima, vt mare, bilis flaua, succus absinthij. sunt alia insipida, vt siccus lapis. Præterea nullæ aquę ex terra colatæ, assumũt saporẽ, nisi illa terra fuerit à calore immutata, vt cinis, calx, nitrum, & alia multa. calor ergo dat saporem. Actiuitas etiã saporis, Galenũ, & Auerr. ab Arist. retraxit. humor .n. siccitásq; passiuę sunt qualitates. Nec extremos, esse dulcẽ, & amarũ, ibidẽ docuimus, quãdoquidẽ appia mala & mel dulcia, statim nullo gradu interposito in amaritiẽ trãseunt: similiter & saccarũ in febrientib. bilescit. Item nõ dulci nostro nutriri omne animal, omnemq; hominẽ, palàm est: quoniã amaris vescuntur reb. capræ, si nostrũ consulis palatũ; dulcib. si caprinũ. ergo dulce & amarũ sunt respectus, & nõ res, nisi cũ respectu. Manducãs præterea canis panẽ, sicut homo, alia excremẽta sequestrat, ergo aliis nutritur partib. Nã & stercus humanũ comedit gallina & porcus: ex coque trahit in sui substantiã id, quod nostrã in substantiã verti nõ potest. Alia ergo pars est dulcis, substãtialisq; nobis, & illis: vt videatur Arist. pueriliter philosophat⁹.

Galenus quidem calori tribuit rectius sapores: Sed cum acidum & ponticum frigori tribuit, in nostris quæst. cõfutatur. Acetũ enim ex vino calefacto fit, non frigefacto: ad austrum enim acescit, ad boream seruatur vinum. Item penetrat acor, & rumpit omnia: frigoris autem est constringere: flegma aceto penetratur, & inciditur: frigore condensatur, & vnitur. Ergo acor non est à frigore: frigefacit tamen per accidens dum calori viam exhalandi aperit, de quibus modis in Physicis quæstionibus, & in Medic. 5. abundè diximus.

Definitio saporis. Dicendum ergo, saporem esse caloris natiui elementati cum sua sibi attemperata mole agentis, actionem: non autem passionem indicemq; esse temperaturæ gradus, & caloris in elementatione. Nec esse saporem nisi nobis, & non vbique, sed in lingua, & prout excedit nostrum calorem, & texturam linguæ, efficere scientiam nobis, non autem cæteris brutis eandem, nec secundum naturam: & hoc intelligere homini datum angelico: cæteri enim sicut bruta iudicant res esse, prout nobis apparent, omnibus consimiliter etiam naturis.

DE ODORVM ESSENTIA, NOTIONE, *numero, secundum veritatem, & aliorum Philosophorum sententias.*

ARTICVLVS X.

SAPORIS analogum est odor, qui nimirum calor est cum tenui substantia, penetrare apta naris spongiam, & nervulos, spirituiq; proinde communicari. Vnde discernit, & caloris vires, & exhalationis simul dispositionem, & corporaturam, quemadmodum spiritus gustans ex sapore calorem, & substantiam crassam agnoscebat. Probauimus autem in quęst. Phys. odore nutriri spiritus; nec opus esse, si debent habere rationem nutrimenti, vt coquantur in ventriculo, aut vt excrementum habeant, sicut valdè imperitè opinatur Arist. contra Pythagoricos, quibus Ambrosius & Hipp. & Medici omnes, & experientia fauet. Idcirco enim coquũt, vt, dissoluta particularum tenacitate, ad membra singula deferri queant: &, quod ineptum est omnibus membris, sequestretur: vapor autem iam solutus est penè in spiritum, separatusque ab excrementitia parte, vt si non omnino, paruo tamen negotio separabilis à spiritu, inque spiritus substantiam vertibilis. *De sensu & sensibilibus cap. 5.*

Quapropter cum Arist. putat, duo genera esse odorum, alterum nutritiuæ rei, alterum non nutritiuæ: & illud cunctis animalibus perceptibilem, hoc vero non nisi homini ad cerebri frigiditatem, qua præ cæteris abundat, temperandam: omnis solertiæ videtur expers: omnis enim odor est ad nutrimentum, vel ad discernendum vtrum sit aptum nutritioni obuium Ens, tam spiritus, quam reliqui corporis: ergo an fugiendum, an ne sectandum. Omnisque odor percipitur ab animalibus pro sua rata. Canes enim & equi odorem belluarum sentiunt, & insidiarum humanarum: & fætores auerni, & cadauerum, & rerum, quibus non vescuntur. Sed quoniam alij sunt aliis odores, intelligere ex hoc debebat Arist. odorem non esse rem cunctis eandem absolute: sed rem cum respectu: & quoniam aliquorum tenuitas est spiritui idonea nutriendo, placet ipsarum odor, non autem crassa portio: quoniam inepta est, vt patet de multis, quorum odoribus fruimur, non autem saporibus: facilius enim nobis odor conformatur, quam crassities, vt in lilio experimur; quando videlicet odor tenuis adeo est, & blandè calidus, vt nequeat spiritum vincere, sed vinci: proptereaque non omnes odores sunt saporibus correspondentes: etsi enim datur sapor ponticus, & acidus, & dulcis & amarus, & salsus & aromaticus multiplex: atque odores cõsimiles his omnino, & sapores stomachosi, qui correspondent fætoribus, sæpè tamen contingit, vt non ex toto correspondeant. Non enim libenter lilio, & genistæ floribus vescimur, sicuti libenter odoramur.

Putamus autem, odores nequaquam esse atomorum figuras, defluentium ex corporibus, ac nares penetrantium, sicuti placet Democraticis: res enim actiua odor est non passiua, suique diffusiua, vt multis experimentis docemur. Nec, nisi calore deferente, posse odorari, incensationes, & agitationes atomatum, & putrefactiones exhalantes odoriferæ admonent: gelationes vero, & immobilitas, & quæcunque obstruens exhalationi vias, odorationem impedientes.

Arist. opp. Arist. autem hæc minimè contemplatus, statim prodit, odores esse sapidæ siccitatis abstersiones, & lotiones. Abstergere autem est humidi, idcircoque, aëris & aquæ tanquam humidorum esse odores: non tamen esse exhalationes, quandoquidem pisces odorem sentiunt absque vapore in aquis: ergo quid simile est loturæ carnis, & coloratarum rerum in aqua, & in aëre; quod vocatur odor. Quod non fit vapor, nec exhalatio: fumidus enim vapor non potest in aqua fieri, vbi pisces odorantur: at neque exhalatio: ille enim ex aqua calefacta, ista ex terra, & aqua fiunt. Præterea elementa, videlicet ignis, aër, aqua, & tellus, odorabilia non sunt, quia non saporabilia, nec lapides propter eandem causam, neque aurum: quæ autem saporabilia sunt, sunt etiam odorabilia, vt mare, & ferrum, & æs, & argentum, & ligna. Ergo vbi sapor, qui est passio humidi à sicco & lotura quædam, ibi etiam (inquit) & odor.

Confutatio. Verumtamen ad pauca respexisse videtur. Res enim odoriferæ sunt quæcunque vaporem, aut exhalationem emittunt, aut sunt exhalationi persimiles: ita quod ipse aër odor est. Haud tamen omnium odor est nobis perceptibilis, vel quia est innatus, adnatusque nobis: vt odor nostræ carnis, & ossis, quorum nec sensus esse videtur: tangunt enim viscera membranas & neruos, & se inuicem, non tamen hunc sensum callemus, videturque se inuicem non sentire, nisi cum aliquid extraneum immittitur, aut à symmetria sua viscus remouet: Similiter qui carce-

res intrant à principio fœtores graues sentiunt abominanturque, cum autem assueuerint, eosdem non amplius sentiunt: facta est enim cognatio inter spiritum & infectum aërem. Sic etiam dicebamus, quod abdita notitia non illata se se, anima sentit, vt sedem, quam inhabitat. Quapropter nimis imperitè Arist. elementis negat odorem: præsertim aëri, qui ipse odor videtur. Cuius etiam motum Arist. confessus, ac sensilem reputans, nisi cum cauum quid auribus apponimus, vnde motus incessantis ex noua percussione sensum habeamus. Quo ex argumento poterat etiam admoneri, cur aër non videtur nobis odorus.

Aliquid sanè melius Plato dixit, videlicet terræ non esse odorem, quoniam eius partes angustia pororum, per quos sensile ad sentientem fertur animam, tanquam crassiores non admittit. Ignis quoque non esse odorem, quia non retinetur eius subtilitas nimia in viis sensoriis, sed pertransit tanquam latiores: comparat etiam aquam terræ, & aërem igni, in hac admissione, & non admistione. Igitur, ait, ex aliquo medio inter aquam & aërem fieri odorem, videlicet ex caligine, & fumo. Caliginem vocat, quod ex Aere conspissatur in aquam; fumum, quod ex aqua in aërem. Nos autem dicimus propterea fumum & caliginem esse odores, quod sunt extraordinarij nobis, & inferunt vim agendo. Quod autem ordinarium est, minimè agnoscitur. Odorem quoque aquæ nō sentimus nos, sed cucurbita sentit, quia minor est eius calor quam qui in nos agat. Ignem vero, quia paucissimus nobis est superior: qui autem ex lignis fit manifestè odorem facit, & qui ex adusta terra: exque cunctis rebus emittentibus vaporem: lapis autem non odorabilis est, quia eius vapor nullus, cum frangibilis sit expersque spiritus motabilis, & humoris in exhalationem conuertibilis. Metalla autem participia, odorabilia: excepto forsan auro, non quia caret sicco, humidoque, vt Arist. putat: quandoquidem mollius est ferro, ergo humidius: est etiam durum, quod siccitatis est cognatio: sed quoniam non emittit vaporem ob suarum partium similaritatem, quarum nulla exhalare potest, quin aliæ exhalent simul: quemadmodum in Physicis quæstionibus demonstrauimus. Quæ autem dissimilaria sunt, odorem habent., quoniam pars minus crassa ignis actioni non resistens, statim eleuatur ad nares. In aquis etiam ponimus vaporem, continuò enim attenuantur, suntque intermisto vapore plenæ non adeò, vt cum ebulliunt & fluctuant. Quod & Plinius, & Philosophi prisci, & sancti Patres contestantur. Potest ergo piscis per aquam olfacere escam. Non modo enim concurrit ad odorem sentiendum vapor, sed etiam primalitas secunda, quæ ex nobis per continuationem cum externis communicat, sicuti alibi docemus, cum Plotino disputantes. Quod autem nec de sapore rectè senserit Arist. dictum est sæpius. Ergo nec de odore. Odor ergo est tenuitas cum calore agens in spiritum, annuncians que odorabilis naturam, non omnis, sed quod nostro spiritu non excellentius valdè est in viribus, neque deficientibus: nec ordinaria affectione consimile, vt dictum est. Quantum rei medicæ conducit odor, & sapor in 5. Medic. declaratum est.

In 4. Ph.

Diffinit. odoris.

Gradus enim saporum, & odorum correspondent caloris cum materia temperaturis.

DE VSV OCVLORVM, LVCIS, ET *Tenebrarum, & de Notionibus, & Numeris, ad præstandam scientiam.*

ARTICVLVS XI.

NIHIL augustius datum esse homini à Deo, experimur, supra oculorum dignitatem: quibus, non modo quæ ad salutem, & destructionem corporis idonea sunt, à longè agnoscimus, vt sequamur, aut declinemus, cuius gratia, & cæteris animantibus dati sunt: sed vt contemplemur sydera, & luminaria, & cælum, & aëreas impressiones, igneas, aqueasque, & ordinem cælestium, & rerum superiorum cum inferioribus communicationem, & temporum vices, & annos, & menses, & dies, & noctes, & mouentis Dei cuncta, & ordinantis operationes, quas imitemur, & tanquam in Codice diuino omnia eius iudicia perlegamus, ad quod bruta non assurgunt, licet habeant oculos: quoniam sentientem spiritum, non autem & mentem habent in oculis. Nec Platonem id latuit, neque Anaxagoram, & prior Dauid de cælis enarrantibus gloriam Dei, & de Sole in eis hospitato, exultante ad concurrendas vias ad rerum nostrarum salutem, & quomodo videri vtilissimum est cælos Dei opera digitorum suorum, lunam & stellas quas ipse ædificauit, vt elegantissimè cecinerat.

Hæc autem omnia nobis primò declarat quasi magistra lux per se visilis, omniumque coloribus tingibilis, quod ad nos ex illis resiliens intra oculum ad videntem defert: & quia quantificatis tingitur coloribus, & figuratis, affert simul notitiam figurarum, & quantorum: & quia corporum sunt figuræ, animatorum, & insensatorum eorundem conciliat notitiam: Et quia motorum, & quiescentium, ergo & motus, & quietes, & operationes, & actiones, & distantias, aliaque innumera, & congressus, & situs, & configurationes coloratorum Entium. Ex lucis etiam intuitu physicè, ad diuinæ lucis assurgimus cognitionem per analogiam, quidquid enim manifestatiuum est, lux vocatur, hoc meritò.

Est quidem color apparentia rerum, vel sicut dicit Pythagoras, epiphania. Ergo quoniam oculis apparentia solum conuenit per se, ac propriè, aliis autem sensibus, & viribus animæ, & Angelorum, per similitudinem, & analogiam: ideo quidquid per se oculis offertur color est, & quia non modo corpora videntur, sed & incorporea lux, & calor & forte frigus: idcirco dixi, Aerum, & non Corporum. Iterum quoniam ea modo sensibus apparent, quæ vim mouendi habent & agendi: sensatio enim est passionis

illatæ perceptio, & mensuratio virium agentis illam passionem: propterea iuxta virtutem agentium causarum, earum apparentię discernendæ sunt.

Sunt autem quædam Entia viua sui diffusiua, multiplicatiuaque ideoque actiua: quædam vero sunt non viua, sed quasi demortua, & elementata elementorum castigatione nata: ita similiter dicimus, alios colores esse viuos, & per se apparentes, vt lux, & tenebra: alios demortuos, & alterius manifestatione sese manifestantes, quorum sunt cognati, vt pallor, rubor, viriditas, & cæteri id genus.

Lux ergo caloris est facies, color, vultus, apparentia, epifania, actiuissima: sicuti calor à materiæ non possessus vi. At quomodo caloris, si est incorporeus, lux facies erit? Incorporeum Ens subiectum fieri coloris non potest. Multa etiam, lucida magis, caloris minus habent, vt nix, cicindulæ, & fatui vocati ignes: & quæcunque noctu lucent non calida itidem tantumdem, nec nimium: vnde Patritius 4. faciens rerum principia lucem à calore secreuit.

Sed profecto cum lux actiua sit: nec actiua duo eiusdem ordinis sint, sed contrarij, vt calor, & frigus, lux & tenebra, nequaquam lucem à calore aliud principium statuendum erat, cum segregari ab inuicem sola ratione possint. Calor ergo qua tangitur sensu crassiori, vocatur calor: qua graciliori, lux. Quæcunque enim lucent calefaciunt, disgregant visum, & materias obsistentes, cæcant oculos, si nimis lucent: delectant, si blandè: quod etiam calor facit intactu robustè, aut blandè agens. Sol quoque lucidissimus, vt ignis, calidissimus esse probatur: & quæcunque vincit calor, illuminat vbi vnitus est lumine nobis manifesto: vbi autem non adeo vincit, vel non vnitus est, illuminat quidem lumine nobis occulto. Cælum ergo caloris rarafacientis opus lucidum videri debet. At quia rarum est, & vnitum calorem non habet, nec per consequens robustum, qui seipsum spiritui nostro intra crassas tunicas, & humores retento, queat manifestare, idcirco eius calor non apparet: veluti & flammæ docent, quæ dum vnitæ sunt propè lucernam, collustrant omnia, & sursum elatæ inuisiles fiunt, quia in tenuitatem disgregatus calor non tantas vires continet, quæ nobis possint manifestæ esse, & apparere. Apparent tamen animalibus: quæ tenuiori, & minus lucido spiritu, quam noster est, donata sunt, vt vespertiliones, & pulices, & lepores, & blattæ, quæ noctu vident, & longa conficiunt itinera, aëris luce, non stellarum, aut solis: & Antiferonti, cui laxæ erant oculorum tunicæ, exilisque spiritus, propria imago & ex aëre circumfuso resiliens semper visebatur: & alij vident noctu, alij die: alij in confiniis vtriusque coloris. Aër ipse, & aqua lucidi sunt, vt transpicuitas eorum admonet: & cum densantur in candidas bullas, lucent. Inque illis tanquam incognatis insuper lux exhilaratur, & augetur. Caloris autem opus esse transpicuitatem, opacissimæ res, terræque declarant, quæ à calore solutæ fiunt transpicuæ, & in cineres & calces redactæ, ac deinde fusæ in vitrum diafanum conuertuntur. Quod propterea admittit, augetque lucem caloris faciem, quia diafaneitas caloris est opus, lucique cognatum, peruiumque. Non quidem ob pororum rectitudinem, sicuti Epicurei, & Arist. in problematis, & in 4. Met. putant: quacunque enim via, posituque lucem excipiat vitrum vel crassum, penetratur, & lucem auget. Similiter aquæ omnes peruiæ luci sunt, vndique, & cum stant & cum agitantur ad quancunque situm: pori autem ad quæcunque non respiciunt, nisi aqua tota sit vacuum incorporeum Ens. Bullosa tamen aqua illustrior à luce fit, sed non transmittit ad nos propter multarum pyramidum ad situs alios lucem torquentium. Præterea, sola opacitas vel gracillimæ laminæ aureæ, ne dum chartaceæ, lucis penetrationem impedit, quam crassissimum chrystallum, ac mare admittit vndequaque: Ergo cognatio transpicuitatis cum luce est in causa, non autem pori aut dispositio quæpiam: lux autem vnita in transpicuis vrit ignitque, vt nulli dubium sit ipsam esse calorem apparentem: qui nimirum sparsius, vt in aëre, vix sentitur: vnitus autem intra nubes, & specularia Entia, roboratur, & ignit.

Peripatetici autem, naturæ concordiam non intuentes, putant, aliud esse lucem, & colorem, & transpicuitatem, & calorem: propterea quod in glacie & roborari lucem, & transpicuitatem vident, & in aquis frigidis, & in cælo, quod reputant alienæ naturæ ab inferioribus: vnde non magis à calore, quam à frigore, & quam à neutro corpore esse habere atumant. Imperitè quidem: Si enim cæli naturam & solis lucidissimi, calidissimique propria luce & calore, & non alienis, factis in aëre ab nihilitatis plena percusione, inspexissent in ipsis sideribus, & cælis, & non in libris Aristotelis, & similiter aquæ exorum ex vaporibus à sole genitis; etiam vbi non ad est frigus, in aquam spissatis, considerassent, etiam in glacie opus caloris transpicuitatem agnouissent, & frigidam ipsam externo frigore, & non natiuo intellexissent, donec transpicuitatem perdant prorsus, & albedinem, sicuti & glaciatum vinum, & oleum, & mare glaciatum, natiuo calore non carent, ligato tamen ab externo frigore in viribus non in facie: quandoquidem adhuc nix disgregat, cæcatque oculos, instar lucis flãmantis. Igitur & Chrystallinus humor, & aqueus, in quibus fit visio, albi sunt simplicissimo albore, qui est transpicuitatis comes, aptisimique tingi, omnibus coloribus à luce delatis: quæ etiam simplicissima cum sit omni colore tingitur, ideoque sic facere visionem. Proptereaque aër inuisilis est nobis, quoniam colorem in transpicuo rarefacto, non in vnito, habet, qualiter aquæ, & vino inest, nostri spiritus colori persimilem, vt etiam Tertullianus cognoscit. Simile autem à simili non patitur. Si autem quis ipsum exiliorem haberet, aëre inferiorem in dispositione & luce, is vtique & aëris lucem videret & trãspicuitatem. Videt etiam omnis spiritus liber: non autem inclusus, ad quem lux aëris, & transpicuitas per oculorum tunicas transiens minuitur, & fit insensilis: non autem blattis & leporibus forsan, & vespertilionibus, & catis. Hoc etiam accidit in omni sensu: neque enim calorem in manu Medici sentit febricitans calidior: neque saporem lingua obtusa, vel calidior admissis saporibus, nec sonum auris, innato sono suo minorem, nec nasus odores, spiritum quoquo pacto non vincentes. At quidem aqua marina intra cubiculum clausum in nocte, si exagites manu, lucere, statim apparet: lucent & squammæ piscium, & putrida ligna à calore diu confecta, & catorum oculi, & cicindulæ in noctu: quoniam calorem, qui vicit faciem materiei, habent talem qui possit seipsum effundere, vsque ad videntem animam in nocte. In die autem non potest, quoniam luci maiori solis miscetur, & non discernitur. Sicuti nec color auri in albo lapide, sed in nigro affricatus conspicitur: in albo vero eius opacitas conspicitur, à quo non occupatur, vt à nigriori opacitate adamussi. Sic neque stellæ in die videntur. eademratione pu-

tandum, in aëre, vt aqua dulci, minorem, quàm in salsa esse colorem, quia minorem etiam obtinent calorem, proptereaque non lucere nobis in nocte, sicuti marina, & squammæ piscium: lucere autem catis, & vespertilionibus, & noctambulis animalibus. Argumentum ergo, quo lucem à calore segregant quidem ex his, nullum est. Calor enim ille cicindularum, & marinæ aquæ, non est tantus, qui nostrum tactū immutare crassum queat, sed tantūmodo gracillimi, transpicuique spiritum gracillimum, tenuissimumque absque valido sensu caloris. Etenim & lux candelæ calida est, & solis hyberni, quæ tamen caloris sensum non facit, nisi propinquissimis: nam à longe stantes in domo, non magis lucernæ calorem sentiunt atque stellarum. Sed argui potest hic sermo à cincidulis, à fatuis ignibus, qui tacti non vrunt, cum tamen à longe etiam luceant. Respondeo. Quorum materiæ facies deuicta est à caloris facie, modicus calor sufficit, vt in illis luceat, qui nostro tactui insensibilis est, non autem oculis: comparabamus autem lucem in aëre effusam à candela, cum luce fatuorum ignium. Sulphur quoque per se accensum absque materia aliena, ignem emittit, non vrentem. Vstio enim nec in eo est, cum materia facili negotio cōuertatur in ignem tenuem, resistentiam non inuenientem. Quæ autem à calore occupantur, non autem in facie etiam vincuntur, & calida esse valdè possunt, non tamen lucere, vt patet in carbone.

Qua ratione ex luce, ac tenebris, viuis coloribus colores, non viui constituantur seriatim.

EX viuis coloribus primis in rerum natura fiunt dies & nox: dies enim lux est, à sole effusa, luminoso nempe corpore. Nox tenebræ, à tellure, opaco nimirum corpore similiter effusæ. Ex die autem, & nocte, è luce nimirum, & tenebris, omnes demortui constituntur colores, qui seipsos effundere nequeunt. Lux quidem paululum debilitata, ac fædata tenebris, fit alba. Albedo enim lux mortua est materiæ opacitate confusa, vt in hac charta: quæ combusta, abeunte calore cum tenuitate, cuius facies est albedo, materiei facies nigredo detegitur, non quidem frigoris. Vnde agnoscimus duplices tenebras, alias actiuas, quæ frigoris facies sunt, quæ forsān ad nos non effunduntur: quoniam frigus non adeò potens est, vt suam contra solem, & aërem effundere valeat faciem, nisi fortè in centro inferno, tellurisque sub miliaribus multis. Ratio tamen frigoris esse nigrefacere conuincit, sicuti caloris albefacere per se: licet aliquando faciem materiæ detegendo videatur nigrefacere per accidens: vti & frigus albefacere, cum calorem album intra niues ligat, vnitque: hyeme tamen vigente nigrescunt omnia: & ipsæ nostræ manus in nigredinem declinant, frigore nimio correptæ. Alias passiuas tenebras materiei faciem ponit Telesius, proptereaquod in combustis carbonibus sine frigore reperitur. Facies autem materiæ actiua non est, cui nimirum repugnet habere actiuam qualitatem, non autem passiuam. Nescimus etiam, an frigus materiæ contentum facie, luci opposita, opaca Entia non permeantis, nullam habeat præter hanc.

Colores igitur constitui arbitrantur ex caloris facie, & materiei, commistis. Itaque primò tincta lux est alba: magis autem fædata fit pallida: magis crocea, magis viridis, magis purpurea: deinde cerulea, deinde ciana, deinde fusca, tandem nigra. Similiter & nigredo, si illi admisceas albedinem in liquore, vel actione caloris, fit fusca, deinde ciana, deinde cerulea, &c. donec albescat. Hi autem gradus non similiter vbique fiunt: sed coquendo vinum album, primò fit pallidum, quando parua tenuitas alba in fumum euanescit, remanetque materiæ facies paulò detectior: mox fit croceum: mox rubrum, mox fuscum, mox nigrum. Similiter si in vino nigro aquam infundas, videbis, ipsum per varios continuos colores ad alborem venire. Ignis quoque albus in lignis viridibus ardens varios suscipit colores. Et in iride, vbi lux à tenebris nubium fædatur, eandem experimur varietatem. Et in vitro ferratili oculis superposito lucem refractam aspiciendo, vbi basis est trianguli, & corpulentia materiæ, videbis fuscam lucem, & accedendo ad angulum gradatim albescentem. Manifestè ergo ex albo, nigroque fiunt colores, & ex terra, & sole originem habent. Ex eorum ergo differentiis licebit de materiæ crassitie, & inopia, & de robore caloris, & copia, argumentari. Robustior enim est materia densa: copiosior in laxa, quia deuicit. Languidior in tenui, quia nec vnitus, vt robur ostendat, nec multus, vt copiam augeat. Cognoscitur autem facilè materiæ copia, & inopia, ab ipsis coloribus. Qui enim suscipit tincturam alterius, vicinior est luci: qui vero non suscipit, viciniot est tenebris. Proptereaque transpicua albissima sunt, & cum rubescunt, aut virescunt sicut piropus, & smaragdus, altero, dum soluuntur, infuso liquore crassiori, fædantur: cælum quoque albissimum, transpicuumque, ceruleum appatet, propterea quod aliena lux stellarum non propria ipsa cælestis tenuitatis nobis videtur: quæ stellarum lux in immensam cæli sparsa molem, debilitatur extenuatione sua, & à materiæ facie, quamuis deuicta. Igitur à proprio vigore alienatur, ergo & ab apparentia: veluti enim viget, ita sensum mouere potest, hoc est apparere. Igitur non fusca, aut nigra, quasi in fine debilitatis suæ cernitur. similiter mate vbi à supposito solo colorem non mutuatur lux, cæruleum apparet: vbi autem profundissimum nigricat: fædata nempè luce vltra terminum cæruleitatis: nihilominus aqua maris in vase, aut glaciata, aut in solem versa, alborem aquæ ostentat. Cæli vero galaxia, & nubes & ampullæ aqueæ, albi plenæ aëris, & nix & lux, & transpicuitas, & conuenientia eius cum sideribus, & alia multa: de quibus in Physicis loquebamur.

Quod Tenebra sit Ens.

INuenire tenebrarum naturam difficile quidem est, quoniam cum species frigoris non sit, nobis nota, vnde speciem caloris non esse lucem alij suspicantur. Hoc tamen affirmamus non rectè Peripateticos, tenebram non esse colorem, nec qualitatem, nec Ens vllum, sed lucis tantummodo priuationem, velle: vt dicunt in 2. libro de An. cum Arist. & item eorum Princeps Alexander in suo lib. primo cap. de sensili per se, & per accidens, & in 2. cap. 3. q. in quibus etiam inuitus fatetur, transpicua Entia alba esse, præcipuè autem ignem: & lucida esse elementa cuncta præter terram, quoniam maximè distat à cælo, cuius lux est propria: mox ignis, quia proximus cælo: mox aëris:

aëris: quia igni adhæret: deinde & aquæ, quoniam aëri succedit. Nullam a. luce, nullumque calorem dant terræ, quoniam à cælo remotissima est: igitur & huiusmodi diuinis priuatissima qualitatibus, vbi etiam concludit rectè, cælum, terramque esse prima contraria. Cætera vero Entia media ex his. Non ineptè quidem ex naturæ decretis, sed Aristoteli, ac sibi contrariis. Excepto quod falso concludunt terræ solam lucis priuationem inesse, cum contrariam luci qualitatem dicere debuissent. Manifestè enim tenebra Ens est: defluxus quidam ex opaco corpore, sicut lux ex luminoso. Quod & nigredo admonet, remanens in præsentia quoque lucis, vbi à materiæ crassitie possidetur.

Item si alterum contrariorum est Ens, & alterum sit, oportet: quod Arist. in 2. de Cælo T. 17. fortiter contendit. Hoc autem maximè de contrariis actiuis verificatur. At lux actiua res est ipsorum quoque testimonio, & oculis luce cæcatis testantibus. Item opacitas in tenui charta luci, ne transiliat, obsistit, quæ crassissima vitra penetrat: ergo luci est contraria: nihilum enim non resistit.

Præterea quemadmodum sol expandit lucem, sic tellus tenebras. Non Ens autem non expanditur. Ponere in tenebris Entibus priuationem lucis non Ens aliquod, rationale est. At nihil ipsas facere, irrationale: frigus quidem caloris priuatio vocatur ab Arist. in 1. de Gen. T. 18. & in 11. Metaph. & sæpè: non tamen frigus est nonens, licet caloris priuationem contineat, sed vti Aphrodis. & alij admonent, contrarium vilius semper dicitur priuatio, & nonens: vnde in primo de Gen. Arist. inquit, generari simpliciter Ens, & habitum, vt ignis, & calor: secundum quid, nonens, & priuationem, vt tellus & frigus: & hoc ex Parmenidis sententia manauit dogma loquendi: manifestè quoque tenebra tenebram propè modum attingens ad ipsius contactum extenditur, sicut aquæ gutta ad alteram adiacentem guttam: quod etiam sentientis, nedum Entis est indicium, vt in libris de sensu rerum adnotauimus.

Præterea nigredo color est etiam Aristoteli, quæ tamen ipsa tenebra demortua est, & visum congregat, veluti Albedo debilis est lux, disgregatq. Congregare autem, & disgregare opera sunt frigoris, & caloris, vel consimilium actiuorum: verum & caloris abscessu compingitur vitrum, ne dum frigoris ope, vt nescias an nigredo materialis sit facies, vti Telesius æstimat, an frigoris, vti ratio aliqua probat. Sed Peripatetici nulla fuga euadent, quin tenebræ sint Ens. At vnde ater color harum literarum effunditur, ortumque habet, & realitatem: nisi aliquod Ens reale nigrum sit, ac proinde nigredo Ens sit? Item quomodo Arist. ex priuatione & qualitate medios miscebat colores, ex Ente, & non Ente, qui medios participatione facit: non Entis autem participatio non est, nec totum, nec pars: tandem nedum natura, sed & naturæ auctor in sacris eloquiis tenebras Ens esse, docet: dum diuidit lucem à tenebris: ridiculum autem est diuidere aliquid à non aliquo. Item vocat tenebras noctem. Nox autem Ens est: & in Isaiæ 45. *Ego* (inquit Dominus) *& non est alter, formans lucem & creans tenebras*: quod dicit contra eos qui alterum Deum introducunt terræ, & tenebrarum, & malorum causam, vt Simon magus & Manichæi, & nūc Tartari Cataini. alterum lucis & cæli, & bonorum causam constat autem liquido, creationis effectum non esse nihilum, sed ex nihilo, alias idem esset terminus à quo, & ad quem: & frustra Deus gloriaretur, se fecisse etiam tenebras, si nihilum sunt, & nihili autorem se iactaret. Daniel quoque & Dauid, & lucem & tenebras Deum laudare docent, inuitantq; nihilum autem, nec inuitatur, nec laudat.

Gen. 1.

Lucem esse obiectum visus viuumque calorem.

AT licet lux & tenebræ colores sint, vt dies & nox: non tamen visus obiectum est tenebra, sed sola lux: spiritus enim noster lucidus, tenuis, & perspicuus est, mobilisque, gaudet ergo ipsa luce, tanquam cognata re, & tunc modo contristatur, cum lux oculi humores liquefacit, & fabricam euertit vigore suo combustiuo. Spiritus autem extra corpus igne gaudet, viuus viuo: cum tenebris autem societatem nullā habet: ideoque ipse inuisibiles sunt. Nam ita clausis oculis atque apertis, nocturnas tenebras intra cubicula, vbi nulla lux vel particula adsit, non comprehendimus, & à lucis absentia eas iudicamus. Nigra vero Entia in die videmus, quoniam lux ab eis tincta oculos subit, & defert ad sentientem spiritum. Obiectum dicimus, quod per se cognoscibile est, & causa est, vt cætera cognoscantur: igitur visus obiectum lux est: quoniam alio non indiget visibili, ipsam manifestante, sed per se vbicunque sese conspiciendam offert: alij vero colores nonnisi ab ipsa manifestantur, & per ipsam videntur: noctu enim inuisibiles sunt, vbi nihil lucet: lux autem, quia simplicissima est, nata est omnium rerum faciebus tingi, & colorari, & ideo quoniam sui multiplicatiua est, vndecunque & in oculos intrat, & vultus rerum, quibus est tincta afficiendo spiritum seipsa & illis simul patefacit. Vnde sapientissime dixit Apost. Paulus Ephes. 5. *Omnia à lumine manifestantur*, (& quare?) quia (inquit) *omne quod manifestatur, lumen est*. Rectè quidem: non enim video ego Petrum, & lapidem, & parietem, sed lucem tinctam vultu Petri, lapidis & parietis, & cæterarum rerum visibilium per lucem. Lux autem per se manifestatur, & per ipsam alij colores, & per consequens figura, & quantitas, & superficies, & corpus subiectum coloribus, delatis à luce in oculos. Quæ autem illuminari non possunt, nec videri possunt, vt motus, & sonus, & syllogismus, & cætera: lux autem à sole est. In sole autem à patre luminum, teste sancto Augustino de cognitione veræ vitæ. Insipienter ergo Peripatetici arbitrantur lucem non esse obiectum visus, quia non est color, sed actus diaphani interminati. Color enim, vt docuimus, apparentia est. Nihil autem luce apparentius inuenitur. Color ergo, ipsa est, sed viuus: Color autem lux est mortua, fædataque. Causa ergo vt sit, & vt manifestetur color, lux est: ipsa ergo obiectum visus est, vt & diuus Anselmus monet in libro de Gratia. Si qua autem essent Entia à frigore constituta intra terram, veluti sumus nos à calore sub cælo obiectum visus eorum tenebra est: per ipsam enim quasi cognatam cætera norunt, & nos per lucem.

De lucis incorporeitate, & huius propria ratione.

LVcem incorpoream esse, eius vis diffusiua, suique multiplicatiua, declarat. Corpora enim in-

ertia sunt, non actiua, nec diffusiua, multiplicatiuaque, sed diffusibilia passiua, & non nisi per additionem alterius corporis multiplicata, magnificataque. Penetrat etiam lux omne corpus transpicuum, non per poros, sed per vim incorpoream, cui nihil obstat, nisi opacitas incorporea, non corpulentia. Ergo incorporea est. Intersectio quoque luminum ex fenestris, & lucernarum multarum, idem indicant. Item, si opponas lucernæ opacum, lux, quæ per aulam diffusa erat, statim perit. Si autem corporea res erat, perdurasset. Item ventis aërem agitantibus, & aquas, per quas solis radius transfertur, nihil lux mutatur situ. Ergo corpus non est, sed qualitas, à luminoso effluens, veluti & vmbra ex opaco, cui idem euenit, vt agitato aere, & aqua, quas vmbra pertransit, nihil agitetur vmbra.

An lux corporea. Democratici autem, & Platonici ex parte, corpoream esse lucem contendunt, à calore & humore genitam, tenuissimam, sese que diffundentem, non multiplicantem. Non enim seipsam seruat, nisi nutriatur ignis. Vnde etiam putant solem nutriri vaporibus, quos circa ipsum rotare per Telescopium, Galileus depræhendit: quod & Poëtæ, & Plinius, & Philosophi veteres opinati sunt, contra quos in quæstionib. Physicis luculenter disputauimus. Præterea quæritur, quomodo lux seipsam multiplicat ex sui ne substantia? an ex alia re? an ex nihilo? Non hoc, quia solius Dei: non ex alia re, quia idem accidit corporeis: ergo ex sui substantia: ergo migrat de se in aliud? Præterea, si de se, vt quid indiget nutrimento lucerna? Præterea lux effunditur, reflectitur in angulos, vnitur in vitro, & pyramidem transuecta facit sui ipsius. Hæc autem corporum sunt passiones. Incorporea enim mens omnia pertransit.

Respondeo. Triplex Ens incorporeum. Respondeo, triplex esse incorporeum Ens: alterum scilicet dimensionatum, & corporis receptiuum, quod est spatium non actiuũ. Alterum nec dimẽsionatum, nec receptiuũ, nec propriè actiuũ, sed operatiuum, agentia mouens, dirigensque vt essentiata ex primalitatibus Mẽs, & Angelus & Deus. Tertiũ intermediat, quod neque dimensiones habet, nec per se subsistere potest, sed corporibus inhæret, quasi actiua forma, suique multiplicatiua propter vsum generationis rerum: quemadmodum in 2. p. docebimus: & hæc sunt calor, & frigus, lux & tenebra, quibus corpora resistunt ob oppositas qualitates: non ob corpulentiam. Quapropter lux non reflectitur ex transpicuo corpore sicuti ex opaco, sed transilit. Mens autem & opaca & luminosa transilit. Nec illæ flexiones lucis corpulentiam declarant, sed eius cum corporibus cognationem, sine quibus regnare nequit. Similiter enim & frigus & calor à densis corporibus impediuntur: quæ tamen paulatim penetrant, vincuntque. Et quoniam calor corpora in se conuertit id est, in illam substantiam, in qua ipse regnare ac vigere potest, qualis est cælestis: propterea verè multiplicatur in subiecto, quod vincit, vbi & lux eius facies multiplicatur, & alitur, continuoque ad cælestia attollitur, sicuti res corpulentæ in terram coëunt. Idcirco lux, & calor semper nouus fiat, oportet. At in loco suo id est, in sole nullo indiget alimento, quoniam non exhalat sursum, nec quo vadat, melius habet. Quam autem sol diffundit lucem, non de sui substantia, sed de sua multiplicatiua vi effundit: nec propterea minuitur. Non enim lux candelæ cum mille alias accendit, minuitur, sed augetur, nec effusio lucis in aulam facit iacturam lucis in lucerna, sed augmentum. Iactura autem fit olei in vaporem igneum versi, qui ignis non permanet, sed sursum victor euolat. Si enim permaneret, oleo lucerna non indigeret. Et qui retinere ignem, & lucem norunt, hi perennem faciunt ignem, nutrimento nouo non egentem. Quod autem sol non nutriatur multis argumentis in Phys. quæst. euicimus. Nec enim totum solem ambiunt nubeculæ illæ, vt vndique nutriatur sicuti opus erat, sed intra certos tropicos disci solaris, donec attenuatæ, in aërem tenuissimum euanescant. Vtrum autem sol ex opaco, & luminoso constet corpore, vt quidam Nolanus scripsit, in 3. Par. disputabimus: Si quæras vnde habent vim diffusiuam lux, & alia Entia, statim dicam ex Potestate prima summi Entis, à cuius Sapientia etiam habent omnia cognoscitiuam virtutem, & à cuius Amore volitiuam: ac simul conseruationem harum virtutum, & operationum insuper, siquis rectè philosophetur.

Examen opinionis Platonis de colorum vera essentia.

In Tim. Colores Plato ex internæ, externæque lucis admistione in oculorũ humorib' cõficere videtur. Ait enim, *color est veluti flammula quadam, fulgorque, à singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas* [visũ autẽ fieri dixerat admistione lucis externa cum interna.] *Nunc medium ignis genus, qui ex vtroque igne, seu luce fit commistis, color videtur esse, factus etiam admistione humoris intra oculos: in quo fit ignis extinctio & rubeus color: qui mistus albo, splendidoque flauum producunt: mistus albo, nigroq; purpureum: qui obscuratior fit moreus luteolusque: fuscus fit ex albi, & nigri confusione: fuluus ex flauo, & fusco: pallor ex flauo, & albo: cæruleum ex splendido rubeo, & nigro multo: ex cæruleo, alboque glaucus: ex fuluo, & nigro viridis.* Et de his se probabiliter dixisse, putat: nam verè à Deo solo possunt colores ritè fieri, & intelligi.

Rectè quidem Plato verisimilia tãtum professus. Quod etiam flammulam, dicit, esse colorem ex corporibus manantem, pulchrè se habet: lux enim quasi flamma est, sed purior à corpulentia. Verum in hoc, quod putat fieri apparenter, non realiter, & si ex parte rectè doceat, quoniam alij aliis sunt colores, & eidem alij in alio situ: nihilominus quod non sint nisi ex commistione ignis nostri cum externo, non adeò verum existimo. Sunt enim luces, cæterique colores secundum naturam: sed quod nobis videntur, non item. Potest enim alia eorum esse apparentia. Sed quis veram habebit? Forsan Angelus. Sed in suo gradu, non in entis gradu. Idcirco solius Dei esse scientiam prorsus veram rectè hic, & in superiori libro concludimus. At vero Plato lucis, & tenebrarum radices, & misturas, & actiuitatem reticuit, nimis timidus forsan errandi. Nec ex coloribus ab eo assignatis licebit venari rerum naturas, & materiæ, & caloris gradus, vti nos faciebamus: sed quodam extrinseco modo de his ratiocinatur. Nec semper expertus. Non enim viridis ex fuluo, & nigro, sed ex flauo, & cæruleo, pictoribus testantibus, fit. de his alibi. Tenebra etiam color est, non tamen flammula.

De essentia colorum, quam imperitè Peripateticos loquutos esse.

ARist. autem nihil rerum naturas introspiciens, *veluti* (inquit in lib. de Sen.) *superficies est extremitas corporis; ita color est extremitas perspicui corporis, sed non omnis, verum terminati tantum. Corpora enim fluida, & tenuia, quæ proprio carent termino, proprio quoque colore carent, vt aër & aqua, & quæcunque perspicua sunt interminata. Horum autem* (ait) *lux est actus. Ipsa enim non recipitur, nisi in diaphano, id est, transpicuo, ipsumque actuat, vt possit colores pati, & visio ipsa fieri per hoc medium, siue aër sit, siue aqua.* Multa verbositate hæc declarat Aphrodisiensis Alexander prima quæst. natural. cap. 2. & primo de An. cap. de Sensili per se, & per accidens: & in 2. de An. cap. 38. & 39.

Idem in 2. de An. T. 67. & seq.

Sed manifestè sibi ipsis, & naturæ decretis, & experimento contrariantur Peripatetici, & quasi in ventum loquentes, seipsos non intelligunt. Primò quidem falsum est, terminum corporis transpicui terminati esse colorem. Non enim transpicua modo colorata sunt, sed & opaca, illa albo, ista nigro colore, alias colores nulli fierent ex Ente, & non Ente, si nigrum esset priuatio sola. Item, in prædicamentis vocatur albedo & nigredo passibilis qualitas, quia ab aliqua passione fiunt in homine, vt ibi docent. Sed Peripatetici videntes etiam passiones in nobis ab eis ingeri, videlicet disgregationem, & congregationem, hoc ipsi fatentur cum Aristotele in Metaphys. & glossant Aristotelem, quod loquatur ex his, quæ magis patent. At, quomodocunque sit, cum à nihilo non sit passio, vtique nigredinem qualitatem esse fatentur, & colorem. Ergo non solius transpicui color est terminus, sed & opaci. Item, non videtur lux esse transpicui terminus interminati: quoniam sequeretur à definitione ad definitum, omnem transpicuum terminatum esse coloratum, & interminatum non coloratum. Sicuti dicimus simitatem esse qualitatem, aut formam nasi curui: tunc omnem nasum curuum esse simum, & non curuum non simum decernimus. At, multa sunt transpicua terminata, colore carentia, vt adamas, &c. vitrum, & crystallinus oculi humor, vt docet Aristoteles per suam definitionem, & Aphrod. ibidem. Sed nobis hæc omnia videntur colorata, vt dictum est. Multa quoque fluida interminata, sunt alba, vt lac & aqua, & iris colorata, & stellæ & flamma: quod licet negent, tamen alibi fatentur, vt dictum est. Non ergo raritas colorem non admittit, vt dicunt, sed maximè suscipit.

Præterea ignis inter maximè interminata, & trāspicua corpora ponitur ab Aristotele & Aphrod. ibidem, & tamen constat, ignem esse albissimum, vt ibidem. *Albi* (inquit) *cuiuspiam aduentu color in omni perspicuo fit: eiusmodi autem se habet ignis, siue extrinsecus, siue immistus.* Et Aristot. in 3. Meteor. ignem album esse docet: sed fieri rubrum, & viridem, & croceum fumi nigri admistione. Idem Gal. in 3. de Temper. cap. 1. & omnis experientia admonet. Falso ergo dicit Aprod. in cap. de Sensilibus per se, & per accidens, colorem esse terminum perspicui terminati qua perspicuus est, ex argumento conuincitur, quod ea perspicua, quæ proprium terminum non habent, proprio pariter colore carent: colorantur autem tunc modo cum collustrantur ab alio corpore luminoso, & cæt. & in primo quæst. Natural. cap. 2. perspicuum interminatum nullum proprium, nec terminatum habet colorem, eo quod propter varietatem nullum retinere, & coarcere potest. Et ibi & alibi admonet, hoc rectè à natura institutum esse, quoniam ipsum interminatum perspicuum est receptiuum, & ministratorium coloris. Ergo oportuit coloris expers esse, & similiter oculum eadem ratione. Constat autem contrarium euenire. Ergo definitio coloris inepta est. Et huic rationi suæ ipsemet respondet in cap. de Tactu, & in de Sensili per se, & per accidens, dicit adhuc de sensorio visus. Id, quod colorem suscipere natum est, aut nullum colorem proprium, aut talem habet, vt vix videri possit. Hoc autem verum quomodo in superiore sermone declarauimus.

Rursus stupiditatis Aristot. incusandus venit, eo quod in superficie tantum posuerit colorem, cum omnia colorata quacunque sectione diuisa intra se colorem habere doceant. Deceptus sanè ab Antiquioribus, qui colorem non esse, nisi passionem ex congressu sentientis cum sensibili in superficie à radio visiuo attincta, dixerunt, proptereaque non extare in natura: Ergo non nisi (concludebant) in superficie: quod Arist. non debuisset admittere, quippè qui aliquid reale esse etiam in tenebris colorem dixerit: videri tamen actu, non autem fieri per lucem. Item nec extremitas, seu terminus est color, sed apparentia rei, quæ plerumque in termino nobis obuia fit, non dicendus est terminus, sed in termino transpicuorum. Præterea color, vt saphyri, & smaragdi, non modo in termino apparet, sed in profundo. Non ergo terminus dicendus est. Et si quis lynceos haberet oculos intra terminos inspiceret colores, sicuti intra aquam, & intra chrystallum transpicuum videmus aliud chrystallum rubicundum, aut croceum arte conclusum.

Inertiæ quoque accusari debet, quod de colorum natura, & origine, nihil nos docet: nec quomodo componantur: nec quomodo ex elementis non coloratis color fiat, ac fieri possit: & quid sit illorum essentia: sed tantummodo more vulgariter philosophantium, dicit esse terminum corporis transpicui, quatenus transpicui, id est, id quod in superficie transpicui est: & nihil dicit quid aduēniat, & quare colores adducat. Tandem quia, à corpore, quod quantum est, non fluit qualitas, nisi virtute agentis formæ, docendi eramus ab eo à qua causa in corpore generatur color, & quæ sit eius essentia, vt Plato ab igne, & Telesius à calore apparente, & fædato à materiæ vultu. Tandem cum lux incorporea sit, & coloretur omnium coloribus, vt fatetur ibidem Aphrod. quoniam ab auro resilit aurea, ab herbis herbacea; neutiquam affirmādum erat, colorem esse terminum corporis transpicui, cum & incorporea possint colorari. Item lux ipsissimus colorū primus, ac simplicissimus est: quod patet, quoniā ipsa à tenebris tincta, in varios colores trahitur, teste ipso Arist. in cap. de Iride. lux autem terminus corporis transpicui non est, sed intra corpus transpicuum omne transilit, & luminaribus internè & externè est, vt patet in igne, & sole. Ergo non terminus est color corporis, sed apparentia tam corporei, quam incorporei physici Entis: magis autem incorporei. Quæ enim apparent, mouent visum, mouent autem modo virtutes actiuæ: corpus enim non

agit, sed forma eius actiua, vt experientia docet, & sermones priores declararunt: virtutes autem incorporeæ sunt: ergo lux non est corporis terminus, sed virium apparentia potius, ac formarum actiuarum. Materialis autem facies materiæ fit apparentia per illud non per se manifesta: sed non terminus, quia & interius ipsa est, & non superficie tantum.

Definitio lucis in Peripato data quam inanis.

CVm vero definiunt, *lucem esse actum diaphani in eo, quod diaphanum, ac interminatum est*: valdè pueriliter philosophantur. Non modo enim declarandum erat in quo subiecto lux fit, ac recipitur, sed quid sit. Sed mos est Peripateticorum, nullas essentias attingere, sed per subiecta, & per extranea, & communia logicè, & sophisticè omnia definire. Quid est anima? est actus corporis organici. Quid motus? Actus mobilis. Quid Qualitas? à qua dicimur quales. Quid actio? à qua dicimur agere, & cætera, & similiter vbique inaniter dogmatizant. Cum enim essentiam, & causas, & elementa, & vim, & actiones declarare debuissent: & in quo corpore primo sit, & propter quid, & vnde, post habita philosophandi ratione admodum discendi, & loquendi logicum, fugiunt, ne propriam ignorantiam fateantur, sed verborum versutia tegunt. Quis enim ignorat, lucem in diaphano recipi, & eius actum fieri? & motum in mobili? sed huiusmodi vulgaris declaratio notissimæ rei, est magis obscuratio, quoniam nihil docet, futilis & fallax adhuc est: Nam & opaca Entia lux occupat, & ferrum ignitum: & ipsum vndique penetrat. Item non interminati modo transpicui, sed & terminati actus videri debet. Etenim chrystallus, & glacies, & adamas, & multa dura Entia termino proprio non carentia à luce actuantur similiter, vt carentia.

De Transpicuo, & cur colores admittat, & lucem augeat, Peripateticos ruditer philosophatos esse.

NEc dicant coloris expers esse perspicuum, vt possit lucem, & colores suscipere. Sic enim terra magis lucem susciperet, ipsa enim iuxta dogma Peripatetica distantissima à cælo est, continens omnis coloris priuationem, & lucis. Ergo ipsa maximè lucem, & colores admitteret, sed falluntur, quoniam non suscipit lucem transpicuum, quia abscolor natura sit, sed quia luci est cognatum, & à calore vincente genitum, itaque & propria dispositione ita donatum, vt vultui caloris, luci nimirum, non repugnet, sed maximè ipsam admittat. Ideoque ipsa in transpicuis exhilaratur, amplificatur, augetur, quasi in proprio regno vsquequaque permeando: & sicut candor omnibus inficitur coloribus, quia luci proximus, ita & magis transpicuitas: quæ simplicior est in priori gradu ante candorem. Nec frigus glaciei ipsam impedit, quia dispositione, facie; & viribus, repellere potentibus, caret.

De coloribus elementorum, & cælestium in libello de Coloribus, contraria sibi & Naturæ, Aristotelem pronunciasse dogmata, &c.

NOn minus ineptè in libro de sensu, & sensili colores ex non coloratis facit elementis, vt etiam in 2. de anima, sed subsequi in corporibus album, & nigrum, putat: quemadmodum lux & tenebræ in perspicuo: deinde colores secundum propositiones numerales miscet ex his, & secundum excessum, & defectum absque numero, mensuraque. Nihil tamen, qui, ex quibus gradibus, colores fiunt, docet: nec vllos numerat, nisi puniceum, ac purpureum, nec vnde album, & nigrum, & illi ex his, oriantur: & fingit se scire, quod nescit, & nollet dicere. In libro autem de coloribus Arist. ascripto, contraria sibi & naturæ docemur. Nigrum enim in humido ponit, eo, quod pueri in vtero capillos nigros emittunt ab humiditatis copia, Albedinem vero aëri, & terræ, propterea quod in cinerem redacta, suique puritatem adepta, alba detegitur: & ex his medios componit colores. Statimque sui oblitus, dat igni, & soli colorem flauum, non tamen ex albo terreo, & nigro aqueo compositum. At in primo Meteor. arguit Anaxagoram ponentem solem igneum, per hoc, quod sol est albus: ignis vero rubeus. Et in 3. Meteor. sui oblitus, ignem facit album: & fumorum nigrorum mistione, varios colores suscipientem.

Peripatetici ergo nil de veritate curantes, sed de tuenda positione tantum inconstanter, impii, stultique videntur, cum rerum naturas ex proprio arbitratu fingunt, non diuina ex conditione addiscunt, & Deum conditorem emendant: sibi & naturæ insuper aduersantes.

Quis enim ita insipiens est, vt more Poëtarum ignem, & Phœbum flauos pronunciet, cum manifestum sit quando per cælum nullis obsitum vaporibus conspiciuntur, & in flammis minus impuris, albos esse? Et vaporis nigri mistione, fieri flauos, & rubeos, vt matutinus, vespertinusque sol declarat, per vapores conspectus, & in fumosis lignis: vnde Ptolomeus ex viridi & croceo solis colore pluuias: ex puniceo alboque ventos prænoscit.

Proptereaque Astrologi fixarum naturam stellarum, & cometas, & eclypses, & ignitas apparitiones, ex coloribus referentibus planetas, sagaciter indagant. Mars enim rubeus: Venus lactea: Saturnus plūbeus. Iupiter alboclarus: Luna flaua maculosa: Mercurius varius, micansque, visuntur: vnde ipsorum naturas inuestigamus, vt in 3. Par. examinabimus.

Terram albam esse, insipienter definiunt, vanissimaque ratione: cinis enim non est pura tellus, sed vexata, immutataque, & à sui conditione in ignis conditiones alienata: Ergo ex nigredine in alborem translata, & ex frigiditate in calorem adurentem, & ex tenacitate densissima in minuta frustula disgregata. Quis præterea tam rudis vt à contrario igne perfici & non potius destrui, intelligat?

Stultius quoque humiditati nigredinem adscribunt, quibus transpicuitatem, & albedinem, vel mussitando dederant: cum præterea humida Entia à calore, soluente terram in fluores, vel in vapores, qui protinus in liquores congregantur, fiant. Vnde alba à sua origine putari debent. Ergo quemadmodum caloris copia nigrescere Entia nequeunt, sic neque humores.

Neque enim ligna, & tellus humore nigra sunt, sed crassitie multa: à calore autem passa albescunt, non quia siccescunt, sed quia calorem participant. Nam à multo calore correpta in flammas albas, & tenuitatem, & in cinerem, & vitrum vertuntur. potius quidem siccitati, quem terræ dant, ater color tribuendus erat: quando quidem adusta corpora melancholica, & exiccata nigrescunt: flegmatica verò, & puerilia humidissima flaua albaque nascuntur. Mox à calore solidata nigrescunt magis, minusque. in senectute verò albescunt, cum calor albus ex capillis exhalare nequit: atrabiliosos tamen infantes capillis nigros nasci, non humiditas, sed caliditas facit, & menstrui impuritas. Siquidē calor materiam fuliginosam, ex qua oriūtur capilli, vrit, & tenuitatem educit albam: manifestatque materiæ faciem corpulentam, nigramque. Probatum est quidem in Phys. quæst. calorem per se albefacere, omniaque Entia in alborem, & transpicuitatem tandem conuertere, si magnus est, multoque agit tempore: per accidens verò nigrefacere, & condensare, non omnes, sed dissimilares materias, in quas non multò egit tempore, partesque tenues albasque, sibi minus resistentes, educit; & crassas, nigrasque sub albore, & tenuitate latentes detegit, frigus verò contrariūfacere, vt dictum est prius.

Quapropter non satis mirari queo recentiores Philosophos, qui maculas Lunæ aquarum congeries cum Plutarcho esse putent. Quæ nimirum ex aduerso sole, vt faciunt omnia transpicua amica lucis, splendorem maximum referre deberent. nam nec ob aliud humoribus & tunicis transpicuis extruxit oculos, nisi vt in eis tanquam in cognatis rebus lux ex rerum faciebus reflexa, coloribusque earum tincta, viam habere, & multiplicari, & spiritui similiter transpicuo, lucidoque communicare, quas defert rerum facies, possit cōmodius. Quod si Peripatetici considerassent, nec sensu agente indigerent, nec fictis intentionalitatibus, nec qua ratione obiecta propriis formis spoliantur, & qua intra oculum ferantur, perquirerent absque fine. Verum quidem est quod lux ex scabrosis corporibus resiliens, quoniam ex omni particula reflectitur ad vicinam, plus lucere & amplius solet; ex leuibus verò aqueisque non vndique ad nos flectitur, sed certam vnam viam luminosam ostendit visui, & moto visu illa mouetur, quoniam aliunde resilit. Attamen ex immensis Aquis lunaribus quin saltem vnam orbitam magnam reflectat, inficiari non possunt.

De actione soni in auditu, & de vsu auditus, & sui obiecti ad scientiam, & mores.

QVemadmodum spiritus primalitas per lucem ipsius spiritus agnoscebat ea, quæ deferantur à luce, ipsamque lucem, & per corporeitatem, & calorem sentiebat corpulentias, siue tenues, siue crassas, calore temperatas, in naribus & lingua; & per calorem innatum ipsius spiritus calores, & frigora suscipere, ac sentire per tactum potens erat: ita nunc per motum, quo semper agitatur spiritus naturâ mobilis, natus est suscipere exteriores motus, ac proinde de mouentibus, & mobilibus iudicare, & quidquid per motum communicari potest, addiscere: propterreáque diximus, aures factas esse implantato aëre plenas. Omnis quidem motus quatenus fit, motus dicitur; quatenus verò communicatur mobili spiritui in auris tympano, vocatur sonus, propterea ergo non omnes motus sentiuntur, quoniam nostri spiritus motibus sunt minores, aut ordinarij, aut distantes.

Duplicem annunciationem facit sonus, alteram, qua discernimus vires mouentis, mobilisque, & quantitatem, saltem confusè. Motus enim ingens mouentis vires ingentes annunciat; exilis, exiles; grauis magnum mouens, aëremque multum impellens, acutus gracilem quantitatem, fortiter tamen impellentem; asper diuersitatem mobilis, seu mouentis; sonorus æqualitatem mouentis, aut motionis: Consonans consimilitudinem motionis cum innata motione spiritus: dissonans, discrepantiam; tollit enim spiritum à sui motus symmetria.

Quapropter non rectè Musici consonantias omnes in Mundo esse eas, quæ in nostra Musica habentur, qualis est inter primam, & tertiam, vel septimam, vel octauam graduationem vocis. Asinis enim & serpentibus, & leonibus aliæ sunt consonantiæ, quia aliter temperatum habent spiritum: immò & in genere hominum, alia nationum aliarū alia est Musica; Hispana enim sapit asperum, Gallicana blandum, Italica medium tenet locum, Turcica luctuosum quid refert, Scytica obstreperum, & dissonans.

Similiter & hominibus eiusdem nationis alia aliis placet melodia pro cuiusque temperie. Immò & pro differentia loci. in bello enim clangor tubarum violentus, & impetuosus placet ad commouendos spiritus in iram erga hostes. In templo lenis, suauis, cum quodam acumine ad sedandas passiones, spiritumque ad contemplationes eleuandum. In nuptiis titillantes soni, ad lasciuiam prouocantes. In luctu graues, & deficientes, luctuosique valent. Spiritus enim cum rerum externarum afficitur odio, vel amore, vel spe, vel veneratione, vel ira, vel quacunque alia passionē, aliis mouetur motibus. Siquidem cum irascitur impetuosus ad externas fertur partes, intendit neruos, turbat oculos, sanguinéque subsequente vultum tingit. Cum verò contemplatur, curam corporis omittit, & ad primalitatem secundam conuertitur; cum timet, introrsum sese colligit, vnde oculi eius abscessu obscurantur, vultus pallet, & friget, de quibus passionibus locuti sumus in Physiologia.

Qui ergo sapienter Musicus est, quibus motibus in quacumque passione positus moueri solet spiritus, intelligit, & differentias, & motus, tarditates, velocitates, crebritatem, magnitudinem, paruitatem, imbecillitatem, & robur, sagaciter indagat, prout in quarto Medicinalium de pulsibus demóstrauimus; atque cantus momenta modulosque, quos per notas quasdam ostendere in scriptura solent, descriptis spatiis, eleuationes & depressiones per lineas superiores, & inferiores, notabunt caracteribus velocitatis, & tarditatis, magnitudinis, & paruitatis, quæ per notas plurium, vel paucarum pulsationum mensurantur, & per notas crebritatis, & raritatis, similiter de cæteris: cuius rei arcanum Musici nostri ignorantes, applicāt cuilibet affectioni quascunque notas sibi placere visas, & verba, quæ cantantur omni modulationi. absque discretione insæciliter adaptant. Quamque sit ad mores perficiendos, & vitiandos, opportuna Musi-

Probabimus autem in ſeq. p. quòd Ens omne, quantum habet de Bonitate, quam participat à Bonitate Dei infinita, quæ eſt obiectum Amoris; tantum & habet de amore ſui eſſe vt bonum eſt, teſte D. Thoma, & quantum habet de veritate, qua particeps ſimiliſque eſt veritatis ideantis. Tantum habet de ſapientiæ participio, qui ſapit Deum ſupra ſe, & ſe per ſe, & alia per accidẽs; ergo & quantum habet de exiſtentia, quæ obiectum eſt potentiæ, & participium, ſeu imitatio diuini Eſſe, tantum habet de Potentia, qua poteſt Deum præ ſe, & ſe eſſentialiter, & alia accidentaliter, &c.

Porrò enim omne Ens vult appetitque primo per ſe, & ſecundum quod ipſum Eſſe proprium: alia verò propter ſe, quia iuuant ſuum eſſe: aliaque per accidens, quoniam adiuncta ſunt iis, quæ ipſorum eſſe ſeruant, quemadmodum dicebamus, quod primo & per ſe, & ſecundũ quod ipſum ſapiũt proprium eſſe; ac propter ſe ſapiunt ea, quæ ipſorum ſapere iuuant, per accidens vero adiuncta iis. Proptereà data ſunt organa, & facultates vtrarumque. Idem dicemus de Potentia. Alia quidem à ſe appetere conuenit rebus quatenus non poſſunt eſſe per ſe & ſolitariè, niſi cum aliis coexiſtant, id quod conuenire poſſet ſoli Deo, & forſan vniuerſo, ſi non habet alia ſyſtemata extra ſe. Et fortaſſe ſi homo eſſet intra ſpatium vniuerſale extra Mundum, non haberet quid appeteret, neque quid odiret, neque quid ſentiret; ergo non eſſet grauis nec leuis, quæ ſunt propenſiones volitiui ad corpora; neque indigeret victu & veſtitu; quo conſeruaretur, neque ſcientia exterorum quæ ſciret, vt quæreret, aut caueret: ergo neque ſenſoriis, neque appetitoriis organis, neque poteſtatoriis, neque operatoriis, vnde apparet omne Ens finitum indigere organis, & facultatibus propter exteriora obiecta, abſque quibus eſſe non poteſt.

Cum ergo homo poſitus ſit intra Cœlum & Terram, contraria Entia, & ex eis conſtitutus, innato amore pars cœleſtis, quæ ſpiritus eſt, appetit Cœlum, Terreſtris verò Terram: & ideò niſi corpus ſuſtentetur à ſpiritu cadit deorſum ad Terram; & ſpiritus niſi retentus cohibeatur à corpore, ſurſum exhalaret ſtatim. Non tamen ceſſat innato appetitu Cœlum petere, & ideo attenuare ſubiectum corpus, & ſurſum in tenuitatem actum eleuare, quamuis ſit factus vitalis animali: vtque inſtauretur quod perditur, indigemus cibo in eius locum aggenerabili. Neque ceſſat corpus deorſum petere, & ſui portiunculas in Terram abdicare, quamuis ſit factum habitaculum ſpiritus animalis, & ideò repugnat motui progreſſiuo varioque animali, deorſum tantum trahens, innato appetitu, non autem adſcito.

Propterea que oportuit habere pedes, vt dum ſpiritus ſtatuam mouet, innitatur Telluri altero, ne cadat, altero verò gradiatur quorſum neceſſe eſt. Si autem eſſet extra Mundum, nec ſpiritus haberet Cœlum, ad quod tendat amore innato, nec corpus Terram, ad quam ponderet. Pondus enim amoris eſt actus, impetuſue. Omnis res ergo quamuis ſui oblita appareat ob illatas notiones & affectiones, tamen, innatis ſemper ad ſuam originem contendit, vel ad Terram, vel ad Cœlum, vel ad Aquas. Ergo ſimiliter Mens ad Deum. vnde rectiſſimè docet D. Thomas, omnem Creaturam, quamuis inſenſatam, vt lapis, magis amare Deum quam ſeipſam innato amore, licet non item electiuo. Et D. Hieronymus, omnem Creaturam, licet videatur inſenſata, magis ſapere Deum quàm ſe ipſam ſecreto ſapore, vnde ſequitur quod magis poſſit, & ſit Deum, quàm ſe ipſam, quoniam à Deo eſt eſſe, à ſe Nihilitas, vt in ſequent. par. dico abdita potentia, ſapientia & amore, non autem additis ex nouo modo eſſendi: qui modi cum ceſſauerint diſperſa vnientur, & conuertentur in Deum: & liberabuntur à ſeruitute corruptionis, vt Dionyſ. ex Apoſtolo. vnde Theodorus Platonicus, & Ficinus, omne Ens amare adorare Deum, ſummum bonum, eique vouere, docuit in Arcanis entium: declarandis cum alienationes ceſſauerint.

Intereà obiecta appetibilia ſeruantia noſtrum eſſe propter ſe quæſita, ſunt commeſtibile, generabile, expulſibile: Ad commeſtibile, cuius appetitorium eſt in ventriculo, comitatur ſanguificabile in iecore, ſpirificabile in corde, & nutribile in toto corpore.

Alimentum ergo ſiue ſolidum, vt cibus, ſiue humidum, vt potus, mouet Appetentem vim non ad appetendum, ſemper enim amat ſe eſſe, & originem ſui eſſe, quæ eſt Deus, non autem hoc vel illud. vnde dicebamus moueri ſpecificatiuè & occaſionaliter non exercitiuè & cauſaliter. Quoniam appetitus naſcitur ex indigentia, & notitia indigentiæ, & obiecti quo indigemus. Omnia Entia finita, quatenus finita tendunt ad non eſſe, forſan pleraque per diſſolutionem, idcirco indigent conſeruatiuo ſui eſſe, vel conſeruatione indiuidui vel ſpeciei: proptereà putandum omnia indigere alimento ſecundum magis & minus. Idcirco & mentes intellectuales ſi paterentur effluxum ſui eſſe eſſentiatæ ex Potentia, Sapientia, & Amore, indigerent alimentis ſui generis vocatis à Platone Nectar & Ambroſia. Mundusque ſi pateretur effluxum conſimiliter aleretur: ſimiliter ſidera, & ſyſtemata. At intra corpus mundi Entia noſtratia manifeſtè indigent, proptereaque habent naturales facultates appetitiuas. Appetunt autem conſimilia ſibi; non enim diſſimilibus, quæ in ipſa conuerti non poſſunt, aluntur. Igitur cum ſit varietas multa, non ſolum ratione temperamenti, ſed etiam idealis graduationis rerum: Proptereà varia ſunt alimenta; ſi quidem aliis homo veſcitur, & Canis, & Muſca, & Planta, & Vermes. Si enim omnia manducarent panem, non ſufficeret triticum omnibus, nec differentiam haberent cum homine. Hinc eſt quod odores, ſapores, colores, non omnibus iidem. ergo varij ſenſus & appetitus, ſenſoria & appetitoria, & quæ nobis fœtent ſtercora, olent vermibus, Porcis, & Gallinis: & mouent etiam à longè per ſympathiam à communi ſenſu multiplicatam non omnia, ſed ea quæ illis indigent. Proptereà Apes ſentiunt diſtantiſſimos à ſuis aluearibus flores, & formicæ grana, & Canes feras, & Equus inſidias, quæ latent nos. Nam & bona & mala prænoſſe ac proinde amare, & odire, ad conſeruationem indiuidui opus eſt.

Similiter ad ſpeciem ſeruandam indigent comprincipio, quo à longè mouentur tam mirificè,

rificè, vt tempore coitus ex distantissimis locis mas & fœmina conueniant; & Murena ex Mari ad Colubrum in littore exeat. Galenus etiam nouit, quod vbi natura vult, inuia facit peruia, cum empiema per membranas densas expellit, & lienis fragmina fæculentæ ad vessicam vrinariam, quorsum nulla via apparet, perducit, vt escam pullis coruorum. Sed non eodem impetu fertur alimentum ad esurientem, quo fœmina ad masculum, & è conuerso; quoniam in alimentatione alterum perditur, alterum augetur; nisi viuum sit vtrumque, & alterum ab altero quippiam speret, velut Mustela in os Bufonis post circumcursationem deuoranda delabitur, dum sperat illius halitu frui: & Luscinia in os Viparæ; Sunt enim animantia alterum alterius cibus, & deteriora & imbecilliora meliorum & fortiorum. Hoc autem ex ipsa natiuitate cognoscunt tanquam reminiscentia actorum in Lumbis parentum, vnde aranea bene paruula simul atque nascitur nullo docente texit retia in capturam Culicum & Muscarum de propria quidem substantia, & Felis paruula in mures irruit. Et ex dissecta pecude agnus eductus statim ambulat, & vascula diuersis liquoribus plena, non gustat, nisi tantum vas lactis, vt expertus est Galenus. Instrumentaque habent parata naturaliter ad venandum cibum, Vngues, Rostrum, Dentes, Forcipes, vt Cancer, quibus etiam ad pugnam vtitur.

Apes verò quinque lingulas habent ad exhauriendum mel ex floribus: Muscæ, & Culices terebrum fistulatum, vt penetrent ad humorem, quo vescuntur, & sugant. Formicæ autem os forcicatum vt grana capiant, & rodant. Ad venerem vero concurrunt ex æquo, quoniam vtriusque conseruatio ex coitu succedit, non sic autem aliti & alimenti, nisi post primam cocturam, & assimilationem, quando nimirum Chilus in Iecur fertur, & sanguis in venas, & ex venis in carnes per duplicem attractiuam, & duplicem compulsiuam facultatem, vt in Physiologia declaramus, & facultates appetentis animæ docuimus, non autem appetibilis rei, quoniam non agit in appetitum, nisi prius in sensum, & occasionaliter tantum non causaliter.

Potestatiui autem obiecta consimiliter se habent, sed non omninò; nam reuera pondus grauat substentatiuum, & nociuum lædit munitiuum; item hostile pugnatiuum. Non sic autem colligabile ad colligatiuum, & contenibile ad contentiuum: Nam potius materialiter se habent, quàm actiuè: licet exitum appetant, & dissociationem quandoque, vt colligata ligna, & inclusus passer. Verum naturaliter contenta, & colligata non ita repugnant, vt Neruus, Caro, Venæ, & Ossa intra Corium, & sanguis intra Iecur.

De ponderibus autem dicere posteà tentabimus, quoniam tribuuntur materiæ dispositionibus, & tamen sunt appetitiui propensiones; vel communes, quo omnia corpora deorsum ad systematis vnionem, & conseruationem coeunt; vel particulares, quo simul ad situm conuenientem formationi ipsorum corporum, feruntur. Extra Mundum autem posita non grauitarent neque leuitarent; quia non haberent quid fugiant, aut quid sequantur; sed Primalitatum facultate ferrentur vel starent. Et vnus impulsus sempiternum motum daret corpori quamuis magno.

Propterea enim intra ventrem Mundi proiecta, Lapis, & Trochus, & Turbo, commota, cessant. mox moueri, quoniam & aër obsistens, & corpulentia cuiusque deorsum natura tendens, paulatim adimunt vires impulsioni, ita vt vis impressa deficiat. Atqui in principio non ita robusta est, quoniam discedens ab immoto sapit adhuc immobilitatem; in medio verò acquirit vires à momentis: sicut enim crescit calor, ita & omnis vis.

In fine tandem fatigata incessanter ab aëris obsistentia, & propensione erga Tellurem decrescit, & moritur: sic impetus impressus, vti calor impressus; quæ duo scilicet obsistentia, & pondus deessent extra Mundum. Considera etiam quod manus non potest aliquid mouere nisi ipsa moueatur; & vt possit mouere fortiter manus mouetur retrorsum, vt acquisito motu moueat. Manifestum est etiam in stateris & leua, quod maiorem vim mouendi habent partes ab immobili centro distantiores, quàm viciniores.

Ex eisdem considerare possumus, quod sydera moueri queant à luce sola quorsum non habent resistentiam, sicut veru fumo, & Nauis vno capillo trahi, & Mundus vno flatu impelli atque rotari.

At quoniam potentiæ actiuæ ad passiuas referuntur in quas edunt opus: nisi de materia ex qua omnia obiecta hæc emergunt ad notionem tractauerimus, nec actiones passionesque Physicas, ex quibus ad superioris ordinis actiones, & passiones analogicè assurgimus, in incerto versabimur.

DE MATERIA
PARS SECVNDA.

QVID SIT MATERIA GENERATIM, & de nomine substantiæ triplicis, earumque differentijs.

CAP. V. ART. I.

CONVENERVNT quidē Philosophi omnes, quod materia sit id, ex quo aliquid fit, ita vt insit, ficut Arist. definiuit: non rectè sibi, cui cælum non fit, & tamen materiam habet; Vnde potius dicendum fuerat, ex quo aliquid constat. At præterea ex elementis fiunt mista. & constant, in quibus insunt causæ actiuæ, de quibus fit elementatum, nec tantum materia sunt. Propterea dicendum erat, materiam esse subiectum formarum, & mutationum. Nam & si calor elementaris inest, vt agens proximum, non vt subiectum inest. Item vt à quo, non de quo res fiunt, constantque. Inest etiam & spatium, sed vt in quo. Et quoniam istæ voculæ non in omni idiomate idem significant, propterea nos diximus, materiam esse substantiam secundam, ex qua, vt in existente res constant & fiunt: calor enim non est substantia, sed actiua virtus; attamen essentiatiua. substantia enim dicitur à substando: primo autem substat spatium ipsi materiæ, & principaliter, & maximè; tanquam basis omnium corporum intrinsecus, & extrinsecus. etenim locata corpora ab eo recedunt, & accedunt secundum partem, & si non omnino, nec mouetur cum locatis, licet penetret ea incorporaliter, & penetretur àb eis corporaliter, vnde subesse, non inesse cōpositis rebus dicitur; propterea materies vocatur secunda substantia, à qua recedunt, & accedunt formæ rerum, numeri, & ideæ, ipsa quidem non immota, vt spatium, sed solum immutata ex parte non omninò: non enim ex materia fit forma, sed in materia. Propterea vocatur secunda substantia, quia inest primæ, id est loco, & substat formis, quarum est locus, propriè & principaliter, sed non maximè. Tertia autem substantia est compositum ex materia & forma, quod propriè, sed non principaliter, nec maximè subest accidentibus, & passionibus post completum esse essentiale adcedentibus. Et hac ratione anima etiam & Angelus substantiæ dici possunt, quia accidentibus substant. Deus autem nullo pacto dici substantia debet, si respicis vnde nomen imponitur, teste Augustino Theologo Magno, sed essentia. Non enim substat corporibus vt spatium, nec formis vt materia, nec accidētibus vt compositum materialiter, nec suo actui, vt sub sistens, nec suo non esse vt res finitæ, licet omnia portet verbo virtutis suæ, hæc omnia faciens, conseruansque. Dicitur tamen substantia aliquando, & subsistentia vt distinguatur ab accidentibus in Theologia. Sed omne nomen dicens sub, ablegatur à Deo, teste August. & Thoma.

EXAMEN OPINIONIS ARIST. CVM VVLT materiam non esse Quid, nec Quale, nec Quan. sed puram potentiam. probaturque, esse substantiam secundam, spatium verò primam.

ARTIC. II.

Ex primo Phys.

VErùm non satis liquet apud Philosophos, quid sit materia. Aristoteles enim putat non esse quid, nec quale, nec quantum, nec Ens aliquod; sed potentiam ad omnia: & per potentiam essentiari, vt actui, id est, formis substet, à quibus recepit essentiam, & existentiam. Forma enim dat esse rebus. Deinde spatium incorporeum nihil esse, contendunt; quoniam dimensiones haberet, penetrantes corpora, & sic duo corpora essent simul, & loculi infiniti; quoniam infinitæ sunt locati partes. ideoque primam substantiam, non vult esse locum. At ex hoc sequebatur, materiam esse substantiam primam, quod tamen ipse negat in prædicamentis: dum substantiam, quæ propriè principaliter, & maximè substare dicitur, vult, esse indiuiduum compositum, quod in prædicatione Logica verificant, & perperam: Nam homo pluribus, subiicitur quā Petrus. dicetur enim de homine albus & Musicus, & non de Petro. Item propterea substat indiui-

duum compositum, quoniam materiam habet, quæ prius & magis substat suæ formæ, ac proinde accidentibus, & prædicationes reales de ea fieri possunt. Dicimus enim, materiam Petri esse animatam hac anima, & humanatam & calidam, & albam, &c. homo autem est animal, & corpus, & substantia; similiter & Petrus subiicitur iisdem prædicationibus, non vt prius, sed vt congruentius notionibus de quibus in sequēti lib. & debebat dici indiuiduū substātia singularis, nō prima: species verò & genus substantia vniuersalis, non secunda, vt in Logica probauimus. Item & si indiuiduum sit subiectum speciei, quod fallaciter dicitur, est enim in prædicando non in essendo, prædicatur enim idem vniuersale de se ipso vt singulare, cum dico, Petrus est homo, & non de Petro sicut de subiecto rei, sed notionis. Idcircò definitio subiecti notionum non erat facienda per ea, quæ conueniunt veris subiectis rerum maxime, & principaliter, & propriè, quòd sanè de solo spatio, in quo Mundus stat, dicendum fuerat. Quod nimirum est immobile incorporeum aptum ad suscipienda corpora: propterea quod longum, latum, & profundum, vt possit illi commensurari. Non autem corporaliter. si enim esset corpus, corpora non susciperet, vt arguebat Arist. Ac si habet dimensiones necessariò habet, vt possit locare, & in eo sunt Mathematica Entia. Non enim corpus esset longum, nisi in spatio longo, nec profundum, nisi in profundo, nec latum nisi in lato. Mediumque est inter diuina Entia, & corporalia. Nec rectè Arist. contra Platonem ait, Mathematicos abstrahere à materia singulari, & non communi. Ab omni enim materia abstrahunt: quoniam in spatio puncta, lineas & superficies, & profunditates designant, metiuntur, & verificant. Neque enim triangulum, vt ligneum, aut æreum considerant: neque hunc, aut illum, nisi quatenus similem illi, qui in spatio prorsus est, vt animo designatur, non autē in materia, in qua nunquam prorsus talis est, qualis animo describitur: nec forsā sphera materialis tangit planum in puncto tantum, sed quæ in spatio signatur. Materia autem substat propter spatium, compositum propter materiam.

Materiam esse corpoream molem.

Circa materiæ essentiam valde cæcutiunt. Si enim principium est, ergo Ens est: si Ens est, ergo non à forma, sed à suo Esse materiali: à forma enim habet esse formale, non materiale. & essentiæ est idea, & materię non est idea, nec Entitas, nisi quatenus est moles corporea, teste S. Thoma. Ergo natura materiæ est, vt sit corpus vniuersale informe, & iners: aptum ad recipiendas formas, & operationes & numeros. Moles enim corporea est subiectum, ex quo res fiunt, & in quod resoluuntur, & de quo res fit cum insit: omnesque rationes materiæ, à Philosophis inuentæ, corpori substantiali Physico, non autem Mathematico conueniunt, nec puræ potentiæ Aristotelicorum.

Item anima quælibet, & forma est actus corporis, non autem alterius Entis prioris. corpus etiam passiuum est Ens, omnes suscipiens formas, propereaque diuisibile, vnibile, figurabile, penetrabile, extendibile, contrahibile, frigefactibile, calefactibile, colorabile, mobile, immotabile, transmutabile omnibus modis, & cathegoriis rerum. Ergo cum hæc omnia sint passiones materiæ, rectissimè materia videtur esse corporea moles: nullam determinatam habens formam, nec certam dimensionem, sed susceptiua omnium formarum, & terminorum, & mensurarum, & dimensionum, & numerorum. Videtur ergo somnium, & delirium materia illa Aristotelica, vt benè perpendit S. Iustinus martyr, Philosophus præclarus, qui etiā ait, ex materia, & forma, quarum nulla est corpus fieri non potest corpus. Ergo vel forma, vel materia sunt corpus. Nemo autem dicet, animam esse corpus, & calorem, & huiusmodi formas. Ergo materia sit corpus. Hoc etiam argumentum est Auer. & Arist. in 3. de Cælo, vbi contra Platoné, probantem ex non corpore non fieri corpus, & propterea perperam ex superficiebus à Platone gigni: quod quidem minus inconueniens est, quàm dogma Aristotelicorum: Superficies enim & lineæ sunt res materiales, & quantitates aliquo modo. at forma, & materia Aristotelica sunt penitus incorporea, & non quanta vllo pacto. quomodo ergo ex eis fiet corpus? figuratio, dimensio, quantitas? At quomodo materia incorporea potuit diuidi ab actiuis causis, & formas sortiri plurimas, & numeros, nisi corpus informe sit, quemadmodum Basilius, & Origenes, & Chrysostomus, & alij Patres docent: ipsaque scriptura Dei, quæ ornatum materiei adcessisse à Deo docent, & distinctionem. Distingui autem, & separari, & formari, & ornari Ens non quantum minimè potest, vt probat S. Thom. etiam in lib. de Nat. Generis. vnde & Ecclesia canit *Tetrum chaos illabitur*, & licet tempore materia nō præcesserit formam, præcessit tamen origine, & natura.

In lib. cō- fut. dogm. Arist.

Ars quoque & Natura declarant, formas materiæ aduenire, nec esse illi coæuas. Ergo etiam in principio Mundi fuit materia corpus ornabile ante formas. eundem enim ordinem seruant res in progressibus, quem sortiuntur in exordiis, vt rectè admonet Ambrosius.

Examen sententiæ Alexandri Aphrodisij.

HÆc Peripatetici considerantes, in varias scinduntur sententias. Alexander in primo de An. c. 21. & sec. q. c. 24. ait. Omnem formam compositi, & elementati esse formam corporis. nam prius miscentur elementa, quæ sunt corpora, & ex eorum conflictu, ac temperie nascitur vltima perfectio, quæ est forma corporis, & ita anima etiam habet diuersas virtutes, quia diuersas elementorum vires coadunat. Compositum tandem est materia Artis. At formam elementi non in corpore recipi, sed in materia prima incorporea, vt ignis, calor, & lenitas, non præsupponat corporeitatem. Et cùm instatur, ergo ex non corpore fit corpus. Respondet. Hoc necessarium esse, veluti ex non calido fit calidum, & quodlibet ex sua priuatione. Cumque videret hoc responsum destruere totam Philosophiam Aristotelis: Platonem, componentem ex superficiebus non corporibus corpora, redarguentis; cui nempè respondi posset, hoc esse necessarium, sicuti ex non calido calidum; vnde etiam sequeretur, quod ex non Ente

possit Ens fieri, & de nihilo aliquid. Et quod Epicurus malè impugnatur ab ipsomet Alexandro in 2. de An. quòd ex non coloratis fuit colorata, subiungit ipse Alexander. Quia semper Mundus fuit, & semper erit: ergo semper fuit corpus, & omnia elementa sunt corpora: & ex corpore præcedenti fit sequens, vt ex corpore aquæ aër, mutata forma: vbi tandem fatetur materiam semper esse corpus, & quia ibidem dicit, corpus agere, non vt corpus, sed vt actuatum forma, de se autem passiuum Ens esse: quod omnes Peripatetici fatentur, & ipsemet Aristoteles, qui & quantitati negat actiuitatem in prædicamentis, eò quòd non habet contrarium: Igitur fateri debuisset materiam esse corpus de genere substantiæ, non quantitatis, quæ eius est terminus,

Examen Auerr.

AVerroes in lib. de substantia orbis, & in Physic. 1. præfatis victus rationibus, arbitratur, materiam non esse corpus, ne contradiceret Aristoteli, neganti esse quid, & quale, & quantum; vult tamen congenitas, & coæuas habere dimensiones interminatas, vt possit diuidi, ac formas plures in pluribus sui partibus recipere, eò quòd absque dimensionibus impartibilis erat: vtque formæ possint in ea extendi, atque fiat actio, generatio, & corruptio, & ex corpore corpus.

Contra Auerroem Latini Aristotelici opponuntur. Primo, quoniam ex tali dogmate sequeretur, quòd corporeitas, quæ est forma accidentalis præcedit formam substantialem in materia; & quòd prius fiat hæc quanta, quam quid. & quòd ex materia, & forma fiat Ens per accidens vnum, non simpliciter, propter hoc, quod forma aduenit materię iam in actu accidentis positæ. Item quòd essent quatuor principia naturalium, scil. materia, forma, priuatio, & dimensio: cui nimirum magis conuenit esse principium, quam priuationi, cum in fieri, & in facto esse dimensio principiet, & est Ens; priuatio verò nihil.

Verum istæ rationes nullæ sunt, nisi in peripato, vt & Scotus nouit, & Aureolus. Stringunt tamen, nisi dicat Auer. corporeitatem idem esse, quòd matericitas, ergo substantia non accidens, ipsa nimirum materia. Quod tamen ne Aristoteli videretur incommodũ, noluit dicere, contentus, quòd sit accidens coæuum materiæ. Porrò (dicendum) si substantia est secundum rem corporeitas interminata, nec fiet forma post accidens, nec vnum per accidens: nec prius quantitas, nec quatuor erunt principia: Et cum obiiciunt, nos facere ex duobus prædicamentis vnum; Corpus enim quantitas est, materia verò substantia) facilè respondemus ly corpus interminatum, esse de genere substantię passiuæ, vt probat S.Thom. opusc. 42. cap. 6. Terminus autem, qui est quantitas vocata Aristoteli, mensura substantiæ est, accidens per se propriumque corporis. qualitas autem termini est figura. Non quidem dicitur interminata, quia in infinitum extensa est secundum omnes dimensiones negatiuè, sed priuatiuè: quia non habet, etiam Auerroi certam magnitudinem, & figuram, ita, quòd alias suscipere non possit, si ab agentibus causis transmutetur. Et quidem antè Mundi ornatum, & formam, erat omninò interminata, sed nunc non reperitur absque certis terminis, sed non ita regnantibus in ea, quin possit alios semper acquirere. & hoc patet, quia, dum aqua rarefit in aërem, paulatim mutat terminos quantitatis suæ in ampliores: similiter cum ex cereo triangulo fit circulus, non perditur corporeitas substantialis, sed dimensio variatur, & cum rarescit ampliatur profunditas, producitur longitudo, expanditur latitudo. Perditur tamen vis actiua formalis, vt calor, frigus, spissitudo, grauitas, albedo. Propterea aliquo pacto sunt in materia formæ materiales: actiuæ autem accedunt, & recedunt cum suis affeclis. Mirum quomodo corpus, dicunt, esse accidens: cum accidens adueniat extra essentiam; corpus autem ita sit de Mundi, & elementorum essentia, vt sine ipso sint omnia ferè nihil.

Examen opinionum Latinorum Peripat.

LAtini verò nec melius quid docent, imò absurdiora. aiunt enim, formam vniri materiæ nudæ tam in simplicibus elementis, quàm elementatis: prærequiri autem dispositiones ad introductionem formarum, non autem ad vnionem. vndè in misto volunt elementorum virtutes, calorem, frigus, humiditatem, siccitatem corrumpi in nihilum, quia desinunt esse: generari tamen mediam qualitatem, ipsorum vires hæreditantem: quæ tamen adueniente anima, alterave forma, corrumpitur, & corrumpitur corporeitas, & quantitas, & figura, & organizatio materię. Ergo quos formauit oculos in recenti animali Natura, & manus, & caput, & partium formę, & organizationes, adueniente anima corrumpuntur, & alię de nouo similes generantur ex virtute animæ, dum vnitur materiæ nudæ omninò. Similiter cum moritur homo, & planta, corrumpitur figura, oculi, pedes, manus, & fit resolutio vsque ad materiam primam in instanti, in quo vnitur forma cadaueris materiæ primæ nudæ. Sed propter celeritatem hoc latere, quoniam subitò alij oculi, & aures, & figurę, & cicatrices nascuntur, subsequentes formam cadaueris, similes corruptis prioribus ita prorsus, vt non possit discerni sensibus, vtrum sint iidem numero genitis, & corruptis, excepta materia, quæ tamen non est Ens, nisi per formam.

Alij hanc resolutionem concedunt: sed accidentia, quæ videntur eadem genito & corrupto, sustentari à sequenti forma.

Profectò si licet ita fingere ab omni sensu alienissimas theses, affirmare quicquid libet poterimus; ac nos tueri in hac celeritate eludente sensus. Veluti quolibet die nasci, ac mori; sed hoc nos latere. & ignem esse frigidum, sed sensum falli. Quis sibi suaderi sustineat, non esse eandem carnem vitulæ, quam lanius vendit, & quam lupus à viuente abscindit, & eam, quæ erat viuentis? & digitum abscissum, esse statim alium numero ab eo, qui inerat non abscissus? Et quando musca necatur aqua, & ad solem reuiuiscit, conuerso denuo humore in spiritum, esse tres muscas: primam, quæ viuebat, secundam, quæ mortua erat, tertiam, quæ reuixit?

Non sine causa Parisienses articuli hanc sententiam damnant: quæ triplicem numero Christum facit. Alius enim viuit, aliæque manus, oculi, & caro

ſunt viuentis: alius eſt mortuus, alius denique, qui reſurrexit. Vnde deceptus videtur Thomas, qui tanquam eundem numero adorat, cuius cicatrices reputat eaſdem numero, cum ſint aliæ, tertiæque ſicut ego & tu. Scotus, & Henricus hoc deteſtantes à Peripato diſcedere debuiſſent. Anima enim non dat eſſe calidum, & corporeum, & dimenſionale. Hæ enim præſupponuntur in elementis, vt ait Alexander, ſed dat eſſe animatum, & fit ex eis vnum per ſe, non vnitate animæ, & formæ, ſed totalitatis, & ſubſtantialis vnionis vi: de qua alibi.

Præterea hoc mirum, quomodo non calida forma, & non corporea habeat vim faciendi ſubito calorem, & miſtionis formam, & corporeitates in materia prorſus nudata.

At quid eſt corrumpens priores figuras, dimenſiones, & qualitates? non forma adueniens, quoniam ipſa eos requirit, vnde & conſimiles perſeuerant, aut per te fiunt ab ipſa in materia nudata. Non forma præcedens: quia ipſa non corrumpit ſeipſam, & accidentia ſua Ergo agens, quod nouam formam introducit, vt aſſerunt huius opinionis tutores: ſed agens eas vult, vt formæ, quam dat, aſſeclas: quomodo tam inſipienter, quod amat perdit?

At quæſo, quomodo Carnifex occidens vitulam, dat nouam organizationem, & qualitatem, & quantitatem, & figuram vitulæ, ſeu vitulinæ materiæ: imò & carnem aliam numero, quam propterea occidit, vt veſcatur eadem ipſa numero, & non alia? Ipſe hoc neſcit facere, neque vult, neque poteſt. Crearet enim ipſas, quoniam, nec ex materia nudata educit, nec cum forma dat.

Ego etiam morientem tenebam manibus hominem, vt reſolutionem iſtam in materiam nudam, & renaſcentiam nouæ rei, & organizationis agnoſcerem: & tamen nihil mutatum deprehendi: ſed tantum ſpiritum, quaſi nauta à naui ſeparatum, eadem omnia, quæ erant viuentis reliquiſſe, nec nouam formam adueniſſe, vt aiunt. Quod etiam ſanctus Ambroſius improbat, nedum Iuſtinus, mortem enim ſeparationem eſſe vult, generarique entia ex corruptis, non tamen ex annihilata corporeitate, ſed ſeruata, immutataque, vt & Aphrodiſius inuitus confitetur.

Item ſæpè contingit, ex lætitia, aut timore mori hominem: quomodo lætitia dat cadaueri quæcunque habebat viuus homo? Dicunt illa dari ab elemento dominante in miſto. O ſtultitia! ſi elementum hæc non habet, quomodo dat? vnde elicit? Item, per vos eſt corruptum, per alios debilitatum, quomodo ſubito quaſi Deus tantũ opificium producit?

Præterea ad quid Natura laborauit in formatione animalis, quam debet abiicere in introductione vltima entelechiæ? & cur nouam formationem facit, & abiicit præcedentem? vtique ſtulta eſt, quoniam repellit, quod vtiliter factum eſt.

Et ſi vnitur materiæ nudæ, cum hæc abſque diſpoſitionibus indifferens ſit ad omnes formas, non magis recipiet hanc, quam aliam.

At ſi virtutem formæ corporeitas mox ſequitur, & figuratio, & qualitas noua abiectis præcedentibus, ergo infinita eſt virtus formæ, quæ in inſtanti tot mira facit.

Et ſi cum adhuc minimè regnaret in materia, potuit in primo inſtanti hæc facere, magis poterit cum in dominio radicata fuerit. Ergo cum oculus ab homine eruitur, aut neruus rumpitur, aut vena, ſtatim anima poterit oculum reficere, & neruum, & venam, & multo citius, & melius. Sed hoc eſt falſum; Ergo & primum.

Præterea, forma cadaueris eſt eadem cum forma viui, ſoluſque ſpiritus ſeparatur in morte præſertim ex ſubitanea lætitia: nec forma noua aduenit faciens ſimillima prioribus, vt ſenſus & Theologia docet, & Ariſt. ipſe qui in habentibus ſymbolum ponit facilem tranſitum, quoniam ſymbolica forma & qualitas perſeuerat, in genere quę erat incorrupta. Vnde D Thom. ver. q. 3. ar. 6. remanere in aduentu animæ docet eundem calorem numero, & ſpiritum, & organa ad vſum nouæ formæ.

Cum vero ex non corpore faciunt corpus, ſimillimi ſunt Pythagoreis, qui ex punctis indiuiſibilibus lineas componunt: quod Ariſtoteles improbat, quoniam indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius: ergo nec ex anima, & materia indiuiſibilibus fit corpus. Item Ariſt. 1. de Gen. T. 28. materia ſine quantitate ait, eſt punctum aut inane. At nec punctum, nec inane poteſt ſubſterni quantitati & formis. Ergo, &c.

Item iuxta eorum dogmata quantitas ſequitur materiam & non formam, qua facie ergo nunc aſſerunt, corporeitatem quantam ſequi virtutem formæ, quæ virtualiter eſt corporeitas & miſtio, & ſenſitiua, & vegetatiua, vt dicunt recentiores, ſibi aduerſantes?

Similiter Aphrodiſius, & iſti poſſent facere de non materia materiam, quia de non corpore corpus.

Benè quidem ex non calido faciunt calidum, quoniam non ex quolibet non calido, ait Ariſt. primo Phyſ. ſed ex frigido, nec ex quolibet non albo fit album, ſed ex nigro. Contrarium enim poſt contrarium fit in eodem ſubiecto, vt omnes exponunt: ſed corpus cum non ſit contrarium alicui, quia quantitas non habet contrarium, ſe habebit materialiter, ita quod ſicut impoſſibile eſt fieri aliquid ex non materia ita ex non corpore iuxta omnium antiquorum dogma, & ſenſum.

Qui autem faciunt reſolutionem vſque ad materiam primam, & conſeruant accidentia, contradicunt poſitioni. Non enim cicatrix & organizatio, & calor viui, conſeruantur à forma mortui cadaueris, ſed tolluntur: ei enim nulli ſunt vſui: vel permanent contra ipſorum dogma. Nec ſi totius formę & quantitatis fit abolitio, organa & accidentia poſſunt remanere: & recipi prius in materia nudata, quam forma noua, vt ipſi aiunt: propterea D. Thomas in 3. p. q. 2. art. 2. & 5. quando loquitur, vt autor, non vt commentator, vult in aduentu animæ rationalis ſenſitiuam non aboleri, ſed perfici: Idem docet de calore qui nõ corrumpitur forma adueniente, ſed manet idem q. 9. ar. 3. ad 2. & 1. 2. q. 74. ar. 4. ad. 3. & de ver. q. 25. ar. 5. ad 13. Propterea in 3. Par. q. 50. reputat eundem numero Chriſtum viuum, ſepultum, & reſurgentem: eaſdemque cicatrices & organa numero in ipſo cognoſcit.

DEMOCRITI SENTENTIA, MATERIAM *esse corpuscula indiuisibilia figurata, qualitatum expertia, absque causis agentibus solo pondere in vacuo agitata, casu in corpora magna, & secunda concrescentia, &c.*

ARTICVLVS II.

DEMOCRITVS & Asseclæ Epicurei propter hæc fatentur materiam esse quid, & quale, & quantum in actu, & non meram potentiam: attamen actu passiuo, materialique: imò nec dant causam vllam agentem, sed materiam agere.

Vtque id faciant, in minutissima, dicunt, corpora esse naturaliter partitã, quorum quodlibet indiuisibile: omnis enim resolutio ad indiuisibilia terminatur: alioquin exæquè infinitis partibus constaret milium, atque elephas, & mundus, si in infinitum abit diuisio. Corpus autem componi ex his, in quæ resoluitur, consentaneum est. Si autem non esset finis resolutionis, sed diuisio in infinitum abiret: tunc oportuit aliquando fuisse diuisa in immensitate sæculorum omnino. Ergo in nihilum acta. Ergo si ex eis res factę sunt penitus diuisis, ex nihilo omnino factæ sunt. Quidquid enim totaliter omnino, & vndique diuisum est, illud nihil est: diuisio enim adnihilat: vnio entificat res. Nunc autem, neque ex nihilo, neque in nihilum res mutari videmus, sed certis è rebus atomis, quas in radio solis domum penetrante, contuemur, & in apicibus spinarum, & acuum, in quos indiuisos, si definit figura, facilè credendum est in tales atomos resolui, nec amplius vltra. Natura enim semper stat ex corruptis reparans Entia: corrumpi autem penitus non possunt, alioquin nihil posset ex eis ad nihilum actis fieri: nec ex non corporibus corpora. Inane enim spatium corpus non est, tale autem est, quod omnino diuisum est.

Oportet etiam reperiri inane, alioquin non esset motus, nec mutatio rerum: si enim non esset, compacta essent corpora omnia in vnum, nec quo ferrentur haberent: nec ergo fieret disgregatio, & congregatio, quæ localis motus species sunt, & generationem, & corruptionem, & alterationem constituunt ex concursu vario, & ordine, & positione minimorum: hoc autem faciunt ictibus: ictus ex ponderibus, & agitatione in vacuo. Ergo nulla requiritur causa actiua (aiunt) cum omnis actio sit localis motionis species: localis autem motio ex atomorum pondere satis est, vt fiat intra vacuum, præbens commoditatem.

Quoniam vero intelligebant Democratici, non posse fieri rerum agglutinationem, compositionemque, si atoma sunt nullius figuræ, figuras eis dederunt multigenas, & angulos & vncinos, quibus complicentur in vnum: dissoluuntur autem ictibus ab extra illatis: & quoniam penetrant, & penetrantur concretiones atomorum in inuicem agentium; Propterea alias res ex atomis acutis, & minutis componi, vt ignis, alias ex obtusis, vt tellus, alias ex hamatis, vt lapis, & omnia dura, alias ex rotundioribus, vt liquores, molliores que res. Mare autem qua fluidum ex leuibus, qua amatum ex asperis atomis

Figurarum autem species finitas esse putat. Nam & formæ corporum finitæ, certæque sunt: quas si augere velis aliquid addendo, forma mutatur. Item India res producit, quæ non fiunt in Europa: Ergo atoma aliter ibi figurata. Item inter sapores dantur extremi, similiter inter colores, & inter sonos, & inter æstum, & gelu: ergo & in figuris: ex quibus ista fiunt. Calor enim ex acutissimis, ac minutissimis constat atomis, vt eius vis penetratiua docet. Frigus ex obtusis forsan, aut ex aliter acutis: lux & tenebra, aliique colores principiis (ait Lucretius) atomis non insunt. Mutabiles enim sunt: at principia non mutantur. Videmus mare cæruleum, quod tamen cæruleum non est, alioquin non subito albesceret vento commotum: sicuti & quadrata res fit triangularis, & rotunda, quoniam naturaliter quadrata non erat, sed ex certa particularum positione, & ordine sic apparebat. Alba autem ex non albis facilius fiunt, quam ex nigris. Ergo nulla nigredo natiua inest iis, quæ albescunt. Item absque luce colores nulli sunt, sed figuræ solum tanguntur: ergo color fit ex lucis applicatione ad figuras, & variatur prout applicatio est recta, vel obliqua, vel alio situ, & ordine: vnde ex collo columbæ collustrato, prout refertur ad oculos lux, variat colores innumeros. Præterea in minutias res coloratæ redactæ colorem amittunt. Ergo atomorum non est color: sicuti nec multarum rerum est sonus, nec sapor, nec odor: nec propterea res non sunt. Quæ ergo non videmus, colorata non sunt.

Eisdem rationibus probat, nec qualitates tangibiles, nec audibilem sonum, nec saporem, nec odorem inesse atomis: quoniam oportet principia esse immutabilia: hæc autem mutantur situ, ordine, & partitione.

Confutatio plurium Positionum Democraticorum de Materia.

RECTÈ quidem Democratici ex non Entibus non generant, nisi ea, quæ ex Entium concursu fiunt, nec præinerant: sunt enim concursus: neque enim fit compositum ex compositis, sed ex simplicibus.

At cum color & lux, & calor, & sapor sint actiuæ res, suique multiplicatiuæ, nequaquam fieri possunt ex non actiuis sola relatione passiuorum: alioquin eadem ratione concludendum esset, corpuscula atoma fieri expunctis prius atomis, & ex lineis figuras. Angulus sanè atomorum ex contactu est linearum, præcesserunt ergo lineæ, ac puncta: & multo potius: sunt enim eiusdem generis, cuiusmodi non sunt actiua cum passiuis. Videmus quidem totam candelam in ignem conuerti, & lucem incessantem, quæ per aulam multiplicatur, & operatur, & calefacit: in candela autem tantam lucem & calorem præfuisse irrationabiliter dicitur, alioquin eundem effectum fecisset, & candelam consumpsisset, si actiua res est: si non actiua, profecto, nec nunc faceret, quod facit. A-

toma enim, mutato ordine & positura, configurationem mutant: non autem figuram, neque naturam. At quocunque modo lucem, & calorem tangas eandem habent actiuitatem, excepto quod si desuper tangas vreris magis, quoniam sursum flamma natura eleuatur ad solem, & cælum, cum quibus cognationem habet: dicere autem, quod extenditur sursum per violentiam crassorum corporum, vanum est iudicium: quandoquidem ignis non modo non extruditur, sed etiam extrudit sursum euertitque omnia in cuniculis accensus, vt possit sursum pergere, nec vllis cohibetur machinis, quominus id perficiat. Hoc autem non eueniret, si appetitus omnium corporum esset deorsum ferri, sicuti etiam de igne Epicurei docent.

Præterea ignis candelam vorans, deorsum vorat: partes crassiores faciendo tenuiores. Si autem eius esset extrudi à crassioribus, eas non attenuaret, neque ad eas descenderet extrusus ab eis, nec consumeretur candela. Quę similiter quacunque via contacta non vrit, nec lucet, nisi ab ipso igne igniatur, ac proinde transmutetur.

Mirum præterea quomodo si ex nihilo nihil fieri Lucretius plurimum persuadet: nunc ex nihilo caloris, & nihilo saporis, & rerum cæterarum nihilis, facit Entia, certisque ex seminibus certa.

Sed ait: animalia fiunt ex non animalibus, ridentia ex non ridentibus, lapides ex non lapidibus. Benè quidem inquit. Attamen nihil est in animali, quin præfuerit in causis: & sensus enim, & motus, & corpulentia, & calor præfuit in elementis: & quidquid Entis rationem habet: non autem præfuit compositio, quoniam compositio non est Ens, sed Entium vnitio, certum in modum respondentem certæ ideę. Quæ præfuit in agentibus causis, saltem primis. Est enim in mente Domificatoris domus idea, quam in materia exteriori, vniendo, diuidendo, & ordinando, exprimit.

Quod si negant Epicurei causas cognoscentes, & ordinantes, & ideantes: nos eas extare, probabimus in 2. Parte & in 3. & suo ipsi argumento conuincuntur. Cum enim ratione probent hæc ita se habere: esse in rerum natura artem & rationem concedant oportet, à qua ipsorum ratio habet ortum: aut sine ratione se loqui fateantur. Vnde enim tanta vis animæ, vt ex caracteribus his tot significationes ponat? & cælum metiatur, & cogitet infinitos mundos, & res distantissimas, ad quas atoma corpuscula rotunda, ex quibus facit animum Lucretius, nullo pacto se se extendere, corpore clausa, valent? Quid de mirificis opificiis dicendum? Nonne hæc exclamant? non esse aliquam compositionis relationem animum hominis, sed aliquid diuinum corporibus præcellens, quæ tractat, ordinatque? Sapientiam maiorem in naturalium structura inuenimus. Quapropter non solis corpusculis rerum fabrica, & gubernatus, committendus erat.

Quod autem calor, & frigus atoma non sint corpuscula, superius probatum est, ex eorum multiplicatione, penetratione, pugna mutua, auersione, sensu inimicitiæ, amicitiæque, & viribus, quibus disgregant, congregant, euertunt, mouent, immobilitant. Quæ omnia insensatis, inertibusque atomi spassiuis modò conuenire non possunt.

Cum autem ad indiuisibilia perducunt materiam, nihilominus errant. Etenim non secundum quantitatem faciunt indiuisibilia, sed secundum robur. Planum est enim, quod angulatum atomum potest amputari, vt obtusum, rotundumque fiat. At ipsi, vt natura rerum stare possit, in hac indiuisibilitate sistunt rationem: & qui casu cuncta faciunt, nunc propria ratione res condunt. Quis enim Autor prouidit ne diuidantur atoma hæc propter naturæ permanentiam? Et si casu sunt, & fiunt res, cur non etiam eodem casu diuiduntur, itaut etiam annihilentur? Et si Epicurus tantam prouidentiam ne funditus res pereant, in natura ponit, agnoscitque, cur non causas etiam prouidentes confitetur?

At quod aiunt, actiones fieri ab ictibus: ictus vero ex ponderatione ad centrum, secum, & cum natura pugnant: ipsi enim medium mundi nullum esse statuunt. Ergo nec motum ad medium ponere queant. Quod si multorum systematum media multa ponant, ita quod atoma quæque proprij systematis tantummodo centrum petent, & non aliorum: tunc profectò falsum erit dogma ipsorum quod mundi innumerabiles nascuntur & intereunt ex ictibus externorum atomorum. Item, si cuiuslibet atoma sui systematis continentur limitibus, ergo habent sensum, & amorem sui systematis: nec ergo expertia sunt consilij, nec interibunt vnquam mundi cum suos infra limites stent. *Nam* (ait Lucretius) *Quodcunque suis mutatum finibus exit, continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.*

Præterea omnia Entia eiusdem systematis fierent vnum per conglobationem à ponderibus, si contrarij sensus contrariarum naturarum ad alia loca non distraherent. Quam ob rem, & vt possit libertas animi humani, ac diuinius defendi, Epicurei dant atomis inclinamen aliud, quo paulisper à centro deuiant: sicuti videmus in radiis solis volitare atoma non recta deorsum, sed cum aliqua inclinatione. Non enim subito mouetur animal, nisi prius deliberet, & quæ vi mouentur statim atque pelluntur, absque præuio consilio aguntur ad motum.

Sed profectò ex hac ratione aliquid diuinius in anima agnoscere Lucretius debuisset: non enim deliberatio indicat inclinationem extra centrum, cum de rebus plurimis deliberemus, & cogitemus, quæ ad centrum non pertinent, nec ad motum. Diuina etiam tractamus negotia, quæ nihil ad hæc: & animi vis sursum deorsum, sinistrorum dextrorsum, ad mundi extera, & ad futura & præterita spectet: Præterea illa inclinatio non tollit, quin omnia complicentur extra centrum: imo oportebit, non esse medium, quod medium statuimus, & agnoscimus: sed illud quorsum inclinantur atoma. Mirum est autem quomodo cum aliorsum tendant, aliorsum quietem sortiantur.

At si alia ad medium, alia extra propendunt: vnde hæc diuersitas, cum præter figuram & corporeitatem nihil insit atomis? Non à figuris: alioquin etiam ad supera, vel ad dextra, & sinistra aliæ inclinarent, quæ diuersæ sunt: non à corporeitate, cum sit eiusdem rationis in illis: non à magnitudine, cum magnum & paruum non varient naturam, sed velocitatem motus, & tarditatem modo inferant.

Quod autem vident in solis radio inclinationes, nihil ad rem: potest enim hoc fieri ex attritu, & impedimento aëris, & aliorum atomorum, sicuti plumas experimur, & pilos, cũ proiicimus, partim pondere grauatas, partim aëre non subito secabili, retentas, rectitudinem motus non admittere, sicut ea, quæ penetrare maiori ex pondere valent.

Esse autem multa corpora, quæ sursum appetant

ire in Phys. declaratum est. & mox amplius declarabitur.

Nec enim naturalis est modo motus deorsum, sed etiam sursum, & ad latera, sicuti motus ignis ventorum, & plantarum cibus ad varios ramos delatus manifestum faciunt. Quos motus non fieri per extrusionem, sed secundum naturam sponteque, & impetus ignis spontaneus docet, & nutritio naturalis plantæ, & sympathia, & antypathia rerum quorsumlibet trahens, pellensque.

Responsum ad Lucretium.

AD argumenta Lucretij facilè respondemus. Dicimus enim, diuisionem non ad infinitum pergere, quemadmodum Aristoteles putat, Mathematicorum suppositione tãquam dogmate deceptus. Sic enim omnino oporteret, in grano milij tot partes esse, quot in toto mundo. Neque diuisionem celebrari posse secundum sensum, nisi vsque ad atomas partes, quas & si imaginatio diuidit absque fine, non tamen natura. Tanta enim diuisio annihilationem forsan faceret, sicuti Albertus in Cõpendio Theologiæ etiam opinatur. Attamen has partes non esse materiam rerum. De ratione enim materiæ est, non minus esse diuisam, ac vnitam. Cum enim sit, vt rerum formas suscipiat plurimas: oportet illam diuisibilem esse, vnibilem, extendibilem, condensabilem, omnisque patibilem passionis vsque ad certos terminos. Quemadmodum enim adeo vnitur in adamante, vel in aliis rebus, vt non possit amplius vniri: sic etiam extenditur in aëre purissimo, vt non possit amplius extendi absque vacui, propriæque idcirco nihilitatis, interceptione. Vndique, & vsque quaque, totaliter, & omnino secari non posse, existimo absque adnihilatione.

Rationes Arist. quibus diuidit absque fine omne continuum, vanę sunt. Nã etsi verũ esset, quod indiuisibile prorsus, & secundum imaginationem additum indiuisibili non facit maius: vnde ipse excludit, nullas partes esse indiuisiles, ac propterea in infinitum diuidi. At vero Physicè indiuisibile facere maius vna oportet, sicut facit & numerum discretum, seorsumque: & si enim punctum non habet partem, ergo etiam secundum totum tangat punctũ videri oportet: tamen illa duo tota indiuisibliia faciunt vnum totum diuisibile in illa duo, alioquin non fuissent duo. Punctum habet insuper situm, & relationem ad ortum, & occasum, & ad alias mundi plagas innumerabiles, vnde lineas ducere innumerabiles, licet: videtur ergo appositio puncti ex quacunque aliquid aggregare. Probabimus etiam nec in mundo mentes nec in Mathematico nec in corporali punctum expers partium saltem situalium reperiri aut cogitari posse.

Dicimus ergo, materiam non esse magis Democriti atoma dispersa, quam chaos Anaxagoræ vnitum: vt etiam S. Ambrosius Epist. 31. innuit: at quoniam vnio præcedit diuisionem, à principio vnam fuisse oportet.

Nec putandum, omne dissolubile propterea dissolui posse, quod ex dissolutis concreuit atomis, aut quia vacuitatibus insuper constat: continuitas enim materiæ vacuitatem non admittit, nec forsan contiguitas: sufficitque si dicas, materiam esse vnibilem & separabilem ad certos vsque terminos quousque sufficit rerum mutationibus celebrandis.

Aliæ assertiones eius, quod omnis actio fit ex ictu, ictus autem exponderibus, apparuerunt falsæ: multa enim deliberatione propria se se mouent absque ictu: multæque fiunt actiones absque locali motu, sed sola effusione multiplicatiua rei agentis: quemadmodum cum frigus infrigidat, & calefacit calor. Non enim mouet se intra lapidem frigus cum frigefacit lapidem, sed multiplicat se in ipsum: non enim idem numero frigus in glacie supposito lapidi, & in lapide, nec idem calor est candelæ, & stuppæ ex ea accensæ. Nec tamen ex stuppa educitur calor per transformationem, vt putat Lucretius, sed in ea nouus generatur. Si enim tantus latuisset, stuppa de se ignea fuisset, vt mox cũ Emp. & Anax. disputabimus.

Quæ addit de figuris coęternis, fortasse falsa sunt, non modo quia infinita plurima admittit. Infinitum autem non potest esse nisi vnum. Si enim omne spatium completur figuris leuibus, tunc nullæ poterunt in esse asperæ, alioquin læues infinitæ non fuissent: sic de cæteris. At etiam peccat, quoniam nullam transmutationem admittit. Non enim ex leuibus fiunt aspera, neque ex vno atomo plura, neque ex pluribus vnum: sed concretio. Videmus autem vnitissima multa, haud quidem quoniam hamatis constãt atomis, & si enim millies vitrum in farinam redactum compresseris nunquam condensabitur in priorem formam nisi liquescat, ita vt particulæ extendantur caloris vi. Cuius tamen non est condensare, sed rare facere: rara autem inuicem intruduntur, & copulantur facile, non autem minuta, cuiusmodi sunt Democratica atoma, quamuis figuris constent hamatis, vt mox docebimus.

Quod autem addunt, calorem, frigus, sapores, odores, colores, sonos, lucem, tenebras, non esse Entia, propterea, quod intereunt, neque in esse principiis atomis, ne atoma eis perditis perdantur, ac simul rerum natura, & quoniam dum dissoluuntur res in atoma colorem amittunt, & sonum & cætera huiusmodi, non rectè additum videtur. Dicerent enim aduersarij, hæc omnia esse calorem, & frigus vel ipsorum in materia affectus: nec inconueniens esse, si calor, & frigus ex parte corrumpuntur, quoniam quorum est corrumpi, est & generari, & augeri. Materiamque solam incorruptibilem esse, ne perdatur natura, sed semper sit in quo calor, frigusque operentur, tanquam instrumenta diuiniorum Entium: verum est quidem, quod sonus nihil est, nisi commotio aëris, nobis perceptibilis. Nec sapor & odor, nisi calor in materia, certis efformata modis simul cum ea agens: ideoque, cum materia in atomas partes secatur, perdi temperiem illam. At calorem & colorem perseuerare, oportet. Neque enim adeo materia attenuari potest, vt nullius actiuæ qualitatis subiectum fiat: semper enim subiicitur. Videtur tamen Lucretio perdere colorem, quoniam particulæ illæ, etiam si coloratæ sunt, in nostrum visum non agunt, cui nimirum non nisi excedentes eius colorem, visibilia sunt. Propereaq; dicebamus, aërem esse inuisibilem nobis, non autem Antiferonti: sicuti & huius chartæ, & pennæ calor tactui est insensilis, quoniam longe minor calore meæ est manus, non tantum lymaci. Eadem tamen ratione puto, & figuras posse auferri à materia. Non enim quod calidum est, semper calidum est, cum materiæ sit calefieri, & frigefieri: sic neque quod angulosum est, quamuis atomum semper fuerit angulosum, sed materiam semper nouis figuris affici, & coloribus, & caloribus, & motibus, & quietibus: nec propterea esse mortalem: imò propter hoc

hoc ipsum haberi immortalem. Si enim propriam haberet figuram, perdendo illam, perderetur & moles figurata. Figuras autem perdi palàm est, quæ ex compositione materiæ emergunt: ergo & quæ videntur Democraticis inesse materiæ non compositæ. Nulla enim argumenta valent ad dogma tegendum illis. Imò impossibile videtur, angulosum corpus non posse angulis per amputationem priuari. At si hoc euincat, hand propterea calorem & frigus facient nihilum, neque figuram, sed aliquid generis alterius, vt supra probatum est contra Platonem. Neque cum ignis generat ignem, figuras generat, sicut nec gladius gladium, sed nec extrahit, vt volunt Democratici. Fit enim vi extractio & impulsu: calor autem agit inferne, & superne, & quocunque situ sponte sua sese amplificando, non autem vi aliena intromissus, vt clauus in parietem.

EXAMINATVR SENTENTIA PLATONIS

secundum Aristotelem, & secundum veritatem: & quid errauit Arist. in eius impugnatione de materiæ substantia.

ARTICVLVS III.

EISDEM rationibus Platonis sententia atteritur. Vult enim, elementa tria constare ex triangulis scalenis, hoc est Ignem, Aërem, & Aquam: propterea que in inuicem transmutari. Terram autem ex Isoscelibus, qui compacti faciunt cubum, sicuti scalen, in illis pyramidem: propptereaque non transmutari terram in alia elementa: quoniam alterius est materiæ. Ex superficiebus autem corpora constare ista quatuor compactis, superficies autem ex triangulis iam dictis conuenientibus ad soliditatis procreationem. Tunc calorem nihil esse præter acumen triangulorum, frigus vero materiæ crassitiem non intrantis eousque, vnde calor pellitur.

Nos hanc rationem superius improbauimus: quoniam actiua suique diffusiua, & insuper multiplicatiua res est calor, & lux, non autem in eis figura: quæ figuram non generat, nec angulosa atoma: cum starim pereat in tota aula, extincta lucerna, penettetque per omnes vias corpus omne excepto opaco: quod tamen peruium est calori, ac frigori, ita vt & calor & frigus incorporeæ sint res, propriaque agant vi, non autem impulsu aliorum corporum, aut animæ mundi.

Et calor quidem amplificat molem, non replet, vti facere debebat, si est corpuscula modo, vacuitatem penetrabilium corporum ingredientia, nullius vltra actiuitatis particeps, conuertere penetratum in se potentis. Nec frigus compingeret corpora si ingredi non potest. Sed solum ab extra pellere tenuiuscula inrtorsum, vt dicitur in Timeo. Cum enim non se insinuet, aperiatque: at pellat insinuata, vtique rarefaciat, oportet.

Arist. autem aliis se putat rationibus Platonem deuicisse. Ait enim in 3. de Cælo t. 4.

1. Contra Mathematicam esse, corpora ex superficiebus componere. Sic enim oporteat etiam, superficies ex lineis, lineasque ex punctis facere. Quod tamen nolunt supponentes Mathematici, Omne continuum esse in infinitum diuisibile.

2. Contradicit etiam Physiologiæ eadem positio. Passiones enim Physicæ diuisibiles sunt, & specie, vt albedo & nigredo, & per accidens subiecti diuisione. Hoc autem non eueniet, si ex indiuisibilibus constarent elementa corpusculis, & punctis.

3. Præterea Physica habent grauitatem: puncta ergo non habent. Ergo nec lineæ, quæ ex eis, nec superficies, quæ ex eis, ergo nec corpora.

4. Item grauitas diuisibilis, non autem punctum.

5. Item graue densum, leue rarum: punctum autem nec densum, nec rarum: namque esset corpus diuisibile. Nec solum quod ex punctis sit graue. Si enim quatuor puncta compacta faciunt graue, tunc addito quinto puncto faciunt grauius: ergo in solo vnico puncto erat grauitas.

6. Præterea erit aliquod corpus, quod non est elementum, nec ex elementis: siquidem non solum secundum appositionem, sed etiam secundum suppositionem, continget, superficies vniri sicut & lineas.

7. Item si solius terræ superficies ponantur graues, oportebit & igneas proportionaliter graues ponere, atque huius lineas, & puncta, alioquin non ex superficiebus erit vtrorumque compositio.

8. Item continget, auferri corpora per resolutionem ad puncta, & tempus per resolutionem ad nunc, & motum per resolutionem ad momenta: & sic interirent omnia, vel ex numeris constarent, sicuti Pythagoreis non rectè visum est. Numeri enim non sunt calidi, nec frigidi, nec graues, nec leues, nec mobiles, quemadmodũ videntur esse elementa rerum.

1. Amplius autem in T. 60. & seq. si generatio fit transfiguratione, ex indiuisibilibus fiet elementis, vt videtur Democrito. Si enim diuidantur, cum ignis forma sit pyramis, & terræ cubus, tunc pars ignis non erit ignis, nec terræ terra: non enim pyramidis pars est pyramis, nec cubi cubus.

2. Sin vero dissolutione in superficies, tunc absurdum est, non generare omnia ex omnibus, sed tellurem facere inconuertibilem, cum ex superficiebus etiam ipsa fit. Hocque sensui repugnat omnium elementorum transmutationem experienti.

3. Item multitudo triangulorum non facit graue, nec paucitas leue, vt deinde probabimus.

4. Præterea, ex non corpore Plato efficiet corpora, si ex superficiebus: quod naturæ aduersatur.

5. Præterea, insuper probat figuris non essentiari elementa, tum quia non omnes Plato eis tribuit, vti debebat, tum quia elementa sumunt figuram à continente, vt patet in aqua, & aëre: quæ tangunt omni ex parre vas: quod non facerent, si in eis propriæ perseuerarent figuræ. At si non perseuerant, ergo non erit aqua amplius aqua: amisit enim figuram, qua essentiatur. Quapropter sicuti materia prima

est expers speciei, sic elementum figuræ, cum sit compositionis materia.

6. Præterea aufertur ex hac positione generatio: caro enim & os continua sunt: ex elementis autem constantibus figura immutabili in suis particulis non fit continuum.

7. Item aufertur motus: non enim si ignis ex corpusculis rotundis constat, aptus erit naturali, & recto motui, sed circulari, & arbitrario, pyramis vero recto congruit, sed cum ignis stat in sua sphera sequitur quod ibi aliam habeat formam scilicet cubicam: similiter, & terra, quia ponitur cubica Platoni vt stet, ergo cum est in aëre, & deorsum cadit non est cubica amplius, sed pyramidalis: ergo mutauit formam, ergo essentiam.

8. Præterea aufertur passio, & actio: si enim vrit ignis quia angulosus, penetransque, vt vult Plato, tunc omnes corpus vstiuum & calidum erit, cum sit ex angulis licet paucioribus, vel si ex pluribus: ergo plus aqua.

9. Item quomodo Democrito sphæricus est, vritque sicuti Platoni triangulosus?

10. Præterea omnia Mathematica, vrerent angulosa existentia.

11. Præterea item quia, quod vritur, ignitur: ignis autem est sphera, vel pyramis: ergo vrens facit sphæras & pyramides: quod idem est, ac si gladius gladios dicatur generare.

12. Præterea ignis non attenuat modo, sed etiam congregat, ac magis: ergo non erat illi danda sola figura incisiua angulosa.

13. Item frigido contrariam figuram oportebit assignare: figura autem non habet contrarium: propterea nemo figuram frigoris determinat, nec Plato, neo Democritus. Plato autem frigori dat solam granditatem, vt non possit penetrare: calori vero paruitatem: ergo non figuris differunt. Item figuræ pyramidales magnæ non erunt ignis, cuius nimirum sunt paruæ.

Ex his concludit Aristoteles, materiam non partiri in figuratas res atomas, nec indiuisibiles: nec elementa differre figuris substantialiter, sed passionibus, operationibus & potentiis.

Rectè quidem Arist. concludit, non tamen demonstrat, nec eius rationes non solutæ fuerunt ab aduersariis: nec propriis dogmatibus conueniunt. Si enim corpus est materia, vti nos volumus, rectè demonstratur falsa eorum positio, qui ex non corpore faciunt corpus: ex nihilo enim generant, & ex diuerso, non ex contrario, in subiecto generationis præcedente: in omni enim generatione oportet subiici aliquid, & ex opposito in oppositum eiusdem ordinis fieri. Non enim ex albo fit linea, sed ex non linea, neque nigrum ex motu, sed ex albo: generatio enim est transitus de vno esse in alterum, qui fieri non potest, nisi in receptiuo subiecto vtriusque extremi. At quoniam Aristotelicis corpus non est materia, sed forma, vel materia informata corporeitate, propterea falso quæritur Arist. quod Plato & alij ex non corpore faciant corpus, non secus, ac si quæratur, quod ex frigido faciunt calidum, & ex albo nigrum. Quod etiam Aphrod. in primo de An. vidit, & asseruit: ne tamen deserat Aristotelē, se correxit in deterius. Arist. n. dānando Platonē: se magis damnat.

Præterea nec satis probat, quod Mathematicis aduersatur: hi enim supponunt non quod est, sed quod suis congruit operationibus, id est, numerationi: & mensurationi, pro qua supponunt fieri diuisionem absque fine, & numerationem similiter. Nihil enim ad illos, vtrum ita sit nec ne.

Præterea congruit etiam Aristotelicis positionibus, fieri ex superficiebus corpora, & superficies ex lineis, lineasque ex punctis: quoniam ex oppositis eiusdem generis. Ipse quidem figuras, quantitates, & numeros expertes ponit actiuitatis: potiusque passiuas vult esse: quapropter non ex diuersis est generatio, si fiat ex punctis linea, & ex his corpora. Præterea quemadmodum Aristotelici de po entia materiæ incorporeæ corpus educunt, cur mirantur, si Plato ex corporeis terminis corpus facit, potiori quidem iure?

Secunda ratio primi ordinis nulla est. Qui enim componit ex punctis indiuisibilibus non facit indiuisibilia, sed resolubilia in puncta componentia. 3. etiam corruit. Non enim datur graue, & leue Platonicis, nisi respectiuum. Democraticis vero omnia sunt grauia: per extrusionem vero sursum quædam feruntur. Ratio ergo Arist. præsupponit ea, quæ non concedunt aduersarij. Plura autem puncta Democratici faciunt grauius ex sui natura: puncta autem Mathematica Platonica ex rerum ordine, & ordinatoribus: compacta enim, ad centrum: rara, ad peripheriam, & hoc quidem absque virtute exteriori non fit. Nos autem & cognationem in Timæo inuenimus causam motus sursum, & deorsum, licet videatur pluralitati, & multitudini, & paucitati materiali, tribuere motus diuersitatem.

Ad 4. concedit Plato corpus, quod neque elementum est, neque ex elementis, nempè materiam primam. Illa autem superficierum suppositio inconueniens adducet nullum. Innumeris enim modis copulantur ad innumeras corporum differentias: illæ etiam supetficies sunt triangulorum minimorum, inuisiliumque ita, vt earum positura nihil obsit, nisi vbi omnes ordinem contrarium naturæ sortiuntur: qui neque fieri potest regnante anima mundi, ac prouidentia Dei. Ad aliud labit grauitatem etiam igni Democritus: Plato vero leuitatem, hoc est impetum ad supera ob cognationem: vnde non solæ figuræ distinguunt elementa, sed etiam sensus conseruationis. Platonici addunt ordinatricis animæ vim.

Ad secundi ordinis argumenta responderet Plato, quod non sola transfiguratione fiunt elementa, vti videtur Democrito: cui casus accersitur Nec diuidi posse atoma quamuis angulata: idem Plato affirmabit: quamuis minus solida ponat, sed si trianguli sunt plani, constat diuidi posse secundum latitudinem, & si non secundum profunditatem: ergo in lineas, & mox in puncta deuenient, & hoc Pythagoreis ex incorporea causa producentibus diuinaque minimè displicet. Ad puncta enim numerosque & vnitates, est omnis resolutio. Ad secundum, Planum est, quod duo elementa facit Plato ignem, id est, cælum, & terram: & quod materia huius in illius materiam non transit, nec è conuerso: aquam vero & aërem eiusdem ignis imperfecti partes facit, seu crassioris ex eisdem triangulis minimis compositos. Sed hoc in Empedoclis examine redibit quærendum. Ad, 5. cæteris iam euacuatis, dicimus figuras aëris, & aquæ minutissimas non destrui in vase, & tangere totum vas vndique: quamuis nobis inuisiles: quominus figuræ aëris, & aquæ minutissimæ sunt & insinuantur: nec vas non porosum inuenies, in cuius poros nō subeant. Videmus tamen aliquādo aquam ita transire per pannum, & vitrum decliue, vt nullum vestigium relinquat, quod Platoni fauet.

Sed ratio huius accidentis est ex aquæ seipsam insequentis, ac continentis ob symbolum particularum, quarum nulla vult ab aliis separari, nec proinde in substrata corpora internari. Quod tamen faciunt si commorantur.

Ad 6. vix respondent Epicurei per vncinos atomorum facientes connexionem, & Platonici per ordinationem. Nos enim exquisito contactui damus continuitatem non ex particulis, sed extensionibus materiæ, per vires naturæ, quam Ars imitari nequit: adde primalitatum opus. Illi vero negaiét continuitaté nisi ad sensum. Quomodo enim copulabuntur in vnum durissima Democritiatoma, & inflexibiles trianguli Platonici? Dicunt illi, nullum diuisibile esse prorsus continuum: ergo sola atoma. De quibus post hac.

Ad argumentum 7. dicerent Platonici, quod cubica stat in suo loco, pyramidalis apta est moueri, nec tamen illa cum mouetur est pyramis, nec ista, cum stat cubus: figuræ enim commoditatem præstant motui, & quantitati, non virtutem mouendi, & immobilitandi. Sed profecto non dicent illas virtutes: vnde nam sint, si solis figuris constituunt corpora prima, nisi omnis motus fit extrinsecus, violentusque. Admirabilis tamen sympathia, & attractio, & repulsio, manifestè alias virtutes in elementis præter figuras, & actiuas vires ponunt, quæ rerum mirificam fabricam non intendunt.

QVADRVPLICEM MATERIAM *Empedoclem posuisse, quatuor, videlicet, elementa intransmutabilia: & quomodo: eiusque positionem non satis rectè ab Aristotele & Lucretio confutatam esse.*

ARTICVLVS IV.

EMPEDOCLES autem, vt iis occurreret absurditatibus, materiam rerum omnium esse quadruplicem ponit, videlicet, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram. Qua enim ratione terra non conuerti tur in alia elementa, eadem neque alia in terram, & in inuicem. Quapropter omnis generatio videtur illi esse mistio horum quatuor: corruptio vero dissolutio. At quidem non quæcunque mistio nisi ad certum ordinem, & situm, & contemperationem, vnde fit noua species, vnaque faciat generationem. Siquidem ad hoc non peruenerint lit gantia elementa, solummodo alterabuntur. Profectò melius Empedocles generat, quam quicunque prædictorum. Ponit enim ignem solem, scilicet, natura album & calidum, aquam nigram & frigidam: distribuitque aliis elementis suas vires cuique proprias, & affectiones. Et quia nec lis fit amicitia, neque calor frigus, neque albedo nigredo: reputauit, materiam communem non subiici, alioquin oporteret, calorem annihilari, ac proinde materiam calidam. At si perseuerat: quærendum est de calore quid fit, & tunc oportebit, vel ipsum annihilari, & nihil fieri, & ex nihilo, vel occultari: & tunc mistio frigoris occultabit eum. Ergo non datur transmutatio vlla. Nisi quis dicat cum Epicureis, transmutationem esse nouam posituram, & ordinem earundem rerum.

Aristotelici putant quæstioni satisfactum per hoc, quod non generatur, nec corrumpitur forma, sed compositum. Sed cum compositum non generetur, nisi quia forma generatur, & vt Quo alterius, fit vt Quod sui, profectò effugere rationem nequeunt hanc, vt in superioribus probatum est. Nec sciunt dicere, quid fit de calore, nisi quod definit esse, sed definere est, vel mutari, vel annihilari, quorum neutrum volunt. De hoc nos infra.

Aristoteles autem in primo de Generatione capite primo, increpat Empedoclem.

Primò, quod dum alterationem ponit circa passiones elementorum, non tamen generationem elementorum in inuicem concedit. Quod quidem ad positionem sequitur, & tamen negatur. Si enim ex aqua non fit terra, neque è contra, igitur nec ex albo fiet nigrum, neque ex molli durum.

Secundò, manifestum est insuper, quoniam in omni transmutatione aliquod permanens subiectum supponitur, siue illa sit localis, siue augmenti, & decrementi, siue alterationis: idem dicere debuisset in conuersione elementorum.

Tertiò, Idem patet ex dictis Empedoclis Qui sane ex vno plura nasci elementa, & elementata, accedente lite, posuit. Deinde vero in vnum omnia abire accedente amicitia. Ergo auferibiles sunt passiones contrariæ ab elementis, quandoquide & genitę sũt ex vno per litem. Quo facto statim alterum in alterum conuerti poterit etiam nunc, & non tunc solum à principio quando erant vnum in materia: non ergo idem est elementum, & materia.

Præterea in lib. 2. T. 37. & seq. probat aliquid commune esse elementis, ex eo quod ad inuicem comparantur non sola proportione. Item, quod Empedocles augmenti, & generationis præsertim rationalis cum cum ratione factæ causam reddere non potest. Nec animæ ortus & motum naturalem, quæ liti inconuenienter tribuit.

Lucretius etiam contra Empedoclem in 1. lib. disputat. Si enim, inquit, 4. elementa sunt, ex quibus res fiunt, & in quæ dissoluuntur, tunc non magis erunt principia quam principiata: sic enim ex mistis fiunt, sicut mista ex eis alternatim, si mutantur: sin minimè mutantur, tũc nulla poterit res ex eis generari in existentibus, sicut ante seorsũ, nunc sicut in aceruo. Imò oportebit videri particulas aëris, & terræ, & aquæ in mistis confusas, non mutatas. At vero si mutantur, tunc rerum primordia erunt mortalia, quod rerum vniuersitas non approbat, nec permanentia: quę funditus aliquando periret si ex mortalibus fit elementis. Et cum Emped arguit ex eo, quod plantas è terra fieri alterata simul cum aqua, per caloré solis ignei, assurgendo in aërem. Vnde videtur ex 4. dictis fieri

elementis. Resp. Lucretius, quod nos etiam alimur ex cibis nostris, vt plantæ ex terra, & aqua, & sole: nec propterea sunt elementa cibi, sed illa prima, ex quibus cibi fiunt cuiusque proprij. Similiter aliorum Entium alij cibi sunt & communes, quorum primordia consimilia. Præterea ait, elemēta Emped. si contraria sunt, aut interibunt in congressu, aut diffugient ab inuicem, ita vt nulla mistio, nullumque ex eis Ens.

Argumentatio Aristotelis non prorsus cōcludit. Ex hoc enim, quod ex molli fit durum, & è contra, non licet etiam essentias elementorum, & qualitates primas substantiales transmutare. Diceret enim Empedocles, has secundas qualitates fieri aliquorum mistione, & detractione. Lutum enim ex sicca fit terra per aquæ commistionem, & rursus siccescit per calorem educentem aquam, & grauia fiunt commassatione, ita vt actiua vis non possit mouere molem compactam, sed decidere sinat, vt etiam accensi carbones: leuia vero attenuatione.

Has ergo & consimiles materiei passiones, vt asperum, & lene, album & nigrum, rarum, & densum, viscosum, & lubricum & reliquas, quæ materiæ expansionem & constrictionem sequuntur, nihilque sunt nisi localis posituræ passiones, facile Empedocles fieri, & annihilari, concedet, quoniam non sunt verè res. At calor & frigus cum sint actiuæ non transmutantur. Ergo neque materia ipsorum vicissim recipiet ipsas. Cum ergo aër calidus frigescit addito altero frigido, id patietur, & abeunte copia caloris cum sua mole: non autem adnihilato: sic etiam siccescunt, calore aquam internuitatem vertente, & siccitatem detegente, non autem siccum generante Ens: & constructionem, & expansionem fieri à primis contrariis.

De subiecto communi sermonem non concedet Empedocles. Nam & si ferrum ignescat, & refrigescat: haud tamen propterea idem erit subiectum, sed ignis intrusione in ferri poros ignescit, eiusdemque eductione: & aëris frigidi ingressu frigescit: sic enim facile respondet. Ad 3. concedet, elementa fuisse in chaos absq; lite, qua adueniente emersisse in separationē: nec nouas induisse formas, sed quas habebāt.

Argumenta etiam Lucretij non satis concludunt. Res enim mistæ dissoluuntur in 4. elementa, sicut in suam originem: elementa vero miscentur in rebus tanquam in suis originatis quandoquidem nihil est illi natura, nisi mistorum fædus.

Ad 2. concedit non mutari elementa, vt sint immortalia & cum arguit: Ergo non fiet aliquid ex eis. Negat Empedocles non fieri aliquid mistum: conceditque non fieri simplex.

Ad vltimum non diffugere dicet, cogente necessitate, ad congressum, & litigio, & amore: sed istæ rationes Lucretij magis tangunt suos Epicureos: quibus nec amor, nec lis, nec aliqua actiuitas, nec ratio fæderandi concretiones corporum vlla adducitur præter figuras, vt dictum est prius.

Confutatio Empedoclis, de qua duplici materia secundum propria dogmata.

NOs tamen positionem Empedoclis acceptare non possumus, si tamen elementa agunt in inuicem, non nisi ea ratione agunt, qua omnes agentes causæ. Est autem actiuorum ratio amplificare sui naturam, & ideam, conuertereque omnia ad sui similitudinem, & vsum: frustra autem agunt vbi hoc posse assequi desperat: neque enim scalam, quo vsque ad solem ascendat, sibi faciet homo. Nullaque res aggreditur, quod sibi minimè conducit: nisi quis insipiens: Natura autem sapientissima est. Quapropter non aggredientur elementa, quod perficere non sperant. Ergo si propterea in inuicem agunt, quia transmutare in sui naturam contrarij materiam, & regnum appetunt, profecto hoc vel ex parte facere illis datum est. Nullo autem pacto datum esset, si prorsus in inuicem inconuertibilia forent. Præterea quoniā, teste Plutarcho, visum est Empedocli summi frigoris aqua subiectum: quæro, quando calor solis immergitur in aquam, agit ne in illam, nec ne? si agit, ergo transmutat: si non agit, cur immergitur? Si actio est immistio: cur frigus non amplius sentitur in calefacta aqua, sed summus calor: & similiter in ferro candenti?

Aiunt, quia superat calor. At cum aqua dissoluitur in ignem, quid fit de frigore illo, cuius subiectum non manet, sed incorporatur incendio igneo? Non quidem fugit alio: sic enim materia vna esset caloris, & frigoris, & omnium elementorum. Neque summum illud frigus in medio caloris latitabit: sed manifestè frigidæ particulæ sparsæ intra ignem, refrigerabunt: particulæ vero maiores atque plures igneæ calefacient. Præterea supra probatum est calorem & lucem incorporeas esse: atque dum in frigidam aquam immerguntur, nullam deferre molem subiectam. Ergo mistio elementorum non est, sed qualitatum: & mirum quomodo qualitas transit in subiectum alienum. Si vero dicat Emped. multiplicari calorem in alienis, tunc oportebit eandem esse materiam contrariorum. Præterea si transmutat ex parte ignis terrā, poterit & ex toto, nisi impediatur, ergo non sola mistio, sed etiam transmutatio in multiplicatione caloris & frigoris agnoscenda erat. Præterea vnde vis illa multiplicatiua caloris etiam in alienum subiectum, dicendum erat Empedocli. Præterea quis impellit elementa ad agendum in inuicem: non enim propria natura, cum spes nulla insit vincendi. Nec causa exterior: oportebit enim violentas esse actiones elementorum omnes: & non spontaneas. litem accersit Emped. de vno facientem multa. Sed hæc lis à quo principio mouetur: ab interiori ne, an ab exteriori? voluntario ne, an necessitatem passo? & quomodo potest singulas particulas elementorum agitare ad litigandum: & si necessitas hoc facit vnde contingentia fit, & sapientia, & ordinatio rerum? Cum enim diuinas causas non adducat, videtur insufficienter loquutus: præsertim cum primalitatum decore elementata non ornauerit.

Amor enim & odium nihil faciunt, nisi adsit sapientia faciendi, & cognoscendi actionem, & inimicum & amicum Ens: imò nec cum cognitione hac quid poterunt, nisi & potentiam habeant secum. Quibus datis, datur primum Ens potentissimum, sapientissimum, & amorosissimum, vnde participant elementa, amorem, & sensum, & potestatem? Et quærendum est, cur aliquo tempore conueniunt, aliquo altercantur vicissim? & cum multa præter necessitatem fiant, & omnia propter melius, cur soli necessitati Empedocles rerum exortum, & interitum, & amorem, & odium commiserit, & non causæ etiā diuinæ ideanti? Siquidem, nec quomodo species mistorum fiant sine idea à mistione temeraria nunquam docebit. Nec & vnde anima cogitationibus & appetitionib. prædita, exuperantibus omnia eius elementa, & mundos infinitos imaginans, &c.

MATERIA ANAXAGOREIS INFINITARVM *esse specierum minimarũ, & has oẽs in omnibus: eisque ex parte medicos Galenistas, nedum Empedoclem furtim consentire. Item Paracelsistas omne elementum in omni ponere, & tria corpora sal, sulfur, & Mercurium elementorum elementa, & omnia in omnibus. Et de ipsorum medicina, & de spiritu vitæ communi. Et fundamenta eorum esse in argumentis Anax. & Senec. partim approbari.*

ARTIC. V.

ANaxagoras autem inconuenientibus hisce occurrens, Intellectũ agentem omnia, Mundo præficit. At elementa facit non illa quatuor Empedoclis, sed cuiusque speciei particulas minimas, & inuisiles, videlicet minimas partes carnis, minimas ossis, minimas cerebri, & folij & lapidis, & quarumcunque rerum: ex quibus Mens illa faciat continuo extrahendo & ordinando rerum species: Putatque elementa illa 4. esse mista ex prædictis exiguis particulis, propterea quod ex elementis videbat res fieri: & quia ex rebus res alias iterum, dicebat omnia esse in omnibus secundum exiguitates suas; vt in cibo hominis est caro, os, neruus, iecur, pilus, & quidquid fit ex ingestis cibis, atque nutritur. videri tamen esse id, quod plus habet. sic panis videtur esse panis, quoniam plus exiguorum panis habet: at in eo esse os, neruum, & carnem, & omnes animalis particulas, probat coctum, in ventre, & sequestratio particularum panis in omnes corporis partes, distribuens vnicuique quod sui generis est. contestantur huic sermoni Paracelsistæ recentiores Medici atque veteres. Hi enim dicunt, quodlibet suo simili augeri: & cum 4. faciunt elementa, & 4. humores, ex quibus constituunt corpus, nolunt alterum in alterum inuerti, nisi per hoc, quod in omni humore est omnis humor, & concedunt quidem alterationem, sed non generationem, nisi ex mistura, & quamquam aliqui generant, tamen quasi alterantes seruant principia, non quasi generantes. in omni enim membro quatuor humores, & per hoc quatuor elementa ponunt.

Paracelsistæ verò ignem nihil corrumpere volunt, aut transmutare, sed solum alterare separando. Idcirco quidquid fuit ignis in elementato, præinesse volunt, non fieri. Et cum 4. Elementa acceptant, addunt tantum tria esse elemẽtati principia, sal, hydrargyrium & sulphur. hoc est solidũ, humidum, & spiritum; aliquando enim omne solidum dicunt esse sal; & omne humidum, mercurium; & omnem tenuitatem sulphur. & tamen in horum singulis singula inesse contendunt.

Præterea dant insuper aliam naturam Astralem in omni elementato; quam dicunt esse formam mistorum, separabilem ignis virtute, vocatam essentiam quintam, cuius elementa sunt receptacula & sedes, vtunturque illa tanquam vnica. Non enim differt quibusdam astralitas iecoris, & cicutæ, & herbarum. vnde sanant hominem alienis astralitatibus quibuscunque. Alij verò non sic explicant dogma; dum volunt in hominis corpore occiso in esse astralitates veras, quibus curatur homo ab omni infirmitate. Similia enim similibus augentur, & vim expellendi morbosas causas extraneas suscipiunt. Non enim, ait Paracelsus, contraria contrariis curamus. Nam contraria in inuicem nec agunt, neque patiuntur, quia neque se inuicem recipiunt: neque si se reciperent, actio prodesset, nisi vt Naturam, bello intestino labefactam à morbo, nouis bellis onerare. Idcirco quoniam in Macrocosmo sunt res omnes, quæ in Microcosmo, putant à similibus illius membris, in membra huius, medicinas applicari oportere: vt confortatum membrum balsamo membri, expellat morbum: qui extraneis, excrementisque fit rebus. concedunt tamen esse aliquam medicinam ex metallo nobilissimo, in quo sunt omnium virtutes inferiorum astrorum, sicut in sole æthereorum, omnibus infirmitatibus, etiam ignoratis, profligandis aptissimã. Ergo quod alij aiunt, spiritum vitæ seu Cælum, seu balsamum naturale, seu virtutem astralem (his .n. nominibus vocant formam illam intraneam, & quintam essentiam) esse vnicum omnium rerum, vnde sequitur ex quacunque re omne extrahi posse medicamen: non concordat cum aliorum dictis, atque suis.

At vt examinentur vna istæ opiniones Paracelistarum sententias adducamus.

Aiunt ergo, vera elementa non esse sensilia, neque proprias excrescentias, quas vocant Astra. sed esse spiritualia inuisilia, vitæque spiritum, & Cęlum inuisile dici: quod è proprio efflorescens centro producit astra, vt arbor florem non de solis virtute visibili; sed de propria intrinseca vi substantiaque adiuta à sole. sic elementa inuisilia visilibus, tanquam animę intra corpora inclusę, dant esse, vitamque; quæ itidem à se separant concinnantque, vt anima corpus. ita quod ex elemento spiritali Terrę, ortum est elementum Terræ per siccitatem, ex elemento aquę inuisili elementum aquę visile per frigiditatem. Ex aëre efumauit corpus aëris, ex elemento ignis emicuit corpus ignis, & compactum est in sua substantia, cælum sc. visibile. Ex his corporibus elementorum, deinde prodeunt excrescentiæ fructusque: ex igne nempe astra; quæ propterea igne nutriuntur, quoniam ex eo ortum habent. ex Aqua metalla, salia, & mineralia, quæ & ex aquis nutriuntur. ex terra vero plantæ, arbores, & herbæ.

Rursus aiunt. Terra visilis non est elementum Terrę, sed corpus externum elementi interni: quod est vita & spiritus: in quo inuisilia Astra terrę iacent, quæ per corpus terræ producunt astra visilia terrestria ex virtutibus seminalibus. Astra de-

inde producunt sua semina, quæ similiter crescunt in alia astra per multiplicationem. Videmus enim, cerasa, & pyra, & alia semina arborum & animalium, alias res consimiles producere: Terram autem visibilem componi volunt ex sale, sulphure & Mercurio. Idem dicunt de aqua inuisili, & visili, & de suis Astris visilibus, & inuisilibus, sic philosophantur de cæteris. Faciunt enim spiritum vitæ elementum internum multiplicantem se in externo: quod semper constat ex suo quodque sale & sulphure, & Mercurio. Cælum ergo visile etiam ex his conflat, quod tantum Cælum non est, sed corpus Cæli: in quod effluxerunt astra ab interiori Cælo. Multiplicari enim non potest nisi in corpore virtus spiritalis: propterea que Angeli non multiplicantur, quia corporei non sunt. oportet ergo, si vis multiplicanda est, corrumpi corpus, quo detinetur, & suffocatur, vt possit nouum corpus sibi aliunde parare. Quapropter omnia semina moriuntur in corpore priori, vt adscitis multiplicentur nouis: sic homo interior non resurget nouiter, nisi moriatur exterior, teste Paulo; ita & medicinas esse astrum interius, quod separandum est à sua corpulentia per pyrothecniã, sicuti virtus seminalis adiumento caloris exterioris, vt possit in corpus humanum agere, & augere eius internum astrum: vnde queat morbosas res affectusque depellere: nutritur enim corpus corporei, & spiritus spiritu: ita vt etiam artes & cogitationes, & virtutes hauriat ab astris firmamenti astrum humanum omnes, excepta Thologia & Iustitia, quæ à spiritu S. datur, vt ait Paracelsus.

Præterea his non contenti putant, in elementis singulis, nedum tria principia inesse, videlicet sal, sulphur & Mercurium: sed elemementa omnia in omnibus ad Anaxagoram confugientes & Empedoclem. Quapropter dant aquam terrestrem, & aëream, & igneam, præter aquam. Similiter terram terrestrem, & aqueam, & aëream, & igneam. Item aërem aëreum, & aqueum & terreum, & igneum. Et tandem ignem, seu Cælum igneum, aëreum, aqueum & terreum. Hinc laudat panspermiam Anaxagoræ.

Crol. Cum verò de Medicina vniuersali tractant, quã sagaci natura cooperante per artificium parant, dicunt, *Quod est vita lux illuminans, & viuificans Balsamum nostrum, hoc est vitæ spiritum seu vaporem cælestem nõ visilem: item essentia vitæ nostræ: & quinta essentia ex quatuor elementis composita, in qua sunt actualiter omnia, æquatione vera, secundum omnem Naturæ possibilitatem æquata, & catena aurea ligata absque aliqua contrarietate: sed omnia aggregata in tam subtili materia, & forma tam subtili: & tam simplicitati propinqua respectiuo modo, sicuti in fulgure, & in Basilisci oculo. vt patet in curatione morborum, & metallorum metamorphosi. Et se habet sic respectu quatuor qualitatum corporis, sicut Cælum incorruptibile respectu 4. Elementorum. Item est ignis non vrens, anima, & vita creaturarum omnium: in qua præter elementorum vires, & operationes, omnes firmamenti, etiam cælestes virtutes tam stellarum fixarum, quàm planetarum inuisili modo infunduntur, & imprimuntur, & concentrantur. totius Mundi machinæ quinta essentia, & totus mundus regeneratus: instrumentum & subiectum omnium virtutum naturalium & transnaturalium: filius solis & lunæ, qui suo ascensu, & descensu in cælum, & in terram, adeptus est vires omnes superiorum, & inferiorum: habitaculum omnium formarum: imò quod sic verè spiritus vitæ pene trans omnes alios spiritus, cum spiritu corporis nostri vnus & idem, vinculũ inter corpus, & animam, sicut lychni & lucis oleum.*

Videtur & Senecas huic commistioni rerum consentire; qui de aquarum origine tractans, in terra esse omnia elementa docet, imò & metalla, & plantas commistim; vt etiam Plutarchus aquã sanguinem terræ, Philo, lac, nos etiam lacrymas diximus, & in cunctis omnia. Videtur enim esse, sicuti Animal Pythagoræis, vt etiam Ouidius meminit, cuius sunt partes diuersæ, videlicet cerebrum os, sanguis, caro, neruus, vena, iecur, cor, &c. sic telluris sunt ab initio partes, videlicet argilla, lapis, metalla, aqua, fluuij, mare, tartarus, &c. Quod quidem propterea dixisse videntur, quod ex terra hæc generari non posse putabant, sed ab initio fuisse. *Inq. Na*

Ratio autem eorum ab Anaxagora est. Dicebat enim non dari generationem, quoniam vel ex eo, quod est id, quod fit, vel ex eo, quod non est. Non ex eo, quod est: sic enim est, non fit: ergo solum traducitur, segregatur, ordinatur ab aliquo Intellectu, vt sic fiat, quemadmodum videtur omne Ens naturale. Nec ex eo, quod non est. ex nihilo enim fit nihil. Ergo ex non lapide non fit lapis, nec ex non carne caro, nec ex non igne ignis. Homo quidem fieri potest ex non homine, quoniam non est res similaris, sed composita ex multis speciebus ordinatis ob hominis formam, sicuti ex lapide, calce, cæmento, & lignis fit domus. At quod similare est, non nisi ex sui particulis homogeneis fit. Accidit tamen, vt simul ex rebus alterius generis fiat ob commistionem omnium cum omnibus; denominatur tamen ab euidentioribus, & principalioribus. Quod si ratio Empedoclis & Plat. valet de terra, quam inconuertibilem putat: ergo & de cęteris. Attestantur huic sermoni Alchemistæ, quoniam ignem separare non generare volunt. Item si millies terram fundes, nunquam facies aquam. & puluis terræ aquæ iniectus in mille annis non conuertitur in aquam: nec in ignem, sed in cinerem, & in vitrum. Præterea vitrum in fornace positum per multa tempora non fiet aër, nec ignis, sed statim in sui redit naturam. Idem de auro contestantur. Quod sanè, si mutabile esset, ab actiuissimo igne mutari posset, quod tamen non patitur, sed liquescit, & purificatur. Lapides quoque & tellus nunquam in ignem conuertuntur. Lignũ verò conuertitr uea parte, qua est ignis. aliæ enim partes in aquam, aliæ in cinerem, id est, in terram abeunt: qui ignis aut aqua fieri nequeunt, sed vitrum modo inconuertibile. Propterea etiam in aëre fiunt fulmina ex minutiis terræ sursum eleuatis, & ignes ex sulphureis vaporibus, & vnumquodque ex rebus sui generis. Et profecto si species rerum non transmutantur, sed materia: neque enim calor fit frigus, sed calidum frigidum: Et Ens in nihilum non abit, oportet transmutationem tollere, & trãspositione, & segregatione omnia facere. Itaque fit pluuia ex guttis aquæ minimis, sursum eleuatis, & fluuij ex aqua maris, vt dicit Solomon; & aër ex partibus aëris, quæ sunt in aqua, & in terra: & sic de singulis. videmus enim carnem, & os, & iecur non nutriri ex lapide, & metallo, sed ex animali mobili, vel immobili, attrahendo singulis membris portiunculas sibi similes, vt in Phys. etiam diximus. Quapropter nec aurum faciunt Alchimistę, nisi se-

gregando particulas auri latentis in metallis, vel ex argento viuo, quod aurum est impurum, segregando impuritates alterius generis, & infundendo spiritum vitalem auri, cum perficiunt, vel tincturam cum sophisticè operantur. Igitur & Paracelsistæ nequeunt generare nisi ex extantibus: ideoq; in quolibet elemento ponunt quodlibet spiritaliter, & insuper sal, sulphur, & Mercurium corporaliter: Quibus extractis remanet Materia non patibilis ab igne, quam vocant caput mortuum.

Responsio Aristotelis ad argumenta Anaxagoræ, ac eiusdem agumenta: & Lucretij contra eiusdem Anaxagoram.

ARist. quidem in p. Phys. respondet Anaxagoræ, quod ex Ente in potentia, id est, ex materia fit, quod generatur per se: per accidens vero fit ex Ente in actu; & ex non Ente, id est, ex priuatione, quæ per se nihil est. sicut statua ex ære fit per se: ex non figurata vero, vel ex altero modo figurata, per accidens. Item quod fit ex materia nō Ente per accidens: & ex priuatione non Ente per se. Contra Anax. vero arguit in T. 35. ex eo, quod principia infinitas particulas facit: ergo ignotas: ergo & res naturales erunt ignotę.

Item si animalium Totorum est determinata quantitas in maius & minus. ergo & partium, videlicet carnis, & ossis. ergo non erunt ita minimæ, vt sint insensiles, sicut dicit Anax. ergo in lapide guttę sanguinis (ait Lucretius) conspicerentur, & aliarum rerum particulæ.

3. Non in quolibet esset semper quodlibet. Nam si ex aqua segregat intellectus carnis particulas bis, & iter. & iterum, stabit segregatio: alioquin infinitæ numero erant particulę in aqua finitæ magnitudinis. Ergo non erit amplius caro: nec ergo in quolibet quodlibet.

4. Item ex minima carne non potest aliquid alterius generis educi: alioquin esset aliquid minus minimo, videl. illud, quod ex hoc educitur.

5. Item si infinitæ partes sunt vniuscuiusque in vno quoque. ergo in infinitis infinita infinities.

6. Item nec segregatio accidentium potest fieri à subiectis, nec à minimo substantiæ. ergo Intellectus aggreditur impossibilia, dum vult omnia separare ex omnibus.

7. Item falsum est, quòd omnia ex similibus, vt aqua ex guttis aquæ. Nam & facies ex non faciebus, & domus fit ex non domo per compositionem, & lateres ex non lateribus, sed ex luto per alterationem.

8. Item in tertio de Cælo. si sunt motus simplices corporum simplicium: alij sursum, alij deorsum, alij in circulum. Ergo dantur elementa simplicia: sicuti dantur motus misti elementatorum. Item finitæ sunt species motus, & differentiæ elementorum finitæ. ergo

Lucretius autem incusat Anax. quòd non interponit atomis homiomeriæ vacuum, vt fiat motus: & quod mortalia facit principia: particula enim carnis æquè moribunda est atque caro. ergo aliquando totum Ens interibit.

Item quia componit res omnes ex alienigenis: si in quolibet est quodlibet. Item terram faciet ex terris alienigenis. & lignum ex igne & fumo, alienigenis plusquam ex ligno facit. Item guttæ sanguinis in herba, & in ligno igneæ scintillæ cur non apparent? Et cum syluæ incenduntur in ignes versæ ingentes, profecto si tantus ignis latebat, in lignis maior erat, quam ligneæ partes, ac oportebat ipsum exuperantem videri, vel spontè exilire. Item cur non ex lacrymantibus rebus fiunt lacrymantia animalia, & ex ridentibus ridentia: si omnia ex vnigeneis sunt, vt vult Anaxagoras?

An rectè Aristoteles & Lucretius impugnauerint Anax. Et quæ propriè huius positionem argumenta infringunt.

AT profecto Aristotelis Responsio parum tuta, sibique vt solet repugnans videtur. Quippe qui in toto primo libro statuerat, duo esse principia actiua, vnumque passiuum. Nunc autem vilius contrarium vocat facitque non Ens per se. Vnde statim sequitur, quod vnum fit modo actiuum, vnum quoque passiuum Non ens enim non agit vt principium originis, neque est pars prima principiati, vt principium ordinis, & fundamentum: non enim non esse Petri est pars Petri, neque causa fuit non Petrus Petri. sed id, quod præfuit de Petro in Patre. Quapropter secunda responsio melior: quod videlicet fit ex Ente in potentia, & non in actu. Aëris enim Materia est in potentia ad formam ignis: attamen non fit ignis, nisi ex altero igne, necante formam aëris, & propriam inducente: & quoniam non ex potentia materiæ educit formam ignis, sed ipse dat per sui diffusionem, videtur Anax. rectissimè conclusisse, quidquid fit ex præexistentibus similibus fieri. sed in hoc errauit, quod multiplicationem numeralem nullam fecit, cum ex igne ignem producit, ignis enim conuertit ligna in se per sui caloris, & igneitatis multiplicationem, non per sui diminutionem: sicut fit, si generatio est extractio. In gremio autem materiæ non latere formas, nec potentiam materiæ esse actiuam, & donatiuam, sed receptiuam tantummodo, sæpè nobis probatum est Et quomodo Arist. necessario conclusus ab Anaxagora, generat ex nihilo, præsertim corporeitatem. quod tamen non vult in tertio de Cælo contra Platonem, cum apprimè velle oporteret, si corpus non est ipsamet materia. & fit vnum quodque ex Ente in potentia, nō in actu; ergo & corpus ex corpore in potentia, vt calidum ex calido in potentia. de qua potentia in 2. par. recurret sermo.

Argumenta quoque Arist. inania sunt. concedet enim Anax. esse ignota atoma insensilia in se; cognosci autem per multam vnionem: sicut modicus calor insensilis est nobis, multus autem sentitur. Ratione autem cognosci, quod sint antè quæ videntur fieri per intellectus ordinationem.

Ad 2. respondebit, esse insensiles nobis, sed non lynceo: neque diuisionem abire in infinitum, sed in insensilibus stare. Hoc autem argumentum potius Aristoteli incommodat, absque termino secante continua: licet non species. Nec idem est de visibilitate totius & particularum.

Ad 3. respondebit, quòd cum ex aqua extrahitur caro, per consensum alterius carnis extrahitur,

obedientis Intellectui separatiuo: ac simul partes aquæ extrahi, & consumi tandem totam, hoc est, transponi, & simul partes omnium rerum: non tamen annihilari, quoniam in aliorum compositione seruatur in inuisiles acta partes, hoc est, in carne, & aliis, quemadmodum caro in aqua seruabatur.

Ad 5. item concedet, quòd ex minimis non fit extractio, sed ex compositis confusisque: ex his.n. generat Anax. extrahendo.

Ad 6. & 7. itidem dicit non esse accidentium, & ex minimis separationem; sed particularum substantialium ex confusis; nec Intellectum, ita operantem, aggredi impossibilia, excepto si ex nihilo velit generare. Accidentia enim carnis innata inerunt extractæ, vti confusæ: quæ autem ex extractione, & migratione, & noua compositione, accidunt, esse quasi relationes; & annihilari, quoniam nihil sunt substantialiter. & contactus enim & motus, & quies, & alia huiusmodi cum suis affeclis pereunt.

Ad 8. aut ruditer, aut malignè Arist. arguit. Non enim composita ex compositis facit Anax. cum species multæ sint in domus fabrica, ex aliis seorsum speciebus factæ propriis. sed tantum similaria: quorum est substantia. Compositio enim ex substantiis accidit postea, vt paulò antè declarauimus.

Et sic etiam soluitur vltimum Lucretij argumentum, cuius solutionem certiorem vide in primo de Sensu rerum.

Ad 9. putat Anax. motus à sensu cognatorum, & fuga inimicorum oriri forsan, & plures esse simplicium, pluraque corpora simplicia; non tamen secundum naturam, sed secundum nos. quæ enim simplicia videntur composita sunt: sortiri tamen apparentiam, & motum ex ea substantia, quæ in eis superabundat.

Idcirco ad 10. finitas esse species, non tamen earum particulas diceret; sicuti & Lucretius finitas esse figuras infinitorum tantum atomorum: idcirco non fieri centauros, & hircoceruos, aliasque species, quoniam ex certis fiunt concretiones. esse tandem in cunctis infinita infinities non diceret distributiuè, sed collectiuè.

Lucretius fortassis melius arguit. si enim non sunt corpora atoma extendibilia, & compressibilia, necessariò vacuum interponendum erat, vt fiat motus. Mortalitatem tamen non rectè obiicit. Anax. enim æternat atomas res, compositas soluit, reficitque: in transmutabilia enim esse etiam elementa magna vult Emped. & quia negat Anax. transmutabilitatem, inuenit homiomeriam. Altera ratio validior. Nam etsi ex alienigenis componendo Anaxagoras dicat, videri quod superabundat proprij generis: tamen in syluæ, & lignorum combustione manifestè conuincitur plus alienigeni ignis quam proprij generis lignei in eis latuisse. quod nullo fieri potest modo. Non enim plurimum vinum transmutãdo generat Lucretio ignẽ, sed ordinando atoma aliter atque fuerant. sed mirum vnde sciant scintilla ignis, per quam sylua accenditur, mutare tantorum ordinem atomorum. & cum sit proprium ignis sursum ire, siue naturâ vt dicunt alij, siue extrusione, vt Lucretio placet, quomodo alligata atoma potest scintilla extrudere, enucleareque cortices arborum, & vincula soluere atomorum, cum ipsa prius scintilla sursum extrudatur, ac fugetur à crassiusculis corporibus. Et quomodo tam cito fiat dissolutio ligatorum à non præmente, sed fugata scintilla; præsertim quando accensio supernè incipit, vt in candela cerea, non infernè: & quomodo positionem atoma non accipiunt ignigenam, nisi ab alio igne minimo, mirabilius est: & quomodo tanto impetu ignis generatur, & sursum euolat, non extrusus, sed extrudens, in cuniculis bellicis, si ex inuersione sola fit. Quis hic conuersionem non videat, vel potius latentes ignes, quam de nouo sola factos configuratione?

RATIONEM ELEMENTI ET MATERIÆ differentes esse: & quo; & de elementorum dualitate, & de Anaxagoræ insufficientia in assignanda ratione elementorum, & præstantia supra Empedoclem. & responsio ad argumenta Anaxagoræ, & examen opinionis eius, & Paracelsistarum & Empedoclis multipliciter.

ARTIC. VI.

NOs quidem à principio libri huius delarauimus nõ esse elementum idem atque materiã, vt putat Anax. & Empedocles, & Paracelsus. Materia enim est id, de quo aliquid fit, & pertinet ad naturam causarum: elementum verò est id, de quo aliquid primitus componitur: vnde dicimus literas esse Elementa orationis, non autem syllabas, ex quibus non primitus oratio componitur. similiter nec dicimus literas esse causam materialem: non enim quacunque data figura, seu litura, est littera, sed cum formatur cum impositione ad significandum aliquid certum, vnde certa res deinde fiat grammaticaliter. sic etiam neque materiam suasque particulas elementa domus dicimus, sed lapides, & calcem, & arenam, & lignum, quoniam ex his componuntur parietes, ex quibus domus. Oportet autem aliquid prius elementis esse materiam. sicuti tellus est prior lapide, calce, & ligno, ex quibus fiunt elementa domus. Ergo & Mundi elementa erunt prima corpora, ex quibus Mundus componitur, suis formata formis viribusque prædita: horum autem corporum materia est aliquid prius. Manifestum est enim insuper, quod calor igneus & lux incorporeæ sunt res, & tamen multiplicantur in qualibet materia, ita vt igniant illam: quod sanè fieri non posset, si certa culibet elemento esset materialitas, corporeitasque. vnde non incongruè Plato, ignem

ignem elementaré, putauit, non esse ignem; sed esse ignitam materiam: quandoquidem & ferrum, & aurum, & lapis, & tellus, & aer, & res omnis ignitur ita vt vrat: igitur caloris non est aliqua materia propria. sic neque frigoris nec aliarum rerum. Nam & planta vbique terrarum nascitur, vbi materia suo generi alendo præest dispositauinon tamen vbique materiarũ sicut calor. Plantæ enim forma certas requirit dispositiones, non autem caloris. sic .n. homo fit ex non homine, non quidem ex lapide nõ homine, sed ex semine proprio hominis: in quo insunt præparationes ad hominem, & inchoationes. similiter elementata non fiunt ex materia prima penitus informi, sed formata suis communibus formis, hoc est elementaribus. Hoc tamen interest in nostro dogmate, & Empedoclæo, & Aristotelico, quod illi omnia quatuor elementa ponunt in misto, cum suis qualitatibus, alij alterata, alij transposita. Nos autem duo fecimus elementa, tanquam sedes actiuarum causarum: quarum altera præstat formationem, & transmutationem, altera materiã, & modificationem formationis per suam resistentiam, & contrarietatem. Nisi enim frigida, densaque esset Tellus, in illam agens sol continuo in ignem verteret; nec in secunda corpora transformaret; nec eius actio modificaretur ad certas rerũ species producendas necessario, fataliter, & harmonicè, quales & cuiusmodi fieri videmus: vtrum autem detur contrariorum mistio conciliatorum, ad certas res, sibi dissimiles, producendas, dictum est in Physicis quæst. & nunc dicetur amplius.

Et quoniam ostendimus, duas esse actiuas causas rerum Physicarum, calorem sc. & frigus: quæ in inuicem pugnando secundas faciunt res: duo quoque esse elementa, probatum est: sedes nimirum duas primarum causarum, vnde sese effundant, deturbent, minuant, augeantque. Quæ si misceantur depositis odiis & contrarietate, cessaret actio, ac Mundi distinctio & ordo: vnde non indoctè Empedocles discordiæ tribuit rerum distinctionem, & generationem. Non tamen sufficienter. Quæ enim discordant, suæ conseruationis gratia discordant. ergo non vt secunda Entia producant, sed vt contrarium, destructiuum sui, annihilent, seque ipsa amplificent vbique; appetendo nimirum esse semper & vbique, sicut Deus est semper, vbique, quem imitari auent omnia, quatenus ei similia sunt: cum effectus omnis sit effusio similitudinis suæ causæ, vt melius infra probabimus. Igitur oportet, quod cum sui gratia agant contraria, casu quodam generarent secunda Entia, quæ ipsa non prænoscũt, nec facere intendunt; at cum summa arte facta omnia ab eis absque eorum intentione, & artificio videamus: ponere oportet opifices causas intelligentes, & ordinans cõtrariorum pugnas ad efficiendum, quæ fiunt vtiliter & sapienter propter finẽ, sicuti in officina ferrariorum nihil concinnum faceret ignis, aqua, lima, & malleus, absque opifice ferrario. Nec focus assaret, sed vreret carnes absque Coquo. Igitur plus in hoc vidit Anaxagoras, qui Intellectum rerum formationibus præfecit, quam Empedocles, qui imperitam modo discordiam.

Sed profecto si quid plusculum considerasset Anaxagoras, etiam potentiam multiplicatiuam inuenisset. Rectè quidem argumentantur, quod ex nihilo nihil fit. Ergo nec ex non aliquo aliquid, ergo neque ex non igne ignis post creationem primam, quam propter idem argumentum non agnouit, propter quod agnoscere debuisset. Cum enim viderent ex sylua tantos ignes fieri, qui præesse in lignis non poterant nisi lignum ex non ligno pluri componat, quam ex ligno, ligetque ignem ligamine debilissimo in ligno, & nos cæcet ne inspectemus eum: Tunc rectè concludere debebat, quod sicut sapiẽtia est in rebus sui multiplicatiua: ipse .n. Anaxagoras propriam sapientiam in suis discipulis multiplicauit: ita etiam erat virtus seu potestas sui multiplicatiua. Ergo cum ignis generat ignem ex ligno, non per solum sensum extrahet latentem, sed per potentiam multiplicat sese effundentem. Ergo neque in cibo particulas carnis, & ossis, & nerui præesse arbitrandum, sed res aptas à virtute carnis, sui generatiua & multiplicatiua, in carnẽ transmutari. Hanc virtutem multiplicatiuam damus nos primalitatibus, de quibus infra. At instat Anax. quomodo in lapidibus latent ignes: & cur caro fit ex pane, & non ex lapide: & cur non omnes partes panis in carnem, sed aliæ in ossum, aliæ in neruum, aliæ in excrementa sequestrantur: quæ deinceps excrementa fiunt cibus gallinarum, & porcorum. apta eorum carnib. non autem nostris. Respondeo in lapide latere ignes, & sulfureas particulas, quoniam à solis calore, terram fundente, genitus est, à quo calorem accepit & liquefactionem: à terra verò materiam, & duritiem. Carnem verò nutriri non ex lapide, quoniam caro est secũda forma, imo quinta, vel sexta formatione constituta, non autem ex materia primitus formata. ergo ad carnẽ vt deueniat natura indiget pluribus transmutationib. & formationib. prius: nec enim nisi plantis & seminibus, & animalib. vescamur, carnem aggeneramus. Planta autem fit ex terra, & aqua, & solis calore. Terra ex materia prima, & frigore indurante, & immobilitante, vt dictum est in Physicis: quæ tamẽ nec planta fit, nisi transmutationes certas patiatur prius à solis calore, vt palam est: non enim vbique terrarum nascitur Planta quælibet. Nec particulæ panis omnes sunt, omni aptæ carni, alioquin eiusdem esset speciei caro porci, & hominis. propterea dum à iecoris calore alterantur inque sanguinẽ vertuntur, dissimilare in Ens vertuntur: cuius particulæ adhuc aliis partibus aliæ sunt aptiores; & propterea quælibet attrahit propriam: & quælibet expellit alienam, aut superfluam: & quælibet vadit ad propriam, ab aliena fugiens: vnde in nutritione post absolutionẽ nutritiui sanguinis, fiunt simul attractiones & expulsiones, & fuga & sectatio. & cũ hæ actiones & passiones non fiunt à qualibet particula cuiuslibet membri, & à qualibet cuiuslibet sãguinis: tunc morbi innascuntur varij, sicuti in 3. & 6. Medic. declarauimus. Præfuerunt ergo præparationes in pane dissimilari non prorsus vnicæ. & in frumento ad panem nec vnicè: & in Terra & semine ad frumentũ itidem multiplices, ob varias solis actiones repetitas & refectas, & variatas, atq; terrę passiones etiam varias, & modos patiendi aliter in singulis particulis, sicuti in Physiologia declarauimus speciatim. Ab initio autem Mundi hucusque semper varietas noua facta est in re qualibet, ita vt omni seminalis videatur.

Quamobrem non necesse est vt Intellectus diuinus habeat res ab æterno confusas formatas suis speciebus inuisibilibus, vt ipse facere eas possit visibiles, & ordinatas: sed sui multiplicatiuas vires rebus nedum sensum dare oportebat: vt ipse intelle-

ctus vtens solis actione & terrę passione, multipliciter formare Entia secunda posset. Multiplicatio autem non materiæ tribuenda erat, sed actiuis causis, & speciebus: non quidem secundum id, quod Physicum habent, sed secundum primalitates: non enim calor sese multiplicat quatenus calor, sed quatenus potens, appetensq;: neque planta facit plantam, & homo generat hominem, & vena ferri ex adnata terra facit ferrum, quatenus sunt calida aut frigida, aut sicca, aut humida: Nec venenum generat, se amplificando in carne humana quatenus calidum, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, vt imperitè Medici arbitrantur, sed quatenus potens, appetens sentiensque sui conseruationem, & multiplicationem. Potest autem, scit, & appetit, Deo potente, sciente, & volente, non se ipso, calor, & res omnis, eo magis, quo primalitatum est particeps magis. Ideoque semen frumenti euanescente spiritu non producit frumentum: nec piper exsiccatum, piper. non quia deest illi calor, & qualitas aëris natiua, sed vis spiritalis, in qua idea causationis seruabatur.

Examen Paracelsistarum, de spiritu vitæ non rectè loquentium.

PAracelsistæ autem dicunt, spiritum vitæ esse rerum formam: & hunc euanescere, cum semina vim germinandi amittunt, & benè quidem dicũt, esse ligatum in auro & argento, vt non possit se in alio corpore multiplicare; malè autem de illo sentiunt, vires primalitatum ignorantes. Videmus enim in serpente occiso remanere fraxini odium, & in pelle ouina, lupinæ: & in bacillo ferreo, amorem situs, in quo ædificatur: non tantum virtutem seipsa multiplicandi. Neque enim pellis pellem, nec serpens occisus serpentem, nec bacillus ferreus ferrum generat. Porrò si spiritus vitæ est cognoscitiuus, appetitiuus, & multiplicatiuus, quęro à Paracelsistis, an idem materiali principio conueniat? si negant: tunc declarandum est eis, vnde sensus & consensus remanet in rebus inanimatis, & in materia, & excrementis materialibus, ex quibus elapsus est spiritus: & cur iste spiritus elabitur? & vtrum sursum tendat, an deorsum, an aliorsum? Si enim sursum, erit igneus iudicandus, & filius solis, vt ipsi fatentur interdum: si deorsum, terreus, quod repugnat spiritalitati: si aliorsum, dicant quare, & quorsum? & quoniam manifestum est sursum efferri in omnium odoriferorum exhalationibus, & vstionibus, ne dum spiritus probos, sed etiam improbos fætidosque: iste spiritus vitæ tenuissima pars corporum videri debet; quæ generatur, & corrumpitur quatenus corporea. Operatur autem, agitque, quatenus primalitates in se habet, exque eis constat præsertim ex potestate: scienter vero, & idealiter, quatenus ex sapientia participiũ trahit: contra hoc, & pro illo: quatenus Amoris est particeps.

Quapropter spiritus non est forma rerum, sed formator. Neque non calidus, vt alij volunt, expertem esse omnis qualitatis. neque continet in se ominum elementorum vires actualiter: cum sit frigoris expers, & corpulentiæ telluris. Neque immortalis est, vt aiunt quandoquidem omnis quinta essentia ex nostris extracta rebus, in aërem per incendium euanescit: & per frigus congelatur, & per materiam appositam fit grauior, & densior, suisque priuatur operationibus: omne enim corporeum, vel corporatum passibile est, ac proinde mutabile, & mortale.

Dari transmutationes specierum contra Anaxagoram argumenta.

CVm autem instant Anaxagoræi, cur lapidis materia est immutabilis, & auri & vitri? Respondeo, quod ista mutantur: & si enim à multi temporis igne aurum nihil patitur, nisi purificationem, vt Chymici dicunt, (ex quo inferre debebant, quod elementorũ concordia non est in auro, sed vnitas speciei: elementa enim vbicunque miscentur disoluuntur saltem ab igne, omnia suis aculeis dissoluente ac separante) nihilominus ratio dictat, aliquando immutandum fore per ignem: quę enim longissimis temporibus constituuntur, non nisi diuturnis actionibus destruuntur, eo quod cõstant ex consimillimis partibus Physicè & Metaphysicè compactis amore mutuo cohærentique mole: quam compactionem non dissoluit, nisi res antipathiam intermiscens, aut ita blandè subiens vt possit dissociare. sic dicunt, adamantem sanguine hircino solui, & metalla calcinari, & cinerem fieri: ex cinere vitrum, ex vitro sal, & sal ex vitro factum, verti in oleum: ex oleo, ignem & aërem. Imo quidam Paracelsistę putant, ex vitro cinerem fieri, & ex cinere iterum arborem illius speciei, ex qua combusta, factus est ille cinis. Quod si verum est, ergo & vitri, & ferri, & auri fieri potest transmutatio. Porro quæ non dissoluit actio Physica caloris, dissoluit Metaphysica primalitatum; quemadmodum & in animantibus compertum est. Elephas enim fortissimum animal à porco vincitur, leo à Gallo, & mure: Basiliscus à Mustela: non robore virium, sed antipathiæ. odor ficus ligat Taurum, & puella, in domabilem Rusticorum strenuitate. Videmus præterea fulmen metalla soluisse velociter in aerem vehementia ignis, vt rectè affimare possimus, etiam Terræ transmutationem, & terrestrium corporũ. Idque ex parte facit aqua fortis, quæ ex alumine, nitro, & vitrolo extrahitur. Hæc non angulorum vi dissoluit metalla, nam ceram & sebum non soluit, nec argillosũ vas, penetrabiliora metallis, sed metalla: in quæ iniecta statim ebullit, incalescit, pugnat, irascitur, ignisque ritu in ligna agentis dissoluit, at non subitò in aerem, vt facit fulmen, quoniam fulminis vehementia sibi deest: vt videas qualitates actiuas vi primalitatum agere per sympathiam & antipathiam. Quod si Anaxagoras transmutationem illam Terræ in vitrum, & argenti in aerem, putat esse extractionem, & vitri in cinerem esse dissolutionem glutinatorum exiguitatum, non autem generationem, in sequentibus articulis examinabimus.

Platonis & Empedoclis de Intransmutabilitate elementorum, confutatio: & argum. ex capite mortuo esse inualidum.

NVnc quidem satis est Empedoclem perstringere atque Platonem. si enim terra immutabilis est, vnde est, quod ex illa fit vitrum, & lapis, & aurum, & metalla omnia. & plantæ? Nec Senecæ & Pythagoræorum valet responsio, quod videlicet Tellus ab initio ex omnibus his constat. Videmus enim in Marmoris fodinis crescere marmor, vt Plinius experimento docet: quòd tamen non nisi ex Terra addita crescit. ergo terra in marmor conuertitur. Item in Ilba insula sunt duo millia annorum, quod ferrum educitur, & recrescit semper ex terra proculdubio in ipsum conuersa. Similiter de cunctis metallis dicendum. At quidem plantas crescere, palàm est: & non ex sola aqua, alioquin aqueum esset corpus eius flaccidum caducumque deorsum, expers soliditatis: ergo ex terra, igitur & aquæ & terræ est transmutatio. Ergo quemadmodum in Entia secunda videntur mutari elementa, ita & in inuicem fateri oportet. sed Plato concedit ignis in aerem & aquam mutationem, & è conuerso, non autem in terram, neque terræ in ignem, & aerem, & aquam. At cum videamus Terram solui, liquescereque, facilè concludimus, ipsam in aquas solui tenuiusculas. Videmus etiam ignes ingentes è terra nutriri, sursumque attolli in æthneis cauernis, & Puteolanis: similiter fontes salsos, dulces, & minerales. Responderet Plato, igneas forsan portiones, & aqueas terræ inesse: vnde istæ voragines fiunt, vt Pythagorici docent, & videri terram in aërem, & ignem verti: non autem reuera mutari, sed in frustula minutissima disgregari, quæ dispersa in aerem attolluntur: non tamen mutantur, sed postmodum decidunt paulatim, vt turbatæ aquæ pulueres terrestres videmus facere; & vini fæces, donec subsideant, claramque relinquāt. sic in aere se habere particulas terrę. Ex quib. etiam concrescunt lapides fulminum, aliaque eiusmodi multa. At profectò si licet ita fingere, pari ratione Empedocli licebit generationem cæterorum elementorum ex inuicem negare.

Quando ergo videmus, aquam ebullientem conuerti in fumum & aerem, & fumos inflammas & flammas rursus in aerem, in lucerna genitas: & in pileo fornacis vitrariæ, & furnorum videmus aerē ignitum esse inuisilem ignem, qui baculos ligneos immissos statim accendit: vnde probè agnoscimus aerem factum ignem: mox verò paulatim deferuescere ita vt fiat denuò aer: Responderet Empedoc. aereas partes, quæ in aqua sunt, per calorem segregari, inque aerem verti, non autem aquā ipsam. Quod si quæras, quid fit vbi aqua tota euanescit in fumū; dicet in frustula minutissima dispergi, & vna cum particulis aeris sursum attolli, & fumū esse aliquid ex eis simul constitutum: cum aer per se inuisilis est tenuisque: aqua verò liquida visilisque, tūc aliquod medium faciunt, qui est fumus. Attestatur etiam huic sermoni Arist. qui exhalationē ex terra facit siccam; vaporem ex aqua humidum, & nullo modo est terra. Plato autem fumū facit ex transitu aquæ in aerem, & ignem: exhalationē vero ex ignis & aëris conuersione in aquam. Quod si inter tria concedit mutationē substantialem Plato, & inter quatuor concedat oportet. vel fatendum erat, duo elementa tantummodo esse. Aër enim est pars imperfecta ignis; aqua verò ignis crassior. Omnes enim calidas esse aquas, & à motu & calore conseruatio aquarum, & à frigore destructio; & albedo, & transpicuitas, & generatio ex vapore calido in calidis locis sola constrictione absque frigoris ope facta; & sapor, & animalium vitali calore præditorū vita in aquis, aliaq; multa, in Physiologia nobis demonstrarunt. Quapropter nequeo satis mirari Platonem, quod quatuor elementa faciat, cum rerum transmutatio non nisi duo sibi manifestauerit. & mirum quomodo materiam supposuerit informē cunctis vnam: nunc verò faciat quasi duas materias, quarum altera ex scalenis, altera ex Isoscelibus constet minutissimis: quòd videtur à Democrito accepisse. vnde cogitur calorem, & frigus, & lucem, & sapores, & omnes qualitates, figuris tanquam prioribus adscribere, ac proinde virtutes actiuas negare: quod suo dogmati ac naturæ parum conducit.

Quod autem opponi potest de capite mortuo chimicorum ab igne non amplius mutabili, vnde Plato Terram intransmutabilem esse concludit: Paracelsistæ verò Materiam primam esse impassibilem, nisi sit mista sale, sulphure, Mercurio, quibus per ignem extractis, remanet caput mortuum intransmutabile) non euertit dogmata nostra, nec prodest illis: Etenim & cera non comburitur ab aqua forti, comburitur autem metallum: nec vagina à fulmine, sed gladius: nec lapis qui filatur, nec tela eius filis contexta, vritur igne: & tamen nec lapis iste, nec vagina, nec cera sunt materia prima pura, aut Terra pura: id quod dicunt esse caput mortuum, ideoque non vri. puto tamen diuturnis ignibus & ista mutari.

Hac eadem ratione Empedocles concludit. si enim inter elementa non datur transmutatio, ergo neque inter elementata. Videmus autem ex cadauere fieri vermes, & ex ocymo Scorpionem; ex saluia etiam merulam faciunt Magi. Alchimistæ quoque plures facere transmutationes pandunt. Ex pane sanguinem efficit natura, & quascunque videmus mutationes: vnde fateatur Emped. transmutationes etiam in elementis; vel neget in elementatis cum Anaxagora. Sed dicet elementata esse elementorum seruatorum misturas, quæ videntur mutari, quibusdam adiectis, aut segregatis, quemadmodum colores fiunt à pictoribus: & aquæ fiunt ex fumis congregatis, & fumus ex aquis disgregatis. Sic etiam ex terræ particulis certis & ignis, & aeris, & aquę, fieri plātas, quę in eas, in quas mutatæ sunt elementares particulas dissociantur. At quidem absque alteratione ista non fiunt; finis autem alterationis, & perfectio, est generatio, non sola segregatio & congregatio: quæ sanè fiunt absque ordine & ratione nouaque specie, sed sicut aceruus tritici & fabarum, & arenarum, & miliorum, & aliorum commistorū: quoniam etiam in farinulis comminutorū nunquam erit aliqua noua species, nisi per veram generationem. Profectò nūquam docebit Emped. quomodo ex cadauere fiat vermis & planta generat plantam, & ex pane fit sanguis: licet enim ex pane aliquid segreget in excrementum, & aliquid addat ex calore animalis, haud tamen noua species fiet, sed aggregatio, & se-

gregatio prædictarum. nunc autem species noua apparet. At quomodo tanta ratione, & ordine fabricentur, & concinnentur animalium partes, nunquam docebit Emped. ex sola fortuita segregatione, non addita generatione, & opifice, rationabiliter operante. Vnde rectius Anaxagoras omnia præexistere, & à sapientissimo Intellectu segregari, & ordinari in rerum fabricam, argumentabatur. At quod non sit sola segregatio & congregatio, dictum est prius, & cum de actione & passione tractabimus, sermo reuertetur.

SENTENTIÆ PARACELSISTARVM DE *elementis visibilibus, & inuisibilibus, & ipsorum compositione, & principijs materialibus, & de Astralitatibus, & de spiritu vitę, & coinexistentia omnium; & de ignis vi ad regenerandum, & qualiter errent in hoc, examen multiplex.*

ARTIC. VII.

Paracelsistæ in operationibus acuti, in iudicio ferè obtusi videntur. Si enim quatuor acceptant elementa, imperitè illa componant ex sulfure, sale, & Mercurio: quæ nimirum corpora priora sunt, sicut componentia compositis. elementa autem vocamus semper corpora prima: nihil autem prius primo. Prætereà si sal, sulphur, & Mercurius sunt in omni elemento, aut tanquam materia, aut tanquam elementa insunt: si tanquam materia, ergo tres sunt materię primæ, nō informes, vt philosophi volunt de materia loquentes, ipsique Paracelsistæ sæpius docent, sed formis Mercurij salis & sulphuris prædita: sicuti Empedocli quatuor videntur. At profectò mirum est, quod quatuor elementis materię substernuntur tres, cuilibet cum debeat respondere sua.

Vide Basil. in Gen. & Chrys. in epist. ad Rom.

Vnde alij Paracelso quasi relicto in hoc, quatuor substernunt cuilibet elemento córpora, videl. sal, quod terra est: Mercurium, qui aquæ: sulphur, qui ignis: & spiritum, qui aëris. Hic euanescit eorum Physiologia, & Theologia sacræ Triadis mysterio in corporibus à Paracelso comprobata: Nuperrimi quidam addunt oleum tanquam elementum quintum: etenim & hoc permanet semper, & dissolutum coit: & obidem addunt Aquam. vide quæst. Phys. 19.

Girar. Torneus.

Alij verò duo tantum dicunt esse elementa, videl. ignem, & aquam: etenim aiunt, aër est Aqua attenuata, & tellus est Aqua exiccata. & hic quidā chimicus videtur à Talete mutuari sermonem, per aquam solam elementum faciente; sed curtus fuit, quoniam non etiam dixit, ignem esse aquam accensam.

Patritius autem fluorem posuit materiam rerum elementarem: sed ante hunc Hylam; non rectè quidem: si enim vnum est elementum, vnicam habet perennem formam. sic enim quicunque vnum supposuerunt, materiam illo priorem non agnouerunt: nec contrariis illud principiis actiuis donauerunt: vnde arguuntur insufficientię: non enim idem corpus seipsum transmutabit in secunda Entia, nisi contrariis formis donatū sit in aliis suis partib. & tunc illę partes erunt elemēta duo, vel plura, quot sunt contrariæ primæ qualitates: & non vnum, nisi materialiter.

Falsa quoque illorū sententia conuincitur: aqua .n. transpicua, mobilis, alba, fluida, in terram opacā, immotam, tenebricosam, compactamque duritie, non abibit, nisi à virib. terreis eiusmodi ab ipsoque in primis frigore vehemētissimè corripiatur. immò Plato in terram verti posse aquas, omninò negat: Quapropter indoctè pronūciant, terram esse aquā exiccatā: à quo enim exiccetur? Non à seipsa: alioquin sui corruptionem curat, & amet, & faciat: Quā nec curare, nec optare, nec facere potest: non enim calor potest seipsum frigefaccre, nec frigus sese calefacere. Nec quidem à terra, quæ seipsam ante quā sit, generare non potest. Dicat ergo quis fecit de Aqua terram? si dicant abscessu caloris in terram concrescere, iterum falluntur. Aqua enim abscessū caloris in glaciem & crystallum abit, res transpicuas sanè nō tenebricosas, qualis terra est, nisi omnino amittat calorem omnem omnis. Quod tamē in mille annis non patitur crystallum intra niues alpinas perpetuas sepultum: sed durius fit semper, haud tamen opacum terraque pura. vnde mirum quomodo tam cito Paracelsista hic ex aqua exiccata facit terram.

Aërem quoque facit, sed profectò non aëris vi, sed ignis: vnde innotescere debebat, vera elementa extremaque esse Terram, & ignem, non autem aquam: cuius vires sunt terrestribus inferiores & fragiliores, & quæ à terræ frigore vincuntur, in non aquas versę: & quantitas decies millibus vicibus à terræ quantitate exuperatur: quemadmodū in Physicis etiā mathematicè probauimus, vbi nec aquas, nec aërem esse prima mundi corpora, elementa vocata, experimēto, ratione, & diuinis oraculis, dictisque Ss. Patrum, ostendimus. Quidam Chimicus respondet mihi, hæc tria esse elementata prima: & idcirco tria: quod ex aëre, & igne factū est sulphur: ex aqua & aëre Mercurius, ex terra & aqua sal, & statim pudefactus est, cū obiicerē aquam & aërē nō esse actiua prima, & ostenderem, sal fieri ab igne ex terra, nō ab aqua & terra: similiter Mercuriū & sulphur ex terra fusa & ignita. Itē si sulphur ex aëre & igne fit, oportet, ipsum esse crassius igne & tenuius aere: & eadem ratione Mercuriū aqua tenuiorē, &c. quod experientia negat: ergo ficta responsio. Doceri etiam cupimus à Paracelsistis, an omnium elementorū corpora componuntur ex eodē sale, & sulphure, & Mercurio eiusdē speciei: an diuersarū specierū: si enim eiusdem speciei; tunc elementa nullo pacto ab inuicē differrent: nec enim corpore, nec anima, ex eisdem enim corporibus componuntur, & ex eodem spiritu omnibus vno, vti ipsi docent: dicant ergo vnde ortæ sunt qualitates contrariæ, calor & frigus. Nam de siccitate & humorę

dicent forsan nobiscum, nihil eas esse, nisi materiæ constrictionem & expansionem: & quod mirabilius est, vocant spiritum vitæ formam elementorum: vnicumque in tota materia esse volunt, cuiusmodi est Deus Stoicorum: vnde sequitur, quod vnica sit forma omnium elementorum.

At, inquam, quomodo ex vnica forma nascuntur, aut informantur corpora contraria? & vnde hęc contrarietas? omitto, quod ruditer Ens corporeum faciunt formam, vel propriam vocem ignorant. Item quærimus, si ex elemento inuisili terræ orta est terra per siccitatem, aqua per frigus, aër per fumositatem, & per splendorem ignis: vnde hæc diuersitas? Si dicant, à virtutibus seminalibus, vt quidam docere solent; omitto, quod falsò per frigus aquam faciunt, quod aquæ est inimicum, terræ autem proprium: & quod imperitè fumum faciunt aërem, cum non nisi ab igne fiat fumus, aër autem ab aëre faciendus erat, si primum est elementum: hæc enim in Physicis examinata sunt. Sed quæro, vnde virtutes seminales, ab ideis ne de diuina mente parturientibus, an ex corpulentiis, an ex sinu materiæ? nam & hoc Paracelsista quidam imperitus scripsit: si à Deo, cum idea non calida nec frigida, nec spiritus vitæ, dicendum erat vnde spiritus vitæ faciat calorem & frigus. Dicent forsan ab imaginatiua virtute, quam tantam esse volunt, etiam in homine, vt possit metalla transmutare & quodcunque corpus, cuius sermonis contrarium probabimus in 2. p. & multa diximus in Physiologia contra Arist. ab imaginante anima frigus & calorem facientem ad dilatationis & constrinctionis motiones edendas: & D. Thomas contra Auicen. quasi idem cum Paracelsistis docentem. Præterea spiritus vitæ de nihilo creare frigus & siccitatem non potest, cum non sit Deus: neque effundere ex sui fœcunditate, cum non sit calidus nec frigidus Paracelsistis: ergo oportuit à Deo primodum elementa constituta esse ex materia & qualitatibus actiuis, & primalitatibus, vt mox palam fiet.

Præterea virtus seminalis est contractio causarum decisarum in nouum Ens: sequiturque elementata, & ergo non præcedit elementa, vt supra probatum est. Quod autem de gremio materiæ actiuæ, qualitates & formæ non educantur, dictum est prius, & in Physicis probatum est. At si sal, sulphur, & mercurius sunt diuersarum specierum in elementis quatuor, eorum corpora constituentes, tunc nulla dabitur elementorum in inuicem conuersio, vt dicebat Empedocles. Ergo neque datur generatio secundorum corporum, sed sola mistio: docendi eramus, quod contratria misceri possunt, & pacificari: & quod mistio non est pura aceruatio. Neque spiritus vitæ pacificat contraria, alioquin cum sit vnicus & vnigeneus cunctis, non daretur contrarietas, & antipathia rerum. Sicut enim summus calor agit in summum frigus, vt non possint misceri, sic paruus in paruum, alioquin desinent esse contraria, depositisque odiis pacificabuntur, & nunquam dissoluentur. Frustraque Empedoc. accersiet litem: vnde nam illam adducet, si non est in contrariis? At si inuicem conuertuntur illa tria, nam ex sale, oleum, & ignem extrahunt aliqui, & cinerem, vitrumque, & ex quolibet quodlibet trium: tunc non erit verum, quod aliud est sal terreum, aliud aqueum, aliud igneum, vt ipsi dicunt: & quod ignis non transmutat, sed separat omnia. Quæro insuper, à quo transmutantur, ab igne ne? Ergo non solummodo separat, si ab alio: cum transmutatiua vis sit actiuissima, nihil autem actiuius igne, tunc sequitur, quod minus sit maiore maius.

Illud insuper imperitè affirmant, quod ignis agat, non vt vincat, inque sui naturam conuertat, quæ corripit: sed vt separet: si enim non dicunt, vt separet: tunc frustratoriam dant illi actionem, & speciem sine specie: si dicunt vt separet, quæro, quænam ignis ratio ab auctore naturæ, vt ligata principia materialia separet, & è carcere liberet, non autem vt ipse amplificetur? quod si amplificatur: ergo hæc est eius intentio. Ergo transmutat, & vincit. Quænam pietas ignis soluere elementa à vinculis & formas spoliare materialitatibus? An forsan ab aliqua causa intelligente adigitur? & tunc imperium intelliget, & faciet, quod sibi non prodest. Instigari. n. omnis particula ignis, sicuti seruus à Domino, à causa potest nulla, nisi à Deo: quod dat esse & posse agere, & non ipse solus agit in eis, sicuti oporteret, si absque propria vi tanquam calamus scribentis, calefaceret & attenuaret ignis. Igitur sal, & sulphur, & mercurius generantur ab igne, non sequestrantur. Alioquin elementa tria essent in mundo, in quibus maxima pars esset cuilibet istorum vnum. Ignis enim esset sulfur & non ignis ex superabundantia: aqua mercurius, & non aqua: Tellus sal, & non terra: & tamen plus lapidum, quam salium habet, vt mirum sit vnde in mentem hoc venerit Paracelso. Quod præterea videmus, terram in cinerem, & tandem in salem verti, & in vitrum, nequaquam argumentum est terram esse sal, aut vitrum, aut cinerem. Hæc enim generantur ab igne ex terra & non insunt. sal quoque à cinere loto separatur: vt videas prę ter sal, aliud quid esse terram: cinis enim & vitrum, neque sulfur sunt, neque mercurius, neque sal: sed cum aqua ex eo coloratur trahit ad se igneam vim caloris, & remanet proximior Telluri, & à sole longior: quia nimirum coctionis Telluris est passio, vt in Phys. dictum est.

Hoc etiam falsum conuincimus, quod in aëre fit sal, & mercurius, & sulphur, atque in igne; nec tamen cadant deorsum. Omnia enim hæc grauia sunt: quomodo ergo leuissimum component corpus? si sunt alterius generis, tunc abutuntur vocabulis, & naturis. Eadem enim ratione ex caseo, seuo, & lana, omnia componemus, vel ex oleo, vino, & fece. Illa enim omnia respondent crasso, & liquido, & tenui: sicuti sal, mercurius, & sulphur, solido, humido, & spiritui: ista vero etiam sequestrantur visibiliter ex cunctis rebus. Vnde Galli Chimici etiam oleum, aquam, & aërem, sulphuri, sali, & mercurio adnumerant tanquam elementa prima: & hæc enim separantur. Diximus etiam, quare in ista tria solui videntur mista (non autem in elementa etiã, vt putant Paracelsistæ, sensum in hoc etiam abnegantes) quoniam ipse calor in solida agens, dissimilariaque metalla, inuenit partes alias aptas fieri sulphur, alias liquorem, alias sal, seu quodcunque corpus secundum. At in aqua vitæ, & in dulci aqua, & in aëre, has separationes nunquam faciet ignis. Signum sanè certum, quod non omnia ex his tribus constant. Separatio quoque Paracelsistica non est vltima, sed media. Vltima enim est in ignem & terram resolutio, vt alibi probauimus.

Præterea mirum, si elementorum corpora sunt vaginæ verorum elementorum, vnde tanta vis in cortice elementi ignis, quæ possit alia elementa separare, atque ipsum ignem? Astralitas vero ignis, & aliorum elementorum hoc non possit? Vel si

possunt, quare ipsę sese non exsoluunt vinculis corpulentiarum, & ab ignis vi expectant libertatem, interdumque inimica?

Præterea, quærendum videtur, an perpetuo triades corpulentiarum sunt mutuo conclusæ copulatæque, vt nunquam separari queant: ita quod dum separatur ignis ab aqua, retineat sulfur & mercurium. Et iterũ cum è mercurio separatur alius ignis (quem vocant sulfur) ille ignis etiam habeat in se sal, sulfur, & mercurium: & iterum cum ex hoc tertio mercurio separatur ignis, iste ignis etiam habeat in se sal, sulfur, & mercurium, & sic de cæteris absque fine, vel stabit separatio? Si enim stat, tunc inuenies mercurium purum, sal purum, & sulfur purum; & triades dissociabuntur in vnitates. Ergo quinta illa essentia quæ continet Paracelsistis elementorum virtutes astraliter, & est lux & vita rerum, & virtutum fons, sicut supra dicebant, dissolubilis est adhuc, & non erit vltimæ liberationis spiritus vitalis opus: vel fictitia erit, & falso asseritur: ergo & cum dissoluuntur triades in vnitates, peribit rerum vniuersitas, & natura contra seipsam operatur, dum hoc curat. Eritque aliud Ens curans hoc ab Astralitate interna, & externa, & mirum quomodo ignis hanc rerum perditionem curat, & sui amplificationem & regnum non potius intendit, quemadmodum faciunt cuncta contraria, agentesque causæ. Hoc sanè docendi eramus à Philosophis, noua dogmata facientibus: nec temerè quid affirmandum tanta in re.

At si non cessat extractio, tunc redibit Arist. argumentum victoriosius contra Paracelsum, quam contra Anaxagoram, quod erunt eadem in eodem finito infinities infinita, Anax. enim responderet, quod modica caro cum extrahitur ex aqua non sola extrahitur, sed cum particulis aquæ, & aliarum rerum, ita quod simul consumitur aqua per extractionem aliarum rerum à se. At Triades Paracelsi extrahuntur absque aquæ extractione.

Præterea omnis Trias erit eiusdem speciei & regionis, nec virtus maior in hac, quam in illa, eo quod eædem res absque fine sunt in cunctis & singulis: ergo illud medicamentum, quod quærunt omnibus morbis pellendis idoneum, reperitur in omni re, si corporaliter requiritur, si spiritualiter in omni etiam re: nam spiritus vitæ est idem in omnibus ac singulis.

Hoc etiam maximè pensiculandum erat Paracelsistis, quod si illud medicamen, quod lucem, & vitam, & balsamum vocant, & quintam essentiam, & vitæ spiritum, habet in se omnia elementa paratissima actualiter, & omnium rerum formas terrestrium, & cælestium, & totius firmamenti, estque totus mundus in eo regeneratus: tunc oportebit inesse hæc omnia illi corporaliter, aut spiritualiter, aut vtroque modo: si corporaliter, profectò fallaciter loquuntur. Corpora enim contraria non possunt pacari modo vllo, præsertim ab igne, ope cuius hanc extrahunt essentiam in tenuissima materia, qualis in fulmine. Non enim calor & frigus deponunt odia, consiliante aut cogente igne: qui nimirum nonnisi ignem facere intendit, & semper frigori aduersatur: vt omnino impossibile sit, vbi ipse præualet, pacem inire velle. Si autem solam materiam, quatuor elementis communem conciliant in suo hoc balsamo Paracelsistæ, nihil profectò habent, vnde vires elementorum etiam componant adeò validas, vt momento temporis instar fulminis mirificos faciant effectus: vires enim materialiter consideratę nihil celsi habent, vehementiæque. At si spiritualiter insunt tot contrariæ formæ, & elementa in hoc balsamo, tunc quæro, an secundum ideam tantùm & notionem, quemadmodum dicimus in intellectu esse rerum formas omnium inesse cognito: tunc profectò non poterunt corpora transmutare: non enim cognitio hoc facit, sed potestas. Nec enim vir sapiens imperat, sed potens: nec agit flauus Philosophus, sed robustus miles: si autem potestatiuæ insunt, vt agant ex vi primalitatum, cum primalitates fuerint Paracelso ignotæ, & quæ ab eis accidunt à Balsamo & Astralitate accersiat, nihil sanè dixerunt. Etenim potestas agendi omnia est in solo Deo: in creatis vero rebus non nisi aliquid. Quare calor calefaciet, non infrigidabit: & frigus frigefacit, non calefacit, nec illuminat: & vnum quodque iuxta limitem suæ naturæ, atque formæ operatur: omnes autem naturas præsertim oppositas in vno inuenire præsertim materiato Ente nunquam potuerunt Paracelsistæ. Si autem & spiritualiter, & corporaliter hoc intelligunt, profectò eorum balsamum erit totus mundus ipse: & hoc audent ipsi affirmare, quoniam ex eorum emanat thesibus: dicunt tamen, esse totum mundum regeneratum in hoc balsamo: sed dicant: quis regenerator? ignis ne? ergo ignis est aliquid melius, quam hic spiritus vitæ: qui enim regenerat melior est regenerato, nisi instrumentaliter regeneret instrumentalitate Physica. Quod si ignis regenerat, vt instrumentum Dei non physicè, sed supernaturaliter, sequitur quod actio ignis supernaturalis sit in alembichis chimicorum: si vero est anima mundi, tunc declaranda erat hæc anima, quid sit vltra spiritum vitæ, non enim Paracelsus de ipsa seorsum mentionem facit, & quomodo dirigit ignem ad regenerandum in alembichis, & an ignis sponte, an vi adactus spiritum regeneret, & quomodo ornatum contrariis qualitatibus, quas ignis abominatur? Item si totus mundus est in hoc Balsamo, quid confert corpulentia mundo, quæ in Balsamo non est, & quomodo Balsamum habet totum mundum, si corpulentiæ est expers: & si habet formam tantum cur corporeum est? formę enim incorporeæ sunt, & quomodo possunt esse actualiter formæ innumeræ, & contrariæ in tam modico liquore, qui non est Deus, nec mens, nec de Dei substantia? Præterea si regeneratio fit à simili, tunc ipsemet spiritus seipsum regenerabit: ergo non per calorem, sed per seipsum: eoque magis, quod Paracelsus qualitates spoliat virtute actiua, tribuatque virtutem omnem soli Astralitati, dum contra Galenum arguit. Sed mirum quomodo vtitur nunc calore ad sui regenerationem, cum ipse per se sufficiens sit, nec aliquid à calore beneficij nancisci possit, sed potius illi det iuxta Paracelsi dogma. Quod si ita se habet, quod calor & frigus valeant, profectò non iustè repræhenditur Galenus, quod qualitatibus vtatur, & quod contrariis curet contraria, sed solum quod insufficienter, de actionibus loquutus est. Illud etiam indoctè nimis, quod iste spiritus est ignis non vrens, animaque omnium, creaturarum. Sed si ita est profectò non habebit in se alia elementa sed solum ignem, quorum habet symbolum, & à quo generatur, & regeneratur, & illius ope tam mirificas edit actiones, quales in fulminatis videmus. Miror quod tam sapientes sunt Paracelsistæ, vt vnico medicamine totum mundum sanare queant, & omnia metalla transmutare, & vitam demortuis dare rebus: nec tamen præstare satagunt, quod pollicentur: & cum non nisi de Deo in singulis

intexant versiculis sermonem, à Dei & proximi charitate tantopere absunt. *Nam scienti* (ait Apostolus Iacobus) *facere bonum, & non facienti, peccatum est illi.*

Sed profectò videntur, peritiam profitentes, imperitissimi: Cum enim cælum de ignis faciant natura, contra Peripateticos, nunc quasi adhærentes Peripateticis alchimistis, qui demirantes virtutem Medicinalem occultam, nec scientes de primalitatibus Philosophari, putauerunt, à cælo inesse secundis Entibus virtutes mirificas: propterea que quintam naturam vocarunt id, quod est purum in mistis. Paracelsistæ autem indoctè hoc vocabulo vtuntur. Præterea si ex quatuor elementis constat hæc essentia quinta, conciliatis per virtutem cæli, non essentia quinta, sed mistum vocari debebat. Quis autem misceat contraria in tanta æqualitate non norunt. Sed cum Peripatetici putent, etiam miracula sanctorum fieri virtute æquationis elementorum, vt Pompanatius & alij non minus indoctè quam impiè scripserunt, isti Paracelsistæ has ineptias ad suum Balsamum transtulerunt: & cum ab igne fieri spiritum videant, vt tueantur in Balsamo hanc æquationem miraculariam, finxerunt ab igne generari nihil, sed separari tantum. Sed hoc etiam contra se. Si enim se parat, ergo non manent vnita in Balsamo eorum cum summa æquitate elementa. Præterea qua fronte vocant filium solis & lunæ hunc spiritum communem, à quo sol & luna animantur, & viuificantur, & res omnes; & potius sol & luna sint quædam excrescentiæ spiritus, corpoream in molem in ipsorum dogmate. Quorundam Modernorum puerile dogma, quod substātię rerum sunt tres sal, sulfur, & mercurius, ignis vero sit accidens, non est digna relatu; ignis enim & has substantias de terra & facit nō accidit naturæ sed est primitus de illius intentione & essentia: nec alterius physici Entis organum, aut aduentitium Ens, sed per se operans, & Ens nobilissimum, vt in Physiol. probauimus.

DIFFERRE MATERIAM ATQVE *elementa, & quo: & de multiplici cōpositione, atq; omnia elementa in inuicem transmutari per plures mutationes, & de numero elementorum propriè, & analogicè. Et de quidditate & ratione discernendi elementa à non elementis, vnde nec aërem, nec aquam elementa esse prima; nec sal, nec sulphur, & mercurium. Et quod non differant figuris elementa, sed actiuis potestatibus contrariis, situque, & Aristotelis definitionem de elementis sibi ac naturæ aduersari. Et quomodo causalitas, & principiatio conuenit elementis per participationem.*

ARTIC. VIII.

NOS autem aliud esse materiam, aliud elementum dicimus. Materia enim est id, de quo primitus fit aliquid: elementum verò ex quo componitur propriè & primitus aliquid, & in quod resoluitur: vt oratio ex literis in literas. Dico autem *primitus ac propriè*, quoniam materia etiam cum forma componit, sed non propriè, potius autem causat: nec causatum resoluitur in materiam & formam permanentes. Forma enim corrumpitur, & ipsorum vnio est generatio & corruptio. Vnio autem elementorum est compositio & resolutio. Dixi etiam *primitus*: quoniam etsi oratio etiam ex dictionibus & syllabis componitur, haud tamen primitus: elementum ergo est causatum, sed non compositum propriè seu elementatum, sed sicut litera constat ex linea, tanquam ex materia, & ex figura tanquam ex forma: sic elementa aliarum rerum se habent. Analogicè autem dicitur elementum de cunctis principiis compositionum & resolutionum. Vnde dicimus literas elementa orationis; Lapides & cęmentum elementa parietis: terminos elementa syllogismorum: puncta elementa linearum & Mathematicorum: vnitates elementa numerorum: primalitates elementa essentiarum: sed largo quidem modo, vt etiam materia & forma elementa causatorum. Deficiunt tamen à ratione elementi propria: quoniam in primalitates non fit resolutio, nisi secundum rationem, nec in formam & materiam, nisi per intellectum, quando forma materialis est. Quis enim separet curuitatem à linea nisi per rationis opus? Quapropter datur compositio & resolutio multiplex, alia videlicet, elementaris, vt orationis ex literis: alia causalis, vt hominis ex anima & corpore: alia essentialis, vt entis ex primalitatibus: alia accidentalis, vt albedinis & pomi: in quibus resolutio alia fit secundum rem, vt in literas: alia secundum rationes essentiales, vt ignis in tenuitatem & calorem resoluitur, licet non possint hæc reperiri seorsum: alia sola ratione, vt Petrus subiectum à Petro prædicato, in hac oratione, Petrus est Petrus. Profectò ratio non potest resoluere ne dum Natura, ea, quæ non habent propriam entitatem, sed alterius est alterum: quæ autem habent, bene resoluit. Nunquam sc. seiunges motum à mobili, quemadmodum seiungimus calorem à ferro, quod idcirco fit, quoniam motus absque mobili nunquam in rerum natura videri potuit, cum mobile non fit nisi motu, nec motus nisi mobilis: at ferrum potest absque calore videri, si ponatur in niue. At calidum absque calore non inuenies, neque calorem absque calido, licet calor non vnicum habeat subiectum, sed plurima: quædam enim formæ volunt materiam, quædam certo modo materiam, vt dictum est prius.

Compositio multiplex.

At si formæ sunt, quæ incertas per sedes vagantur materiales: vtique vna est materia elementorum, & non plures, quot elementa. hoc autem manifestum

est, quoniam non modo trianguli, & figuræ aliæ Mathematicæ, & numeri, in omni materia fiunt, sed etiam calor & frigus agentes formæ: & ignis enim calidus & aër & aqua incalescunt, & tellus ita vt ardeant in ea vulcani quam plurimi: similiter terra ita frigesit, vt aquam gelet & glaciet. Aqua etiam frigesit & aër, vt planum sit omnem materiam frigori subiectibilem esse, excepta ignea: quæ dum calidissima est, (ignis enim nil aliud videtur esse nisi caloris excessus) nequaquam frigefieri potest: sicuti nec tellus apprime frigida, nec gelata grando.

At si ignis intra glaciem multam inijciatur, & grando intra fornacem, statim materia ignis fit materia frigoris, & glaciata moles fit caloris. De materialibus qualitatibus idem experimur. Siquidem materia dura lentescit & mollescit, & lubrificatur, & liquefit, & tandem in fumum, & tenuitatem abit: è cōtra vero ipsemet tenuissimus aër cōdensatur in liquores aqueos, & aqua in glacies, glacies in crystallū: vt durities, & mollities, humor & siccitas, & cæteræ differentię omnes in eadem materia fiant. Ergo præter elementa datur substrata res, quæ materia nuncupatur cognoscibilis per transmutationes oppositas, quæ in ipsa fiunt: & quidem Plato & Arist. & quicunque insuper vnicum fecêre elementum, hanc communem materiam concesserunt.

Sed mirum quidem quomodo Plato terram inconuertibilem facit propter triangulorum differentiam. Si enim trianguli sunt calor & frigus differentes, benè quidem opinatur esse in inuicem intransmutabiles. Nec enim calor fit frigus, neque quatrangulus fit triangulus, nec septenarius ternarius: neque par impar: at cum probatum sit, calorem & frigus actiuas esse res, suique multiplicatiuas numeraliter sese effundendo: vtique palam est, eandem esse contrariorum materiam. Cum autem experimenta allegat, quoniam aqua terræ puluerem in se non conuertit: neque ex aqua fit terra, sed glacies & res non terreæ, neque ab igne potest nisi isi vitrum conuerti: profecto decipiantur. Nam & in metalla conuertatur oportet: non enim perennes fuerunt venæ metallorum. Quod si pergat asserere cum Seneca & Pythagoreis semper fuisse in terris metalla, quemadmodum partes specie differentes in animali, statim confutantur à vitro: quod nos ipsi ex terra, in cinerem acta, facimus: & natura etiam facit vitrum multis in locis, vt dubitare modo liceat nullo, omnium metallorum originem esse ab igne, intrinsecus tellurem fundente, immutanteq; sic lapides & res cunctas & ferrū Ilbę: nā de Plantis manifestū est: ignes etiā ex terra nutriri docent vulcani vbique terrarum. Quod si bituminosam materiam allegant pro alimento, tunc & de eadem quærendum: & inueniemus à calore intrinsecato fieri terram sic disponente. At vero vitrum & metalla ac proinde terram in ignem verti, fulmina docent, quæ monetas de marsupio, ensem de vagina, clauos de ianua, in tenuissimum ignem actus, statim deficere faciunt: non sola extractione, sed etiam transmutatione, vt in sequenti sermone amplius declarabitur.

Ex his tamen deducitur, haud vnicum esse elementum. Nulla enim res in seipsam agit, neque ex contrariis constat. Ageret autem vt elementata fiant, si vnicum esset elementum. Item sibi ipsi oppositum esset. Præterea videmus terrestre corpus à superioribus cælestibus omnino segregatum, & ex terra frigus omnia gelans, & à sole calorem omnia soluentem effundi: & eandem rem ab his contrariis viciſſim affici qualitatibus, vt omnino necessum sit, pluralitatem asserere elementorum, ac insuper transmutabilitatem ob communem materiam: non enim in inuicem mutentur, nisi quid commune illis subiiciatur: & simul contraria actiua sint. contestatur Ciampolus huic sermoni omnia elementa ex solis componens isoscelibus doctus à Galilęo.

Non autem esse quatuor elementa, ex eo probamus, quod cum sint prima corpora, primæque sedes actiuarum causarum contrariarum, tot opus esse, quot sunt prima contraria: hæc autem duo esse, probauimus in cap. de contrarietate, calorem & frigus: ad quæ omnia reducuntur, vt lux & tenebra, motus & quies, rarum & densum, & quæ ex his nascuntur colores, sapores, odores, cæteræque passiones materiales: ergo duo tantum sunt elementa.

Hoc autem rationabiliter euenit: oportet enim, elementa prima Physicarum rerum esse prima mundi corpora, maximæque molis, & maximè itidem actiua: non enim remissas habent vires, sicut elementata, sed summas: & omnia facere ex seipsis, ipsaque non ex aliis, nisi per resolutionem, non per compositionem: nec ex alterutris nisi per subiecti communis transmutationem ex parte non ex toto, nisi funditus rerum peritura sit distinctio, naturaque: non tamen ipsa fieri ab aliis, sed ex aliis per hanc immutationem: à seipsis autem dumtaxat fieri. Quibus autem hæ non insunt conditiones, vtique elementa non sunt, sed elementorum proles. Quapropter cum aqua non generet aquam, nec aërem aër, sed fiant à sole terram fundente, vel in vaporem agente, nec actiuitatem habeant vllam, nisi blandi caloris, qualis inest elementatis; nec enim in mille annis generabit ex pugillo terræ aqua in cisterna aquam: nec aër aërem ex eodem: sed ignis præstat vtrunque, vt etiam Empedocles, & Plato contestantur. Nec sint in magna quantitate, cum aqua vix decemillecupla pars sit terræ: & aër pars sit impura cæli, vt in Phys. probatum est: neque in aërem & in aquam fiat vltima rerum resolutio, sed in terram & ignem: manifestum est, duo esse tantummodo elementa prima, id est, ignem & terram: patrem, scilicet, & matrem Physicarum rerum: ex quibus & aqua & aër etiam oriuntur. Secunda etiam processio dualitatem commendat.

Quod si hæc elementa non sunt, multominus sal, sulphur, & mercurius, quæ nec seipsa generant: sed à sole ex terra generantur non secus ac vitrum, cæteraque mineralia: nec generant res alias per transmutationem imperfectam sui inuicem. Neque sunt prima contraria, cum sint omnia naturaliter calida: & moderatè. Neque enim vires habent summas, quibus pugnent effundendo sese ex suis sedibus, & contrarias deturbando, sicut facit sol & terra. Neque sunt notissima sensibus, cum non agant in sensum effusis viribus: & latent in gremio terræ, tanquam proles & frusta illius, cuiusmodi & sunt lapides & metalla. Neque sunt maxima mundi corpora cum potius terræ sint portiunculæ: quas genus lapideum superat & mole, aliaque multa. Item, post elementa sunt, & post cælum & terrā, & Moses, & ratio, & sensus docet: ex eis .n. nūc sunt & fiunt. Quomodo ergo filij suorum parentū sint patres? Vnde mirum sit, quomodo elementa potuerint videri Paracelso confitenti insuper quatuor elementa magna, nisi putet, hæc quibusdam figuris differre intransmutabilibus, quemadmodum Epicureis placet & Platoni. Sed cum etiam in cineres,

& in

& in res alias trāſmutetur ſal, mercurius, & ſulphur: nec vltima reſolutio fit in iſthæc. Nequaquam aſſerenda erat ex eis origo, vel miſtorum: ſed potius ſolidum, humidum, & ſpiritum præficienda. Tam ſtultè diceretur in Gen. In principio creauit Deus ſal, ſulphur, & mercurium: ex que eis cælum & terra ornatus eorum: quam ſapienter dictum eſt. In principio creauit Deus cælum & terram: & deinde plantæ, animalia, lapides, ſal, & ſulphur, & ornatus eorum.

De triangulis autem Platonis nihil eſt, quod ſollicitemur, ſicuti enim aſſeruntur, ita negantur: omnem enim particulam materiæ omni figuræ aptam, arbitramur. Seruari tamen quaſdam donec ſpecies elementi, vel elementati perſeuerat: nam & in ouina pelle metus lupi adhuc reperitur: ſic cæteras affectiones: cum autem facta fuerit penitus tranſmutatio per letheum tranſitum, puto figuras etiam mutari. De elementis ergo ita dictum ſit, quomodo autem elementa non ſunt in miſto ea ratione, quæ Peripateticis probatur, dictum eſt in Phyſ. & mox iterum examinabitur.

Cum ergo Ariſt. definit *elementum* per hoc, *quod paruum eſt in quantitate, indiuiſibileque, & in virtute magnum*, à proprio dogmate aberrat & naturæ. Siquidem ipſe quatuor elementa acceperat cum Empedocle, maxima nimirum mundi corpora, primaque, ergo non indiuiſa, nec minima: & quidem ex Democriti & Anaxag. Schola hæc definitio manauit: qui ex atomis tanquam ex principiis, & ſeminibus, & elementis generant omnia: nec diſtinxerunt inter hæc, vt paſſim ex Lucretio habemus. Diſtinguendum quidem. Semina enim, niſi vocabulis abutamur, ſunt compendiatarum cauſarum contractiones in aliud Ens numero producendum. Principia ſunt, ex quibus res eſt: cauſæ vnde res fit: elementa, vnde componitur res, atque reſoluitur ſecundum rem, reſolutione vltima, ergo Phyſicarum rerum omnium elementa ſunt maxima & potentiſſima corpora. Particulæ autem eorum, ex quibus ſunt elementata, ſunt minora, vt partes ignis, & terræ, ex quibus conſtat homo, ſunt minores homine. Sed elementa, ex quibus illę partes extrahuntur, ſunt maxima longeque excedentia hominem, vt poſſint ſeruari, nec funditus pereat mundus, vtq; res aliæ omnes ex eis fieri indeſinenter queant. Vnde Democ. qui ex indiuiſibilibus generat, infinita facit elemēta, & immortalia. At, qui faciunt elementa diuiſibilia, ponunt mortalitatē ſecundum partem, non ſecundum totum: & Ariſtot. vnus eorum eſt. Nec dicant, indiuiſibile eſſe ſecundum formam: nam & lapis, & metallum etiam homogenea ſunt, ſecundum formas indiuiſibilia, nec propterea ſunt elementa. Profecto neceſſaria conditio elementi eſt vt ſit ſimplex & indiuiſibile ſecundum formam: quod enim diſſimilare eſt, exque formis pluribus, illud primum non eſt, ſed ea, quæ ipſum præceſſerunt in ratione elementi, non principij & cauſæ: vnde ſecum pugnat Ariſt. in poſitionibus vti ſolet. Conuenit quidem elemento cauſalitas duplex, actiua, & paſſiua: potius autem paſſiua materialis: participat tamen vtramque. Diximus enim ſupra quod in primalitatibus continentur principia, & cauſæ, & elementa, & ſemina eminenter: è conuuerſoque in ſeminibus, cauſæ & elementa, & principia, & primalitates, participatiuè: ergo nil mirum, ſi elementa aliquando vocantur principia & cauſæ. Item ſi aliquando etiam elementa vocantur apud Patres aqua & aër: quæ non ſunt prima corpora, ſicut & lux & tenebra ſunt elementa colorum: maſculus & femina ciuitatis. Argentum, monetarum: & apud Pythagoricos, numeri ſunt punctorum elementa: puncta linearum: lineæ ſuperficierum: ſuperficies corporum: cum quo tamen ſtat, quod elementa prima Phyſica duo ſunt (vti Moyſes docet) primitus à Deo creata, videlicet cælum & terra: nec plura eiuſdem ordinis, vt doctè arguit Hier. in Iob. 38. & Lactantius lib. 3. qui aquam quaſi terræ partem, & aërem quaſi cæli partem facit. Plato vero & aquam & aërem cæli partem dicit: quæ ex eiſdem ſcalenis triangulis componuntur in Timeo. Sola autem tellus quaſi condiſtincta ex Iſoſcelibus conſtituitur. Ergo elementa Phyſicorum Entium ſunt prima, maximaque corpora mundi: ſummè actiua, ac proinde maximè ſenſibilia, notiſſimaque, quoniam plus cæteris agunt in ſenſum, ex quibus componuntur omnia, & in quæ reſoluuntur: & non fiunt ab aliis, nec ab alterutris: ſed à ſeipſis ſingula fiunt per tranſmutationem aliorum in ſe: quæ communicant ſecum in materia.

Quomodo antem tranſmutatio elementorum non fit quemadmodum Ocello, eiuſque verba furato Ariſt. viſum eſt: hoc eſt, quod ex igne, dempto ſolo calore, non fit tellus, vt ipſi aiunt: neque ex tellure, dempto ſolo frigore, ignis: neque ex frigore aquæ ex ſicco ignis, terra: neque ex terræ frigore & aëris humido, aqua, &c. de quibus in Phyſ. diximus, Polemicæ quæſtiones noſtræ demonſtrauerunt: & præſens ſermo: quandoquidem tellus perdito frigore poſt multas mutationes, non in ignem niſi ex denſa tenuiſſima fiat, ſed in vitrum conuertitur: & vitrum non ſubito in ignem, ſed poſt mutationes multas: ſimiliter nec ignis in terram, niſi non modo calorem ſed tenuitatem omnem amittat per conuerſas conſimiles: vnde ex proprio arbitratu, nulla experientia duce philoſophati videntur.

MATERIAM PHYSICORVM ENTIVM eſſe corpoream molem, per ſe informem, inertem, abſque numero & vnitate, aptam recipere omnem formam, & artem, & actionem, vnibilem, & diuiſibilem, creatam à Deo, ingenerabilem, incorruptibilem per ſe, non augmentabilem, nec diminuibilem, nec corporeitatem realiter à materieitate diſtingui, nec eſſe accidens.

ARTICVLVS IX.

Redeuntes ergo dicimus, quod quoniam probatum eſt, materiam eſſe vnam, non diuiſam ſecundum ſe in atoma, nec vnitam: ſed diuiſibilem atque vnibilem, vt poſſit omnes ſuſcipere formas: Et propterea corpoream eſſe molem oportere: & non propterea eſſe idem, quod elemen-

tum. Ergo non quadruplicem, neque duplicem, ſed vnam omnibus ſubiectam: ergo non actiuam, ſed paſſiuam rem: non omnium formarum, ſed ſui ordinis Phyſicarum: alioquin eadem eſſet materia Hominum, & Angelorum, & Brutorum, vt dicebat Auicebron. Conſequens eſt, vt materia ſit corporea moles, informis, iners, paſſiuaque, apta ſuſcipere omnes formas, artes, & actiones: ergo à cauſis actiuis formari ornarique habet, extrinſecis ſibi: & quia non agit, inſenſibilis per ſe eſt: ea enim ſentiuntur, quæ in ſenſum agunt, ergo inuiſibilis, ſicut dixit ſapientia *creauit Deus mundum ex materia inuiſa*: ergo tenebricoſa eſt: tenebræ enim ita apertis ſicut clauſis ocalis non viſuntur: vnde combuſtum lignum, ex quo frigus eiectum eſt, & calor cum tenuitate alba exhalauit, faciem materiæ nigram oſtendit: omniſque corpulentia non deuicta à frigore immobilitante, nec à calore mouente, deorſum cadit materiæ inertiam declarans: non telluris amorem, cum plerumque accenſæ res, telluri contrariæ, cadant, motumque in fine concitant: non impellente ſuperne aëre, cum plus aëris infernè reſiſtat, ſed exoſam operationem finire optans, vt animal in fine fugæ, ſicut in Phyſicis declaratum eſt: quamquam quatenus corpora omnia Entia tendant ad centrum proprij ſyſtematis: quatenus vero formata, decidant, vbi ad ſitum ſuæ formæ conuenientem ire non poſſunt: vt mox declarabimus.

Sap. 11.

Materia igitur eſt per creationem Ens: nunc autem ingenerabilis & incorruptibilis; ſi enim generatur, ex non materia generatur, vel ex materia. Si ex materia: ergo eſt, non generatur, ſed formatur. Si ex non materia, ergo ex nihilo fuit: ergo creatur. Si corrumpitur, in materiam, aut in non materiam. Si primum, ergo non corrumpitur: ſi ſecundũ, ergo annihilatur: diuerſi enim in diuersũ non eſt tráſmutatio: immo nec contrarij in cõtrarium, niſi ratione ſubiecti: materiæ autem ſubiectum nullum eſt, niſi locus, & hanc localem mutationem ſubit materia, non autem aliam reſpectu ſui, ſed formarum: ergo nec augetur nec minuitur materia, niſi per ſubtractionem propriarum partium, aut additionem earundem: calor enim & frigus, aliæque formæ non augent materiam, ſed expandunt condenſantque modo eandem earundem partium.

Eſt quidem materia informis non ita, quod carere poſſit omni forma, ſed quia non ſic hanc habet formã, quin poſſit ſuſcipere alias formas, ſi quis det: & quidem poteſt eſſe abſque omni forma actiua, id eſt, abſque calore & frigore, cæteriſque huius generis: non tamen abſque forma paſſiua, niſi infinita ſit, hoc eſt, in infinitum extenſa. Si enim terminos habet ſuæ exiſtentiæ, vtique & formam habet, ad quam terminatur, ſiue diuiſa, ſiue vnita ſit. Imo & ſui natura tenebricoſa eſt: neque repugnat cauſæ paſſiuæ, qualitates habere paſſiuas, ſed actiuas modo: quas non niſi ab agentibus ſuſcipit, cum quibus ſit vnum: huius reſpectu vnionis etiam materia ſit coagens, non autem agens: & forma agens ſit compatiens, ſeu conſuſcipiens, non autem ſuſcipiens patiensq; Quapropter ſi corporeitas eſſet forma, & non ipſamet materieitas, tunc poſſet materia viciſſim nunc corporeitatem, nunc incorporeitatem ſuſcipere, ſicuti nunc calorem, nunc frigus. At cum manifeſtum ſit materiam non ſuſcipere formas incorporeas, niſi quia prius ipſa eſt corporea baſis earum, vtique planum ſimul eſt, materiam eſſe corpus de genere ſubſtantiæ, ſicuti contra Peripateticos ſuperior ſermo declarauit. In omni enim generatione præſupponitur corpus, quod materiat & generationem & genitum: ergo nulla res alia materians innoteſcit, neque eſt. Nec Peripatetici qui à formis omnia recipere, quæ habet materiam docent, poſuerunt à formis corporeitatem, aut quantitatem deriuare in rebus corporeis, ſed ab ipſa materia, quam nullam demonſtrant, niſi ſubſtantiale corpus, ſubſtans formis, ſicuti ſpatium materiæ: & non accidens materiæ coæuum, vt Auerroës fingit, negando certam materiæ eſſentiam, fingendoque incertam incertiſſimis naturæque repugnantiſſimis rationibus. Si enim auferas corpus, quod putant eſſe accidens, à mundo, vel à materia, ſtatim annihilatur mundus & materia. Accidens enim eſt, quod præter eſſentiam, aut intentionem rei aduenit enti. Corpus autem de eſſentia eſt mundi, & de intentione, & voluntate opificis eius. Sancti etiam, Chryſoſtomus, Baſilius, Origenes, Iuſtinus, & ipſa Eccleſia, corpus indiſtinctum, & chaos tetrum fuiſſe materiam ab initio declarant: & incorpoream Ariſtotelis materiam derident, abominanturque: Et diuus Thomas Opuſc. 42. cap. 6. idem probat. Quomodo enim ex vno fecit Deus omnia chao, niſi illud corpus fuiſſet aptũ diuidi in elemẽta, & elementata formari: non autem indiuiſibile Ens, non Ens. vnitatẽ materię ſuperius declarauimus, ex cõuertibilitate omnis elementi in omnes. S. Ambr. in Epiſt. 31. dum ex materia ſiue vnita in chaos, ſiue diuiſa in atoma Democratica, mundum feciſſe disiunctiuè docet. Sed profecto quoniam vnitas præcedit numerum, verius affirmem ex vno confuſo corpore, ſicuti alij Patres docuerunt: quod natura non tempore præceſſerit cælum & terram, ſicuti in q. Phyſ. declaratum eſt.

PARS QVARTA de quantitate, ſeu affectione materiali.

QVANTITATEM, IMPROPRIE ſumptam antiquis pro corporeitate, radicaliter eſſe materiam: pro menſura vero materiæ eſſe proprium eius accidens, ſeu complementum ipſius: pro extrinſeco terminatorum termino eſſe accidens: & dimenſiones non eſſe materiam, neque numeros; ſed quantitatem: & quod ſunt in materia tanta à ſpatio tanto, & ab agente tantum requirente ob talem finem; & quomodo Pythagorici, & Mathematici de quantitatis principiis, & eſſentia non phyſicè, ſed doctrinaliter ſunt loquuti.

CAP. V. ARTICVLVS I.

PRIMA autem materiæ paſſio, ſeu affectio eſt quantitas, ex qua prædicamétum vnum fecêre Peripatetici: & quidem vt ab exterioribus accidit cauſis, hoc eſt, à ſpatio & cauſis agentibus & formis in ea factis, accidens dici poteſt: vt autem ab materia res coëxiſtentes reſpiciente, ſine quibus ipſa non eſt, habetur vt poteſtas ſuſceptiua, ſeu principatiua, & materiatiua: quemadmodum ex primalitatibus ad extra reſpicientibus dicebamus ſuboriri facultates in ſuperioribus ſermonibus: ſic accidens non eſt, ſed complementum materiæ vt cauſantis, & materiantis. Sin vero ſumatur quantitas pro corpulentia de genere ſubſtantiæ, tunc non eſt accidens, ſed ipſamet materia radicaliter: & ſic concordabimus Patres cum Scholaſticis, quorum aliis eſt accidens, aliis ſubſtantia.

Iam D. Tom. Cuſ. 42. c. 6.

Clarum enim eſt, quod corpus de genere ſubſtantiæ, ſubſtantia eſt etiam Peripateticis: quamquam nec rectè id declarauerint: ipſa enim materia, quæ dimenſionibus ſubſtat, & conſtat, & radix eſt quantitatis, ſubſtantia eſt: ac interdum vocatur moles corporea & quantitas: quod tamen non eſt, niſi quatenus reſpicit tantitatem: eſt enim ſic menſura ſubſtantiæ: quam menſuram determinat ſibi forma, non ſecus ac talitatem. Tanta enim ac talis fit ſubiecta materia in rerum formatione, quantam, ac qualem oportet eſſe ad formæ ſuſceptionem, & conſeruationem: & hæc quidem determinata menſura & terminus materiæ, eſt accidens: non enim ſemper eoſdem terminos, materia habet, ſicuti eandem eſſentiam & molem habet. Haud enim dimenſiones tres longitudo, latitudo, & profunditas, ſunt ipſa materia, ſed ipſarum plenitudo materia eſt: etenim in non materia etiam eſſe poſſunt. Siquidem ſpatium, quod baſis exiſtentiæ corporum eſt, longum eſt & latum & profundum vndecunq;, quacunque, & quorſumcunque: & tamen materia non eſt, ſed conceptaculum materiæ, ipſi commenſurabile: non enim concipere locareque poſſet molem, niſi ipſi conſimilius eſſet ſecundum omnes dimenſiones. quinimo à loco ſortitur quantitatem: non enim fit longa niſi in loco longo, nec grandis niſi in loco grandi & ſecundum quod plus, vel minus de loco occupat, magnificatur & paruifacitur. Eſſe quoque vnum & plura, magnum & paruum accidit materiæ ab exterioribus rebus ſecundum eſſentiam, id eſt, ab agentibus cauſis, quæ ipſam diuidunt, vniunt, condenſant, rarefaciunt, abbreuiant, producunt, augent, minuunt & terminant, figurant, & vt hæc pati poſſit, habet à ſubſtante ſibi loco: non enim fit longa niſi à loco longo, nec magna niſi in magno, vt dictum eſt, nec plura niſi ſpatio intercepto diuiſa. Igitur materia vt plenitudo dimenſionum radicaliter eſt corpus, & quantitas, ſed quantitas propriè eſt ipſa menſura materiæ interminatæ, vt reſpicit ad terminos, ſicut facultas eſt primalitas radicaliter, vt reſpicit ad terminos eſt facultas: vt vero extenditur ad obiecta, dicitur paſſio & affectio: ſic quantitas, vt ad obiecta materiæ extenditur, id eſt, ad formas, ad quas reſpicit materia, dicitur accidens extrinſecus illatum, ſuper intrinſeca potentia & facultate materiæ fundatum, & à nonnullis propter hoc vocatur extenſio ſubſtantiæ quantitas. Quæ tamen ſubſtantia non extenditur, niſi quia radicaliter ipſam habet: & quemadmodum albedo ſine ſubiecto, vt docet D. Thomas, eſſet indiuiſibilis, ſic materia ſine formis, eſſet indiuiſibilis, potius autem dicam ſine ſubiecto ſpatio, in quo ipſa fundatur, quemadmodum formæ in ipſa: & ſicut non habet materia certos terminos abſque forma, ſic nec ſpatium abſque mole non eſt longum, latum, & profundum niſi indeterminatè & radicaliter. Non enim magis longitudo, quam latitudo & quam profunditas eſt quælibet dimenſio loci, niſi concipiat aliquod corpus longum, latum, & profundum, vnde denominetur, vel ſecundum notitiam taliter quantum. Habet ergo materia à formis actiuè quantificationem, à ſpatio vero paſſiuè & ſubſtantiuè, à ſeipſa radicaliter.

Cum autem Mathematici dicunt, lineam fieri ex fluxu punctorum, & ſuperficies ex fluxu linearum & profunditates ex fluxu ſuperficierum, ſiue, vt Pythagorici docent, ex compoſitione, itaut numeri punctos: puncti lineas, lineæ ſuperficies, ſuperficies

profunditatem componant per appositionem: corpora autem ex his constare: & terminos linearum esse puncta: planorum lineas: altitudinis, & soliditatis superficies: profecto doctrinaliter loquuntur, vt intelligamus ordinem naturæ in his, non quod ita fiant: sed Pythagorici naturalius loquuntur: & quidem de corpore Mathematico potius, quam physico: Mathematicus enim mensuras modo considerat, respectu notitiæ nostræ, qui etiam quantum quanto metimur: totq; modis peragitur: & ponunt mensuram quantitati, cum ipsa quantitas secundum naturam potius mensura sit, & terminus materiæ. Terminorum autem qualitas est figura, de qua diximus de forma tractantes.

Terminus quidem intrinsecus est quantitati: quod enim ab extra terminat, non terminus, sed conterminus est: nam Theologia etiam docet in Eucharistiæ transubstantiatione remanere quantitatem id est, superficiem, rotunditatem, & pondus, & accidentia hisce inhærentia; corpus vero de genere substantiæ transubstantiari in corpus Christi: vt suo in loco probatum est.

Materiæ autem elementa non esse puncta, nec atoma, nec numeros, ex his declaratum est. Quoniam eius non est nec vnicam, nec diuisam esse, nec longam, nec breue: sed vnibilitas, diuisibilitas, longabilitas, breuiabilitas, terminabilitas, &c. quæ de ipsa dicuntur secundum potentiam, & de corpore formato secundum actum. Præterea, cum quantitas sit plenitudo materiæ vnitæ vel diuisæ, vanum est quærere vtrum possit dari infinitum, quantum: sicut quærere vtrum detur calor frigidus, & dulcedo amara. De spatio autem non ita vanum.

MATERIAE VNITIONEM PRODVCERE quantitatis magnitudinem: diuisionem vero, numerum, si est perfecta: si imperfecta, quæ participat vtroque, id est, lentorem, mollitiem, &c. & vnde paruum & magnum, paucum & multum, & positum partium parturire. Grauis & leuis paßiones: & analogicè ista inueniri in cunctis rebus: declaratur generatim.

ARTICVLVS II.

QVANTITAS igitur determinatio est materiæ. Determinatio autem fit per vnionem & diuisionem, & positum. Ad vnionem sequitur contiguitas, densitas, siccitas, durities, grauitas. Ad diuisionem perfectam pluralitas, & numerus: ad imperfectam lentor, mollities, viscositas, lubricitas, fluor, liquor, vapor, & tenuitas, & simul humiditas: His additur leuitas. Ex vnione multitudinis fit magnum: ex eiusdem detractione, vel ex pauci vnione, paruum: sicut ex magni diuisione multitudo, ex parui diuisione paucitas: quæ etiam ex multi detractione fit. Vtrum mensura, quæ diuiditur in magnitudinem & paruitatem, oriatur ex numero: an numerus ex mensura, an vero sint æquè prima, dicendum est postea. Expositione autem quantarum particularum oritur pondus corpulentiæ, quod distinguitur in graue & leue, vt postea videbimus: & disputabimus vtrum pondus pendeat ab amore & odio, an à mensura, an à numero: an è conuerso: hæc omnia Philosophum oportet inspicere: quoniam res cunctæ corporales per has constituuntur differentias, & distinguuntur. Incorporeæ vero harum similitudine analogica considerantur: est enim in Diis, & in abstractis mentibus quantitas virtutis: in materialibus quantitas molis: in accidentib. horum quantitas per accidens. Oritur enim pluralitas motuum, & albedinum: & extensio & vnitio, & diuisio, ad extensionem, vnitionem, & diuisionem subiectæ molis: vt in Angelis subiectæ virtutis. In Deo autem nulla quantitas, quia nullus terminus: dicitur tamen magnus sine quantitate & sapiens sine numero in scripturis iuxta modum nostrum balbutiendi.

DE MVLTIPLICI VNO MATERIALITER & formaliter in rebus corporeis, similaribus, & dißimilaribus, & secundum se, & secundum nos: & quomodo est mensura quantorum continuorum & discretorum.

ARTICVLVS III.

QVONIAM Ens omne vnum est, vel ex vnitatibus constat: vnum esse essentiam rerum dicimus, vel essentialem proprietatem & conditionem. De quo in secunda Parte sermo nos manet. Hic autem de vno non transcendentali, sed quantitatis dicere libet: est autem vnum, quod in se indiuisum est, ac diuisum ab aliis: dicitur autem indiuisum vel indiuisione materiæ tantum, vt electrum ex auro argentoque conflatum, & theriaca ex simplicibus multis omnino mistis in vnum alteratisque: vel indiuisione formæ tantum, vt duæ paginæ albæ sunt vnũ, & duo annuli aurei sunt vnum, & duæ aquæ: nam & si moles diuisa sit non tamen substantialis forma. 3. modo dicitur vnum vnitate materiæ & formæ indiuisarum: sicut massa vna auri, & aqua intra vnum contenta vas: potest tamen fieri vt res aliqua sit magis vna vnitate formali, quam materiali, vt aqua & aër, quorum ma-

teria licet vniformis, non tamen est composita & vnita, vt electrum & vnguentum: Quod magis vnum est vnitate materiali quam formali, ob partium compactionem dissimilarium secundum formam. Duplex autem est disforme, seu dissimilare, quod vocant etherogeneum; alterum, quod constat ex partibus manifestè difformibus quia organicis, vt corpus animale & paries; alterum, quod ex partibus vniformibus ad sensum, eiusdem scil. coloris & consistentiæ visis, constat; sed ratione corpulentiæ differentibus, veluti lutum & caro, & aqua marina, quoniam omnium pars luti est lutum, & carnis caro, & aquæ aqua salsa: cuiusmodi non est omnis pars animalis animal, neque caro, neque os: sed ista hoc, illa illud. Et cognoscitur hoc, quoniam calor dissimilaria soluens in diuersas agit res, vt marinam aquam in sal, & vaporem; carnem in cinerem & fumum, aquam vero dulcem & ceram, cæteraque similaria vocata, & homogenea soluit in aerem, vel liquorem, quanquam tandem omnia ignem, vt superius dicebamus.

Diximus quidem, vnum esse in se indiuisum in genere quantitatis, non autem indiuisibile. si enim diuidi non potest quantum non est; sed principium ordinis aut originis quantorum, vt punctum, & Deus: vtrum autem possit esse materia quantorum, quemadmodum faciunt, qui ex punctis lineas constituunt, dictum est prius: diuisio enim ad atoma, secundum sensum procedit: ex quibus atomis res non atomæ etiam fiunt Democrito. haud tamen prorsus nullius quantitatis.

Datur ergo vnitas simpliciter indiuisibilis ratione, atque sensu, vt Deus; & vnitas indiuisibilis in genere quantitatis, vt atomum corpusculum & iterum vnum secundum nos, seu secundum quid in ratione mensuræ. vnitas enim omnes mensurat numeros per sui replicationem, sicuti per palmum replicatum mensuramus pannum: nihil enim est duo, nisi vnum repetitum, & tria est iterum vnum iterumque iterumq; repetitum; & sic de cæteris. Porro enim quidquid mensuræ vim habet, aut vsũ, vt sic indiuisibile vnum est: vt diesis est mensura tonorum, vt granum etiam est mensura ponderum: ex eo enim replicato fiunt terpisia; ex his dragmæ, ex his vnciæ, ex quibus libræ &c. similiter digitale in mensurabilibus, quod nempè replicatum efficit vrceolos: vrceoli metretas, metretæ lagenas, &c. pes quoque in itineribus: magis autem digitus est mensura per replicationem. vtimur siquidem quibuscunque minimis, quasi indiuisibilibus ad ponderandum, numerandum, & mensurandum: hi enim actus sunt cognoscitiuæ primalitatis humanæ: quæ ex sibi notissimis procedit ad ignota quantitatis; vt ex minimis ictibus oculi, sibi notis, mensurat decimas, ex decimis nonas, ex nonis octauas, &c. ex secundis minuta, ex minutis motum & tempus in Astronomicis. At secundum Naturam hæc ita sese habere dicere non licet: non enim granum frumenti est formicæ primum pondus, sed quid longè minutius. Gigantibus verò quid solidius, & in Theologia mensura Ierusalem est ad pedem viri, qui est Angelus, vt dicitur in Apocalyp. licet ergo granum indiuisibile sit nobis in ratione ponderis; non tamen formicæ, & naturæ communi: licet etiam Naturæ sit indiuisibile atomum, ex quo replicato fit quantum continuũque. Deo tamen & Mentibus diuisibile est: nam & in infinitum diuidunt Mathematici omne quantum, licet Physicè errent.

DE VNO PER CONTINVATIONEM secundum Philosophos veteres, recentioresque, & secundum propriam opinionem disputatio. Ac de vnis materialibus aliis, videl. contiguitate, condensatione, colligatione, ordine, &c.

ARTIC. IV.

VNum est multiplex in Physica, aut enim continuatione, aut contiguitate, aut colligatione, aut compenetratione, aut condensatione, aut pluribus horum modorum.

Definiunt Peripatetici *Vnum continuum, quod indiuisum est in se, diuisibile tamen est in infinitum.*) quod tamen in Phys. non admittimus. stat enim omnis diuisio in atomis: alioquin tota rerum substantia interitura esset, vt Lucretius arguebat: & ex infinitis particulis æquè milium componeretur atque elephantus, & totus insuper mundus. alibi Arist. ait, *continuum esse id, cuius motus est vnus indiuisibilis.*) Quod neque rectè dicitur: nam mare continuum est, nec tamen eius motus vnus, sed plures simul: quod si dicant, mare iam diuisum esse in atoma & congeriem esse atomorum, vt Galilæus recens scripsit: confutabitur Arist. per rotam currus: cuius partes sunt contiguæ clauis compactæ non continuæ, & tamen omnium motus est vnus. Similiter & paginarum huius libri. Amplius Arist. dixit in prædicamentis, *continuum est, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem*: quod nec rectè satis declaratur, termini enim lineæ sunt duo puncta, superficierum lineæ: corporumque superficies, vt ipse docet, & has vocat species continuæ quantitatis: constat autem non ad vnum, sed ad duo puncta lineas terminari rectas: circulares verò ad nullum. Similiter nec solidarum sphærarum superficies ad vllas lineas terminantur. corpus quidem solum ad superficies terminatur, sed non tanquam ad terminum indiuisibilem, sed diuisibilem; veluti lineæ in circulo terminantur ad circumferentiam: at si ad centrum terminari quis dicat: ipsum quoque infinitum sic terminabitur, quod de se caret terminis, in cuius vbique potest signari centrum. quid si ad eum terminum communem partes copulari intelligant, vt aiunt, qui potest signari in quauis parte: veluti partes animalis ad cor, vel vmbilicum, tunc vtique secundum rationem terminus erit: non enim punctum in

medio lineæ signatum est terminus, nec in medio temporis, extra quod nihil: sed secundum nostrũ intellectum fit terminus, & non secundum rem. credo tamen Pythagoreos, vnde hanc rationem per Architam acceperunt Peripatetici, alium sensum habuisse, videl. quod partes continui quæcũque terminũ vndecunque finientem habent communem. Palam est enim quod quæ discontinuantur, eundem terminũ nullibi habent: extremum enim huius paginæ supremũ, totius & omniũ partium simul extremitas: at si scindatur per mediũ, scissuræ fragmen inferius non habebit pro extremo hunc supernum terminum; sed illud in quo scissio intercidit: ita quod continuum est, cuius partes habent communem terminum, quod tamen affirmare non potest de continuo infinito.

Verum enim verò hæ rationes continui sunt à proprietate non à causis, & quidem à forma sola si capiebantur, meliores erant: vt si dicas, continuũ est, cuius partes sunt maximè vnitæ: vel, cuius partes minimum diuisionis admittunt. vnde magis vnum est lapis, quam lignum, & magis lignum, quã mel, & magis mel, quã aqua, & magis aqua, quam balsamum chymicorum. Loquor autem de materiali non de formali vnitione ac discretione. Qua ratione quidquid habet eandem molem in loco angustiori, dicitur magis vnum, vt densitas lentore: lentor mollitie, mollities viscositate: viscositas lubricitate: lubricitas fluore, fluor vapore, vapor tenuitate. Haud tamen magis est vnum vncia auri quam libra eiusdem auri, propterea quod habet partes pauciores, cum non habeat vnitiores: alioquin punctum solum esset verè vnum in Physicis; & in Metaphycis magis vnum esset Angelus, quam Deus.

Rationem vnitatis continuorum non docuerunt Peripatetici ex causis, sed nec priores Philosophi. Democratici autem diligentiores, putant, neque ex vno posse fieri plura, neque ex pluribus vnum: atoma autem vnitates esse, ex quibus constant corpora omnia: quorum contiguitatem, non continuitatem esse putant: simpliciter enim continuum est vacuum spatium: & atomum corpusculum. Diuisibile quidem ratione, non re. sunt enim atoma quoque angulosa: à quibus ratione secamus angulos. igitur secundum rem non modò indiuisum, sed etiam indiuisibile est continuũ Democrito. At alij putant etiam atoma. Lucretius per intricationes: ex quo enim alij sunt rotundi, alij angulosi, alij hamati, contactu mutuo complicantur, quæ magis aspera sunt. alia enim leuiora composuerunt aquas, alia asperiora terram, alia mitiora aërem, alia acutiora ignem. Sed profectò hi nullã cõtinuitatis vnitatem docent. Omnis enim talium corpusculorum vnitio cõgeries erit minutiarum, non continuatio rerum: sicuti mons farinæ, & minutissimarum arenarum: quas quantumuis contundas & complices, non commassantur, nisi glutino addito, vel aqua viscositatis non expers. Quam si deinde per furni calorem exprimas, vt in pane bis & ter cocto: tunc cohærentia dissoluetur paulatim, ita quod tandem in farinas abeat: omniaque corpora huiusmodi friabilia erunt: nullaque reperientur trahibilia, & commassabilia, & viscosa, tenaciaque. At si aqua compingendi vim habet, profectò non quia ex hamatis constat atomis hoc habet, sed quia viscositatis particeps adhuc. Viscositas autem est materialis expansionis gradus quasi medius à calore genitus. Manifestum est enim, quod etiam ex atomis fit viscositas per materiæ expansionem, non per minutionem & frustulationem. Etenim cineres atomis constant particulis: quæ nunquam commassantur absque actiuitate noua ignea, eas transmutante: Ab aqua enim glutinatæ, statim postea dissoluuntur. Ignis autem eas agglutinat, non quatenus ex aculeis constat, vti videtur recentioribus Democraticis. sic enim non nisi dissociationem, & repletionem præstaret vacuitatibus inuisilibus, vt loquentes de calore & frigore paulò antè demonstrabamus. Ergo ignis agglutinat quatenus transmutans cinerem, non quatenus addens aculeos atomasque partes tenaciores aqueis. Liquefacit ergo cineres vi actiua, non passiua corporeitate acuminata: liquor autem cinereus, abeunte caloris robore & copia, in vitrum concrescit durum, frangibileque: quoniam à telluris consistentia recessit magis. Vitrum deinde per vim ignis reuerberati in fornacibus soluto glutino per liquefactionem priorem facto, in sal conuertitur, sicuti lapis in calcem, & lignum in cinerẽ; sed longè distantius à telluris crassitie & salibus, & cineribus, & calcibus. Factum enim est hoc sal ex valde transmutata mole terrea. Sal autem hoc, iterum vehementiori igne correptum, soluitur in oleum intra alembicum adeò tenuissimum, vt vitrea vasa pertranseat, destilletque foras: tantæ tamen tenuitatis, vt subito euanescat. Nec Chymici sciunt quid de illo fiat: Dicunt enim omne principium redactum ad sui puritatem, esse desinere, tam videl. sal, quàm sulfur, & quàm Mercurium, post multas extractiones alterorum ex altero: sed profectò in ignem purum abire, nos dicimus; neque aliud facere intendit ignis, nisi se ipsum. ex quo manifestum fit, terram per plures transmutationes in ignem conuerti contra opinionem Emp. & Platonis. Ac in omni conuersione aliquid glutinosum remanere, resolutioni repugnans: per quod corpora media firmantur, & tenentur in propria soliditate particularum: quo glutino detracto, tanquam minus repugnante actioni caloris, vt patet in luticalefactione, vnde prius aqua quàm soliditas ad ignis naturam accedit, effertur que sursum: Tunc partes solidiores dissiliunt in sales, & minutias alias calcis, vel cineris pro corporis conditione: quod enim cinis est ligno, calx est lapidi, vt sal vitro, ita vt nullum prorsus similare interueniatur corpus medium. & hoc decepit Leucippum ac Democritum, vt putaret ex solidis atomis omne corpus cõponi: cum vidisset sorbos, & mespila, & poma frascescentia, & fabas concoctas, & cineres, & res omnes medias, quasi in atomas partes segregari, cohęrentes adhuc; quam cohærentiam dedit hamatis particulis. Videmus sanè, quod ferri frusta non commassantur ab igne, nisi puluere terreo iniecto: neque calx benè cohæret, nisi arenis commistis, quę nimirum suis angulis dant compenetrationem partium parietis ad inuicem, & roborationem suis soliditatibus, vt in Phys. dicebamus. Puluis etiam ferro disiuncto ingesta, dum vtrorumque ferrorum terminis ingeritur, miscet vtrumque: quæ tamen sola mollificatione ab igne facta non compinguntur. At si soluantur vtraque ferra in fluorem, tunc repentè mista fiunt vnum, nil indigendo arenulis: sed magis quàm si per arenulas conuenirent: arenæ enim intermediantes efficiunt etiam aliquam discontinuationem: & propterea gladij ex calybe fa-

bricati in carbone ignito terrestribus misto particulis elaborati, frangibiles sunt certis in locis, in quibus arenulæ compactæ concluduntur, vt multi aduerterunt.

Quas ob res quid faciant continuitatem in rebus non rectè nouerunt Democratici priores. Recentiores verò putant, ab exquisito contactu atomorũ fieri continuitatẽ; à non exquisito, contiguitatem. At si exquisitus est contactus, vbi nihil intermediat, neque vacuum, neque plenum alterius corporis: non exquisitus, vbi intermediat aliud corpus, aut vacuitas: quemadmodum Arist. in 2. de Anim. docet, non posse duo corpora sese tangere exquisitè: quoniam omnis contactus (ait) fit in aqua, vel in aëre. si in aqua, manifestè interponitur aqua: quod maditas, cum separantur, inter digitos, aliaque inter corpora, declarat. si autem in aëre, multo magis; subtilior enim aër est, aptiorque interponi. Hæc si afferunt Democratici, nihil probant; nec patrocinio Aristotelis seruantur. etenim cũ inter aquam digitos copulat Arist. intermanet propterea humor, quod digiti porosi sunt & sulcati, & quasi valliculis, & monticulis contexti: inter valles autem & in poris remanet humor cum stringuntur digiti; magis autem si in ipsa aqua mersi stringuntur: oportet forsan prius in aëre stricti mergantur in aquam. At si læuissima omninò corpora, inueniri possent, fieret cõtactus omni excluso intermedio, vti fit ex duobus aquis, quæ mutuo compenetrantur: vtrum autem Aqua vino mista continuetur, vti visus credit, an contiguetur, vti separatio docet; facilè enim absque igne mox per spongiam, aut micam panis separantur, & per appositum vas, postea declarabimus. Videmus præterea cum aqua pendet de trabe, cui vnita est absque intermedio, guttatim cadere, & separari: quod continuis non accidit rebus.

Duas etiam plumbi portiones malleo in vnum compressas, videmus non continuari, cum tamen nullus intermediet aër, qui non exprimatur plumbi lentore compenetrante sese vndique non longè minus atque aquæ liquor. si autem per tactum exquisitum intelligunt compenetrationem, quã facit viscus, & calx intra lapides confabricandos immista; tunc profectò modus contiguitatis faciet continuitatem, non autem indiuisio & vera vnitas. Si quis deinde credat, vacui prohibitionem efficere continuationem, tunc nulla corpora erunt continua, sed contigua: si vero à forma vnitatem continuam accersiamus, tunc duæ partes auri continuabuntur quacunque vi compressæ; quod tamen nec per ignem emollitæ faciunt, nisi eboracæ puluis inijciatur: si verò tactus exquisitus fiat à sympathia, & contactu amoroso, vti nos aliquando opinabamur: tunc sequitur quod argentum viuum, quando ad aurum se confert, eique sese insinuat per poros, & superficiei fortiter adhæret, eius amore affectus, fiat illi continuum, quod tamen verum nõ est, nec de ferro tangente magnetem.

Quas ob res contactus non facit continuitatem, sed contiguitatem. Facit autem Materiæ coextensio, & conformitas, & gluten. Siquidem materia non est atomorum congeries: neque eius est vnitam esse, neque diuisam: sed vtrunque pati. Quando ergo patitur partium vnionem actu omnino indiuisam, diuisibilem verò solum potentia per aliud intermedium, tunc continua est, & hoc non potest absque qualitate naturali, & primalitatibus fieri. Nulla enim Ars potest facere rarum, & densum absque illis: sed tantum diuisum & vnitum. Cum vero partes diuisæ sunt, sese tamen contingunt, siue partes sint, siue res, quæ non pertinent ad idem totum, tunc contiguitas fit ex illa vnione extremorum: quæ tamen perfecta est, cum absque medio etiam insensili sese tangunt: imperfecta verò quando intermediat insensibiliter quippiam, non tamen per totum. Quapropter haud arbitramur, aquam esse congeriem atomorum, vt aiunt Democratici, nec aërem, & ea, quæ cedunt tactui, sed extensionem materię absque diuisione intermedia, quod & Seneca animaduertit, vt mox dicemus.

Vtrum autem continuum aliquid difforme esse queat, & aliquid magis minusque continuum, non inanis quæstio est. Siquidem cum aqua miscetur vino non videntur continuari si separabilia sunt. id quod docet lutum ex aqua, & terra compositum; & pasta ex farina & aqua; vbi sanè nec aqua terræ, nec terra aquæ continuatur, sed contanguntur mutuo, & compenetrantur; similiter quidem atque spongia, quæ aquis repletur, nec tamen continuatur spongia aquæ: sed potest aqua ex parte continuari secum, ex parte discontinuari: nulla enim pars aquæ non continuatur alicui parti aquæ, nec vlla terræ non alicui terræ: & simul aliqua aqua ab aliqua per intermediam terram discontinuatur, sicut & in spongia; in luto ergo, & aqua vino mista continuitate, & discontinuitate constat, similiterque vinum.

Ergo datur aliquid ex parte continuum ex parte contiguum secundum Naturam, licet non item secundum sensum nostrum. Datur etiam aliquid continuum & contiguum simul secundum naturã atque nos, vt ossa animalis ratione sui contigua sunt, ratione verò neruorum super extensorum & tendonum & carnis, continuari videntur.

Prætereà aqua continuum est corpus, sicut lapis; verumtamen magis continuum dicitur lapis, quoniam partes huius compactæ sunt vnitione maiori: non autem quia aqua intercipit vacuitates plures, vt quidam existimant. Sunt etiam magis continua, quæ non constant ex solido & liquido & spiritu, seu, vti Paracelsistæ loquuntur, ex sale, Mercurio & sulfure. Differentia enim latens continuitatem adulterat.

Inter contigua illud est magis vnum, quod magis ad continuitatem accedit, vt paries magis quam maceria, quia calx trahit ibi magis ad continuitatem; sed quæ pice vniuntur, & fluoribus indutatis postmodum, faciunt vnitatem maiorem.

Colligatione vnum est, quod à continuo circundante connexoque stringitur, vt fasciculus lignorum: etiam, quæ visco conglutinantur, dicuntur vnum conglutinatione, & quæ clauo compaginantur, dicuntur compactione vnum.

Datur & vnum materiale per assecutionem, vt in rastro & dentibus. Fiunt & ordine, & lege, & arte multæ vniones, & collocationes, vt exercitus, & reipub. & Ciuitatis, & sectæ. de quibus etiam alibi.

Vnum tandem densatione materiæ est, quod plures partes continet in æquali spatio, vel easdem in minori, ob materiæ cohærentiam. Facit autem calor per se raritatem, frigusque per se densitatem: ergo & duritiem, & siccitatem. eius enim est materiam constringere, caloris verò expandere.

expanſio autem fert mollitiem, & humiditatem fluxibilem, terminiſque propriis carentem, ac cedentem tactui; propterea quod expanſæ partes poſſunt vniri: ſiccæ autem non cedunt, quoniam ſunt adeò ſtrictę, vt amplius vniri ac cedere proinde nequeant. Quomodo autem calor per accidens induret, & conſtringat dum partes molles, & glutinum minus repugnans ſuæ actioni, actum in tenuitatem, eleuat; & remanentes partes ne pereant magis vniuntur, & propriam oſtendunt duritiem: quæ ſub mollibus latebat, dictum eſt ſæpè hic, & in Phyſ. Generatur etiam minutum corpus, cùm gluten in tenuitatem actum, ſecedit, eleuante calore: aut cum impeditus calor cum ſua tenuitate acquiſita exitum non inueniens comminuit in fruſtula obſiſtens copus: quomodo autem materia explicetur, & complicetur paulo poſt dicemus.

DIVISIONEM MATERIALEM CAVSARE numerum materialem: Additionem verò potius formalem: & an ex alterutris iſti fiant numeri. Nec materiæ eſſe numerum, nec vnitatem propriè: ſed ab ideis vtrumque ſortiri. & quo intermedio fit diuiſio, & quem cauſet numerum in homogeneis, & etherogenis, & de differentijs numerorum.

ARTIC. V.

DIVISIO perfecta cuiuſcunque magnitudinis, efficit numerum materialem, ex quo numerum tranſcendentalem per analogiam inuenimus. Lignum ergo diuiſum pluralitatem lignorum facit, & aqua vna diuiſa, plures aquas. Hoc autem verum eſt in homogeneis, non autem in etherogeneis. Nõ enim diuiſus homo facit plures homines; quoniam homo multiformis eſt: omnes ergo formæ eius partiales, & organicæ ſimul in toto ſunt, non in parte. Facit tamen diuiſio hominis res duas, non autem duos homines. Duo enim homines fiunt ex additione vnitatis, non ex diuiſione, niſi materialiter. Non quidem vnquam fieri potuiſſent duo homines, niſi materia potuiſſet diuidi: ſed cum formantur diuiduntur, & conſtituuntur. ergo numerus alius materialis ex diuiſione naſcitur; alius formalis ex additione, quod quæritabat Plato. ergo in ideis præconcepta diſtinctio mater eſt numeri, vt alibi probabimus. Videtur ergo ſicut numerus fit ex vnitatis replicatione, diuidente materiam, vel quidquid loco materiæ eſt; ita continuum & magnitudo fieri ex vnitatum vnitione. & quia quidquid eſt, vnum ſimul eſt, alioquin eſſe non poſſet: nam & pars hominis vnum aliquid eſt, licet non vnus homo: idcirco poſuerunt veteres Pythagorei vnum ſubſtantiam numeri, & numerum ſubſtãtiam magnitudinis, diuerſa via. Hoc autem Democrito conuenit, qui ex numeris atomorum facit magnitudines tanquam ex vnitatibus. Vnde videtur illi numerus præcedere menſuram, ſeu magnitudinem, & continuitatem, & contiguitatem: Anaxagoræ verò præcedit vnitas. Chaos enim omnia vnum præponit, ex quo cauſetur numerus, diſtinguente Deo: Emped. de multis vnum mundum, & de vno multa per odium, & Amorem facit. Amor ergo præcedit vnitatem, odium vero diuiſionem: vnde non eſt vnitas ante omnia vbique ſicut Platoni: ſed vnitas forte præcedit omnia, ſed de his poſtea.

Nos autem neque menſuram, id eſt, quantitatem componimus ex numeris: neque numerum facimus ex quanti diuiſione antecedenter. Materiæ enim, cuius iſtæ paſſiones ſunt, neque per ſe vna, neque per ſe multitudo eſt: ſed fit vna participio vnitatis: multa participio multitudinis: ergo & vnitatem, & numerum præeſſe in conditore rerum omnium oportet, vnde in rebus fiant diuiſiones & vnitiones. De natura ergo materiæ eſt vtrumque pati: quamquam, quoniam Deus eſt maximè vnus, vnitatem potius præceſſiſſe in materia, quam diuiſionem, iudicauerimus. eſt tamen vnum & multiplex virtute vt Salomon dixit, quo faciat & vnum & multa; ſicuti in 2. par. docebimus.

Fuit autem diuiſio corporalis: nulla enim res per ſe diuiſibilis eſt niſi corpus. Spatium enim non diuiditur, niſi deſignatione intellectus, qui fortior eſt ad penetrandum omni diuidente poteſtate: ſicut enim materia non diuiditur, niſi cum vacuum ſpatium, aut inſenſile aliud corpus, vel ſenſile intermediet: quæ corpora non diuidunt corpora, niſi permittente ſpatio hinc & inde, & in medio cum illis ſubeunte: ſic neque ſpatium diuiditur à corporibus, quamuis ab illis penetretur corporaliter, prius tamen à ſpatio penetratis incorporaliter: diuiditur tamen ab intellectu præpotente. ita quod corpus à ſpatio, ſpatium à Mente diuiditur: & omne poſterius à ſuo priori, non autem prius à poſteriori. Itaque neque vniuerſi corpora in ſpatio locari potuiſſent extenſa, diuiſaque; niſi prius diuino Intellectu deſignante ſpatij pro illorum conceptaculis diuiſionem, & Poteſtate faciente. Sed diuiſio ſpatij per intellectum alia eſt ſuperioriſq; generis, quàm corporum per ſpatium. Ens quoque in Entia multa diuiditur à Deo per altiorem vim idealem. in cuius vnitate contineri numerum virtualiter & eminenter, tanquam rerum eſſentiatiuum finitarum, & menſuras omnes & pondera, declarabimus in 2. p. Albedines ergo & accidentia corporum diuiduntur per accidens ad corporum diuiſionem.

Numerorum differentiæ primæ ſunt par & impar. Par in partes æquales diuidi poteſt: formaliter: diuiſus autem eſt materialiter. Non enim denarius diuiditur in duos denarios, ſed diuiſus eſt in decem vnitates, & in quinarios duos, & in pares & impares.

Impar

Impar autem non diuiditur in partes æquales, quoniam vnitas addita addit indiuisionem: in eo enim quod vnitas, indiuisibilis est res omnis, seu materialiter, vt vnum punctum, seu formaliter, vt vnus homo: propterea videtur par esse fæmininus infinitusque, id est, materialis, quoniam materia diuisibilitatem repræsentat, ad quam accidentes actiuæ causæ diuisionem & generationem faciunt. Impar verò masculinus finitus, & formalis: quoniam non diuiditur vt materia, & à fronte repræsentat vnitatem, rerum principium. In natura respondet Numero etherogeneum non diuisibile in partes eiusdem speciei: Magnitudini verò homogeneum.

DISPVTATIO DE MAXIMO, ET DE Minimo, in mensuris, & numeris, & rebus homogeneis & etherogeneis; & de infinito in magno, & in diuisione: & de causis & rationibus horum, & de paruo & magno: & alijs quantitatis paßionibus ratione materiæ, & formę an sint actu, vel poßibiliter, & quomodo.

ARTIC. VI.

QVÆRITVR autem, si numerus infinitus non est par, neque impar, vt dictum est prius: quomodo omnis numeri differentias fecimus par, & impar; & an rectè dictum sit, quod istæ sunt differentiæ numeri, non autem innumeri. Eadem quoque de causa quærendum, an esse circulare & rectum, quadratum, & cylindroide, sint mensuræ corporum differentię: cum in corpore infinito istæ minimè reperiantur: circulus enim auctus propè in infinitum, fit non magis circulus, quam planum, vt Mathematicè demonstratur. Ex protectò verum infinitũ nullam sortitur figuram nec quantitatem proinde certam. Ergo nõ videtur quantitas esse mensura substantiæ; cum infiniti non sit mensura. Plurimi autem Philosophi veteres & recentiores infinitum in numero, & in magnitudine admittunt, in quibus excessus est omnis mẽsuræ & numeri. Sed an infinita magnitudo careat extremis, & simul vbique habeat extrema, & infinitus numerus sit non par, vel impar, sed simul par & impar absque fine, acutior nostra fluctuat ratio: vel fallitur imaginatio cum infinitum numerum, aut magnitudinem fingit.

Intellectus quidem noster per additionem apprehendit, & si non cõprehendit numerum infinitum, & magnitudinem infinitam, non tamen per diuisionem: vnde Philosophi multi putant, nõ esse terminum in maximo numero & magnitudine, sed in minimo vtique esse; nam deuenimus ad vnitatem diuidendo, citra quam non est amplius diuisio numeri: & in diuidendo magnitudinem peruenimus ad atomum corpusculum, hoc est vnum, in quo cessat diuisio apud Democritos, quibus consentit D. Thom. de minimo Physico. Arist. vero è contra putat, terminatam esse magnitudinem, ac numerum rerum, propterea quod omne corpus terminatur superficie, qua infinitum caret: & omnis numerus est par aut impar, ergo finitus propria differentia. At magnitudinem diuidi absque fine oportere, alioquin deueniremus ad puncta non quanta: quæ non possunt vnita facere quantum, quoniam secundum totum sese tangunt, vt prius disputamus. Cui responderunt recentiores; quod par & impar sunt numeri, non autem innumeri, differentiæ: & quod terminari superficie est corporis finiti, non autem infiniti. Arist. ergo petit principium. Sed reuera valet argum. Arist. & responsio implicat contradictionem: vt probauimus in q. Phys. Neque enim est imaginabilis numerus innumerus, sicut nec calidum non calidum: neq; corpus quantum infinitum, quantitas enim est finitudo materiæ, ergo non est infinita, sicut nec albedo nigra. Item quantitas & continua & discreta, est mensura substantię. Mensura autem non est immensura, nec immodica: ergo &c. De atomis quoque dictum, quod non possunt Physicè diuidi, licet intelligantur diuisibilia: non diuiduntur autem, ne funditus rerum natura pereat.

Nos autem in 2. par. probabimus necessario oportere infinitum concedi: neque enim intellectus intra cerebri pugillum potest plus cogitare, quàm quod est. sed longè plura oportet esse Entia, & quantitatem, quam nos imaginari possimus: haud tamen propterea cogimur infinitum materiale ponere, quamuis intellectus materiale illud ponat: nam & res immateriales quasi materiatas intelligit, nec potest non extensas eas cogitare, vt rectè Chrysostomus conuincit in lib. contra Anomeos. At quidem nec imaginatio infinitum numerum, nec Magnitudinem infinitam, nisi vocabuli ignoret quidditatem, sapiet. Sed Infinitum incorporeum non videt Mens nisi per corpus, ideo videtur sibi simul corporeum: est enim corporata. Sic oculus rubedine vel rubris specillis affectus, videt omnia rubra.

Probabimus etiam, infinitum esse vnũ, non plura, & illud magis incorporeum existimari debere, propter hoc ergo ponimus terminum & indiuisione, & in augmentatiua additione corporeorũ, Physicè considerando, & minimũ & maximũ. Datur enim magnum simpliciter, vt mundus totus cum totis suis systematis; & parua simpliciter, vt atomum Democraticum: cætera verò dicũtur magna & parua in respectu. vnde Arist. non rectè posuit in Ad aliquid magnum & paruum: nam licet faba sit magna formicæ, & parua nobis, tamen cum detur maximum, & minimum simpliciter, conuincimus, quòd sint differentiæ quantitatis. Nam magna dicuntur secundum naturam non quæ nobis aut formicæ sunt magna, sed quæ plus ad maximum accedunt; parua quoque non quę nobis, sed quæ plus ad minimum. Datur etiam magnum, & par-

uum nō ſimpliciter, ſed in genere aliquo: vt paruus ignis, & magnus ignis, & magnus & paruus homo, & magna & parua formica, & hæc menſura aduenit generibus rerum à propria forma eſſentiali, vltra & citra, quam non poteſt ſeruari: vtrum enim poſſit formica eſſe formica, ſi habeat quantitatem cæli, & totius mundi: & aqua ſit aqua etiam ſi maior ſit vniuerſo, & ſimiliter ſi minima ſit, vt atomum: & num homo eſſet homo ſi haberet quantitatem milij, aut pulicis, & pulex cum quantitate elephanti, vel mundi: altercantur Philoſophi.

In etherogeneis concordant; quod detur maximum, vltra quod non ſeruatur forma totius, & minimum, citra quod nec ſeruabitur: non enim forma hominis & figuratio poſſunt eſſe in quantitate formicæ, vel lendis; nec vltra gigantem. In homogeneis verò diſcordia eſt: aſſerentibus Thomiſtis dari minimum citra quod, & maximum vltra quod non ſeruatur forma aquæ, aut ignis, aut lapidis per ſe exiſtens ſeorſum à toto. Attamen non dari minimum inexiſtens in ſuo toto; quoniam ſemper pars aquæ quantulauis accipiatur, ſecatur deſignatione citra omne aſſignatum minimum eo, quod diuiſibile eſt continuum abſque fine. Scotiſtis verò negantibus dari maximū, aut minimū per ſe exiſtens; ergo multo verius inexiſtens: ſemper enim adiici ac detrahi poteſt.

Nos quidem conſiderantes, quòd, quoniam nos finito Ente, infinitoque nihilo conſtamus, non poſſumus in additionibus ad infinitum eleuari, propterea non dari maximum putamus, dum non peruenimus ad Deum: quoniam ſemper aliquid addendum reſtat nobis, vnde cætera metimur Entia: Minimum verò dari, quoniam infra nos diuidendo deuenimus ad terminum diuiſionis: cui propè viciniſſimi ſumus: ſic è contra dicimus, quod ſi quis homo eſſet infinitus Entitate, ille quidem diceret ad maximum poſſe perueniri, quoniam propinquus aut ſimul eſt cum maximo; in ſectionibus verò ad minimū non poſſe perueniri diceret, quoniam diuidendo maximum infinitūm, nunquam pertingeret ad minimū, alioquin ceſſaret diuiſio. Democratici ergo qui non dant maximū nec in numero, nec in mole vltra ſemper plus intelligentes, ſed dant minimū: magnanimitatē ſectantur. Ariſtotelici, qui dant maximum, ſed non minimum, paruanimitatem. Sed ſimpliciter ille maior animo, qui infinitum concedit non corporeū, ſed diuinum: non enim poteſt effugi, quidquid Ariſt. puſillanimiter garriat, infiniti poſitio.

Dicimus tamen, quod ratione materiæ ſemper poteſt aliquid maius dari: ſi per potentiam Dei mundanæ materię ſemper aliquid adderetur; nec enim ceſſat ob hoc eſſe materiā. At non in minimū poſſe ſemper minus adiri: cum enim ad atomas particulas deueneris, non datur vltra diuiſio niſi imaginaria: augmentum verò poteſt dari, non imaginarium vltra mundū: ratione verò formę in homogeneis, dicimus, multo certius poſſe dari minimū, ſed non maximū: ſi enim addatur ignis materia ſemper creſcit, & (vt Salomon ait) *nunquam dicit, ſufficit:* nec finita eſt forma eius, vt non poſſit vltra comburere, quemadmodū quidam non rectè putantes, docent. Quinimò (inquam) ex hoc quod plus agit, ſemper plus augetur vis eius. id quod nō conuenit elementatis & animalibus, labore conſumptibilibus ob partium organicarum diuerſitatem: ex quibus falſo argumētatur contra augmentum ignis, qui primalitatibus ſolutis, & vi ſumma, & materia creſcente conſtans, labore actionis creſcit, ſi tamen labor eſſet conſeruationis augmentum, ſicuti eſt in animalibus.

Attamen ſtante Mundi huius fabrica, ac ſymmetria in ordine à Deo impoſito, *qui creauit omnia in numero, pondere, & menſura*, vt dixit Salomon, & maximum & minimum omnium Entium reperiri eſt neceſſe; quoniam coercetur ignis ſubtractione pabuli ab augmento, locique terminis. Aqua verò & ſui imbecillitate, & ſole minuente. Tellus eiuſdem oppugnatione. Cælum reſiſtentia frigoris, & viciſſitudine actionum mutuarum ſingula contraria contemperantur, & coercentur nutu Dei. Homogenea ergo Fato, Neceſſitate, & Harmonia mundi non creſcunt abſque fine. Videntur etiam nobis etherogenea eiſdem influxibus diuinis in fabrica Mundi coerceri, ne longè plus augeantur vltra certam ordinariam ſui ipſorum quantitatem: & ſolem longe maiorem dari poſſe nulla ratio negat, niſi mundi fabrica & ordo. Tellus enim cito igniretur, & mundus iſte corrueret. Similiter tellurem maiorem rerum ordo non comportat. Hominem quoque cælo altiorem à Deo fieri quid obſtat, niſi mundi huius Idea? Et quidem in India naſcuntur formicę pecudis magnitudinem æquantes: & Arundines, quarum internodia ita grandia ſunt, vt in vſum cymbę ab hominibus vertātur nullo ligno ad machinæ complementum adiuncto alio. & Gigantes fuere (teſte Moyſe & Ioſue diuinis viris, & Plinio, & S. Auguſt. & hiſtoria Sicula, & aliis teſtibus) quorū coſta vna triginta palmos noſtros excederet. Pattagoni tamen vltra fluuium Plattam Americæ Peruanæ, quindecim palmos hodiernis teſtibus viſi ſunt: nec diu eſt, quod Patauij viſus eſt homo huius quantitatis. Quid dicimus de Elephantis, & Balenis, quas noſtrum mare non capit? capit autem Oceanus. ergo Mundus maior noſtro maiores homines haberet: ſicut Oceanus maior Mediterraneo piſces longè maiores fert. Fabula autem Machometti de boue, ſuſtinente ſeptē Tellures, cuius caput in Oriente, cauda in Occidente, & de conſimili piſce: Quod experientia falſum pandit Mundū nauigatione cingentibus; nihil ex hoc lucratur: ſed diuina poteſtas. Scimus etiam abortos inſtar nucis, & oui in quantitate homunculos. Quare de his ſermo ceſſet, ac notitia ſeruetur, quod magnū & paruū à formis rerū determinantur. Formę autem à pugna rerū per Neceſſitatē, Fatū & Harmoniam ordinata: Pugna verò ab amore: amor à ſapientia eſſendi: ſapientia à potentia: & hæc omnia à primo, & in primo, & ad primum, & per primum Ens Deum.

Quod autem magnū & paruū iuxta ſpatij incorporei coinexiſtentiā fiunt, dictum eſt prius. Maius .n. corpus maius occupat ſpatiū. Minus, minus, & cōmenſurantur intrinſecè, & extrinſecè; quoniam corpus penetrat ſpatiū corporaliter & penetratur ab eo incorporaliter. Finitur autē magnitudo corporis ad alterius corporis fines, ſed non alterius ſpatij, niſi fortè in Mundi terminis: ſpatiū enim vnum eſt nullis contrariū: & extenſum ferè abſque fine: & cum diuiditur corpus, ſpatium non diuiditur: ſed ſemper intermediat, & vnit quæcunque diuiſa: eiuſque ratione vniuerſum eſt vnum prorſus, non autem vnitas.

De Termino.

ET quoniam magni & parui terminus est in quantitate: dicimus Terminum esse vltimum quanti, extra quod nulla particula est totius, & intra quod continetur: quidquid dicimus totum. ergo intrinsecum est.quod enim ab extra terminat & finit, non terminus & finis est, sed conterminus & confinis. Inter terminum intrinsecum & extrinsecum, si contigui sunt non mediat quantum. Sicut nec inter primum momentum, & vltimam quietem nec inter primum Nunc huius horæ, & vltimum Nunc præcedentis. Alioquin non daretur primum nec vltimũ, vt sophisticè contra Naturam & experientiam arguebat Arist.ex falso fundamento, quod omne continuum est diuisibile infinities: ergo nō componitur ex indiuisibilibus, sed ex quantis. Manifestè enim vbicunque secetur linea, in duo puncta secatur, quæ in erant coniuncta immediatè. sic hora in duo Nunc, & motus in duo momenta. Nec ante & post omne punctum datur linea: nec ante & post quodlibet momentum moueri, sed quies: nec ante quodlibet Nunc tempus, ait S.Iustinus: nisi ex quo pūctum est tempus. Sed accepto quolibet non datur ante primum, & vltimum horæ nunc pertinens & illam horam. Diximus autem, quod omnis dimensio habet terminos suos, vt linea, puncta; superficies, lineas; profundum, superficies. Quod de infinitis, & circularibus lineis, & superficiebus negamus: non autem de corpore circulari, sed de infinito tantum, vt dictum est, cum de figuris ageremus: si tamen non falleretur de infinito quanto imaginatio. In numeris autem terminus est vltima & prima vnitas. Infinitus numerus quò numerus, habet: quò infinitus caret vltima: si tum quò numerus posset infinitari, quod implicat: & quidem dari posse infinitum ratione materiæ videtur nobis: nihil obstare addi supra quantumcunque datum numerum; nisi idea & forma Mundi: & negatio infinitatis in principiato, quæ affirmatur in principio tantum. Ratione ergo formæ non datur infinitum, quia forma finit materiam: nec ratione materiæ, quia finit formam; ordo etiam Mundi & principiati, infinitum abiicit. Haud tamen infinitus esset par vel impar: ergo & genus careret sic differentiis & speciebus: vel essent duo infinita vnum parium, alterum imparium, & infiniti ternarij, & quaternarij, quod implicat contrad. nec moles infinita haberet, vel careret superficie, sed haberet vbicunque & careret quorsumcunque. si quidditas quanti nō repugnaret. Non ergo potest dari verè infinitum in corporeis. Dixi autem per additionem, non per diuisionem, quæ in atomis terminatur, non & in infinitum, vt Arist. putauit: quod nec diuo Thomæ prorsus placere potuit. At additio nunquam perficitur infinita. Nec.præt. infinitum est illud, cui potest addi, aut minui, vt in 2.p. probabitur.

Datur terminus in tempore, & in motu, & in accidentibus, quatenus quantis per accidens: & analogicè in notionibus perfectis, & imperfectis, quatenus terminant significationes rerum, vt in primo lib. & in Logica docebamus. Datur etiam magnum & paruum in Angelis, & magnitudo virtutis in Deo per analogiam quantitatis, si sine Tantitate consideretur: & quidem secundum naturam prior est quantitas virtutis: secundum nos, molis. Terminus sumptus pro figura est qualitas, non quantitas, sed quantitatis, vt in suo loco diximus. Terminat forma Materiam, vt sit huius Entis, at non alius. Terminat Materia formam, vt non possit esse nisi in hoc hic & nunc.

De Toto & Parte.

QVia quantitas est mensura Totius & Partis; dicimus totum, quod perfectum est, nulla parte carens earum, quæ ipsum constituunt natura per ideam suam. Datur totum integrale, vt domus, cuius partes non sunt vt domus: & totum essentiale, vt aqua composita ex materia & forma, quarum nec illa, nec ista est aqua, licet omnis pars aquæ sit aqua: datur & totum vniuersale, vt animal genericè sumptum, cuius omnis pars est ipsum: homo enim est animal totum, & asinus & coruus, &c. respondet enim ideæ: datur & totum definibile, vt homo, cuius partes sunt rationale & animal: quod tamen erat totum hominis vniuersale. In homine ergo reperitur omne totum: Integratur enim ex ossibus, carne, & neruis, & humoribus, sicut domus: essentiatur ex forma & materia, sicut aqua: vniuersatur in Petro & Andrea. definitur per animal & rationale.

Totidem autem modis dicitur pars: est enim id, quod in suo toto continetur: & integrat, aut essentiat, aut supponitur, aut definit, aut &c.

In diuinis non datur Totum & pars rei, sed cognoscibilitatis: imò nec in Primalitatibus. Non enim voluntas aut intellectus est tota anima, nec pars: sed Tota materialiter, pars formaliter.

De Truncato, Diminuto, & Dimidiato, & perfecto, & imperfecto.

TRuncatum verò & diminutum dicitur non omne totum, sed tantum integrale, à quo aufertur pars non perimens essentiam, vt si cyatho aufertur ansa, & homini manus: si autem aufertur medietas, dicitur dimidiatum. si pars perimens essentiam, dicitur corruptum: vt si à denario numero auferas duo, non remanet denarius Truncatus, sed octonarius: & cum pars est regenerabilis, ablata, non facit Truncatum, vt videl. cum aufertur capillus. A toto homogeneo & essentiali pars ablata facit diminutum non truncatum; vt si ab aqua partem subtrahas. Nec si ex harmonia cytharæ auferatur chorda vna, dicitur cythara truncata aut truncata harmonia, tum quia est reparabilis: tum quia nō est pars continua. Quatenus tamen spectat ad harmoniam facit diminutionem formaliter. Pars extrema potius facit Truncum, in etherogeneis: media potius diminutum, & imperfectum: est enim perfectum, cui nulla pars, aut magnitudo sibi cōueniens deest: ergo nec puer, nec stultus, nec nanus est perfectus. Imperfectum est cui pars, aut magnitudo conueniens deest. Sed de perfecto, in capitulo de causa finali redibit sermo. Hæc vocabula transferuntur ad quanta Virtutis, è quanto Molis.

PASSIONES MEDIAS MATERIALIS *corpulentiæ inter vnitatem & numerum esse lentorem, & cæteros supradictos: & qua ratione, causaque fiant: exque his mistis fieri mista, & de passionibus quatuor mistorum, ex iam dictis oriundis.*

ARTIC. VII.

SICVT perfecta diuisio faciebat numerũ, & vnitio mensuram, seu magnitudinem: ita imperfecta vtraque efficit aliquid medium inter numerum & magnitudinẽ: hoc est dispositiones materiales, quæ materiã signãt ad aliquod graduale genus Entiũ, & formam. Vocatur autem imperfecta hæc diuisio, expansio, & explicatio, & disgregatio, & rarefactio. Imperfecta verò vnitio dicitur constrictio, congregatio, condensatio; & fiunt, partibus materiæ in aliqua distantia ad inuicem positis, non tamen diuisis prorsus, nec vnius prorsus nisi formaliter: & ideò dispositio vocatur, quoniam positionem distinctiuam partium in Toto dixit, & quia fit à causis agentibus ob proprium commodum; idcircò vocatur habitus, & habitudo partium, & non totius: quæ, si commoda est virtuti actiuę, dicitur bona dispositio illi: si incommoda mala. Hinc sanitas & ægritudo dispositionis vocabulũ mutuantur, & habitudines animæ. Ipsæ autem dispositiones interiores iam dictæ à configuratis, & dispositis extra rebus acceperunt nomen. Vocantur etiam melius consistentiæ materiales, quoniam simul sistentiam partium, & ordinem quendam dicunt in Toto: non autem vt in loco, quoniam hic ordo potius dicitur positio & situs.

Omnes autem diuisiuæ dispositiones inducuntur à calore, materiam attenuante, vt possit ipsam mouere: contrariæ verò à frigore, vt immobilitare queant, sicut dictum est in Physicis.

Sunt quidem innumeræ dispositiones inter perfectam densitatem, & perfectam Raritatem; sed nominatæ videntur octo: Primus est lentor, cum enim primo incipit densa moles dilatari, & expandi, partes aliquo pacto diuiduntur, vel instar earũ, quæ diuisionem patiuntur se habent, & perdunt duritiem & robur: quod per summam vnitionem tenebant. Diuisio enim tendit ad non Ens, vnio ad Ens. Secundus gradus est Mollities, agente enim calore magis, moles dilatatur magis, ac mollescit, ita vt cedat tactui in profundum facilius. Mox explicata magis, ac segregata, fit Tertius in ea gradus, Viscositas, quæ est mollities nolens amplius explicari & humescere: vel fluor repugnans crassescere; vt patet cum ex farina sicca, & aqua humida fit gluten. Hinc quartus gradus suboritur lubricositas, ex viscoso explicato magis, ita, vt partes consistere simul nequeant, sed modicè fluant, vt cœnum. Quintus gradus est Fluor, cum moles lubrica amplius dilatatur, vt agglobari in montem nequeat: sed in latera expandatur. Fluor autem attenuatus magis, explicatusque, fit liquor sextus gradus: quale est vinum, oleum & quintæ essentiæ vocati succi, qui à calore toti in fumum soluuntur: in fluoribus enim semper aliquid subsidet, quoniam non est æquè similaris. Septimus gradus est Vapor, seu fumus, ex rarefacto liquore genitus gradatim, ita vt in altum attolli queat nedum fluctuare: & hic fumus cum accenditur est flamma: quæ extincta, est fumus. Octauus gradus est fumi expansio in inuisilem exhalationem, & ventum & aërem. Qui summè explicatus deinde est tenuissimum Cælum motui perenni aptissimũ: quem calor optat, & facit; propteaque attenuat. Hos gradus facilè agnoscens, dum cera concalesit, primo enim lentescit, 2. mollescit, 3. viscosescit, 4. lubricescit, 5. fluit, 6. liquescit, 7. effumat, 8. tenuefit, si calor moderatus applicetur.

At si robustus, hi gradus sunt ignoti, quoniam ita velociter fiunt, vt effugiant sensum: sed subitò in fumum moles si similaris est, conuerti videtur. Ars sine qualitatibus naturalibus vnit & diuidit, sed contiguando, & discontinuando, non autem condensando, & rarefaciendo.

De Passionibus lapidum, metallorum, plantarum, & Animalium materialibus prædictarum affectis. earumque causis & rationibus, & quomodo sibi in inuicem incineratio, calcinatio, & salsatio correspondent.

OMnia corpora, quæ Physicis & Chymicis mista vocantur, haudquaquam ex elementis quatuor distinctis constant, neq; ex sale, sulfure, & Mercurio, vt dicũt recentiores, sed ex præfatis materiæ dispositionib. videntur quidem quatuor esse genera videl. lapidũ, metallorum, plantarũ, & Animaliũ: quæ omnia à calore fieri deuicta ex terra, & in varias consistentias immutata, ex quib. mista cõponuntur, satis superq; in Physiologicis demõstrauimus. Lapides enim etsi spiritu & humido constant, vt vegetent, & glutinentur: nihilominus plus ad densitatem & duritiem propendent: ex partib. siquidem crassiusculis componuntur, cũ modicis viscosis: propterea sunt frangibilia, non autem flexibilia: neque extensibilia, & cum à calore corripiuntur calcinabilia probantur: glutine enim consumpto in calceum puluerem crassities compacta soluitur, nec tamen carbonantur prius, quoniam pars tenuis modica est, quæ non potuerit exhalare, ita vt relinquat crassam, spongiosam, nigramque, spoliatam tenuibus, vt in ligno: & in his, nisi ignis sit reuerberatus ac potentissimus, non fit mollities, & lentor, & liquefactio: sed statim ablato glutine, calcinatio succedit. Quæ deinde multo igne liquescit, genito nouo glutine per calorem, liquefacientem.

Deinde liquescit calx in vitrum: ex quo non calcinatio per glutinis dissolutionem fit, sed salsificatio calcinationi proportionalis: ex quo sale fit liquor oleaginosus:& ex liquore inuisilis vapor,ita vt feruentur gradus iam dicti dispositionum in omnibus mistorum partibus: sed in illis prius, in istis posterius, prout viciniores sunt tenuissimo cælo, & propinquiores terræ crassissimæ.

Secundum genus metallicum extenditur non frangitur, & flectitur, nec reuertitur in suam positionem excepto calybe: quoniam constant ex lentis mollibusque multis partibus, & viscosis: quorum gratia extenduntur & flectuntur: non autem franguntur, quia ex duriusculis paucissimis cum lentis, viscosisque multis constant: calybs vero, à quo gluten magis expressus est, & ad vitrificationis naturam lapideam propędet, frāgitur magis, & ex flexura resedit in rectitudinem sicut planta: non tamen carbonatur igne, sed in cremium quasi friabile consumpto glutino reducitur, quod deinde cremium per vehementiores ignes in sal vertitur, deinde in oleum, & tandem in tenuitatem inuisilem. Sed quidem lapides & metalla non inflammantur, vt ligna, quoniam non habent fumosas partes multas vi ignis separabiles à crassis, atque accendibiles: nec proinde crassæ carbonantur ob hoc ipsum, apparent tamen in eis omnes dispositiones: nam & aurum viuificari, & salsari, & oleari, consentaneum est rationi, vt paulo ante scribebamus, quæ enim franguntur ex bene deuicta materia, ex qua omnis ferè tenuitas exhalauit, & plurimum viscositatis dilutum est: vt patet in vitro de cineribus liquefactis genito: abscedenteque calore induratis, quod & glaciei aduenit è contrariis terminis à frigore indurescente. In aquis enim viscositas prohibens factionem non inest: extenduntur autem metalla, quoniam plus viscositatis habent, propterea que in flexura persistunt, mediaque sunt inter plantas & lapides: plantæ tandem in ignem inflammantur, quoniam ex plurimo constant fumo. Item carbonantur, quoniam ex duritie etiam constant, tecta fluoribus & fumis, & tandem cinerescunt: quoniam ablato glutino & fumo, commistis secum, partes duriusculæ dissoluuntur in minutias: quæ nouo per ignem genito glutino, vitrificantur: & vitrum priuatum glutino in sal vertitur, cineri & calci analogum: quod tandem in oleum, & mox in vaporem, & cælum soluitur: vt nullatenus amplius dubitent Platonici & Empedoclei, terram in cinerem, & fluorem & vitrum & liquorem, & in tenuitatem igneam conuerti per plures mutationes: non per vnam, sicut Arist. imperitè docebat: quod ablato ex terra frigore solo, statim fit ignis per caloré: oportet enim materiā terræ & lētescere, & mollescere, & viscosescere, & fluescere, & liquescere, & fumescere, si debeat in verū ignem transire: quos tamen gradus non admittit tellus nostra per calorem & frigus vicissim agentes falsificata: sed simul oportet & calcinationes, & incinerationes, & salsificationes intermedias pati ob partium duritiem dissimilarem: sicut per similarem admittit lentorem & mollitiem, & viscositatem, & lubricitatem & fluorem, & liquorem, & fumositatem, & tenuitatem, nullis interpositis iam dictis passionibus mistorum Qua in re defecerunt veteres. Peripatetici vero ausi sunt absque ratione, & experientia. Paracelsistæ experientia ducti cæcutierunt in iudicio. Sal enim est crassities genita de nouo. Mercurius est fluor: sulfur est fumus & vapor: quæ res omnes à calore prius non separantur, sed gignuntur & miscentur, ac mox separantur: sed cum nouis interpositis mutationibus, aliter enim patitur fumus plantę, aliter fluor, aliter ossea crassities ab igne, & in omni passione communi nouas acquirunt dispositiones.

Præterea lucescit ratio in cunctis mistis, quare alia aliis passionibus afficiuntur. Siquidem lignum non extenditur malleo sicuti metallum: quoniam duritie dissimilari constat, & fumosis & lentis partibus, ac mollibus, non rectè compaginatis per commistionem validam, sed quasi contactu & non perfecta continuitate coniunctis: vnde videmus in corpore plantarum neruos, ossa, fibras, succos, spiritus, pulpam, filamenta & venas distinctas: Reuertuntur autem ad suam positionem curuatæ plantæ per vim: quoniam partes eius solidiores repugnant inflexioni: & cum soliditas est compactior, priuataque abundanti glutino, etiam franguntur, vt lapides, vt patet cum arescunt, fumo abeunte: qui tamen à ficulnea lenta ægrè educitur, propterea non satis curuata frangitur: ossa & cornua mediant inter plantas & metalla: propterea modicè flectuntur, ac modicè franguntur.

Flexioni fauet mollities; extensioni viscositas; fractioni ariditas: quæ etiam reuersioni ad positionem conducit: trahibilitati vero viscositas, atque mollities, vt in neruo, & corio experimur: sicuti in plumbo mollitiem, in ferro viscositatem, in calybe, vitro, & lapide ariditatem experiebamur.

Animal autem hisce constat dispositionibus omnibus, vt patet in spiritu tenuitas, in emissionibus vapor, in pericardij & fellis vase, liquor & in sero: in sanguine fluor: in pituita lubricitas, in neruo viscositas, in carne mollities: in cartilagine lentor: in osse durities: in pilo trahibilitas miscet duas: quod & in cæteris non vacat. Etenim omnes partes, vel partium consimilationes sunt in omnibus, vt quodam modo Anax. non errauerit. At à superabundanti est nomen & ratio, & spes.

Hæc omnia dicta sunt, vt intelligant Peripatetici inanes ipsorum transmutationes, quas in Physiologia etiam reprobauimus: & Chymici ad chimeras non confugiunt: & opposita intelligant maximè esse ignem & terram: & ab huius densitate facta vniente frigore ad illius raritatem factam dispergente calore, gradus esse plurimos: & nullum symbolum in extremis, neque humiditatem esse aliquid actiuum, nec siccitatem: sed illam esse passionem materiæ explicante calore: hanc vero frigoris condensantis esse eiusdem materiæ constrictionem ac proinde passionem: terminari enim proprio termino quod proprium est sicci apud Aristotelem, ex vnione accidit: non terminari vero, quod humidi ratio est, ex disgregatione aduenit, vt probatum est in Physicis.

PASSIONES MATERIALES A CALORE *& frigore fieri: & quæ per se, & quæ per accidens: & quid Primalitates; & quomodo positio Aristotelis & Platonis in hoc fallantur.*

ARTIC. VIII.

SED quæret quispiam haud immeritò: si frigus condensat, & calor attenuat: vnde est, quod vitrum absque frigore condensatur: & farina absque calore rarescit: & lutum à calore siccessit, induraturq; contra nostros Canones? & an verus stet Canon Arist. quod quę condensat frigus, liquefacit calor: & quæ calor condensat, soluit frigus, sicut de sale dixit: qui tamen ab oleo humido non soluitur, ergo ab aqua quatenus frigida, & an Plato rectè dixerit, triangulos aquæ soluere sal & terram: igneos vero metallum: & ab ictibus aëris res indurari non à frigore, vt in Timeo sæpè fit sermo: & vtrum quæ à calore soluuntur, vt metalla, eorum principium sit aqua: quæ à calore indurantur sunt terrea, vt Aristoteles autumat.

Nos quidem hisce quæstionibus Physiologicis in primo libro quæst. Phys. abundè satisfecimus: nunc quatenus ad principium materiale spectat aliquid metaphysicè referamus. Dico equidem contrariorum effectuum contrarias esse causas, vt Arist. sæpè inculcat. Quo in dogmate si stetisset, omnia à calore solui, & à frigore indurari per se secundum naturam agnouisset, ac rationem vnde accidat, quod calor induret inuenisset facilè, si quæ indurat, & quæ emollit ritè introspexisset. Non enim omnia calor indurat, sed dissimilaria tantùm, hoc est composita ex duris & mollibus partibus: quas tanquam minus resistentes suæ actioni, hoc est conuersioni in ignem statim immutat, attenuat, eleuatque; crassiores autē partes priuatæ mollibus ac tenuibus, sub quibus latebat earum siccitas, & durities, statim deteguntur, & quidem compinguntur etiam, dum diuisionem, quæ rerum est mors, auersando, in seipsas coeunt magis, dumque veluti auolantes partes tenuiores, quasi tenere cupiunt, noluntque separari. Quapropter durities à calore non fit, sed detegitur: & quod duritiei prius non inerat, ab amore coitionis fit. Quod in luto ex puluere terræ, & aqua genito experimur: vnde ignis eliciens humorem aqueum, detegit terræ duritiem: quæ tamen fit maior, atque erat in puluere, ob inseparabilitatis amorem, at in laterculis, magno correptis igne, fit etiam maior, quoniam ignis liquefacit duriusculas particulas, quæ cæteris mistæ glutinis vitrifici obtinent vices: vis autem rarefactiua & mollificatiua ignis non in eo, quod remanet contumax actioni suæ inspicienda erat, sed in eo, quod immutatum est, quod sanè in fumum & liquorem, & tenuissimas, ac proinde humidissimas transiuit in res. Item in similaribus rebus, qualis cera, & aqua dulcis, quæ à calore tota soluitur in fumum, nulla relicta indurata, vel in cinerem acta per se. Prætereà nec quoniam aliqua pars induratur, putandum erat Platoni terream illam esse inconuertibilem, sed vehementiori igne tentanda erat vsque in finem: vidisset enim cineres liquescere, & vitrificari: ac deinde vitrum in sales solui: qui iterum liquescant in oleum tenuissimum: vasa etiam vitrea penetrans, ac tandem in igneam inuisilem partem gradatim pertransire. Igitur imaginatio quędam est in expertorũ, quod videl. aculei aquei penetrando sal soluant, & terram. Non enim agit aqua per aculeos nisi materialiter nullam faciendo vim, nullamque transmutationem, sed se intrudendo in poros, dumtaxat terræ adulteratæ, & panis & salis: quam intrusionem facilius sortitur oleum tenuiusculum, quod tamen sal non liquefacit: oportet ergo transmutatiuam vim inesse liquefacientibus: & hæc est in igne: in cæteris vero quatenus igne participant. Nam blandus calor aquæ sal soluit compenetratum, non autem aculeus qui potius consolidaret replendo, quod vacuum erat: est etiam sympathia aquæ cum sale, qua facilè commiscentur. Non autem cum aqua & terra & pane: qui aqua non fiunt soluente aqua, sed lutum & gluten, & lubricositas quædam ex mistura, addita modica actione. Et in hoc quidem Plato meliusculè quam Arist. scripsit: saltem enim dedit rationem aliquam euentus. Arist. autem contrariam prorsus: vult enim ab aqua, quatenus frigida, solui, quæ calore concrescunt: cum tamen frigoris sit indurare, compingere & contrarium solutioni effectum facere: vnde & ipsemet fatetur, & homogenea, & etherogenea à frigore congregari. Ratio, ab oleo non dissoluente, sumpta, nil probat: oleum enim antipathiam habet cum sale: vnde in sapone ponitur sal tanquam expulsiuum olei: & in lucerna oleum, cui sal apponitur, durat longiori tempore, quoniam attenuatur dum pugnat cum sale, nec confertim multum in flammam vocantem fertur.

Propterea ergo falsa est sententia, quod quæ calor indurat, frigus soluat: neque enim fictile, neque lapidem, neque vitrum, neque rem vllam frigus soluit, sed omnia cogit, copulat, exsiccatque. Aqua autem si quid facit solutionis, non frigore facit, sed mistione sui & calore blando, & sympathia, vt dictum est. Falsum est etiam, quod calor per se induret: cuius nimirum est omnia liquida facere, humida ac tenuia: per accidens autem aliquando quædam indurare, quod quidem per se faceret in cunctis. Si ignis esset natura siccus densusque, vt Aristot. putat, terra in hoc symbolicum, sine aculeis ageret, vt Plato credidit & Democrit. Aculei enim replerent vacuitates, ac proinde solidarent magis quodcunque corpus: imò ignis minus posset soluere, quam aqua: quoniam constat Platoni paucioribus partibus triangulatis.

Quod autem putat, ictibus aëris res concrescere, vanum est: exclusus enim aër è luto per calorem non regreditur: & qui locum eius repetit, non icit, ita vt induret, sed blādè intrat, nec si iciat duritiem adamantis, & vitri, tam subito faciet abeunte calore. Neque enim per ictus & compassiones plu-

timas nos res induramus, aut commassamus, sed per gluten & calorem, tenuitates molles educentem. Nec quidem farinam Plato ictibus compinget, sed aqua, viscositatis participe, & caloris actione, non vt intrantis, sed extrahentis foras mollitiem, & partium sympathia remanentium. Indicat enim metallum & vitrum præsentiam caloris, intrusi in materiam, potius emollire, quam indurare: eiusque discessu duritiem succedere: non quia aër icit materiam: sed quia materia est soliditatis pluris quam lentoris, & mollitiei particeps, ac sibi persimilis, vnde absque frigore statim vnitur. Vnitionem appetunt enim sui conseruatricem omnia corpora, consimiliarium partium, dissolutionem vero destructricem abominantur. Veruntamen planum est, quod concretionum & dissolutionum ratio, non ex sola locali positione particularum pendet, vti Lucretio placet: nec ex sola vi actiuarum & transmutatiuarum qualitatum, sed insuper ex primalitatibus indaganda erat & sympathia & antipathia rerum, vt sermo philosophicus sit plenè verax. Hinc etiam rectissimè condemnatur Arist. docens aquea esse, quę ab igne soluuntur, vt metalla, & vitrum, & lapides pretiosi, multo igne eliquabiles: terrea vero, quæ à calore indurantur, vt lac, & sanguis, & lutum: ex hoc enim sequitur quod metalla sint digestibilia magis à calore animalis, quam lac, sicuti aqua est vincibilior, quam tellus: ergo nos melius nutriremur metallo, quam lacte, ouo, carne, & sanguine: aliaque multa sequuntur inconuenientia, in Physicis declarata, ex hoc, quod nesciuit distinguere inter similare, & dissimilare mistum, & actiones minores & maiores ignis. Sanguis enim induratur à minori igne, quia ex mollibus & crassis constat: metallum, quia ex consimilibus: ab igne autem maiori vtrumque calcinatur, & mox vitrificatur, & in oleum vertitur, & in cælum.

De his quidem ac de cæteris passionibus mistorum ex huiusmodi dispositionibus simplicibus, quæ faciunt secundã speciem homogeneorum; & de mistis, quæ secundũ ordinem & ętherogeneorum constituunt, dictum est in Physic. quæst. Hoc est, de concretili & inconcretili, eliquabili & ineliquabili, mollificabili & non mollificabili, tingibili & non tingibili, flexibili & inflexibili, friabili & non friabili, impressibili & non impressibili, formabili & non formali, trahibili & non trahibili, ductile & non ductile, fissile & non fissile, secabile & non secabile, commassabile & non commassabile, combustibile & non combustibile, exhalabile & non exhalabile, & de cæteris quæ ex dictis patent. De his vero quæ sequuntur ad faciem rerum, vt de transpicuo & opaco, colorabili & non colorabili superius dictum est, & in Phys.

VTRVM RAREFACTIO FIAT VACVI interceptione, & localis sit partium dispositio: vt Democritus. An quæ Aristot. placet ratione, an alia.

ARTIC. IX.

RESTAT quidem nunc difficultas perpetua, circa expansionem & constrictionem materiæ iam dictas: num, videlicet, fiant locali mutatione sola, vel adiuncta: nempè num quando expanditur materia intercipiat vacuũ, veluti sentiunt Democratici, necne, vt Seneca, & cæteri Philosophi, præsertim Peripatetici existimant: & quidem non posse fieri rarefactionem, nisi qua partes materiæ à se inuicem distantiores fiunt, vt fatetur etiam Arist. in Prædicamentis, sensus attestatur: quæcunque enim rarescunt, spatij occupant, concluduntque plus, vnde definitio rari est, quod continet pauciores partes in ampliori loco: Densi vero, quod æquales, vel plures partes in angustiori. Contrarium tamen suadet Natura vacuo inimica.

Aristot. respondet, non fieri densitatem per additionem partium subintrantium, nec rarefactionem per partium extractionem, & dissociationem ab inuicem, sed per hoc, quod eadem materia est rari & densi, sicuti calidi & frigidi, quæ est ad vtrunque in potentia, & nunc fit actu rara, nunc densa: sicuti nunc calida nunc frigida. Nam & cum calida fit magis calida, non recipit nouas partes, sed fit actu maius, quod erat potentia: similiter nec circulus maior, cum fit minor, recipit curuationem, quam non habebat, sed maiorem curuationem actu, quam in potentia habebat: sic etiam fit leue ex graui, & è contra.

Phys. t. 4. 7. 9.

Sed profecto nihil dicit hoc in sermone Arist. nisi quod potest materia fieri rara & densa, sicuti potest fieri ex calida frigida, & è contra: vnde petit principium. Nos enim id quærimus, qua ratione ex raro densum fieri potest, & è contra: ipse respondet, quia potest, eludens argumenta pueriliter, vt solet. Nescio etiam quid sibi vult, additio illa de circulo maiori & minori, & de calido in actu modice, quod potentia est ad maiorem gradum: nisi fortè intelligat in gremio materiæ latere rarum, & densum, & nunc hoc, nunc illud in actum prorumpere, quam sententiam à S. Iustino & doctissimis etiam Peripateticis sæpius damnatam nos nuper explosimus. Non enim datiua est potentia materiæ sed receptiua. Aliud etiam de actiuis qualitatibus, & de passiuis dogma: esto enim quod calidum potest subiectum frigidi fieri, non tamen à se & in se habet frigus, sed recipit ab infrigidante causa: & cum receperit, potest frigus augeri, quoniam habet potentiam actiuam, suique amplificatiuam, & non solummodo receptiuam. At rarum & densum sunt materiales passiones, quę à seipsis nec fiunt, nec augentur per amplificationem, sed per additionem & subtractionem, aut per dissociationem, & constrictionem partium: ergo materies rara non potest fieri rarior, nisi calor amplius ipsam rarefaciat: calida autem bene potest fieri calidior absque exteriori calefaciente. Nisi concedas, rarum posse rarefieri, quia partes distantes possunt fieri adhuc distantiores. sensu quoque videmus, ex vno pulueris pyrij grano fieri septem ferè aëris per expansionem. Plato autem ex vna portione aëris duas facit

In lib. de confut. Arist.

ignis: exque vna aquæ vnam & dimidiam aëris Arist. videtur ex vna terræ, decem aquæ, ex vna aquæ, decem aëris, ex vna aëris, decem ignis portiones facere. Ast experimur non ita sese habere. Sed aliquando plus aliquando minus pro materiei vnione vel dissociatione.

Nos quidem nolentes, vacuum intercipi, distantiam partium eam non concedimus, quam Epicurei celebrant: qui propterea sanè coguntur interponere vacuum non solum in totali separatione, sed etiam in imperfecta, quæ est rarefactio, quod putarunt moles corporeas ex atomis contiguis constare: vnde rarefactio vacui interpositionem necessario postulat. At, si materiei non est, propterea vnio nec diuisio, profectò cum rarefacit, licet diuidi videatur, haud tamen diuiditur: sed extenditur vndique: estque densatio quædam vnitio materiæ: &, vt Senecas ait, intensio, id est, interna tensio, non tamen atomorum coitio: sicut nec raritas solum ab inuicem elongatio: alioquin esset instar farinæ omne corpus congeries minutiarum: quæ quidem loco cedit, non constructione vnionis, cum tangitur, nec ipsæ particulæ cedunt, sed aër interceptus in farina, vel spatium vacuum Democr. Pumex autem rara non cedit, quoniam non vndique rara, sed foraminosa, contiguis & continuis constans partibus: cinis autem solis contiguis, aër quoque contiguus foret, constans tamen atomis minoribus. At, quomodo aër replet vacuum, abominaturque, si eius natura est plus vacui quam pleni? & profectò si ignis inanior est aqua, vt vult Democ. vnde tanta vis ad mouendum, & igniendum, modica vero aquæ plenioris? Nunquid calor inest in vacuitate intercepta incorporeus? At, quomodo absque mole substantia manere queat in vacuo? & forsan ita est, quoniam tenuiores flammæ minus vrunt: corpulentiores vero, ignitumque ferrum magis. Sed hoc robur vnio caloris in materia densa fortè dat, & non copia maior. Sed in tenuissima re bene magnum indi posse calorem, lux transpicuas transuecta res manifestat (ait Telesius) quæ in tenui aëre nullo igne lucet minus, nulloque igne ardet minus. Fatendum ergo difficile intelligi quomodo in materia tenui vacuitas non intercipitur, quoniam ars non potest imitari prorsus naturam. Nos condensando aërem, nunquam facimus aquam, nec comminuendo vitrum, aërem: sed calor & frigus faciunt, ergo requiritur naturalis vis qualitatum & primalitatum: aliter ac nos sapimus densans & rarefaciens: quam Democ. solam artem intuitus, non agnouit. Sed quomodo vis caloris minuitur non ita occultum est, cum ad supera calorem euolare assiduo videamus, & nisi præsentia luminosi ignis feruetur, euanescere. Illud etiam, nisi locus inesset rebus, rarescere non posse. Vnde alembiccos bene crassos rumpunt, & dolia magna, spiritus attenuati ab igne, & à vino exhalantes, locum quæritantes suæ raritati commensuratum, quod sola atomorum dispersio nequaquam efficeret, quippè cui nulla est agendi vis, nec comprimendi, nec dilatandi sese, nisi à causa actiua & diuiniori afficiantur. Fit ergo rarum & densum natura per extensionem & intensionem. Ab arte vero per collectionem & dissolutionem partium corporeæ molis.

DE GRAVI ET LEVI, AN SINT *passiones materiales; & an dentur simpliciter & verè, an secundum quid, ratione loci, vel materiæ, vel formæ, opinio Democ. Gilberti, Empedoclis, Platonis, & Aristotelis, cum suis fundamentis: cum defensione Democ. per Galileum ex Archimede, nondum examinata.*

ARTICVLVS X.

VIDETVR quidem grauitas & leuitas passio materialis esse, ac sequi ad densum & rarum, vt in 4. Physic. Arist. fatetur. Et quia densum est ab vnione, rarum à diuisione, iudicabit quis non immeritò, numerum esse principium rerum, sicuti Pythagorici: propterea quod & vnitio magnum, & diuisio paruum facit, & dimensiones & figuræ respondent numeris. Sed de hoc in 2. Parte nobis erit sermo. Nunc autem quid sit graue & leue ex operationibus inquiramus. Vocant quidem omnes leue, quod tendit sursum ad mundi peripheriam: graue, quod deorsum ad mundi medium: mistum ex vtrisque, quod intermediat duo hæc.

Prima opinio de causa motus grauis & leuis.

Causam autem quare hæc sursum, hæc deorsum vadant, non omnibus eadem. Democ. enim cum suis Epicureis, putat omnia deorsum natura propendere corpuscula atoma, ac proinde corpora ex eis concreta. Quorum grauiora appellant ea, quæ plus pleni habet, leuiora quæ plus vacui. Et hæc pelluntur sursum à solidioribus extrudentibus ea, vt inferiorem occupent locum, quemadmodum videmus aquas vasis, iniecta terra, sursum extrudi. His ergo omnis motus sursum est violentus. Deorsum vero omnis est naturalis, seu spontaneus.

Prima.

Opposita his opinio potest dari ex thesibus magneticæ Philosophiæ. Dicit enim, quæ deorsum feruntur ad terram, attrahi à telluris exhalationibus quasi brachiis electricè, non magneticè. Igitur dicet quis, quoniam peripheria nobilior centro, & cælum tellure, omnia in cælum propendere corpora, vbi nobilitentur. Quæ autem deorsum feruntur attrahi quadam vi, vel potius (inquam) pelli deorsum à virtuosioribus, sicut fæces in sentinam. Actiuiora enim nobilioraque esse corpora tenuia, ipsumque in primis ignem, confessio est communis. Qui magno impetu sursum vadens, omnia euertit, ad suum vt perueniat locum supernum. Ipsaque aqua, si vacuum inuenerit locum, nec ab aëre prohibeatur, ascendens, hoc confirmat. Quod & aër faceret, ad superiora sese attolendo, nisi ab igne superiori extruderetur: quanquam Arist. id neget, qui è contra affirmat, locum sursum esse formam, deorsum materiam & ad formam res naturalius ferri. Emped. etiam cæli vertigine deorsum impelli corpora per vim putauit.

4. Cal. t. 35.

Plato autem in Timeo, neque sursum, neque deorsum

deorsum in circulari mundo reperiri posse, eleganter probat: quoniam circulus id non admittit secundum rem, sed respectiuè tantum. Etenim nobis est sursum id, quod Antipodibus est deorsum: illis vero è contra est sursum, quod nobis est deorsum. Hac ratione putat, non dari graue & leue, sed quod nobis est leue, illis esse graue secundum respectum: & leue dici, quod minus graue. Vnde si quis ponat minus pondus in lance vna staterae, in altera maius, tunc maius inclinabitur, & dicetur leue. Sic & siquis habitaret cæli peripheriam, & libraret in bilancibus ignem, experiretur maiorem ignem plus grauitare versus peripheriam, & diceretur graue, minorem vero leue, quia ad nos attolleretur erga medium: quod nobis dicitur deorsum, positis vero in peripheria, sursum. Quo in sermone Plato nescio an extrusiones concedat, vt in examine apparebit: sequens igitur inceptum ait. *Vnum de his omnibus cogitandum, quod via, gressioque singulorum ad simile atque cognatum ferens, Graue facit id, quod fertur: locum vero, in quem tale fertur, deorsum.* Hæc ille. At profecto non videtur causam explanare, quare tendant hæc sursum, & hæc deorsum, nisi finalem. Cum vero de formali ac materiali loquitur paulo ante dixerat, acutissimum esse ignẽ, vt penetraret: paucissimas habere bases, (quod subtilissimum est esse) vt sit velocissimum: & ex paucioribus constare, vt sit leuissimum.

Vnde Arist. in 4. de Cælo tex. 8. & seq. putat, Platonem de graui & leui simpliciter non determinasse, sed de grauiori, & leuiori: ita vt illud sit grauius, quod ex pluribus eisdem constat: leuius vero quod ex paucioribus: dixerat enim Plato, ex eisdem scalenis constare ignem, aërem, & aquam: sed ignem ex pyramidatis in quatuor faciebus, aërem in 8. aquam in viginti, quod Arist. irridet, quoniam ex hoc sequerètur, quod modica aqua esset leuior plurimò igne: habente triangulos plures: & minor ignis leuior esset maiore: cuius contrarium experimur: velocius enim ascendit multus: & multus aër minori.

Quo etiam argumento vexat Democraticos. Si enim plus vacuitatis facit leuitatem: tunc magna moles ignis leuior erit modico igne, in quo pauciores vacuitates: & si plus soliditatis facit grauius, tunc grauior erit multa aqua modico auro: quod minus solidi obtinet, nec proinde mergeretur.

At quidem videtur etiam Plato plerumque Democraticus: loquens enim de calore & frigore ad figuras confugit: & nunc de motu, quo sursum ac deorsum res fluctuant indagando relicta ratione consimilitudinis, quam dant etiam terræ, vt in medio consistat prorsus vndique librata, inquit. *Vniuersæ naturæ circuitus, cum circulari ambitu suo genera complexus sit, & secum ipse congredi studeat, constringit omnia: locumq; vacuum relinqui nusquam patitur: quo circa ignis per omnia maximè penetrauit: deinde aer, vt pote, qui ipse tenuitati est proximus: & alia simili ratione deinceps: quæ enim ex maximis partibus sunt composita, vacuitatem quoque in sua constitutione relinquere maximam: minima contra minimam: coarctationis autem ipsius angustia parua in magnorum contrudit inania: quare cum parua magnis insinuata sint, & ipsa quidem parua, quæ magna sunt, discernant, maiora vero minora coerceant, omnia sursum deorsumque in sua loca feruntur. Nam quodlibet mutata magnitudine sedem mutat. Sic vtique & has ob causas natura leuitati contrariæ semper generatio conseruata: horum motum, & in præsenti, & in futuro perpetuum exhibent.* Hæc ille: & paulo ante dixerat de pugna elementorum per triangulos facta, per quos fit dissolutio huius ab hoc, & transitus in alterius naturam & locum eius, cui factum est simile.

Verum in quo consistat similitudo nil declarat: non enim dissolutio in partes facit lapidem igni similem quanquam minutissimum: neque localis certa compositio, ita quod per hoc fiat desiderium cognati, & attractio ab illò: vnde & ad Democ. extrusiones paruorum per magna recurrit. Quapropter videtur Plato insufficiens. Haud tamen rectè ab Arist. confutatur, vt mox videbimus.

Opinio 4. Arist. ergo in 4. Cæli tex. 21. & seq. duo esse loca determinata in vniuerso vult, sursum in peripheria, & deorsum in centro secundum naturam, ita quod si terra esset in peripheria, glebæ positæ in medio aëre non tenderent ad peripheriam, vbi posita esset terræ vniuersitas, sed ad centrum, vbi nunc est: naturale enim est vnicuique ad suam formam ferri, & sicut quod augetur tendit in magnum, & non in album, & quod sanatur tendit ex ægro in sanum, & non in circulare, aut in alium terminum diuersum, sic & quòd loco mouetur ex deorsum sursum, & è contra non tanquam ad vniuersitatem ob cognationem, sed tanquam ad locum, cum quo habet maiorem cognationem. Est enim locus forma & quasi essentia locati: etenim omnia contenta à continente suscipiunt figuram, & essentiæ perfectionem: propterea que aliqui Peripatetici putant, ignem non esse ignem nisi cum peruenerit ad peripheriam, vbi sua completur generatio essentialis, quæ incipit apud nos: & alij addunt, graue & leue esse formas substantiales elementorum: calorem vero ac frigus siccitatem, & humorem esse accidentia: & id Arist. videtur ibidem docere. Vbi etiam addit primum secundum substantiam esse motum localem: nec aqua facta aër est leuis, nisi cum venit ad ipsum sursum. Ergo nec est aër. Sed tunc quando non amplius fit leuis, sed est. Tunc simpliciter graue est (ait) quod omnibus substat. Simpliciter leue, quod omnibus supereminet: vt terra & ignis, non simpliciter autem aqua & aër: quæ quasi composita substant & superstant. Licet illa huic sit grauis: iste illi leuis simpliciter: & propterea quædam in aëre esse grauiora, vt talentum ligni, libra plumbi, in aqua vero è contra: quoniam lignum plus aëris habet, plumbum plus terræ. Etenim omnia grauia sunt suis in locis elementa, excepto igne, qui sublato aëre non descenderet, sicuti terra simpliciter grauis, sublato aëre & aqua non ascendit. Aër autem sublato igne non ascendit, sed ascendit sublata aqua, & hæc sublata terra descendit, atque sublato aëre sursum fertur vi: sicut & aër supra ignem.

Auer. in 8. Phys.

Alex. Achil. t. 24. & seq.

Concludit Aristoteles, neque vacuo & pleno, neque magno, & paruo, neque pauco & multo, posse determinari graue & leue, quoniam semper continget aliquem aërem esse grauiorem aliqua aqua, & sic de cæteris: ergo standum est in potentia & actu, quibus Arist. soluit dubium, qua hæc sursum, illa deorsum, vt de potentia ad actum deueniant.

In vltimo tandem capit. determinat cur figuræ planæ ferramenta natant: acuta vero, longa, & rotunda, minoraque, vt acus, immerguntur: & confutato Democrito, qui hoc tribuebat atomis, ascendentibus igneis ex aqua, impingentibus in laminas, non autem in globos: per hoc quod idem eue-

niret in aëre, coufutatoque responso Democriti tanquam molli: quod, videlicet, non confertim sursum elata sustinent atoma, quoniam in aëre segregantur: tandem ipse respondet, hoc accidere, quoniam aqua non est diuisa adeo sicut aer, & quæ possunt ipsam diuidere merguntur: quæ non possunt, natant, plana, quoniam multam aquam occupant, quam simul diuidere nequeunt, sicuti rotunda & acuta faciunt ferramenta.

Defensio opinionis Democratici ex Archimede per Galileum: & confirmatio eiusdem de graui, & leui contra Arist.

R_Ecentiores Democratici, quibus fauet Galilęus in libro de Natantibus, Archimedem sequutus, rationes Aristotelis contra Democritum, & Platonem reputarent inanes: concederent enim quod non datur leue simpliciter, sed minus grauia dici leuia, nec determinata esse loca secundum naturam rebus, sed casu quodam in hanc partem immesi spatij, cuius non est medium dare, nec extremum, cum sit infinitum, sortita esse nostra entia centrum: ad quod concurrunt.

Ad secundam, ait Galilęus cum Archimede, quædam esse æquè grauia, mole, & specie, vt libra stuppæ, cum libra stuppę. Alia sunt æquè grauia mole, sed non specie, vt libra auri, cum libra ligni. Alia sunt æquè grauia specie, sed non mole, vt libra auri vel æris, cum vncia auri vel æris. Igitur respondet, quod illud modo velocius descendit, quod grauius est specie, ideoque parua aqua specie nempè grauior descendit potius quam multus aër. Item licet in multo aëre sit plus solidi terrei: est tamen etiam in plus ignis speciei: idcirco non descendit sicut aqua modica. Item falsum est quod magis descendat magna terra, quam parua, & multum lignum quam vncia ligni: & quod maior ignis velocius ascendat, quam minor: ergo Arist. assumpsit falsum. Falsoque asserit quod velocius ascenderet magnus aër, cui plus solidi, quam parua aqua: cuius contrarium experimur: vbi nam enim hoc experiere ô Arist. non in aëre: nam ibi aër non descendit: nec in aqua, vbi nec aqua descendit, nec in terra, quia non cedit mobilibus: nec in vacuo, quia per te non datur, nec in eo fit motus nisi instantaneus tibi. Ergo in sphera ignis: quæ vel non est, vel Arist. ibi experiri nequiuit.

Mox Galilęus probat pro Democ. quod non datur leue, sed omnia esse grauia magis vel minus.

Primò leuia, si natura non extrusione sursum irent, facilius velociusque mouerentur per aërem, vbi minor resistentia quam per aquam. At è contra, videmus exhalationem igneam moueri celerius in aqua, quam in aëre sursum. Imò aër celerius ascendit in aqua, quam in ipsomet aëre.

Secundò, oua descendunt in aqua dulci, ascendunt autem in salsa. Ergo quia illa leuior ouis cedit. Hæc quia grauior extrudit. Quædam vero quiescunt in medio, prout æquantur pondere plus minusque.

GRAVE ET LEVE NON ESSE PASSIONES *quantitatis, sed iuuari ab ea: verum esse propensiones amoris cuiusque corporis & entis erga suum conseruatiuum per se: & per consequens erga destructiuum, vel destruendum, vel fugiendum.*

ARTICVLVS XI.

NOS autem in Physicis determinauimus, nihil esse graue & leue, nisi propensionem rerum ad proprium bonum, vel quod habent in cognato corpore, cum quo seruantur: vel in fuga à contrario, vel in fugatione contrarij: & ideo idem esse graue & leue. Quantitas ergo non est causa grauitatis & leuitatis, nec plenitudo & vacuitas, multitudo & paucitas: sed causant robur ad motum magnitudines, plenitudo vero tollit impedimentum tendentibus ad vnitiora, & tenuitas ad diuisiora.

Probatur assertum diuinis oraculis. Deus enim dixit ad Iob. *Quis dedit pondus ventis?* Cum tamen nobis leues dicantur: & tamen ponderant quorsum impellunt, vt fugiant malum compressionis, & assequantur bonum dilatationis, quæ est vita tenuium, sicut compressio, mors. Item, in 4. Esdræ dicitur, *pondera mihi pondus ignis.* Et quidem rectè, nam sursum ignis ponderat adeò, vt ædificia subuertat, pellatque in aerem, sicuti lapis deiicit eadem in terram. Ignis alias ponderat in latera, alias deorsum, vbi descendit pascens fumum: & pyrius puluis ex auro confectus deorsum ædificia demolitur non sursum, vt Chymici experiuntur. Nec rectè quidam putant, ponderari posse ignem, si cineres combusti ligni notæ grauitatis, explorentur in statera. Non enim solus ignis, sed & aquæ partes, & terreæ fuligines cum flammis eleuantur. Quod autem nec calor, nec frigus sint causa descensus & ascensus, indicant carbo accensus, & glacies, quorum vtrumque deorsum tendit: frigidus autem aer sursum. Aqua etiam vt vacuum, rerũ destructiuum, impleat, sursum etiam ascẽdit, sicuti docet ars de spiritualibus: moles etiam neque est princeps causa. Etenim in aqua cinereus puluis descendit, & lignum ascendit ponderosissimum cum magno impetu, sursum impellens obiecta, sicuti lapis deorsum impedientia trahit.

Cum autem Galilęus adducit speciei & molis grauitates, petit principium: id enim quærimus, cur lapillus submergitur, nauis vero natat. Nec rectè ponderi hoc datur, cum ille sit insensibilis grauitatis, ista maximæ. Democratici autem nihil de specie norunt: quippe quibus omnia sunt corpora concretiones atomorum, differantque sola figura. Item nec quia vacuum est magis lignum, quam lapillus, natabit: va-

cuum enim non se mouet, nec mouetur. Nec ergo aliud patitur, quod vacuitates plures habet, nisi hoc, quod facilius extruditur sursum. At si obstruas pice lignum plurimum, ita vt inter inania aërea ligni non intret, pellens aqua, tunc etiam videbis lignum natare: si autem ita tractetur, vt aqua omnes subeat poros, pulso aëre, tunc videbis lignum descendere. Equidem paleam confricaui in aqua adeo, vt exprimeretur totus ex ea aër, & tunc palea, quæ natabat submersa est: nedum putrida ligna: cuius contrarium euenire oportebat: subiens enim aqua pellit magis sursum.

Vacuitas igitur & raritas non sunt causa ascensus, sed vis alia, Democrito & Archimedi ignota: quæ statim innotuissent si rerum amorem considerassent. Videmus enim amantem in Amasiam ponderare, ita vt, propriis relictis sedibus, surgat impetu ad illam: & nos, cum aliquod quippiam proiicimus siue sursum, siue deorsum, siue in latera, damus proiecto impetum & pondus erga locum, quorsum pellimus. Quod quidem nostri amoris est communicatio ac desiderij vt est idem cum potestatiuo. Si igitur in natura intimus sit iste amor & potestas (nunquam enim amor absque primalitatibus cæteris): palam sequitur, quod pondus sit eius ergà bonum suum propensio: bonum est autem cunctis propria conseruatio, quam nanciscuntur petendo cognatum, & fugiendo, vel fugando, vel destruendo inimicum, ipsorum destructiuum.

Propensiones corporum esse ad proprias vniuersitates, non ad loca vniuersitatum: & ad commodum esse non ad esse, quemadmodum scripsit Arist.

Quapropter non desinam Aristotelem mirari, qui partes telluris non ad tellurem, sed ad locum telluris, falsis, inanibusque rationibus ferri dixit: nec partes ignis ad ignem, sed ad locum ignis, etiam si ibi non esset elementum ignis. Profectò scimus, Ens vnumquodque seipsum ante omnia diligere, proprium nimirum esse, tanquam sui bonum essentiale summum, eius conseruationem; fugere autem destructionem sui, ac mortem tanquam sui malum summum: conseruari autem omne Ens sua forma stante in sua materia: & similibus seruari atque augeri: contrariis vero destrui, certum est, diuersis vero prout commoda sunt, vel incommoda. Igitur post seipsas nihil amant magis, quam simile sibi, propriamque essentialem vniuersitatem, qua seruantur, & a qua separata perduntur. Quamobrem videmus, homines ad homines & ciuitates, hominum congregationes, confugere: aquas in mare reuerti, columbas ad columbarum cætum, aërem ad aërem, & vnumquodque ad cognatum suum, vbicunque sit. Ciuitatem enim hominibus vacuam destructamque nobis nos non adimus, sed ciuium multitudinem etiam si in nemoribus degat. Quapropter stupidi vel impostoris hominis est, suadere velle, quod ignis tendit sursum, & non potius ad ignem: & telluris partes deorsum, etiam si in medio non esset tellus: Cum ignes plures ad pabulum & fugam mali aliò ferri etiam viderit: & res omnes amore suæ conseruationis trahi.

Ratio eius inanis est. Non enim sursum & deorsum contraria sunt, vt rectè probant antipodes, quibus aliud deorsum est atque nobis: & natantia, quibus nunc hæc pars mundi, nunc illa, si aquam subtrahas, fit locus. nos etiam probabimus, in spatio, qui verè locus est, nullas esse differentias nec contrarietatem respectu sui, sed locatorum corporum: ideoque ad situs alios, non ad loca alia ferre. Si enim sol esset, vbi nunc est tellus, partes solis venirent ad solem huc: sicuti nunc vadunt illuc, vbi ipse est: & partes lunæ ad lunam, & vniuscuiusque rei ad suam vniuersitatem: nec locus est forma & finis, vt Arist. putat: sed forma est rei species, cui mox debetur locus iste, vel ille secundum naturam, sicuti mox aperiemus: nec enim latio est generatio, sed sequitur ad generationem, editurq; à forma geniti non à generante: nam etiam si non generetur, tendit ad suam vniuersitatem, vt gleba terræ in genitæ ostendit: nec perficitur generatio per locum, sed configuratio corporum, & conseruatio in se & ad mundum: nec ignis tendit sursum, vt sanabile ad sanitatem, sed vt sanum ad commoditem & cognationem: cum etiam tendat deorsum, vbi opus est ad fugiendum, vel vincendum.

DVPLICEM ESSE PROPENSIONEM *corporum: alteram, ad totius systematis vnionem, & vt sic omnia esse grauia materialiter: alteram, ad certos situs in corpore propter certas functiones; & sic alia grauia, alia leuia dici posse, alia mista, formaliter: & quem teneant ordinem in mundo dispositiones materiales.*

ARTIC. XII.

PORRO sciendum, omnium rerum finem esse sui ipsarum conseruationem, & immortalitatem, quocunque modo eam consequi possent, vt in tertia Parte docebimus. Omne autem totum suarum partium constanti perseuerantia in suis sitibus, sanaque virtute singularum ac functione, seruatur. Sic animal, si pedes, brachia, caput, cor, & reliquæ partes proprium conseruent situm, ac temperamentum, & functiones, seruatur. Eadem ergo ratione & mundus totus, longeque maiori: partes enim sunt totius gratia, & non è contra. Quapropter in mundo res omnes proprium sortitæ sunt situm, & propter sui bonum & totius, sicut in animali. Cum ergo extra proprium situm sunt, ad ipsum feruntur, non secus ac arboris ramus, vi depressus deorsum, ad sui positionem reuertitur: & spiritus è capite ad strangulatum vterum vocatus, in caput, nacta victoria, redit. Verum enim vero præter hoc conspirationem quandam habent omnes partes ad mutuam conseruationem: conspiratio autem non fit nisi vnione: vnio vero concentratione circa medium: Quapropter duplicem video propensionem omnium corporum naturalium nostri systematis: aliam, videlicet, ad totius vnionem, quam habent quatenus vnius coëxistentiæ corpora sunt: alteram ad sui situm pro-

prium, quam habent non quatenus corpora, sed quatenus formata propriis ideis, & viribus actiuis prædita propter certas functiones. Sic partes animalis omnes ad vnitatem animalis amorem habent: & per hoc amorem alterum subsequenter ad proprium situm: in quo dum stant, functiones sibi ac toti proficuas edere queunt: omnia ergo corpora quatenus corpora propendunt ad centrum, vt dixit Archimedes: non quia centro gaudent indiuisibili & nullius valoris, vel loco isto, cum omnis locus omnibus corporibus sit amicus, sed quia gaudent mutuo contactu, vnde vacuum perhibitiuum contactus mutui, abominantur, sicuti partes animalis diuisionem ab inuicem: & sequuntur vnionem, Entium consetuatiuam: & auersantur dissociationem, Entium destructiuã. Quatenus autem formata proprium appetunt situm: in quo quatenus ideata manent: & ad quẽ quatenus actiua calida, vel frigida, feruntur: & quatenus amant & possunt, habent vt ferantur. sicuti in animali omnes partes tendunt ad centrum mundi animalis, quatenus corpulentæ sunt: sed quatenus ideatæ ad proprium situm: vt caput in sublimi, venter in medio, pedes in imo, manus ad humeros se habent, & sæpè quod grauius est, in loco superiori ponitur: similiter quanquam partes terræ cunctis subsideant corporibus, quo systematis sunt vnitiores partes: tamen quatenus in plantæ nutrimentum efformantur, sursum petunt ad truncos, & ramos, & folia, & fructus alendos, causandosque, ductu caloris, fato, necessitate, & Harmonia affecti ad sic agendum, assistente ideatrice intelligentia, diuinæ prouidentiæ executrice. Igitur Dem. primum amorem solum, qua corpora sunt considerauit: Arist. solum quo formata. Plato nunc huc nunc illuc rapitur ob primalitatum ignorationem. Nos omnia complexi sumus.

Qualiter vnitioribus formaliter & materialiter debetur inferior locus in nostro systemate, & quis situs cui passioni materiali seriatim.

QVatenus igitur corpora sunt, hunc seruant ordinem: vt in imo tanquam grauissimum subsident, quod densissimum crassissimumque est: tellus nempè pura: super densum vnitum est densum disruptum comminutumque, vt puluis & arena: super denso locatur lentum corpus: super lento molle: super molle viscosum: super viscoso lubricum: super lubrico fluor: super fluore liquor: super liquore fumus: super fumo, seu vapore tenuitas inuisibilis, vt probatur in distillatoriis semper: & hoc rationabiliter: quæ enim vnita magis sunt, ea indiuisa sunt magis: ergo vnioni aptiora: ergó centro vnitissimo indiuisibili propinquiora. quod si quando contrarium experimur ex mistura horum graduum accidit, non per se: siquidem nubes aëre crassiores natant in aëre, quoniam plures habent partes ignis, quam aëris, aut aquæ: quarum partium tenuitate & consimilitudine cum igne sursum retinentur: non autem qui ab ignis atomis sursum extrusis retinentur: etenim vbi in aquam, concreuerint, expresso igne, statim decidunt confitentes aliena vi detentas fuisse. Similiter ligna in aquis natant ponderosissima, quoniam plus aëris inest eis, quam telluris & crassitiei, quod combustio declarat: ergo aliena vi detinentur. Verum excluso aëre cum putrescunt ligna, aquis combibitis, non amplius natant, sed merguntur. Ipse quoque probaui, carbones & pumices, quæ in aquis natant, si contriti conuertantur in puluerem, non amplius natare, sed mergi: confitentes ab aëre, intra spongiositates detento, prius detentas fuisse: quo priuati pulueres minutissimi descẽdunt. laminæ vero ferreæ & aureæ retinentur super aquas præsertim si concauæ sunt aëris adhæsu & cognatione, & aquis diuidi nolentibus. At si vngantur, aqua, ita vt aëris adhæsu non fruantur, submerguntur, dum aquæ, quæ diuidi nolebant, & super laminas expandi timebant timorem excusserunt: vti mox declarabimus. Quapropter situs ratio & amor cognationis, & fuga mali, causa fuit, vt natarent: non autem atomi Democrīti infernè ascendentes, ac laminis impingentes; nam ouum, in fundum salsæ aquæ positum, ascendit sursum, in dulcis vero superficie descendit deorsum. Igitur verissimum semper est, quod corpora, quo densiora, eo vnitiora, & indiuisibiliora: ergo ad centrum propensiora: eoque petendi potentiora sunt. Hinc patet quare aurum est omnium metallorum & rerum, excepta terra purissima, põderosissimum, quoniam, videlicet, est vnitissimum, eique succedit hydrargirium in pondere. Nec quia fertum durius, sit etiam grauius. Si enim esset vnitius, & vniformius, vtique sic eueniret: at quoniam non est vniforme, vt rubigo, & porositas eius declarat, propterea non est æquè durum, nec ergo grauius, quale esse oportebat. Similiter æramentum ex ære & plumbo confectum, est vtrisque grauius & robustius, quoniam æs dat plumbo neruositatem, plumbum vero plenitudinem æris porositati: oportet ergo non modo vnitius esse, sed etiam vniformius id, quod debet grauius esse.

PROPONVNTVR QVAESTIONES VTILES, *grauitati, & leuitati enucleandis.*

ARTICVLVS XIII.

QVÆRITVR autem, vtrùm grauius sit, quod plus vbique ponderat, an quod in aliquo loco. Et vtrum, quod velocius ponderat, an quod plus ponderat: & vtrum simpliciter graue sit id, quod omnibus subsidet, vt Aristoteles docet: an quod vbique grauitat, an quod in sua sphæra tantum, & an tellus stet vt leuis, an vt grauis in medio.

GRAVE ET LEVE IN TOTA NATVRA *non dari, sed in singulis systematis alia simpliciter grauia, alia simpliciter leuia, & quæ & quomodo, & vbi: alia verò secundum quid.*

ARTIC. XIV.

PORRO sciendum, quòd, si Entia dispersa essent in spatio rerum basi, nulla conspiratione colligata, sicut partes in animali, sed temerè situata: tunc nulla esset grauitas, nec leuitas. Non enim propenderent magis huc quam illuc, neque daretur centrum & peripheria, neque totum & pars, neque inclinatio ad totum: sed quicunque vel digito, vel capillo moueret corpus quodcunque, statim obediret impulsui quorsumcunque. Imò si mundus noster in spatio immenso conuersatur, si quis homo extra Mundum esset, posset digito vno, vel flatu, si ibi efflare posset, totũ impellere Mundum, si alij Mundi, aut res cognatæ, vel hostiles foris non extarent, quas amet, aut fugiat. Item si intra Mundum nostrum non esset amor, & sensus rerum, omnia in chaos versarentur: neque ignis sursum, nec terra deorsum ferrentur: sed vbicunque posita à principio essent, ibi starent, & si quis Deus poneret glebam vnam in aëre, ibi maneret. Vnde mirum quàm stultè Democratici componant, generent, moueátque Entia. Nunc autem sapienter Deus omnia disposuit, dans cunctis rebus potestatem & sensum, & amorem suæ conuersationis, & totius simul: quippe cuius perfecta sunt opera: ergo quot systemata facit, tot conspirationes indidit. & quot partes systematum, tot nouas addidit propensiones ad sui ipsorum in Toto conseruationem. Quapropter non datur neque graue, neque leue simpliciter: sed in suo genere, & systemate. Ergo in nostro systemate dicitur simpliciter graue (non in tota natura) id, quod vbicunque ponatur, non prohibitum, tendit ad ima, vt tellus, lapis, aurum: & simplex grauitas est à simplici vel vincente corpulentia, & vnione vniformi corpulentiæ. Simpliciter leue est, quod vbicunque ponatur, non prohibitum, tendit ad peripheriam, vt ignis. & hoc inest illi non à corpulentia minori & vacuo; nam minor est in puluere terreno corpulentia, qui descendit: omnis enim quantulacunque crassitiuncula grauitat quatenus corporea pars est huius systematis: sed simplex leuitas accidit à calore, cognatum petente cælum: non autem propter impotentiam potiendi medij extruso; cum ipse, vt ascendat, rumpat omnes machinas potentissimus, & in sui Naturam omnia conuertat victoriosus: Nec quia noctu etiam ascendit putandus est extrudi, & non ad cognatum ire solem. Nam peripheria est semper calidior imis partibus, & cælum igni cognatius vndique: & terra hostilis. vt enim à frigore & terreis rebus fugiat vndique, ascendit, & forsan velocior in die præsente sole, quam in nocte: nisi fugæ amor calcaria adiungat ab vmbris: vt venti angustiati, concitatiores redditi, admonent.

Cum autem ad circuli vaporosi, terram ambientis, finem deueniunt vapores: nam superius etiam ire suadet vmbra terræ, Lunam obscurans, & Cometæ, & circa Solem nubeculæ, si tamen ex aliis systematibus non suboriuntur: tunc neque extrudi possunt, neque superiora petendi habent vim, præsertim si vacuum inuenirent, vt aliqui putant: nisi fortè calore solis trahantur: quoniam non amplius illis est deorsum, nec sursum sui systematis, sed ad solem amoris propensione ferrentur, quæ propensio patefacit nil esse graue & leue, nisi vim hanc, id est, propensionem.

At quidem graue dicendum est potius quam leue omne ponderans: & impetum omnem esse grauitatem, sed vt distinguamus propensionis terminos, has diximus sursum, & leuitates, has deorsum & grauitates, vt rectè etiam Plato animaduertit.

Quapropter valdè incusandus est Democ. qui si Aristot. credas, omnia atoma deorsum ferri dixit, & terram sustineri ab aëre ne ruat deorsum, non intelligens in medio solum deorsum dici: & putans fortè mundum non esse circularem. Item quoniam plures mundos ponit, & tamen ex hoc non vidit, non vnum esse medium, nec vnum motum atomorum deorsum. Rudior Arist. qui hoc negans, & illud intelligens, terras aliorum mundorum ad hanc nostram accersit, quasi qui corda leonum in cor Phenicis, aut in Vulpis thoracem.

De graui & leui secundum quid, & quod non sint formæ substantiales.

GRaue autem & leue secundum quid in nostro systemate est omne compositum ex his, qua ablata compositione fit simpliciter graue, vt lignum & pumex: quæ aëre priuata merguntur, quanquam non ponderosa: similiter expressus aër ascendit. Ex his notum est, duo tantum esse elementa prima leue simpliciter, & graue: cætera ex his orta, mista dici oportere. Item damnandi sunt Peripatetici, qui graue & leue esse substantiales formas elementorum dixere, cum Arist. in 4. Phys. & in 2. de gener. & vbique fateatur, graue & leue sequi ad rarum & densum, & calorem & frigus, humorem, & siccitatem esse constitutiuas formas elementorum. nec quispiam Aristotelicorum intellexerit amorem, propriæ conseruationis essentiatiuum, & propensiones ab eo complementum essentiæ ad existentiam esse redactæ.

EXCLVDVNTVR RATIONES GRAVIS ET *Leuis simpliciter, & secundum quid antiquorum. Et quod velociora sunt minora eiusdem speciei panditur contra Peripat. & Galilæum.*

ARTIC. XV.

EX iam dictis concludendū est, non esse graue simpliciter, quod plus vbique rerum ponderat: neque quod plus in nostris systematis vbique. Ligni enim Talentum plus ponderat mole, quam vncia plumbi in aëre. Nec quod omnibus subsidet, cum non magis sit infernus locus centrum quam peripheria secundum Naturam; neque quod centro propriæ vniuersitatis. sic enim portiuncula telluris centralis sola esset simpliciter grauis. Sed quod vbique positum plus ad centrum fertur, quam cætera. Expertus sum enim, vnciam plumbi globosam citius terram attingere, quā pilæ ferreæ, & ligneæ, multarum singulæ librarum, simul cum plumbea ab alto proiectarum. Similiter etiam prius terram attingere pilam auri, quā plumbi maioris ponderis: & sic de cæteris proportionaliter, quod & in aqua experiri etiam licet. illud etiā probauimus hodie coram fratribus multis, citius pilam ferream vnius libræ attigisse terram, quam pila ferrea quatuor librarum simul desuper proiecta. Vnde Arist. inepta corruunt fundamenta, putantis, grauiora citius ferri deorsum quam minus grauia mole; & ignem maiorem sursum citius quā minor: vtrumque falsum experimur. Virgula enim fumi ex pastillis odoriferis velocior fumo est grandis ignis. Galilæus quoque deceptus videtur inertia spontanea: putat enim ignem maiorem ac minorem æquali gradu sursum ferri, & pondera inæqualia secundum molem eiusdem corporis secundum speciem, æquali tempore desuper proiecta tellurem attingere; quod falsum esse, experientia admonet. Sibique etiam Galilæus contrariatur, cum ait, ragmenta plumbi in aëre, quoniam sunt speciei grauioris, celerius venire deorsum quam talentum ligni: & tamen ipse fatetur quod puluis aureus tardè descendit aliquando, & puluis terreus in aqua non nisi post quintum diem omnino subsideat in fundo vasis: vt qui turbidam Tybris aquam purgant experiuntur. Hoc autem repugnat dictis, vt patebit ex dicendis.

Verè quidem enim minor pila citius descendit, non quia specie grauior, cum sit eiusdem ferri, sed quia facilius substantem aërem secat, diuiditque, quam crassior pila: at ragmenta auri & terræ non modò non descendunt citius quam magna pila aurea & terrea, sed etiam quam pila lignea in aëre: quoniam ab atomis aëris retinentur, & impediuntur: sicut patet in atomis in radio solis conspectis: quæ propterea videntur Lucretio non prorsus deorsum recta petere, sed inclinari modicè extra centrum. Quam fictionem ruditer inuentam ad tuendum liberum arbitrium, nuper explosemus, eo quod non in pondere modo est liberum, sed in innumerabilibus cogitationibus, extra Mundum intellectum ferentibus; neque ex hac inclinatione, si necessaria similiter est, fit liber, sed potius aliorsum coactum; imò ex hoc falsa defensio elicitur libertatis: quoniam illa inclinatio est impeditio naturæ deorsum spontè tendentis; ergo & libertatis,) vt probauimus. Ex his tamen edoceri potuisset Galilæus solertissimus, ragmenta impediri crassitudine medij nolentis diuidi: pilam verò minorem cum ad illam peruenit molem, qua diuidere satis medium potest, minus impediri, quam maiorem: quoniam sub maiori plus aëris comprimitur reluctatque, quam sub minori. At si in vacuo fiat motus, crederem equidem maiorem æquè cito, atque minorem telluris superficiem attactum ire. imò & minutias simul æquè, quoniam à nullo retinentur medio: si tamen amor idem dempto medio, erga suam vniuersitatem perseueraret; Ignis maior è cuniculis celerior ascendit quam minor, dum fugæ impetus fortior in maiori, non autem vbi venerint in aërem.

Ex his præterea elucescit differentia ponderis molis & speciei: quæ enim eiusdem sunt vnionis, ac constrictionis materialis, sunt æquè ponderosa secundum speciem. & hoc sortiri non possunt, nisi eiusdem sint formæ substantialis, ac dispositionis materialis: & hæc eadem ponderosiora mole sunt, quæ tactum magis deprimunt: quoniam plus molis potentius infigitur & communicatur. Sic securis obtusa maior plus incidit, quam minor acuta, eisdem vel paulò maioribus impulsa viribus: pondus enim maius naturale addito artificiali, actionem maiorem accipit, quàm minus. Sunt etiam specie ponderosius sextertium vnum plumbi mille sextertiis ferri, quia vnitius: attamen sextertia ferri mole sunt ponderosiora: & tamen nec plumbi, aut auri talentum plus quatit, aut rumpit, quam ferri sextertia duo: quoniam vnitio in auro vniformior, in ferro verò vnitior: ita quod ex his philosophari licet, vnitionem vbique fortiorem, & ibi in victam specie, vbi simul vniformior & similarior. & hoc principium mechanicis vtilissimum est.

Compendium examinis opinionum Democratici & Galilæi & sequacium, de Graui & Leui, & argumentorū eius, probantium omnia corpora deorsum grauitae, &c.

SIngillatim ad opinatores respōdendo, dicimus Democrito non rectè positum fuisse vacuum causam leuitatis, vt illi Aristot. impingit, sed comoditatis ad patiendum extrusionem, & hoc vir ille dixit. quod tamen non est vniuersaliter verum: ete-

Resp. à Demo

nim nisi attenuentur minutæ res, non ascendunt, quoniam atomorum non sunt congeries, sed corporum passiones. Item negamus, non dari leue, si respic asformas rerum, & situs partium Mundi & functiones. At concedimus, si solas spectes corpulentias ad mutuam vnitionem coniurantes: & hoc absque illo, faceret ex toto Mundo massam vnam in formem: quod Democr. non animaduertit. Immedicabile malum etiam per illud fictũ inclinamen. Nam quo inclinant, haberent centrum, & motum, si natura inclinant. Præterea si omnia atoma sunt Democrito grauia. & vacuum non trahat sursum, neque deorsum, cum sit immobile, atqui potius ad se, vbi interest cupiens repleri: sed facit partes solidi distantiores, & vt minus confertim ferantur sursum siue deorsum: ergo non potest assignari grauius specie secundum Democr. Sed absolutè grauius erit, specie grauius: nec vnio ac diuisio quid præstat Democrito neganti species. Nec inclusus aër lignum faciet in aqua leue grauius: replet enim vacuitates ligni, consolidatque: & cum sit etiam grauis, grauabit ergo plus addendo pondus.

Ad primũ pro Galilæi Democrito concedimus, negamus vt supra.

Ad secundum haud quaquam sequi puto, propterea quædam sursum ire, quod à grauioribus extrudantur ex eo quod velocius in aqua, quam in aëre ascendunt. Vnumquodque enim spontè mobile velocius est intra inimica Entia: sicuti Christianum mancipium Turcarum, velocius est in regione Turcarum dum fugit, quam vbi attingit fines Christianos, vbi lentior fit. sic quæ sub aqua sunt. Aut enim ascendunt quia aërea; & tunc cum perueniunt ad aerem, non indigent alio motu: peruenerunt enim iam ad cognatum, cuius societate fruuntur; Aut quia ignea, & sic celerius per aquã ascendent, à cuius frigore & compressione eius calor, & tenuitas abhorrent, quam per aerem, vbi tanquã cognata in re non timent. Prȩstat insuper aqua cõmoditatem: etenim in ea confertim, & vnitus aer & ignis ascendit ob compressionem à corpore crasso, & ideo velocior est motus quam in aere: sicuti & ventorum cum per angustias transeunt spontè sua, non angustiantis vi, quæ nulla est: qui etiam quò longius ab angustiis fiunt, fiunt & lentiores. Adde, quòd aqua subsequens ab imo, repletura locum, vnde ascendit aerea vel ignea res, vel lignea, quæ sub aqua erant, impellit, vel sustinet magis sua crassitie, quam aer tenuitate subinsequens. Vnde facilius intra aquam eleuamus lapidem, quam intra aerem. Nec medium superius in cognatione sua supergrauat: cum grauitas sit impetus eundi ad cognatum, vnde nulla in suo loco, & situ grauis est, teste experientia natantium sub aquis maximæ ponderationis: quarum nec centesimam partem in aere sustinerent. vnde non rectè Arist. dixit, in proprio elementa situ omnia esse grauia, excepto igne: non enim grauia sunt suis, sed alienis subterpositis. Nam aqua in piscina super Palatium D. Lelij Vrsini eleuata ingeniosis machinis, natantes in ea non deprimebat, non secus atque aqua maris sub aqua propè terram natantes: & hic & ibi eleuatur pondus ex imo aquarum velocius quam in aere, & sicut nuces ex digitis comprimentibus dissilientes. Extrusio ergo est concausa ascensus: sed principalis causa est cognati appetitus, & odium inimici Entis.

Ad tertium postmodum respondebimus. Licet enim sola expulsio ouum ab imo salsarum aquarum sursum perducat, haud tamen ignes & aerem, & arboris nutrimentum, & alia multa. Videbimus etiam quod positio Archimedis admittentis species non potest simul manere cum Democriti sententia examinatur, & in secunda parte Copernici ratio de extensione ignis.

Examen breuiatum opinantium omnia leuia esse corpora, ac sursum propterea propendere: & quod à terra electricè deorsum trahuntur, à cælestibus vero extrundantur.

AD secundam opinionem dicimus indigere examine; non enim vapores electricè attrahunt tanquam brachia deorsum, sed potius pellunt sursum, vt dicebat Democritus ipsa grauia. In aere quoque ex minutiis terræ per vapores delatis fiunt fulmina durissima, & multa id genus: vt potius videas sursum, quo tendunt, quam deorsum, vnde veniunt, vapores impellere grauia. Præterea aqua similior est terræ, quam vapor. ergo magis attraheret tanquam manus terræ fidelior. è contra nihilominus ipsa pellit sursum ligna, & grauissima corpora. Quod si dicas, hunc ascensum in aqua fieri lignorum ab incluso vapore & acre: tunc sequitur quod vapor non attrahat deorsum vt dicebat Gilbertus, sed sursum: & quod aqua non sit potentior telluris manus, quemadmodum esse oportebat. Præterea vbi essent vapores plures, ibi maior attractio. At contrarium accidit: ipsi enim sustinent res in aere magis. Præterea cum vapores condensantur, deorsum cadunt: & res quo densiores, eò grauiores, & ad terram propensiores. Non ergo à vapore, sed à densitate, qua & ipse trahitur vapor, trahuntur cuncta deorsum.

Ad opposita argumenta dicimus, quod licet cælum sit nobilius tellure, non propterea res omnes tendant in cælum: neque enim quia nobilior est oculus pede, & caput iecore, optabit pes situm oculi, & iecur capitis sortem, cui nullo pacto aptũ est. Appetitus ergo fertur non in melius simpliciter, sed in conuenientius sibi: ex quibus omnibus conuenientiis sequitur bonum totius, quod simpliciter est bonum, partes enim volunt esse in toto: Totum verò ordinem partium. E contra vero instantia nec deest, quod videlicet nobilior sit tellus, quia vnitior, & grauior, fundatque vnitatem, & conseruationem systematis. Nec dicenda videtur sentina spurcitiarum, cum nulla secundum naturam spurcities detur simpliciter, sed secundum nos: & hoc & illud, alioquin vilesceret ista respiciens Deus, vt Arist. arguebat. vide par. 2. Et quidem ratione corpulentiæ, & vnitate systematis, terra est vtilior: ratione actiuitatis & formationis Cælum nobilius, licet varius. ablatis tamen formis, melius erit, quod plenius. Ignis ergo tendit sursum tanquam ad melius sibi & mundanæ formæ. Nec propterea peripheria est forma, vt Arist. putat, & medium materia. sed telluris forma in medio perficitur: ignis verò in peripheria, sicut nec capitis situs est forma pedis: sed formatur caput, vt cælum: pes cum basi ad sustinendum ad terram: & cuique bonum, & formale, quod secundum naturam sui est, vt in

2.par. docebimus. Empedoclis sententiam in cap. 6. repetemus.

Platonis doctrina in quo tenenda, & in quo supplenda, & in quo reprobanda, examine epilogistico de Graui & Leui.

PLatoni, dicimus, rectè visum esse in Mundo nil esse sursum, & deorsum, nec graue & leue, nisi respectiuè, & vtrumque esse propensionem, vel gressionem ad cognatum: defecisse tamen illi rationem, qua gradiuntur ab amoris vi: ac propterea in Democriti sententiam lapsum. Quod etiam de magnetis attractiua vi reddendo rationem videtur passus. Illud etiam non satis tutum, quod Cæli motus comprimat amplexa corpora, cum in se regulatissimus sit, ipso Platone teste, prematque nihil. & hoc quidem à Democrito omnia grauante accepit, non sapienter sibi. Vel ab Empedocle, cæli celerrimo gyro terram in medium violentante. De qua sententia alibi subsequetur sermo. Quod autem miscet elemēta crassa tenuibus, etiam absurdum est, si calor, & frigus res incorporeæ actiuæ inuicemque hostes sunt: sequitur etiam ex suo dogmate, quod tellus sicut spongia, aquis vndequaque perfusa sit: Aquæ illæ aere: aer ille igne: Crassiora enim minutioribus replentur, ne detur vacuum, sicut ipse ait. vnde sequitur, quod tellus sit, aliaque elementa atomorum congeries magnorū, & minorum: quod Platoni ipsi non placet, & tamen cogitur placere. Ergo nec vna elementorum saltem trium materia; vt ipse posuerat, nec vis vlla actiua quam necessariam agnouit, alioquin non introduxisset diuinos ipse opifices.

Arist. de Graui & Leui sententiæ, & argumentorum contra antiquiores, Epilogistica confutatio.

ARistoteli rescribimus, in multis erratum: etenim nec rectè statuit contrarietatem in locis; quibus ipsemet in prædictis dixit, nihil esse contrarium: sed in locatis statuenda erat. Nec rationabiliter à locis sortiri elementa essentiæ complementum, cum hoc sortiantur à forma essentiali: sed existentiæ conseruationē, dicere debebat. Non quidem à loco, quod spatium est, cum hoc cunctis conueniat, vt basis: nec à superficie ambientis, cū hæc sit quantitas, actionis conseruantis expers: Nec ab ambiente corpore, cum hoc Aristoteli semper in altera qualitatum locato contrarietur, ita vt non magis seruet per symbolam, quam destruat per oppositam: Ergo à sola cognatione rerum cum suis vniuersitatibus. Ergo telluris partes non ad telluris locum, sed cognationem reuertentur & res cunctæ, vt dictum est. Ergo nec rectè ex locis determinat de graui & leui: sed à situ partienda erant nomina. & probandum, quòd omnis propensio est ab Amore cognationis, cōseruantis cognata simul; & non à loci mutatione in locum, sicut in formam. Nec latio generatio poni debuit, sed operatio sequens genitæ, perfectæque rei formam, sentientem suam cognationem originemque innata notitia. Item non rectè absque præuia experientia dogmata sua fundauit, & aliorum euersionem in eo, quòd maior ignis velocior it sursum quam minor, & maior telluris pars quàm minor: cùm oppositum experiamur. Item nec verum quod omnia elementa sunt grauia in propria sphæra excepto igne, qui sublato aere non descenderet. Experiuntur enim natantes nihil ab aqua deprimi, vt dictum est; & ab aere nos supposito non grauamur. Omnis enim grauitas est propensio ad suum cognatum. Ergo cum iam sit omnis pars in sua cognatione, quādo est in sua sphæra nihil grauabit. Argumentū Arist. si verū est de vtre pleno aeris plus pōderante, nō demonstrat. Aer.n. à sua vniuersitate seiunctus tantillum, quatenus est corpus tantillum ponderat, quoniam omnia ad centrum vt sic inclinantur: non autem quatenus aeris forma informatus, & situ fruens. Nec quia aer, & aqua descendunt ad implendum vacuum, grauia sunt in sua sphæra. Nam & ob hoc ipsum ascendunt vbi opus est, vt Ars de spiritalibus demonstrat. Propterea puto, etiam ignem descensurum, si subtrahatur aer ad vacui repletionem, & sui amplificationem, vt nos affirmamus: non autem quia grauat ad centrum modò, vt Democrito videtur; neque aliter accidet nisi in dissociato penitus Mundo. Tunc enim nulla esset propensio ad vnionem, & ad vacui repletionem, & ad cognati amplexum. Qui ergo vult mechanicè omnia corpora digito mouere, ponat ea in situ, vbi propensionem aliam ab ea, quam optas, non habeant, si potis est, vt lignum in aqua. Cæterum lucem & calorem deorsum à sole effundi videmus, & per fumum ignem descendere, & fulmineum ignem in commoda fugientem. Ita quod Aristot. absque experientia, & exacta ratione dogmata ponit. Fallitur etiam, dum putat in aere grauius esse talentum ligni libra plumbi: quandoquidem experimur velociorem esse motum plumbi tantilli, quam ligni prægrandis valde. In statera tamen plus ponderat lignum non autem magis: & quidem intensiuè minus, extensiuè magis. Item nec aer fugit aerem, sicuti fugit aquam. Propterea lignum in aere ponderat, in aqua ponderat: sed tamen pondus non habet executionem: at natat, aere incluso retinente ligni crassitiem erga cognatum aerem. Sed expresso aere cinis ligni, & lignum putridum submergitur. Item Aristot. ratio contra Democr. & Plat. quod modica aqua, quoniam minus soliditatis habet, quàm multus aer, ascenderet: & multus aer, quia plus solidi habet, quàm aqua tantilla, descenderet; rudis est. vnitio enim quantitas, non autem magnitudo quanti, facit pondus primæ conspirationis. Præterea si aer habet plus solidi, habet longè plus vacui. Item cum docet, propterea plus ponderare talentum ligni in aere, quam libra plumbi, propterea quòd, etiam aer grauat in aere, qui inclusus est ligno: in aqua verò è contra, quoniam ibi non grauat aer ligni, sed terra solum & aqua: valde errat, secumque pugnat. Ex hoc enim sequitur, quod tota ratio plus grauandi in aere, erat aer: & quod expresso illo aere, plus grauaret plumbea libra, quam totum illud lignum: cuius contrarium experientia demonstrabit, si quis mille sestertiorum ligni cineres agglutinabit vitrificatione, vel alia ratione. Item si vasi plumbeo alliges tantum aeris, quantum est in ligno magno, tunc in aere plus ponderabit plumbum, quod falsum est. Præterea Arist. ait media elementa, id est, aquam & aerem componi ex graui & leui: vnde sequitur per argumentum suum contra Platonem & Democr. quod in multo aere plus

plus grauitatis erit, quàm in parua aqua. Ergo ille plus ponderabit,ac plus descendet. Rationes ergo suæ secum pugnant. Manifestum est ergo quod tantum pôderat lignum in aëre, quantum in aqua, erga centrum communis vnionis ac conseruationis totius systematis. Sed in aëre non impeditur pondus eius per alterum aërem inclusum: æquè enim gaudet cognatione in quouis situ: sed in aqua cohibetur ne mergatur per aërem inclusum nolentem à cognato separari in alienum corpus, sibique etiam repugnans ex situalis ordinis forma, & sui vnitione.

Propositiones vniuersales de Graui & Leui principia Mechanicæ.

1\. OMne corpus vnitius, atque simul vniformius, ponderosius est corpore minus vnito, & minus vniformi in aëre, & in aqua. Item ponderosius est æquè vnito, sed minus vniformi. Item ponderosius est æquiformi, sed minus vnito. Item æquale est æquiformi, ac æquè vnito: loquendo de ponderositate secundum speciem: & de pondere deorsum.

2\. Omne corpus æquè ponderosum specie, sed non mole æquali, in statera plus ponderat siue in aëre, siue in aqua, si est maioris molis: sed in motu deorsum velocius est, quod est minoris molis, siue in aëre, siue in aqua.

3\. Quod est ponderosius mole, potest fieri æquale in statera cum minus ponderoso secundum molem, & speciem in aere tantum. In aqua verò ponderabit magis, quod specie est ponderosius. vt plus lapillus vnius vnciæ, quam nauis mille talentorum.

4\. Ponderosorum eiusdem speciei ponderabit sursum magis illud, quod est maioris molis: sed ascendet citius quod est minoris diametri eiusdem figuræ.

Figura enim non confert corporibus vt ascendant, vel descendant, sed vt facilius & citius ascendant, vel descendant. Lata enim figura atque longa descendit ascenditque tardius: acuta, rotunda & stricta citius vtrunque facit: & facilius, nisi mistura aeris pluris impediat, vti declarabimus. Omne vnitium perforat, & separat minus vnitum, vt calybs metalla, & clauus parietes per se loquendo, sed per grauitatem acquisitam à malleatore: sicuti trochus per acquisitum impetum & vim mouetur, donec resistentia aeris, & ponderis aliorsum vim illam non perimunt. vt infra.

Rationem grauitatis & leuitatis in corporibus sumendam esse ab vnione materiali, & vniformitate formali: & ab expansione materiali, & difformitate speciali, & à mistura istarum affectionũ iuuantium, vel impedientium propensiones ad centrum, & ad situm. & examen Archimedeorum, & aliorum philosophorum, insufficiens esse.

QVoniam vnitas diuinissima est rerum causa, necessario est & cõseruationis causa: quapropter vt systemata conseruentur, omnia corpora tendunt ad mediũ, faciuntq; circularem figuram, qua æquè ad mediũ, & à medio se habent. Medium enim est vnitas & centrũ omnium. Igitur quo viciniora sunt centro, eo sunt quietis fruentiora; quo longius, eo motus indigentiora, vt ad centrum vadant quietemq; sui. Dico autem sui, quoniam totius deinde possunt motu affici. Quamquã omnia appetãt centrum, haud tamen appetunt centrum ratione centri, sed conseruationis in suo toto. Totum autem seruatur partium ea dispositione, situque, quæ conuenit vnicuique ad suas functiones pro salute propria, atque totius. Quapropter diuersas formas sortitæ sunt res vnius systematis, ad diuersas functiones, quæ non nisi in diuersis propriisque sitibus cõmodè fieri queunt, vt partes animalis quamuis omnes tendant ad vnitionem in Toto, tamen insuper ad propriũ situm simul feruntur, quem requirit speciei, & configurationis totius ordo.

Ratio ergo, qua quædam sunt specie erga centrũ ponderosiora, est partium vnitio, & vniformitas. Ratio verò, qua secundum molem sunt ponderosiora, est partium multitudo eiusdem speciei, & vniformitatis ad vnionem collecta: nam si sparsa est, ad centrum tendit minus, quoniam à partibus laxioribus retinetur magis. Manifestum est.n. quod scobes plumbi & auri, & puluis terrę, non ita facilè descendit in aere, sicut lignum quo plus crassarum partium habet, quam scobes auri: sed in aqua non descendit sicut scobes auri, quoniam habet inclusum aerem, qui submersioni repugnat, cognati aeris gaudens contactu, & situ: qui nimirum maior est, quam crassities, mersionem optans: vnde expresso aere per intrusionem aquę, aut combustioné ligni, & lignum & cinis ligni submergitur. Aer autem ligni non grauabat in sua sphæra vti Arist. putat: imò potius grauaret deorsum, si vera est positio Aristot. quod propterea omnia elemẽta, excepto igne, grauent in sua sphæra, quoniam, sublata aqua & terra, descendit aer & aqua, non autem ignis. Ergo si grauat aer etiam in aquas; quando lignũ ad superficiẽ aquę peruenit, nõ amittet grauitatem per copulam aeris: à grauiusculo enim aere iuuabitur crassities grauis ad submersionem. Ergo ratio, qua descendit aer, sublata aqua non est aeris grauitas, sed ratio prohibendi vacuũ, & amplificandi naturam. & hoc idem faciet ignis. similiter positio Democr. causam huius accidentis ignorat. Si enim vacuũ immobile est & impassibile; non grauitat, neque leuitat: igitur cum peruenerit lignũ ad aquas, descendet. Vacuitates enim non trahũt sursum, neq; deorsum: atoma verò omnia grauia: nisi plus atomorũ minus grauiũ ponat Democr. in ligno, quam grauiorũ: Sed profectò occlusis poris ligni per picem, non faciet aqua impetũ ad extrusionem ligni sursum. quoniam minus grauia solum extruduntur per contactum, vt Lucret. docet: non enim agit in quod non tangit. At crassitiem ligni grauiorem esse aquis non modo ipsa vnitas, & pondus docet, sed etiam putrescens lignum & cinis eius, qui subito immergitur.

Opinio Archimed. quod ea mergũtur in aëre, quæ sunt specie grauiora aëre: & ea in aquis, quæ specie sunt grauiora aquis, non potest stare cũ opinione Democriti, neque cum nostra. Democrit. enim species non dat, sed concretiones atomorum grauium omnium in varias consistentias & apparentias: quapropter quæcunque sunt absolutè grauia, ea sunt etiam specie grauia apud Democr. si suis stet in principiis: ipse enim res cunctas fa-

citatomorum grauium congeries: quæcunque ergo plura atoma continent, ea grauiora sunt. Vacuitas enim non trahit, nec se mouet, nec mouetur, sed potius attrahit ad se, sistitque res, repleri auida. Vnde miror quomodo Galilæus simul Democritum, & Archimedem sectatur, quorum positiones sunt incompossibiles. Cum nostra etiam sententia Democr. pugnat. Nos enim non retineri lignũ in aqua à vacuitate, neque ab aëre quatenus corpus est graue; sed quatenus cognatione sua gaudet. Ergo non materialis sed formalis causa ponderis valet in hoc asserto.

Ratio, qua ponderant magis in aëre, & aqua quęcunque sunt specie grauiora, est vnitas & vniformitas. qua verò, quæ mole maiora sunt, pluralitas vnitatum, vnita. Nisi enim vnita sit, aliquo pacto non ponderabit. Vnde Arist. cum probat contra Democr. quod plus pondera ret plurimus aër, quam modica aqua, si solidi copia plus grauaret, nulla est. non enim grauat plus, nisi vnita: quæ enim diuisa sunt in atomas particulas, facilè extruduntur à grauioribus, & retinentur ne deorsum eant à suppositis: non quidem vnita vt nubes, sed saltem vt nix. ex participio enim vnionis habent, vt ad centrum vnionis eant.

Et propterea diximus, densitatem subesse, erga centrum accurrentibus cunctis, & supra densitatem posuimus lentorem, supra lentorẽ, mollitiem: supra hanc verò, viscositatem: super viscositatem, fluorem: super fluorem, liquorem, super liquorem, fumum, super fumum, vaporem; super vaporem, tenuitatem, gradatim, prout plus recedunt ab vnitate, quæ facit densitatem. Hunc ordinem accidit non obseruari, cum aurum præponderat ferro densiori se, quoniam ferrum non est vbique vniformius, sicuti est ex parte vnitius: similiter in ligno densiori cum supernatat aquis molliorib. quoniam lignum non est æquè densius: & aere insuper est plenus, qui tenuis cum sit & plurimus, vincit corpulentiam admixtam sese mergentem: at hebanum lignum densum aeris minimam copiam in se includens, submergitur: vnde intelligas ordinem grauium secundum accessum, & recessum ad vnionem, non seruari in corporibus propter mistionem multorum simul corporum diuersarum consistentiarum; quarum quæcunque vicit, trahit adgnatam ad situm naturale proprium suum ex prædictis vnum.

Vnde etiam cognoscimus quamobrem Trabes lignea mille talentorum non submergitur in aqua noningentorum talentorum: non quia non sit specie, & mole grauior in sua corpulentia, sed quia continet in se plus aeris, quam crassitiei. Crassities enim trabis est etiam specie ponderosior crassitie aquæ, nedum mole: sed retinetur illa ponderositas à grauitate coniuncta formali inclusi aeris. sic vter plenus aere eadem difficultate retinetur sub aquis ne emergat, ac plenus aqua retinetur in aere ne descendat. Par quoq; difficultas ad mergendum illum in aquam, & ad subleuandum istum in aerem.

Itaque inuenta est nobis via ad excludendas grauitates molis, & speciei Archimedeas. idem enim est graue specie, atque mole simpliciter consideratum, sed cum mistione non idem. Quapropter talentum ligni grauius est simpliciter vncia plumbi tam in aere, quam in aqua: sed tamen in aqua prohibetur grauitas ligni ab immisto aere ponderante erga cognatum, amatumque aerem. Palam enim est, quòd etiam plumbum in laminas concauas sparsum, non submergitur, quoniam aeris admistione prohibetur descendere, vt etiam Galilęus concedit; sublato autem aere mergitur statim repletum aqua, non quia aqua grauat suo in loco, sed quia plumbum vnitius aqua, grauat magis, nec prohibetur. similiter lignum, imbibitũ aqua, mergitur, & Ens omne aqua vnitius, si excludatur ab eo aer. Nec quidem nauis submergitur, quia repletur aquis, cum hoc euenit, sed quia præter lignum aeris plenum implantati, habet clauos ferros, & res alias aqua crassiores, & aeris minus plenos. At si facias nauim ligneã cum clauis ligneis, repleta aquis neutiquam submergetur, quamuis tantillum descẽdat priuata aere libero, quo eleuabatur. Nunc autem implantato solo tenetur: quo deinde expresso putrefacta, descendet. vnde naues nouas siccorum lignorum veloces in mari experimur, veteres verò pigras, incipiente aqua aeris locos subire, aerem verò incrassare implantatum. Plurimum idcirco nocet nauigiis nudari pice cæterisq; rebus poros obstruentibus aquę penetranti.

Denunciamus ergo, quæcunq; sunt in aere grauiora esse etiam in aquis, si purè & non mistim considerentur. & quæ absolutè, & secundum molẽ sunt grauiora, esse etiam secundum speciem. Talentum stuppæ grauius libra auri, vbique dicimus, prohiberi tamen, ne immergatur ab imbibito aere, & à partium dissolutione, quæ sparsim, & non confertim, seu pluralitate, & non vnitate impetum faciunt ad scindendas aquas: sublata autem hac prohibitione, facilius descensurum oportet, ad gradum sui situs, qui nimirum debetur inferius lentori stuppeo, quam liquori aqueo. *Maxi.*

Ratio, qua minus quantum eiusdem speciei citius deorsum fertur quam maius, & cur in aqua minus grauant omnia, quã in aere, & quę Archana ex his eliciantur principia Mechanicorum.


At quidẽ de motu grauiũ altera doctrina addenda: nõ enim quæcunq; grauiora sunt mole, aut specie in statera, eadẽ sunt velociora in motu, tam in aqua, quã in aere. Immò probauimus vnciam plũbi velociorẽ libra ferri, & libram ferri quatrilibri pila ferrea eiusdem figuræ: ergo proculdubio asserendũ, ad motũ requiri non solũ grauitatẽ, sed simul scissionẽ medij, & extrusionẽ partiũ suppositarũ ipsis mobilib. Hoc autẽ facit magis, quod vnitũ, ac vniforme est magis, atq. minoris insuper molis: vt. n. scindat, facilius est quod vnitius, & penetrãtius: vt autẽ extrudat id aptius est, quod pauciores expellit partes: facilius. n. est sursũ impellere paucũ, quam multũ, ergo quod specie est grauius. i. vnitius & vniformius, id facilius scindit. proptereà aurũ facilius quam æs findit aerem. At pila semuncis auri facilius etiam findit, quã pila aurea quincũcis, quoniam strictior, & vnitior, sicuti clauus acutus facilius penetrat minori vi adactus, quàm obtusus paulo maiori. Minor enim pila ad acumen accedit magis: vnde quo maiores sunt sphęrę, eo obtusiores, adeo quod eorũ rotunditas non discernitur, vt patet in terræ rotunditate, ac multo magis in cælesti, si quis super cælos tanquam solidos

ambularet, eorum rotunditatem nullo pacto diiudicare posset, sed planum esse putaret. Ergo ex hoc satis liquet, pilam minorem penetrare facilius quia acutior est. Item facilius attingere terram de alta turri præcipitatam, quam maior, quoniam super minus aeris sursum extrudit findendo, minusque impedimenti sortitur. Hoc autem non discernitur bene, nisi multa ex altitudine deorsum ferantur, vt excrescentia appareat: quæ in medio motu apparentior, quoniam quo magis ab immoto recedunt, plus motionis acquirunt, vt in leua & in statera manifestatur.

Hinc illa Archimedis sapientia, qua quantum argenti, vel æris mistum aureæ fuerat coronæ, deprehendit. Fabricatis siquidem pilis duabus altera argentea, altera ærea eiusdem ponderis cum corona, impositisque singillatim in vase aquis pleno, metitus est quam minus aquæ aurea pila extrusit, & quam plus argentum. Mox repleto vice tertia vase aquis, imposita corona extrusit medium inter aquas vtrasque extrusas ab argentea, & aurea: vnde quantum argenti additum fuerat proportionaliter, intellexit, probauitque. Idem facilius agnosces si auream coronam mistam argento ponderabis, cum alia corona de puro auro fabricata eiusdem ponderis in aere. Mox si intra aquas ponderabis easdem, inuenies impuram minus grauare, quæ æqualis erat in aere. tunc adde impuræ tantum puri quantum sufficit vt fiant æquilibrio, mox ab aqua extractis; aurum illud pondera super additũ, & tunc intelliges tantum in Coronæ fabrica defraudatum fuisse, seu tanti ponderis fuisse argenti misturam. Idem in cunctis metallis admisturas agnoscendas analogicè experiantur prudentiores Mathematici.

Quæritur autem cur ferrea pila, in aere vncias ponderis decem, atque nouem habens, in aqua vndecim tantummodo grauat, & sic de cæteris metallis pro sua rata.

Resp. quod & aqua difficilius scinditur, difficiliusque extruditur ob sui crassitiem, & in ferro partes aereæ inclusæ, seu implantatæ aliquo pacto repugnant descensui: comprobat rationem aurum, quod quidem in aere est 67. in aqua vero 66. & quidem præ cæteris metallis, & lapidibus minus ponderis variat in aere, & aqua aurum, quoniam vniformius cæteris: quod si detur aliud metallum vnitius, atque vniformius, illud profectò variabit longe minus.



Positiones Archimedis de his quæ natant in aquis, defensæ per Galilæum exemplis, & rationibus.

Solidum grauius aquis secundum speciem, immergitur; minus graue emergit, & natat: æquale æquilibratur, vbicunque ponatur,) Indigent examine.

Non enim potest esse minus graue, nisi quod tenue magis, minusque crassum; ligna autem omnia sunt crassiora aquis, ergo & specie ponderosiora; aliquando etenim mole, vt cum trabes centum talentorum ponitur in aqua nonaginta talentorum, vnde mirum quomodo non immergatur.

Resp. amicus Galilæus, quod pondera inæqualia possunt in statera æquari, addendo minori momenta, seu vires. siquidem pondus vnius libræ si ponatur in brachio steteræ longè à centro ponderis decem partibus plusquam pondus nouem librarũ appensum ex altero brachio, fiet æquilibrium, quoniã distantius à centro velocius mouetur, & velocitatis momenta addita æquiualent maioritati alterius ponderis vt nouem.

Et potest probari hoc, quoniam si duo lapides diuersorum ponderum à viribus inæqualibus proiiciantur, itaut maior virtus maiorem moueat, possunt æquali tempore ad scopum peruenire, si alia non obstent; sic ergo quasi in statera aquis, & solidis impositis, fieri putandum. & tunc si motus eleuationis resistentis aquæ momenta sunt, seu vires, maiores viribus seu momentis solidi grauantis deorsum, tunc natabit solidum; si minora, mergetur; si æqualia æquilibratur. Et quidem accidit, vt aliquando aqua eleuata à solido immerso sit minor pondere, ac mole, vbi vas est angustum, & aliquãdo eleuet solidum maius, vbi momenta sui motus sunt maiora: moles enim aquæ eleuatæ in immersione & depressæ in emersione solidi, non est æqualis toti portioni solidi immersæ, vel emersæ, sed illi tantum, quæ remanet sub libella 1. aquæ vel supra, vt in præsenti figura. Vbi aqua C. in mersione solidi A. B. ex prima libella D. eleuata ad 2. libellam E. non est æqualis portioni solidi A. B. sed solum portioni B. quæ est sub libella D. ergo cum eleuatur solidum Cylindrum ex aqua, depressio aquæ habet eandem proportionem ad eleuationem Cylindri, quã basis cylindri ad aquam circumfusam, vt si sit putei amplitudo ad columnæ immersæ crassitiem octo vicibus maior: Piscinæ verò ad eandem viginti quinq; vicib. maior; tunc si columna eleuetur vlna vna in puteo, deprimetur aqua putei septem vlnis. In piscina verò vigesima quarta parte vlnæ deprimetur.

Hinc sequitur quod Cylindrum minus graue formaliter, quam aqua, vbi totum circumdatur ab aqua, quamuis molis, & ponderis minoris ad cylindrũ, necessario eleuatur, quoniam maior est proportio ponderis absoluti aquæ vnacũ momentis adscensionis eius, quam ponderis absoluti ipsius Cylindri cum momentis resistentiæ eius tardæ ad eleuari sursum.

Præterea solidorũ absoluta pondera habent proportionẽ compositã ex proportionib. grauitatũ formalium, & molium eorundem. Igitur non eleuatur

lignum cylindrũ minus graue formaliter antequam infundatur tanta aqua, quanta eius grauitas, & tunc fit ęquilibriũ. At si quid addas, eleuatur; quoniã vi vincit etenim pondus absolutũ: ergo quando moles tanta aquę, quanta est summersa pars cylindri ponderat absolutè, quantũ tota moles solidi cylindri, tunc eleuatur solidũ; & idem facit aqua multa & modica: nam modica citius descẽdit, quã magna, & momenta plura eius motus addunt pondus modicæ ad impellendũ sursum, quod tarditas multæ descendentis non facit; vt patet in exemplo staterę. Propterea grauius formaliter solidũ non potest vnquam eleuari à quantacunque aqua, si nec æquale eleuatur, nec minus, antequam aqua præponderet immersæ moli, quando pondus eius absolutũ maius est, quam pondus molis aquæ æqualis moli ipsius solidi. Aqua autem nimia, quæ additur non mouet solidũ sursum, quoniã non tota in ipsam agit; sed illa tantum quæ continetur inter duas superficies horizonti æqui distantes interq; se Paralellas, quę comprehendũt, concluduntq; altitudinẽ immersi solidi.

Confutandi veniunt Archimedęi Democr. propterea, quòd non cognouerunt pondus ad vnionem, & pondus ad situm distinguere in natabilibus.

At quidem in multis videntur delinquere Archimedæi Democratici, propterea, quòd non agnouerunt pondus ad vnionẽ, & pondus ad situm, distinguere; putaueruntq; omnem emersionem, & natationem esse extrusionẽ; verumtamen nec rectè dixerũt, quòd aqua nil sola impositũ corpus, minus graue formaliter, expellat sursum. Aqua.n. cognatæ aquę mista non tendit sursum, nec deorsum, licet tota moles aquæ semper deorsum vergat: vnde ergo est quod impositum lignũ sphæricum in medio aquę altitudinis extrudatur sursum? non quidem à partib. aquæ superiorib. quę potius supergrauant deorsum, nec ab inferiorib. quæ etiam deorsum inclinant, nec pellunt: ergo ab his quę ambiunt solidum, vt dicit Galilęus, sed hæ non quæritant amplius descendere, nec ascendere, cum sint inter cognatas aquas, nec habeant sensum Galilęo, inimicũ ligno, in quod merito agant; sed omnẽ extrusionem faciant grauitando magis, non autẽ premendo & impellẽdo sensualiter: ergo oportet aliquid tribuere substantiæ ligni cupientis ire sursum ad cognatũ aërem, faciens principiũ motus, quã tamen iuuet mox aqua: Nam & natantes homines, cum faciunt impetum sursum, ab influentib. subtus aquis statim subleuantur; si autẽ nihil per se operarerur lignum ad sui emersionẽ, non subleuaretur: nec .n. homo non facto impetu à se, iuuatur ab aquis ad emersionem, nec lapillus vnius grani emergit, quoniã non habet aërem implantatũ emersionis auidum.

Præterea nõ rectè dictũ videtur, quod trabes mille librarũ eleuantur à centũ libris aquæ extrudentibus propter momentorum additionem, quæ super mille magnificant aquæ pondus; quandoquidẽ videmus nullã commotionẽ, à qua acquirãt momenta, patientib. aquis, sed solummodo dexteritate leni impositũ solidum per se natare. ergo eadem ratione, qua nunc natat nil cõmotis aquis, emergit etiam ab imo aquæ, & non ab extrusione ponderis agitatę aquæ, per momenta magnificati, sed per naturalem amorẽ ad propriũ situm ipsius solidi: Manifestũ est etiam quod posita pila lignea in aquæ fundo, ac retenta dexterè donec aquarũ agitatio, & momenta quiescant, etiam sursum emerget pila, quamuis maior pondere absoluto, quã aqua, ergo momenta illa sunt fictitiè. Nec verisimile est, quod ait, tardius resistere pondus mille librarũ solidi ascensioni, quã est velocitas centũ librarũ descensioni: Nec verum, quòd aqua minor velocius descendat, quã maior in breui via. Nam si descensio est à grauitate, & maior aqua est grauior, ergo velocius descendet, quã minor, vel æquè velociter, vt Galilæus ipse docuit contra Aristot. Nos autẽ inuenimus insuper, quòd minoris molis pondus velocius descendit, quoniã minus medij extrudit, & quia vnitius findit etiam magis; & hoc cum à loco valde eminenti præcipitantur simul; nec quidem per duas vlnas altitudinis discernitur, quam velocius descẽdit, sed propè medium 20. vlnarũ, magis autẽ in fine quando crassiori pilæ resistit plus aëris, & aquæ. At in vase modicæ altitudinis pauca aqua Galilæo non efficiet, quod ipse decernit: imò citius à principio descendit, quod grauius in eadẽ specie, mox extrusionis, & fixionis succedente maiori negotio, retardatur magis. Ouũ quoque ab imo aquarũ salsarum ascendit sursum nil commotis aquis. Ergo non præstant momenta illa emersionẽ, sed natura mobiliũ, & propensio ad cognationẽ. Videmus quidem in salinarũ aquis ouum non natare, quoniã compositæ sunt ex dulcib. & salsis, dulces autem superiores sunt, salsę inferiores, mediæ vtrarumq; participant dispositionẽ: quapropter ouũ non natat, sed immergitur vsq; ad medias aquas, vbi à salsis sustinetur, & à quibus subterpositum emergit, vt clarè videas iuxta crassitiei maioris ac minoris proportionem, locari corpora ad imum. Ouum verò eleuari, quoniam album & luteum eius sunt specie leuiora salsis, & crassiora dulcibus: cortex enim contenti sectatur naturam, vnde plenum rore putamen oui positum ad solem per hastam subleuatur: attenuato enim rore superaque petente regionem, cum sit aëre tenuior eius tenuitas, simul & putamen modico innixu hastæ eleuatur. Porro per Archimedis potissimum argumentum ex ouo sumitur, quod ab imo salsarum ascendit, non autem dulcium. Ergo nihil non habent illis datum præter crassitiem, & calorem: Calor autem non sustinet in aqua res planas, vt putat Democritus suis atomis in planum confertim exhalantib. quemadmodum feruor ollæ sustinet fabas, & crassas res; non enim talis vapor feruens effertur è salsis, neque si efferatur, nostro satisfaciunt sermoni: etenim nedum laminas sustinet in superficie, aqua; sed etiam pilas ligneas, & ouum, quod insuper in fundo positum spontè emergit, nullis igneis atomis ipsum eleuantibus, sicut fit in exortu caniculæ, & in aheno feruenti,

Probabimus etiam, quòd lamina aurea, cui acinum plumbi est annexum, ita vt fiat paulò grauior aquis, submergitur, non secus ac pila cerea eiusdem ponderis: quod non eueniret si atoma ignea laminas sustinerent, in sphæricis eiusdem speciei. si calor non sustinet, ergo extrudit. At nec crassities Democratica expers sensus, & actionis, quæ nimirum nihil agit in ouum; sed stringit tantummodo. at multo plus grauat aqua superior, quam inferior, cum nulla sit in fundo, cui appono ouum quæ pellat sursum. Ergo refugiendum est ad situs amorem, & ideationem oui, & vtrarumq; aquarum:

magis enim expelleret inferior aqua lapillum ſurſum, quam ouum, niſi natura oui, pro lapilli ingenio ſitum ſupra ſalem aptaret. Et ſi verum, quod ferunt de ferro natante in Aſphaltide, quam hiſtoriam Galilęus negat, profectò affirmandum, non eſſe aquam illam, ſed fluorem mineralem, ſic ſe habentem ad ferrum, vt ſalſa ad ouum.

Exemplum ſtateræ non ſufficere ad probandum, cur minoris ponderis aqua eleuet lignum maioris.

At quidem exemplum ponderum in ſtatera non videtur adaptari aquæ & ſolidi motionibus, vt dicebat Galilęus: etenim cum ſolidum, & aqua non ſe ſe ponderent in eodem centro ponderis, neque alterum magis, alterum minus à centro ponderationis diſtent, non eſt vnde fiat diuerſitas momentorum. Propterea enim inſuper pondus minus, quod pendet à brachio longiori à centro ponderum ſtateræ, diſtantius exiſtens eleuat maius vicinius centro vel æquat: quoniam deſcenſio ſua minus retinetur, maioris vero ponderis retinetur magis, quominus deſcendat: omne enim centrum vnitiuum eſt ac quietatiuum eorum, quæ ipſi innituntur: quapropter minus motionis participant, quæ ſunt quieti propinquiora, & ſuſtentaculum minus quæritant, quæ ſuſtinenti ſunt propinqua magis: propterea enim & in rota cum voluitur, minus agitationis, ac motionis habent partes propinquiores centro, quæ autem circumferentiæ, mouentur plus in eodem tempore. Præterea & qui gladiatoriam exercent, experiuntur: quod ſi hoſtis feriat gladium in parte propinquiore ſtringenti pugno, minus vacillat manus, & gladius minus fertur eo, quo cupit antiagoniſta: ſi autê iciat extremitatem gladij à manu diſtantiorem, impellit facilè gladium quocunque ſpectat ictus: ſimiliter & qui leuant pondera pertica, quam vocant leuam, ſubterpoſita ponderi, ſuppoſitaque robori, premendo hinc ipſam deorſum, vt leuet illinc ſurſum. paucioribus viribus ſubleuant, ſi præſſerint extremum perticæ, quam medium, quoniam medium vicinius eſt ponderi tollenti motum: extremitas vero diſtantior: cui proinde plus motionis poteſt communicari: cuius quippe aptior eſt ad motum expeditiorque ſubſtantia: vtque fiat huius depreſſio, & ponderis illinc eleuatio: eſt enim robur interpoſitum quaſi centrum leuæ, vt in ſtatera, id, vnde brachia vtrinque pendent.

Verumenimuero quo pacto aquis & ſolidis impoſitis iſta ratio conueniat, vix intelligi poteſt in cunctis: niſi forte in hoc, quod ſicut pondus minus deſcendendo facit maius aſcendere propter colligationem in ſtateræ brachiis, ſic aqua deſcendens pellit ſurſum cylindrum. At iſta pulſio non datur, vt à principio dubitamus, niſi & quod pellitur, ſit aptum formaliter aſcendere, alioquin & grauiora formaliter, ſed non abſolutè leuiora pellerentur, & lapillus magis quam ouum.

Igitur ſtat inuicta ſententia, quod plus ponderant, quæ denſiora deorſum: quod ſi contrarium accidat, ab immiſto leuiore aëre, accidit, vincente per ſuam tenuitatem ſpiſſioris corporis craſſitiem: cui debetur centrum ob ſui maiorem vnitionem: hypoſtaſis enim & nubes dum natant, ſi vniantur, acquirunt pondus: ſic etiam ſi exprimatur aër, vt dictum eſt prius: vnde quando in hebano tenuitas non ſuperat denſitatem, quoniam in minerali terra naſcitur hebanum, vt iam probamus in agro Stylenſi, ſubmergitur, & corpus viuum mergitur, quoniam ſpiritus non eſt tantus qui carneam molem oſſeamque ſuſtineat. At cadauer natat, non ſubito, ſed vbi cæpit putreſcere: & concentratus calor tenuitates gignere plurimas in toto cadauere: & dum natat ſeruat ſitum, quem in vtero accepit, ſicut & bacillus ferreus natans ſuper ſubere, ad ſitum ſuæ originis ſe ſe adaptat.

Glaciem, Grandinem, & Niuem, non propterea ſupernatare, quod ſunt aquis rariores, vt putat Galilęus: ſed alia ratione.

Sed contra ſententiam noſtram videtur Galilęi exemplum de glacie, quæ ſupernatat aquis, cum tamen ſit denſior, & vnitior illis. Galileus tamen putat, propterea glaciem eſſe rariorem & leuiorem proinde aquis, ac ſupernatare, quod dum glaciatur, aſſumit maiorem ambitum, ac locum, & leuitatem. Nos autem id aſſerere non poſſumus, frigoris enim opus eſt glacies, non caloris. Frigoris autem eſt condenſare, ſtringere, & immobilitare: Caloris vero rarefacere, & mouere: quapropter non rectè vtrumque datur frigori agenti contrario: At ſi frigus Galilęo videtur eſſe priuatio caloris, profectò idem ſequitur: ſicut enim præſentia caloris rareſcunt aquæ, ita eius abſentia condenſantur, & glaciantur, vt patet cum liqueſcit metallum & vitrum, & cera, abeunteque calore denſantur. Durities quoque idem Galilęo oſtendere debuiſſet in glacie: propterea enim dura non cedunt tactui, ſicut liquida, mollia q; quod illa vnita ſunt, vt vniri plus non poſſint ad tactus compreſſionem, iſta vero expanſa vt poſſint: conſtat autem, glaciem duram à calore emolliri, expandique, ac rarefieri. Quod ſi Galilęus putat, frigus etiam eſſe atomorum obtuſorum congeriem, vti calor videtur congeries acutorum Democrito, tunc ſequitur, quod & calor & frigus inſinuata conſolidant: replent enim vacuitates ſua immiſtione, vel vterque rarefaceret, ſi intrando aperiunt, ne dum replent.

Ratio Galilęi non vniuerſaliter vera eſt: etenim Ariſt. narrat, piſcatores aquam in arundinibus calidam congelare ſolitos, vt loco plumbi retia grauantis, non ſuberis leuantis, ſeruiret in piſcatione. Galilęus autem reſpexit ad glaciem, quæ fit ex aquis ſuperficialibus, quæ ſemper ſunt leuiores imis ob tenuitatem propriam, & aëris commercium, & miſturam: ſed ſi arte aqua calida congeletur per expreſſionem aëris, & frigoris faciliorem intruſionem, erit ponderoſior, non natans: ſimiliter, ſi ima aqua glacietur: nix enim etiã propterea natat, quod tenuitatis eſt plena, vt patet cum ſecatur fumeſcens: & eius indicat albedo, & mollities. Non ergo habet leuitatem, vt putat Galilęus à raritate & à frigore, quod nimirum in aëre denſat vapores leues in niues, & grandines, redditque graues, quos potius leues faceret, ſi calori in rarefaciendo æquaretur: Grandines quoque natant, ſed non æquè ac nix: grauitant enim magis, quoniam tenuitatis plus ex eis cum concreſcerent, in tonitrua exhalauit. At, quoniam in aëre gelantur, aëreæ tenuitatis expertes non ſunt, immò ampullas aëris plenas infra glaciem inſpicimus, itaut quaſi pumex ſit, cuius

est natare in sua mole: in puluerem vero actum submergi.

Quod autem asserit Galileus plus esse in congelata aqua, quam in liquida, non rectè dictum puto: nam cera & metalla, & quæcunque liquescunt, manifestè docent augeri molem in liquidis per rarefactionem: minui vero in congelatis: sed fortè Galilæus argumentum sumpsit ex eo, quod glacies dum liquefit à calore blando, minoris fit molis, vbi deceptionem interuenire puto: dum enim liquescunt partes crassiores, aquæ minus crassæ ne dum liquescunt: sed etiam rarescunt, attenuantur in aërem: ampullæ etiam sic euanescunt. Idem enim calor in dissimilare corpus, dissimilarem facit actionem effectumque. Quapropter crassiores videntur postmodum esse minoris molis, cum aliquanta mole priuatæ sunt: quod & metallis euenit cum liquescunt: fiunt enim minoris ponderis, aliqua etiam molis, vt vicina hydrargirio. Aurum vero auget molem non tamen pondus dum liquescit, nisi forsan ob calorem sic videtur, qui leue facit: nam cum rursus coierit in seipsum, pondus habet quod ante. Haud tamen concedam, quod dum glaciatur aqua assumit molem maiorem: nam cum vapor fit aqua, minuitur mole, & cum plus ergo glaciatur, plus minuitur.

ARISTOTELIS SENTENTIA,
quod figura corporum sit causa natandi, & descendendi in aqua, quàm modico examine erroneoque prolata sit.

PARS QVINTA.

CAP. V. ARTICVLVS I.

DICEBAMVS quidem figuras motui præstare commoditatem, & incommoditatem, non autem descensionem, & ascensionem: quod etiam Aristot. in cap. vlt. proposuit: sed in dogmate non stetit. Statim enim sui oblitus dixit, fieri motum à virtute mobilis, & diuisione medij: vbi enim mobile potest diuidere medium, mouetur ergo magis in magis diuisibili, vt magis in aëre, quam in aqua. Ergo quia planæ laminæ multam comprehendunt aquam, non possunt illam diuidere: idcircoque natant: grana vero ferri rotunda, & acus longa modicam comprehendunt, propterea non habent in diuisione repugnantiam: arenulæ autem natant, quoniam grauitas earum ad diuidendum non est maior potestate medij ad resistendum ne diuidatur.

Sed omnino fallitur Arist. Si enim figura ascencensionis, & descensionis causa foret, tunc eadem cera sphærica submergeretur, & in laminam sparsa nataret: & quidem vtraque natat: at si addas illis plumbum quantum dimidium medij milij, submergitur vtraque: ergo aliunde, atque à figura, & sectione medij, est adhuc quærenda causa: nam & detracto plumbo vtraque ex fundo emergit similiter. Item pila nucea è fundo emergit, & hebena eiusdem diametri è superficie submergitur: At hebena lamina non submergitur: sed nucea lamina è fundo emergit: quod nequaquam eueniret si figura plana retineret laminam hebenam, quoniam non potest findere aquam, vt Aristot. putat: eadem enim ratione nucea lamina è fundo non posset eleuari, quoniam non potest findere aquam. Præterea, pyramis cypressina, dum natat, æquè penetrat basi aquam, atque cono: ac tantundem se profundat, & vtræque in profundatione partes sursum eminentes sunt æquales mole: similiter duo cylindra eiusdem materiæ natabilis, alterum longum & gracile, alterum crassum & breue, si erecta ponuntur in aqua manifestant, quod eadem quantitas vtriusque proportionaliter mergitur, & supereminet: ergo figura nil operatur. Præterea, lamina aurea, quæ vicecuplo grauior est aquis supernatat: lamina vero cerea supposita aquis non subsidet sed emergitur, quæ tamen vix cedit aquis in grauitate: ergo si figura impediret ponderosissimo auro descensum, multo magis non leuissimæ ceræ impediret ascensum: quod tamen non facit. Non ergo figura impedit descensum auro, aliisque corporibus, sed aliud: imò Galileus format corpora pyramidalia, quæ si ponantur in aqua, ita vt basis aquam tangat, merguntur: si vero vt conus, natant. Ergo figura nil præstat, nisi commodum, & incommodum motui, ait Galileus, non ascensionem, nec descensionem.

Præterea eadem lamina natans diuisa in partes breues, ac strictas, oporteret submergi, quod tamen non accidit: sed æquè omnes natant: ergo non est figura plana, ac longitudo causa natandi. Acus quoque superpositus aquæ cum dexteritate, natat. Ergo Arist. errauit prorsus: cum autem Peripatetici adducunt hebanam tabellam natantem & pilam hebanam eiusdem ponderis se immergentem, vt à figuris probent rationem natandi, & descendendi, videntur nil peritè probasse. Nam tabella si vngatur aqueo humore descendit, separata nempè ab aëre, non quia aqua ipsam grauat, cum nec pluribus plumbi frustulis, & aquæ guttis non se tangentibus tabellæ appositis desuper, immergatur: at si vna modo earum guttarum liniatur tabella, mergitur: ergo diuisio ab aëre facit mersionem: ipse quoque probaui spinam echini marini totam submersam, sola basi eius aërem tangente, non potuisse profundari, & dum aquam agitarem, ipsam agitaui intra aquam, sola basi extra perseuerante, ac simul motum edente: at cum basim madefecissem submersa est tota simul omnino.

Cur, & quæ solida natent Archimedæis.

HAs ob res putant Archimedæi non descendere laminas, & zonas & acus, & vitrea ænea, fer-

reaque vasa propterea, quod ex eis, & aëre fit corpus vnum, leuius aquis: seu, vt ipsi volunt, minus graue: quandoquidem sola separatio ab aëre submersionem præstat: cumque viderent quasdam laminas aureas, & hebanas profundari etiam non desuper madefactas, quasdam vero natare, intellexerunt, nequaquam ex laminarum longitudine, aut planitie euenire, vt non profundentur: sed ex crassitie, seu altitudine, quæ est tertia quantitatis dimensio: quando nimirum tanta est, quanta potis est permittere tantam altitudinem aggeris aquei, qui solet fieri circa laminas impositas aquis, quæ capiat tantam aquæ molem, quanta æquilibretur pondere cum ipsa lamina: nam si sit vno tantum filo crassior, statim descendit, non autem si sit palmis multis latior, longiorque seruet tamen dictam crassitiem. Similiter aiunt, quoties excessus grauitatis solidæ laminæ, seu solidi cuiuscunque corporis super grauitatem aquæ, eam habet proportionem ad grauitatem aquæ, quam altitudo aggeris aquei ad crassitudinem, seu altitudinem solidi, eiusmodi solidum non submergetur. verbi gratia, quoniam aurum excedit vigesies aquam in grauitate, & hebanum octies, supernatabit aurea lamina, dum adeo gracilis est, quod eius crassities non excedat decimam nonam portionem altitudinis aggeris, & hebana dum non excedit septimam, quoniam ex lamina, & aëre intra aggerem incluso componitur vnum Ens, quod in grauitate æquale est moli aquæ, æquali cum mole talis compositi: ergo quoniam solida diuersæ molis si sunt æquè grauia commutata specie, sunt etiam absolutè: possunt fieri cuiuscunque materiæ pyramides, quarum basis non mergatur: sed solum tangat aquam, quando nimirum conus tantæ est grauitatis, quantam continet aqua, quæ è loco eius dimouetur. Item fiant pyramides aqua grauiores, quæ siue conum, siue basim deorsum vertas, natent. Item pyramides, quæ natant posito cono deorsum: merguntur vero posita basi, quoniam si conus est bis grauior aqua, & eius altitudo tripla ad aggerem, qui fit in circuitu, tunc tota moles composita ex aëre, & cono, erit duplex ad conum solum: & quia conus est duplo grauior, quam aqua, tunc tanta aqua, quanta est moles coni & aëris sub libella, erit æqualis ponderis cum cono: ergo fiet æquilibrium, & non submergetur conus, aquæ impositus. At imposita basi submergitur, quoniam moles aquæ intra aggerem capibilis cono, conus autem bis specie superat pondus aquæ, ergo descendet.

Præterea, idem potest fieri in omnibus figuris, vt beneficio aëris supernatent: quotiescunque aër est tantus intra aggerem, quantus cum solido efficiat compositum minus graue: quam sit tanta aqua in mole, quanta est moles solidi iam submersa sub libella superficiei aquæ.

Ex his deducit etiam Galileus, quod medij resistentia nulla sit: putat enim, æquè diuisam esse aquam atque aërem in atomas partes, & vtrumque esse atomorum congeriem, quæ nulli diuidenti resistat: sed tantum obstare obuiâ factas particulas vt huc atque illuc remoueantur, sicuti farinæ & arenæ mons diuidi non vult à palo & gladio, cum totaliter diuisus sit, sed contiguitatem segregari amplius, ne transeuntibus impedimento sit.

AEREM ET AQVAM NON ESSE *congeries atomorum: neque contactum solum aëris retinere laminas ne mergantur; neque madefactionem propterea efficere mersionem, quod separet solidum ab aëre: nec exempla Galilei probare, quod figuræ nil præstent mersioni, & natationi, & subdiuisioni aquarum.*

ARTIC. II.

VIS Æ tamen nobis sunt Archimedeorum positiones in multis optimæ, cum comprobant figuras non esse causas ascensus, & descensus: in quibusdam vero erroneæ, & in aliquibus insufficientes: non enim concedendum videtur, aquas esse congeries atomorum, ita diuisorum inter se, vti aëris particulæ.

Palam est enim, quod dum transit materia de vnitate ad quasi numerum, id est, ex densitate ad tenuitatem, gradus patitur diuisionis: primo enim lentescit, deinde mollescit, & viscosescit, & lubricescit, & fluit, & liquescit, & fumescit, & tenue fit: ergo duplo vnitior est aqua aëre: propterea quod ex vna parte aquæ fiunt duæ, vel plures aëris, vt experientia docet, & quinque ferè ignis. At si diuisa essent penitus, non posset ignis in minutiora corpuscula aquam vertere per subdiuisionem. At si dicat Galileus, diuisionem fieri videri: non tamen verè fieri, sed partes diuisas fieri per ignem distantiores: ergo inquam omnia corpora erunt congeries atomorum coniunctorum magis, minusque non continuorum: tunc quæro à quo coniunguntur, & separantur, à calore, & frigore, vti experimur? an ab amore, & odio?, si à calore & frigore, ergo, inquam, habent vim separatiuam, atque vnitiuam. Tunc quæro, habent ne vim hanc quatenus incorporeæ sunt virtutes, an quatenus sunt corpuscula Democraticis? si primum, ergo datur aliquid actiuum præter corpora, quod est contra Democ. & Galileum, dogmatis eius assertorem. Si secundum quia Democritus facit calorem, & frigus corpora, tunc intrudent se intra corpulentias alias, & potius replebunt, quam diuidant. Nec frigus faceret densiora: sed vel rariora, sicut calor, vel pleniora: similiter & calor pleniora: nec segregabit, sed replebit vacuitates solidorum suis acuminibus, minutisque portiunculis, vt farina lignis intrusa & arena maceriæ. Nec, vt ipse habitet ingrediatur, cum eius sit sursum ire: nec ergo candelam sub se vret, etenim cum eius sit extrudi sursum à grauioribus, quomodo se se ipse intrudet deorsum in grauiora?

Præterea si aqua esset atomorum congeries separatorum, non posset chartas compingere madidas quasi visco, quoniam viscositatis non est expers: ergo non est diuisa, nisi & viscum diuidas. Præterea esset sicut arenæ aceruus altus in medio in circuitu

depressior: quod repugnat experientiæ. Præterea cinis albus à calore, prorsus vincente, in minutissima atoma redactus videtur, sicut aceruus farinę fastigiatus, & compactus manibus, quasi figurari, retinereque figuram: in aquis autem id minimè fieri videmus, fiendum quidem magis: non enim habent minutiora atoma quam quæ ignis potentissimus facit in cinere. Præterea qua ratione atoma ponuntur diuisa in aquis, eadem & in cunctis corporibus, & in auro ponam: tunc mirum, quod tam difficilè diuelluntur: Galilęus autem facit exquisito ex tactu continuitatem: sed quæ virtus faciat exquisitum tactum dicere nequit, nisi ad primalitates recurrat, & odia & amores: quibus datis corruit philosophia Democratica. Item cum omnia atoma tendant ad centrum, & ignis penetrantior sit: plus ignis, quam terræ erit in centro mundi: nec posset extrudi à grauioribus, cum sit ipse potentior ad se se intrudendum. At licet aqua sit non satis diuisa, haud propterea vicit Arist. nam plus extensionis, & diuisionis non patitur à crassis solidis, sed ab igne: falli etiam videtur, dum docet, remoueri à secante solido aquæ partes, non diuidi: sic enim partes aquæ diuisionem non abhorrescerent: cuius contrarium mox demonstrabimus.

Item contra propria dogmata Democratica videtur tribuere aëris contactui prohibitionem descensus laminarum aurearum intra aquas: aër enim Democrito componitur ex paruis atomis solidis, plurimoque vacuo. Tunc quæro, quo retinet laminam aër, ne mergatur: atomis ne, an vacuo? non vacuo optante repleri, quoniam ab atomis ipsis potius repleretur per vnitionem. Item omnia corpora magis sursum, vbi est plus vacui, quam deorsum ferrentur. nec quidem retinet atomis corpusculis: cum enim ista sint ab inuicem segregata in aëre, Democrito, & plus cognationis habeant inter se, cum sint omnia aërea, quam cum auro, se ab illis sequestrante: quod solum ab igne pondus non amittit, testificans per hoc in se partes aëreas nullas habere: ergo propria cognatione affecta nil curabunt insequi aurum, & multo minus retinere ne mergatur, cum præsertim plus cum aqua, quam cum auro cognationis habeat aër.

Præterea cum sint vacuitatis plena inter se atoma, statim poterunt separari inter se, nec vllus fieret agger aquæ, cum aër cedat aquis grauioribus. Igitur non insequitur aër laminam auream: quapropter vel asserendum est, aërem non esse dispersa atoma, sed corpus continuum expansum, similiter & aquam, & sic erit ista subdiuisibilis, & expandibilis amplius: vel aliunde est quærenda causa retinentis aëris: Affinitatem, quam ipse inter corpora ponit, non declarat vnde sit, & quid sit: nec vtrum atoma aëris intrudantur in corpus auri, & quasi vncinis retineant, an solo contactu, & quanto, & quali.

Hinc quærendum, cur partes aëris carent mutuo contactu: si enim quia intercipitur vacuum: cum se se aliquando tangant, statim vnirentur, & fient compactæ, sicut in auro, & aliis corporibus: vacuum enim cum nil sit corpulètum tactum exquisitú non impedit, nisi vbi distant partes, alioquin nec partes auri vnitæ essent; si dicas diuersarú figurarum esse atoma aëris, ac proinde inter se copulari penitus non posse, quin intersit vacuitas: idem dicam de auri atomis: si respondebis, hæc esse inter se continuissima, & vnius figuræ, ego quoque idem de aëris pronunciabo, cum sit eiusdem specificæ cognationis, debere inter se continuissima esse, ac vi affinitatis sic copulari, vt disiungi amplius nequeant, nisi violenter, vt aurum.

Item cur magis viscum, quam affinitas partium copulet corpora, nec dicent Democratici recentiores Archimedæi.

Illud etiam valdè imperitè affirmant, quod gutta aquæ qua laminam auream illinunt, propterea est causa descendendi deorsú quod separat aërè à lamina vt putant, cum potius quod consociare deberet putandum foret, sicuti solet viscú: nam aqua & viscosior est, & aëri cognatior: imo humor ille modicus aqueus, quo linitur tabella, in aërem difflatur incessanter pedetentim, vt palam est ob contactum aëris; ergo magis vniret propter hoc aërem cum lamina: sicuti sanguis spiritum cum corpore. Præterea ipsemet Galilæus expertus docet, quod pila cerea paulo grauior facta ex plumbi mistura exigui, non descendit, dum aërem tangit: sed modicè madefacta statim descendit ab aëre separata: at cyathus deorsum inuersus aëre plenus si vsque ad pilam in imum aquæ mersam immittatur, ita vt aër tangat pilam submersam, iterum pila ascendet sursum, vnde concludit ipse quod aëris contiguitas est causa natandi: & nos, quod nihil obstet, pilam madefactam esse, quominus possit cognationem, & vnionem cum aëre habere: ergo fallaciter scripserat, quod humectatio tabellæ aureæ separat aërem à tabella, mersionique aptam facit.

At neque simpliciter pronunciandum erat, ex hoc, quod aliqua pyramis mergitur cono potius, quam basi, figuram nihil valere ad descensum, neque vt cócausam, neq; vt causam: sed tantúad tardandum, vel accelerandum descensum: vtrique enim valet vt concausa. Natatio enim status est super aquam: mersio est motus: celeritas autem, & tarditas motus sunt ab his extremis, sicuti fuscum, & pallidum ex albo, & nigro: velocitas enim plus ad motum, tarditas plus ad quietem spectat: ergo si harum passionum est concausa, erit etiam natationis, & submersionis, item emersionis, & status: posito etiam quod sit aqua subdiuisibilis, sicuti probauimus, fallax deprehenditur & hinc prædicta positio.

Similiter & cum asserit, strictis & breuibus plus conuenire natationem, quia minus findunt aquam, non rectè dicitur, quam latis & longis: acuta enim omnia minori pondere impulsa, vt claui, plus infiguntur, penetrantque parietes & tabulas: quam lata obtusaque corpora, quoniam minus comprehendunt remouendum, & extrudendum quorsum intrudantur: vnde Plato acutiora grossioribus facilius injici generaliter docuit. securis quoq; acuta plus findit: & omne strictum, & acuminatum, cui minus materiæ obuiat: faciliusque propterea remouibilis. Ratio Galilæi, quoniam minus findit, vera est solum de fragmentis minutis, quæ debuissent illi ostendere, quod aqua subdiuisibilis est, quando puluis per tres dies de superficie ad fundum alti vasis consumit iter, vt dictum est prius.

VERA

VERA ET MVLTIPLEX RATIO, *qua natant solida contactu aëris, ex parte aquæ, & aëris, & solidi in nostro dogmate.*

ARTICVLVS III.

NOS igitur agnoſcimus, quod ſola craſſitudo ſolidorum, quæ ſpecie ſuperat aquã in grauitate, efficit ne mergantur, vbi tantam aggeris altitudinẽ permittit, quæ capiat tantã aquæ molem, quanta librari queat pondere cum ipſo ſolido. Et quidem verum arbitror, quod ex aëre & ſolido fit corpus æquilibre cum aqua: hac enim ratione natant omnia ligna, & res craſſiores aquis, ſed poroſiores. At vero non efficit, ne lamina profundetur aëris ſola copia, vt in ligno, etiam in laminis metallicis, cum latiori lamine plus aëris adhæreat. Neque abſoluta grauitas trahit deorſum, cum ſit maior in latiori lamina, & minor in ſtrictiori: ſed craſſiuſculæ. Verum quia aggerata aqua tanta eſt, vt poſſit ſeſe continere, ne ſuper laminam effundatur, atque vniatur. Cum enim lamina craſſior profundatur, paulò magis aqua ſurſum adeò creſcit, vt ſeſe continere nequeat: idcirco prima reſiſtentia in aquis, ne fundantur, eſt formalis vnitas ipſarum: cum enim vnica forma homogenea informentur, nullę partes ab vllis ſeparari patiuntur: vita.n. rerum eſt vnio, mors diuiſio, quam fugiunt res omnes: quoniã cõſtant potẽtia eſſendi ſenſu eſſendi, & amore eſsẽdi deſtructionẽ abominantur, & contra inferentia deſtructionis pugnant: ergo & diuiſionem, deſtructionis largitricem, fugiunt, illiq; reſiſtunt, & vnionem conſeruationis cauſam amplectuntur: palam enim guttæ pendulæ detrabibus ſeparari nolentes, conglobantur, donec, victæ pondere, deorſum cadunt: & guttæ ſuper herbas proiectæ altera ad alterius amplexum feruntur, & ſpũta & liquores omnes conglobationem, & vnionem quaſi ſe ſe defendentes à deſtructione aſſumunt. Igitur in aquis eſt reſiſtenia formalis, quam non agnoſcunt Democratici ſenſum rerum negantes: eſt & materialis: non enim adeo diuiſæ ſunt, vt diuidi amplius nequeant, ſicut dixit Galilæus: quandoquidem in vapores per diuiſionem maiorem Democrito vertuntur.

Præterea ſi aqua æquè diuiſa foret, nequaquam ponderaret aurum plus in aëre, quam in aqua. Nec ratio Galilæi dicentis, quod & ſi diuiſibilis eſt, non tamen à craſſis laminis: ſed ab igne: quæ enim diuiſa ſunt acutis gladiis, ab obtuſis non expectant diuiſionem vlteriorem: ſed à nouaculis: iſta enim diuiſio materiæ de denſo in rarum progrediens non eſt in atoma diſgregatio, ſed extenſio: videmus etiam picem, & quæ denſiora ſunt, cuneis craſſis grauiter impulſis obtuſiſque diſſociari: parietes quoque malleis frangi, diſſoluique.

Quapropter prima reſiſtentia eſt ab aquis ſuppoſitis laminæ, ne deſcendat, & hæc ſola non eſt ſufficiens, niſi aquæ deſuper aggeratæ aliam agnoſcas reſiſtentiam: in ſeipſas enim conglobantur nolentes diuidi, & in alienã molem expandi, timentes cognatis priuari. Itaque non effunduntur ſuper laminam: ſed ſuſtinent ſeſe, ſicuti guttæ pendulæ de laquearibus: quibus ſi plus aquæ accurrat, cadunt pondere proprio depreſſæ. Sic agger ille cum excreuerit ob craſſitiem laminæ plus aquæ extrudentis ſurſum, quam quæ ſe ſe continere aggerata poſſit, neceſſario effunditur ſuo pondere ſuper laminam, ad quod ſequitur merſio: nulla enim res æquilibrata aquis mergi poteſt, niſi operiatur aggere aquarum: quæ premant deſuper deorſum. At ſi illinatur modico humore lamina, quantuluſcunque agger ſe expandit ſuper laminam, ſubmergitque: quoniam timorem propriæ diuiſionis deponit ſimilitudine inuitata aqua, & non quia eſt ſeparatus aër à lamina, vt dicunt: per quem oſtendimus potius coniungi magis in præcedenti ſermone. Non ergo ſolus aër inſequens aggeratam aquam, vt putant Democratici, ſed propriæ vnionis conſeruatricis amor: nec aër ſolus tenet laminam, ne profundetur, ſed aqua inferior diuiſioni reſiſtens formaliter & materialiter, & aggeratæ non actio in laminam, & virtus ſe ſe continentis, vel ceſſio: aër vero propterea retinet laminam non vncinis, nec vacuo, nec atomis, ſed ſola cognatione non ſpeciei, ſed ſyſtematis, propter quam omnia corpora gaudent contactu mutuo, noluntque ab inuicem ſeparari, vacuum diuiſiuum ita abhorrentia, vt partes vnius animalis ſectionem, violentam necem, inferentem.

Igitur duplex cauſa eſt propenſionum: ſeu ponderum, vt à principio dicebamus, prima omnium corporum, quatenus ſunt partes vnius ſyſtematis erga vnitatem: ergo erga centrum: ſecunda omnium corporum, non quo corpora ſunt, ſed quo formata ſuis ſpeciebus, vt ſint apta in ſitibus certis ad ſui, & totius conſeruationem, & ad functiones ob hoc ipſum: & ſic non omnia ad centrum membra mundi, nec membra animalis ponderant, ſed ad proprios ſitus. Similiter etiam duplex eſt diuiſionis odium, alterum, quo ſunt membra vnius ſyſtematis corpora omnia, & ſic abominantur vacuum ſyſtematis diuiſiuum, & à propriis ſitibus recedunt, vt vacuum claudant, impleantque: vnde aqua ſurſum, & ignis & aër deorſum ob hoc ipſum feruntur: propterea ergo aër inſequitur laminam, vacuum deteſtando, cum in aquam ingreditur. Alterum vero, quo ſunt propriæ cognationis amica, & ſic odio habent diuiſionem ſui, ita quod nec aqua vult diuidi ab aquis, quanquam ſciret, vacuum non interponi, ſed Ens aliud: & hac ratione guttæ conglobantur: & aqua aggeratur ſuper laminam, aquis impoſitam, incipientem diuidere: & inferiores aquæ reſiſtunt quoad poſſunt, quo minus fiat diuiſio: aër ergo inſequens licet iuuet, vt aqua aggeretur per ſuam antiperiſtaſim, non tamen efficit aggerationem ipſe: ſed aquæ amor, mutuique contactus gaudium: Democratici ergo ſolam aëris conſiderantes cum lamina adhæſionem, inſufficienter loquuntur de cauſis non merſionis illius: verum eſt enim quod ſit vnum corpus ex aëre, & lamina æquilibre cum aqua: ſed ratio, qua fit, eſt à reſiſtentia diuiſionis infernè, & lateraliter ipſarum aquarum nolentium ſuper laminam effundi. Phyſica ergo, abſque Metaphyſica, non ſufficit ad rerum notionem.

ÆQVILIBRIORVM CAVSAE IN CORPORIBVS *pondere inæqualibus assignantur quinque.*

ARTIC. IIII.

CAVSA æquilibriorum est multiplex: Alia est figura simul cum motu, præueniente ponderis maioris casum, vt cum aues volant in aëre, & homines natant in aquis: siquidem corpus auis, etiam hominis ponderosius est medio, in quo mouentur. At dum auis incipit mergi, expandit alas in aërem alium, à quo sustinetur, & cum in alio incipit mergi, iterum antequam mergatur subamplectitur alis aërem alterum, in quo innixus impetum facit ad vlteriorem aërem, ita vt in nullo cadat. At si non faciat impetum in alium aërem vel non expandat alas, vt possit super multo per figuram planam detineri, caderet omnino: sic, etiam qui natant. & quanquam aues nonnullæ in eodem loco sustinentur, & similiter qui natant in aqua: haud tamen sustinentur, nisi moueant alas illæ, & isti manus, & pedes: dum enim impetum faciunt, agitantque membra, nouus aër, nouaque aqua subterfluit, accurritq; vacui impatiens, ad sustentandum. Qui autem nullo motu sustineri natantes videtur, propterea quidem non merguntur, quod claudunt os, retinentque in thorace inspiratum aërem, qui sustinet eos, ne mergantur: sicuti aër in vtre, & in ligno implantatus, & in amphora ænea: at si cęperit expirare, statim mergitur natans, nisi brachiis aut plantis pedum agitatis subtus aquas conquirat sustinentes. Idem credo auibus, quæ aëris in medio pendulæ, & quasi dormientes videntur immotæ, causam esse ne cadant, nempè retentus aër percalidus, qui & nubes sustinet: sustinet etiam motio aëris plumas in aëre, & tenuissimas telas, quæ tamen in tranquillo decidunt: nec Archita, nec Germanus ille recens artificiatas aues volantes in aëre, faciet, nisi fluctibus aëris vtatur, & cæteris rebus æquilibrium facientibus: facilius etiam est, Dedalum volare quā aquila ferulacea, nedum ferrea, de qua sese iactant Norimbergenses: in Dedalo enim motus, & flatus principia intrinseca sunt, & accommodandi ratio instrumentorum ad volitationem paratorum.

Secunda æquilibrij causa videtur esse proportio accessus & recessus ab aliquo immoto, vt diximus: quod in statera si à centro ponderis, vna ferri libra appendatur in altero brachio in distantia decupla ad alterius brachij distantiam, in quo pendet pondus librarum decem, æquabuntur: vnde diximus, pondera maiora per hanc distantiæ reduplicationem in minori, non quia momenta plura adiiciuntur minori, quibus fit æqualitas: non enim motus primodum id præstat: sed elongatio ab immoto, vnde sequitur velox motio: siquidem pondus minus non faciet idem in eadem distantia, sed in longiori; faceret autem si à motu esset ratio: probatum est enim quod facilius deorsum fertur mobile mediæ libræ, quam vnius, in superiori sermone: idem centra omnia præstant: elongatio enim à centro Rotæ dat velociorem motum, & tamen æqualem in spatii transitu, quoniam dat expeditionem viribus mobilitatis, quas centri vicinitas immobilitantis minuit, vt dictum est in superiori sermone.

Tertia causa æquilibrij est additio ponderis in minori, vel detractio in maiori, quanta superabat, vel deerat: & quidem vel pōderis vnigenei sicuti si ferreæ pilæ vnius libræ vt æquiponderet cum altera sphera ferrea bilibri, adiicias alteram ferri libram, aut huic demas, vel alterius generis, sicuti cum centum libris ligneæ crassitiei induntur aëris centum libræ. Sic enim efficitur, vt in aqua tantum tendat crassities deorsum, quantum tenuitas aëris sursum, & sic fit æquilibrium. Et hæc æquilibratio per mistionem alterogeneorum non est vbique, sed quæ æquilibrantur in aëre sunt inæqualia in aqua, vt patet de ferri & ligni talento vtrinque vno in aëre, nulla autem ligni in aqua: & de aurea lamina, & lignea, æquilibratis in aqua, non autem in aëre. Hoc autem accidit, quoniam quæcunque sunt crassiora aquis, & aëre, ponderant in aquis, & aëre, sed additio aëris, siue implantati, siue adhærentis, in aqua, minuit pondus, non autē in aëre: similiter additio ignis vtrobiq;. Propereaque ferrum in aqua librarum, 11. quod in aëre erat 19. & aurum 66. quod erat. 67. Probè ergo aqua declarat, quibus in rebus sit aliqua spiritus admistio, & quanta aëris, si quis plura meditetur.

Quarta causa est vacui prohibitio, cuius ratione omnia ęquilibrantur ferè corpora cōuersim: omnis aër intra systematis nostri sphæram ad implendū vacuum nō modo sursum leuatur, vbi cū æthere æquilibratur: sed etiam deorsum intra aquas, vbi cum aquis, & intra terras vsque ad centrū, si perforaretur, tellus, descenderet, quasi æquiponderis cum tellure factus: videmus etiā aquas per tubū, vnde extractus est aër siue ore hominis, siue alio artificio, eleuari sursum, & cum aëre æquilibrari, vt vacuum repleat, imò ascendere incessanter per syphonem, & descendere perpetuo, si tamen vel pilo vno subter aquę superficiem vnde eleuabatur vas deorsum inclinatum, altero canali protenderetur, vt in sequenti figura.



Sit vas aquæ A. plenum vsque ad B. & vasculum C. cuius orificium D. mergatur in aqua B. tunc extr-

gat quis ex altero orificio E. aërem vasis C. tunc videbis aquam vsque ad F. eleuari & remanere vacuum C. quod incessanter aquam trahit, si descendere potest vsque ad E. sed tamen cum venerit ad E. non exit, nec trahit nouam aquam, nec cum descenderit ad superficiem aquæ B. Sed si paulò inferius vno pilo fit orificium sub B aquam videbis incessanter assurgere ad F. & cadere totam sub B. vnde satis liquet, æquilibrari aquam cum aëre supra D. nec posse cadere, nisi infra B quoniam tota illa ascensio à D. ad F. computatur tanquam vna superficies B quoniam non situs amore, sed vacui gratia eleuatur. Nec potest deorsum venire nisi sub B. quæ est terminus communis ascensionis & status aquæ.

Terram tamen eleuari ad vacui repletionem non sum expertus, nec grauia entia illi consimilia, nisi per quintam causam, quæ est non qualiscunque, sed valida sympathia, & antipathia, per quas videmus ferrum ad superpositum magnetem eleuari, ac ex eo pendere; minutias tamen terræ eleuari vidimus, non autem terram nimiam, quoniam cum sit basis systematis, eius permanentia vtilior forsan est, quam modici vacui prohibitio. Sicuti in animali melius est secari membri particulas quasdam, quam neruum, aut ossum, basim statuæ pro illis periclitari: & de hoc redibit sermo in secunda Parte. Adde etiam, quia tota terra non potest à loco suo dimoueri absque vniuersitatis ruina, partes autem toti suo ita adhærent compactæ, vt nulla ex vtilitate meliori diuelli velint.

Ex his palam fit quod nec violentia & casus, quo vtuntur Democratici: nec vis naturæ, quæ Peripatetici, sufficiunt ad reddendam rationem euentorum naturalium, nisi primalitates Metaph. consulantur.

EX CAVSA AGENTE, AC PATIENTE *duo prædicamenta suboriri, actionem scilicet, & passionem, fundamenta realia correlationis ipsarum, & de his modo dicendum.*

CAP. VI. ART. I.

QVONIAM actiua causa vnà cum passiua nobis declarata est, propterea quod realiter altera refertur ad alterum, nunc de relatione ipsa fundamentaliter vtrinque dicendum venit. Refertur autem Agens ad Patiens per actionem. Patiens vero ad Agens per passionem: de his ergo fit sermo. De quibus etiam Peripatetici duo fecerunt prædicamenta, non tamen distinxerunt ab actu, seu operatione, vnde confusio non modica emersit in Philosophia: his ignoratis notionibus rerum.

DEFINITIO ANALOGICA ACTIONIS, *& Passionis, eiusque particulatim declaratio.*

ARTICVLVS II.

DICITVR quidem actio, ac passio analogicè, propterea earum definitio analogicè sumenda est: dicimus enim *Actionem esse communicationem similitudinis agentis causæ in aliud, inquantum aliud: Passionem vero esse receptionem similitudinis alienæ, ac perditionem propriæ.* Et quidem rationabiliter dicitur communicatio, at & processio dici poterat, quoniam omnis actio est communicatio ex vtroque termino: & processio ex medio, & datio, ex æquo: sed non è conuerso. Et sicut per actum vitalem intrinsecum potestas communicat se sapientiæ, & sapientia, & potestas amori: non enim amamus, nisi quia sapimus & possumus: nec sapimus, nisi quia possumus: haud tamen huiusmodi communicatio est actio & passio. Vnde prudenter, sacri Theologi, Patrem communicare essentiam Filio, & vtrumque Spiritui sancto, dicunt, in diuinis, & dare: haud tamen facere, aut agere, aut creare Filium. Et si dicant generare quatenus internus actus est, sic & in Actione est communicatio, quæ simul est Actio vt ab hoc, & Passio vt in hoc: cõmunicatio vero vtrũq; terminũ tãgit. Nec dixi *actionem esse effusionem similitudinis*, quoniã conuertuntur: omnis enim effusio est actio. Dixi *similitudinis*, accipiendo similitudinem etiam pro identitate, vt intelligatur etiam similitudo in essentia, & in forma, & in actione, & in figura, & in operatione, & in cunctis prædicamentis: siquidem similitudinem sui essentialem dat ignis cum generat ignem: dat formalem sigillum cum imprimit sui figuram ceræ: & actiuam, cum calor facit pomum calidum, & idealem, cum domificator facit domum, suam ideam cęmento & lapidibus & lignis communicando: dat materialem cum aliquid dat suum, suæ nempè possessionis, & non substantiæ, vt cum do pomum. Tunc enim effundo quod est meum, & quatenus meum, habet meam similitudinem: quatenus autem pomum, nequaquam. At cum porrigo pecuniam suam Domino suo, etiam effundo similitudinem meam in pecunia, durante vsque ad acceptionem: hoc autem patet, quoniam cum proiicio lapides, non effundo lapides mihi similes, sed in lapidibus similitudinem meam, & vim & ideam. Idam quidem quoniam feruntur quousque, quorsum, & quomodo intendo eas mittere: vim, quia ipsam imprimo, vt proiiciam: desiderium, quoniam sicut volo, fertur proiectum. At si quando erga

quod nolo, vt cum lapidem animi gratia proiiciendo, amicum occido: tunc ista occisio sequitur per accidens,& non ad ideam meam,sed primæ causæ, cuius omnes causæ sunt instrumenta: vt enim mox docemus, effectus non est similis causæ instrumentali, sed principali,nisi in quo instrumentum habet aliquam causalitatem: sicut enim ait doctè S. Thomas, frustra instrumentum assumeretur ad actionem, si nihil proprium confert. Hæc enim scriptura similis est menti meæ in sensu, & lineationis figura: pennæ autem in gracilitate, & crassitie, & attramento in colore, si enim acuta est penna, nigroque tincta colore, caracteres facit acutos, nigrosque. Si crassa & rubra, crassos, rubrosque: figuratio autem, & sensus scripturæ mentis simulacrum refert: est quidem amanuensis caracter, dictantis vero mei doctrina: sic animal totum primæ mentis ideam refert, partes autem caloris solaris, & terrestris molis habent consortium. De causis autem superius diximus, quoniam effectus causæ similis est in essentia naturali, vt ignis, igni: vel in essentia artificiali, vt scriptura scriptori. Consulenti vero in ideatione si consilium est quomodo fiendus effectus. Si vero quia fiendus, erit similis in existentia. Adiuuanti vero, & disponenti, in quo adiuuant, ac disponunt, vel conferunt adiuuando, aut disponendo. Vnde nauis est similis dolatori in sectione leui, vel aspera: discipulo nauifactoris in approximatione materierum ad formationem, nauifactori vero in formatione: & caro, vt calefit, est similis igni: vt assatur non vritur, nec modicè calescit, sed in tali gradu, qui est assatio, similis est Coqui ideę. Cum autem effectus pertinet ad existentiam nouam agentis accidentalem, tunc non est communicatio similitudinis, sed ipseitatis, veluti cum quis seipsum tradit religioni, vel triremi, vel se in forum confert: in quibus actionibus communicat se totum non similitudinem modo. Similiter cum Deus creat ex nihilo communicat totum, sed non seipsum: sed totum esse rei creatæ, quæ dicitur recipere esse, quatenus essentia accepit existentiam: non quia extra Deum recessit ad nouum esse; sed quia esse nouum ex nihilo sui, & in nihilo entis, cæpit esse per efficaciam diuinæ potestatis. De qua in 2. Parte.

Dixi *agentis in aliud*: omnis enim actio nobis nota, vnde ad ignotas analogicè argumentamur, requirit causam agentem ac patientem, dantem & recipientem datæ similitudinis, Et addidi, *in quantum aliud*, quoniam oportet, opposita esse agens & patiens: simile enim non patitur à simili, nec agit in simile: actio enim est effusio similitudinis, passio vero eiusdē est similitudinis receptio. Quod ergo habet similitudinem, non recepit vltra ipsam, vt quod plenum est vas aquis, non recepit alias aquas, vt repleatur: habet enim: similiter quod factum est, non fit eo, quo factum est: Si enim domum ædificaui, non ædifico ipsam ædificatam, sed aliam ædificandam. Nec ignis ignit ignem, sed lignum. Et qui est in platea, non dicitur ire in plateam: iuit enim. Omnis ergo actio finem habet in perfecta assimilatione: operatio autem perennis est, quoniam in se conseruat essentiam, & non in alio multiplicat similitudinem, vt suo loco patebit.

Potest quidem simile à simili augeri, non tamen pati, vt ignis ignem: alioquin omne factum fieret, & quiescens moueretur. Nec calor debilis patitur à robusto, vti Arist. putat, per se, quatenus magnum contrarium est paruo: sed ratione materiei: dum enim materiam caloris blandi ita concinnatam à blando, plus calefacit, aliterque concinnat, videtur minor calor pati, quod verum est in mensura, non in substantia. similiter manus calida febricitantis videtur quasi frigus pati à manu Medici minus calida, cùm tamen verum sit, minorem maiori additum ipsum augere: sed quia calor febricitantis minuitur expandendo se in manum Medici, sicut feruor aquæ in teporem alterius iniectæ: de quibus in Med. v. dictum est, vbi etiam quomodo per accidens calor calorem debilitat, huius subiectum aperiendo, vt ille exhalet: similiter per accidens aqua calida, & oleum, & vinum extinguunt ignem calidissimum, obstruendo poros vnde ignis nutritur: dictum est.

Rationabiliter iterum addidi, *in quantum aliud*, quoniam non nisi ratione alietatis fit actio etiam inter similia: si enim eadem esset materia huius, & illius ignis in tenuitate, & figura, & caloris gradus iidem, non differentes copia, nec robore, nulla proueniret actio, nec per accidens: sed sola augmentatio. At nunquam tanta similitudo euenit. Præterea cum plantæ in semine spiritus agit in suam materiam, ipsam organizando, & terram aliam aggenerando; dicitur etiam agere in aliud, in quantum aliud: non enim eadem vis est actiua, & materia, in quam agit, dans formationem: alioquin cum formata esset materia, cessaret actio: cum iterum formata est ad ideam agentis spiritus, non cessat actio, dum in terra adhuc restat formata moles: quoniam calor est cælestis naturæ, & ad ipsam redire contendit semper cæli vniuersitatem: itaque non cessat agere, donec in tenuitatem conuertat molem, qua cum euolet sursum: propptereaque cuncta entia nostratia corruptibilia sunt, poris forata, per quos calor effertur sursum. Etenim, licet illata necessitate, illatoque appetitu, fit lapidis, & metalli, & plantæ calor factus sit substantia: in nato tamen est inquietus, quoniam ad finem actionis non peruenit: quam actus terminat vitalis, vt in seq. cap. docebimus. Quapropter autor rerum Deus prouidit nostris Entibus de alimento, vt calor semper habeat, in quo agat, ne proprium porsus destruat subiectum: nec proinde diuinis institutis, quantum Deus decreuit, subseruire queat. Cupidissimo ergo amplificationis calori, pabulum, in quo amplificetur, ipsum ludificando, dedit Deus, sicuti nos canibus & caballis, quatenus in officio retineantur.

Cum autem seipsum homo dat religioni, & foro, non est idem agens & patiens: anima enim mouet, & dat: corpus mouetur, & datur. Angelus autem cum se ipsum dat, videtur idem esse agens, & patiens, imò & Deus dicitur seipsum nobis dare, in quo nulla est alietas, qualis inter agentem, & patientem causam; sed forsan id, quod recipit similitudinem, est aliud à dante, non autem id quod datur, cum sit dantis essentia, vel similitudo, vel res vt pomum datum. Propterea hoc amplius disputare non grauemur.

DE ACTIONE MATERIALI, ET FORMALI, & primordiali, & mista, & de occasionali, & de verbis grammaticalibus statuendis per hoc, & emendandis.

ARTIC. III.

TRIPLICEM inuenimus actionem simplicem, aliam quidem materialem prorsus, quæ inter similia est augmentum potius & additio, vt cum graue additur graui, & ipsum magis grauat, & siccum sicco, & humidum humido, & spina & lancea perforaret obuium pedem, imprimendo suam figuram, & similitudinem: & ista fit sui confusione, & mistione tantum: quando verò est inter dissimilia facit mistionem & alteritatem, & occultationem; vt cum aqua additur terræ, & facit cum ipsa lutum, in quo & fluiditas aquæ occultatur, & terræ similiter durities, & fit quasi tertiũ; & hæc non est diffusio propriç similitudinis, sed sui communicatio, & quasi perditio, & identitatis admistio, quæ similitudinis vicem gerit. Verum vbi lancea perforat talis figurç perforatione, qualis est in lancea, & sigillum suam figuram imprimit, similitudinem profectò communicat, non identitatem.

Secunda actio est formalis, seu potius productiua; & in hac exprimitur similitudo essentialis per multiplicationem actiuæ causæ, non per commistionem, aut donationem sui: sicuti cum calor calorem generat alterum numero, seipsum multiplicando, & frigus frigiditatem.

Tertia est mirifica seu primordialis, vt cum magnes attrahit ferrum, & cucurbita fugit oleum, quæ innotescit per sympathiæ & antipathiæ effectus; qui nimirum nõ fiunt à calore, nec à frigore, nec ab humore, nec à siccitate, vt sic, nec ab alia materiali virtute, sed à diuiniori principio ab ipsis nimirũ primalitatibus. Alia tandem supernaturalis, qua homo auxilio diuinitus collato supra naturam, & primalitatum modum operatur, vt in Theol. In prima actione quieuerunt Democratici. In 2. Medici, & Peripatetici. Verum Hippocrates tertiã olefecit, cum aliquid diuinum in morbis agnouit: profectò modica saliua canis rabidi agit hominem in canem, non quò calida, cum calidior sit humanus sanguis & carbo saliua rabidi canis, & serpentis; nec quo frigida, cum frigidior nix hoc malum non inferat: nec quo humida cum humidius oleum sic nõ noceat: nec quo siccum, cum lapis & sal siccior, neque tantum possint. In omnibus quoque seminibus tetram mutantibus in substantiam plantarum per quandam ideationem sapienter, & magis quàm ab arte, elucescit hæc actio transnaturalis. Et profectò fatendum est, quod non fit actio à rebus sui diffusiuis, nisi quatenus à primalitatibus reguntur. Calor enim calefacit, qua calidus: sed formaliter, sed qua potens & sentiens, & appetens calefacere, agit principaliter: absque his non agit, neque est. Præterea nec materialis actio fit absque impulsu, impulsus autem omnis est ab aliquo potestatiuo, vel tanquam potestatiuo, sicuti cum balista sagittam excutit, vel tanquam cognoscitiuo, sicuti cum cometam in gladij formam videmus effigiatam ad belli significationem per vim aliquam intelligentem, sicuti ego scribo, hanc actionem edendo, quatenus sciens, propter significare: vel tanquam appetitiuo, sicuti cum graue deorsum amore vnionis descendens trahit secum res obuias communicando illis propensionem suam. sic videmus omnem naturam omnemque artem edere actionem tanquam amoris, & sensus & potestatis signa, omnis ergo causalitas, vt nuper dicebamus, à primalitatibus ducit originem.

Prætereà sunt quædam actiones mixtæ ex materiali, & formali, vt cum homo generat hominem, non modo effundendo calorem, & spiritum, & imaginationem: sed etiam materiam seminalem, sine qua non perficitur effectus generationis. est etiam actio mista ex actu & actione, sicuti pulsus est actus spiritus mobilis, quo perenniter seruatur: sed quatenus communicatur arteriç est actio, & passio, & idem motus spiritus quatenus corpori toti se communicat, quando ambulat de domo in plateam propter indiuisionem corporis & animæ, communicat totum hominem de domo in plateam: & potest ista actio dici vectatio ab intrinseco: sicuti equus dicitur ab extrinseco vectare equitem: & equus, quatenus modificatur ab equite talis vectatio, dicitur pati ab eo; quatenus verò vectat dicitur agere: sic etiam ignis quatenus calefacit carnem, agit: sed quatenus à coquo moderatur, vt ita, & non aliter agat, dicitur pati.

Similiter etiam dicimus, aliquam actionem esse verè causalem, vt cum calor calefacit: aliquam esse occasionalem, vt cum calor sui sensum in animali facit: cum enim animal calefit, sentit calorem, non quia calor illi sensum dat caloris: sed occasionem, vt sentiat calorem. Sentire autem non est agere, sed potius operari: dicere tamen, quod sentimus est agere exiens ab actu sentiendi. Et cum sentimus & intelligimus aliquid, non agimus, neque cum volumus, alioquin res intellecta & volita pateretur, quod tamen est falsum: & ideo non omne verbum literaturæ actiuæ est actiuum, vt grammatici putant: quod omne verbum significat actionem, vel passionem: significat enim aliquando operationem, vt cælum cum mouet se: & tellus, cum quiescit. significat aliquando existentiam absque actione, vt cum dico, Petrus est in foro, significat & essentiæ actum, vt cum dico, Petrus est animal, & Petrus habet essentiam humanam. Quamobrem grãmatici exciti dederunt & verba neutra, & communia, & deponentia: sed non ex natura: multa enim posuerunt neutra, & deponentia, quæ verè actionem significant, aut passionem, & multa actiua, vt sentio, & intelligo, quæ operationem important, non autem actionem, aut passionem. Quapropter verba distinguenda sunt in ea, quæ significant actũ

essendi, & existendi, & operandi, & agendi, & patiendi; & hæc in materialia, & formalia, & metaphysicalia, si quis bonam velit reficere grammaticam: & deinde in actiua vel passiua secundum vocem, & secundum rem, & in composita ex his, sicuti in Logicis monemus.

Quomodo actus animæ non sunt actiones secundum se, nec secundum obiecta, nisi occasionaliter, & modificatiuè.

ARTIC. IV.

SEd dicet quis, si intelligere, & amare actiones non sunt; quia non habent patiens, nisi secundum vocem, non secundum rem, cum etiam constet, non esse operationes, quoniam perennes non sunt ad subiecti cõseruationem, quæritur, quid sunt? quæritur, & de habere, cum quis habet vineam, & nihil in eam agit; & vestem in arca, qua nec induitur vnquam? Resp. intelligere & amare seipsum, in omni re esse actum, seu operationem primordialem, & nunquam deficere hunc actum, nisi cum extinctione eius, cuius est actus: & cum deficit ex parte, deficere & operantem vim ex parte. Quapropter cum obiectum mouet animam mouendo spiritum corporeum, cui mens per symbolum primalitatum vnitur, modificatur mentis operatio, & sicuti sentiebat & amabat se essentialiter, ita nunc sentit, & amat se accidentaliter: Propterea enim sentit, & amat calorem, quod seipsum sentit spiritus calefactum blandè & conseruatiuè: sentit autem & odit, si se immutatum sentit destructiuè. Quapropter sicut coquus non dat igni calefactionem, sed huiusmodi calefactionem, modificationem videl. sic neque obiectum dat animę intelligere & amare, sed ita & hoc. Est autem vbi occasionem suscipit propter vim multiplicatiuam sui actus plus atque plus amandi, & considerandi aliquid; ex quo sequitur passio in toto composito mortifera, & in spiritu alienatiua à suo esse. Sic qui occasionem suscipit timendi à larua per ludum pręsentata, adeò fortiter imaginatur periculum, vt cadat, & ægrotet, & deliret, & moriatur, sicuti dicebamus de magia tractantes in 4. de Sensu Rerum. Constat autem, laruam nec posse ita facere, neque velle, neque scire: sed spiritus ipse auget in se periculum, ita quod actio ab ipso est, vt primalitatibus prædito; & passio fit in corpore ex ipso: quapropter quoniam in alienum mutatur Ens, dum illud sentit, & amat, aut odit, per multiplicationem imaginantis animæ, perditur ex parte, vel ex toto. Anima ergo seipsam, & alia mouet principaliter & causaliter. Obiecta v. instrumentaliter, & occasionaliter in primalitates Animæ, licet in corpus etiam causaliter.

Immutatur enim Mens per accidens ab obiectis, non auferentibus operationem, sed modificantibus illam noua illa passione; ex qua rursus iudicat vis cognoscitiua obiectum, intelligens ipsum non quatenus intelligit obiectum ipsum, sed quatenus intelligit se mutatam per vim imaginantem ex passione illata modica multiplicantem, in obiectum. Semper ergo intelligit se, sed non semper intelligit se sic immutatam. Ergo in Deo, qui à nullo obiecto exteriori immutatur occasionaliter, nec causaliter, nec proinde trahitur à sui in alienam similitudinem: ipse enim omnium similitudines habet, & præ habet ideantes non ideatas, & non recipit, quoniam ab ipso sunt; non fit pausa intellectionis, visionis, & amoris sui, ideò semper actu intelligit seipsum, & per se ipsum alia. Nos autem & si semper intelligimus actu nosmetipsos, tamen immutamur ab obiectis, quorum similitudines non habemus, quandoquidem nostram solummodo habemus: idcirco videmur desistere ab intelligere nostri, & rapimur in alienum. Quod quia desinit mouere succedentibus motibus aliis aliorũ mouentium obiectorum per nouas occasiones, desinit & intellectio eorum. Proptereaque intellectio videtur actio temporanea, & non perennis, sicuti est. At nihil vetat operationis modum variari, incipere, & desinere; operationem verò permanere, sicuti & calefactio ignis est perennis, non autem assatio, & pulsus perennis est, non autem hic & ille pulsandi modus.

Vtrum actio fiat in materiam, vel in contrarium: & quomodo sine materia non esset actio inter contraria, nec forsan contrarietas, & de Arist. sententiæ circa hoc reprobatione.

ARTIC. V.

OMNEM actionem, quoniam assimilatione perficitur, inter opposita posuimus; sed quænam contrarietas est inter domum & cęmentum, de quo fit domus: & inter musicum & immusicum, de quo musicus fit? & quomodo ars & natura agit in contrarium? Præterea enim nec calor agit in frigus, quoniam cum passio fit receptio similitudinis causæ agentis in patiente, tunc frigus fieret calidum, & lis faceret amicitiam; quod Empedoc. ab Arist. in hoc acceptus, improbat. Si autem actio est in materia non in frigus, ergo est inter diuersa, cuiusmodi sunt materia, & forma actiua, & non inter contraria, quod tamen falsum est. Frigus enim verè à calore patitur, vt omnes Physici contestantur, & natura.

Respondent Peripatetici ad hoc, formas non

agere nec pati, sed compositum: quod agit per formam, patitur per materiam recipientem actionis. At hæc responsio non rectè probatur. Cum enim in composito non sit nisi materia & forma, & materia nihil agat, forma autem, si diffusiuam sui virtutem habet, agat, si non habet, non agat. Manifestum est quod compositum non per se agit, neque forma, nisi quatenus actiua est res; compositum verò agit per ipsam, & hæc ratio tanti est ponderis, vt D. Thom. p. p. q. 3. art. 2. per ipsam probauerit Deum non esse compositum ex materia & forma: quoniam videl. compositum non agit per se: Deus autē agit per se: Ergo oportet, causā per se agentem esse formam, & non compositum: in dogmate autem nostro potentiam actiuam, siue informet, siue non informet. Probatur experimento, calor enim & frigus cum sint actiuæ virtutes, agunt vbique, siue sint in proprio subiecto, scil. in igne & in terra, siue in alieno absque substantia ignis & terræ, vt in ferro candenti, in aëre, in aqua, & vbique extra materiam proprij elementi. In nubibus siquidem, & in terræ visceribus facit calor ignes, & frigus glacies. Deus etiam & Angeli, & animæ abstractæ non sunt ex forma materiaque compositi, & tamen sunt actiui: Ergo actiuitas non est compositorum, sed actiuarum virtutum. Item calor patitur intra viscera terræ, & frigus in aëre: Ergo actio & passio non sunt compositorum ex propriis materiebus propriisque formis: sed frigus patitur à calore, & calor à frigore, vbicunque & per se.

Vtrum autem agerent, atque paterentur nisi in subiecta materia propria vel aliena essent, quæstio est difficilis, sed facilè soluitur, si actionis finem inspeciamus & rationem.

Dicimus quidem, omne agens sui diffusionem, multiplicationem, & amplificationem absque fine quærere, optareque, intensiuè & extensiuè: quoniam actiuitatis diuinæ infinitæ extensiuè & intensiuè est particeps: propptereaque immensitatem & æternitatem procurare quantum potest: vt ignis omnia ignire, & solus vbique in æternum esse curat, nisi à frigore & materiæ defectu cohiberetur: quam cohibitionem fatali ordine instituit Deus, vt ex temperie contrariorum secunda fierent Entia & distinctio, & ordo vniuersitatis rerum. Idcirco calor agit in frigus ipsum destruendo, non principali quidem intentione, & per se. Per se enim nihil intendit primo, nisi sui amplificationem, sed per accidens ad eius amplificationem sequitur mors & destructio frigoris. Ergo si in subiecto non esset vllo frigus & calor, alter alterum non destrueret, inimicitia enim sequitur ad amplificationis in materia subiecta conatum & appetitum. Siquidem amplificatio est effusio similitudinis caloris, vbi calor non erat. Non erat autem vbi frigus erat; Ergo fit expulsione frigoris calor à calore, & introductione sui: quæ prior est intentione quam frigoris expulsio, & natura. Non ergo frigus recipit caloris similitudinem, sed materia, in qua regnabat frigus, eratque dissimilitudo caloris, & contrarietas; idcircò in materia ipsa fit passio, sed non est materiæ passio, quatenus materia est, sed quatenus dissimilis est caloris naturæ, & appetitui. Dissimilis autem est propter frigus & conditiones eius, quæ sunt quies, crassities & tenebricositas; ideo propter frigus ipsa patitur, id est, mutatur de frigida in calidam, id est, recipit quam non habet similitudinem. At si nulla dispositio frigoris esset in materia, nec frigus, nec densitas, nec immobilitas, nec tenebra: oportebit vel materiam habere dispositionem ignis, videl. cum ipso calore lucem, tenuitatem, & motum. & sic non fieret actio ab igne in ipsam: quia esset iam ignis: actio autem fit, vt fiat ignis: vel si, nec frigoris, nec caloris haberet dispositiones (cuiusmodi nescio an in rerum natura possit esse, diuo Thoma & doctis aliis negantibus: Scoto & aliis Theologis asserentibus) tunc fieret actio ignis, sed absque motu & labore: quoniam nihil obstaret agenti, gratia cuius omnis actio successiua est. Et hæc actio diffusiua esset similitudinis absque passione corruptiua, sed cum receptiua tantum. Ergo non recipit similitudinem agentis patiens contrarium, sed materia eius, cuius passio est receptiua tantum, licet respectu contrarij in ipsa regnantis, destructiua simul sit.

FIERI ACTIONEM IN ALIVD, NON tamen semper in contrarium, neque requiri contrarietatem, & oppositionem realem ad actionem, sed ad tempus mutationis: neque materiam nisi in actione finiti Agentis: nec fieri omnia ex priuatione, vt Aristotelici putant: nec priuationem puram Agenti repugnare, & quomodo ex priuatione.

ARTIC. VI.

QVAMOBREM actio fit in aliud in quantum aliud, sed non semper in aliud contrarium, sed in aliud diuersum etiam, sicuti cum calor agit in materiam non frigidam, & homo in locum se transfert alium: vel priuatiuum, sicuti cum ex immusico fit musicus, agente doctore musicæ in immusicum: vel contradictorie, sicuti cum Deus ex non Ente facit Ens: & locat Aquilonem super nihilo, vt ait Iob. Requiritur autem contrarietas inter agens, & patiens non vt fiat actio, sed vt fiat successiua & laboriosa: non autem ad receptiuam passionem. Ad quam requiritur sola materia in his, quæ non possunt absque materia subsistere, nec sese amplificare, & agere nisi in materia. Ergo afflictiua passio per accidens reperitur simul vbi & cōtrarietas. Namque Deus creando Mundum nullum contrarium habuit repugnans agenti, ideo eius actio facta est in instanti ex hac radice, licet ratione suæ infinitæ virtutis, neque tardari potuisset à contrario quantocunque; vt hinc videas, defini-

tionem actionis esse Analogicam in cunctis suis partibus. Nam neque materia reperitur ad similitudinem suscipiendam, si Agens tantæ est virtutis, vt possit materiam simul & formam facere. Quod Philosophi veteres non agnouerũt, quoniam agentes partiales, facientes partem tantummodo considerauerunt, & propriam imbecillitatem, non autem vniuersalem, facientem totum. Nam si fecit formas ex nihilo in materia, cur etiam non concedunt fecisse simul ex nihilo materiam? & causarum inductio idem manifestare poterat. Siquidem quo imbecilliores sunt agentes causæ, eò determinatam magis, & qualificatam magis materiam prærequirunt, vt formam accipiat ab eis. Sicuti tellus, vt fiat vermis, multis est prius disposita modis. ignis autem fortior multa genera ignit, olea, limphas, bitumen, ligna; magis autem disposita magis, vt arida, quam viridia. ignit quoque terram, vt in Vulcanis est notum. Metalla quoque vincit, & mutat; proptereaque materiam prædeterminatam non habet, quoniam potentissimus est. Frigus quoque materias occupat omnes, non tamen exsuperat sicut calor. Deus ergo nullam sibi derminabit, sed faciet, cum omnipotentissimus sit. In artificiatis quoque idem ordo patet. Imperiti enim artifices facilia tractant, vt qui ligna cædit, & auri fodinas excauat: peritiores vero ligna dolant, & aurum in fornace perficiunt. Peritissimi autem faciunt ex lignis nauim, & ex auro anulum & statuas. Per quam peritissimi tandem Architectonici, omnibus his exemplar præbent, finemq; præscribunt. In eadem arte quoque perfectiores citius, & ex modica materia opificium parant; imperfecti tardius & ex multa: comparatio etiam vtrorumque agentium, id admonet. etenim ex plurimo ligno Ars facit scannum. Ex modico semine Natura lignum, conuertendo in illud alia elementaria. Et quo interior est virtus, eò melius operatur. Peritiores etiam formam artis in materia intrinsecare sciunt magis quàm imperiti. ineptè autem transformant, qui internare non valent formam in materia.

Ex his deducimus, nec requiri contrarium ad actionem per se absolutè loquendo; neque materiã, sed solum esse effusionem agentis virtutis, vel totalem, vel partialem. & ideò Ars non agit in contrarium actiuum, sed in informe, in artificiatumque materiale repugnans, aptum tamen formari: & propterea cum tempore etiam agere, repugnante materia, & finitate vis agentis. Deus verò de non materia etiam creat, & sine tempore ob oppositas rationes iam dictas. At loquendo iuxta ordinem rerum Physicarum, requiritur materia & oppositio in actionibus.

Aristotelici autem non rectè soluunt, cum dicunt omnia fieri ex priuatione: vt artificialia pandunt, musicum ex immusico fieri; & naturalia, calorem ex frigore, in quo priuatio est caloris, & quia priuatio est innominata aliquando, vtimur materia loco eius, puta cum dicimus, statuam fieri ex ære, quoniam ex in statua fieri vocabulum non permittit; & vtimur ly ex, quoniam priuationẽ denotamus, cum ly de vti debeamus, si materialiter ly ære sumatur. Fit enim de materia, & ex priuatione quidquid fit. Quæ si vera sunt, tunc priuatio, quæ nihil est, poterit repugnare Enti actiuo, cui nec materia repugnat, nisi quatenus contrarias habet dispositiones. ipsa enim potius appetit formam Aristoteli: ergo nullus fieret motus in Aristotelismo, quippe cui omnis motus est temporalis ob repugnantiam medij, & subiecti, vt dicitur in 4. & 5. Phys. nunc autem nec priuatio repugnat, nec materia; ergo nec motus fit. Præterea si fieret actio ex priuatione non quatenus cõtraria, sed quatenus priuatio: tunc maximè fieret ex maxima priuatione: ergo ex nihilo, vt homo ex non homine, ita animal ex non animali, & corpus ex non corpore, & Ens ergo ex nihilo, quod indocti nolunt. Omitto quod de priuatione aliter sapit, cum vocat ipsam actiuum principium vilius in 1. Phys. & 1. de gener. & cor, & in 12. Met. Postea vero per se nihil eam vocauit, cum antiquorum nesciuit soluere argumentum sicuti diximus alibi. Nobis autem temporalis fit mutatio sicuti declarabimus propter cõtrarietatem, aut formam differentem, aut diuersam formæ introducendæ, & ob agentis finitatem, vel ob distantiam inter terminos, vel inter agens & patiens: sicuti dictum est à principio. priuatio quoq; hoc facit, nõ quo priuatio, sed quo repugnantẽ in materiã circũloquitur.

Prim. phys.

T. 18. & 26.

QVOT MODIS, QVIBVS IN AGENTIBVS, *quæ similitudines effectus præexistunt, communicanturque, vel totaliter, vel partialiter, vniuocè, vel æquiuocè, vel analogicè. & quàm non rectè Peripatetici de hoc scripserint. plurimaque quæstiones de his qualiter soluantur.*

ARTIC. VII.

AD eandem Analogicam Actionem dilucidandam pertinet quæstio illa, quomodo videl. omne agens similitudinem propriam facit, cum videamus viuum dare mortem; & calorem tenuitatem, & motum; & hominem, qui non est scriptura, facere scripturam, & scamnum; & Deum facere Mundum, qui non est mundus; & accidens videtur facere substantiam, si calor est accidens, qui facit ignem in nube; & motus calorem, & sol arborem, ipse non arbor: & terra ranam, & lapidẽ, quæ non sunt ipsa. Dicimus ergo, quod viuus homo dat mortem, quam ipse non habet formaliter, sed idealiter, & cum facit hoc ex intentione, nõ per se mortem intendit alienam, sed vitam propriam, quam per inimici mortem tutatur, & amplificat; vti & lupus occidit pecudem, vt propriam vitam seruet, & pastorem, vt tueatur. sic frigus occidit calorem, non vt occidat, sed vt se amplificet: ad cuius amplificationem sequitur per accidens caloris mors, nec requiritur similitudo in effectib. per accidens: sed in per se, vel essentialis, vel idealis. Dictum est etiam, quod etiam si non intendit

occidere, sed casu percutit non visum, vel ipse, cadens de quercu, percutit suo pondere amicũ, occiditque, illa mors per accidens essentialiter & idealiter est respectu secundarum causarum: nec potest reduci nisi ad intellectiuam causam ideantem per se omnia, & concursus causarum moderantem. Itaque idea istius mortis præerat in mente opificis rerum: qui vtitur causis secundis tanquam suis instrumentis, vel discipulis. Instrumentis quidem quando, quod non intendunt, nec sciunt, agunt: discipulis verò, vbi quod intendunt. sic miles occidit. Primo autem modo cadens de quercu amicum, vt testatur Moyses, cum non casui occisioné hanc inuolũtariam tribuit, sed Domino, qui tradidit illum in manus occisoris per seriem causarum.

Sic etiam soluitur quæstio de sponte nascentibus, quoniam illorũ idea est in mente primæ causæ, & in executoribus suæ prouidentiæ Angelis, tanquam discipulis, & in cælo tanquã in sigillo, & in elementis tanquam in instrumentis, quibus planta spontè nascens assimilatur in calore, & materia, & dispositionibus, ideatoribus verò in forma, & ideatione. immò etiam cum homo generat hominem, probatur, non esse primo principale agens, sed secundarium. Non enim scit ipse hominem formare, & formationis modum, & partes singulorum membrorum. Similiter nec cum ignis generat ignem præhabet omnem modum generandi ignem: nec artifex cum artificiatum facit: multa enim necessitate inobedientium materierum facit: vnde Trismegistus ait, Neque lignarius fecit nodum in tabula; neque ferrarius rubiginem in ferro, nec coquus combustionem in carne assata. Sed de his in 2. p. plurima dicenda manent. Igitur sicut Deus, influendo Necessitaté, Fatum, & Harmoniam, per multas causas & concausas, & occasiones, modificat vires spermatis, & vteri ad formandum fætum; ita in sponte nascentibus putrescentem materiam, & calorem modificat in cadauere ad vermes producendos. quorũ similitudo instrumentalis & essentialis secundum partes præest in homine, & in cælo, & in terra, quoniam præest materia & calor & spiritus, & dispositio preuiarum causationum, & concausationum, & occasionum: sed non ita concinnati, vt faciant animal hoc. Concinnatio autem formatioque est à Deo per Naturam, quæ participata potestas, sapientia, amor à Deo rebus inditus est, concinnatus Fato, Necessitate, & Harmonia sub assistentia intelligentiarum ad opera specialiá constituenda.

Quæ nimirum Natura facit quædam propter se, & per se vt calor calefacit, & homo facit hominem: quædam propter se, sed non per se, vt calor attenuat materiam, vt moueat, viuatque motu in illa. quædam nec per se, nec propter, sed per accidens, & præter intentionem, vt cum indurat. Quædam præter intentionem, sed per se: vt cum adulter per se generat hominem: at præter intentionem: nollet enim suscipere prolem. Attamen natura cõmunis propter se omnia hæc ordinat, fieriq; iubet, & facit, etiã si homo faciat monstrum, & occidat quem nollet. Hic tamé de actione imperata, & vetita, & permissa distinguendum, vt in Theologicis diffusè tradebamus.

Aristotelici tamen in 7. Met. T. C. 29. docent, in aliquib. præesse formã totam. vnde similis effectus prorsus fiat, sicut cũ ignis ignem, & ædificator ędificium præconceptũ faciunt. & in his non cõtingere casu quippiã fieri. In aliquib. vero præesse partem formę, cũ Asinus generat mulum & mas fæminã, & medicina calida calefaciendo facit sanitatem, similé modo calori medicinę, non autem medicinæ prorsus. Et his contingit fieri casu, quæ fiunt ab arte, & Natura; vt cum sola commotione æger incalescit, sanaturque nullo adhibito calore per medici arté, sed casu quodam. & in his præcedit (vt aiunt) pars similis rei genitę, non actu sed virtute: quoniá caloris virtus est in motu, & non res. aliquando præcedit tota forma solummodo in virtute, sicuti cum fiunt spontè nascentia: quorum forma præcedit in corpore cælesti sua virtute continente omniũ vires formarum: & cũ Torpedo torpefacit manũ piscatoris: cuius stupor totus præcedit in Torpedine nõ formaliter, sed virtualiter. & cũ generatur substantia ignis à calore, qui est accidens; verum quia agit virtute substantialis formæ ignis (aiunt) potest efficere persimilem ignem, & cum substantia producit accidens, & quantitaté, & qualitatem, quas præhabet in virtute tantummodo, & potestate. Hæc illi.

Nos autem dicimus, quod præesse aliquid factũ in sua efficiente causa, intelligitur multipliciter. Aut enim est idé numero, quod datur, & quod accipitur, sicuti cũ dat pater pecuniã filio, & tunc nõ est actio producens effectũ per se, substantialiter, nec existentiã effectus, sed solũ modum quendã existentię rei substantialiter existentis. Aut est idem specie essentiali, sed nõ numero; vt calor effundit caloré, non se ipsum idé numero generando, sed specie substantiali: & hic calor dicitur esse in virtute illius caloris generantis actualiter, quoniã virtus actiua est ipse calor calefactiuus, & dicitur esse essentialiter specifica essentialitate genitus in generante huiusmodi, sed tamen est solũ virtualiter si numeralem consideres modo essentialitaté, quoniã essentia habet virtuté se ipsam multiplicandi. & hoc esse virtuale, aut est vniuocũ, sicut cũ calor generat caloré: aut analogũ, sicuti cũ Deus generat Mundũ: Aut ęquiuocũ, sicut cum motus facit caloré: qui tamen motus non est calor, aut calidus: nec analogicè, nec vniuocè, sed nec æquiuocè: non .n. vocatur motus calor nec calidus. Omne auté æquiuocũ cõmunicat salté in voce cũ suo æquiuocato: sed tamen in hac voce causa effectiua cõuenit motus cũ calore: vterque .n. vocatur effectiua causa caloris, sed nõ est nisi secundũ vocem motus caloris causa: quoniam non facit caloré, sed excitat latenté, dum aperit laxatq. molem, qua calor præmebatur. Et quidem in motu non est virtus calefaciendi, nisi æquiuocè: sed tantum mouendi vt palam est, & per accidens potest dici causa: accidit enim motui flabelli frigefacere, motui verò rotę calefacere, quoniam calor excitatur, & amplificatur hac via: sicuti per flabellum adducitur nouus aër frigidior illo, qui nos tangendo calefaciebat, vt dictum est in Phys. Quapropter palam est, quod effectus non est in agente virtualiter, & potentialiter per se, nisi sit specificæ eiusdem essentiæ, vel analogicæ, quæ eminenter etiam dicitur continere virtutem, & rem effectus. Distinguendũ est insuper de causa totali, & partiali, & principali, & instrumentali, & mista: vt scias an actio ferat similitudinem totalem an partialem, an principalem, an instrumentalem, & quomodo aliqua instrumenta productioni existentiæ tantum valent, vt malleus ad gladij factionem: aliqua ad productionem insuper partis essentiæ, vt calor in hominis productione, cuius vita etiam calore constat. Quapropter arbitramur quicquid actione editur

præesse in agente semper, pro rata actionis, licet non eodem modo, quo in effectu: esse etiam in materiali principio, sed nõ ita qualificatum: qualificatur autem ideatione, quæ est ab angelis vt in discipulis, quæ est à Deo principaliter vt in opifice; & in cælo sicut in sigillo, & formatorio; & in Fato, Harmonia, & Necessitate, sicut in delatoribus formationis.

Quapropter si Peripatetici intelligunt, præesse formas in virtute agentis, & in cælo, quatenus ly virtus excludit actum omnem existentiæ effectus in causa vera siue eiusdem numero, siue specie vniuocè & analogicè, falluntur. Virtus enim rei fundatur in essentia rei, seipsam per suam virtutem multiplicante & communicante, numero, vel specie eandem. nam & homo seipsum dat nedum pomũ: sic.n. esse virtualiter sine actu est esse in potẽtia non quidem donatiua: non enim potest dare causa aliqua id, quod non habet, sed receptiua, vt materia est in potentia ad formas, & tellus ad philosophandum, quoniam potest recipere in vite vini formam, & vinum deinde formam spiritus animalis qui spiritus in homine est minister Mentis, ac discipulus ad philosophandum. Igitur ex eo, quod non est in actiua virtute, ac multiplicatiua agentis causæ, nullus effectus potest oriri verè, sed dicitur tantum oriri per æquiuocationem, sicuti ex motu calor & sanitas per accidens. Qui sanè motus ratione nulla virtuali potest calorem numero, aut specie eundem sibi producere, licet sic videatur non intelligentibus, quomodo præstet commoditatem modo, non ipse, sed mobile, non per se, sed per accidens, vt calor appareat, non vt fiat. sic etiam lapis præstat visui iudicium de lapidis natura, non quia lapis docet hominem quid sit lapis: sed quia eius præsentia lux spiritum afficit in oculo: ex quo spiritus lapidis notitiam facit. Nec timorem facit niger pannus in ficulnea auibus potentia, aut virtute propria. Sed ipse spiritus auium suscipit occasionem extimandi malum & timendi. Effectus ergo ab anima est, non à panno. Dico equidem, neque Deum posse aliquid facere ex eo, quod nullo pacto est, nec in actiua, nec in passiua natura. Etenim & mundum fecit ex nihilo materiali, non autem ex nihilo actiuo & ideali. *Quod* enim *factum est in ipso Deo vita erat*, Euangelio testante. Non tamen eiusdem essentiæ numero, sed specificè, non specie vniuoca, sed analoga; quanquam Scotus etiam vniuocationem celebret inter Deum, & suos effectus. Nos autem analogia contenti sumus. Potuit ergo creare Deus, quoniam præhabet, quidquid facit eminenter, & eius actio est vera communicatio suę bonitatis in totum non in partem effectus, vt docet Dionysius. Vnde & Scolastici ex hoc, quod nihil potest educi de potentia ad actum, nisi ab eo, qui est actus & præhabet actum, concludunt, quòd Deus est purus actus, nulla potentia admistus receptiua, sed solum donatiua quæ verè actus est. Multo ergo minus secundæ causæ possunt dare id, quod non habent actu, sed sola potentia, hoc est quia possunt habere: vnde mirum quod potentiam calefaciendi dant motui, cum nec calorem habeat, nec possit habere, cum sit propemodum nihil, nullius qualitatis actiuæ subiectum, & calore posterior tempore natura, & dignitate, vt probatum est in Phys. At neque sol non calidus neque lucidus, calorem & lucem faciet Aristotelicis, aërem conterendo: cum lux eius recipiatur in Luna & Planetis antequam fieret in aëre, redeatque in Lunam, vt probauimus Physicè & Mathematicè. Neque sol conterat aërem, à quo per innumera distat miliaria. Neque si conterat eliceret calorem, cum fugax aër ictus non sustineat, vt lapis; neque calorem, & sulfur & cinerem, qui est in lapide ab sua origine, eliciturque percussione, contineat aër. Immò puto ob fugacitatem potius frigus, quam calorem in aëre per motum gigni, vt flabellatio, & ventilatio, & omnis aëris magna commotio comprobant. nec tamen (inquam) gigni, vt sciolus recens putat, sed ex nouo aëre subsequi altero fugiente, prout in Phys. dicebamus. Sol ergo sui natura calidus lucidusque, illuminat, calefacitque. At neque torpedo dat stuporem, quem non habet, sed vaporem in piscatoris manum emittit, aptum stupori spirituum partim occasionaliter, respectu primalitatum, partim materialiter respectu tenuitatis spiritus ab ipso grauatæ. Quando ergo sol non animal generat animal, & cælum inferiores res, quæ in eo non sunt; considerandum est, quod cælum non dat animali materiam crassam, quam non habet ipsum, neque ideationem, & figurationem, quæ non est in cælo, nisi forsan vt sigillo asterismorum, neque in terra, sed in Angelis discipulis, & in Deo magistro, eas per Necessitatem, Fatum, & Harmoniam exprimente & transportante; sed verò dat cælum calorem, quem habet: qui calor in tenuissima materia spiritus fit intra crassam; quam mox organizat pręfatis influxibus coactus iuuatusque sub intelligentiarum ducatu: absque quibus vtrisque nullũ calor animal scit, aggrediturue producere, & hoc Peripatetici non considerauerunt.

Cum autem dicunt, accidens producere substantiam, & è conuerso, falluntur. Substantia enim prima, quæ est spatium, & secunda, quæ materia est, sunt ingenerabiles, & incorruptibiles à se ipsis, & ab accidentibus. Substantia autem composita vt ignis, & decomposita vt animal, generatur generatione formæ & compositionis, ac corrumpuntur, sed non ab accidentibus, sed à viribus essentialibus, quæ sunt calor & frigus substantiæ reputatę apud Telesium, & Aphrodis. & Olimpiodorum, & Philoponum, & Hippocr. & Galen. Licet melius substantiales virtutes, aut qualitates vocari deberent, vel differentiæ substantiales, vt dixit Aristotel. in primo de Gener. & cor. Qui etiam in 7. Metaphys. tex. 32. concedit accidens à substantia generari, continente ipsum in põtentia, sed substantiam non posse, nisi ex substantiis actu fieri, tam actiuis, quam passiuis: id quod etiam de forma asserit ibidem ipse sæpè, ac Aphrodis. in 2. de anima concedit, corpus ex non corpore fieri, haud tamen substantiam ex non substantia: licet sibi non constet, vt prius ostendebamus.

Quapropter cum videamus, calorem absque forma ignis, à quo sumit virtutem Peripateticis, generare ignem in speculis comburentibus, & in nubibus, & in rotis incalescentibus, & intra terram, vbi nullus est ignis Aristoteli; frigusque è contra in aëre frigida multa non sustentatum forma terrę facere: consequens est, vt substantię sint, seu substantiales actiuę formę; quę meliori iure vires dici deberent, nullius formæ instrumenta, sed per se vbique agentes, & propterea cum producunt calorem & frigus, per se agunt, &

principaliter: cùm vero producũt animal, & nubem, & glaciem, instrumenta sunt naturæ, quæ est ars Dei, sicuti lancea quatenus forat lanceato vulnere per se agit, & quasi princeps causa: quà vero inducit mortem, agit per accidens, & quasi alterius intelligentis causæ instrumentum: similiter cum faciunt tenuitatem, & crassitiem, motum, & quietem, non per se, nec gratia suæ Entitatis, videlicet effectus agunt, sicuti cum calefaciunt & infrigidãt. Quies enim non est Quietis gratia, nec subtilitas subtilitatis, sicuti est calefactionis calor gratia caloris: & gen tum frigus gratia generantis vniuocè frigoris: sed fit quies tanquam frigoris actus, & motus tanquam actus caloris, ad quem requiritur tenuitas vt possit moueri. Fiunt ergo propter se, sed non per se tenuitas & crassities, & sunt calidæ & frigidæ non autem sunt calor & frigus, sicuti est quod fit calefactione & frigefactione. Lux etiam & tenebræ non generantur, sed sunt quasi apparentiæ sequentes rem genitam, nec quies & motus fit, sed sunt affeclæ rei factæ.

Quidquid ergo fit per se, & propter se habet similitudinem naturalem, & idealem in Agente causa: quidquid fit per accidens, & propter aliud non habet similitudinem nisi in causa prima, cuius virtute & gratia agũt causæ agentes omnes. Quidquid fit propter se, & non per se, habet similitudinem solum idealem in causa actiua sui, vt homo producens motum non est motus, & solam idealem habet in homine concipiente similitudinem; habet etiam naturalem, quia homo non potest mouere nisi eo, quo est ipse mobilis, id est, spiritu: veluti neque homo scribit, nisi quo est scriptor. quo enim homo, aut quo ædificator, scribit per accidens. Igitur cum calor producit tenuitatem præ habet illam actu, non primario, sed consecutiuo, & quasi idealiter. Quia enim nouit in sui idea, vel diuina per instinctum; aut quia prænotum est in diuina omnium causa, non viuere calorem nisi in materia tenui; idcirco dum calefacit, & se in regno nouo amplificat, simul attenuat: alioquin non potest molem occupatam sequestrare ab hostili, & sursum ad cognata rapere Entia: vnde videtur hæc actio opus intelligentiæ dirigentis cuncta suos in fines. Omnis ergo agentis virtus præhabet ideam formæ materialis, & accidentium requisitorum ad vsum formæ in materia generandæ. Formæ verò generandæ habent essentiam: vnde Caietanus super p. p. D. Thom. quæst. 2. art. 3. non habet pro incõuenienti vocare calorem & albedinem, causas effectiuas, & exemplares calidorum & colorum. Hinc diuinam artem patefacimus nonmodo in generatione decompositorũ, sed etiam simplicium. Nam nec generatio ignis ex igne est absque idea præeunte. Licet enim calorem calor generet, tenuitas tamen & leuitas, & dispositio atomorum ignis in quadam formatione cõsistens, non calori, sed ideę intellectus præcognoscentis calorem, non nisi in subiecto sic efformato posse viuere, correspondent. Veluti forma oculi orbicularis, & tunicarum eius fabrica, & humorum dispositio & positura, non animæ formatrici, & spiritui fabro similes sunt: quoniam & pes & nasus alterius dispositionis, & figuræ etiam ab illa sunt: sed ideæ formatricis potestatis simulachrum gerunt, quatenus præuisum erat in idea, non posse visionẽ aptè fieri, nisi in sic concinnato organo. Hoc etiam artificiata ostendunt, quæ ab idea artificis, & à viribus laborantibus eiusdem, fiunt. Calorem autem ab exordio mundi ita cælum ex attenuata mole constituere, motuque donare; frigus vero terram ex condensata, & quiete viuentem efficere, Necessitate, Fato, & Harmonia cogentibus, ex potestate, sapientia, & amore conditoris summi, in potestatem sapientiam, & amorem secundarum causarum influentibus, declarauimus non perperam in Physiologia: & in 3. parte huius voluminis palam fiet. Ergo & si notior ars est nobis in decompositis entibus, & idea præuia, tamen in compositis, & simplicibus notior est naturę, & Angelis, rectius intuentibus.

Non ergo quia simile præest in causis secundis generat simile, vt dicebant Peripatetici. Nec enim omnis homo generat hominem, nec mus modo murem, nec tenuitas tenuitatem, nec lapis lapidem; sed ex terra quoque fit mus, & omnis planta absque generante. Immo etiam si fiat à simili, cum nec mus, nec homo sciat, quibus numeris, & particulis, & modis, & quomodo præparatis, & quot partibus, & quam distinctis formatur homo, & mus, veluti nec penna qua scribo scit scripturam; consequens est, vt Deus, qui solus scit, & potest cuncta formare, sit autor & causa princeps omnium factibilium, dandò esse vniuersaliter, & vtendo non esse ad particularizandum: Cæterę vero causæ agant vt discipuli, & organa Dei, quibus si Deus non vtitur, opus non edunt. vt benè Theologi Christiani præ cæteris cõsiderauerunt. Non ergo sufficit agens vniuocum ad compositos effectus, nisi concurrat analogum. Neque ad simplicem: & si enim facile videtur dicere, quòd calor generat calorem, non tamen qua ratione sese multiplicet, generetque: vt Dei processus sacros in cunctis naturis cum Dionysio Areopagita agnoscas: Nec ergo rectè Peripatetici faciunt in parte similitudinem totius, & in effectu per accidens, nisi & causam totalem, & per se simul cooperantem agnoscant. Omne enim quod fit fit ex eo, quod est ipsum specie vel vniuoca, vel analoga euidenter: occultè tamen simul vtrisque.

Sin verò Peripatetici intelligunt, in agentium virtute præexistere, quæ fiunt illis similia, quæ tamẽ virtus non excludat ita actum, quod dicat solum potentiam, quam probauimus esse nihil absq; actu potente: excludat tamen modum rei faciendæ, vtique nos concedimus, solem & terram generare animalia, quæ habent in se non formaliter, sed virtualiter, & idealiter quo ad modum; sed essentialiter quo ad entitatem. Est enim materia animalis in terra, at non modus & organizat o, qualis in animali. Est in sole calor, sed non modificatus in tenui materia factusque spiritus crassæ terrenæ molis organizatæ habitatore. Verumtamen verũ est, nihil habere animal, quod non præsit in cælo, & in terra præter modum & exemplar: quod licet sit in illis, est tamen sicuti in seruo non in Domino. Virtutes enim seminales primitus sunt in Dei verbo: in elementis verò per modum fluentis non stantis: in elementatis per modum recipientis: & in seminib. per modum conseruantis, vt sapiẽter Augustinus admonuit. Ast hoc Peripatetici dicere nequeunt, cũ negent ideas: vnde non satis mirari queo Aristotelis inconstantiã, qui in 7. Metaph. t. 31. dixit in semine præesse virtutẽ formatricẽ, sicuti in ædificatore forma domus ædificandæ: Rectè quidẽ vt nos, sed sibi contrarius: quippe qui in 2. gener. anim. scripserat, non inesse animã in semine, neq; in 1. neq; in 2 actu, sed sicut homo, qui non habet artem cytharizãdi nec cytha-

rizat; Ast ibi motus quidã impressus à generãte, est veluti in virgulto moto remanens, & generans animam, & formans corpus. At, quæso, quomodo format carens forma? & quomodo animat carens anima? & quomodo dat sensum insensata res? & quomodo motus non Ens seruet virtutem maximæ Entitatis, quæ est animæ & det? & qui mouente abeũte cessat: hic tamen quomodo augetur vsq; ad corporis exactam formationem ex repugnante menstruo? quam formationẽ nec seminans homo scit: quomodo ergo ipsam motus sciet stupidus, nihilitatis plenus, nec à seminante edoctus, nec doceri potens: vnde coactus est tandem in 3. de gen. anim. fateri calorem esse animasticum, & terram aërem & aquam animata, vt etiam Auer. ibi fatetur, & docet. Sed de hoc in Phys. & in 1. lib. huius voluminis: & in lib. de sens. reꝛũ. Hic ergo notandum, quod cum Arist. doceat, in putrefactis præesse formam generandam sicut in semine: in quo nunc rectè sapiẽs ponit, sicuti domus formã in domificatore; prorsus fateri debet, quod eadem idea est causa spontè nascentium ex putrefactis, & ex vniuocis agentib. causis; quod inconstanter interdum negat. & profectò neque homo, neque sperma, neque putredo sciunt formare animal: sed Natura in eis, quæ diuina est Potestas, Ars & Amor participatiuè, producit, concinnat & perficit per calorẽ, fato modificatũ, formationes in materia materiales. Et calor producit calorem sub eius regulatione, sicuti penna caracteres in modificatione instrumentaliter, in colore & gracilitate principaliter, & gladius principaliter tamen, instrumentaliter mortem: sed respectu Dei principalitas illa adhuc reducitur in priorem principalitatem.

Quia igitur omnis efformatio materialis est propter aliud, & non per se fit, & gratia sui, idcirco eius non præest essentia, sed idea. & licet formatio animalis præsit in generante animali, non tamen est in semine, nec in putri materia, imò præest in generante animali potius materialiter quam actiuè, ac veluti in fiscella forma casei, & in igne forma assationis: quæ absque coquo non perficitur. Actio .n. eius materialiter assat, non formaliter, cum assatio sit eius modificatio per coquũ facta; potius autẽ est sicuti forma domus in altera domo, vnde exemplar sumit domificator, vel quam exemplauit domificator idem. Non enim necesse est præesse extrinsecũ exemplar in artifice, sed potest ab ipso excogitari. Ita nec in Natura ad exemplandum, sed solum ad commoditatẽ vasorum & dispositionum. Fit enim campana, & sine forma adiacente, & cum forma, ab habente ideam, sicuti habet natura, sed commodius in forma. Cæterum cur aliqua non possint spontè fieri, sed ab alio, vt elephas & homo, alibi dicetur. Non enim fit ob vim formantem idealem præuiam in homine, sed in Natura, arte Dei, quodlibet Ens, & homo. Prærequitur autem ob ministerialem, & dispositiuam commoditatem homo, non vt faciat, quod ignorat, namque & vbi tanta dispositio non est necessaria, fiunt & in vtero, & in terra formationes à Natura arte diuina, vt mures & culices, & ranæ testantur, & plantæ, & metalla.

AN ACTIO ET PASSIO SINT IDEM motus: & fiant duo prædicamenta, quoniam diuerso modo significant naturas agentes, & patientes: & quot modis patiens resistat, & de multiplici actionis & passionis acceptione, & significatu.

CAP. VII. ARTIC. I.

QVONIAM diximus, passionẽ esse receptionẽ similitudinis alienæ quatenus aliena, ac propriæ proinde deperditionẽ. Videtur forsan esse idem motus actio & passio: eadem enim via ab Athenis ad Thebas, & à Thebis ad Athenas. Differreq; sicut principiũ & terminus, & sicut dicit Arist. vt Ab Hoc, & vt In Hoc. Proptereaq; quæcunq; diximus de actione, etiã de passione dicta sunt, oporteret. Verũ si sic est, nõ rectè posita videntur duo rerũ genera apud veteres Actio & Passio. An fortè quia sunt duo cognoscendi principia, diuidũtur, quoniã videl. Actio vim agẽtis per se notificat, passio vero patientis causæ. Ex eo enim quod calefacit ignis scimus ipsum esse calidũ: Terrã verò quia recipit calorẽ, scimus non esse calidã, sed posse calere. & quia alio modo & tempore calescit cera & aurũ, & tellus, & oleũ, & aqua, idcirco esse Entia hæc differẽtia, scimus ex differenti modo patiendi: & quia calorem omnia hæc recipiũt, scimus habere eandem materiã subiectã receptiuã contrariorũ. & quia Angeli non patiuntur à calore, scimus eos nõ cõmunicare in materia cum Phys. corporib. Ergo alia ratione pati ab igne Angelos & animas, quemadmodũ Theologi doctissimè declarãt. Neq; .n. quæ in materia non cõmunicant, cõmunicãt eodem modo in passione, sc. neq; motus, neq; albedo, neq; linea per se calefiunt, nisi vt in materię applicatione; & quia in passionibus timoris, & amoris, & spei non cõmunicat lapis, & triangulus cũ Anima, scimus diuersarũ substantiarũ esse essentias eorum. Quæ verò maximè cõsimiliter patiuntur, consimilimę esse materiæ docemur, plumbũ & stamnũ; atq; cæpa & alliũ. & quoniã quæcunq; eiusdẽ sunt resistentiæ æstimantur eiusdẽ passibilitatis, & è contra, Mercurius .n. quia euolat statim patiendo ignẽ sustinere actionẽ eius nõ valens, ferrũ verò perdurat in passione, licet amittat partes aliquas ac pondus. Aurũ verò nullas amittit partes, ergo nec pondus; hinc possumus materię dispositiones venari, & similitatẽ & dissimilaritatem. Resistere quidẽ per vim actuã, est formaliter Agere, vt cũ Tellus resistit igni per frigus. & ita omne agens repatitur. per passionem verò resistere, est agere materialiter, vt per dẽsitatem & duritiem. & cũ nulla resistentia, neq; formalis, neq. materialis reperitur in effectu, tunc est totius actio, productioq. vt cũ homo dat seipsum vel pomũ volenti accipere; sed fit cũ tempore, quoniã concurrit in hoc, & loci mutatio, quę simul fieri nequit, vt deinde probabimus ob incõpossibilitatẽ terminorũ à quo & ad quẽ, & mouentis virtutis finitatẽ. Quibus sepositis fit actio in instanti, vt cum Deus creauit cęlũ & terrã. vbi passio nõ est receptio.

ſed ſimul receptio & res recepta, vt deinde conſiderabimus.

Hęc ſiquis perpendat, agnoſcet vires & modos agendi diuerſos, atque diuerſam & analogam eſſe actionem atque paſſionem. Alia enim actio fert totum effectum eſſentialiter & exiſtentialiter. Nam nullum Ens habet ſibi reſiſtens, ſed non Ens ſicuti eſt creatio. Alia fert totum exiſtentialiter vt motus Petri de domo in forum. Alia defert partem Entis, vt cum ignis generat ignem, non quidem materiam gignendo ſed formam in materia. Alia effundit eſſentialem formam cum parte materiæ, vt cum homo ſeminat hominem. Alia effundit accidentalem modo vt cũ in terra calor imprimitur: alia artificialem, vt ſigillum in cera: & quidẽ aliæ ſunt actiones indicãtes cauſas ita viuidas, vt extra proprium ſubiectum ſe ſe effundant, & alienum immutent regnum, vt calor è ſole in terram: & frigus è terra in aërem, vbi multa ad terræ ſimilitudinem transfert: & in omni materia iſtæ cauſæ operantur. Aliæ ſunt minus validæ vt non niſi certam agant in materiam, nec poſſint ſe ſe abſque materia effundere, vt planta & animal quando ſerminant, & producunt ſimile certis in locis vteri & telluris, vbi iuuantur ad opus: aliæ ſunt merè materiales, quæ non multiplicando ſe, ſed miſcendo agunt, & perdendo, vt aqua humectat ſui miſtione, & farina exiccat, & lapis grauat & aqua ſuffocat ignem ſui peremptione, non multiplicatione, vt cum calor humectat materias expandendo: & aquas ignit, non ſe necando, ſed augendo. Materialiter enim aqua claudit poros, ex quibus flamma exhalabat, ſuffocatque, non actiuè, in aquam vertendo flammam. Materialis quoque actio eſt aquæ lapſus de montibus in mare: ſed miſta actui, vel actioni: calor enim natura mobilis, iuuat in hunc motum: iuuat & ſympathiam: nam & mercurius tendit in aurum, & ferrum ad magnetem per actionem Metaphyſicam: & aqua aſcendit ad vacui repletionem: vt videas omnes actiones Phyſicas à Metaphyſicis geri, & materiales à formalibus, ſicut prius dictum eſt. Si ergo actio indicat aliter atque paſſio, & alia, non videntur eſſe idẽ actus: alioquin idem ſignificarent.

ACTIONEM ET PASSIONEM SVMI

pro forma fluente, & pro fluxu: dubitationeſque plurimæ an actio ſit in agente, & paßio in patiente, an è contra; an vtraque in ambobus.

ARTIC. II.

Vt autem quæſtiones omnes ſoluantur, inquirendum eſt, quid ſit propriè paſſio & actio fundamentaliter. Etenim aliquando ſumitur actio pro fluxu, aliquando pro forma fluente: vt cum ignis calefacit manum, poteſt calefactio ſumi & pro calore, qui effunditur in manum, & pro ipſa effuſione: & quia fluxio videtur formaliter eſſe actio, & non poſſe reperiri abſque forma fluente, videbitur forſan materialiter actio ipſa forma fluens: ædificatio ergo eſt forma ædificij fluens ab ædificatore in ædificium, actio materialiter: fluxio vero illius formæ eſt ædificatio, ſeu actio formaliter: & quidem prima acceptio placet Aphrodiſæo etenim & qualitates vocantur paſſiones apud Philoſophos, & immanentes: ita vt ne dum color ex verecundiæ paſſione in turbatione ſpirituum ortus, ſit paſſio tanquam paſſionis turbatiuæ terminus, ſed etiam color ſtabilis, & omnis proprietas inſuper: ſic enim probant, & de triangulo paſſiones proprias & communes: ſicuti de animali rudibilitas, & diſciplinabilitas: quare ſi ſoluenda eſt quæſtio aliter reſpondebimus de fluxu & fluente forma, vtque id rectius innoteſcat, inquirendum.

Vtrum actio ſit in agente, an in patiente: de hoc dubitant Philoſophi, ſed de paſſione nihil dubitant, ſupponentes, quod ſit in patiente. At de hac dubitare debuiſſent: calefactio enim non videtur eſſe in frigore patiente, ſed in corpore frigido: quod diximus non pati niſi receptiuè. At quidem ſi receptiuum eſt id, quod verè patitur, tunc locus pateretur magis, quoniam recipit & corpus & paſſiones eius ſimul. Rurſus videtur eſſe in frigore, non enim frigus pateretur niſi paſſionem reciperet: vnde propterea inter actiuas qualitates Paracelſiſtæ tollunt actiones, quoniam ſe ſe mutuo non recipiunt Nos ergo volentes, illas pati, receptionem illius in iſta admittere cogimur: pariter enim nec homo occideretur niſi occiſionem reciperet: occiſio enim non eſt ſubiecti corporis. Similiter nec lignum dolaretur, ſi dolatio eſt in eo non vt in ligno, ſed vt in corpore. Quod iterum ſi vt in corpore, ergo omne corpus dolaretur: ergo & aër, & ignis & aqua dolarentur. Iterum ſi non in ferro, ſed in corpore eſt lanceæ formatio, & ſcriptio non in charta, ſed in corpore, quatenus corpus: ergo & cælum & ignis & aër & aqua, quatenus corpora ſunt, poſſent in lanceas efformari: & ſcriptioni ſubeſſe & lectioni. E contra vero nec paſſio videtur eſſe in patiente receptiuo: creatio enim paſſiua non eſt in creata re: quoniam accidens non præcedit ſubſtantiam: creatio autem præcedit creaturam, & non eſt in creante, quia in Deo non eſt accidens. Item enim nulla materia præſupponitur recipiens creationem: ſed ſit materia & forma ſimul, vel ſimplex ſubſtantia, qualis Angelus.

Videtur quoque paſſio eſſe in agente: cum enim anima mouet corpus, motus paſſiuus eſt in corpore moto, & in mouente anima: & gratia huius fit ſæpè, vt, videlicet, ipſa deferatur quorſumlibet.

De actione vero, quod non ſit in agente dubia multa inſurgunt: videtur enim abſurde dictum ſc. quod ædificatio & ædificare ſint in ædificante, & non in artificio: & docere & doctrina in doctore, & non in diſcipulo: & ſcriptio in ſcriptore & non in pagina ſcripta: & ſi actio eſt accidens, quomodo erit creare in Deo, qui nullis poteſt accidentibus ſubijci? Præterea ſequeretur quod adueniret agenti aliquod accidens nulla facta mutatione in eo. At quomodo poteſt quid nouum in ſubiecto, non mutato ſubiecto ad ipſum, niſi fortè in relatiuis?

Actio autem non est primitus relatio, sed substratum relationi, quoniam est communicatio & fluxio agentis in patiens: vel concedunt quoque omnes, actionem esse accidens inhærens, & alterius generis à relatione. Quod autem præfatum sequitur inconueniens, inde patet: nam dato calefaciente, & calefactibili resultat actio & passio: sed subtracto calefactibili, calefaciens non amplius calefacit. Ergo actio sibi inhærens, scilicet calefactio, abest, subiecto non mutato. Rursus si afferatur patiens, statim calefaciens calefacit; & ergo calefactio incipit esse in eo, nulla mutatione in se addita, sed in alio. Hoc autem impossibile est de accidente reali habente esse In, & non Ad, veluti dicunt, haud inepte, Peripatetici.

RESOLVTIO QVAEST. QVOMODO ACTIO *sit ab agente, vel in agente, & paßio in patiente, vel receptiuo, vel perditiuo; & pro fluxu, & pro fluente forma, quæ est vel oriens, vel periens.*

ARTIC. III.

RESPONDENTES ergo, dicimus, actionem pro forma fluente sumptam, non aduenire agenti applicato patiente, sed præesse in agente. Caliditas enim ignis est in igne: similiter calefactio, quæ est caliditas effluens, est in igne, qua caliditas: sed qua diffluens non est in igne, sed separatur numero, donec in patiente fit prorsus alia numero. In agente autem erat idem, nec habebat in quod fluat. Vnde videtur actio sumpta pro fluxu, non præexistere, nisi causaliter & radicaliter. Et in hoc verificari dictum sancti Thomæ in quæst. disputatis. Item, dicimus quod si agens propria spoliatum materia consideratur, veluti sæpè calor est, absque materiali forma ignis in ferro, & in aëre, & luce, non præexistit in eo actio sumpta pro forma fluente, sed ipsummet agens.

De potentia Dei q. 7. ar. 9.

Quid enim est caliditas nisi ipsemet calor? & quid calefactio, nisi calor, quatenus communicatur? Communicatio autem est fluxio, & non præest, nisi qua virtus fluendi, & effundendi præest. Ergo non dicimus, actionem esse in agente, sicut Peripatetici dicunt, sed ab agente. Quatenus enim habet esse In, non est in agente, sed in patiente. Et hoc videtur quoque Arist. sensisse in xi. Metaph dicens, *esse actum mobilis vt in hoc, & motiui vt ab hoc.* Quando ergo admouetur patiens, & quando subtrahitur, non mutatur agens, quoniam nec perdit formam, quam habet, nec denuo suscipit actum, quem non habebat, nisi quando simul repatitur per accidens. Accidit enim agenti repati, & non quatenus agit. Igitur & quando Deus creauit mundum, creatio actiua in Deo facta non est, quoniam actio non est in agente tanquam in subiecto, vt sic, nisi per accidens, vbi composita est agens causa ex materia & forma actiua: sed si sit forma agens simplex, vt calor, & Angelus, & Deus, nequaquam actio est in illo, vt quid diuisum accidens inhærens: sed actio est ipsa virtus agens addita relatione ad patiens, si est sine motu & tempore: si autem cum motu & tempore, tunc erit virtus cum fluxu simul & relatione. Nec quia exit de posse agere, vt aiunt, ad actum, dicetur mutari, quando non repatitur, sed potius mutare. Mutare autem in effectu recipitur non in causa: quanquam in causa. Quapropter nulla nouitas in agente fit, sed ipse ipsam facit. Nouum enim est vt non esse transeat ad esse: & quia actiua est ipsa virtus creatiua, æterna in Creatore æterno, qui ab æterno fuit in actu, non tamen creatura, nisi quando ex nihilo prodit: idcirco Deus non est mutatus de potentia ad actum, sed ipsa tantum creatura. Si autem per fluxum, qui est motus, Deus crearet, in eo fieret non modo relatio noua, sed quasi mutatio, licet longè minus quam Peripatetici Theologi putauerunt, quoniam non intellexerunt actionem non inhærere agenti, sed esse vel ipsum agens, fluens, & amplificans se, vt patet, quando mouet se de domo in plateam: vel fluxionem ab eo, & non in eo: & vbi non est fluxio, absolui ipsum ab omni mutatione, præter relatiuam. Exitus autem de potentia in actum est in eo, qui recipit actum non in habente: multo autem minus in eo, qui est per se actus. Adde quod sicut calor semper calefacit, sed manus non semper calefit, nisi cum calefacienti admouetur: sic Deus semper agit, & actu est creans: sed mundus non semper creatur nisi cum incipit esse. Vide tertiam Partem.

Quod Deus refertur realiter, & ratione ad creaturam, absque mutatione reali absoluta sui. Et an etiam absque relatiua.

AT resurgit dubium, quoniam si in Deo aduenit noua relatio ab actione recepta, non illata, vt cum fit de non Creatore Creator, & de non Domino Dominus: ergo accidit illi aliqua mutatio & temporalitas. Respondent Theologi Thomistæ, hanc nouam relationem esse ens rationis, sicut scibilis ad scientiam, quod non est relatiuum, quia refertur ad scientiam, sed quia scientia ad ipsum, & quatenus cointelligitur scientiæ relatiuum per actum intellectus, fit relatiuum. Columna etiam me mutato ad ipsam fit dextra & vicina. Scotistæ vero nil relationis in Deo ponunt, sed ipsum denominari realiter Dominum & Creatorem, non à relatione sibi addita de nouo formaliter, sed à creatura & à seruo, in quibus est realiter. Aliter enim inquiunt, Deus non esset Dominus & Creator realiter, si à relatione rationis modo diceretur Dominus & Creator. At quidem seclusa ratione, nulloque intellectu considerante, Deus iam est Dominus & Creator, ergo ab aliqua reali relatione, non propria: sic. n. ipse

esset mutatus, ergo ab aliena, in quo facta est mutatio.

Hinc (concludunt) correlatiuum non semper esse secundum se relatiuum, sed posse absolutum esse: imo de facto esse terminum sui correlatiui. Namque scibile terminat scientiæ relationem nullo intellectu considerante: Ita & Deus per se terminat seruitutis & creaturæ relationem nullo intellectu considerante: nec sibi quid relationis accidit, sed ab extrinseco denominatur, Dominus & creator ex tempore.

Sed profecto vbicunque datur Passio, datur & actio. Nam & cum formidamus rem non formidabilem, nec facientem formidinem, tunc actio est ab actu animæ in corpus, arripientis occasionem formidandi & turbandi corpus, & vbi passio realis, ibi actio realis. Ens enim rationis non producit Ens reale, sed anima Ens reale producit Ens rationis, quo mox producit reale. Deus autem realiter creauit mundum, ergo dicitur creator à creatione actiua reali & non rationis, nec à passiua reali, quæ eatenus est realis, quatenus à reali est actione. Nec quidem dicitur quis doctor ab addiscere discipuli reali, sed à proprio docere reali. Nec cum quis de se addiscit, non ex voce nec ex scriptis meis, causat in me relationem docentis ad ipsum discentem: sed cum ego aliquo pacto ipsum doceo. Nec similiter erit quis Dominus, quia aliquis est sibi subiectus, sed quia ipse habet alium sibi subiectum. Dominatio enim facit Dominum, seruum. & Pater est à Paternitate, non Filiatione: Alioquin filius Petri esset etiam filius meus: & qui sub inferiori domicilio est, seruus esset habitantis in superiori: & superior esset seruus tecti cui subiicitur.

Dicendum ergo, Deum esse vere creatorem ac Dominum, quoniam semper habuit potestatem, intellectum, & voluntatem creandi mundum, tunc quando creatus est mundus: ac dici Dominum & creatorem à virtute propria dominatiua & creatiua, quæ in eo non aduenit de nouo, non autem à relatione adueniente, nec ab extrinseco, vt etiam nobiscum asserit D. Thom. in 2. cont. gent. c. 13. Non tamen ab æterno dictus est creator & Dominus, quoniam non ab æterno creatus est mundus. Cum autem creatus est non noua relatio in Deo fit, quoniam nec mutatio) & in hoc sapit bene Scotus & Thom: quia ille nullam realem, iste solum rationis addit relationem) sed tantum facta est manifestatio eius potentiæ & voluntatis & sapientiæ.

Ipse enim dicendo se, & manifestando ideas suas, producit & creat. & sicut quia prius erat ignotus & postea notus S. Alexius, illa notificatio non facit nouitatem in eo, nisi per accidens respectu cognoscentium, ita nec dominium & creatio in Deo nouitatem faciunt, sed manifestationem respectu creaturarum, quæ sunt quasi splendor eius, idearumque suarum effusiones. Nec enim quia aër noster illuminatur à sole, fit in sole illuminationis mutatio: cum præsertim non idem numero lumen in sole & aëre. Hoc autem nobis, tempori mutationique subiectis, & laboriosis agentibus, intellectu difficile est, sed verè introspicienti sic apparet.

Exemplum de scibili nihil valet, quoniam id est, scibile, quod per se vel per aliud cognoscentem potest commouere virtutem, & cum mouet realiter, cognoscitur realiter à patiente realiter & refertur realiter actu. Cum in potentia, refertur in potentia. At exemplū de columna facta dextra & vicina absque sui mutatione melius declarat, sed non probat. Constat enim me ad columnam accedere & fieri inter me & ipsam vicinitatis relationem nihil ipsa mutata, sed tantum realiter relata. Sed quando Deus creat non ita est, quoniam verè à Deo creatur mundus & emanat. A columna autem non emanat vicinitas sed à me, & tamen est columnæ vera vicinitas vt Ad, non vt In. Oportet ergo in Deo ponere relationem æternā realem fundamētaliter, quoniam realiter creat: sed rationis formaliter nouam, quatenus ex tempore denominatur creator formaliter ab intellectu, considerante in eo relationem quasi in subiecto: & realiter à fundamento, & à termino: nam à creatore verè esse cæpit per virtutem Dei, in qua fundatur relatio ab æterno, & manifestatur in principio temporis & hoc dicimus si relatio sit forma aliqua, qualiter ipsam nonnulli cogitant. Cæterum quia est merus respectus sumpta formaliter & respectus dicit, ad, & non in, ideo assistens est non inhærens talis relatio, nisi ratione fundamenti in creaturis: vbi fundamentum est accidens: in Deo vero quoniam identificatur cum essentia ipsa, vt sic est quasi fundamentum. Nihil tamen inconuenit respectum nouum Deo aduenire, sicque potentiæ creatiuæ, quoniam non inhæret, sed adhæret: quemadmodum columnæ appropinquatio, & elongatio, quas constat esse reales nullo intellectu cōsiderante etiam in columna nihil mutata in esse reali absoluto sed in esse reali relatiuo: & in his verificatur, quod dixerat Gilbertus de relationibus affixis non infixis, quando quidem non in omnibus sunt infixæ, nisi (quod ipse nesciuit) immutatis, vel per modum intrinsecum relatis, vt in SS. Monotriade, in qua vt sic essentiæ identificantur: de quibus in 2. Theolog. diximus satis. Nunc autem quod relatio noua realis adhærens, non inhærens coëxistat æternitati & Deo æterno absque Dei mutatione (quod timentes Scholastici acceptant solam relationem rationis nouam) declaratur ex eo quod ipse S. Thom. omnia temporalia coëxistere æternitati docuit absque nouitate in æterno, quoniam non insunt, sed adsunt. Alia enim ratio dari nequit: ergo esse relatiuum reale nouum non facit nec sequitur mutationem Ad hoc nisi sit In hoc.

In omni specie actionis quomodo actio est Ab, & non, In, sumpta pro fluxu & pro fluente vi eadem numero. Specie enim pro forma est in agente etiam. in patiente vero vtraque & quomodo.

Dicimus ergo, quod in actione artificiali, vt scribere, & inuiolenta vt proiicere lapides, & in naturali simplici vt calefacere, & supra naturali, vt creare de nihilo, nunquam actio potest dici esse in agente quatenus est fluxus: sed si quatenus est forma fluens eadem numero consideretur, vel pro potentia actiua est in agente composito, sed in simplici est ipsa forma agens: vt vero alia numero non est in agente, sed ab agente: calefactio enim vt fluxus est ab igne & à calore, non in calore influente, seque amplificante, sed in calore vt fluente amplificatoque, qui est ab agente calore influente & non, In, nisi specificè. Item ædificatio est in ædificio quatenus fluxus, vt vero fluens forma ædificij. est etiam in ædificio alia numero ab influente, quæ nimirum vt influens, est, in ædificatore, est & quidem si ipsa forma siue idea

ædificij esset per se actiua & non in animo ædificantis, vtique esset ipsamet ædificans & non in ædificante. Similiter si motor esset forma simplex vt Angelus, non distingueretur motio à motore, sumpta pro forma influente motum, sed distinguitur à motione sumpta pro fluxu, qui fluxus recipitur in eo, in quo fit motus. Absque illo enim motus non fit. Quapropter Peripatetici errant, ponentes actiones immanentes. Nulla enim actio nisi sumatur pro forma agente, est in agente: immo est ipse agens in simplicibus, sed decepti sunt ab operationibus primalitatum, quæ sunt posse, scire, amare, considerare: quæ profectò actiones non sunt, sed actus vitales, vocati operationes intraneæ in Theologia, de quibus in sequenti capite. Si autem actio est composita ex actione & repassione, vt cum calor agit in frigus, à quo repatitur, tunc etiam passio est in agente non tamen actio quę fluit ab eo, idest calefactio, sed frigefactio. Similiter proiectio lapidis, vt fluxus, est in lapide: vt forma fluens est à proiiciente: vis enim eius lapidi indita, forma fluens est, deferens lapidem donec ipsa durat.

Dicimus enim vbicunque est resistentia, ibi reperiri violentiam: ac Peripateticos in 2. Metaph. longè errare dum putant, elementa inuicem agere naturaliter, propterea quod habent materiam communem non resistentem, sed aptitudinem ad formas habentem, quæ non est in artificiatis. Alij autem dicunt, propterea quod inchoationes formarum sunt in materia. Et quidem in vtroque dicto falluntur. Nam manifestè materia repugnat extraneo agenti, principio informata natiuo suisque conditionibus, vt terra igni plusquam lignum dolatori: & hæc pagina mihi scribenti. Inchoationes autem nullas esse in materia, nec latitationes formarum, sæpè demonstrauimus nos, & Peripatetici meliores nisi essentia materiæ sit ipsa semina vt putat Anax. Quapropter palam est quomodo actio est semper ab agente: in patientem. Insuper & quod per accidens aliquando etiam in agente per reflexionem actionis suę in se ex admistione patientis, vt in decompositis ex operatione, actione & passione, cum sc. spiritus operando imprimit motum corpori, ad cuius motum mouetur & spiritus. Est etiam actio composita ex operatione, actione & passione absque repassione, vt cum spiritus actu suo agit in arterias patientes diastolem & sistolem. Datur & actio multiplex decompositissima ex actionibus, passionibus, repassionibus, operationibuu, vt bellum: Sed tamen à nobiliori denominatur. Nobilius est enim agere quam pati, & beatius dare, quam accipere per se, licet aliunde per accidens aliter succedat.

In actione etiam transcendentali, qualis creatio, manifestum est, quod si sumatur pro forma agente est ipse Deus agens & in Deo secundum rationem In: nam realiter non in Deo, sed ipse Deus est. At pro fluxu est à Deo & non Deus: & quamuis non reperiatur fluxus temporaneus, intelligitur tamen translatio de non esse ad esse, quæ fluxus vicem analogam gerit. Et est in creatura non in creatore, sed à creatore: & quia creatio accidentis non præcedit substantiam, neque creatio creatur, dicimus creationem passiuam esse ipsam creaturam, vt relatam relatione transcendentali ad Deum, sicuti monet acutè Scotus, quoniam fieri & factum esse tunc simul sunt, vt concedit S. Thom. vnde quia creatum esse est in ipsa creatura quatenus pro fluxu & fluente re sumetur. Influens autem erat vis diuina ideatrix volens.

Epilogus Responsionum, & correctio Aristotelicorum de actu Agentis & Patientis.

RESpondentes ergo dicimus, actionem esse ab agente, passionem in patiente, per se: & receptiuum in materia: perditiuam in contrario: ac saluari analogicè contrarietatem in cunctis. Nihilum enim destruitur in creatione: frigus in Physica calefactione. Informitas in artificiali formatione: quies in proiectione, vel apposita actio. Actio enim est donatio similitudinis: & terminus eius est manifestatio in creatione: receptio in factione artificiali. Propriissima passio inter contrarias elementorum qualitates, quæ non sese recipiunt nisi ratione materiæ: per se enim reagunt aut desinunt esse: quid autem sit hoc desinere, in 2. parte declarabimus.

Quapropter non rectè Ar. eundem vult esse actum agentis & patientis, sicut ascensus & descensus, & eadem via Athenis ad Thebas & Thebis ad Athenas, neque enim distinxit ipse inter fluxum & formam fluentem: neque dictum eius potest verificari formaliter: nec materialiter nisi in impropriè: siquidem nec forma fluens potest simul vocari actio & passio nisi receptiua. Passio enim est forma periens, sicuti actio est forma oriens in illo fluxu: vt cum terra calefit à sole, si caliditas effusa & recepta esset actus ita agentis sicut patientis, idem esset agens & patiens ab eodem actu informata. Ergo actus patientis videtur esse frigiditas periens, solis vero, caliditas sese amplificans generansque. Nam etsi caliditas, quæ à sole datur, in terra recipitur, non tamen patitur terra, quia recipit caliditatem per se, sed per accidens. Patitur autem per se, quia perdit frigiditatem. Itaque actus patientis per se, est forma periens, per accidens autem extinctio formæ, quam expellit: respectu autem materiæ recipientis est idem actus, id est, caliditas effluens & simul recepta: sed respectu materiæ patientis est oppositum, nimirum caliditas effluens est agentis, & frigiditas abscedens est patientis, & in hoc actio & passio sunt per se opposita: & illa generatio, ista corruptio dici possunt materialiter: formaliter vero ipsæmet amplificatio & perditio etiam opponuntur, sicuti caliditas nascens, & frigiditas moriens. Ergo quando dicebamus, fluxum esse eundem agentis & patientis, per accidens verificabatur, sumpto fluxu pro fluente forma atque recepta: non enim idem est receptio & fluxio, nec receptio & passio, nisi per accidens: sicut enim actio vera est amplificatio, ita passio vera est perditio.

MVTATIONEM, QVAE EX ACTIONE, & passione oritur inter omnia opposita, id est, inter contradictoria, & priuatiua, & contraria, & diuersa, & differentia, & relatiua, & disparata, & altera etiam numero, sed alias ab agente naturali, alias ab auctore naturæ, alias per se, alias per accidens.

CAP. VIII. ARTICVLVS I.

QVONIAM Actio & Passio est inter opposita, & in rerum generibus, vtrum sit in omni genere oppositionis & in omni genere prædicamentali, inquirere nunc oportet, & quot sint. Mutari quidem dicimus, vel quod transit de non Esse ad Esse, vel de eodem ad alterum, vt cum ex non homine fit homo,& ex homine sene fit senior. Semper tamen aliquod Esse acquiritur, & aliquod deperditur. Si ergo Esse simpliciter etiam totale acquiritur, & perditur non Esse totale ac simpliciter, & talis mutatio est inter contradictoria, quam in Theologia vocamus creationem, nec potest nisi ab agente totali & infinitæ virtutis fieri, qui est Deus. Conuenerunt omnes Philosophi in hoc, quod ex nihilo nihil fit, & quod nullum Ens mutatur in nihilum, quoniam respexerunt ad finitæ virtutis partialesque causas agentes. At quidem si formam ex non forma faciunt, vtique materiam ex non materia facere debuissent sub primo agente. Porrò hæc mutatio inter contradictoria est radix omnium mutationum, sicut prima actio omnium actionum. Propterea enim secundæ causæ agunt, quod prima egit, faciendo totum, in quo toto secundæ mox faciunt parum: semper enim præsupponunt materiam ab illo conditam. Nam & cum motus fit ex nihilo sui, & in nihilum abit, mobile cessante moueri, vt Durando placet, etiam ista mutatio fieri non poterat nisi præsupposito subiecto & causis, à prima causa creatis. Ideo in omni mutatione est aliqua annihilatio,& secundum quid non simpliciter, præcedentis Esse:& aliqua creatio secundum quid subsequentis, quatenus fit ex non Ente suo, non ex non Ente simpliciter.

Secunda mutatio est in oppositione priuatiua, vt cum non ex vidente semine fit videns animal, & ex vidente fit cæcum; quare mutatio non est inter Esse & non Esse, sed inter Inesse & non Inesse in aliquo subiecto, vel in aliquo toto; vt habere folia, florem & vestem, & non habere, quæ mutatio non potest nisi in subiecto fieri vtriusque capace. Non enim dicimus, lapidem videre & cæcari, neque lineam florere & deflorari. Vtrum autem quemadmodum ex habitu fit priuatio, ita etiam ex priuatione fiat habitus multiplex quæstio est: sed profectò, sicut non redit eadem priuatio numero, sic neque idem habitus numero, vbi principium illorum numerale desint esse. Possunt tamen redire soles iidē, non tamen dies: sicut & eadē veste possumus vestiri & spoliari sæpius, non tamen eadem vestitione, & spoliatione numero. Etenim ad numerale principium requiritur identitas tēporis, & loci, & formationis, & modi, quæ iā abierunt. Præterea, etsi eadem specie forma & pars redit, non tamen semper post vnam mutationem: fit enim ex nocte dies, & ex die nox immediatè; non tamen ex vino acetum, & ex aceto vinum, nisi per mutationes plurimas, quatenus subiectum substantialiter mutatur, nec agens est ita potens vt substantialiter iterum mutatum reficiat: Similiter ex cæco non fit videns, neque ex mortuo viuus, vbi oculi substantia destructa est, & principia vitalia. Nec enim musca aquis necata, & ad solem reuiuiscens, perdiderat organa, & spiritum, commoditatem huius viuendi in illis: sed tantum incrassatus erat hic in occlusis illis solus ergo Deus, qui ex nihilo creat habitus, qui nihileitatem vel ex parte passi sunt, potest instaurare numero eosdem.

Tertia oppositio est inter diuersa, quæ quidem non communicant in materia, neque agunt in inuicem nisi per accidens, & ideo inter ea, mutatio fieri non potest nisi per accidens. Non enim ex linea fit albedo, neque ex albedine linea, licet accidat corpori, linea signato, dealbari. Non ineptè antiquiores dixere in inuicem non mutari nisi, quæ communicant in materia, non enim ex opposito fit oppositum, nisi quia aliquod commune habent non solum quo ad essentiam, sed etiam inexistentiam. Etenim & si sensus in anima humana, & in spatio, & in Angelo, essentietur ab eadem primalitate, quia tamen subiecta diuersa sunt ac disparata, vnde diuersitas existentiæ oritur, non mutantur in inuicem. Possunt tamen communicare, Deo tollente diuersitatem. Quapropter dicimus, inter diuersa non dari mutationem:& cum ex calido fit densum, per accidens fit: propriè enim ex calido fit frigidum. At quoniam frigus dum frigefacit subiectum, calorem mutat, vt possit in illo regnare dum ex calido facit frigidum, facit simul densum: Propterea visum est priscis non fieri transmutationem nisi inter contraria in inuicem actiua. Nam & propterea agunt in inuicem, quod communem habent materiam, pro qua occupanda suaque facienda, certant: vnde sequitur, quod inter non actiua non fit transmutatio, nisi ad transmutationem actiuorum consequenter: non enim ex sicco fit humidum per se, nisi per calorem humectantem: nec tamen ex sicco fit calidum, sed humidum, & non ab humido: sicut ex frigido calidum à calido: quod tamen neque verum est, nisi ratione materiæ: siquidem frigus non fit calor, sed frigidum calidum.

Quæritur autem, an ex diuerso posset fieri diuersum per se ab agente naturali, vel diuino: videmus enim, sex genera causarum diuersa & tamen alteram ex altera oriri: ex Deo enim orta est materia & forma, & iterum ex idea oritur forma, vt ex sigillo

sigillatum, & agens dat formam & consequentia, eius, sicut loquuntur in Peripato: quibus datis, ex quolibet fieret quodlibet: sed profecto nullum agens ex diuerso facit diuersum, nisi Deus.

Propterea enim transmutant causę secundæ, quod præsupponunt primæ causæ actionem, & factum: & quæ non communicant in subiecto facto, non possunt mutari nisi subiecta & formæ mutentur: quod quidem non faciet, qui non habet omnium formarum & omnium subiectorum esse. Quapropter calor non potest facere frigus, multo magis non corpus non potest facere corpus: finita enim virtus intra fines suæ Entitatis finit actionem.

Agere enim est effundere Entitatem. Deus autem potens est & de linea facere Angelum, & de homine albedinem: nam qui de nihilo potuit facere quodlibet Ens, potest & de hoc Ente facere hoc Ens, supplendo esse, quod non habent, & subtrahendo esse, quod habent oppositum enti faciendo: non enim potest facere vt Angelus sit simul Asinus, & linea substantia: esset enim simul Angelus & non Angelus. Potest tamen mutare Angelum in lineam, dando quod deficit Angelo de lineæ essentia, & tollendo quod lineæ super est de Angeli substantia. Deus ergo potest omnia diuersa facere, quoniam est omnia super eminenter: sed natura non facit de diuerso diuersum, ergo neque de forma materiam. Cum facit de idea formã, non propriè ideam conuertit in formam, sed eius instar materiam format imitatione & participatione.

Oppositio contraria patitur transmutationem, quoniam contraria sunt sub eodem genere participantia essentia & existentia: & ob existentiæ amplioris amorem in inuicem pugnant: sicut omnia vicina & cohabitantia, idem appetentia. Non enim Rex Gallus cum seruo pugnat, sed cum Rege; neque cum Rege Apum, sed cum Rege hominum Hispano, & non Indo. Cum autem pugnant inuicem contraria non transmutantur in inuicem, sed subiectum transmutant commune. Nulla enim natura potest in alteram naturam conuerti idealiter opposita, sicuti nec idea gladij est idea lectuli. Sed potest propriam naturam multiplicare in subiecto, vbi non erat: & sic dicitur transmutare, dum oppositum corrumpit, & proprium in ducit esse.

Vtrum autem in omni genere, vbi non est contrarietas, sed solum differentia, reperiatur transmutatio per se, difficile est declarare. videtur enim in substantia fieri mutationem, quæ dicitur generatio, & corruptio apud veteres: & in quantitate augmentum & decrementum datur: & in forma transfiguratio, & transformatio. In colore transcoloratio, in actione & passione transactio & transpassio, cum passio frigoris mutatur in passionem à calore, & in operationibus de motu ad quietem, & in accidentalibus alterum alteri succedit. Idem in tempore homo hodiernus fit crasternus: & in loco, mutatur de Platea in domum: & in relatione, fit de filio pater, & de propinquo longinquus, & de dextro sinister: quapropter videtur etiam in oppositione relatiua esse transmutationem. & in oppositione differenti, vt cum ex aqua fit aër, & ex linea superficies: & in numerali, vt cum ex sapientia oritur amor, qui est idem numero, dum erat in sapientia & simul est alter numero relatiuè. Et tandem oppositio alteratiua, quæ mutat qualitatem reperitur in cunctis prædicamentis, cum fit ex eodem alterum, & ex calore intenso remissus. Nihil ergo sub sole immutabile. Nã & si quædam ab inuicem actiuè non mutantur, tamen ad aliorum mutationem & actionem mutantur. Talia autem sunt omnia per se non actiua & non subsistentia, quæ actiuis & subsistentibus commiscentur: neque enim augmentum facit quantitas, sed à causa actiua additur pars part. & fit augmentum: & diuiditur quantum & fit decrementum: idem dices de cunctis generibus rerum: immo ad vnitionem & separationem subsequuntur omnes mutationes: primo autem localis, &c.

ARISTOTELIS RATIONES, QVIBVS probat, non reperiri motum, id est, mutationem per se nisi in substantia, & quantitate, & qualitate sensibili, & quibus negatur in cęteris prædicamentis & oppositionibus, esse inualidas, & ipsarum solutiones validas.

ARTICVLVS II.

ARIST. putat non esse mutationem in cunctis generibus: sed tantum in loco, quæ vocatur motus localis: & in qualitate, quæ vocatur alteratio: & in quantitate, quæ vocatur augmentum, & decrementum: & in substantia, quæ vocatur generatio & corruptio, vt dicitur in 5. Phys. in postprædicam. in 5. & 11. Metaph. Probat autem inductiuè, quod sit in his mutatio: & per negationem mutationis in cæteris prædicamentis. Primo in Adaliquid non est mutatio, etenim contingit columnæ fieri mihi dextrã, ipsa nil mutata. fit etiam similitudo, & æqualitas, mutata sola qualitate & quantitate, & non relatione.

Secundo probat non esse mutationem in positione & in Habere, quoniam relationem important. 3. de Actione & Passione idem probat in 11. Metaph. Tex. 25. & in 5. Phys. Tex. 9. & sequentibus, quoniam non est generationis generatio, nec mutationis mutatio subiectiuè: non enim motus potest esse subiectum, nec mobile ex vno in alterum digredi, nisi per accidens. vt ex sanatione in ægrotationem & disciplinationem.

Item esset abitus in infinitum si mutationis esset mutatio & huius altera mutatio. Actio autem & passio sunt vnus motus & mutatio, ergo. Item in 7. Phys. Tex. 15. negat dari transmutationem, etenim ad formam, non est, ait, alteratio: neque ad habitus & figuras, sed resultant ex quibusdam alteratis, vt calefactis, & frigefactis, & densatis. Item id, ex quo fit forma, non vocatur forma, sed æs, vel æreum: quod non æquiuocè dicitur cum forma, quæ fit. Quod autem alteratur, æquiuocum est de passione & materia. Item ridiculum est dicere, domum, cum finem accipit, alteratam esse. Item vitium & virtus, formæ sunt ad aliquid. In ad aliquid autem non est motus, sed resultat post modum: neque intellectus generatur, aut alteratur, cum fit sciens, sed quiescen-

do fit sciens. Hinc concludit, alterationem esse in qualitate non omni, sed solum in passibili qualitate sensibili.

Quintò probant, quod in Quanto non est mutatio, nec in tempore. Quoniam (aiunt quidam) tempus & Quando important relationem mensuræ ad mensuram, & in relatione non est motus. Alij vero aiunt. Quoniam Quando est idem realiter cum tempore: Tempus autem non addit supra motum nisi ordinem prioris & posterioris in partibus motus, cum sit numerus eius. Hic autem ordo non est ens reale, sed rationis: ergo tempus non est à motu distinctum, nisi ratione. Motus autem est actio & passio. At, in Actione & Passione non est motus: ergo neque in Tempore, neque in Quando. Præterea probat in 5. Metaphys. t. 10. Propterea in substantia non dari motum, sed solam mutationem, quoniam non habet contrarietatem ex cuius extremo ad extremum fit motus continuitas: sed solum in qualitate passibili, in quanto, & in loco. Cæteris exclusis prædicamentis, vti meliores Peripatetici ibidem concludunt, & ipse Aristot. prior inter contraria tantum, & contradictoria dat mutationem.

Fundamenta rationum quibus probatur, esse mutationem in omni Cathegoria, & in aliis per se: In aliis per accidens, aut propter aliud.

AST argumenta hæc valent nihil: omnis enim actio est aut per se & propter se, sicuti caloris calefacere, aut propter se, sed non per se, vt caloris rarefacere: aut nec per se, nec propter se, vt caloris condensare, & solis plantam gignere, & telluris animantia: quod non faciunt per se: sic enim solis est facere solem, & telluris tellurem, nec propter se: quoniam non intendunt generare plantas & secunda Entia, sed seipsa tantum amplificare, vt homo hominem facere, calor caloré. Accidit auté eis ex influxibus magnis sub ducatu Intelligétiæ, hoc est, ex Necessitate, Fato & Harmonia secúda efficere Entia. Quapropter omnis mutatio, quæ non est ab actiua causa per actionem essentialem, quam vocauimus per se, neutiquam fiet à suo agente cognato, sed ab alio, commoditatem ex hac accipiente: nec tamen propterea non erit mutatio sed non per se mutatio. Ergo iniustè Peripatetici ponunt mutationem in sola qualitate sensili, & quantitate continua, & in loco tantummodo: cum videamus, in cunctis esse mutationem incessanter: & si non per se: Nam nec in his ab Aristot. positis Cathegoriis, similiter est per se, & propter se, sed ad aliorum commoditatem, & consequentiam, & per accidens. Augmentum enim sequitur ad motum localem, vt relatio ad omnes motus. Quapropter non inter contraria tantum: &contradictoria datur mutatio, vt Arist. placet, sed inter omnes oppositiones, vti mox declarabimus.

Soluuntur rationes contra mutationem relatiuorum & adstruitur opposita assertio.

NVnc ad rationes contra mutationem in ad aliquid, respondendo dicimus, quod si relatio est idem cum fundamento, vt Peripatetici multi concedunt, vtique & motum in ad aliquid ponant, oportet. Album enim, qua simile, refertur ad aliud album consimile: cui potest fieri similius per additionem maioris alboris, vel detractionem: suscipit enim magis & minus: similiter distans potest fieri propinquum columnæ, sese mouendo ad illam, vnde & alteratio per intentionem similitudinis fit in relatiuis, & simul mutatio, dum distans fit propinquum. At si distinguntur esse relatiuum ab absoluto proprio esse, tunc verum est, quod non fit motus in relatiuo nec mutatio per se, sed consequenter: quod etiã in quantitate & humectatione etiã fit similiter, in quibus Arist. ponit motum & mutationem: ergo cur non similiter in relatiuis? Præterea videtur etiam propter se licet non per se esse in relatiuis mutatio: vt cum Pictor intendit imaginem imaginato similiorem facere: & ideatum ideæ ideator omnis: & Pater filium sibi similem. Imo plurima intentio naturarum videtur esse ad mutationem relationis, vt ex dissimili faciant simile: vbi & relatiuum, & relatio dissimilitudinis, in relationem similitudinis transmutatur: Præterea Arist. in prædicam. docet, Relatiuo esse contrarium, & suscipere magis & minus: At mutatio est inter contraria recipientia magis & minus, vt dixit in ij. Metaph. & 5. Phys. Ergo contra seipsum loquitur Arist. in 5. & 11. Metaph. & in 5. Phys. quando remouet motum ab relatiuis: vel debuisset formaliter loqui, absque confusione prædicamentorum: quæ asseruerat esse impermista.

Ratio autem Arist. quod fit similitudo & æqualitas, mutata qualitate & quantitate, non autem relatione, inualida est. Eadem enim ratione neque relatiuo esset contrarium & susceptio magis & minus, vt ipse vult. Siquidem in substratis qualitatibus inest contrarietas & intensio, & remissio, non in relatione, nisi quia in substratis. Item cum relatio non sit nisi inter duo: & illa duo vnam habeant Aristoteli relationem, siquidem eadem est via ab Athenis ad Thebas, & à Thebis ad Athenas. Tunc si mutato altero extremo resultat mutatio in altero: vtique relatio erit cum mutatione, ac insuper mutationis terminus. Mutatio enim est mutabilis mutatio, & albefactio albefacti. Ad albefactionem vero sequitur similitudo cum altero albo, quæ est relatio inter ipsa: sed similitudo est vnitas in qualitate, æqualitas in quantitate: identitas in essentia: ergo quatenus similia, sunt vnum. Verè si mouetur alterum mouetur & alterum, quocum est vnum: vndè acutè D. Thomas dixit, Deum esse causam finalem omnium à se productorum: quatenus producta similitudinem producentis habent, & ergo vnitatem cum eo. Similiter si fit mihi dextra columna, ipsa non mutata, sed me, non propter hoc non erit mutatio in relatione. Nam relatiuorum etiam est ad aliud, & hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vt dicitur in prædicam. Ergo vnum idemque vt sic esse relatiuum habent: duo autem absoluta: ergo fit etiam mutatio in columna dum ego mutor ad ipsam, non quidem mutatio absoluti esse sed relatiui, in coëxistentia non in essentia columnæ: nec mutatio absoluta, sed respectiua vocanda, ipsa enim mutatur mihi & non absolutè de dextra in sinistram: non quidem Physica facta mutatione in columnam, sed in relatione de non esse sinistrum, ad esse sinistrum. Ita cum Deus creat fit mutatio in rebus de non esse ad esse Physicum, in Deo vero relatio aduenit non Physica mutatio, sed à Physica mutatione alterius. Et in Deo licet non fit mutatio, est tamen in relatione, quæ non erat & facta est, & in Deo, qui habet omnem coëxistentiam idem cum sua essentia: neque extrinsecè fit coëxistentialis mutatio vt in columna. At cum calefaciens

calefacit, in calefacto & in calefaciente, est mutatio Physica, & relatiua simul: agit enim effundendo se de nouo ad coëxistentiam, non imperando ab æterno, vt sit quod non erat. Præterea liquet, quod dum mobile de loco ad locum mouet se, nulla fit mutatio in loco, sed in locatis: nec propterea non est mutatio, ad locum saltem, apud Peripateticos eam asserentes: Ita in relatiuis.

(*Quod non rectè probatum est, non esse motum in situ & habere.*)

ERgo rationes omnes, quibus probant Peripatetici non esse mutationem in positione, & habere, & in cæteris prædicamentis, propterea quod relationem important, ex iam dictis corruerunt. Præterea sequitur, quod ipsorum essentia esset de genere Ad aliquid, nec haberent, quo mutarentur aliud esse absolutum. Quod si dant, ergo & motum in illo dent: vel probent aliis rationibus, cur negant.

Præterea experientia ipsis refragatur, cum homo mutetur ad ortum ad occasum, & de sedere ad stare, & iacere, & ipsa sessio diuersa partium positione varietur, nunc extensis, nunc collectis membris. Item sursum, & deorsum sunt differentiæ situs mundanorum corporum, ad quas Aristoteli elementorum motus fit omnis. Ita in habitu est mutatio, de vestiri ad nudari, & eiusdem vestis variatio in adiacentia, & licet adsit motus localis, tamen ad positionem loci & situs certos terminatur, & horum gratia fiunt, non loci. Sic augmentum fit, etiam per transpositionem & aggenerationem, aggregantem cibato cibum: qui motus est localis & situalis: sed quia terminus & gratia eius est augmentatio, idcirco dicitur motus in quanto. Motũ localem Arist. omnibus mutationibus permiscet, ita quod omnes ad localem sequuntur: ergo non daretur motus per se nisi localis, si eius valet ratio contra motum, in Positu & Habitu. At si de intentione finis est argumentum, profectò etiam finis multorum motuum est habitus acquisitio & situs.

Quod non rectè Arist. probauit, non esse mutationem in agere & pati.

HInc neque rectè probat, non esse motum in agere & pati, tum quia alter motus potest esse alterius gratia vt cum quis mechatur, vt furetur, & ludat. Intrinsecus tamen terminus dat speciem Physicam, extrinsecus moralem aut idealem. Præterea vel motus qui est actio & passio, sumitur pro fluente forma, vt Aphrodis. sentit in p.q.c.21. vel pro fluxu, vt aliis placet: si primum; manifestè patet, quod ipsa est subiectum alterationis vt caliditas fluens, quod non modo alteratur suscipiendo magis & minus, sed etiam est terminus mutationis & celeritas & velocitas, in ea est & magnum & paruum. hoc etiam magis verificatur in formis materialibus, vt in tenuitate, siccitate, leuitate &c. dũ enim fit aqua leuis vapor tenuisque tenuitas illa fluens potest tepescere, calefieri magis & minus & interdum frigescere, dulcescere, amarescere, albescere, nigrescere, iuxta admistiones aduenientes. Caliditas autem, & quælibet forma actiua fluens non potest frigere, sed solum intendi & remitti, vt febris: quoniam calor non fit frigus, nec frigus calor, sed frigidum calidum, & calidum frigidum. Si autem sumatur mutatio pro fluxione, vt pro ambulatione, calefactione, proiectione: tunc possunt alterari, augeri, minui: non autem alterius mutationis subiectum esse nec terminus, vti est forma fluens: non enim ab ambulatione in albefactionem itur, quoniam ambulatio ipsa non potest fieri alba per se, sed per accidens, quatenus id, quod ambulat potest albescere: & hoc modo infinitæ mutationes in vna mutatione possunt accidere ratione subiecti, non autem sui. Quapropter quando Arist. in 11. Metaph. Tex. 25. probat, in actione & passione, non esse motum nisi per accidens, vera quidem dixit ex parte fluxus tantum, at non totaliter: quoniam alteratio saltem ex fluxu excludi non poterat, neque vt subiecto neque vt termino. Potest tamen finaliter induci vna mutatio, ad aliam ordinata mutationem, veluti ambulare propter sanari: & dolere propter mederi, & simul coniungi possunt in eodem subiecto, & altera alterius esse terminus: quod fortè non aduertit Arist. Nec propterea itur in infinitum, quia mutatio mutatur: nam non est mutatio mutationis, & iterum absque fine. Non enim quia ponimus alterationem in calefactione, erunt possibiles aliæ alterationes absque fine. Mirum etiam cum Arist. ponunt motum inter contraria magis minusque suscipientia, quomodo nunc in quantitate, vbi ista desunt, ponit motum: in actione vero & passione vbi ad sunt, tollit: frigefactio enim calefactioni contrariatur, & vtraque intenditur remittiturque.

Item quam non rectè abstulit Arist. mutationem in formis, vocatam transformationem.

CVm autem transformationem & alterationem ad formam negat Arist. manifestè errat: etenim linea curua transfiguratur in rectam ratione subiecti, vt patet in virga, non autem ratione sui: nec enim calidum mutatur in frigidum nisi ratione subiecti: nil enim mutatur in virga nisi curuitas in rectitudinem. Item litteris transpositis, mutatur Tragedia in Comediam: & ex cunno fit veretrum, teste Galeno: & experientia per solam transfigurationem: fiunt alterationes & motiones præcedentes, sed propter formam, à qua denominatur transformatio, sicut omnis motus à suo termino, vt videtur ipsi Aristoteli. Quapropter ratio eius contra mutationem formarum, nulla est. Nam & augmentũ sequitur ad cibi alterati mutationem localem, ad partes nutritas: & tamen Arist. est propriè per se mutatio: quæ tamen non est nobis per se, nec propter se, sed ob formæ commoditatem. Dicitur tamen mutatio, quoniam quod augetur inuenitur in quantitate mutatum ex talibus oppositionibus & alterationibus. Quapropter idem dices in transformatione: quæ sequitur ad partium transpositionem, torsionem, directionem, euectionem. Porro cum figuratur in cera sigillum, non potest dici alteratio, quia non est (vt ait) passibilis qualitatis: neque generatio, neque augmentum: erit ergo alia species mutationis, quæ dicitur transfiguratio. Nec quia fit ex quibusdam alteratis, commotis, calefactis, non fit alia mutatio: namque & generatio, & augmentum ad easdem sequitur alterationes præiactas. & sicuti cum finitur planta non dicimus plantam alteratam, sed genitam, quamuis ad eius generationem præcesserint omnes mutationum species: sic neque cum finitur domus, dicimus domum alteratam, sed factam prorsus, hoc est, perfectam. Perfectio autem fit additione: quæ est augmenti ratio: & figuratione, quæ est mutatio transfor-

mans: fit quidem forma, vel additione ordineque vt in fabrica domus: vel abstractione, vt cum marmor insculpitur imagine: vel transpositione, vt cum sedile ad ianuæ terminum fit limen: vel impressione figuræ, vt cum sigillatur cera, & colatur intra formam æs in campanam: vel omnibus aut plerisque hisce modis, cum litteræ in Typographia componuntur ad significandum. Maximè autem transformatio est quando res eadem permanens, nihil perdens, in aliam vertitur formam, sicuti ex folio vno circulatores statim efficiunt, & formam candelabri, & turris, & mortarij, & cribri, neque enim dicere potes priorem in his formam annihilari, sed in posteriorem verti. Cum autem ex vermi fit papilio, & ex formica fit aliger, etiam transformatio est absque præcedentis formæ corruptione, quæ faciat generationem. De cætero nescio quid Arist. philosophetur de æquiuocatione alterabilis: nam etsi cum dico, charta albescit, & nigrum albescit, æquiuocum sit ly nigrum ad quale & ad chartam: haud tamen æquiuocè sumitur, sed pro subiecta charta ly nigrum supponit in oratione. Similiter autem cum informe formatur, aut æs formatur, aut statua fit campana, semper subiectum intelligitur vniuocè, si propositiones debent æquipollere. Nunc de rebus est sermo non de vocibus.

Quod autem declarant expositores propterea quod non dicimus, figura est æs, sed ærea: sed in alteratis dicimus, æs est calidum, & calidum est æs: idcircò non esse idem alterari, & figurari: Nos quidem concedimus (nec forsan concedendum: Nam dicimus etiam, figuratum est æs & æs figuratum: Nec dicimus, caliditas est æs, sed calidum,) sed tamen figurationem esse terminum alterationum, & transpositionum per se intentum plerumque dicimus; ac propterea esse ad eam propter se mutationem, sicut in cæteris, vt sæpe dictum est.

Idem in habitu & dispositione.

CVm verò Arist. probat, in habitu & dispositione non esse motum, quoniam etiam quiescendo animus fit sapiens) nihil dicit. Etenim quies corporis requiritur, ne motionem animi impediat, non autem quia animus sedatis propriis motibus fit sapiens: imò quia motus illati desinunt, perficiũtur innati: Et in hoc Aristot. platonizat dum idæas excitari in anima, fierique scientiarum reminiscentiam, putat ablatis passionibus corporalibus. Arist. enim fieri scientiam passione, dixerat, per hoc quod intellectus passiuus suscipit species nouas in phantasmatibus ab Actiuo extractas defæcatasque. Nos etiam in spiritu animali motiones fieri, & deleri nouimus, ad scientiæ requisitionem. In mente verò ad considerationem. Sequitur enim iudicium, & alteratio superioris ordinis in scientiæ generatione, atque in caloris generatione.

Quod perperam in Quando & in tempore motum Peripatetici negent, &c.

NEc minus contra seipsos ac Naturam pugnant Peripatetici, cum, non esse in tempore, & in quando mutationem, ratiocinantur ex hoc, quod vnum sunt, nec Ens reale, sed rationis ordinem important. Etenim Arist. ipse ponit Tempus in genere quantitatis, cum constituit prædicamenta. Quando verò facit aliud genus realiter distinctum à quantitate, quippe qui prædicamenta facit realia, & impermista genera prima, vt etiam sui omnes fatentur. 2. dato quod Quando & Tempus sint vnum Ens, vti nos asserimus, haud tamen propterea, quod non est motus in motu, non erit itidem in tempore. Sunt enim apud Arist. tempus & motus Entia distincta generum diuersorum; alterum ad genus quantitatis, alterum ad actionis pertinens, vel qualitatis, vt placet Alexand. In Metaph. verò neutrum Arist. in quantitate ponit, nisi per accidens. Tempus enim quantitatem non à se habet, sed forsan à motu, cuius passio Peripateticis esse putatur: sed quia nec motus est per se quantus, sed à spatio in quo fit, vel à mobili ponitur Aristoteli habere quantitatem, neutiquam eiusdem cum tempore generis erit: quæ enim in vno tertio per accidens coniunguntur, non sunt idem inter se, vt musicum & album sunt idem subiecto in homine: Inter se vero diuersa. & quidem si tempus esset motus affectio, vel motus ipse realiter, vtique poni deberet in prædicamento, in quo est motus per se & non in quantitate, quam non habet à genere quantitatis, sed à motu; quod cum nolint, contra seipsos pugnare, fateantur, dum à tempore mutationem amputant. Hæc ad homines, sed ex decretis naturæ adhuc conuinci debent.

Non enim quia tempus est mensura motus, à ratione humana consideratum, propterea est idem motui, aut non est aliquid de se: omnis.n. mensura, propter id quod est mensura est de se aliquid, vt palmus præter id, quod est mẽsura pãni, & phiala vini, sunt aliquid de se, ille expansa manus, ista vitreũ vas: si ergo tẽpus est est mensura motus, est insuper de se aliquid. Mensura.n. est ex vsu humano. At sublata hominũ consideratione, adhuc tempus est aliquid. Quid ergo est? dicere necesse habent sic opinantes, esse motum ipsum, à quo sola ratio ipsum discreuerat. At forsan rationabile hoc videretur, quoniam vnumquodque mensuratur per aliquod sui generis: Ergo motus per motum. Cæterum Arist. in 4. Phys. negat, tempus esse motum solis, aut primæ sphæræ; non negandum quidem, sed maximè asserendum, si tempus est motus, quo alios motus mensuramus. Etenim, vt in sua Metaphysica docet, & rectè. vnumquodque mensuramus per id, quod est notissimum in suo genere, vt miliaria per passus, & passus per pedem, nobis notum. Pondera per granum, quantitatem notissimã: Ergo motus omnes per motum solis notissimum in suo genere mensurare deberemus, quod Astronomi vsurpant. Sed quidem neque hoc verum est de genere materialiter. Non enim granum, quo ponderamus, argentum est argentum, neque phiala, qua vinum, est vinum; sed de genere formaliter intelligendum. Sic enim granum vt pondus, ponderat, non argentum sed pondus argenti. Et phiala, vt mensura nota, notificat, non vinum, sed vini mensuram: Et palmus vt longitudo notat alias longitudines, non autem substantias, & materias earum, nisi per accidens. Quapropter ex hoc quod mensurantur omnia per notissimum sui generis, non sequitur, quòd mensura motus sit motus, sed aliqua successiua Entitas mensurans successiuam durationem motus. Quod ex inde etiam probari posset, quòd non solum mensurat motum, sed etiam quietem, quam nemo neget in tempore esse. Item

si motus cæli cessaret, adhuc etiam tempore res mensurarentur vt probat Scotus. Item in principio temporis creatus est mundus, & tempus; non autem motus. Creatio enim non est motus, nec terminatur ad motum: sed ad essentiam cæli & terræ, ad quam deinde sequitur motus. Vnde non videtur tempus esse motus. Non enim in instanti æternitatis factus est mundus, deinde mouendus, alioquin esset æternus omnino; Cum vnum solum instans sit æternitas tota. Theologi etiam contestantur, quatuor esse coæua ab initio simul creata, cælum Empyreum, Angelos, materiam primam, & tempus: non autem motum, sed hunc subsequutum esse oportet. Non ergo tempus est motus, nec Ens rationis sed reale. Deus enim non creauit Entia rationis, sed ratio nostra Dei imitatrix. Fortè etiam in hoc errant Peripatetici, quòd dicunt ordinem prioris, & posterioris in motu, quatenus ratione discernitur, esse tempus. Non enim Aristoteli tempus est quantitas discreta, sed continua, successiuaque. Ergo motus quatenus ratione discretus, non est tempus. Longè enim abest humana ratio, quam vt tempori essentiam det. Nunquid tempus ab Adam postea, & non à Deo prius creatum est? aut motus erat tempus reale, homo vero vtendo ipso, vt mensura fecit tempus rationale?

Nos igitur dicamus, tempus esse successiuam rerum durationem, quando ergo nihilo successit Ens, tempus esse accepit. Quæ verò magis de successione participant, dicuntur tempori subiecta magis. In tempore enim homo dicitur: quoniam nunc nascitur, nunc infans, nunc puer, postea adolescit, postea vir, postmodum senescit, & tandem moritur. At si nulla mutatio in eo fieret, vtique extra tempus esse diceretur; quies autem quatenus successionem habet, est in tempore, & Angelorum operationes, quia successiuæ, temporales. Substantiæ verò non. Deus ergo quia semper idem in se, & in operatione, supra tempus omne est, nullaq; habet vicissitudinis obumbrationem, vt ait Iacobus Apostolus. Vicissitudo ergo æstatis & hyemis diei & noctis, motus & quietis, esse & non esse, tempus est. In hac autem vicissitudine est mutatio de esse ad non esse, de die ad noctem, de æstate in hyemem. At quia huiusmodi mutationes, licet in tempore sint, non tamen tempus sunt nec temporis, sed rerum mutabilium: Dies enim est lucis aduentus, nox tenebrarum, æstas caloris, hyems frigoris, & recessus solis: Idcirco tempus forsan non est mutatio quatenus tempus est. At vicissitudines rerum variantur: Nam æstas aliquando tepida, aliquando feruens, & hyems tepida, & rigens fit, non propterea tempus variatur, quia non agit nec patitur, velut spatium, in quo stat mundus non agit nec patitur: est tamen illud omnium mutationum comes. Hoc autem subiectum variatur, ergo calor & frigus, & res calefactæ & frigefactæ. Tempus non calefit, neque frigefit nec intenditur, neque remittitur.

Instabit autem quis in hoc, quòd si tempus est vicissitudo: vicissitudo autem tardatur & acceleratur, vtiq; tempus tardatur & acceleratur. quod etiam vulgò fatemur omnes, & tanquam subiectum alterationis, & tanquam terminus, quatenus acceleratio incipit à tardo, & definit in tardum, vt patet in cælestium motuum anomaliis. At quidem tardatio & acceleratio propterea est motus & mutationis, quod illa in maiori, hæc in minori fit tempore. ergo non alteratur tempus, sed temporale. Etenim cum tempus sit mensura omnium motuum, cum simul alius motus acceleretur, alius tardetur sequeretur, quod tempus simul tardatur & acceleratur, & suscipit contraria: & quod in vno motu irregulari alteratur, in altero regulari simul non alteratur. ergo vel vnaquæque res proprium tempus habet, sicuti proprium motum, vel tempus est primi mobilis vicissitudo, vel solis, & ibi solum proprias sortitur anomalias vti putant Copernicei. Vel erit quid separatum à cunctis rebus semper simile sibi succedens, in qua successione regularitates, & irregularitates particulares temperantur. Et hoc forsan verum, quoniam nec motus solis, aut sphæræ primæ est Astronomis mensura aliorum propter hoc, quod & ipsi irregulares sunt; sed accipitur ab illis mediocritas motus solis, & primæ sphæræ. Illã autem mediocritatem faciunt, quod possunt, regularem. Huiusmodi sanè regularitas non posset à nobis constitui, nisi quia verè in mundo est quid regularissimum, quod est tempus; & illud non est motus solis neque stellati orbis, quandoquidem inuenti sunt anomalium pati.

An verò tempus est fluxus, qui reperitur in mutationibus, & motus est forma fluens, quoniam acceleratio, & tardatio est temporis differentia, & motus simul. Et quidem mirum est, quomodo assignauimus tempus regularissimum cum omnis mutatio temporalior eo sit, quo irregularior. Item si tempus secundum Naturam esset mensura, vtique talis regularitas supponenda esset. At quia secundum nos est mensura, & cognitio successionũ: vtique mediocritas illa ficta erit nobis. An forsan correspondet æternitati, quæ exemplar & causa, & moderamen est. De his inferius: nunc satis est nosse mutari res in tempore: & tempus de hodierno in crastinum. Vtrum hoc fiat quia res temporalis ita se mutat, an quia tempus dat illi vt mutetur exemplar aut causam, difficile dictu erit in secunda parte.

Non rectè Aristotelicos probasse in substantia non esse motum.

AMplius videtur Aristoteli in 11. Metaph. & in 5. Phys. in substantia non esse motum. Putant enim ad motum requiri motorem, mobile, spatiũ, quo, & tempus in quo fit motus, & terminum à quo & ad quem. Est autem, ait, omnis mutatio, vel de " esse ad esse, vt de nigro in album; aut de non esse " ad esse, vt de non homine in hominem, aut de " esse ad non esse, vt de homine in non hominem. " Prima est inter contraria vel media: secunda & ter- " tia inter contradictoria, & illa est motus. Istæ ve- " rò non: quod enim mouetur est. At quod genera- " tur non est: fit enim ex non homine homo. Item " quod mouetur est in loco. Quod autem generatur " non est: ergo neque est in loco, esset enim alicubi. " Nec corruptio (ait) est motus, quoniam motui " contrariatur motus aut quies. corruptioni autem, " quæ est mutatio de esse ad non esse, contrariatur, ge- " neratio, quæ non est motus nec quies. Item quo- " niam mutatio de non esse ad esse, & de esse ad non " esse, sunt in substantia; & substantiæ nihil est con- " trarium: ergo secundum substantiam non est mo- " tus. Motus enim inter contraria. Alij addunt, quia "

„ non suscipit magis, & minus, non mouetur, sed in
„ instanti mutatur. Iterum in 11. Metaph. cum hoc
„ probasset. Si quis respondeat, (inquit) quod licet
„ non sit Ens, quod generatur actu, est tamen poten-
„ tia, & non Ens per accidens respectu priuationis,
„ nihil is dicet. Nam semper est verum, quod id quod
„ generatur simpliciter, non est Ens. ergo non moue-
„ tur, nec quiescit, nec est in loco.

Verumenimvero Arist. nobis tanquam pueris illudit. Ipse enim met in quantitate, & in loco ponit motum, in quibus nec contrarietatem ponit, nec magis & minus, vt in prædicamentis suis videre est. Nunc autem è contra in his ponit motum propterea, quòd habent contrarium, & suscipiunt magis, & minus; & negat substantiæ motum, propterea quod non habet contrarium, nec suscipit magis & minus. Quòd, sicuti somniant sui defensores, Aristoteles pro contrario intelligit excessum, & defectum, & habitum & priuationem; Profectò cum ista insint etiam substantiis, & principiis substantiarum positis ab Aristot. in 1. Phys. nequaquam expers motus substantia dicenda erat tantis rationibus. Imò in Metaph. x. prima contraria esse differentias substantiales, maximè diuidentes genus, declarauerat.

Præterea è contra nos probauimus, veram contrarietatem non esse, nisi in substantiis formalibus & actiuis, vt fatetur 2. de gener. Arist. cum elementa, secundum formas substantiales facit contraria in inuicem actiua, vt etiam in 1. Phys. principia contraria facit actiua, ex actionibus hoc probando: vnde Aphrod. & meliores Peripatetici concedunt in formis substantialibus contrarietatem, non autem in materia, vti nos docebamus, & Auer. in elementis, quamuis, quod consequentius, erat in elementatis imperitè, vel proteruè negat. Alij dicunt in passionibus, & qualitatibus elementa esse contraria nō in formis substantialibus, sed cum ipsi fatentur passiones & qualitates à formis oriri, contrarias ergo à contrariis fateantur, oportet. Quomodo enim enses contrarij & non ensiferi, & quomodo philosophabimur ex immediatis effectibus causas, si non licet concludere; Ergo & ignem dicam frigidum licet calefaciat. Quòd autem aiunt excessum, & defectum radicem esse contrariorum, quæ est in elementaribus formis, fictitium est imperitiæ medicamen. Non enim calor & frigus, vt excessus, & defectus se habent: sed vt verè inuicem pugnaces vires. Tepidum & calidum se habent vt excedens, & deficiens, & à formis elementorum fluerent tepor & calor, non frigus & calor; similiter nec vt habitus & priuatio sunt in elementis istę vires Arist. sed vt verè in inuicem agentes: ergo à principibus causis actiuis formalibus contrariis contrarios effectus, & vires contrarias exerentibus procedunt. At quod etiam sint substantiales formę calor & frigus non semel probauimus ex naturæ decretis, & cōfessione Ammonij, Alexandri, Olimpiodori, Phylop. Hipp. & omnium doctissimorum Medicorum. & licet enim in frigore saluetur priuatio caloris, non tamen est sola priuatio, sed actiuitas cōtraria, & insuper non esse contradictorium; omnis enim oppositio in omni habet aliquid, vt superius declaratum est. si autem organa sunt formarum contraria, quomodo non magis contrariæ formæ? Propter quod enim vnumquodque & illud magis. Nos etiam probauimus esse organa primi numinis, sed principes causas elementorū per se operantes, & generantes etiam vbi formæ illæ nō sunt. Instrumenta autem non agunt, nisi vbi causa princeps adest ipsa mouens. Quod autem substantiæ suscipiant magis & minus docent ipsa elementa, & prima contraria, ex quibus castigatis, remissis, & auctis fit rerum varietas & distinctio.

Errat propterea valde Arist. cum putat generationem, & corruptionem fieri in oppositione contradictoria. Hoc enim est proprium solius creationis & annihilationis. Etsi enim homo generatur ex non homine, non tamen ex non Ente, sed ex nō Ente homine, nec quidem totaliter non homine, sed ex parte. Non enim ex lapide fit non homine, sed ex semine non homine. In quo tamen est idea & spiritus & inchoatio hominis, & ignis fit ex ligno non ex glacie, nisi per plures mutationes disponatur ad esse ignis.

Argumentum illud Aristotelicum quod videl. quod generatur non est, nec ergo, in loco est, ergo non mouetur, peccat fallacia figuræ distinctionis, siquidem cum dicimus, moueri quod est subiectum motus. Quod autem fit in nulla mutatione nedum in generatione est subiectum, sed terminus: generari enim dicitur de termino generationis, qui nōdum est, non autem de subiecto, quod semper est. At de termino palàm est, quod neque album, neque in Plateam esse, sunt subiectum in mutatione ad alborem & ad Plateam, sed Petrus qui albescit, & qui it in plateam: sic nec homo est subiectum generationis hominis, sed semen & materia corpulenta. Hanc autem cōstat esse, & esse in loco. Quod neque Alexand. neque Auer. negat. Solum ergo in creatione valet Aristotelis ratio, in qua nihil subiicitur, vt Ens, neque vt in loco existens. Cum autem dicimus, homo generatur, idem est, ac cum dicimus, album generatur. Neque enim est album antequam fiat paries albus. Neque est homo antequam fiat semen homo. ly homo, & ly album supponunt pro homine, & albo futuro in actu, & Ente in potentia, sicut cum dico, homo est mortuus, supponit pro eo, qui fuit homo actu, sed hæc est remota comparatio. Potius autem dicendum, quod similiter, cum dico homo moritur, supponit pro homine in actu Ente in potentia, & via ad non esse hominem: Arist. autem fallitur, quia cum dico, paries albescit, videtur subiectum esse, non autem cum dico, homo generatur, qui nondum est; sed fallacia interest, quoniam in altera pono subiectum propositionis subiectum mutationis. In altera terminum mutationis, qui nondum est, facio subiectum propositionis. Si autem vtrobique subiectum accipias, vtrobique est, sicuti & terminus vtrobique est.

Falsum præterea est, quod Ens in potentia, sit simpliciter Nonens. Simpliciter enim Nonens, est nihilum: ex nihilo autem non est generatio, sed creatio. Generatio verò est ex non Ente tali, vt ex non igne ligno fit ignis. In omni autem generatione, & corruptione corpus subiicitur Auerr. & Alexand. aliàs ex non corpore fieret corpus, quod Aristot. contra Plat. sumit pro absurdissimo. Corpus autē substantiale Ens est, sed non illud, quod fit, sed ex quo, & in quo fit, vt etiam probat Alex. in 2. de Anima cap. 28. quod benè probat, si corpus est materia; si autem forma, ex materia non corpore, neque Ente in loco, generandum erat, vt Peripatetici recentiores generant contra Auer. & Alex. cum intellectiuam animam non in corpore organizato, sed in

nuda materia, acceptant; quo nihil ſtultius & diuinis dogmatis oppoſitius. Inſpirat enim formato corpore Deus ſpiraculum vitæ, non materiæ nudæ, vti omnes Patres animaduerterunt, & natura docet, ſicuti ſæpè demonſtrauimus. Cum autem dicunt generationem eſſe mutationem inſtantaneam, quæ formam in materia nuda ponit, quæ non Ens, nec in loco; idcircoque non eſſe motum in ſubſtantia) ſæpè reprobauimus, & nos & Peripatetici meliores: Et experientia, in formis occumbentibus & naſcentibus paulatim. Ipſa quoq; aqua dum fit aër, paulatim attenuatur, donec vltimum acquirat gradum tenuitatis, qui eſt aëris Entelechia. Cuius terminus eſt inſtantaneus, ſicuti & in albefactione, & in aliis mutationibus etiam localibus inſtãtaneus eſt. & cum arguunt: Ergo forma generanda, & corrumpenda ſunt ſimul; Non nego eſſe ſimul ſecundum partem, & in inuicem pugnantes: nego tamen totas & conciliatas, qualiter Peripateticis ponuntur in miſto. Manifeſtè enim paulatim tellus in ignem vertitur, & ſemen plantæ in plantam, & calidum frigeſit paulatim: & pugna contrariorum indicat remiſſiones, & intenſiones formarum.

Ex contrario non fieri contrarium, nec ex vllo oppoſito oppoſitum, niſi ratione ſubiecti cõmunis, quod per ly ex declaratur, ſed cum vtili fallacia quadam; potius autem dicit ordinem, nec ergo requiri oppoſitionem, vt fiant res. Igitur neque propterea quod in ſubſtantia non eſſet contrarietas, non eſſe motum.

QVanquam actio & paſſio fiant plerumque inter oppoſita, præſertim contraria: mutatio tamen, quæ interuenit non fit, quia contraria in inuicem mutantur, ſed quia commune aliquid eorum, nunc illi nunc iſti cedit. Igitur mutatio non requirit oppoſitionem, quo enim minus oppoſita ſunt, eò facilior eſt conuerſio & tranſitus, vt aliquando Ariſt. fatetur: quapropter cum dico, ex nigro fit album per ſe, & non ex muſico, neque ex linea, neque ex non albo quolibet, ſed ex nigro; interuenit fallacia, quæ decepit Peripateticos valde. Non enim fit ex nigro album, quia nigrum tranſit in albedinis naturam, niſi apud Democritũ, cui iſta omnia ſunt apparẽter, ſed ly ex dicit ordinem, quia poſt nigrum fit album ſubiectum, quod erat prius nigrum. Verum quoniam nõ fit album ex quolibet non albo ſubiectiuè. Non enim ex linea, neque ex voce non alba. Hæc enim ſunt diuerſa, inter quę nõ cedit immutatio. Propterea certius dicimus licet fallacius, ex nigro fit album. Nam tunc notamus ſubiectum, vt aiunt, priuatiuè, non autem negatiuè. Ego autem non dico, priuatiuè. Non enim ex priuato fit habens, nec ex cæco videns, ſed apto nato. Cum enim contraria propterea facta ſint contraria, quòd idem ab initio ſubiectum poſſidere contenderunt; mutatio autem fit ſubiecti, & non contrarij, nec priuationis. Propterea cum dico, ex nigro fit album, inuenio certum ſubiectum albi, ſed cum dico ex non albo incertum pronuncio.

Quapropter licet in ſubſtantia non ſit contrarietas, non tamen propterea non erit motus, quem hic ſumimus pro tranſmutatione: vbicunque enim eſt aptitudo ad actum, ibi poteſt fieri ad illum conuerſio; Contrarietas ergo declarat, quòd extat potentia hæc, non autem facit vt ſit, imo repugnat ne ſit. Calor enim tollit materiæ à ſe deuictę aptitudinem ad frigiditatem: Quapropter frigeſcit, nõ quatenus calida, ſed quatenus corpus, poſſibile etiam frigefieri: vnde in ſemine plantæ non requirũtur contrarietas, ſed ſimilitudo ad plantam vt fiat generatio, & motus: ſimiliter in ſymbolum habentibus vt ſæpè dictum eſt, facilior fit.

Ariſtotelem non diſtinxiſſe inter mutationem, quæ eſt actus exiſtentis in potentia, & in alienatione ſui: & motum qui eſt actus exiſtentis in actu, & in conſeruatione ſui; nec inter quietem, & pauſam, & torporem, & immobilitatem, & perperã definiuiſſe, & fallaciam eſſe in hoc.

DE mutationibus, quæ actionem & paſſionem implicant, nequaquam probè loqueremur, niſi prius diſtinxerimus inter motum, & mutationẽ, & inter Quietem & pauſam. Mutatio enim videtur eſſe actus quidam exiſtentis in potentia ad vlteriorem metam, vt Ariſt. docet, non autem motus. Illa enim ſemper facit alteritatẽ, & alienationem in ſubiecto, perdente aliquid, & aliquid acquirẽte; Iſte verò conſeruat ſubiectũ in ſuo eſſe, non autem alienat. Quapropter non videtur actus Entis in potentia, & in ſui ſucceſſiua alienatione; ſed Entis in actu, quo ſeruatur & iocundatur: & iſte quidẽ actus ab intrinſeco eſt natura, ille ab extrinſeco cauſa actiua, & ſuę ſimilitudinis effuſiua ſiue per ſe, ſiue per accidens. Quapropter imperitè Ariſt. motum cum mutatione confundit. Nec Plato rectè ſentiens ipſum docere potuit diſtinctionẽ; nec Teleſius ſequaces corrigere. Quapropter ad motum nõ diſtinguitur mouens & mobile, ſicuti ad mutationem, vt ſæpè docuimus. Manifeſtũ etiam eſt hoc ex eo, quòd ignis natura mobilis, ſi motu priuetur extinguitur, & perditũ it. ſic etiam qui Natura quieſcentia ſunt, ſi moueantur, perduntur, & mutantur ex proprio eſſe. At ſi ſolus motus eſſet mutatio, & alienatio de ſubiecto in ſubiectũ, & è conuerſo, vt Ariſt. docet: Tunc cum calor cogitur quieſcere ſeruaretur. Motu enim mutantur, quiete ergo ſeruantur Ariſtoteli. Quapropter motus localis non eſt mutatio, paſſioq; niſi patientium illam, non autem edentium; neque .n. locus mutatur, nec locatum à ſui Natura, ſed ſeruatur cum per ſe mouetur ab interno principio motus. Mirum ergo quomodo Ariſt. poſuit loci mutationem, cum locus ſit per ſe illi immobilis, nec locatum patiatur, niſi violenter moueatur præſertim cum circumfertur in eodem ſemper loco; & quidem partes mutant ſitum ſurſum & deorſum, & ad alias continuo mundi plagas, non autem locum, vnde ruditer Ariſt. motum localem ponit, & non ſitualem. Omitto, quod in motu non eſt contrarietas, vt mox videbimus: Eſt autẽ in mutatione, cuius cõtrarium Ariſt. imperitè docuit. Imperitè etiã arguit antiquos Philoſophos, qui dixerunt, motum eſſe alteritatem, & inæqualitatem, & non Ens, propterea, quod ait, omne alterum, & inæquale, & non Ens moueretur. Illi enim non alterum, & inæquale, &

non

non Ens, sed alterationem ab esse motum, id est mutationem dixerunt. Quod enim mutatur alterum fit, & inæquale, seu dissimile sibi, & tandem non Ens, vt cunctis liquido constat in mutationibus. Et propterea motus opponitur quieti, mutatio verò immutabilitati, illa est telluris, ista spatij. Torpor autem materiæ, quieti & motui opponitur. Pausa verò est impedimentum à motu, siue spontaneum, siue violentum.

MVTATIONEM SIMPLICITER ESSE DE

nihilo ad esse: Generationē de aliquo non esse ad aliquod esse; corruptionē de aliquo nō esse ad aliquod esse. Alterationē verò etiam stante esse aliquod fieri, & in omni prędicamento generationem, & alterationem reperiri, nec requiri contrarij destructionem, sed contradictorij in omni mutatione, nisi vbi contradictoriū non perimitur absque peremptione contrarij: & de generatione simplicis & compositi, & decōpositi entis; & de generatione totali, & partiali: & quomodo in omni mutatione totali inuenitur omnis species mutationis, & quomodo non ad motum localem reducuntur omnes, sed ad vnionem, & diuisionem, potius autem ad primalitatum ægressiones erga obiecta.

CAP. VIII. ARTIC. I.

OMNIS ergo mutatio vel est de non esse ad esse simpliciter: & hæc vocatur creatio, in qua nihil subiicitur quoniam producitur esse prorsus; vel est mutatio de aliquo non esse in aliquod esse, & vocatur generatio, quam Arist. partitur in simpliciter & secundum quid: si enim generatur substantia, est simpliciter generatio: si accidens, secundum quid, sed profectò non rectè; de ratione enim generationis est vt fiat quod non erat, siue illud sit substantia, siue accidēs, siue nobile, siue ignobile Ens. Vnde ly secundum quid non cadat super generationem, sed super genitum, quod est Ens secundum quid. Similiter, & quod ait in primo de generatione & corruptione, simpliciter generari ignem, quia Ens, secundum quid terram, quia non Ens, vt dicebat Parmenides, eodem modo intelligendum est.

At si cadat ly secundum quid super ly generationem, dicimus, omnem mutationem esse generationem, vel simpliciter, cum totum esse rei mutatur in aliud, quod nondum erat (vel disponitur ad mutationem tantum, & sic vocatur generatio secundum quid, quia non totaliter. Quapropter si ex calido fit frigidū, & ex non homine homo, fit generatio simpliciter: si verò ex calido fit tepidum, & ex homine puero vir, dicitur secundum quid. Itaque generatio secundum quid est verè alteratio. Simpliciter verò est complementum alterationis, quod vocatur alienatio. Fit enim aliud non alterum modo, vt cum fructus maturatur. Omnis ergo mutatio est, vel generatio, vel alteratio tantum.

Tot autem sunt generationes, & alterationes, quot sunt prædicamenta tam essentiæ, quam existentiæ, nulla autem fit generatio, nisi precedente alteratione, dum non fiat in instanti, quod à finito agente nō est fo. san passibile. Generatio ergo substantię vocatur substantificatio; generatio quantitatis, quantificatio, formæ formatio, figuræ figuratio, coloris colo ratio, operationis, seu actus actuatio, Actionis & Passionis dicitur absque proprio nomine: generatio similitudinis assimilatio, dissimilitudinis, dissimilatio. Localis motus dicitur latio, & temporis mutatio dicitur vicissitudo forsan.

Verum in cunctis hisce mutationib. subiicitur id, in quo fiunt: Non .n. sunt ex non esse ad esse, sed ex aliquo non esse ad aliquod esse. Illud autem nō esse, quod præcedit, annihilatur. Esse verò in quo fundatur, corrūpitur: subiectum, in quo sustentatur, permanet: non.n. fit mutatio inter duo, nisi propter aliquam communitatem, quæ remanet in vtroque: & hæc est materia, & ideo omnis generatio est simul corruptio præcedentis esse, i. quo erat non esse sequentis, & generatio simul sequentis: cum.n. ex frigido fit calidū corrumpitur frigus, annihilatur non esse caloris, & generatur esse caloris in substantia mole cōmuni calori & frigori. & quidem ipsa moles subiecta dicitur alterari; est enim semper, sed sub altera forma, compositū verò, vel forma dicitur generari & corrumpi. Cum.n. ex aqua fit aër, alteratur materia cōmunis, aëris vero forma generatur, & aquę corrūpitur. Si autē aqua incalescat & frigescat, dicitur alterari aqua. Calor verò gigni, & corrumpi. Quapropter sicuti se habet in transmutatione formali materia, sic se habet subiectum compositum in mutatione accidentium.

Vnde cum Arist. ait, generationem esse mutationem totius in totū (nullo sensibili remanente: alterationem verò remanente) intelligendū erat de toto eo, cuius est per se corruptio & generatio principaliter, nō autem de adiunctis, & affectis: cū enim generatur frigus, tollitur calor totaliter in aqua. Si autem remanet calor, dicitur alteratio aquæ: sed tamen frigoris generatio adest simul: similiter, & in aëre. Non.n. requiritur contrarij perditio, nisi quatenus obstat alterius contrarij existentia. Non autē obstat, nisi quia illius nō esse in se continet. Si autem potest deleri non esse sui non deleto esse contrarij, vtique generatio fit; ergo in vino, & in aëre generatur frigus non deleto calore prorsus, sed deleto non esse frigoris: verumtamen aër manet sed alteratus, & calor perseuerat, sed oppugnatus impetitus & ligatus, ne possit valenter agere, seq; ipsum manifestare. Propterea notandū est, quod alia est generatio simplicis formæ, vt caloris; alia est cōpositi, vt ignis;

alia est de compositi, vt plantæ. Ergo alia insuper est generatio totalis, & totius; alia partis. Potestquidem generari simplex actiua forma, seu qualitas in subiecto, non deleta contraria, sed remissa, vt cũ generatur in aëre calido frigus per effusioné è terra in aërem. & hęc est vera frigoris generatio, & aëris simul alteratio tantum: sed compositũ non potest generari, nisi perdita forma præcedenti, vt cũ ex aëre fit aqua. Et cũ triplex sit formalitas in composito, altera videl. materialis, vt tenuitas in igne & aëre: altera formalis, vt calor; & tertia forma totius ex his duob. resultans, vt igneitas & aëreitas; vt ergo corrumpatur aër oportet aëreitaté destrui, hoc est, formam totius. Fit. n. alterius rei generatio, etiam manente forma partis, quod tunc verũ est, quando genitum & corruptũ non carent symbolo: cũ enim ex igne aër, sufficit, vt igneitas destruatur, id est gradus suæ raritatis caloris, non auté oportet penitus perimi calorem. Aër. n. calidus similiter est: oportet tamen alterari caloré, non perdi. si enim penitus perdatur, non fiet aër, nec aqua, sed aliquod distantius: similiter cum ex semine fit animal, remanet albedo seminis, & corpulentia, sed alterata, non auté penitus corrupta. Aliquãdo etiã sufficit ad corruptioné: si partes separentur & forma proinde totius esse desinat, vt patet in hominis morte, vbi sola animę, etiã seruatæ, separatio facit corruptionem hominis, propterea quod humanitas. i. forma totius, perditur, & totalitas, non autem vlla hominis pars essentialis, sicuti optimè docent S. Ambr. & Iust. alioquin mors Christi nõ esset verè mors, corruptioque: non enim corpus, neq; anima corrupta sunt, sed vnio vtriusq; in vnius Christi vnitatem terminata, & in Entitaté 3. Quapropter nimis addicti Aristot. verbis quidã nostrates putant, nihil esse commune idem numero in corrupto & genito. Eadem. n. caro, eadem ossa numero perseuerant, eædé cicatrices, & eadem organizatio. Alioquin fuissent tres numero Christi, vnus viuus, vnus mortuus, & vnus resuscitatus; quod negat D. Thomas, & condemnatum est in doctrina Ss. & explicitè apud Parisienses. Experientia etiam clamitat, quod eadem quantitas est in vino, & in aceto, & eandem vitulinam manducamus occisam, & idé numero est digitus in manu, & amputatus: Et mirũ quam audacter asserunt humano in cadauere non remanere oculos, & organa priora, sed statim corrumpi, & consimilia generari inuisibiliter in instanti, cum & fatum instantaneas mutationes, & sensus & ratio negent, præsertim in decompositis; nec vlla sit noua forma cadaueris tam potens in instanti noua dare organa ac dimensiones, sed solum carentia separatæ animę. Alij Peripateci melius sentientes in habentib. symbolũ facilem faciunt transitũ, quoniam remanet idem numero corpus, & organa, in genito & corrupto, sed tamen alterata. Ast hoc sæpè disputauimus in Phys. quæst. & hic de formis tractãtes. Animaduertendũ tamé, quod si generationé esse, putant, vltimũ terminũ alterationis, in quo forma præcedens desinit, & noua perficitur, & vltimus terminus rarefactionis aquæ, quo adepto, iã est aër, tunc verũ est, quod generatio est in instanti, & similiter corruptio, sed hoc idé dicendũ est de augmento & motu locali. Non. n. cũ Saturnus ad horizonté accedit, solũmodo localis motus eius est sola horizõtis adeptio, quæ fit in instanti, sed totius præcedés mot⁹: sic cũ generatur homo nõ sola vnio animę est generatio, sed quidquid fit propter ipsã, spectat ad ipsam. Est. n. quædã generatio totalis, quæ ex multis alterationib. & terminationib. & localib. mutationib. præcedentib. constat, præsertim in decõpositorum generatione, vt cum fit animal ex elementis præcedit generatio fructus plantæ, vel animalis in cibum, deinde cibus corrũpitur, & fit chilus, de chilo sanguis, de sanguine semen: de semine, embrio, qui paulatim organizatus fit animal, non secus atque ex ligno & fidib. organizatis & ordinatis in vnum ad finem melodię, fit cithara: verumtamen oẽs illę mutationes non sunt de essentia generationis animalis, nisi remotissimè & remotè, sicut dicebamus de causis & causationib. at quod fit in eo, quod est propè actum vt in semine, hoc est, organizatio, & animatio, dicitur animalis generatio, & quidem est ordo fatalis in reb. generationũ & formationũ, in quo formæ præcedentes, sunt dispositiones ad sequentes; nec nisi per certas vias potest deueniri ad eas, quæ plurimis artificiis constant, sicuti non potest veniri ad formationem nauis, nisi prius ligna cædãtur, & dolentur, & arescant, & formentur. Ars. n. natura est extrinseca. In omnib. autem his formationib. interueniunt generationes & corruptiones plures, quæ vnam integrant. sicuti in nutritione animalis moritur panis, vt generetur chilus. corrumpitur chilus, ex quo generatur sanguis: corrumpitur sanguis, ex quo generatur caro. & quidem vita hominis totalis ex pluribus vitis & mortib. partialib. conficitur. sic etiam generatio hominis, nã nutritio est aggeneratio. Genitis enim partib. & per calorem resolutis ex parte, aliæ ex cibo particulæ aggenerantur eadé ratione, qua in principio generabantur. Etenim cõseruatio rerum est continuata creatio & regeneratio, vt in theologicis dicebamus, & progressus & fines rerum in suis continentur originibus.

Partiales a. generationes, sunt quæ præcedunt & concomitantur totalem, sicut. n. bellũ dicitur actio vna, in qua tam plurimę, & innumerabiles actiones, & passiones particulares interueniũt constituentes bellũ, ita & gneneratio decõpositi totalis, & augmétũ, vt dictũ est. Et similiter partialis diuiditur in simplicé, vt si calor gignatur, & in cõpositã, vt si calidũ.

Considerandum est autem, quod in omni mutatione interuenit generatio & alteratio, & motus localis, & omnis mutatio simul. Nec vlla absq; altera perficitur. Rectè enim dixit S. August. & cum eo S. Bernard. omnem mutationem esse aliquam mortem: In substantiali mortem substantiæ, in accidentali accidentis, in motu locali est mors existentię in hac parte loci, vel situ, & generatio existentię in alio; & mors quietis, & vita motus: & in mutatione relatiua moritur similitudo & dextreitas, nascitur dissimilitudo, & sinistreitas: in quantificatione moritur paruitas, nascitur magnitudo, & è conuerso, & in transformatione perditur informitas, & præcedens forma, vt sequens nascatur. Hæc autem fieri non possunt nisi præcedat alteratio, & localis, seu situalis mutatio.

Omnis. n. mutationis opus fundatur in rarefactione, & congregatione, vt Arist. cũ Priscis Philosophis docuit. Rarefactio auté & cõstrictio fiunt per frigefactioné, & calefactioné, quæ sunt alterationes materiæ, & generationis caloris, & frigoris, vel insuper compositi: vnde non videtur verũ, quod motus localis præcedat omnes, vti Arist. putat, quãdo Democratizat. Nã nec potest moueri quippiã nisi prius incalescat, & quę violenter mouentur ab extra, vel motum habent extraneum calorem, vel potentiam non calidam vt in Angelo. Quapropter præcedit

alteratio in Angelo de nolle ad velle, & ante hanc est alteratio de non consideratione ad cõsideratio-nem, quòd ita facere sit bonum, & ante hanc esse posse considerare, & actus potentiæ, vt potestatio, à quo mox facta deliberatione incipit effusio virtutis ad extra per quam mouet. Quapropter omnis mutatio corporum reducitur ad mutationem primalitatum, qui per suas facultates respiciunt ad extra, & hi respectus & extensiones ad exteriores actiones vocantur viæ in sacris literis. quamobrem non rectè Arist. motum localem præiactat cunctis, cum alteratio præcedat in Physicis per Metaph. facta causas.

Verum aliquando probat Arist. fieri augmentum absque alteratione, vt cum augetur quadratum per gnomonem. Aliquando motu locali facit alterationem, cum videl. aër illuminatur, quæ illuminatio est finis localis motus, & fit subita instantanea mutatione aëris. Aliquando putat alterari aliquid absque motu locali totum simul, vt cum aqua glaciatur. Verumtamen quoniam nec gnomon additur quadrato nisi per localem motum. Nec rarefit nisi per alterationem mobilis, & mouentis: mobile enim fit de paruo magnum; & mouens de non mouente sic, mouens sic. Et in vtraque fit alteritas, nisi in abstracto quis hoc cogitet. At neque potest in abstracto absque alteritate id concipi, vel in primalitatibus. Illuminatio autem est veluti dealbatio, nec fit nisi per lucis effusionem & multiplicationem, quæ est generatio simplex. Et in aëre fit simul alteratio, & localis transpositio particularum. Glaciatio etiam fit locali motu. Constringuntur enim, alterante frigore, quæcunque corripiuntur.

QVOMODO VNIO, ET DIVISIO AB *vnitate, & numero, sint origo omnis generationis, & alterationis; & vbi est diuisio absque damno; & vbi cum damno, & vbi mista: & quomodo præsunt in his primalitates.*

ARTIC. II.

NOs autem putamus, ab vnitate fieri vnionem; ab influxu numeri multitudinem, si huius est idea, sicut & vnitatis, vt in 2. parte declarabimus; & quia omnis mutatio fit per vnionem virtutis mouentis ad patiens, vtique vnio est principium mutationum. Verum quia vnio mouentis ad patiens fit ex egressione virtutis actiuæ ex agente, omnis motionis principium est diuisio: Entitatis verò vnio. Verum in immaterialibus diuisio est effusio, & multiplicatio; sicuti cum docet sapiens, non diuidit à se doctrinã, licet videatur diuisio, sed distinguit numeraliter in discipulum effundendo; & lucerna cum alteram accendit per effusionem proprij caloris non diuidit suas vires. In materialibus verò hæc nouitas & multiplicatio est propriè diuisio. Si enim materia non diuiditur per actiuas causas, non potest formis nõuis formari, ergo neque quippiam generari. Rectè igitur Pythagorici per effusionem numerorum, & idearum efficiunt generationem. At cum actio est mista, vt in generatione hominis, fit diuisio materialis per decisioné seminis, & multiplicatio formalis per augumentum vitæ, & primalitatum, & caloris natiui, & spiritus. vnio ergo & diuisio sunt principales mutationes, quæ omnes præcedunt in quacunque generatione.

De Mutationibus in quantitate materiali, & formali, & idæali; & vbi diminutio interuenit, & vbi multiplicatio, & quomodo ad primalitates reducuntur.

ARTIC. III.

VNde in augmento & decremento, tam formali, quam materiali, vtraque interuenit. Si enim augeas exercitum vniendo illi alios milites, facies augmentum. Similiter si materiam, aut aceruum augeas, aliquid sui generis apponere oportet. Si minuas, detrahere & diuidere. Cum autẽ huic apponis, ab illo diuidas oportet: ergo non fit absq; alterius minutione augumentũ materiale. Augmentum autem formale fit absque alterius formæ diminũtione etiam si forma est materialis. Potest enim augeri triangulus, & cubus non demendo ex alio triangulo, nec cubo, sed in maiori mole, vel spatio illi apponendo realiter, vel mentaliter gnomones: si autem forma sit actiua fit augumentum absque alterius diminutione: habet enim sui diffusiuam vim, & intensiuam, & extensiuam. Si autem mista est augmentatio, vt cum planta, & animal crescunt, tunc qua ex parte est materialis, fit cum alterius diminutione; cibo enim minuto & terra, aquaque diminutis augetur animal & planta. At forma specifica actiua, & calor nutritiuus non perduntur, sed augentur absque alterius diminutione, sed sui solà auctione. Nec quia minuitur forma panis, propterea augetur forma animalis: non enim minuitur illa, vt huic addatur, sicuti in materia, vt alia materia crescat: sed quia non possunt simul duæ formæ stare. Etenim & calor augetur sui extensiua virtute, non quia frigus illi aggregatur quod perditum iuit. Dictum est autem in Phys. propter quid requiritur nutritio, quoniam calor ad cognata elabitur, cum

attenuata mole, oportetque loco elabentis refici alteram; & cum plus elabitur, quàm reficitur, fit decrementum: Cum verò plus reficitur apponiturque, quam elabitur, augmentum: Cum æquale, status, & pura nutritio, quæ celebratur in fine alterationis. Vbi & motus localis vsque ad particulas cibandas, & finalis aggenerationis illius in has. Non ergo videtur per se esse mutatio quantificatiua, sed sequens ad alias mutationes: quoniam quantitas non agit; nec enim paruum facit paruum, sed detractione fit locali; nec magnum generat magnum vt calor calorem, sed fit additione, vt dictum est: imò nec numerus generat numerum: non enim quaternarius facit quaternarios aliis mistus sese multiplicando, sed ex eo, & aliis fit alia species, septenarius videlicet ex quaternario, & ternario. Neque quaternarius multiplicatus facit quaternarios: Verum senarius facere dicitur senarios, vt cum sexies sex faciunt 36. sed hæc non est generatio, sed aggregatio, & replicatio.

Contingitque replicatione aliquando circulus. Et si quis contendat in his esse generationes, vocet eas ideales, non Physicas, vt in 2. par. considerabimus. Considerandum etiam, quod in augmento, & decremento animalis non modo interuenit alteratio, & transpositio localis Physica, sed etiam pulsio, & attractio Metaphysica, & fuga & sequela. Cum enim partes vbi alterantur fiunt aliæ similes carni, aliæ ossi, aliæ neruo, aliæ spiritui, & sic sponte sua, & attractione à similibus, & pulsione à dissimilibus feruntur in singulas corporis particulas per consensum & condilectionem, & sympathiam, & antipathiam, ita quod nulla fit absq; primalitatum præfectura mutatio in Physicis. Est enim & quæ extrinsecus nos augemus, & minuimus, & separamus per organa corporis præcedente volitione & scientia, & posse, facimus & operamur.

Quomodo quæ per accidens fieri videntur, & ad primalitates referuntur.

PRæterea quæcunque per accidens fiunt, eisdem primalitatibus prioribus tribuenda sunt. Etenim tellus per accidens generat plantas & animalia & metalla: similiter etiam sol, quippe qui non intendunt facere, nisi illa tellurem, iste ignem. Verum coguntur Fato, Necessitate, & Harmonia, secunda facere Entia; sicut ignis & incus & malleus ensem & ligonem, sub ducatu nobilioris opificis. Similiter multa accidunt vassallis ex prouidentia Regis, multaque lignis, lapidibus & metallis, & brutis, ex hominis vsu, & prouidentia. Imo plurimas actiones ex prouidentia faciet agens naturale, quas nec intendit, se per se facere dicitur, vt vinum generosum Galeno simul calefacit frigidas partes, frigefacit calidas, exiccat humidas, emollit siccas: Calor enim pro diuersitate patientium omnia hæc facit. Calefacit enim per se frigidas, vel minus calidas partes, frigefacit per accidens calidas, aperiendo viam calori multo, vt exhalet; exiccat humidas attenuando per calorem: siccas humectat miscendo illis suam liquiditatem. Facit Theriaca veneno attractiones; expulsiones aliis adiunctis simplicibus; vt sapo oleo, oleum trahit, calce vero, ac cinere, expellit.

De Transformationibus quî fiant.

ARTIC. V.

TRansformatio autem fit ideatione noua, sequiturque ad partium alteras dispositiones & transpositiones: non ergo est per se primo ad formam & figuram mutatio. Sed sequitur ad alterationem, & situs mutationem, sicuti augmentum & decrementum. In Physicis autem per calorem intraneum subducatu primalitatum. In artificiatis & per vim figuratis pressione, & applicatione, & abstractione, & additione, & torsionibus, sicut dictum est prius per extrinseci agentis primalitates subducatu primarum, quando per accidens & forte quadam figurant.

De Transcolorationibus.

TRanscolorationes fiunt non sola partium transpositione, sicuti quando carbo ruber fit niger, discedentibus tenuibus albis sui portionib. sed etiã affectione, & genere coloris dũ facies materiæ vincit faciẽ caloris ex parte vel ex toto. species autem mediæ sunt ex mistura lucis & tenebrarum: quæ fortè non sunt species introspicientibus esse apparentias misturæ, & quasi res duas quales sal & oleum, & acetum in mistura, & aqua & vinum quæ separari arte possunt. Sunt autem species sub genere visibilis & coloris.

Similiter enim sapores, & odores, sunt calor ipse cũ crassa sua agens mole in linguæ spiritum; & cũ tenui in spiritum narium, & sub certis gradibus caloris, & materiæ fiunt certę species per generationem, & variantur per alterationem in magis & minus. Introspicientibus autem Angelis sunt alio modo atque nobis, vt supra docebamus.

Omnes etiam mutationes in relatiuis fiunt quibusdam transpositis & alteratis. Resultant enim & licet non fiant ab aliquo sui generis, sicut calor à calore; ex hoc sequitur, quod non fit mutatio adhuc per se primo, sed propter se, quando fit primalitatis conceptu, ac fine, vt dictum est.

NON FIERI OMNEM MVTATIONEM *sola situs configuratione, vt placet* Democrito, *quamuis vocabula faueant illi: Nec mistione contrariorum, sed differentium aliqua constitui Entia, & de multiplici mutatione interueniente in Phys. dictum esse satis.*

ARTIC. VI.

HIC quærendum esset, an omnis actio & mutatio fiat è sola situs mutatione, quemadmodum videtur Democraticis, quæ sequitur ad motum localem. Ex his enim videtur oriri color, sapor, odor, condensatio, disgregatio, & quæcunque ex his mox subsequuntur figuræ, & species & harum generationes & corruptiones & euenta, vt docebat Lucretius. Et quidem vocabula sic insinuare videntur; dicitur enim, quod definit, perire, hoc est per alia ire, & transponi in alia, ita quod esse definit per hoc, quod dissoluitur: & quidem colores & sapores & odores & formæ videntur hoc passa definere.

Dicuntur etiam interire, hoc est, inter alia dissoluta abire à sui vnione in dispersionem, sicuti Typographorum formæ: ex quibus disgregatis aliæ fiunt. Item dicuntur interimi, & interfici, quæ in non esse adiguntur. Interficiuntur autem, cum inter ipsa transeunt alia ad sui dissolutionem: vnde qui occiduntur gladio separante membra, & animam ab eis, dicuntur interfici: nec interimere, & dirimere longè absunt ab hac significatione. Theologi quoque fatentur, mortem esse animæ à corpore separationem, & philosophi veteres omnia fieri disgregatione & congregatione, putarunt: vnde Emped. mistione quatuor elementorum & disseparatione producit, Anaxag. atomorum specificorum: Democr. atomorum nulla specie donatorum exceptis figuris. Nos quidem disseruimus, non sufficere materiales particulas temerè agitatas ad rerum generationes & mutationes: neque si accesserint causæ actiuæ cognoscitiuæ poterunt, nisi virtutis sint infinitæ, quales non sunt naturales, poterunt absque alteratione, & virium alterantium diffusione, & multiplicatione, vbi opus est. Ergo nec absque calore & frigore, secunda producere Entia, neque prima corpora: sicuti neque faber ensem absque igne & malleo, & lima & cæteris instrumentis. Confitemur tamen, quod non fit generatio & corruptio, nec mutatio aliqua, nisi per congregationem, & disgregationem in Phys. quæ tamen sequuntur ad vnitionem & diuisionem: & hæc ad vnitatem, & numerũ: qui sunt ab vniente & numerante causa. Quapropter Democritus materiales tantum aspexit actiones, & passiones, spretis verè actiuis & primalibus causis, vt supra dicebamus: vocabula autem perire & corrumpere, quæ sunt per aliud ire, & simul rumpere, vnitatem speciei, & interimere, & disperdere & cætera huiusmodi sumpta sunt ex parte essentiæ actionis, & passionis: non ex toto quemadmodum & alia multa. Tu autem respice ad quod imponuntur, nec solum vnde imponuntur.

Qui autem mistione res omnes faciunt, non rectè loquuntur: non enim contraria ita misceri possunt, vt tertium Ens conciliata faciant. Si enim conciliantur non amplius contraria sunt depositis odiis. Ergo nec sunt quod sunt. Præterea sicuti calor intensus non stat cum frigore intenso, sed pugnat vsque cum eo, sic remissus cum remisso: miscentur ergo res diuersæ & differentes plurimæ. Contrariæ autem minimè, vt sæpè declaratum est.

Diximus autem in Phys. & in Medicinal. quot modis agant calor & frigus, & quomodo misceantur, & quot transmutationes fiunt in generatione & re genita, & quid elixatio, quid assatio, quid concoctio fit, quid maturatio, quid putrefactio & marcor, & quomodo à calore non intenduntur sed à naturis specificis, vel ab ideatoribus, sicuti assatio à coquo, quæ crematio optabatur igni ignitioque.

MOTVM MOTVI NON ESSE *contrarium, vt* Aristot. *existimat, sed quieti: nec quietem quieti, sed motui: reperiri autem in motu contrarietatem, quia est in mobilibus, sese impedientibus, vel propter eadem pugnantibus. esse in terminis mutationum oppositiones, & quomodo, & vbi, & quomodo mutationes conueniunt, & opponuntur inter se: & quis motus est vnus numero.*

CAP. VIII. PARS III. ART. I.

EX iam dictis manifestum est, quod motus motui non contrariatur: sed quieti: motus enim ab actiuo calore fit in Phys. quies à frigore: motu enim ille, istud quiete seruatur. quam ob rem in Phys. probauimus, non rectè Arist. ex motuũ oppositione probasse elementa opposita quatuor: & cælum esse quintum corpus: propterea quod circulo fertur: quod enim natura mobile est Ens, omnibus potest moueri motibus, vt patet de calore & igne, quæ deorsum fertur ad com-

burendos ſuppoſitos fomites, & ſurſum ad deferendam deuictam materiam, & ad dextras & læuas fugiendo inimica Entia frigida & quorſum impetus rapit, vti ignitæ declarant impreſſiones. Spiritus quoque animalis ad omnes poſituras locales mouet corpus, prout neceſſitas & vtilitas dictant. Quapropter non ex naturarum diuerſitate eſt in motibus contrarietas, quando in cæleſtibus etiam tam multi vnius planetæ ſunt motus, ſurſum, deorſum, ad boream, ad auſtrum, & anomaliæ multæ: vt intelligas, locales motus à cauſa, cognoſcente finem & opus, edi vel præordinari. Ignis quoque cui motum rectum ad peripheriam tribuit Ariſt. circulo fertur in ſphera ſua etiam Ariſt. teſtimonio, cui videtur rapi à cælo: ſed indocte: non enim perennis motus & conſeruatiuus mobilis corporis, eſt violentus, ſed maximè naturalis, eius quoque teſtimonio, qui violentum nullum durabile, vel ad horam viſum eſt, probatumque: ſicuti neque terræ quies violenta exiſtimari debet, cum perennis ſit, conſeruatiuaque quieſcentis, oppoſitaque mouentis. Telluris quoque partes deorſum ferri ſicuti cæterarum rerum ad ſuas vniuerſitates, quamquam in illa mox quietè gaudeant, ſpectandum erat, reuerſionem ad ſui naturam cunctis eſſe naturalem. In qua deinde examinandæ erunt naturæ in ſuo toto, & ſemper, non in partibus & aliquando, alioquin & homo eſſet natura æger & ſtultus: quia multi interdum ægrotant & inſaniunt. quare viſo igni ſemper in girum ferri, terraque quieſcere, motus illius operatio, quies vero huius, ponenda erat. At ſi placuiſſet ex ſitib. philoſophari, ad quos feruntur elementa, duo tantum probanda erant. Duo enim motus alter ſurſum, alter deorſum.

At cum Ariſt. probat, motus eſſe contrarios, quia tendunt ad quietes contrarias, magis fallitur: non non enim contrarias quietes appetunt, qua mobilia ſunt, ſed ſemper moueri: ſicut cælum & animalis ſpiritus probant: quod ſi, quia ad oppoſitos terminos vadunt, contrarij ſunt, non mobilia, ſed motus: tunc ſequitur, quod motus calidi ad tepiditatem, & frigidi ſimiliter ad tepiditatem eſſent vnus, quia vnum in terminum deueniunt. Sic etiam ex nigro & ex albo deuenitur ad rubrum: & hoc argumentum valet, quoniam Ariſt. omnes motus & mutationes ſunt eiuſdem eſſentiæ, vt definitione vna docentur in 3. Phyſ. & in 5. At etiam in motibus localibus idem probatur. Ex circunferentia enim ad centrum plures lineę concurrunt & plures motus per eas ad eundem terminum fieri contingunt, etiam ex oppoſitis partibus: vnde mirum quomodo Ariſt. id non intelligit: præterea in circulo ex eodem puncto ad ſitus alios progreſſa mobilia poſſunt ad diametrum vſque moueri, & eundem terminum ſortiri. Propterea Ariſt. hoc volens effugere ait, quando habent eundem terminum ad quem, contrarietatem ſortiri à terminis à quibus: ſed in circulo eſt idem terminus ad quem & à quo, ſiue mobilia ferantur vſque ad oppoſitum punctum diametraliter, ſiue reuertantur etiam ad prius punctum, vnde progredi cæperunt, quo in motu idem eſt terminus à quo & ad quem. Hoc videns Ariſt. negat contrarios eſſe motus in quacunque linea præterquam in recta, quoniam in cæteris ita contingit, vt argumentabantur, ſed profecto ſi ſic eſt: tunc idem mobile poſſet moueri duobus motibus ad ſitus alios, dummodo vtrinque reuertantur ad idem punctum, vnde incepit: quod eſt falſum omnino.

Ergo motus motui non contrariatur ſed mobilia oppoſitos habentia appetitus & fines & propterea in diametro videntur contrariari, quoniam dum mouentur ex aduerſis viis, ſe inuicem collidunt & impediunt: vbi ergo non eſt impeditio & pugna, ibi non eſt motuum oppoſitio, nec mobilium per illos motus declarata: licet poſſint eſſe per alios. Eſt ergo ſola varietas & differentia numeralis his in motibus ideoq; ſimul in eodem mobili eſſe poſſunt.

Eiſdem rationibus nulla quies nulli quieti eſt contraria. lapis enim & gleba in omni mundi ſitu quieſcit: neque quies termini à quo & ad quem contrariæ ſunt in motibus, quemadmodum in mutationibus, cum præſertim poſſit motus eundem habere terminum à quo & ad quem, & duo motus ſimul. Quies præterea conſeruatiua, ac naturalis non contrariatur quieti naturali, ſed motui, vel violentię quieti, non qua quies, ſed qua violenta. Mutationum autem termini ſunt appoſiti: quidquid enim mutatur in eſſe in non eſſe it, vel ex non eſſe ad eſſe, ſiue ſimpliciter, ſiue aliquo modo: vbi autem hanc radicem oppoſitionum habes. ibi & aliquam oppoſitionem, ſiue priuatiuam, ſiue contrariam, ſiue differentem; ſiue numeralem, ſiue relatiuam. Inter diuerſa enim & diſparata non datur mutatio.

Quapropter omnes mutationes inter ſe vel ſunt vnum analogia, ſicuti creatio, cæcatio, frigefactio, vectatio, homificatio, ædificatio, dextrificatio, & tãdem quæcunque ſunt diuerſorum generum oppoſitionum & prædicamentalium. Aliæ ſunt vnum genere, vt frigefactio & calefactio, homificatio & plantificatio. Aliæ ſunt vnum ſpecie, vt generatio Petri, & generatio Pauli: frigefactio manus huius, & huius pedis frigefactio.

Habent etiam oppoſitionem prout id, quo mutatur mutabile opponitur alteri quo: vel ſi id à quo recedit mutabile, ſit id, ad quod acceditur per aliud mutabile vt ſanatio & ægrotatio. Sed diuerſi ſunt quando diuerſo oppoſitionis genere tales termini opponuntur: ſunt priuatiui, quando priuatiuè: Contrarij quando contrariè: differentes quando differenter, & correlatiui quando relatiuè.

Ad vnitatem vero numeralem motus requirit tria Ariſt. vt mobile ſit vnum numero, & tempus: vnum abſque interruptione, & ad vnum terminum numero. Addunt alij ſpatij, in quo fit motus, continuitatem. Sed hæc non requiritur niſi vt tempus non interrumpatur, nec quies interponatur. Quod vero dicunt, quod ſi homo de turri cadens in medio motus moriatur, licet motus continuetur, non eſſe eundem numero (quoniam mobile eſt aliud numero viuum, aliud mortuum) nil veritatis habet, mouetur enim deorſum quatenus graue. Grauitas autem & corpulentia perſeuerat eadem numero, licet alterata, ideo non variatur ſingularitas motus, niſi aliud mobile illi ſuccedat, & videtur vnus ſucceſſione per relationem ad totalitatem ſucceſſiuam, ſicuti dicitur vna numero Roma & vna Eccleſia, quamuis aliis morientibus alij naſcentes continuo ſuccedant: vnus quoque eſt numero Petrus quamquam aliæ partes eius in vaporem verſæ euolent ſurſum, aliæque ex cibo reficiantur, quoniam ſub vna forma indiuiduali ſuccedunt.

Quomodo ſit comparatio inter omnes motus, nec genus æquiuocum eſſe ſpeciebus, phyſicè conſideratum contra Peripateticos.

ARTICVLVS II.

QVAPROPTER cum Ariſt. excludet comparationem inter motus omnes, quoniam æquiuocantur, & etiam inter ſpecies motus: quoniam latent ſub genere æquiuocationes Phyſicæ: vnde Peripatetici genera prædicamentalia etiam ſub alterna, negando quod prius affirmauerant faciunt æquiuoca phyſicè, vniuoca logicè non rectè loquitur: comparatio enim poteſt fieri inter omnia, quæ recipiunt idem prædicatum analogum, aut vniuocum æqualiter, vel cum magis & minus: non ergo ſolum inter ſpecies ſpecialiſſimas. Nam & canis cæleſtis cum terreſtri comparantur incorporeitate & in figuratione: & alteratio cum generatione in hoc, quod illa mutat eſſe ſecundum partem, hæc ſecundum totum: & circularis & rectus motus in velocitate comparantur. Poſſunt enim in eodem, vel in tempore inæquali abſolui. Nec ſolum logicè animal eſt genus vniuocum: eſſe enim organicè ſenſitiuum, & animatum vniuocè conuenit aſino, & boui, etiam in Phyſica: nam & ſi non ſit vna forma communis ſpecialiſſima in eis, eſt tamen vna idea generica. Nec enim in Petro & Paulo eſt eadem forma, vt volunt niſi ſpecie. Ergo ſicut ſpecificè comparantur, ita Bos & Aſinus genericè, & Ala & remus analogicè. Et mirum quomodo non vident frigefactionem & calefactionem apprimè comparari in multis propter hoc, quod in aliquibus diſſociatur. Etenim omnia ſimilia in quo ſimilia, ſunt vnum, & comparantur: in quo diſſimilia diſcomparantur, vt notum eſt cuilibet rectè diſcernenti, & mirum quomodo Ariſtoteles omnes motus ſub eadem definitione compræhendit, ſi inter ſe non habent comparationem, niſi qui ſub ſpecialiſſima continentur ſpecie.

MOTVM IN ARISTOTELISMO DIVIDI AD diuiſionem mobilis, & temporis, & ſpatij: & momentum, & nunc, & punctum proportionaliter ſe habere. Nec dari primam partem motus, nec temporis, nec lineæ, nec primum momentum, nec primum nunc, nec primum punctum, nec dari motum in nunc, neque motum in momentis; neque tempus ex Nunc, neque lineam ex punctis componi: & inter quælibet duo puncta, & duo momenta, & duo nunc, & ante, dari motum, & tempus, & lineam, ideoque diuidi in infinitum omne continuum, nec in atoma reſolui poſſe. Item, nec indiuiſibile moueri poſſe, terminari tamen motum in indiuiſibili momento.

CAP. VIII. PARS. IV. ART. I.

QVONIAM Ariſt. in 5. Phyſ. fundaturus dogma impium, quod motus & tempus ſemper fuerint, mundusque ſit æternus, has ponit cõcluſiones, videl. Ante omne nunc præfuiſſe tempus: & ante tempus nunc, hoc eſt indiuiſibile temporis inſtans: & ante omne mutatum eſſe præfuiſſe mutari: & ante omne mutari præceſſiſſe mutatum eſſe: vnde opus habuit ante omne punctum in linea præponere lineam, & ante omnem lineæ partem præſupponere punctum (in quo incipit detegere ipſemet ſuas fallacias) inquirere oportet, an ita ſe habeant: & quæ ſequuntur ex his, an ſtent.

Probat igitur ad hoc ſtatuendum, quod motus diuiditur ad diuiſionem mobilis & temporis & ſpatij, ſeu lineę, ſuper quam fit motus. Probat primum quoniam accidens diuiditur ad ſui ſubiecti diuiſionem. Præterea vel totus motus eſt in vna parte mobilis, vel in cunctis ſi in cunctis, ergo diuiditur ad eius diuiſionem. Si in vna, ergo aliæ quieſcunt, quod eſt falſum.

Probat ſecundum, quia ſi per horam vnam mouetur equus per vnum miliare, ergo in dimidia hora per dimidium miliare: probat è conuerſo tertium quod ſi per mediam horam mouetur vnum miliare, ergo per quarta n dimidium peragrabit.

Ergo ſi ſpatium eſt finitum ſuper quo ſit motus, erit motus infinitus, & è conuerſo, ſi infinitum finitus: & ſi tempus diuiditur in indiuiſibilia nunc, ſimiliter motus in momenta atoma. Etenim mobile velocius pertranſit maiorem magnitudinem in tempore æquali, quam mobile tardius. Item mobile velocius pertranſit æqualem magnitudinem in minori tempore, quam mobile tardius. Item mobile velocius pertranſit ſpatij magnitudinem in minori tempore, quam tardius.

Omne quod mouetur in aliqua parte temporis, motu vno mouetur in qualibet parte illius temporis & ſpatij. Et quod mutatur non poteſt eſſe in eodem loco & ſtatu per duo nunc: alioquin intercideret quies: quieſcere enim eſt per aliquod tempus eſſe in eodem loco. Similiter quod quieſcit in vno tempore, quieſcit in omni eius parte, nec per duo nunc poſſet eſſe nunc quieſcens.

Non datur motus in indiuisibili mobili, neque in indiuisibili temporis, hoc est, neque in Atomo, neque in Nunc dantur tamen termini motus in nunc.

Probat Arist. primam conclusionem, quoniam omne quod mouetur est inter terminum à quo & ad quem: & non in à quo: alioquin nondum se mouet: nec in ad quem, quia motum iam esset. Ergo partim est in à quo, & partim in ad quem, sed quod habet partem est diuisibile: ergo non est atomum, ergo atoma & puncta non mouentur nisi per accidens ad motum corporis quanti & partibilis. 2. contra Democ. arguit Arist. Si atomum mouetur, vel in spatio maiori, quam ipsum mobile, quod est falsum: commensuratur enim spatium & locatum: vel in minori, & hoc non datur: nihil enim minus indiuisibili: ergo in æquali, sed æquale est punctum, ergo transibit & tanget omnia puncta spatij. Sed spatium est diuisibile in infinita pūcta, ergo infinita pertransibit actu, quod est impossibile: quoniam nunquam ad finem motus perueniet.

Probat secundū quoniā idē Nunc, est finis præteriti, & principium futuri, sicuti punctum in medio lineæ: ergo indiuisibile; alioquin pars præteriti esset in futuro, & pars futuri in præterito. At si aliquid moueretur in instanti, sequitur, quod instans scilicet nunc esset diuisibile. Nam idem spatium, quod pertransitur ab aliquo mobili tardo in vno nunc pertransibit à velociori in minori tempore per priores suppositiones: ergo nunc diuideretur, quia in dimidio nunc velox, in toto nunc tardum mobile transirent.

Probat, quod motus terminatur in nunc & non in tempore. Tempus enim diuisibile est: ergo si motus terminatur in tempore diuisibili, hoc fiet, vel in partibus vtrisque ipsius diuisi, ita quod in vtrisque mutatum est perfectè: & hoc non potest dari, quia non est mutatum primo in toto tempore, sed in partibus: vel in vtrisque mutabuntur, sed non mutatum est, & hoc etiam impossibile, quia supponitur, quod motus sit omnino terminatus. Ergo necesse est, quod in instanti: neque enim in vna parte mutatur, in alia mutatum est, cum supponatur in tempore diuisibili terminatus esse motus.

Deinde: hoc dogma statuit Arist. non potest dari prima pars temporis, in quo incæpit motus: nec prima pars motus, in quo incæpit moueri: nec prima pars spatij, super quo cæpit motus. Sed ante omne tempus est nunc, & ante omne nunc tempus, vt ante omne mutatum esse est mutari: & ante omne mutari est mutatum esse: & ante omnem lineæ in qua fit motus partem, est punctum: vt ante omne punctum est linea.

Putant autem, hæc posse probari ex eo, quod nullum continuum vt linea componitur ex indiuisibilibus & punctis: etenim ea continuantur, quæ extrema habent simul, vel quorum extrema sunt vnum. Sed puncta non habent extrema, quia non habent partes: extremum enim præsupponit partem priorem: ergo non possunt continuari, sed neque se tangere. Neque enim pars puncti tangit partem alterius puncti, alioquin non esset indiuisibile: neque totum punctum. Si enim esset totum haberent partes: neque se habent consequenter: ea enim se habent consequenter, inter quæ non mediat aliquid sui generis, vt duo milites, & duæ arbores ordinatim positæ: sed inter duo puncta, semper est aliquid medium eiusdem generis in linea, idest linea media: probatum est enim, quod duo puncta non possunt se tangere: ergo distant: igitur aliquod inter ipsa est medium. Hoc autem non nisi linea esse potest. Etenim non est punctum, quia non potest tangere: ergo interponendum aliud medium: quod si est punctum indiuisibile, patientur eandem quęstionem absque fine: si diuisibile, ergo est continuum non corpus, nec superficies: ergo linea, vt supra: ergo inter duo puncta semper est linea. ergo cum puncta non sint continua nec se tangant, nec consequenter se se habeant, necesse est, continuum non componi ex indiuisibilibus: ergo neque tempus ex nunc per easdem rationes: ergo neque motus ex momentis: ergo componitur ex partibus minoribus & absque fine diuisibilibus, ne in indiuisibilia, quæ se se tangere nequeunt, abeamus.

Præterea quoniam motus non componitur ex momentis, ergo neque spatium, in quo mobile mouetur, ex punctis. Si enim motus componitur ex momentis. Ergo mobile mutatum est super totam magnitudinem, super quam nunquam mouebatur: vel pertransiuit magnitudinem nunquam pertransitam. Probat consequentiam: quoniam momentum est mutatum esse, non autem moueri. Si ergo motus constat ex mutatis esse absque moueri, sequitur quod mobile pertransierit magnitudinem nunquam pertransitam, & mutatum esse super magnitudinem, super quam nunquam mouebatur.

Ex his deducitur in Aristotelismo, quod si spatium, & tempus, & motus, non constant ex indiuisibilibus: ergo non datur prima pars temporis, in quo incæpit motus, vt ait in 6. Phys. Nam iterum, si illa pars prima esset indiuisibilibus: ergo tempus constaret ex indiuisibilibus, Nunc, cuius contrarium probatum est. Si autē diuisibilis: ergo diuiditur in priorem & posteriorem partem: ergo prima pars temporis, in quo motus incæpit, habebit priorem: quod est impossibile, quia non datur prius, ergo. & in 8. Phys. ex hoc quod ante omne instans nunc, est tempus, quoniam non datur nunc, quod sit principium futuri, & finis præteriti, concludit, tempus esse æternum & motum: ergo æternum & mobile cælum, & mundum.

Rursus probat, quod ante omne mutari præcedit mutatum, hoc est momentum. Antequam enim fiat aliqua pars motus, iam mobile mutatum est. Nam nunc, in tempore & punctum in linea, & momentum in motu, proportionaliter se se habent. Sicut ergo ante omne nunc est tempus, & ante punctum omne est linea; oportet ante omne momentum precedere moueri, & è contra.

Præterea quando mobile super aliquod spatium moueri cæpit, veritas est, quod secundum aliquod signum notatum in spatio, iam mutatum est: & iterum si mutatum est, prius mutabatur. Ergo & alteratum quodlibet alterabatur, & quidquid alteratum erat: & sic genitum generabatur, & quod generabatur iam genitum erat secundum aliquam partem.

IN

IN PERIPATO, CVIVSCVNQVE DATVR primum esse, non dari vltimum non-esse in mutabilibus; & è contra, cuius est vltimum non-esse dari primum esse: & vbi datur vltimum esse, non dari primum non-esse, & è contra vbi inuenitur primum non-esse, ibi non dari primum esse. Ergo successiuorum & permanentium pendentium à successiuis non dari primum, nec vltimum esse. Per*manentis rei durabilis per vnum instans simul dari primum & vltimum esse, rei permanentis, in atomo consistentis, datur vltimum esse in nunc. Consistentis autem non in indiuisibili datur primum esse in termino motus, non tamen vltimum sui esse. Rei ergo generandæ datur primum esse, sed non vltimum nonesse: corrumpendæ vero primum non-esse, sed non vltimum esse.*

ARTICVLVS II.

PRÆTEREA ex his deducunt alias consequentias: quoniam enim quod mutatur de calido in frigidum, perdit esse calidum, & acquirit esse frigidum, & calor transit de esse ad non esse, & frigus de non esse ad esse: quæritur, an detur vltimū non esse frigoris, post quod immediatè habet primum esse: & vtrum detur vltimum esse caloris, post quod immediatè sequitur suum primum non esse: & similiter vtrum detur primum esse mutationis & vltimum non esse, quod præcedit primum esse, & vltimum in quo esse habet, ad quod sequitur primum eius non esse immediatè.

Prima conclusio dogmatis. Cuiuscunque datur primum esse, eius non datur vltimum non esse. nam si primum instans, in quo habet esse, est indiuisibile, & in quo habet vltimum non esse instans pariter indiuisibile: tunc vel sunt vnum vel duo ista nunc: si vnum, ergo simul erit idem, & non erit: ex quo in eodem nunc est vltimum non esse & primum esse: ergo duo contradictoria simul vera. Si sunt duo, ergo intermediat tempus, vti probatum est prius, non enim indiuisibilia possunt continuari nec contingi, nec consequenter se habere. Sed in tempore intermedio res non habet esse, nec non esse: nam per hypotesim in vno nunc habet non esse, vt in A. vltimum, & in altero esse primum, vt in B.

2. Conclusio. vbi datur vltimum non esse, ibi non datur primum esse. Nam simul ac habet vltimum non esse non potest in eodem instanti habere primum esse: quia simul non esset, & esset, quod implicat contradictionem. Si autem habet in alio consequenti nunc primum esse, tunc sequitur, quod in tempore inter ista nunc medio, neque habet esse neque non esse.

3. Conclusio. vbi datur vltimum esse, ibi non datur primum non esse, quoniam non possunt esse in eodem instanti ob contradictionem. neque in duobus absque inter medio tempore, in quo oporteret neque esse neque non esse.

4. Conclusio. vbi inuenitur primū non esse, ibi non datur vltimum esse in eodem instanti propter prædictam contradictionem, neque in duobus, propterea quod in medio tempore haberet esse & non esse vltimum.

5. Ex his deducitur in Peripato. Rerum successiuarum, quæ sunt motus, & tempus, non dari primum, neque vltimū sui esse: quoniā diuisibilia sunt absque fine. Ergo non est assignare primam neque vltimam partem.

6. Res permanens dependens à successiua non habet primum neque vltimum sui esse: alioquin in successiua similiter esset: ergo Petrus currens non habet primam, nec vltimam sui cursus veritatem permanentem.

7. Res permanens nō dependens à successiua, si durat, solum per instans, habet simul primum & vltimum sui esse: nam ante illud instans non fuit, nec post illud est: ergo habet simul primum & vltimum sui esse.

8. Res permanēs, cuius esse consistit in indiuisibili, vt supremus gradus albedinis in albissimo, & linea vnius cubiti, cui omnis subtractio, & additio tollit esse purum cubiti, necessario habet vltimum sui esse in instanti, quoniam approximato agente contrario necessario minuit aliquid dealbissimo, & decubitali linea, quo remaneat non albissimum, nec ista cubitalis: alioquin, si nihil minuit, non agit.

9. Res permanēs, cuius esse non consistit in indiuisibili, vt album & linea non signati gradus, habet primum sui esse, per mutationem acquisitum. Terminus enim mutationis est ipsa res producta: ergo in vltimo instanti terminante mutationem res producta habet suum esse: non enim habet prius, alioquin illa mutatio non terminabitur in illo dato termino indiuisibili, neque post illum terminū, alioquin post terminum primæ mutationis daretur alia mutatio, per quam produceretur esse rei per mutationem acquisibile, vt post finem calefactionis alia calefactio, vt calidum esse incipiat: ergo in termino mutationis habet suum primum esse: quod durat in sequentibus temporibus.

10. Res permanens, cuius esse non consistit in indiuisibili, non habet vltimum sui esse: ergo non datur in frigefactione vltimum esse caloris, vbi incipit primum esse frigoris. Nam terminus huius alterationis, quæ est frigefactio, est primum esse frigidi per conclusionem: quoniam ergo in eodem termino est corruptus calor, & habet suum primum non esse per quartam conclusionem, alioquin simul esset calor & frigus.

Ex his sequitur, quod rei generandæ datur primum esse, sed non vltimum esse, & rei corrumpendæ datur primum non esse, sed non vltimum esse.

ARGVMENTA ZENONIS, QVIBVS *probat non dari motum, pendere ex falso dogmate Aristotelis, quod omne continuum diuisibile sit in infinitum, & ex iam dictis positionibus. Propterea responsiones Aristotelis esse vanas: & quomodo respondendum erat seriatim declaratur.*

ARTICVLVS III.

HÆC in Peripato, nobis autem alia mens. Putamus enim & rei permanentis & successiuæ dari principium atque finem, quemadmodum sensus contestatur in datis lineis, & alterationibus, & motibus: vt etiam D. Thom. fatetur sæpè, præsertim in 1. d. 1. q. 1. art. 5. ad 6. Vbi *datur ait, primum & vltimum momentum in quolibet motu:* stultum est autem relinquere sensum propter rationem opinionis diffidentem. Etenim & Zeno eisdem ex principiis, quibus Arist. negat dari primum momentum & nunc, & punctum, in continuis, probat nec motum dari efficacissimè. Rationes autem eius nec Arist. soluere potuit, quod vt amplius manifestum fiat, & ex hoc Arist. sententia per ipsummet Arist. euertatur, nunc primum examinemus.

Apud Arist. in 6. Phys.

Ait ergo Zeno, quidquid mouetur super aliquod spatium, antequam transeat de altero in alterum extremum, transit per medium; & antequam transeat medium, pertransire habet dimidium medij, & ante dimidium adhuc aliud dimidium illius dimidij: Cum autem media sint infinita, quia omne continuum diuidirur in infinitum per Arist. sequitur, quod non possit transiri ergo, non terminatur motus, neque fit. Siquidem omnis particula continui diuiditur etiam Aristoteli in infinitum: ergo videtur moueri: non vero mouentur.

2. Arguit: omne quod est in loco sibi æquali, aut mouetur, aut quiescit: ergo in quolibet nunc aut mouetur, aut quiescit: sed mobile est in quolibet nunc in loco sibi æquali: ergo vel mouetur, vel quiescit', sed non mouetur, quia per Arist. non fit motus in Nunc, ergo quiescit in quolibet instanti. Dicere autem, quod nec mouetur, nec quiescit, est contra conclusiones Aristotelis.

3. Si datur motus, sequitur, quod tardissimum mobile nō poteſt attingi à velocissimo mobili, incipiente moueri post ipsum, ergo neque canis attinget testudinem currendo. Siquidem testudo transierit duas vlnas viæ antequam canis moueri incipiat: tunc certum est quod antequam canis transit duas vlnas, testudo iam transiuerit aliud vel modicum viæ spatij: & cum canis transierit illud modicum à testudine peragratum, iam testudo pertransisse oportet aliud modicum, quod nondum transiuit canis: & sic semper aliud modicum absque fine: ergo nunquam attingetur à cane: ergo non datur motus nisi apparenter cum videtur, & hæc ratio etiam in dogmate Arist. habet vim.

4. Sequitur, quod dimidium temporis sit aliquando æquale toti si datur motus. Etenim si duo æquæ magnitudinis mobilia super magnitudinem ipsis æqualem acquiescentem ex aduerso moueantur, tunc primum mobile vsque ad dimidium spatij peruenerit: vbi expectat donec aduersum moueatur mobile, vsque ad idem medium. Tunc rursus commotis vtrisque, dum primum peruenit ad extremum spatij ex medio, tunc secundum pertransit penitus spatium, & insuper mobile primum sibi æquale & toti spatio. Ergo tempus totum, quo secundum mobile transit primum, est æquale illi, quo primum pertransit medium spatium: sed totum spatium erat æquale huic & illi mobili: ergo tempus totum fuerit æquale suo dimidio.

5. Rota in gyrum super suo centro commota semper stat in eodem loco, & semper mouetur: ergo simul mutat locum, & non mutat; ergo falsum est, quod verè moueatur, vt contradictio pandet.

Hæc Zeno. Arist. ad primum resp. in 6. Phy. quod potest pertrāsiri infinitū spatium in tēpore infinito: vtrunque enim est absque fine diuisibili. Hanc tamen responsionem in 8. Phys. reprobat tanquam insufficientem. Remanet enim quæstio, quomodo in tempore infinito potest fieri transitus: proptereaque respondet, quod mobile non vtitur infinitis in actu sed in potentia. Illa enim non possunt pertransiri, quoniam tangere infinita in tempore non sufficit. Ista potest, quoniam non nisi in potentia sunt.

Sed hæc Arist. solutio nulla est, vbi mobile esset atomū. Cum enim, vti ipse contra Dem. arguebat, non possit atomum in toto motu esse, nisi in loco sibi æquali, quod est punctum, tanget semper puncta successiue, quæ cum sint infinita, ergo transibit infinita actu. Hæc autem ratio est Arist. quod autem atomum possit moueri etiam si non per se (hoc. n. nihil ad rem) probatur ex ipso Arist. & Mathematicis, docentibus, quod sphera tangit planum in puncto. Ego autem accepi exquisitam spheram vitream quam rotaui super planum & super aliam spheram stringendo non saltillando, quam certius est quod tangat non nisi in puncto, nihilominus motus huiusmodi absolutus est eadem facilitate, qua lignum super lignum: imo citius: Excurrit. n. velocius minor adhæsio mobilis super id, in quo mouetur: ergo & dogma Arist. quod omne continuum diuiditur in infinitum, & ratio Zenonis super hoc fundata, vana sunt, vt in hoc capitulo dicebamus: & fortè magis contra rationem, & sensum est affirmare, quod in grano milij sint æquè infinitæ partes, ac in toto mundo, quam negare motum cum Zenone: quæ negatio ex hoc oritur dogmate. Destruitur ergo Physiologia negato motu: & Mathematica, si totum non est maius sua parte. Siquidem omnis pars lineæ æquè diuisibilis est in infinitum ac tota linea & totus mundus & tandem in partes æquales magnitudine post plurimas diuisiones: & numero, quoniam vtræq; infinitæ vel daretr infinitum maius infinito. Respondent quod infinita formaliter sunt æqualia non autem materialiter, quoniam partes milij sunt minores quam mūdi partes; sed falluntur quoniam

infinitas non est quædam forma materias inæquales informans,sed ipsius materiæ immensitas & innumerabilitas. Quapropter partes mundi licet sint maiores partibus milij, dum finitum est vtrumque tamen partes mundi per infinitam diuisionem ad minimitatem partium milij reducuntur: nec transeunt vltra infinitatem partium milij,alioquin istæ non essent verè infinitæ. Si enim infinitum excedat alterum,deerit alteri aliquid & extra ipsum esset aliquid. Ergo non esset de ratione infiniti ratio infiniti. Omitto quod totum non erit maius sua parte, & essent plura infinita: quoniam partes in toto insunt.Non potest autem diuidi nisi in partes quæ insunt,vt Arist.& sanctus Thom.fatentur:ergo absurditates Aristotelis sunt plures & atrociores quam Zenonis:& omnium scientiarum fundamenta euertunt. Nec soluunt argumenta Zenonis. Ergo vera solutio est, quod media sunt finita, & pauciora in minori spatio, pluraque in maiori,vti mox docebimus, secundum rem, at sola imaginatione Mathematiorum Peripateticorum in hoc dogmata stare.

Ad secundum Zenonis respondet Arist.quod mobile in instanti non mouetur nec quiescit, sed dum mouetur in qualibet parte temporis mouetur: partes autem temporis finitæ sunt,non autem nunc: in quibus nec motus, nec quies fit. Zeno autem errat, quia componit tempus ex nunc indiuisibilibus.

Hæc tamen respōsio nulla est,tū quia in quolibet nunc temporis, verum est dicere, si quid mouetur, hoc nūc mouetur:& mens infinita diuina, si nunc in potētia solum sunt infinita,actu poterit ea cogitare. Ergo in quolibet nunc videbit actu motum, quod si in nunc non potest fieri motus,nec quies, vt Aristoteles putat; Ergo secundum diuinam scientiam non mouebitur mobile illud, nec stabit: & hoc vult Zeno, quippe qui, vt Plato in Parmenide narrat, scripsit, res secundum veritatem diuinam non moueri, quoniam secundum ipsam, sunt omnia vnum. Vnum autem caret motu, & quiete, vt ibi probatur: licet secundum rerum diuisiones & naturas aliter ipse quoque Parmenides scripserit: duo esse, nimirum principia, ignem & terram, & generationes, & motus secundum hæc asseruit, vt ipsemet Aristoteles in primo Physicorum, & primo de Generatione narrat. Vnde ostendit se potius verba malè intellecta,vel malè interpretata antiquorum carpere quam dogmata, vt etiam diuus Thomas non semel fatetur.

Præterea, si infinita nunc sunt in tempore, & in qualibet temporis particula, vt Aristoteles docet, non diuisa actu, sed potentia, sequitur, quod sunt infinitæ actu partes, aliter in potentia diuisibiles, & numerabiles. Vnumquodque enim diuiditur in ea quæ insunt actu, ex quinto Metaph. per Aristotelem & diuum Thomam. At, cum transeunt necessariò numerantur. Sicut enim ipse docet, præteritum & futurum non datur, sed præsens nunc semper: ergo nunc actu diuisum est semper à præterita & futura parte. Id enim quod est, separatum est, ab eo quod non est, multo magis quam ab eo quod est. Ergo actu succedunt sibi inuicem Nunc infinita,& non in potentia solum.Hæc eadem ratio formatur in motu:momenta enim indiuisibilia sunt, nec datur actu nisi momentum. Præterita enim pars motus atque futura non extant:momentum autem extat incessanter, & cum vnum transit, aliud succedit, proprio actu sunt ipsa, & non moueri, sed momenta. Ergo sequitur quod Zeno dicebat: non dari motum,& moueri.Quod si ante quodlibet nunc & momentum quodlibet datur tempus, & moueri,vti Arist.docebat,sequitur quod infinitæ actu partes temporis & motus diuisæ per nunc,& momenta,fiant.

Præterea Arist. docuit, quod ista se comitantur, motus, tempus, & mobile. Ergo cum probauerimus, mobile in puncto tangere spatium super quo mouetur, & numerare actu omnia puncta: consequens est, vt actu omnia nunc discernantur,& omnia momenta: cuilibet enim tactui puntuali correspondet suum momentum, & suum nunc,secundum Arist. ergo vel dogmata falsa docet,vel hæc alia falsa simul concedat.

Ad tertium Zenonis respondet Aristot. quod licet dum duas vlnas spatij, pertransitas à testudine, canis transit, testudo etiam aliquid plus peragit,tamen in eodem tempore canis transit aliquid plusquam vlnas duas, & dum plusculum absoluit testudo,plus & plusculum absoluit canis.

Rectè quidem Arist.docet,si non quamlibet particulā in æquè infinitas partes atque maiores, ipse partiretur:& quia probauimus, etiam actu tangi & distingui à mobili,sequitur,quod dum canis facit infinita grandia non plus consumit, quam dum infinita parua:idem enim tēpus infinitum requiritur ad numerandos infinitos ciceres atq; infinitos boues.

At cum arguunt Perip. Quod non potest Mobile velox in vno Nunc transire nisi punctum vnum, & momento vno: Similiter & Tardum non potest minus vno puncto transire in vno Nunc: Alioquin daretur aliquid min⁹ quā punctū,& indiuisibile esset diuisibile. At si ex Nunc tempus,& ex pūctis spatium cōstaret, in eis nunc fieret motus velocis & tardi; ergo illud nō præcederet istud. Si dicis interponi morulas in motu tardi, sequitur quod in eodem puncto simul mouetur & quiescit. Item, clarum est in rota, quod partes propiores centro tardius mouentur, distātiores citius in eodem tempore: ergo nō dantur morulæ in tardo:nec velox potest trāsire plura puncta in nūc: nam esset simul in duobus locis sibi adæquatis:quod est impos. Si.n.componeretur ex 4.pūctis,& in nūc transiret octo: tūc esset simul in quatuor primis pūctis,& in quatuor secundis. Respōd. quod velocissimū facit vnum pūctum in nūc, tardū vero in pluribus nūc.Non quia nūc quiescit,& nūc mouetur:sed simul. Motus. n. tardus cōpositus est ex quiete & motu,sicut color rubeus ex albo & nigro non distinctus,vt patet in descensu arenularum intra aquam. Et motus partiū rotæ propiorū centro immobili plus participat de quiete, vt viridis color plus de nigro, quam flauus.Ergo corruūt cont.arg.

Vide q. Physs. de Materia.

At 4.Zenonis Arist.dixit non ineptè, quod motus aduersus alterius mobilis, addit alteri minoritatē tēporis ad ipsū permanendū, sicuti motus ad eūdē sitū demit:quod in Planetis circa solē rotatis experimur.

Ad 5.ait,quod licet secundum totum stet, mutatur tamen secundū partes. Deinde probat.quod etiā secundū totū quoniā non oportet,quod mutat locum recedere totaliter à primo.Satius autē dixisset,si mutari sitū & non locū cōtinuo dixisset in rota. Itē partes vicinores cētro immoto cōponere motū suum ex immobilitate centri,& mobilitate circūferentiæ: ideoque tardiores:sicut viciniores centro ponderis in statera declararūt. Hic Sextus Empiricus multa philosophatur pro Scepticis: nec tamen propterea euertit motum vti à principio considerauimus.

DARI PRIMVM ET VLTIMVM NVNC, *et momenta, et puncta, nec omnia ista esse principium futuri et finem præteriti semper et vbique, vti Aristoteli videtur.*

ARTIC. IV.

Si ergo rationes Zenonis fortissimæ non tollunt motui existentiam, multo minus fragiles Aristotelicæ tollunt principium temporis atque motus manifestissimum. Et quidem sicuti ly, nunc, est principium futuri, & finis præteriti, sic oportet tempus habere vtrinque terminos sicut & linea suos. Etenim recipit omnis pars temporis finem & principium. Ergo & totum tempus. Sic quidem arguebat S. Iustinus Philosophus martyr contra Aristotelem: siquidem enim Nunc est genitum, & futurum est generabile nondum genitum similiter & præteritum. Etenim omne præteritum prius fuit futurum: ergo factum est, vt fieret præteritum.

Præterea ait, nunc præsens non potest esse principium futuri, futurum enim non dum est, præsens autem est, non potest autem Ens esse pars non Entis: alioquin sequeretur, quod futurum, quod non dum est, iam esset in nunc: omne enim principium ordinis est pars rei principiatæ, vt superius demonstrabamus. Quapropter rectè concludit Iustinus nunc fieri, neque posse esse vbique principium futuri, & præteriti finem, alioquin & præteriti pars esset præsens & pars futuri, & quæ non sunt, essent: & hæc ratio valet per conclusiones Aristotelicas: quorum enim datur (ait) primum esse non datur vltimum non esse: Si enim dari non potest vltimum non esse futuri, ergo neque poterit incipere esse, quia semper fuit: quod autem est, non fit: quod si futurum non semper fuit: & omne præteritum aliquando fuit futurum: ergo omne præteritum factum est, ergo falso Arist. æternitatem temporis ex ratione ipsius Nunc venatur.

Nos quoque ex hoc, quod videmus falsissimum esse, quod ambulatio mea hodierna & alteratio manus meæ non habuit principium primum sui esse, sicuti re verà habet finem ab Aristotele confessum in instanti, & quod ratio eius super fundamento sensibus repugnante struitur: Ponit enim omne continuum carere termino à quo indiuisibili: ergo etiam lineam manifesti principii, & finis testem: non possumus eius sophismata tollerare: manifestum est enim quod sicuti linea finitur in puncto: ita incipit in puncto: & omnis quanti terminos esse indiuisibiles, vt etiam Euclides ponit: quapropter & motus & temporis terminos indiuisibiles vtrinque demus, oportet. Cum autem aiunt, eius saluatores, quod loquitur Arist. non de puncto extrinseco in linea, sed de intrinseco, de quo verum est, quod ante omne punctũ est linea, & ante omnem lineæ particulam est punctum, profecto nihil dicunt nisi sophistico modo: sicuti enim ponunt terminũ motus, & lineæ ad quem, ita à quo ponant, necesse habent. Non est autem vltimum lineæ punctum, à linea separatum & extrinsecum, sic enim consequenter se haberet, & linea nõ esset cõtinua: sed est finis lineæ intrinsecum, hoc est non recisum ab eo, cuius est finis.

At nihil minus principium lineæ alterum punctum, intrinsecum est ita, vt non magis pro principio possit eo vti, quam pro fine, vt à Mathematicis vsurpatur. Ergo mentiuntur, cum negant, primum esse lineæ, ergo & motus, qui super lineam fit, & temporis quod eiusdẽ motus est affectio, quę manifestè principium similiter habent & finem. Siquidem Arist. idẽ sentiendũ de hisce tribus valdè contendit.

Sibi quoque aduersantur Peripatetici in hoc, quod prius dixerant omnem motum terminari in indiuisibili, vt patuit. Deinde vero in conclusionibus dixerunt, nullum continuum successiuum habere primum atque vltimum sui esse. Cuius contrarium & ipsi, & sensus docent: deinde vero in permanentibus aliter sentiunt: & tamen ex hoc, quod in linea non datur primum, argumentabatur, quod nec in tempore, neque in motu.

Cum autem aiunt, quod ante quodlibet nunc & momentum, & similiter post quodlibet nunc & momentum, datur tempus & moueri) mentiuntur. Ante enim primum nunc intrinsecum tempori & primum momentum motus, non datur aliud: hocque probatur, ex eo, quod etiam motum terminant in instanti. Ergo in instanti incipiant, oportet, vt linea in puncto: & D. Thom. sæpè idem contestatur.

ARGVMENTA ARISTOTELIS, QVIBVS *omne continuum diuidit absque fine, esse vana; nec si vera sint, propterea non datum iri finem, & principium cuiuslibet motus, & temporis, & spatij: falsamque esse rationem componentem motus ex non momentis. At neque ritè probatum, quod ante quodlibet mutatum esse præcedat moueri, & è contra. Item, omnem terminum à quo & ad quem esse indiuisibilem.*

ARTICVLVS V.

PROBATIONES Aristotelis fundatæ in eo, quod omne continuum diuiditur absque fine, sunt vanæ. Venitur enim diuidendo ad minimas partes quas non licet amplius diuidere, nisi forsan imaginatione, & non sensu. Dico forsan, quoniam sicut nulla imaginatio potest concipere punctum sine partibus saltem situalibus: sic neque punctum diuidere nisi per situales. Cum vero Arist. arguit, continuari puncta non possunt, eo quod non habent extrema, nec tangi, quoniam nec tangit totum punctum totum. Si enim totum, haberet partes, neque

pars puncti partem (quia caret partibus) omnino friuolum est: neque enim Democr. qui ex atomis componit, & generat, per hoc vincitur. Ipse enim atoma corpuscula facit propter exiguitatem multã, & validam, qua respuunt diuisionem, non autem ex carentia soliditatis & quantitatis, cum etiam figuras dei corpusculis: quapropter potest ea copulare, & contactu vnire ex quanto, ita vt sic continuentur. Ergo ex hoc, quod partibus carent atoma, non erat Democritus increpandus, sed ex aliis rationib. à nobis nuperrimè dictis. Nos etiam, qui figuras & angulos etiam atomorum radimus, argumento Aristotelis non vincimur. Non enim dicimus, rerum materiam esse puncta & numeros, diuisos, neq; vnitam molem solidam, sed posse materiam diuidi vsq; ad atoma, & vniri vsque ad immensam molem, & extendi & contrahi ad certos vsque terminos. Quapropter cum Aristoteles ait, non componi ex atomis: Nos quoque dicimus. Non enim est hæc materia materiei: attamen dicimus, posse diuidi in atoma, quæ cum vniuntur, non accipiunt certos situs, & contactus ordinatim, sed fiunt vnum ex multis. Cum ergo ait Aristoteles; si continuantur, ergo habent extrema, ergo & partes, non ea continuari dicimus, quorum extrema fiũt vnum, vel simul) apprimè fallitur. Non enim in extremis vniuntur, sicuti arenulæ & farinarum particulæ, sed totaliter fiunt vnum. Extremorum enim applicatio facit tactum non vnitatem, quando materiæ sunt duræ & per se seorsum subsistentes, quales Democraticæ. At quando fiunt vna res, sicuti aqua & similaria prorsus Entia fiunt vnum continuum alio modo certiori, quem Natura qualitatum, & primalitatum vi operatur. Ars enim diuidit & iungit particulas, non autem condensat & rarefacit. Democratici autem hanc continuitatem non percipiunt, quoniam ex diuisis, & per se existentibus omnia componunt. Nos autem ex materia vnissima, sibique prorsus consimillima, eademque, cuius similaritas longè maior est, quam partium aquæ inter se, aut auri, aut aquæ vitæ. Omnis enim dissimilitudo in materiæ partibus, ab agentibus causis & actionibus variis innascitur.

At si quis cauillose contendat, hanc esse fictam vnionem, & responderi oportere ad hoc quæsitum de atomorum tactu, quandoquidem istorum continuatio esse nequit, sed solum tactus; diceremus tangi quidem atoma non secundum totum, neque secundum partes; quæ enim atoma sunt totalitate, & partibus carent quantitatiuis. & cum in aliis libris Aristoteles instat, quòd atomum additum atomo non facit quantum: Nos negamus, ex duobus enim fit vnum maius, quam ex vno. & si quidem non se possunt tangere partibus quantitatiuis, tangunt sese tamen situalibus & respectiuis: idem enim atomum respicit hinc ad Orientem, illinc ad Occidentem, & respectus infinitos habet vndique. Ita vt vndique illi possit fieri aggregatio, patet quidem hoc in pũcto centrali, ex quo ad peripheriam infinitæ vndique ducuntur lineæ. Et D. Thomas dixit, quod Angeli peccauerunt in fine secundi instantis indiuisibilis: considerans, quod instans habet partes nõ reales, sed respectiuas ad anterius, & posterius. sine enim partibus respectiuis nõ potest dari nec cogitari punctum, neque momentum; nec in Mundo situali, nec in Mathem. neque in Mentali: semper enim sunt & cogitantur respectus eiusdem puncti multi ad multos situs, & oppositos innumerabiliter. vt in 9 Phys. probauimus.

At quanquam verum esset, quod diuiditur semper quælibet lineæ pars; non tamen propterea carebit extremis, sicuti neque motus, neque tempus. Sensus enim id ostendit. diuidi quoque dicimus imaginatione, sed non sensu & Physica diuisione, alioquin acus, aut sphæra quæ tangit pũnctualiter in puncto, non maius nec minus suo, ex Euclide, super sphæram vitream, nunquam motum absolueret punctim reuoluta, quæ infinita puncta non possunt pertransiri. Prẹterea nos post quodlibet datum punctum currenti acu signamus punctum, ita quod linea ex punctionibus conficitur, non enim ex lineis. Imo fluens punctus siue per se, siue in extremo Acus aut sphere, punctim mouetur & tangit: & lineam facit, ergo ex punctis fluendo gentis, dum se punctus multiplicat. Sic fluens lineam superficies generat, & superficies corpora. Ergo & Nunc fluẽdo facit tempus ex sui multiplicatione, & momentum motum, vt calor calidum sese multiplicando: vnus ergo punctus punctatim generat punctos cõtinuatos, qui sunt linea, & momentum momenta, qui sunt motus, &c. Ergo Aristoteles voluntario asserit inter quælibet puncta dari lineam, cum manifestè punctuationibus successiuis fiat linea, & non ad lineationibus interpositis vllis. cum autem punctum moueri non posse, argumentatur, iterum hallucinatur. Nam & si non per se, tamen in extremo Acus & sphere mouetur punctuatim. Ratio altera, quod motus non componitur ex momentis, quoniam sequeretur, quòd pertransiret mobile non pertransitum spatium. (Momentum enim est (ait) mutatum esse; ergo si ex mutatis esse fit motus, fiet absque moueri & mutari,) nulla est. Aut enim mutatio sumitur pro fluente forma, aut pro fluxu. Si pro forma fluente, manifestum est, quòd calefactio fit per additionem caloris, vbi non erat, nascentem ex effusione illius, qui erat. Hæc autem effusio & multiplicatio non fit per gradus & puncta, licet à nobis distinguatur, ita per gradus. Nec componitur ex mutatis esse, sed diffusione, & augmento immateriali, quanquam in materia, succedente esse ad non esse per partem post partem, non quantitatiuas, sed virtuales. Nos autem hoc non intelligimus assueti omnia corporaliter distinguere, & augere. Si autem pro fluxu, sicuti Aristoteles in 5. Phys. vult intelligi, tunc cum iste sit successiua res, nec habeat esse instar permanentium, nequaquam ex mutatis esse seu momentis constabit de rigore vocabuli. mutata enim esse omnia sunt præterita. Si autem ex præteritis constat motus, tunc fit motus absque fieri: momenta ergo si componunt motum non sunt mutata esse; sed dicunt successionem, & vices rei mutabilis in alio semper esse partialiter: Quæ tandem absoluto motu, faciunt vnum totale mutatum esse. In Partialibus verò faciunt partialia mutata esse præterita, quæ non sunt, sicut neque futura sunt, sed tamen relinquunt sui esse vestigium id, scil. quod mobile acquirit, aut perdit. calefacta enim esse relinquunt caloris gradus: futura verò momenta non dicuntur mutata esse, sed moueri, nisi mutuato vocabulo, vt omnes voragines igniuomæ vulcani à Sicula voragine vulcania, quoniam nec dum sunt, nec relinquunt sui vestigia, vt calor præteritus reliquit calefactionem, quæ est ipse calor multiplicatus.

Igitur Arist. falsò asserit, ante quodlibet mutatū esse præcedere moueri, & è contra; sed dicendum, ante quodlibet mutatum esse præcessisse moueri, ergo motus incæpit à moueri: & finitur in mutato esse, vel incipit à momento, & desinit in momentū, vt linea à puncto in punctum. Momentum enim extenso vocabulo dicitur de qualibet parte indiuisib. motus. In medio autem habet de mutato esse & de moueri, & vbilibet momenta. Similiter in tempore falsum est ex vi vocabuli, quod ante quodlibet tempus præcessit nunc: sed post quodlibet tempus est nunc. & cum dicimus aliquando tempus incepisse in Nunc, vtimur præsenti pro præterito cum periculo sophismatis; sicut si quis diceret motum incæpisse in mutato esse. Licet enim modo sit illud moueri, quo motus incæpit mutatum esse, non tamen tunc erat mutatum esse. Sic, licet initium temporis transierit in Nunc: tamen vtimur ly Nūc, pro illo Tunc quando incæpit. & confusio vocabulorum, etiam intellectuum facit confusionem. Nec tamen confusio vocabulorum incæpit nisi ex hoc, quòd futura & præterita imaginamur, & vocitamus iuxta præsentia: sicuti etiam distantia localiter ex his, quæ sunt in nostro contuitu; & diuina ex sensibilibus. neque hanc quam modo olfacio animaduersionem, capiet homo nisi supra tempus, & locum à Deo eleuetur. Materia enim, locus & tempus, quibus ambimur, omnia materialiter, localiter, & temporaliter, nos cogitare faciunt; sicut qui ocularia rubra habet, obiecta omnia rubra esse putat.

At non propterea quod ly nunc, & ly momentum, significant esse præsens, & mutatum esse, sequitur, quod initium temporis, & motus sit diuisibile, cum non sit nunc, neque momentum. Est quidem enim indiuisibile omne principium, & omnis terminus vt in linea, & per vocabula mutuata ex mediis significantur. Quapropter dico tempus incæpisse in Nunc, non tamen in isto nunc, quod est finis præteriti, & principium futuri, quod Aristotelem decepit: sed in suo indiuibili principio; sicuti neque linea incæpit ex puncto medio, sed ex primo. Media autem omnia vbiq; diuisibilia sunt: non tamen absque fine. infinita enim non sunt, neque æqualia vt Aristoteli ponuntur: sed in maiori quanto plura, in minori pauciora.

RATIONES ARISTOTELIS, QVIBUS *probauit non dari primum esse, & vltimum non esse, & primum non esse, ac primum Esse, cæterasque conclusiones, ex his paulò ante deductas, esse vanas & portentosas.*

ARTIC. VI.

QVANDO igitur probat Aristoteles, quòd cuius datur primum esse per motum, eius non datur vltimum non esse, fallitur: etenim in creatione mundi quādo accepit mundus primum sui esse, habuit immediatè ante vltimum suum non esse: & cum homo primum tangit lapidem immediatè ante tactum præcessit non tactus lapidis, & similiter cum calefit aqua aliquo gradu addito caloris, vel aër frigefit immediatè; ante esse primum frigiditatis in aëre præcessit vltimum non esse frigiditatis. Nam si non venit vnquam aër ad vltimum non esse frigoris: Ergo non potuit peruenire ad primum esse frigoris; & frustra Arist. præcedentem priuationem facit principium per generationem abolendum. Similiter nisi venisset lapis ad vltimum non contactus mei, nunquam venisset ad primum contactus mei. Ratio autem eius, quòd idem esset instans contactus & non contactus, valeat: Et sibi etiam contradicunt, cum asserunt in 7. conclusione, quod durans res per instās simul habet primū & vltimum sui esse; tunc quæro an post illud instans immediatè habet non esse, necne? si habet, ergo continuantur instantia. Etenim in instanti primo non est, & omnis terminus est indiuisibilis. Terminus autem est inter esse, & non esse. Nos ergo tutò respondemus, quod post instans vltimi non esse, sequitur illud instans primi esse. Etenim omnis motus, vt ipse Aristoteles probat, terminatur in instanti. Motus autem corruptionis perficitur in vltimo non esse caloris, quod sequitur esse frigoris per generationem. Argumentum autem Aristotelis fundatur in hoc, quod instans instanti non potest succedere, sed hoc est falsum. Post quodlibet enim Nunc possumus dicere Nunc, & sequitur Nunc nulla interposita mora, vti etiam punctuatio facit lineā nihilo interposito. Et linea diuiditur in duo puncta immediata vbicunque, quæ sunt extrema diuisarum: sic & motus in momenta, &c. tempus in nunc præteriti & futuri: non enim idem nunc est finis & principium: cum immediatè antecedant, & sequantur alia nunc vt in linea recisa.

Omnes ergo conclusiones Aristotelicę portentosę vanę sunt: omnis enim res habet primum & vltimum sui esse, & sui non esse, quacunque fiat, & perdatur mutatione, tam permanentes quam successiuæ. & quidem intrinsecè & extrinsecè. Linea enim habet primum & vltimum punctum intrinsecos, vt principium & finem: & habet principium & finem extrinsecum, illud esse alienum, quatenus est non esse suum. Incipit enim à suo non esse: & sic desinit in suum non esse adiacentia extremis punctis. Sic tempus extremis nunc suis: & motus extremis momentis suis, quæ à non suis extrinsecè terminantur, vt Maius habet pro terminis intrinsecis primum, & vltimum diem suum: pro extrinsecis vltimum Aprilis, & primum Iunij.

PERPERAM PERIPATETICOS probaſſe indiuiſibile non poſſe moueri.

ARTIC. VII.

NVNC rationes ſoluendæ ſunt, quibus probat indiuiſibile non poſſe moueri, quas ſacræ Litteræ reprobant, Angelis & animabus motum tribuentes, ad quas Peripatetici extendunt has rationes, quæ reuera non niſi de indiuiſibili materiali loquuntur. Primo quidem falſo aſſeritur, quod motus diuidatur ad diuiſionem mobilis, præſertim localis. Non enim granum milij motum per triginta mille milliaria poteſt diuidi in tot partes, quot ſunt motus momenta. Motus quidem diuiditur ad tẽporis & ſpatij diuiſionem etiam ſi circulo fiat, non autem ad mobilis. licet autem verum ſit, quòd pars anterior & poſterior mobilis vtraque moueatur partialiter: tamen ſi diuidãtur, idem motus totus erit in ſingulis. Et cum ait Ariſt. (mobile non eſſe in terminis, ſed partim in à quo, & partim in ad quem, ergo habet partes) negatur conſequentia. Non enim ly partim cadit ſuper mobile, ſed ſuper ſpatio, cuius ſunt termini: Acus enim punctuale acumen mouetur ſuper ſphæram vitream ſemper tangendo punctum ſphæræ, nec partibili tactu erga ſitus oppoſitos: habet quidem diuerſos reſpectus ad duos terminos, in quos patitur, ſed non ſicut in res quantitatis ſuæ. Punctum enim centri reſpicit ad mille partes peripheriæ, nec propterea diuiſibile quantum eſt. Secunda Ariſtotelis ratio contra Democr. nihil probat. Dicam enim ſemper eſſe, quòd mouetur in ſpatio ſibi æquali, & in puncto ſicuti ſphæra ſuper ſphæram in conuexis mota, nec propterea non perfici motus. Imo ex hoc Ariſt. concludere debebat non componi ex infinitis, nec in infinita diuidi continuum quodlibet. & mirum quidem quam audacter diuidit in infinita, & negat ex infinitis poſtea compoſitionem, & quomodo quod in Anaxagora vituperat, in ſe laudari vult, & quomodo negat infinitum actu: & ſimul infinitas partes ponit actu in continuò non diuiſas, ſed potentia diuiſibiles. Habet enim tres partes actũ quod poteſt diuidi in tres: ergo & infinitas actu, quod poteſt in infinitas: diuiditur enim in eas quæ inſunt actu vt docet in 5. Met. ipſe, & D. Thom.

DE MVTATIONE VIOLENTA ET NAturali, vtraque multiplici & miſtã.

CAP. VIII. PARS V. ART. I.

POSTQVAM de actionibus & paſſionibus ipſarumque accidentibus locuti ſumus reſpectu ſui & ſubiecti mutabilis & actiui, remanet ſermo de naturali ac violenta mutatione. Naturalis mutatio eſt, in qua nihil deperditur, ſed acquiritur conſentaneum mutatæ rei, vt cum mutatur homo de ignorantia in ſcientiam; ſi ignorantia ſolum negatiua erat, vnde videtur nulla repaſſio interuenire in agente: imo neque tempus requirit naturalis mutatio. Tempus enim comitatur, vel quia agens eſt imbecillum, ita vt nequeat effectum ſibi conſimilem ſtatim facere; vel quia non vtitur tota ſua potentia, niſi quando Deus etiam in miraculis tẽpus interponit, vel quia materia repugnat: Repugnat autem ob contrarias diſpoſitiones; vel quia contraria eſt informata forma, & in hac omne agens Phyſicum in agendo repatitur: hoc tamen non eſt de ratione actionis & mutationis, ſed de ratione finiti Agentis & repugnantis patientis. imò neque materia mutabilis eſt de ratione actionis, niſi vbi actio facit partem & non totum. in creatione enim nulla ſubiicitur materia. Subiicitur autem in his, quæ ſupponunt illam, quæ prima & verè & maximè eſt actio: Potius autem principiatio cunctarum actionum actiuè & exemplariter. Illa enim actio adhuc influit in omnes actiones eius imitatrices.

Actio verò mutatioque violenta eſt, in qua aliquid naturale deperditur, & quod non inerat natura acquiritur. Propterea que cum reſiſtẽtia abſque conſenſu patientis; & ideo nulla actio diuina eſt violenta: quoniam patiens nullum ſibi reſiſtit, aut non conſentit Phyſicè. De moralibus autem alia eſt diſciplina. quapropter Peripatetici in 7. ſuæ Metatph. non rectè ſentiunt, actiones & paſſiones elementorum in inuicem propterea eſſe naturales, quod materiam habent non repugnantem, ſed cõmunem omnibus; artificiales vero, & ab extrinſeco factas, eſſe violentas. Etenim plus repugnat materia ignis inimicæ terræ ipſam tranſmutantis, quã lignum nauifactori. In hoc enim ſola informitas repugnat. In illa vero etiam contrarietas, & informitas materialis.

Quapropter omnes actiones elementorum cum ſint ab extrinſeco, & cum reſiſtentia patientis reagentis, ſunt violentæ, conſiderando naturas eorum particulares: Conſiderando vero totum mundum, & vniuerſalem naturam, & finem diuinum, cui ſeruiunt inſtrumentaliter, ſunt naturales: materiæ vero nihil violentum reſpectu ſui in vlla actione, ſed

tantum respectu regnantis formæ. In violenta ergo actione requiritur agens, & patiens, & oppositio inter illa, maximè autem contrarietas; vtque agens sit extrinsecum, vel si intus est, naturæ quam mutat, sit oppositum.

Et quoniam omnis actio reducitur ad potestatiuum, & cognoscitiuum, & volitiuum, quandocunque primalitatibus omnibus passiui repugnat, actio & mutatio illa dicitur violentissima; maximè autẽ si volitiuo, vt occisio hominis iuuenis contra pugnantis, potestatiui & cognoscitiui vigentis destructiua. 2. in gradu est violentia, si patiens vult, sed non iudicat fieri posse, vt si contra scientiam, & fidem suam sanetur; vel si Asinus inscius & repugnans ducatur ad pascua. 3. dicitur violentum, si est solum præter potestatiuum vt si lapis proijciatur deorsum, quorsum vult, & scit ire, sed tamen maiori vi, quam ipse possit descendere, pellatur: sic etiam ferrum ad superpositum magnetem vi attollitur, excitato eius spiritu ad opus sibi, alias nõ possibile. multaque faciunt amantes vltra potestatiuũ & volitiuum, & delirantes vltra propriã scientiam: sunt etiam aliquæ actiones supra naturam magis quam contra, vt cum sybillæ diuinant, & idiotæ pangunt carmina, eleuati altiori lumine. Hoc enim est de Natura cognoscitiui non autem de gradu talis cognoscitiui, sed supra gradum eorum. sic resurrectio corporum ad vitam nõ est contra Naturam, cum ipsa naturaliter vna vixerint; sed supra naturam, cum in se principium intrinsecum propriæ resurrectionis actiuum non habeant, sed solummodo susceptiuum.

Ex his collige, aliquas mutationes magis esse naturales vbi maior obedientia, & maior consensus patientis & minus temporis & resistentiæ. Aliquas vero minus violentas vbi resistentia minor: vnde obitus senis minus contra Naturam, quoniam potestatiuum minus repugnat, sic iudica de cæteris primalitatibus secundum magis & minus.

Tandem aliqua actio componitur ex naturali & violenta, vt vectatio corporis à spiritu, natura mobili, immobile trahente & ponderosum.

Vanissimè ergo Aristoteles, omne quod mouetur ab motore distincto separatoque moueri, adsumpsit ad probandum, cœlestia ab Angelis moueri; cũ illa propositio sit solum vera de his, quæ violenter, aut artificialiter mouentur; & falsa prorsus de Naturalibus, si eius definitionem de Natura quis expendat.

Illud tandem vanissimum, quod primum mouens sit natura immobile, cum nulli magis conueniat motus, quam motori actiuo Physico: sicut calefacienti conuenit esse calidum, & non frigidum: quæ enim mouent tanquam obiecta, non ipsa dant motum, sed occasionem mouendi, vt in superiori sermone declaratum est. Deum autem & motus & quietis auctorem, nõ esse immobilem, nec quiescentem, vti pulchrè admonet S. Iustinus, sed eminenter præhabere vtramque operationem, in sequenti parte demonstrabitur.

ORIGINEM CAVSATIONIS ACTIONVM *esse extensiones Primalitatum, & quæ extensiones quarum primalitatum, & quæ actiones quarum extensionum sunt, & quæ regulę eliciantur, & Principia scientiarum.*

CAP. VIII. PARS. VI. ART. I.

OMNIS quidem actio ab agente editur causa. Causa autem causat extensione facultatum: facultates autem extenduntur erga obiecta, vnde occasionem habent causandi. vis enim causatiua intrinseca est, non autem ab obiectis: obiecta autem facultatis potestatiuæ est possibile & impossibile. Circa quod actio est facere, & non facere, seu deficere. Cognoscitiuæ vero est verum & falsum: erga quæ actio est affirmare & negare. Appetitiuæ est bonum & malum, erga quæ est sequi & fugere. sed non suboriuntur istæ actiones, nisi præcedant extensiones quæ in potestatiua facultate est spes & desperatio, timor & audacia ira & misericordia, mollities & virilitas, pigritia & sedulitas, præualentia & succumbentia; ex his sequuntur actiones inuasio, & repedatio: Imperatio & vetatio, Vincere & vinci, prosequi & lentescere; Properare & tardare, vigilare & dormire, vlcisci & ignoscere, bellare & resistere, transmutare & conseruare, possidere, tenere, vel habere; quæ omnia ex rationib. terminorum patent, ac simul quarum extensionum prædictarum sunt actiones.

Egrediuntur ex dictis mechanicorum Axiomata videlicet.

Primo nulla Physica potentia mouet aliud, nisi ipsa habeat in se motum, quem communicat. Ideò nec manus, nec balista mouet nisi prius ipsa motum induat. Nam potẽtia motiua est communicabilis, sicut calefactiua, vt in trocho & machinis patet.

2. Item nulla potentia mouet, aut mutat id, quod plus habet resistentiæ quam sua est præualentia.

3. Simile & æquipotens non patitur à simili, nisi per accidens.

4. Infinita potentia agit sine tempore, vbi non est infinita resistentia.

5. Si qua potentia mouet in aliquo tempore per aliquod spatium, eadem potentia mouebit medietatem mobilis, medietatem resistentiæ habentis, per duplum spatium in eodem tempore.

6. Si qua potestas mouet aliquod mobile per aliquod spatium, eadem potentia mouebit medietatem illius mobilis in medietate illius temporis per æquale spatium.

7. Si qua potentia mouet aliquod mobile per aliquod spatiũ; dimidia potentia mouebit medietatẽ mobilis per idem spatium in tempore æquali.

8. Si

8. Si duæ potentiæ moueant duo mobilia per aliquod spatium seorsum aggregatum ex illis duabus potentiis, mouebit aggregatum ex illis duabus mobilib. per idem spatium in tempore æquali.

9. Non si qua potentia mouet aliquod mobile per aliquod spatium, eadem potentia mouebit duplo maius æquali in tempore per medietatem spatij. Potest enim prævalere resistentia. Hic enim sermo est de commensuratis potentiis ad sua possibilia. Ergo similiter nec si qua potentia mouet mobile aliquod per aliquod spatium in aliquo tempore, medietas illius potentiæ mouebit totum illud mobile per medietatem spatij æquali in tempore, est enim subualens ad prævalens, nec datur potentia ad suum impossibile, sed impotentia.

Valent regulæ in cæteris mutationibus. Nam alterans causans calorem, vt quatuor in vna hora aliquo in subiecto causabit calorem, vt 8. in duabus horis eadem actione non variata in eodem subiecto; & agens duplum, duplum in eodem tempore, & æqualem in medio tempore: & medium mediā in eodem tempore: & è contra si alterat agens aliquid totum in hora, non alterabit medietas agentis totum in duabus; potest enim porportionem non habere potentiæ ad possibile: siquidem si dragma Rhabarbari purgat bilem in hora: dimidia, nō propterea purgabit eandem choleram in duabus horis; similiter idantur regulæ in cæteris mutationibus prout Arithmeticæ proportiones suppetunt.

In cognoscitiua facultate extensiones vocantur sensatio, memoratio, reminiscentia, imaginatio, deliratio, fides, incredulitas, discursus, intellectus, iudicium, consultatio. Ex quibus sequuntur, affirmare, & negare, declarare, occultare, arguere, dicere, tacere, docere, decipere, consulere, dissuadere, orare, poëtare: disputare, artificiare, mentiri, verificare, definire, diuidere, syllogizai :de quib. in 3. & 4. lib. regulæ conficientur.

In volitiua facultate extensiones sunt, amare, odium, electio, reprobatio: Inuidia, zelus, auaritia, benignitas, malignitas, ambitio, renunciatio, acceptatio: liberalitas, prodigalitas, fames, sitis, libido, gaudium, tristitia, congratulatio, propensio, abominatio. Ex quibus suboriuntur actiones manducare, bibere, cacare, mingere, nutritio, generare, amplecti, attrahere, & attrahi: expellere, fugere, acquirere, perdere, dare, accipere, emere, vēdere: delitiari, meretricari, vestiri, fucari, laudare, vituperare, blandiri, auersari, imprecari bona, & mala.

Regulæ harum actionum in moralib. habentur, & cum præfatis proportionib. potestatiuis esse proportionantur. Sunt plurimæ actiones mislæ ex mistis, passionib. notionib. & affectionib. manentes, Etenim ad extra indiuisæ sunt facultates primalitatum: attamen certas sibi vendicant extensiones, & actiones formaliter distinctas, quanquam realiter ac materialiter indistinctas: de quibus par. 2. restat prædicamentalis tractatio.

DE CAVSIS VOLITIVO EX TERTIA PRIMAlitate principio correspondentibus, earumque cathegoriis dicendum esse.

CAP. IX.

POSTQVAM de causis actiua, & passiua, Potestatiuo respondentibus, & de ideali, & formali, Cognoscitiuo subordinatis, deque affectis cuiusque ipsarum cathegoriis dictum est abundanter: nunc de causis Volitiuo coordinatis harumq; cathegoriis, doctrinæ, ac naturę ordinem seruantib. dicendum denique restat. Hæ autē duæ esse debent quemadmodum & aliarum Primalitatū, alia nempe interior in essentiis, alia exterior in obiectis: sicuti enim agens est ex Potestatiuo, atque patiens, ad quā respicit Potestas actiua in obiectis, & sicuti idea est in Cognoscitiuo, & forma in obiecto respicit ideam similiter; oportet causam esse aliam in Volitiuo, aliam in obiecto eius.

Sententiæ antiquorum de finis ratione, & distinctione in quo & gratia cuius.

ARTIC. I.

ANtiquiores quidem causam modo finalem agnouerunt eam, propter quam omnes causæ causalitatem habent, exerruntque, præsertim agentes, vt sanitas est, gratia cuius, & pharmacopola, & pharmaca, & Medicus, & eorum instrumenta causalitatem habent. Non enim à fine habent, quod sint, sed quod causæ sint. Sunt autem media multa, per quæ agens finem consequitur, vt nauis causa est, qui dolat ligna, & qui secat, & instrumenta eorum, & lignum, & claui ferrei, & nauis formator sunt, & alterius alterum est causa, vel concausa; videlicet præcedens est causa efficiens consequentis, & consequens est causa finalis antecedentis: vt qui secat est causa dolationis, dolator formationis, formator nauigationis; & è conuerso nauigatio est finalis causa formationis nauis, & formatio dolationis, dolatio sectionis: sicuti vita est causa nutritionis, nutritio sanguificationis, sanguificatio Chili, Chilum concoctionis in ventriculo, coctio ventriculi commanducationis in ore: manducatio coquinariæ, coquinaria laniariæ, & molendinarię, & hæc agriculturæ, agricultura vomerariæ, & ligonariæ, &c. Aliquando per vnum modo medium consequitur finem, vt scriptor per solam

scripturam manifestat, quod intendit, licet Chartarius, & atramentarius, & alij sint scriptoris gratia. Dixerunt etiam causam causarum esse finem: quoniam materia nauis, id est ligna, & ferrum sunt propter formam nauis, similiter & idea. Omne enim agens agit sibi simile in forma per suam ideã, ideo forma est finis actionis. Forma autem est propter nauigationem. Non enim nauis formam habet, quæ nauigationi est inepta: nec literæ essentiam, quæ notificationi non deseruit. Quapropter videtur finis esse quid nobilissimum: cui omnia seruiũt, & optimum, & quod omnia appetunt. Determinat enim Agentem, qui materiam & formam eligit fini conuenientem. Idea. v. dirigit Agentem, & formã edit: forma tandem materiam indefinitam definit.

Distinctio finis, & finalitatis.

QVoniam autem vnicuique Enti optimum est bonum proprium. Cætera enim amat quatenus sibi conducunt. Bonum autem maximum est proprium esse: ac conseruatio, quæ est permanentia sui esse. Propterea dicimus, hunc verum esse finem, ac proprio in principio præinesse; illud verò, ad quod terminatur actio agentis, & causarum causatio, non rectè dicitur finis, sed potius finalitas, aut perfectio: correspondetq; fini intrinseco Amantis in Volitiuo, sicuti forma Ideæ in Cognoscitiuo, & patiens agenti in Potestatiuo.

Priores Philosophi cognouerunt duplicem finẽ, alterum quo, vt forma est nauis; alterum gratia cuius, vt vsus formæ, id est, nauigatio: quam per formã consequitur. Similiter oculi forma est finis quo spiritus ipsum ita architectatur: gratia cuius est ipsum videre vndique. Actiones a. oẽs in forma terminari: sed ex hac vtrumq; finem haberi. Verum enimuerò curti esse videntur. Si. n. finis est aliquod vltimũ, vti ipsi aiunt, & rectè. qui oẽs causas mouet, & propter quẽ omnes simul laborant. Ideoq; nobiliorem esse causam, quæ vltimũ finem propinquius respicit, vt dolator nobilior sectore, nauifactor dolatore, Architectus nauifactore: ita vt frenefactiua ignobilior equestri, equestris Imperatoria, & omne agens agit propter finem tanquam propter bonum. Nam & qui adulteratur respicit nõ culpam, sed voluptatem in adulterio. Nullũ. n. agens agit respiciendo in malũ tanquam malũ, vti docet S. Dionys. Igitur & quicunq; est propter aliquod opus, ignobilius est suo opere: ergo nauis ignobilior est nauigatione, & seruus seruitio, & bos aratione. Hæc autem impossibilia sunt. Accidẽs. n. qualis est rei vsus, & operatio non est nobilius substantia, prȩsertim illud, quod Nonentis naturam sapit, vti motus est nauigationis. & quis etiam diceret seruum esse seruitio ignobiliorem, propter quod est seruus; & pharmacopolam esse pharmaco deteriorem, & formas oẽs proprio actu, & cælum proprio motu? Siquidem cuius est opus (ait Arist.) est gratia operis. Cæli a. opus est motus perennis. Ex hac doctrina manauit, quod dixere priores, voluptatem esse finem, beantem hominis, vt Epicurei. alij lucrum, vt Bias, & diuitias. Alij virtutem, vt Stoici; & tamen omnibus his Mens humana nobilior est. Aristoteles autẽ, qui hæc improbat, stultiorem protulit sermonem. Putat enim intelligere, quod est mentis operatio esse eius beatitudinem, & summum bonum in quo beatur, quasi Mens sit aliquid deterius propria intellectione.

Finem cuiusque Entis esse conseruationem proprij esse participij diuinitatis; finalitatẽ verò esse formam, aut vsum rei factæ vel tractatę, confirmatur.

ARTIC. II.

SCimus quidẽ, bona esse duplicis ordinis, aliud vid. simpliciter bonum, cuius gratia omnia dicũtur bona, & fiunt bona, & operantur, vt illud adipiscantur: erga quod ferimur natura, non electione. Aliud verò bonũ, quod ad illud nos deducit, vel sicut mediũ, vel sicut dispositio, vel sicut signũ, vel sicut instrumentũ: erga quę ferimur electione. Cũ ergo omnia operentur, vt viuant, & nihil non agant proptet vitã. Nã cib. & vestimentũ, & coitus, & bellũ & codices, & Resp. sũt propter vitã in indiuiduo, vel specie, vel in fama: & quia oẽs istę vitæ deficiunt, inuenere sapientes homines à Deo tantũ dari vitã ęternã in Deo ęternante: Diffidentia etenim de propria vita in vitę autorẽ eos adduxit. Vnde Religio, Sacerd. & contemplationes, sunt bona, quatenus ad Deũ nos eleuãt. Virtus vero bona, quatenus mediũ est ad cõsequendũ bonũ vitę in nobis, & in filiis, & in fama, & in Deo, quemadmodũ in Ethicis demonst. Honos vero bonũ, quia est testimoniũ signumque virtutis; studiũ, quia via ad virtutẽ. Pulchritudo bona, quia signũ innatę virtutis, & opificis boni. Codices, artes, arma, serui, diuitiæ, quia sunt instrumenta consequendi sapientiã, & conseruationẽ in nobis, & in specie nostra: Nam sicut protegit sapiẽtia à malis destructiuis, & adducit bona cõseruatiua, ita protegit & pecunia, & vires, & amicitia, &c. quę bona dicuntur per analogiã ad summũ bonũ, quod quidem est cõmune, Deus, & propriũ cuiq; particulare participiũ deitatis, hoc est esse propriũ, eiusq; conseruatio; quã procurãt ita vt velint omnia esse semper, & vbiq;, sicuti Deus est semper, & vbiq;: vnde amãt æternitatẽ intensiuè & extensiuè: ergo Deitatẽ, quoniam cuiusq; bonũ est illius summi particula, & propter hanc ad illud nutrimur, tegimur, domificamus, laboramus, fugimus mortifera, sectamur vitalia, seruos, honores, filios quæritamus per Venerẽ; vbi decepti nõ sumus, vt contraria diligamus illato amore, nõ autem innato, qui falli non potest, cũ sit sigillum summi boni, vt amantis. Planta quoq; fructus facit, vt viuat in filiis nascituris ex semine suo, in fructibus clauso: folia emittit, vt se, & illos ab æstu, & gelu tueatur. Et spinas contra bestias: & omnia ergo propter sui esse conseruationem: ob idem calor & frigus, & cælum, & tellus, operantur. Conseruatio autem est esse; esse habens à primo Ente. Igitur propter primũ ens oĩa operantur, dũ propter seipsa operantur, namq; similitudinẽ illius in seseruare intendunt. Et ideò esse infinita, & æterna cũcta vellent Entia. Et tranquilla, & tuta semper, sicuti Deus est infinitus æternus, tranquillus, securus semper. Igitur finis gratia cuius operantur cuncta, & formationum, & formarum, nõ est operatio, & vsus, sed proprium cuiusque bonum de primo bono, & in primo bono, propter quod fit omnis operatio.

Non ergo esse substantiale nostræ mentis est propter intelligere abstractorum Entium, vti putat Aristoteles: sed ipsum intelligere est propter esse substantiale sub primo beatificabile per tranquillam conseruationem. Nec optimus finis, supremusque nauis est nauigatio, sed vita, & conseruatio nauigantium. Nauis enim est propter nauigare, nauigare propter lucrum, lucrum propter regnum, & seruos, & comoditates alias vitæ. Imò, inquam, neque qui secat ligna habet pro fine supremo dolatorem; nec dolator nauifactorem: nec medicus sanitatem ægroti: sed habent pro fine proprium lucrum ad propriam conseruationem. Vel si mancipia sunt, laborant pro vita, ne ab hero perdatur verberibus. Hæc autem media sunt. ergo vniuscuiusque finis supremus est ipsemet seruandus, propria nimirum conseruatio: vitaque æterna. Finalitas autem, seu perfectio est cuiusque rei finalis entelechia, vt finalitas nauifactoris est formatio nauis. Nauis nauigatio; finis verò est sua conseruatio, id est vitæ continuatio per hæc media, quæ primus conseruator, ac essendi largitor adiecit Deus.

Probatur tandem hæc doctrina, quoniam Deus omnia facit propte se ipsum. nec finis vltimus creaturarum est vsus, & operatio earum Deo non indigo. ergo & omnia propter seipsa agunt, Deum imitando: ergo finis in se, finalitas in alio. Finis ergo actio est forma rei actæ vel vsus, sed non finis agentis, qui nimirum est proprij esse conseruatio.

Quæ sunt propter se, & quæ propter finem, appetere esse propter se, & propter finem, & conseruationem, illa illimitatem, hęc limitatam sortiri, & de fine omnium.

ARTIC. III.

PORRO sciendum, quod quæcunque sunt propter finem, & non propter se, illa durant: sed acquisito fine cessant, & demoliuntur, veluti scena, quæ fit propter comœdiam repręsentādam, acta comœdia, destruitur; & cum cessauerint bella, conflabimus gladios in vomeres, & lāceas in falces, testante Propheta. Vnde in his, quę sūt propter aliud, dicet quispiam non inesse finem intrinsecum propriam nempè conseruationem. Quæret etiam, an homo sit propter finem à se alienum, ita vt habito illo desinat esse penitus: quemadmodum videmus corpora humana destrui, & in terram verti: & quoniam si terra parturit elementata, sunt mox elementata propter terram, in quam cōuertuntur. Et quidē respondeo, omne Ens, etiam alterius gratia factum, appetere tanquam proprium finem sui conseruationem; & quia suum esse non est propter se, sed propter aliud amat id se, quod est propter aliud, sicuti manus amat se esse manum, & vngula vngulā, vt vsui proprio valeat. Videmus enim clauum etiam positionem, quam sortitur dum fabricatur, amare; & ad ipsum reuerti similiter, vt magnetem: ergo amat essentiam, & existentiam propriam, vt finem: quanquam est ad alium insuper finem. sic panis vult esse panis, vt māducetur. Plantæ quoque cum sint propter animalia, & animalia propter hominem, quanquam pro se operantur: tamen & illæ propter hæc, & hæc propter hominem laborant. Non enim propriæ tantum immortalitati vtiles fructus pariunt, sed etiam animalium cōseruationi. Et *sic vos non vobis mellificatis apes, & fertis aratra boues, & vellera fertis oues.* Quemadmodum in 2. p. & in 3. demonstrabimus. Hominem dicimus esse propter Angelos, & ad illorum societatem anhelare, & Angelos immediatè propter Deum; quem pro fine supremo habent cūcta: quāquam, & ad alios fines sint, vti media, vt in suo loco probabimus. Hoc tamen verum, quod quæ ad mortalem finem sunt, vti scena, mortalia sunt; quæ vero ad æternum immediatè, æterna, vt homo, & Angelus. Tellus quidem est propter elemētata corruptibilia, sed ad ipsam reuertuntur, vt alia renascātur, donec euacuetur scena vniuersalis comœdię omnium rerum, de qua in 2. p. Nec enim gladius est semel propter bellum, nec solus semper.

Deum non agere propter finem alium à seipso, omniaque facere, ac curare in quantum sunt aliquid sui; nec tamen à rebus aliquid emolumenti habere, sicuti nos cum operamur, sed dare. Et hoc augustius esse, & verè liberale simpliciter: cæterorum verò secundum quid, facere tamen multa ob aliorum finem, quæ tamen non sunt nisi gratia sui.

ARTIC. IV.

SI autem omnia propter seipsum fecit Deus, vt dicitur in sacris Literis: cōsequens est, vt omnia propter seipsa operentur; sintque finalis causa operis sui, & non ipsa propter opus: sed quæritur, quomodo Deus agit propter finem in se existentem, & cur creauit mundum? Neque .n. agit, vt aliquid consequatur, quod non habet, quod non faciendo, dicatur otiosus, neq; vt ipse conseruetur: si .n. à reb. à se factis, seruatur, nō est ipse Deus, neq; factor eorum. Neq; agit vt assimiletur Deo in operando, quemadmodū dicitur Cælum agere, & quæcunq. bonitatē effundunt: vt quid fecit omnia, & transmutat incessanter omnia? Respōdebamus nos aliquando propter manifestandas diuitias gloriæ suæ. Nā *cæli enarrant gloram Dei*, teste Dauid. Quod etiam fit in numeris participationib. idearum suarū: quæ simul fieri nequeunt, ideoq; per successionem fiunt: sed nunc (inquā) à quo gloriam quęsiuit Deus, si nihil præerat in Mundi creatione glorificans ip-

sum? & quomodo quęrit honores à creaturis? honorem .n. quærimus, vt infama seruemur, quia in nobis morimur. Deus autem omnino immortalis est: quorsum ergo quærat, præsertim ab infirmis minimisq;, & quorũ esse est nihilum, comparatum Deo, vt canebat Dauid? stultus ego si quærerẽ ex hac scriptura, vel ex statua, vel ædificio gloriam à formicis, & culicib. Nos autem Deo comparati longè minores culicib. sumus atq; formicis: quia finiti infinito absq; proportione. Quomodo ergo Deus nonentibus, & nobis suarum faciat ostentationem diuitiarum. Præterea si propter gloriam suam quæratur Deus, profectò gloria sua melior erit ipso Deo.

Respõdet S. Thomas, Deum habere pro fine bonitatem suam, quę est ipsemet Deus: & non agere, vt consequatur alterius assimilationem, aut quo conseruetur in ea, aut quo aliquid, per quod seruetur, acquirat: sed tãtum vt communicet suam bonitatẽ, & liberalitatẽ. Ast ex hoc sequitur, bonitatem Dei esse Deo nobiliorem: & quia effectus, forma, & vsus nobilior est his, quæ sunt ad finem, & operãtur propter finem, esse quid nobilius Deo, vel causis principaliorib. Præterea finis generationis est forma geniti, & non generantis, vt aiunt, quoniã non coincidunt in idem numero: ergo Deus non operatur propter suam formã, & ideam ex bonitate, sed propter rerũ essentias: ergo nõ est ipse finis. Chrysostomus quoque dixit: neq; Deo esse tantę curę propriã gloriam, quantę hominũ salus. Et Dauid, *Bonorũ nostrorum* (ait) *non indiges*. vti etiam dicitur in Platonis Philebo. & in Euangelio dicitur, quod *humiliauit seipsum, vt homines exaltaret*. Et *numquid non erit Dominus, nisi sit vocatus à nobis*?

Respondemus, ignotũ esse vniuersum consilium Dei propter quod fecit Mũdum; sed tãtum hęc nos intelligimus, quod ex abundantia bonitatis agit, eiusq; gloria in effectib. elucescit suis: qui tamen indigens gloriæ non est, nisi propter nos. ergo liberalitas eius maxima est dare, & non accipere. Quid .n. accipit nisi suum? Deus a. seipso nobilior non est, nec pars parte, quoniam caret partib. sed respectu creaturę Bonitas ipsius potentiam anteit. Nõ a. sequitur, quid nobilius esse Deo. Nam nec creaturarũ esse est finis sũmus Dei creantis. imò nec forma geniti est finis generantis, quatenus est forma geniti, sed quatenus est similis generanti. Vnde pediculos ex nobis natos abominamur, quia licet ex nobis, tamen non similes nobis nascuntur. sic vermes, & pilos, & mõstra nostro ex semine orta. Similitudo a. est vnitas, vel vnitatis influxus: ergo Deus operatur, & facit creaturas, nõ propter creaturas, sed propter se, quia quatenus similes illi sunt, aliquo modo ab eo intenduntur, amantur, & fiunt. Et quia nulla creatura est, nisi participatio aliqualis diuinę similitudinis, ideò scriptũ est diuinis literis. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid fecisti*, & vim passus, sed volens & amãs. Hæc autem parua similitudo Dei nõ est finis Dei in se, sed vt in Dei essentia cõprehenditur omnib. modis participabili, ac imitabili. Quapropter omnia entia agunt vt seruẽtur, vel commoditatẽ nanciscantur, vnde seruẽtur in se, in aliis, aut tãdem in Deo: solus autẽ Deus operatur, vt ipse seruet alia, faciatq; vt sint. Quia *beatius est dare, quàm accipere*, teste Iesu Deo. Amplificat ergo seipsum omne agens aliquando specie, vt cũ in materiã separatam, aliquando numero, vt cũ ignis in vno grano pulueris bombardarũ accensus simul in oẽs adiacentes crescit non diuisus numero, vt videas, fieri processionẽ aliquando citra essentię diuisionẽ. Deus a. nec crescendo specie, nec numero amplificatus agit, sed largitur ineffabili modo citra indigentiam essendi amplius in plura, cui nullo pacto crescere in se queat, sed in creaturis: quæ quoniã emolumentũ capiunt, dicebat Chrys. curare Deũ potius creaturarũ salutẽ, quã gloriã suã: & tamen hoc spectat ad gloriã suam in nobis maiorẽ, quemadmodũ in 2. p. & in Theologicis declarauimus. Facit quidẽ Deus alia propter alia, vt multa propter hominem, sed tamen quod faciat alia propter alia, & hominem, & Angelos, & Mundum, non nisi gratia diuinæ bonitatis non indigentis accipere, sed volentis dare, ex præcedenti exuberantia beneficentiæ est.

Perperam Epicureos sustulisse causam finalem rerum omniũ, & Peripateticos aliquarum, & Aristippum Mathematicarum. ART. V.

EXistimauerũt Epicurei nullã esse vllarum rerũ finalẽ causam, propterea quod temerè, casuq; fieri omnia, posuerunt. mox quoniã, inquiunt, causa præcedit effectũ, finis a. subsequitur: nullo igitur modo potest finis esse causa: ergo neq; oculus factus propter videre, sed subsequutũ est videre post oculi fabricã casu quodam. Cumq; arguerentur ab arte, quæ lanceas facit propter bellũ. & aratrũ propter fixurã terrę ad semẽ excipiendũ: Respondebãt, neq; artẽ aliquid facere propter finem posteriorũ, sed propter id, quod pręcessit finẽ. Prius .n. animalia pugnauerunt, vnguib. & manib. deinde fecerunt arma, quib. pugnarẽt: similiter prius seminauerũt terrã manu fodiẽtes: deinde verò fecere ligonẽ, & aratrũ.

Sed profectò stupidi hominis rationes sunt istę; nõ .n. fiunt arma propter pugnare pręteritum, sed propter futurũ: nec pręterita pugna aliquid ad armorũ fabricã facit, nisi quatenus cõseruatur in memoria cognoscentis animę, atque ideantis, quod necessariũ sibi videtur ad futurã pugnam: cui ideationi nõ causam, sed occasionẽ præbuit præterita pugna. Non .n. ipsa facit arma, vt causa, sed cogitãs potensq; anima. Finis ergo causat, non quatenus est in executione, sed quatenus est in intentione agentis principalis: vt sic a. pręcedit non subsequitur. Imo omne agens est finis sui finis: nauigatio .n. quæ finis est nauis, est propter nauifactoris bonũ, & sanitas finis medicinę est ad bonum Medici. Finis ergo anteq; sit, causare non potest, nisi quà est Agentis determinatio ad exteriorem actionẽ: sicut idea est directio. Quapropter nihil fit propter finẽ, nisi à pręcipiente finẽ; vnde cõsiderare debuissent rerũ naturaliũ causam diuinã benè cognoscentẽ, esse ex seipsa potentem excogitare, finem sicut magistra, & non ex præteritis modo euentib. sicut discipula facit Ars. Igitur & oculum excogitauit propter videre, & spinas propter defensionẽ, & plãtas propter animalia, & animalia propter hominẽ, & hominẽ propter Angelos, & omnia tandẽ propter Deũ, in quo quasi in optimo fine quiescunt, atq. simul tanquam in principio. Quemadmodũ enim paulò ante dicebamus, finis rerum supremus est in ipsa Causa prima, ac principali. Finis vero quo, quod est medium principale, est in perfectione effectus, & iste dici potest

finis generationis, ille vero rei genitæ.

Mathematici vero, & cum eis Aristippus, & Aristot. putauerunt, non esse causam finalem Mathematicarum rerum, quoniam ipsas abstracto tractabãt modo: nullius enim gratia videtur esse circulus, neque quatratum. Verum enimuero si rerum naturas contemplemur, & Mathematicarum finis est maximè. Stella quidem circularis est, vt possit facilius moueri, & partes vnitas magis continere. Oculus vero vt vndique possit videre, celeriterque ad visionem verti. Gladius acutus, vt possit penetrare. Acies exercitus quatrata, vt firmior stare, & ex lateribus prælium accipere hostile: & ita in sensibilibus causam habent finalem, & agentem. Cæsar enim globosum exercitum in Africa ordinauit propter finem eius conseruandi à multititudine hostium vndiq; non impariter pugnaturum. Vtrum autem circuli extra sensibilia per se sit finalis causa, cum non sit nisi idea, non autem ideatum, alibi ratiocinabimur.

Præterea quod Peripatetici plurima fieri contra rationem finis etiam in Phys. per casum & fortunam, dixerunt in 2. parte disputabimus. Nunc satis est intimare, quod multa fiunt præter finem causæ particularis, quæ tamen finem habent ab vniuersali, & ab alterius ordinis causa.

Finalem causam Physicis, & Metaphysicis, & Theologis considerari, & qualiter, & quantum in vnaquaque sententia.

ARTIC. VI.

FINALEM causam Physici parum attingunt, quoniam formas, & materias tantum considerant, sensibilesque actiuas causas, vt plurimum. Finalis autem ad Metaphysicum spectat magis. At finis vltimus ad Theologos. Si enim percuncteris Physicum; quare nunc hic homo scribit? Respondebit, quia habet paginam, & pennam, attramentum, quod deducit super chartam ex voluntate, scientiaque scribendi, quæ sunt in mente scribentis. Et cur pluit? quia vapores sunt in aëre leuati à sole, mox à frigore, vel loci angustia condensati, grauesque facti, ita vt necesse habeant cadere deorsum. Si vero Metaphysicum interroges vltra iam dicta, respondebit, pluuiam fieri, vt tellus irrigetur, vt pariat herbas animalibus necessarias: & me scribere ad manifestandam doctrinam, hominibus vtilem ad vitam: ac me vicissim conseruandum in ipsorum memoria. Theologus vero, vt Dei prouidentia sequatur in conseruatione bestiarum ad hominis vtilitatem & exercitiũ: qui Dei conseruantis imago est, donec ad Deum iterum reuocetur: me autem scribere, vt ideas diuinas aliquo pacto declararem, & gloriam eius in m[illegible] manifestem: atque generi humano vtilitatem affe[illegible]ram, ex his, quæ hinc addiscit. & tamen nemo perfectè Deum finem intelligit ex his, sed omnes balbutiunt bene, vel meliuscule: hoc autem verificatur magis in Physicis, quæ finis experientia videntur. Si enim quæras, cur natum est monstrum? Respondit Physic. quia natura defecit in aliquo principio præter intentionẽ. Astrologus dicet. ob Planetarũ maleficorum in monstrosis horoscopantibus signis constellationem. Dicunt hi modum, sed non finem. Metaphysicus vero ait, ad commouendos homines ad inuestiganda Iudicia Dei in Primalitatum cooperatione. Theologus tandem, vt peccatores corrigantur, & de futuris malis præmoneantur: ergo non est Physici propria finalis causa. At qui multa in Phys. sunt absque fine, quæ in superiori scientia habent finem, optimi ergo: ac sapientissimi hominum, qui supremum respiciunt in cunctis finem, omniaq; sua ad ipsum dirigunt. Cõstat ergo Metaphysicos vt plurimum in hoc genere causæ versari: nam & Physici, qui finalem neglexerunt, vt Epicurus, Democritus, & Empedocles, Metaphysicam non docuerunt.

FINEM ALIVM PERFECTIONIS, alium consumptionis, alium esse consummationis, qui in comprehensione, visione, & fruitione summi boni consistit: aliud enim esse summum bonum formaliter, & quod: aliud obiectiuum, & actiuum, à quo: aliud vero quo, vt actus: & de mediis, & entibus propter se, & propter aliud.

CAP IX. PARS II. ART I.

FINALITAS ergo, & finis duæ sunt causæ: altera spectat ad finem generationis, & vocatur perfectio, seu finalitas: altera ad finem rei genitæ, & vocatur consummatio, conseruatio, & fruitio. Fructus enim in societate summitatis, summique Entis, quod omnibus præstat esse, seruatque omnia, quæ ad se conuertit, celebratur. Habent quidem quæcunque non sunt propter se post finem perfectionis finem destructionis, vt scena, peracta comedia, & epulum, peracta coctura. Finis essentiæ competit omni creaturæ, quæ ita est hoc, quod non aliud: & terminus eius est non esse alia concludens esse sui: vt homo est ita, homo, quod non lapis, non cælum, non arbor, non, &c.

Finis quidem destructionis terminatur ad Non-esse, & est similis finis terminationis lineæ, post quem non habet esse amplius linea: at quæ non sunt propter aliud, præsertim corruptibile Ens, sed pro-

pter se, & propter incorruptibile, illa profecto finem habent etiam consummationis, non autem consumptionis, vt homo,& Angelus,& mundi machina.cuius consummationem expectamus non annihilationem, qualis est ambulationis meæ in platea,cum peruenero,in nihilum abeuntis.

Porro alius est finis rerum, quod omnes appetunt à seipsis, alius est ad quem ordinantur ab altera causa: & iterum alium finem præscribit causa causarum suprema Deus,& alius est,ad quem ordinantur à secundis causis.Omnes quidem res appetunt tanquam finem propriam fælicitatem, quam consequuntur in sui esse conseruatione quoad licet: & quidquid ipsæ appetunt, appetitu innato,est id, ad quod Deus ipsas ordinauit, qui fecit alias res propter alias: omnes autem propter se: finis vero, quem secundæ causæ præscribunt rebus sibi subiectis, est proprium bonum vtile:quod aut ad voluptatem, aut ad honestatem,aut ad Deum dirigunt. Siquidem optat seruus tanquam finem suam heri fælicitatem, & ad hanc ordinauit ipsum Deus,& simul ad aliorum: omnia enim omnibus vtilia esse voluit coëxistentibus, sicuti in 2. p.docebimus: etiam quæ videntur inutilia,noxiaque. Dominus autem præscribit seruo tanquam finem, non serui,sed sui ipsius vtilitatem ad propria bona consequendum: qui aliquando discors est rei, qua vtitur, & Deo,& naturæ.

Siquidem fælicitas cuiusque rei est finis vltimus iuxta ipsarum capacitatem secundum naturam:Falicitatem autem nulla res habet in seipsa,quæ aliarum est indigens rerum: solus ergo Deus beatus, quoniam omnibus dat, & nullius indiget:ergo semper est,ac virtute infinitus:cætera ergo Entia,quibus esse non est beatum esse,beantur in Deo,à quo habent esse, sicut omnia calescunt,quæ secundum naturam calida non sunt,ab igne,cuius esse est calidum esse:id autem, quod omnia summe appetunt, videtur esse perennis vita, quam participant, sed non habent per se, sed summopere desiderant: & hæc est fælicitas, omnium finis formaliter. Id autem,à quo ipsam habent,est summum bonum,atque fælicitas adiectiuè,& actiuè. Sed quo summum bonum consequentur, & possident, est operatio Primalitatum trina: quæ consistit in comprehensione, intuitiua cognitione,& fruitione: qui actus sunt Potestatiui,Cognoscitiui, & Volitiui. Neque enim frui possumus, quod intrinseca cognitione non sapimus: neque cognoscere possumus, quod non comprehendimus. Nam & quæ in conspectu sunt prius Potestatiuo attingimus: deinde cognoscimus: deinde amamus: & quæ distantissima sunt adeo quod nequeamus attingere,profecto nec cognoscere,nec amare possumus: est ergo comprehensio actus Potestatiui in obiectum potentis: intuitus vero est comprehensæ rei per cognoscitiuum, sapor, ac iudicium: fruitio est comprehensæ rei, intrinsecusque notæ rei per amorem,& voluntatem complacentia.Aliud enim vocabulum non habemus.Placent autem ea,quæ conseruant:ex quorum adhæsu voluptas subsequitur, affectio nimirum sequens sensum boni conseruantis: quemadmodum dolor est affectio sequens sensum mali destruentis.

Illa ergo bona, quæ in nostram conuertuntur naturam, & in seipsis consumuntur,vt poculenta, & esculenta,nequaquam beare possunt:sed tantum vtilia sunt modicum ad beatitatem.Neque illa, quæ in nostro non consumuntur præsenti vsu, sed postea,vt Filij, Vxor,Serui,Ciuitas:tum quia deficientia sunt: beatitudo vero è contra indeficiens: tum quia quæ beata non sunt, beare nequeunt.Solus ergo Deus est à quo, in quo, & ad quem cuncta beantur.quæ autem oriuntur,& pereunt,non sunt propter se,sed propter aliud,& beantur suo modulo ab alio,cuius gratia sunt, vt canis,& asinus ab homine:beari enim est in tranquillitate conseruari in suo esse iuxta mensuram capacitatis:quod si est propter se,conseruabitur sibi:at si propter aliud,alij. De his autem in secunda Parte & in tertia sermones non leues reuertuntur: hic autem sufficit prænosse cuncta beari in illo esse. quod participant à primo Ente, relatum ad id,propter quod facta sunt.

DE CATHEGORIA FINALITATIS, *seu perfectionis, suaque causalitate.*

ARTIC. II.

SECVNDA causa extrinsecus ad Volitiui causam interiorem relata dicebatur finalitas, siue perfectio. Perfectum vero dicitur, cui nulla pars,aut magnitudo, aut qualitas, sibi conueniens,ad completum suæ ideæ participium,deest: vt perfectus homo,cui nulla pars corporis, nullaque animi qualitas intra gradum sui esse deficit. Sicutetiam perfectus dies, qui iam completus est,cum Sol est in puncto occidentali:ante vero hoc tempus imperfectus dicitur:sicut homo truncus manibus, aut pigmeus,aut stultus,aut vitiosus. Similiter enim perfectum dicimus, cui omnis virtus,sibi natura vel arte conueniens,inest:vt perfectum aurum, cui color,pondus,puritas,similaritas, & existentia insunt, naturalis. perfectus vero medicus,cui nihil ad medicinam spectans desideratur: & perfectus cytharedus, qui omnibus modis cytharizat: perfectio ergo videtur rei bonitas, quatenus alia est simpliciter simplex,quæ nimirum in vnaquaque re melior est ipsa, quam non ipsa, vt dicebat Anselmus: quæ videtur esse Primalitatum complementum. Perfectio vero non simpliciter summa, est cuiusque in genere suo complementum,vt humanitas in homine, Asinitas in Asino,quibus si quid vltra datur melius se, facit perfectionem supra creaturam illam, vt si vino addatur piper,& corpori corruptibili immortalitas.Si autem addatur aliquid deteriorans, facit impuritatem, ac simul imperfectionem, quatenus impedit innatam virtutem, vt aqua in vino,rubigo in ferro. Similiter etiá datur perfectum simpliciter, & omnino, cui nihil vllarum deest perfectionum, vt Deus. Datur & perfectum in genere, vt Sol lucidissimus,& calidissimus,& Grammaticus perfectus in Grammatica, non autem in omni sa-

pientia. Datur & perfecta quantitas, perfecta similitudo, perfecta actio.

Dicitur perfectum analogicè, sicut, & bonum, vt homo sanus perfectè sanitatis: aliud quia causa est eius, vt Medicina perfecta: aliud quia signum vt perfecta vrina. Dicitur etiam perfectio in malis, & vitiositate, vt bonus fur, & perfectus fur dici solet, cui propriæ inest malitiæ complementum: & perfectè corruptum, cui nihil deest, quod corrumpatur: sicut perfectè genitum, quod formam vlt mam sibi conuenientem acquisiuit. omnis autem forma est propter vsum. igitur perfectū dicitur, quod vsui, ad quē naturaliter, vel ab arte, destinatur prorsus idoneū est: vnde multa sunt perfecta in se, vt equus indomitus, quæ non nobis: quibus perfectus domitus, sessori commodissimus. Cæterum notandum, quod perfectio est finis generationis: idcirco, quod non efficitur non perficitur: ergo si respicias vim vocabuli, vnde imponitur, Deus non est perfectus, quia non est factus. Si autem ad quod imponitur, Deus solus est perfectus, quoniam omnibus rebus est bonus, vt sint, & beentur: nec est vlla bonitas illi deficiens, & quæ non ab illo.

Dicitur quidem causa Perfectio, quoniam omnia agentia præsertim secunda, agunt propter ipsam. est enim quo operationē assequuntur, per quam conseruantur: imo neque virtutes insunt subiecto, nisi perfecto: ita quod neque sibi neq; aliis bonum est sufficienter ad sui, & aliorū finem, nisi perfectū sit ornatumque ad opus. Perfectio ergo materiæ est forma: formæ vero virtus: virtutis operatio: operationis expeditio actus, & exquisitio operis, & assecutio optimi, & rei operanti, & simpliciter: quanta est mensura vtilitatis ad finem, & capacitas.

Perfectiones omnes cognoscimus, sed vltimum verum finem, ad quem res perfecta perficitur, non omnes illata notitia, sed innata tantum. Nam neque immortalitatem sui omnis generans attendit, nouitque, dum generationis perfectum actum procurat, sed sui delectationem, qua trahitur ad hoc opus: sua tamen natura, & communis insuper, illam prænouit, & procurat.

De operationis & vsus Cathegoriis, egredientibus à finis, & perfectionis causalitatibus, dicendum esse.

CAP. X. ARTICVLVS I.

POSTQVAM de causis ex tertia ortis Primalitate dictum est satis, nunc de cathegoriis, quæ harum sunt causarum complementa dicendum manet. Videntur autem esse hæc operatio, & vsus: operatione enim actuque proprio suæ formæ conseruantur in natiuo esse res cunctæ. conseruatio autem est esse proprij continuatio, quæ fit à datore ipsius esse: ergo naturaliter vnumquodque sua operatione naturali suam fælicitatem consequitur, retinetque: vsu vero cæteris rebus præstat, quod bonum est illis. Sicut Sol motu tanquam propria operatione seruatur, vsuque suo seruat inferiora per calorem, & lucem: & in hoc etiam beatur pro modulo suo: quemadmodum etiam, quæ solum ob vsum aliorum sunt, in ipso vsu seruantur. Cythara enim cum cytharizatur est in honore, & amatur, & tunc simul bona vtentibus: & scriptura est in laude sibi, & nobis proficua, cū vtimur ipsa. Quapropter de hisce duobus rerum generibus nunc loquamur oportet.

De multiplici actus acceptione: item operationem esse perennem actum, declarantem, essentiam venisse ad proprium esse, & conseruantem ipsam in esse; & quo differat ab actione, & paßione, itemque à formali constitutione Lulliana.

ARTICVLVS II.

POSTQVAM sui esse complementum seu perfectionem res habet in suæ generationis fine, statim ab essentia sua egreditur actus, declarans, rem iam esse perfectam, & in suo perfecto seruans esse. Quapropter *operatio est actus perennis essentiæ rerum, declarans earum esse perfectum, atque in seipso conseruans. Actum* Dico, vel *habitum innatum:* quomodo enim se habet essentia ad esse, ita ad operari; & quanquam operatio dicat exterius opus, quod actui, de quo est sermo, non conuenit: quia tamen caremus proprio vocabulo: Vnde Theologi coacti sunt dicere operationem ad intra, quo distinguant ab actione, quæ est operatio ad extra; Diximus operationem: sed melius quis diceret, Actum, nisi Actus etiam ad multa se extenderet. Alius enim est Actus essendi, vt homo est animal: alius existendi, vt homo est in platea: alius operandi vt Sol mouet se: alius agendi, vt Sol calefacit: alius patiendi, vt quo terra calefit. Dicitur forma actus, eo quod sit principium actionis, seu actus, qui declarat formam, & perfectionem rei: vnde etiam actus perfectio dicitur: hinc dixere calorem actum ignis: & Deum purum actum. Sed profecto dicitur actus primo & per se ex nominis impositione de operatione ad intra, deinde de operante, & de actione, & forma, qua agunt, & qua non agunt: ergo rectè hoc prædicamentum de Actu attitulari potest.

Conditio rerum vocatur id, quod sortitur dum

conditur, atque nascitur res tanquam proprium:vt cæli conditiones sunt tenuitas, calor,lux,& motus. Terræ vero crassities, frigus,tenebra,quies.De tenuitate, & crassitie dictum est,mediis dispositionibus,cum materiæ affectiones, & virtutibus actiuis inditas propter operationem, docebamus:&de formis affeclis dispositionum diximus:& de luce,& tenebris,quod sint vultus rerum:de agentibus quoque causis,calore,scilicet,frigoreq;. Item de actionibus passionibusque. Nunc restat de operatione sermo: quas generice vocamus conditiones quoniam in conditione fit, & sine ipsa non conditur ad perfectionem vlla res:sed rationabilius diximus, Actum, quoniam ipsum esse vocatur actus essentiæ ab ipso operari, & agere: quibus declarantur res esse: & à notis res nominari solet. Operatio autem cum esse, & cum agere conuenit, & quasi media est. Idcirco Actum conditionem actuantem dicere non dedecet: & addidi *perennem:*ad differentiam actionis, & passionis,& aliorum actuum: quoniam actus transiens non est operatio, sed actio intranea,vt intelligere,& amare: vel ad extra vt canere,& ædificare:& quoniam accidentis non est operatio, sed essentiæ relatæ ad esse suum, non ad obiecta exteriora,sicuti refertur actio,& propter essentiam Ens est: & gratia operationis aliquando, seu vsus essentia: Idcirco *essentiam* in obliquo posuimus: vtque etiam pateat: non aliena vi naturali, vel violenta, sed ab interna operatione prodire. Porro & quia tunc essentiam existere in rerum natura,& vti aiunt,in Actu,verum est,ac per se notum, & nobis: Propterea diximus, *operationem declarare esse rei*, & addidimus *conseruare in seipso:* rursus ad differentiam actionum, & passionum. Actio enim licet sit declaratiua esse rei: Cognoscimus enim calorem esse ex eo, quod calefacit: similiter animam esse ex eo, quod sentit,& intelligit, & dolet: intelligere autem, & sentire non sunt absque præuia dispositione, vnde etiam passio rem esse admonet: Attamen neque passio,vt passio conseruat rem: quamuis vocetur actus: imo alienat ipsam à suo esse: licet aliquando conseruet per accidens, quando alienatam à suo esse,reducit ad esse, vt medicatio ægrum ad sanitatem: vbi alienat etiam ab esse ægrotationis, & reducit ad esse sanitatis: vnde semper alienat passio ab Esse, in quo patiens est: & cum patienti est malum reducit ad bonum & è contra:propter vero actionem diximus, *in seipso:* etenim actio conseruat agentem causam non in se, sed in alio,hoc est in patiente agētis recipiente similitudinē. *Actio .n.* vt dictum est,*est effusio similitudinis agentis causa sine naturalis, siue idealis, siue vtriusque in patientem causam:* ergo seruat agentem non in se:sed in alia, in quo imprimit agentis similitudinem. Operatio vero in se, & omnis actio est propter operationem, & non è conuerso. Cum enim ignis agendo terram in ignem conuertit, tunc tellus facta ignis, incipiet operari operationem ignis:& de igne, si terra fiat,post perfectionem,sequitur quies.

Ergo quemadmodum cælum igneum perenniter operatur,dum mouetur :(licet vox, *mouetur*, potius dicat passionem : tamen ponitur ad dicendum actum). Ita tellus dum quiescit. Quies ergo est terræ operatio,qua ipsa viuit,& seruatur: cæli autem, seu Solis, motus. Et cum essentia operationem perdit, perdit etiam esse:ignis enim,priuatus motu, extinguitur: ita & tellus quiete priuata, à suo esse remouetur & perditur. Actio ergo & passio sunt ad tempus:quoniam est assimilatio patientis ad agens: vel communicatio,& effusio alicuius Entitatis. Cum ergo perfecta fuerit effusio, vel cum perfecte patiens similitudinem agentis receperit, cessat actio, passioque. Ast operatio definit nunquam:quoniam est propter retinendam assimilationem,& naturam: & non propter effundendam in aliud, nec propter assequendam. In actione, & passione requiritur agens,& patiens seorsum: in operatione vero sola essentia in actu: Actio quoque sæpè fit cum labore,& ad finem consumptionis. Operatio autem semper cum voluptate sine labore, & non ad finem tendit consumptionis:sed conseruationis.

Notandum quod cum Lullus dicit operationem Bonitatis esse bonificare, & magnitudinis magnum facere, & æterni æternificare, & essentiæ essentiare, falsus est sermo, si actiuè intelligatur, aut actuatiuè; sed formaliter verus:& secundum quod ipsum, nedū per se:actiuè autē est in quarto, modo perseitatis: vnaquæque n.res est bona bonitate sua bonificante.i. constituente formaliter in esse bono: ita qui diceret gladietatem esse gladificare, id est, constituere ferrum in esse gladij, quomodo autem forma constituat, dictum est prius: quoniam non sicut actus sequens essentiam, de quo hic est sermo: sed ferens essentiam,& Ens illa.

Quemadmodum caloris operatio est motus, frigorisque quies, ita materiæ torporem, & spatij esse stabilitatem: vnde subiectio, & substentatio tanquam actiones sequuntur.

ARTIC. III.

At quidem, si res omnis operatione seruatur: quam dabimus materiæ & spatio operationem, vbi calori,cæloque motum:terræ vero assignauimus quietē. materiæ quidem conuenire videtur Torpor:qui nō est motus, neque quies,nec actus formalis; sed quasi horum priuatio, & conditio quædam passiua. Quæ ergo nec calore possunt moueri, nec à frigore immobilitari,torpescere dicuntur: vt omnia corpulenta à naturis agentibus non deuicta,quæ in aēre posita,nec quiescunt: nec mouentur, sed cadunt ad fulcimentum externum, quod est terra. Casus ergo fit,& delapsus horum motio, non autem operatio, si naturas actiuas respicias. Nam si systematis ratio est accursus ad vnitatem, sicuti prius dicebamus. Casum autem in fine concitari tanquam materiæ informatæ, quatenus informatæ,exosum, dicebamus, quatenus est motu simile. Ipsa enim nec motum, nec quietem per se propriam sibi vendicat. Ergo sibi ipsi relicta,id,quod vtrique dissentit,pati cogitur. Ideoque talem odisse

ſe paſſionem : quoniam vita ipſius eſt in caloris, & frigoris vita, & operatione, non autem in propria, quatenus ſubiicitur; ſed quatenus per ſe eſt, torpet.

Spatio autem nec motus, nec quies conuenit, neque torpor. Licet enim non moueatur, haud tamen à virtute aliqua formali habet, vt quieſcat, veluti tellus à frigore, nec ab inertia, vt torpeſcat inſtar materiæ, cum diuinum, fermè ſit Ens: ſit ergo immobilitas, ſeu ſtabilitas eius propria operatio, ſecundum quam eſt baſis rerum: cum enim eius actio ſit ſuſtentare Entia cuncta, refertur enim ad extraneum, vti actio ad paſſum: ergo analogicè eſt actio: ſuſtentare autem nequit, niſi firma ſit, immotaque baſis, conſequens eſt, vt immobilitas, ſtabilitas, firmitudo ipſius ſit operatio, vnde ipſius egreditur actio. Ab actu enim actio omnis eſt, præſertim propter ſe. Nec quis dicat, ſuſtentare eſſe actum eius: cum enim fieret vacuum moreretur, ſicuti res omnis cum propria operatione priuatur. Dicet autem quiſpiam mori ſpatium in eſſe locum, & viuere in eſſe Ens, quando vacuatur. Ergo ne cum rurſus repletur reſurget ad vitam? ſicuti cum materia frigefacta, moritur in eſſe ignis, & mox ignefacta reſurgit ad ignis eſſe, non ſui mutatione ſed formarum ſuarum: ſic locus ratione locatorum. Sed hoc non valdè conuenit. Sicut ergo materia recipiens, actionis analogiam habet, ſic locus cum ſuſtentat, & tranſit: immobilitas vero ipſius actus, vnde hæc actio egreditur, ſicut materiæ eſt torpor vnde egreditur ſubiectio formis. Immo & motus & quies non ſunt actus caloris & frigoris ſicut calere & frigere, & materiare, niſi prout materiæ communicantur: pulſus etiam actus eſt ſpiritus: ſed vt materiæ communicatur eſt actio.

De operatione ſimplici, & compoſita, ex actionibus, & paßionibus, & communibus per circulum, & de media, & miſta, & de operatione Primalitatum miſta, & de puriſsima in Deo.

ARTICVLVS IV.

DVPLEX videtur operatio: alia ſimplex, vt quies telluris, & motus ſolis: alia compoſita, vt motus animalis, qui ex operatione ſpiritus inditi à ſole conſtat, & ex actione, & paſſione, reſpectu ſpiritus, & corporis. Idem enim motus, qui eſt ſpiritus operatio dum communicatur corpori, fit ſpiritus actio, & corporis paſſio. Communicatur autem per motificationem: nam qui ſemper mouetur ſpiritus natura cæleſtis, cæleſtem operatur operationem, vt Thoracis, & Arteriarum inceſſabilis manifeſtat motus. Idem ſpiritus mouet corpus ſolidum, immobile, quorſum idem ipſe impetum facit. Impetum autem facit ordinando operationem ſuam, & intendendo ad talem ſitum, & viam. Igitur ipſa operatio ſic ordinata, eſt actio, & ſimpliciter operatio eſt cõiunctum principium actionis. Similiter, & dum mouetur in corde, & in arteriis ob contactum communicat motum illis. Actio autem eſt communicatio ſimilitudinis agentis cuiuſcunque. Nam ſpiritus, & lucem, & calorem, & attenuationem, & motum communicare poteſt. Similiter & frigus cum ſeipſum communicat, operationem ſuam quoque communicat. Ideoque correpta frigore quieſcunt, calore vero mouentur.

Poſſunt & plures communicationes fieri, & actiones ſimul, & paſſiones etiam circulo, vt cum ſpiritus mouet corpus nautæ, & nauta remos, & remi nauim, & nauis nautam: & talis motus dicitur vectatiò, & geſtatio: vectat enim ſpiritus ab intrinſeco corpus immediatè, & per circulum vehitur à corpore, & à naui vehecta mediatè, ac ſimul geſtante.

Datur operatio media, quæ componitur ex motu, & quiete, & velocitate, & tarditate: velocitas enim plus participat de motu: tarditas vero plus de quiete, vel torpore: vt aëris, atque operatio aquæ in gyrum. Datur quoq; operatio miſta, & ab alio contrario. Corpus enim natura quieſcit, quoniam de terrà ſumptum eſt, vel torpet cum à neutro contrario rum eſt deuictum, & tamen quies eius à motu ſpiritus non recedit: quoniam intraneus eſt illi, & ſimul totum animal mouetur, & quieſcit: quoniam ex partibus conſtat differentibus, differenti operatione gaudentibus, & inuicem mutuantibus. Ne enim ſpiritus diſſoluatur in aërem, præſtat corpus quieſcere, nedum duplici agitatur motione, rumpantur vaſa, & exhalet. Præſtat quoque copori, ne dirumpatur agitatione, quies: & viciſſim, ne torpeſcat ſpiritus, præſtat moueri. Et natura fatali neceſſitate ad motum, & ad quietem impellit animal, dum obiecta ſequenda vel fugienda proponit, vel fruenda: & cum per tenebras nocturnas tollit motum, & actionis executionem, & per lucem dies excitat ad actiones.

Datur operatio miſta paſsione, cuius actio non communicatur exterius, vt intelligere, & velle, & ſentire, vt ſic: dum enim ab obiectis mouetur cognoſcens ſpiritus, patitur: pati autem non eſt cognoſcere: ſed ab eo cognitio incipit, & iudicium de obiecto, inferente paſsionem. Cognoſcere autem non eſt agere, cum non tranſeat in exteriorem effectum, licet à Peripateticis vocetur actio immanẽs. Verumenimuero ſpiritus non poſſet moueri, atque ex motu cognoſcere, niſi eſſet natura mobilis. Paſsio ergo illata, ex qua oritur cognitio, eſt occaſionalis modificatio ſpiritus, continuò ſe mouentis, cum ſit natura cæleſtis. Non autem ſicuti ab obiecto ad modum nouum motionis trahitur, ex quo modo ſentit præſens mobile, intelligit abſens, & reminiſcitur præteritum, diſcurrit in futurum, & in ſimile. Qui actus paſsiones non ſunt, licet ex paſsione fiant, ſicuti lignum calefactum, poſtea calefacit. Nec operationes, quoniam ceſſant. Operatio n. nũquam ceſſat, niſi cum eſſe, quod conſeruat. Neq; actiones cũ paſſum non habeant, neq; ſimilitudinem effundant, ſed acceptam imaginationem augent, & iudicãt. Igitur ſunt operationis innatæ modificationes Nihil. n. vetat, remanere rẽ, modum vero ſuum deſinere, quod patet in pulſibus, qui actiones ſunt emanentes ab operatione ſpiritus: & tamen modifi-

cantur multifariam dum intenduntur, & remittuntur. Vnde declarant quoque innatam spiritus operationem intendi, & remitti. Non tamen desinere prorsus, nisi cum morte, & abscessu spiritus, vel recessu ad centrum. Videntur quoque cælestes motus intendi, remittique ex ipsorum anomalia. Ergo operatio modificatur, non perditur. Velle etiam ab affectione illata incipit, & tamen actus est perennis, secundum quem vnaquæque res seipsam amat. Sed modificatio est actus, quando volumus aliquid externum, dum nosipsos volumus, sic ab ipso affectos.

Cum ergo in Deo per Theologiam processionem consideramus intellectualem, & amorosam, nullam possumus illi admiscere passionem: Non enim cognitio Dei, aut volitio sui, atque consequenter omnium ex passione incipit. Ergo nec aliunde modificatur: sed immensa est infinitaque. Nec possumus admiscere actionem: cum intellectio, & volitio eius nunquam cesset, nec succedant aliæ aliis ab obiectis, priores quasi obliterantibus: semper ergo in actu est eodem, sicut operans: & dum potest, facit res posse: dum intelligit, facit intelligere, & intelligi: & dum vult, facit amare, & amari. Operatio autem nostra perennis, qua semper nos amamus, & intelligimus, & possumus, non est causatiua obiectorum: sed passiua ab eis. Idcirco mutabilis actu propter noua obiecta: sed non habitu: & fortè neque actu innato, & abdito, & per essentiam: sed illato, & per modificationem. Vtrum autem actus diuini, & innati nostri in nobis sint aliquid operatione melius: in 2.p. declarabitur: & vtrum actus diuini vt communicatur ad extra incipiant & desinant actiuè, sicut passiuè, similiter inquirendum erit.

Qui ex operationibus rerum naturæ innotescant.

ARTIC. V.

QVONIAM ergo sunt aliæ operationes Primalitatum, vt Posse, Sapere, & Velle, quæ in creaturis habent modificationẽ ab obiectis, non vt possint, sapiant, & velint, sed vt sic possint, sic sapiant, & sic velint: vnde naturas & cognoscitiuorum, & præsertim animarum, & similiter Potestatum, & Appetitiuorum metimur. Aliæ sunt operationes principiorum actiuorum, & proinde elementorum, ab ipsis constitutorum. Ex quibus operationes simplices, & mistas, & modum, & quantitatem elementorum in istis indagamus, veluti cum animalia velociora censemus cælestiora: tardiora vero terrestriora. Rursumque ex intentione, & remissione operationum, vires rerum intensas, & remissas cognoscere licet: ac simul formas actiuas intendi, remittique contra dogmata Peripateticorum. Neque enim multitudo Entium, & species innumerabiles constituerentur, ex duobus actiuis principiis nisi per intensionem, & remissionem innumerabiles in gradus, dum pugnant, partirentur. Quæcunque vero eiusdem sunt operationis eiusdem essentiæ quoque censenda sunt: vnde sydera omnia eodem constare calore dicebamus in Physicis. At copiosiori, robustiorique, quæ celerius feruntur, & quæ simul reuolutionem, & circulationem habent. Mota vero tardius, exiliori, minusque copioso constare, putanda. Materialiora etiam Entia dicemus, quæ torpidiora, & secundum gradus, & iuxta ea, quæ diximus in præcedenti articulo de mistura operationum, & passionum inuestigandæ sunt rerum naturæ.

Perperam Aristotelem non distinxisse inter actum, & actionem. Vnde putauit omne, quod mouetur à separato moueri motore, cum hoc sit solummodo vi & arte mobilium: & de motore immobili, non benè sensisse.

ARTICVLVS. VI.

ARISTOTELICI, non distinguentes inter actum, & actionem, in varios trahuntur errores. Putant enim omnem motum esse passionem, & requirere præterea motorem distinctum separatumque. Igitur, & orbes celestes à separatis motoribus circumferri tot, quot sunt orbes, & nullos reperiri Angelos, aut dæmones præter illos octo, vel quinquaginta nouem motores orbium. Primum assumptum vnde doctrina tota hæc dependet, inductione falsa probauit, videlicet omne, quod mouetur à distincto motore moueri: quoniam, quæ vi mouentur, à distincto mouentur: & quæ naturalis, animata sunt ab anima: quoniam est separata, vt nauta à naui. Grauia vero & leuia à suo grauante, dante formam, & consequentia formã, cuiusmodi est motus. Contra hoc. n. palã est, ea modo à distincto moueri motore, quę violenter aut artificialiter mouentur; non autem quæ natura: posita Aristoteli principiũ mot⁹, & quietis intraneũ, contra Democritos, cuncta violẽter mouentes. Natura. a. Arist. in 5. Metaph. & 2. Phys. est materia, vel forma. Ergo cælũ mouetur naturaliter illi à propria forma intrinseca, non. a. à separato motore. Nec materia præstat naturalitatẽ motui, quippè cui non magis naturale est moueri, quã quiescere: nec moueatur ab anima, vt 2. Pars Inductionis in 8. Phys. suadet, insidente, vt nauta naui. Nam in lib de Anima vult esse formã intrinsecã corporis, nõ separatũ motorẽ, cõtra Plat. Sed ait, negatq;, prout præsenti cõmodum est positioni. Cælum præterea cum organicum Aristoteli non sit, ab anima, quæ sibi actus organici videtur corporis, moueri non poterit.

Phys. 8.

Similiter 3. Induct. pars, qua grauia, & leuia non à seipsis, sed à generãte moueri, accipit, stultissima est: potuisset. n. sibi & animal sic moueri: at si generans mortuũ est, quomodo mouebit? Præterea genitũ à suo generante separatum, nequaquã ab ipso moueri queat, non tangente, etiã si viuat. Mouit. n. motu generationis, nõ locali, qui mox egreditur è forma genita, etiã defuncto genitore. Quod si valet Inductio. Ergo cælum fuit genitum ab eo, quod sibi dat motum. Præterea, sicut quæ quiescunt natura, non habent extrinsecum quietatorem: sic quæ mouentur natura, non habẽt extrinsecum motorem. Natura. n.

Aristotili ita motus, vti quietis principium est.

Præterea in hoc incusandus videtur Aristoteles, quod terram quiescere in tertio de Cælo propterea statuit, quod de mortua res est, remotissimaque à cælo, motum pro vita habente. Si enim natura est principium, etiam quietis, dicendum erat, tellurē per quietem viuere, sicuti cælum motu: & cōtrariorum contrarias esse vitas, & operationes.

Errant quoque cum quietem, dicunt, esse priuationem, & nihil: si enim natura est actiuum quietis principium: vtique quies Ens est: Non-entis enim non est causa, ac principium in fluens vllum: & si Ens motus est, erit & quies.

Stolidissimè quoque asserunt ab immobili motore corpus nostrum, cælumque moueri. Neque enim dat, quod non habet, & ex nihilo nihil: neq; à calore frigescimus, ergo nec ab immobili mouemur: imo nec manus mouet alia nisi se ipsam motu in duat, quem mobili imprimat. Et cum infert, si quid à se moueretur, idem esset agens, & patiens in potentia, & in actu, ædificans est ædificatum. Multipliciter peccant: primo, quia non distinguit inter operationem, & passionem, & inter naturalem, & violentam, & artificialem mutationem, quemadmodum ex præcedenti capitulo manifestum est: in mutionis enim actu agens, & patiens distinguuntur, quoniam fit alienatio Entitatis: in actu vero operationis non distinguuntur, quoniam fit per ipsum conseruatio Entitatis. Telesius non habet pro inconuenienti, quod idem sit agens, & patiens in operationibus naturalibus. Nos vero ratione materiæ, & formæ admisimus. Materia enim & si vnum sit cum forma in composito: considerata tamen vt Ens patiens, & forma vt agens, Telesij dictum non respuit. Verum quia sub forma est semper in actu, dici non potest, quod simul sit in potentia, & in actu, dum cooperatur opus formæ in se regnantis. Aristotelici autem decipiuntur nominis vnitate: quia enim dicimus, ignem & cælum, & proiectos lapides moueri, per verbum passiuum, putant omnem motum esse passionem. Sed aliud est passio in voce, & non in re, vt cum ignis dicitur moueri sursum, aliud in re non in voce, vt cum dicitur homo mouere aliud mistum, vt cum homo progreditur, vox enim passiua est, significatum actiuum: & progressus hominis ex actione animæ, & passione corporis componitur: & cum instant propterea motum cæli esse passionem, quia semper est in potentia ad vlteriorem motum: Iterum falluntur, non enim in passiua, sed in actiua est potentia, cum non in potentia, vt ab alio separato moueatur, sed vt à se. Quantopere errarint ponentes actum simul conseruatiuum, & destructiuum in definitione motus eadem, in superiori sermone, & in Physicis demonstrauimus. Quæ autem dicunt de numero orbium, & motorum, & de Dei immobilitate, & inertia, Theologiæ, & Astrologiæ contraria & sensui, & rationi in 3. p. demonstrabimus: neque enim immobilis, neque mobilis est Deus, vtrumque præstans, vt optimè concludebat Philosophus Iustinus Martyr.

DE CATHEGORIA VSVS.

CAP X. PARS II.

Vsum esse assumptionem rei ad propriam appetitionem secundum ordinationem Dei, & naturæ, ac artis. Abusum vero contra rationem: & de culpabili, & non culpabili abusu contrariè, priuatiuè, & negatiuè.

ARTICVLVS I.

RES omnis cum genita est perfectè propriam edit operationem, qua in acquisito esse pergeneratur, seruatur: Sed quoniam nulla res seorsum seruari potest, sed omnes propter vsum omnium factæ videntur, non sola operatio est prædicamentum à finali causa deriuatum, sed etiam vsus, seu facultas ad vsum destinata.

Est autem Vsus accommodatio alicuius rei ad aliorum Bonum ordinata: Abusus vero est vsurpatio, seu accommodatio rei ad bonum, ad quod ordinata non est: vt vsus mulieris ad generationem ordinatur: Abusus vero pueri ad eundem non ordinati, dicitur in scripturis sacris. Similiter, quoniam voluptas in cibum, & Venerem, ordinatur ad conseruationem speciei, & indiuidui: Abusus vero ad destructionem speciei, & indiuidui. Hinc ortæ sunt regulæ benè vtendi mediis ad finem, quæ vocantur virtutes: & malè vtendi contra finem, enormitates vocantur & vitia. Vtrum autem omnis rei vsus ad finem non ordinatum à natura, neque à Deo, sit culpabilis, in Theologicis disputamus: certum est enim, quod si cōtra ordinationem itur, est culpa, tanquam si vtaris oculo ad audiendum, & naribus ad mingendum, ac gladio ad occidendum amicum, qui factus erat contra inimicum. Sed dubium est, vtrum etiam si vtamur ad finem, ad quem negatiuè non est quid ordinatum, vt cum quis pede ad scribendum vteretur, & canistro pro Bireto, & lectulo pro mensa: videmus enim, naturam, non nisi prout ordinatæ sunt res, vti illis: nec dare media certa nisi ad finem certum: ergo cum faciat ingeniosos ad consulendum, fortes ad pugnandum, inualidos corpore ingenioq; ad seruiendum, masculum ad acquirendum, fœminam ad conseruandum, peccabimus cum ad alios vsus incompossibiles eos conuertemus: nam si compossibiles nō adeo sed forsan venialiter: vnde Abusus contrariè, & priuatiuè videtur culpabilis, non autem forsan negatiuè, vt in Ethicis, & Theologicis dicebamus.

De bono vtili, & fruibili, & propter aliud, & propter se appetibili.

ARTIC. II.

SVNT quidem in singulis rebus quædam propter se expetita, & ipsorum vsus non est, sed fruitio, veluti est conseruatio, & voluptas eius: quædam propter aliud, vt cibus, & Venus, & voluptas ipsorum, ordinata ad conseruationem in indiuiduo, vel in specie: & horum non est fruitio, sed vsus, quemadmodum est omnium medicamentorum. Sanitatis vero fruitio: fructus vnde vocatur quod vltimum, & optimum in quacunque re sumus: vnde bonum vtile dicimus, omne medium ad finem, voluptuosum vero bonum vocamus finem: consummatiuè: licet inchoatiuè etiam in mediorum vsu aliqua voluptas est, vt in cibo & Venere. Bonum autem honestum, & honorabile est medium illud, quod capax est optimi finis: & ipse finis: vt Deus, est bonum super honorabilissimum, etiam religione colendum tanquam finis. Sacerdos vero, & virtus sunt honorabiles, tanquam media concapacia finis. Cibus vero, & ieiunium, & peregrinatio propter Deum sunt laudabiles, quia vtiles, non autem honorabiles, quia non capacia finis: sed media sunt pura, vt in Ethicis.

An quod est bonum propter aliud beetur in esse propter aliud, & quomodo, & vnum euacuetur generaliter.

ARTICVLVS. III.

PRÆTEREA quædã sunt propter suam conseruationem, vt Angelus: quædam propter alterius, vt cibus, & animalia, quæ destruuntur præstito vsu homini, cuius gratia sunt. Vtrum autem corpus, quod destruitur possit esse propter se, quæstio est grandis: sed ipse vsus docet, corpus esse propter animam, nec creditur resurrecturum, nisi ad gloriam animæ: & quia completa animæ gloria est perennis, corporis quoque videtur Theologicè perennis. Oritur.n.res, quę propter aliud est, in illiusque vsu perficitur & beatur: vt gladius, bello beatur, existimatur, & laudatur: & calamus, in scribendo, & Medicus, dum medicatur: & tonsor, cum tondet: & omnis artifex, & omne instrumentum, cum exercet vsum, propter quem est: vnde in mari nauta imperat Regi, & in bello Dux, & in templo sacerdos: & in tempore ægritudinis Medicus, est Rex: ergo si homo est propter Angelos, quando illis iungitur beatur Angelicè. Si propter Deum, quando copulatur Deo: hinc elucescit, quod, cum Deus non sit medium, nec propter aliud, verum omnia propter ipsum, ipse solus non est bonum vtile: sed iucundum, honestumque maximè. Error autem omnis est, teste S. Augustino, cum vtimur fruendis, aut fruimur vtendis. Porro cum id, quod ad alterius vsum est, sit ignobilius eo, cuius gratia est: Si quis reputat nobilius, errat opinione, & operatione: hoc faciunt homines, cum diuinis propter humana vtuntur, & deteriora melioribus anteponunt. Pessimi autem religione ad lucrum, & voluptates inanes vtuntur, magis autem quod ad decipiendum.

Differentia, Vsus, & Actus.

ARTICVLVS IIII.

DIFFERT ergo vsus ab operatione: vtimur enim esse alieno, operamur proprio: Operatio conseruat bonum innatum. vsus applicat nobis bonum externum. Diuinum ergo bonum, quoniam externum non est, vtibile non, sed fruibile, vt in secunda Parte & 3. palam fiet.

De causis existentiam concernentibus.

CAP. XI.

DECLARATIS causis, quæ ad essentiam spectant, ad existentiam vsque deductam: nunc de causis existentiam concernentibus dicere oportet. Hæc autem videntur esse accidentia, quæ in sunt rebus post essentiam, ad suum esse productam: & quæ extrinsecus adueniunt, in causis enim vt sic, sunt extra tempus, & locum vt accidens, & relatio. Item locus excipiens essentiam extantem: & tempus, in quo est extra causam: proprium: maximè autem in prima: in secundis enim non item omnino. Sunt enim in tempore & loco causarum, non proprio: sicuti, A, litera in mente mea habet essentiam sine tempore, & loco suo, sed meo: cum autem fluxerit ad existentiam in hanc chartam per calamum, ab ideante spiritu ductam, tempus & vbi proprium sortitur, & hæcceitatem.

Item accipit accidentia, ideſt, nigredinem, delineationem, & ſimilitudinem ad alias literas, & ſocietatem, & vſum ſignificandi, & cætera comitantia, & exiſtentiam, relationem, & connexionem, vocata Rhetoribus circumſtantias: quæ cum multa ſint, & in accidentis eſſentia contineantur, idcirco de accidente, primus eſto ſermo.

DE ACCIDENTE, ET DE PER SE.

Accidens non eſſe aliquod genus Entis, ſed omnis generis Entitatem, *quatenus alteri accidit in coexiſtentia, genus vnum conſtituens Analogum ad ea, quæ accidunt præter eſſentiam, aut Primalitatum actus, aut ordinem, aut conſuetudinem naturæ vel artis.*

ARTIC. I.

Accidens dicimus quidquid entibus particularibus accidit præter eſſentiam, aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem, aut ordinem naturalem, aut conſuetudinem. Quoniam ergo eſt præter eſſentiam; non eſt genus, neque differentia, neque proprietas eſſentialis eius, cui accidit. Licet in ſe ſint hæc omnia. Calor igitur nõ eſt ignis accidẽs, neque motus, neque tenuitas: etenim complementa eſſentiæ ad exiſtentiam deductæ, & proprietates ſunt eſſentiales, ipſam conſtituentes, ex intraneis ortæ, & non de nouo aduenientes ex extraneis, & accidentes, ſed ab intrinſeca eſſentia manantes, vel ipſam facientes hanc. Proprietas quidem quadruplex eſſe videtur: eſtque conuenit omni, ſed non ſoli; vt omnis coruus eſt niger, ſed non ſolus coruus, quoniam & carbo niger eſt; & quæ ſoli, ſed nõ omni, vt ſolus homo eſt Grammaticus, ſed non omnis: & quæ ſoli & omni, ſed non ſemper, vt eclypſari per terræ interpoſitionem Lunæ conuenit, ſed non omni tempore. Et quia vnum Luna eſt indiuiduum, accipitur vt omnis; & quæ omni, & ſoli, & ſemper, vt homini poſſe ridere, & equo hinnire: quod autem vni Enti eſt proprium, alteri poteſt eſſe accidens in tribus primis modis. Nigredo enim in homine non ineſt omni, ſoli, & ſemper, ſed alicui aliquando, & aliis ab eo. eſſe quoque grammaticum, accidens dicitur illi, cui aduenit addiſcere grammaticam: tamen quia ſoli homines addiſcũnt, fluit hoc ex principio ſpecifico hominis. Eclypſari conuenit ſoli Lunæ à terra tantum; contingit & cometis ab eadem terra eclypſari, quoniam ab extrinſeco; & his eſt accidens quatenus cometæ, ſed non reſpectu cauſarum, vt mox dicemus. Proprietas vero quarti modi nulli accidit, niſi per metaphoram: prata enim rident, ſed per ſimilitudinem. Poteſt ergo accidens eſſe proprium, ſed reſpectiuè: vt coruo nigredo reſpectu cygnorum, & ſedere ſenatoribus, reſpectu non ſedentium: quia ergo non ſunt præter eſſentiam proprietates, nec accidunt, ſed præinſunt inter accidentia non numerantur: exiſtentia ergo indiuiduorum accidens eſt eſſentiæ, non autẽ huic eſſentiæ indiuiduali: & quidquid ab indiuiduatione oritur: vnde multa ſunt eſſentialia indiuiduo, & non ſpeciei. indiuiduum enim dicit ſpeciem cum exiſtentia, ideò illi non eſt accidens exiſtentia ſicuti in hoc ſermone, & in 2. parte monſtrabimus.

Dixi *cauſis particularibus*; quia vniuerſaliſſimæ cauſæ Deo ſoli nihil poteſt accidere extra eſſentiã, aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem ſaltem permiſſiuam, vt peccata, nec præter ordinem: monſtra ab eo ordinantur ad finem, licet præter naturæ curſum conſuetum. Et quia primum Ens particulare (omiſſis Angelis nobis ignotis) eſt locus, in quo mundus ſuſtinetur: reſpectu eius, quæ ſunt, & fiunt in eo, accidentia ſunt; quia illi accidunt poſt eſſentiam ſuam completam. Secunda verò ſubſtantia eſt Corporea Moles, ipſa videlicet materia: ergo quidquid materiæ accidit poſt ſuam eſſentiam accidens reputatur illi, vt calor, frigus, raritas, denſitas, formatio, transformatio. Formæ ergo, & figuræ hominis, equi, aquæ, ignis, magnitudo, numerus, & ſimilia, ſunt accidentia materiæ, cui accidunt, & recedunt præter corruptionem eſſentiæ eius. Et Ariſt. 1. Phyſ. & 1. Metaph. ex dictis antiquorum confirmat ſolum ſubſtantiam eſſe corpus, cætera vero accidentia eius, non paucis vicibus. At in 7. Metaphyſ. formam eſſentialem quoque vocat ſubſtantiam, quoniam facit vt materia, quæ eſt ſubſtãtia, ſit Ens actu, vt inquit Aphrod. Materia eſt ſubſtantia, quia ſubſtat, & ſubiicitur: forma vero ſubſtantia, quia facit, vt materia ſit hoc aliquid, & poſſit ſubiici: rectè quidem ſi materia non habet Entitatem propriam, niſi à forma. Sed quia eſt corporea moles propria eſſentia diuiſa ab eſſentia formæ, vtique forma non debet dici ſubſtãtia, quia dat materiæ vt ſubſtet, ipſa enim magis ſubſtaret; ſed quia cum materia habet vt ſubſtet, vnde compoſitum vt homo eſt ſubſtantia non à forma, ſed à materia, à qua habet vt poſſit ſubſtare. Forma igitur, vt Auguſtinus docuit, retineat eſſentiæ nomen, & quidquid aduenit illi præter ſuam eſſentiam, accidens eſt. Quoniam verò materia non accidit formæ corporali, ſed è conuerſo, non dicetur materia eſſe eius accidens aliquando. & de hac verificatur Ariſtotelis dictum, quod per ſe eſt ſubſtantia, alteri non eſt accidens. Non autem de forma, nec de compoſito vt mox declarabimus. Nam & triangulo accidit eſſe ligneũ. Poteſt enim æreum, & carneum, & ferreum eſſe; Ligneum autem ſubſtantia eſt ſibi non autem triangulo, quoniam illi per accidens ſubſtat, ſed non ratione materiæ: cum enim triangulus figura ſit, figurati eſt figura: nihil autem figuratur niſi materiale corpus. ergo non accidit triangulo materia, ſed hæc vel illa materia: eſt autem hæc, vel illa per hanc, vel illam formam, ſcilicet ligni, vel æris. at ſi formæ rerum ſint per ſe ſubſiſtentes, vt ideæ, omnis materia erit accidens illis, non quia inhæret, non enim omnis accidentis propria eſt inhærentia, ſed quia acci-

dit ab existentia post essentiam completam;&vestimentum substantia est, tamen accidens est homini adhærens. sed de his alibi.

Tertia substantia est compositum ex materia & forma, & conditionibus eius, vt cælum, terra, homo, lapis, & quidquid aduenit ipsis post essentiam dicitur accidens. Accidit ergo cælo esse nubilosum, & frigefieri: & terræ calefieri, & in arenam solui, & in lapides, & homines, & plantas, & liquores conuerti, tum quia post essentiam eius est, tùm quia præter intentionem, & appetitum. Respectu ergo cæli, & terrę primorum elementorum, omnia secunda Entia elementata accidentia dicuntur: ergo operationes sunt essentialitates, & dispositiones, & facies, & formæ, vt in cælo calor, tenuitas, lux & motus: & in terra frigus, tenebra, quies, densitas. at terræ agere contra cælum, & cælo contra terram accidens fuit post esse completum; & rursus, quia cæperunt agere in inuicem, vt sese multiplicarent, & inimicum extinguerent, accidit illis præter potentiam non potentibus ob mutuas repassiones, facere, quod cupiunt, cælum cælo, & terrę terram facere, & simul præter intentionem, & voluntatē, Entia secunda, vt aquam, lapides, plantas, & animalia; at respectu Dei hoc non est accidens: quoniam ipse prænouit, & præuoluit, & potenter egit, vt ex tali pugna ista nascerentur. Postquam autem facta sunt elementata, exposito, & reddito essentiali ordine, ad Mundum agendi per vices, factas in motu ab ortu ad occasum, vnde nox, & dies; & in circulo obliquo, vnde hyems, & æstas, & intermedię vicissitudines Autumnus, & Ver, quidquid fit præter consuetum ordinem hunc, accidens dicitur: vt si in æstate ningeret, & in hyeme efflorerent arbores, & homo mortuus reuiuisceret; sed hoc est respectu ordinis naturalis consueti: similiter homines habere in manu quinque digitos ex ordine particulari illis naturale est, si nascatur cum quatuor est pręter ordinem, & dicitur per accidens.

Sunt quoque accidentia multa communi speciei quæ indiuiduis sunt propria, vt timidum esse accidit homini, sed Vlyssi est proprium, quoniā à principiis indiuidualibus fit. E contra esse nigrum proprium Æthyopibus, Polonis album, Italis subalbū: quæ autem secus eueniunt, accidentia sunt, vt si Polonus niger, aut Æthyops rubicundus. Sol enim in Æthyopia adurere pellem, in Polonia vero frigus calorem, & tenuitatem intra cohibere, cuius est albedo, consueuerunt. E contra igitur sunt accidentia speciebus, quæ indiuiduis sunt proprietates, vt dictum est. & specifica accidentia speciebus sunt proprietates, vt coloratum esse, homini est proprium, sed non esse album; & multa huiusmodi.

Sicuti accidit præter potentiam, & naturam, vt mortuus resurgat, & homo Dedalus volitet, & alius claudicet. sic etiam accidunt multa præter intentionem, & voluntatem; vt fodienti sepulchrum inuenire thesaurum, est accidens, non autem cupido fodienti, vbi scit se inuenturum. Volenti nauigare ad Venetias, si naufragio in Corcyram impegerit, accidens est, & casus. At volenti Corcyram petere præuidentia est, vel præuoluntas: consuetudo autē quidam est ordo. Ideo contra morem Ciuitatis agere, videtur accidens esse, quoniam non ex essentia, nec intentione, nec ordine legis, quæ est spiritus Ciuitatis: licet malefactum non accidat, nisi virtuosè viuere consueuerit.

Aliud ergo est accidens distinctum contra essentiam, aliud contra potentiam, aliud contra intentionem, aliud contra voluntatem, aliud contra consuetudinem naturalem communem, vel propriam, & primum vocatur cōmuniter Accidens 2. Contingentia 3. Casus 4. Fortuna, vel Infortunum 5. & 6. Euentus. Idem autem potest omnem modum accidentis sortiri. Non ergo accidens dicit aliquod genus Entis, vt Peripatetici putarunt, distinguentes illud contra substantiam in nouem genera rerū, vt Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Agere, Pati, Vbi, Quando, Situm, & Habere, tum quia hæc non sunt genera prima, vt declarabimus; tum quia non omne Accidens est inhærens, & præter substantiam, nisi præter substantiam istius cui accidit: nec pręter substantiam modo accidens dici debebat, sed præter Potentiam, Intentionem, & Voluntatem, & ordinem, quod malè distinguere intellexerunt. Est tamen omne Ens in ratione accidentis, consideratū sub vno genere, quod dicimus Accidens, vel circumstantia. Licet sub propria ratione sint diuersorum generū. Pręterea accidens est genus analogum quatenus accidit pręter Primalitatum facultates, & essentiam, & ordinem, vt ex dictis liquido constat.

Quot modis per se dicitur aliquid, totidem dici per Accidens.

ARTIC. II.

QVIA omne accidens alicui accidit, quandam compositionem dicit, & ideo quod est illi oppositū, Per se dici consueuit; ergo vt sciamus naturam Accidentis etiam Perseitatis naturam inuestigare oportet. Itaque per se videtur sonare negationem alicuius, quia accidens dicit complexionem: Complexio autem est vel quia in alio, vel quia cum alio, vel quia per aliud, vel quia ad aliud. Igitur per se primo quidem dicitur, quod non est in alio; & si esse in alio sumitur tanquā in sustentante, solus Deus est per se, & deinde locus. Cætera sunt in Deo, & mox in loco. Si sumitur in alio sicut in subiecto inhæsionis, tunc materia est Ens per se, & cōpositum, & Angelus, & omne subsistens. Formę autem sunt accidentia eorum; sed quia forma essentialis videtur materię inhærere, non modo sicut recipiens esse, sed sicut dans, non vocatur à Peripateticis accidens, sed per se substantia: & aliquando qualitas substantialis, & verius. Hoc autem à Platonicis perperam acceperunt. Platonici enim per se subsistentes formas putarunt, in materia verò per participationem. Ideo illas substantias non à substando, sed à subsistendo, & per se essendo; sed nos res attendamus. In hoc ergo fuit diuisio Entis in substantiam, & Accidens, sumendo substantiam pro Ente per se, id est non in alio inhærente: Accidens vero pro En-

te in alio inhærente, & hoc, quod est ita in alio, diuiserunt in nouem genera. At dicunt in alio esse non sicut in materia, sed sicut in subiecti composito ex materia & forma; & multa inter eos est altercatio. Vtrum accidens possit in materia recipi, concedente Auer. solas dimensiones, aliis alias dispositiones per illas, Thomistis verò nullum accidens licet D. Tho. in 4. Sent. secus aliquando dixerit. Sed quidē omnes male suspicantur corporeitatem esse accidens, cum sit ipsa materialitas, nec differat à materia, nisi in modo significandi, sicut albedo & album. Vnde D. Thom. in lib. de Natura generis docet materiam esse corpus de genere substantiæ. Iuxta hanc diuisionem sequitur aliquid medium inter substantiam, & accidens; quoniam proprietas non est hæc, neque illa. Hoc ergo accidens dicitur etiam Ens per accidens, quia quatenus in alio, cui accidit, est Ens. Et potius Entis Ens, quam Ens: & ideo in sua definitione suscipit subiectum, cuius est: quoniam per se non est. si verò sumatur per se, vt dicitur, quasi solitariè, & non cum alio; omne Ens potest per se sumi, & quodlibet eorum, quæ sunt cum alio, per se dici possunt: vnde Arist. in 5. Metaph. tex. 14. distinguit Ens per se in decem genera, quorum nouem sunt illi accidentia: quod Auicennæ non placet; putat enim omne accidens significare subiectum principaliter, & secundario accidentiam, vt album significat subiectum dealbatum. Hoc autem licet verum sit Physicè rem considerātibus: tamen potest motus & circulus, & albedo per se considerari in abstracto, ergo & per se esse Ens: sed hoc magis secundum Platonicos, qui iustum dicunt significare subiectum participans iustitiam: Iustitiam vero Ens per essentiam, idest subsistentem respectu iusti. Huic modo perseitatis opponitur triplex modus entis per accidens, hoc est non solitariè sumpti, primo vt homo albus, cum scilicet iungitur accidens subiecto. Hoc enim compositum est ens per accidens; quia nullum solitariè est: licet etiam per accidens dicatur, quia accidit præter essentiam vtriusque ita vniri; sed homo rationalis est per se, quia non est compositio hominis, & rationalis, nisi secundum notionem. secundus est vt cum de suo accidente prædicatur subiectum, vt si dicamus album est homo: quia accidit subiecto, qui est homo, album esse consimiliter. tertius est, vt cum accidens de accidente dicitur, vel plura accidentia vniuntur, vt album & musicum; neque enim musicus solitariè sumptus est albus, nec albus musicus, nec homo albus, & musicus. Nec vnus homo per se trahit nauim, sed cum aliis. per se homo est rationalis, quia solitariè sumptus est rationalis absque compositione, non autem albus, nisi sumatur cum albedine; & quæ ergo conueniunt alicui solitariè sumpto, illa sunt de essentia eius, vt homini esse rationale, & risibile, & igni esse calidū, & leuem, & tenuem, quoniam non ex compositione cum alio; sed ex natura sibi conuenit ita esse: Quæ autem conueniunt alicui non nisi cum alio, non sunt de essentia: vt homini sedere, cantare, illuminare, disgregare visum, &c. hæc enim conueniunt homini sumpto cum loco, & cum musica, & cum albedine, &c. quæ sunt alterius generis.

Quapropter vniuersalia in prædicando, ita sumpta, de suis particularibus dicuntur per accidens. Animal enim solitariè sumptum non est rationale, neque irrationale; sed cum homine est rationale, & color per se non est albus, nec niger; & linea neque curua, neque recta: verumtamen sub disiunctione est propositio per se, si totam essentiam superioris subsumit. Animal enim est vel rationale, vel irrationale; & numerus par, vel impar: sed non quatenus ly per se, idem valet, quod solitariè; sed quod necessarium ex rerum ordine: solitariè est corpus animatum.

Si sumatur per se, vt distinguitur cōtra per aliud, tot modos habet quot ly per aliud; quoniam ly per, dicit causam: quot sunt causæ, tot modos facit. Ly aliud, dicit diuersitatem: & ergo ly per aliud, dicit causas diuersas: est quidem causa materialis, formalis, idealis, effectiua, finalis, instrumentalis. Quæcumque ergo causa est, vel in se causam habet; per se dicuntur. Quæ autem aliunde habent, vt causent, per accidens. Homo ergo per se est animal rationale à forma totius. per se corporeus, & carneus à materia; & quæcunque ponuntur in definitione dicente quidditatem, per se dicuntur, quoniam non per aliud sibi adiunctum. E contra homo per accidens est albus, & sedens, & musicus: quoniam ex albedine addita, & ex actu aduētitio, & ex arte cōparata est talis. Triangulus per se habet tres angulos æquales duobus rectis, sed per accidens est ligneus, aut lapideus, vel rubeus; hoc est per essentiā materialem, extrinsecam à sui ratione, sed per se cōstat ex lineis, quæ sunt materia eius. Proprietates quoque per se insunt, quoniam à causis intrinsecis emanant: ideo per se homo est risibilis ratione idealis. Per se Rex præparat bellum, si ex cogitatu proprio; per aliud vero si ex idea Consiliariorū. Per se magister docet, discipulus per alium, idest per doctrinam magistri suos condiscipulos docet. Ratione efficientis, per se ædificator ędificat, quia habet actiuā formam ædificandi, quæ est ars ædificatoria: sed per accidens medicatur ædificator, quoniam non per ædificatoriam medicatur, sed per medicinam. ergo per aliud, & simul per accidens, quatenus accidit ędificatori medicum esse. Homo quoque per se generat hominem, sed per accidens medicatur, ædificat, fodit, hoc est per aliam formam additam humanitati, secundum quam hominem facit, sed cum ab illa forma denominatur, per se dicitur agere. Homo enim ædificator per se ædificat, quia quatenus ædificator, sed ratione subiecti, & materię per se homo est medicus, & ædificator, quia nō per vestimentum, aut per aliud additum, sed per animā, quę est substantia eius subiecta formæ artis. Ratione finalis, nauis per se fit; dolatio autem lignorum per nauim, idest gratia nauis faciendę. Et syrupi & purgationes per aliud fiunt, hoc est, per sanitatē, vbi ly per, significat propter; sanitas autem per se, & calor per se calefacit, idest gratia sui. Attenuat autem per accidens, quia non in quantum calor, sed propter se, si gratia seruandi calorem in Regno. Ratione instrumentalis per se Deus creat, quia absque instrumento, per aliud illuminat terram, quia per solem. Instrumentis quoque conuenit aliquid per se, vt pennę subtili subtiles caracteres scribere, sed per aliud, id est per agentem causam conuenit pennæ scribere, docere, figurare. Item aliud instrumentum est per se instrumentum, vt gladius militis est: Baculus verò per accidens, quando deest gladius, & arma ad talem parata finem.

Dicit quoque ly aliud, non modo causam extraneam ab essentia, sed & partem, sicuti homo dicitur videre per aliud, id est per oculum: & arbor generare per semen, & olere per florem, & ignis calefacere

per calorem, quasi per aliud, id est per partem, sumendo partem etiam essentialem, vt aliam à toto. Et per materias pati, & transmutari: vnde sequitur tandem, vt ly per se distinguitur contra id, quod dicimus per participationem, & imitationem: & hoc modo Deus per se est Ens, cætera vero per illum. Calor per se calefacit, ignis vero propter calorem. Nix per aliud disgregat visum, id est per albedinem: albedo vero per se aliquo modo: Nam & ipsa hoc facit quatenus est caloris facies. Materia per se est nigra, omnia vero reliqua quatenus habent quid materialitatis admistum. Ignis per se calidus, id est per essentiam; Cætera vero omnia quatenus ab eo calorem susceperunt, & participarunt: Iustitia per se est recta; alia vero eius participatione.

Sed distinguendum ly Per se, quoniam aliud est per se primo, seu secundum quod ipsum tale, aliud vero per se non primo, vt triangulus per se primo habet tres; figura vero, & Isosceles, quatenus trianguli sunt. Animal per se est animatum primo, homo quoque est per se animatum, quoniam est sibi essentiale, sed non primo; quia quatenus animal est, animatum est: & corpus quatenus animal est, est animatum.

Quod ergo per se primo est tale, causa est vt cætera sint talia, siue per se, siue per accidens tam physicè, quam metaphysicè, quam logicè. Logicè quidem homo & album sunt animata quatenus animal. Physicè homo est calidus, & ignis, & musicus, quatenus per se vel per accidens participant calorem, vel talis conditionis, si per se primo calidus est sol. Metaphysicè per se primo Deus est; cætera vero per se non primo: sedere autem nec per se, nec primo, sed per accidens est Ens, & consimilia.

Per se, & secundum se, & se in ablatiuo, idem sunt, & declarantur per ly in quantum, & quatenus, & vt. At si huiusmodi declarationem non suscipiunt, non per se sunt. Vt homo per se, & se, & secũdum se est animal, & rationale, & risibile, & carneus, & generat hominem, & fit grammaticus, &c. quoniam in quantum homo, & quatenus homo hoc est, & fit, & facit; sed disgregat visum non inquantum homo, sed inquantum albus, & cytharizat non quatenus, & vt, & veluti homo, sed quatenus cytharista. Est autem cytharista per accidens, sed potens cytharizare per se, quatenus rationalis: sed non per se potens disgregare visum, quoniam non quatenus rationalis, sed quatenus potest esse albus. Nec in quantum homo potest esse albus, sed in quantum corpus. Homo humanitate, & seipso generat hominem, sed monstrum, & calorem per accidens. Quoties verbum actuatiuum à nomine deriuatur, fit secundum quod ipsum. vt homo homizat, calor calet, potentia potest, voluntas vult. Quando verbum actiuum deriuatur à nomine est per se, vt homo homificat, calor calefacit. Cum non deriuantur è contra. Verba autem essentialia notionaliter sumpta faciunt per se, vt homo est animal, coniunctionaliter, per accidens, vt homo est albus.

De Propositionibus per se & per accidens formandis.

ARTIC. III.

EX his palam fit Propositioné per se formari, quando in subiecto est aliqua intrinseca, & essentialis causa prædicati in quocunque genere causæ. Vbi autem secus est, prædicatum est extra essentiam, & accidentale, vel speciei, vel generi, vel indiuiduo, & ideo rectè dictum est accidens esse illud cuius affirmatio & negatio est absque destructione definitionis subiecti. Ita enim & accidentia inseparabilia, vt nigredo corui possunt negari, non destructa definitione: quoniam non cadit nigredo in definitione corui, sed physicè falso dictum est à Porphyrio, accidens adesse, & abesse præter subiecti corruptionem. Febris enim accidens est, & corrumpit; & si à coruo auferas nigredinem destruitur. Verũ per se dicuntur accidentia inseparabilia de indiuiduo, non de specie: vt Vlysses est astutus per se, & Plato latæ frontis; homo vero per accidens. In indiuidui enim ratione conditiones indiuiduales ingrediuntur, non autem in specie, quoniam ipsa est communitas indiuiduorum. In communitate autem particularitates, vt sic non sunt: sed si accidentia indiuidui sunt separabilia, veluti scribere, aut inseparabilia non innata, sed aduentitia, vt cicatrix non prædicantur per se de indiuiduo. Verum quia omne per se est necessarium, & res dum est necesse est esse: Est autem sæpe extrinseca, & contingens, ideo non omne necessarium est per se, nisi respectu totius Entis, vel Dei, vel ordinis rerum. de quo infra sermo nos manet grandis.

Omne Accidens reduci ad causam per se, & ad superioris ordinis causationem.

ARTIC. IV.

QVONIAM omne Accidens etsi extra essentiam, & intentionem, & voluntatem, & ordinem vniuersalem, vel particularem sit, tamen Ens est, vel Entium compositio, vt sedere & fossio composita est cum inuentione thesauri. Ens autem quodlibet propriã habet essentiam & causam, compositio quoque & si non simplicem habet causam Physicã, sed à concursu multarum causarum fit; habet tamen Metaphysicam. Mens enim componit, & diuidit, & ornat Entia inter se, vt patet in arte scriptoris, qui literas, & caracteres, non per accidens absque ratione, & voluntate, sed rationali voluntate ordinat,

&

& componit: ideo necesse est dicere, nullum verè esse Accidens, nec casum, nec fortunam secundũ se, sed secundũ illud, cui accidunt. Nam & si albedo sit accidens homini, calori tamen non est accidens, cuius est facies, nec homini in quantum calidum accidit. Sol quoque per se albefacit, per accidens nigrefacit discooperiẽdo nigredinem materiæ vultũ: quæ tamen per se est, materiæ vultus. Ita per accidens inuenit thesaurum, qui fodit vt plantet arborem: sed si quis sciens latere thesaurum, iubeat illi, vt ibi fodiat plantam, per se dicitur inuenisse, respectu scientis, per accidens respectu ignorãtis. Si qua ergo causa est, quæ omnia sciat, nihil per accidens ei fit, magis autem si ordinet omnia. Hæc autem Deus est. Quapropter impiè Aristoteles in. 6. Met. & in 12. & Aphrod. in lib. de Fato, putauerunt causas per accidens rescindere ordinem fatalem, qui est post præuisionem Dei, & Entis per accidens nõ esse causam vllam, illius videlicet compositi ex fossione, & inuentione; quoniam Deo omnipotentiam, omniscientiam, & omniuolentiam abstulerũt, & quasi causam particularem primo orbi incluserunt, & dum mouet, quasi per accidens inferiorib. prouidere. Florere sub sole in Ariete hanc herbam, per se euenit, ait D. Thomas; sed florere dum alia floret, vel in hoc viridario, per accidẽs est respectu ipsarum herbarum, non autem respectu cæli; multo maius ergo respectu Dei. Quando a. in p. p. negat D. Thomas hunc concursum, qui est ens per accidens, habere causam per se intelligit de Physica, nõ de diuin. Natura enim mouet ad vnum, sed plura in vnum ab Arte ordinantur. ergo à primo Artifice.

Vnde ex his stultum esse sermonem eorum, intelligimus, qui dicunt, quod vni est accidentale, alteri non esse essentiale, quoniam in accidente ad rẽ, ad intentionem, ad voluntatem, semper falsus inuenitur, vt patuit. Radix accidentis est compositio essentiæ cum existentia finita, vnde & Impotentia illi præiacitur, & Ignorantia, & Noluntas: Perseitatis vero radix est simplicitas essentiæ, & præcurrens Potestas, & Sapientia, & Voluntas certa. de quibus in 2. par. dicendum.

De per Accidens Relatiuo.

DAtur Accidens inhærens absolutumque, vt albedo in cygno; datur & adhærens respectiuumque, vt similitudo cygni albi ad alios albos, quæ quando aduenit extrinsecus, pertinet ad existentiam, & circunstantiam accidentaliter: quando intrinsecus, ad essendi complementum: quando vero non aduenit, sed constituit: spectat ad essentialitates, vt dictum est prius.

DE QVANDO.

Quid est tempus, & tempora, & de ipsorum subordinationibus, & causationib. & quomodo, quando se habent ad existentiæ notitiam, & causalitatem.

CAP. XII. ART. I.

QVONIAM ideæ & essentiæ rerum æternæ sunt, ideata vero, & essentiata incipiunt esse; quapropter æterna esse nequeunt: consequens est vt tempus sit de ratione existentiæ & essentiæ extantis. Est enim successio rerum tempus: cum ergo succedit esse ad non esse, tempus incipit cuiuscumque suũ, hoc est, successio sua, & vicissitudo sua, quę valde confert ad notitiam entis nominaliter per ens participialiter. Etenim existentiam rei nesci-mus, nisi, quo tempore existere cæpit, & existit, & durabit, agnoscamus.

Dicunt Peripatetici, *Quando esse id, quod ex adiacentia temporis in re temporali derelinquitur.* Sed profectò tempus commune adiacet, tempus proprium inest, sicuti & mutatio.

Hoc tamen verum, quod de tempore non habemus nisi nunc indiuisibile; præteritum enim non est iam: futurum nondum aduenit; attamen mensurando, & componendo præteritum cum præsenti, & futuro, rei temporalis notitiam habemus. Est enim in obiectiuo esse, quod in rerum natura non permanet, & sicut se habet ad esse, ita & ad cognosci. Intellectus quidem & diuisa simul, & distantia in vnum congregare aptus est, vt totum simul intueatur. Est enim creatus ad Dei imaginem, qui præterita & futura videt in Nunc æternitatis. Dicitur quidem etiam in tempore alieno, quod causalitatem habet aliunde, quamobrem, quia plãta habet floritionem à calore solis accedentis ad nos; qui accessus vocatur Ver; propterea dicimus, plantas Veris florere tempore; & cum sol est in Ariete præsertim. Hoc autem plurimum conducit ad floris notitiam. Similiter quædam agunt, & patiuntur, & viuunt certis temporibus cæli mutationum, quæ tempora ad causationem eorum noscendum satis conferre notum est. Astrologi etiam tempora stellarum cuncta obseruantes, causationem rerum inferiorum simul addiscunt. Etenim aliter, in alio signo erga nos, Sol, & Luna, & Planetę causant; & aliter in quatuor anni quartis; & aliter in quartis diei, vt in mane, & meridie, vesperi, & nocte media, & in succedentibus cæli domiciliis etiã cadentibus, quę certa tempora habent & causationem. Igitur ad existentias, & coexistentes noscẽdas, & causandas tempora communia valent: circunstantia enim ad existentias pertinent.

Tempora vero particularia sunt cuiusque rei vices, & successiones, quę cæli & mundi vicibus, & successionibus subordinantur; quemadmodum effectus particulares omnes causis suis vniuersalibus. Quantum autem possint Lunationes, Insolationes, Saturnationes, Mercuriationes, &c. Obseruatoribus notum est temporum.

Similiter etiam ad inceptiones negotiorum va-

lent tempora: vtitur enim ſapiens temporibus, ſtultus ſeruit, ſanctus dominatur, vt in Aſtrologicis probatum eſt.

Vtrum autem annos, & menſes, & dies, & horas, & ſecula regant Planetæ per ſucceſſionem, vti quidam arbitrantur, an Dij, ſeu Angeli in 2. p. ſermo redibit, cum de prouidentia diſſeremus.

Quot modis dicatur eſſe ſimul, & eſſe non ſimul tempore, declaratum eſt, cum de ſimilitudinibus, & diſſimilitudinibus tractabamus.

Et quomodo præeſt æternitas, ſubſequitur Æuum, & ſuboritur Tempus, etiam proprium requirit ſermonem, cum de Ente, & Nihilo loquemur, vbi etiam quomodo particularia tempora ab vniuerſali tempore cauſantur, addiſcemus.

DE EXCEPTORIO EXISTENTIARVM, & de ſeptem ſpeciebus eius analogicis, earumque cauſationibus, & notionibus.

CAP. XIII. ARTIC. I.

OMNIS præterea res cum ad exiſtentiã exit in ſuam hæccheitatem, receptiuum ſui habet, quod vocamus locum, vtiliſſimum ad eſſentiæ ideatæ naturam pernoſcendum. Eſt autem locus omnium diuinitas ſubſtentans, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, non quaſi ſubiecta rebus materialiter, ſed quaſi actiuè, & ſuperpotentialiter dans eſſe, atque conſeruans. In ipſa enim viuimus, mouemur, & ſumus. 2. locus ſeu Vbi, dicitur ſpatium incorporeum, ſtabile, aptum ad receptanda corpora omnia; nullis ergo contrarium, ſed cunctis commenſurabile, longum, latum, profundum, ad concipienda corpora longa, lata, profunda, quę penetrent incorporaliter, & à quibus penetretur corporaliter. Eſt ergo primus locus entium baſis, ſecundus corporum eſt baſis. 3. locus eſt materia, non corporum, ſed formarum actiuarum, & paſſiuarum, nullis contrarius, ſuſcipiens omnes, non dans, maximè autem, ac principaliter locus formarum ſubſtantialium, exiſtentiam illis, ſubſtãdo, prębens. 4. locus eſt compoſitum ex materia, formaque, accidentibus ſolummodo ſubſtratus, vt homo albedini, & muſicæ, & cicatrici, &c. omneſq; hi loci excepto primo dant rebus exiſtentiam, ſeu potius excipiunt, ſubſtentantque rerum exiſtentias. Primus enim dat actiuè, & cunctis modis. 5. locus dicitur corpus magnum adiacens paruo, vel intra quod eſt paruum, vt mare dicitur locus piſcium, Terra reptilium & greſſilium: Aër volatilium: Italia Romanorum; & iſte locus plurimum valet ad notitiam eſſendi, & cauſandi, & patiendi rerum; & eſt communis, vt mare piſci, & particularis, vt hæc aqua, huic piſci. 6. ergo dicitur locus Totum ſuarum partiũ, vt locus manus eſt corpus animatum: Capillorum caput: Iecoris pars dextra ſub diaphragmate. & ſic de ſingulis: ergo ſitum habent in toto ſuo, de quibus cum de ſitu loquebamur. Sunt etiam Planetæ in ſitu ſuo reſpectu ad locum, & ad mundum; magnamque præſtant nouitatem in ſitibus nouis, vt cuilibet Phyſiologo, & Aſtrologo compertum eſt.

Sunt etiam regiones in cælo, & in terra, & in mari, eiuſmodi locationem, vel conſimilem habentes erga corpora; & res apud ipſas exiſtentes, quarum notitia magni refert, vt ſciamus quas vires, à quibus cauſis vicinis, vel remotis ſortiuntur; & quæ in rerum coexiſtentiam habent vſum.

Superficies extrema ambientis corporis, qui locus Ariſtoteli videtur, locus non eſt, ſed corporis adiacentis extremitas, cui corpori conuenit locum eſſe analogicè. Phyſicus enim verè locus, vniuocuſque eſt ſpatium, baſis exiſtentiæ rerum corporalium à diuinitate ſubſtentata. ergo diuinitas Metaphyſicarum rerum, & idearum locus analogicè, vel metaporicè dici queat: ſicuti & intellectus humanus dicitur locus ſpecierum, & notionum.

Facilè autem rei natura innoteſcit, cum, quo in loco ex prædictis iam locis ſubſtentatur primum, conſiderauerimus.

Circunſtantię ergo omnes de quibus in Logica diximus, ad exiſtentiam primitus ſpectant: numerantur autem à Rhetoribus & Moralibus & Theologis vno verſiculo. *Quis, quid, cui, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Hæc ex iam declaratis patent hic, & in Logic. lib. 1.

Vtrum eſſentatio extrema exiſtentis rei pendeat à ſocietate coexiſtentium, an ab eſſentia, vt ideante, an vt ideata.

CAP. XIV. ART. I.

QVÆRITVR autem vtrum partes corporis, & vires inſertę illis ab eſſentia, an ab exiſtentia, & ſocietate conſtitutionem habent: videtur enim naſus eſſe propter odores, qui externi ſunt nobis, & potius ad coexiſtentiam pertinent, eiuſdemque ſeruationem, quàm ad eſſentiam. ſimiliter oculus eſt propter videre obiecta coexiſtentia, à quibus benè, vel malè tractantur. Crura ad deferendum animal ſuper terram, in quo viuit. Manus ad prenſanda corpora vtibilia; omniaque ſenſoria, & appetitoria organa, & poteſtatoria potius reſpiciũt res coexiſtentes, quam eſſentiam. Hoc inficiari non poſſumus, ſed requiri dicimus ad ideatam eſſentiam ſeruandam in ſuo eſſe: & compoſitionem ex exiſtentia, & eſſentia eſſe ideę & eſſentię accidentale, indiuiduis vero eſſentiale propter vnionẽ ſubſtantialem.

Et quoniam ſocietas rerum pertinet ad exiſtentiam, & nulla res exiſtit, niſi per ſocietatem; Piſcis enim perditur extra mare, & homo extra tellurem, & aërem, & res huius mundi extra ſuum mundum; Conſequens eſt, vt exiſtentia ſit de ſubſtantia indiuiduorum; ac omne indiuiduum alicuius vniuerſitatis eſſe propter vniuerſitatem ſuam, & ab ipſa ſeruari, & quia ſeruatur omne Ens ab eo, vnde habet eſſe: propterea eſſe à coexiſtentibus per mundi Harmoniam, Fatum, & Neceſſitatem dari, ſubſtentarique, dicimus, ordinante primo Ente, à quo & coexiſtentia ſunt, & mirabiliter colligata ſunt ad vitam totius, & partium, ſicuti, & in corporis humani partium vſibus, & vita, exemplar habemus.

De admirabili coniunctione Metaphyſicorum entium, & Mathematicorum, & Phyſicorum ſubſtantiali, & accidentali ad vniuerſitatis conſtitutionem, & de ſeparabilitate, & ſubordinatione mutua eorundem.

ARTIC. II.

Mirificentiſſima fuit compoſitio Primalitatum, & Mathematicorum, & Phyſicorum entium ſimul ad mundi vniuerſitatem conſtituendam ſubſtantiali vnione mundi, quæ tamen accidentalis eſt inter ſe. Non enim de eſſentia circuli eſt vniri cælo, & oculo, & cæteris corporibus Phyſicis circulatis; nec etiam vniri intellectui, & poteſtati, & voluntati rerum, & primis. Nec de ratione amoris, & appetitus, & ſenſus eſt colligari corporibus animatis, & per numeros mathematicos, & figuras mathematicas diſtinctis, formatiſque. Neque eſt de ratione corporis diuiſum numeris, & figuratum eſſe triangulariter, & circulariter, cæteriſque modulis. Nam & corpus informe, corpus adhuc eſt, & materia inſenſata, & appetitib. priuata, forſan materia eſt. Verum enimuero, circa eſſentiam hoc dogma verum eſt, ſed circa exiſtentiam minimè. Neque formæ exiſtunt, niſi in materia, neque materia, niſi in ſpatio Mathematico, neq; ſpatium, niſi in Primalitatibus. Et propterea credērem, omne prius ſeparari poſſe à poſteriori, ſed non è contra. Igitur Primalitates inueniuntur ſeparatim à ſpatio, & à corporibus in Angelis, ſi tamen Angeli poſſunt exiſtere, & non in ſpatio; aut ſaltem in Deo. Spatium verò non ſeparatur, vt ſit, & viuat, à Primalitatibus. Conſtituitur enim Potentia ſui eſſe, & ſenſu, & amore eſſe ſui, vel radicaliter; ſeparatur tamen à corporib. cum vacuatur, licet difficulter. Corpora verò longa, lata, & profunda, non poſſunt reperiri, niſi in ſpatio longo, lato, & profundo, alioquin eſſent punctum, & vix ergo radicem eſſentiæ, ne dum exiſtentiæ ſubſtentatorium habent à ſpatio.

Corpora verò, ſeu materia ſeparatur à formis, quæ ipſam præſupponunt: formæ autem à materia minimè: ſic compoſitum ſeparabit quis ab accidentibus, ſed non accidentia à compoſito.

Ex his elucēſcit quid, cui ſit eſſentiale, & quid accidentarium eſſentiæ, & quid accidentarium exiſtentiæ, quod in ſequentibus ſermonibus facilius enucleabimus, & 2. p. lib. 10.

Appendix ad 2. Lib. primæ Partis Metaphyſ.

Dicendum eſſe de Prædicamentis traſcendentalium ſubalternorum, quæ diſtinguntur per diſparitatem, & non per diuerſitatem, ſicuti prædicamenta generica.

CAP. XV. ART. I.

POSTQVAM ordinauimus prędicamēta generica, æquum eſt prędicamenta tracendentalia inſtituere, quæ ad Metaphyſicam ſpectant magis. Hoc autem eſt ipſorum diſcrimen, quod tranſcendentalia ſunt analoga, & analogicè prædicantur de inferioribus. Generica verò ſunt vniuoca; ideoque vniuocè prædicantur.

Sunt a. alia traſcendētia traſcendentaliſſima, alia traſcendentia ſubalterna, ſicuti dantur generaliſſima, & ſubalterna. tranſcendentaliſſima ſunt Ens, Verum, Bonum; obiecta nempe triū Primalitatū, ſcil. Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris, quoniam dicuntur de Creatore, & de creaturis, & de cunctis æqualiter entibus. Quibus additur quartum Tranſcendens, ſcil. Vnum, quod omnium ſimul Primalitatum eſt obiectū. Subalterna verò Tranſcendentia ſunt, quæ à ſuo ambitu aliquid excludunt: ac de cunctis entibus, præter illud, Analogicè dicuntur, veluti Res, quod dicitur de omni reali Ente, non a. de Chimerico, & à ratione inuento: ſimiliter ly Aliquid, quod dicitur de omni Ente finito, Infinitū .n. quia non eſt aliud quid ab aliis, non dicitur Aliquid, niſi grammaticaliter. Complectitur .n. omniū entitates, nō excludit niſi Nonentitates. Item terminus infinitatus eſt ſubtraſcēdens. Non homo. n. dicitur de omnib. præterquā de homine, qui ſolus nō poteſt dici nō homo. De cathegoriis tranſcendentaliſſimorum in 2. huius voluminis parte eſt ſermo: nūc a. de ſubalternis tranſcendentib. dicamus oportet, ex quibus poſſunt cathegoriæ ordinari.

Porro quemadmodum diuerſitas in ſuperiori ſermone diſtinxit decem genera; ita nunc diſparitas

constituit decem transcendentia in suis cathegoriis, ex genericis per nos adinuenta.

Et quoniam Ens nominaliter sumptum dicit essentiam, verbaliter vero dicit existentiam, & essentia dicitur de Finita, & de Infinita; potius autem de Infinita, quæ excludit existentiam, vel dicit idem cũ sua existentia. Ita nunc Ens participialiter sumptum dicit essentiam finitam, quoniam participium dicit essentiam cum actu existentiæ. Ergo dicit essentiam extra suam causam, ergo finitam. quidquid enim extra est, finitum est. Idcirco omnia extra Deum finita sunt, quidquid autem in Deo infinitum est, vnumque infinitum, vt mox manifestabimus.

Numerus, & ordo Prædicamentorum transcendentalium.

ARTIC. II.

QVAPROPTER essentia participialiter sumpta est primum prædicamentum transcendentale. In quo Deus infinitum Ens non includitur. Non enim infinitum ad aliquem Entis modum potest, cum sit immẽsum, modificari, includique. Quia vero essentia est finita, secundũ prædicamentũ erit Finitudo, cui respondet Quantitas in prædicamentis genericis, sicut essentię correspondet substantia. Et quoniã Entia finitã opponuntur ad inuicem per hoc, quod alius modus finitudinis est huius, alius illius, id est, alius Angeli, alius Animæ, alius Lineæ, alius Hominis: Propterea tertium prædicamentũ est Qualitas, quæ qualificat finitudinem, sicut in prædicamentis genericis forma modificat Quantitatem. Omnis a. modus essendi qualificatus habet suam virtutem essendi, & operãdi in se, & in aliud: & sic oritur quartum prædicamentum, quod est Vis aut virtus; cui respondet in genericis ly Facultas, quæ Peripateticis dicitur Potentia, & principiũ agendi: & quidẽ potius deberet dici principiũ Vis transcendentalis, quã generica. Ad vim sequitur Actus, quo aliquid est, vel operatur ad intra; & ideo Actus dici queat prędicamentum quintũ, cui Operatio respondet in genericis. Et quoniam Ens finitum habet alia Entia extra se, alioquin non finiretur, necessario edit Actũ suum in illa ob cõmunicationem, & coexistentiam; & colligantiam. Alioquin alius esset Mundus hominum, alius pulicum, alius linearum, alius motuum, alius mobilium, alius actuum, alius chimerarum, &c. Editio a. hæc vocatur Actio, quæ est effusio similitudinis suę in aliud. Ita quidem in genericis, sed in transcendentalib. posset dici communicatio, vel emanatio, vel effusio. Sicut a. Ens finitũ in ea Entia, ad quæ finitur, & ordinatur, edit suam similitudinem, ita etiam recipit ab eis. Omne.n. finitum est passiuum, cum enim finitum sit, potest ei addi, & superaddi; idcirco datur aliud prædicamentum, quod in genericis dicitur Passio, in Transcendentibus, Receptio, aut Mutatio, aut Alienatio. Tandem multa post complementum sui esse adueniunt essentiæ finitæ, qualificatæ, & actuatæ; & ideo datum est prædicamẽtum Accidentis genericũ. Sed transcendentale nõ habet nomen. Posset a. dici Additũ, & Existentialitas & circũstãtia. Præterea omne Ens est vnũ in se, & cum aliis, vel in substãtia, vel in Quantitate. vel in existentia: & ex hoc oritur prædicamentum Vnitatis, quod in genericis dicebatur Similitudo. Item omne finitũ opponitur alteri à se: aliqua.n. diuisione distant, vel distinctione, & propterea dicebatur in generibus prædicamentum Dissimilitudinis, & oppositionis. Hic autem potest dici Pluralitas, & Oppositio, & Numerus.

Quæ sunt eiusdem Prædicamenti prædicari de inuicem essentialiter, & quidditatiuè, & denominatiuè. At quæ diuersorum, denominatiuè adiectiuè. & quæruntur multa.

ART. III.

PORRO veluti prædicamenta generica, ex eo, quod diuersa sunt, non prædicantur de inuicẽ quidditatiuè, & essentialiter, sed denominatiuè & accidentaliter, ita & prædicamenta transcendentalia non prędicantur de inuicem, propterea quod sunt disparata, nisi denominatiuè: at non dico accidentaliter, vt illa, potius autem adiectiuè. Non enim de calore, qui est vis actiua prædicatur sua actio accidentaliter, vti albedo de homine, hæc enim per se est, calor calefacit; adiicitur tamen calefactio calori, sed non vt Entitas aliunde accidens, sed vt ab ea fluens. At quia calor complete est calor, etiam cum non calefacit; Propterea solet vocari accidens eius calefactio. Præterea omnis res, seu Ens, est essentia transcendẽtalis. Nam dicimus Motum habere suam essentiam; habet & albedo, & linea propriam essentiam, non tamen essentia prædicatur de illis in recto per modum subsistentis, sed denominatiuè per adiectionem: non.n. linea est essentia, sed essentialis, seu potius Ens, sicut essentia est lineata, sed non linea; est actuata, sed non actus. Est virtuosa, sed non virtus; est temporalis, sed non tempus; est actiua, & receptiua, sed non actio, & receptio; est vna, & plures, sed non vnitas, & pluralitas; est existens, sed non existentia. Similiter Finitudo est essentialis, potius a. Ens, & Qualis, & Actuata, & Virtuosa, & Actiua, & Receptiua, & Existentialis, & Vna, & Pluralis; non a. est Essentia, aut Qualitas, aut Actus. Qualitas similiter est finita, & Ens, & Actuata, & Virtuosa, &c. non a. finitudo, & essentia: Actus etiam dicitur essentialis, Ens, finitus, virtuosus, &c. non autem essentia, & finitudo, &c. Simliter Actio est Ens, & Finita, & Qualis, & Virtuosa, sed non, &c.

Quæstio.

QVæritur autem si omne prædicamentum est in omni per adiectionem, & omne dicitur de omni adiectiuè, & non substantiuè, quomodo dicitur de se ipso, id est quæ adunantur in vno, quomodo dicantur de inuicem.

Item quia omne prædicamentum eſt in omni, 1. ly. In, quo pacto ſumi debet. Item quia omne Ens, 2. omneque prædicamentum habet omne aliud per exiſtentiam & eſſentiarum, & Entitatum, quomodo dicitur Habere hoc illud. Dicimus enim, quod homo habet rationalitatem, & albedinem, & cicatricem, & virtutem, & domum: quomodo ly habere inter hæc intelligitur.

Quo pacto ly Habere, & eſſe In, & eſſe ſimpliciter dicantur eſſentialiter, & accidentaliter, & exiſtentialiter, & quas prædicationes intra, & extra ambitum cuiuſque prædicamenti.

ARTICVLVS IV.

RESPONDENDVM, quod ly *Habere*, & ly *In*, & *eſſe*, multipliciter dicuntur: hoc eſt eſſentialiter, & accidentaliter, & exiſtentialiter. Primo modo dicimus. Homo habet rationalitatem, & rationalitas eſt in homine, & homo eſt rationalis: vbi omnes tres iſtæ propoſitiones æquipollent. Dicunt enim omnes prædicationes coniunctionem prædicati cum ſubiecto. Sed coniunctio alia realis ex re, & re, vt homo eſt albus: alia enim res eſt albedo, alia homo: datur alia coniunctio notionalis, quæ fit ex notionibus pluribus eiuſdem rei, vt cum dico homo eſt rationale animal: vbi idē re eſt homo, & animal rationale: & animal dicitur de homine, & rationale. Sed animal eſt notio hominis confuſa: quoniam poteſt extendi ad plura, cum quibus confundit hominem. Rationale eſt notio diſtincta eiuſdem. Homo vero eſt notio contracta, & ſpecificata illius Entis, quod vocatur homo: & idcirco ly eſt, non copulat ſemper res, ſed intendum res, interdum notiones eiuſdem rei, quoniam homo neſcit aliter loqui, niſi ex ſimilitudine coniunctionum, quas experitur in rebus: ex quo animus per obiecta recepta percuſſus à ſe cæpit alienari. Non autem puto, quod Angelus diceret, homo eſt rationalis in ſuo idiomate, niſi cum loquitur ad nos: multo autem minus rationalitas eſt cum homine: quod à coëxiſtentiis nos accepimus: multoque minus, homo habet rationalitatem, quod à poſſeſſis rebus tranſlatum eſt Prædicationes ergo eorum. quæ ſunt in eodem prædicamento ſunt notionales, vt cum dico, Petrus eſt homo, & animal, & viuens, eſt corporeus, eſt Ens: vel habet humanitatem, animalitatem, vitam, & vel è contra, humanitas eſt in Petro, & vita, & eſſentia eſt in Petro: ſemper enim inferius habet ſuperius: at è contra ſuperius eſt in inferiori. Animal enim eſt in homine, ſed non dicitur homo in animali, niſi confuſè, aut per accidens: accidit enim animali eſſe hominem: non tamen huic animali, accidentalitate, inquam notionali. Dicitur tamen homo habere animalitatem. At non dicitur habere animal: quoniam abſtractum dicit ideam, concretum vero dicit ideatum. Ideatum autem eſt ideatum propter hoc, quod habet participium ideæ: non autem per hoc, quod habet ſeipſum. Non enim habemus niſi, quod aliquo pacto eſt diſtinctum à nobis.

Igitur omnis prædicatio intra limites ſui prædicamenti dicenda eſt notionalis, & eſſentialis, & per ſe: vt homo eſt animal, linea eſt quantitas, intelligere eſt actus: & hoc verum eſt tam in prædicamentis analogicis, quam in vniuocis, ſeu genericis: extra limites vero prædicatio eſt ſemper adiectiua, & in analogicis: accidentalis in vniuocis: & vtraque dicitur coniunctionalis, quoniam eſt rerum coniunctio, non notionum modo. Hoc autem dicimus de prædicatione ſuperioris de inferiori, non autem de æqualibus, & differentibus: vniuerſale enim eſt idem particulari: nec diſtinguntur, niſi vt confuſum idem à ſe diſtincto. Animal enim eſt idem, quod homo, ſed diſtinguitur ab eo, quatenus idem dicit confuſum cum aliis: homo vero dicit animal diſtinctum ab aliis. At cum dico, homo eſt aſininus, aut, Aſinus eſt humanus, prædicatio eſt accidentalis, quoniam non verè poſſunt prædicari, niſi per aliquam ſimilitudinem, aut coniunctionem exiſtentialem. Sic enim Caballus Alexandri, & Pontificis, dicitur Caballus Alexandrinus, & Cæſarianus, & Pontificius: obſtat enim differentia eſſentialis inter ſpecies, quo minus prædicentur mutuo: non autem inter vniuerſale, & particulare eſt obſtaculum: niſi confuſio, & diſtinctio. Porro cum dicimus, homo eſt animal, ly animal non ſumitur in ſuo ambitu: non enim homo eſt omne animal, ſed aliquod animal. Dicitur tamen animal, vt cognoſcamus hominis ſimilitudinem eſſentialem cum aliis animalibus ad notitiam ampliorem. Igitur quanta eſt diſtinctio inter ſubiectum, & prædicatum, tanta eſt prædicatio: ſi diſtinctio realis, prædicatio realis: ſi notionalis, notionalis: ſi accidentalis, accidentalis: ſi poſſeſſionalis, poſſeſſionalis eſt coëxiſtentiæ. Cum autem dico, homo non eſt lapis, prædicatio eſſentialis eſt: vt in ſecunda Parte docebimus.

Omnis ergo prædicatio & In & Habere, dicunt eſſentialem coniunctionem, aut accidentalem, aut exiſtentialem. Eſſentialis autem dicitur notionalis. Nam prædicamenta generica prædicantur de inuicem accidentaliter: in ſuo ordine. Analogica vero de inuicem adiectiuè, non accidentaliter ſemper, nec eſſentialiter.

An omne prædicamentum habeat in se omne prædicamentum intrinsecè, ne dum de nomine exteriori.

ARTIC. V.

HOC etiam mirum, quod omnis Entitas habet omnem aliam. Actus enim habet essentiam, & quantitatem, & qualitatem, & virtutem, & actionem, & receptionem, & similitudinem, & oppositionem, & existentiam. Vtrum autem propriam, vel alienam mox declarandum erit. Etenim actus ita est actus, quod non est essentia, nec finitudo, nec actio, & tamen habet propriam essentiam distinctam à finitudine, & actione: ergo habet limites: ergo est finita. Vtrum finitate essentiæ, an propria? vtrunque videtur affirmandum: Quantitas enim terminat essentiam, & quæ in ea sunt. Ergo & actum. Sed quoniam actus non est Quantitas, nec essentia, & distinguitur suo limite ab aliis: fatendum est, quod proprios limites habeat, ergo & quantitatē aliam ab essentiæ limite, seu quantitate. Sic dicebamus, quod forma ita est forma, quod est non aliud Ens: & ergo habet propriam essentiam, qua est: & quantitatem, qua distinguitur, & limitatur: & formam, qua formatur hoc modulo essendi. An sufficit ei, quod sit forma aliorum, & sui per eandem formalitatem, & quantitas est aliorum mensura, & lineæ, & simul sui per eandem finitatem, & hoc forsan verum est intrinsecè: distinguitur enim à substantia per hoc, quod limes est substantiæ, & non substantia: & ab aliis per hoc, quod limes est substantiæ, id quod non sunt alia. At extrinsece ex Parte Non-entitatis aliter fortè dicendum. Illa enim Non-entitas, qua non est actio, est alia à Non-entitate, qua non est substantia. Et probatur per aliud medium. Non enim est substantia quia non substat: non qualitas quia non qualificat: sed quantificat, &c. Sed in singulorum examine, & hoc iterum patebit.

DE PRAEDICAMENTO Essentiæ speciatim.

CAP XV. PARS II.

Essentiam esse id, quod Ens propriè principaliter, & maximè est secundum quod ipsum, & non secundum aliud.

CAP. XV. PARS II. ART. I.

EST autem *Essentia id, quod Ens propriè principaliter*, & maximè *est secundum quod ipsum, & non secundum aliud.* In hac ratione ponitur *Id* transcendentaliter, de quolibet enim dicitur Id: sicut Ens præsertim finitum *Id.* De infinito enim indemonstrabili dicitur solum Grammaticaliter. Est autem pronomen demonstratiuum, quo vtimur, quando vocabula desunt, & sensu potius, quam vocabulo res attingi potest. Dicitur, *quod Ens est*: quoniam id quod non est non includitur in essentia, sed concludit essentiam: vt cum dico, homo non est asinus, non lignum, non cælum, non alia denique innumerabilia: hæ quidem Non-entitates sunt necessariæ, & essentialiter, sed non concluduntur intra essentiam, sed sunt limites concludentes essentiam hominis: terminatur enim, & limitatur ad non esse asinum, non esse cælum, & cætera, id quod est homo. Diximus, *Quod*, quamuis possemus dicere, Quo, & enim essentia non modo est id, qua res est, sed etiam quod est. Quod in infinito asseritur sine controuersia. Etenim idem est Deus, & quo est Deus, & quod est Deus, & Deitas est quod, & quo Deus est. In Ente finito videtur aliter forsan, quoniam non est idem albedo, & album esse, nec idem homo, & humanitas. Abstractum enim dicit essentiam puram: concretum vero essentiam cum existentia, quæ commiscet accedentia, & circumstantia, & singularitates cum essentia: & propterea videtur non esse eius essentia id, quod est ipsum Ens existens, sed id quo est existens Ens. Sed profecto aliud est loqui de essentia in sua puritate, quam habet in prima essentia, aliud de essentia existente extra causam, quæ non est pura: illa enim est quod, & quo Ens est Ens in quantum purum: hæc vero est quod Ens impurum est, & singularitatum. Non enim potest Petrus non esse hic, & nunc, & taliter, & tantus, & filius, & cætera huiusmodi. Quapropter eius essentia non est humanitas, sed hæc humanitas: ergo est id, quod est Petrus homo singularis, & quo est Petrus. Neque enim Petreitas intelligi queat sicut humanitas abstractè. Imo petreitas est sua singularitas. Et quoniam extra causam Ens est potius

quod est, quam quo: Imo eius singularitas est quo, & quod: licet intelligitur vt quo: quoniam vniuersalitas, & humanitas videtur, vt quo, esse hominis, non tamen sapit post rectam disquisitionem, nisi quod, & quo: propterea diximus, essentiam esse quod res est: diximus *propriè*: quoniam quæ propriè non est Ens, non potest dici de ipsius essentia. Siquidem quia non propriè ridens pratum est, sed Metaphoricè de eo non dicitur ridens. Si autem distinguas ly *propriè*, contra *communiter*, similiter affirmandum, quod Petrus propriè non est homo: sed hic homo: & cum prædicamus hominem de Petro, prædicamus id, quod sibi, & aliis commune est, & quidem licet essentiale sit eis, non est tamen essentiale omnibus, nisi ob mutuam similitudinem ab essentia sumptam: qua dempta, sicuti in sole, si non sunt alij soles, remanet idem Sol, & hic Sol: imo nec reperitur Sol, nec essentialitas communis. At Petro non conuenit esse hominem communiter: sed propriè hunc: idcirco diximus, *quod propriè est*. Neque enim cum dico, Petrus est homo, intelligo homo communiter, sed hic homo propriè secundum essentiam: licet secundum notionem trahatur intellectio ad consimiles: similiter nec propriè homo est animal, sed aliquod animal, idest, illud, quod rationale appellatur. Additur *principaliter*: quoniam homo propriè est risibilis, & disciplinabilis, sed non principaliter. Similiter ignis est tenuis, & mobilis: sed hæc non principaliter, idest, non ex eo, quod in eo principatur ex sua principiatione: licet sit ab eo ex consequenti: quod enim principaliter aliquid facit, & constituit, suam essentialem similitudinem illi impartitur, qua, & quę est id, quod factum est. Igitur principale in igne est calor, quoniam calor ignem primo constituit, & per calorem ab alio igne constituitur: & licet constituatur tenuis: illa tenuitas est propter motum, & actum caloris, vt possit regnare in materia, & essentialiter ab essentia propriè emanat, non tamen vt essentia principaliter constituens: tandem diximus, *maximè*. Quoniam lux in igne est propriè, & principaliter, sed non maximè: id enim quod ignis est maximè est ipse calor. Similiter homo est principaliter animal terrestre, bipes, implumis forsan, sed non maximè, sicut est rationale. Hoc enim maximè videtur esse homo. At si Angeli sunt rationales, non est, quod maximè: vltima enim differentia sæpè ignota est, proptereaque omnes definitiones defectuosæ quoquo pacto sunt. Præterea omne Ens denominatur à suo actu, & qualitate, & operatione, sicut dicitur ignis se mouens, & calidus, & calefaciens: sed quod est secundum essentiam vix attingimus, sed quod secundum hæc: homo enim est rationalis secundum actum ratiocinij: est animal secundum sensum, est carneus secundum partes materiales: sed quid sit maximè ignoratur, quoniam Entitatis suæ gradus non à nobis datus est, sed à Deo: à nobis autem cognoscitur ex adiunctis.

Additur in definitione *secundum quod ipsum*: multa enim insunt rei non secundum quod ipsa: vt accidentia plurima, & communitates, & inferioritates. Siquidem homo est Grammaticus, & altus septem palmis, & politicus. & coloratus, sed non secundum quod homo: est enim septipalmaris secundum quod quantus: & coloratus, secundum quod ex lucis, & tenebrarum principiis generatur: & politicus secundum viuendi modum: & mortalis secundum principia materialia: sed non secundum quod homo. Similiter est sensitiuus non secundum quod homo, sed secundum quod animal: & est malencholicus, non secundum quod homo, sed secundum quod Petrus. Similiter animal est rationale, non secundum quod animal, sed quatenus est hoc animal homo: nec est substantia secundum quod animal, sed secundum quod corporeum. Dicitur tamen animatum secundum quod animal, & hoc est eius essentia. Dicitur potentia posse, secũdum quod ipsum, & sapientia sapere, & voluntas velle. Attamen dicitur potentia sapere non secundum quod ipsum, sed secundum quod est potentia realiter sapientia.

Additur *non secundum aliud*: quoniam tempus est mensura motus apud Peripateticos: & tamen non secundum se, sed secundum nos, qui tempore mensuramus motum. Similiter phiala est mensura vini secundum vsum nostrum, sed secundum se est vas vitreum, aut metallicum, vt tempus secundum se est successio rerum. At quid de instrumentis dicemus? Non enim gladius videtur esse aliud, nisi ferrum tali figura donatum secundum se: at secundum nos est vas ad pugnandum efformatum ex ferro: potius autem ex metallo. Si enim fiat ex ligno, & charta, erit gladius similitudine, non substantia: quoniam ad hoc, ad quod essentia eius est, non valet lignum. Quid iterum de relatiuis? Pater enim secundum se videtur esse nihil, sed ad filium est pater, quem genuit. Sic neque Dominus secundũ se est aliquid, nisi absoluta res homo, qui per se, & secundum se nõ est Dominus: est autem vt relatus ad seruum. Ergo ne nulla entitas est relatio: quoniam essentia est id, quod res est secundum se, & non secundum alios? Profectò nulla secundum se, sed secundum alios: quoniam eius esse ad aliud. Ergo & essentia. Et potest dici, quod relatio est essentia: quoniam id quod est relatio secundum se, & non ad nos, & alia entia est relatio. Licet eius entitas sit vt ad aliud. Filius quidem secundum se est ad patrem in quantum filius, & non est ad lapidem, nec ad nos: sed ex vna natura, & essentia propria, principali, & maxima. Nihil enim obstat ei fundari in absoluto, quo minus sit aliqua essentia, sed quo minus sit alterius dignitatis essentia. Relatio tandem habet suam essentiam eo, quod est coëxistentium. Et existentia habet suam essentiam, vt qualitas, vnitas, & cætera.

An Eſſentia ſic deſcripta extendatur ad Diuinam, & quomodo dicitur de ſubſiſtente, de ſubſtante, & de inente, de inexiſtente, de adente, & extante.

ARTIC. II.

ESSENTIA igitur à nobis ſic deſcripta, dicitur de diuina, & de creata analogicè: ſed quoniam in diuina non diſtinguitur id, quod propriè, & impropriè, principaliter, & non principaliter, maximè, & non maximè, ſecundum ſe, & ſecundum nos, niſi ex modo intelligendi noſtro, non ex re intellecta: Quidquid enim eſt in Deo, eſt ipſe Deus totaliter: licet enim in Deo propriè ſit vis operatiua, & manus, metaphoricè, tamen id quod ſignificat vis, & quod ſignificat manus ex parte rei ſunt vnum in Deo: licet non in noſtro ſignificandi modo ex quo imponitur nomen: ſimiliter, licet iuſtitia in Deo principaliter ſit Deus, & minus principaliter ſit iuſtitia ex parte vocabulorum: id tamen, quod eſt iuſtitia in Deo eſt ipſa Deitas ex parte rei: ſimiliter Deus eſt creator, non tamen ſecundum ſe, ſed ſecundum creaturas, quas producit. Tamen in Deo id, quod eſt creator, eſt id quod ſua Deitas. Idcirco Deus non eſſentia, ſed ſuperеſſentia potius dici queat, vti ſolet loqui diuinus Dionyſius, & excludatur etiam ab hoc prædicamento Metaphyſico. Propterea diximus, quod Ens, & eſſentia hic ſumuntur non nominaliter, nec verbaliter, ſed participialiter pro Ente finito, & eſſentia finita per exiſtentiam.

Dicitur autem eſſentia de ſimplici, vt materia, & de compoſito: vt homo: & iterum ſimplex alia, ſubſiſtit per ſe, vt Angelus: alia ſubeſt, vt materia, & locus; alia ineſt, vt calor, & frigus, & omnis forma ſubſtantialis: alia inexiſtit, vt accidens, quod impropriè dicitur ineſſe, cum non ad eſſentiam, ſed ad exiſtentiam ſpectet. Alia adeſt, vt Relatio. Quidquid ab eſſentia fluit, & in ea eſt, dicitur ineſſe, vt Quantitas, Qualitas, Virtus, & Actus.

Actio dicitur partim ineſſe partim inexiſtere, vt in aliud patiens fluit: & propterea proprius dicitur extare: Paſſio vero inexiſtere tantum: imo nec actio ineſt, niſi radicaliter. Similitudo, & Diſſimilitudo adeſt, non ineſt, niſi ratione abſoluti, & fundamenti.

Quo pacto definitur res omnis, quatenus eſt aliqualiter eſſentia: & quod ſubſtantia vniuerſalis eſt idem cum ſingulari, & non in ſingulari.

ARTICVLVS III.

EX his palam, quomodo definitur omnis res, ſecundum quod eſſentia eſt. Nam Quantitas eſt id, quod propriè, principaliter, & maximè quantificat Ens, ſecundum ſe, non ſecundum aliud. Qualitas eſt id, quod propriè, principaliter, & maximè qualificat ſecundum ſe, non ſecundum aliud. Actus, quod propriè, principaliter, & maximè ſecundum ſe, & non ſecundum aliud actuat. Actio eſt, qua propriè, principaliter, & maximè agens ſecundum ſe, non ſecundum nos, agit. Subſtantia eſt, quæ propriè principaliter, & maximè ſecundum ſe, & non ſecundum aliud, ſubſtat. Ergo indiuiduum ſubſtantiæ non eſt prima ſubſtantia, ſed particularis ſubſtantia. Non enim ſubſtat, niſi accidentibus. Materia autem ſubſtat magis, maximè vero locus. Nque homo eſt in Petro, vt in ſubiecto, ſed vt in ſe particularizato. Neque prædicatur coniunctionaliter, ſed notionaliter, vt dictum eſt contra Ariſt. qui ſubſtantias vniuerſales propter hoc æquat accidentibus, quod prædicantur, vt illa, de ſubiecto. In quo mentitur, vt incommodet Platoni. Non enim prædicatur vt accidens coniunctionaliter: neque ineſt, vt accidens inhærendo, aut extando: ſed idem eſſendo, & notionaliter ſolum opponitur.

DE PRAEDICAMENTO Finitudinis.

Quid ſit Finitudo, & quomodo non eſt in Deo, & quomodo ineſt, vt concludit: adeſt, vt excludit: & eſt Ens, & Non-ens.

CAP. XV. PARS III. ART. I.

Finitudo verò *eſt id, quod propriè, principaliter, & maximè finit vnamquamque rem, ſecundum ſe, non ſecundum aliud.* Et reſpondet Prædicamento Quantitatis generico. Omnis ſanè res extra Deum finita eſt per hoc, quod aliquid eſt, & aliquid non eſt. Limes ille inter Eſſe, & Non-eſſe

esse quantificat essentiam. Sicuti enim hæc pagina incessabiliter est pagina, donec venias ad aerem conterminum, qui non est pagina: ita est omnis res suis limitibus clausa, excepta prima summa re, quæ est Deus. Qui licet non sit homo, nec palea, nec linea: non propterea videbitur limitatus sicut homo, qui non est palea, nec linea. Istæ enim res palea, & linea res sunt, & Entitates, circumdatæ Non-entitatibus. Ergo constat ex Ente finito, & Non ente infinito. Deus quidem non est palea, quatenus palea est Non ens aliquod: sed quatenus est Ens aliquod, benè quidem est: quoniam est omnia, seclusis imperfectionibus, & nihilitatibus. Homo vero non est palea, non modo quatenus palea est non homo, & non cælum: sed etiam quatenus palea est palea, & Ens tale. Deus ergo secundum se est illimitatus: omnis autē creatura limitem habet: & hic limes absoluit Entitatem eius. Porro sciendum, quod finitudo dupliciter potest considerari inclusiuè, & exclusiuè. Inclusiuè secundum ea, quæ includit, est in essentia inclusa, finitaque, & dicitur inesse, vel extare. Inesse quidē quatenus finit eam: extare quatenus essentia certæ ideæ respōdet, vnde finē sibi adsciscit, vt vltra non porrigatur, nec aliis misceatur. Exclusiuè vero non est in Ente finito, sed post, quasi circulus ambiens, tangensq; aliud. Et sic pertinet ad Non esse, finis ergo est Ens, & Non ens. Ens constitutiuè, & conclusiuè: Non-ens distinctiuè, & exclusiuè. Primo modo spectat ad essentiam, vt finitam: secundo modo ad essentiam, vt existenter extra causam, vel existentem cum aliis. Quapropter qui Numerum aut Magnitudinem infinitam ponunt, deterius peccant quam qui calorem frigidum.

Quatrupliciter dicitur Finis.

ARTIC. II.

FINIS dicitur terminus viæ, vel agri, vel panni, qui includit proprium & excludit alienum. Dicitur etiam finis existentiæ, qui est mors: cum enim definit existere ad suum non esse definit. Dicitur etiam finis perfectiuus, quando non definit ad suum Non esse, sed ad suum melius, & verius esse, sicut homo in beatitudine: & infirmus in sanitate. Primitus autem finis essentiæ est limes secundum naturam ad quod imponitur. Vnde, vero est extremum omnis rei.

De Finitate materialium, & immaterialium, & omnium prædicamentorum, & an sola Quantitas finiat distinctiuè.

ARTIC. III.

ALIA finitudo materialis est vocata Quantitas: hæc enim materiam finit siue in longum, siue in latum, siue in profundum, siue quomodolibet, siue diuisam, siue indiuisam: & propterea distinguitur in numerum, & magnitudinem. Magnitudoque longa est linea: ampla, superficies: alta, profunditas, vt dictum est prius. Nec datur alia dimensio: quoniam nec aliter mouetur mobile. Alia est finitudo immaterialium, vt Caloris, Frigoris, Formæ, Spatij, & Angeli, & Animæ. Essentia enim est Caloris, ita Caloris, quod non Frigoris, nec lineæ, & nec hominis. Iste autem limes, in quem finitur Calor, vt non sit aliud Ens, dicitur Finitudo, & Quantitas eius. Et quantumuis augeatur Calor intensiuè, & extensiuè, non tamen egreditur limitem suæ entitatis, sed propriam entitatem auget. At quomodo auget, Quantitate ne, an alia Entitate? Quantitate, inquam, conclusiua: eademque minuitur, si à Frigore vexetur. Sed profectò Quantitas metitur entitatem, non autem essentialiter distinguit: Alioquin Calor vt tria, est eiusdem essentiæ cum Frigore, vt tria. Distinctio autem essentialis est à qualitate Quantitatis, vt mox docebimus.

Similiter, Angelus habens tantum essentiam in gradu, quo non habet mens humana. Nec tamen si haberet in eodem gradu non distingueretur essentialiter quoniam per qualitatem, & modum suæ finitatis, deinde distinguuntur. Sed dices, si etiam Qualitas definit, non ergo principaliter, & maximè hoc facit Quantitas. Huic quæstioni inferius respondebimus. Præterea Finitudo, & Quantitas Angeli consistit in tanta Primalitatum participatione, idest, Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris, quanta non inest menti, & calori. Finitas formæ, qua est forma, & non materia, est alia ab ea, quam habet à materia certis sublimitibus concinnata. Est enim Finitas illa essentialis, ista vero existentialis. Similiter finitudo spatij, qua ita est spatium, quod non materia, spectat ad essentiam: qua vero ad certos suæ longitudinis, & profunditatis fines protensa terminatur, spectat propriè ad Quantitatem sui. Hinc soluitur quæstio illa: quoniam Quantitas etiam finitur, ita quod non est Qualitas, nec Actio, nec pilus. Item est finita ad quinque, ad sex, & certos suos gradus, sicut patet de vna linea. At, quænam ipsius est Quantitas? & quomodo Quantitatis est Quantitas?

Respond. enim quod Quantitas finit essentiam omnis rei. Et quatenus ipsa etiam est essentia, finitur etiam. Quantitas stellæ finit stellam intra proprios terminos: & ipsa finitur ita, quod non est essentia, nec actus stellæ. Sed illa prior finitio est quantitatiua, ista secunda est qualificatiua.

Ens fieri magnum, & numeroſum quantitate: ſed non diuerſificari in genera & ſpecies, niſi qualitate.

ARTICVLVS IV.

ERGO totum Ens finitum, id eſt, poſitū quaſi extra Deum, ſecatur in mentes, & ſpatium, & materiam, & in formas actiuas per ſectionem quantitatiuam, & qualificatiuam. Sed illa dat tantitatem modo, & finem. Iſta etiam ſecat materiam, & ex ea fiunt animalia, plantæ, lapides, metalla, liquores, vapores, ignis, tellus. Quæ per Quantitatem habent certos limites, ſed adhuc eſſentiam non diuerſam, niſi accedat qualificatio. Sicuti aqua diuiſa numerum facit, ſed non ſpecies diuerſas, niſi vertatur in acetum, aut oleum, aut vinum. Ergo omnia Entia ante Quantitatem, ſunt vnum Ens indiſtinctum, & ante Qualitatem ſunt plura Entia, ſed eiuſdem eſſentiæ poſt Qualitatem diuerſificantur, & aliis oppoſitionibus inſigniuntur, vt mox docebimus. Finitudo ergo facit numerū diuiſione, & magnitudinē concluſione.

DE QVALITATE.

QVALITATEM ESSE MODVM ESSENDI, *& ineſſe rebus modò finitis. Et quantorum eſſe modum: & quo diſtinguatur à Quantitate, & Finitudine.*

CAP. XV. PARS IV. ARTICVLVS I.

QVALITAS vero eſt modus eſſendi finite ſic, quod non aliter: & ideo propriè principaliter, & maximè qualificat ſecundum ſe, non ſecundum aliud id, cuius eſt Qualitas. Ex hoc addiſcimus, Qualitatem non eſſe niſi finitorum. Infinitum enim eſt non quantum, quoniam ad certos magnitudinis, aut numeri limites non terminatur. Et licet Deum vocemus magnum, & trinum: hæc vocabula aliud ſonant in Deo. Et ideo S. Bernardus ait, in Deo eſt numerus ſine numero, ergo & magnitudo ſine magnitudine, vt in 2. p. docebimus. Igitur Qualitas videtur eſſe modus ipſius Quantitatis, ſeu finitudinis. Palam eſt enim in rebus corporeis, vnde incipimus nos addiſcere, quod ouum habet ſuam Quantitatem ſub certa magnitudine: illius vero quantitatis qualitas eſt Rotunditas. Et omnis figura, & forma exterior eſt Quantitatis qualificatio. Eſſe enim angulare, quatratum, rotundum, non eſt eſſe quantum, ſed qualificatum in quantitate. Sic ergo putandum, quod Qualitas eſſentialis rerum fundatur ſuper Quantitate eſſentiali earum.

Quoniam ergo Angelus eſt ità Angelus, quod non Calor, Tantitatem ſuam habet diuidentem à Calore, & inſuper Qualitatem diuerſificantem. Etenim datur Qualitas eſſentialis, vt Rationalitas in homine, etiam ſecundum Ariſtotelem, cui differentiæ ſunt qualitates eſſentiales prædicabiles in quale quid. Dantur etiam accidentales vt rectum eſſe, album, & cholericum.

In hoc ergo differunt Qualitas, & Quantitas, quoniam illa modum eſſendi dat, iſta menſuram. Et ſæpè confunduntur, vti & modus, & menſura. Vnde etiam Plato vocat formam Finitudinem materiei: non quidem quia finit materiam, ſed quia talem finem præexigit in materia qualis, quantuſque ſuæ entitati congruit. Forma enim hominis requirit tantam quantitatem in corpore, quæ nec ad formicæ paruitatem, nec ad montis magnitudinem accedat, non autem ipſa quantificat. Similiter ignis forma vult materiam tenuiſſimam in qualificatione: ſed quantamcumque in magnitudine ex vnitate ad pluralitatem expanſam. Cauſæ enim elementorum non determinant ſibi quantitatem nec Entia ſimilaria, niſi reſpectu formæ vniuerſi, non propriæ, niſi vt refertur ad vniuerſum

De Qualitate in omni Prædicamento.

ARTIC. II.

EST autem Qualitas analogicè in omni Prædicamento generico. Alia enim est Qualitas substantialis, vt Rationalitas: alia Quantitatis, vt Rotunditas: alia Qualitatis, vt talis Rationalitas. Qualitas enim substantialis recipit accidentalem. Alia est qualitas virtutis, alia enim est qualitas caloris, alia frigoris, & rursus alia caloris cæpæ, & alia caloris piperis. Datur etiam qualitas actionis, alia enim est calefactionis, & infrigidationis, & præterea alia calefactionis piperis, & alia carbonis, & alia flammæ, calefacientium. Datur etiam qualitas passionis essentialis, qua differt ab actione, & aliis. Et datur accidentalis, qua differt à se, vt aliter ab ictu patitur ferrum, ac plumbum aliter. Datur qualitas similitudinis, & dissimilitudinis, & accidentis.

Illationes de Qualitatis effectibus, & quod non sit.

ARTIC. III.

HINC patet Qualitatem efficere diuersitatem inter genera; & differentiam inter species, & contrarietatem inter actiuas causas, & singularitatem inter indiuidua, & esse aliud à Quantitate. Item, aliam esse Qualitatem essentialem, aliam accidentalem. Item, non posse esse vniuocam, quoniam nec substantia, & accidens vniuocatur, nec qualitas animæ cum qualitate corporis, & qualitate Angeli, & rotunditate quantitatis, vt declaratum est prius. Præterea, nec scientia est qualitas: sed facultas, nec facultas potest dici qualitas, vt Aristot. dicit naturalem potentiam, & impotentiam speciem qualitatis. Potius enim pertinet ad proprium prædicamentum, quod est virtus. Et licet habitus acquisiti, & inditi, & virtutes qualificare videantur ob vicinitatem, tamen distinguntur. Illæ enim pertinent ad Potestatiuum, aut Cognoscitiuum, aut Volitiuum. Qualitas autem pertinet ad essentiatum ex his, & ad essentialitates, vt opponitur, & modificatur, & non simpliciter, vti potentia, & impotentia, & scientia, & passibilitas.

Qualitatem vt Ens constituere, vt non Ens diuersificare, sed non diuidere. Item, essentiam subsistentem finiri, & qualificari, & actuari aliis Entitatibus, à se distinctis realiter, non subsistentem vero seipsis distingui, & finiri per se: attamen qualificari, quantificari, actuari, vitalizari, entitatibus, ratione à se distinctis.

ARTICVLVS IV.

PORRO nec Qualitas distinguit materiam, & Ens, sed Quantitas, seu finitudo Qualitas vero diuersificationes, & differentias facit. Quæ constitutiuæ sunt intrinsece, & modi entitatis, extrinsecus vero distinctiuæ, & modi Nōentitatis. Omnis ergo qualitas constituit atque distinguit. Non enim sunt talia hæc, qualia illa. At, si qualitas diuersificatur, aut disponatur ab aliis prædicamentis; quæritur seipsa ne, an alio quopiā diuersificatur? Si alio, ergo nō sola Qualitas qualificat: si seipsa: ergo idem erit qualitas, & qualificatum. Alium sanè essendi modū dicit quantitas, & qualitas & actus: ergo qualitas, alia quantitatis, alia qualitatis, & alia actus. Fortasse secundum se qualitas qualificat omnia, sicut albedine fiunt alba omnia: ipsa vero non qualificatur, sicut nec albedo albatur, quoniam per essentiam est alba non participio alterius, idem nec alba dicitur, quoniam secum componeret. Omne autem Ens cum alio, non secum componit, siquidem & ipsa esset alba alia albedine, vel seipsa; si alia, tunc illa alia etiam alba albedine alia, & hæc alia vsque in infinitum. Sic si calor esset calidus alio calore. Quapropter nec qualitas alia qualitate est qualis, sed seipsa. Ergo seipsa distinguitur. At, cur etiam quantitas non distinguitur quantitate ab actu, sed proprio modo essendi, qui est qualitas? Si enim est quantitas seipsa: tunc nulla res qualificari indigeret: & omnis essentia esset suus modus essendi: & quidem videtur sic etiam realiter, & materialiter, non autem formaliter, & secundum rationem ratiocinatam, & ideatam. Propterea, Veteres confundunt essentiam cum qualitate essentiali. Et dicunt in re essentiam, & virtutem, & operationem tantum inueniri. Sed re vera Qualitas mediat inter essentiam, & virtutem in cunctis, sicuti ex

elementatis rebus consideratis rursus consideramus. At, si essentia distinguitur à Qualitate: ergo per Qualitatem: ergo non est Qualis à Qualitate. Profecto essentia est qualificatum, & potest etiam sine Qualitate quantificata solummodo. Sed si intelligitur sine Qualitate: ergo modum habet essendi suum, qui est Qualitas sine qualitate: fortasse seipsis distinguuntur ista prædicamenta: quoniam Essentia est. Finitudo finit, Qualitas qualificat, Virtus vitalizat, Actus actuat &c. Ita quidem, sed omnia hæc insunt omnibus ex se ipsis distinguuntur, & per mutuas vtilitates. Omne enim distinguit omne, & omne constituit omne aliqua ratione. Qui legit intelligat.

DE VI.

Vim esse respectum Primalitatis ad obiecta: maximè autem Potestatiui: & radicaliter non distingui à Primalitate, sed respectiuè. Sic etiam vires inter se esse principium operationum, vt sic.

CAP. XV. PARS V. ARTICVLVS. I.

VIS autem dicitur effluxus Potestatiui, seu Potentiæ, vt respicit ad exteriora. Cum enim res constant potentia, sapientia, & amore, dum respiciunt ad extra, vt ferantur ad obiecta vim quandam exerunt, qua ad illa inclinantur, & adipisci valentia sunt. Et cum obiecta sint multiplicia, alia, scilicet, Volitiui, vt pulchrum, & bonum, & vtile; alia Cognoscitiui, vt Verum, scibile, sensibile. Alia Potestatiui, vt acquisibile, vincibile. Non videtur esse Vis effluxus Potentiæ solius. Sed quoniam omnis egressio Primalitatis erga obiecta incipit à Potẽtia, dirigitur à Sapientia, & protenditur à Voluntate: opera enim Primalitatum ad extra sunt indiuisa: vtique Vis à Potentia dicitur, quia per ipsam fit magis & magis declaratur: quoniam nisi possit Voluntas, & nisi possit Intellectus, non operantur. Sunt præterea quædam organa exequutoria facultatis, quæ omnes Primalitates concurrentes attestantur, vt in animali organa motus, & contrectationis, pes, & manus cæteris cunctis deseruientia.

Igitur omnes Primalitates, vt respiciunt ad extra, vocantur Principia, vt dictum est prius: & insuper à Peripateticis dicũtur Potentiæ, & à Medicis rectius dicuntur Facultates, quatenus factionem præstant & opus: in sacris literis vocantur viæ, iuxta illud. *Vniuersæ viæ Domini Misericordia & Veritas.* Hinc est, quod omne agens agit per propriam virtutem, seu facultatem, tanquam per principium actionis. Non enim essentia agit, nisi vt facultatibus agendi plena, & effluens, & manifestè non videtur vnum principium seu Virtus. Nam alia virtute possumus, alia sapimus, alia oblectamur, & cupimus: possumus enim Potestate, Intelligimus Intellectu, non Potestate: sed tamen Intellectu potente intelligere. Amamus non Intellectu, sed Voluntate, sed tamen potente, ac sciente eius, quod amamus. Vnde diximus quod facultates omnes radicaliter consideratæ in radice sunt vnum realiter, vt dicebat sanctus Augustinus de intellectu, & memoria, & Voluntate: vt vero induunt respectum ad extra, hoc est egressionis ad obiecta, distinguuntur realiter, vt dicebat S. Thomas. Nam aliud est Sapor, quem gustus appetit, à colore, quem visus iudicat, & licet obiecta non distinguantur, indicant tamen distinctionem in principiis. Radix enim distinctionis est in oppositione relatiua Primalitatum, vt dictum est. Quæ quanto magis ab origine secedit, tanto plus distinctionis, & relationis facit: quanto minus, tanto minores & ratiocinationes modo facit.

De triplici Vi Primalitatum, notificata ex principiationibus, & causationibus; vnde etiam innotuit essentiatio ineffabilis, & quod sit Vis.

ARTIC. II.

OMNIS ergo vis, aut Cognoscitiui, aut Potestatiui, aut Volitiui, aut communis, seu exequutiui principii: potius autem principia tria dicemus istæc, quia per ipsa capimus effectionem, effectumque. At qui ex facultatibus, actionẽ capessentibus inuenimus, vt ex notioribus facultates edentes actum. Et hæ propriè vocantur vires: vt calor habet vim se mouendi, propriumque subiectum: frigus vero quietandi. Ex facultatibus vero actuum inuenimus essentiatiuas virtutes, seu potius essentialitates, & realitates, quæ non præcedunt rem, sed essentiant ineffabili ratione. Quæ tamen effari potest per causationes, scilicet quia essentiant materialiter, & actiuè, & idealiter, & formaliter, & finaliter, & perfectionaliter. Non quidem vt in causis, sed eminentiori ratione. Sed dicimus penuria vocabulorum quasi materialiter, vel promaterialiter, proactiuè, proformaliter, profinaliter, & cætera. Non enim latentia, & priora, & interiora possumus, nisi per accidentia, & posteriora, & exteriora eloqui, antequam deificemur. Ergo dicamus vim esse effluxum Primalitatis ad Actum, vel actionem, post essentiationem. Vt autem est res aliqua, dicitur, quod propriè principaliter, & maximè virificat, secundum se, non secundum nos, aliaue à se.

Distinctio Virium ex obiecto, & radice, & subiecto. Et quomodo Vis est in omni Prædicamento.

ARTIC. III.

DISTINGVITVR ergo Vis, seu Virtus, quoniam alia respicit actionem, alia actum; sed Actio ex Actu pendet, vnde videtur eædem, sicut prior, & posterior. Hæc distinctio ex obiecto est, alia est ex radice, qua dicimus aliam etiam Virtutem Potestatiui, aliam Cognoscitiui. Et propterea in animali sunt organa Potestatoria, sicuti spina & corium; & sensoria, vt oculus, & auris; & appetitoria vt ventriculus, & iecur. Item alia est vis passiua, qua scilicet materia recipit formas, & Inane corpora, & subiectum accidentia: alia actiua qua calor calefacit, & homo scribit; alia actuatiua, qua calor calet, & homo homizat. Item omne prædicamentum habet suam virtutem, vt Essentialitas essentiandi; Quantitas quantificandi: Qualitas qualificandi: Actus actuãdi: Actio agitandi: Passio patiendi: Similitudo assimilandi, &c. quæ distinguntur ratione ab ipsorum Entitate. Et licet carent Primalitatibus, quoniam non sunt Entia subsistentia, tamen habet qualia conueniunt insistentibus. Quantitas enim habet potentiam essendi, & amorem essendi, & sensum essendi, seu quantificandi saltem à subiecto, etsi non propriũ, vt dictum est. Et sic habet vim quantificandi Potestatiuè, Cognoscitiuè, & Appetitiuè ratione substantis rei, & gubernantis causæ.

De Virtutibus materialibus, & immaterialibus, Physicis, moralibus, scientialibus, per quas Actus, & Actio celebratur.

ARTIC. IV.

VIRTVTVM aliæ sunt materiales, vt calor, & frigus, quæ in materia inexistunt, non vt à materia, quæ passiuè est potestatis, emanantes, sed ab omni potente rerum Causa, cuius sunt actiua instrumenta, & propterea sunt sui ipsius diffusiua in materia, & multiplicatiua ad rerum formationes, & mutationes agendas. Aliæ sunt immateriales, vt Intellectus, Voluntas Mentium, & Angelorum. In illis fundatur vis generatiua, esuritiua, motiua, operatiua. In istis visiua, gustatiua, auditiua, dum corporantur. Miscetur enim Mundus mentalis Mundo corporali, & Mathematico. Scientiæ enim, & artes quando operationum sunt principia, dicendæ sunt Vires, & Facultates: sed quatenus animam qualificant, dicuntur Qualitates. Eadem enim res est Qualitas ad intra, & Vis ad extra respiciens propriè; Dicitur facultas Mathematica, & Medicina, & Musica, & Physiologia, & Theologia. Nunc autem in actibus facilius agnoscitur. Ars enim fabricatoria est facultas, & principium fabricandi ædes. Scriptoria est facultas scribendi: neque enim facit scripturam, nec potest facere, qua artem scribendi non habet: vnde clarè elucescit. In quo morales facultates siue infusæ, siue acquisitæ, siue innatæ dicuntur virtutes. vt Prudentia, Fortitudo, Castitas, Sobrietas, Beneficentia, Gratitudo, de quibus in Ethicis; quoniam sunt principia, & facultates rectè afficiendi, & operandi. Et licet integrentur ex Volitiui propensione, & Cognoscitiui ratione, & Potestatiui potestatione, maximè in voluntate resident, cuius affectiones, & operationes regulant, vt ibi dicebamus. Dicuntur etiam istæ virtutes simul Qualitates, & habitus quatenus animam qualificant, bonamque reddunt; sed quatenus opus, & effectum, & gressionem ad exteriora respiciunt, dicuntur Principia, & Virtutes, & Facultates. Hoc est, quod D. Thomas frequenter ait, omne agẽs agere per propriam formam, quod intelligit per Qualitatem essentialem, aut accidentalem, non simpliciter, vt sic, sed quatenus est virtus actiua, & operatiua. Non enim forma agit vt forma, sic enim solum informat; sed vt Virtus: vnde S. Dionysius ait, ex substantia virtutem ex Virtute operationum egredi. Mirum ergo, quomodo in calore, & in materia non distingunt Potentiam, idest facultatem ab essentia, distinctione reali, in anima verò distingunt: Cum vel vtrobique, vel neutrobique distinguenda sit. An quoniam essentia caloris est esse vim, & potentiã, & sicut Quantitatis non est Quantitas distincta, nisi ratione, sic & in calore non est vis distincta nisi ratione? Rectè quidem si hæc ponenda essent. At dicitur materia, non satis rectè. Non enim materia est sola potestas passiua, sed Res potens recipere formas; propria realitate distincta à formis quibus dat esse materiale longè verius, quàm ab eis recipit esse formale, sed non materiale: nec etiam simpliciter, vt docent, qui materiam etiam nihil volunt, nisi puram potentiam passiuam non fundatam in re passiua. In his Auic. prorsus errat.

DE ACTV.

De multiplici acceptione Actus. Et de Actu essendi, existendi, actuandi, agendi, & patiendi, & quis nam ex his constituit prædicamentum, eiusque ratio.

CAP. XV. PARS VI. ART. I.

EX Virtute egreditur Actus; quo nomine prius insignita fuit Actio, quæ est effusio similitudinis agentis in patiens. Et requirit receptiuum illius, & ad finem tendit, in quo quietatur. Deinde Actus vocata est illa operatio, quæ in aliud non egreditur, sed conseruat essentiam in suo esse: sicuti est motus Cæli, & quies terræ. Deinde vocatur Actus ipsa existentia, secundum quam dicimus aliquid reperiri actu, nedum potentia, qua possit esse, sed quia reuera est. Et quoniam est, quod est per suam formam, idcirco etiam forma vocatur Actus distinctus materiæ. Tandem & Deus, & Angeli, dicuntur Actus, quoniam non sunt materiales. & licet nec sint formæ alicuius materiei, tamen magis formæ similitudinem habent. Vnde etiam verbum Dei vocatur apud Augustinum forma omnium formarum. Deinde ipsa essentia, vt est vocatur actus, & propterea in Grammatica diximus, quod datur Actus essendi Actus existendi, Actus operadi, Actus agendi, & Actus patiendi.

Profecto Actus essendi non distinguitur ab essentia, nisi ratione, & declaratur per Verbum substantiuum notionale. Dicimus enim homo est animal rationale, vbi ly *est*, dicit Actum essendi, qui est idẽ cum essentia realiter, & copulat hominem cum animali, non copula coniunctionali reali, vt cum dicitur, homo est albus, vbi ly homo, & ly albus, cõiunguntur, vt duæ res: sed ly *est*, coniungit duas rationes eiusdem rei coniunctione sola notionali secundum nos. Etenim ly animal confusè est idem, quod homo distinctè in notionibus, non autem res duæ, sed notiones duæ eiusdem rei. Actus autem existendi distinguitur realiter ab essentia in communi, non autem ab essentia personata, id est, deducta ad existentiam, in qua per se aliquid sonat, positum extra causas. vt cum dico, homo extat, vel existit, vel est in platea; tunc enim de homine indiuiduali dicitur, qui ad existentiam hanc trahit humanitatem: declaratur per nomina propria singularia, aut per pronomina rectius quæ vocantur demonstratiua. Non enim potest demonstrari, quod non est extra causam à nobis, extra causam positis simul. Actus agendi differt ab agente sicut res à re. Potest enim esse sine actu agendi, sed non sine actu existendi, nec sine actu operandi: Po entia enim non est sine posse, Intellectus non est sine intelligere, nec Voluntas sine velle, saltem sic: nec ignis sine motu, aut tellus absque quiete. Hic autem de actu operandi est sermo, operatione, inquam, interiori. Actus patiendi dicitur impropriè, Actus, quatenus est passio perditiua: etenim perditur Actus, qui inerat patienti, vel partialiter, vt cum aqua frigefit, vel totaliter vt cum cristallescit. sed quoniam nouus actus acquiritur, dicitur passio est Actus, vel quoniam à actu fit, id est, existentialiter. Datur & Actus mistus ex actione, passione, & actu, vt pulsatio arteriarum, de qua in medicinalibus.

Cum ergo dicimus, actum esse opus innatum, quo essentia seruatur in sua existentia: tunc definimus hoc prædicamentum definitione analogica. Reperitur quippe actus in omni essentia: quoniam omnis est terminata, & qualificata, & virtuosa, actuata, modo suo per analogiam ad substantiam, cuius proprie est quantificari, qualificari, virificari, actuari, agere, patique: & quoniam de actu supra plur.mũ loquuti sumus, non est amplius immorandum.

De primis Actibus, quos alij imitantur, & de eorum expressione, & actionum.

ARTIC. II.

ADDENDVM tamen, quod Actus Primalitatum sunt Posse, Sapere, & Amare. ad quorum analogiam omnia Entia actum à se, seu ab essentia denominant. Actus ergo Caloris est calere, Frigoris frigere, Hominis homare, Arboris arborescere, Grammatici grammatizare: & hæc cum per se loquimur. Imitatiuè enim dicitur filius patrizare, & Iecur lapidescere, cum induratur: & arbor frondescere ex actu secundario. Et quoniam Actus communicatus fit Actio, si addideris verbum facio, super Actum habebis notionem actionis. sic dicimus calefacere, homifacere, petrifacere. De Actione nunc dicendum foret. At quoniam Actio multiplicat agentem causam in alio; omne autem, quod multiplicatur vnum est. De Vnitate, & Multitudine dicendum erit.

DE VNITATE.

De Vnitate finita, & infinita, eiusque ratione, & multiplicitate, & causatione similitudinis.

CAP. XV. PARS VII. ARTIC. I.

QVONIAM transcendentia non habent superius, quo declarentur, per negationes, & similitudines definiuntur. Vnitas ergo est rei indiuisibilitas in se: quæ maximè propriè & principaliter vnit secundum se, non secundum aliud. Et quidem omne diuisibile, qua diuisibile, non est vnum, sed multiplex: qua diuisum verò est multa, diuisio transit ad Nonesse. per hoc enim diuiditur Petrus à Paulo, quia mediat Nonesse Petri & Pauli inter vtrumque; & cum magis diuiditur res, magis ad nihilitatem tendit: vnde si materia diuiditur vsque ad atoma, ad minimas entitates perduceretur: si vltra atoma ad nihilitatem. Omnis quippe minoritas Nonentitatis est participium: maioritas vero Entitatis.

Vnum quidem maximè necessario est infinitum: continet enim omnes Entitates sine Nonentitate; Finitur autem omne Ens nihilitate. ergo quod verè vnum est indiuisibile est, & non finibile. Finitur enim per diuisionem; & propterea nō quo magis vnum, est magis paruum, vt putant, qui punctum maximè indiuisibile faciunt, maximè vnum; sed quod magis vnum est magis Ens: cum enim fortitudo Entis sit sua vnitas, quo plus Entitatis chbet, plus etiam habet vnitatis: & quo minus, minus. Punctum enim est indiuisibile per defectum Entitatis. Vnum vero per robur Entitatis.

Quæ autem sunt vnitates extra primum Ens, deficiunt ab vnitate, quoniam sunt finita: distinguitur autem finitudo à finito. Rursus habent modum essendi, qui est Qualitas Finitudinis: Additur Qualitati Vis, & Actus, & deinde Actio, & Passio, quæ omnia in primo Ente non distinguntur, nisi ratione propter maximam vnitatem ipsius. In secundis verò cathegoriæ omnes realiter insunt, distinctéque: Propterea Parmenides posuit omnino vnum Infinitum, non mobile: nec quiescens: non Totum, nec partem: non simile, nec dissimile, non in tempore, non in loco; de quo in 2. p.

Vnitas etiam dicitur essentiatione, vt trianguli. compositione, vt hominis ex anima, & corpore; colligatione, vt fasciculi literarum: continuatione, vt lineæ; continuitate, vt materiæ: ordine, vt exercitus: cohabitatione vt pisces; contemporalitate, & collocolitate & omnib. societatis rationibus, vt quę sunt in vno systemate eodem tempore, aut sæculo.

Propterea etiam dicitur vnitas causa omnis similitudinis, siue similia sint tantum in voce, vt æquiuoca; siue in voce, & re, vt vniuoca, & analoga: siue in Essentia, siue in Quantitate, siue in Qualitate, siue in quacunque associatione. Hinc vocabula coessentiale, æquale, simile, socius, sodales, & cætera superius explicata.

Quod ergo est similitudo in genericis prædicamentis: hoc est vnitas in analogis. Quanquam & similitudo analogicè ferè semper sumatur, cum sit in omnibus prædicamentis, in quibus tamen deberet dici Vnitas ex toto, vel ex parte.

DE MVLTITVDINE.

Quid est Multitudo, & Numerus, & quomodo constituit oppositiones: & de gradibus oppositionum, & dissimilium.

CAP. XV. PARS VIII. ART. I.

MVLTITVDO est ab vnitate recessus. omne recedens ab aliquo disunitur ab eo. Idcirco processiones in primo Ente fiunt absque recessione. Quod disunitur recedit ab Entitate ad nihilitatem. Idcirco multitudo est Entis per Nonsens diuisio. Numerus ergo quà diuisionem importat, est Nonens, qua vero vnitates est Ens.

Omnis Multitudo causat Dissimilitudinem, & est oppositio, sicut Vnitas similitudinem, & compositionem. Opponuntur autem vel in voce tantum, vt synonima; vel in re tantum, vt æquiuoca, vel in vtroque vt disparata. Et quoniam causa oppositionis est Nonens, prima oppositio est inter vnum, & multa, vt sunt Nonens, seu inter Ens, & Nonens, & dicitur contradictoria; secunda inter Ens in hoc, & Nonens in hoc subiecto, qualis inter habitum, & Priuationem, vocata priuatiua. Alia inter prædicamenta analoga, & vocatur Disparatio, essentia enim, Finitudo, & Qualitas, & Vis, & Actus: quamuis Vnum Ens constituant, tamen disparata sunt inter se propriis rationibus. Alia est inter generalissima, quæ important diuersos

essendi modos; & vocatur Diuersitas, vt Materia, Forma, Quantitas, Actio, Passio, &c. Hæc enim licet componant vnum, tamen diuersa sunt inter se. Alia est inter vires contrarias, quæ dicitur Contrarietas; qualis inter calorem, & frigus mutuo sese deturbantes ab eodem Regno. Alia est differentia, qua species rerum opponuntur eiusdem Prædicamenti. quæ enim sunt diuersorum Prædicamentorum sunt diuersæ species, vt & genera. Tandem oppositio ind uiduorum eiusdem speciei dicitur singularitas, hæccheitas & indiuidualitas. Datur etiam oppositio eiusdem ad se, vt caloris intensi à se remisso, & dicitur Alteritas, & Variatio. sic differt Petrus senex à seipso iuuene. Super his additur Oppositio relatiua, siue realis, vt inter Dominum, & seruum; siue rationis, vt eiusdem ad seipsum; quæ facit correlatiua esse simul intellectu, & natura, & tamen distingui ratione, vel re: sicut dictum est prius.

Omnia opposita in aliquo conuenire exceptis contradictoriis.

ARTIC. II.

OMNIA autem opposita conueniunt in aliqua Entitate, quoniam sunt ab vno primo Ente: exceptis contradictoriis: Ens enim & Nonens non sunt ab Vno vlla ratione.

DE COMMVNICATIONE.

Communicationem esse quid communius actione; propriamque Entis finiti. Et vtrum ab Infinito. & de communicatione extra Prædicamentali.

CAP. XV. PARS IX. ART. I.

AB vno oritur multitudo per effusionem sui extra se: ergo finitum est omne vnum, quod habet exterioritatem: Finitur enim ad suum Nonesse, in quo est sua exterioritas. Hinc quærendum, quomodo Deus habet extra, si est infinitum. Respondetur, quod habet extra omne Ens; quod finitur, quatenus finitur. Finitur enim Nonentitate. Deus au em omnis Nonentitatis expers est. Igitur potest esse multitudo finitorum intra infinitum: quatenus non sunt totum id, quod est Deus, & quatenus sic dicuntur extra, non loco, sed dissimilitudine. Deus autem est omnia, seclusis Nonentitatibus eorum, vt in 2. p. declarabimus: & ideò non potest multiplicari, nec esse plusquam vnum infinitum.

Effusionis, seu Communicationis, ergo Prædicamentum sequitur post Actum, & Vnitatem. Est autem Communicatio effusio propriæ alicuius similitudinis, siue Idealis, vt cum literas scriptor exprimit similes suis literis, quas in mente habet: siue naturalis, vt cùm calor calefacit, & homo homificat, effundendo calorem, & humanitatem. Quod dicebamus Actionem in Prædicamento generico, nunc dicemus communicationem in analogo. Actio requirit, in quo similitudo imprimatur; Communicatio non requirit semper patiens: sufficit enim effusio alicuius similitudinis. Et sic Deus creat Mundum potius Communicatione, & emanatione, quam Actione: licet etiam dicatur Actio apud sapientes ex similitudine Actionum humanarum. Actus autem, quo Primalitates communicantur, etiam Theologis in Diuinis, non est Actio, nec communicatio cum recessu, sed emanatio, & Communicatio sine recessu, superioris ordinis ab Actione, & Actu respiciente ad extra. Rectius tamen Actus, & Operatio ad intra, quàm Actio nominari queat: non tamen in hoc prædicamento, vel prædicamento Actus, includitur.

DE RECEPTIONE.

Quomodo dicatur Receptio in his, quæ fiunt ex nihilo, & ex materia: & quæ recipiendo perduntur, & qualiter constituit prædicamentum.

CAP. XV. PARS X. ART. I.

COmmunicationi actiuæ respondet passiua, quæ in Generibus dicitur Passio, in Analogis Receptio. Est enim alienæ similitudinis acceptio, & propriæ perditio in Physicis, & moralibus. At in superioribus fit sine alienatione: cum enim creatur anima, non dicitur recipere esse: non enim recipit aliquid, nisi ipsum sit: sic neque dat aliquid, quod non est. Dans ergo & recipiens sunt: sed Anima cum creatur, non est; ergo non recepit esse. Dicitur tamen emana-

re, & simul fieri, & recipere esse, quoniam fit impropriè quidem. At neque Nonesse recipit esse, vt posset quis dicere; potius enim recipit Nonesse sui, cum recipit esse alienum. Quod autem creatur recipit suum esse proprium. Igitur passio non est transcendentalis, vt receptio: neque receptio est verè receptio: nisi dicas, essentiam recipere existentiam, & sic vera est receptio: sed vix explicabilis: vt in 2. p. patebit.

Dicitur ergo analogica receptio, sicuti & communicatio; Cum autem calor à frigore extinguitur, dicitur Passio, & receptio Frigoris, sed perditio simul Caloris; & semper implicatur Ens, & Nonens in Communicatione, & receptione. quod enim non est, accipit esse, & quod est accipit Nonesse. Cætera declarantur vt supra cum de Actione, & Passione loqueremur.

DE EXISTENTIA.

Existentiam esse Essentiæ quasi personam, seu primam additionem, & propterea facere Prædicamentum Accidentis, & circunstantiæ, & hoc esse multiplex.

CAP. XV. PARS XI. ARTIC. I.

QVONIAN essentia cum venit ad existentiam confunditur cum aliis coexistentibus rebus, quæ sibi accidunt: Idcirco prædicamentum Accidentis genericum dicitur existentia in Analogicis. Porrò enim antequam existat essentia pura est. Impurificatur autem egressione ad existentiam. sicuti, A, in mente mea est pura, nec magna, nec parua, nec alba, nec nigra, nec dura, nec mortalis, nec variabilis: cum autem egreditur de mente in paginam siue quocunque extra, tunc fit alba, nigra, rubra, magna, parua, chartacea, lignea. Hæ autem additiones vocantur accidentia. Et primò est accidens exceptorium, vt locus, qui recipit corpora venientia ad existentiam; & materia, quæ excipit formas, & agentes causas: & compositum, quod excipit additiones aliorum Prædicamentorum, & mutationem, & temporalitatem. Sunt etiam coexistentia corpora etiam accidentia essentiis. Piscis enim est in mari, & homo in terra; nec tamen mare est de essentia piscis, nec Terra de essentia hominis, nisi vt deducti ad existentiam, & personati: Et tunc quidquid pertinet ad essentiam existentem potest dici circunstantia; quæ physicè sumitur à causa, quæ non insit, aut ab effectu, aut ab Accidente Adnato, vel Illato, vel Adscito, vel ab Adiacente re. Moraliter vero ad septem reducitur, in versiculo contenta. *Quis, Quid, Vbi, Quibus, auxiliis, Cur, Quomodo, Quando*: vt in Logica docebamus.

Existentialitates dari extantes addititias mutantes & seruantes.

ARTIC. II.

SVNT quædam existentialitates ab essentia extantes, quæ vocantur accidentia intrinseca, vt Quantitas, Qualitas, Actus, Vis, Actio, Similitudo, & Dissimilitudo. Sunt aliæ extrinsecus aduenientes vt Passio, & Locus, & Tempus, & Subiectum. Quorum quædam mutant essentiam existentem, aut ex parte, vt albefactio; quædam ex toto, vt combustio; quædam perficiunt, vt Grammatica; quædam conseruant, vt locus, & tempus, & subiectum. Quomodo Mundus corporalis existat in Mathematico, Mathematicus in Mentali; Mentalis in Archetypo dicemus in 2. p. lib. 10.

Quod omnia prædicamenta sunt in omnibus: in essentia verè & distinctè secundum rem: in aliis secundum rationem, quatenus essentia aliqualis sunt. & vtrum quidquid habet Ens subsistens, sine quo non est, sit de essentia, an de existentia?

APPENDIX AD CAP. XV. FINEM.

AMPLIVS scire licet, quod essentia tantùm est Ens, & prædicamentum, sicut locus, & Materia in Physicis. Quæ verò adduntur, vt Quantitas, Qualitas, Vis, Actus, non sunt essentia, sed essentiæ aliquid, id est finis, modus, respectus, & actus. At quatenus isthæc etiam essentiæ, rationem habent, quia sunt, nedum insunt, & extant, licet sint, quia insunt, & extant; eatenus etiam habent quidquid habet essentia, vel similitudinariè, non propriè: sic

dicebamus essentiam finitudinis esse maximè finire; & Qualitatis esse sic finire: & Actus esse finire, & Quantificare modũ: & Vim esse ad finiendum Potestatem. ita quod & quidditas ipsorum est propria, & ad essentiam, & ad inuicem: quoniam sunt Entis Entia, & simul ita quod communicant sibi inuicem actum proprium, quem ad essentiam & in essentia subsistente habent. Idem dic de cæteris. Propterea que in Logicis posuimus differentias, Actus, & proprietates cuiusque Prædicamenti seorsum.

Coniunctiones aliorũ accidentium exteriorum, sicut faciunt vnitatem, ita & entitatem. nec spectant ad essentiam, sed ad coexistentiam.

Hic quærendum esset, an nasus, & pes, & oculus pertineant ad essentiam hominis. Videntur enim esse propter res coexistentes. Nasus vt odores percipiat, oculus vt lucem, pes vt super terram inambulet. at seclusis istis rebus coexistentibus, nullus est vsus oculi, & nasi, & organorum aliorum, quæ ad obiecta spectant. Respondetur, quod non sunt de essentia Ente, sed de essentia existente: vt alio in loco declarauimus. & hæc consideratio mirifica est, multasq; consequentias affert, & indicat esse & existentiã in cæteris rebus, & de systematibus, & de Angelis. Et quidem nulla res est aliquid totum omnino, sed omnes partes relatæ ad totum, & ad compartes, & earum existentiatio sic est. Rei autem solummodo est absoluta, & tota, perfectaque, vt alibi contemplabimur.

T. CAMPANELLÆ
PRIMÆ PARTIS METAPHYSICORVM LIBER TERTIVS.
QVI DE METHODO.

DE PRAEDICATIONE AFFIRMATIVA, & negatiua, iuxta rerum vnitatem, & coniunctionem, diuisionem, & segregationem, vt fiat methodus compositiua, & diuisiua.

CAPVT I. ARTIC. I.

QVONIAM quidem vnum est Ens vniuersum, quod Mundum appellamus, at non vniforme; diuersis enim constat partibus, & contrariis, & differentibus,& inæqualibus, & variis, & disparibus,& discordibus, & disconuenientibus, & omnino dissimilibus: verum non omnes omnibus opponuntur: sed similes, & dissimiles inter se sunt. Videtur ergo Mundus coniunctione vnus,& omni vnitate, quoniam continuitate, & contactu, & consequentia,& ordine,& colligatione,& adhæsione compaginatur.Igitur vt de ipso scientiam facere possimus: oportet dissimilia separare,& similia vnire. Rursus colligata copulare, & disiuncta disiungere: alias non de rebus vti sunt, scientiam haberemus,sed veluti à nobis finguntur.Hinc nata est Ars diuisiua,& compositiua. Diuisiua separat, quæ dissimilia sunt. Compositiua similia copulat. Tunc autem rem quamlibet scimus, cum quid sit cognoscimus. hoc autem scire non licet, nisi quibuscum est idem, & quibuscum non est, sapimus. Quapropter diuisimus Ens in suas Primalitates, & Principia,& causas essendi, & existendi. Et his deduximus decem genera, potius autem septem, quo subito quid à quo diuersum sit, intelligamus, & quid cui conueniat simul. ergo postquam res percipimus, componimus,& diuidimus.Et propterea addidimus cathegoriam similitudinis, & dissimilitudinis; & veluti res sunt compositæ, aut diuisæ,pronunciamus animo, deinde ore. Vnde orta est oratio affirmatiua, vel negatiua, copulans,& diuidens. Quarum vtraque potest vera esse, & falsa: illa quidem est vera, quando vnit, vel coniungit, quæ sunt vnum, vel coniuncta: falsa, quando quæ non sunt vnum, vel non coniuncta. E contra negatio vera est, quando separat separata, & quæ non sunt vnum; falsa autem vnum quæ sunt diuidit, aut coniuncta. Vnum sunt quæcunque in eadem essentia conueniunt vt Petrus & homo, proptereaque in vno sunt prædicamento. Coniuncta, quę ita se habent,vt alterum alteri adhæreat,vel inhæreat,vt homini albedo, relatio,& accidens. & hæc sunt diuersorum prædicamentorum. Ideo enim dicimus Petrum esse hominem,& hominem esse album, & in loco. Accidit enim loco hominem locare, & homo illi accidens est, non essentia. Quæcunque ergo dicuntur de aliquo, vel pertinent ad essentiam eius, vel ad vnionem, seu colligationem cum essentia, & existentia. At quæ conueniunt in essentia non subitò alterum de altero dicuntur. Petrus enim, & Paulus conueniunt in genere naturæ, & in essentia hominis, non tamen dicimus, Petrum esse Paulum, nec hominem Asinum; quoniam licet sint eiusdem essentiæ tamen differunt indiuidua numero; & species sub genere, differentia,& contrarietate. Nec præterea Petrus est coniunctus Paulo, vti est coniunctus albo; nec homo asino, vt est Musico. Quapropter ad prædicationem alterius de altero requiritur coniunctio, & non sola essentialis vnitas. coniunctio autem magis prædicat quam essentia; quoniam prædicare est coniuncta manifestare. Petrus

ergo, & Paulus ſunt idem in homine, non autem inter ſe, quia diſiuncti; & Petrus in quantum homo eſt idem quod Paulus, ſed tamen non eſt Paulus, quia ſimilitudini eſſentiali additur numeralis diſſimilitudo, quæ ſeparat Petrum à Paulo, & diſtantia, & diſiunctio. Petrus autem in quantum homo, non eſt idem, quod albus, ſed in quantum Ens. nihilominus dicitur homo albus; quoniam ſibi inhæret albedo, ſed non Petrus. Illa ergo eſſentialia prædicata dicuntur de quocunque Ente, quæ dum dicunt vnitatem, & copulam, non ſimul dicunt diuerſitatem, & diſiunctionem. vt Petrus eſt homo, eſt animal, eſt corpus, eſt ſubſtantia, eſt Ens. quoniam ly homo non ſolum eſt coniunctus Petro, & idem, ſed nec importat, quid oppoſitum Petro, aut ſeparatum, cuius gratia non poſſit de illo prædicari: vt cum importat Paulus. Quapropter rectè dixit D. Thomas Genera & ſpecies præcisè ſumpta prædicari de ſuis inferioribus, & non ſecundum eſſe, quod habent in re, vel in intellectu: in re enim homo non eſt ſolum Petrus, ſed alij multi. in intellectu verò eſt ſimilitudo illorum omnium: at præcisè abſtrahit à conditionib. indiuiduantibus, & ſeparantibus alterum ab altero, & à conditionibus intentionantibus (vt ita loquar) & non realizantibus, quod ſignificant. Humanitas autem & animalitas non prædicantur de homine, nec albedo; quoniam non modo abſtrahunt à conditionib. indiuidualibus, & intellectualib. ſed etiam ipſas negant. Homo. n. cum dicitur de Petro, nõ negat Petrũ eſſe albũ, quoniã in concreto dicitur, & licet non exprimat accidentia Petri, non tñ negat; humanitas vero negat, quoniam dicit eſſentiam hominis abſtractã, & ſimplicem, & ſine albedine, & aliis accidentibus: & ideo D. Thomas dicit, quod ſignificat per modũ partis, & non totius: quia indiuidualitates, & accidentia aufert. Nos vero dicimus etiam per modum totius prædicari, reſpiciendo totam eſſentiam omnium hominum. & ideo de parte non poſſe dici, ſicut nec ſigillum de ſigillatis; aut principium de principiatis. Dicitur ſanè, homo eſt calidus, ſed non calor, ſed differenter, nec humanitas. Non enim eſt calor, quoniam alienæ eſſentiæ eſt prædicatio: & totius de parte: non Humanitas, quoniam totius de parte. Vnde ſtultè Ariſt. quærit à Platone cur Ideæ non prædicantur, nec Deus de rebus ideatis, & factis. Nec etenim Ars de artificiatis dicitur: cum præſertim ipſa ideata, & artificiata aliquid extra eſſentiam addant, reſpectu cuius etiam ſunt partes prædicata abſtracta, vt cõſiderauit D. Thomas. In concreto autem omnia de omnibus dici videntur, quoniam vt ſic ſignificant coniunctionem, & coniuncta partialia, vt homo eſt albus. vbi ly albus, dicit partem albedinis inhærentem homini: ly albedo totam præcisè, & ſecundum ſuum eſſe, quod non coniungitur homini. Vnde vim vnionis conſiderandam eſſe intelligimus, & veritatem ſignificatorum in oratione vnitiua. quare & in Theologia dicitur, homo eſt Deus, de Chriſto, propter admirandam vnionem: in Phyſicis autem hæc prædicata ſunt diuerſa: De Deo autem verè dicimus, quod ſit Deus, & entitas, & vnitas, & ſapientia, & veritas: quoniam nihil poſſunt abſtracta ſignificare, quod non ſit in Deo: nullã enim totalitatem addunt, quam Deus participet. Nec Deus aliquod accidens habet, cui non conueniat Deitas, ſicut homo qui & eſt pars humanitatis, & addidit aliquid ſuæ humanitati, videl. materialitates, quas concernit. Ex quo cognoſcimus, vel materiam non pertinere ad eſſentiam hominis; vt dicit Plato, & conſentit ferè Auer. ſed tantummodo illam deferre: vel materiam hominis vltra humanitatẽ ſuſcipere ſimul aliqua accidentia, quæ ad eſſentiam hominis non pertinent, vt dicit D. Thomas, vt puta albedinem, motum, ſedere, videre, & huiuſmodi. Nec mirum, quoniam triangulus habet lignum, & æs quaſi accidentia, & tamen ſunt materia eius. Vtrum autem & linea ſit præter eſſentiam trianguli, vt putat Plato, faciens numerum eſſentiam rerum tantummodo, alibi palàm fiet.

Notandum quod Prædicatio alia coniungit res, vt homo eſt albus: alia notiones, vt homo eſt animal rationale: idem eſt homo quod animal rationale. ergo non coniungitur cum ſit vnum: ſed notiones plures vnius iungit. ſic dices de negatiua oppoſito modo.

Quæ Prædicationes ſint de Deo, de loco, & de materia, & materiæ de forma, & miſtim.

CAP. I. ARTIC. II.

At ſi omnia coniuncta ſunt Loco, & Deo, & Materiæ multa; quare de loco, atque Deo non prædicantur omnia? nec formæ de materia: non enim dicimus Deum eſſe animal, nec album, nec lignum; nec locum eſſe lignum, vel album, vel hominem; nec materiam eſſe formam, vel animam, vel humanitatem. Conſtat autem humanitatem illi coniunctã eſſe, vt albedo homini. Ad primum reſpondetur non omnem coniunctionem prædicationem facere, niſi quando mutua eſt coniunctorum vtilitas, & vſus. Conſtat autem Deum eſſe in omnibus eminentiſſimo modo, & res in eo tanquam accipientes eſſe, & ſubſtentationem, & conſeruationem, nihil autem illi dantes, vnde prædicentur de illo. Albedo enim prædicatur de homine, quia dat homini eſſe album; animal verò, quia dat ſimilitudinem eſſentialem cum feris. Deo autem nihil poſſe dari, nihil ergo de illò prædicari, niſi ipſummet Deum ſecundum rem. Cum autem dicimus Deum eſſe creatorem, & dominum, denominatio ſecundum rem eſt in ſua virtute, & poteſtate; licet à nobis ſecundum id, vnde imponitur nomen, accipiatur.

De loco autem prædicari non contingit locata:

quoniam & si dant illi plenitudinem, tamen quid prius, & diuinius est locus basis omnium Entium à Deo factus. Nec locata permanent in eodem loco, sed ipse separatur ab omnibus, nulli est contrarius, & omnia sustinet. Quia vero quatenus plenus fit, recipit, dicitur locus esse plenus corpore humano vel terreo, non tamen terreus, nec humanus: quoniam non dant locata illi essentiam, vel esse inhæsiuum accidentale, sed solummodo recipiunt sustentationem. Est tamen longus, latus, profundus, quoniam dimensiones illi essentiales sunt: sine his enim est solum punctum, aut signum puncti. Sed hinc materia & terra esse adhuc quod est.

De materia autem cuncta prædicari dicimus, sed non sicut animal de homine: hæc enim prædicant totam essentiam, & color de albedine, & figura de circulo totum dicit essentiale, exceptis accidentibus: res autem totæ non dant materiæ esse materiam, nec possunt ab ea coniungi, sed dant illi esse formale, & ideo prædicantur de ipsa denominatiuè, & non quidditatiuè: sicut prædicatur album de homine, & non sicut animal de homine: & hoc agnouit Arist. in 7. Metaphys. Sed quia formæ essentiales sunt quidditates compositorum ex materia, & forma, & essentia compositi est materia & forma simul, ideo materia, & forma dicuntur de composito denominatiuè, vt homo est corporeus, carneus, & rectus, & quadratus, & animatus. De materia autem similiter dicimus esse humanatam, bouinatam, ligneatam: hoc est hominis, & bouis, & ligni forma informatam: veluti homo dicitur albus, idest, albedine formatus. Sed non sunt in vsu huiusmodi prædicationes, quoniam latet quidem materia, & de illa sermones vulgares non fiunt. Sed verè omnia de ipsa prædicari debent, sed quasi denominatiuè, & accidentaliter: cuncta enim ei accidentia sunt præter essentiam: nam sunt eius determinationes, & qualificationes, idest, ad tale quid, ad tale quantum, ad talem figuram, illam trahentes. Videtur quoque de forma simili modo accidentali materia prædicari: quoniam dicimus triangulum ligneum, ensem æreum, hominem carneum: & vtraque videtur accidentalis, si forma est essentia rei, & ensis dicitur de forma, & homo & triangulus: vt ergo huiusmodi prædicationes discernamus, oportet videre vtrum species significet formam, vel compositum ex materia, & forma. Plato formam modo asserit. Ergo accidit homini esse carneum, sicut carni esse humanam. Arist. hominem significare vult compositum ex materia, & forma, ergo prædicatio materialis, & formalis denominatiuè est per se: ita cum dico, homo est carneus, sicuti cum dico homo est animatus: sed non cum dico, caro est animata, vel materia est animata, aut anima est materiata, vel incarnata (sumendo animam pro forma, vt Peripatetici vsurpant) vtraque enim est accidentalis. Sed hoc alibi disputandum restat.

Quoniam vero quod substat in re, debet in oratione substare: & quod apparet, & superstat in re, debet in oratione prædicari tanquam apparentia, & forma rei: ideo quod materiale est, debet fieri subiectum in oratione, quod formale prædicatum: quare indirecta est oratio dicens, Albus est homo, & triangulus est ligneus, & ensis ferreus: potius enim dicendum esset, homo est albus, lignum triangulare, ferrum enseum, caro humana, & non homo carneus. Sed quia forma totum esse sæpè vsurpat: & videtur illi materia accidens esse, sicut materiæ forma, ideo forma ipsa in oratione subiici solet, & quasi patiens, & recipiens materiam intelligi: sicut materia recipit accidentia: hinc est, quod dicimus, gladium ferreum, & triangulum ligneum, sicuti hominem album, cui accidit albedo.

Hoc autem in his contingit formis, quæ propriam materiam non requirunt, vt gladius, & triangulus, & circulus, quoniam significant quandam per se quidditatem. At, album & musicum non significant, nisi inhærentem quidditatem: ideo non subiiciuntur, nisi per accidens, vt dicamus album est homo, vel cygnus: Astutum est vulpis: quatenus enim consignificant subiectum in concreto subiiciuntur. At, in abstracto per se significando, vti triangulus, & circulus subiiciuntur materiæ propriæ in oratione. Dicimus enim albedinem niueam, & sapientiam humanam, & cursum equinum; vbi materia ponitur loco prædicati, quasi denominans hæc accidentia per modum substantiæ significata. Sed omnis huiusmodi enunciatio est accidentalis: Essentialis autem tunc est, quando proprium subiectum dicitur de aliqua forma, vel proprietate, siue in recto, siue in obliquo; vt simitas est nasi curuitas, vel nasea, vel nasus concauus; & lux est caloris apparentia, vel calor apparens; & quantitas est mensura materiæ, vel materialis, vel materia mensurata. Horum instar fiunt prædicamenta, vbi semper quod est multis, commune est formale: & quia ab vnica forma res est vna, vt aurum: à multiplici forma multiplex, vt planta. Ideo quæ conueniunt in vno sunt similia, & similitudo expressa vocabulo illis communi est genus, vel species, vt in superiori libro declaratum est. Ideo directa, & vera prædicatio est superioris de inferiori, vt hominis de Petro, & animalis de homine, & coloris de albedine. Nec dico, Petrum modò esse aliquem hominem, vt quidam putant dicendum, sed etiam hominem, quoniam prædicatur non solum, quod est in se, sed etiam in quo est simile aliis, vt clarificetur quod in se, vti diximus in Logica.

De Prædicatis essentialibus, & accidentalibus, & de constituentibus definitionem, & descriptionibus.

ARTICVLVS III.

PRÆDICATIO vera & essentialis est inter ea, quæ sunt eiusdem generis, & quidditatis, siue sint simplicia, siue composita. Quapropter prædicatio materiæ de forma, vel formæ de materia accidentalis est, vt dictum est. Materiæ autem de materia, & formæ de forma, & compositi de composito essentialis est in omni genere, veluti materia est corpus, circulus est figura, homo est animal. At, quando compositum non habet nomen vnum, sed aliud di-

cit formam, aliud materiam: tunc illa duo nomina prædicantur de composito essentialiter, vt si dicas, domus est cementum, ligna, & lapides, in quatrum disposita ad protegendum &c. vel exercitus est multitudo ordinata ad pugnandum, vel multi homines ordinati ad pugnam: ordo enim ad pugnam est forma exercitus, homines vero materia: ita si nomen animal non esset significans corpus simul, & animam, diceremus, homo est corpus, & anima vnita & cætera. & ensis est ferrum planum, & longum vndique acutum & cætera. verum essentialis prædicatio alia est eiusdem de eodem voce, & re, vt Petrus est Petrus, gladius est gladius: & hæc licet sit verissima reiicitur ab arte, quoniam nihil notificat nobis, nisi fortè per accidens, vt si fortè dicas, Petrus de quo loquebamur est Petrus, quem nunc videmus: tunc enim valet, quoniam visus, se non visum Petrus notificat. Alia est prædicatio essentialis, quæ notificat, in quo simile est essentiali similitudine alterum alteri: aut in quo differt: vt si dicas, Petrus est homo, vel homo est animal: & quia nomen explicans similitudinem conuenit multis, quoniam non sibi, sed aliis dicitur simile vnumquodque: idcirco semper est commune, & vniuersale illud nomen, & vocatur vel species, vel genus. Homo enim non modo de Petro, sed de Paulo: & aliis dicitur: & animal non de homine solum, sed de equo, & pisce. Quando vero prædicatur aliquid essentiale, quo est dissimile subiectum aliis, tunc si per illud nomen differt à multis, erit differentia non specialissima, & propria, sed communis: vt homo progressiuus, & auis est alatus. Differt enim homo per progressiuum ab auibus, & piscibus, sed non ab equo, & cane: cum autem prædicatur quid essentiale, per quod differt ab omnibus sui generis, vel speciei, aut cuiusque communitatis: tunc Prædicatum illud vocatur Differentia vltima, & conuertitur cum subiecto, vt homo est rationalis, & rationale est homo, quam exponendo dicimus: nihil aliud ab homine est rationale, nec rationale est nisi homo: nec reperitur extra hominem, & hæc Differentia cum proprio genere Definitionem constituit. Est autem Definitio breuis oratio, declarans essentiam rei totam, ita vt nihil extra essentiam includat, nihilque essentiale excludat, vt homo est animal rationale. At, si Rationalitas conuenit Angelis, addendum est Mortale, vt excludat eos, quoniam non sunt eiusdem speciei cum homine. Prædicatio autem accidentalis est, quæ declarat ea, quæ coniuncta sunt essentialibus rei, sed non de rei essentia, vt homo est albus, vel sedet, vel est similis simiæ, dominus animalium, figura erectus, bipes, longus, in loco terreno, calidus, &c. Hæc enim non sunt de hominis essentia. Sed notandum, quod alia sunt Prædicata essentialia primò, vt animal rationale, alia secundò, quoniam sequuntur essentiam, vt Risibile, & Disciplinabile: & hæc secunda declarant essentiam in descriptione: illa verò prima in Definitione. Descriptio enim est per Prędicata communia, & propria manantia ab essentia: & conuertitur cum Descripto, vt color est qualitas per lucem obiecta visui. Vbi esse qualitatem non est de essentia coloris secundum se, sed ratione subiecti. Esse quoque obiectum visus accidit colori: nam etsi visus non esset, color esset id, quod est. Vera ergo Definitio dicit quid est secundum se, vt si dicas: Color est lux fœdata à materiæ vultu. Vel si hæc Definitio congruit solũ coloribus mortuis, non autem luci, & tenebris, & cum sit genus generalissimum, caret genere. Dicere autem quod sit Ens, nihil notificat: ideo definietur fortè, quod sit apparentia, vel facies rerum, quatenus enim apparent, coloratæ sunt, non quatenus qualificatæ.

Prædicationem adhuc essentialem per se esse æqualis de æquali, & superioris de inferiori, & quomodo vniuersale continet differentias, & species in se.

ARTICVLVS IV.

I TERVM inspicere licet prædicationem eorum, quæ sunt sub eodem genere, non esse semper essentialem per se; nisi quando æqua de æquis prædicantur, vel superiora de inferioribus, vt homo est rationalis, vel animal, vel homo. At quando inferiora de superioribus dicuntur inter accidentalia connumeranda esse, vt si dicas, animal est homo, vel rationale, ly animal dicit naturam communem homini, & equo, & pisci, & aui, &c. & est superius illi, quia præcisè sumptum est illorum communitas in quantum exprimit essentialem similitudinem illorum: à dissimilitudine autem quasi abstrahit. Non enim potest contraria simul esse, & significare, sed illud vnum, in quo conueniunt contraria, quatenus contraria. Ergo est extra rationem sui significati, quidquid addas infra illud. Cum ergo dico, animal est rationale, prædico aliquid extra essentiale significatum animalis. Similiter cum dico numerus est par, & color est albedo. Et hoc patet, quoniam oratio essentialis est vniuersalis, & per se, & necessaria, vt dictum est. Hæc autem non est necessaria, nec vniuersalis; non enim omnis color est albedo, nec omne animal rationale: nec semper: sed aliquod animal, quia est indiuiduum, rectè dicitur esse rationale. Verum quia & si non includat in suo significatu rationalitatem, & numerus paritatem, non tamen excludit: quinimmò aliquid plus includit. Ideo si dicas, numerus est par, aut impar: & animal est rationale, aut irrationale; erit oratio per se, & vniuersalis, & necessaria: quoniam in rerum natura ita se habet semper, & significatum numeri concludit parem, & imparem: & animalis, rationale, & irrationale. Sed quæritur quomodo animal, & color, & omne genus includit in suo significato per se contraria, & tamen per accidens includit vnum, & quomodo sunt contraria in eodem?

Reſpondet Porphyrius, quod in actu non continet contraria, ſed in potentia. Et Ariſtot. in 7 Metaph. videtur dicere, quod indeterminatè illas continet, vt & D. Thomas in de Ente, & Eſſentia: ſed quidem habere poteſtatem, eſt poſſe habere: Actu autem diximus animal eſſe rationale, vel irrationale: ideo melius dicendũ eſt, habere indeterminatè, quoniam ſignificatum animalis non determinat quale animal, ſed ſupponit id, quod omni ſpeciei conuenit. A differentiis verò cõtrahitur ad ſpecies: & quia accidit eius ſignificato ad vnam trahi, ſed ad omnes non accidit; ſed ſibi eſſentiale eſt, ideo per ſe eſt hæc: *Numerus eſt par, vel impar*; & non hæc, *eſt par.* Et quidem nec valet iſta, numerus eſt par, & impar, quoniam verificatur de numeris determinatis, vt de ternario & quaternario, indeterminatè autem numerus non eſt par, & impar, ſic enim eſſet contraria, ſed per diſiunctionem rectè dicatur par, vel impar, quoniam illud interminatum eſſentiale, in quo par & impar conueniunt, ſignificatum per nomen numeri, remanet in ſua indeterminatione. Eſentiale autẽ eſt generi indeterminatio: quoniam dicit in quo conueniunt ſpecies. Determinatio vero, quæ fit per differentias accidit illi, vt ſignificato formali. Et quidem non eſt ita in rerum natura. Quoniam ſi naſcitur homo, aut fera, hęc, vel illa naſcitur determinatè. Sed procedit natura à forma, & materia communi ad particularem. Primò enim ex terra fit lutum: mox in eo ſpiritus, & caro, mox organizatur in ranam, aut murem. Ergo imitantes naturam præponimus ſignificata vniuerſalia, & ad particularia contrahimus. Et ſperma quidem primò eſt corpus, poſt animal, poſtea homo, & tandem Petrus, & quidem ſi vniuerſale prædicatum eſſet continens ſignificata particularia determinatè, ac diſtinctè, non eſſet prædicatio ſuperioris de inferiori, ſed vel æqua de æquo: aut cum dico, homo eſt animal, intelligeretur, rationale, & irrationale, & ſic falſa eſſet omnis enunciatio, & ſibi repugnãs.

Sed contra quod determinauimus nunc videmur ſapere: etenim dictum eſt ly animal, dicere ſimilitudinem eſſentialem equi, & hominis & piſcis: ſimilitudo autem non includit diſſimilitudinem, neque potentiâ, neque actu, neque in determinatione, ergo genus non continet vllo pacto differentias in ſuo ſignificato præciſo. Ergo cum dico animal eſt vel rationale, vel irrationale, eſt propoſitio per accidens ſignificato animalis præciſo. Rurſus non poterit ei addi magis differentia extranea, quam propria, vt ſi dicas, animal eſt vel par, vel impar, rectum, aut curuum: ex quo enim non in potentia ad quaſdam. Ergo erit ad omnes vel nullos. Reſpondeo ſignificata reſpondere naturis rerum: quia autem in natura animalitas reperitur in homine, & boue, & non in pari, & impari, niſi per accidens, ſed ſemper in ſpeciebus ſuis: vtique differentiæ ſpecierum propriarum in eius ſignificato magis includuntur, quam alienarum. Et cum ſit communitas communitatum, illas refert: præciſè autem non includit has, aut illam: ſed omnes: & quia ſimilitudo eſt diuerſorum ſimilitudo, ideo indeterminatè genus, quatenus eſt ſimilitudo præſignificat. Sed dico interminatè etiam illa multa, quorum eſt ſimilitudo: ſed multa non ſunt, niſi quia diuiſa: in quantum vero diuiſa ſunt diſſimilia ſunt: ideo genus illa diſſimilia in ſuo ſignificato claudit. & ſi diceres determinatè, errares valdè, quoniam non quatenus diſſimilia ab eo ſignificantur, ſed quatenus ſimilia, non excludendo tamen diſſimilitudinem, quatenus includit multitudinem, & eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, non propter intellectum, & conditionem vniuerſalitatis tantum, vt dicunt ſequaces: ſed propter realem ſimilitudinem multorum, inuentam in illis in natura, & ſignificatam in nomine animalis. Vnde autem inuenitur? diximus ab idea. Nam ſicut ædificatoris idea, extra materiam exiſtens, domos materiales multas ſimiles facit, ita & idea naturæ, vt Ariſt. fruſtra conetur ponere in materia ideam, & ſimilitudinem Calliæ in Socrate, quoniam non illa materialis producit Calliam, ſicut nec domus domum: ſed domus mentalis: vt dictum eſt ante. Atqui non intelligunt genus eſſe ſimilitudinem, & vnitatis influxum, vt in re præter ſingularia, quæ ponunt, nequaquam aſſignent vnquam, quæ prædicatio ſit ſuperioris de inferiori.

Si Prædicatum eſt formale, & ſubiectum materiale quo pacto vniuerſalia ſint materialiter notiones, & ſimul prædicata.

ARTIC. V.

SED reſtat dubitatio quî fieri queat, vt Prædicatum ſit formale, vt dicebamus, & ſimul ſit indeterminatum, & quaſi materiale ipſum genus, & per differentias determinetur in ſpecies, quod & naturæ conſenſu probauimus ex indeterminato ad determinatum procedentis. Illud quoque natura ipſa docuit, quæ ſupponit materiam, & compoſitum formis eſſentialibus, & accidentalib. quæ de materia, & cõpoſito dicuntur in oratione. Reſp. quod natura in fieri procedit à materiali ad formale, ſed propter formale operatur, & gratia eius præſupponitur materia: cum autem factũ eſt compoſitum ex materia, & forma, ipſam determinante, quæcunque inſunt compoſito, quaſi formalitates eius ſunt, quocunque ordine illas acceperit. Quapropter nihil mirum ſi natura ſenſitiua, ſeu animaleitas præcedit humanitatem in generatione materialiter, & in prædicatione poſtea ſe habent formaliter: quoniam ipſius compoſiti forma, non modo eſt humanitas, ſed animaleitas: & cum prædicantur, licet ſe habeat vt formale vtrunque, nihilominus altera alterius reſpectu eſt materialis notionaliter, non phyſicè. Quapropter cum dicimus, hominem eſſe animal rationale, ly animal, ſe habet vt materia notionum, quia confuſè: & rationale vt forma diſtinguens, licet non addito rationali, animal quoq; dicat formam totius, ſed indeterminatam. Hinc eluceſcit Scotiſtarum, & Thomiſtarum pugna, vtrum in eodem compoſito ſint plures formæ. Aſſentit Scotus, quoniam animaleitas ſumitur ab anima ſenſitiua, vitalitas à vegetatiua, rationalitas à rationalitate. Negat D. Thomas, ſed rationalem continere in ſua virtute, etiam animalitatem, & vitam, & corporeitatem putat: & adueniente vegetatiua corporeitatem perdi, & dari à vegetatiua vitam & corporeitatem, adueniente ſenſitiua perdi vegetatiuam, & corporeitatem, & dari ſenſum, & vitã, & corporeitatẽ ab ipſa ſenſitiua

Tandem adueniente rationali priores aboleri, & dari iterum à rationali,& simul rationalitatem. Sed hæc contraria decretis naturæ ostendimus cum M. Alberto & priores formas non perdi, sed perfici diximus, & in vnum coire; sicut addendo lineas,& angulos figuris simplicibus, illas non delemus, at in meliores, aut multipliciores mutamus: frustra enim laborasset natura in formandis necessariis, quæ corrumpantur: & corporeitatem esse materieitatem, nec à formis incorporeis dari posse, ritè ostendimus. Auic. etiam docet istas formas Scoticas esse vnam, & gradus plures, sicut cum ignis prius calefacit deinde illuminat, & tandem ignit: ignitio autem est totum Esse completum cum suis gradibus, vnum, & non res alia, nec plures. Nos autem vnius rei vnicam esse formam arbitramur, sed simplicis, vt aquæ, simplicem: compositi, vt animalis, compositam ex partium formis: alia enim est ossis, alia carnis, alia nerui forma simplex. Item manus forma est composita ex istis: sic & pedis,& capitis, & cruris,& aliorum: & has compositas diuersas esse quoque. Totius vero animalis formam decompositā esse vnū: & significari per nomen animal simul cū materia multipliciter formata, & substantialiter habitatam. Animas autem non esse formas dicimus, sed incolas corporum, excepta Mente à Deo infusa, quæ sola potest diuersa temperamenta informare, quoniam ab eis non dependet, vt formæ corporales vnius temperamenti asseclæ. Sed de his alibi. Nunc autem dicta sint, vt inueniamus quidditatem,& Definitionem, pro qua tātopere laborarunt Platonici,& Peripatet.

De Definitione ponitur, & quæritur.

CAP. I. ARTIC. II.

DICVNT omnes, Definitionem significare essentiam rei, & nihil includere extraneum, nec excludere intraneum essentiale: & docere quid in re latet à prima potentia vsque ad vltimum actum. Vocant potentias genera, actus differentias, vt si dicam, homo est corpus animatum, sensitiuum, rationale, mortale: vbi priores particulæ se habent vt materia respectu posteriorum, posteriores vt actus, quorum vltimus separat hominem omnino ab his, quibus per prædicata priora erat aliqua adhuc in parte essentiæ similis. Consentiunt quoque, Definitionem conuerti cum Definito, ita, vt nulla pars subiectiua definiti sit extra Definitionem: nec Definitionis extra definitum. Nam ideo dicitur Definitio, & terminus huiusmodi oratio.

Quæstiones sex circa definitiones.

1. Quæritur autem quomodo quidditas rei sit vna, at Definitio, quæ ipsam significat habet plures partes. Constat enim ex genere, & differentia. Item vtrum sit idem cum definito re, & ratione, & quomodo definitum habet multa prædicata quæ in Definitione excluduntur, vt hominem esse coloratum.

2. Item vtrum Definitio sumatur à materia, & forma, vel à forma sola.

3. Et vtrum non conueniat formis materialibus per se, vel abstractis ideis & per accidens materialibus. Non enim inuenimus perfectum circulum, cui ratio circuli congruat prorsus: nec hominem perfectum,& cui sola omnino Definitio conueniat: quoniam multa habet non conuenientia essentiæ suæ, & essentiam hominis nemo hominum videtur perfectam habere.

4. Præterea vtrum in Definitione omnia genera causarum essentialium rei definitæ poni debeant, an aliqua modo.

5. Et tandem vtrum demonstratione, an Diuisione, an compositione conficienda sit, quoniam Hippocrates, Plato,& Aristoteles tres vias diuersas statuere. Tandem vtrum possit aliquid definiri, vt Aristotiles, & Plato species tantum, an omnia etiam indiuidua, vt nos: vel nihil, vt Antisthenes.

Disputatio mista, super quæstionibus propositis.

ARTIC. II.

QVONIAM in Definitione ponuntur prædicata per se, & non omnia: siquidem nec proprietates ingrediuntur, nisi descriptionem: alias sequeretur, quod essent vnum, & idem caloris essentialitates, 23. Motus, lux, & attenuare, & quies,& condensatio, quæ sunt proprietates terræ à frigore manantes: manifestum est, nec accidentia posse definiri, nec Ens per accidens, nec proprietates: quoniam recipiunt in sua definitione extranea prædicata: vt si dicam lux est caloris apparentia: nam licet calor sit lux, non tamen dicitur lux, nisi quatenus apparet: quatenus ergo lux est caloris aliquid: calor ergo ponitur sicut extraneus. Si enim definio motum esse operationem caloris, palam est, calorem esse quid extraneum ab essentia motus: sicut & nasus ab essentia simitatis: & quoniam accidentia, & proprietates non sunt nisi quia causarum,& subiectorum sunt, ideo per se definitionem non habent, sed per illas,& ita Aristoteles in 7. Metaph. nec Entis per participationem, nec proprietatis, nec accidentis: quoniam sunt extra genus, vult definitionem esse. Non enim dicimus ferrum ignitum esse ignem: nec leuitatem esse ignem: nec motum esse ignem, sed ignis participationem, & proprietatem, & operationem. Quapropter ingreditur sicut extraneum ignis,& non sicut essentiale genus. Horum autem potest quidditas per aliud nomen clarius declarari: non autem quidditas propria, quam non habent nisi in alio, quod non est ipsa. Contendit quoque Arist. nec hominis albi esse definitionem quidditatis. Quidditas enim vna est: album autem & homo duo sunt diuersi generis. Quapropter in definitione earum necesse est cadere quid extraneum. Nec si dares homini albo nomen vnum, erit eius quidditatis definitio: vt si dicatur, vestis, aut sicut vulgariter dicimus panem & vinum simul,

simul, supponi. Manifestum est enim, quod in Definitione accidentis debet poni subiectum: ergo in albi definitione ponetur homo, si album est eius proprietas: veluti in definitione masculini ponitur animal, sed non est quidditas accidentis albi, vel masculini, ipse homo albus, & animal generans in alio: sicut nec essentia motus est ignis operans: nec simum est nasus curuus: alterius enim essentiæ est nasus à simitate. Ergo albus homo non definitur, nisi per additionem, & non per essentiam quatenus albus, vel definitio non erit albi, sed vel hominis, vel hominis albi: homo quidem est hoc aliquid: album est quale: quidditas autem est eius, quod est hoc, & non quale. Nec nominis vnitas quidquam facit ad definitionem: alias Ilias, & quæcunque oratio vno nomine significata, esset definitio.

Verum enimuero si hæc ita se habent, vt Arist. dicit, nec compositum substantiale definiri potest. Materia enim non est forma, nec forma materia. Igitur quia in composito vnum sunt nomen, vt homo, & animal, non propterea erit definibile compositum, nisi vt Ilias: & hoc patet quia si dicam, animal, cum sit duo, corpus & anima, quidquid prædicatur de corpore extraneum est à quidditate animæ: & quidquid prædicatur de anima à quidditate corporis: quomodo autem inuenietur nomen, quod vtrisque competat quidditatiuè? oportet ergo vel compositum esse aliud à partibus componentibus, vt eius sit quidditas propria, vel non dici prædicata essentialia, nisi de forma: vt Plato sentit: & definiri tantummodo formam, vt circulus, & humanitas: materiam autem esse sicut deferens quidditatem: & quidem patet literas non definiri per materiam: syllabas autem esse literarum comprehensionem, & quid distinctum ab eis. Sed si ita est, compositum aut erit elementum, aut ex elementis. Si elementum, ergo tria, vel quinque sunt elementa: sic ergo non erunt hominis elementa materia, & forma, nec carnis calor, & frigus, seu ignis, & terra, sed aliud tertium, vel quintum. Si elementa sunt quatuor, aut aiunt Peripatetici, ergo non est homo ex materia, & forma, sed aliquid illi adueniens, quod si est elementum, erunt tria: & rursus quæritur, vtrum illud adueniens, sit elementum, aut ex elementis, vt prius, ad quod est ex eis: & cum nihil ponant elementa, nisi quod habent, sequitur, quod dant aliquid, quod non habent. Si autem compositum est ipsa elementa vnita, igitur definitio non poterit explicare quidditatem omnium, sed alterius erit quidditas, alterius non erit. Arist. 7. Metaph. in fine respondet non esse elementum, neque elementa, sed aliud ab eis, & esse substantiam rerum, & non elementum, sed principium, & quidditatem. Non enim syllaba, ba, est idem quod, b, &, a, nec caro idem quod ignis & terra: nec ergo homo idem, quod anima, & corpus, sed quidditas quasi tertia: & hanc tertiam esse substantiam sæpè docet Aristoteles. in 7. & 8. & 9. Diuidit enim substantiam in materiam, & formam, & compositum, & quidditatem, quam sumit in forma compositi, & non à forma materiæ, quam Auic. vocat formam partis, illam vero totius: sed vnde nam est forma totius? Nihil respondent Peripatetici: & cum forma partis non sit vna sed multæ, alia enim est carnis, alia ossis, alia spiritus, & nerui & cætera, nullo pacto possunt definiri vt vnum: siquidem propria cuiusque quidditas separata haberi potest, sicut albi, & hominis. Quid præterea facit has quidditates vnum, nescit Aristoteles, nec sequaces. Plato autem ait, ab Idea: est enim homo vnus, quia ab idea hominis ita formatus est in partibus, & in toto: & domus vna constans ex lapidibus, lignis, & cemento, ad ideam vnam artificis conformata. Arist. vnitatis causam negat esse colligationem, aut viscum, aut compositionem: sed agenti causæ refert vnitatem: quia ab homine homo fit, & impossibilem reputat Platonis sententiam: quoniam, inquiens, quidditas est idem cum eo cuius est quidditas, alias homo non esset homo. Non ergo quidditas est ab Idea, quæ separata est ab eo, cuius est quidditas: & Aphrodis. addit in primo Nat. q. c. 3. Si quidditas hominis est, quod est animal rationale mortale bipes & cætera: constat autem ideis separatis non conuenire mortalitatem, nec bipeditatem: ergo conuenit hominibus singularibus definitio, & quidditas: frustra ergo ponuntur ideæ: & si dicas, in singularibus sunt elementa vnita ad quandam speciem, hæc species non est ab illis: vnde ergo est? Nam & in Molendino sunt aqua, rotæ, infundibulum granorum, parietes: constat autem hæc ita vnita molendi gratia esse molendinum in tali conformitate: quam quæro, vnde esse dicitis? Respondent, ab artifice molendinorum: ergo, inquam, si forma materialis est ab ideali in arte, perperam negat in natura ita esse similiter posse: non enim ars, sed natura magistra est, & sapientior: & quidem Arist. in 7. Metaph. quidquid dicat in libris de animalibus, asserunt in spermate esse virtutem formatiuam, qualis in mente artificis est idea: & quærenti vnde habet illam sperma, non possunt à generante ebrio, & nihil cogitante deducere, quoniam inscius formationis talis est genitor: & multa absque generante renascuntur sponte, ideo ad ideas vniuersales est recurrendum: in fine quoque 8. eiusdem cum assignasset causam vnitatis materiæ, & formæ esse, quia potentia actui mista per se fit vnum: & hæc fieri esse à generante, inquirit, vnde vnitas in non genitis. Respondet, à quidditate propria: & quia secundum veritatem cuncta facta sunt, excepto Deo, vtrique vnitatem à conditoris idea illis dare cogimur, vti & S. Augustinus docet: & hanc potentiam in copulatis reduci in actum ab intelligente, actum, & actuare, & non ab ignorante: non enim reducit fidiculas ad actum Harmoniæ, qui nescit artem cytharizandi: & cum manifestum sit generantes causas cunctas ignorare generatorum formationem, vtique instrumenta esse opificis longè sapientioris, & vasa, videtur dicendum. Semper ergo vnitas ad ideam est referenda etiam in doctrina Aristotelis, quamuis inuiti: vnitatem autem dico quidditatem, quoniam per quidditatem est vnum quidquid est.

Cum autem Arist. ait ibidem, non posse Platonicos reddere causam, quare quidditas est vna, cum definitio sit multarũ vocum, videl. homo est animal bipes: constat autem aliam esse ideam animalis, aliam bipedis: ergo homo participans ideas duas erit duo nihil probat: quoniam animalis bipedis, qui est homo, est vna idea expressa duabus vocibus. Nec vt ipse putat, animal est potentia, & bipes actus; quoniam nec differentia est forma, nec genus materia, licet in notionibus se habeant vt materia, & forma, etiam in Deo simplicissimo, vt patet in Theologia, & ipsemet Aristoteles à forma totius, non partis, vtramque notionem educit vt & sanctus Thomas. Sed significatum alterius esse quid indeterminatum respectu alterius: in re autem esse vnam for-

mäm totius. Et quidem Plato facilè soluit, quoniam non ponit ideam materiæ, sed formæ tantum, & putat à forma partis quidditatem constitui; Aristoteles autem à forma totius: ergo hæc forma est quidditatis, vnitatisque causa, & non generans, nec entitas propria in simplicibus, nec commistio actus, & potentiæ in compositis. Nam si materia est pars quidditatis, nunquam effici potest, vt quidditas compositi sit vna, nisi compositione. Nos quoque ponentes materiæ quidditatem, & formæ, negamus esse vnum simpliciter omne compositum, sed vnum compositione. Cuius quoque ideam esse dicimus aliam à partium ideis: sicuti syllabæ aliam à literarum ideis ideam. Et tandem extorquemus ab Aristotele, quod primò quærebamus, compositorum non esse quidditatem idem quod ipsum, vt patet in 8. Metaph. t. 8. & in 7. t. 41. vbi diuus Thomas: *Attendendum*, inquit, *quod ab hac sententia, quam posuerat, scilicet, quod quid est, esse idem cum eo cuius est, duo excipit, scilicet illa quæ dicuntur per accidens, & substantias materiales, cum supra non exceperit, nisi illa, quæ dicuntur per accidens*: & licet D. Thomas asserat indiuidualem materiam esse extra quidditatem, & non communem, tamen Arist. de vtraque videtur sentire: & rationes contra quidditates accidentium ab illo positæ, militant contra quidditates compositarum substantiarum: etenim in eodem 7. docebat materiam intrare quidditatem, & magis partem principalem, vt cor, si in eo est anima: ex cuius occasione docet materiam esse in causa, vt non sit idem quidditas, & compositum, vt expressius docuit in 8. de homine, & non de Socrate exemplum dicendo: & laudat Architæ definitiones materiam, & formam comprehendentes. Sed quia Arist. fluctuat in hoc, nil certi relinquitur in suis.

Rationes Aristotelis & Aphrodisiensis contra Platonem non concludunt. Etenim diceret quidditatem hominis per essentiam conuenire ideæ, per participationem ideatis: esse bipedem, & mortalem, conuenire ideato & ideæ; alias artifex idea plenus nesciret hominem facere bipedem, & mortalem. Verum quia mortaleitas Non-ens est, sed deficientia Entitatis, non habet ideam, nec causam efficientem, sed deficientem: ideoque nec conuenit ideæ, sed participantibus illam, Nec partem definitionis participantium esse dicimus, quoniam homo, inquantum homo, non est mortalis, sed per accidens. Ponitur autem in definitione mortalitas, quoniam ignota est vltima differentia, & ab hoc circumloquimur illam. Per Esse constituitur quidditas, non per Non-esse: sed de his alibi. Ergo vel oportet dicere, omnium esse definitiones, vel nullarum. Nam neq; substantiæ simplices, quarũ quidditas est idem cum illis, definiri possunt. Aut enim ingrediuntur compositionem, vt materia, & forma actiua, & passiua: & sic oportet illas mutuo definire, & extraneum in definitione claudere. Vt si dicas, calor est virtus ignis: forma est actus materiæ: materia est quod substat formis quatuor. Aut sunt abstractæ, vt Angeli, & sic de his non est defintio secundum nos, quia nec cognitio, nisi per accidens: hoc est, per operationes eorum: secundum quas neq; esse earũ, nedum essentia propriè cognoscitur, teste Arist. in 2. Post. cap. 7. & mox dicet, non posse definiri, quia carent materia & forma, vnde sumitur genus & differẽtia: sed per nos, & per Arist. alibi, secundũ se, maximè secundũ se definibiles esse oportet, quando quidditas, & suppositum in eis sunt idem. At si differunt, vt vult S. Tho. nec illorũ secundũ se erit definitio quidditatiua. Tunc quia Arist. nec solis, & lunæ, quoniã indiuidua sunt, vult esse definitionem. Dei ergo solius erit definitio, sed ipse caret genere, quoniã extra genus: quomodo ergo definietur? sed definitio eius est cõprehensio eius à seipso: nobis .n. longè abest, quam vt cogitari possit eius quidditas, sicut dicemus. Expressio autem quidditatis est, Verbi generatio. Descriptionis autem est rerum creatio, ex qua intelligimus inuisibilia Dei, teste Apostolo.

Sed cum Deo & creaturis multa sint communia, vt Esse, Vnitas, Sapientia, & multa opposita, quoniam imperfectiones ab eo negantur, videtur posse definiri: similiter & Angeli, sed quia hæ communitates sunt analogicè non attingunt quidditatem. Differentiæ vero sunt negatiuæ, & non essentialiter affirmatæ: ideo Dei non est Definitio, nec Angeli. Adde quod & indiuidua sunt, quorum Arist. negat esse definitionem: quamuis incorruptibilia. Solis enim, & Lunæ, quoniam similes habere possunt potentia Logica: negat definitionem esse: nam alteri Soli, & Lunæ, si fierent, illa communis esset. Negat quoque generis esse definitionem, quoniam constat definitio ex genere & differentia, generalissimum autem caret genere: Solis speciebus dat definitionem vt Plato: & tamen simul dissentit ab eo, & à seipso; quoniam species immateriales non definiuntur Aristoteli, quia indiuiduæ: materialis autẽ quidditas non est idem cum specie, cuius est quidditas, quoniam materia includitur: vnde Auer. occasionem habuit tollendi materiam ab essentiali definitione, quod si ita est, quomodo intrabunt omnia genera causarum? constat enim extraneæ quidditatis esse ab inuicem, & magis agentem, & finalem, quam materiã & formam: quam rationẽ vnam fieri Arist. negauit, & substantiã de illis analogicè dici docuit.

Antisthenes autem, quem ineruditum vocat Aristoteles, dixit non esse definitionem quidditatiuam, quoniam quidditas est vna & simplex, Definitio vero multiplex, & longa: posse autem dici quale, & quomodo, quid sit plumbum describendo illud, quod sit simile argento, vel stamno, non autem quid sit. Sed huiusmodi sermo non est ineruditus, vt Arist. putat: quoniam constat, nec apud Arist. inuentas esse differentias, nec vllas veras definitiones ab eo datas: & quidem ipse in 8. Metaph. soluens rationes Antisthenis, dixit simplicia non posse definiri, quoniam definitio constat ex genere, & differentia, quæ se habent vt materia, & forma: in simplicibus autem non est materia, nec forma; quod ergo definitur est compositum, siue sit intellectualis substantiæ, siue materialis, quoniam fiunt vnum, vt potentia, & actus: vbi Arist. suam indocilitatem, & procacitatem declarat: nam compositorum semper negauit idem esse quidditatem, & cuius est quidditas: ergo & definitionẽ. Simplicibus vero conuenire dixit quoniam materia carent. Rursus genus sumi à materia, sed dicere totum formale indeterminatè, differentiã vero idem determinatè: quare & Angelorum esse definitionẽ docet D. Thom. in lib. de Ente, & essen: & ipse Arist. in 7. Metaph. simpliciũ definitiones veriores esse docuit, vt dicebamus, quoniã non includunt extraneũ Nec quia fit vnũ ex materia, & forma, sicut ex potẽtia, & actu, erit minus vnũ quidditas simplicium carẽs hac cõpositione: nec etiã materia fit forma, vel forma materia, ergo sẽper remanet extraneũ in extraneo, & quidditatis multiplicitas, & per accidẽtalitas.

Perperam quoque respondet Aristot. in 2. Post. cap.10. iis qui negabant esse definitionem: propterea quod oportet scire omnes differentias: à quibus enim non differt aliquid, idem est: ignorata ergo differentia, ignoratur quidditas.)Dicit enim Arist. non oportere esse idem definitum illis, à quibus non differt, quoniam multæ sunt differentiæ in eisdem specie per accidens, & non secundum substantiam, quæ scire non expedit. Item, nec omnes scire, quoniam cùm sit generis diuisio, si sub altero membro cadit definitum, non oportet alterius membri rationes, & differentias scire. Nos autem in primo libro ostendimus omnes differentias scire oportere, nam & quæ accidunt, non extra Ens sunt. Ergo cognoscibilia, & licet non à nobis: ergo ignorantiam nostram confiteri debuerat, & non asserere, quod nil oporteat scire, quæ accidunt. Plato enim differt à Socrate differentiis indiuidualibus, quas ignorare non oportet, si Platonis, & Socratis essentiam scire ac describere debet, vt consueuit Plutarchus; & horum esse definitiones nos demonstrauimus. Rursus, nec quia sub altero membro condiuisionis, continetur definibile, altero ignorato, habebimus certo quidditatem definiti. Quis enim scit, an rectè diuisum sit genus? Cum enim dico: Animalium aliud rationale, aliud irrationale; & pono simiam, quam definire cupio sub irrationali, quo pacto sciam, vtrum rectè posuerim simiam, nisi prius didicero, quid sit rationale, & irrationale? omnes ergo differentias scire oportet definientem rectè ac diuidentem, cum præsertim difficilius sit diuidere, quam definire, & ex diuisione pendeat definitionis probitas.

Item, Aristot. componendo syllogizat definitionem ibi magis, quam diuidendo: quoniam in singularibus, ait, vnde fit collectio, non latet æquiuocatio, vt in generibus, vnde fit Diuisio, & singularia certiùs definiuntur. Vbi sanè rectè monet, sed contra propria Dogmata Metaphysicalia, vbi singularibus negat definitiones, & contra quæ dixerat in 1. Post. sed modo Platonis conuictus rationibus incipit ab vniuersalibus, & in eis ponit solummodò demonstrationes, & definitiones: modo vero veritate coactus, vel potius desiderio impugnandi Platonem, à singularibus scientiam haurit, & in eis ponit definitiones, & demonstrationes, vt patet idem in 2. Post. cap. 7. & vlt. In 1. autem lib. nos luculenter demonstrauimus oportere scientem omnes similitudines, & differentias callere, aut confiteri sese verè nescientem.

Prima disputatio super eisdem.

CAP. II. ARTICVLVS III.

CETERVM inquirere oportet, cum quidditas sit ex prædicatis, quę per se insunt, quęnam substantia ipsa sit, & vnde sumatur ratio quidditatiua. Profectò cum quærimus, quid est homo, videmur quærere propter quid est homo (inquit Arist. in 7. Metaph.) quæstio ergo quærens quidditatē de causa quærit, si aliquid quærit. Nam si quidditas non est causa, nihil quæritur, cum dicimus propter quid homo est homo. Nam propter seipsum, quia est homo, statim est homo, vel quia est indiuisibile, & vnum sibi: oportet. n. quærentem quid est, scire quod est: si ergo quærit, quærit propter quod quid est. Non autem potest responderi per causam, ait, agentem; hæc. n. in fieri, & corrumpi causa est, non inesse. Homo enim est homo postquam genitus est per suam quidditatem, sed cum generatur fit homo propter generationem. Nec per causam finalem, quoniam est modo in fieri causa, quatenus mouet agentem. Vel si causa est in facto esse, vt dicimus, domum esse cæmentum, & lapides compositos ad defensionem nostram à frigore, & æstu, nō tamen aliter est quidditas. Quoniam, vt dicit in 6. Metaph. & 8. & in 2. Post & in 2. Phys. multorum nō est causa finalis, vt propter quid tonat? præcipuè autem fortuitorum. Tandem Arist. nec de materia quæri admonet: sed propter quid materia est talis, vt propter quid ligna, & cæmentum, & lapides sunt domus; & carnes, & ossa, homo. Hæc autē causa est talis forma: ergo causa formalis est quidditas. Et ideo infert) simpliciū non esse quæstionem, quoniā materiā non habēt, cuius causā propter quid inquiramus. Disputat deinde ex quibus & vnde est hæc causa: & ostendit esse in compositis simpliciter, vt in carne, & in syllaba, & non secundum quid, vt in cumulo, & exercitu: & non esse elementum, nec ex eis mistum, sed alterū quid, quod principiū, & substantiam esse docet in naturalibus, in cæteris vero non substantiam. Quapropter compositorum tantū videtur Arist. esse definitio. At in 2. Post. quod quid est ex qualibet causa Arist. venatur, & tot quidditates quot causas ponit, & demonstrat, vel syllogizat alteram per alteram, vt si domus debet nos defendere à pluuia, & æstu, debet cōponi ex cæmēto, lignis, lapidibus, constructis in quatro contento, &c. & è contra, est ex talibus, & ita cōstructa. Ergo propter defensionem, quod in 1. Post. & 2. de Anima, definitiones multiplicando ipse similiter obseruat.

Nos autem dicimus, perperam Aristot. sentire in eo, quod dixit quærere, Quid, esse nihil quærere. Si enim Esse & Essentia differunt, vt Peripateci docent, saltem ratione, vtique potest esse certus intellectus de Esse, & non de Essentia. Scimus enim esse stellas, sed non quid sint. Cum ergo quærimus, quid sint, non quærimus esse quod præsupponimus, ergo essentiam: essentia autem aut composita, aut simplex est. Igitur quid sit Essentia simplex quæri potest: vt quid sit Calor, quid Lux, quid Circulus. Non ergo quæstio, Quid, quærit formale principium materiæ, sed materiam, & formam simul, si vtraque pertineat ad essentiam; vel formam solam, si abstracta, vel per se considerata, vt calor, & albedo. Neque Aristotelicis, licet dicere hoc, quod de principio formali materiæ sit quæstio: sed Platoni in materias diuersificari, & quidditates nancisci à principio formali separato, sicut cera figuratur à sigillo, putabat: & ideo ipsi quæstio quidditatis est

tantum de illo formari. Quare perperam Arist. & contra sua Dogmata posita in 6.7. & 8. Metaphys. quod materia, & forma simul pertinent ad quidditatem, nunc concludit, solam formam esse quidditatem in materia. Vnde sumpsit Auerroës occasionem ita dicendi, & D. Thomas contradicendi. Præterea causa, propter quam materia est ita formata, videlicet, qua æs est sphæricum, non est ipsa sphæra modo, sed agens sphæricum æs, & finis mouens agentem, & idea, qua agit. Ergo quidditas non est modo à forma, sed à cæteris causis, ob quas ipsa est, & minimè licet Arist. in fieri, & non in facto esse, agentem facere causam. Quippe qui in 8. Phys. probat ignem, & omnia leuia, & grauia moueri postquã genita sunt ab ipso generante: & licet stultè, tamen cõtra Dogmata ista. Manifestè tãdem sibi Arist. cõtradicit: superius enim textu commento 40. & 41. in 9. Metaph. declarauit, quidditatem esse simplicium entium, & non differre ab eo, cuius est quidditas. At compositis differre. Hîc autẽ compositorum modò ponit definitionẽ quidditatiuam, & non simplicium. Paulò ante quoque deridet Platonem, asserentem, definitionem non conuenire nisi principio formali, & reputat fabulam de ideis hinc suadere, quod materia excluditur à definitione: postmodum vero inconstanter à sola forma quidditatem auguratur. Expositio Auerrois est Platonica, & Aristoteli prorsus contraria.

T. 39.

Partes quoque formæ, & non omnes, priores facit materialibus, nam oculi forma non præcedit animal in notionibus, sed materiam, quam quandoque iterum adæquat: quandoque partem materiæ, vbi magis regnat forma, præfert aliis, sicuti cor in animali. Tandem simum absque materia definiri negat, & animal, & quæcunque determinatam habent materiam. Concauum vero & curuum posse definiri absque materia, similiter & circulum, sed non absque intelectuali materia, mox ait, sed absque ærea, & lutea: nam & literæ ingrediuntur syllabarum rationem, sed non literæ ceræ, vel plumbeæ, quoniam hæ magis à forma recedunt, illæ vero sunt partes formales: sed semicirculi non sunt partes formales circuli, sed huius circuli sunt partes materiales, & ideo definitur non per semicirculos circulus.

Vbi quam ineptè loquatur, quisque iudex esto, veritatis amator sagax. Patet enim subito, semicirculos in communi esse partes circuli communis, cuius est definitio: Et ita propinquas partes, & formales, vt literæ syllabarum, quoniam nec æs, nec lignum, aut lignei sunt partes formales, quoniam claudunt in se materiam remotam, sed sunt propinquæ, vt literæ. Item si semipars est caro, cur non & concaui, & curui caro, vel alia materia prior? Nec enim quia nomen significat cauitatem in materia, facit illam materialem: nec quia extra materiam, facit immaterialem: ita enim risibilitas sicut risibile subiectum in ratione requirunt: & ita album vti albedo, metaphysicè loquendo, non autem logicè significata conspiciendo. Præsertim vero apud Aristotelicos, qui negant ideas, nec albedinem quid per se, nisi secundum vocem quid significare asserunt: quod Metaph. non respicit, vnde & Arist. non solum accidentia, quæ vocat, copulam, & materiam subito concernentia, & simitatem, & masculinatem definiendo per subiecti additamentum, verum & indeterminatam, vt albedinem, cuius proprium subiectum ignoramus: vnde D. Thomas in fine lib. de Ente, & essen. omnia accidentia definiri per propria subiecta monet, nisi vbi sunt ignota subiecta, quæ ponuntur vt differentiæ accidentis abstracti: & loco illarum ponimus effectus accidentis. Sed cur circulus absque materia definitur, & similiter linea, & multa hu usmodi? Anima vero materiam suscipit in quidditate? & cur quædam accidentia sunt vaga, quædam propria? & num sint omnia propria alicuius? Arist. hæc non declarat: maximè quidem declaranda: nec cur numerus subiectum non recipit, & tamen illi accidens: est & cur non dixit quæstionem, quid est, esse quoqne de materiali causa, cum omnes formæ, & accidentia per illa definiantur.

Tertia Disputatio de venanda Definitione ad Peripateticos, & alios.

ARTICVLVS IV.

Iterum inquirere oportet, ex quibus constat Definitio. ait Arist. ex genere & differentiis, via qu dẽ diuisiua constitui, in 7. Metaph. quod & Plato in Ciuili prius docuit. Reputat autem Aristoteles, idem esse ponere omnia genera remota, aut eorum definitiones, ac propinquum: similiter nil referre plures differentias aut vnam apponere, quando omnes priores sunt in ipsa postrema: & similiter genera, vt cum dico, homo est substantia animata, idem est quod animal: & similiter idem, quod animal bipes, & bipes non alatus. Diuidere enim oportet proprium cuiusque genus in suas differentias, & sempet subsumere differentiam constituentem speciem, vel genus subalternum, sub quo continetur id, quod definire conamur, donec ad differentiam conuertibilem cum definito perueniamus. Vnde quærens quid sit Imperator, Plato ita distinguit, quoniam est sub genere animalis, ait, aliud est alatum, aliud progressiuum, aliud natans, seu aquatile. Homo non est alatum, nec aquaticum, ergo progressiuum animal. Rursus progressiuorum aliud bipes, aliud quadrupes, aliud multipes. Homo autem est subbipede. Et quia datur bipes animal, vt gallina, oportuit ab illa etiam separari. Itaque dictum venit, homo est animal progressiuum, bipes, implumes. Imperator autem est homo, imperatoriam callens artem. Hunc modum seruandum putat Aristoteles in 7. Metaphys. vbi adhuc animaduertit, oportere diuidi differentiam superiorem per partes suas essentiales, & non per accidens, vt non liceat dicere, bipedis aliud alatum, aliud non alatum: accidit enim bipedi habere, & non habere alas, per se autem dicendum est, aliud scissos habet pedes, aliud non scissos. Hæc enim est bipedis per se diuisio.

Rursus habentis scissos, aliud in quinque, aliud in quatuor,&c. & sic diuidendum quousque ad tot species animalis peruenitur, quot sunt bipedis differentiæ. Genus in speciebus contineri palam est, ait, quoniam non est præter ipsos: & similiter differentiam vltimam continere omnes præcedentes: alias in definitione repetitio eiusdem, & nugacitas committeretur; vt si dicendum, homo est substantia animata, animal bipes, bipes implumis, scissis pedibus,&c. hoc autem absurdum est. At ergo potest sufficere si dicam, animal, bipes findens in quinque; & quia sæpè necessitas cogit differentias per accidens colligere; ideo definitio non erit vna, quoniam ex diuersis constat essentiis. Planum est tandem ita debere definiri; quoniam si transponantur differentiæ, atque genus, ostendunt superfluitatẽ: vt si dicas homo est animal substantia animata, bipes, habens pedes; confunditur enim ratio, & ordo. Hoc dicunt in 2. Post. cap. 10. quoniam potentia præcedit actum, ergo genus differentiam. Sed Aristoteles in 7. Metaph. 43. ait, non esse in substantia ordinem, sed fortè in notione. Verum hic altercantur Thomistæ, & Scotistæ, hi ponentes ordinem formarum iuxta generum, & differentiarum numerum: illi vero ordinem formationum. At in 2. lib. Post. Arist. damnat hunc modum Diuisiuum, quoniam oportet hoc modo petere tanquam certum, quod probandum erat. non enim probatur, hominem esse animal, sed petitur; nec quod sit sub progressiuo, & bipede: nec quod hæ sint differentiæ animalis. Idem error committitur inductione; quoniam non possunt omnes partes enumerare, sed accipere oportet. Item nec posse demonstrari quidditatem contra Hippocr. docet, quoniam per aliam definitionem demonstraretur, & sic peteretur illa: neque per contrariam quod quid est, quoniam adhuc petitio interuenit: neque per se concluderetur quidditas de eo, cuius est, sed per aliud. Rursus nec interpretatio nominis est, quod quid est.

Quibus discussis, suam profert sententiam, & vtilem ad syllogizandum quod quid est arbitratur Diuisiuam methodum, non autem ad demonstrandum. Hoc tamen obseruato, vt fiat diuisio per veras differentias, & nihil prætermittatur, quod sub membris diuidentibus non sit, & semper Diuisio incedat non per accidentalia, sed per essentialia; & terminetur in atomis conuertibilibus cum specieb. definiendis. Hic plurimum altercantur Peripatetici, sed labore inani. Post hæc Arist. definitionem per definitionem syllogizat. expositores autem aiunt, quod & demonstret. Tandem ad methodum collectiuam, tanquam propriam recurrit, vt cum velimus scire, quid est magnanimitas, respiciamus in singularibus magnanimis multis, aliqua ratione dictis magnanimis, videlicet quia iniurias non tolerant, vt Aiax, & Achilles. Mox in aliis, dictis magnanimis alia ratione, quia fortunam spernunt, vt Socrates & Lysander, in bona & mala fortuna æquè affecti: & cum non coeant istæ duæ rationes, duplex est Magnanimitas, & vna analogicè forsan. si vero omnes conueniunt ex definitione singulorum, conficitur communis definitio vna, vel duplex, si minus.

Verùm in his omnibus ferè Arist. sibi ipsi aduersatur. In 7. namque Metaph. ostendisse se gloriatu, vniuersale non esse substantiam, nec significare ipsam. ergo genus dicitur per se essentialiter de specie. & licet rationes eius procedant contra dogma Platonis, ponentis vniuersalia separata: tamen & contra Arist. magis militant: ille enim posuit tantũ species separatas, genera verò de illis prædicari, & non subsistere, sicut nec genus, nec species Aristoteli subsistit. quare quibus rationibus excludit genera à substantia speciei in via Platonis, excludit & in sua. Ait ergo, *Substantiam vniuscuiusque esse propriam eius modo, & non alii inesse. Sed vniuersale est commune multis, non ergo illorum substantia: nam vel omnium, vel vnius: non omnium, quoniam vnum non potest pluribus esse substantia. Neque vnius, quoniam omnia erunt illud vnum, cum pari ratione, & illorum cuiusque sit. Animal sanè est in Asino, & in Boue, & Leone, &c.* Item ait, *vniuersale dicitur de subiecto, vt animal de homine, substantia vero non dicitur de subiecto, sed est subiectum.* Item ait, *Vniuersale significat quale: substantia, quid, sed quale non præcedit quid: hoc autem eueniret si ex vniuersalibus singularia constarent, & definirentur. Item si vniuersalia sint substantia: ergo in Socrate erit substantia hominis, & animalis, & corporis, & multa in vno coaceruata per accidens, quoniam actu. Item dabitur tertius homo, qui non est Socrates, nec Plato si homo communis est substantia, vel ex Socrate, & illo communi alius communior abstrahetur. Item animal erit substantia hominis, & equi, & canis. ergo erit in eis sicut tu in teipso. ergo idem simul in multis, quod est impossibile. Item si animal est in speciebus participãdo differentias, simul cõtraria participabit: aut quomodo erit animal bipes copulatione, aut mistione? Hæc enim impossibilia: si autem idem animal in omnib. erit simul in infinitis: quoniam non per accidens animalia sunt species, & indiuidua earum. ergo & animal erit multa, quoniam substantialiter est in multis. Item quomodo est præter animal, & tamen animal est homo.*

Tex. 44. & seq. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Probat deinde, quod non possint definiri species si per se existunt, quoniam sunt indiuidua, quorum non est definitio, quia corruptibilia, vel quia à sensu non est definitio: indiuidua autem sensui obiiciuntur. Vel quia eadem definitio multis competet potentibus esse, vt Lunæ multis Lunis.

1. 2. 3.

Post hæc probat, Ens, & vnum non esse substãtias, quia sunt vniuersalia. & specialiter vnum nõ potest esse in multis, quia vnum. Ergo si vnum est commune non est substantia per se. Et tandem impossibile reputat, species separatas conuenire in eadem quidditate cum corruptibilibus: ac si quis non vidisset corpora incorruptibilia, vt stellas, & ratione esse agnosceret, atque putaret conuenire in eadem specie cum mortalibus.

1. 2.

Hæc Arist. quæ sanè repugnare non solum generibus, & speciebus Platonicis, sed etiam Peripateticis, quo minus de ipsis sit scientia, nec possint intrare definitionem, quia longè minus substantiæ sunt, quam Platonicæ, palam est. Platonici autem facilè respondent, sicut domus in mente conuenit domo manufacta, conuenire Petrum cum Idea hominis, & prædicari quid commune de illis, sed per se de Idea, per participationem de Ideatis, & ideam esse in ideatis, non vt substantia inhærens, aut subsistens, sed vt participata; & qui hæc ignorat rudis est nimis, vt patebit in 2. p. Ideam quoque inesse ideatis totam, sed non totaliter elicimus ex Parmenide Platonis. Augustinus antè, & Euseb. Iustin. & Doctores sacri multi, pro nihilo habent Aristotelis rationes, & magis contra ipsum militare intelligunt. Quare cum Arist. ponit genus

in definitione, & differentiam, errat valde: quoniam differentia dicit quale, & genus quale per ipsum: quomodo ergo qualitates constituunt quidditatem? Et quomodo prædicatur per se, & quidditatiuè, si non est substantia abstracta ipsum vniuersale? Sin vero est, per accidens, & qualitatiuè: quis hoc credet cum Aristotele vnquam, nisi eius præstigiis captus? Præterea sermones Aristotelis veritatem aliquo pacto attingunt in eo, quod dicit inducentem, & diuidentem petere oportere; quæ nequit demonstrare: sed ex hoc ruit methodus eius conficiendæ definitionis, tam diuisiua, quam collectiua. singularia enim omnia colligere nequimus, vt inde colligamus definitionem vniuersalis: differentias quoque generum ignoramus, præsertim intrinsecas: quomodo ergo diuidemus, & sciemus ritè sub sectione sua adunare quodcunque definiendum? Item ex hoc sequitur, quod nos principio dicebamus, non esse scientiam, nisi aliquorum singularium sensu perceptorum: etenim vniuersale per inductionem habetur. Inductio autem omnis petit principium. ergo & vniuersale ex inductione inuentum, quomodo diuides, quin eandem petitionē includas: & alteram fortè addas? Dicebamus olim per inductionem, omne animal habet duos oculos, & os: postmodum inuenti sunt monoculi homines, & Astomi, & Acephali. ergo propositio vniuersalis incerta omnis fere est. Item si ex inspectione singularium definimus vniuersale. ergo prius definimus singularia, vt rectè docet in 2. Post. c.10. ergo stultè postmodum abiicit scientiam sensitiuam, & exaltat intellectiuam. In cap. quoque vltimo eiusdem, principia scientiæ, id est vniuersales propositiones, à sensuum experimentis colligit: & sensum vniuersalis esse admonet; quare falsò negat singularibus scientiam, cum non sit nisi ipsorum, & per ipsa vniuersalium.

Rationes autem contra definitionem singulariū non modo prædictis in Post. repugnant, sed & vsui, & naturæ. Nam nec corruptibilia sunt omnia singularia, nec definitio Solis, aut Luciferi, aut Lunæ, aliis conuenit, neque Cæsaris, aut Petri, aliis indiuiduis. Nec quia accidentia induunt indiuidua supra naturam, non erunt definienda: quoniam huiusmodi accidentia ipsorum sunt proprietates, & differentiæ, licet speciebus sint accidentia, aut palam fiet, & ex sacris Literis colligimus definitionem Moysi, Abrahæ, Adam, Christi Iesu, & aliorum, nulli alij conuenire potentem. Taceant ergo, & definitionem adducant, & non rationem definiendi.

Præterea videtur quædam garrulitas Peripateticorum insulsa, dum tot congerunt regulas demonstrandi, definiendi, & diuidendi, & nihilominus obseruant nullas. si enim interroges illos, quid est aqua, aut vinum, aut calor, aut stella, nihil adducent, nisi quæ extra quidditatem sunt. Si quæris ab illis demstrationes, per propositiones suo arbitratu cōfictas, syllogizant, solem non esse calidum: quatuor esse elementa. quinquaginta nouem esse intelligentias motrices, &c. Diuidere autem omnino non intelligunt, quoniam differentias ignotas esse profitentur. Nam in 8. Metaph. cum Democriti sententiam recitasset Arist. quod tres sunt differentiæ rerum primæ, Ordo, Positio, & Figura: ipse longè plures esse dicit. Nam inquit. Præterea quædam differunt mistura, quædam ligatione, quædam visco, quædam clauo, quædam positione, quædam tempore, quædam loco, alia passionibus sensibilium, vt duritie, & mollitie, alia quibusdam horum; alia omnibus, alia superabundantia, alia defectu, alia aliis; vt manus & pes, Mox ait, esse rerum ex his differentiis consistere, & reduci oportere ad vniuersalia propria, vt ad magnum, & paruum, curuum, & rectum, mistum & simplex. Deinde addit, quod in his quærēdum est, quæ causa essendi sit vnicuique. & quamuis nihil horum sit substantia, tamen proportionaliter ostendunt substantiam, & quod sint causa essendi, & quidditas huiusmodi differentiæ, patet; quoniam prædicantur de genere subiecto; & sic definitionem constituunt: est enim limen lignum taliter positum; vbi lignum est materia, positio forma. Cristallum est aqua conspissata; aqua est materia, & genus; forma verò conspissatio. Domus autem lateres, & ligna sic posita. vel lateres, & ligna sic posita ad tegendum suppellectilem: vbi qui ponunt solum lapides, & ligna, dicunt potentia domum, qui vas ad tegendum suppellectilem, dicunt actum; qui vtrumque tertiam substantiam, & hi rectè definiunt, vt Architas. Ex quibus sanè patet, Aristotelem non inuenisse diuisiones essentiales rerū, sed semper vti accidentalibus. Nec in prædicamentis diuidit per essentialia incedendo à generalissimis ad specialissimas, & multa extra genus relinquit; & multa extranea copulat, vt patuit in libro præcedenti. Quare si contra Democritum consurgit ad inuentionē differentiarum, illas deberet dicere, aut quas videmus acceptare, aut ostendere vndenam innorescit latere alias differentias, & quo pacto venari eas licet.

Dogma, quod omnium sit Definitio.

CAP. III. ART. I.

HIS ad dubitandum dictis, ad sententiam accedamus licet. Asserimus ergo omnium rerum quibus nomen damus, quod definitio est perfecta: etiam esse definitionem, quæ est nomen perfectum, vt in Log. docuimus. Quidquid enim est, aliquid est; oratio ergo dicens id, quod sunt, definitio est: sicuti autem sunt, ita definitionem habent. quæ sunt per se, definitionem per se habent, vt homo, & Angelus: quæ sunt per aliud, & ad aliud, & in alio, per illud definiuntur. Definitio enim dicit quidquid res est: quæ autem ad aliud, vel per aliud sunt, aut in alio propriè non sunt, nisi sic; sic & ergo definiuntur. Quapropter & Nonentia, quatenus habent esse in intellectu, definiuntur, vt Chimera, & Nihilum. Composita quoque compositam definitionem habent, vt homo albus,

conflatam ex ratione hominis, & albi; indiuidua singularizata habent definitionem; Vniuersalia, vniuersalem: sed cum dico definitionem intelligo & quidditatem; differunt enim sicut significans, & significatum. Multa autem habent quidditatem, vt Deus, sed non definitionem, quoniam excedit nostræ mentis scientiam, & nescimus signare vocibus quod ipse sit; describimus verò ipsum, quod sit creator, & gubernator omnium, immortalis, immensus, infinitus; sed hæc omnia non quidditatem eius dicunt, sed negant imperfectiones à Deo, aut dicunt, quid sit, respectu nostri. Non enim si dicam, ignem esse elementum omnium nobilissimum, quid ignis sit declaro, sed quid faciat, & quomodo se habeat ad cætera Entia, quorum respectu est elementum. Quapropter examinare oportet, quid & quotuplex sit Definitio, & quot partes habet, & videamus quorum est, & quo est.

Definitionum Diuisio, & de quid nominis, & Descriptione.

CAP. III. ART. II.

DEFINITIONVM alia declarat quid nominis, alia quid rei. Quid nominis est ethymologia, & interpretatio nominis, & vnde imponitur, & ad quid imponitur declaratio: & quia Entia, & Nõentia habent nomẽ & cõplexa & incõplexa; omniũ videtur esse definitio huiuscemodi; vt si dicam, quid est Nihilũ, respõderi licet, esse quod nullo pacto, aut tempore, aut loco, aut subiecto est; & dici à Nec, & Hilo, quod est fabæ nigrum minimum: ad significandum, quod nec illud minimum est, Quod Nonens est. Similiter quidem Hircus ceruus: est animal fictum ab intellectu naturæ humanæ, compositum ex hirco & ceruo; quod tamen in re non inuenitur. Quid est comædia? Repræsentatio euentus humani ex tristitia in lætitiam, multis personis interuenientib. ad significandum voce, & persona, & cæt. Definitur quoque oratio, & exercitus, & omnia composita per quid nominis, quamuis quatenus habent formalem vnitatem, etiam quid rei habeant, dum Comædia à commessationibus, vnde ortum duxit, &c. A ratione nominis Stoici disputationes non ineptè auspicantur. Quoniam nisi sciamus quid per nomen significemus, ego, & tu disputantes, non poterimus de ipsa differere quid sit, vel quia, vel propter quid sit. Similiter discipulos docere à quidditate nominis oportet; quare & omnis scientia proponit: & legistæ habent titulum de significatione verborum. oportet quoque inspicere, an nomen sit singulare, an commune; & si commune verum æquiuocum, an vniuocum, an synonimum, an denominatiuum, an analogum, aut metaphoricum, seu translatum; & vtrum re & voce sic sit. Lapis enim dicitur quasi lædens pedem, & est nomen re commune æquiuocuum, quoniam non lædit pedem sola petra, per lapidem significata, sed & lignum, & ferrum, & gleba. attamen vox petræ est appropriata ex vsu, & vniuocatione donatur. Ideo & propria nomina intueri licet, & appropriata, & communia, & singularia, vt homo & Petrus. commune autem diuiditur in prædicta pauiò ante, & in lib. 2. tractantes de similitudine hæc docuimus. Isidorus pulchrè de ethymologiis scripsit. Definitio quid rei partitur in Descriptiuã, & Quidditatiuã. Descriptio declarat quid res sit per proprietates soli, & semper rei conuenientes, & per negationes, & quacunque via potest ostendere quidditatem. sicut dicimus, Deum esse creatorem, rectorẽ, immortalem, potentissimum, sapientissimum, optimum. Hæc quidem vocabula soli Deo competunt, sed quod quid est à longè respiciunt, quoniam à nobis & per negationes. Similiter cum dico, homo est animal bipes implumis: etsi enim per se animal sit, tamen esse bipedem, & implumem proprietates sunt ab essentia manantes communi. *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*) est descriptio, declarans vsum temporis respectu nostri, qui tempore res mensuramus: at non dicit quid tempus in se sit, sed ad nos. Ita Porphyrius vniuersalia non quid sunt, definit, sed quid prædicantur ratione nostri. Similiter cum Arist. dicit, Anima est actus corporis Physici organici, declarat quid sit ad corpus anima, sed non in se, quæ substantia sit, vtrum ex elementis, aut non, & quomodo ex nõ animatis fit anima. At theologi melius animam definiunt. Et quidem huiusmodi Logicalibus descriptionibus Arist. semper vtitur tanquam quidditatiuis, nimis ineruditè. Nam *lumen*, ait, *est actus diaphani: color actus perspicui terminati: Motus actus mobilis*: *Qualitas, à qua dicimur quales.* Nec vllam inuenio definitionem Physicam ab Arist. traditam, dicentem quidditatem rei: ipsam quoque *Naturam* definit *principium motus intrinsecum non per accidẽs*; quæ definitio declarat Naturæ effectus, & subiectum in quo est, non autem quid ipsa sit.

Oportet autem in Descriptione obseruare, vt non sit ab extrinsecis accidentibus, & aduentitiis, sed ab innatis. non rectè enim dices homo est animal grammaticum, fabricator vrbium, vtens vestibus; nisi vbi per has innatæ manifestantur; vt potẽs addiscere, & rationes defendere; & ideo fabricatur ciuitates, quoniam ciuile est: vtitur vestibus, & addiscit grammaticam, quoniam rationale est. secundò oportet proponere communiora vocabula, & particulariora postponere tot, quot sufficiant ad declarationem illius. Tunc autem sufficiunt, cum in quibus est cæteris sui generis simile, & in quibus dissimile, docent; vt ignis est elementum vehementissimum, & mobilissimum, leuissimum, calidissimum. Hæc enim propria sunt igni, & communia aliis: sed excessus separat ignem ab aëre, & Entitas ab aliis. hoc modo Dioscorides describit herbarum vires, & formas. Non enim quid sunt secundum naturam, sed quid conferant corpori humano docet. Describit sanè Galenus partes animalis, & docet vsum, & paulum abest ab attingenda quidditate, & Aristotelem valde antecedit in definiendo, at demonstrando; quidquid Auerroes reclamet. Tandem Descriptio non excedat descriptum, nec excedatur ab eo. Si enim dico, coruus est auis nigra aduneum

habens nostrum) insufficiens est: nam & cornix, & merula sunt aues nigræ, aduncæ rostro. Descriptio ergo excedit descriptum, sicut figura circulus triangulum. Similiter dicam, columba est auis alba, mãsueta, gemebunda) Descriptio excedit descriptum siquidem & nigra, & varia columba iuenitur. Descriptio sumitur à subiecto, ab effectu, ab operatione, à similitudine, à contrarietate, à negatione, à figura, à Quantitate, à colore proprio, passione, actione, & quidquid est proprium non essentiam subito dicens, Descriptionem intrat. Sigillet autem Descriptionem Proprium, quod conuenit omni soli, & semper. Compositorum est composita Descriptio; simplicium simplex. At ex quidditatiuæ definitionis ratione hæc clarius innotescent.

De quidditatiua Definitione comparatio Platonis Aristotelisque sententiæ, & nostræ.

ARTIC. II.

PLATONICI considerantes singularium rerum fluxum, & quod non semper eodem modo se habent, neque substantiam vnico modo semper affectum, nec solã, sed aliis, & aliis accidentibus subiectam. Petrus enim est sanctus in senecta, & canus; & in iuuenta crispus, facetus. Cæsar verò fortis, liberalis, audax, ingeniosus, fortunatus. Vlysses timidus, & astutus, & fraudulentus. Midas auarus, impius, stolidus: & nemo nemini persimilis est, nec sibi ipsi semper, nec quæ insunt hominibus modo habent proprietates, & accidentia, homines singulares; sed & quæ brutis, & lapidibus, & plantis. Nam nascuntur, vescuntur, senescunt, moriuntur, sunt albi, nigri, crocei, mobiles, immoti, tristes, hilares, stupidi, fortes, & molles, & fragiles, & figurati, & similes, & contrarij, & significatiui, & sensitiui, & alias aliter. Vnde nequeas intelligere quid sint homines, & longè ægrius quid Petrus, & Paulus. Hinc concluserunt; non modo non esse de his scientiam, sed nec quidditatem habere. Quidditas enim est id, quod res est: nulla autem res singularis videtur esse quod est: sed quod aliæ sunt, & nec semper. Iterum etsi quidditatem habent, subiectum esse accidentibus extraneis à quidditate, & communibus, & propriis. Ideò oportet aliundè quidditates inuestigare. & Mathematica viam facere. Nam cum dicerent, circulum esse figuram, à cuius centro ad circumferentiam omnes lineæ sunt æquales) videntes hoc non verificari solùm de circulo ligneo, nec æreo, nec terreo, sed de omnib. in communi. & ab vno artifice signari in diuersis materiis, circulos diuersos, & albos, & rubros, & nunquam exactissimè figuratos, vt mens ipsa cupit: materia enim dum sigillatur effugit sigilli perfectionẽ contrariis affecta: hinc dixere, definitionem conuenire ideæ circuli immateriali, & non particularib. nisi per participationem: nam quatenus ideam participant, & definitionem participat. ea verò, quę ex materiæ affectibus habent, non esse quidditatem rerum, sed extranea accidentia. nullum autem singulare posse ad ideæ rationẽ peruenire. seclusis autem imperfectionib. accidentalibus, remanet idea communis, immortalis, & æterna: Mors enim, & corruptio accidens est, & non pertinet ad essentiam. Et quidem patet, quod destructis his, quos ego signo in hac charta, & in aliis, remanet semper idea illarum in mente mea. Et patet nunquam ita absolutum, A, & B, & C. me posse imprimere, veluti in mente mea est, sed semper à materia, & ab instrumentis, & ab accidentibus aliquid imperfectionis sortiri. si autem mens mea est immortalis, est & idea huius scripturę. Constat autem naturæ mentem immortalem esse. Nam quamuis moriantur multi homines, tamen semper noui generantur: ergo viuit idea ad quam genetantur. ergo & Mens, vel quandiu erit Natura, & idea. Igitur Definitiones sunt, & dicunt quidditatem idealẽ per se, & ideatorum per illam. & hæc est sententia D. Augustini in lib. 83. q. & Eusebij, & Iustini Martyris, & sanctorũ Patrum multorum.

Impugnatio autem Aristotelis contra eos, nulla est: quoniam finxit per inuidiam, vt & Scotistæ dicunt, se nescire, quod Plato in mente Dei posuit ideas. vel quia Arist. non credit, Deum creasse mũdum, nec fæcundum ideis ipsum confitetur. At sine illis nec generari neq; sciri quicquam posse, probat Augustinus, & experiẽtia, & Arist. Antequam enim discipulus fabri ideas fabricandi concipiat, nec fabricari scit, nec fabricatur, nisi per se aptus discere, inspiciendo alienas fabricas, fuerit: vnde & ideas habet. & Aristot. ideam syllogismi facit dum artem tradit, & demonstrationis, & definitionis, & Rhetoricæ orationis, & poëmatum; quas qui non addiscit, non peripateticizat. & manifestè quæ accidunt domui, nec pertinere ad artem domificatiuã, Arist. in 6. Met. docet. Domifactor enim considerat materiam, & formam, eius vsui congruentem. Sed non est eiusdem artis prædefinire, si fuerit pestilens, aut fortunata, aut depicta imaginib. Cæsarum, vel Pontificum. Vnde patet quidditatem respicere id, quod est, non quod accidit: esse a. semper optimum esse. Nam quanto magis deficit ab optimo, quod fit, id non est ab idea artis, sed à defectu. Definitio ergo optimi est, & perfectissimi: igitur ideæ. Nec dicat Arist. ideam esse à rebus corruptibilus; sed quidditatem esse horum. Definitio enim hominis Martino, & Petro conuenit; nam ideò conuenit his, quia secundum ideam sunt, quatenus recedunt, non conuenit. Homo enim est animal rationale, secundum ideam. ergo qui minus de rationalitate habet, minus homo est. Non enim ita est homo Dauid, & Roboam: ille magis accedit ad ideam hominis; sicut magis ad ideam orationis est oratio Demosthenis, quam Isocratis: & poëma Virgilij, quam Lucani.

Aristoteles horum rationib. victus, & contradicendi simul ambitiosa cupidine captus, dicit esse quidditatem modo specierum, non a. indiuiduorũ, quia coruptibilia sunt. & quia ideæ Platonis sunt formæ per se existentes respectu indiuiduorum, sicuti domus in mente per se existit, hoc est non in mate-

materia, nec sub accidentibus, quorum ratione dicitur subsistere: per se enim propriè non subsistit, quoniam in mente est primæ causæ: ideo Arist. fingit ideas indiuiduas esse, ac ideo nec definibiles. & cũ illæ non corrumpãtur, addit alias rationes, scil. quod si alia similis idea fieret, illi conueniret ratio ideæ illius, vt ratio Lunæ aliis Lunis, si fierent. Vide quæso quomodo nodum in scirpo quærit. Illa enim idea hominis est vna in essendo, sed multiplex in repræsentando, & causando. Sed quanto magis vna, magis definibilis. Nec potest altera idea fieri hominis, nec solis, licet alter sol possit fieri: quoniam vnius effectus specie vna est per se causa specifica: quare nugæ sunt verba Aristotelis.

Arist. po. At videamus quid ipse sentiat; Quoniam, ait, Quidditas est, cuius est definitio: at indiuiduorum non est definitio, quoniam multa habent, quæ sunt extra essentiam, & quidditatem, vt accidentia: & species abstractæ non definiuntur, quoniam hominis definitio illis non est idem, sed his, quos videmus homines; consequens est, quod definitio sit specierum viuersalium: non Petri, aut Pauli, sed hominis, & equi, & coloris. & quia materia pertinet ad substantiam rerum materialium, Definitio constabit ex materia & forma, quæ sunt genus, & differentia. & sicut dicimus domum esse cæmentum, & ligna, sic posita; & gladium, ferrum sic figuratum; ita hominem esse animal rationale. Vbi ly animal materiam dicit, & rationale formam. Sed vtraque pars definitionis dicit totum, genus quidem indeterminatè, differentia verò determinatè. Dico autem formã totius, quod resultat ex materia, & forma. & nihil posse definiri, nisi quod genus habet, & differentia.

pib. Nos autem supra ostendimus Aristotelis inconstantiam, quoniam aliquando definit per materiam & formam: aliquando per nomina significantia vtrunque, & aliquando dicit compositorum nõ esse quidditatem; aliquando solis compositis dat quidditatem.

Sed vltra hæc, rationes eius contra Platonem sibimetipsi contrariantur. Quomodo enim homo in communi definitur, & non hic, aut ille? Iste homo communis per se non est. negas enim ideas, & sigilla; confiteris modo sigillata: cur ergo sigillo non conuenit definitio, & conuenit fictæ communitati sigillatorum? & quæro, vbi est homo communis? si in mente tua, est fictus: si in indiuiduis, non est communis? & si est vnum, quomodo in multis? & si multa, quomodo vnum? dicunt abstractione intellectus. Numquid abstractio facit esse, quod non est? & dabit sempiternitatem Nonenti? sed de his in 3. p.

Accidentibus, & complexis negat Aristoteles quidditatem, quoniam recipiunt extranea prædicata. ex his patet, Aristotelem damnantem Platonis dogmata, in peiora labi. Nam ille ideas in natura ponit: Aristoteles in mente humana, & nihilominus vterque definitionem ideis appropriat, & non ideatis: quoniam vniuersalibus, & non indiuiduis. Nec quidem generibus, quoniam Plato ideas illorũ non posuit. Arist. verò dicit, quia non habent superius genus, non posse definiri. Videtur autem genus desiderare Aristoteles in definitionibus, vt respondeat materiæ. Siquidem ipse contra Platonem accepit, materiam esse de quidditate rerum, ac postea addit, vel intelligibilem, vel sensibilem, dum abesse videt: & ideò nisi adsit genus, locum materiæ tenens contra Platonem, non definit Aristoteles. Nos autem iugum verborum inutilium excutientes ad res nos conferimus: & Quidditatem, dicimus, esse omnium rerum quocunque modo sint: & definitionem esse declarationem quidditatis, siue habeat genus, siue non habeat, quod definitur. Non enim res nostro arbitratui subiicimus, vt facit Arist. sed nostrum arbitratum rebus aptamus. Sunt ergo, quod sunt; cum ergo declarauimus, quid sunt, definiuisse, putemus licet. Habent etiam aliquid, in quo conueniunt res omnes cum aliis rebus sibi vicinioribus; & illud est loco generis, notificans per communia, & similia: habent & aliquid proprium, quo ab aliis distingũntur, & illud est differentiæ loco. Nec requiritur materia, & forma, sed similitudo, & dissimilitudo, seu communitas, & proprietas, ad definitionem: quæ & indiuiduis & generibus, & cunctis insunt rebus, & notionibus, & cur notio communis habet similitudinem materiæ: particularis verò, formæ. Probatum est etiam, quod quorum est nomen, est & Definitio. Nomen enim Definitio est imperfecta, definitio verò nomen perfectum.

Definitionem quidditatiuam Physicam, & completam, ex omni causarum genere proximo constitui.

ARTIC. III.

QVONIAM definimus, & declaramus, quæ à sensu didicimus, vnde Arist. qui de partibus animalium proprio arbitratu plerumque definiuit, in multis à Galeno corrigitur, rectius inspiciente: & Galenus à Vessallio, plures anatomias in hominibus faciente. sensibus autem corporalia Entia obiiciuntur. oportet ergo ipsa declarare prout sunt. Transcendere autem ad ideas Angelorum est inspicientium in Deo illas, & simul modum, quo nostra Entia ab illis sigillantur. Quidditates igitur rerum materialium materiales esse dicimus, & per materiam definimus, physicè contemplantes: at ex his non præcidimus nobis alas, quo minus ad superiores ideas agnoscendas peruolemus. Talis enim philosophia rudis est, & indocta valde. Definitiones ergo nostræ conueniunt ideatis, sed magis propinquant ideis. Videmus autem aliquorum esse propriam materiam, vt hominis carnem, & ossa, neruos, & sanguinem; & vestimentorum lanam, linum, & sericum: aliquorum vero non esse, sed in diuersis materiis reperiri; vt calor est in homine, & bruto, & lapide, & sole: similiter, & circulus, & linea, & triangulus. Quo-

rum materia est propria, ponitur materia propria in definitione: quorum communis, communis. Pluuia quidem ex vapore conspissato in aëre fit, sed & nix, & grando, & pruina ex vapore fiunt, & ventus. Verum aliter dispositus est vapor concrescens in niuem, & in prædicta Entia aliter. Hanc dispositionem inuenire, & appropriationem, difficillimum est. Homo quidem, & canis, & ceruus, & omnia ferè animalia habent propriam formam in carne, & ossibus; sed aliter alia: hanc alietatem quis dicet? Sed videntur spongiæ, & ostrea, & Echini esse animalia, & non in ossibus, & carne, sed in quodam simili. quare difficile est propriam inuenire materiam, & cum inueneris, proprio nomine signare.

Equidem arbitror in definitione ponendas esse causas materiales, & formales, & insuper agentes, & finales. Agens enim etsi extra quidditatem est, nihilominus ipse dat quidditatem, & eius notitia, similitudine ducente, ad similis effectus deuenimus rationem. Ideas quoque spernere non licet, sed difficile inueniemus. Verum forma extrinseca nuncia est illius, & similis formæ intrinsecæ. Causa quoque finalis addenda est, quoniam prodest multum ad quidditatem rei. Si enim propter finem est Ens quodlibet, finis præscribit modum essendi, & formam, & tempus, & locum; sicuti enim artificiata à fine specificantur, à nobis præstituto, ita naturalia à fine, præstituto à natura. Quare sicuti dicimus nos, Bombardam esse metallum vacuum, sicut arundo, ex altera parte obturatum, ex altera apertum, in quo accensus puluis bellicus pilam plumbeam immissam suo impetu emittit, & destruit quidquid obiicitur, factum ad expugnandas vrbes, & hostes.

Vtique metallum quasi materiam posuimus, cæteræ partes positæ sunt ad formam describendam, quoniam vno vocabulo exprimi nequit: posuimus vsum quasi causam finalem, & vltimum finem, inuentum à causa agente, quasi declaratiuum vsus: ad quem talis materia, talisque forma requiri cognoscitur. Similiter in natura dicendum est, Tonitruum esse vaporem subtilem à sole eleuatum in aërem; accensum vnione intra nubem crassam, & erumpentem, vt raritati suæ spatium vitale inueniat, & ruptione illa tonantem, ordinatum à Deo ad monendum animalia, vt fugiant tempestatem, vel ad puniendos scelestos, & terrendos dæmones, & frangendas turres, aut plantas, aut lapides, aut Montes, prout autori videtur oportere ad mundi inferioris regimen. Vbi sanè causam agentem solem posuimus; materialem vaporem, & nubem: oportuit ponere locum, & designare tempus tempestatis, & addere causam finalem multiplicem ad perfectam declarationem: vbi patet, finem, talem formam, ac materiam, & artificem prærequirere. Si quis autem dicat eruptionem esse accensi vaporis ex nube; poneret causam formalem, & materialem, vt Architas facit, sed non totam comprehenderet quidditatem. Siquidem res non sunt sibi, & à se tantum: sed aliis quoque, & ab aliis: ideoque quod sunt intelligi nequit, & minus declarari, nisi vnde, & ad quid, addatur.

At si dicunt Peripatetici & Platonici, has nostras definitiones recipere ea, quæ non pertinent ad quidditatem, errant non videntes; quoniam in hoc quid sunt, quia ad hoc, & propter illud. Licet enim dæmones, & aër, & bruta non sint tonitruum, tamen sunt in definitione tanquam declarantes quidditatem, & non vt quidditas; ipsum autem declaratum, & significatum definitionis est idem omninò cum re definita, si quis benè introspiciat. Sed ignorantia causarum finalium, & actiuarum exclusit illas à definitione: cum nullo pacto excludendæ sint, nisi in his, quæ non habent causas, & quorum ratio vnico nomine continetur, vt mox dicemus. Has autem definitiones ad homines nos facimus; non ad Angelos. Ipsi enim penitus inspicientes, longè verius significant. Gladium quoque definimus, non ferrum, quoniam & aurei, & argentei, & æneì fieri possunt, sed Metallum arte ferraria extensum, & auctum ad pugnandum, & cædendum. & quidem non debet finalis causa dimitti; ipsa enim requisitam materiam, & formam docet. Quia enim lignum, & stuppa, & plumbum sunt inepta ad pungendum, & cædendum, quoniam non sunt dura, & lapides, quia & si dura franguntur, & non sustinet ictus, ideo intelligimus, metallum durũ esse gladij materiam. Forma verò acumen, & extensionem. Sed latent multorum causæ finales.

Cur enim factus est homo, philosophi non dixere. Anaxagoras dixit, vt cælum suspiceret, & diuina Entia contemplaretur, & ideò erectum habet vultum, vt Theologia Ouidij canit. Sed cur habeat carnem, & ossa, vt materiam, ex hoc nescimus. Theologicè dici potest, vt sit passibilis, & excitetur ad inuestigandum rerum naturas, & se & Deum; & patiendo, acquirat per fortitudinem apud Deum sibi gloriam, & vt intelligat se esse in agone, & non propria vita. Sed & hæc brutis cur ex passibilitate non conueniunt? Vnde sunt, qui dicant, brutis Dei fruitionem conuenire post mortem, aut pœnam. Quod ridiculum extimat fides Catholicorum. Idcirco aiunt Theologi, esse ad vsum nostrum ita composita, & multa ad exercitium, vt Muscæ, & Viperæ. Sed de his causis in 2. p. erit sermo. Nunc intimasse sufficit, ignorantiam causæ finalis esse ipsius quidditatis ignorandæ causam. Circulum verò, scimus, non habere materiam propriam; sed in quolibet corpore fieri. Vnde intelligimus ad vsum communem rerum esse ideatum. Nam stella indiget circulo ad motum, & tellus ad vnitatem defensiuam à contrario. Oculus ad videndum circumquaque, & promptè. moneta vt marsupia angulis non incidat.

Definietur ergo circulus per lineam, & sphæra per corpus tanquam materiam propriam. Albedo verò etsi sit in Cælo & in Terra, & in lapide, & metallo, & charta, sequitur propriam causam, videlicet calorem. est enim facies illius demortua, veluti lux est facies viua.

Quapropter per suam causam definietur, dicendo esse lucem à materiæ crassitie deuictam. Nigredinem vero materiæ faciem, seu colorem. Quorum quidem materia est multiplex, causa quoque finalis est multiplex, & vaga; & difficile intelligimus propter quid primo sunt, & ideo Mathematici nunquam causam agentem, nec finalem ponunt in definitionibus, non quod careant, vt indoctè dicebat Aristippus, sed quia ignoratur. Sed enim in proprio subiecto non inuenitur, quoniam omnia circuunt: in appropriatis verò agnoscitur, sed vna modo finalis causa, & vsus.

Nam ad quid charta est alba? patet, vt suscipere possit nigredinem atramenti, qua scribimus: propter qu d exercitus est quadratus? vt vndique ait stabilis,& vndique pugnare valeat. sed causam quadrati in communi,& albedinis,& aliorum accidentium non intelligimus, quoniam non est vna, sed multæ,& ideo reperiuntur in multis. & Angelorum est hæc philosophia. Hoc tamen obseruandũ,quod formæ materiales, & accidentia materialia magis à causa finali innotescunt, vt tenuitas, densitas,triangularitas,& figura omnis, & positio: At accidentia formalia magis à causa agẽte,vt albedo,rubedo,sapor,actio,motus,& huiusmodi. ex quibus benè cõsideratis patet, demonstrationem à sensu colligete quidditatem: diuisionem verò, & compositionem vtiles esse, vt mox docebimus.

Materiam, & formam in definitione seorsum, & coniunctim exprimi posse: & quo pacto melius dicant quidditatem, & quorum est quidditas, & cuiusmodi.

ARTIC. IV.

QVIBVS autem rebus positum est nomen simul dicens causam materialem,& formalem,horum non videtur nominãda esse materia, & forma in definitione:sed oportet illas prius innotuisse. cũ enim dico,homo est animal rationale: ly animal dicit carnem,& ossa.& neruos,& viscera, & figuram, quantum spectat ad corporeitatem;& animã in corpore habitantem:ly rationale,dicit modum animalis,quia corpus illud est animatum anima rationali, & ideo habet figuram conuenientem tali animæ aspicienti cælestia, & tractanti terrestria per manum eius instrumentum,materia enim formæ adaptatur: & sicut ly suppa in vulgari idiomate dicit panem, & vinum,ita ly animal dicit corpus, & animam. Sed huiusmodi definitiones nihil ferè declarãt, nisi prius inspexeris partes animalis, & causas,& particulas,& quæcunque sub his nominib. clauduntur. quare arbitror, inutiles esse præterquam ad memoriã scitorum, & ad tradendam artem quasi compendio. At nec posse de rebus formari definitionem puram,iam patet:quoniam oẽs causas,& modos causarum scire non datur. Item in rationib.quæ formam,& materiã exprimunt, latet materiæ particularis proprietas. Nam caro equi,& hominis diuersa est specie. Hanc a. diuersitatem definitio non patefacit: forma equi, & asini est diuersa specie. hanc differẽtiam definitio non aperit. Non enim quia istæ rudibilis,& ille hinnibilis est, statim nouimus, quid est id,in quo differunt penes formam,& materiam communem Nec Arist. qui de animalib. scripsit, ipsorum definitiones posuit,genera, & differentias assignando, sed describendo,vt Plinius,& alij,quin fortè deterius quàm illi, qui artem definiendi neglexerunt, aut ignorarunt. Neque in rationib. quæ exprimunt materiam seorsum,& formam, proprietates illarum declarantur.vt Ventus est vapor commotus in aëre,quærens spatium,&c. non enim vaporis qualitas appropriata vapori, qui est ventus, ponitur secernens à vapore, qui non est ventus. Ergo longè melius sapit Telesius, qui rerum naturas prout secerni possunt dixit. & has methodos spreuit. Patet quoque, similitudinem sæpius quidditatem melius docere, quàm diuisionem,& demonstrationes Aristotelicæ. Hecticã post cibum augeri docet Galenus exemplo calcis perfusæ aqua: & argentũ quid sit nemo dicet, melius quàm qui stamnum contemplatus, quid durius, & purius stamno dicet esse per caloris actionẽ. Et genus quidem similitudinem dicere, scimus, & non rem,nisi vbi materiã explicat. Cum enim dico homo est animal: non quid sit homo, sed quid habet simile Asino, & Equo,& Aui,dico. Sed essentialis similitudo mox quidditatis est declaratio. At si cum nullo Ente conueniat aliquid in vlla similitudine,non propterea quidditatem non habebit.Deus quidem maximè sua quidditas est,& genus non habet:ergo non est quid? absit. Substantia & Quantitas Aristoteli non habent genus, quoniam generalissima sunt: ergo non habent quidditatem? negatur. si habent quidditatem,ergo definitionem. Sed non sufficit habere quidditatem, sed oportet clarescere nobis quidditatem illam, vt possimus definire. Ergo secundum naturam dicentur definibilia,& non secundum nos. Nulla autem natura comprehendit Deum, ergo à se solo ipse definitur: cætera omnia definiuntur ab eo in suis ideis, & ab Angelis in sua cognitione. à nobis autem pauca quædam iuxta modulum nostrum. Et quia nos à simili simile inuestigamus,& à contrario secernimus: ideò per genus, & differentiam definimus. Nec propterea genus,& differentia sunt modo definitionis essentia, sed quælibet quidditas cuiuscunque ordinis. ergo & genera & species, & indiuidua, & accidentia, & relationes prout dicebamus: & quidquid habet simile,& dissimile,definiri potest,dico autem in essentia. Nec excludo Analogiam:quoniam & ipsa patefacit ferè essentiam;quæ autem carent simili,secundum nos carent definitione; quoniam per similia scimus; at non secundum se.

Entium simpliciũ,ac subsistentium definitio vnica voce completur, quoniam cum careat partibus, & causarum numero, vtique significatum nominis secundum se est definitio. Sicut enim quidditas est vna,& indiuisibilis prorsus,ita vno nomine exprimitur. Huiusmodi autem nomina sic perfectè significantia non habemus, quoniam à materialib. accipimus scientias,& vocabula. ideo oportet plures voces in definitione ponere, quas tamen constat omnes idem significare. vnde rectè Theologi asserunt Dei quatriliterum nomen essentiam diuinam explicare: sed credo inter Angelos. Longè enim abest intellectus noster,compositis,confusisque rebus assuetus,quàm vt possit infinitam essentiam simplicissimam vnico in intuitu cognoscere, vnicoque nomine notare. Similiter, nec Angelorum, qui simplices sunt, vox vna simplex, est nobis definitio. Compositorum verò fit composita, sed simplicium minimè secundum se, secundum nos vero definire licet, veluti datur cognoscere.

De genere quatenus intrat Definitionem.

ARTIC. V.

QVIA ergo omnia cognoſcimus per ſimilia,vt primo lib. oſtenſum eſt. Ideò notanda eſt res primo per vocem, cõmunem aliis ſimilibus. Et quia natura comparatũ eſt, vt prius Vniuerſale, quàm particulare ſciamus: pueri enim patrem appellant omnem hominem, quia nõ norunt adhuc diſtinguere inter hunc,&illum hominem. ideo in definitione ponendum eſt vocabulum communius in primo loco: hoc eſt illud,quod multa ſimilia ſignificat, quorum mutuo intuitu mutua ſcientia comparatur,& mox enunciatur.Sed quia ſimilitudo eſſentialis magis, & propriè ſignificat nobis quidditatum ſimilitudinem: ideò vox communis poſita in definitione debet eſſe eſſentialis, quam ſolemus appellare genus. Cum ergo definio hominem,non rectè dicam,homo eſt mobile,aut coloratum licet multis conueniat entibus, & ſimul hominibus: tamen non eſt conuenientia per ſe eſſentialis. Animal autem eſſentiale erit, quoniam equo, & cani, & homini conuenit ex cauſis internis ſcilicet ex anima, & corpore copulatis conſimiliter in illis,& homine.Rurſus,nec omne genus, & commune debet poni,ſed proprium:ſi enim dices,homo eſt quantitas,aut color,aut figura,vel imago Dei, & huiuſmodi non benè definis:quoniam hæc licet ſint genera, non ſunt propria genera, ſed aliena;& licet inſint homini,non tamen ſoli,& eſſentialiter ſibi,& ſuis ſimilibus,ſed & diſſimilibus, & præter eſſentiã, vel poſt eſſentiam.

Iterum non modo genus proprium,ſed proximum oportet aſſignare. Namque ſupremum à longe declarat,vt ſi dicam, Homo eſt ſubſtantia,vel corpus: hæc enim nota ſunt per ſe,& prope nihil notificant. ſic ſi dicam,Ventus eſt diſpoſitio, aut tenuitas.ideò melius dicam, eſt Vapor, & homo eſt animal. Et quamuis Ariſt.doceat loco generis poſſe poni ſuperius genus,vel definitionem generis,hoc verum eſt, vbi latet proprium genus proximum,& per ſuperius oportet circumſcribi: vt ſi ignorem,circulum eſſe figuram, & dicam eſſe lineam in ſe reuolutam, aut qualitatem quantitatis, vtique à longè declaro circulum,quoniam eius proxima entitas latet.. Longè ergo minus licet per traſcendentia definire, quoniã ipſa notiſſima ſunt, vt ſi quis velit dicere homo eſt Ens, aut vnum,aut res, ridiculus videatur.cunctis.n. palàm eſt hominem eſſe Ens:nam ſi non eſt,definiri nequit. Per tranſcendetia vero licet definire ea,quorum minima eſt notitia vt Deum, dicendo, eſt Ens infinitum. Sed hæc eſt definitio ratione noſtri. Manifeſtè enim Deus eſt extra genera,hoc eſt extra ſimilitudines eſſentiales. eſſentia enim eius non eſt coeſſentialis aliis rebus: ſicut eſſentia hominis eſt coeſſentialis, ſeu eadem cum eſſentia bouis in quibuſdam, & cum lapide in quibuſdã:Deus a. ſibi ſoli eſt coeſſentialis:non ergo datur vocabulum cõmune nobis,& illi,vniuocum: ſic enim vere definiretur,ſed Analogicum,vt Ens,ſapiens,potens,amans:de qu b. in 2. p. ſed & Analogorum eſt quædam definitio, & genus,hoc eſt communitas.vnde dicimus Remigiũ eſſe alas triremis. Ala a.dicitur analogicè de Auium inſtrumento ad volandum; & piſcium ad notandũ, & triremium ad nauigandum. Et quidem prædicatio analoga propemodum generica videtur.vt in 2. lib dicebamus. Ergo dicendo,Deum eſſe Ens Potẽtiſſimum,Sapientiſſimum,&Optimum,explicamus imbecilliter eius quidditatẽ, quatenus à nobis analogica vocabula eminentiora elicimus.Item ſi diceremus,Bombardam eſſe tonitruum artificiale: propè modum eius eſſentiam explicamus. Licet ergo definire per genus analogum, quoniam ducit in cognitionem,dum tot ſimilia ſimul inſpiciuntur,& cõferuntur. Veluti enim cum dico, homo eſt animal, ſtatim repræſentatur equus,aſinus,leo,& alia viuẽtia ſimilia homini, vnde diſcimus naturam hominis in tot ſimilibus præſentatam vnico nomine,& intuitu: ita cum dico, Remus eſt ala nauis,ſtatim concipimus alam Aquilæ,& Milui,& hirundinis; & in ſimilitudine,quam habent cum remigio,repræſentatur eſſentia remigij,conſiſtens in tali vſu,qualis cõuenit alis; & eandem poſitionem habere, & partis vicem in ſuo toto. Hoc modo alibi diximus, Ventũ eſſe fluctum aëris. & ita datur de Deo,& de Angelis ratio formalis, & voces. Primi enim Chori angelici dicuntur Seraphin,hoc eſt ardẽtes:ſecundi ſapiẽtes: tertij throni; id eſt ſubſtantes ſedenti Deo:&quidẽ nulla æquiuocatio his interuenit,ſed Analogia:idcirco vitandæ ſolæ videntur in definitione æquiuocationes: hæ enim nihil declarant, ſed confundunt intellectum,dum volunt clarificare. Magis autem receptibiles ſunt metaphoræ, quam æquiuocationes,illæ enim ſapiunt analogicam vnitatem: ſed declarant per extranea: & confuſionem æquiuocam pariunt:cum etiam repelluntur. Tranſcendentia verò non definiuntur, quoniam notiſſima per ſe ſunt, & propria vox ipſorum eſt definitio. Ens enim eſt, quod eſt: Vnum,quod eſt non diuiſum; Bonũ, quod eſt appetibile. Potentia,& Sapientia,& Amor ſimiliter per tranſcendentia definiuntur:& vocabuli, ad quod imponitur, declaratio eſt horũ definitio,quoniam concipit illa primo ſenſus hominis, & ſimpliciſſimè ſignificantur. Quapropter licet genus ſit notio confuſa, vnde videtur eſſe quaſi materia ad differentiam, qui eſt notio diſtinguens, ſicut forma materiam, notionaliter: Phyſicè tamen genus non ponitur in definitione, vt materia, ſed vt declaratiuum ſimilitudinis eſſentialis, quam definitum habet communem, confuſamque cum aliis, ex quorum inſpectione ſua innoteſcit ſimul eſſentia. Hæc autem ſimilitudo eſſentialis nõ ſemper, nec in cunctis eſt penes materiam,& formam,nec tantum. Et ideo inepte Ariſt. definit Animam, & lumen, & calorem, & motum, per ly actum tantum: nam dupliciter peccat, primo quia ly actus eſt genus extraneum ab anima, & non eſſentialis. motui autem fortaſſe quatenus eſt actio conueniret. At inſuper æquiuocationem ſapit magis, quam Analogiam hæc vox Actus. Secundo quoniam ly actus eſt prima Entis differentia. Nam diuiditur Ens in potentiam, & actum:& ergo cum ſit tam remotum

genus nihil clarificat. Præterea videtur esse transcendens. Quoniam, ait, D. Thomas cum Arist in Metaph. 9. omne genus circu re actum & potentiam, & Ens diuisum in actum, & potentiam simul partiri in decem prædicamenta, quo pacto igitur essentiam animæ & motus, & caloris positorum in diuersis generibus, ly Actus declarabit? & quidem nobis non ponitur transcendens in definitione, quia nihil notificat, non autem quia communitas eius non sit generica, vt ipsi docent, nec vniuoca: nam analogum non reprobatur, & logicè vniuocauimus illam cum Scoto. Vnde inaniter Lullius per vniuersalissima definit omnia confundendo, non declarando. Similiter & cum definimus aliqua, quorum non est nominatum genus, sed oportet loco eius sumere materiam, & formam communem illi, & aliis essentialiter, oportet proximam materiam dicere, & non remotam: & propriam non communem, nec extraneam. Vt si dicam, quid est domus? Non rectè respondetur, est corpora sic posita: sed lapides, cæmentum, & ligna sic posita. Sed quia etiam ex lateribus, & ex tabulis fit domus, oportet commune vocabulum inuenire: vt si dicerem corpora dura, veluti diximus, non posse dici, culter est ferrum ita formatum, quoniã & ex ære fit: melius ergo dices, est metallum. At quia & ex lapide fit (si tamen non per accidens) fit culter, quo Iosues circumcidit populum Israël, oportebit dicere, est durum corpus: & tunc recedimus à notitia cultri, quoniam communia vocabula confundunt scientiam: propria vero declarant. At si definies hunc cultrum, certius definies, vt & Arist. contra seipsum semel fatetur Vnde vel oportet dicere: omnes materias sub disiunctione. Videlicet culter est vel lapis, vel metallum, ita formatum ad incidendum: & quia sæpè sunt plures materiæ, quæ possunt appropriari tali formæ: idcirco oportet, vel formam ponere in primo loco, dicendo, culter est instrumentum secandi factum ex ferro, & lapide, vel & cætera. At quoniam ly instrumentum dicit materiam, & formam: sicut ly animal in ratione hominis, & forma cultri non habet nomen: oportet illam circumlocutione significare: scilicet est forma extensa, altera ex parte acuta, & aculeata ex extremo, facta ex ferro, aut lapide ad incidendum. Vbi patet, quam difficile sit notissima definire: quomodo ergo definiemus occulta? Ideo inuenta sunt vocabula materiam, & formam comprehendentia, sed non attingentia proprietatem. Nam si dico, domus est ædificium, ly ædificium, vtrumque dicit materiam, & formam, sicut ly animal, sed confundit multa simul, ergo & scientiam. Nihil autem differre puto, quod prius ponas materiam, & formam in Definitione: Dummodo clarificetur in sua communitate per inspectionem multorum similium essentialiter, natura definiti. Genus autem præponitur differentiæ, quia dicit materiam, & formam plurium similium: & non quia materia præcedit, vt subiecta. Ex his clare patet, quod Deus, quia non cognoscit discurrendo à simili ad simile: non definit per genus, si definiret loquendo sibi, aut aliis, sed per ipsam rei essentialem vnicam vocem, si res est simplex: quod tamen per vnicam ideam ipse in se modo suo facit: & si verum est, quod diuus Thomas sentit, Angelos non discurrere, vtique nec ipsi per genus definient, sed per causas intraneas, & peculiares rei singularis: quam prospiciunt in idea diuina: quoniam & singularium, & vniuersalium ideæ sunt, vt dicebamus: & proprietates ita relucent, vt per communia, non nisi communia innotescant: ipsi enim vident ibi, quod talis vapor, & non quod vapor, solum est ventus.

De Differentia, quatenus in Definitione ponitur.

ARTIC. V.

MOX quia natura comparatum est, vt postquam commune cognouerimus, in quo conuenit quodlibet definibile cum aliis eiusdem similitudinis essentialis, inspiciamus, in quo disconueniunt: pueri enim distingunt patrem à cæteris hominibus hoc ordine, post vbi didicerint notare reperiri sub communitate figuræ, & vocis, & motus, & coloris hominum, particularitates, quibus hic, & non ille, insignitur: & ita in definitionibus oportet nos procedere, vt posito genere, vel materia, & forma communi, quoniam non habemus nomen, illas simul declarans, addimus vocabula significantia particularitatem, quæ est differentia: dicto enim, quod homo est animal, & intellecta eius natura per similitudinem, quam habet cum equo, & cane, oportet apponere ly rationale, per quod differt ab eis. Hoc autem opus est, inuestigatum fuisse ex operationibus & actionibus, in quibus innotescit, hominem ratione vti, & non canem, & asinum: & cum Apes, & Simiæ, & formicæ manifestè ratione, & argumento vtantur, oportet mox eorum rationem ab humana separare per ly mentale: ratio enim humana est à mente diuinitus immissa, at brutorum est sensitiua, & imperfecta ratio in spiritu solum corporeo. Sed oportet didicisse in operibus hominis colentis Deum in sapientia, & spe, & per actus mirabiles: in quibus longè præcellit bruta. Quapropter videtur Definitio esse compendium essentialium prædicatorum communium & propriorum multo labore, & sermone inuentorum, & declaratorum: proptereaque esse terminus inuestigationis, & principium doctrinæ: & quidem in inuestigatione clarescit per sensus, & discursus à similibus, sensu notis, & à decem ordinibus cognitionis: in 2. lib. positis: & huius claritatis est ipsa apex quidam. At in doctrinatione oportet præponere definitionem, & mox declarare: quoniam facili compendio sic traditur, & declaratio tota in definitione clausa, & ab ea dependens, memoria tenetur. Differentia igitur est distinctio generis, vel similium; & genus est similium confusio: & hac ratione dictum est, se habere genus, vt materia, in notionibus: & species, differentiasque vt forma. Cum quo tamen stat physicè sæpè differentiam esse ipsam materiam: vt cum dico, ventus est commotio vaporis in aëre, vbi ly vaporis, est differentia separans à commotione lapidis proiecti, & aliorum percutientium aërem.

Quid sit definitio.

Scire quoque licet, genus, quia multa similia proponit, vt eorum intuitu res definibilis innotescat,

posse analogicum esse, non autem differentiam, quoniam differentia separat notitiam vnius à notitia alterius, ideo si esset quid analogum, vel commune quacunque communitate, non esset differentia, & confunderet, non distingueret scientiam. Dicam quidem, ventum esse fluctum, vt declararetur à similitudine, quam habet cum vnda maris. Sed non possum facere quin dicam, aëris: Aër enim ponitur loco differentiæ: & si loco eius quid simile aëri ponerem, fieret enigma, & non definitio, vt fluctus animæ. Nam aër est in mundo apud Plinium sicut anima in brutis. Nec dicam est fluctus rari, rarum enim est commune genus aëri, & cœlo, & spiritui, & non notificat distinguendo, sed confundendo. Nec dicam, vndam esse vẽtum sanguinis: quia sanguinis locũ tenet mare in mundo, teste D. Basil. sed maris rectè dicam. Nec vllam figuram capere videtur differentia. Non enim rectè dicerem, remum esse alam carinæ per synedochen, nisi rarò: & multo minus, alam pectoris, propterea quod triremis est similis pectori gallinæ. Et ideo, quoniam dicimus, Deum esse Ens infinitum, quoniam cogimur ponere commune, & particulare, vtrunque analogicum, parum de illo notificamus. Ens n. dicitur de eo, quod habet esse quomodolibet: infinitum de cuius nempè passio est finitas, & infinitas: si credimus Aristoteli contra Parmenidem. At quidem adiuuat nostram scientiam consideratio, quod hæc nomina, licet imponantur à rebus Deo dissimilibus in essentia, & analogicis, tamen confuso quodam modo scimus ad quid melius, & altius esse imposita: & de analogia proportionis facimus analogiam attributionis, & ita inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, quasi à longè conspicimus, prout valemus. Fortiter declarat Deum illa Trismegisti ratio: *Deus est Sphæra intellectualis, cuius centrum est vbique, circunferentia nusquã* & tamen analogica est, & metaphorica; fortè etiã & de Angelis definitiones & differentia dantur in genere, sapientes analogiã: vnde quidditatiuè à nobis cognosci eruditè negat sanctus Thomas. Superlatiua vocabula similiter adiuuant analogicam definitionem. Si enim dico, Deum esse Ens potentissimum, sapientissimum, & optimum: separo illum à creaturis consimiliter potentibus, sapientibus, & bonis: sed proprietates non dico: At per analogicum communitatis excessum superintelligo illas. Igitur ratione nostri quæcunque habent simile, & dissimile, secundum essentiam nobis notam definiuntur. Quæ vero carent, & si non sui ratione, sed nostri, describuntur. Secundum se enim omnia possunt Entia definiri, sicut nominari; nec genus requiritur, nisi respectu discursus nostri à simili, vt dictum est.

Qua ratione singularia definiuntur.

CAP. III. ARTIC. VI.

EX his facilè deducitur, indiuiduorum esse definitionem, quoniam habent alia indiuidua sibi similia essentialiter, vnde sumitur communitas mutuæ notionis. Non enim genus, quia est genus ponitur in definitione, sed quia est commune multis similibus, mutuo cognoscibilibus. Quapropter ly animal, commune est homini, & leoni, & ideo ipsa definit: ita ly homo, commune est Petro, & Paulo, & notificat ipsos mutuo: Nam nosco homines, quos non vidi, per alios, quos vidi: & longè magis quam per hominem elephantum: species ergo ponenda est primo in indiuidui ratione, more differentiæ, & particularitates, quia autem indiuiduo non solũ essentia cõmunis est per se conueniens, sed etiam existentia: in existentia vero clauditur locus, & tempus, & causæ, quæ illi dederunt existere: item & actiones, quæ declarant eius existentiæ modum: idcirco hæc omnia ponenda sunt ad indiuidui rationem: vt sic, Cæsar fuit homo natus Romæ de patre & Iulia matre, anno ab vrbe condita, staturæ huiusmodi, morum huiusmodi, qui talibus artibus factus est Pontifex maximus, debellauit Gallos, occupauit Rempubliam, sibi triumphum denegantem, deuicit Pompeium, suis conatibus cum toto senatu resistẽtem, factus est dictator perpetuus, & primus Romanorũ Monarcha, occisus est in Curia à suis inuidẽtibus illi Tyrãnidem, anno. . . . In qua sanè definitione ponuntur differentiæ non potentes conuenire alteri, nisi Cæsari. Quare Arist. insanit, dum dicit, nihil posse dici de indiuiduo, quod & aliis non possit conuenire. Neque enim Deus potest facere modo, vt alius fueret Cæsar primus Romanorum dictator, natus tempore eodem, & loco, ab eisdem parentibus, qui eadem gessit bella: potest autem facere nunc similes modo, vt gemellos, sed non eundem Cæsarem cum eisdem conditionibus: & licet Deus resuscitando hominem illum eundem numero instauret, nõ tamen potest præterita facere præsentia nec definitio Cæsaris præteriti erit alia à definitionẽ Cæsaris resuscitati, sed addendum est eidem definitioni, quod iterum Cæsaris existentiæ additur.

Sed dicunt Peripatetici, existentiam esse aliud ab essentia, Definitionem vero dari per essentialia, non per extranea. Item locum, & tempus, & actiones, & mores esse accidentia naturæ, & essentiæ, ergo malè per accidentalia nos definitionem statuere. Respondeo, existentiam esse substantialem, indiuiduo, sed non naturæ fortasse (dico fortasse, quia mox examinandum est) veluti enim animali per accidens conuenit esse rationale, sicut dictum est: & Peripatetici omnes docent, ita per accidens est homini existere in tali tempore, & loco, & talia pati, & agere. Attamen homini per se conuenit esse rationale: & indiuiduo nasci sub tali tempore, & loco, & talia facere, & pati. Sed quoniam hæc à nobis ignorantur, quoniam sunt penè infinita: ideo ab arte separantur, & reputantur accidentalia, cum tamen naturæ, & ideæ; & non indiuiduo, & ideato sint accidentalia, sicut esse rationale generi est per accidens, non autem speciei: Vnde S. Thomas dixit, quod si indiuiduum definiretur, existentia esset de eius definitione. At si quis disiunctiuè omnium indiuiduorum differentias proferret, vt scit Deus, & fortè Angeli, vtique de homine dicerentur per se, sicuti per se numerus est par, vel impar, vt dictum est: fortuita quoque accidentia per se conueniunt tali indiui-

duo in tali tempore, & loco : quoniam non possunt aliter euenire, saltem respectu primæ causæ, omnium causarum motricis; aut ordinis rerum. Rustico per accidens hodie videtur pluere, sed non Astrologo causas præuidenti : per accidens seruus cum seruo fit obuiam : sed Domino præordinanti obuiam, & ex aduersis viis eos emittenti, vt alter alteri inscienter occurrat, per se euenit, vt dictum est. Sed nos ignari ordinis fatalis, definiemus indiuidua per illa, quæ conueniunt illis per se ex ratione causarum propriæ existentiæ : cæteris autem addemus tanquam pertinentia ad descriptionem, non ad definitionem. Vitæ ergo Imperatorum, & Pontificum, & Heroum descriptæ à Sigonio, & Platina, & Plutarcho, & Liuio, sunt descriptiones indiuiduorum, & definitiones simul : & eorundem abbreuiatio est definitio, & descriptio.

Hîc disputatio incidit, vtrum idem indiuiduum possit multiplicari, vt dicitur de sancto Ambrosio, qui simul fuit Mediolani & Turone in eodē tempore. Nam videtur hoc tollere definitionem indiuidui, quoniā alij potest competere. Sed nequaquam tollit, quoniam idem homo talia simul passus virtute diuina ex hoc facto insignitur, vt differat magis ab aliis. Sed de hoc alibi. Hoc autem fatendum, non posse omnia indiuidua definiri, nisi fortè ab Angelis inspicientibus modum, quo singula participant ideam speciei : sed hoc non licere ab hominibus. Et ideo pauca definiri ab Historicis, quorum vita quasi principium artis esse potest, quoniam insignis est, & imitabilis, aut exprobrabilis à cunctis. Vnde habet rationem vniuersalis. Hinc Poëtæ fingunt heroas, ex idea, quales debeant esse, vt inde Ars fiat, & nobiles addiscant viuendi generosum modum. Ex sacris autem manifestum est, nihil casu, & per accidens fieri, respectu Primarum idearum, vt dicemus.

Quod autem apposuit Aristot. singularia sensu nosci, definitiones vero esse intellectus : imperitè dictum est. Namque ideo definimus vniuersalia, quia particularia prius definita sunt per sensum. Et Aristot. in 2. Post. facilius esse singularia definire docet, & ab eis colligi definitionem vniuersalis. Patet enim, quod definiuimus Ciuitatem, quia definiuimus Neapolim, & Romam, & Venetias; & Domum, quia hanc, & illam Domum. Nomina quidem sunt indiuiduorum tanquam incompletæ definitiones, quas compleri nihil vetat. Etenim, sicut hominis rationem intrat corpus, & anima, ita Petri hoc corpus, & hæc anima. Hæccheitas autem tempore & loco, quoniam existit in his, notatur, & actionibus, & passionibus, quibus existentia constituitur, & innotescit.

De Correlatiuorum mutua definitione.

ARTICVLVS VII.

Ex his quoque deducitur, Relatiua mutuò definiri, quoniam simul sunt, & mutuò sunt, alterum ad alterum. Pater enim est, qui habet filium; & filius, qui habet patrem. Nec vitium in his definitionibus acccidit, quod idem poneretur in definitione sui, & simul esset notius, & ignotius, & causa, & effectus : quatenus enim definit est notius, & causa; & quatenus definitur est ignotius & effectus. Definitio enim notificatiua est. Etenim non ponitur relatiuum in definitione correlatiui, vt notius, sed vt connotum. Sicuti enim simul sunt, ita simul cognoscuntur : & si ita non cognoscerentur, non cognoscerentur prout sunt:& notitia esset erronea. Ergo oportet, quoniam esse Relatiui est ad aliud, simul cum alio definiri, & cognosci. Et quidem quo ad esse relationis simul cognoscuntur, non quo ad absolutum : Sed in hoc alterum est altero notius, & causa, nec mutuo definiuntur. Calor enim alter à seipso, quatenus sensibilis, & quatenus calor, & aliter definitur in quantum calor, aliter in quantum sensibilis.

Præterea post Definitionem Relatiui, correlatiuum definitur, vt magis clarescat ex intuitu illius. Simile enim per simile notificatur, & simul. Ad hoc enim diximus, genus ingredi definitiones:& vt fundamenta magis pateant respectus, definitiones iterantur, & non ratione sui connotorum. Prima quoque ratio (quod idem poneretur in Definitione sui, quoniam licet loco partis definientis ponere definitionem eius, in qua intrat id, quod definitur) non valet : illa enim regula Aristotelica non est vtilis, vt dicebamus, sed ex partis definientis occultatione nascitur : & non est vera de differentia, sed de genere vt dicebamus, & multo minus de differentia, quæ est alienæ essentiæ. Non enim dicimus ventum esse motionem violentam corporis tenuis sed aëris, aut vaporis. Nec, hominem esse animal ratione vtens animal, sed rationale : quoniam cadit ly animal, in definitione rationalis, & producit nugationem bis repetitum. Sed fortè nec hæc Glosa est vera semper, quoniam si visibilis est passio hominis, licet dicere est passio animalis rationalis. Ideo nullam esse nugacitatem arbitror, si idem ponitur in definitione sui, non tanquam sui notificatiuum, sed tanquam simul cognitum, & Ens cum eo, per quod definitur. Licet ergo dicere, filius est qui habet patrem, & similiter loco patris ponere definitionem eius, scilicet filius est, qui habet sui genitorem, vel qui genuit eum. Et seruus est, qui habet superiorem se. Et dominus est, qui habet habentem superiorem semetpsum. Cum enim ita hæc sint connexa in natura : cur nos nugabimur, si explicemus ipsa vti sunt in natura? Vnde etiam Arist. in 2. Post. in his, quæ circulariter fiunt, demonstrationem quoque circularem admittit. Hoc semper præhabito, quod non vt notius, neque vt causa, sed vt connotum, & causa in tali esse relatiuo alterū in alterius ratione ponitur. Nam per formam materia definitur, & forma per materiam hoc modo ob idem.

Præterea diximus, relationem distingui à fundamento, non à fundamentis, quatenus sunt simul intellectu, & natura, vt res vna duplex (nec mirum cum ex materia, & forma diuersis fit vnum duplex) propterea definiri simul, vt vnum absque nugacitate. Possumus enim dicere, si Natura potest facere.

De Definitione Accidentium.

ARTICVLVS VIII.

Ex eisdem patet, Accidentium quoque esse Definitionem tam propriorum, quam extraneorum. Sed quia accidens non sibi, sed alij est accidens, quando vt accidens definitur, ponitur in eius Definitione illud, cui accidit, siue fluat ab essentia, siue ab extra, vt simitas est concauitas nasi. Lux est facies caloris. Quies operatio frigoris. Sed quando definiuntur secundum illam entitatem, qua possunt extra causam, & subiectum considerari, tunc fortè differentia eorum non erit subiectum ipsum, sed actio, vel passio, vel quid competens eis per se. Vt lux est color viuus disgregans visum, sed ly disgregare, est caloris actus: vnde calor subintelligitur in tali ratione. Quare fortè impossibile est huiusmodi Entia absque causis definire, & esse. Oportet enim dicere tenuitatem esse materiæ expansionem: & grauitatem esse passionem condensatæ molis. Quare nihil non non subsistens, & per aliud existens, videtur posse per se definiri. Mathematica vero sine materia, aut causa definiuntur particularia, quoniam nō habent propriam alicuius generis materiam: sed in quolibet genere fiunt, & in vacuo intelliguntur, ideo & ipsa definiuntur per materiam communem. Nam figura est terminus materialis quantitatis: omnia autem Mathematica ad figuram pertinent. Et veluti dicimus, albedinem esse lucem paululum opacatam, & non ponimus subiectum: ita dicimus, triangulum esse figuram: & non ponimus subiectum, sed sub figuræ nomine latet causa materialis, sicut sub lucis nomine causa actiua albedinis. Idem sequitur si dicam, Albedo est color luci proximus.

Hic autem non præterire licet, omne accidens propriam habere causam, sed aliud fieri ex materia, sicut materiales formæ, vt tenuitas, raritas, asperitas, mollities, figura, simitas, angulus: aliud ex causa agente, vt color, motus, quies, actio: aliud ex vtrisque, vt sapor, odor: & propterea alia accipere in sua definitione materiam, vt additum: alia agentem causam, aliam vtrunque. Nam quies est frigoris operatio: Mollities est materiæ expansio, donec cedat tactui: sapor est caloris cum sua mole simul agentis in lingua manifestatio. Potest quoque terræ operatio dici quies: sed gratia frigoris in ea regnantis. Quare non semper per subiectum accidens definitur, & per materiā vt dicit Arist. de simitate. Simitas enim figura est, & pertinet ad materiam nasi determinatè: non autem calor, & albedo, & motus. Nec tamen hæ definitiones sunt aliud à definitis: quamuis extraneum recipiant: quoniam definita ipsa suæ non sunt entitatis, sed aliorum: debent, veluti sunt, & quorum sunt, definiri. Insuper speculantes penitius inuenimus, Mathematica (quoniam formarum agentium commoditati natura aptantur) non pertinere per se primo ad subiectum, nec ad causas agentes, sed ad idealem: & ideo per formalitatem idealem rectius, & frequentius, quam per alias causas palam, definiri: & quæstio de numerorum definitione sic terminanda videtur.

Possunt Accidentia quoque in concreto definiri, sed interuenit nugatio: sic enim albedo est apparētia caloris: Sic album erit calidum apparens: & simum, nasus curuus: sed si loco simi ponitur sua ratio, tunc idem erit dicere simum, quod nasus curuus: est nasus curuus.

Hæc Aristotelici ingenij tenuitatem agitant. Sed ludicra sunt: quoniā idem erit dicere homo est animal rationale, quod animal rationale est animal rationale. Sed constat, vocabula rebus respondere vt intellectis: quod ergo ponitur gratia declarationis, non est nugatio: alias enim nulla posset fieri demonstratio, in qua definitio sit medius terminus, quoniam cum sit idem cum maiori extremitate, fiet ex duobus terminis: sed patet in ratione significandi differre formaliter, & non esse idem, sicut tunica, & vestis, sed vti animal, & rationale, quæ dicunt idem diuerso modo, teste D. Thoma. Igitur redeuntes dicimus, non esse ibi nugacitatem ratione nostri: sicut cum Deum simplicissimum per plures, multiplicesque voces idem secundum rem significantes exprimimus.

Ex his patet differentiam in concretis fieri genus, aut loco generis: quoniam concretum subiectum ipsum, vel causam dicit primo, & secundo suam entitatem. Vnde optimè D. Thomas excludebat illa à proprio prædicamento, sicut in superiori libro dicebamus.

Partes similiter etherogenei corporis per suum totum definiuntur, & per actum, quem habent in toto: vt manus est pars hominis extrema ex tot ossibus, & neruis fabrefacta in tali forma ad tractanda corpora exteriora. Ratio cuius definitionis per se patet.

Entium quoque per accidens patet esse Definitionem: vt hominis albi Musici: nam licet alterum alteri sint extranea ab essentia: tamen sicuti extranea definienda sunt. Si enim possunt intelligi ita esse, possunt & ita definiri. Quapropter homo albus Musicus, est animal rationale, coloratum luce parum opacata in corpore, & arte canendi in animo. Rationes Aristotelis contra hoc nugæ sunt, quoniam nec homo posset definiri, nec domus. Materia enim, & forma, & agens diuersi sunt generis: sed quia conueniunt in vnitate substantiali, habent vnum nomen, & vnam definitionem illo modo substantiali: sic & coniuncta per accidens, habent coniunctas definitiones accidentali modo.

De

De Generalißimorum Definitione.

ARTICVLVS IX.

GENERA quoque definiuntur, quamuis Generalissima: habent enim similitudinem inter se, saltem analogam, vel vt putat Scotus vniuocam, & diuersitatem, quibus inuicem notificentur, & distinguantur. Substantia enim Ens per se dicitur, & hæc est eius definitio apud Peripateticos. Nobis autem substantia est Ens per se aliis substans: in eius .n. nomine clauditur definitio. Entitas est communis aliis, substans est differentia, qua secernitur ab aliis generibus. Quantitas est mensura substantiæ. Operatio est innatus actus conseruatiuus essentiæ in se. Actio est effusio similitudinis agentis in aliud & cætera: quæ declarata sunt in 2. lib. Verum hic occurrit dubium. Si enim persimile & dissimile vnumquodque definiri more humano debet, quare nos nihil commune in definitionibus ponimus? Quantitas enim est mensura: esse autem mensuram non conuenit substantiæ, nec operationi, nec colori, nec alicui positorum generalissimorum. Ergo perperam docuimus.

Respondeo, subintelligi entitatem: cum dico Quantitas est mensura: sensus est: Quantitas est res seu entitas mensurans intrinsecus substantiam: & operatio est entitas actualis innata &, cætera, & color est entitas manifestans, &c. & actio est entitas diffusiua similitudinis, sed fortè hæc superflua sunt: quoniam genera prima diuersa sunt per se: & ex communitate essendi nihil notificatur: hoc enim palam est quod existunt, & iam declarauimus, genus requiri, vt ex mutuo intuitu similium definibile primo cognoscatur, deinde ex propriis. At in generibus primis non est mutua similitudo manifestatiua, quoniam non est essentialis, sed vel æquiuoca, vel analoga, vel notissima, vt nuga sit apponere illam, ac si dicerem, homo est homo, ita homo est Ens, vel color est Ens. Ex hoc enim quod est color est Ens: ergo si nosti colorem esse aliquid, & Ens, frustra declaras, quod sit Ens, & superfluo. Non enim potest definiri, quod non est. Si ergo definis generalissimum statim ad propria accede, & entitatem eius declara, & sequestra ab aliorum esse. At cum dubitatur vtrum aliquid sit, tunc dicitur Ens, & Non-ens de illo, vt de vacuo apud Arist. & de chimera: dicimus enim esse Non ens in se, sed fictum ab intellectu compositum ex tribus animalibus, homine, leone, & capra, ad denotandas tres partes hominis: vt Plato docet in Republica. Quas ob res omnium esse definitionem, & quomodo manifestum est, quoniam prout sunt: & esse conuertibilem cum definito, vt nulla pars subiectiua sit expers totius definitionis: nec definitio extra definitum reperiatur: sicuti in Descriptione dicebamus.

Vtrum Genus, & Differentia significent ideam: & Definitio, & Definitum: & cur materia & formæ non additur differentia semper.

CAP. IV. ARTICVLVS I.

SED insurgit dubitatio, vtrum sit idem genus in significato cum differentia, & quare in aliquibus differt genus præponere, vel post ponere? Respondent Peripatetici in prædicamento substantiæ genus esse idem cum differentia in significato, & cum specie, & cum definitione. Idem enim est animal, quod rationale in definitione hominis: & idem quod homo: & idem animal rationale, sicut horum singulorum Nihilominus formaliter differre ex modo significandi. Animal enim significat etiam hominem, sed indeterminatè: & rationale significat, quod habet rationem, idest hominem, & tale animal. Homo vero vtrúq; dicit, confusè, scilicet genus, & differentiam: definitio vero vtrúq; distinctè. Vnde patet, quod significent totum, quod est in homine, materialiter loquendo, sed formaliter differre: in aliis vero generibus, quæ per additamentum subiecti definitionem recipiunt, non sic esse. Simitas enim curuitas nasi est: sed ly curuitas significat simitatem indeterminatè: hanc autem ly nasus.

Ad secundum respondent oportere genus præponi vt indeterminatum, & differentiam post poni, vt determinans eius confusionem. Nam differentia respondet formæ, genus materiæ. At quia accidentia non sunt composita ex materia, & forma, ponitur subiectum loco differentiæ, si in abstracto definiantur, si in concreto, loco generis: quia sic definiuntur more substantiarum compositarum.

Sed nos, licet hanc assertionem ex parte concesserimus, nunc tamen videmur aliquid interius intelligere. Animal enim non videtur significare totum, quod est in homine, & in equo, & asino: sed partem essentiæ non dico materiam, & formam, sed vtrumq; in omnibus, sed quatenus consimilem cuncta animalia materiam, & formam habent, consimilitudinis vocabulo nominantur: quod autem habet hoc, vel illud animal vltra id, in quo conuenit coëssentialibus ab ly animalis vocabulo non significatur (vt probant argumenta Aristot. contra Platonem in cap. 9. posita.) Sed tamen nec excluditur. Ergo cum dicitur psithacus est animal, si psithacum ipse non viderim vnquam, statim intelligo ipsum habere motum, & sensum, & organa, sicut cætera quæ vidi animalia: sed non

prorſus conſimilia. Cum vero dicitur, eſt animal alatum, ſtatim intelligo habere ſenſum, & motum, & figuram ſicut aues, & non ſicut piſces, & quadrupedia, & reptilia. Ergo differentia prædicat genus, ſed genus non differentiam. Et ly alatum, quatenus eſt genus auium non dicit, niſi in quo Pſittacus cum auibus conuenit: at in quo diſconuenit, tacet, non tamen negat. Vltima autem differentia, vt ſi eſſet, imitans vocem hominis, aut aliud huiuſmodi, diſtingueret ipſum. Ergo verum eſt, quod Definitio & Definitum ſunt idem re, & ratione, & idem prorſus ſignificant: ſed genus non notificat differentiam, nec ſpeciem, quam definit, niſi addita cum differentia. At, inquiunt, ſi genus non ſignificat totum, ſed partem: pars autem cum de toto minimè prædicetur, nequaquam poſſemus dicere, hoc eſt animal. Sed hæc ratio nihil probat. Dicimus enim, homo eſt muſicus, & tamen ly muſicus, non de corpore, ſed de animo dicitur. Verum de toto dicitur, quia de parte, ex qua totum dominatur: Dicitur quoque Æthyops niger: conſtat autem ſolum in pelle eſſe nigrum. Prædicatio ergo hoc non conuincit: quoniam nec dicitur, homo eſt humanitas, vel animalitas. Conſtat autem humanitaem dicere totum hominem: nam licet non indiuiduantes partes dicat, reſpectu quarum videtur non totum dicere: tamen totam ſpeciem ſignificat: eſt enim forma totius, ergo vel de ſpecie, etſi non de indiuiduis diceretur: ergo ly animal, non prædicatur, quia dicit totum, ſed quia dicit eſſentialem ſimilitudinem hominis cum feris. Rationale autem dicit totum. Sed quia ly animal non præſcindit ſignificatum hominis, nec negat ipſum, ideo indeterminatè ipſum dicere dicebamus: vel dicendum eſt, animal dicere totum hominem, quia materiam, & formam, ſed non totaliter, quia non modum materiæ, & formæ exprimit, ſicut facit differentia: & licet differentia in formali ſignificato non dicat genus, tamen includit illud materialiter: quoniam modus non eſt, niſi alicuius modus: & quia totalitas ſequitur totum, & determinatio indeterminatum, ritè dicitur genus præponi, & differentia poſt poni: præter id, quod diximus, quod notitia communis præcedit particularis.

In his autem, quæ per additionem definiuntur adhuc idem videtur aſſerendum. Nam ſi ſimitas dicitur eſſe naſi curuitas: ly curuitas ſimilitudinem figuræ naſi cum aliis eiuſmodi dicit in communi. Sed per naſum diſtinctio fit talis curuitatis ab aliis. Et ideo eadem ratio. Atque etiam ſi dico, ſimum eſt naſus curuus, ly naſus dicit quodlibet in cõfuſo ſubiectum tam ſimitatis, quam aquilinitatis: per ly curuus vero, ad propriam ſpeciem trahitur: & verè quia accidens per ſe non eſt, ſed in alio, videtur eſſe illud ita affectum: vt iure poſſit dici, ſimum eſt naſus curuus: & quieſcens eſt frigus operans: & lux calor apparens, & tenue, corpus expanſum: vbi patet, nihil differre quid ponas loco generis in huiuſmodi rebus, dum tamen communitas, & particularitas notitiam totam præſtent definiti. Cæterum rectiori ſermone dicetur, lux caloris apparentia, & ſimitas curuitas naſi, quam ille calor apparens, & iſta naſus curuus: quoniam ly apparentia, & ly curuitas, vniuerſaliora ſunt calore, & naſo, & plurium intuitum mutuum præſeferunt.

Nota quoque proprietates per cauſam efficientem definitas recipere illam in abſtracto, & concreto, in recto, & obliquo: materiales vero non aliter quam dixere Peripatetici. Cætera in prioribus ſermonibus de prædicatione patuerunt.

Verumtamen prætereundum non eſt, quod quando nomen commune materiæ, & formæ deficit, & per materiam, & formam datur definitio: poteſt & illa, & iſta præponi, ſicut in accidentis ratione. Dicimus enim, domus eſt lateres in quadrum diſpoſiti: & domus eſt quadrum ex lateribus compoſitum: quoniam æquè communis eſt forma, ac materia, & æquè primo notificat. Nec opus eſt addere differentiam: quoniam materia, & forma explicant diſtinctè eſſentiam, quam genus vna voce explicat confuſè. Si enim dico, domus eſt ædificium, non ſtatim manifeſto propriam materiam, & formam, ſed oportet addere lateritium, quadratum: ex quo innoteſcit ratio, qua generi additur differentia: & materiæ, & formæ nihil additur: & cur genus oportet præponi: at ſiue materiam, ſiue formam præponas, nihil referre, cum ſint ipſum genus ſimul explicatum: & cur accidentia definiuntur per materiam, aut cauſam, & per propriam formalitatem, & nihil referre quid cui præponas. Verum ſi adhuc alia differentia magis explicatiua fuerit addenda, vtique poſtponenda erit materiæ, & formæ communi ob cauſas paulo ante dictas: vt domus eſt lateres in quadrum poſiti ad protegendum ab æſtu, frigore, & hoſtibus. Quomodo autem quatuor genera cauſarum definitiones conſtituant, dictum eſt prius.

Entia autem ſimplicia, quæ ex forma, & materia non componuntur, nullo pacto definiuntur per additionem, nec genus vnquam poſtponitur, quoniam in eis ſimilitudo pura, & differentia eſt diſſimilitudo, quæ neceſſario ſubſequitur. Ideo quid ſit Cherubin. Reſpondetur, Angelus ſecundi Chori primæ Hierarchiæ plenitudine ſapientiæ præfulgens: & licet hæc ſit ratio nominis, tamen quidditatem ſubintelligit, ſed à longè, ideo ad deſcriptionem declinat.

Modus venandi quidditatem quisnam aptior.

ARTIC. II.

QVONIAM definitiones sunt principia demonstrationum doctrinalium. Principia autem sensuum experimento haberi, in primo libro probatum est: experientiam vero esse multarum memoriarum eiusdem rei confirmatam collectionem: hinc fit, vt rectè dictum sit per collectiuam methodum venandam esse quidditatem. Et quia constat ex his, quæ per se, omni, & semper insunt definito: experientia testis erit, & iudex illius. Quoniam enim semper vidimus homines, hunc & illum, & illum sensu, & ratione in corpore organico vigere: & non per accidens hæc illi aduenire, vti albedo, aut timiditas, aut sedere: accidens enim non semper inest, nec eidem speciei, aut generi, sed multis, & diuersis, idcirco hæc essentialia esse homini, concludimus: & sic definitionem formamus. Sensui autem hæc innotescunt ex actione, passione, figura, & aliis generibus considerationum in 1. lib. positis, iuxta rationes præiactas in lib. 1. ex quibus singillatim formamus nomen, quod definitio est imperfecta, finiens laborem venandi, & significatum rei inuentæ: exque omnibus deinde simul intellectis complet definitionem perfectam, de qua est sermo præsens. Quapropter non indoctè Arist. venatur per collectionem sensilium quod quid est. Sed sui oblitus mox certitudinem dat intellectui, & subtrahit sensibus: & cum ait: Principium peti in ratione inductiua particularium, fallitur: quoniam accidentalia indigent numeratione omnium indiuiduorum, quod est impossibile. Essentialia vero per multa sæpè inspecta rectè concluduntur syllogizando idem de cæteris. Non enim oportet, omnes triangulos, qui sunt in mundo inspicere, vt sciamus omnem triangulum habere tres æquales duobus rectis: sed cum bis, aut ter expertus fueris sufficit, præsertim in Mathematicis, quæ non fiunt in materia concreta effugiente formam ipsorum. In simplicibus quoque ob potentiam sui manifestatiuam idem euenit. Nam si bis, aut ter ignem calefacere senseris, sufficit, vt omnem ignem calidum esse dicas. At non ita in decompositis. Non enim quia bis, aut ter purgauit choleram reubarbarum, statim esse choleræ purgatiuum dices. Potest enim per accidens hoc effecisse. Quapropter oportet inspicere prædicata per se, per experientias multas; latent enim mistarum rerum vires, & differentiæ, & proprietates, quoniam sunt confusæ, debiles, nihil, aut parum se se manifestantes. Cum autem per huiusmodi inductiones multas à nobis, & aliis factas, rerum similitudines, & dissimilitudines essentiales collegerimus per inspectionem decem considerandorum; tunc definitionem adaptare pernoscemus.

Posthæc Diuisiua Methodus vtilis erit ad declarandum discipulis, quæ longo labore nostro, & alieno colligimus. Diuisio ergo pertinet ad doctrinam, compositio ad inuestigationem. Demonstratio sensitiua ad compositionem. Sed quæ Demonstratio procedit ex principiis artis, non ad definitionem pertinet: quoniam ipsa Definitio vt principium Demonstrationis præcognoscitur qua diximus via: sed ad docendum vtilis est, & ad inuestigandas consimilium definitiones, vel applicandas ab vniuersali definito ad particularia. Si enim Isosceles est triangulus, habet tres æquales duobus rectis. Verum cum eiusdem rei sint definitiones plures, alia per causam materialem, & formalem, alia per finalem, mutuo demonstrantur, sicut & causæ, vt declaratum fuit.

De Diuisione ad *Quidditatem*.

ARTIC. III.

ARS Diuisiua, ac Definitiua apud veteres desideratur. Sed de Definitione plura dixerunt, & nos iam omnia comprehendimus ad ipsam pertinentia. De Diuisione autem in Cathegoria de Dissimilitudine cuncta propè modum consideranda considerauimus. At pauca adhuc tangere non grauemur & in p.log. specialem fecimus tractatum. Diuisio opponitur vnitati. Vnitas ergo non potest diuidi, nisi includat in se multitudinem aliquorum coniunctorum, quæ faciunt vnum totum: est ergo aliud totum integrale, vt domus constans ex parietibus, tecto, lignis, & in hæc diuiditur: est & totum essentiale, vt homo constans ex anima, & corpore: & ignis ex calore, & tenuitate. Datur & totum virtuale, vt anima habens virtutem intelligendi, sentiendi, memorandi, volendi, operandi. Datur totum quantitatiuum, vt linea constans ex suis partibus: horum totorum nullum prædicatur de suis partibus, nec partes de toto, nisi in obliquo. Totùm definibile est, totum essentiale. Tandem datur totum vniuersale Physicum, vt idea: & vniuersale notionale: cuius nunc diuisionem indagamus. Quod est communitas multorum similium vno nomine signatorum, & iuxta similitudinum numerum sunt communitates, & totalitates. Est totum æquiuocum, cuius diuisio est vocis insignificatæ. Analogum, cuius est per essentiam, aut per imitationem, aut per participationem, & per accidens, cuiusmodi ens, & transcendentia diuiduntur in genera. Et totius vniuocè, in vniuocata: & sic diuiditur genus in species. Diuisio ergo pertinens ad definitionem colligandam primo est, vt sequestrentur, quæ conueniunt definibili per accidens ab his, quæ per se. Omnia prædicata seu notiones

diuersi generis conueniunt per accidens: eiusdem vero per se, cum exceptionibus alibi dictis.

Vt autem definitum proximum, propriumque genus habeat, diuidendum generalissimum per oppositas differentias, non accidentales, sed essentiales in quolibet genere. Non ergo dices, figura alia alba, alia nigra, quoniam nigrum, & album sunt alterius generis, & ideo per accidens. Nec color alius cælestis, alius humanus, quoniam esse in cælo, vel in homine accidit colori. Generalissimi autem extremas differentias diximus in 2. lib. sub qualibet cathegoria esse contrarias, & non priuatiuas, aut negatiuas: subalternorum vero esse differentias sed latere contrarietatem in omnibus, vel non esse præterquam in formis actiuis de genere naturæ. Quapropter à supremo genere inferius secando procedere periculosum est. Regula tamen vniuersalis est, vt diuisio fiat per differentias per se, secundo per contrarias, tertio per duo membra, vel per reducibilia ad duo. sed vbi sunt plures species eiusdem subalterni, latet bimembris Diuisio, nec fieri potest, nisi per priuatiuam: vt per rationale & irrationale. Sed hoc est condiuidere vnam speciem contra reliquas, quod non ex arte, sed ex necessitate fit. Quarto vt membra diuidentia non excedant diuisum, nec diuisum diuidentia: respectu primi non valet hæc animalis diuisio in aquaticum, terrestre, aëreum, & stellatum. Non enim in stellis animalia esse scimus. Respectu secundi neq; ista, aliud aëreum, aliud progressiuum, aliud natatiuum: nam sunt animalia, quæ in terra gradiuntur, & in aqua vicissim viuũt, vt Rana, Hippopotamus, Cãcer: vt autem non effugiat diuisionem, quod definiendum est, omnes partes notionis seu communitatis genericæ numerari debent, aut si nequit, fiat diuisio per differentias primo communes prædicabiles de multis speciebus, vt volatile, progressiuum. & aquatile, & mistum: vt mox subdiuidatur illud membrum sub quo similitudinem habet definibile: vt progressiuorum aliud reptile, aliud bipes, aliud quadrupes, aliud multipes: vel fiat diuisio per perfectum, & imperfectum, quod priuationem, & habitum dicunt, sicuti genus lapidum diuisimus: & deinde perfectorum, alios diximus transpicuos, & albos, vt adamas: alios transpicuos non albos, vt pyropus: alios albos non transpicuos, vt marmor: alios nec albos, nec transpicuos, vt pipernus: & si enim differentiæ huiusmodi accidentales videantur, cum postea causas earum in prædictis speciebus consideraueris, inuenies rationes essentiales earundem. Ita in Physicis eisdem nostris diuidimus Plantas à figura, ab ætate, à foliorum fluxu & retentione, à tempore, & modo fructificandi, & florendi; & ex his internas differentias inuestigauimus: & quidem necessariũ est ita procedere, sicut ex modo Philosophandi apud Telesium, & Galenum, & Hippocratem, aliosque diligentissimos obseruatores, intelligere licet. Cum ergo quid sit pyropus dicere cupis, non ad substantiam, & corpus, subito perges, genera remota, quæ diuidere difficile est, sed ad lapidem, genus propinquum: sed non peccasti, si à principali orsus bene distinxisti. Atqui si naturas rerum per sua principia, elementa, & causas inuestigaueris quidditates accepisti: si per huiusmodi vniuersalia, inaniter cum Lullio laborasti. Similitudines autem, & dissimilitudines essentiales, & accidentales peragratus fructuosè fueris, cum in seipsis rebus, & non in proprio arbitratu illas contemplatus fueris, has ob res decem consideranda proposuimus. Quomodo autem res distinguantur per ea. quæ non sunt seu generis, & nominentur distinctiones ipsæ propriis vocibus, inæqualis difformitas, discordia &c. & conuentiones, oppositis propriis, secundus liber manifestauit: vbi & distinctionum genera, & species apud scientiarum artifices, & secundum naturam demonstrauimus penes causas omnes. Non enim sufficit diuidere animal in rationale, & irrationale, nisi scias, an distinguatur hoc ab illo per materiã, aut per formam, aut re, aut intellectu, vt ibi declaratum est: & in Logica &c.

T. CAMPANELLÆ PRIMÆ PARTIS METAPHYSICORVM LIBER QVARTVS,

QVI DE ORGANO SCIENT.

DIFFICVLTAS IN MODO SCIENDI construendo, & Antiquorum circa hoc insufficientia.

CAPVT I. ARTIC. I.

RERVM naturas cognoscere difficile quidem est; ac modum cognoscendi longè difficilius. Idcirco plurimi de rebus dixerunt: de modo vero pauci, qui & in hoc valdè hallucinantur: dum vel proprio arbitratu ipsum effingunt, vel aliorum decreto. Arduum est enim animæ cognoscentis naturam, & operationes, insensibiles penè, sentire: nam & ipsum sentire alienorum impedit sensum sui: sicuti in 3. par. docebimus. Quapropter instrumentum sciendi conficientes, quod dialecticam vocant, nequaquam ex natura, & actibus animæ ipsum conficiunt, sed ex aliorum dictis, & arbitratu. Regnauit quidem Aristoteles tempore multo quamuis à Patrib. damnatus, & à Synodo, & Academia Parisiensi, & à Gregorio IX. Papa, quando alij Autores Græci ac Latini perditum iuerant, & quoniam ausus de omnibus pronunciare, & sciendi modum aperire qualemcunque, quando posteriores cæteri (rei difficultate perculsi) satis esse putarunt, scire dicta Aristot. cum res naturæ non possent. Sic Apellis discipuli ex typis Apellis pingunt, non ex natura, sicut magister eorum, exemplaria sumentes; & ipse Arist. poëticam facit non secundum Naturam, sed, sicuti ab Homero, & Euripide poëtatum esse obseruat, exque eis regulas deducit. habet in Rhetoricis exemplar Lysiæ, & Isocratis: & in Dialectica tandem conficienda Mathematicorum vsus est modo procedendi. Quapropter labor nobis nimius in scientiarum fundamentis propalandis, & stabiliendis relictus est.

Quæ dicta sunt, & quæ dicenda seriatim manent circa sciendi instrumentum.

ARTIC. II.

CVM igitur in primo lib. animam eiusque operationes, quatenus cognoscenti sunt rationi lumẽ, patefecerimus: in sequentibus sermonibus secundum esse suum patefaciendam luculentius: statuerimusque, sensum esse scientiarum januam, basim: & semina scientiarum in rationum vocabulis fundauerimus, quæ sunt diffinitiones rerum imperfectæ, ex quibus per omnia sensoria, potestatoria, & appetitoria notis, & in memoria retentis, & discursu amplius cognitis, perueniebamus ad intelligentiam eorum, quæ latent in rebus, & ad iudicium totale, quod in potestatiuo vocatur determinatio; in cognoscitiuo assertio, & negatio; in appetitiuo, electio & reprobatio. Propter quæ decreta, quæcunque nobis precognoscenda sunt in 2. lib. aperuerimus, & in 3. lib. quo pacto res consimiles vna notione cognoscere,

vnoque nomine componere, atque etiam illud vnum diuidere accidentaliter, & essentialiter, docuerimus, vt quid quibus conueniat, & quæ separet intelligeremus, vnde & sermonem Epilogare de eis per definitionem, dicentem, in quo sunt vnũ, & in quo differant, disputauerimus: reliquum est, vt modum inuestigandi in similibus, & præsentibus, similia, & distantia, probandique nobis, & cæteris, nos audientibus, res dubias & ignotas, ex notis, certisque, ac ritè inspectis, doceamus, & notitias certas faciamus principia incertarum in cognoscendo, vnde mox scientias humanas suis originibus clarificatas ostendemus, & inter se diuidimus prout mortalibus congruit: intelligentes quidem alia ratione longè eminentiori secundum rerum naturas, & Angelorum vsum, constitui, si quis cum eis melius sapiat.

Syllogismo inuestigari, & ostendi solummodo incerta, & sub lumine rei nobis certæ illis persimili, & hanc vocari medium & lumen.

ART. III.

QVÆCVNQVE certissima nobis notitia patent, syllogistico discursu minimè inuestigamus. Inuestigare enim est ignotum dubiumque quærere; notissima vero sunt, quæ sensui patent; vt Romanis nemo ostendere præsumit, Romam esse; neque solem lucere oculatis; neque Petrum currere videntibus eundem currere. Probare autem aggredimur, vbi quis dubitat de his, quæ videt, vel sensus imbecillitate, vel proteruia, vel si dubitet de modo rei visæ. Probamus enim Aristoteli, putanti, solem non lucere per se, sed lumine facto per ipsum, percutiendo aërem, igniendoque, non quidē probantes, quod lucet sol, sed quod non lucet ea, qua putat ipse ratione; & insanienti Romano, secus opinanti dicimus, ipsum esse Romæ, ostendendo moles Romanas, & quæcunque Romæ notissima sunt. Quapropter, quoniam dubia tantum modo syllogizamus, vel certa quæque, si qua in parte, vel modo incerta sunt, & non nisi cui incerta sunt, propterea modum probandi, & inuestigandi aperire oportet.

Vt quidē in superiorib. declarauimus, ea quæ nullo pacto sentimus, nulla ratione cognoscere valemus, quæ autē nullo sensui exposita cognouimus, eatenus cognoscimus, quatenus nobis sensui notis similia sunt. & quia quatenus similia sunt, vnum sunt, idcirco sentire illa nostro accidit non in se, sed in similibus, quibuscum sunt vnum. Ergo quot sunt species similitudinum, secundum naturam, tot sunt syllogismorum fundamenta seu sedes. Alia ergo cognoscimus persimile in substantia, alia persimile in quantitate, alia loco, tempore, operatione, actione, passione, forma, differentia, & consimilitudine, sicuti in 2. lib. declaratum est. Illud autem simile, per quod aliud simile agnoscitur, vocatur nobis lumen, quia in eo quasi in lumine multa inspicimus. Aristoli ver vocatur medius terminus: licet neque intelligere videtur, qua ratione nobis aliud repræsentet, sed tanquam ab aliis acceptum hoc proponit. Discursiua ergo notitia ex præexistenti semper fit cognitione; non sic autem sensitiua, nisi rerum notitia indita, sopitaque nobis sit, & per sensum expergiscatur.

Medium esse causam conclusionis semper in cognoscendo, in essendo verò quandoque sic, quandoque non. Ideo duplicem esse modum argumentandi. item variari, iuxta genera causarum, & cur formalis videtur magis ostensiua.

ART. IV.

MEDIVM ergo notificans ignotũ, habet rationem causæ, non quidem semper in essendo, sed tamen semper in cognoscendo. Ex eo enim quod magnes trahit ferrum, cognoscimus amorē, & sensum ferri. Trahitio a. effectus est amoris non causa. quę vero de Deo scimus per effectus scimus: qui tamen sunt nobis causa cognoscēdi, nō a. Deo, aut naturę. Quapropter alia probatio syllogistica per causam est in essendo, & cognoscendo, sicuti probamus, mense Iulio futurũ æstum, quoniam sol causa eius nobis prænotissima, tūc super Zenith nostrũ spatiabitur. Alia verò ab effectu, vt vapores calidos esse intra nubem, quoniam fulgurat. ipsum tamen fulgurare causa nobis est hoc cognoscendi. Quot a. sunt causarũ genera, totidem sunt & mediorum differentię, quib. in scientiis vtimur. Alia a. causa est actiua, quæ multiplex, vt patuit in 2. lib. alia materialis, passiuaq; alia formalis, alia idealis, alia finalis, alia perfectionalis. Medium ergo ex omnib. his causis, & omnib. effectibus eorũ sumere conuenit. Omnis a. causa eatenus effectum ostendit, quatenus est illi similis, & è conuerso; sed quia quatenus similis significat, & ostendit: est enim simile quasi simile vnum cum suo simili. Ideo quatenus signum causæ, & effectus sunt vnum, sese manifestant. Vnde datur tertia ostensio à signo quod nec causa, nec effectus est.

Sed quia omnis similitudo est forma, videtur causa formalis esse maximè, propriè signum, præcipuũque syllogizandi munus habere. In causa namque actiua ostendimus, lignũ esse calefactum, quia igni callido appropinquatum est. Forma ergo caloris in vtroque est similitudo causans syllogismum. similiter probo, hoc fulmen materia sulphurea concreuisse, quoniam sulphur olet; sulphureitas autem quædam forma est in vtrisque similibus. Item ideali patet, nam quis probare potest, hanc scriptu-

ram esse Thomæ Campanellæ, quoniam similis est aliis eius scripturis, ab eadem idea similiter effectis. A finali quoque per formam syllogizamus: Dicimus enim, propter sanitatem medicinam potasse Petrum, quatenus medicina formam sanitatis aliquo pacto continet, aut alij simili modo sanati sunt & idcirco domum debere parietibus, & tecto constitui, vt nos defendat ab æstu, & frigore, & hostibus; quoniam, quæ possunt defendere talis sunt formæ & materiæ. Perfectio autem est quasi formati forma, ad vsum spectans immediatè. At vero de formali in cunctis patet. Ideò enim scalenus habet tres æquales duobus rectis, quia est triangulus: est autem triangulus, quoniam omnino similis in forma est aliis triangulis: & Petrus est rationalis, quoniam est homo, est autem homo, quoniam habet formam hominis. Agens ergo dat formam, finis exigit, idea ostentat, dirigitque: materia suscipit; forma consimilat, perfectio vtitur. Idcirco omnis causa non physicè, sed notionaliter sumpta: quatenus in cognoscendo est causa, formalis est causa, siue illa sit effectus, siue causa naturaliter, siue concausa, siue coeffectus, quoniam est idea, etiam similitudinis ignoti Entis: idea autem forma est quædam, vt prius dictum est, maximè autem quando intellectum dirigit, idea dicitur, ideoque signum.

Qua ratione ex rerum conuenientia, & disconuenientia fiunt propositionum genera præcipua quatuor, eas significantium, & probandarum.

ARTIC. V.

QVONIAM pertinet ad essentiam rei prænoscendam non modo scire quid sit, sed etiam quid non sit: alioquin aliud pro alio accipientes, deciperemur; idcirco fit in anima cognoscente coniunctio & separatio Entium; quæ proferuntur postea per affirmatiuam, & negatiuam propositiones. Affirmamus autem, aut negamus aliquid de aliquo interdum singulari, vt dicentes, Petrus currit, coniungimus Petro actum currendi; &, Petrus non est, negamus de illo actum existendi. Interdum verò de singularibus indeterminate, vt cum dico, aliquis homo est poëta, aliquis vero non: & sicut primo modo fit propositio singularis, sic secundo modo indefinita, eò quod pro quolibet singulari, & non pro hoc determinato, verificari possunt, aut falsificari. Aliquando vero de omnibus singularibus vel particularibus eiusdem generis, vel speciei, hoc est, communitatis magnæ vel paruæ, in quibus consimilis est natura, vt in 2. lib. ostensum est, affirmare & negare contingit, & tunc dicitur fieri propositio vniuersalis, vt omnis homo est rationalis, & nullus homo est lapis. Non contingit autem aliter variari propositiones, quoniam in rerum natura res vel inest rei, vel non inest. Iterum, aut omni rei consimili, vel alicui, vel huic tantum inest, vel non inest. Quapropter fit vt inuestigemus, ac doceamus, vel vniuersalem, vel particularem (qui cum singulari reponitur) & rursus vtramque, vel affirmando, vel negando. Quatuor ergo tantum sunt propositiones inuestigabiles, ostendibilesque per syllogismum.

Parentesis, qua admonetur, propositiones fieri vniuersales, & particulares, vel ex signo rei, vel temporis, vel loci, id est penes essentiam naturalem, & accidentalem, vel existentiam.

ARTIC. VI.

QVONIAM fiunt propositiones vniuersales ex vocibus vniuersalibus significantibus rerum communitates maiores, vel minores, quæ sunt vnum, quatenus sunt similes, idcircoque vno nomine communi donantur: Similitudo verò est multiplex, vt in secundo libro ostensum est, videlicet essentiæ, temporis, loci, figuræ, coloris, actionis, passionis, operationis, &c. propterea propositiones fiunt vniuersales totidem quoque modis. Omnes tamen reducuntur, vel ad essentiales, vt quæ fiunt ex eiusdem generis, aut speciei induiduis, vt omnis homo est animal, & omnis albedo est color; vel accidentales vt omnis homo est albus, & omnis triangulus est ligneus. & hæ explicant esse. Sed quę fiunt ex loci, & temporis vniuersalitate, fundata in eorum similitudine prædicant existentiam primo, & non in terminis subiectis & prædicatis habentur, sed in localibus & temporalibus circumstantiis. Hæc enim vniuersalis est, semper Petrus legit; vel, quando legit, vel quandocunque, & vbi, & vbicunque, & ex ea infertur particularis, vt quando Petrus legit, laborat; nunc legit, ergo nunc laborat. Semper Deus est bonus, ergo hodie & cras. &c. & probatur sicuti cæteræ vniuersales, de quibus in superiori sermone.

Qua ratione fit, vt in omni diſcurſu tres res requirantur, & termini tres, & propoſitiones tres; & de fundamento ſyllogiſmorum, & virtute medij.

CAP. II. ART. I.

TRES quidem res in omni diſcurſu tanguntur: idcirco tribus vocabulis ſignificatur, qui termini dici ſolent in Logica, eo quod rei ſignificatæ terminant, limitantque naturam illam, vt non aliam percipiamus tali ſigno. Vnde definitio vocatur terminus perfectus, vocabulum vero imperfectus quoniam non totam totaliter rei naturam ſignificant vocabula noſtra, ſed Angelica fortaſſis totam prorſus ſignificant; ideoque illis omne vocabulum eſt definitio, non autem nobis, niſi in pauciſſimis. Tres igitur res propterea inſunt diſcurſui, quoniam aliquid incertum, de aliquo quæritat, vt in hac, vtrum homo ſit immortalis, quærit immortalitatem de homine. Quia autem, vt diximus, incertum ſciri nequit, niſi per aliud certum, quod eſt lumen illius, idcirco requiritur tertium quod illuminet, & quæſtionem abſoluat, ideoque ſemper notius eſſe debet. Et quia tres ſunt res atque termini, tres oportet formari propoſitiones in omni diſcurſu, propterea quod medium ſemel copulatur cum vno, & iterum cum altero termino, quibus affulget. vnde mox duo termini iã illuminati patent, & certi nos reddimur, vtrum debeant coniungi, vel diſiungi, affirmari, vel negari prout res ſignificatas per terminos illos, (quorum alterum vocare licet maiorem, alterum minorem extremitatem) iam videmus coniunctas ſub tali lumine, vel diſiunctas. Noſtrum enim affirmare vel negare rebus concordare debet, vt ſit verum: non autem è conuerſo: ſic ergo dicemus, infinitum eſt immortale, animus humanus in cognoſcendo, & appetendo eſt infinitus: ergo eſt homo ſecundum animam immortalis, & hoc eſt quod quærebamus de homine, & ſub lumine infinitę intellectionis, & appetitus, coniunctæ cum homine & cum immortalitate, eſſe in homine immortalitatẽ, palam factum eſt.

Verum enim vero id, quod volumus concludere in vltima propoſitione quæſita, aliquando affirmatur, aliquando negatur. At cum affirmatur, oportet medium terminum vtrique conuenire, & de vtriſque affirmari propter ſimilitudinem, quam habet cum vtriſque eſſentialiter. Non enim ſunt inter ſe ſimiles, & conuenientes illæ res, quarum altera eſt ſimilis tertiæ rei, ac perinde vna: altera diſſimilis, & non conueniens. Si enim paſſer, & volatus non conuenirent cum alato, nequaquam concluderemus paſſerem volare, ex eo, quod eſt alatus.

Quando vero concluſio eſt negatiua, tunc oportet medium inuenire, quod conueniat alteri extremorum, alteri vero diſconueniat. vt ſi probandum ſit, Petrum non eſſe album, medium erit fuſcum, quod Petro ineſt. & non ineſt albo. Ergo concluſio negatiua: neceſſario requirit alteram præmiſſarum negatiuam alteram affirmatiuam. Si enim vtraque ſit negatiua tunc medium non conuenit ſubiecto, neque prædicato concluſionis. Ergo non illuminat, neque docet aliquod de illis, vt ſi dicas, linea non eſt alba, Petrus non eſt linea; ergo Petrus non eſt albus) nequaquam ſequitur. ſi vero vtraque ſit affirmatiua conuenit medium ſubiecto & prædicato, ergo copulabit ea, & non diſiungit, igitur negatio concludi non poteſt.

Quid perperam, & quid rectè Peripatetici de ſyllogiſmorum ſtructura tradiderunt.

ARTIC. II.

NIHIL conſiderantes Peripatetici, quo pacto res ignota non poteſt per notam ſciri, niſi ea ratione, quà ſunt vna res, per ſimilitudinem quę influxus eſt vnitatis, omiſſa radice hac, tradunt in prioribus Analyticis materiam ſyllogizandi inueniendam eſſe in tribus locis, videlicet in antecedentibus, & repugnantibus. vocant antecedens illud, quod in linea prædicamentali non ponitur alio poſito, ſed è conuerſo: conſequens vero, quod ponitur: quapropter omnes vniuerſaliores notiones ſunt conſequentes ad inferiores in argumentatione. Poſito enim Petro ponitur homo, animal, & ſubſtantia, ſed non è conuerſo: non enim ſi eſt animal, eſt homo. Cum ergo medium, in quo iunguntur, aut diſiunguntur extrema concluſionis, Peripatetici docent, dicunt ad concludendam vniuerſalem affirmatiuam, ſumendum eſſe medium conſequens ſubiecti, & antecedens prædicati. Ad concludendum vero particularem affirmatiuam adducunt medium antecedens ſubiecti ac prædicati; ad vniuerſalem negatiuam dant medium conſequens, alterius extremorum, alteri que repugnans: ad particularem negatiuam afferunt medium antecedens ſubiecti, & repugnans prædicato: dicunt autem repugnare id, quod alteri coire nequit, idcirco negandum eſt de illo, vt Aſinus de homine: nunquam enim dicimus, homo eſt Aſinus.

Nos autem putamus, quod etiam ſi non antecedat, neque ſequatur in Cathegoria medium ad ſubiectum & prædicatum, ſed cum illis conuertatur, etiam probaret ſyllogiſmum. Virtus enim concludendi hoc de hoc per illud, eſt in illo, quatenus eſt

nus eſt illud ſimul hoc, & hoc, vel in hoc, & in hoc per identitatem aut per coniunctionem. In hoc enim, homo eſt animal rationale, fit prædicatio affirmatiua coniungens notiones, non res. nam eadem res eſt homo, & animal rationale. In iſta verò, homo eſt albus, coniunguntur notiones, & res duæ, quæ in Natura reperiuntur ob coexiſtentiam copulari. Alia tamen res eſt homo, & alia albedo. Medium autem habens vim coniungendi debet eſſe vnum in Natura cum extremis. Licet ſit duplex in notionibus; & hoc in vniuerſali affirmatiua probanda; in particulari enim ſufficit, vt cum altero extremo ſit vnum, cum altero verò vnitum licet non vnum; vt omnis caloris facies eſt albedo: Petrus eſt albus, ergo habet faciem caloris. Aliquando etiam ſufficit, vt ſit vnum eſſentialitate, & non eſſentia. Dicimus enim, omne lucens eſt igneum, omnis ſtella lucet, ergo omnis ſtella eſt ignea. vbi ly lucens eſt cum ſtella vnum, tanquam eſſentialitas, non tanquam eſſentia, fluit tamen ab eſſentia ſui, & coniuncta eſt. Ad concludendum verò negatiuam, erit vnum eſſentia, vel eſſentialitate, vel de eſſentia exiſtentiæ, cum altero extremo: cum altero verò oppoſitum aliqua ex nouem oppoſitionibus dictis in lib. 2. ita quod ſint incompoſſibilia, & valebit concludere, quod hoc non eſt hoc, propterea, quod illud non eſt hoc, vel in hoc, ſed eſt hoc ſolum, & in hoc.

Alij etiam in Peripato, vim ſyllogiſmorum in ea Mathematicorum aſſertione locant, quæcunque ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe, & è contra, quæ nō æquantur tertio, neque inter ſe, vt ſi linea. A. C. eſt æqualis lineæ. F. G. & linea B. D. eſt ſimiliter æqualis, eidem F. G. tunc neceſſario. A. C. eſt æqualis B. D. at ſi altera æquatur cum F. G. altera non, tunc neque inter ſe æquabuntur. & hoc patet: at ſi neutra æquatur, haud propterea non inter ſe æquatur. Ergo regula ſupplementum deſiderat; non enim quia iſte, & ille quinarius non æquantur ternario, propterea non erunt inter ſe æquales. ſunt enim: ſed ergo, à duabus negatiuis non ſequitur affirmatiua; ſed ex alia ſimilitudine affirmata, inter ſubiectum & prædicatum conſequetur. Igitur oportet ſemper medium conuenire, vel vtrique, vel alteri tantum extremorum in omni genere ſimilitudinis: & ſic concludere datur affirmatiuam vel negatiuam.

Ad notandum, quod quæcunque ſunt ſimilia vni tertio ſunt etiam ſimilia in ſe, non quidem omnino, ſed in quo illi tertio aſſimilantur; non enim duæ lineæ æquales vni tertiæ, ſunt albæ vtræque; ſed tantum vtreque pedales, vt illa tertia. ſimiliter quæ non conueniunt vni tertio, inter ſe in cunctis non propterea diſconueniunt, ſed in eo, quo in illo tertio diſconueniunt: vt ſi Petrus & Paulus diſconueniunt in eſſe albo. non propterea diſconueniunt in eſſe muſico. Ideò ſi Petrus eſt albus, & Paulus non eſt albus, non ideo dicemus, Paulum non eſſe muſicum, qualis eſt Petrus, ſed non decorum, qualis Petrus ſi tamen decor ſit albor in homine: vnde, & rectè Theologi dicunt haudquaquam Patrem, & filium eſſe idem in perſona, eo, quod ſunt idem in ſubſtantia diuina. ſed idem tantum eſſentialiter. neque è conuerſo: ſic & nos dicemus de Potentia, Sapientia, & Amore Patet ergo quale medium in affirmatiuis, & quale in negatiuis accipere oportet. Fundamenta ergo duo ſunt ſyllogiſmorum: omne ſimile in quantum ſimile, eſt vnum cum ſuo ſimili; & in quantum diſſimile, ſeu in quo diſſimile, eſt oppoſitum aliqua oppoſitionum ante dictarum.

Principia ſyllogiſmorum propoſitiones vniuerſales: quæ probantur figura inductionis ex ſingularibus, vel æquipollenti excluſiua. ſingularia vero figura ſyllogiſmi ſenſati, & quare.

ARTIC. II.

ALIA quidem argumentatione inuenimus demonſtramuſque principia cognitionis, & alias concluſiones ab illis manantes. Prius enim noſſe oportet particularia in methodo inuentiua, deinde vniuerſalia particularia probantur argumento, Cuius medium eſt ſentientis ſpiritus ſignum, & nota & lux: vt ſi quis cupiat probare. quod ſol luceat, ita faciet, vt à primordio pueri. Hoc corpus lucet, & hoc eſt ſol. ergo ſol lucet. vbi ly hoc coniūgitur ſemel cum lucet, & ſemel cum ſole: vnde rectè concluditur, ſol lucere. quæ enim ſunt eadem tertio, ſunt inter ſe. Pronomina ergo demonſtratiua ſunt medij termini in probatione ſingularium: quoniam ſenſus ita cognoſcit per intuitum rei, quam illud pronomen prodit: ſimiliter probatur indefinita, vt homo currit, vel aliquis homo currit: nam dicimus, iſte currit, vel Petrus currit. & iſte, Petrusve, eſt homo: ergo homo vel aliquis homo currit; ſed cum illud, quod videmus, incertius eſt nobis, quàm illud, quod iam præſciebamus, tunc pronomen erit demonſtratum, & non demonſtrans. vt ſi videamus ſtellam in Cancro non ſcintillantem, tunc dicimus, Iupiter eſt in Cancro, vt patet ex ephemeridum calculo præcognito, & hæc ſtella non ſcintillans eſt in Cancro: ergo hæc ſtella eſt Iupiter. ſemper ergo prænotius eſt medium Hæc eſt ergo prima figura ſyllogiſmorum; Alia eſt figura, qua probamus propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, vel negatiuam, & in hac procedimus ex partibus ſufficienter enumeratis ad ipſum totum: vbi autem partes ſunt innumerabiles, claudicat hæc argumentatio; vbi facilè numerantur, efficax eſt. Subito enim probamus quod nullus planeta ſcintillat, nam Saturnus non ſcintillat, nec Mars, neque Iupiter, neque Sol, neque Mercurius, neque Venus, neque Luna, ergo nullus Planeta ſcintil-

lat: ſed non poſſimus probare, quod omnis homo habet caput.

Cum enim omnes homines ſenſu numeraſſe, non detur: remanet dubium, vtrum aliqui ſint Acephali. At in eſſentialibus prædicatis: quibus conſtituitur homo, ſufficit nouiſſe plurimos, nam ex eis ad totum procedimus addendo de ſingulis, vt Petrus eſt ſubſtantia, Franciſcus eſt ſubſtantia, & Martinus, & ſic de ſingulis aliis: Ergo omnis homo eſt ſubſtantia. & quod nos ex ideatis, & particularibus numeratis cum labore ſcimus, Angeli ex idea inſpecta in Deo ſciunt faciliori via. Poteſt quoque eiuſmodi argumentatio per additam negatiuam excluſiuam appoſiti formari, vt Petrus eſt riſibilis, & Paulus eſt riſibilis, & nullus reperitur homo, quin ſit riſibilis: Ergo omnis homo eſt riſibilis. Et quidem cum non ſint tres termini in hac argumentatione, ſed tantum particularia ex vna propoſitione, & vniuerſale ex altera, non erit ſyllogiſmus vocanda, ſed æquipollentia. æquipollent enim vniuerſali omnia ſimul ſumpta particularia.

Hac etiam forma probantur excluſiuæ, vt ſolus Chriſtus eſt Deus, quoniam neque hic, neque ille, neque alter quiuis homo eſt Deus. Ergo ſolus Chriſtus eſt homo Deus: vel ſic Chriſtus eſt homo Deus, & nullus alius ab Chriſto eſt homo, qui ſit Deus; ergo ſolus, vel tantum Chriſtus eſt homo Deus. ſed hæ probationes non ſunt efficaces, niſi excluſio aliorum ſingularium ſit certa: ipſa enim eſt medius terminus, & lux: eodem modo & negatiua probatur, quia nullus alius à Chriſto eſt ſine peccato, ſolus Chriſtus non habet peccatum. Syllogiſmi autem doctrinales omnes fundantur in propoſitionibus vniuerſalibus: quoniam ex puris particularibus non ſequitur ſcientia veritatis, ſed ſola ſuſpicio, quando nimirum ab vno ad aliud indiuiduum ſit progreſſus. Valet ſanè, hic lucet, & hic eſt ſol; ergo ſol lucet, in quacunque materia, ſiue eſſentiali, ſiue accidentali, quoniam ly hic oſtendit lucidum non alium à ſole, ſed idem. Verum ſi dicas, Petrus eſt doctus, non valet ſequela, ergo Franciſcus eſt doctus; nec, omnis homo eſt doctus. At in eſſentialibus valet non ratione formæ vniuerſalis argumentandi, de qua nunc eſt ſermo, ſed ratione materiæ ob eſſentiam communem. ſi enim Petrus eſt rationalis, ergo & Franciſcus, quoniam in vtroque eſt natura humana. cuius èſt eſſentialis rationalitas.

Propterea argumenta ab exemplo, quibus vtuntur Oratores & Poëtæ, in accidentalibus non generant ſcientiam, ſed ſuſpicionem, in quantum aliqua ſimilitudo inter exempla reperitur, vt ſi dicas, Piſiſtratus vallatus præſidio ſatellitum à Republica Athenienſi contra hoſtes, factus eſt tyrannus. ergo & Folerius ſi vallabitur itidem à Republica Veneta, arripiet tyrannidem. Hæc quidem ratio non concludit certò, ſed facit ſuſpicionem: in quantum Piſiſtratus & Folerius ſunt in ambitione conſimiles; ſed cum ambitio ſit accidens, non omnibus, neque ſemper cunctis Senatoribus omnium Rerumpub. conueniens, poteſt ineſſe, & non ineſſe, aut impediri conatus. ſimiliter autem neque ex duabus particularibus fit concluſio.

Non quidem rectè dicimus, aliquis homo, vel homo eſt doctus. Petrus eſt aliquis homo, vel homo, ergo eſt doctus. Homo enim & aliquis homo poſſunt eſſe docti, qui non ſunt Petrus. accidens enim eſt eſſe doctum. Semper ergo oportet vniuerſalem præcedere, quoniam vniuerſalis ſecundum nos repræſentat omnia ſingularia: inter quæ includitur ſingulare, quod concludimus: ſecundum ſe verò repræſentat omnia ſingularia inter quæ includitur ſingulare, quod concludimus: ſecundum ſe verò repræſentat ideam, cui omnia ideata correſpondent in ſimilitudine. Quapropter ſi omnis homo eſt bipes, & Petrus eſt homo, rectè concluditur, quod ſit bipes. ſic omne animal ſentit: ergo omnis homo ſentit.

Principia ergo ſyllogiſmorum ſunt vniuerſales propoſitiones, notæ nobis ex ſingularibus, quę per ſenſum experientiamque præcognoſcuntur inductione, vt aiunt, & ſyllogiſmo expoſitorio ſenſato. & ideo dici de omni, & dici de nullo omnem ſyllogiſmi modum regulant priſcis Logicis. Solent & autoritate probari, ſed leuiſſima probatione, niſi authoritas ſit diuina, vt patebit.

Concluſiones ex principijs deinde probari quatuor figuris ſyllogizandi, ac perperam à Peripateticis ſecundam omitti.

ART. III.

CONCLVSIONES verò ex prædictis demonſtrantur in lumine medij termini; applicati ad ſubiectum & prædicatum concluſionis in via præſertim doctrinali: ergo quot modis contingit fieri hanc applicationem in præmiſſis tot erunt formæ argumentandi in ſcientiis, quæ præſupponunt propoſitiones vniuerſales & ſingulares, ſenſibus præcognitas, noſtris, vel alienis. variatur autem medius terminus quatrupliciter: quia vel eſt ſubiectum in prima, & prædicatum in ſecunda: vel prædicatum in prima & ſubiectum in ſecunda: vel ſubiicitur in vtraque: vel prædicatur in vtraque. Exemplum primæ vt omne mobile eſt calidum, omnis aqua eſt per ſe mobilis. Ergo omnis aqua eſt calida: exemplum ſecundæ. omnis Angelus eſt ſpiritus, omnis ſpiritus eſt inuiſibilis, ergo omnis Angelus eſt inuiſibilis: exemplum tertiæ omnis lapis eſt durus: argentum viuum non eſt durum, ergo argentum viuum non eſt lapis: exemplũ quartæ, omne malum eſt fugiendum: aliquod malũ eſt ambitio: ergo ambitio eſt fugienda.

Non contingit autem aliis variari modis ad sumptionem medij termini. Ergo neque plures, neque pauciores sunt argumentandi formæ syllogisticæ: medium autem ingredi conclusionem non debet, quoniam non de ipso est dubitatio, sed de maioris, & minoris extremitatis conuentione & disiunctione: quam ab illo notificari oportet. si autem medium adhuc dubium est, potest per alterum medium patefieri, vel per sensum; in quem omnis resoluitur certitudo in vita mortalium.

Arist. secundam figuram ignorauit. Galenus posuit. Peripatetici dicunt, esse superfluam, quoniam tres sufficiunt. At quidem & prima vnica sufficeret: quoniam ad illam omnes syllogismos Arist. reducit. sed quia medium aliis potest modis variari, aliæ ponendæ visæ sunt figuræ: igitur quia non omnes tetigit modos, deficiens esse comprobatur. Quidam Peripatetici aiunt, sufficere ad figuram secundo loco positam euacuandam, id quod Arist. in antepraedicamentis posuit præceptum, videlicet quicquid prædicatur de inferiori in linea prædicamentali etiam de superiori dicitur sed falluntur, quoniam illud præceptum valet ad consequentias, quæ Peripateticis non sunt syllogismi: & valet tantum in materia naturali. Si enim Petrus est rationalis, ergo & homo est rationalis, & animal est rationale, & substantia est rationalis: similiter si Petrus est albus, & illa. at non è conuerso in accidentalibus: non enim si substantia est genus, vel alba, vel dura, similiter erit aqua, genus, vel dura: neq; homo. Item cum signo vniuersali neque valet consequentia primo, vel secundo modo. Si enim omnis homo est anima, non propterea omnis substantia est animal. Nos autem quærimus formas syllogizandi secundum artes, quæ procedunt ex suis principiis vniuersalibus, vt mox patebit. Sunt & aliæ regulæ in paruis Logicalibus, & ipsæ consequentiæ possunt syllogismos excusare omnes nedum figuram secundam: non tamen idcirco figuræ syllogismorum, quibus anima ratiocinando vtitur sunt philosopho omittendæ, vel non applicandæ.

Qua de causa in prima, & secunda figura omnes orationes probantur: in tertia verò non nisi negatiuè: & in quarta non nisi particulares.

CAP. III. ART. I.

CVM igitur quatuor sint propositionum species: quoniam aliæ sunt negatiuæ, aliæ affirmatiuæ: quarũ quælibet est vel vniuersalis, vel particularis: quatruplicem conclusionem syllogismorum facimus; sed in prima figura, & in secunda probantur omnes species propositionum: in quacunque materia factæ, siue essentiali, siue accidentali absque errore, si modus seruetur earum: in tertia verò non nisi negatiuę duæ vniuersalis, & particularis. In quarta verò nonnisi particularis siue affirmatiua: cuius rei causas reddere intricatius est negotium, quam putet quis: si ex rei natura elucidandum sit, & non ex Logicis intentionibus, vt Peripatetici faciunt. Nos ergo facto principio dicamus: quoniam vniuersalis propositio non potest probari ex vna singulari, vt dictum est, sed ex omnibus simul sumptis: singularis verò ex sua vniuersali semper deducitur, quoniam in ea continetur: si enim omnis homo est risibilis: Petrus quoque est risibilis, quia est homo, at non è conuerso: si Petrus ridet, omnis homo ridet, quoniam Petrus non est omnis homo; manifestum est, quod ad probandum vniuersalem indigemus vniuersalibus propositionibus, in quibus probanda continetur, & ratio quare continetur, insit. omnis autem talis ratio est vel essentia subiecti, vel prædicati. in essentia enim sunt quinque causarum genera, constituentia ita vel sicuti particulare, ex eis enim est homo, & Petrus homo.

Quapropter ratio essentialis subiecti vel prædicati est causa, quare subiecto inest prædicatum. Ergo medius terminus erit, vel ipsa ratio essentialis, quam definitionẽ dicimus, vel ipsum definitum, si est notius quàm definitio. Solemus quoque & per proprietatem, quæ loco definitionis ponitur probationes syllogisticas facere; & per operationes essentiales, & actiones explicantes essentiam. vt omne calefaciens est calidum, sol calefacit, ergo calidus: idcirco omnis recta prædicatio, vel est superioris de inferiori, vt Petrus est homo. vel æqualis de æquali, vt homo est rationalis, & calidum calet. Non enim valet, animal est homo, quoniam non solum hominis, sed aliorum animatorum inter se ly animal similitudinem genericæ essentiæ exprimit: quod ex sensu probatur. Non enim, si video animal à longè, possum affirmare quod sit homo, neque asinus, neque canis. Neque statua humana, si nullius particularis expressiua est, potest dici hominis huius magis, quam illius.

Quapropter quoniam prædicatio æqualis de æquali in tribus terminis æquipollentibus fit, potest in omni figura syllogizari ex eis quælibet propositio. vt in prima dico, omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo omne risibile est rationale; ita in secunda dico, omnis homo est rationalis: omne rationale est risibile: ergo omne risibile est homo. Et in tertia omnis homo est rationalis, omne risibile est rationale, ergo omne risibile est homo. Et tandem similiter in quarta, omnis homo est risibilis, omnis homo est rationalis: ergo omne rationale est risibile, sed in terminis, qui non conuertuntur, non similiter, sed sicut dictum est, cuius dicti causam quærimus.

In prima igitur, & secunda figura omnis propositio syllogizatur: quoniam quando non est æqualis de æquali in tribus terminis prædicatio, est saltem in duobus; & quia medius terminus in altera subiicitur, in altera prædicatur, potest esse ratio quare insit maior extremitas minori vel è con-

uerſo. Item quia prædicatum vniuerſalius ineſt non ſolum vniuerſali minori, ſed etiam minimo, & indiuiduis, idcirco poteſt eſſe cauſa minus vniuerſale, qua maius inſit minimo, & ſic ſemper exercetur prædicatio æqualis de æquali, vel vniuerſalioris de minus vniuerſali: quoniam idem prædicatur & ſubiicitur, de hoc nempe, & illi.

In tertia vero figura prædicatur vniuerſalius de ambobus minus vniuerſalibus, vel ſaltem de altero minus vniuerſali: & de altero æquali: ſi primo modo, non poteſt eſſe cauſa quare alterum ſubiectorum alteri inſit; nam quæ conueniunt in communi, poſſunt inter ſe diſconuenire propriis differentiis. Non enim ſi homo eſt animal, & aſinus eſt animal, propterea aſinus eſt homo: aliquid enim eſt in aſino, quod repugnat homini. & ideò ſimilitudo communis non eſt cauſa ſimilitudinum particularium & vnitatis, ſed tantum ſimilitudinis vniuerſalis. Si verò ſecundo modo, tunc poteſt fieri in tertia figura indirecta probatio, quæ fit quando in concluſione maior extremitas ſubiicitur, vt omnis homo eſt animal, omne ſenſitiuum eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſitiuus. Sed non valet, ergo omne ſenſitiuum eſt homo, quia particulare ſubiici debet ſemper vt dictum eſt. ſed quia hic modus argumentandi non valet in omnibus prædicationibus, idcirco non fit figura de eo, quæ eſt regula vniuerſalis ſyllogizando. Propterea ſolæ negatiuæ concluduntur in ſecunda, vt nullus ſilex eſt aſinus; quoniam vniuerſaliter, quando aliquid de aliquo negatur vniuerſaliter, negatur & de paticularibus: & quando idem de vno affirmatur, & de altero negatur, ea diſconueniunt inter ſe: ſed quando affirmatur de vtriſque, non propterea ſunt idem inter ſe, ita vt de inuicem prædicentur: quoniam poſſunt in communibus aſſimilari, & in particularitatibus diſcordari.

In quarta verò figura non concluduntur niſi particulares, quoniam idem ſubiectum quando non habet prædicata æquiualentia ſubiicitur ſuperioribus, quorum alterum contingit eſſe altero vniuerſalius: at non poteſt prædicari minus vniuerſale de maiori, ob dictas cauſas: idcircò non poſſunt fieri ſyllogiſmi niſi particulariter concludentes, qui ſubiectum vniuerſale particularizant nota aliqua. Præterea neque ſi prædicata ſunt inter ſe æqualia, licet ſuperent ſubiectum, dicentur de inuicem in concluſione ob vim ſubiecti, qui eſt medius terminus, ſed per accidens gratia materiæ. ſicuti enim non valet hæc, omnis homo eſt rationalis: & omnis homo eſt animal: Ergo omne animal eſt rationale. ſed concludendum eſt. Ergo quoddam animal eſt rationale. Ita nec valet: omnis homo eſt animal, & omnis homo eſt ſenſitiuus. Ergo omne ſenſitiuum eſt animal.

Homo enim non eſt cauſa, qua ſenſitiuum eſt animal; cum homo ſit particularius animali: ſed benè eſt cauſa, qua quoddam ſẽſitiuum ſit animal; ſed per ſe ac ſe ipſo ſenſitiuum omne erat animal: quia etiam Aſinus & Leo, &c. ſunt huiuſmodi; ſed, vti diximus, materiæ gratia ſyllogiſmus valet interdum non formæ, hoc erat propter inconuertibilitatem terminorum.

Idem patet in quarta figura de negatiuis. Dices enim: omnis homo eſt bipes, & nullus homo eſt alatus: ſed non ſequitur, ergo nullum alatum eſt bipes: ſed quodam alatum non eſt bipes. Non enim minus vniuerſale eſt ratio maioris.

De modis quibus multiplicantur ſyllogiſmi in quatuor figuris: & de cauſis eorum, vnde Logicus accipit ideas iam formatas à Metaph.

ARTIC. II.

QVANDO igitur particulares non niſi ex vniuerſalibus, vel ex æquipollentibus, concludi poſſunt; vt homo eſt animal quia ſenſitiuum, vel rationale eſt animal: & affirmatiuæ non niſi affirmatiuis, vel æquipollentibus. Vt Petrus eſt bipes, quia omnis homo eſt bipes, vel quia nullus homo non eſt bipes; & negatiuæ non niſi ex negatiuis vel æquipollentibus, vt Petrus non eſt quatrupes quia homo non eſt quatrupes, vel quia omnis homo differt à quatrupede. Item enim quamquam præcedit altera affirmatiua in ſyllogiſmo concludente negatiuam; tamen vis negationis in concluſione ſuper negatione præmiſſæ fundatur, vt ſi dicas, omne per ſe lucens, ſemper lucet: Luna non ſemper lucet: ergo Luna non per ſe lucet. vbi palam minor eſt concluſionis ratio quò ad negationem, ſed maior dat illi vim concludendi, quoad veritatem. Niſi enim omne per ſe lucens ſemper luceret: nequaquam eſſet verum, quod Luna non ſemper lucens per ſe non luceret: omnis enim particularis in vniuerſali fundatur, ſicut negatio in negatione.

Has igitur ob res tot modi reperiuntur in qualibet figura ad argumentandum, quot modis præmiſſæ poſſunt variari.

In prima igitur ex duabus vniuerſalibus affirmatiuis veris ſequitur vniuerſalis affirmatiua vera, & ſimiliter particularis. Semper enim hæc in illa continetur. Item ex vniuerſali negatiua prima, & vniuerſali affirmatiua ſecunda, ſequitur vniuerſalis negatiua: ergo & particularis. At ſi prior ſit vniuerſalis affimatiua, & poſterior vniuerſalis negatiua, non ſequitur vniuerſalis negatiua. Non enim ſi omnis homo eſt animal, & nullus aſinus eſt homo, ſequitur quod nullus aſinus ſit animal, neque quod aliquis aſinus non ſit a-

animal,sed è cōuerso,quod aliquod animal nō sit asinus. Propterea; fit indirecta prędicatio, Homo.n. minus vniuersale non potest esse causa,qua non insit animal,maius vniuersale. Similiter ex vniuersali negatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, sequ tur particularis negatiua directè : sed è conuerso sequitur solum indirectè. Particularis vero affirmat ua concluditur solum ex vn uersali affirmatiua maiori, & particulari minori, & directè & indirectè,& è conuerso.Possunt & aliæ ideæ syllogismorum in prima figura reperiri.

In 2. figura ex duabus affirmatiuis vniuersalibus concluditur particularis affirmatiua directè, vt vniuersalis affirmatiua indirectè, vt omnis homo est animal: omne animal est corpus: ergo quoddam corpus est homo: & omnis homo est corpus. Ratio patet ex præcedentibus. Similiter ex vniuersali negatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori concluditur sola particularis negatiua directè. Nihil autem indirectè, sed ex vniuersalibus affirmatiua maiori,& negatiua minori concluditur indirectè vniuersalis negatiua, æquè ac directè. Similiter & particu'aris.Item ex maiori particulari affirmatiua concluditur particularis affirmatiua directè & indirectè.Non autem è conuerso: etsi enim omnis homo sit animal, & aliquod animal quatrupes, haud propterea aliquis homo sit quatrupes, vel è conuerso. Ratio autem ex prædictis patet.

In 3. figura semper pręmissæ sunt duæ: altera vniuersalis affirmatiua, altera negatiua, siue particularis, siue vniuersalis, quemadmodum & affirmatiua. Ergo quatuor tantum modis possunt disponi, & quatuor syllogismos habemus in ea semper directè concludentes, & duos insuper indirectè: ex particulari affirmatiua, & vniuersali negatiua.Item ex particulari negatiua & vniuersali affirmatiua, è contra enim fiunt directè. Sed in hac figura fieri quoque possunt syllogismi ex præmissis ambabus affirmatiuis singularibus. Si altera per ly solum limitetur:vt Cippus solus habet cornua: & hic habet cornua,ergo hic est Cippus.

In 4. figura nouem modis possunt disponi propositiones præmissæ: quarum altera semper est vniuersalis, altera particularis; & vel vtraque affirmatiua, vel altera, & sic fiunt octo: vel vtraque vniuersalis affirmatiua, ex quibus potest particularis semper concludi, vbi concluditur vniuersalis, & sic fiunt nouem. Sed tres concludunt indirectè, videlicet particularis affirmatiua, & vniuersalis negatiua.Item vniuersalis affirmatiua, cum vniuersali negatiua, aut cum particulari negatiua, quod in Logica non expressi.Item, vt patuit ex duobus singularibus, non autem indefinitis, potest concludi in hac figura, vt hoc natat; & hic est piscis: ergo piscis natat. Rationes prædictorum modorum ex præhabitis sermonibus colliguntur. Ratio autem conficiendi syllogismos in Logica explicabitur, quæ est instrumentum Metaph. non intelligens rationem sui, sed accipiens à suo agente principali, qui est Metaph Alio tamen ordine in Log figuras enumerauimus. Ibi vide.

APPENDIX.

VErum enim-uero sicuti non quærenda est ratio,qua triangulus habet tres, & diameter est tertia pars circuli, & calor calefacit:sed hæc omnia ex sui natura ita esse inueniuntur: natura autem ideæ artificis primi correspondet, cuius potius voluntas, quam ratio nobis patere potest ex factis: Nam quas nos reddimus ex fine, & agentibus, & materialibus causis,adhuc quæstionem habent,donec in voluntate primæ causæ tales naturas ob tales fines, per tales causas eis tribuente, conquiescamus: ita sanè, neque ratio patet, cur intellectus his tantum modis syllogizat,& tales vires habet, & actus, & modos,& ideas. Quidquid autem patere potest, iam dictum est nobis.

Consequentiam,enthimema,exemplum,& diuisionem,esse syllogismos absconditos: Similiter & æquipollentiam. Quoniam aliud de alio non concluditur, nisi quia simile, vel dissimile: in his autem semper subest medium causa probationis.

CAP. IV. ARTIC. I.

QVONIAM sensu colligi,diximus, propositiones vniuersales,quæ sunt principia syllogismorum per inductionem:quærendum videtur,num alia sit à syllogismo & inductione arguendi ratio. Quandoquidem addunt Ethimema, consequentiam,& exemplum, & diuisionem, & æquipollentiam.At quidem Enthimema syllogismus est truncus, quippe cum tacetur maior vel minor, quia per se nota,vt si dicas cum Telesio, Sol assiduè summum in terram effundit calorem, ergo est calidissimus: vbi sanè tacetur maior, quæ est, omne Ens assiduo summum calorem effundes, est calidissimum:consequentia etiam syllogismus truncus est: quoniam semper aliqua præmissa tacita subintelligitur, si tamen vera sit consequentia: quam inde agnosces, si oppositum consequentis non potest stare cum antecedente. Si enim stat, consequentia eius non est.Non enim dices, Gallus cantat:Ergo cælum est nubilosum:quoniam etiam si non sit nubilosum,Gallus cantare potest. At si Sol oritur, ergo dies est:rectè consequitur: neque enim absque sole potest diescere:idcirco omnis consequentia procedit ex aliqua causarum ad effectum,& è contra;præfata autem consequentia est syllogismus truncus, in quo tacetur maior,quæ est hæc:quandocunque Sol oritur,diescit:nunc Sol oritur, ergo nunc diescit:& hæc:si est

homo, est animal, valet quia præintelligitur ista maior, omnis homo est animal: proptereaque non valet consequentia à destructione antecedentis ad destructionem consequentis; sed à positione valet: iterumque valet à negatione consequentis ad negationem antecedentis, sed non à positione, & hoc ex ratione, qua in tertia figura solæ negatiuæ probantur: illud vero, qua in secunda affirmatiua quædam. Quapropter si Petrus est homo, ergo est animal, rectè dicitur, sed est homo, ergo est animal: at non dices: sed est animal, ergo est homo: at sic: non est animal, ergo non est homo, vbi sunt duo syllogismi: alter concludit per conditionalem incertam, alter per cathegoricã certam; valet autem, Petrus est homo, ergo est animal, in virtute subintellectæ vniuersalis, omnis homo est animal: sed non valet, est animal, ergo est homo, nisi negatiuè, quoniam homo non est omne animal, sed aliquod. Sed in terminis conuertibilibus valet, vtroque modo, vt si est homo, est rationalis, & è contra: & si diescit, ergo oritur Sol: & è contra, sicut dicebamus in syllogismis.

Æquipollentia vero quædam consequentia esse videtur secundum vocem, non secundum rem: quoniam procedit à propositione signante idem prorsus cum conclusione, licet sub aliis verbis: & nihil probat secundum veritatem, sed ad hominem intellectu alterius earum carente, alioquin esset sophisma petitionis principii: vt cælum per te est empyreum: ergo igneum; idem enim est pyra grecè, & ignis Latinè. Item nonnullus homo currit: ergo aliquis homo currit) valet, quoniam idem significant. Similiter omnis homo non est iustus, ergo nullus homo est iustus. Præterea possibile est, hominem currere, valet, ergo contingens est hominem currere: & non impossibile est hominem currere, & non necesse est hominem non currere: quoniam omnes hæ propositiones idem significant: propterea vocantur æquipollentes, & valent syllogisticé in virtute huius vniuersalis, quæcunque idem significant.

Probatio vero per diuisionem valet, quando omnia membra diuidentia accipiuntur, sicuti in inductione, vt omnis stella est errans, aut fixa: sed hæc stella est, & non est errans: ergo fixa: vel si non est errans neque fixa, ergo non est stella: primus syllogismus in prima figura, secundus in 3. bonus: si autem non euacuatur tota diuisio in prima propositione, non fit conclusio, quoniam totum genus ponit omnes species, & è contra. Sed non species speciem.

Syllogismus ducens ad impossibile est quando datis ab aduersario vtimur ad concludendum planè falsum: ex quo arguimus nouo syllogismo, præmissas datas esse falsas: hoc solemne est Mathematicis, & probat à signo in connexione rerum.

Exemplum vero aliquando facit scientiam, aliquando opinionem, aliquando suspicionem iuxta similitudinis vigorem. Ab idea ad ideatum, & è conuerso prorsus scientiam parit, quatenus omnino similiter se habent: ergo ex imagine picta Petri cognosco Petrum: & ex Petri facie suas è contra pictas imagines: hoc modo Mathematici delineant motus & orbes cælestes in charta: ex qua pictura orbes in cælo intelligimus: & quo similior, eo magis. Sed Deus ex idea omnia ideata nouit: nos autem ex ideatorum ideatis vt plurimum. Sed tamen non dico orbes cæli esse atros, qualiter illos delineat Astronomus: non enim in hoc consistit similitudo, sed in ordine & situ consimili. Motum solis æmulantur horologium, aqueum, & æneum. Sed in materia, neque Soli, neque mutuo sibi similia sunt, nisi in ratione motus, quem ritè docent: eadem ratione ex vno circulo delineato omnes cæli circulos intelligimus etiam Telluris, propter similitudinem, quam proportionem vocamus: sunt enim idem & vnum quatenus sic, & in collatione talis exempli multiplex construitur syllogismus, vt patet apud Matheseos Doctores. Aliquando vero ponitur exemplum non propter doctrinam solum, sed & propter imitationem. Sic Paulus dat seipsum exemplum nobis imitandi Christum: & cum vera exempla desunt, finguntur à sapientibus, vt Nathan finxit parabolam diuitis surripientis ouiculam pauperis: & Poëtæ fingunt heroës & Rempub. militarem, & tragicos euentus & Comicos, & seruos, & Patres familias, non quales fuerunt, sed quales esse debent, vel solent: vnde populus in notitiam morum hominum, cuiusque gradus peruenit; & quos imitari, & quos reprobare debeat, exemplis addiscit. Sapientissimum ergo oportet esse Poëtam cum sit exemplaris doctor populorum: Philosophus vero dogmaticus solum, & præceptiuus: valet ergo argumentum morale, si ita fecit Aeneas, ita faciendum est mihi: in quo ei similis esse debeo, compensata temporum & actionum varietate. Sed quia ab hoc non semper benè vel malè accidit mihi, vt illi, sunt probabilia non scientifica exempla hæc, nisi à Deo ponantur nobis, vt ideæ. Item à destructione particularis ad destructionem vniuersalis fit consequentia scientifica. Valet enim si Petrus non currit, ergo aliquis homo non currit, & non omnis homo currit. & non omne animal currit & cætera: non autem affirmatiuè, Petrus currit ergo omnis homo currit, sed tantum aliquis homo: quoniam vniuersale est omnia singularia: singulare autem non est omnia: dempto ergo vno demitur vniuersalitas: qua posita, & vnum ponitur: & ideo argumentum hoc est etiam syllogismus sic exprimendus: omne vniuersale est sua particularia: & quod conuenit vniuersali conuenit particularibus: sed Petrus singularis homo non est doctus: ergo non omnis homo est doctus & cætera.

Sed exemplum, quo vtitur orator, est ab vno singulari ad aliud. Physionomus vero ab vna specie ad aliam. Primo modo valet de possibili tantum, & ideo gignit solam suspicionem eo fortiorem, quo similiora sunt, quæ comparantur: eo debiliorem, quo minus similia, vt Petrus habens nasum magnum, est magnanimus, ergo & Paulus habens nasum magnum potest esse magnanimus. Hic homo sub disciplina Telesij factus est doctus: ergo & ille potest fieri sub eodem præceptore: at si ille est stupidus consequentia neque de possibili valet. Similiter si quis dicat, Pius v. vixit 5. annis in Papatu, ergo Paulus 4. viuet 4. annis, suspicio leuissima est: quoniam nominis similitudo flaccissima: similiter neque propterea quod leo est generosus, quicunque habet faciem leoninam erit generosus, vt Arist. Physionomizat: licet hæc suspicio sit grauior, quoniam fundatur in hoc, quod animæ fabricant membra iuxta suas propensiones ad vsum & exercitium illarum. Sed quia possunt impediri ab aliis dispositionibus, argumentum vix opinionem gignit. Stultissimè ergo Paracelsus putat, homines marinos, & subterraneos, & aëreos, & igneos, similes esse adeo nobis, vt & ipsi expectent beatitudinem à Deo & habeant fidem in eo

salutis suæ: & incertum esse, quoniam ex his hominum speciebus transferendi sint in paradisum cælestem: cum enim nos specie ab ipsis differamus, & constet aliis argumentis, eas esse feras, vel Dæmones, nunquam extendenda erat inanis suspicio ad hoc dogma, quod nobiscum speret regnum Dei & de his alibi: in exemplo medius terminus est similitudo, & ideo syllogismus est absconditus: propterea enim Leoninus est generosus, quia similia eisdem affectibus vigent.

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO, & probabili, & Sophistico.

CAP. I. ARTICVLVS I.

OMNIS ergo argumentatio diuiditur in demonstratiuam, probabilem, suspiciosam, & sophisticam. Demonstratio vero alia est inuentiua per sensus: & sic demonstrantur singulares, ac omnes res, historica scientia cognoscibiles: & hæc est fundamentum aliarum demonstrationum. Nam ex hac ostenduntur vniuersales, quæ sunt principia demonstrationum in scientiis doctrinalibus. Idcirco alia est demonstratio per discursum: quæ quando procedit ex causis vocatur propter quid, quando ab effectibus, quia: quando vero ab eo quod non est causa, neq; effectus, sed iilis annexum testimonium perhibens, vocatur demonstratio à signo: quamuis & effectus sit quoddam signum. Demonstratio ergo propter quid procedit ex propositionibus immediatis, certis, propriis, veris, prioribus, notioribus, & causis: si enim medio, quo & ipsæ demonstrentur, indigent, demonstrare aliud non possunt, sed sensu appatet prænotas esse: idcirco omnis historia certa est principium in demonstratione aliqua: vt historia naturalis in naturalibus: & syderalis in Astronomia: & diuina in Theologia: & ficta in Poësi. Stulti ergo sunt, qui philosophantur rerum naturas non inspiciendo, neque saltem historiam Plinij, & aliorum præaddiscendo: ea enim quæ vnus homo solus expertus est, non sufficiunt ad discursus omnes scientificos. Semperque hæsitando ferè concludunt. Sic, qui Theologizant, non perspectis omnibus sacrorum bibliorum sensibus historicis.

Diximus, quoque (ex certis) quoniam incerta pariunt suspicionem non scientiam (& veris) alioquin falsitatem gignerent non veritatem, quam scientia profitetur, & (ex propriis) quoniam communia à longè ostendunt: extranea vero nec sic. Non enim Deus est trinus, quia triangulus habet tres. Diximus (prioribus, & notioribus) quod enim magis notum non est, non facit notitiam, quoniam quæ prius nota sunt, priora sunt secundum notitiam, sed non secundum causalitatem, quæ requiritur ad demonstrationem (propter quid) quæ particula non apponitur in descriptione demonstrationis via. Igitur rectè Aristoteles dicit, quod oportet præcognoscere subiecti quidditatem, & prædicati existentiam, & quia vera est propositio immediata, vnde deducitur per conclusionem subiecti cum prædicato connexio.

Sed errat in eo, quod principiorum notitiam, & subiecti quidditatem, & existentiam passionis, intellectui committit, & non sensui: quã non nisi sensu haberi posse, ipse met docet: & tamen infir-miorem esse sensus notitiam intellectuali, secum pugnans, contendit: & simul ex firmioribus demonstrare se, autumat: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt in primo libro ostendimus: Item contingit, existentiam, & quidditatem subiecti, & passionis syllogismo perquirere, sed tamen persimile, vt vtrum sint alij mundi, & quid sit sphinx, arbutus, & cætera. Non ergo de omnibus scientiis ipse pronunciat, vt debet, sed tantum de Mathematica, vnde hanc methodum sumpsit.

Ex his palam est, quod procedere debet demonstratio scientifica ex propositionibus vniuersalibus. Quoniam ex particulari non demonstratur, neque particularis, neque vniuersalis, vt patuit. Item, ex per se: quæ enim insunt per accidens, rarò fiunt, & non probant semper. Neque enim, quia sub cane hoc anno pluit, semper pluit anno quolibet. Neque quia per accidens calor indurat etherogenea crassa, naturale est sibi omnia indurare, vel etherogenea semper. Non fit autem propositio vniuersalis nisi ex per se. De per se autem, & per accidens dictum est in libro secundo. Addit Aristoteles, quod ex proportionibus secundum quod ipsum primo: quando nimirum adæquatur prædicatum subiecto, & in subiecto inest causalitas, qua cæteris insit, & sibi, non per aliud, vt triangulo per se primo inest habere tres, Isosceli vero nonnisi quatenus est triangulus: similiter & figuræ. Sic animal est rationale, quatenus est homo, & Petrus quatenus est homo, homo vero per se primo. At tot requiruntur fortè ad demonstrationem potissimam secundum se, sed quæ procedunt ex certis & bene præcognitis aliquando sunt certiores nobis, & scient ficentiores.

Nec tamen si quis ex causis minus certis procedat ad effectum, opinionem facit, sed scientiam, si ritè procedat, sed nõ nobis. Angeli puto ex causis prænotis, & ideis, quæ nos latent, ideatos effectus subito norunt demonstratione instantanea: nos autem cum tempore, & è conuerso procedimus.

Syllogismus vero probabilis faciens opinionem, procedit ex dubiis & verosimilibus, & ex his, quæ frequenter eueniunt, non semper; ergo neque ex vniversalibus, sed tamen & ex effectibus, & ex signis. Argumen um vero fac ens fidem procedit solum ex aliorum authoritate, quæ si diuina est, fidem certam facit. Deus enim neque fallere, neque falli potest: sed non euidentiam. Si vero est humana maiorem eò facit fidem, quo author minus decipere, vel decipi

poteſt:minorem vero è contra:idcirco expertis magis credimus, & vnicuique perito in ſua arte, quam imperito: vt Euclidi in Mathematica: Hipp. in Medic. T. Liuio in hiſtoria: magis autẽ ei, qui facto interfuit: lubrica autem fides, & exilis fundatur in aliorum relatione indignorum, ſicuti in p. lib. oſtenſum eſt. Suſpicacitas ex his oritur: ſicuti ex ſyllogiſmo etiam per accidentale medium concludente.

Sophiſticus ſyllogiſmus vel peccat contra formam argumentandi, quoniam ex particulari vniuerſale concludit: vel ex negatiuis, quæ apparent affirmatiuæ, affirmationem, aut è conuerſo: vel ex quatuor terminis, qui videntur tres ob æquiuocationem: vel conſequentiam deducit ex non ſua cauſa, ſed extranea, aut per accidens: aut apparenti: & ferè ſemper in materia peccans ex apparenter veris procedit: vel ex veris, non tamen cauſis concluſionis, neque effectibus connexis: neq; ad æquatis: & ſic ſyllogiſmus generat ignorantiam, non autem inſipientiam, quæ fundatur in non perceptione principiorum, vt dictum eſt.

Sophiſtica autem ſcientia non eſt, ſed defectus in omni ſcientia accidens: ſcire hos defectus ſcientia quoque eſt: contingit autem hic defectus etiam in principiorum notionibus apud ſenſum: hinc ortæ ſunt hiſtoriarum falſitates multarum & falſarum aſſertionum perſuaſiones.

EXPLICIT LIBER QVARTVS.

THOMÆ

THOMÆ CAMPANELLÆ PRIMÆ PARTIS METAPHYSICORVM LIBER QVINTVS,

QVI EST, DE SCIENTIARVM IDEATIONE, ET DISTINCTIONE.

De iudicio perfecto, & imperfecto, formante vocabula, & definitiones, & axiomata, fines inuentionis, & principia doctrinæ, & ſcientiarum.

CAP. I. ARTICVLVS. I.

POST vbi Mens, Senſus, & Senſoria, cuncta ſimul conſuluerit, & appetitus, & appetitoria, & poteſtationes, & poteſtatoria, ipſorumque ſingillatim obiecta iuxta rationem, quam explicauimus in primo libro, & mox obiectorum cauſas, principia, primalitates, & reſpectus, & extenſiones ad extra, & complementa cauſarum: de quibus formauimus cathegorias ſingulas ex agente, ſcilicet, & materia, actionem, & paſſionem: ex idea, & forma, ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, & figuram, & configurationem: ex fine & perfectione, vſum, & actum: atque inſuper principia, & cauſas exiſtētiæ: hoc eſt tempus, & locum, & accidentia ideatorum, & conſociationes: tunc fert iudicium de eſſentia, & exiſtentia cuiuſlibet obiecti perfectum ſecundum quod homo capere poteſt: & quemadmodum in via inuentiua ex conſultatione ſenſoriorum, & appetitoriorum, & poteſtatoriorum non completa, oriebatur cognitio incompleta: & iudicium incompletum, quod per nomenclaturam Mens exprimit: per vocabula, quæ vocantur nomina Grammaticis, notando id, quod de re percepta ſciuit, ibi terminando inueſtigationis dubietatem, ac ſimul rei ſignificatæ naturam, diſtinguendo ipſam ab aliis per propriam notam, ſicuti Armentarius pullos ſuo quemque caractere inſignit, ne alium pro alio confusè accipiat, vnde, & vocabula termini vocantur. Atque rerum actus ſiue eſſentiali, ſiue exiſtendi, ſiue agendi, ſiue patiend, ſiue operandi, per vocabula, quæ verba dicuntur Grammaticis, notat: & eſſentiam vna cum actu per participia vocatas voces: & ſingularitates, & hæcheitates eſſentiarū ad exiſtentiam deductarum per pronomina, & modificationem actuum per aduerbia, & definitiones eſſentiarum per obiectiuas voces: & relationes, atque reſpectus eſſentiarum ſiue reſpectus cauſalitatis, ſiue ſocietatis, ſiue vicinitatis, ſiue diſtantiæ, ſiue oppoſitionis, & quoſcunque reſpectus alios tam eſſentiales, quam exiſtentiales per voculas, præpoſitiones & Adnomia vocatas: Itemque coniunctiones rerum, & diſiunctiones, & conſecutiones reales; & notionales per voculas, Grammaticis Cōiunctiones vocatas: & tandem extenſiones Primalitatum dictas ex Poteſtatiuo paſſiones, ex Cognoſcitiuo notiones, & ex Volitiuo affectiones, per notulas, dictas Interiectiones, quarum multæ Grammaticis deſunt. Ita etiam conſideratis omnibus conſiderandis per viam inuentiuam venit ad iudicium perfectum cuiuſque rei, quod probatum dicitur Definitio. Totam enim rei naturam, quantum cognoſcibilis eſt intra pauca vocabula epilogat; & definit, ita vt nihil de alieno includat, nec de proprio excludat. Eſt ergo Definitio terminus, & nomen perfectum, & omnino vnum ſecundum rem, licet multiplex ſecundum vocem. Et hæc principia ſunt ſcientiarum doctrinalium. Quidquid enim longa diſquiſitione, multiſque ſermonibus menralibus, & vocalibus cognouimus, epilogatum fit principium doctrinæ Philoſophicæ, ſicut vocabula ſunt principia doctrinæ puerorum, & ciuitatis. Docemus enim, proponendo propoſitiones maximas, ex quibus diſcipuli, tanquam ex fontibus, eliciunt concluſiones, & memoriter totam rei eſſentiā ſeſe docere arbitrantur, infantes vero vocabula.

De Termino: & Axiomate.

ARTIC. II.

DVPLICIA autem ſunt principia ſcientiarum doctrinalium, videlicet, Terminus perfectus, qui eſt Definitio, & imperfectus, qui eſt nomen apud nos. Apud Angelos enim idem eſt nomen, & Definitio. Secundum, propoſitio maxima: vt omne totum eſt maius ſua parte: omnes homines ſcire appetunt: & huiuſmodi. Primum, agnoſcitur & fit ex ſimilitudine & diſſimilitudine cuiuſque rei cum qualibet, ſicuti in 3. lib. docuimus. Secũdum, ex multorum ſimilium collatione: intellectus enim ſimilia accipere poteſt vt vnum, vnoque nomine notificare: & enũciare de eis quidquid illis eſt commune: & ſic facit propoſitionem vniuerſalem, quarum alia eſt in primo gradu certitudinis ex aſſenſu & conſenſu omnium: alia in ſecundo: alia in tertio: vt in primo libro.

Epilogus modorum cognoſcendi: & Regulæ ſingulorum vbi poſitæ ſint.

ARTICVLVS III.

DIXIMVS notitias omnes regula indigere. Prima notitia eſt ſenſus, quæ notio eſt præſentis obiecti. Quam regulauimus in primo libro. Secunda eſt memoria, quam dicimus eſſe ſenſum anticipatum: & hãc regulamus exercitio [illegible], quæ eſt per locos, & cathegorias. Tertia eſt reminiſcentia, quæ nobis ſenſus renouatus dicitur. Hanc per ſimilitudines & diſſimilitudines moderamur in 2. libro. Quarta eſt fides, quæ eſt ſentire & intelligere alieno ſenſu, vel intellectu: quam in procemio libri primi, & in 3. p. & in Theologicis muniimus, docendo, quis nam ſit teſtis, & magiſter indubitata fide dignus. Quinta eſt, diſcurſus, quæ eſt ſentire in ſimili ſimilia: hanc notitiam in 4. libro munuimus ſyllogiſmorum ſtructura. Sexta eſt intellectus, notitia nimirum intus legens, & colligens ea, quæ ſingulæ præuiæ cognitiones deforis oſtendunt: & hunc ſolus Deus perfectè illuminat. Tota tamen Metaphyſica ejus operationi deſeruit. Septima eſt imaginatio: quæ ſi qua per ſenſationes & diſcurſus, & intellectiones, non attingimus, fingit ideando, fabricando imagines nouas per diuiſionem & copulationem præteritarum: in quibus aliquando attingit quod optat, aliquando delirat: & huius eſt ſcientias ideare proponendo principia, educendo concluſiones, formando ſyllogiſmos: & artes inuenire, fundare principia, fabricare machinas, & cuncta neceſſaria. Quapropter imaginatio mentalis, non ſenſualis eſt inuentrix ſcientiarum per ideationem, vt ex dictis palam eſt: ideatio autem ex politicis vt Phyſicis rerum ordinibus oritur, & vſui accommodatur.

De Ente rationis, pro ideatione ſcientiarum.

ARTICVLVS IV.

AT quoniam Neoterici inceſſanter diſputant de Ente Reali, quod ante Rationis actum in rerum natura reperitur & de Ente Rationis, quod ex opere intellectus habet eſſe: Exque iis duobus ſcientias in rationales & reales partiuntur: nec ſatis perſpectum habent, quid Ens rationis ſit: de hoc dicere nos oportet: omnis enim ſcientiæ atque artis etiam realis nedum Rationalis, ideatio & Regula Ens Rationis eſt, imagines ordinantis.

Ratio non eſt Ens Rationis: ſed rei. Operationes Rationis primę, vt noſſe, intelligere, ratiocinari, ſunt reales actus rationis, vt res eſt: dicitur ergo apud Philoſophos Ens rationis non quod fit à ratione primitus realiter operante circa ſe & obiecta. Nec quod eſt obiectiuè in ratione, vt Sol, homo, Deus. &c. nec quod ſubiectiuè, vt eius diſcurſus & qualitates. Sed quod fit à Ratione in rebus, ſiue in ſe, vt res eſt, non exiſtens ante eius ſecundam conſiderationem, quas res ſibi accommodat, notando, diſtinguendo, componendo notiones vtiliter.

Diſtinguunt Ens Rationis in Negationes, Priuationes & Relationes. Sed profecto priuatio vt cæcitas, & negatio, vt non videns aut non homo, & non Ens, ſunt nihil & non Entia ſimpliciter in natura ante actum mentis, & reuera negant & priuant formaliter: ſed dicuntur Entia rationis quoniam concipiantur ab intellectu vt Entia, & loquimur de illis per eſſe: vt homo non eſt aſinus: nihil eſt nullibi, &c. ſunt enim notiones. Relationes quoque ſunt à parte rei, & columna realiter fit mihi dextra. Sed quidquid inuenit Ratio, ad rerum notitias proprias aut ad proprium opus relatum, quod in rebus non eſt, ſed ad res ſpectat, dicitur Ens Rationis, vt vocabula, prædicabilia, propoſitiones, ſyllogiſmi, Regulæ artium. Qui autem & phantaſticas chimeras, & ſophiſmata, abſque vſu rationis, addunt, falluntur. Non

enim sunt Entia rationis sed deceptionis, & irrationalitatis, velut ægrorum & delirantium.

Dico igitur, Ens rationis vtiliter fieri ab imaginante anima: & triplex. Aliud habet fundamentum reale, & terminũ realem: vt cum ex visa insula Siciliæ imaginor qualis esse potest insula Britanniæ non visa mihi: & hæc imaginatio discursus est purus. Secundo quando ex imaginibus realibus obiectorum non reales fingit imagines aut componendo, vt montem aureum ex speciebus montis & auri: aut diuidendo, vt cum acephalum facio ex speciebus diuisionis & colli hominis commistis: aut componendo & diuidendo simul cum centimanum simul acephalum fingimus, absq; finali causa & vsu. Tertio cum addimus vsum, faciendo imagines proficuas ad significandum aut operandum: tunc scientiarum instrumenta siue speculatiua siue Mechanica paramus. Vocabula ergo vt nomina significantia essentiarum, & verba significantia actus, & syllogismos exemplantes & regulantes discursum, mentis, & genera & species, rerũ cõmunitates, & fabulas & Metaphoras, vtiles ad docendũ imperitos & nolentes audire: & prædicamenta ad notionum domicilia, & stratagemata, &c. Entia rationis esse palam est, & horum Regulæ sunt scientiæ instrumentales declaratiuæ & regulatiuæ operum animæ realium: & vocantur secundæ intentiones Peripateticis & Relationes rationis, quia secundo fiunt & referuntur ad primas reales operationes & obiecta. At cum extra imaginamur quid & ideamus ad regulam cognoscendi, & operãdi dicuntur Entia rationis etiam, vt Scriptura, Astrolabium, Statera, Moneta, aliaque huiusmodi organa artiũ, cognoscitiuo, præsertim seruientium.

Hinc valdè incusandi sunt Scioli, Ens rationis illud solum esse volentes, quod in re esse non potest, nec fieri à Deo, vt homo, asinus, & hircoceruus, & chimera. Hæc enim cogitare & facere opere esse manuali, est inutile, ac sæpè noxium: Et dicuntur Ens deceptionis actiuæ vel passiuæ. Vel enim ex his fallimur, aut fallere nolumus. Sic fabulæ & chimeræ vbi non prosunt. Nam si chimera sit Platoni ad designandum compositionem hominis ex Rationali, & Irascibili, & Concupiscibili, est Ens rationis. Sin vero vt decipiant, vt qui fingunt idola, & sophismata, est Ens irrationalitatis. Potest enim hæc intus & extra fieri, aut pati à nobis. Vt cum video remum fractum in termino aëris & aquæ: cum sit solidus; & res croceas omnes oculis crocea bile affectis: tunc Ens deceptionis extrinsecus est & passiuæ. Si enim pingatur à Policleto est Ens rationis, quoniam ad repræsentandam deceptionem, non ad afferendam, Ars. n. sic facit. Si animus hæc repræsentata in somnis, vel in vigilia, vel in ægritudine sic esse asserat, decipitur, & non facit Ens rationis, sed patitur Ens rationis, potius autẽ deceptionis, aut irrationalitatis. Facientes idola astuti, vt adorentur, & sophismata vt fallant, faciunt Ens irrationalitatis non patiuntur, nisi & ipsi credant sic esse. Ens igitur naturale & artificiale sunt Ens rei & rationis, siue intus, siue extra sit artificiatum. Scientiæ ergo instrumentales omnes versantur circa Ens rationis intrinsecè vel extrinsecè: principales circa Ens reale commune: particulares, circa partem Entis, & obiectorum principalium.

Mathematicas Potestatiui organicas esse scientias, principaliter directiuas Potestatis. Logicas vero Cognoscitiui: Legales Volitiui: Mechanicam, seu Magicam Operatiui, cuius executionem moderantur, & de ipsorum principiis.

ARTIC. V.

ET quoniam quidquid scimus, vel spectat ad Potestatiuum, vel ad Cognoscitiuum, vel ad Volitiuum. Idcirco triplex est scientia instrumentalis regulatiua actuum ipsorum erga obiecta. Obiectum quippè Potestatiui est possibile, & impossibile, quod ex Quantitate Potentiæ, & obiecti, propenditur: & ad hoc negotium inuenta est Mathematica, quæ de numeris, & ponderibus, & mensuris rerum omnium considerat: & discursus circa obiecta intelligentis animæ vocatur perpensio: & finis eius sunt determinationes, & commensurationes & numerationes.

Obiectum Cognoscitiui sunt Verum, & Falsum, & discursus erga ipsa vocatur argumentatio, vel syllogismus: & finis eorum sunt Definitiones, & axiomata: & scientia regulatrix actuum intellectus quærentis, & docentis Verum, & Falsum, dicitur Logica, seu Dialectica.

Obiectum Volitiui est Bonum, & Malum: discursus ad ipsa vocatur Probatio, & examen: finis eius sunt electiones, & Reprobationes, quæ sunt principia scientiarum huic Primalitati seruientium. Est autem scientia hæc moralis, seu potius legalis. Lex enim vnius hominis est virtus priuata: lex familiæ, seu domus est virtus œconomica: lex ciuitatis est virtus politica: lex in bello, est virtus militaris: & virtus regula est affectionum, & operationum, ne declinent in minus ad Primalitates Nihilitatis: neque in maius ad impuritatem Primalitatis, extra finem se superextendentis.

Obiectum Executiui est Factibile, & Agibile. Discursus ad ipsum est consilium: finis sunt Deliberationes, & Decreta: quæ sunt principia actionum. At artes factiuæ sunt plurimæ illi seruientes. Architectonica autẽ, quæ omnibus imperat est vna conflata ex Logica Cognoscitiui, ex Morali Volitiui & Mathematica Potestatiui, quoniam operationes ad extra sunt indiuisæ. Dicatur forsan Magia, vnde dicuntur Magistri, qui præsunt operibus cunctis volitione capessendo, scientia dirigendo, Potestate tractando: & quemadmodum non est amplius Ens, cui deest vna Primalitas, ablato enim amore essendi, vel sensu essendi, vel potestate essendi, definit Ens esse: ita ablato amore operandi, vel scientia operandi, vel potestate operandi, statim definit operatio. Tres igitur sunt scientiæ instrumentales, & quasi eminentiæ quædam omnium scientiarum directiones. Adde quartam operatoriam seu magistralem. Aug. 9. de ciuit. Dei cap. 8. in tres classes partitur scientias: ex quibus Deus tripliciter cognoscitur, 3. Autor naturæ: lumen doctrinæ: & fœlicitas vitæ: hoc est per Physicam, Rationalem, & Moralem.

Sapientiam principemque ſcientiam nihil præſupponere, niſi aliquas exiſtentias: quemadmodum ſcientiæ partiales, & inſtrumentales, & ſubalternatæ præſupponunt de ſubiecto, & paſsione, & axiomate.

CAP. II. ARTIC. I.

IMPERITE igitur Ariſtoteles putat in omni ſcientifica demonſtratione præſupponi Quid, & Quia ſubiecti: Paſſionis, vero Quia eſt: & Dignitatis, ſeu Maximæ propoſitionis, Quia vera eſt. Hoc enim ſeruatur tantùmodo in inſtrumentalibus ſcientiis Logicis, Legalibus, & Mathematicis: quæ præmittunt Terminos, Definitiones, & Poſitiones, ex quibus concluſiones poſtmodum deriuant. Similiter in ſcientiis partialibus, quæ partem Entis cognoſcunt, & non totum Ens, & in ſcientiis ſubalternatis, quæ in ſubalternante principia probata habent. Metaphyſica autem ex toto, vt Phyſica ex Parte quatenus ſunt ſapientiæ, de omnibus quærit & quidditatem, & exiſtentiam: præſertim vbi omnibus non patent ſenſibus: quærit etiam vtrum pateant, & quid ſit ſentire, & intelligere, vt noſcamus num verè ſciatur: quod nos hoc in lib. obſeruamus: præſupponit autem tanquam notum ſenſibus multorum, & non omnium exiſtentiam, & quod multa apparent: quærit tamen, num quæ apparent veræ ſint, & quid ſint: & an ſecundum naturam verè ſint, an ſolum apparenter. Quapropter omnes ſcientiæ ſe habent ad Metaphyſicam ſicut orationes ad Rethoricam, & Poëmata ad Poëticam: ergo dicendum erat, ſapientiam inueſtigatiuam nihil præſupponere, ſed omnia probare & inueſtigare, & ad principia certa cognitiones deducere vniuerſalia, ex quibus ſcientiæ particulares deducuntur præſupponentes ſua principia, iam probata per ſapientiam. Propria quoque Phyſiologia, in cuius foribus Ariſtoteles inueſtigat principia, & naturam, & motum, & locum, & tempus, neque præſupponit præſupponenda: quidem, cum ſint principia quidditatum, & exiſtentiarum in naturalibus, admonere potuiſſet ipſum de dogmatis falſitate. Quamobrem non videntur eſſe ſcientiæ, quæ præſupponunt, ſed ſcientiarum fragmenta, totiuſq; ſapientiæ ideationes. Nam & ſi per ſenſus, & demonſtrationes ducentes ad impoſſibile, tanquam à ſigno, quædam prima principia probentur in ſcientiis: haud tamen certitudo ineſt concluſionibus, niſi principia per ſapientiam ſic dilucidata fuerint.

Principia ſcientiarum in hiſtoria fundari, & tres eſſe primas ſcientias: & in quo deficiunt Mathematicæ.

ARTIC. II.

ITAQVE Principia ſcientiarum ſunt nobis hiſtoriæ. Hiſtoriam dico etiam, quod non ab alio audiuimus, ſed noſtris patuit oculis, & ſenſibus: ex eo enim, quod patet hiſtoricè, ad inueſtigandum quod latet, proficiſcimur. Si autem hiſtoria diuinitus promulgata eſt, facit fidem, eſtq; principiũ fidei Theologicæ, ſi tamen de diuinis eſt narratio: quidquid vero nos elicimus ex principiis illis, diuinitus reuelatis, vocatur non fides, ſed ſcientia Theologica: quoniam ſicut aliæ ſcientiæ ex reuelatis hiſtoriis etiam procedunt ad concluſiones ſuas. At ſi & illa principia poſſunt humanis rationibus haberi communicant cum ſcientia, vt quod Deus ſit vnus. Poſſunt haberi aliqua naturaliter ab effectu, non ex cauſis ſyllogizando. Reuelatio autem probatur non per cauſam, ſed ſigno, vt miraculis, & martyrio. Non enim cauſa, vt vera ſit Apoſtolorum prædicatio, eſt miraculum: nam & ſine eo vera eſt: neque martyrium: cum & ſine eo vera ſit: effectus autem non eſt niſi per ſuam cauſam. Neque ſunt effectus illius prædicationis miraculum, & martyrium, cum ſine tali effectu poſſit illa eſſe, & hæc à Deo dari ob alium fine m: ſed ſunt ſignũ, quod à Deo fit reuelatio, qui poteſt ſolus miraculum, & martyriũ verum dare. Quod autem ſolus ipſe poſſit, patet, quia ſolus autor naturæ poteſt ſuper naturam: & hoc eſt Axioma talium ſyllogiſmorum. Si vero hiſtoria eſt humanitus nota, ſi à multis fide dignis conteſtatur, & à nobis poteſt experiri, vt quod mundus nouus repertus ſit, facit ſcientiam. Si autem nemo poteſt experiri amplius, fides eſt: vt quod in anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo apparuit ſydus nouum in Sedili Caſſiopeæ credimus Ticoni, & quod aliud obſeruauit Hipparcus, credimus Plinio: & ſic quod alicui eſt ſenſus, alteri eſt fides, quam diximus aſſenſum: quoniam aliorum ſenſu quaſi ſentimus: quod tamen multis viſum eſt, facit ſcientiam humanam, ſed non mihi ſemper, niſi examinauero, vtrum illi fallere, aut falli potuerint. Multa enim refert Mahometes ſe in cælo, & in terra vidiſſe: quæ hiſtoriæ naturali, & ciuili repugnant.

Quia ergo nõ datur niſi hiſtoria diuina, & humana, quæ diuiditur in naturalẽ, & moralem, qualiter differt Pliniana, à Liuiana: propterea duplex fit ſciẽtia. i. Theologia, & Micrologia: quæ diuiditur in naturalẽ, & moralem. Illa quidẽ iure domina eſt, qm̃ Dei reuelatione habetur authoris naturæ, & ſenſus: hæc ancilla, qm̃ à ſenſu & natura percipitur, noſtra & aliorum. Sed qm̃ res oẽs homo vnus naturaliter diſcere nequit: itẽque in rebus naturalibus, quas dicimus, inuenitur diuinitatis veſtigiũ, & multa quæ ſenſum ſuperant, licet ſenſu hauriantur: & connexio cauſę inuiſibilis cũ viſibilib. relucet Hoc autẽ omnino conſiderare nequit rectè, niſi qui res oẽs perluſtrauit ſenſu ſuo, & alienis & conſideratione. Idcirco datur alia ſcientia, quæ vocatur Metaphyſ. media inter Phyſicam & Theologiam, & ad hanc tanquam, quæ res cunctas ſpeculentur, & connexiones earum cum cauſis diuinis inueſtigauit, ſpectat princi-

pia ſcientiarum enucleare, & ſtabilire; & rebus ſecundum naturam nomina imponere, & ordinem, & fines omnium declarare. Aſſiſtit ergo Theologiæ ſicut magiſtra ancillarum.

Naturalis vero ex hiſtoria elementorum, & ſyderum, & aquarum, & lapidum, & metallorum, & plantarum, elicit propoſitiones vniuerſales, quidditates rerum corporearum exprimentes, & ex his conſiderat generationes, & corruptiones, mutationes, partes, principia, effectus, & vſus, quo ad hominem, & quo ad totum corporum naturam. Idcirco, & tempus, & locum, & quantitatem, & numerum ipſorum conſiderat. Sed cum non poſſent homines corpora omnia contemplari, diuiſeruut ſcientiam hanc, vt alia ſit, quæ de paſſionibus humani corporis conſideret, & in hoc vitæ noſtræ conſulat per medicinam. Alia quæ ſtellarum motus inueſtiget, & ſitus, & quantitates, quam dicunt Aſtronomiam. Alia tandem, quæ cauſalitatem ſyderum ſuper res inferiores tractat, quam dicunt Aſtrologiam. Et alia quæ totius mundi delineet ſitum, & corporum moles; quàm Coſmographiam vocant, & aliam, quæ telluris, Geometriam: ſed tamen omnes hæ vnà ſunt ſcientia vnius mundi, ſuorumque corporum.

Cumque magnitudines, & numerum prædictorum ſcire oporteret, neque ſuffceret homo ad omnia ſcibilia, inuenta eſt Mathematica de numeris, & magnitudinibus: quæ profecto mihi ſcientia rerum minimè videtur eſſe, ſed ſciendi modus, ſicut & Logica. Non enim habet aliquid, de quo per ſe conſideret: quippè quæ numeros, & magnitudines corporum Phyſicorum ſolum metiatur. Si enim non ſunt Phyſica corpora, neque Mathematica humana vlli eſſet vſui. De Phyſicis autem Phyſiologia tractat, ergo Mathematica eſt Phyſiologiæ adiutrix, & ancilla, vel eius fragmentum. Hoc autem fateri cogitur Ariſtoteles, qui negat ideas, & Mathematica, media inter ſenſibilia, & abſtracta entia, Platoni poſita. Quapropter mirumquo pacto mox Mathematicam, quæ tractat de Non-entibus, & de accidentibus corporum, mox faciat certiorem, & veriorem Phyſiologia, & cunctis ſcientiis. Hoc quidem Platoni potius conuenit, qui menſuras rerum in ideis cõtemplatur & in ſpatio, in quo fundantur corpora, quorum vtramque Ariſtoteles negat. Sed profecto de illis ita conſiderare Metaphyſicæ eſt munus. Nihil ergo iuuat noſſe, quod duo, & tria faciunt quinque, niſi quia in corporibus aliiſque rebus ita fit coaceruatio naturaliter. Quare autem ita fiat ex idea Dei dependet: ſicuti quare triangulus habet tres, & ignis calet. Nos autem ex fine, & vſu rationem reddentes, neque in hoc quieſcimus. Scimus enim ſolem calefacere, vt terram tranſmutet: & ab authore naturæ ita datum eſſe, vt ſecunda entia producantur ex immutata terra: ſed finem dicere non eſt rem percipere, ſed vſum.

Quapropter, ſicuti Logica eſt inſtrumentum Metaphyſici, ſcienter loquentis in omni ſcientia; ita Mathematica eſt eiuſdem inſtrumentum menſurantis res phyſicas, & numerantis. Menſurare autem & numerare eſt, quod notum eſt nobis, ignotis applicare, vt per illud innoteſcant. Et ideo numerus humanus procedit vſque ad decem, quoniam decem ſunt digiti in manu noſtra, nobis notiſſimi, ex quorum replicatione cuncta numeramus. Sed cur, & vtrum numerus ſolum ad denarium porrigitur, neſcimus. Si enim numerus ſolum humanus eſt, ita ſe habet. Sed ſi Angeli illo vtuntur, & bruta, prout ſe habet, quod illis diſcretè notiſſimum eſt, numerent oportet. Sic nos & bruta ſolis luce videmus: non autem veſpertilio, ſed aëris. Angelus vero diuiniori lumine. Sic etiam vtimur in menſurandis rebus, pede, vel palmo noſtro, ſed hoc non vtuntur bruta, ſed ſuis. Angelus vero pede Angeli muros Ieruſalem cæleſtis metitur in Apocalypſi: quæ menſura eſt aliquid proportionale pedi noſtro, ſed ſpiritaliter. Et grano nobis noto vtimur in ponderibus, non autem feræ ſimiliter, vt dictum eſt prius lib. 1. Stulti profectò ſunt homines, qui de ſcientiis reſpectu ſui talibus, pronunciant.

Patet autem hoc, quoniam Mathematici ſupponunt numerum vſque ad decem, & menſuram minimam ad pedem redigunt, quam in digitos partiantur, vt exquiſitius diſtinguant. Dicunt lineas fieri ex fluxu puncti: ſuperficiem ex fluxu lineæ: corpus ex ſuperficiei: ſphæram ex tranſitu dimidij circumuoluti circuli, quæ quidem in natura non ſunt: ſed proponuntur nobis ſolum ad notitiam præconcipiendam. Item, lineam de polo ad polum ducunt, impoſſibilem quidem re, ſed imaginatione: quoniam tranſcendunt, & penetrant animo corpora, vt poſſint illa metiri. In quo apparet diuinitas hominis ita operantis, & proficientis. Quapropter non de rebus vti ſunt, tractat, ſed vti poſſunt à nobis cognoſci. Aſſumit autem quaſdam in re poſitas propoſitiones, non illarũ quidditates ſciens, ſed vſum ad menſurandum. Sic enim ponit quod diameter eſt tertia pars circuli, & laterum trianguli proportionem, quam in rebus colligit. Mox illis vtitur tanquam idea nota ad notitiam ambitus terræ, & diametri, & ſitus ſtellarum, & configurationum, & diſtantiarum; ſemper fundando ſe in illo principio; quod de ſimilibus in quantum ſimilibus idem eſt ſenſus: & quæ ſunt ſimilia, licet maiora, proportionantur minoribus. quo in negotio conuenit etiam cum Phyſiologo: ſicut in eo: omne totum eſt maius ſua parte, & anguli oppoſiti ſunt æquales, quod ipſe neſcit, quare; niſi quia ita hiſtoricè euenit, ſupponit. A ſigno tamen probat aliquando. Patet ergo, quod omnis ſuppoſitio eius eſt ad rerum Phyſicarum notitiam principium hiſtoricum, & ex parte Phyſicum, quia ita in natura reperitur ex parte fictum idealiter, vt inde Phyſicum Ens concipiamus. Sed tamen ex his rurſus palam eſt, Mathematicam non eſſe ſcientiam, ſicuti neque Logicam, cum careant ſubiecto & aliis deſeruiant. Quinimo, neque ex cauſis procedant, ſed ex ſigno, & ſimili idealiter. Vnde Mathematici ignorantes ordinem cœli, & modum motionum ſyderalium, fingunt epicyclos, excentricos, motum terræ, & huiuſmodi, non cauſas pro cauſis, petendo ſimul principium, quibus poſſint menſurare apparentias: non autem rem docere ſicuti eſt. Veluti Poëta fingit Fabulas, & Orator Parabolas ad exprimendum res à ſenſu audientium, vel à voluntate remotas.

Perperam Aristotelem Mathematicas scientias esse nobiliores, & certiores cæteris declarasse; cum non procedant ex causis, vt ipse putat, sed ex signo, & solam quantitatem absque substantia considerent.

ARTIC. III.

1. *Post.*

SED Aristoteles conatur ostendere, Mathematicas scientias esse: & in primo certitudinis gradu: primo quoniam procedunt ex vniuersalibus per se, & secundum quod ipsum 2. quoniam per causam formalem, quæ est inuariabilis, & non per alias causas, quarum multitudo scientiam confundit 3. quoniam procedit ex sensatis: ostendit enim quod Isosceles habet tres, quoniam triangulus habet tres: triangulus autem huiusmodi sensui patet 4. Quoniam omittit materiam, & contingentia, & fortuita, & quæ insunt per accidens in quibus oritur deceptio.

Respondeo, quod non procedit Mathematicus ex propriis, sed ex communibus: idcirco non est per se scientia: neque subiectum proprium habet: quæ vero sibi vendicat, vt propria, figmenta sunt non per se requisita, sed per aliud docendum, sicuti fabulas Poëta fingit, non propter fabulas, sed vt ad illarum ideam aliquid doceat. Item neque subiectum proprium habet Mathematica, in quo versetur: potest tamen secundario scientia appellari: potius tamen instrumentum sapientis. Neque verum est, quod sola Mathematica procedit ex vniuersalibus per se primo: nam omni scientiæ id etiam competit: sed non in omni demonstratione: sicut nec in Mathematica.

Patet namque quod probat, Isoscelem habere tres, quia est triangulus: non tamen competit Isosceli habere tres per se primo, quia non conuertibiliter se habent. Item & de hoc singulari triangulo probatur, quod sit trilaterus, eo quod est Isosceles: sicuti probamus, hunc hominem esse sensitiuum, quia habet oculos: habere autem oculos neque homini per se primo, neque animali inest, si talpa, & spongia carent: sed videnti. Item ostendimus non in hoc potissimè certitudinis vim consistere, sed in præcognitione sensitiua.

Ad 2. dico quod Mathematicus non procedit ex causis, sed tantum ex signo, & ideo præstantiores esse naturales demonstrationes, quæ procedunt ex causis præsertim Aristoteli: cui scire est rem per causam cognoscere in essendo planè, & non in cognoscendo tantum. Palam enim est, quod nullam assignat causam Mathematicus, quare triangulus habet tres æquales duobus rectis: quod enim ostendit ducendo angulum exteriorem: signum est: nanque & sine illo habet tres æquales duobus rectis. Ita neq; rectè probat, triangulum esse æquilaterum ex causa: quando Euclides hoc ostendit ex eo, quod omnia latera eius sunt lineæ à circuli centro ad circumferentiam ducibiles, quæ sunt æquales: nam adhuc triangulus æquilaterus erat non constituto circulo vel circulis duobus. Illud autem solum ad hominem est signum, & non causa: neq; enim causa est circulus, quod duæ lineæ sint æquales, cum, non existente circulo, etiam sint. Similiter cum probat, quod polus eleuetur super horizontem aliquem 30. gradibus, eo quod stella circa polum reuoluta propinquissima facta horizonti, distat à terra 30. gradibus, remotissima vero in zenith quadraginta: ergo polus in medio circuli triginta) nam ablata stella, & eius circumuolutione, adhuc triginta abest polus ab horizonte: ergo illa non est causa, sed signum: nam ablata causa aufertur effectus. Neque ergo adhuc demonstrationem Mathematicam inuenire potuit neq; Telesius. Idcirco scientia à signo reputanda est. Arist autem decipitur, quoniam putat, quod causa quare Isosceles habet tres, est quia triangulus est. Sed hoc non est causam reddere, sed æquipollentiam: omnis enim triangulus habet tres: ergo Isosceles habet tres, non est illatio causalis, nam illa, omnis triangulus habet tres, non est causa, sed identitas. Idem enim est dicere, omnis triangulus habet tres, ac Isosceles, & omnis alius habet tres. Similiter non est causa, quod Petrus sit rationalis ista. Omnis homo est rationalis, sed æquiualentia: nam idem est, ac si dicas, Petrus, & omnis alius, sibi similis, est rationalis: cum igitur dico, omnis homo est rationalis, dico Petrum. Illa ergo illatio fit ad expressionem ignoranti, aliàs esset fallacia: non ad causam proferendam: patet enim, quod qui formauit vniuersalem, quæ est principium artis compendiosum, ex particularium collectione longa illam formauit. Similiter, qui scit, omne reubarbarum purgare choleram, etiam hoc reubarbarum purgare choleram nouit. Sed fiunt huiusmodi illationes ad discipulos, qui collectionem vniuersalem non fecerunt, sed habent illam ex fide doctorum: & hoc esse reubarbarum non nouerunt: propterea ipse Arist. in Elenc. reputat, sophisma esse petitionis principii probare particularē ex vniuersali, quia idem per idē, & nō ex causa: ergo repræsentat, nō probat: quod autem argumentum hoc est à causa formali, non conuincit, Mathematicum vti formali, sed præsupponere: vtimur namque formali cum ex vno in alterum consimilis formæ procedimus: vt si dicas; nix est alba, & ignis albus: ergo calida: iste habet tres, & ille etiam tres, quem dicimus triangulum: ergo & iste triangulus. Sed ex vniuersali ad particularem non proceditur tanquam ex forma, sed tanquam ex toto ad partem: & hæc nobis notitia est idealis non formalis: procedimus enim ab vno ad aliud, tanquam ab idea ad ideandum artifex: & quia omnis cognitio huiusmodi idealitatem induit, vt dictum est prius, quoniam soli Mathematicæ cōgruit, aliis carere causis, videtur formali sola vti. Nō quidē caret Mathematica causis, sed ignorat: nā materia eorū est spatiū incorporeū: causa agēs intellectus Dei: vbi & ideæ. Finis corporū vsus ad primæ causæ gloriā, vt infra docebimus. Propterea, neque certior fit Mathematica nobiliorq; ex eo, quod alia causarū genera non considerat. Quinimò hinc patet, non esse scientiā, sed fragmentū, & instrumentū metiendi subiecta aliarū scientiarū. Cū.n. ad physicū spectet numerū, & magnitudinē, & sitū corporū mundi nosse, Mathematicaq; sit regula ad hoc munus, vtiq; pars eius est: & ideo minus obnoxia incertitudini, quoniā nō totum Ens considerat, sed tantum mensuram quantitatis, in qua cōtingit minus falli, sed tamē & minus scire.

Confert quoque Mathematica ad cognoſcendum cæli ſubſtantiam, dum ex defectu parallaxium ſupra Lunam cometas fieri deprehendit: vnde non ſolidam, ſed tenuem cæli ſubſtantiam ſcimus. Idem tamen argumentum eſt Phyſicum, ſed Mathematico inſtrumento tractatum. Quapropter ex eo, quod Mathematicus omittit contingentia, & per accidens, non nobilior eſt artifex, ſed deficientior. Conſiderat namque omnia, qui ſapientior eſt. ſicuti neque doctior eſt, qui pondus lapidis nouit, quàm qui naturam & accidentia, & vſum, cui & pondus noſſe conueniens eſſe, fatendum reor. Propterea neſcit Mathematicus, quid ſit pondus, ſed tantum quia ſit. nec quia vniuſcuiuſque propenſio ad quemcunque ſitum eſt pondus: ſed tantum erga terram, nec de Primalitatum vi in pondere: ergo inſufficiens eſt, & non ſcientia.

Sed illa Ariſt. ratio, qua excellere Mathematicū, putat, in certitudine, quia notiora ſenſui promittit) ipſi prorſus contrariatur; qui in primo Poſter. certiorem facit intellectum, & Mathematicam ſcientiam intellectualem: & principia eſſe notiora ſecundum intellectum, non ſecundum ſenſum contendit: quem nimis vilificat, vt ſcientiam nullam illi committat, vt patuit in primo libro. Nunc verò Mathematicis certitudinem, & nobilitatem à ſenſu adſcribit inconſtanter, vt ſolet. Nos autem nobis conſtantes Mathematicam à ſenſu fundamus, ſicut & cæteras ſcientias, noſtro quidem & alieno.

De Scientijs, quæ in hiſtoria morali fundantur.

ARTIC. IV.

SCIENTIA verò moralis diuiditur in Ethicam, Politicam, & œconomicam: illa regimus proprios mores, Politica Rempublicam, & Imperium: œconomica, familiā: Militari, rem bellicam. ſed re vera vnica ſcientia eſt, diuiſa per noſtram imbecillitatem in plures. Principia autem ipſarum in ſenſu actionum, & paſſionum humanarum fundantur. Et conſeruationem reſpiciunt: quoniam iſtæ ſcientiæ praxim reſpiciunt. Quæcunque ergo conſeruant nos in nobis, & in Republica, & in fama, vtilia, & honeſta dicuntur; quæ verò obſunt & deſtruunt, è contra. Eſt autem vnus homo pars familiæ. Familia verò Reipublicæ. ergo Ethica eſt œconomiæ pars: œconomia Politiæ. Virtus eſt regula conſeruandi indiuiduum: lex eſt virtus conſeruans ſpeciem, id eſt Rempublicam. & cum hæc à ſenſu abſint, regulæ ex conſuetudine bona, vel mala percipiuntur, & ex ſapientum autoritate, maximè autem diuina, cuius eſt mundi regimen: propterea Macchiaueliſtica politica peſſima eſt, quoniam diſcordat à primo Rectore, quem ipſe non agnoſcit. ergo & à toto mundo, & à fato: ergo ſibi & aliis perniciosa, dum prodeſſe credit. veluti puerorum aſtutia, medico, & magiſtro, & patri familias repugnans, perdit eos.

De Scientia deſeruiente Volitiuo, & de ſuis affectis: & quomodo diſtinguuntur à ſcientijs Cognoſcitiui, & Poteſtatiui.

ARTIC. V.

SVPERMINET his ſcientiis legiſlatura, quæ & Ethicam, Politicam, & œconomicam, & Militarem, & omne viuendi genus, & ſeorſum, & communiter dirigit ad ſuos fines per regulas, quas leges vocamus. Legiſlatoris ergo eſt omnium rerum naturas noſſe, & hominum mores, & qui, & quibus muneribus apti ſunt ſecundum naturam, & quæ illis proſunt, atque nocent, vt poſſit quemque proprio in ordine ponere, ita vt mutuis officiis ſeſe iuuent, atque iuuentur ad fælicitatem; quā non niſi à fæliciſſimo Ente primo ſperare licet: & huius ſpei obiectum noſſe, viaſque ad ipſum, conſummatæ ſapientiæ eſt. Item Legem æternam, & naturalem prænoſſe Legiſlator debet: ex quibus ius gentium per modum concluſionis, & ius poſitiuum ſeu ciuile per modum determinationis, & ſpecificationis deriuant leges: & quæ ab his non deriuantur, non eſſe leges, ſed enormitates tyrannorum, aut inſipientum, aut Hypocritarū: qui adulterant, Tyrannus poteſtatiuum, Sophiſta cognoſcitiuum, Hypocrita volitiuum, ſanè principia cauſarum, & cauſationum, & effectuum omnium. Propterea inter omnes non niſi Metaphyſicus legiſlator eſſe poteſt: & quidem inſufficienter abſque Deo. Deus ergo Creator, & gubernator omnium ſolus ſufficienter, & veraciter legifer eſt. Quapropter omnes homines, qui legem dederunt hominibus, Deum habuere magiſtrum, vel ſaltem habere ſimulauerunt: quemadmodum & qui Philoſophi non ſunt, Philoſophiam ſophiſticè profitentur; & qui ſancti non ſunt, ſanctitatem per hypocriſim oſtentant. Legiſlatoris inſtrumentum eſt ars imperatoria, quæ legum cuſtodiam habet; & iudiciaria, quę eas particularibus applicat, & Rhetorica, quæ ſuadet legis obſeruantiam, & tranſgreſſionem diſſuadet; accuſat, & defendit, laudat, & vituperat, conſolatur, & contriſtat, prout opus eſt ad bonum, ad quod per Legiſlatorem dirigimur. Rhetor cæ abuſus eſt, ſicut coquinariæ ad medicinam collatio: quando ſaporem, non ſanitatem procurat. ergo Poëtica quoque inſtrumentum conſimile eſt, facitque idem, quod orator, ſed alia ratione: quoniam verba trutinat, & numeris colligat, vt facili, iocundoque animo præcepta capiantur. Propterea trans-

fert verba metaphoris, & ſenſum fabulis, vt periculum ſimul, & faſtidium, docentis, & docti, vitentur. Vnde ideas euentuum in Repub. fabricatur. ſiquidem in Epopeja militarem propinat ſcientiam, & mores, & vires. In Tragædia euentus cauere, ac ſufferre truces: quàm parùm fortunæ fidendum ſit, inſinuat: In Comædia ex triſtibus euentus lætos promittit; mores populorum cuiuſque ordinis deſcribit. In Satyris vitia idealiter vituperat. In Hymnis meliores tanquam exemplar dat laudatum, deterioribus: vimque habet magnam in Republica perdendi mores, vel meliorandi. Quapropter germina Dialecticæ non ſunt, ſed Legiſlaturæ, vel Moralis ſcientiæ, quæ pro obiecto habent Bonum. Dialectica autem ipſum verum potius reſpicit. Non eſt quidem Logica ſcientia diſcretiua veri à falſo, ſed inſtrumentum rationale Cognoſcitiui principij, quo omnes ſcientiæ formantur, & docentur: & ideo Ars Rationis inuentum, non ſcientia rerum inuentrix.

Quapropter quemadmodum Grammatici non eſt ſcire an hæc propoſitio, homo eſt Aſinus, ſit vera; ſed tantum an congruenter ſit pronunciata; ita neque Logici eſt hanc veritatem, & falſitatem dignoſcere: ſed tantum, an propoſitio habeat propriamque formam in argumentatione: neque enim rem vllam habet Logica pro ſubiecto, ſed tantum ſciendi modum cuiuſlibet ſubiecti, vnde videtur eſſe inſtrumentum Metaphyſici, quo ſciendi modus in omni facultate formatur, non reſpiciens affectus, vt Bonum ſicuti Rhetorica, & Poëtica, ſed doctrinam tantum formaliter, non materialiter, ſicuti ſuo in loco oſtenſum eſt. Et quemadmodum Mathematica non rerum naturas, & qualitates reſpicit, ſed tantum menſuras, & numeros, vt inſtrumentum Poteſtatiui: & Moralis, non quid ſunt actiones, & paſſiones, iudicat, ſed quid boni, & mali afferant: ita Logica non rerum naturas rimatur, & quantitates, & bonitates, ſed quomodo ſunt cognoſcibiles, & explicabiles ſermone.

De Magia Operatorij directiua ſcientia, & ſuis aſſeclis, & diſtinctionibus.

ARTIC. VI.

DENIQVE magis, quæ inſtrumentũ eſt Operatorij principij, in quo quẽadmodum ſuperius dicebamus, & Poteſtatiuum, & Cognoſcitiuum, & Volitiuum conueniunt extrinſecus relata, perit omnes artes mechanicas, quibus ea, quæ ad finem pertinen, tractantur, quos in ſecundo lib. de Natura & arte ſermocinantes, ita diuiſimus, vt aliæ reſpiciant poteſtatiuũ. ſicuti Militaris; alia Cognoſcitiuum, vt Pictura: alia Appetitiuum, vt Paſtoralis: de quibus ſingillatim iam dictum eſt. Ea autem magia, quæ corporis, & animæ affectus, & ſenſus, & vires applicando diſponentes cauſas actiuas naturales temporibus atque locis, quibus iſta efficere valent mirabilia: ſuperioris eſt generis ad omnes artes; & Metaphyſici operantis poſt ſpeculationem, inſtrumentum. Propterea Matheſi vtitur, & Medicinam addit, & Religionem, ſi quando effectus ab intellectuali expectatur cauſa. Quapropter & à ſuperis, & ab inferis diſcit faciendorum myſteria, ſi naturalia, vel ignorantur, vel non ſufficiunt. ergo & Phyſicum, & Mathematicum, & diuinum Entium genera ſimul ſentit, & applicat expectatis euentibus. Experimur autem inferos praua docere, ſuperos vtilia: Idcirco diuiditur Magia in naturalem, diabolicam, & Angelicam: de quibus in 3. p ac ſimul de omnibus artibus, quas ſtudioſitas, & curioſitas, & diuinitas inuenerunt, atque inuenire poſſunt, luculenter ratiocinabimur.

De Scientiarum diſtinctione, & modo procedendi.

CAP. III. ART. I.

SIQVIDEM ſcientias penes obiecta diuidas, vt à Peripateticis fit; infinitæ propè erunt, ſicuti & res conſiderabiles. Oporteret enim ſicuti inuenta eſt medicina pars Phyſicæ, ita dari de cunctis corporibus ſingularibus propriam ſcientiam. Et ſicuti Proſpectiua de viſualibus; & Legalis de Iuſtitia: ita aliam de audibilibus; aliam de olfactibilibus: aliam de fortitudine, &c. quoniam Infinitas habet conſiderationes quodlibet ſenſus, & virtutis, & mentis obiectum; & ſcientiam propriam requirit. Et ſicut Mathematica de Quantitate, ita dabitur alia de Qualitate, alia de relationibus; alia de motibus ſcientia, &c. ſine fine ſed eas homo tantum diuidit, quas non poteſt ſimul capeſſere, & penitius ſcire cogitur. Præterea cum idem obiectum à duabus ſcientiis conſideretur, vt Deus à Philoſopho, & à Theologo, & Iuſtitia ab Ethico, & Politico, & Rhetore, & Theologo, conſequens eſt, vt non obiecta diuidant ſcientias, & conſtituant, ſed modus conſiderandi, quam rationem formalem obiecti appellant peritiores. & illi quidem ſecundum naturam fortè melius dicunt; hi ſecundum nos.

Modus autem conſiderandi vel ſumitur à fine, vt in Mechanicis frequenter: alio enim modo lignum conſiderat Ferrarius, & alio faber lignarius, & alio

Architectus. vel ex principiorum ratione, & sic aliter de Deo Physicus, ac Theologus tractant:quoniam iste ex reuelatis, ille ex effectibus. sic & Physicus de motibus Cæli, quo ad essentiam, & accidentia eorum tractant; Astronomus verò, quo ad quantitatem. Accidit autem vt principiis, & fine, & modo procedendi distinguantur interdum.

Et quoniam omnis scientia ad vtilitatem nobis data est, teste Apostolo; vtilitates variæ eas diuidunt. Nam Theologia est propter beatitudinem æternam; Physica, ob conseruationem corporalem; ideo scrutantur de omnibus corporibus nobis vtilibus, & noxiis. Metaphysica ex hac ad illam fælicitatem commercium inquirit. Mathematica ad metiendum, & mensurandum ea, quæ dicta sunt. Logica ad rectè docendum, & declarandum eadem: Grammatica ad significandum cæteris, quibuscum viuimus. Poëtica ad repræsentandum vehementius, & delectabilius. Rhetorica ad persuadendum, & dissuadendum bona eorum, & mala. Habet ergo diuersas vtilitates, & bona particularia: sed quæ Bonum vniuersale, & æternum proponit, omnibus imperat, vt Architectonica: talis autem est Theologia. ob id ipsa aliam rationem formalem habet sui obiecti altiorem, quia procedit ex principiis ab altissima causa reuelatis. Profectò enim si Deus est, & nostri curam gerit, & nos capaces præceptorum eius sumus; ergo nobis illa reuelauit, quæ scire oportebat, & per nos scire non poteramus: quæ autem vera, & quæ falsa sit reuelatio, in 3. p. examinabitur.

Procedit ergo Theologia demonstratiuè ex reuelatis tanquam ex propriis, & ex physicè & metaphysicè demonstratis non nisi tanquam ex communibus probabilibus: omnia enim incertiora sunt reuelatione: quoniam vt in primo lib. dictum est, etiam sensus contingit falli. Est tamen demonstratio, sed humana ex eis. Nam licet omnis veritas sit Canonica in cælo, & naturæ, nobis tamen non nisi reuelata diuinitus. Item procedit ab autoritate philosophorum, vt ab extraneis, teste S. Thoma, & non citat eos, vt iudices, sed vt testes, & non contra credentes Theologiæ, sed contra incredulos illos, qui talibus autoritatibus pronius auscultant: Quapropter errant, qui putant Arist. citari à D. Thoma vt iudicem in schola Christi, aut vt approbatorem veritatis Christianæ; vel confirmatorem, & non potius tanquam testem contra Aristotelicos, & Gentiles. Absit enim, vt veritas Dei ab homine pendeat. Tractat quidem de Reuelatis vt euidenter credibilibus: & in ly euidenter est scientia à signo. Signa autem sunt miracula prophetia Martyrium linguæ, &c. & sic demonstrationes sunt ex propriis. In ly credibilibus designatur obiecta fide teneri, sed ad scientiam incedente. Nam & syllogismis dogmata declarantur.

Metaph. verò tractat de omnibus prout, & quatenus sunt, & nihil præsupponit, nisi apparere quædam, quæ vera, & falsa esse possunt. & sic de scientia disputat & opinione; & tandem esse, quia res sunt, intelligit, & de rerum. Entitate, & Nonentitate considerat, & principium primum, quod idem esse, & non esse, non potest. dehinc de Potentia, Sapientia, & Amore Primalitatibus Entis, & de abstractis rebus, & ad Deum eleuatione. Distinguitur autem ab omnibus, quia de rebus omnibus prout sunt, & de primo Ente mox principalius tractat, & de propriis principiis proportionibus, & pro passionibus Entis in cognoscendo, vel essendo. Cæteræ verò non de omnibus, nec prout sunt.

Mathematica non de rebus, sed tantum de affectione quadam corporum, quæ est magnitudo, & numerus, considerat; & præsupponit, quæ de his sensu nouit Procedit autem ex propriis, quando ex his probat; ex communibus, quando communia principia Metaphysica attingit. vt de quolibet vera est affirmatio, aut negatio. Omne totum est maius sua parte, &c. ex extraneis verò quādo transgreditur sua præsupposita, vt cum probat, Terram non esse extra centrum, quoniam sex signa supra horizontem semper cernimus. Hæc probatio Physica est, ex visu, & potest falli, quoniam refractio facit videri stellas, quæ sunt infra, esse super. Et quia Terram esse rotundam aliter Physicus, aliter Mathematicus probant. ideò scientiæ distinctæ sunt, quoniam quilibet ex propriis præsuppositis procedit. Metaphysicus autem & presupposita probat. Theologus eisdem vtitur, vt seruorum operibus. Idem autem obiectum si non æquè principaliter à duobus artificibus tractatur, vt quilibet consideret eius principia, partes, & passiones, sed sub alia ratione ad alium finem, & non æquè. Logicus quoque accipit cathegorias à Metaphysica, & scientiam esse. conficitque instrumentum procedendi in sermone mentali, & vocali, & scripto, iuxta formas intellectui connaturales à Physico, & Metaphysico inuestigatas. Idcircò procedit ex communibus, & vniuersalibus principiis Logica, quoniam est instrumentum commune scientiarum: quando verò loquitur in singulis scientiis applicatio fit ad particulares: sicuti lex Reipublicæ regula, quæ à iudice applicatur Petro, & Fabio.

Vtilitas autem Moralium ex dictis patet. Modus procedendi est ex iactis principiis moralibus; & ideo semper quasi ex finali causa arguit, quæ est summum bonum, aut disponens ad illud; sed ab autoritate legis, quæ publica est, & Dei primi Legislatoris demonstrat. sensum autem Dei non habet nisi tota Ecclesia sanctorum, cui dedit suas reuelationes, & scripturas. Frustra enim dedisset, nisi & sensum dedisset. Idcirco lex Diuina præter Scripturæ sanctæ autoritatem habet pro fundamento syllogismorum, Ecclesiæ sententiam, & sui capitis, & omnium sanctorum Doctorum autoritatem & vnitatem. Vbi enim non consentiunt, probabile faciunt argumentum: qui autem prædictis contradicit, non habet partem in Theologia, sed in hæresi. Sic qui legem publicam in Politia frangit hæreticus est Ciuis, non verus Ciuis, (vt & Socrates nouit) in eo, quod frangit, & frangendam esse contendit: nisi nouas in leges Respublica consentiat nutu Dei. Procedit etiam Moralis ex Physicis, sicut ab extraneis: sed tamen quatenus Physica fundat mores ex propriis secundum naturam, non secundū nos. Vt Legista accipit à Physico, partum septimi & decimi mēsis posse legitimū esse; & iustitiam superflua abominari, quoniam in corpore humano membrum plus accipiens infirmatur. sic & anima omnis per intemperantiam.

Quapropter Legislatorem humanum omnia scire. Diuinum verò à Deo doceri: siquidem eius est omnia Reipubl. membra rectè disponere ad fælicitatem pro præsenti, & futuris temporibus. quod vniuersalibus regulis difficile est ob casus particu-

lares discordantes: ideo remanet in Republica potestas applicationis secundum æquitatem naturalem, non autem faciendæ Theologiæ, sed declarandæ: quoniam Dei solius est illa.

De Subalternantibus, & Subalternatis scientijs.
ARTIC. II.

VOCANTVR autem scientiæ subalternantes, quæ propria habent principia: subalternatæ verò, quæ aliarum principia accipiunt; & insuper addunt accidentalem differentiam: si enim coexistentialis esset, nequaquam vltra scientiam subalternantem poneretur, vt Prospectiua tractat de linea, sed quatenus visuali. Medicus de Physica, sed quatenus humano in corpore: sed vix egreditur differẽtia essentiali, vt illa. Subiacet Mathematicæ Astronomia addens cæli motum, immobiliter consideratæ illius quantitati. Sed Astrologia addit diuinationem Astronomiæ. ergo illi subalternatur. sic dicendum de Cosmographia, & Geographia. Verum enimuerò hæc se habent sic secundum Peripateticam considerationem: sed secundum naturam sunt instrumenta scientiarum, & non subalternantes illæ, quæ tales habentur. Sic enim omnis scientia Logicæ subalternaretur, quoniam addunt syllogismo materiam accidentalem; sicut triangulo esse ligneum. sic patet quoque Mathemat. subalternari Physicæ, vel Metaphysicæ: quoniam tractat de quantitate addendo mensurabilitatem accidentem ex animæ consideratione. Nobis autem alię præsunt, alię subsunt, aliæ sunt de rebus, aliæ sunt de instrumentis considerationis earum, aliæ de fine, aliæ de his, quæ sunt gratia finis. Neque putandus est extraneis, qui verè demonstrat, demonstrare: propterea quia ex aliis scientiis procedit; sed quia procedit tantum ex disparatis non verè probans. Astrologus ergo ostendendo hominem affici capite, quia habet Saturnum in horoscopo, probat secundum sua principia, & tamen ex extraneis. Saturnus enim cum homine non conuenit tantopere, cum disparata sint: sicuti neque quia bos non est viridis, non erit Auis. Sic qui dicit, quia crocitat coruus, pluet: nisi quatenus causa pluuiæ est simul causa crocitationis. Idcirco diuinatores ad extranea sæpè flectuntur etiam intra propriam scientiam. Possum equidem, sicuti diuersæ sunt hominum facies, & voces, & chirographia, iudicare diuersos singulis esse mores, & ex similitudine effectus ad causas de moribus pronunciare, vt acutus voce, & scribens intricatè, & apicibus pyramidatis, igneæ sit complexionis, quia acumen, & velocitas ex igne est, & pyramis ipsum repræsentat: sed tamen hæc coniecturalis est probatio, quoniam potest aliunde oriri velocitas nempe ex nimia consuetudine, vel coactione: Pyramis autem ex doctore chirographiæ: Acumen verò ex angustia faucium. Sed rursus neque ex ignea complexione euentus animæ, quæ non est igneæ, licet à corpore afficiatur, & morum in certis temporibus dicere poterimus; quoniam causæ vniuersales, & particulares exteriores præsignatam mensuram variant, & processus est ex communibus, & extraneis partim; & ex dispositionibus variabilibus, & inadæquatis. sic neque sciam quando febricitabit Petrus, ex eo, quod igneus est, sed quando potest febricitare, cum causæ vniuersales iuuabunt ad ipsum; idcircò indiget Astrologus Petri complexionem, & locum, conuersationem, & tempus scire, & stellarum vires, quo tempore inferiora sic, vel sic afficient, & hæc plus quàm illa impedimenta. De fortunis autem exterioribus à complexione, dicere quomodo valebit, qui non omnes causas fatales exteriores, & concausas, & voluntatem primæ causæ prænoscit? coniecturant ergo, aut suspicantur Astrologi ex causis vniuersalibus. Physionomi verò ex signis particularibus. sed si aliqua sunt à Deo signa, vt docebimus in 3. p. ex illis fortè syllogizare licebit.

Quapropter neque Theologus demonstrat ex sensu mystico, vt ex historico, sed suadet tantum repræsentando. Poëtæ autem, & Oratores sæpè extraneis vtuntur exemplis, seu signis, vt Æsopus; quæ valent ad repræsentandum non ad conuincendum. Fortiora autem sunt, quæ viciniora secundum naturã, & modum. Idcirco non ex triangulo rectè probas diuinam Trinitatem, sed ex Primalitatibus Entis proximius reuelationem suades. Deus enim dat esse, non autem sibi dissimile. corporationes vero non probant, sed clarificant, vel multa simul repræsentant, vt faciunt metaphoræ, & fabulæ, in quibus habemus res per voces significatas, & deinde res alias per illas resignificatas quadam similitudine, quam imaginatrix anima depinxit. vbi autem clarescit, quod dicere volumus, comparare stultum est, aut transferre: nisi fortè velimus clara obscurare, ne immeritis cunctis promiscuè pateant; vel quia nobis incommodarent, veritatem propalantibus. Hinc fiunt ænigmata, quando totus sermo translatus est, vel vocibus, vel rebus. sophismata quoque multa fiunt ex his, & omne sophisma accidit, quoniam non pronunciatur idem de eodem secundum idem, & in eodem apud præmissas, & conclusiones: vt in Logic. patet. Siquidem ergo principia respiciamus scientiaum, omnes subalternantur Sapientiæ, à qua principia sumunt. si vsum erga obiecta, vt Ars, triplex erit etiam scientia principalis, & subalternans, tribus Primalitatibus correspondens, & omnis assecla earum subalternata dicetur. Ergo scientia de summo bono erit princeps in Volitiuo, cui subalternantur quæ de mediis ad illud, & de secundis bonis considerat. Similiter in Cognoscitiuo scientia de primis notionibus est princeps, cui subiiciuntur quæ ex ijs capiunt probationes. In Potestatiuo etiam similiter fieri conuenit: vt quæ de Natura rerum est, sit princeps: quæ verò de hac, & de illa Re naturali, (vt omnis scientia de effectu scientiam de causa siue essendi siue cognoscendi) subsequantur.

FINIS I. PARTIS METAPHYSICORVM.

THOMÆ CAMPANELLÆ PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICORVM DOGMATVM, PARS SECVNDA.

LIBER SEXTVS.

QVÆ DICTA IAM SVNT IN PRIMA PARTE, & quæ restant dicenda in hac secunda proponuntur.

PROOEMIVM.

QVONIAM in prima parte ostensum est, sapientem esse, cui res sapiunt prout sunt: & scientiam ex parte, & non ex toto reperiri apud mortales. Et quæ conspicienda sunt in cunctis vt principia cognitionis. Et Definitionem esse Epilogum considerationis cuiuscumque essentiæ per communia, & propria, & ad ens pertinere: Diuisionem verò esse epilogum considerationis non pertinentium ad essentias & confusionis ablationem, & spectare ad non esse: Syllogismum verò ex similibus vel dissimilibus notis ignotorum inspectionem: Et scientiarum omnium principia patefecimus. Reliquum est, vt de Ente, & Nonente differamus: in quibus omnium rerum notitiam fundari prospeximus. Itaque in hac parte palam fit, Ens ex Potentia, Sapientia, & Amore constare. Vnumquodque enim ideò est, quia potest esse, sapit esse, & amat esse. Quæ autem non possunt, aut nesciunt, aut oderunt esse, non amplius esse. Igitur & Nonens ex Impotentia, Insipientia, & Odio constare. Et quia excepta prima causa, omnia ex Nonente creata sunt entia ab ipso primo Ente, consequens est, vt Ens & Nonens participent: & secundum accessum & & recessum ab his principiis sortiri nobilitatem, & ignobilitatem. Re verà quidem homo est animal rationale, & ergò Ens, & reuera est non asinus, non leo, non lapis, non lignum, non aqua, &c. Ergo reuerà est simul Ens & Nonens; Nec esset homo, si veluti habet suam entitatem, careret suis Nonentitatibus. Esset enim simul homo & non homo, homo & leo & asinus, &c. quod impossibile est. At Deus non ita est Deus, quod non est homo, & lapis, & cœlum, & cætera omnia, quoniam eminenter est omnia secundum esse, quod ab ipso habent, non secundum Nonesse, & imperfectiones, quas ex Nonesse contraxerunt. Igitur Deus solus est infinitus, cui nullum esse abest: & solus immortalis, cui nullum Nonesse inest. Quatenus Ens igitur quælibet res constituitur ex Potentia, Sapientia, & Amore: & simul quatenus finitum ex

impotentia, insipientia, & odio, seu disamore: alias esset potentissima, sapientissima, & amorosissima etiam formica, & lapis, & linea, &c. absq; termino, quod falsum est. Quia ergo cunctis deficit gradus supremus Potentiæ, sapientiæ & amoris, admittunt in sui compositione, seu constitutione metaphysicali Impotentiam, Insipientiam, & Odium. Deus verò solus Potentissimus, sapientissimus, & Optimus est. Ergo & solus est vnum, & solus verum, & solus bonum, quia solus Ens absque admistione Nonentis. Mox palam fiet, quod secunda entia ab eo, & Nihilo emanarunt. Et quod Necessitas, Fatum, & Harmonia à Potentia, Sapientia, & Amore fluendo, contingentia verò, casus seu inordinatio, & dissonantia, seu fortuna, ab impotentia, insipientia, & odio, gradus ideales rebus impressere-runt, duce Deo, qui vtitur Nonente, veluti ente.

Quod omninò est, nullam compati Nihilitatem: & solum esse semper infinitum, & immortale: quæ verò aliquo modo sunt, compati in sua compositione Nihilum: Et ideò finita & mortalia per se esse.

CAP. I. ART. I.

QVOD omninò est, necessariò semper est: Eius enim essentia est, vt sit tantum, & simpliciter. Non quidem potest deficere per se, quoniam esse potest, esse scit, & esse vult semper: nec ab alio, quia quod omninò est, aliud non compatitur: si enim aliud reperiretur: illud omnino ens non erat omninò, sed aliquo modo ens, quoniam deerat sibi entitas illius alius, per quod potest deficere. Sicut calori deest entitas frigoris, à quo potest fieri, vt non sit. Quod verò aliquo modo est, non necessariò semper est: sed aliquo tempore, & modo particulari. Quoniam essentia eius non est, vt sit prorsus, sed etiam vt non sit. Si enim eius quidditas, seu natura, seu essentia, per se esset ipsum esse, semper esset. Sicut quia natura lucis est lucere, semper lucet. Item quod aliquo modo est, finitum est, contractumque ad aliquod genus entis. Aut enim est substantia, aut forma, aut color, aut linea, aut operatio, aut animal, aut lapis, &c. Igitur desunt ei entitates aliorum generum essendi. Igitur non est primum. Ergo à primo dependet. Ergò est post illud. Ergò aliquando non fuit. Ergò & aliquando poterit non esse. Similiter ambiri ipsum oportet aut ab aliis entibus, ab eisque finiri, aut à Nonentibus. Ergò eius essentia non est esse prorsus, sed aliqualiter. Quod verò est omnino, omnis generis entitates continet, & ambit. A nihilo verò ambiri ipsum non potest. Nihilum enim non est neque in mente, neque extrà mentem. Oportet ergò sine modo illud esse. Ergo infinitum. Ergò immortale, vt dicebamus, & immensum.

Item ingenitum, à quo enim generari potuit, si nihil extra ipsum est, & ipsum omnia est, & eius natura est, vt sit. Ergo vt nunquam non fuerit? At quamuis præter ipsum ens omninò multa sint entia alicuius modi, nimirum præter Deum, sunt Cœlū, terra, calor, & animal, & cætera, quæ non sunt ipse Deus, nec alterum alterorum essentia est; ipse tamen Deus est omnia hæc, quia eius natura est omnis natura, & eius nomen est omne nomen, teste Trismegisto, scil. Cœlum, Tellus, Calor, Lapis, &c. quatenus hæc habent esse, & perfectionem. Negantur verò de Deo, quatenus Nonesse & imperfectionem important (teste Diuo Dionysio.)

Rursus ens particulare ita est hoc, quod nihil aliud, imò finito esse constat, & infinito Nonesse. Homo enim ita est animal rationale, quod simul non est asinus, neque lapis, neque cœlum, neque motus, &c. Hæc per se non est homo, sicut per se est animal rationale. Non enim accidit homini non esse albedinē, aut non esse asinum, aut non esse cœlum, &c. sed per se inest illi vt non sit hæc, non per accidens: alioquin posset esse Asinus, & nō esse, sicut esse albus, & non albus. Idem dicendum est de cunctis rebus particularibus. Ipsum enim Ens primum non ita est Deus, quin non sit lapis, & lignum, & color, &c. Quinimò eo quòd est Deus, est simul hæc omnia, sed eminenter, & vt perfectionem, & entitatem dicunt; & quia nō solum est, quod est omnino, hæc entia nota, sed & ignota, & possibilia, & imaginabilia in infinitum. Quod enim potest imaginari mens humana paruæ entitatis, non accedit ad id, quod imaginatur mens Angelica: nec imaginationes Angelicæ ad Diuinam cogitationem transcendunt. Ergò si nos infinitam imaginamur entitatem, & numerum entium. Id, quod omnino est, non erit inferius nostris imaginationibus, quia sic non esset omnino. Neque enim esset illæ entitates, quas cogitamus. Ergo prorsus est infinitum. Igitur nullam nihilitatem patitur: Ergo entitatem habet immensam, immortalem, infinitam. Ergo non est Totum, quia haberet partes. Omnis autem pars finita est. Ergo non possunt componere infinitum. Ignorant autem quid dicunt ij qui partes infiniti seorsum faciunt infinitas, vt in numero infinito sint ternarij infiniti, & paritas infinita. Non potest enim pars Toti adæquari: nec dari infinitum infinito maius: nec plus vno: nec diuisibile. Infinito enim nihil deest. Ergo non potest aliquid addi: Ergo nec minui: Ergo non est corpus, nec in corpore virtus. Et cum constet entitate infinita, & Nihilitate nulla, nec etiam finita: Creaturæ verò omnes entitate finita, & Nihilitate infinita: Homo enim ita est animal rationale, quod infinita mox non est. Est enim non asinus, non lapis, non rubedo, &c. infinita. Igitur solus Deus immortalis non agnoscens nihilum, cunctæ verò creaturæ mortales: teste Paulo Apost 1. Tim. 6. quia nihilo infinito circundantur, & essentiantur. Si qua ergo sunt immortalia beneficio immortalitatis Dei perseuerant, non per se, & à se, vt veteres Theologi monuere, sed per Deum, & à Deo.

VTRVM SIT IDEM ESSE, & eſſentia in primo Ente, & in Secundis.

CAP. II. ART. II.

SED inſtar quæſtio præfato ſermoni, vtrum eſſentia ſit idem quod eſſe in ſecundis entibus, an diſtinguantur, & quomodo? Et cur in primo ente non differunt? Videtur quidem aliud eſſe Roſa, & aliud Roſam eſſe, hoc eſt, exiſtere in rerum natura, ſicut aliud eſt currens, aliud curſus. Roſa enim eſt, quoad eſſentiam & quidditatem quocumque tempore: Semper enim dicimus, quod eſt ſubſtantia corporea, & flos arboris huiuſmodi generis. At non exiſtit in prato niſi in vere. Quapropter quoniam non eſt exiſtentia de intellectu, & ratione definitiua Roſæ, videtur Alpharabio, Boëtio, D. Thomæ & Platoni, aliud eſſe, & realiter diſtingui, & exiſtentiam eſſe actum eſſentiæ in ipſa receptum, veluti forma in materia: non tamen eſſe de definitione rei, ſicut forma de definitione eſt: nec fieri vnum tertium ex exiſtentia, & quidditate, ſicut ex materia, & forma: nec enim eſt compoſitio ex his, ſed cum his: exiſtentiam quoque nihil extraneũ recipere: ſicuti recipit eſſentia, & in cunctis excepto Deo reperiri huiuſmodi compoſitionem tam in ſimplicibus, quam in compoſitis. Et primo probatur, quoniam quidditas, quæ ſit ſuum eſſe non poteſt eſſe niſi vna. Nam ſi plurificatur per diuiſionem formalem differentiarum, vti genus, non erit omninò purum eſſe, ſed impurum, & contractum ad aliquod genus, vel ſpeciem eſſendi. Si per materialem diuiſionem, erit recepta in materia, & non ſubſiſtens. Ergo nec eſſe purum, ſed miſtum, & indigum. Nec poteſt alia eius pars eſſe abſtracta, alia concreta, quia tunc concreta non erit ſuum eſſe, ſed receptum in alieno: Ergo vnum modo eſt ens, cuius quidditas eſt ſua exiſtentia. Ergo ſolùm Deus, & nulla creatura.

Item omnes creaturæ ſunt in genere, & conueniunt, quę ſunt in eodem genere quoad eſſentiam, differunt autem quoad eſſe eiuſdem generis in ſpeciebus.

Item conuenit quidditas per ſe creaturis, exiſtentia verò non niſi per cauſam effectiuam, à qua educuntur in actum, qui eſt exiſtere.

Item omnis eſſentia creata habet aliquid ſibi coniunctum præter ſuum eſſe. Petrus enim præter ſuum eſſe habet albedinem, quantitatem, motum, &c. Angelus verò actus volendi & intelligendi, qui ſunt accidentia. Eſſe autem quod eſt eſſentia, & non recipitur in ea, ſed eſt ipſamet, non habet aliquid annexum præter ſe. At eſſe Petri habet albedinem, & accidentia reliqua annexa, & ſimiliter aliæ creaturæ. Ergo eſſe illarum recipitur in eſſentia, recipiente ipſum eſſe, & accidentia. Non enim eſſe ſubſtantiale Petri eſt idem cum eſſe album, nec eſt potentia eſſe ſubſtantiale, actus verò accidentale. Quoniam ipſum eſſe eſt vltimus actus. Ergo eſſe ſubſtantiale exiſtentiæ non habet annexa ſibi accidentia, niſi quia in vno tertio recipiuntur, quod eſt eſſentia, vt docet Boëtius. 5.

Item eſſe non receptum in alio eſt infinitum. Si enim albedo ponatur ſeparata à materia, erit infinita in ſpecie ſua: non enim determinaret ſibi magis vnum, quàm alterum gradum perfectionis, ſed omnem poſſibilem, vt idea Platonis. Ergo ſi eſſe creaturarum non eſſet receptum in eſſentia contrahente ipſum ad certum gradum, eſſet infinitum, quod impoſſibile eſt. Ergò omne creatum eſt compoſitum ex eſſentia, & exiſtentia, ſicut ex potentia & actu realiter diſtinctis. Secundum hanc ergò poſitionem, l'y Ens dicitur aliquando ab eſſe eſſentiæ, aliquando ab eſſe exiſtentiæ, & ſunt duo tranſcendentia eſſentia & eſſe, & habent oppoſita Nihilum, & Nonens; & duplicem faciunt compoſitionem in creaturis, ſi Ens, & Nonens ſunt principia Metaphyſica, vt dicemus.

Opin. Scot. Scholaſticis verò multis, & Scoto idem realiter videtur eſſe eſſentia & exiſtentia. Differre verò ratione, & ex natura rei, veluti res & modus eius. Albedo enim vt tria non differt à ſuo gradu vt tria realiter, ſed ex natura rei, quoniam abſque opere intellectus diſtinguntur, ſed non realiter, ſicut res & res, ſed ſicut res cum ſua realitate. Et probant intentum, quoniam exiſtentia non poteſt ſeparari ab eſſentia, nec è conuerſo, & ſimul ſunt & non ſunt. Ergò ſunt idem. Et ſicut homo in potentia non componit cum ſe ipſo in actu, ita nec eſſentia cum exiſtentia ſuo actu. Item exiſtentia non eſt ſubſtantia, quia neque materia, neque forma, neque compoſitum: neque eſt accidens, quia actus ſubſtantię ponitur in prædicamento ſubſtantiæ. 1. 2. 3.

Item haberet generatio duos terminos totales, ſcil. formam & exiſtentiam. Ergò compoſitum non habet eſſe per ipſum eſſe, quoniam non ad eſſe, ſed ad formam terminatur compoſiti generatio. Multa addunt argumenta ad rem ſuam. Admittunt tamen conſtare creaturas omnes ex potentia & actu, ſed non vt priores. Dicunt enim: quia ſingulæ habent ſuam entitatem, & carent entitatibus aliarum poſſibilibus in latitudine entis: ideò componuntur ex illa potentia obiectiua, & ex actu propriæ entitatis.

Non poſſe diuidi eſſe ab eſſentia intrinſecè & in eadem ſerie: Diſtingui verò extrinſecè & in diuerſa. Et Peripateticorum, & Platonicorum diſſonantia, & intellectus eorum & veritas.

ART. II.

AT quoniam huiuſmodi poſitiones inconſtantes ſunt, ex rerum intuitu oportet veritatem eruere. Potentia quidem ens dicitur, quod poteſt exiſtere, & adhuc non exiſtit, hoc autem videtur eſſe vel in cauſis, vel in ratione. Sed non quia cogitamus, rem poſſe exiſtere, poteſt: cogitatio enim noſtra menſuratur, non menſurat, vt alibi dictum eſt. In cogitatione verò Dei eſt efficacia, vt poſſit eſſe, quod poſſibile intelligitur. In cauſis verò eſt potentia ad effectus producendos. Calor enim poteſt calefacere, & arbos florere, & ſemen in animal efformari. At cum eſt non dicitur amplius eſſe in potentia, ſed in actu. Actus quidem dicitur ab actione. Et quia cum res perfecta eſt, agere poteſt, & virtus actiua in agente forma eſt, quæ perficit materiam: Neotericis dictum eſt, formam eſſe actum materiæ: & exiſtentiam eſſe actum compoſiti ex materia formaque. Et mox omnis eſſentiæ etiam ſimplicis. Quapropter tunc res exiſtere dicitur, cum eſt extrà cauſas ſuas, & extra mentem in rerum natura. At quia ipſa exiſtentia ſectatur eſſentiam extra cauſas, non videtur intrinſecè aliud ab eſſentia realiter diſtinctum, ſicut res à re. Eſſentia enim quomodocumque ſit, & vbicumque, habet propriam exiſtentiam: in cauſis enim habet exiſtentiam cauſalem, vel in potentia; in mente habet exiſtentiam mentalem, in rebus realem. Et quidem ſimul ſunt, & ſimul non ſunt eſſentia & exiſtentia, vt non videas quo pacto diſtingui poſſint. At quia exiſtentia præſupponitur in omni queſtione tanquam notiſſima, ideo non ponitur in definitione, non quia non ſit de intellectu, & ratione eſſentię, vt dicit Ariſtot. 2. Poſt. 6. ſed quia definitio declarat rem per principia propria, & ignota pandit. Dicere autem quod res ſit, nihil notificas, ſicuti ſi dicas hominem eſſe ſubſtantiam corpoream, nihil notificas, niſi addas animatam rationali mente, & vt proximius loquaris, dicas oportet, hominem eſſe animal rationale. Nam cum epilogus ſcibilium ſit definitio, in ratione animalis continetur corpus & ſubſtantia & ens compendioſè, & clarè. Vbi autem non clarè per vocabula proxima fit expreſſio, licet ad remota recurrere vſque ad ipſum ens. Et mirum quidem quod Ariſtot. dicit, eſſe, non eſſe ſubſtantiam alicuius rei. Et Auicen. fatetur eſſe extra eſſentiam tanquam prædicatum accidentale, & ſimiliter Diuus Thomas. Et tamen illud diuidunt in decem prędicamenta, in quæ ipſam eſſentiam tantum, vel ens, vt dicit eſſentiam diuidere oportuiſſet. Et cum ſit diuiſio rei in modos, vtique entis modos eſſe ſubſtantiam, & accidens dicere oportuit: & ipſum exiſtere eſſe extraneum à ſubſtantia & accidente. Quid autem ſit non declararunt, nec declarare quidem poſſunt, niſi reducant illud ad ſingula prędicamenta, & diuidant illud in ipſa prędicamenta decem, prout diuiſerunt & eſſentiam, vel in nouem: Ergò ſubſtantia non eſſet à ſe, ſed ab accidente eſſe. Quod ſi in cunctis prædicamentis eſt proprium eſſe: Ergo non eſt verum, quod eſſe contrahitur ab eſſentia, nec è contra, vt aſſerunt: ſed vtrumque habere modos ſuos dicendum reſtat; & componi modos cum modis, vt ſimul ſint prędicamenta decem, ſeorſum verò viginti.

Item erit aliud tranſcendens eſſentia, aliud ens, ſi non eſſet alterum de alterius intellectu & definitione. Et quia dicunt ab eſſentia non fluere eſſe, alias idem ens eſſet ſibi cauſa exiſtendi, & cum cauſa ſit in actu, eſſet in actu antequam eſſet in actu, quod eſt impoſſibile: Vnde concludunt eſſe aduenire ab exteriori cauſa, ſcil. ab efficiente, & non à materia & forma, quę integrant tantùm eſſe eſſentiale, & non exiſtentiale: conſequens fit vt extranea res ſit exiſtentia à cunctis rebus. Et hoc quidem dicere non poſſunt Peripatetici, qui eſſe nihil ponunt præter ſingularia. Platonici autem autores poſitionis, rectè dicere ſic poſſunt. Putant enim, eſſentias rerum abſtractas in mente prima reperiri, ac ibi verè eſſe, & eſſentialiter: cum verò prodeunt in materia exteriori, ſortiri eſſe quaſi extraneum, veluti ſapientia in mente artificis, verius eſt, quàm cum profertur in ſcriptura, vel in auribus ſcholarium. Et quia in mente prima non ſunt niſi ipſa mens eſſentialiter, non habent exiſtentiam, propriam, id eſt, exteriorem exiſtentiam quæ à nobis dicitur propria, quoniam ignoramus illam meliorem, & veriorem in mente Dei: ac ſi quis putaret, ſedem propriam ſapientiæ eſſe volumen, in quo ſcripta eſt, & non mentem ſapientis: & exiſtentiam in volumine eſſe propriam diceret. Et cùm poſtea per rectos ſyllogiſmos intelligeret, non eſſe chartam voluminis ſedem ſapientiæ, ſed hanc eſſe exiſtentiam extraneam; tunc, niſi tranſcendat ad propriam exiſtentiam contuendam in principio ſuo, dicere cogitur ſapientiam, & exiſtentiam ſapientiæ in pagina eſſe realiter diſtinctas. Et ita Peripatetici deuicti Platonicorum rationibus aſſerunt, eſſentiam eſſe aliud ab exiſtentia, quoniam circuli eſſentia, hominis, & bonis non admittit accidentia, quæ in hac pagina, & in his carnibus, & in his oſſibus adueniunt quando ſortitur exiſtentiam extra cauſas, & extra intellectum. At contra propria dogmata loquuntur: ſi enim non ſunt niſi ſingularia, & Nonentium non eſt ſcientia, vt fatetur Ariſt. Conſequens fit, vt exiſtentia ſit de intellectu eſſentiæ, niſi reperiatur eſſentia vniuerſalis aliena ab hac no-

ta nobis existentia. Rursus hæc existentia extra mentem Dei distinguitur ab essentia in mente Dei, non autem ab essentia in exterioribus eodem modò. Nam vel consideratur intrinsece, & sic est idem cum essentia, & differt tanquam modus, & modificatum, vt Scotus olfecit. Et hæc existentia fortè est heccheitas eius: ita enim describitur à Thomistis, vt à Scoto heccheitas: vel extrinsecè per esse in rerum natura: & quia esse in rerum natura est singularizatum, & esse in loco & tempore, & apud alia entia, vel cum aliis, & est simul ab eis distinctum, & sic realiter differt existentia ab essentia. Aliud enim est, esse hunc hominem, ab esse hoc tempore, & loco, & ciuitate, & telluris parte, & sub tali cœlo, & cum talibus accidentibus. Quod si intelligunt sectatores Boëtij, rectè sapiunt. Similiter existentia hominis in mente Dei distinguitur ab essentia ratione tantum, quoniam essentia est idea, hoc est Dei essentia cum respectu ad creabilem hominem. Et quatenus ille respectus non est etiam ad creabilem lapidem, est quædam existentia propria distincta ab essentia, quatenus eadem cum essentia Diuina, amplioriſque ambitus.

Accidentia ab existentia exteriori potius, quàm ab essentia fluere. Intrinsecam verò ad quidditatem pertinere.

ART. III.

QVAPROPTER errant cum dicunt existentiam non addere accidentia, & esse puram: essentia verò annexa illa habere: essentia enim non potest accidentia suscipere, nisi cum ponitur in actu existentiæ. Homo enim secundum essentiam est solummodo animal rationale: at cum ponitur in existentia Petri, vel Pauli, suscipit esse album, esse in loco, esse in tempore; vt non satis intelligam, quid Boëtius dicat, quando dicit, Quod est suscipit extraneorum accidentium compositionem, non autem Quo est, intelligendo per ly Quod est, quidditatem, & essentiam; & per ly Quo est, esse seu existentiam: nisi fortè putet, Quo est, esse etiam actum vltimum accidentium simul & formæ & materiæ: & sic nec erit verum, quod alij Peripatetici asserunt, essentiam accidentia omnia abiicere secundum se, quandoquidem ab existentia non sunt. Ergo oportet accidentia ponere in quidditatiua ratione, vel existentiali, quorum neutrum docere adhuc potuerunt. Nos autem in prima parte docuimus, accidentia vniuersalia esse de definitione vniuersalis, quoniam essentiale est homini esse coloratum. Et quamuis non ponatur in eius definitione explicitè, ponitur implicitè, cum dicitur, quod est animal. Clarum enim est, animal esse corpus organizatum à calore, & coloratum, & in loco, & in tempore, & ideò subticentur accidentia, quæ nihil notificant, tum ratione breuitatis, tum quia subintelliguntur: accidentia verò particularia esse de essentia indiuidui, iam diximus, non tamen poni in definitione Cæsaris omnia, quoniam nec possunt ob infinitatem, & præsupponuntur ipsa communia tanquam nota, particularia verò exprimuntur, quæ ipsum maximè clarificant & distingunt ab aliis, vt patet in epilogo descriptionis vitæ illius. Et quidem benè dicunt Thomistæ, existentiam esse de definitione indiuidui, si definiretur: sed perperam dixit Arist. quod non definiatur, vt in prima parte palam fecimus. Hæc autem asserimus physicè loquendo de homine, & de cunctis speciebus notis apud nos. Definitionem enim, quæ ideæ hominis competit, ignoramus. Et Plato laudandus est, quoniam adspirauit ad illas, non quia peruenit. Et quidem subscribimus & nos, existentiam facere compositionem cum essentia illa ideali, non vt ideata. Non enim componit Petrus cum sua existentia intranea, licèt cum extranea componat, sed componit cum homine, quoniam addit homini existentiam indiuidualem accidentibus plenam, vt melius mox palam fiet.

APPENDIX AD ART. III.

Vrgentes rationes ex physica praxi, quòd sit idem essentia & existentia.

AT profectò quidquid pertinet ad essentiam, etiam & magis & prius videtur pertinere ad existentiam. Existere enim dicitur res extra suam causam, ideo ad eius existentiam pertinent omnia quæ circonstant vt tempus, locus, accidentia, relationes, adiacentia, & adhærentia: sine quibus non putatur existere apud Philosophos. Et primò considerandum quod homo est anima & corpus, vt partes essentiæ; sed anima mens est, & non est anima, nisi propter corpus quod animat sibi diuersum: imò accidens ei, quatenus est mens, etsi non quatenus anima: Corpus verò animatum propter se non est corpus, nec hominis pars, nisi vt refertur ad humanam animam: Ergo essentiatur in esse humano per coexistentiam animæ. Item cum sit organum animæ, omniaque organa siue potestatoria, siue sensoria, siue appetitoria, siue operatoira, sint existentialia, non essentialia: sunt enim propter res homini coexistentes, non propter se entem, palam fit essentiæ esse idem coexistentiæ, & existentiæ. Homo enim non haberet pedes, si corpus adiacens illi, quod est terra, non esset perambulandum: Vnde nec Angeli nec pisces habent pedes ad gressum. Item si non essent contrectanda corpora & concinnanda ad proprium vsum, id est, ad victum & vestitum, & ad commoditates adsciscendas, & incommoditates repulsandas, homo non haberet manus, sicuti nec Echinus, nec Vermis habet. Præterea non haberet nasum, nisi extra se coexisterent odores: nec oculos, nisi lux & colorata corpora coexistentia essent videnda. Nec aures nisi sonus, ac per ipsum sonantia mobilia quæ sectaretur, & quæ fugeret, esset percipiendus: nec haberet os & linguam, nisi indigeret loqui ad alios, & discerneret sapores rerum nutritiuarum: nec respirandi instrumentis opus haberet, nisi aër adesset circunstans. Imò nisi homo componeretur ex calore cœlesti, qui incessanter cum attenuata mole sursum transpirat, & ex corpore terrestri quod deorsum trahit, non indigeret cibo & potu instauratiuis continuo perditarum partium, ergo neque dentes, neque ventriculum, neque intestina, neque iecur, neque cor ad nutritionem destinata vasa: neque lienem, neque vessicam, neque renes, neque colum ad accipiendas fæces, neque foramina per quæ excernuntur, neque vasa generationis, quæ ad fœminam sunt coexistentem, & ad generandam prolem in remedium mortis. Detractis his animal non habet essentiam animalis, nec verè erit animal, sed homogeneum quid. Nam nec itidem ossibus indigeret ad sustentandam statuam, non enim esset ponderosa, nisi quia vergit ad terram, nec spiritus leuis, nisi quia ad cœlum. Ergo nec sustentatoriis, nec contentoriis, nec colligatoriis, nec munitoriis, nec pugnatoriis opus haberet instrumentis: quæ referuntur ad extra coëxistentialiter. His autem demptis, nec homo est homo, nec animal est animal. Idē considera in Plantis: imò nec lapides essent duri, nisi vt resistant exterioribus malis: nec fierent Plantæ, Metalla, & res aliæ, nisi à coexistentibus, vel propter coexistentes res: vnde in Logica posuimus in prædicamento Circunstantiæ, quod pertinet ad existentiam, non solum locus & tempus & adiacentia, sed omnem etiam causam finalem in versiculo vno declaratas: vt

Quis, quid, cur vbi, quomodo, quando.

Non enim est de essentia hominis nasci à Franisco & de tali cibo: & in hoc tēpore, & loco; propter beatitudinem: & hoc modo, & non aliter: sicuti non est de essentia circuli fieri à Mathematico, & in ligno de lineis rubris, propter cœli figuram exprimendā, hoc loco & tempore, &c. Idem posset quis dicere de toto cœlo, quod de partibus, si alia systēmata sunt extra cœlum coexistentia. Nam ob illorum carentiam negat Plato oculos, aures, & manus cœlo: Et Origenes dubitat vtrū homo resuscitatus habeat organa, quorum cessauit vsus, vel solum orbiculare corpus sit futurum, ergo & homogeneum, vt stilla aquæ.

Præterea nedum organa, sed etiam Facultates Animæ & corporis pertinent ad existentiam, præsertim si accidentia sunt, vt placet S. Thomę, quod verum est, vt induunt respectū ad obiecta. Non enim Facultas sensitiua, visiua, auditiua, gustatiua sunt nisi ad existentes relatæ res & organa. Nec intellectus nisi propter scibilia: Nec voluntas nisi propter volibilia, sic de cæteris. Remanet ergo essentia sine organis, & potentiis, & actionibus cum nudis actibus. Ergo potest, & scit, & amat solùm se: sicut Deus. Ergo non est essentia rerum nisi in Deo. Et cùm omnibus facultatibus & organis, & accidentibus obiectis mens spoliata fuerit, erit Diuina soli Deo mens, & sibi propter Deum: quod an & quomodo fieri queat, postmodum declarandum erit.

Idem ens & essentiam esse confirmatur: & quo pacto in creaturis distinguantur, in Deo verò nullo pacto: Et respondetur ad argumenta recentia, & prima.

ART. IV.

RESPONDENTIS tandem argumentis opponantium secus ac nos, de ente & essentia, manifestabimus plenè positionem nostram. Quapropter cum ait Boëtius, non esse idem, Quod est, & Quo est, sicut non est idem currens & cursus, sapientia & sapere: non

probant quod alij intendunt. Currens enim dicit actum currendi & subiectum, puta hominem currentem: qui quidem homo realiter distinguitur à cursu in quantum homo, sed non inquantum currens: quod melius patet in simplicibus. Calefactio enim & calor non distinguntur realiter, ita vt faciant compositionem, nisi quatenus calefactio includit calefactum, sed calefactio actiua, & calor actiuus idem sunt, differunt autem in eo tantum, quod calor potest considerari absque actu, & sic non est calefactio, sed quid prius, ad quod sequitur ipsemet, vt posterius sibi in eo quod agit. Et iam docuimus in 2. lib. primæ partis actionem esse idem cum forma agente: distinctionem verò sortiri in eo quod respicit patiens, & tunc non est actio, sed passio. Et quidem Aristot. & Aphrodis. sæpe vocant albedinem passionem, & passiuam qualitatem. Quoniam albefactio passiua est albedo in alio diffusa, & hoc est simul passio: & quidem actio non est in agente, sed ab agente, si respicias subiectum: sed si respicias formam simplicem agentem, est ipsamet forma vt se se effundens. Non est autem aliud calor, & aliud calor calefaciens. Et quia calefacere est diffundere suam similitudinem essentialem, ac seipsum, consequens est, vt ipse quatenus diffusus sit calefactio: nam forma fluens est actio. Diximus etiam posse sumi actionem pro fluxu: & ita est alterius generis. Quapropter cùm esse non ponatur extra genus propriæ essentiæ, non apparet qui possit ab essentia ita realiter distingui, vt cùm ea componat. Loquor autem de essentia indiuiduali, & physica, non de ideali Metaphysica. Hæc enim vt patuit, reuera distinguitur ab existentia exteriori. Sed dices: Ergo generans idem est cum generatione, mouens cum motione, docens cum doctrina: nec erit differentia inter Quod, & Quo: hoc autem offendit Theologos in multis. Respondeo, secluso subiecto idem esse generans cum generatione: incluso verò nequaquam: similiter in cæteris, nam secluso magistro docente, docens est doctrina, sicut calefaciens calor est calefactio: & non differunt sicut res & res, sed differunt absque intellectu distinguente ex natura rei. Quoniam calor vt abstrahit ab actu calefactionis, à se ipso differt secundũ rem, sed non componit cum seipso ita, & ita: sicut componit calor cum ferro, & calefactio cum ferro calefaciente. Distinctionem inter Quod, & Quo, non negamus: Manifestè enim album & albedo differunt, & forma & subiectum: sed non forma vt stans & vt fluens. Sed nec exempla Boëtij probant directè: Actus enim & agens sunt diuersorum prædicamentorum, iuxta sensum eius: & possunt reperiri separatim: potest enim calor non calefacere, si desit subiectum calefactibile; & docens non docere. At esse est in eodem prædicamento cum essentia, & non potest absque illa reperiri, nec è conuerso: & non videtur esse dicere actum, sed fundamentum actus: non enim potest fieri actio nisi ab ente. Nonens enim non agit, potius autem si esse dicit modum essentiæ singularem, & heccheitatem, si intrinsecè consideretur in re existente. Sed instant Theologi contrarij: quoniam humanitas in Christo, qui est homo & Deus, est absque propria existentia. Ergo possunt separari. Ergo Plato ait, Deum esse ens absque essentia. Respondeo esse in Christo existentiam, quæ facit hanc humanitatem, suscepit enim hominem in atomo, ait Damas. sed non quæ facit hunc hominem: quoniam existentia Diuina facit hunc hominem Deum. Et quidẽ cum sit compositio, potius autem vnio in Deo incarnato & existentia sit præuenta à Diuina persona terminante humanitatem ad Deitatem, non est dicendum quod careat humanitas sua existentia, quoniam existit existentia Dei vt sua. Nec similiter materia caret existentia, quia existit existentia formæ. At hoc contendimus nullum simplex reperiri ens, in quo desit existentia intranea, vel exterior. Nec Deus est existentia absque essentia, sed est idem in eo essentia, & existentia omnino, quoniam omnino & primum ens est, vt dicebamus, & non aliquo modo. Sed ex hoc quod potest humanitas Dei existentia existere, palam fit rectè nos dixisse existentiam potius respicere exteriora, quàm interiora, & esse terminum ad quem essentia terminatur, licet vtrumque verum sit. Et quia Deus est immensus & infinitus, & non habet ad quod terminetur, quia caret extrinsecis, nec quo terminetur à seipso finiri nequit, consequens est vt eius essentia sit existentia omnino, vt dicemus.

Ad primam rationem aliorum, qua dicunt esse non esse de intellectu essentiæ, negatur assumptum. Et cùm dicunt, prædicata essentialia conuenire rosæ etiam quando non est, vt in hyeme: & essentiam abstrahere ab esse: dicimus falsum esse, quoniam prædicata propria quidditatiua rosæ, non sunt esse substantiam corpoream: hæc enim etiam conueniunt hominibus, & lapidibus, qui sunt omni tempore: sed quod sit flos huiusce arboris. Flos autem includit tempus florendi, scilicet Ver. Similiter cùm dico, Eclypsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam, ly est, dicit tempus in quo fit interpositio. Et hoc quidem præsupponitur, & subticetur vt clarum. Si enim equinoctium vernale dico esse introitum Solis in primum punctum Arietis vbi pararellus eius vix secatur æqualiter ab omnibus horizontibus: tunc palàm est, me non definire huius anni æquinoctium, sed omnium annorum: & tamen licet abstraham ab existentia particulari, non tamen à communi: verificatur enim definitio tempore suo: ita definitiones ventorum & pluuiarum, & raro contingentium dantur, sed verificantur pro quando fiunt: quoniam res scita est coniunctio prædicati cum subiecto, quæ ab intellectu, quando non est in re, sortitur existentiam obiectiuam. Et hoc patet, quoniam, vt probè asserit Arist. Nonentium non est scientia, nisi nominalis. Hircocetuus enim quid sit scimus, dum nominis significationem interpretamur, non tamen de eo est definitio, & scientia realis, quoniam nunquam est. At si semel fuerit monstrum ex ceruo, & hirco compositum, vtique illud definiemus, & scientia notabimus: & sicut vniuersalis vniuersale tempus est, ita particularis particulare: & intrat essentiam vtrumque vtrorumque. Neque, vt aiunt, possum scire quid sit Phenix, nisi quoad nominis significatum, ignorando vtrum sit. Cùm enim dico Phenicem esse auem eiusmodi, præsuppono illam esse vel in fictione, aut descriptione Poëtarum. Et qualem ergo habet quidditatem fictam, talem habet existentiam fictam. Et patet quidem, copulam verbalem, quæ dicit compositionem orationis, priorem esse prædicatis quidditatiuis, & veluti prædicere existentiam. Cùm enim dico, homo est animal rationale, ly est, coniungit hominem cum rationali in existentia sua, non in abstractione sua. Nam etsi ly est,

dicat essentiam tunc, & non existentiam: tamen profert simul existentiam, quod & in accidentibus patet, cùm dico, Petrus est albus, ly est, dicit coniunctionem accidentalem albi cum Petro in sui existentia. quapropter non videtur existentia esse extra intellectum quidditatis, sed semper includi. At si definitio competat Ideæ Platonicæ, palam est, quod non includitur existentia nec exterior. At verò non licet subitò confirmare definitionem conuenire Petro, & ideæ Petri eandem: vt hinc excludamus esse à quidditate: Ideas enim quasi vmbras à longè conspicimus in ideatis corruptibilibus, vt non liceat vniuoca ratione vtrumque claudere: sed si analogica sit omnis definitio, dicimus, sicut se habet essentia ideata ad existentiam suam, ita idealis ad suam. Et neque hic neque ibi realiter distingui, nisi extraneam existentiam cogites, vt dictum est. E conuerso quoque similiter respondemus, multorum posse cognosci existentiam exteriorem non cognita essentia, vt cum esse Angelos scimus ab effectibus eorum, non repræsentantibus essentiam. At interiorem existentiam non licet absque essentia in aliquo entium scire, sed tantum scimus de essentia, quantum de existentia; scit quidem rusticus Lunam obscurari, & quid sit ipsa obscuratio, non autem propter quid, nempe quòd sit propter interpositionem terræ, scit enim esse luminis priuationem; sed siue fiat per extinctionem, siue per opaci corporis interpositionem, aut luminis auersionem, ignorat. Et quamuis quidditas iuxta nostra dogmata per omnes causas conficiatur, tamen principalius per formalem & materialem. Priuatio autem luminis forma est eclypsis. Et quidem non completè existentiam scit rusticus, sicut nec completè essentiam eclypsis. Nam etsi doctus & indoctus lumen deficere æque sciant, non tamen æque defectum eius intelligunt, quoniam potest esse ad sensum indocti occultatio lucis, & non peremptio in Luna: Omnes quoque esse pluuiam sciũt æque in existentia exteriori, quoniam est aqua cadens ab aëre, sed causas non æque: & quia existentia est à causis, ideo nec æque existentiam norunt. At materiam liquidam guttatim cadentem esse pluuiam, æque norunt. Et quia quidditas ad formam & materiam intrinsecè spectat, ideo quidditas simul cum existentia innotescit. Cùm amplius ex causis existentia patet & amplius essentia ex causis. Item, quia cognitio rei est ab ipsa re, fit vt existentia exterior putetur ab essentia. Quoniam multiplicatio agentis in patiens fit, & non intrusio, & impressio: multiplicata autem similitudo videtur alienari ab eo, à quo effunditur: vnde coniectare nos facit, existere esse alienum ab essentia, quoniam in nobis est absque essentia principali, sed refusa. At verè essentia mouet sensum, & intellectum, ergo & primò noscitur, sed in sua existentia. Nec quidem scimus aliquid esse, nisi illud aliquid noscamus eo pacto, quo esse scimus: & Durandus nostræ positioni consentit.

Ad secundum ergo respondemus, verum esse quod in solo primo ente, esse est idem quod essentia totaliter & omnino, quoniam in eo nullum est accidens, nec interius, nec exterius, vnde existentia interior est sua essentia, exteriori verò caret, quia infinitum. At non propterea non erit existentia intranea idem quod essentia in creaturis: licet enim non omnino sint, sed aliquo modo, quia habent esse contractum ad aliquem existendi modum, quem vocamus genus: nihilominus & essentiam habent contractam. Quidditas enim hominis est animal rationale, & existentia hominis, est animal rationale, & ita verum est, esse contrahi ab essentia, sicut essentiam ab esse: etenim essentia communissimum est nomen, & contrahitur ad substantiam, ad quantitatem, ad figuram, ad operationem, & ita esse contrahitur ad esse quantum, ad esse materiam, ad esse formam, ad esse operationem, ad esse hominem: hæc autem contractio non fit neque ab esse, neque ab essentia, vt Peripatetici docent, sed à nihilo, quo vtitur ipsum ens primum ad distinctionem rerum. Ipse enim facit lapidem esse substantiam corpoream, & non esse motum, aut locum, aut asinum, non quia producit cum lapide non esse motus, & loci, & asini, sed quia ipse lapis nihil horum erat, nec lapis erat lapis, nisi idealiter. Deus producens lapidem dedit ei tantummodo esse & essentiam lapidis, non tollendo ab eo omne nonesse, quod habebat, sed permittendo quodlibet non esse, quod habebat, excepto nonesse lapidis. Quapropter cùm dicit, arguens ipsum esse purum non posse plurificari per differentias genericas, quia impurificaretur. Animal enim cùm plurificatur per rationale & irrationale, non remanet purum animal, sed habet insuper rationalitatem, & ergo est animal & homo: & leo per irrationalitatem: non benè discernit quod dicit. Non enim ens purum impurificatur per differentias, imò attenuatur, & sequestratur & paruificatur. Nec verum est, quod animal est purum animal per se, & per rationale fit impurum, sed fit minus. Diuisio enim minuit, vt dictum est in prima parte: fieri autem minus est à Nonente. Animal autem dicit cunctas species suas in se, & habet ambitum existentiæ magnum in homine, in boue, in aue: sed cùm additur ly rationale, perdit ambitum, & latitudinem, & trahitur ad esse solum hominis, & perdit esse aliorum: hoc autem à nonente aduenit, non à differentia, quæ ens est, sed quia simul constituit differentia & distinguit, & dum dicit, quod est, dicit & quod non est. Hinc est quod differentia paruificat, & non impurificat. At si metaphysicam spectes cõpositionem, qua componimus ex ente & nonente singula, vtique impurificat, quia animali puro omnes præhabenti species suas, addit nonesse multarum specierum: & componit, & impurificat esse, miscendo multa nonesse. Sed hoc Peripatetici ita loquentes non intelligebant, & propriam vocem ignorabant. Ratio ergo, qua primum Ens non potest plurificari, est, quia est primum: multa autem prima esse non possunt, & quia est omnino: si autem daretur aliud ens, quod ipsum non sit, non esset ipsum omninò, sed aliquo modo: sed de his postea. Hæc quoque ratio, quòd non potest per differentias impurificari, debet declarari per mistionem nihili, quo minoratur ambitus entis: & hoc non patitur, quod simpliciter est, & omninò: quapropter verum est non multiplicari primum Ens, cuius esse est sua essentia: sed non sequitur secunda entia habere quidditatem ab esse distinctam: Nam habent quidditatem modificatam, & esse modificatum per admistionem nihili, vt dicebamus; & plurificatio non fit à differentiis, quatenus sunt entitates, sed quatenus nonentitatem simul important: rationale namque excludit esse irrationale, & calidum esse frigidum, & omnia alia ab eo: non quia est calor, sed quia non est illa alia. Idea quoque hominis, quæ est essentia, contrahitur in varias existentias in materia

materia distincta per nonens. Et hæc contractio est simul plurificatio, sicut sigilli impressio in multis ceris. Et quidem si entis primi diffusiuam virtutem attendissent Peripatetici, & multiplicationem vnius ideæ illius in multis indiuiduis notassent, quæ tamen est simul minoratio: nullum enim adæquat ideam primam, nec omnia simul, quamuis in infinitum multiplicentur, vtique plurificationem ipsius esse intellexissent, esse minorationem simul, & non ab essentia factam: nec quærenda erat alia multiplicatio esse à multiplicatione essentiæ. Sed quod esse primum, & essentia prima non possint multiplicari, ratio hinc non est directè recta, vt dictum est.

Ad tertium dicimus, creaturas ex eo quod sunt in genere, cõuenire in essentia sui generis, & in existẽtia. Et si dicas genus non habere existentiã nisi in indiuiduis specierum; secundum se verò abstrahere ab existentia: dicam & ego, eo modo quo habent essentiam habere existentiã. Nam si non est, nihil est: si est, aliquid est: vbi autem est, essentiã habet, qualem existentiam, in intellectu intellectualem, in indiuiduis indiuidualem, in Deo diuinam. Mirũ quidem, quod Peripatetici auferunt ideas tanquã chimericas, cùm cõstet rectius posse poni: quia quæ introducunt vniuersalia genera & species, quæ nullibi sunt: & contrahunt ipsa ad indiuidua; cũ tamen sint ab indiuiduis potius extracta per considerationem: vnde indiuidua oportet esse priora, & participata, non participantia, iuxta Peripat. sed hoc est falsum. Ergo & positio falsa.

Ad quartum, negatur, quod quidditas conuenit per se creaturis; existẽtia verò per causam efficientem. Non enim datur essentia, quæ expectet ab agentibus causis existentiam: sed simul fit essentia, & existentia ab eisdem causis. Et cum res sunt in causis suis, habent essentiam & existentiam potentialem, cum extra causas actualem, eo quod possunt à se operari. Palàm est enim, ignem productum ab alio igne, essentiam ignis simul cum existentia trahere, & tantum de vna, quantum de altera paulatim participare. Quapropter similia somniis sunt dicta Peripateticorum. Nec quidem rosa non existens est substantia: hoc enim implicat contradictionem, quod sit & non sit. At cum dicimus rosam esse substantiam, ipsa non existente, non de non existente loquitur, sed de existente, quando est, & ly est amplificatiuè sumitur. Vel definitur rosa præcisè, non vt est in intellectu, nec vt in re.

Ad quintum respondeo, multa varia præsupponi in argumento. Dicit enim esse recipi in essẽtia, quasi essẽtia sit ante esse: At quomodo est sine esse? Præterea vel dat forma, vel dat agens. Si forma, quando est forma est esse: si agens, faciendo formam facit esse: vnde non video quomodo esse adueniat essentiæ non existenti: si enim non existit, non recipit: si existit, non indiget adhuc existentia, nisi fortè exteriori, vt dictum est. Porrò accidentia non conueniunt, nisi enti singulari singularia, vniuersali vniuersalia. Ens singulare est cõpositum ex sua essentia, & singularitatibus, in quibus sunt & accidentia, quæ sortiuntur tanquam propria, si sunt ab intrinseco, & essentialia reputantur illis: si autem ab extrinseco, non sunt essentialia illis, in quantum sunt hoc aliquid, sed in quantum sunt hæc pars vniuersi. Petrus enim in quantum Petrus habet suæ singularis essentiæ integritatem ex accidentibus innatis & connatis in quantum est hic homo: & per illa definitur, & nec accidentia, sed essentialitates debent dici, vt sic. Sed in quantum est pars mundi habet passiones illatas ab aliis rebus Mundi adiacentibus, quæ sunt accidentia, eo quod superadduntur essentiæ. Nam quatenus pars Reipublicæ est Iudex, vel agricola, vel miles: & multa patitur, agitque ob idem. Quatenus verò Mundi, afficitur à Sole, à tellure, à spinis, à pluuia, à Doctoribus, à cibis, à loco, à tempore, ab aëre, calescit, albescit, frigescit: multaque alia patitur accidentia, quæ sunt de essentia eius, vt pars, non vt Petrus hic homo. Hæc autem accidentia exteriora sunt de integritate existentiæ exterioris, interiora verò de interioris. Et Peripatetici deberent ita dicere. Nam suppositum à natura distinguunt, quia hæc excludit accidentia, illud verò includit. Tunc quæro an quidditati seu naturæ essentiale est esse indiuiduis, an non? Si non. Ergo de illis prædicatur per accidens: Sin è contra. Ergo existentia hæc est huic essentiæ essentialitas.

Et quidem possunt Platonici affirmare esse accidens essentiæ indiuiduari, non autem Peripatetici, qui nullam essentiam agnoscunt, nisi indiuiduam, & ab indiuiduis expressam ratione, & non impressam diuinitus. Item si essentia est tantum ex prædicatis quidditatiuis, falsum videntur asserere, & contra propria dogmata, dicentes Esse nõn admittere secundum se accidentia, sed recipi in essentia accidentibus subiectam, & existentiæ: ipsa enim essentia habet ab existentia accidentalitates: Nam quanto magis existentiæ appropinquat, magis accidentibus subiicitur: quanto verò magis remouetur, & ad vniuersalitatem trahitur, magis accidentia vitat, iuxta dogmata illorum. Ergo non video vnde asserunt, esse per se esse purum, & ab essentia accidentibus fœdari, cum contrarium dicere debeant. Præterea falsum videtur, quod esse non sit in potentia ad accidentia vlteriora, quandoquidem homo in actu existentiæ positus, est in potentia ad esse in loco, & in tempore: ordine enim naturæ prius est existentia, quàm existere in loco. Item est in potentia ad operationes & actiones, & passiones extrinsecus aduenientes. Et verius possumus ergo dicere, quod essentia recipitur in existentia hac vel illa: sicut Idea & sapientia dum plurificantur, recipiuntur in variis existentiis, quod patet in sigillo in multis ceris variam sortiente repræsentationem: ac domus in mente fabricatoris, vbi est sicut essentia, & contrahitur ad varias existentias exteriores ad diuersas materias. Nam materiæ istæ existunt, sed non existentia informata ab essentia domus, nisi cũ domus in eis ab artifice construitur: vbi & essentias has existentias nouas recipere, dicere possumus, & è conuerso in Platonico dogmate. In Peripatetico verò vndique corruimus. Sed ad libitum affirmare licet, puram essentiam non admittere accidentia, nisi quia existentiæ impuræ addicatur: ita puram existentiam non admittere accidentia, nisi quia in impura essentia recipitur. Nulla ergo est ratio ponendi purum esse, & non puram essentiam, cum & essentia transcendat prædicamenta similiter vt esse & modificetur in illis æque ac esse ipsum.

Ad 6. respondetur esse irreceptũ esse infinitum, si

sit esse primum, & simpliciter: At si aliquod esse sit abstractum, illud non est infinitum, nisi in specie sua, vt de albedine dicebamus abstracta. Nunc autem existentiæ omnes creatæ, sunt aliquod ens, non autem ens omnino. Ideoque finitæ sunt per se, & argumentum idem posset fieri de essentia irrecepta, quod sit infinita, nisi recipiatur in aliquo esse finito. Quapropter statuendum est, finitatem non à receptione oriri, sed à mistione nonentis. Ideo enim calor est finitus, quia non est frigus, nec materia, & cætera. Abstractus autem à materia, diceretur infinitus in esse caloris, & non simpliciter, vt Deus. Huiusmodi autem non potest reperiri nisi in idea primi entis infiniti. Quapropter abstractio ab eodem infinitatem facit, & non à natura entis creati. Esse autem abstractum cùm sit communissimum, esset omnino verè infinitum. Sed tale non potest reperiri, nisi primum. At esse hoc vel illud abstractum, non esset omnino infinitum. Creaturæ autem sunt aliquod ens, & non ipsum ens, ideo finitæ sunt. At ab inuicem sortiuntur terminum, & cohibitionem ex Fato, Necessitate, & Harmonia, quibus idea ad varias existentias trahitur, vt mox palàm fiet.

Ad rationes verò Scotistarum quatenus nostram positionem tangunt, respondemus ad primam, verum esse de existentia intrinsecè, quod sit idem cum essentia, nec reperiri alteram ab altera separatam; non tamen de extrinseca. Palàm enim est, quod essentia hominis est in diuersis temporibus & locis, & in Deo semper: abstrahit ergo ab existere hîc, & nunc, & ita sub talibus accidentibus. Sed vbicumque est, sua realitate est siue existentia, vel mentali, vel causali, vel actuali. Est enim modus essentiæ, qui variatur semper. Et quia differentiæ modi sunt generum, trahunt ipsa ad existentiam: indiuidualitates verò sunt modi specierum vltimi, ideo in existentia constituunt essentiam. Sed ergo non est vnquam, aut vspiam essentia absque modo suo, ergo neque absque existentia, præterquam primi Entis, cui nullus competit modus secundum rem. Sed cum agemus de modis entis, & idearum transfusione, hæc melius innotescunt. Nunc autem supponamus variabilissimam esse existentiam, quia essentia ipsa variatur nouis semper modis.

Ad secundum & tertium respondemus existentiam esse terminum essentiæ: & quidem cum non distinguatur à terminato, & modificato, sicut nec extremum lineæ punctum distinguitur realiter à linea: Consequens est vt sit in prædicamento eodem cum essentia, vel melius in prædicamento quantitatis, quæ est mensura substantiæ. Dico autem Quantitatis transcendentalis. Nam & Angelus habet quantitatem virtutis terminatam: & eius terminus est existentia eius: si autem respicias extrinseca terminantia, accidens esse existentiam, dicere oportet: Nam tempus, locus, & adiacentia cuncta licèt sint essentiæ quædam, non tamen sunt de quidditate rei temporalis, & locatæ, & circumdatæ, sed quasi accidentia eius arctantia ad existentiam talem, vt prima parte declaraui-mus. Sed hinc Boëtij asseclæ elicient, esse realiter distingui ab essentia, quoniam in diuersis sunt prædicamentis. Respondeo, verè distingui ex natura rei, at non sicut res, & res. Et quidem Diuus Thomas, & Caietanus dicunt, existentiam esse

1. cont. Sent. 26 de ente & essentia.

accidens, dum dicunt esse aliquid reale extrinsecum, quod supposito aduenit vt superadditum naturæ, seu quidditati, & non esse prædicatum essentiale: vnde nescio quo pacto mox illud reducant ad prædicamentum propriæ essentiæ, cùm illis prædicamenta sint impermista, & realiter distincta. Nobis autem non ita repugnans est assertio: quippe qui prædicamenta distinximus vt notiones: & præterea essentia non distinguitur à quantitate in Angelis, & Deo, & calore, & cæteris simplicibus. Quapropter terminus essentiæ est quantitas eius, & idem cum ea realiter, & non autem ratione, & notione, ex natura quoque rei, vt aiunt. Linea quoque cuius essentia est quantitas, non habet terminum alterius generis realiter, sed notionaliter, & ex rei natura. Quapropter etsi quantitas corporea sit aliud ens à forma actiua materiæ inhærente, & terminet ipsam, & componat cum ipsa: tamen formæ terminus intraneus est modus eius eiusdem realitatis. A materia autem non est aliud quantitas interminata: sed terminata differt ab ea, ita vt sit altera notio & realitas. Non est ergo existentia materia, nec forma, nec compositum, sed omnium modus postremus, seu quantitas, seu mensura transcendentalis: vel realis relatio ad exteriora: vel finis essendi, & principium non essendi: vel relatio inter esse & non esse. Et quatenus habet esse ad essentiam spectat: & quatenus non esse, ad nihilum. Et cum sit minimæ entitatis obscura est notio eius. Et de his postea, nam licet sit in physicis, non tamen physica entitas est existentia. Sed neque Scotus distinguit modum ab eo cuius est modus, nec identificat notiones: nec difficultates explanat contra se quoque militantes.

Ad quartum dicimus, reuera generationem terminari ad existentiam terminatione vltima, quoniam terminus essentiæ ipsa est, & non esse duos totales terminos generationis: quoniam generatio fit paulatim suscipiente forma gradus existentiæ varios in materia, donec perueniat ad extremum gradum respondentem ideæ per Necessitatem, Fatum, & Harmoniam fluentes à primo Ente, vt declarabimus. Semper tamen habet esse compositum ex materia & forma, sed primò imperfectum, donec paulatim ad perfectionem vltimam deueniat, quæ est sua existentia perfecta, non componens cum seipsa imperfecta. Nec fit per se vnum tertium ex ente & essentia: sed vnum idem: quoniam tertia entitas non datur ex re & modo suo, veluti datur ex materia & forma: vel ex elementis elementatum. At si metaphysicam spectes, & transcendentalem compositionem, quatenus existentia ad non-esse, & ad exteriora, quæ non est respicit, admiscet compositionem huiuscemodi, vt dictum est: & ex hoc composito rursus non potest fieri compositio cum alia existentia, vt procedatur in infinitum, quoniam terminum non expectat, quod perfectè est terminatum: nec componit nihilum cum nihilo, sed cum ente secundum rem: at secundum rationem etiam cum nonente.

Quod verò asserunt secunda entia componi ex actu entitatis, quam habent, & ex potentia obiectiua entitatis, qua carent, non videtur affirmandum. Etenim homo caret esse asini, nec dum est homo, est in potentia ad illud esse, aliàs duo contradictoria possunt simul esse vera: quod nec Deo est possibile, vt omnes fatentur: igitur non rectè

dictum videtur, quod ex actu & potentia, sed quod ex esse & nonesse res secundæ constituantur. Si autem in potentia est homo, vt ex eo ipso destructo asinus fiat, tunc ostendendum erat, vtrum hoc verum sit. Nam Angelus non potest in asinum conuerti, nec ex incorporeis rebus fieri corpus. At vtrum omnipotentiæ Dei hoc possibile sit, declarandum est. Verum huiusmodi potentia non componit cum actu: & quî componat dicendum restat.

RESPONSIO AD ARGVMENTA APPENDICIS.

Argumenta in Appendice posita fortissimè probant, omne ens finitum, quod aliis entibus indiget, propter quod ad illa refertur, essentiari per existentialia intrinseca; quæ cum ad extrinseca referantur, declarant existentiam intrinsecam ad extrinsecam spectare saltem in communi, vt olfactus ad odores, & pedes ad solidum in ambulandum, licet non ad terram. Etenim & definitio rerum idem docet & vsus: Non enim pars definitur nisi per totum, & è conuerso: nec accidens nisi per subiectum, & è conuerso: nec relatiuum nisi per relatiuum, & è conuerso: nec forma nisi per materiam, & è conuerso: nec facultates nisi per actus & obiecta, & è conuerso, nec causa sexuplex nisi per effectus, & è conuerso: Mundus ergo solus, si extra non habet alia sistemata, videtur absolutum ens, ac per coexistentes res non definiri, neque esse. Et quamuis hominis definitio sit, Animal rationale, vnde videtur absolutum, vt sic ab existentia; nihilominus & in hac definitione existentia includitur. Non enim est animal nisi per animam & corpus organicum: Anima autem est ad corpus, & totius corporis partes ad res coëxistentes sunt, & sine eis non essent, vt probatum est; & sic omnes partes mundi sunt ad totum, & ad partes omnes reciproca coëxistentia essentiantur. Deus ergo infinitus non finitur à rebus, nec res ad illas: ideo eius essentia est perfectissimè absoluta, independens, & ipsamet sui existentia: Si tamen error non est sacrilegus, vt Parmenides doctè ac piè docebat, dicere Deum existere: Non enim est extra causas, cùm non sit causatus, nec cum aliis rebus tanquam iis indigens, relatusque, relatione mutante de non creatore in potentia ad creatorem in actu, vt dictum est, sed superens, & superstans, & superbonus, & superverus, & creans semper, licet creata non sint semper, nisi vt coëxistunt æternitati, &c. dici debet, si rectè philosophemur. Et huic sermoni contestatur diuinus Dionysius. Cùm autem homo deificatus fuerit per gratiam supernaturalem, cessabunt vsus organorum propter indigentiam factorum, & ipsa organa, vt putat Origenes: & fit homo orbicularis, sicut mundus non indigus. At Iustinus ait rectius, organa remanebunt ad declarandam veritatem resurrectionis, earumdem numero personarum. Mahometes ait ad eadem munia, & cibos, & coïtus, cuius absurditatem arguit defectus indigentiæ immortalitas. Nam non nudari vult homo, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Deus autem potest alios vsus etiam dare in supernaturali existentia supra tempus eleuata.

Entia finita componi ex ente finito & Nonente infinito, ex affirmatione scilicet & negatione: & proptereà mutari: & vtrum huiusmodi compositio sit possibilis & realis.

CAP. III. ART. I.

Videntur autem nobis res cunctæ ex affirmatione, & negatione componi, illa quidem finita, hæc verò infinita. Affirmatio dicit esse, negatio nonesse. Homo quidem est per se, & necessariò animal rationale, & per se & necessario non asinus, non bos, non lapis, non Deus, non cœlum, & infinita negatione circumdatur, vt dicebamus. Si enim accidentalis est ista, Homo non est asinus, tunc posset esse & non esse asinus: sicut esse albus & non albus. Idem in cæteris rebus patet. Et quidem verbo suo Deus cuncta creauit, dicendo vt sint, & donando esse, sicuti sapientissimus Moyses docet. Prius ergo erant nihil. Cum autem acceperunt esse, non perdiderunt ipsum. Nihil totaliter, quoniam non totũ esse acceperunt: & hinc est, quod omnia de se in nihilum tendunt, vt ait August. in lib. de cognit. veræ vitæ: & proptereà moriuntur, & transmutantur. Deus autem non patitur in nihilum abire, & exuperari entitatem suam, quã largitus est, ab ipso Nonente: ideoq; dum ad nonens labuntur, non perueniunt ad illud, sed in aliud ens transmutantur. Sphera enim entis est infinita, & non permittit extra se quippiam ire. Permittit autem Deus transmutationẽ propter melius, vt modis in innumeris sua idea representetur, & cõmunicetur, quo nihil melius. Sed quî fieri potest, vt ex esse, & nonesse fiat compositio? Et si ipsũ nonens non est, quomodo cõponit? vnumquodq; enim prius est natura, quàm componat, & quomodo ex finito & infinito aliquid potest componi?

Necessariò ponendam esse compositionem ex ente & nonente: nec effici à primo ente, sed partim effici, partim permitti & ordinari, dumvtitur nihilo vt ente, & res à rebus per nonens distingui, per ens verò identificari: & sapientiam vtrisque vti.

ART. II.

MVLTIPLEX videtur esse compositio. Alia enim est ex differentibus rebus actu separatis, & mox coniunctis, vt mistio ex aqua & vino, & ex igne & ferro. Hæc enim conueniunt genere, & specie differunt. Alia est ex diuersis genere, sicut ex calore & materia attenuata fit ignis. Alia ex indiuiduis eiusdem speciei, sicut ex duobus vinis fit vnum. Et quidem in his omnibus fit vnum tertium distinctum à componentibus, quod neutrum illorum est, sed vel illa simul sumpta, vt quando nulla facta alteratione miscentur, vt lapidum maceria, & militum acies. Vbi enim fit alteratio, rediguntur in tertium quod neutrum est: semper tamen tertium est neutrum, sed vel magis, vt in mistione perfecta aquæ & vini, vel minus, vt in ferro ignito, & in domo ex lapidibus, & calce, & lignis compacta. Compositio autem entis & nonentis facit quidem tertium, quod non est ens purum, nec nonens. Non enim homo est nihil, sed nec prorsus ens: sed est hoc ens, aut aliquod ens. Est autem aliquod, quia non est omnia entia: Ergo nonesse facit vt sit aliquod non minus quàm esse. Quinimo esse de se est infinitum & immensum, vt patet in Deo, in quo est purum. Vt autem finiatur, & modificetur, habet à nonente: siquidem homo non participaret nihilum, vtique omnia entia foret, & omnipotens, & omniscium, & omnivolum. At multa non potest, & infinita ignorat, & infinita non amat. Ergo componitur ex potentia & non potentia: ex scientia & non scientia: ex voluntate & non voluntate: non posse verò, & nescire & nolle, nonentia sunt. Quapropter qui negat hominem componi ex ente, & nonente, negat in homine ignorantiam, & noluntatem, & impotentiam: negat & peccatum & malum, & priuationem in eo reperiri: hæc enim omnia sunt nonentis effectus, vt ostendimus. Et quidem si nonens non distingueret & finiret entia, Totum esset pars, & pars Totum, & homo esset asinus, & asinus homo. Sed inquis: homo non est asinus, quia est rationalis, & non quia non est rudibilis. Sed contra. Homo inquantum animal est etiam asinus, vel non repugnanter: at inquantum rationalis non est asinus. Vt autem animal sit rationale, ita quod non rudibile, quid causæ est? Non quidem rationalitas, quia ipsa non est causa sui esse, nec sui nonesse: Nec Deus, quia Deus præhabet in se non modò rationalis, sed cuiuscumque animalis entitatem, quia eius natura est omnis natura, & eius nomen est omne nomen, vt diximus cum Trismegisto: Consequens est vt ideo homo sit solummodo rationalis, quia participat nihilum, propter quod non est asinus, & alia entia. Sed aiunt, Deus voluit, hominem ita esse rationalem, quod non rudibilem, nec lapidem, &c. Sed hoc nihil positioni nostræ obstat. Deus enim cum sit maximè ens absque modo, non est causa nonentis effectiua, & effusiua, sed permissiua, & ordinatiua tantum. Non enim potest effundere non esse, quod non habet. Igitur dum facit hominem solummodo rationalem, non dat ei quod non sit lapis, & asinus, sed relinquit illi non esse lapidem & asinum. Antequam enim homo esset, erat nihil horum, videlicet, nec homo, nec lapis, nec asinus. Cùm ergo dat ei esse hominem, non dat non esse lapidem: quoniam hoc nonesse iam inerat illi. Igitur relinquitur à Deo, & non datur nonesse. Igitur si de nihilo cuncta creauit, cuncta ex entitate à Deo data, & ex nonentitate à nihilo contracta componuntur. Et hæc est sapientia Dei maxima, quæ vtitur nonente tanquam ente, & *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, vt dicit Apostolus. Et quidem peccata, casus, fortuna, contingentia, impotentia, ignorantia, odium, priuatio, malum, & diuisio, & numerus sunt à nonente per primi Entis sapientiam tractato. Necessitas verò, potestas, bonitas, habitus, vnitas, sunt ab ente, vt palam fiet. Et hoc persentiscit Augustinus, & olfacit Aphrodisiensis, & proposuit Parmenides. Et qui sic non sapit, cæcutit, vt videbimus.

Obiectio.

Solutio.

A Rom.

Compositionem ex Ente & Nihilo esse transcendentalem : Et vtrum Nihilum sit, vbi, & quomodo, & quando, & multiplex disputatio : Et quomodo componere. Et Aristotelem perperam inspexisse principiationem priuationis.

ART. III.

Considerandum tamen est, huiusmodi compositionem non esse physicam, sed transcendentalem, non tamen quæ pertingat ad Deum, nisi vt à nobis capitur. Deus n. quatenus est non lapis, videtur nobis componi ex esse Deum & ex non esse lapidem; sed quia non esse lapidem, quatenus dicit esse, Deo non competit, sed quatenus dicit nonesse; & duæ negationes se mutuò destruunt, efficitur, vt cum dico, Deus non est lapis, nihil componam, veluti compono quando dico homo non est lapis. Sed mirum quidem quo pacto negatio componat cum affirmatione, & nonesse cum esse. Nihilominus fateri cogimur huiusmodi compositionem. Et quia quæ componuntur sunt, videndum est quo pacto sit Nihilum. Nihilum quidem non videtur esse in Deo vllo pacto. Si enim esset in Deo, Deus non esset omninò & purum & simpliciter Ens. Nec extra Deum potest esse Nihilum: quoniam à Nihilo circumdaretur Deus & finiretur. Cum autem dicimus, extra Deum nihil est; sumimus ly nihil, negatiuè non ponentes illud, sed negantes. Sed cum ex nihilo res componimus & ex Ente, videmur quidem ponere nihilum. Et in hoc & erramus & sapimus. Erramus quidem, quoniam reuera non est. Sapimus verò quia vtimur tanquam sit, quod & Deus facit. Nam reuera homo non est asinus : & non quia est rationalis. Non enim datur à Deo humanitas sola, sed Angeleitas, & asinitas, & lapideitas. Carentia ergo lapideitatis in homine non est à Deo, nec à raciocinalitate, sed à distinctione rationalitatis à lapideitate, & Angeleitate, & à cæteris. Hæc autem distinctio est influxus Nonentis. Nam in Deo non distinguuntur ideę nisi in respectu ad creaturas. At vbi est, & quomodo ly Nonens, si nec in Deo, nec extra Deum? Et quomodo Deus ex Nihilo cuncta creauit, vt sacræ litterę testantur, si Nihilum non erat in Deo, neque extra? sed fortè Nihilum habet essentiam. Ergo essentia quælibet cuiuslibet rei absque existentia, est Nihilum. Et quia Deus solus est existentia pura, non compatitur in se Nihilitatem. Sed vbi pręerant essentię? Si in Deo, ergo in Deo erat Nihilum: si nullibi, ergo non pręerant. At & quomodo præesse potuissent absque esse existentię? Contradictio hic clauditur maxima. Item si Nonens erat; Ergo Ens non erat: ergo neque Deus, qui est omninò ens. Si verò Nonens non erat, ergo Ens erat: Ergo non factum est. Quomodo enim fieri potest quod est? Ideo enim fit, quia non est. Sed fortè dices, Nonens pręfuisse non simpliciter, sed hoc vel illud. Verum est enim Petrum non fuisse antequam fieret: ergo præfuit non esse Petri. Itidem & Mundi nonesse præfuisse dicendum est eadem ratione. Quamuis ergò nihilum summum summo Enti oppositum non pręfuerit, tamen Nihilum oppositum cęteris entibus præfuit, aliàs ipsa fuissent antequam essent. Cum ergò componimus creaturas ex Ente & Nonente, sumimus Nonens oppositum earum entitati extra Deum ideatę, & non primæ in Deo ideali, in quo quod factum est, vita erat. Sed contra stat ratio. Lapis enim ita est lapis, quod non homo, non cœlum, nec alia infinita est, nec Deus. Deo autem oppositum est Nihilum simpliciter, non secundum quid. Ergo asserendum est purum Nonens, & non hoc Nonens solum, ingredi compositionem secundorũ entium, vel compositionẽ hanc esse fictitiam. Præterea in Physicis ostendimus priuationẽ quatenus Nihil est, non esse principium rerum naturalium nec in fieri, nec in facto esse contra Aristotelem: At modo videmur contrarium affirmare. Nec potest dici, quod Deus est omnia, igitur & lapis est aliquo modo Deus, inquantum esse habet. Nam ex ea parte, qua lapis non est Deus, exceditur ab entitate Dei in infinitum. Ergo Nonente infinito constat lapis, Non Deus; & esse finito lapis ens lapis. Nonens autem infinitum est purum Nihil. Hæc ratio aliquid sapit: sed seipsam necat. Nam vbi est aliqua entitas, non est purum Nihil, quippe cum Nihilo Ens sit admistum, & non purum. Igitur non concludit ratio. An fortè dicemus infinito finitum misceri posse absque eius impuritate. Punctus enim in linea infinita nihil addit, aut miscet. Verum quodcumque Nonens siue simpliciter, siue secundum quid asseramus compositionem ingredi, non tollit dubitationem, quę inquirit, quo pacto ex Ente & Nonente quid fieri possit. Priuationem verò non esse principium physicum rectè probauimus. Physicus enim considerat, quæ agunt & patiuntur entia. Priuatio autem, quæ non est vilius contrarium, sed pura carentia formæ, non agit nec patitur; vt nullo pacto possit principium physicum poni. Attamen docuimus priuationem terminum à quo esse, & non conditionem generationis, & factionis. Et contra generationem quę tendit ad Esse, & ad destructionem Priuationis. Non enim fit quod est; est enim: oportet ergo quod fit, prius non esse. Quod tamen Nonesse non facit esse quod generatur. Hæc autem non existentia præcedens est priuatio, requisita ad omnem generationem; non vt principium in fieri, nec in facto esse: quia generatio terminatur ad formam, seu ad compositum, & non ad nonesse, sed ad hoc esse: creatio verò ad esse; consequens est vt priuatio pręcedens in generatione non sit Nihilum, sed forma contraria, vt frigidum respectu calidi; vel diuersa vt forma ligni in lectuli materia. In creatione verò sit purum Nihil, & hoc patet, quoniam in facto esse priuatio non est principium Peripateticis, sicuti nobis est Nonens. Nec in fieri est principium originis influens, neque ordinis, vt fundamentum, sicut in prima parte lib. 2. ostendimus, sed terminus tantum. Ergo nos considerantes Metaphysicam compositionem, rectè possumus Nonens ponere principium in facto esse, & in fieri: Quoniam entis secundum quod ens consideratio ad Metaphysicum spectat, & res cunctę secundum quod sunt, non omninò sunt, excepto Deo; ideoquę secundum quod sunt aliquo modo, & non omnino, admistum

habent Nonens. Igitur in Metaphysica rectè statuitur principium ly Nonens, & in physica negatur. Et quidem Parmenides priuationis inuentor, vocat priuationem & Nonens Terram in physicis: Ignem verò habitum & ens, vt patet ex pri. de gen. & corrupt. tex. 18. in Metaphysicis verò vtitur puro Ente, & Nonente considerato negatiuè, non priuatiuè. Priuatio enim est filia negationis, sicut Physica Metaphysicæ, & generatio creationis: retinentque propterea imaginem parentis, sed non prorsus.

Si priuatio est, vt volunt, etiam Nihilum est; nec dicere tantum esse compositionis in oratione, sed etiam esse in rerum natura, dubitando dicitur.

ART. IV.

Voniam quidem cogimur fateri priuationem esse: quoniam reuera aliquis est cæcus. Cæcitas autem est Nonens: hoc est non esse videntem: ideóque & Nonens ponere necesse habemus. Vnde & D Thomas cum Dionysio malum esse dicit, & non nisi in bono. Quoniam subiectum priuatum sua perfectione dicitur malū. At quia priuatio nihil differt à negatione, nisi quia ipsa est particularis negatio habitus in subiecto nato habere; si autem natum non est habere subiectū aliquod habitum quo caret, non dicitur priuari, sed carere, & non habere. Animal enim suffossis oculis dicitur cæcum & non videns: Lapis verò nequaquam dicitur cæcum, & priuatus visu, quoniam non natus est habere. Tamen dicitur non videns, & carens visu, & reuera non habens visum: sed sicut cæcitas, quæ Nonens est, reuera est in animali, ita est & in lapide, & nihil ponit plus debuisse habere, vel habuisse aliquando in animali, quàm in lapide non debuisse habere nec habuisse, quantum ad hoc quod faciat ens esse cæcitatem in animali, & non in lapide: sed æquè est Nonens vtrique, licet peccatum naturæ, vel moris in subiecto nato includatur. Igitur secundum hosce sapientes, & Augustinum aduersus Manichæos disputantem, fateri oportet esse Nihilum in rebus: & quidem formaliter, vt ait Caietanus, sed non tanquam exercens actum positiuum, sed negatiuum, quod & nos dicebamus. At inquit D. Thomas, ly ens, seu est, dicere veritatem propositionis non entitatis: cum ergo dicimus priuationem esse in oculo, & Nihilum fuisse ante Mundi creationem, ly esse & fuisse dicere veritatem propositionis, non autem realitatem entitatis. At cum ipse dicat: Malum, & Nonens esse, sicut Corruptio est: Constat autem corruptionem realiter esse, & non solum secundum orationis veritatem: necesse habet dicere, Priuationem, & Nonens esse. Nec quia corruptio est simul generatio, & quatenus est generatio, est, eluditur argumentum. Ipsa enim generatio si simul est corruptio realiter, confirmat magis, quod realiter quodlibet ens componitur ex esse, & Nonesse. Nec quia corruptio est præcedentis habitus, & generatio consequentis, talis compositio euacuatur: quoniam generatio tendit ad habitum particularis entitatis excludentem entitates alienas; Igitur Cōpositum ex Ente & Nonente. Item si esse dicit veritatem propositionis, & hæc est vera, oculus est cæcus, & animal est non videns: Ergo reuera est non videns. Ergo non modò signum, sed signatum dantur in re. Ponit ergò realitatem ly Nonesse.

Nihilum non esse neque in Deo, neque extrà Deum: & à nobis cognosci per ens, ac nominari per aliud, inquisitione subtili, & multiplici panditur.

ART. V.

Icimus ergò Nonens non esse in Deo, neque extra Deum, neque in mente neque extra mentem. Quod enim intelligitur, Ens est. Quatenus ergo intelligitur habet esse ly Nihilum. Sed quia intelligitur per ipsum esse: Cognosco enim nonesse hominis in asino, quia cognosco alibi hominem, & asinum alibi, & cognosco tenebras lucem videndo, & carentiam huius considerando: & cognosco nonesse per remotionem esse, non per ipsum Nonesse, ideò dicendum est, quod veluti natura & essentia entis est esse, ita Nonentis essentia est Nonesse. Entis omninò est esse omninò; Entis aliquo modo est esse aliquo modo: ita Nonentis simpliciter est Nonesse simpliciter; Nonentis secundum quid est non esse secundum quid. Dubitant Sophistæ apud Platonem, putantes Nihilum esse: cum enim dico, Nihilum est Nihil, per ly est, assero ipsum esse. Sed non perceperunt quod quia Nihilum non potest intelligi, nisi per ens, ita non potest proferri voce nisi per vocabula Entis apposita negatione. Nam dicitur Nihilum quasi nec hilum, quod est fabæ nigrum: & Nonens clarè per entis negationem pronunciatur. Itaque cum dico, Nihil est nihil, ly est, dicit veritatem propositionis, & nihil ponit in re. Et quidem errat intellectus & lingua dum per ly est, de Nihilo loquuntur. Sed coguntur ita facere, quoniam vocabula & idea Nihili non sunt, & per Entis vocabula & ideas concipitur & declaratur: vnde fit Ens rationis quod est Nihilum rei. Caremus enim copula Nonentis, respondente copulæ entis, *Est*: & componimus eam

ex Non & est: sicuti composita est notio Nonentis cum notione Entis. Quapropter cum componimus res ex Ente & Nonente, non oportet eodem modo, quo Ens ponimus, ponere Nonens in rerum natura ad hoc quod componat: quoniam dum ipsum componit, non dat, sed remouet; Sed quia reuera remouet, non quia quod est aufert, sed quia terminat. Esse, non positiuè, sed negatiuè; ideò dicitur componere: quoniam ponit reuera non esse. Sed contra, si carentia entitatis alicuius reuera est: homo enim reuera caret asinitate, ergo reuera Nonens est in homine. Et quia verè intelligo hominem non esse asinum. Ergo verè intelligo Nonens. Item sentio etiam ipsum non esse. Namque video Petrum in platea esse: mox ipso discedente video Petrum in platea non esse: ergo carentia, & priuatio & Nonentitas sensibus quoque palam est. Respondeo, non posse cognosci Petrum non esse in platea, nisi quia cognoscitur Petrus. Petrus autem Ens est. At si eius remotionem cognoscimus, cognoscimus remotionem, quæ est Nonens. Respondeo, non cognosci remotionem per se, sed per accidens, id est, per Petrum remotum. Ergo nonesse quatenus in ente fundatur cognoscitur, & non per se. Sicut cœcitas in oculo, non in se. Sed contra. Quamuis non nouerim Petrum, attamen vbi in platea Petrum non video, eius absentiam video. Respondeo, quod absentia alicuius est absentia; & quatenus quæ adesse possunt confusè, & vniuersaliter cognosco, ita quæ absunt abesse cognosco propter notitiam confusam illorum. Sed contra. Distinctè, & verè cognosco hominem esse in platea, & absentiam; quæ autem absunt confusè cognosco. Ergo nonesse percipitur per se, & non per se, aliàs confusè absentia quoque nosceretur, si illud per quod noscitur ipsa confusè noscitur. Respondeo, absentiam distinctè nosci non posse, nisi distinctè absentes noscantur, non quod sint homines isti vel illi, nec animalia, nec lapides, nec cœlum, sed quod sunt entia. Cum esse præsens sit actus entis; & esse absens sit priuatio entis ibidem: & Ens sit per se primò notum, vtique distinctè noscimus abesse entia multa vel infinita: Non autem oportet scire quid & quæ sint, quoniam Nonesse opponitur Enti, & non quidditatibus particularibus, distinctisque. Et quidem alibi ostensum est, ea modo cognosci, quæ sensum mouent per se, vel per accidens: cùm autem Nonens non possit mouere per se sensum, aut intellectum; consequens est, vt non per se noscatur, sed per aliud, quod potest mouere. Cognoscere ergo Nonesse, est non moueri; & per hoc quod non moueri se percipit Spiritus & Mens, per hoc Nonesse percipit. Hoc autem discursu, & non sensu percipimus, nisi quatenus spiritus sentiens est simul discurrens. Sed huiusmodi notitia Nonentis per remotionem Entis est alicuius Nonentis, & non Nonentis simpliciter. Homo autem percipit ipsum Nihilum simpliciter. Ergo oporteret ipsum cognoscere ens simpliciter, si per Ens Nonens scimus. Ergo homo cognosceret Deum per se, & Nihilum per accidens; cum tamen constet Deũ per accidens nosci, id est per effectus, nec tamen ipsum esse Dei à nobis percipi ex eis potest, nisi quod verum sit Deum esse, teste D. Thoma. Respondeo, ipsum Nihilum simpliciter cognosci per totius entis simpliciter remotionem, non autem per speciem Nihili. Et quia Ens simpliciter est Deus, cum Deum non esse intelligimus, ipsum Nihilum intelligimus. Deum autem non esse non possumus intelligere, nisi per effectus, & similitudines discurrendo, veluti per effectus esse quoque nouimus. Ex eo namque, quod lapidem non esse apprehendimus, & hominem non esse, quoniam hic vel ille homo non est, mox & cœlum non esse possumus intelligere per syllogismum, & terram nonesse, & mox omnia entia non esse, & tandem Deum non esse. Non tamen possumus assentiri omnia & Deum non esse, & per consequens Nihilum esse: quoniam quando intelligimus res non esse, non possumus intelligere Nosmetipsos non esse: Si enim non sumus, nequaquam intelligimus. Si autem nos sumus, & Deus est, vt probabitur: quoniam si datur aliquod ens per participationem diminutum, datur & ens per essentiam & perfectum. Possumus tamen nostrum nonesse intelligere per remotionem nostri esse. Quoniam & aliorum entium remotionem nouimus. Igitur patet responsio ad argumentum, quod veluti Deum per effectus esse nouimus, ita & Nihilum: quoniam ex eo quod hoc & illud ens nonesse & deficere videmus, apprehendimus totius Entis non esse, quod est purum Nihilum: veluti totius Entis esse, quod est Deus, per huius & illius entis esse prænoscebamus. Et sicut cognoscimus Ens esse, ita Nonens nonesse.

Sed profectò ex hoc eloquio sequitur, quod cùm dicimus Nonens non esse, asserimus Ens esse: non ergò verum erat, quod ponebamus Nonens esse, & participari ab entibus particularibus & secundùm quid est. Iterum si substantia Nonentis sit nonesse, quomodo priuatio & negatio sunt?

Essentiam Nihili esse Nonesse essentialiter, sed existentialiter esse Esse: quoniam est vt remouens à rebus. Et quomodo seipsum negando affirmat esse.

ART. VI.

Respondeo, quod quia essentia Nonentis est non esse: & ipsum non esse per remotionem esse intelligitur, & declaratur: ideò cum dicimus Nihilum non esse, directè remouemus Nihilum, & indirectè ponimus Ens. Et hoc est quod Logici dicunt ex duabus negationibus vnã affirmationem fieri. Si enim dico Petrus non est non rationalis, assero Petrum esse rationalem. Sicut enim esse ponit seipsum, ita non esse remouet esse seipsum. Et ideò affirmatio, quę est positio entis, magis affirmat replicata, negatio verò magis negat: ergo & seipsam negat, & per consequens indirectè ponit affirmationem. Et regula est, quod Negatio quidquid post se inuenit, destruit, & eius oppositum inducit. Sed contra est, quod sępè negantes aliquid omnifariam, respondemus replicando negationem, veluti; non,

Solutio. non; non est verum. Respondeo, quod negationes replicatæ hoc modo, seorsum fiunt, ita quod vna non cadit super alteram: sed exprimunt continuationem constantiæ in negando. At quando fiunt simul ita, vt componant, dum negant, affirmant. Sicut Nonnullus homo est albus, idem valet, quod aliquis homo est albus. Redeuntes autem ad quæstionem, confirmamus essentiam Nonentis esse Nonesse: Et tamen componere cum esse. Nec inquirendum est vbi sit Nonens, quoniam eius natura est vt non sit. Et cum dicimus, ex Nihilo cuncta fuisse creata, intelligimus ex eo quod non erant. Nam si erant non creabantur. Vtimur tamen Non esse, tanquam esse, quoniam cogimur ita loqui ac intelligere. Sed contra, *Alia obiectio.* si res factæ sunt ex Nihilo, quod non erat, ergo factæ sunt ex Ente, quod erat. Hoc enim est non esse Nihilum, videlicet esse Ens. Nihilum autem esse, est Ens non esse, vt patet ex declarata æquipollentia. sed reuera non erat esse creaturarum, ergo reuera erat Nonesse & Nihilum. Sicuti & nunc reuera non est in homine esse lapidis. Ergo reuera æquipollenter est in homine non esse lapidis, sicut in cæco non videre. Ergo nonens reuera est. Non ergo eius natura est nonesse, sed esse. Respondeo Nonens esse negatiuè, sed non positiuè. *Sol. 3.* Est enim non vt dans, sed vt auferens: Dare enim Nonesse, est auferre esse. Et quidem reuera Nonesse Mundi præfuit ante creationem, sed non præfuit ponendo, sed negando esse. Et hoc quidem est verè & simpliciter inueniri malum, ait subtiliter Caietanus, quia formaliter inuenitur, & *1. 1. 48. r. 2.* secundum modum sui generis, puta Nonentis, & priuationis. Ergo, inquam & Nonens est secundum suum esse, quod est Nonesse: & propterea non est cõcedendum, vt multi contendunt, negationem Non entis ponere ens propriè & per se, sed per accidens, & indirectè. Non enim cum dico, Nonens non est, assero, Ens est, principaliter, sed connotanter. Et ergo cum dicimus, Nonens non est, ly non est, dupliciter intelligi potest essentialiter, & existenter. Essentialiter vera est, quia essentia Nonentis est Nonesse, existenter autem falsa est: quoniam inuenitur verum in Mundo, quod multa non sint, & quod homo non est asinus: & quod non sint plures Soles. Et quod non esse Mundi præfuit. Sed positio huiusmodi Nonesse, est essentialiter negatio.

Nihilum secundum se vt intellectum esse positiuè: secundum entia negatiuè; aut priuatiuè. Et ante Mundum non fuisse in Deo, neque extra Deum simpliciter, sed secundum quid: vel intelligibiliter. Et Deum nunquam caruisse vlla entitate nec relatiua saltem fundamentaliter. Et Nihilum terminari & ex vna parte.

ART. VII.

AT quoniam oportet semper aliquod Ens fuisse: Non enim potuissent entia fieri ex Nihilo omnino. Sed cum dicimus Mundum ex nihilo creatum esse, intelligimus successisse suum esse suo Nonesse. Vel nullam materiam præfuisse, ex qua Mundus fieret, sicut in factionibus particularibus semper aliquid ex aliquo, quod non est ipsum, quod fit, fit. Ergo præfuit Ens, à quo Mundus factus est, illudque vocamus Deum. Ergo Nihilum simpliciter numquam fuit, sed secundum quid, hoc est nonesse Mundi, & Creaturarum, quod simpliciter est Non ens: Alias oporteret fateri aliquando Deum non fuisse: Et ex Nihilo per se, & à se entia orta fuisse; quod longè stultius est, quàm affirmare calorem patrem esse frigoris, & lucem tenebrarum. Hæc enim conueniunt in esse aliquo: Ens autem & Nonens in nullo. Quapropter si Nihilum simpliciter fuit. Ergo Ens simpliciter, quod est Deus, non fuit; si Deus fuit, ergo Nihilum non fuit. At vbi erat illud Nihilum, ex quo factus est Mundus? Si enim in Deo, ergo Deus componitur ex Ente, & Nonente. Si extrà Deum, ergo Deus finiebatur à Nonente, & creauit Mundum vt dilataretur eius entitas, sicut calor ignis ligna, vt regnum suum amplificetur. Respondeo, quare Deus fecit Mundum in posterioribus sermonibus videndum esse: sed Nihilum ex quo factus est Mundus, negamus præfuisse in Deo: quoniam in Deo est fœcunditas omnis entitatis, & in essentia eius, & in intellectu eius præerat Mundus, & est, eritque modo sine modo eminentissime, vt declarabimus. Quapropter Nihilum non erat in eo. Nec extra eum; quoniam circumscriptus non fuit à Nihilo, vel aliunde terminatum. Ergo nullibi erat Nihilum. Et hoc asserimus. Et dicimus, quia Natura Nihili est, vt non sit, necessariò non erat positiuè neque in Deo, neque extra: erat tamen negatiuè extra, quoniam remouebatur esse Mundi visibile per suum Nonesse visibile, corporeumque. Hęc tamen negatio non finiebat Deum, quoniam in Deo erat esse Mundi oppositum ad Nonesse Mundi. Sed contra, ergo saltem in Deo negabat esse aliquod, puta esse dominum rerum, & creatorem, & rectorem, & hoc reuera, quoniam reuera entia non erant: nec ergo Deus huiusmodi esse habebat in illis. Præterea si negatio negat, & non ponit, ergo neque seipsam ponit, vt dicebamus, alias Nihili natum non esset, vt non sit. Ergo non ponebat nonesse Mundi ante creationem.

Ad primum dicitur, in Deo causaliter, vel radicaliter fuisse virtutem creatiuam & gubernatiuam, & dominatiuam; & ideo per Nonesse Mundi non fuisse priuatum nisi exteriori dominio, & actu, qui in Deo non dicit nisi relationem rationis, in creaturis verò realem de nouo. Sed æternaliter est relatio realis ex parte Dei fundamentaliter. Priuatio ergo erat respectu creaturarum, & non Dei realiter. Et quamuis nunc Deus sit realiter Dominus: Relatio dominij in essentia Dei est æterna, quia est eius potestas: & respectu eius dicitur realiter Dominus; Respectu verò Creaturarum dicitur realiter, realitate noua existente in creaturis, non in Deo, nisi secundum rationem

nem noſtram. Et licèt nullo intellectu conſiderante hoc ipſe ſit Deus, hoc tamen ponit realitatem in fundamento, & termino, hîc nouam, ibi æternam ſecundum rem, & nouam modò ſecundum rationem: vt in 2. lib. 1. par. dictum eſt. Quapropter nihilum non priuabat Deum entitate, niſi rationis falſæ; Creaturas verò reali ideata non ideali. Hinc videas non eſſe nonens ſolummodo in entibus, ſed per ſe & ſolitariè ſumptum; at negatiuè, non poſitiuè. Priuationem verò in entibus, vt dicebat Auguſt. Quoniam non eſt totalis deſtructio rerum, & remotio, ſed partialis. Alias declarabimus, quoniam Actus Dei eſt æternus, ſemper Deum creaſſe & creare & creaturum eſſe Mundum, prout iſtæ differentię temporis in ęternitate ſunt vnum Nunc. At Mundum non ſemper creatum eſſe niſi in principio temporis. Sicuti ignis ſemper calefacit: at manus mea non calefit, niſi quando admouetur igni: vt infrà.

Ad ſecundum verò reſpondemus, nihilum fuiſſe ponendo ſe, & non auferendo. Sed alia à ſe auferendo, & negando. Et quidem naturam ſuam eſſe vt non ſit exiſtentia poſitiua aliorum, non tamen negatiua eſſentiali ſibi, quoniam eſſentiatur ſuo noneſſe. Cęterum quoniam per eſſe illud cognoſcimus, & eloquimur: neceſſariò damus illi eſſentiam & exiſtentiā rationis non rei iuxta modum ſuum, intellectū per oppoſitum modum entis. Item nihilū ab ente terminari aſſerimus ex vna parte, ex altera verò infinitum eſſe. Sicuti ſi lineamà centro terræ ductam in infinitū extra circumferentiam cœli porrectam cogitaremus. Ita in homine, & in qualibet creatura quaſi vno puncto entis terminatur ipſum nihilum. At ex parte ſua infinitum eſſe; quoniam homo infinita non eſt, & infinito nihilo ambitur, vt docebamus. Sed quęritur, quomodo nihilum eſt infinitum, ſi noneſſe Mundi finitum eſt, & quomodo principium ſi cœpit poſt Mundum: Quando enim factus eſt Mundus, tunc fuit Mundus non Deus, ante enim in Deo erat Deus. Ergo infinitum nonens. Reſpondeo, quod noneſſe Mundi præceſſit Mundum ideatum, non autem idealem. In illo autem noneſſe Mundi ideati erat non eſſe Deum. Ergo nonens infinitum. Sed hoc non ſatis liquet. Clarius ergo dixeris, fuiſſe Deum vnum infinitum ens. Et quia non erat alter Deus infinitum Ens; & reuera non erat alter Deus: ergo reuera præfuit & eſt Nonens infinitum ea ratione qua nonens excludit oppoſitum ens, & ponit ſe. Ens enim infinitum, qui eſt alter Deus, excluditur per Nihilum pariter infinitum.

Omnem diſtinctionem eſſe Nonentis influxum. Quod per gradus deſcendit in negationem, priuationem, diuerſitatem: contrarietatem, differentiam, & ſingularitatem.

ART. VIII.

ADhuc autem conſiderandum eſt, quod nonens diuiditur in Negationem, Priuationem, Diuerſitatem, Contrarietatē, Differentiam, & ſingularitatem. Negatio eſt purum Nihilum fundamentaliter. Et eſſentiatur per noneſſe, & per nonexiſtere. Nam ſuum exiſtere eſt negare, & remouere. Ergo ante creationem pręfuit huiuſmodi negatio, quę eſt nihilum. Sed ſuum eſſe eſt noneſſe Mundi: ſicut eſſe caloris in igne per accidens eſt non eſſe frigoris. Quapropter cum damus exiſtentiam nihilo, iuxta modum ſuum damus. Et quidē non eſſentia, nec exiſtentia debet nuncupari, ſed mutuamur vocabulum ab ente, per quod ipſum nonens intelligimus. Sed verè, ipſum non eſſe, fateri oportet: à parte rei: & dici ens rei: at quia non concipitur à nobis, niſi vt ens, fieri ens rationis; quod eſt nonens rei. Et cum diximus eſſentiam eius eſſe, vt non ſit: non intelleximus, quod nō reperiatur, ſed quod non reperiatur vt affirmans & ponens. Et cū dicimus, ipſum exiſtere, intelligimus quòd ponit ſeipſum: Ponere autē ſeipſum eſt alterius generis à poſitione entis. Nullum enim ens excludit aliud ens, niſi quatenus habet annexum nonens. Sed nonens propriè excludit ens, & ſeipſum aliquando, vt dictum eſt. Hoc autem purum nihil intelligi non poteſt, nec vnquam fuit, nec erit, niſi in intellectu apprehendente ipſum per oppoſitum ideam entis, & eius remotionem. Et eſſe eius eſt noneſſe aliorum: & proprium eſſe non habet, quoniam ſi haberet eſſe, non eſſet nonens purum. Nec tamen natura eius eſt, vt non ſit, aliàs non reperiretur ens, quod non eſt ſimul aliud ens: & quæ nondùm nata aut creata ſunt, eſſent, & Mundus fuiſſet antequam eſſet. Sed quia non fuit, oportet dicere nihilū fuiſſe, & nunc etiam eſſe, quoniā homo non eſt lapis: ſed eſt exercens actum nonentis, & non actum Entis: & ideo dictū eſt, quod eius eſſentia eſt noneſſe. Quoniam & proprium eius eſſe non debet dici eſſe: ſed cogimur ita illud dicere, quoniam ita intelligere modo valemus. Ex noneſſe verò huiuſmodi ſimpliciter, & ex eſſe ſimpliciter non poteſt aliquid componi. Quod enim ſimpliciter eſt, nullam compatitur nihilitatem. At ex noneſſe ſecundum quid, & ex ente ſecundum quid poteſt componi; quoniam ex homine, & ex non aſino componitur homo. Et compoſitio eſt infinita ex parte nonentis, ſicut dictum eſt. At non poteſt ex homine, & non homine fieri compoſitio; quia idem non poteſt eſſe homo, & non homo ſecundum idem. Omne enim eſſe excludit ſuum noneſſe, & è conuerſo. Quapropter cum contradictio fundetur ſuper eſſe, & noneſſe, nunquam poſſunt verificari duę contradictoriæ eiuſdem de eodem ſecundùm idem, & in eodem, vt in 1. par. dicebamus.

Pręterea etſi non ſit purum nihil, ly Nonhomo, eſt tamen hominis nihilum perfectum, non autem entis. Conſiderant Logici negationem negantem, quam vocant partem contradictionis, de qua dictum eſt: & negationem infinitantem, vt nonhomo. Quoniam de infinitis rebus poteſt dici, ly nonhomo, exceptis hominibus. Lapis

est nonhomo, cœlum est nonhomo, piscis est nonhomo: & sic in infinitum. At non possumus dicere, Animal est nonhomo, nec ens est nonhomo, nec Deus est nonhomo, quoniam non patiuntur vniuersalia nonentitatem. Quapropter non dicimus hominem componi ex homine & non homine. Sic enim componeretur ex homine & asino: Asinus enim est nonhomo: sed intelligimus fieri ex nonhomine tanquam ex priuatione præcedenti, non autem ex constituenti. Homo ergo componitur ex esse hominis, & nonesse aliorum entium per se; sed per accidens componitur etiam ex esse aliorum. Homo enim per accidens est albus sed est non albedo, & per se neque albus, neque non albus; Vt dicemus tractando de contingentia. Ex his palam est nihilum simpliciter non fundari in ente simpliciter, neque secundum quid, sed tantum intelligi per oppositum suum. Nihilum verò secundum quid vt nonasinus fundari posse in subiecto; homo enim est nonasinus. At ens non est nihil vnquam.

Priuatio verò est negatio alicuius habitus debiti alicui subiecto secundum ordinem Dei, aut naturæ, aut rationis. Vt Hannibal dicitur priuatus gratia Dei, & visu, & magistratu. Asinus autem non dicitur priuatus gratia, nec lapis visu, nec stultus magistratu. Huiusmodi ergo negatio est nonentitas in subiecto susceptiuo entitatis, quam negat. Quapropter quoniam malum est priuatio quędam, dixit Dionys. & August. quòd non est nisi in bono. Licèt ergo essentietur priuatio ex nonesse essentialiter, tamen existentialiter habet esse: quoniam reuera est cæcitas in Hannibale: & reuera priuatio magistratus est in Tarquinio. Hæc autem existentia exercet negationem alterius esse, & positionem sui. Sed esse suum positum adhuc est de genere nonentis, & non de genere entis. Componit ergo priuatio cum priuato. Homerus enim est homo cęcus: & compositio huiusmodi notior est priori, quoniam determinat sibi subiectum.

Diuersitas autem est duorum entium genere separatorum, vt saporis, & coloris: formæ, & materiæ: & ex his potest fieri compositio realis, & physica: quoniam ambo sunt entia. Et quia vnum non est aliud, includunt nonesse, ita quod quamlibet compositionem ingreditur nonesse. Oportet ergo quod nullum nonesse admittit simplicissimum esse & omnino.

Contrarietas autem est duorum entium actiuorum contendentium possidere idem regnum subiectum, sicut calor & frigus eandem molem corpoream. Hæc autem pugna est quia Calor non est frigus, & è conuerso; & non quia alterum est Ens, alterum nonens, vt prisci dixerunt, nisi respectu perfecti, & imperfecti, quod non facit: Filia ergo nonentis est contrarietas, & non filia entis. Item & bellum: Pugnant enim in inuicem, quia non habent esse amplificatum, & dilatatum, vnde timent proprium nonesse, & destructionem. Et ideo sicut Calor cupit totam molem possidere & amplificari, ita & frigus: & sicut calor timet ne à frigore possessa mole deturbetur ipse, & annihiletur, ita & frigus. Ergo desiderium essendi, & timor non essendi sunt causa pugnæ. Et ergo pugnant, quia hoc non est illud, & quia indigent essendi sede. Ergo indigentia, quæ est non habere, & ipsum nonesse, sunt causa discordiæ & pugnæ. Si enim calor esset frigus, non pugnarent. Item si esset vbique materię, neque existentia careret aliqua; neque pugnaret. Potest autem fieri compositio ex contrariis, non tamen reconciliatis ad componendum vnum tertium ens, sicuti Peripatetici opinantur, sed semper pugnantibus mutuò pro possessione molis subiectæ. Manifestè quidem Aër, qui tenuis calidusque est, & aqua blando calore constituta, frigore semper ferè afficiuntur. At vtrumque contrarium simul informare eandem molem impossibile esse alibi declarauimus: quoniam sui ingenij obliuiscerentur; & per consequens contraria non essent contraria amplius re, & proprium esse abiicerent; quod nulli vnquam enti conuenire posse declarabimus. Nam nec fit in motu tardo compositio motus & quietis oppositæ, sed motus & Torporis materialis; nec lucis actiuæ & tenebræ actiuæ in rubedine, sed tenebræ inertis. Nec caloris & frigoris conciliatorũ in niue, sed pugnantium. Est tamen caloris & non caloris in pituita, sicut dictum est in q. Phys. Passiua autem opposita miscentur vt siccum & molle, nisi vires actiuæ concretæ eis repugnent.

Differentia verò est contrarietas refracta, vt inter illa, quæ sunt eiusdem generis post contrarietatem sequestrata. Et quia participant minus de nonesse mutuo, minus oppugnantur. A negatione enim, & ab affirmatione quinto gradu elongantur. Itaque sicut inter pallidum, & rubrum minor oppositio est, quàm inter ostream & Aquilam. Fortè enim hęc contrariantur, vel contrariis proxima sunt, illa verò differunt. Ideo dico alterum alterius nonesse minus participare; non autem quod purum non esse minus participent. At semper vile oppositum nonens refert: Nobile autem ens.

Singularitas verò est minima oppositio, & minimum mutuæ nonentitatis participans: Petrus enim differt à Paulo singularitate, id est, heccheitate, quę facit vt Petrus non sit Paulus. Heccheitas autem includit loci, temporis, actionis, passionis, & infinitorum penè accidentium discordiam, dissonantiam, distantiam, &c. quæ sunt in causa vt indiuiduorum non fiat compositio, maximè quidem facienda, vt patet in homogeneis indiuiduis. Omne autem genus distinctionis esse Nonentis influxum, inde scire licet, quod idem à seipso non distinguitur, sed ab alio: Aliud autem non est ipsum. Ergo nonesse facit nonipsum, & distinctionem. Ergo & numerum. Non enim est numerus, nisi distinctorum entium aliquo pacto. Distinctio autem est Nonentis filia, ergo & numerus, formaliter loquendo, non autem effectiuè, vt sequens patefaciet sermo. Ex his palam est, omnem distinctionem inter entia fieri à nonente fundato in ipsis: inter nonens verò & ens fieri seipsis. Et hinc videbis numerum, pondus, & mensuram, & ordinem rerum ab ente & nonente fieri summi Entis artificio.

ENS COMMVNISSIMVM ESSE, QVIA in ipso omnia conueniunt: disconueniunt autem in modo essendi. Naturam ergo principij primi in eo inquirendam esse.

CAP. IV. ART. I.

VNDE digressi sumus, redeamus ad ipsum nimirum Ens, quod essentiam, & esse dicit nominaliter sumptum: Participialiter verò esse modo significat. Vtrum autem ipsum sit, ex quo omnia, ac singula constent, videndum est, & quomodo eius sit natura: & quomodo in ea primæ causæ veritas elucet. Porrò in particularium entium propagationibus singularitates non videntur communicari, sed vniuersalitates, quæ sunt ipsæ communitates. Petrus enim homo non producit Petrum hominem, sed hominem, qui non est Petrus, sed Ioannes; Homo tamen vti Petrus, & hic ignis generat ignem, sed non hunc sed alium. Causæ quoque vniuersales effectibus inesse videntur, non autem particulares: quoniam veluti instrumenta sunt vniuersalium: Instrumenta autem non remanent in facto esse. Petrus namque generans non est in Ioanne genito: sed humanitas: communis videlicet idea prima, causans Ioannem per Petrum, vt dicemus. Est quoque in Ioanne animaleitas, corporeitas & Entitas, non autem hæcceitas Petri genitoris; sed vniuersalitas. Ergo principium communissimum, ac primum in vniuersalibus quærendum est, non in particularibus: ergo in quo omnia conueniunt, illud est natura primi principij & nomen. Nomina generum illis tantum conueniunt, quæ sub illo genere continentur, vt Quantitatis nomen & essentia conuenit lineæ, corpori, superficiei: non autem homini, aut albedini, nisi quatenus participant quantitatem aliquo modo: & quantaquidem dicuntur, sed non quantitates. Caloris similiter ratio conuenit luci, tenebræ, pallori, rubedini, viriditati, non autem lineæ, aut homini, nisi quatenus istos participant, & per accidens. Et sic de cæteris generibus palam fit. At verò cunctæ res conueniunt in hoc quod sunt. Entis ergo natura communissima principij primi retinet rationem. Ergo quamuis omnia genera particularia propriaque habeant principia, conueniant oportet in vno communissimo illis principio, si omnia conueniunt inesse: Differunt autem in modo essendi. Modus verò non variat essentiam causæ, si ipse est varius in effectibus. At si essentia est varia, causas varias ostentat. Prius autem ente non datur quippiam. Ipsum ergo est primum, non modo abstractione, sed re.

Dubitatio, quòd ens non sit primum, sed vel Vnum, vel Bonum, vel Verum, vel Potentia, prius ente videtur esse.

ART. II.

AT quibusdam videtur Vnum esse prius ente. Vnum enim non est, sed præcedit esse. Si enim Vnum est, ait Parmenides apud Platonē, non est: si enim est, non est vnum simpliciter & verè: Cōponitur n. ex vno & esse, & ex idea entis, & ex idea vnitatis. Quapropter non possumus dicere quod sit. Vnitati præterea opponitur multitudo. Enti verò Nonens. Sed multitudo est ens: ergo vel vnitas est nonens, vel ante Ens.

Præterea, quod conseruat esse, illud dat esse: sed Vnitas conseruat entitatem, ergo dat entitatem. Ergo Vnitas est principium entis: è contra enim ens non dat vnitatem, sed constituitur ab ea, ergò, &c. Item Bonum videtur esse prius Ente. Ponitur enim à Dionysio ante ens. Bonum quoque ad plura se extendit: videl. etiā ad Nonentia. Bonum est enim homini non esse asinum. Et multi desiderant mori & non esse, tanquam bonum. Vniuersalius ergo est Bonum, & ei competit ratio principij. Nam, inquit Augustinus, *in tantum sumus, inquantum Deus est bonus*, & non inquantū est Ens. Et Plato in Timeo dicit, Mundum creatum esse à Deo, quia Deus bonus erat. Bonum quoque est sui diffusiuum inquantum Bonum: Non autem ens quatenus Ens: diffundere autem se pertinet ad rationem principij: ergo Bono prius & verius competit ratio principij, quàm Enti. Pythagorici quoque prima principia Bonum, & Malum posuerunt. Et quidem singula ex Bono & Malo constare apparent principiata.

Verum quoque videtur prius Ente. Nam & Nonentia verè nonentia sunt. Quod autem pluribus conuenit, vniuersalius est; quod verò vniuersalius, principalius quoque est.

Item Potentia videtur esse prius quam ens. Ante enim potest esse vnumquodque quàm sit. Omne prætereà ens potest esse: sed non omne potens esse est. Has rationes soluere tunc poterimus, cum entis naturam, & Vnius, & Veri, & Boni, & Potentiæ declarauerimus.

INCIPIT TRACTATVS DE PRIMALITATE PRIMA.

VNVMQVODQVE ESSE, QVIA POTEST, & quomodo, & quando poteſt. Et Potentiam eſſe conſtitutiuum Entis principium. Et actum, & potentiam patiendi, agendi, operandíque reduci ad potentiam entis: & hanc ab intrinſeco, & ab extrinſeco, & vtrinque dici.

CAP. V. ART. I.

ENS nullum videtur eſſe, niſi quia poteſt eſſe. Quod enim eſſe nequit, non eſt, quatenus eſſe non poteſt. Entis quoque fundatio eſt Poteſtas. Poteſtas quidem eſſendi præcedit omnem poteſtatem, videlicet agendi, patiendi, operandi: ſed ab actione Poteſtatis notitia incepit. Dicitur enim potens, quod in aliud ſe ſe ipſum diffundere, amplificare, & multiplicare aptum eſt. Aptitudo autem huiuſmodi eſt ab intrinſeco, & ab extrinſeco, & ab vtroque. Ab intrinſeco Polycletus dicitur poſſe pingere, quoniam in ſeipſo artem pingendi habet. At ſi non habet inſtrumenta, & materiam ſubiectam picturæ, aut ab aliis impeditur ne poſſit pingere, dicitur non potens ab extrinſeco. Hoc patet clarius in exterioribus poteſtatibus. Sapiens ab intrinſeco dicitur poſſe regere Rempublicam, & natura Rex eſſe. Filius autem Regis, quamuis ſtultus, dicitur potens ab extrinſeco, quia ei nullum impedimentum apponitur, & obediunt omnes. Ab intrinſeco autem dicitur impotens. Qui verò vtrinque poteſt, perfectè poſſe dicitur. Hinc Stoïcorum dogma apud Plutarchum enucleamus. Cum enim dicunt, omne poſſibile aliquando futurum neceſſariò eſſe: alioquin ſi nunquam eſt, fuit, nec erit, impoſſibile eſt. Siquidem hęc ratio vera eſt de poſſibili vtraque potentia, id eſt, interiori & exteriori, ordinata ad actum. Ego enim poſſum me pręcipitare de feneſtra, non tamen me præcipitabo: quia nec ego, nec rerum ordo, & cauſarum me ad hoc ordinat. Sed ſi eſt ordinata vtrinque fruſtra erit Potentia, niſi reducatur ad actum. Et ſi ex altera parte tantū; fruſtra erit ex illa parte tantùm, & impoſſibilis. Hinc etiā ſoluitur dubitatio Megarenſium aſſerentiū, tūc modò aliquid eſſe poſſibile cum eſt: Nā ędificator non ædificans, dicitur impotens ædificare: cum enim poteſt, ſuū actū vnaquęque potentia exercet, aliàs eſſet otioſa, ſicut Calor ſemper calefacit. Verum eſt enim quando vtrinque poteſt. Fato autem euenit, vt quandoque poſſit, quandoq; non vtrinque. Quemadmodū ergo in actionibus reperitur potentia, ita & in eſſe. Nā eſt id, quod poteſt eſſe; & quando, & quomodo poteſt eſſe: vnde flores in hyeme, & præcipuè in Moſchouia non ſunt, quia non poſſunt eſſe; Neapoli verò ſunt propè finem hyemis, quia poſſunt eſſe. Et quia vis Solis & Telluris diſpoſitio maior, ſunt cauſa exiſtendi flores magis in Campania; conſequens eſt, vt potentia eſſendi ab intra ſequatur virtutem actiuā & paſſiuam; vel ſit ipſa, vel in ipſa: ab extra autē ſemper eſt. Potentia actiua eſt, quæ abundat entitate magna, vnde & ipſam elargiri, effundere, & amplificare poteſt. Quapropter neceſſe eſt, principium primū rerum actiuiſſimum eſſe. Paſſiua autem Potētia eſt recipiendi, quod ab alio ſibi datur. Vnde indiga eſt & paupertatis filia, & nonentis. Recipit enim, quia non habet. Hęc autem materiæ conuenit. Sed non ſolum Potentia paſſiua receptiua inuenitur, ſed etiam perditiua, & afflictiua: & hæc non eſt propria materiæ, ſed formæ debilis in ea regnantis, dum expellitur à fortiori. Veluti dum aqua incaleſcit ab igne, patitur recipiendo quoad materiam; quoad frigus verò perdendo. Hæc autem Potentia falsò Potentia dicitur, ſed potius Impotentia dici debet; quoniam nec recipere alterius eſſe poteſt, vt materia, nec proprium retinere, vel dare, vt ſtrenuū agens, reſiſtenſque Ens. Potentia autē operatiua, non eſt amplificatiua in aliud, neque receptiua alterius, ſed conſeruatiua proprij eſſe, vt in 1. par. dicebamus. Hanc ignorauit Ariſt. & ideò reduxit omnes potentias ad Actiuam. Potentia enim paſſiua eſt qua ab agēte quid poteſt pati faciliter, vel difficulter. Actiua autem eſt principium agendi in aliud inquantum aliud. Sed rurſus debebat dicere: quod quia agere eſt ſeipſum in alio conſeruare: Operari autem in ſe: Ergo potentia agendi ad potentiam operandi reducitur, & actio ad actum, id eſt, ad operationem: quoniam propter ſe cōmunicat ſe aliis, & non propter aliud agens omne, vt dictū eſt. Tandem quia operantur entia vt ſint, poteſtas eſſendi præcedit omnes. Hęc Poteſtas eſſendi non eſt eadem in cunctis: nec eſt actus quatenus dicitur ab agendo, ſed ab eo imponitur. Reſpicientes autem ad quid imponitur, vocamus hanc Poteſtatem Actum. Dicitur enim actu omne, cū perfectum eſt, operaturque. Ergo quidquid eſt, eo pacto quo eſt, actu eſt, Dico autē actu entitatiuo. Quapropter quę habēt Potentiā ſubſiſtendi, ſunt ſubſiſtendo: vt Angelus, & Homo. Quæ nequeunt ſubſiſtere, ſed in alio exiſtere, ſunt in exiſtendo, vt calor, & figura, & motus. Quæ verò ſubſtare poſſunt, ſunt ſubſtando, vt Materia, & ſpatium continens Mundum. Quę autem ſimpliciter eſſe, eſſendo, & huiuſmodi eſt ſolum Ens primum. Nam omnis modus eſſendi, vel ſubſtando, vel inexiſtendo, vel aſſiſtendo, vel ſubſiſtendo, indigentia pleni ſunt: nā loco, & tem-

pore, & adiacentibus rebus, & causis indigent: purũ autem ens per seipsum est horum causa: dicitur tamen subsistens, quia inter cæteros essendi modos hic est perfectissimus: sed transcenditur à primo ente absque sub, & absque in, & absque ad, existente. Propterea dicitur supersubstantia, & superens, apud sanctum Dionysium.

Quod habet potentiam essendi ab intrinseco solùm, semper est, & non in se, nec in alio: & idem in eo est esse & posse. Quod verò ab extrinseco non semper, & posse præcedit esse, sed quatenus posse est simul esse.

ART. II.

QVÆ semper sunt habent potentiam essendi ab intrinseco. Nam si ab extrinseco alio oportet illud aliud præfuisse, ac dedisse illis vt sint. Itẽ semper esse non potest, nisi vnũ Ens primum: quoniam alia à primo oportet habuisse vt sint. Et si illud ab aliis esse accepit, non est primum. Et si ab extrinseco potest esse vel impediri, esset in alio, vel ab alio, & mendicans entitatem, & non ab intus, nec semper. Item quod ab intus est, non est in alio, quoniam per aliud esset: nec est in se: quoniam distingueretur à seipso, vt in quo, ipsum vt quod. Est ergo per se, & non in se, nec in alio: & posse est idem quod esse in eo. In cæteris verò posse videtur præcedere ipsum esse; multa enim possunt esse, quæ adhuc non sunt, vt flores in hyeme: & semper præcedit potentia actum in generatione: At hic sermo falsus: quoniam ideo potest esse quod potest esse, quia aliud, quod verè est & in actu, habet virtutem deducendi illud possibile ad esse. Quod nihilominus est, sed eo modo, quo esse potest. In causis enim causaliter est, quia causaliter potest esse: in virtute agentis virtualiter, in potentia est potẽtialiter, & in re realiter, id est, extra causas existentialiter. Quomodocumque ergo potest esse, est: si potest esse perfectè, est perfectum, si imperfectè, imperfectum. Vnde reddit opinio Megarensium, tunc esse vnumquodque cum potest, & quomodo potest: & non posse, nisi quãdo & quomodo est. Ex his elicitur esse identificari cum posse esse. Illud autem, quod sequitur vlterius, est extensio illius, quod præerat, & numeri aliquando auctio, aliquando verò non, vt dictum est, cùm loqueremur de causa agente.

Ex multiplici potentiæ acceptione relucere ipsam esse actum entis, & non præcedere actum in his quæ non sunt semper: & quomodo præcedere dicatur.

ART. III.

QVÆ aliquando sunt, & aliquando non sunt, non habent ab intrinseco potentiam essendi, sed ab extrinseco. Et ideo aliquando dicendum posse esse, quia per causas suas fieri possunt: aliquando esse, quando extra causas sunt. Et quidem potestatem essendi perfectam habent cum sunt, sed non dicuntur in potentia aliena, sed benè in propria. Hoc autem patet, quoniam quædam dicuntur in potentia remotissima ab actu sui esse, & potentiæ propriæ, sicut homo in materia prima, & omnia naturalia dicuntur esse in potentia: quia potest à causa agente ipsa in hęc efformari. Ergo potestas materiæ est ab agente. Si enim homo per materiam esse posset, materia daret esse, & non reciperet: & potentia eius esset non passiua sed actiua. Quod est error dicentium formas latitare in materia: & appetitum materiæ sufficere ad corruptionem. Quapropter cum diximus materiam esse in potentia ad formas, respicimus potentiam agẽtis, quod ex sequentibus manifestum est. Dicitur enim aliquid esse in potentia remota: sicut tellus est in potentia remota, vt fit animal: materia autem prima in remotissima: quoniam hæc omni forma caret. Tellus autem habet formam suam & calorem Solis participatum, quo potest inuerti in animal. Limus verò calefactus est in potentia propinqua, quoniam participat calorem & humorem, ex quibus animal fit. Semen verò dicitur in potentia propinquissima, quoniam habet spiritum formantem corpus animandum. Igitur potentia omnis ad actum essendi est aliqua pars illius esse. Vnde lignum viride non dicimus posse comburi; aridum verò posse comburi, quoniam aridum habet dispositionem caloris ad combustionem. Combustio autem est caloris abundantia potentis attenuare. Ex his ergo patet falsum esse, quod aliquid sit in potentia, nisi habeat aliquod esse: potentia ergo est essentialitas ipsius esse. Et quidem agnouit Aristot. illud verè dici in potentia, quod iam est in vltima dispositione ad actum. Vnde nec dicitur ædificator in potentia ille homo, qui non didicit artem ædificandi: sed qui illam didicit, & per eam quando vult exit in actum ædificandi. Ergo esse in potentia est verè esse. Igitur quod impossibile est esse, in nullius causę est virtute; vt diametrũ esse cõmensurabilem costæ: & hominem simul esse asinum: quoniã in causa non præcedit aliqua horum entitas. Nec.n. Deus potest hæc facere, vt probabimus. Igitur quãdo factus est Mundus, erat iam non in potẽtia materiæ, sed in potentia agentis. Materia enim non potuisset esse in potentia, nisi per agens potentissimum. Et quia nullũ ens potest esse sibi causa essendi, & seipsum facere, aut creare: Consequens est, vt omne factum habeat causam, &

nihil fine causa. Ergo non est verum, quod potentia præcedit actum, sed benè actus imperfectus eiusdem rei præcedit actum perfectum. Imperfectus homo est semen; perfectioni appropinquat embryo: perfectus est, quando rationali anima viuit. Et mox ætas imperfecta præcedit perfectã, vt infantia pueritiam, pueritia adolescentiam, adolescentia virilitatem. Et hæc ideo ità se habent, quia agentia naturalia virtutem habent diminutam, & finitam, & in materiam contrariis informatam, & renitentem agunt; & paulatim ducunt effectus suos ad perfectionem. Prima autē causa non procedit ex imperfecto ad perfectum, quoniam virtus eius est infinita, & materia illi non repugnat vllo modo. Neque enim ens aliquod est illi contrariū, quoniam omnia ab illo sunt, & necessariò obediunt ei, vt dicit Ecclesiasticus.

Quod autem esse in pura materia nullo prædita actu, non sit esse in potentia: Aristoteles testatur, & veritas ipsa monet: quoniam nequit materia producere. Et quidē si materiæ potestas necessaria esset causa, non potuisset ex nihilo Ens primū res producere: potuit autem quoniam entitas est potentia agentis. Et pulchrè hinc relucet primam productionem ab agente infinito non debuisse ex materia fieri aliqua. Ex his palam est res esse, quia possunt esse, & cùm sunt, maximè sunt. In ortu verò & occasu minus sunt: parum verò in potestate aliena, ipsarum, videlicet, causarum: sed maximè sunt in potentia Dei: ex quo, & in quo, & per quem, & ad quem omnia. Ex prædictis patet, actum præcedere potentiam, quoniam potentia ipsa in tantum potentia est, in quantum participat actum, & magis potentia, quo magis propinquat actui, & partem eius habet: & non posse reduci ad actum, nisi per præexistentem actum donantem subito, vel paulatim actum, hoc est, ipsum esse, vt dicebamus. Vnde nemo Philosophorum generat ex potentia materiali sola, sed vel præficiunt intellectum vel amorem, vel motiuam potentiam, quam per motum exprimunt, vel expressè Deum omnipotentem.

Dubitatur & respondetur, quòd materia, quæ nullum actum habet, est magis in potentia ad formas, quàm aliæ formæ, cùm dictum sit potentiam esse actum.

ART. IV.

SED si hæc ità se habent, nullatenus asserendum est materiam magis esse in potentia ad formam, quàm nihilum, vel immateriale ens, vel lineam, aut aliud quippiã. Nam cum ista & fortè magis participant actum, & esse, vtique magis in potentia ad quemlibet effectum sunt, quàm materia ipsa. Igitur ex frigore potius potest fieri ignis, quàm ex materia frigida, contra dogmata omnium Philosophorum. Non enim ex albedine fit nigredo, sed ex albo nigrum: nec ex nihilo, sed ex subiecta materia fit omne ens. Respondeo potentiam essendi esse entitatem, & fundari in ente, non in nihilo. Quapropter facilius est fieri aliquid ex aliquo, quàm ex nihilo, sicut facilius est fieri scannū ex ligno, quàm ex terra, & ex terra, quàm ex materia prima. Igitur ex materia prima facilius, quàm ex nihilo, quoniam non ita distat ab illo esse scanni lignum, mox terra, mox materia, vt distat nihilum. Immateriales verò formæ non sunt aptæ ad generationem aliarū formarum, quoniã sunt alterius generis aut speciei, & contariantur illis. Frigus quippe contrarium est calori, & asinitas humanitati differens: hoc autem inest eis à nonesse. Ergo cum alterum est, alterum esse simul non potest. Item omnis forma est actus & ens perfectum, ideo non suscipit alienum actum, nec in illud potest inuerti: gaudent enim proprio esse, & repugnat suo nonesse, quod ab aliena forma per accidens effunditur, dum effundit proprium esse. Item formæ non sunt per se, sed inexistunt aliis, videlicet materiæ: paruam ergo habent entitatem. Materia autem est & multum entitatis habet, quoniam est basis, & substantia rerum, ideo ex ipsa potest fieri ens, & non ex forma contraria. Tandem esse materiæ est amplissimum, respiciens omnia, nulli contrarium, sed perfectibile ab omnibus, nec sibi determinat aliquem essendi modum, veluti formæ contrariæ, ideo ex materia fieri omnia possunt, quoniam ipsa dum recipit, non destruitur, sed mutatur. Cæteræ autē formæ destruuntur. Nec est ergo verum, quod formæ magis participent actum essendi, quàm materia, sed actum agendi, & non subsistendo, sed inexistendo: quod exile est esse.

Contra. Sed contrà, ergo saltem forma per se subsistens, vt Angelus aptior esset ad actum essendi hominem, vel ignem, quàm materia. Item ex forma hominis, vel lapidis rectius fieret homo, aut lapis, quam ex materia: hæc enim plus entitatis humanæ vel lapideæ habet. *Respondetur.* Respondeo maximè verum esse, quod ex homine fit magis homo, quàm ex materia, & ex lapide lapis, & ex igne ignis. Materia enim non fit homo, nisi quia ab homine mutatur in hominē. At si hominem immaterialem cogites in sua idea, vtique & hoc fatendum est, hominem magis ab idea fieri, quàm à materia, sicut signum à sigillo magis, quàm à cera. Verum quia fieri physice & generari est in materia aliqua fieri, quod nondum est in illa materia. Ideo videtur nobis, quod esse potentia consistat in materia: cum tamen sit potius ab idea, & materia sit quasi extranea ab essentia vera, cuius est receptaculum, non autem ab essentia vmbratili Mundi visibilis: in cuius materia quasi imagines & vmbræ rerum verarum imprimuntur. Et quia hoc est fieri, nimirum in materia apparere, ideo materia est de essentia rei factæ, & in materia sunt quasi in potentia: cum hoc tamen stat, quod huiusmodi potentia eatenus est potentia, quatenus ad ideam, & agentem respicit causam. Lapis autem non fit à lapide materiali, dante actum essendi, quoniam idea absque fiscella propria solo congressu primorum elementorum paruo negotio & artificio illum producit: homo autem non nisi in alio homine, quasi in fiscella, & alembicco & pruina elaboratur ad suam enthelechiam. Ex Angelo vero verò non

potest fieri homo, aut lapis, quoniam ex perfecto non fit imperfectum ens, nisi ratione subiecti transmutabilis ad vtrumq;. Nulla autẽ subiecta materia forsan est cõmunis Angelo & homini. Item idea in ideam non mutatur, nec modus in modum entium: sed ideabile & modificabile potest modos cunctos suscipere: hæc autem est subiecta materia. Vtrum autem Deus tales possit transmutationes facere, alterius est considerationis: sed si ex nihilo: ergo & ex his, vt dictum est in prima parte. Redeuntes autem confirmamus materiam esse in potentia ad formam, quia habet esse ordinatum nutu Dei ad illam. Ad hanc verò vel illam formam, quia partem habet illius, vt aridum lignum ad formam ignis, quia ab igne & æstu affectum est. Ergo cum dicit Arist. in 9. Metaphys. potẽtia dici ob participationem actus, & Auer. materiam appetere formam per id quod de motu ad formam, vt per teporem aqua appetit feruorem, rectè dicunt de potentia determinata & propinqua. Et hinc rectè pandant rationem appetitus. Cum verò D. Thomas asserit materiam appetere formã, quia à Deo est ad illas creata & directa, sicut sagitta à sagittario, rectè quoque loquitur de potentia indeterminata loquendo. Et subtiliter Scotus dat illi actum entitatiuum: si enim non esset, nec potentia esset vt sanctus Iustinus etiam monet. Et esse illius non immeritò stabiliuit Plato, formarum verò debilitauit: ipsa enim semper est: formæ verò sunt & non sunt.

In I. par. lib. ca. de ac. & pa.

Potentiam dici iuxta omnia genera causarum: similiter Impotentiam, & Possibile, & Impossibile, & eorum rationes: & non dici æquiuocè, vt Aristot. putat, sed analogicè: nec analogiam ad potentiam actiuam, sed ad potentiam essendi tanquam primam respicere.

ART. V.

CVM multiplex sit potentia, videlicet actiua, & operatiua, & essendi, & retinendi, & patiendi receptiua, & productiua, & faciliter, & difficiliter: & omnes respectum habeant ad esse in se, vel in alio, vel ab alio, vel contra aliud; vtique diuidi videtur potentia, sicut & ipsæ causæ entis, vt alia sit potentia idealis, qualis est scientia quælibet operatiua: vel contemplatiua. quas Aristot. potentias vocat omnes, quoniam sunt principium agendi in aliud, & hoc non constanter, quoniam immanentes actus habent contemplatiuæ, & visiuam, & intellectiuam potentiam, non esse principia in aliud agendi, clarum est. Sunt ergo potentiæ primo passiuæ, & simul operatiuæ, vt in capitulis de actione & operatione docuimus. Idealis quoque potentia est in sigillis & exemplaribus, & inuentionibus sapientum: quoniam ex illorũ idea possunt exprimi in materia artificiata plurima. Totũ vniuersale, quod de pluribus prædicari potest in Logica habet potestate idealem: quoniã ad eius exemplar sunt partes eius intellectæ, & nominatæ. Datur & potẽtia effectiua, sicut caloris ad calefaciendum, & hominis ad generandum hominem, & ædificatoris ad ædificandum, quamuis hæc sit mista ex ideali & effectiua. Est potestas finalizandi, quæ consistit in ratione boni: vnumquodque enim mouet causas ad agendum propter se quatenus bonum: vt victoria mouet Regem ad pugnandum, stipendium milites, vita æterna Religiosos ad patiendum, & contemplandum. Et quælibet res vt bona, habet potentiam finalizandi. Est potentia materialis, quæ si remotissima est, in sola receptione consistit, si proxima, in esse imperfecto actus totalis, vt dictum est. Est potestas formalis, quę partim actiua, partim idealis est, & determinat materiam, sicut finis agentem, quem idea dirigit: Et ad resistendum validitas ex ipsa forma est, & languor. Quot enim modis dicitur potentia, totidem possibile, & totidem impotentia & impossibile.

Possibile namque est, quod iuxta aliquod genus causæ intrinsecè, vel extrinsecè fieri potest. Fieri autem non potest si sequatur aliquod impossibile. Ideo Aristot. possibile definiuit, quo posito impossibile non sequitur. Nam impossibilitas est aut ab intrinseco, sicut hominem esse asinum, quod ex repugnantia formarum procedit, sicut & quinque & quatuor facere duodecim: aut ab extrinseco, sicut muscam volare & viuere in flammis. Nam combureretur, & non viueret. Et si non combureretur, combustibile non esset combustibile, & ignis non esset ignis, quia non combureret naturaliter loquendo.

Impossibile autem simpliciter est, quod non est vllo pacto, nec fuit, nec erit, vt Deum esse insipientem: secundum quid verò est impossibile, quod secundum aliquod genus causæ repugnat esse, sed non secundum omnes: vt hominem volare absque alis artificiatis. Hoc secundum naturam nequit fieri, at potest secundum Deum. Scribere in aqua est impossibile ex parte materię: esse hircoceruum ex parte ideę: currere in instanti decem stadia ex parte agentis finiti, appetere nonesse ex parte finis. Quapropter impossibile simpliciter nullam habet entitatem, & est ipsum nonens. Impossibile secundum quid, sequitur nonesse alicuius causæ. Possibile è contrà, entitatem. Potentia ergo est entitas, impotentia verò nonentitas. Et quoniam impossibile est, nihilum fieri ens, rectè Arist. damnat Theologos ex nihilo generantes mundum, & ex pura priuatione; quam vocant tenebras. At stulte & contra sua dogmata non respexit ad Ens primum omni entitate fœcundissimum, quod res potuit facere, non inuertendo nihilum in esse, sed proprium esse diffundendo. In eo quoque incusari debet, quod potentia & possibile æquiuocè dici in Logicis, & Mathematicis docet, in cæteris verò per analogiam ad potestatem actiuam. In Logicis enim dicitur possibile & impossibile, iuxta prædicati ad subiectum conuenientiam, & repugnantiam: hæc autem est in re: & ab eo quod in re est., intellectus, & oratio dicitur possibilis & impossibilis, vera & falsa: vt homo est albus, dicitur possibilis, quo-

etiam ita esse potest iuxta genera causarum in se: homo est asinus, est impossibilis, quoniam rerum natura hoc non admittit. Ergo sicut vrina dicitur sana per analogiam ad sanitatem animalis, quam significat iuxta eius dogmata: ita possibile, & impossibile logicum dicitur analogicè ad physicum, & metaphysicum, quod significatur in logico sermone, & concipitur in intellectu: similiter autem, quod ex ductu ternarij possit fieri nouenarius in Mathematicis, verum est & possibile iuxta causam materialem. Materia enim replicata multiplicatur, & crescit, sicut ternarius in nouenarium: & simul iuxta idealem potestatem: secundum quam magis in nouenarium, quàm in alium fit augmentum deductionis. Ipse quoque Aristoteles principia omnium generum dicit esse eadem per analogiam: quo pacto autem nunc extra illa vagatur æquiuocando? Errauit præterea in eo, quod non ad potentiam operandi potius principatum analogicè erexit, nec ad essendi transcendit, quod maxime pensandum erat.

Multiplex quæstio, probans Actum non esse Potentiam, & è contra, per Aristot. argumenta, & per alia multa, contra determinata in capite præcedenti.

CAP. VI. ART. I.

SED circa conclusionem nostram remanet dubitatio, quoniam non videtur esse, quod potest esse. At quod est, posse esse concedunt omnes: sed non differre in hoc esse & posse. Potest quidē Petrus sedere, non tamen sedet: at cùm sedet, potest sedere, quatenùs idem fit esse & posse. Nos autem videmur assentiri Megarensibus contra opinionem communem: ideò restant Aristotelis argumenta soluenda. Ait primò; si enim tunc potest res esse, cùm est, & non cùm non est; ergo ædificator non erit ædificator, nisi cùm ædificat, & pictor non erit pictor, nisi cùm pingit, nec Grammaticus habet Grammaticam, quæ est rectè loquendi & scribendi peritia, nisi quando loquitur, aut scribit Grammaticè: ergo quando cessant ab actu, non habent artem, quæ est potentia loquendi, aut pingendi, aut ædificandi, quoniam non possunt: sed qui non habet artem, non potest habere nisi addiscat: ergo antequā iterùm loquatur, aut pingat, denuò addiscat artē oportet, ipsam nimirum acquirat potentiam. Ita nec habebit potentiam videndi homo quando non videt. Ergo fit cæcus & videns sæpe eodem die: id enim est cæcum quod non habet potentiam videndi, sed aptum natū est habere. Item non erit calidum neque frigidum, neque dulce, neq; odor nisi quādo sentiūtur actu: hæc enim sunt principia actiua sensuum immutantia: ergo & potentiæ, quas oportet non esse nisi cum actu immutant. Item quod non potest esse, impossibile est esse. Sed antequam sedeat Petrus, non habet potentiam sedendi, neque flos essendi antequam sit. Ergo nunquā flos erit, nec Petrus sedebit: hoc. n. est impossibile, quod nunquam fuisse aut esse, aut futurū esse potest. Igitur tollant motum & generationem sic asserentes: nam sedens semper sedebit, quoniā non potest surgere si non est in eo potentia surgendi. Nec addiscant homines, nec aliquid faciēt, nec natura, si prius non potest: Diuersa sunt ergo potentia & actus, qui est esse. Ita Peripat. plurimi aliud esse potentiam ab essentia contendunt: & hanc esse substantiam, illam verò accidens. Dionysius quoque diuidit Angelos in substantiam, virtutem, & operationem. Ergo virtus, potentiaq; essendi est accidens ipsius esse, & nō idem ipsum. Item si posse & esse essent idem, posse operari & agere essent idem: ergo potens scribere, semper scribit; & potens currere currit; & potens esse Rex est Rex, &c. & potens facere facit. Ergo Deus poterit facere plures mundos & plures soles, semper: Ergo facit ipsos semper: quæ sunt absurdissima, &c. Præterea potētia est ad esse, & ad nonesse, vt probat Arist 9. Metaphys. esse autem non respicit nonesse. Nam, inquit, quod potest esse, cōtingit nonesse: & contingit esse. Nam si non cōtingit nonesse, necesse est esse per æquipollentiam; & si necesse est esse, impossibile est non esse, sed ad possib. esse non sequitur impossib. non esse: quoniā ea erat ratio possibilis, vt ad ipsū non sequatur impossibile. Quapropter si possibile cōtingit esse, & non esse, nō erit potentia entitas, sed indeterminatio ad esse & non esse. Et quia motus cæli est necessarius non contingit ipsū nonesse. Itē omnis potentia vel est rationalis, vt scientiæ & artes: & has constat esse contradictionis: Eadem. n. est scientia contrariorum: Ideoque Medicina considerat sanitatē & ægritudinem, & vtrunq; operari valet, & ædificatoria potest ædificare & nō ędificare, quin & destruere; & sic vel sic operari. Sūt ergo & ad nonesse. Aliæ sunt potētiæ irrationales, vt calor, frigus, vegetatiua, motiua: & hęc sunt determinatæ ad vnū, non enim potest calor nō calefacere nisi per accidens: nec potest frigefacere, aut continere se à calefactione. Et quidē potentia irrationalis dum est, & habet materiam subiectam & non impeditur, operatur semper & necessariò, vt calor comburit semper appositum cōbustibile. Rationalis verò minime: sed quando per voluntatem eligentem determinatur ad vnū effectum, tunc modò, nisi impediatur agit. At constat rationalem ad opposita esse: & non minus irrationale, quoniam etsi ad vtrumque actionis oppositum non sit, tamen ad esse, & ad nonesse est. Potest enim calor non esse & esse: & animal perdere potest potentiam nutritiuam, & visiuam. Item Arist. ait in eodem 9. Metaphys. actus præcedit potentiam ratione, quoniam per actum definitur potentia, intelligiturq; & non è contra: & præcedit substantia & dignitate: quoniā vir prior est puero, eo quod perfectam habet substantiam, itaque & dignior. Item potentia est potentia est propter actum, & non è contra: Ergo secundum genus causæ finalis prior est actus. Non enim animalia habent potentiam visiuam propter seipsam, sed vt videant; sed non vident, vt habeant visum: & potentiam ædificandi, & medendi acquirunt, vt ædificent, & medeantur: & non medentur, vt pos-

9. Met. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8. — 9 — 10

vt possint medendi potentiam habere, nisi addiscentes: & hoc non est mederi, sed imperfectus actus in quantũ sit, aut non eget talis medicationis, scilic. quæ est propter potentiam: seu vt alij exponũt, medicari non est propter indigentiã, sed vti sciẽtia medicinæ: vt & canere non est propter indigentiam, sed vti scientia canendi: potentiæ quoq; passiuæ, vt veniant ad actũ sunt, & non propter se: sicut.n. docens peruenit ad finẽ quando docentẽ ostẽdit actio discipulum, & doctorem se fecisse dicitur, ita & natura cũ ad actum peruenit, dicitur ad finẽ intentum peruenire ac perfecisse. Et quidem si non propter actũ essent potentiæ, non esset differẽtia inter Mercurium sapientissimũ, & Paxonã ignorantissimum. Sed per actum manifestatur scientia, & hoc est ipsũ opus, & finis: at non potentia, quæ occulta est. Non tamẽ est opus in alio semper finis, vt ædificatio, quæ in ædificato: sed opus in se potest esse finis, vt visio est in vidente, & intellectio, & vita in intelligente, & viuente, & similiter fælicitas in fælice, quia vt ipsa quædam vita est, prior quoq; potestate actus est secundum tempus. Nam etsi prius est semen, quàm frumẽtum, & prius sperma, quàm homo, in his quæ generantur potentia præcedente actum: tamen non reducuntur in actũ potentiæ, nisi ab alio actu priori, ad cuius similitudinem genitum generatur: omne.n. quod fit, fit ex aliquo sicut ex materia, quæ est in potentia, & ab aliquo sicut agente, qui est in actu, & in potentiis operatiuis patet: quoniam non fit musicus potẽtia musicus actu, nisi ab alio musico actu, à quo addiscit: & ipsum addiscere est actus: ergo ab actu est potentia. Sed arguit se sic. Quo pacto non habens scientiã facit ea, quæ sunt scientiæ, vt non Cytharista cytharisat cũ docetur? & respõdet: quoniam quidquid mouetur motum est. Motus.n. diuiditur nõ in indiuisibilia, sed in partes quæ itidẽ motus sũt: ergo, ait, præcedit actum illum actus alius. Et ita ait, quidquid fit, factũ est quantũ ad aliquid: ergo potest cytharizare non cytharista, quia quantũ ad aliquid est cytharista: dum.n. fit, factus est, quia aliqualiter cytharizat, & aliqualiter factus est cytharista. Et fortasse (addit) necesse est discentẽ aliquid scientiæ habere. In quibus verbis intelligunt expositores, quod Aristoteles ponat semina scientiarum in Animo, vel potius platonizat, quod scientia sit reminiscentia.

Quod fieri non est produci ens, sed limitari ens à nonente, & nobilius esse ens antequam fiat, & in potentia, quàm in actu exteriori, & fieri & moueri, agere, locari &c. esse aliquos essendi modos, & limitationes, vel ipsum esse aliqualiter.

ART. II.

ENs nobis fieri non videtur, nisi hoc aut illud. Factio ergo est limitatio entis, & non productio totalis. Si.n. totaliter ens fieret & omninò, nullo pacto prius esset nec in se, nec in alio, sed esset ipsum purum nihil. Patet enim quod dum fit planta, est quidem terra & calor Solis, qui modificatus in terra modificata, nimirum partim redacta in spiritum tenuem, partim in succum, parim in crassitiem extendibilem cooperientem succum, & spiritum, proprio modo & idea redactis in vnum calore & terra modificatis, concrescunt in plantam: & ita de cæteris inspiciẽdo licet sentire. Quapropter omne quod fit erat ens, sed non erat hoc ens, id est, tali modo: similiter & quando factus est Mundus, sed non hoc modo visibili, quo nunc est, sed erat ens in Deo ente primo. Rursus dum ergo res fiũt limitatur esse, & hoc est fieri, videlicet limitari, & modificari. Quod ergo non fit vnquam, illimitatum est: ideo ait Ambrosius, *Omnis creatura certis suæ naturæ*, id est, natiuitatis originis & factionis, *circumscripta est limitibus*. Quoniam autem fieri est limitari, nobilius est non fieri: ergo quæ non fiunt maioris sunt entitatis, quia nõ limitata: ergo res in suis causis melius & magis sunt, quã in proprio esse. Et hoc patet, quoniã hæc scriptura magis & melius est in mẽte mea, quã in hac pagina, vbi fit. Quoniã hîc est limitata ad vnum esse particulare, & caducum: in mente verò illimitata est; sed potest ex sapiẽtia, quæ est in mente, fieri multitudo millium scripturarũ huiusmodi; non autem ex hac scriptura incõmunicabili, nisi quatenus mentali est similis. Domus quoq; in mente ædificatoris est infinitarum causa, & exemplar. In solis & terræ congressu causatiuo sunt plantæ innumeræ; in hac verò planta non est nisi proprium esse hîc & nunc limitatũ. Verũ non videtur magis ens quodlibet in suã causa, quam in se. Alexander enim est melior Philippo genitore suo: & homo & planta, & omnia ferè entia secunda, possunt oriri ex causis ignobilioribus se: ergo habent in se melius, & magis esse, quàm in causis.

Propter hoc dicendum est, quod melius & amplius esse habẽt res in causis principalib. & priorib. non in instrumentalib. & posteriorib. quæ sunt causæ non essendi, sed modificandi esse ipsum, sicut fiscella modificat lac cõcretũ ad esse caseũ: & quia causæ quas Peripat. vocant vniuocas, sunt huiusmodi, ideo in eis potest & melius & peius esse præhaberi. In æquiuocis verò principalibusque, nequaquam. Istæ enim magis ad esse quàm ad modificationem conferunt. Modificatio enim venit à proximis causis, quatenus modificatæ sunt ab ipso nõente ad non habendum esse amplum causarum primarum. Sapientissimè igitur S. Thomas putat nullam causam secundariam producere esse, sed hoc esse: hoc est, quidditatem & formam particularem; vt homo hominem: & generationem non terminari ad esse primò, sed ad hoc esse. Causam verò primam, quæ est Deus, primò producere esse, & secundariò hoc vel illud. Sed tamen quia ipsa creatio non producit esse rerum absque modis rerum, respõdentibus ideis Creatoris, ideo diximus, creare, esse producere esse ex nihilo; quoniam Deus vtitur nihilo ad modificandum esse, vt infra melius declarabimus. Et quidem patet, plus dare solẽ esse plantæ, quã mater sua: quoniam hæc ad hoc esse modificat tantũ virtutem solis amplam: sed quia nos modificati corpore & mente, ea esse tantũ putamus, quæ sunt limitata, & extra causas perire putamus, quę in Deo celantur, & quæ inuisibilia sunt, non esse: Cum tamen verũ sit, quod melius sint. Vnde Apost. nos mori in hoc modificato esse, cupit vt viuamus in Deo, in quo abs-

Ambr. l. 1. de fir. Sancto. — Philip. — gai- rcd-

Ioan.13. cōditur vita noſtra tanquā in ſua cauſa altiſſima. Et in ea conſūmantur in vnū, vt orat Ieſus, & magis ſumus quā in nobis; & omnia in Deo viuūt, alibi dixit. Ioan.11. Et *quod factum eſt in ipſo vita erat*, dixit Iohan. in ſeipſis autem res ſunt quaſi mors. Mori n. eſt modificari ad peius eſſe, non autem eſt noneſſe ſimpliciter, ſed ſecundū quid. Nullum enim poteſt ens annihilari de ſe, vt ens, ſed mutari, vt videbimus in ſequentibus ſermonibus. Nos autem decipimur, limitationem pro eſſe vero accipientes.

Rurſus, quoniam de qualibet re dicitur ens; motus enim eſt ens, & imaginatio, & actio, & paſſio, & figura, & calor ſunt entia: Manifeſtū eſt, quod mouere, & moueri, & albeſcere, & figurare, & loqui, & tacere, eſt aliquod eſſe, vel eſſendi modus. Itē modi eſſendi ſunt plurimi, quoniā Petro eſſe hominē aliud eſt, quā eſſe in loco, & eſſe ſcriptorem, & eſſe albū, & eſſe longū, & eſſe mutatum. Agere igitur eſt eſſe in alio in quo agim⁹. Vt calefacere ipſi calori eſt eſſe in alio, videl. in calefacto: pati verò eſt fieri aliud. Calefieri enim eſt calorē fieri. Sed quia, quod calefit, non ceſſat eſſe quod erat, non dicitur fieri, & eſſe calorem, ſed calidū. Materia enim remanet. Et quia nulla res prorſus deſinit eſſe tranſeundo ad alienum eſſe. Ideò dicitur res omnis tranſmutari, dum alienū eſſe participat. Habere autem figuram, & calorem, & motum, eſt eſſe his modis ſcilic. figuratum, coloratum, motum, locatum, temporale. Rurſus ly eſſe, dicit compoſitionē duorum entium ſecundum rem, quandò, quod habet eſſe, eſt alterius generis ab habito. Vt cum dico homo eſt albus, vel in loco, vel in platea, vel in cœlo, vel agens, vel patiens aliquid. Quando verò ly eſſe, copulat ea, quę ſunt eiuſdē generis, & vnius definitionis, non dicit compoſitionem ſecundum rem, ſed ſecundum vocem, id eſt, compoſitionem notionum eiuſdem rei; vt cum dico, Homo eſt homo, vel homo eſt animal rationale. Quoniam hæc homo eſt per ſe; & in hoc conſiſtit eſſe hominem. Et coacti à noſtro more intelligendi, per copulam identitatem ſignificamus. Illa verò, quæ non ſunt ſecundum eſſe hominis ſed poſſunt adeſſe, & abeſſe, & conueniunt exiſtentiæ hominis limitatæ, & abſolutæ, dicuntur de eo per accidens, ſed non de limitato homine, ſi accidunt ex vi limitationis interioris, vt Cæſari eſſe magnanimum, vel ita affectum, & operantem: at ſi accidunt ei, quatenus eſt pars vniuerſi, & pertinent ad limitationē, & hęccheitatem externam, dicitur eſſe illa, aut in illis per accidens. Non n. Cæſareitas per bibiſſe in flumine conſtituitur, nec per calefactū eſſe à ſole in Aphrica. At ſi reſpicias vniuerſitatem rerum, & conſideres à principio longe potentiſſimo, longè ſapientiſſimo, longéq; optimo illam emanentem, ac gubernatam; vtique cum nihil eius ſapientiam effugiat, accidentale eſt nihil in toto. Cœlū enim eſt accidens terræ, ſed non Mundo: frigus non eſt de eſſentia Petri, ſed Mundi. Ita vt Monſtra hæc prælibamus, mox diſcutienda luculenter.

Poſſe exiſtere, & operari, & agere, eſſe ipſum exiſtere & operari, & agere, quin etiam melius: & ſimul hæc omnia eſſe ens: & diſtingui ab actibus externis, vel futuris ſicut à modis: & modificari, quia ſunt. Nec rationes Ariſt. prætactas valere contra hoc, neque noſtras.

ART. III.

AD Argumenta igitur reſpondentes, dicimus, potentiam eſſendi idem eſſe cū actu eſſendi, & potentiam operandi, cum actu operandi; & potentiam agendi, cum actu agendi; & potentiam patiendi, cum actu patiendi. Differre autem ſecundum modum, & vnumquodque eſſe, quia poteſt eſſe aſſeueramus. Nec tamē conſentimus Megaricis in ſenſu erroneo: ipſi enim putant omnia fato euenire, ac Neceſſitate. Quapropter aiunt, tunc poſſe eſſe rem, cum eſt, quoniam ſi non eſt, impoſſibile eſt eſſe. Ergo nec poſſe ſedere Petrum, niſi quando ſedet. Igitur ſi quando nō ſedet, neceſſe eſt ipſum non ſedere. Ergo per æquipollentiam impoſſibile eſt ipſum ſedere. Et quidem rectè dicunt, ſi putant fatum eſſe voluntatis diuinæ ordinem, reſpectu cuius ſunt omnia neceſſariò, hoc eſt infallibiliter: neceſſe eſt n. omnia euenire, ſicut quod Deus voluit euenire, teſte Aug. volūtate effectiua, vel permiſſiua, vti declarabimus. Sed quia Megarici vel negāt Deum, vt Theodorus, vel ipſum ſupponūt fato, vt Homerus & Ouid. ideò poſitio eorū eſt falſa. At neque Ariſtotelica eſt vera. Ipſe enim negat, Mundum inferiorem per ſe & immediatè à Deo regi, & ſeriem cauſarum poſſe impediri in 6. Metaph. docet, & prouidentię infallibilem ordinem tollit, vt ibi & in xi. patet, & apud Aphrodiſeū in lib. de Fato. Non tamen negarent Megarici potentias, ex quibus egrediuntur actus: ſed poſſibilitatē ſtatuunt, ab extrinſeca ſerie rerū tūc ſolū eſſe, quando res actu eſt, quæ dicitur poſſibilis: ab intrinſeca tamen natura rei ſcimus eſſe poteſtatē, quæ nō eſt poteſtas vera; niſi actu poſſit, non autē poteſt, ſi impeditur: vt ædificator ab extrinſecis cauſis impeditus, dicitur nō poſſe ædificare, qui nihilominus intrinſecā habet potentiā, id eſt, artē ædificatoriā, qua poteſt ædificare. Nos autē altiori ſenſu loquuti ſumus. Cum n. dicimus, potentiam eſſendi eſſe ipſum eſſe rei, intelligimus eſſentialiter non modaliter. Et dicimus, rē eſſe in potentia, quia eſt potentialiter, & in actu, quia actualiter: & vnamquamque rem eſſe, quia poteſt eſſe, nec poſſe eſſe, niſi ſit. Poteſtas ergo eſſendi cauſa eſt ipſius eſſe virtualis & metaphyſica, non modalis, & phyſica. Cum enim dico, pluuiam eſſe quia poteſt: tunc illa potentia eſt in toto rerum, incluſo in Deo primo ente ambiente, colligante diuerſos modos eſſendi in vno quodam pelago eſſendi in quo viuunt, mouetur & ſunt, vt etiā in v. de diuin. nom. admonuit Dionyſius. Poſſe enim pluere non eſt in ſole tantum, quoniam ſol abſque tellure aut aqua non pluit: non enim poteſt, niſi eliciat vapores ex his. Nec eſt in tellure aut in mari: hæc n. per ſe non vaporant, niſi calore attenuante illa. Nec ſol & terra faciunt pluuiam, niſi in aërē eleuentur vapores: nec eleuati in pluuiā vertuntur, niſi condenſentur, aut à frigore, aut à loci anguſtia, aut à mutuo contactu, aut à ventis

contrariis, aut à montib. progredi prohibitis. Igitur ex his stantibus potest pluuia fieri, at etiam impediri à ventis, à spiritibus, à Cœlo, à sideribus vaporē soluentibus, à calore æstiuo, multisq; ab aliis causis. Cū ergo dicimus posse pluere esse causam essendi pluuiam, non dicimus solem aut terram, sed totius entis potestatem. Hanc autem potestatem, dicimus, esse illorum entitatem non modò intrinsecā, & propriā singulis, sed extrinsecam, cōmunemq; à mutua rerum colligatione pendentem, & à loco communi, & communi mole, & cōmuni principio, & diuino cuncta regente: sic igitur intelligētes dicimus, tunc rem esse, cum potest esse: sed non esse eo modo quo est, quando est in actu modificato, sed in esse rerum. Et quidem si taliter intellexit essentiam D. Thomas rectè dixit, quod realiter distinguatur ab existētia. Essentia.n. sapientiæ in mente sapiētis est aliud ab existentia sua in hac pagina, vel in auribus scholarium eius. Igitur cùm puer dicitur posse esse vir, in tantū dicitur in quantum est vir in tali potentia. Lapis. n. non dicitur in potentia vir: similiter in hyeme dicimus posse pluere: quoniam potentia causarū, & ordo, est ipsa pluuia in potentia, & essentialiter, non autem id eo actu modificato, & existentialiter, in pluuia: & tunc cum fit, maximè posse esse dicimus; antequam fiat parum esse posse. Sed hoc parum esse dicitur respectu esse modificati, non respectu essentiæ, qua secundum essentiam magis est in causis: in quibus est communicabiliter: sed secundū existentiam incommunicabiliter, & indiuidualiter. Et quia potentia est causa essendi; at esse non est causa potentiæ in particularibus: & ipsa potentia in tantum est causa essendi, in quantum ponit esse: & quo magis ponit, magis est causa: ideo rite dicimus esse res, quia possunt esse, & posse esse, quia sunt, licet alio modo. Quoniam potentia præcedit esse in ratione principiandi esse modificatum, sed esse simpliciter, & non modificatum constituit potentiam: calor n. Solis & terra in vaporem versā possunt esse pluuia, quia sunt aliquid eius non modificatum ad esse eius vltimum. At linea non dicitur posse esse pluuia, nec lapis, quoniam nihil ipsius pluuiæ est linea, nec lapis. Hinc admirari laudareq; licet scholast. Theologos, præsertim D. Thomā supra Philosophos: quia esse possibile rerū in Deo vocant essentias, & quidditates, cognoscibiles simplici intelligentia. Esse verò in actu extra Deum, vocant existentiam, cognoscibilem scientia visionis: & illud esse possibile quidditatiuum nobilitant super esse hoc actu, & existentialiter.

Ad 1. Quapropter respondentes ad Arist. dicimus posse pingere, & posse ædificare, esse ipsum pingere, & ædificare in potentia, quoniam ars pingendi & ædificādi est ipsū ædificare, & pingere vt ab hoc, non autem vt in hoc. Igitur ædificatorē esse, & ædificantem esse non differunt, nisi secundūm modum. Cum.n. est ædificator, indeterminatè potest infinita ædificia facere, sed cū ædificat, non potest nisi illud vnum quod facit: quoniam cōtrahitur, & modificatur potentia à causis materialib. & ab exterioribus. Essentia ergo ædificatoris est ars ædificatoria, quæ potestas est: existētia verò est actus transiens in ædificatum. Attamē sicut calor est idem calefaciens, & potens calefacere, ita potestas ædificandi, & potestas ædificans sunt idem. Rursus calefactio est calor effusus, & ædificatio est ars effusa. Distinguitur ergo actus à potētia sicut forma fluēs à seipsa non fluente. Et quia esse non fluit sicut actio: est.n. actio effusio ipsius esse: & agere est esse in alio, operari autē in se: esse verò præuenit simpliciter hos essēdi modos: ideo dicimus, potētiā essendi esse primordiale principium Entis, & idcirco esse omne ens, quoniam potest esse: & posse esse quia est. Posse quidem esse & esse simul sunt in iis, quæ semper sunt eodem modo, sicut Deo & materiæ primæ, & loco, licet materia, & locus aliquo pacto mutentur. In his verò, quæ non sunt semper, esse habent aliquod, & aliquo modo, at non omnino. Possunt autē esse alio modo nouo, quia iam sunt aliquo priori modo. At quæ nullo modo sunt, nullo possūt rursus esse. Illud igitur posse quod præcedit, est esse. Et ideo dictū est à nobis, potentiam essendi esse principium constitutiuū ipsius esse, & quidē generis metaphysici, non autem physici cum esse. Dicimus ergo, ædificatorem posse ædificare, etiā cum non ædificat: Bouē verò non posse ædificare vllo tempore in quo est Bos: & arborem posse florere, non autem lapidem: sed hoc posse fundari in aliquo esse ipsius ædificationis, & floritionis, nam si in nullo esse fundaretur, non esset vllo pacto: nec fieret magis flos ab arbore, quā à lapide. Liquet autem, esse ædificationem ipsam artem ædificādi, & floritionem virtutem florendi: at differre in modo existendi. Forma.n. ædificij est in ædificatore idealiter & causaliter; in ædificio autem concreta materialiter, & in ædificatione fluēter. Flos est in arbore succus & calor, in se verò est expansus in suam effigiem. At vbicumq; est, est quia potest esse modo suo quo est. Visio quoque est ipsa potentia visiua effusa ad videndum. Nec dum nō videt, dicimus, non posse videre, habentē visum: sed ideo posse videre, quia videt potentialiter, & quia esse visionis continetur in illa potentia virtualiter; aliàs non minus posset videre lapis, quam dormiens animal. Verum & hoc agnoscere debemus, qui habet potentiam videndi, habere esse visionis ab intrinseco, & secundum intrinsecum esse posse. Nam dormiens potest cæcari à causis extrinsecis, & à Deo. Quapropter nulla res dicitur absolutè esse posse, nisi cum est: tunc.n. necesse est esse: at quando non est modo, quo dicitur posse esse, non debet absolute dici posse esse, nisi etiam cōstet, à nulla causa posse impediri, nec à Deo. Hoc autem quis nouit, nisi sit Cōsiliarius Dei? Igitur in hoc sensu rectè potest dici, nihil absolutè posse esse, nisi cum est. Et similiter dictū est à nobis, rem posse esse, quia est eo modo potentiali, sit ita est corā Deo. Hoc autem infra demōstrabimus. Igitur soluta sunt Arist. argumenta, quoniam asserimus potentiam esse ipsum esse, sed differre in modo ab actu posteriori: & non esse ignobiliorem actu, sed nobiliorem in causis principalibus, & in toto: non autem in partialibus, & in limitato esse, semper. Qui non sedet, ergo potest sedere, quia sedet, hoc est, habet esse sessionis causaliter in se, nisi impediatur ab aliis concausis rerum.

Ad rationes quas subiūximus nos: dicimus, potētē scribere, scribere; & potentē esse Regem, esse Regē, & potentē mori mortuū esse; sed n. nō illo actu esse, quo dirigitur potētia hæc, sed esse in potentia: ideo n. potest esse quis Rex, quia est sapiens, & strenuus, vel Regis filius, vel de corpore Reipub. in qua per electionem fiunt Reges: ergo habet essentiam Regis causaliter, & non existēter: est ergo. Nam si non esset Rex, sicut non est lapis, aut Cocus, vtiq; nō diceretur posse esse: & potēs scribere scribit: scribere n. est scribentem esse: quoniā aliquis modus essendi est scriptio. Igitur habens scribēdi artē, est scribens

virtute & potestate ampliori, quàm dum aliquam paginam inscribit.

Sed quædam entitates sunt, quarum esse ad exteriora refertur; & hæ videntur distingui à potestate magis, sicut scribere, dominari, locari: quædam verò quæ non referuntur ad exteriora, vt posse intelligere, videre, appetere: & hæ magis cum potentia identificantur: magis autem operationes: sed maximè ipsum esse. Igitur posse esse est ipsum esse: sed quando posse esse est in causis, & refertur ad possibile extra causas, idem videtur esse proportionaliter cum posse agere ad ipsũ agere. Ad intra potentia est essentialitas: ad extra principium: in via ad obiecta, passio, vt dictum est in 1. par. S. Iustinus etiam idem esse calorem & calefactionẽ docet: ac simul perire: cùm.n. non calefacit, non est: Dei autẽ actionem nõ esse Deũ, quia desinit, non desinẽte Deo. Sed hoc est verum de actione recepta in effectu, & in hoc: non de radice actionis, & vt ab hoc. Posse autẽ mori, & mutari, non est verè potentia, sed impotẽtia essendi respectu causarũ extrinsecarum, quib. contrariis potentioribusq; non potest resistere; vel intrinsecarũ cõpositione defectiua. Et in hoc quoq; idem est esse, & posse. Nam dicimus ægrotũ, & senem magis posse mori, quã sanus ac puer; quoniã ægritudo & seniũ sunt partes mortis: & impotẽtia ad resistendũ malis est in eis maior. Mors autẽ est cõplementũ eorum. Potentia igitur principiũ & causa cõstitutiua essendi est interior, exteriorque: Impotentia verò non essendi consimiliter: & illa est esse, hæc non esse.

Responsio ad 8. Arist. rationem. Nullam esse potentiam ad opposita: nec ad esse: sed ad non esse impotentiam spectare: sed omnes determinatas ad vnum: quod tamen modis pluribus omnes assequuntur.

ART. IV.

AD aliam Arist. rationem, qua ait, Potentiam esse ad esse, & ad non esse: ergo non est principiũ esse: negamus assumptum, vt manifestè falsum. Potentia. n. est ad esse. Impotentia verò ad nonesse. Et hoc patet, quia dicimus, lapidem non posse videre, oculatũ verò animal posse videre: ratio est, quia habet esse animal ipsius visionis in potentia visiua. Lapis verò habet nonesse visionis in impotentia visiua. Et cum ait, quod potest esse, cõtingit non esse. Negamus hoc axioma fallax. Non .n. eo quod potest esse aliquid, potest & nõ esse, aut cõtingit non esse. Et cum subdit. Nam si potens esse non contingit non esse, ergo necesse est esse: ergo impossibile non esse: totum est verum ex ea parte, qua potest esse: & exemplo suo probatur. Petrus.n. potest sedere, & quatenus potest sedere, non potest non posse sedere, ergo necesse est sedere secundũ potentiã, quã habet ad sedere. Igitur si contingit ipsum nõ sedere, hoc non aduenit ab ea potentia, qua potest sedere, sed ab alia, vel ab exteriori impedimẽto, quo cogitur non posse sedere, vel à volũtate nõ sedẽdi, quæ facit impotentiã sedendi, vt declarabimus. Posse, scire, & velle, integrare entitatem: Et quidẽ Aphrodis. 2. q. Nat.c. 15. anxiè disquirit vtrum sit potentia eadem contradictionis, & concludit, hoc esse impossibile: quoniã eadem esset potẽtia calefaciendi, & frigefaciendi: sedendi, & standi: at contrarij actus cõtrarias indicãt potentias: si verò potentia cõtrariorũ non est eadem, multo minus Potentia contradictionis, quæ mater est omniũ dissimilitudinũ. Concludit tamẽ Aphrod. esse in eodẽ subiecto, & successiuè, nõ simul potentiã contrariorum passiuã, sed non actiuã. Materia.n. quæ potest esse calida, potest esse & frigida: sed nos dicimus, hoc non esse secundũ eandem potentiã. Nam ipsemet Arist. potentiã passiuam reducit ad actiuã. Dicitur.n. posse calefieri, quia calefacientẽ virtutẽ contingit esse in materia: & posse frigefieri, quia frigiditas est potens illam frigefacere. Igitur non videtur eadẽ potentia ad contraria, quoniam ipsa non est potentia nisi respectu actiuarum causarum: & materiã ipsam, si quatenus est receptiua ad cõtraria, posse dicimus: quãuis nec respectu ad actiuas causas præponamus, vt Arist. facit: tamẽ adhuc remanet Aphrod. mendax: aliam.n. dispositionem habet, recipiens calorem; aliam frigus. Pagina quoq; ad albedinẽ magis potens est, quã ad nigredinem, quoniam illam præhabet, hanc verò non: licet magis hæc appareret super contrario suo: similiter hoc declaratur in colorato subiecto secundũ colorem fuscum, quod magis potest recipere nigredinem, quã albedinem, quia habet plus de illa. Et vniuersaliter patuit potentiã fundari in esse. Nec actũ vllum à potentia, quę nõ est aliquid actus, fieri posse. Vnde nec addiscentem addiscere, dixit, nisi quia iam didicerat, vel naturaliter doctrinã præhabuerat. Cõcedimus igitur nos potentias ad vtrũq; sed à diuersis causis. Ad contradictionẽ verò non nisi à potentia & ab impotentia. Et cœlum non deficere, non quia non est in potentia, sed quia non est in impotentia, vt declarabimus.

Cùm verò addit, rationales potentias esse contradictionis ad agere vel non agere, vel ad sic, aut aliter agere: irrationales verò determinatas esse ad vnum quoad agere, sed esse contradictionis quoad esse, & non esse; multipliciter fallitur: nam rationales antequam determinentur, sunt ad agere diuerso modo, vel non agere: at cũ determinatæ sunt, ad vnũ sunt: determinantur autem à voluntate, voluntas verò à ratione proponente agere sic vel sic bonũ esse. Ratio autem à potestate passiua rationis, & actiua obiecti: & ab vtraq; commista voluntas eligit electionẽ. Igitur potestas est constitutiuum principium, & determinatiuum, & modificatiuũ actus essendi, vel operandi, vel agendi, non autem patiendi nisi sit exterior potestas: cui interior assimilatur entitas ob impotentiam, aut carentiam, vt dicemus. Quando autem voluntas repugnat rationi superiori, sequitur inferiorem, ita vt nunquam determinet, nisi præparata: eodem modo, & quælibet potestas est contradictionis antequam determinetur. Potest enim cera suscipere figuram circuli, & trianguli, sed cum per manum artificis, ad triangulum disponitur, ad illam dicitur potentia. Potest frigefieri, & calefieri lapis: sed ad Solem calescere, ad frigus frigescere. Cum autem ait, semper calorem calefacere, & non frigefacere, hoc verum est, quoniam potestas est actiua iam determinata ad hoc vnum à prima Causa. Et calefactio est effusio sui esse. Nullum autem ens sui obliuiscitur, aut seipsum amplificare nõ vult: ita

vt voluntas non poteſt non velle, nec intellectus non intelligere; nec anima cupit non eſſe anima, aut poteſt non eſſe anima, aut non viuere ſecundum quod eſt anima, aut non eſſe. Itaque multa nolumus quidem, quia noſtrum eſſe volumus: quæ autem noſtro eſſe aduerſantur, aut non conducunt, nolumus: ſic & calor facit. Non vult frigus, fugit aut fugat, aut perimit illud: & vbi poteſt calefacere multum, calefacit multũ; vbi parum, parũ; & vbi modificatur, & non poteſt attenuare, emollit, aut lubrefacit, aut laxat materiam: & variis modis agens varia producit entia, vt plantas varias, variaque metalla, vapores, liquores, & per accidẽs variat: ſicut & Potentia rationalis per accidens ſuas etiam varias actiones. Quapropter non eſt verum vires irrationales ſemper eodem modo agere, ſed prout modificantur, & determinantur. Sed quia ſemper ſeſe effundendo agunt, & effuſio caloris eſt calefacere, ideo videntur ſemper agere eodem modo: & idem ſua actio, & agens, vt dicit Iuſtinus martyr, quod verum eſt de actione per ſe propter ſe, quæ eſt calefactio radicaliter & in ſe, non in effectum exteriorem. Cuiuſmodi etiam Bonum ſemper bonificat, homo homificat, Petrus petrificat, Pater patrificat. At ſic & anima noſtra ſemper animat, agitque eodem modo actum eſſendi ſuum: ſed exteriores variat, ſicut & calor: ſed vtrum determinentur ab alio vires irrationales, rationales verò à ſe, alibi diſputabimus diligenter. In hoc quoque videtur vanus Ariſt. quod vt probaret omnem potentiam eſſe contradictionis, cum in calore non poſſet illud oſtendere; recurrit ab agere, & non agere ſic, adeſſe & non eſſe: cum & rationales ipſæ eſſe & non eſſe poſſint, vt patet: comprehendit enim & brutorum cognoſcitiuas vires intra rationales in ſuo ſermone: quoniam & equus poteſt ſic & ſic ambulare, & velle & nolle currere, & non eodem ſemper modo ſuas edere actiones, variis occurrentibus obiectis determinatiuis. De libero etiam arbitrio infra docebimus, quod eius poteſtas data à Deo eſt ad bonum & eſſe, non autem ad malum & non eſſe, ſeu peccare, quod eſt deficere, non efficere: vnde S. Anſelmus dixit, liberum arbitrium poſſe peccare quatenus eſt ex nihilo, non quatenus ex ente: ergo ex impotentia non ex Potentia: & S. Iuſtinus in q. 9. ad Ortodoxos ait. Accepimus à Deo faciendi, & non faciendi poteſtatem: faciendi inquam iuſta: non faciendi iniuſta, &c. Vnde liquet, Potentiam eſſe ſolum ad bonum, & impotentiam ad malum. Nam & à Potentia eſt non facere malum.

Ad 9. Ariſt. Ergo reſp. Potentiam & Actum non ſe mutuò præcedere, niſi reſpectu diuerſorum: nec actum poſteriorem eſſe potentia nobiliorem: quin & Actum eſſe propter bonum Potentis.

ART. V.

AD Rationem verò, qua probat Ariſt. Actum præcedere potentiam, vel præcedi à potẽtia, ideoque eſſe diuerſa; Reſpondemus nunquam Potentiam præcedere actum, niſi quatenus & ipſa eſt actus. Nec quia pueritia præcedit virilitatem, & ſperma animal, præcedit Potentia aliqua pura, ſed præcedit quatenus ipſamet eſt quidam actus. Non enim lapis dicitur potentia vir, ſed puer dicitur potentia vir, quoniam habet eſſe viri, ſed nondũ magnificatum ad virilitatis robur. Igitur potentia præcedit actum, quia eſt, non quia non eſt, & præcedit vt principium conſtitutiuum eſſendi. Potentia autem purè paſſiua ad virilitatẽ eſt etiam in lapide, quoniam & ipſe materiam habet, quæ de ſui natura eſt capax omnium formarum: & hoc poſſe eſſe virum, eſt remotiſſimum: ergo & remotiſſimum eſſe viri habet: Nec ipſa Potentia paſſiua eſt Potentia, niſi quia ab alia actiua poteſt actuari. Illa autem actiua eſt in ſerie cauſarum, ad quam reſpicit hæc poſſibilitas: ſed Ariſt. de purè paſſiua non videtur loqui, vt patet in ſuis probationibus, & exemplis: cum verò ex actibus Potentias generari docet, mentitur, actus enim potentiam poliunt, & perficiunt, & manifeſtant, ſed non faciunt: quomodo enim poſſunt ſapientis opera inſipientes operari? ſicuti enim aſſuetudo, & actus nunquam faciet lapidem qui eſt grauis, ſurſum impulſum, aſſumere leuitatem, ita nec ſcientiam acquirere inſcium, & caſtitatem non caſtum: ergò melius dixit, cum ſemina virtutum poſuit, aut reminiſcentiam in animabus: ſed de his poſtea. Hieron. verò optimè, cum ſine virtutibus, nec eſſe, nec naſci quippiam poſſe probauit.

In epiſt. Galat.

Sed mirum quidem quomodo ex eo, quod omne, quod mouetur, motum eſt, concludat actum præcedere potentiam: ſic enim ſequeretur, quod non poſſe vllum principium motus reperiri: & cum Petrus incipit moueri præſupponit motum eſſe: & licet poſſint hæc defendi in ſenſu ſuo, quo ex momentis non componit motus, nec dat primum moueri, quam tamen ſententiam in 1. part. lib 2. reprobauimus: tamen in hoc propoſito nihil declarat. Declarandum enim erat, quod antequam moueatur vel cepiſſet moueri, non præceſſerit Potentia, ſed actus. Quod ſi in alio agente ponit actum, quo mobile reducitur in actum, tunc nihil opus fuit præſupponere actũ in mobili hac ratione, quia moueri præſupponit motum eſſe: & poſtea addere, quod fortè addiſcens ſciebat: hoc enim Platonis eſt dogma ab Ariſt. in primo Poſter. & de Anima: & in Opuſc. ſuis reprobatum. At ſi præcedunt ſemina, vt alij dicunt, illa ſunt potentia, non actus, niſi iuxta aſſertionem à nobis poſitam: qua omne ens, vt cumque ſit actu eſt, quia ens; In ethicis autem poſuit facultates naturales indeterminatas determinari ab actibus, & fieri ſic virtutes: ſed deſcientia, quæ non eſt virtus non poteſt hoc aſſerere; & illas facultates eſſe actus ita eſſendi, docebimus: & cum dicimus, perfici ab actibus potentias, non deſtruimus poſitionem, qua factionem eſſe limitationem & paruificationem ſtatuimus. Sapientia enim in animo longe melior, & magis eſt, quàm in actu vnius diſputationis:

sed declarari, & clarescere in illo actu diximus secundum nos, quibus est ignota. Mercurius enim semper melior est Paxona etiam tacendo, sed non ad exteriora motus: similiter quamuis Deus non fecisset mundum, semper Deus fuisset: & omnia entia magis sunt in Deo, quàm in se, vbi sunt limitata. Hæc autem declaratio illorum adextrà non tollit, quin in se sint optima, dico apud Deum: sed nec lux solis in speculo & in aqua, tollit quin in sole sit melior. Hæc tamen existentia in speculo est declaratio solis secundum nos. Ita & virtus in anima nobilior, quàm diffusa ad actum suum, in quo coarctatur: sed hic actus non ipsam vilificat, sed dignificat, & manifestat, imò etiam perficit, quoniam reddit subiectum virtutis paratius, & promptius ad opera virtutis: sed dicere, virtutem esse ignobiliorem actu suo, est stultitia, & Angelum esse ignobiliorem actu intelligendi suo, & ædificatoriam ædificio, vel ædificatione. Nam modificatio entis non est melior ente. Nec potentia est propter actum, nisi sit potentia instrumentalis, nō autē principalis. & sic actus est melior potētia nō sibi, sed nobis, cui est instrumentū. Non enim est Deus propter creare, & regere, sed contra: visus est propter videre, & serra propter secare, quia instrumēta sunt, sed videre, & secare sunt propter videntem, & secantem, cui melius sunt, quam oculus, & serra: non autem naturæ: quod ignoranter non distinxit Arist. & quidem actus cuiuslibet potentiæ est eiusdem potentiæ entitas: igitur à seipsa perficitur, si perficitur, & ab actu, quo est ipsa: sed hæc perfectio est per accidens, & in alio, non in se: quoniam agere est esse in alio: in se quoque per accidens perficitur ratione subiecti: & subiectum, si est idem cum potentia, perficitur seipso: & hoc declarandum restat.

Vtrum essentia, potentia, & operatio sint idem re.

ART. VI.

VIDETVR quidem omnibus philosophis in Deo idem esse essentiam, potentiam, & operationem, & actionem fundamentaliter, distingui tamen ratione & respectu. Nam quod Iustinus negat in Deo esse idem actionem, & essentiam, intelligitur de actione transeunte in patiens: similiter in materia prima essentia eius est sua potentia apud omnes, sed non actus, qui est receptio; est enim potentia ipsa materia potens. Atque in accidentibus actiuis fatentur, idem esse potentiam & essentiam. Caloris enim potentia ad calefaciendum est ipse calor potens calefacere: calefactionem tamen putant esse accidens illi inhærens fundamentaliter, similiter relationem ad patiens, & patientis actum, qui non est in agente, sed ab agente; manifeste distingui realiter ab agente, & à potentia, volunt omnes, nisi qui relationem identificant fundamento. At de formis substantialibus contendunt: quas separant alii à propria potentia, sicut substantiam ab accidente. Anima ergo est in genere substantiæ, intellectus verò est accidēs: & Potētia visiua & generatiua, vegetatiua: licet quādoq; per hæc nomina substātiā notemus. 1. *Quoniam*, inquiunt, *operatio, & esse distinguuntur realiter. Nam operatio transiens manifestè non est operantis esse, cum in aliud illa transeat, istud remaneat. Nec operatio immanens est idem cum esse. Nam esse est indeterminatum ad vnam speciem entis, solius námque Dei esse est illimitatum, & infinitum, operatio verò non est determinata, sed infinita; vel simpliciter, vt intelligere, cuius obiectum est omne verum, quod est infinitum; vel secundum quid, vt videre, quæ ad infinitos colores respicit: ergo esse & operari distinguuntur formaliter, & realiter; sed esse est actus essentiæ, & operatio est actus potentiæ: ergò essentia, & potentia distinguuntur realiter: nam causæ, quarum effectus per se adæquati realiter distinguuntur, & ipsæ realiter distinguuntur: ergo sunt in diuersis prædicamentis.*

2. *Item operatio est accidens, ergò & potentia est accidens: quoniam actus & potentia sunt in eodem genere, teste Arist. 12. Metaph. 26. potentia ergò nulla est essentia substantialísque forma. Nam præterea cum forma sit actus per se, si etiam simul esset potentia operatiua, semper operaretur: sicut Anima semper viuificat corpus, quia est vita ipsa essentialiter. Non semper autem operatur: ergò non est essentialiter potestas operatiua.*

3. *Item specialiter probant, operationem transeuntem non esse Potentiam, quia hæc in agente, illa verò in patiente sunt. Nec immanentem, quoniam potentia semper est, non autem operatio in agente. Item intelligere est actualitas intellectiuæ potentiæ; idem autem non potest esse secundum idem in potentia, & in actu: idcirco quidquid habet aliquid potentialitatis admistum, non est actus purus, & in eo distinguitur realiter potentia, & actus.*

4. *Item specialiter si intelligere Angeli esset eius substantia, esset abstractum per se subsistens: & simul ratio subsistendi in se ipso: ergo omnibus modis esset illimitatum, quoniam intelligere non est limitatum, & perfectio simpliciter est; quod si sic esset vnus Angelus non distingueretur ab alio, nec à Deo. Deus enim est huiusmodi.*

5. *Item ex hoc sequitur, quod non possent esse gradus intelligendi Angelici magis minúsque perfectè: quoniam tales gradus fiunt iuxta diuersum modum participandi ipsum intelligere: quod autem per se subsistit, abstractum à receptiuo, & à differentiis diuisiuis simul, non potest esse nisi vnum omninò: vt color abstractus à materia, & à suis differentiis simul, vnus esset & infinitus: multò autem magis intelligere ens substantia.*

Scotistæ autem acceptare videntur, quod operatio & potentia distinguantur realiter, & formaliter, sintque in diuersis Cathegoriis. At potentiam identificant substantiæ agenti. *Nam hoc in Deo est manifestum, & in accidentibus similiter: ergò non est ratio cur substantiis non sit idem. Præterea substantia generat substantiam, & sibi similem; hoc autem non conuenit ei, nisi quia potest: ergò ipsa est sua potestas. Item sequeretur nullam esse substantiæ operationem propriam, sed accidentis, & ab hoc substantiam generari: sed hoc est falsum, quia simile à simili gignitur. Si dicas, in virtute substantiæ poten-*

tiam agere, & generare tunc cum non agat instrumentum, nisi motum ab agente principali, necesse erit ponere aliam potentiam motiuam potentiæ instrumentalis, & sic in infinitum: vel ipsam substantiam agere, & mouere potentiam: ergo datur substantia agens immediatè, & non per potentiam accidentalem. Item non attingit substantiæ generationem ipsum instrumentum accidentale; neque materiam nudam: ergo est opus hoc substantiæ agentis, & non per suum accidens. Item substantia immediatè producit suas potentias, ergo & immediatè agit: & quod conuenit Deo, & accidentibus, non potest non conuenire formis substantialibus, neque ex perfectione, neque ex imperfectione, cum medient inter illa & Deum. Idem apparet de potentia passiua, quæ identificatur cum principio passiuo: nisi frustra dentur potentiæ quædam congenitæ in materiebus: ergo de actiua idem dicendum videtur: sequeretur quoque, animam non beatificari in Deo per se, sed per suum accidens, id est, per potentiam intellectiuam, & volitiuam, quæ non sunt ipsa anima. Idem videtur sentire D. August. in 9. de Trinit. c. 4. & in x. c. xi. dicens, quod memoria, intellectus, & voluntas sunt vna animæ essentia: & quod notitia, & amor non sunt in anima tanquam accidentia in subiecto: quoniam accidens non excedit, nec transit extra subiectum. At Mens potest etiam cognoscere, & amare alia extrà subiectum suum. Idem D. Bern. in lib. de dignitate Diuini Amoris.

Vide resp. in art. 10. & seq.

Potentiam passiuam esse idem cum essentia passiua: & potentiam essendi cum sua essentia similiter iuxta Theologos, & Metaphysicos omnes; & in quo differant: & quomodo hoc non prorsus exquisite declarant.

ART. VII.

VIDENTVR quidem potentiæ esse multiplices, ob respectus: alia enim est essendi, alia operandi, alia agendi, alia patiendi. Potentia patiēdi rursus diuiditur in receptiuam & perditiuam. Potentiam perditiuam non verè esse potentiam dicimus, sed potius impotentiam: quando enim frigus potest à calore vinci & à subiecto suo deturbari vel extingui, non dicitur posse, sed non posse: quoniam à defectu virium hoc adest. Deficere autem est non habere, neque esse, quoniam habere est esse. Itaque impotentia est & nihili asseccla. Potentiam autem receptiuam identificari cum re potente, dicimus, sicut perditiua cum re impotente: manifestè enim materia essentiatur per hoc, quod potest recipere omnes formas: & locus per hoc, quod potest continere locata: vnde calor non potest dici materia, quæ non potest recipere, nec lumen locus, quia non potest continere. Vt autem possint essentiam potendi habent, aut potestatem essendi, quæ sunt. idem locus enim est longus, latus, & profundus, nullis rebus contrarius, consimilimusque corporibus longis, latis, profundisque; ideoque potest illa capere: & hæc est eius potestas. Materia autem est moles corporea, quæ incorporea entia potest substentare, & ab eis terminos in quolibet efformari, & per hanc potestatem essentiatur: sed sicut impotentia est terminus cohibens vim, & mensura quædam deficiens, ita Potentia est terminus extendens vim, & mensura abundans, præsertim in actiuis. Nec inuenio physiologos ab hoc dogmate desciscere. Potentiam quoque essendi, fateri videntur omnes, esse idem cum actu essendi; dico in eodem prædicamento; & de hac verificari vniuersaliter, putat Scotus, Arist. sententiam, quod Potentia & actus sunt eiusdem generis; contra quem inquit Caietanus, quod Arist. loquitur de Potentia & actu inquantum sunt principia in quolibet genere. At Potentia, quam Scotus vocat obiectiuam, non est principium rei, sed est res ipsa, vt possibilis est esse. Quapropter videtur firmiter asserere, potentiam essendi esse ipsum esse, & quod differant tantum formaliter ex natura rei, & non sicut res: sed sicut res, perfecta à se ipsa non dum absoluta perfectaque, vel sicut res in causis à se ipsa extra causas. Nos autem non ita steriliter hoc asseruimus: quoniam res possibilis esse non est in virtute materiæ solius, nec solius agentis, nec vtrorumque, sed totius entis, veluti ostendimus. Neque enim sol, neque tellus possunt producere plantas, neque simul, sed oportet addere situm, dispositionem, tempus, & ordinem ad ipsam generandam: quæ per Fatum, Harmoniam, & Necessitatem nutu Dei aguntur ad plantæ productionem iuxta illius ideam: sic neque ignis, neque malleus, neque ferrum faciunt ensem: sed hæc omnia ordinata quadam serie fatali, & necessitate, & correspondentia per artificis voluntatem, sapientiam, & potestatem. Igitur planta possibilis non differt à seipsa in actu extra causas posita, si consideretur ipsa absque his, per quæ fit possibilis. At si cuncta considerentur, magna est difficultas in hoc sermone. Illa enim omnia faciunt vnam potestatem: Planta autem non illa omnia respicit, sed materiam, & formam suam sic affectas, & compositas. Idcirco non Potentiam essendi, diximus, esse entitatem, & fortè essentiam rei: quod in idea Dei Henricus modo olfecit: actum verò essendi vocauimus existentiam, vel limitationem, & terminum esse. Et secundum hoc benè differt essentia & esse: sed nos in hoc sermone hoc vnum euincere contendebamus, videlicet Potentiam essendi esse principium virtuale omnis essentiæ, & entis, & integrare ipsum ab intrinseco, & ab extrinseco: quoniam res non esset vlla, nisi esse posset: Potentia ergò facit, vt sint tam ad intra, quàm ad extra: sed talis Potestas est ipsum esse, prout est, vel prout futurum est: & hæc plenius in sequentibus sermonibus manifestabuntur.

Potentiam actiuam eſſe idem cum potente Agere : differre autem reſpectu, & ratione, copia, & inopia eiuſdem abintra : libertate, & impedimento abextra : nunquam verò radicaliter : & ſemper ſimul eſſe, in quo verè & non denominatiuè tantum ſunt.

ART. VIII.

AT quoniam Potentiam operandi Peripatetici non cognouerunt, priſci autem ſapientes non ita ſubtiliter diuiſerunt, examinandum eſt dogma eorum, quo potentiam agendi ab agente ſubſtantia realiter diſtinguunt, & operationem ab ipſa Potentia : quoniam Potentia calefaciendi eſt ipſe calor potens calefacere ſecundum omnes Theologos, nulla ratio obeſt quin cuiuſlibet agentis Potentia ſit ipſe Potens. Nam quod aiunt, Calorem eſſe accidens,& idcircò conuenire vt ſit ſua Poteſtas, quæ eſt accidens, ſubſtantiæ autem minimè ; voluntariè dicitur. Non enim nunc diſputamus ſolum vtrum ſint in diuerſis prædicamentis, ſed vtrum ſint duæ res formaliter eſſentialiter diſtinctæ : ita quod ſit alia totalis definitio Caloris, alia Potentiæ calefaciendi. Nam etſi calor ſit in vna ſpecie qualitatis, poteſt locari Potentia in alia ; ſiquè ſint in eadem ſpecie, poſſunt ſicut duco indiuidua diſtingui, velut dulcedo,& albedo eiuſdem pomi, quæ ponuntur illis in ſpecie qualitatis paſſibilis, vt ſunt idem numero, quo ad ſubiectum, & ſpeciem : & tamen adhuc differunt ſicut duæ res ſeparabiles, & numero diuerſificabiles. Cum autem hoc abſurdum videatur, quod Calor & Poteſtas ſua ita diuerſificabiles ſint, conſequens eſt, vt in nulla re differat Poteſtas radicaliter ſumpta ab eſſentia, niſi ratione : quoniam nos videmus, aliquando eandem rem poſſe agere, aliquando non poſſe, vel quia ab externis impeditur, vel quia ab interna debilitate languet, vt non valentem edat actionem, neque ſenſibilem ; vnde videtur nobis latere eſſentia ſine Potentia, vt puta cum homo dormit, latet intellectus, & quando Calor in aëre non ſentitur, probatur eſſe, ſed non poſſe calefacere : cum tamen veriſſimum ſit, quantum eſt, tantum poſſe vnum quodque ens : & quia eſt debile, poteſt debiliter: vbi forte, fortiter. Quod verò addunt, repugnare ſubſtantiæ creatæ, eſſe proximum, & principale principium ſimul actiuum, quoniam ſolus Deus eſt huiuſmodi, calorem verò eſſe proximum, ſed non principale, & ex imperfectione hoc illi ineſſe : loquuntur ad tuendam poſitionem, non ad rem : namque ſi imperfectionem dicit agere proximè, non conueniret Deo, ſi perfectionem, tum non conueniet magis creaturæ vili, quæ eſt accidens, quam nobili ſubſtantiæ. Item ſi habet perfectionem Dei inquantum principalis : cur non habeat etiam imperfectionem accidentis, niſi fortè Deo dignior his videtur creatura ? & Prætereà ſi paſſiuæ ſubſtantiæ conuenit proximè poſſe pati, & eſt ſua Potentia paſſiua : ſimiliter agens erit ſua poteſtas actiua. Nec quia agit principaliter,& immediatè, eſt Deus: quoniam non principaliſſimè nec immediatiſſimè vlla res agit, ſed omnes ſunt inſtrumenta Dei : & non pertingunt intrinſecas entitates, vt declarabimus. Item excluditur iſtorum poſitio ab aliis Peripateticis, quibus calor videtur eſſe eſſentia ignis, vt Alexandro, Olimpiodoro, Iohanni Grammatico, Ammonio, Galæno, &c. Teleſius quoque & nos in Phyſicis demonſtrauimus Calorem non eſſe ignis inſtrumentum, ſed eius formam eſſentialem : nec virtute alicuius formæ agere, nec vt organum, ſed propria & principali vi : quoniam in aëre vnitus calor intra nubem, & in ſpeculis, & à motu excitus in lignis, ignit, ignemque producit,& vbique calefacit à nulla forma ignis abſente directus. Conſtat autem ex 8. Phyſic. inſtrumenta per ſe demortua eſſe, nec poſſe agere niſi à principali cauſa moueantur : hoc autem Calori non congruit. Quamuis à cauſa non phyſica ipſum veluti & alias formas regulari aſſeramus : Videlicet à ſapientia prima, vt patebit. Habet ergo calor illam principalitatem, quam phyſicis formis dant Peripatetici : Igitur cum ſit ipſe ſua poteſtas, quælibet erit quoque ſuamet ipſa : quod ſancto Auguſtino placuiſſe palam eſt. Quod intelligo fundamentaliter, & realiter, non formaliter, vt docuimus, quando prædicamenta analogica diſparata, generica verò diuerſa fecimus.

At illud conſiderandum eſt, quod Poteſtas ſimplicis incorporeæque eſſentiæ non videtur ita poſſe ſeparari ab eſſentia potente, veluti in compoſitis, virtus enim calefaciendi à calore non ſecernitur : at virtus attrahendi ferrum à Magnete, ſegregatur per ignem : & virtus trahendi choleram à reubarbaro, & à cicuta vis occidendi, & à vino inebriandi, & à philoſopho vis philoſophandi, & memorandi ; manente tamen anima & corpore eiſdem : vnde videtur poteſtas ab eſſentia diuerſificari. Hoc autem non ita ſe habet : quoniam poſſe agere requirit poſſe pati. Non enim agimus niſi in aliud, vel in nos inquantum diuiſibiles ſumus: cum ergo Poteſtas attrahendi ferum conſiſtat in portione magnetis ſpiritaliori, ſi illa educitur in liquorem, & in fumum verſa per ignem, non poterit trahere ferrum, nec tamen deſinit eſſe magnes, ſed eſt non tota magnes perfecta in ſua eſſentia : & quia pars eſſentiæ deeſt, pars quoque Potentiæ deeſt. Similiter Reubarbarum purgat choleram per vim ſpiritalem tenuem, qua trahit ad ventriculum fumores cholericos ſibi conſimiles; illa ergo euaneſcente in vaporem, non trahet amplius niſi parum. Nos autem putamus, eſſentiam reubarbari remanere, cum tamen plurima eius portio defecerit : quoniam ex parte & ab extra cognoſcimus, & nominamus entia. Ita quoque calor debilitatus non videtur calefacere, nec eſſe calor ; cum tamen verum ſit occulto nobis calore viuere, quæ manifeſtus deſtituit per alias demonſtrationes : paucitas ergo eius impotentiam facit, ſicut copia potentiam: vnde Potentia eſt ipſa

ipſa res ampla & magna, impotentia eadem parua, & contracta: cicuta quoque vaporis viſcoſi copia opplente cerebrum & ſuffocante ſpiritum occidit: priuata autem vapore ſui partem perdidit, potentiamque ad exteriora: ergo & eſſentiam potentem: impotentem verò retinuit paruamque, poteſtas philoſophandi non radicalis perditur, ſed acquiſita; quoniam multi in inſaniam verſi, aut ab infirmitate ſpiritum immutatum habēt, & qui ſpiritus ex eis exhalauit, genito ſpiritui ſuam ſcientiam, quæ eſt motio, non communicauit ob vehementiam paſſionis ægritudinalis: vnde vel impediuntur ab actibus philoſophandi, & potentiam dicuntur habere impeditam; vel philoſophiam perdiderunt, quoniam ſpiritus, in quo ſeruabatur abſceſſit, & alius illi ſucceſſit, qui Animæ à Deo infuſæ ad philoſophandum ſeruire neſcit, niſi denuo addiſcat. Quapropter cum compoſita ſint continuo à ſeipſis altera, quoniam alia pars abit in tenuitatem, alia regeneratur in eis; vel virtus eorum in parte abeunte manet; videntur à propria virtute diuerſa eſſe: quod non eſt. Item quia virtus toti compoſito attribuitur, & conuenit parti; ſi pars debilitatur, videtur Compoſitum ſua virtute priuari; cum tamen verum ſit virtute partis priuatæ ſic denominari: ſæpè confert materia ad potentiam; ferrum enim ignitum poteſt magis vrere, quam totus calor ſuus ab eo ſegregatus, in aëréque poſitus: quoniam vnio materiæ conducit ad robur. Cum ergo priuatur eo, quo roboratur res, videtur priuari potentia, cum tamen non potentia interna priuetur, ſed adiutorio externo. Porrò conſiderare opus eſt, cuius gratia dicitur aliquid potens: nam ſi exterorum, non eſt poteſtas, niſi reſpectiua, quæ à ſuo fundamento diſtinguitur; ſed ſi gratia intrinſecæ actiuæ cauſæ & eſſentiæ illius, in qua virtus remanet, tunc neceſſe eſt poteſtatem eſſe ipſam rem potentem: & impotentiam externam non facere quin ipſa ſit eſſentialiter potens. Sed Peripateticorum inſcitia in eo verſatur, quod putant ſubſtantiam non poſſe ſuſcipere magis, & minus, veluti ſuſcipit potentia: cum tamen verum ſit, formas naſcentes, & occumbentes magis, minúſque in ſubiecto intendi: & alteram altera robuſtiorem, & perfectiorem; & entem magis inueniri, ſicut alibi docuimus. At potentiam radicalem non intendi, remittique dicerent Scotiſtæ, ſed accidentalem reſpectu ſubiecti; quod quidem idem eſt cum poſitione noſtra ſi penitius introſpiciant. Eſt ergo vt diximus, idem Potentia & eſſentia, & non differre niſi ſicut robuſtum & languens ab intra; liberum, & impeditum ab extra. Et quidem ſi Calor languens non poteſt calefacere robuſtè, poteſt languidè: & ſi non poteſt mouere homo debilis lapidem magnum, poteſt paruum; quoniam potentia eſſentiæ ſequitur menſuram; dico autem totius, vel partis, in qua fundatur, & de Potentia actiua erga obiecta. Nam poteſtatem eſſentiatiuam dicimus præcedere, & menſuram dare eſſentiæ, non ſequi, repereque. In reſponſionibus ad argumenta clarius hæc patebunt.

Actionem eſſentialiter eſſe ipſam virtutem agentem, & cauſam agentem: & differre ſolum per accidens quatenus ſuperaddit fluxum, & reſpectum ad patiens. Itaque eſſe agens diffuſum, ſicut informatio eſt actio non diffuſa in externo fluxu, ſed interna communione, & argumenta multa mirifica doctrina hinc ſolui, & Arcana Dei clarificari.

ART. IX.

VIDETVR quidem omnibus actio differre ab ipſa potentia agendi, ſicut res diuerſi prædicamenti: multo autem magis ab eſſentia, præterquam in Deo: & quidem vulgares philoſophi non poſſunt intelligere, quo pacto in Deo ſint idem: & cauſa apoſtatandi hæc ignorantia eſt multis: & hoc benè examinare oportet, incipiendo à notioribus. Calor quidem & potentia calefaciendi ſunt idem re, vt dictum eſt, & ab omnibus approbatum: vtrum verò calefactio ſit idem quod ipſe calor, inquirendum eſt in natura actionis. Tunc enim calor calefacit, cum res calidas facit, quæ etiam mox & ipſo, calefaciunt: igitur cum calefaciunt, ſuſcipiunt calorem: calefactio ergo eſt caloris effuſio & communicatio: ſimiliter frigefactio frigoris; ſcriptiō ſcripturæ, ædificatio ædificatoriæ artis communicatio in materia exteriori videtur & ipſa. Cum ergo calor effuſus ſit in actione, videndum eſt, vtrum eſſentia actionis conſiſtat in calore fluente, vel in fluxu & diffuſione. Non quidem videtur conſiſtere in diffuſione: ſic enim omnis actio fieret cum diffuſione, & diſtingueretur realiter ab agente: ergo & Deus eſſet aliud à ſua actione & lumen aliud ab illuminatione, quæ eſt ipſum lumen effuſum. At videtur fluxus requiri duplici ex cauſa: prima, quia cauſæ agentes ſunt finitæ virtutis, & non poſſunt ſtatim tranſmutare agendo ipſum patiens in ſui naturam: ideoque cum tempore, & conatu quodam operantur, in quo requiritur receptionis, & aſſimilationis integritas: at ſi ſubito calor poſſe tranſmutare materiā, nequaquā fluxus intereſſet ratione conatus. Secunda, quia omnis materia eſt contraria diſpoſitione prædita, nec ſubito poteſt illam abiicere, & nouam aſſumere; & hæc repugnantia facit, vt agens effundat ſe, & indat ſubiecto patienti particulatim & paulatim, nunc particulam ſui intrudendo, & particulam inimici, vel priuationis, vel informitatis extrudendo. Tertiò aſſignari poteſt cauſa alia, quod Agens cauſa non eſt intra materiam, in quam agit, ſed extrà, ideóque oportet prius tranſmutare partem viciniorem exteriorem, mox remotiorem, & intimiorem, donec veniat

ad extremam : vnde si totus calor esset intra totam aquam non cum tempore illam calefaceret, sed subitò, quod dico præsupposito, quod nec frigus repugnans præfuerit. Ex his clarũ fit quòd non est de essentia actionis, fluxus, & tempus, & conatus, & intercapedo in participatione, sed est quasi per accidens, ex eo, quia finita est vis agentis, & repugnat inormitas, vel contrarietas patientis; & distantia totius, vel partium patientis: quibus sublatis, sequitur, actionem esse ipsummet agens, & calefactionem ipsummet calorem, & ædificationem ipsummet ædificium, & nihil addere, nisi respectum ad patiens subiectum: & hoc acutissimi Theologi supra sensum vulgi, penetrantes, in Deo cognouerunt: magis autem in operationibus ad intra. Tempus igitur non per se requiritur, vt patet in illuminatione: nec fluxus, vt patet in prima, soli adhærente, parte cœli, quam semper sol illuminat nullo fluxu facto, quoniam non distat ab ipso illuminante illuminatum: vbi verò agens est intrinsecum passo, nulla requiritur intercapedo, nec conatus, sed statim actio fit, & non videtur actio, sed informatio; vnde Calor solis propriam materiam calefacit, & illuminat, non agendo per fluxum & tempus, sed informando: ergo actio est informatio, & communicatio cum fluxu; & informatio est actio, & communicatio sine fluxu. Magnum ergo inuenimus Arcanum in hac speculatione; & patefecimus iam actionẽ non differre realiter prorsus à forma agente, sed à matera informata: & differre adhuc ab informatione, quia illi fit interius, actio verò exterius. Item esse de ratione agentis modo finiti & extrinseci fluxionem: & quia includit actio hoc præter potentiam agentis, differt ab eo per talem inclusionem, & per respectum ad extra in agentibus limitatæ naturæ: cum tamen verè sint vnum essentialiter. Igitur vbi datur actio non transiens in exteriorem materiam, & sine repugnantia edita, illa est item essentialiter cum agente, & solam addit relationem, ob quam diuersificatur, & facit aliud prædicamentum. Item quia omne agens agit, seipsum communicando, & passum assimilando sibi, manifestum est, ipsum absque fluxu & exterioritate esse actionem suam. Item nullum ens dat quod non habet: habere autem est ipsum esse, vt habere calorem est esse calidum: igitur agens causa dans sibi potentiam & operationem, est ipsa sua potentia, & operatio, prius, & magis. Item quia esse est reperiri extra causas, & agere est esse in alio: & non fieri in alio. Fieri enim est cum motu & fluxu, & exterioritate, quę non sunt de essentia primò ipsius actionis: ideo actio sequitur potius esse quàm essentiam, quoniam est quidam essendi modus ipsius essentiæ, videlicet in alia materia, quæ mox non est alia, cum assimiletur, vt incorporetur suæ. Non enim ignis in nouo ligno apposito est in materia aliena, cum igniuerit ipsum: nec diuersus numero, nisi loco mox separetur: quoniam distantia priuat vnitate. Aquæ gutta cum sit vna numero, si diuidatur, fit duplex numero, sed non essentia: ita ergo & actio quamvis vt in passo differat numero ab agente, & conueniat essentia, tamen vt in agente, vel ab ab ente fit, est idem numero, & essenvocatur actus intrinsecè: extrinsecè verò actio. Rursum causæ agentes habent vim sui ipsarum multiplicatiuam, & diffusiuam. At & si distinguatur pars primò agens, & se amplificans à parte genita, & amplificationis gradu, nunquam tamen differrent numero, sed sicut magis & minus, donec in alia materia alia pars fiat. Calor enim vt tria si intendatur & fiat vt quatuor, nòn differt à seipso vt quatuor. At si quis eius gradus in alio fiat subiecto, statim incipit differentia, sed non à se, sed à subiecto. Itaque palam est actionem non differre per se ab agente virtute, sed per receptiuum, trahens ipsam extra, & elongans à sua origine. Calores solis in terra non differunt à solari, nisi penes subiecta, ex quibus sequitur mox diuersitas loci, temporis, languoris, & roboris, copiæ & inopiæ. Similiter domus in mente Artificis, quamuis mentaliter effundatur ad extrà, nisi recipiatur in exteriori materia, nunquam differt à seipsa, prout est in mente. Et quidem cum fuerit recepta in lignis, lapidibus, & cæmento, non differt à domo, quæ est in mente domificatoris, nisi rèspectu subiecti: à quo trahitur extrà: & locum & tempus, & accidentia acquirit, casum, pestem rapinam, habitatores, ludentes, aut plangentes, & asinos, & homines, & quæcumque domui accidere solent, respectu materię. Igitur agere est esse. Cui accidit esse paulatim, & in fluxu, & in alio. Et quia nos hunc actionis modum tantum nouimus, quoniam ab extra, & cum tempore & repugnantia nos similiter agimus. Ideo definimus res iuxta nostrum intelligendi modum, & putamus, actionem esse tantum, quam nos nouimus. Itaque benè in lib. de causis scriptum est, quod omnis intellectus intelligit superiora se imperfectiori modò quàm sunt: inferiora verò perfectiori. Sed de hoc alibi.

Denuò ex prędictis sequitur, quod id, quod pertinet ad ipsum esse, sit de ratione intrinseca operationis, & actionis. Calor enim effusus est calefactio, quatenus calefactio est entitas: id verò, quod pertinet ad non esse, sit de ratione extrinseca; seu potius de existentia modificata ipsius actionis. Fluxus enim temporaneus illius caloris, & repugnantia patientis, pertinet ad non esse. Nam repugnat patiens, quia non est de agentis natura, sed aliena. Laborat Agens, quia vires non habet tantas, quod statim exuperet passum. Vnde veteres non indoctè motum inter nonentia computarunt. Nam agens agit, vt sit vbi non est, & passum repugnat, quia non est idem agenti: & fluxus est, quia non totum agens subitò potest communicari. Et quidem hinc relucet, quare entia successiua non verè entia sint: quod enim ipsorum pręteriit non est, quod futurum est, nondum est, pręsens autem indiuisibile est, & propè nihil, si fluxum respicias. Si formam fluentem, est gradus quidam entitatis; qui in instanti potest acquiri illo. Et hic gradus, vel terminus ipsius gradus est inter esse, & non esse limes quidam. Calor enim auctus vt tria, non est vt quatuor: & finis tria, & principium quatuor est entis & nonentis limes, vt patet: Causa autem formalis, qua multiplicatur omne agens, est potestas essendi amplius, & magis: & ipsa non diuiditur ab esse agentis, vt diximus, dicturique sumus.

Sed contra prędicta multę insurgunt dubitationes. Prima, vtrum potentia receptiua sit, ipsamet receptio, sicut actiua est actio. Secunda vtrum verum sit in omnibus, actionem profluente forma esse ipsum agens: Nam mobile, dum mouetur

localiter, non videtur fluentem vllam formam dare, nec seipsum communicare. Remanet enim in re, cui communicatur, virtus agens, sicut calor in passo: at, qui it in plateam, non remanet in ea. Durum quoque videtur, quod generans sit ipsa generatio, & per consequens ipsummet genitũ: quoniã generatio in genito recipitur, & calefactio in calefacto. Venditio quoque non est in emente, neq; in re vendita, quoniam tunc res vendita erit ipsum vendens: & ædificator ædificatio erit, & ædificium in ædificato. Item Creator in creatura: ergo sumus Dei nos, & lapides, atque creatores. Item si intellectus est intellectio, & hæc est anima intelligens, quid differt inter Deum, & creaturam: in hac enim sicut in Deo videmur identificare actionem, & potentiam, & agentem causam.

Respondeo, quod potentia receptiua in se considerata secundum id quod est fundamentaliter, non est ipsa receptio; sed considerata in ordine ad receptibile fit recipiens & receptio simul. At si receptio adhuc sumatur pro fluxu facto in receptiuo, non est est ipsum receptiuum; nec si sumatur pro forma fluente; sic enim esset ipsum receptibile: si autem sumatur pro capacitate, complectente ipsum receptibile, est ipsamet potentia receptiua. Similiter actiua potentia est actio sumpta radicaliter, & fundamentaliter: at vt respicit patiens, non est actio: talis enim actio addit respectum, & fluxum simul aliquando: ergo actio, vt respicit esse, est agens potestas: vt non-esse, ac illud quod in alio acquiritur, est aliud ab agente, vt dictum est: vnde videas nihil à seipso differre, nisi per non esse aliquod, vel aliquo modo. Ad secundum Respondetur, quod localis motus est effusio ipsius mobilis in locum: & in hoc manifestius est, actionem esse ipsum agens. Cum enim eo in Plateam, paulatim sum in illa, acquirendo semper successiue existentiam in illa: in via verò sum, quando vado, & paulatim discedo ab loco, in quo eram, & perdo existentiam in eo, & acquiro existentiam in alio: igitur moueri est esse seu existere hîc, & hîc, & hîc: quid autem est, nisi id quod mouetur? fluxus autem requiritur in motu ob repugnantiam medij aëris, aut aquæ, per quam fit motus; aut propter debilem potentiam mobilis, aut propter distantiam, & partibilitatem loci acquisibilis. Non autem de ratione motus, aliàs instantanea illuminatio non esset motus. Nec localis angelorum subita applicatio. Nec quia non manet semper mobile in loco acquisito, non erit motus mobilis esse, quinimmò magis, quoniam non indiget, sicut calor materia, subiecto loco; & rursus esse in loco pertinet ad extrinsecam realitatem existentiæ, quæ separabilis est, intrinseca verò inseperabilis secundum totum. Non autem oportet in omnibus, causam esse causationem, nisi totalem per se, essentialem propter se; quonian non se tota, & totaliter agit essentialitérque, sed aliquando per partem, & per accidens. Non enim calefactio est ignis, sed calor, quoniam ignis habet materiam prætet calorem, quæ non agit, sed substentat agentem. Motus similiter est ipsum mobile, sed non materia ipsa mobilitatis, sed esse existentiale successiuum locale mobilis; & demque ipsummet mobile inquantum mobile, non inquantum corpus: licet esse mobile in corpore recipiatur; & calefactio est calor, sed motus à calore editus non est calor, quoniam non est eius essentialis, & per se actio: est tamen calor vt mobilis non vt calor. Ad aliam dicimus, vendentem esse in re vendita quatenus vendita, & quatenus ipse vendens; sed non quatenus homo vendens; & donatorem esse in dono, quatenus donator, non quatenus homo donator; & ipsam donationem esse alicuius esse donantis fluxionem: nam saltem eius idea & voluntas, & vis in illo dono est, qua voluit, & cogitauit, & sciuit dare: & cum quis donat absque voluntate, est idea, & vis in dono etsi nescius est sola potestas, qua porrigit donum. At si nescius & nolens, & non per manum suam dat; ille non agit, patitur sui oblationem: quoniam in re data erat voluntas eius, vt sibi remanens; & rapitur, & perditur ab alio, sicut esse caloris in ligno subripitur à frigore. Sed quia hæ spirituales sunt actiones, factæ per corporalia instrumenta, quæ remanent in alio, & vis, per quam fiunt, non apparet ad sensum nostrum, videntur nobis differre: cum tamen non differant, nisi in modo existendi, vel sicut respectiuum ab absoluto partim v. subiecto.

Patet quoque, ædificationem non esse ipsum ædificatorem, sed ideam ædificatoris effusam paulatim: quam si subito posset effundere & communicare, non appareret distinctio inter fluentem, ideam, & effundibilem. Mox verò in ædificato differt numero ab idea ædificantis, quoniam materiam sortitur aliam: qua dempta, erit eadem. Nec Peripatetici hoc inficiari audebunt: qui vniuersalia abstrahunt ex multis materialibus indiuiduis, & vnitatem faciunt ex pluralitate.

Generationem verò esse ipsum generantem, dicimus, quoniam non est solius ideæ communicatio, sed potius esse: & sicut calor effusus est ipse calor sese effundens, & genitus calor est generans calor donec per materiam segregentur & locum: ita generans homo est genitus ipse causaliter. Et semen quidem, & spiritus deciditur ab animali ad aliud animal formandum: quod non fit subito, sed paulatim ob dictas tres rationes: sed si fieret subito ex homine homo, ipsa factio videretur homo & ipsum factum: sed semper incipit numero diuersificari per factionem, donec totaliter diuersificetur per factum esse, quoniam recedit à sua causa, cum qua tamen conuenit semper in essentia, sed non in existentia. vt dictum est: sed quia materiæ & agentis fit segregatio in mistis debilibusque entibus; & materia recipit citius diuisionem, ideò apparet diuersitas maior in generatione istorum, quàm in generatione caloris, & frigoris, & simplicium: sed palam est introspicienti, generationem esse ipsum generans, nec differre, nisi sicut totum, & pars, & vt à se, & non à se, & vt idem fluens à se non fluente. Manifestè quoque idea tota communicatur in his, licet non tota materia: nam in genito paulatim tota comparet: & sic differentia, & vnitas patent in istis, & in illis. Instrumenti quoque forma manet, sed quatenus concurrit aliqua principalitate, vt pennæ tenuitas in tenui caractere, & sigillum in sigillato: sed idea est sigillantis. Ita & Dei est omnis idea, & vtitur causis secundis tanquam sigillis ad sigillandum, vt dictum est: sigillatum autem non differt à sigillo nisi penes materiam, & accidentia sibi in illa succedentia.

Ad id quod reputabatur inconueniens de creatore, dicimus verum esse, quod creatio actiua est ipse creator; passiua verò est res creata; quæ non est Deus, sed participatio Deitatis propterea à quod creaturæ non possunt totam Deitatem creatoris participare; non autem quia Deus non potest seipsum totum communicare: & quidem in quo se totum communicat, est Deus qui communicat & qui recipit, si ita balbutire licet: & Arcanum Trinitatis, & vnitatis in Deo ex his tantisper olfacimus: & in eo perfectè est idem agens, actio, & actum, generans, generatio, & genitum: & ab eo habent creaturæ, vt aliquo modo sit in eis generans, generatio, & genitum idem essentialiter, sed non numero, nec totali essentia, nec modo existendi: nec solis relationibus, facta separatione, sed entitatibus. O bone Deus, palam est, quia quantum à te se elongant, tantum ad sui diuersitatem, & non esse vadũt, & quantum tibi appropinquant, ad vnitatẽ & esse currunt.

Ad postremam respondeo, quod vnaquæque res intelligit seipsam intellectione abdita per suam essentiam: quoniam intelligere exteriora est pati ab illis, & fieri illa: intelligens enim fit ipsum intelligibile: vt autem intelligat se intellectus, non indiget pati à se, nec fieri ipsemet; est enim: quod autem est, non fit: ergo seipsum nouit per essentiam, & notio & intellectio est sua essentia: & verũ est in Angelo, & in anima idem esse intellectum, intellectionem, & intelligẽtem sui ipsius primordiali innata, non autem illata & reflexa. At aliarum rerũ nequaquam: cum enim anima res extra se intelligit, patitur, & passio nõ est passum, quoniam dicit actum agentis: at cum fit ipsum agens, sentit seipsum factum sic, & non veluti prius erat, quoniam abiicit sui intellectionem, & perdit si mutatur omnino in aliud: at si mutatur parum, impeditur intellectio sui propter alienam. Hinc est, quod omnia entia, vi cognoscitiua prædita, seipsa quasi non videntur nosse: quoniam semper intelligunt extranea obiecta; & quasi à seipsis alienantur: vnde factũ est, vt putemus, animã nõ intelligere seipsam nisi reflexè, quatenus intelligit, se se intelligere alia, séq; tanquam aliam in extraneorum intellectione percipit. Et quidẽ talem intellectionem reflexam, & intellectionẽ aliorum entium, concedo esse accidens in cunctis creaturis, quoniã ab extrà fit, & intellectus ea intelligit, quatenus intelligit se mutatũ, & factum illa. At intellectione essentiali, & originali sui ipsius, nihil differre intellectũ intelligentem, & intellectionem, firmiter assero cum Aug. Et quia Deus nõ intelligit alia à se nisi intelligendo seipsum, non autẽ è contra, sicut creaturis euenit, & Deus nihil intelligit nisi seipsũ per se, & non per accidens, & reflexè: sequitur, quod in eo semper & omniũ intellectio, & intellectus, & intelligens sunt vnum. Insuper & infinitum; quoniam intelligibile suum non est limitatæ intellectionis, nec passionem addit vllam, nec terminum. Repræsentant creaturæ Deum intelligentem in hoc, quo se ipsas intelligunt directè per essentiam; sed talis intellectio nõ pertingit ad Diuinam, tum quia est sui tantum, tum quia finiti obiecti, & limitata, tum quia impedibilis ab externorum intellectione, tum quia indiget, & cogitur aliena intelligere, vt ab eis vel cum eis, vel ex eis se se conseruet intelligens essentia: Tum quia intellectio sui non causat alia, nec se: intellectio verò aliorum non est causa illorum, sed causatum. Deus autem intelligendo alia, causat illa, & intelligendo se, causat se, si ita loqui licet, more Græcorum Theologorum: nam potius dicendũ est, communicat se sibi, & generat sui ideam verbum, & veritatem. O Magne Deus, nunc intelligo, & quasi tango, quod prius cogitare nullo modo poterã, sed voce tantũ proferebã inani; sicut psitacus suũ chere sub vẽtre magistro.

Resp. ad argumenta art. 5.

Respond. ad primum argumentum principale, Actionem per se transeuntem differre ab agente, non prorsus essentialiter, sed fluxu, & materia, & partialitate & modo, esséque ipsum agens effusum: operationem verò ab operante, vt sic, non secerni, sed ratione coniunctorum. At intellectionem esse idem cum intelligente vbi non est passio, sed actio: esse quoque intelligentis infinitatem sapere magis, quàm sua operatio: & quodlibet aliquo pacto infinitari.

ART. X.

Ad principalia argumenta, quibus probare conantur distingui realiter potentiam ab essentia, & operationem à potentia, & ab essentia, respondendum est. Ad primam dico, quod operatio transiens non differt ab esse operantis, nisi dum est in patiente: & tunc differt solo numero, non autem specifica essentia, vt ipsi fatentur: operari enim est esse, sicut pati est fieri: & ergo operari in alio, est esse in alio. Et sicut calor ignis in manu non est aliud à calore, qui est in igne, nisi alietate numerali, & partis & totius, & illa alietate, quam accidentia manui addunt: ita nullius operatio sumpta pro fluente forma, est aliud ab esse operantis, nisi quia subiecto & parte differunt: & sanè si pars caloris non differt à calore essentialiter, sed est ipse calor, ita nullum opus transiens: ergo ædificium non differt ab idea ædificantis nisi penes materiam & accidentia subsequentia eius existentiam in materia: secundum essentiam verò nequaquam. De operatione verò immanente multo certius est esse idem cum ente operante. Quies enim terræ est operatio, & non differt ab ipsa terra quiescente: esse enim terræ est esse quiescentem: secernuntur tamen ratione. Nec motus cæli differt à cælo quatenus mobili, licet differat quatenus materiali: sic enim & quies differt à terra quatenus corporea. Non enim de ratione corporis est motus, aut quies, veluti est de ratione cœli & terræ vt sic: & in hoc est deceptio Peripateticorum. Neque tamen videtur motus caloris esse calor, nec quies frigus, nisi quatenus constituunt ille cœlum, istud terram Fato, Harmonia, & Necessitate ducti à causarum causa. Nec enim ita per se calor est motus sicut per se est calefactio, licet

nec sit calefactio, nisi ad aliud in quod effunditur: mouetur autem per se ad suum regnum seruandum: vnde motus videtur aliunde participare, & non per se esse ipsius caloris, licet popter se: sed hoc remanet posterius discutiendum.

Nunc autem respondemus ad id, quod dicit S. Doctor de operatione immanente, quod est intelligere, & sentire, probans non esse intellectionem: nec visionem ipsam esse videntis & intelligentis, quoniam hoc est finitum specie, illæ verò infinitæ: & dicimus, intellectionem & visionem occasionaliter esse passiones: & quia potest intellectus & sensus ab infinitis obiectis pati, ideo infinitas esse has passiones, & simul ipsum esse possibile videntis, & intelligentis esse infinitum eadem ratione passiua: Nec mirum quoniam quoque materia est infinita & illimitata. Et cùm aiunt solius Dei infinitum esse. Respondetur, actiuè, non autem passiuè. Non enim patitur Deus intelligendo. Item solius Dei infinitatem simul assero: intellectus verò, materiæque successiuè: non enim simul plura intellectus potest intelligere, quod & D. Thomas approbat: multò minus ergo infinita simul intelliget, sicut Deus: neque materia simul infinitas capit formas: sed semper ab vna finitur & completur, & sic intellectus ab vna intellectione vnius obiecti. Item intelligere Dei est causatiuum: aliorum verò causabile. Et quamuis Henricus intellectionem putat esse actionem, & obiectum concurrere quasi eius terminum, & non quasi causam: Scotus verò quasi causam per accidens, & concausam cum intellectu: Nihilominus D. Thomas passiuam esse potentiam intellectum, contendit, & obiectis pati, & actuari mox ad intelligendum: quin fieri intellectum ipsum intelligibile: ergo hæc infinitatis ratio est materialis competens enti cuilibet. Potens est enim lapis, & lignum ab infinitis caloribus, & frigoribus calefieri, & frigefieri: proindeque & ipse potest calefactus, frigefactusque calefacere, & frigefacere. At vt alij conuincantur, potest calor infinita calefacere obiecta calefactibilia. Non enim magis vnum, quàm alterum calefaceret, sicuti nec visus magis vnum colorem, quàm alium videret. Et sanè ignis eorum testimonio, infinita combustibilia vreret: & cum calor sit sua potentia, & suum esse sit potentia calefaciendi, & sit redactum ad vnam entis speciem, palam est, quamlibet naturam esse habere infinitum in agendo, & patiendo, quoniam à Deo infinito originem ducit; sed tamen à materia propria vnumquodque limitari, & à quantitate virtuali, vel materiali, vt declarabimus, & à nonentis adsistentia per Dei infiniti ordinationem, & naturarum capacitatem. Aristoteles quoque fatetur, animam intellectiuam esse quodammodo omnia entia, & Aphrod. in suo primo de Anima idem probat: ergo non sola operatio, sed esse infinitum est. Et D. Augustinus potius dat animæ quàm operationi infinitatem: ab illa enim ista ipsam habet, & potius substantiæ, & causæ, quàm accidenti & effectui infinitas conuenit. Quod & Author libri de causis docet. Et profectò vniuersalia sunt Peripateticis quoque infinita: ergo intelligere, & sentire in vniuersali, non hoc, & nunc, est infinitum: & ita intelligens, & lapis est infinitus, & linea: & quatenus iste lapis est ideatus ab vniuersali idea lapidis, etiam est infinitus: quoniam ab infinitis oculis potest videri, & infinitis vicibus de se, & ab infinitis caloribus calefieri, & infinita mox tangentia calefacere. Ergo nec in vniuersali, nec in particulari esse, nec in actiuo, nec in passiuo, infinitas deest, vt putabat argumentator, qui nos ad tantum lumen excitauit. Nec quia intellectio est ad omnia entia, calor verò ad sola calefactibilia, est infinitus, proptereaque illa non sit esse intelligentis, sicut calefactio est caloris esse vel potestas fundamentaliter: nam ipse exemplum quoque posuit de visione, quæ tantum ad colores infinitos terminatur: & intellectionem esse omnium sensuum collectionem, alibi docuimus. At imaginationem ad omne imaginabile esse, & ipsi fatentur. Nos autem vim cognoscendi esse ipsius entis totius primordiale principium; sicut est potestas, & amor, mox manifestabimus: ideoque omia entia horum obiecta esse absque fine: & non sola partialia infinita. Quoniam ergo non rectè probatum est, esse, & operationem distingui realiter, ergo neque rectè concluditur, essentiam & potentiam distingui realiter, nisi veluti nos declarauimus.

Resp. ad 2. Operationem fundamentaliter non esse accidens, sed formaliter ab extra.

ART. XI.

AD 2. dicimus, quod operatio fundamentaliter non est accidens, sed vt respicit passum, accidens est: accidit enim calori calefacere lapidem: cum hoc tamen verum est, calefactionem esse calorem effusum: sed tamen ipse calor, quatenus calor, est idem sibi, quatenus effusus elongatur non à se, sed à suo originali, & diuersificatur numero: & hęc effusio est nonentis assecla: calor verò ens, & calor effusus entitatis suæ est amplior, & elongata entitas: operationes quoque immanentes accidentia sunt, si ab obiectis fiunt, quoniam sunt passiones vt sic, veluti intelligere: si verò sunt absque obiectis, sunt ipsum esse, vt declaratum est: sin autem sunt ob alterius possessionem, & sui conseruationem in illo, veluti quies est frigoris operatio ad possidendam terram; & motus caloris ad seruandum se cum cœlo igneo, vtique accidens est respectu subiecti, non autem respectu agentis, quatenus seruat subiectum; sed fortè quatenus ens. Non enim scimus an calor, quatenus calor, est motus, & lux, & tenuitas: quatenus enim videtur est lux, & quatenus agit cœlum, & ignem mouet; & quatenus regnat in materia, ipsam attenuat, vt possit mouere: vnde videtur motus, & tenuitas pertinere ad esse coniuncti, non ad esse simplicis caloris. Bene quoque Aristoteles posuit actum & potentiam in eodem genere, sed contra dogmata sua. Non enim Ars ædificandi est in eodem cum ædificatione prædicamento: illa enim est in qualitate, hæc verò in actione apud ipsum: & generans est substantia illi, generatio verò est actio. Nos autem declara-

uimus notiones esse diuersas & existentias, non autem essentias ipsas diuersas facere prædicamenta, quoniam non sunt tales essentiæ: sed in ente conueniunt omnes, & in modis differunt modo.

Respondeo, Potentiam operatiuam semper operari intrinsecè: & esse operationem.

ART. XII

AD 3. Respondemus, formam agentem esse actum operatiuum: & operari semper intrinsecè, quoniam informare est operari absque fluxu, vt dictum est: extrinsecè autem, nequaquam, nisi cum impedimentum abest intraneum, vel extraneum: intranea impedimenta sunt ægritudo, seu debilitas, & ignorantia obiecti, in quod agendum est, & noluntas. Si enim non vult scribere scriptor, aut nescit habere se materiam scribendi, aut ægrotat, non scribet: extranea impedimenta sunt multa, quæ tamen ad hæc referuntur, vel enim impediunt voluntatem, vel scientiam, vel potestatem scribendi, vel omnes vires. Verùm ergo est idem secundum idem non esse potentiā & actum: quoniam forma actuat materiā suā, & non agit in extraneā, in quam posset: & Ars est actus animæ & potentia simul artificiata causandi: sed quidem non est potentia, nisi, quia est ipsa artificiata primordialiter, vt dicebamus: & modos horum differre, non res, sæpe dictum fuit. Scotus hanc dubitationem aliter soluit, quia aliter sapit: distinguit enim inter operationem, & operantem vim essentialiter, nos autem modaliter, si non pro fluxu solo, vel pro respectu sumatur. At & primum assumptum de potentia essendi est falsum. Nam palam est idem esse existere, & posse existere, dum res existit: quoniam entitas potentialis æqua venit ad esse, transiuit ad esse, vt priores sermones declarauerunt.

Respondeo ad reliqua argumenta: & confirmatur positio multis rationibus.

ART. XIII.

AD 4. & 5. dicimus, potentiam esse operationem transeuntem, & immanentem; nam effusus calor est pars effundibilis & essentia: & calor in igne est potestas ignis, potius autem sua: & semper calefacit suam propriam molem, quam informat: informatio enim quasi actio est sine fluxu: quare ex eo quod operatio exterior cessat, non licet inferre, non esse ipsammet potentiam, quia non cessat: accidens enim est exterior operatio; interior verò essentialitas, vt ostensum est. Nec cessat intellectus intelligere seipsum: hæc enim est operatio essentialis, & eadem sibi: sed cessat intelligere exteriora; & ab his impeditur sui intellectio, sed non totaliter, quoniam mutatur in aliud, sed non totaliter, vt diximus.

Ad 6. dico, quod potentia & actus non distinguuntur realiter in eis, quæ non sunt purus actus: quoniam cuiusque potentia essendi id, quod est, est ipsemet actus. Sed potentia essendi alia, quæ non est, est defectus, & nonentis influentia. Et ideo componit cum esse metaphysicaliter, vt dictum est; & quatenus eius est limes, & existendi modus.

Ad 7. & 8. dico, quod non quia intelligere Angeli est substantia, potest esse illimitata substantia eiusdem. Nec enim substantia Angeli, quia subsistit, illimitata est: & cum additur, ex eo quod intelligere est perfectio simpliciter, si ponatur abstractum à differentiis, & subiecto ita, vt subsistens sit, non potest esse nisi vnum: concedo quidem, quamuis alij non concedant. Nam intelligere est entis primordialitas & ad infinita porrigitur intelligibilia entia, & non sicut idea lapidis ad infinitos tantummodò lapides: & caloris vis ad infinitas calefactiones. At modò Angeli, ac Mentis intelligere respectu externorum obiectorum non est substantia Angeli ac Mentis, sed accidens ab essentia fluens in existentiam, & coëxistentiam deducta: etenim ab intelligere essentiali fluit, quo Mens, & Angelus seipsum directè intelligit: ex eo enim, quod seipsum intelligit, alia quoque à quibus immutatur, vel quæ respicit similia, intelligit: intellectio autem sui est essentia, seu mauis, essentialitas sui. Non enim intellectus fit intelligibile, quod est, sed quod non est: ipse autem est ipsissimus idem ipse. Ergo se ipso essendo seipsum intelligit. Et quia est suum esse finitum, idcirco non est intellectio eius infinita, sicut Dei intellectio, sed infinita in gradu suo: & ita non oportet esse vnum omne intelligere subsistens: sed intelligere infinitum subsistens oportet esse vnum: & omnia in eo vnum: & ita est Deus, & in Deo cuncta: intellectiones verò finitas finitarum substantiarum illis identificatas plures esse, necesse est, vel non repugnat esse: finitum namque extra se, & præter se admittit alia entia: infinitum verò nequaquam. Item ad confirmationem. Respondeo, quod intelligere Angeli si sit substantia, quamuis sit abstractum à receptiuo, non tamen potest esse abstractum à differentia, & limitatione, & modificatione: suo enim modulo seipsum intelligit, & alia à se per suum quoque modulum: quia non est omne intelligere, sed tantum intelligere Angelicum: sicuti nec calefactio est omnis actio, sed tantum caloris: ergo sicut abstractus calor non esset omnis causa agens, sed calor tantum infinitus: ita nec omnis intellectio est Angelica intellectio, sed quædam. Nec est infinita, quoniam sui tantum est essentialis, & non aliorum. Idea tamen Angeli, & caloris est infinita: & calor, & quodcumque abstractum à materia & differentiis à nobis ita conceptum, est infinitum, sed in intellectu Diuino. Nec à nobis posset ita fingi, imaginarique,

nisi esset intellectus noster particeps Diuinitatis, sicut declarabimus.

Notare hîc libet, quod D. Augustinus probat, intellectum & voluntatem esse ipsam animam, & non accidentia eius: quoniam accidens non transilit subiectum suum: amamus autem, & intelligimus extra nos. Ergo S. Augustinus ex ea ratione, qua probant alij facultates animæ esse accidentia: ipse probat esse substantiam; & iure quidem meliori. Non enim conuenit accidentia infinitæ virtutis amplitudinisque facere; substantiam verò vnde fluunt, & in qua radicantur, coarctare. Ergo si amamus extra nos, virtute Mentis substantiali amamus: quoniam Mens Diuinitatis particeps, in qua mouemur, & sumus, & intelligimus, & possumus, & volumus, ita potest amare & intelligere: & non habet hoc à potentia, seu facultate, quæ sibi sit accidens, sed potius potentia, seu facultas habet hoc ab essentia, seu essentialitatibus mentis. Vnde mirum quo pacto probant intelligere, intelligendique facultatem accidentia esse infinita: Animam, verò eiusque essentiam finitam. Nec nos docent vnde hæc infinitas accidentibus: si enim à se dicas, stultum est responsum: si ab anima ex qua fluunt: ergo falsum est, quòd anima sit finita, & accidentia eius infinita: vel oporteret vtrumque infinitare: ideoque simul identificare. Item Arist. & Aphrod. intellectum esse omnia, ideoque omnia intelligere docuerunt. Non ergo operatio est infinita, nisi sicut esse: & quia esse est ille infinitus eo modo, quo declarauimus.

Ad auctoritatem S. Dionysij respondemus, in Angelis esse distingui à virtute, seu facultate ratione formali, non autem essentiali: & similiter ab operatione exteriori: quoniam ipsa essentia absolutè videtur alia à seipsa, vt potente operari: sicut aliud videtur esse ignis in quantum est ignis, & in quantum est elementum: & quia operatio cum non essentiam Angeli effundat, sed ideam, est aliud ab Angelo, sicut ædificatio est aliud ab ædificante, sed non aliud ab idea ædificantis, à qua non differt essentialiter, sed materialiter, at parum formaliter: quoniam aliam materiam & subiectum alterum forma essendi habet in ædificio, in quod effluit, & in mente, vnde effluit. At ens nullum dat quod non habet. Habere autem est esse, vt habere albedinem, habere risibilitatem, habere rationalitatē est esse albū, esse risibile, esse rationale. Igitur dare operationem operato, scriptionem chartæ, præsupponit esse operationis in operante, & scriptionis in scribente, & calefactionis in calore. Et cùm non sit aliud ab ipso calore, vtique sua operatio, & potestas est vnumquodque ens promaterialiter, licet diuersa sub ratione formali, non tamen essentiali, & reali, sed existentiali, & respectiua, vt dictum est: vel forsan sicut essentialiter ab essentialitatibus, non ab essentia denominatum: & hæc vnitas realis, licet non realitatum, indicat in prima Monade, vt ait sanctus Dionys. omnia existere vnicè vt in centro: discerni verò, & in diuersitatem abire, prout ab eo in quandam dissimilitudinis regionem elongantur.

De diuin. nomin. c. 5.

INCIPIT TRACTATVS DE SECVNDA PRIMALITATE.

ENTIA OMNIA SENSV SVI ESSE ET conseruationis donata esse; & esse, conseruari, operari, & agere, quia sciunt. Itaque sapientiam essendi primordiale principium esse, veluti & de Potestate probatum est.

CAP. VII. ART. I.

QVONIAM iam patuit, ens quodlibet esse, vel operari, vel agere, vel inexistere, vel substare, vel adsistere, vel subsistere, quoniam potest; subsistere, substare, operari, agere, & inexistere, aliquem essendi modum specificare, cuius primordiale principium est Potestas, quæ ab eis non diuiditur essentialiter. Nunc aliud primordiale principium indagandum est: ipsa nimirum Sapientia: Omne enim ens constat potentia essendi, sensu essendi, & amore essendi, sicut Deus, cuius imaginem aut vestigium gerunt; & sicut operatio, quæ est essentiæ extensio non fit si desit posse ambulare: neque si desit sensus ambulandi, neque si voluntas: ita nec ens potest esse, cui istorum deest vnum. Ecce videmus quidem ens esse, quia nouit esse: & nullum ens reperiri sui inscium; nam pro se pugnat contra non ignota sui destructiua, quia essendi, & conseruandi esse, principium sapientia est, quod manifestius est nobis in animalibus. Ipsa quidem ideo sentiunt, vt noscant contraria, inimicaque proprij esse destructiua, & illa fugiant, ne ab aliis corrumpantur: & noscant similia, & amica entis proficua, & sui conseruatiua: & hæc sectentur, quærant, & procurent. Vnde ignorantia est causa mortis: si enim ouis ignoret, lupum esse suum destructorem, non fugit, & sinit se perimi: & si non sentiat dolorem spinarum, & lapidis, & baculi ictus, sinit se rumpi, & frangi, & perdi. Item si nesciat herbam sibi prodesse ad vitam, non edit; & pereat oportet. Vnde & quæ perdunt sensum gustus, à cibo abstinent, & moriuntur. Et in confesso est apud omnes philosophos, sensum datum esse, atque sensoria propter conseruationem esse: vt scilicet proficua, & noxia percipiant, & hæc declinent, illa

ſequantur. Et quia non modò præſentia, ſed abſentia mala & bona indigent ſcire: datum eſt eis memorari; & iuxta præteritas paſſiones illatas, de futuris iudicare, cauere, & ſectari, & à ſimilibus ſimilia quoque dignoſcere, & ſillogizare, vnde & æſtimatiuo diſcurſu indiguerunt, qui eſt ſenſus in ſimili: & intellectu qui eſt ſenſus abſentis, & occulti & communitatis: ſeruantur ergo per ſenſum, & cognitionem. Et cum ipſa perdunt totaliter, perdunt totaliter & eſſe animal, ſicut cum perdunt potentiam eſſendi. Generant quoq; per exquiſitiſſimum Veneris ſenſum: & quæ carent hoc ſenſu, non generant, nec proinde in ſuo ſimili ſeruantur: generandi quoque ratio videtur eſſe ſapientia, qua vel occultò perſentiſcunt propriam mortalitatem in ſe, vnde generant ſimilia ſibi in quibus viuant.

Sapientia quoque miro ordine conſtituit, & architectatur corpora, & organa ſenſuum, & nutritionis, & generationis, & motus: baſim faciendo ſolidam ex oſſibus diſiunctis, & colligatis, vt poſſit erigi. & flecti, & moueri: ſuperextendendo neruos ad ipſa colliganda, & ad deferendum ſpiritum animalem: venas verò, & arterias ad deferendum nutrimentum: caput in quo mirificè fabrefacto, vniuerſitas ſpirituum reſideat tanquam in Arce: ſenſoria tanquam feneſtras ad noſcenda mala & bona: os ad capiendum cibum ad inſtaurationem eius, quod continuò de corpore exhalat, à calore eductum in aërem: Ventriculum, in quo coquatur cibus: inteſtina, in quibus diſtilletur, & pars proficua à fæcibus ſequeſtretur: culum ad fæces purgandas: iecur ad ſuccum vtilem coquendum, & ſanguificandum: cor ad attenuandum ſanguinem in ſpiritum: & fel, lienem, vexicam vrinariam, & renes ad ſequeſtrandas fæces, ſpumam, & cineres: & denique non eſt particula in animali, quæ non multos ob vſus, mira arte fabrefacta ſit: hæc autem à ſtupida natura fieri nequeunt: & cum homo generans iſthæc ignoret, conſequens eſt, vt ſit ſapientia eſſendi indita rebus: quæ eſt principium eſſendi & operandi, & agendi, & conſeruandi entia, vt concludit S. Greg. Nyſſ. Et quia in cæteris rebus eadem ſapientia relucet, quæ in animali, & ob eoſdem vſus, conſequens eſt, vt ſapientia ſit eſſendi principium, non minus ac poteſtas. Et quoniam quidquid habent elementata, eſt ab elementis, vt calor, frigus, materia, motus, &c. ita & ſenſum ab elementis contrahant neceſſe eſt: vel ab intelligentia, vel à Deo: ſi non ineſt elementis. At ineſſe multis argumentis declaratum eſt in lib. de ſenſu rerum, & ſanctæ Scripturę & Patrum teſtimoniis comprobatur. Ergò, &c.

Probatur primò in calore, & frigore: calor enim agit contra frigus, & non contra lineam, niſi ſit frigida: neque contra materiam non frigidam: & perſequitur frigus ad internecionem vſque, & quando poteſt, extinguit ipſum, & à ſuo deturbat ſubiecto: vbi verò non poteſt, fugit: & ſi fuga impediatur, vnitur; colligiturque, concentratur, & fortior fit, veluti milites pauci Cæſariani circumdati à multis in Belgio, & in Africa, hoſtibus. Frigus è contra idem facit: ergo ſe ſe mutuò ſentiunt, proprio ſenſu, non alieno, ſicuti propria vi ſunt & agunt. Nam idcirco contra inuicem agunt. Si enim non ſentirent, non dolerent, & ſinerent ſe à contrario interimi, perdique. Item non agerent contrarium in contrarium, nec reſiſterent alterum alteri: & proinde generatio & corruptio nulla foret, nec alteratio. Neceſſe eſt ergo contraria ipſa ſentire.

Item mundus ipſe chaos eſſet, & nil diſtingueretur, niſi ſenſus rebus ineſſet. Videmus enim ignem fugere ſurſum, quia ſentit in loco imo tellurem ſibi infeſtam: & in circumferentia cœlum ſibi cognatum, ſimileque: E contra tellus deorſum ad ſuam fertur vniuerſitatem: & aquæ ad mare. Hoc autem non facerent, niſi ſentirent amicum, inimicumque: & vbi primò inuenirentur, aut vbi poſtea ponerentur, ibi ſiſterent ſeipſa: & ita rerum vniuerſitas diſtinctiſſima in chaos fuiſſet ſemper, vel abiret modo. Quapropter rectè Anaxagoras Menti aſſignauit rerum diſtinctionem; ſi tamen rebus vt obedirent ſenſum dediſſet, ſicut S. Hieronym. qui omnia ſentire creatorem ait, quoniam imperio eius obediunt.

Item ergo ſi calor & frigus ſentiunt, cuncta entia, cum ſint ab eis conſtituta, ſentiunt; maximè cœlum, terraque prima elementa.

Nam præterea non poſſent fieri animalia ſentientia ex elementis non ſentientibus; ex nihilo enim anima brutorum eſſe nequit. Neque eſt Harmonia, neque quid ſequens miſtionem, vt in proprio commentario de ſenſu rerum demonſtrauimus: ſed aliquid operans, potenſque, ſciens, & volens: ergo verè ens.

Item ſtultum videtur attribuere formicis & culicibus, & viliſſimis rebus ſenſum, & negare illum cœlo & terræ: à quibus iſta originem ducunt, & quidquid habent, particulamque vilem nobilitare, & totum, nobiliſſimum ignobilitare: Vnde dixit Deus *Producat terra animam viuentem*, proculdubio, vt Patres concludunt, de ſuo produxit; quia ſenſitiua eſt.

Vnumquodque præterea conſeruatur à ſimili, & deſtruitur à contrario: ergo indiget vtriuſque ſcientia. Dei autem perfecta ſunt opera, nec deficit in neceſſariis: ergo cunctis dedit ſenſum neceſſarium, aliis clariorem, vt aëri, calori, frigori, cœlo, ventis, ſpiritui: aliis obtuſiorem, vt lapidibus, oſſibus, neruis, aquis, terræ.

Præterea in plantis manifeſtæ ſunt operationes ſapientiæ; ſiquidem ipſæ nutriuntur, & vegetant: ergo purum, & proficuum ab impuro & inutile ſequeſtrant: ideoque vtrumque norunt, aliàs vel nullum attraherent, vel omnem telluris ſuccum.

Item cum æſtu affliguntur, languere, & ſqualleſcere apparent, comaſque demittere. At ſi pluuia ſubito irrigentur, videbis eas attollere comas, vireſcere, & geſtire manifeſta lætitia; veluti famelicæ pecudes, cum paſcua inuenerint. Habent quoque plantæ amicitias inter ſe, & inimicitias & ſexum: non modò enim cognationem ſpecificam habentes ſe ſe mutuo ſentiunt, vnde S Athan. notauit, quod dum in campis florent vites, etiam vinum in doliis refloreſcit, & exultat, addo oleum dum oleæ florent; verum etiam ſpecies differentes habent conſenſum. Vites nimirum vlmis amicæ, braſſicis inimicæ ſunt; & lupinis ſicomori. Oleas amant mirti, fugiunt cucurbitæ, & ad ſalices extenduntur, & à ſuppoſito oleo aufugiunt & contrahuntur: ad aquam verò ſuppoſitam in vaſe extenduntur, & augentur: ſolatrum ſolis amore circumuolui norunt omnes: Palmas verò non fructificare, niſi ſuo maſculo adhæreant, vel eius odore, aut puluere ab eo accepto illinantur; Fungi naſcuntur in Calabria odoriferi; at ſi iuxta eos quiſpiam cacauerit, non naſcuntur

nascuntur ibi, sed vlterius genitalis eorum vapor serpit, & longè à merda fructificat. Est quoque rationis specimen in plantis: quoniam, quæ citò sunt moritur æ, citò fructificant, vt in natis viuant, veluti frumentum, hordeum, auena in eodem anno: quæ diu victuræ sunt, post diu fructus pariunt, vt quercus, & Narangij, Cedri: quæ mediocri tempore, paulò citius, vt vites, ficulneæ. Item emittunt primò folia ad munimen sui, & florum, ab æstu & frigore: mox flores, mox fructus, quos osse, & pulpa ad tutelam, & cibum vestiunt: & ad defensionem ab animalibus aliæ producunt aristas, vt frumentum, & hordeum contra passeres: aliæ spinas, & tribulos, vt granati, & lazaroli, & spinaces contra linguam asinorum, & boum, & ferũ scularũ: aliæ folliculis spinosis vestiunt fructus suos, vt castanea contra glires, & mures: quoniam animalia grandia ad ipsas non ascendunt: & ita faciunt animalia se cornibus muniendo, dentib. exertis, squammis, & spinis, vt Istrices, echini: ergo & plantis est sapientia principium essendi, & operandi, & agendi manifestè: quod & Pythagoras nouit, & Aristot. iners negauit: quoniam non vidit in eis, vt dicit opera sensus: quæ tamen manifestissima sunt, vt patet.

Item & in lapidibus relucent opera sensus: quoniam non, vbi ponuntur, permanent, sed deorsum ad cognatam feruntur terram, & crescunt, & nutriuntur, vt in physicis ostendimus. Non enim subitò, sed paulatim montes lapidei creuerunt, & ossa animalis lapidibus simillima crescunt, & testæ lymacum, & conchiliorum lapideæ sunt, & augentur: & vegetant: ergo trahunt nutrimentum: ergo illud sentiunt. Patet idem in quibusdam actionibus. Magnes enim attrahit ferrum; & succinum paleas; & quidem non nisi sensus ad superpositum magnetem erigit ferrum: Nam & canes eriguntur ad cibum eò sursum, quo non possent absque cibi sensu & amore efferri: colligit ergo ferrum vires suas, vt amico fruatur copore sibi agnato. Magnes enim iuxta ferri fodinas nascitur, & eius pars nobilior videtur. Astrohites quoque lapis, & Trochites, succo lemonis, vel aceto profusi super tabellam mouentur sponte, quoniam pars spiritalis in eis latens, vt ignis, qui excuditur ab eis, admonet, excitatur acumine aceti, & ad motum agitur, sicut & demortui homines allio viuificantur.

Est quoque sensus in rebus, quas mortuas vocamus: homo enim occisus ad occisoris præsentiam mouetur, & sanguinẽ emittit, quasi timorem iramque seruans: serpens etiam occisus ab vmbra inimici fraxini secedit; quam, viuens, ita odit, vt potius in ignem, quàm in ipsam ruat. Tympanum de pelle ouina confectũ, frangitur ad sonum tympani alius de pelle lupina. Fides Cytharæ de intestinis pecorũ rumpuntur ad sonum fidium de intestinis luporum inimicorum. Et fides prima tracta, & extensa ad sui mensuram, si alia eiusdem mensuræ, & crassitiei prima pulsetur, sponte agitatur, & commouetur: quoniam sua à simili afficitur. Tabula de palma erigitur contra pondus: pili & capilli in serpiculos viuos aqua tepenti vertũtur: positi ad ignem trahuntur & aufugiunt: crescunt etiam in mortuis: & vermes in cadaueribus fiunt, sentientes, quoniam sensus cunctis inest, etiam mortuis, vt Aug. considerat. 3. sup. Gen. c. 14. sed non qualis quantusq; viuis eisdem. Mori ergo est mutare sentiendi modum, & sentientem spiritum amittere: in quo maximè vita relucebat: non autem est sensum omnem perdere: quoniam nequit, nisi & esse ipsum perdatur penitus.

13 Ipsa quoq; materia sentiendi vim habet, quoniam substinendi formas habet potentiam: ergo & illas sentiendi: vnde & appetere dicitur: & quidem cum omnibus insit rebus appetitus: & nihil potuit appeti, nisi præcognitum, vt probat S. Tho. vtiq; omnes sentiãt est opus. At in materia, cum deorsum labuntur corpulentæ res, patet. Cum enim neque à calore sint deuictæ, vt possint moueri in aëre, neque à frigore, vt possint immobilitari, cadũt ad fulcimẽtum exterius, videl. ad terram. Et quò illi propinquant magis, concitant motum magis veluti animalia propè finem fugæ: cuius ratio nulla esse potest, nisi materiæ sensus: quæ nata est ad substinendas operationes caloris & frigoris, & non ad proprias edendas. Itaque cùm à neutra causarum actiuarum deuicta sit, sibiipsi relicta, decidit ad fulcimentum commune, & concitat motum sibi exosum: quia non est sibi proprius, nec formæ in ea regnantis, sed veluti fuga, & casus, est impotentia ad motum, quam merito omittere cito velit. Non enim hanc concitationem facit telluris amor: quoniam entia calida, terræque inimica, vt calx, vinum, & carbo accensus, casum eumdem accelerant: neque aër multus superpositus vt alij somniant. Nam subterpositus multus etiam condensatur magis, & deberet detinere mobile magis circa finem, cum etiam probatum sit minoris diametri pilas ferreas citius ad terram descendere, quàm maioris. Ergo detur materiæ sensui: quæ seruat ipsam in esse substentatiuo, & non actiuo. Ideo auersatur actionem, & substentationem agentium cupit. Dictum est autem in 1. par. quomodo omne corpus, ad sui systematis centrum fertur, non autem quà formatum.

14 Tandem & spatium, in quo locatur rerum vniuersitas, sensu præditum esse patet: omnia enim entia fugiunt vacuum, vel potius accurrunt ad replendum vacuum: & contra propriam propensionem. Nam aqua sursum fertur per fistulam aëre priuatã, vt vacuum repleat: & aër intra aquas, & in viscera terræ descendit ad replendum, & tota rerum vniuersitas colligitur, vt plena sit vbique. Datur autem vacuum aliquando per violentiam, sed subitò accurrunt plenitudines corporeæ, vti ostendimus in physicis: & in lib. de sensu rerum. Hoc autem vel vt Tesius putat, à sensu corporum locatorum euenire necesse est: quæ mutuo gaudent contactu, noluntque ab inuicẽ separari, veluti animalis membra mundani: aut ab ipso loco, vt ego in libro de sensu rerum scripsi: qui natus est ad locandum, ideoque sibi imperfectus videtur, nisi locet; & sentiens se vacuari, attrahit corpora ad sui plenitudinem, quæ minus resistunt, vt aërem, & aquam, vel quę magis ipsi sunt similia, quoniam rara: sed & carnem trahit, vt patet in cucurbitulis medicorum, & fistula trahit labium intus, si aër eius exugatur: & siringa puerorum stylum stuppa inuolutum ad se trahit, si extrahatur ipsum ad orificium, & extremum foramen obturetur. Tunc enim videmus sponte stylum vsque ad foramen intrudi. Habet ergo locus sensum suæ perfectionis: sed siue fiat abstractio ab ipso spatio, siue accurrant sponte corpora, ne diuidantur: siue vt dilatent regnum suum, vbi à nullo patiuntur resistentiam, sicut ibidem dixi, cuncta enim se se amplificare student: necesse est asserere, hoc ex sensu rerum locatarum, aut loci prouenire; & Mundum esse

animal maximè sensitiuum.

Quod autem dicit Aristoteles, quod non datur vacuum, quia fieret motus in instanti, nullo resistente corpore: & quod neque per vim datur; stultitia plenum est. Non enim tempus est de ratione motus, vt patet in illuminatione, & ex supradictis sermonibus. Neque dato vacuo in instanti, quoniam resistentia non solum est à medio corpore, per quod fit motus, sed & à finita mobilis virtute, & à terminorum distantia: oportet enim prius ad medium, quam ad extremum peruenire, vt Diuus Thomas, & Auempace contra Aristotelem intellexerunt. Nec quod alij dicunt, non dari vacuum, quia natura vniuersalis repugnat, quidquam probat. Nam oportet, vt naturam totius vniuersi repugnare, quia nouit esse malum sibi ipsum vacuum, vel naturas particulares, puta aërem, & aquam accurrentes contra vacuum: ergo vbique ponendus est sensus. Non enim ignotum malum declinent vnquam. At neque si quis solis corporibus hunc sensum tribuat, locus sensu priuandus erit: ex eo enim quod locatiuus natura, appetat locare natura, oportet, sentiatque, possitque simul. Sentiant ergo omnia iuxta modum suum singula.

15. Demum totius vniuersi distinctio partium à partibus, & ad cognata recursus, & consensus aliorum ad alias partes principales, & sympathia, & antipathia, idem monent. Vidimus enim quidquid in terra gignitur, & in mari generari; vt attramentarium alij pisces referant, alij ensiferum: alij Episcopi formam mitrati, alij catenam, alij loricam, vt scribit Imperatus, alij piscatorem ipsum: & non modo naturalia terrestria imitantur maritima, sed & artificialia, vt patet. Nouacula enim est in mari, & culter & galerus, & cunnus fœminæ, & veretrum masculinum; & bos & canis, & arbos, & homo, & mulier piscis, quam à nostrate vix secernas; vt historici certò narrant: ergo veluti, quæ sunt in aqua, sunt quoque in terra, ita sunt in cælo, quæ & in terra: & in Angelis, quæ in cœlo, & in Deo, quæ in cunctis: quoniam idea consimilis omnium est vbique: & in homine mundus epilogatus manifeste est.

16. Et si vera ferunt Astrologi de configurationibus, & quod stellæ gallinæ cicuribus conferunt: serpentarij serpentibus; Tauri & Arietis campestribus: Medusæ caput truncandis capite: robustis & audacibus leo stellatus; & aliis rebus aliæ stellæ & Astherismi: vtique palam est consensus inter cælestia, terrestriaque; sunt enim cuncta in Deo sicut in fonte essendi, & in artifice: in Angelis sicut in discipulis: in cœli vultibus sicut in sigillis: in elementis, sicut in instrumentis, & in materia: in genitoribus sicut in fiscellis, & præparatoriis: in seminibus sicut in præparatis: in effectibus indiuiduis speciei, sicut in sigillatis; & Plinius, nostram cum cœlo negans societatem, confirmat etiam. Nam plantas sequi alias motum latitudinis solis docet, vt lupini, & oleæ, quæ, sole tenente Cancrum, conuertunt ad austrum comas; quas, ambulante sole à Capricorno ad Cancrum, attollebant versus Boream: Aliæ verò sequuntur longitudinis motum: vt solatrum, seu Heliotropia, quæ multiplicis generis est: alia enim longum habet florem, alia instar solis in regionibus nostris; sed intra Euphratem nasci dicunt herbam, quæ manè ex aquis effert comas, in meridie attollit, in vespere retrahit: noctu intra aquas delitescit: lunaris planta cum luna circumuoluitur: & singulis diebus crescentis singulis foliis se se ornat vsque ad quindecim: quos deponit singillatim in quindecim diebus decrescentis: est & lapis lunaris consimiliter lunula sua crescens luce, & decrescens: & animal similiter mutans colores quindecim, & remutans seriatim in India. Quod si tantus consensus est in paruis rebus, quid de magnis non affirmabimus? sunt enim aliæ alias sequentes stellas, & cometæ ipsæ docent sympathiam inter ipsas & astra perpetuam, quæ sequuntur; suntque cometæ, & lapides, & herbæ, & arbores, & animalia, ad suos pertinentes planetas. Cometes .n. Saturninus est absque coma; veluti caluus subniger, cineritius, tardus, horribilis: noctula, & coruus, & camelus, & cypressus, & ruta, & lapis teter pipernus, & plumbum ad Saturnum spectant, vti magnes ad polum; & bacilli ferrei natantes super subero, ad situ͂, in quo à Ferrario ædificati sunt, quod mirabilius est: & cadauer ad situm suæ originis. Ad solem verò lucentissimi, & candidissimi Cometę, & Aquila, & Pallus, & leo, & laurus & Heliotropia, Aurum, Adamas: & sic de cæt. notarunt inuestigatores reru͂, & non prorsus ineptè: ergo consensus no͂ stupidus in mundo inest rerum omnium, ob omniu͂ simul ab vno dependentiam: & sensus ergo multus, & colligatio.

vide s. M

17. Est & herbarum cum hominis partib. sympathia & antipahia, vt Porta descripsit, & Paracelsus, & in 4. de sensu rerum declarauimus.

Nec quia elementa, & cœlum; & venti, & plantæ carent oculis, & auribus, & lingua, non sentiant, vt Peripat. stultè contendunt. Non quidem oculus vidit, neq; auris audit, sed spiritus qui est in ipsis: quo abeunte introrsus, vt in somno, vel ad cœlum vt in morte, non sentit oculus, & auris, aliaque organa sicut prius, sed alio modo longè stupidiori: quoniam sunt instrumenta, partes videlicet corporis foratæ, ac graciles, vt possint ad sentientem spiritum sensibilia essentia admittere: idcirco putandum longe melius sentire aërem ac ventos, qui nihil non moliuntur, vt constrictionem propriæ mortis causam effugiant, ac spatium suæ vitæ, ac tenuitati aptum, vtileque conquirant: & sicut stultum est dicere, propterea ventos non moueri, quia non habent crura, pedesque, atque, qui in campo sunt, non videre, quia non habent fenestras, per quas nos in domo morantes, foras aspicimus: vel pueros non videre, quia ocularibus non vtuntur: ita stultum est asserere, propterea entia non videre, nec sentire, quia non habent oculos & aures, & nares, cùm hæc instrumenta & portæ sint spiritus, intra crassam molem inclusi, gratia admittendi res sensibiles, quas in aperto aër, & omne sensitiuum sentit subitò & melius, sicut liber melius noscit, quæ foris fiunt, quàm clausus in carcere, videns per fenestras solum, & foramina, oppleta tunicis, & velaminibus vitreis, & corneis, & vueis, vt in suo commentario declaratum à nobis est luculenter. Veteres quoque sapientes nostræ sententiæ fauent. Putat Thales, omnia esse animata, quod exemplo magnetis, ferrum trahentis, in quo vix credi potest, confirmat. Pythagoras, & Plato, & Varro, & Paracelsus & Stoici Mundum animal magnum esse, docent. D. Basil. & D. Gregor. Nyss. & D. Aug. & D. Iust. martyr animam dant Mundo vniuersalem, vt patet ex lib. imperf. sup. Gen. Hippocrates in l. de principiis corporis humani, calorem intelligere, sentire, &

præsentire docet. Galenus quoque calorem natiuũ esse sensitiuum declarat:&cum nihil ipse faciat nisi ab elementis:ergo calor elementaris sentit: ergo & omnia calida: & in 17. de vsu part. dat Mundo animam, & in lib. de formatione fœtus itidem: stultè tamen postea iecori, & cordi negat sensum, vt triplicem animam in corpore nostro adaptet. Item Arist. de gener. an. cap. 11. *In putrefactis*, ait, *facilè generantur animalia, quoniam est in terra humor, in humore spiritus, in spiritu calor, vt quodammodo omnia animæ sint plena*; & in Proble. sec. 30. putat sybillas fieri acumine caloris in multa, & calidá atra bili. Idem Galenus in lib. de morbis vulgar. ergò stultè sibi contradicunt, cum animam vel de potentia materiæ faciunt, vel temperiei asseclã: Propterea Arist. cum mentem deforis accersisset, sentientes animas à calore promit in 2. & 3. de gen. an. 11. Auerr. quoque ibi de mente Arist. docet Terram, Aquam & Aërem animastico vigere calore, non autem ignem, quoniam destruit animalia; sed calorem cœlestem solum sentire, eoque constitui animalia. Sed inquam, cum calor cœlestis sit igneus, & nullus ignis nisi à cœlo: imo calor iste cœlestis à motu cœli fiat, sicut & noster elicitus è lapide secundũ Arist. 2. cœl. T. 42. Consequens est vt ignis verius sentiat ac viuificet omnia: vt SS. Ambr. Aug. Greg. Nyss. Athan. Dion. Basil. & cuncti philosophi & Theogi monuerunt, vt ab eo sit sensus, non à materia, nec ab Angelis, vt Aug. probat 7. Trin. Et D. Tho. 2. contra Gent. & propterea in 14. Iobi lect. 2. sensum in putrescentibus & in calore, & pluuia ponit. Telesius cuncta entia sensu donat multis argumentis. Dauid quoque Propheta Dei omnes creaturas inuitat ad laudandum Creatorem, Psal. 148. & Daniel similiter c. 3. & Baruch c. 3. de stellis hoc prorsus affirmat, quod cum sensu, & lætitia obediant Deo; & vulgatũ est sicut prouerbium, omnia opera Dei creatorem suum sentire, quæ libet modulo suo, confirmatum à D. Hieron. super Matt. Vnde Ecclesiasticus in cap. 42. de eisdem loquens ait, *Omnia hæc viuunt, & manent in seculum, & in omni necessitate obaudiunt ei*: Et in primo cap. ait, *Deus effudit sapientiam super omnia opera sua*. S. Ambr. exam. li. 5. c. 9. ait, Omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit, vt scriptum est. Et Hier. Omnes creaturæ sentiunt creatorem: vide Atheis. Triump. c. 9. Et rectè quidem asseritur hoc, quoniam Deus cum sit Potentissimus, sapientissimus, & Amorosissimus, seipsum ad creaturas effundendo, Potentiã, Sapientiam & Amorem communicauit, vt sint. Neque enim absque his eminentiis esse possent, quæ sunt essendi primordialia principia, vt mox clarius fiet. Ponimus tamen in cunctis rebus sensum naturalem, in brutis sensum animalem, in hominibus sensum rationalem: in Angelis sensum intellectualem: in Deo sensum Diuinum. Vnde Apostolus ait, *Quis nouit sensum Domini?* Hier. ergo negat elementis sensum diuinũ irretitum, qualem Manichæi posuerunt, & rationalẽ; non autem naturalẽ, vt in physicis ostendimus: & ipse super illud Ezech. *Spiritus vitæ erat in rotis*, vitam & sensum dat cunctis elementis, & elementatis: & quoniam appetitus sequitur perceptionem appetibilis: sequitur, quod si cuncta entia vt probat S. Thom. habent appetitum naturalem, habent etiam sensum naturalem ab impressione primæ Sapientiæ, & propterea verè non metaphoricè appetunt & delectantur in suo fine adepto grauia & leuia, & cuncta naturalia, vt probat S. Tho. q. 23. volun. ergo verè sentiant oportet, vt ibid. qu. 22. concludit: alioquin non verè appeterent, sed sicut sagitta ad scopum (ait) dirigeretur à Deo, & non iret appetendo, & periret Natura. Et mundus esse statua Dei mortua, non viua.

Vide Apol. pro lib. de Sens Rer. probato per omnes Patres & per Sac. Script. & per omnes Philosophos, exceptis Epicuræis.

Rationes aduersus prædictam positionem, quibus videtur ostendi non cunctas res, sensu donatas esse: nec sensu indigere ad operationes edendas, & posse sentientia animalia ex non sentientibus fieri elementis.

ART. II.

Videmur autem multis, non rectè ostendisse, sensum reb. inesse cunctis 1. quoniam animalia non differrent à non animalibus, si omnia sentirent. Lapis ergo esset animal, & pilus, & aër, & quæcumque organis animatorum carent. Est autem impossibile fieri animal sine organis, & habitari ab anima, & corpus animatum non solidum, non compositum, non ætherogeneum. Item nec mortua differrent à viuis, quando & in illis sensus est, & D. Aug. ait, non quia inesset cadaueribus sensus, esse nobis tumulanda: manifestè etiam pili, ossa, & nerui, vt terrestres, & plantales non sentiunt: imò nec sanguis, nec spiritus, nisi animetur. Item verias esse rationes nostras, quoniam sufficit instinctus naturalis ad mouendum calorem, & frigus ad agendum in inuicem. Alij verò putant, ab Angelis corpora physica agi ad suas operationes edendas, vt videtur August. docere: Alij dicunt, ab Anima mundi, & ita non oportere singulis rebus sensum dare, sed sufficit ab illa ad suos fines dirigi. Item non modo sentas quadam ratione, & architectura constitui, palam est, & folia & fructus, & spinas ob fines suos gignere, & immortalitatis cupidinem ostendere: Quapropter ea ratione, qua sensum damus rebus, oportere quoque intellectum dare: quod cum falsum sit, sufficit anima mundi, vel natura, vel Angelorum cura ad illorum opera dirigenda. Manifestè quoque nullus inest sensus magneti, & ferro. Ergo hoc instinctu faciunt, vti & Remora tenet nauim, & Mustella ori bufonis deuoranda illabitur: & bos ad ficuleæ vmbram mansuescit: & leo timet gallum gallinaceum, & heliotropia ad solem conuertitur, & alia multa, quæ occulta vi fiunt, instinctuque ignoto. Alij verò Theologi Arabes putant, Deum immediatè in cunctis rebus ita operari, vt nulli res vsui sint, nisi sicut deferentes actionẽ Dei. Deus ergo lucet in sole, mouetur in ventis, vel mouet ventos, quiescit in terra, &c.

Ex Auerr. Metap. 11.

Rationes quoq; nostræ infirmæ esse videntur, quoniam distinctio rerum fieri instinctu potest absque sensu: vel vt putat Lucretius Epicureus, omnia corpora ferri ad centrũ, sed grauiora expellere sursum

leuiora; quæ explosa ascēdunt, sicut si aquæ lapides iniiciantur, resilit sursum: & Copernicus huic sententiæ fauet, quoniam ignis eleuatus in aërem non accelerat vlterius (ait) motum.

Dicunt alij, entia appetitu naturali moueri, non autem animali sensitiuoq; sicut S.Tho. probat, omne ens quantum habet de esse, tantum de amore habere: & ideo plus amare primum ens, quā seipsa, etiā si videantur insensata: & 2. cont. Gent. quantum de bonitate, tantū de amore: melius quidē. Nam quantū de esse, tantum de potestate; quantū de veritate, tantum de sapientia: quantum de bonitate, tantum de amore. Item anima tum ex non animatis elementis posse fieri, contendit Aphrodisiensis, sicut album ex non albo, & corpus ex non corpore: & Harmonia ex non consonantibus fidibus: vt Aristoxenus, animam esse opinatur. Item, ait Lucretius, fiunt colores ex non coloratis elementis: & ridentes ex non ridentibus: & viui ex mortuis: & lachrymantes ex non lachrymantibus, & lapides ex non lapidibus. Ita ergo & animalia ex non animalibus. Item falsa videtur illa propositio. Ens nullum dat, quod non habet: sol enim exsiccat, & nigrefacit ipse tenuis, albusque: & gignit plantas & animalia, ipse non planta, neque animal: & vnumquodque fit ex eo, quod non est ipsum: Ergo nihil probatum est à nobis. Autoritates sacræ non compellunt, quoniam creaturæ metaphoricè dicūtur laudare Deum, dum exequuntur id, ad quod à Deo factæ sunt, & laudes virtutis & sapientiæ eius, opere exprimunt, non sensu.

p.1.q. 109.a3.

Respondeo, non omnia sentientia posse dici animalia, & cur organis carent; & in rebus vocatis mortuis sensum inesse obtusum, sicut & in neruis, & pilis & ossibus.

ART. III.

RESPONDEO, quod etsi entia omnia sentiant, non tamen omnia sunt animalia. Animal enim est spiritus intra crassam molem, & humidas & viscosas partes genitus inclususque: ex quibus egredi non potens, & ad cognatum cœlum euolare, crassitie retentus, & timore frigoris externi, ac caloris magni, qui mensuram sui subiecti perdit, viuere ibi statuit, efformatque sibi Fato, Necessitate, & Harmonia cooperantibus, organa vitæ: quorum alia pertinent ad potestatiuum, alia ad cognoscitiuum, alia ad appetitiuum, alia ad operatiuum & motiuum principium communis vitæ causam. Quapropter non necesse est, omne sensitiuum corpus esse animal. Neque planta animal esse videtur, nisi inuersum, imperfectumque: caret enim acumine, & copia spirituum, similiter & organis motus; quoniam potest ex terrestri succo nutriri ob suam crassitiem: nec facilè læditur ab externis rebus ob idem. Ideoque non indiguit organis motus, neque sensoriis, quibus à longè bona malaque persentiscat. Habet tamen organa appetitiui & potestatiui proportionalia nostris, non autem, sensus egressionis: si enim non potest ad illa vel ab illis conferri, neque sentiendi portas, & foramina necesse habet. multò autem minus ipsi lapides, metallaque. Aër autē & cœlum non sunt crassa in mole conclusi, ideo sensoriis, & pedibus, cæterisq; motus organis opus non habent: subito enim sentiunt, subitoque mouentur, quò necesse est: neq; dici debent ergo animalia: sed neque animæ, quoniam anima est, quæ animat, mouetq; corpus ab extrinseco sibi coaptatū: cœlum autem, vt Salomon quoque innuit, spiritus est tenuis, calidusque, sentiensque, corpore crasso non vestitū, nec proinde anima dici potest, licet substantia sit animæ.

Ad secundum, Respondemus, aliam esse mortem rei simplicis, & vniformis, aliam compositæ, & difformis: simplex quidem calor extinguitur, peritque à frigore deuictus, non tamen dicitur mori. Similiter nec ignis ab aqua suffocatus: cum tamen secundum rem moriantur, non secundum nomen. Nomen enim mortis ad animalis extintionem propriè pertinet, iuxta vsum & vocabuli originem. Estque, vt docet sanctus Ambrosius, separatio partis spiritalis viuificantis, & mouentis crassam, & sentientis exquisitè, & acutè à parte corpulenta, organizata ab eo, & viuificata, & mota: quæ à spiritu derelicta, non amplius potest moueri ob suam crassitudinem: nec videtur posse nutriri, quoniam spiritus sensitiuus mortalitatis cognitor acutus, quærebat alimenta, comparabat & aptabat corpori, & sibi illa; vnde corrumpi necesse est, illo non seruante. Nec videtur posse sentire, quoniam illa pars quæ acutè, & maximè sentiebat, abscessit. Igitur mors hoc ipsum est, separatum esse à magis sensitiuo, & motiuo, & viuificatiuo. Quapropter lapides, qui huiusmodi spiritum non habuerunt, mori non dicuntur: cum tamen semper mortui sint: plantæ verò mori dicuntur, sed non ita propriè: quoniam non relucebat in illis per organa sensus, & motus. Et ideo modica vita priuari videntur. Aër verò, & cœlum mori non possunt, nisi in aquam, aut in terram vertantur. Et quia non remanet pars corpulenta priuata tenuioribus, non dicitur illis inesse mors: cùm tamen verum sit, omnem mutationem esse mortem præcedentis, & vitam sequentis naturæ. At in mortuis vocatis rebus sensum inesse, sed non qualis erat in spiritu abeunte, palam est. Nam serpens occisus fraxini vmbram adhuc fugit: pellis ouina frangitur ad sonum lupinæ: ita & fides, vt dictum est. Et homo occisus ad occisoris præsentiam commouetur: & dum bos decoriatur à laniariis, partes carnis nondum toto spiritu vacuato tremunt, & quasi exhorrent dolorem: vngues & pili crescunt mortuorum: quod non fit absque sensu: vermes quoque generantur ex eis quorum sensus præerat in carnibus, vt etiam docet Augustinus 3. super Genes. capite 14. & paulatim creuit attenuante calore mollitiem, & vertente in spiritum, operari, moueri, & sentire potentiorem: ex nihilo enim huiusmodi spiritus, & sensus esse nequit. Sanctus Augustinus negat sensum cadaueribus, qualis prius inerat, cum à spiritu viuificabantur,

vel quod anima humana circa cadauera ſpatietur, veluti putabant cum errore Gentiles: non autem negaret ſenſum obtuſum conuenientem illis: etenim in loco allegato ſenſum dat Cadaueribus putreſcentibus naturalem;&in lib.de Diuinat. dæm. docet, dæmones ideo acutè ſentire, quoniam corpora habent tenuiſſima, & aërea. Aër autem ad acutè ſentiendum, & patiendum aptiſſimus eſt: ſenſus enim eſt pati. Quod ſi aër ſentit Auguſtino, vtique & cætera elementa ſentiant, oportet. preterea in lib. imperf. ſup.Gen. cap.5. probat ſenſitiuã vim cunctis ineſſe elemẽtis, vnde fiant animalia: & in putrefactis ineſſe ſeminaliter sensũ vnde fiunt vermes. Omitto quod non vt teſtis,ſed vt opinator ſepè loquitur: ſpiritus ergo ſeruabat corpus multiforme, per motum purgando: per ſenſum ſeruando à contrariis, & quærendo vtilia: & per actiones internas inſtaurando. Igitur illo abeunte, hæc ceſſant, & ſequitur putrefactio, quæ etiam non mortuis communis eſt: & mutatio communior entibus cunctis magis minuſuè.

Ex his patet reſponſio ad Ariſt. qui oſſibus & neruis, & pilis ſenſum aufert: ideóque & ab elementis. Nam dentes tactos ſentire manifeſtum eſt, & calorem, & frigus & ſaporem, quod & Galenus fatetur: ergo & alia oſſa,licet obtuſius,ſentiant neceſſe eſt: eiuſdem enim ſunt ſubſtantiæ. Item augentur ipſa, & pili, & ſecernunt vtile ab inutili: illud trahunt,hoc reſpuunt: & ex eodem ſemine animato fiunt: verum prouidit Deus,vt patrum ſentirent, quoniam ſtatuam animatam totam tanquam baſis ſuſtinent, & pili tuentur. Si ergo exquiſitè ſentirent vti ſpiritus, paterentur dolorem ab omni infeſto occurſu, & à pondere proprio: & rueret crebro animal: & ab extrinſecis affligeretur nimis: propterea que ex materia indurata abſceſſu partium tenuium, in quibus ſenſus vigebat, conſtant, ſtupidáque, & ſenſu modico donata. Et ſanè cum pili ſecantur, & cornua,& oſſa ſentiunt aliquid doloris, ſed propter ſuam denſitatem non communicant illam paſſionem ſentienti ſpiritui, à quo veluti diſcontinua ſunt, nec pars læſa alteri parti ſatis ſenſum communicat: & ideo animal, quod eſt ſpiritus ipſe in craſſa organizata viuens mole,non ſentit illam paſſionem, putatque nec pilo ſectionem, aut oſſi perceptibilem eſſe: Spiritus enim particulis implantatus non communicat libero ſpiritui ſuas paſſiones, vt patet in ſomno, & extaſi,& inaduertentiis aliis. vermes quoque, qui intra corpus noſtrum generantur, putant, nos non ſentire, quia eorum ſpiritus à noſtro eſt diſcontinuatus: ſic & nos cæteras mundi partes, in cuius ventre viuimus, putamus non ſentire. Sanguis quoque ſi pungatur ſentit, ex eo enim eſt ſpiritus ſenſitiuus, ait Athan. & Ambr. & Baſil. ſed tamen anima eius ſenſum non percipit: quoniam diſgregatur, & non conſtat paſſio in continuitate communicabili, vt etiam ſpiritum afficiat. Dormientes quoque ſi paululum pungatur, non ſentiunt, quoniam etſi carnis ſpiritus ſentiat, eius paſſio ad ſpiritum liberum, ad interiora collectum, non pertingit. Igitur neque durities nimia ſenſum doloris admittit, neque admiſſum communicat; mollities verò nimia admittit, at refugit, vt dictum eſt. Neruis Ariſt. perperam ſenſum aufert, & cuti, cum in his manifeſtimus ſit. Sed inhabitante, & per eos dilato ſpiritu, ſentiunt magis, quàm propria temperie; qua obtuſè ſentiunt ob denſitatem datam illis ad tegendum, & retinendum ſpiritum: ſic etiam obtuse ſentiunt plantæ & tellus: nec ipſarum ſimilitudo aufert ſenſum.

Inſtinctum eſſe cognoſcentis impulſum: Nec à Deo res impelli ad ſuas operationes naturales, nec à Deo ſolo fieri immediatione ſuppoſiti: neque ab anima mundi, neque à Colchodea, neque ab Angelis, neque à Fato, & Neceſſitate, ſed à propriis rerum formis agentibus: & quo pacto concurrant prædictæ cauſæ.

ART. IV.

QVOD autem ſenſuum operationem inſtinctui tribuunt naturali, perperam aſſeri videtur. Inſtigare enim eſt impellere, & dirigere aliquid ad finem. Impellens autem, ſi ritè & ordinatè impellit, oportet, cognoſcat finem. Cum autem res omnes naturales rectè ad ſuum finem ordinentur, videntur à cognoſcente cauſa dirigi qua cum operantur. Igitur aut iſta cauſa eſt extra ipſas res naturales, aut intra: ſi extra, eſt vel Deus, vel anima mundi,vel Angelus, vel Neceſſitas,Fatum, & Harmonia: ſi Deus, ipſis non conſentientibus, vt ſagitta ergo ſequitur opinio Saracenorum theologorum à D.Thoma, & ab omnibus reprobata, quod videlicet nullam edant propriam operationem res naturales, ſed Deus operetur in illis. Et hoc in libro primo de Senſu rerum reprobauimus 1. Nam tolleretur ab eis actio formarum propriarum, & formæ ipſæ: ſi enim Deus dedit illis proprias formas, & virtutes, vtique & operationes vt edant proprias conceſſit. Vt quid enim dedit operandi vim & non operationem? 2. Item imperfectus eſſet Auctor Deus, qui maius dedit, & non potuit perficere, quod deerat minus, videlicet actionem. 3. Item non magis calefaceret calor, quam frigus. Deus enim eſt qui calefacit, & in vtroque poteſt idem. 4. Nec quidem ſimile faceret ſimile, ſed ex aëre piſces, & in terra aues, & ex ſemine humano mures, & quodlibet ea quolibet naſceretur. Deus enim ex omnibus omnia poteſt facere. 5. Nec valet aſſerere, quod ſtatuerit ex calore calefacere, & frigore frigefacere: & non aliter; ſic enim dicendo, conceditur forma agens cum Deo, & non Deus ſine forma: & hoc nos volumus, videlicet calorem calefacere, quoniam virtus Dei dat illi hoc vt poſſit, ſciat, & velit.

6. Item homo naſceretur ſimilis Deo in ſpecie, & non patri ſuo, & nullus error in natura, nec in arte proueniret,ſi Deus cuncta immediatè,vt aiunt,ſuppoſiti immediatione, & non principij tantum, vt

docte probat S. Thom.3. cont. Gent. 70. vel virtutis produceret, & ageret. Potentissimus enim est Deus, Sapientissimus, & optimus. Non ergo peccabit impotentia, nec inscitia, nec negligentia, aut malitia. At vnde monstra, & peccata naturæ, & Artis? Profectò si hæc opinio placeat cuipiam, bestia sit ille oportet, & deterior Caluino: sic enim sequitur, nos agi ad peccandum à Deo, & plantam fructus non producere elegantes & flores deficere, quia Deus non potuit illos producere, nec retinere: & vidi ipse ceruum subagitare asellum in ano: ergo Deus tunc subagitabat? absit. Et cum calor non potest calefacere, ergo illa impotentia est Dei? absit, & quidem necesse esset hæc absurdissima concedere, si quis à rebus proprias auferat actiones. Quapropter lapis, calor, frigus, Magnes, & omnia entia iuxta proprias vires operantur: & cum sensus indicium promant, sentiant est opus: si autem dant Deo impotentiam, aut inscitiam, aut odium, ille non erit Deus: vnde patet, ab Alcorano Macometi hanc opinionem ortam esse, & à Caluino inde haustam, vt dicimus.

1. Sin verò Caloris actio, & frigoris, sensum præseferens, item magnetis, & aliorũ entium, Animæ Mundi tribuatur, oportebit etiam auferre à rebus proprias formas: quoniam vel actio tota est ab Anima mundi, vel partim ab ea, partim à calore: ergo cum anima Mundi nõ sit forma rei, & natura, erit tantum dirigens, & docens quid, & quomodo agendum est cuilibet Naturæ. At Natura stupida non potest doceri: ergo oportet per vim Animæ ad opera talia agi: ergo omnis operatio naturalis erit violenta. Non enim Anima est sicut Deus, cuius nutui cuncta parent: quoniam ipse dat eis, vt sint, & operentur, & est intimior rebus, quàm res ipsæ sibimetipsis. At quis audeat dicere, calorem occidere frigus, non quia sentit frigus esse sibi inimicum, sed quia ab anima mundi impellitur ad occidendum frigus? sed tunc quæro, quid impellit frigus ad resistendum, & quandòque ad fugiendum? vtique eadem anima id non faciet: si enim alterius ruinam vult, non parat illi salutem per fugam, & resistentiam. Item cum stupida sint Calor, & frigus, quo pacto ab Anima reguntur vi ad operá rationalia? & quomodo ipsa animat contraria simul? At dicet quispiam. Animam esse quasi fabrum, qui vtitur malleo, & igne, & aqua, & lima, & armat aliud contra aliud instrumentum, vt ex eorum pugna, prodeat suum artificium. Et quidem aqua extinguit ferrum ignitum natura sua, sed applicatur à fabro ad extinguendum. Ita ignis emollit natura, sed applicatus ab artifice: lima quoque natura minuit; sed artificiosè ab artifice. Ita calor, & frigus, & elementa stupidia ab Anima mundi ad actiones diriguntur propter opera ex tali pugna nascentia. Sed hoc nihil probat: etenim Artifex cum agit non dat instrumentis esse formale, & actiones ab Esse prodeuntes, sed vtitur actionibus illorum ad proprias ideas exprimendas in Materia, instrumentorum actionibus sub quadam mensura contemperata. Patet enim non dare igni vim emolliendi ferrum, & fugandi frigus, destruendi duritiem; neque aquæ extinguendi ignem; neque malleo grauandi, & præmendi, sed vti tantum eis: ergo neque Anima mundi dabit calori, vt calefaciat: calefacere autem est frigus expellere, & fugare. Item nec dat calori, vt velit esse calor; igitur neque vt fugiat à frigore tollente esse: & ergo si vi sua calor calefacit, & frigus fugat, ergo inimicum esse sibi illud sentit. Non enim poterit vnquam ab anima mundi doceri calor, quod frigus sit sibi inimicum exitiale. Nec poterit impelli ad faciendum, quod sibi non prodest, nec prodesse nouit. Item nec magis contra frigus, quam contra alia entia posset ad agendum agitari. Item si calor, & frigus ita operantur, quasi sensum habentes, si negetur illis sensus, & actio sensata, itidem & brutis, & nobis neganda erit: asserendumque, ab anima mundi impelli ad operationes vitæ, & sensus; quod dicere stultum est. At si nos, & calor, & frigus, & Arbos, docemur ab anima mundi: ergo sentimus. Non enim potest doceri, quod sensu caret, vt S. Hier. etiam concludit. Vnde mirum est, quod quidam ex nostris Theologis asserunt, bruta etiam instinctu Dei omnia operari, & non proprio sensu, nec sensuali ratiocinio: sed instinctu diuino, sicut sagitta à sagittario impulsa scopum attingit. Vnde ait Sotus, se deprehendere ex eo, quod creaturæ irrationales diriguntur à Deo despoticè, sicut corpus ab anima, & ideo id solum bonum appetunt, quod illis verè est bonum: & hominem esse inferiorem quodammodo brutis: quoniam appetit, quod sensui est bonum; & rationi, quæ est sua natura, est malum. Et hoc quidem perperam affirmant: etenim & bruta aliquando appetunt malum: nam comedere sepè herbas noxias solent, & contra naturam vidi ceruum subagitare asellum, & asinum, asinum; & feles absque necessitate mandere Catulos suos: & alia multa facere bruta illis noxia: & pœnam naturalem pati, & non ab omnibus pœnis eximi, vt putant. Et quidem si solo Dei instinctu agerentur, nunquam errarent, nec dolores incurrerent, nec in foueam caderent. Exemplum de sagittario nihil probat: Sagitta enim violenter aliena vi & alieno appetitu impellitur: naturalia verò naturali vi appetitúque innato. Ergò sicut ab extrinseco. Ergo si Deus dirigit omnia sicut sagittarius, violentat naturas. Vel ipsæ naturæ de se nihil operantur, quod est assertum Saracenorum. Vel Deus erit Natura, vt Plinio videtur: quod reprobabimus. Vnde S. Thom. ver. q. 22. art. 1. ait, quod si naturalia non à se, sed ab alio ducerentur ad finẽ, sicut sagitta: tunc non appetere finem, sed dirigi, aut impelli dicerentur, &c. Probarat autem quod omnia naturaliter appetunt finem. Ergo sentiant, dicat, oportet. Vnde 1. 2. q. 109. concedit res omnes amare Deum plusquam se ipsas naturaliter, & vol. q. 23. ar. 1. Negat naturalibus sensum animalem, qui fit per speciem apprehensam, non autem naturalem, sicuti appetitum naturalem habent. Ipse enim semper docet appetitum sequi præcognitionem, vel rationalem, vt in homine: vel animalem, vt in brutis: vel naturalem, vt in elementis. Et triplicem ponit in q. de Vol. instinctum; scil. Impulsiuum, qualis sagittæ: directiuum qualis discipuli à Magistro; & naturalem, qualis vnicuique à propria forma. Et propterea ait in Resp. ad 13. Res naturales non metaphoricè, sed vere delectantur fine acquisito quem appetebant. Et probat autoritate S. Dionysij: ergo & sentire. Si autem operantur, & Deus ab intra cooperatur immediatione virtutis, attingunt ad suos fines per suas operationes, & per suas vires, & fine acquisito delectantur verè non metaphoricè ait S. Thom. cum S. Dion. & cum operationes indicent vim sensitiuam, & delectatio, necessariò sensum præ-

De [illegible] & i lib. 3. c.

ſupponat: Negandus non eſt, niſi quo inſtrumentaliter modo agerent. Alias nec poſſemus dicere, ignem eſſe calidum: Nam quamuis calefactio eius calorem indicet, poſſet opinator dicere hanc calefactionem euenire ab inſtinctu, vel influxu Dei, & non à forma rei.

Sin autem velint, inſtinctum eſſe impulſum intelligentiæ non errantis, quam Themiſtius, & Alexander putant eſſe intellectum agentem inferiorum corruptibilium ſpheræ præſidentem: Auicennas verò Colchodeam datricem formarum ſubſtantialium: Auicebron quandam vim ſpiritalem nam putat, corpora non poſſe agere de ſe, ſed vim ſpiritalem, per illa tranſeuntem, omnes edere actiones, qualiter etiam ponitur ſpiritus Stoicorum. Alij verò tribuunt Auguſtino, quod Deus adminiſtret omnes creaturas corporales per ſpirituales, & per Angelos, vt habet in 3. de Trinit. tunc oporteret adhuc rebus ſenſum largiri cunctis. Nam, vt dicit idem Auguſtinus, non ſeruit Angelis corporalis materia ad nutum; ſed ſoli Deo, cui etiam ſentiunt omnia, inquit Hieronymus; & ratio idem atteſtatur: Non enim ab Angelis receperunt eſſe nec conſeruantur, ſed à Deo: Angeli autem mouent ad formas (ait) vt Medici, & Agricolæ, non dantes ex ſe formas niſi idealiter. Et opinionem Arabum eſſe ſtultam mox docebimus. Igitur Deus eſt rebus omninò intrinſecus: & ipſe ſolus, prout res eſt, nouit, & regit, vt in prima par. dictum eſt. Igitur ab extrinſeco mouent Angeli, & intellectus, & Colchodea. Tunc quæro, an creaturæ ſentiant Angelicum præceptum, an non; ſi ſentiunt, habemus quod cupimus; in aſſertione noſtra: ſi non ſentiunt, ergo neque obedient illis, ait Hier. ſi autem vi adiguntur res ad ſuas operationes: tunc quando frigus pugnat contra calorem, eadem intelligentia pugnat contra ſe ipſam, ſi ab eadem, vt prima fert opinio, aguntur: ſi à diuerſis, ergo diuerſæ intelligentiæ contra inuicem pugnabunt: vſque ad internecionem namque præliantur calor, & frigus. Item ſtulta opinio videtur, quod Angeli deputati ſint à Deo ad faciendas operationes naturales in rebus viliſſimis, quas ipſæ res per ſe edere poſſent. Cur enim Magnes Angeli virtute ferrum trahat, quod ſua natum trahere potius eſſet? potius quidem hominibus, & animalibus perfectioribus dati eſſe deberent Angeli, quàm lapidibus, vt ferātur deorſum, igni vt ſurſum, calori, vt calefaciat, coruo vt præſentiat pluuiam, oui vt fugiat lupum. At quamuis ab Angelis, & Colchodea, formæ imprimantur corporibus, quod non aſſero; nihilominus operationes à formis deinde prodire neceſſe eſt, & non à Colchodea. Et cum ſentientem indicent naturam, natura, formaque ſentiat, æquum eſt. Non negem autem Angelos præſidere cuſtodiæ rerum, & regulare actiones caloris, & frigoris, & aliarum rerum, quæ ſeipſas modo multiplicare intendunt, & efficere, vt alia entia ex ſeipſis ſub alia Idea efficiant: quin maximè id affirmem. Calor enim ſolis calefacere & vrere terram, & in cælum vertere ſolùm cupit; & propter hoc ſolum agit: frigus verò in terram cælum conuertere ſtudet: & arte Dei factum eſt, vt non penitus ſe mutuo perdant, ſed caſtigent per vices agendo, & ex illorum debilitatione, & miſtura, plantæ fiunt, lapides, metalla, animalia, &c. in qua modificatione opus Angelorum intereſſe non nego. Non enim calor, & frigus iſta facere volunt, neque ſciunt. At operationes frigoris, & caloris, & genitarum rerum ab eis per accidens, ab Angelis verò ex præcepto Dei, contendo non eſſe Angelorum, nec vllius cauſæ extrinſecæ, ſed à propria virtute: quàm poſſe, ſentire, & velle agnoſco in cunctis. Profectò cum ad rerum eſſe, & vitam requiratur poteſtas, & ſenſus, & amor: & nulli Poteſtas, & Amor negetur naturalis, vtique ſi Deus eſt perfectus in operibus ſuis, ſenſum quoque illis conceſſiſſe dicendus eſt. Tandem ſi impulſum: dicant eſſe à Fato, Neceſſitate, & Harmonia rerum: cum huiuſmodi Influentiæ ſint extrinſecæ, & non dent operationes, ſed regulent ad quoſdam modos proprios Ideis, ſicut ignis à Coquo vt aſſet & nō vrat aut tepefaciat tantum regitur vtique ſimiliter reſtat dicendum, à ſeipſis res agere. quoniam poſſunt, & ſciunt, & volunt: ſicut enim non potes dare igni vt calefaciat, ſed vt ſic calefaciat: & lapidem cogere non potes ad philoſophandum, ſeruum verò potes, quoniam ſenſum tantum habet, quantus ſufficiat ad ſcientias, & artes perdiſcendas: ita non poſſe res, ſi ſtupidæ ſunt, inſenſatæque, ab Angelis, & Colchodea, & Anima mundi ad operationes ſenſitiuas impelli, niſi ſentiant, dicendum eſt: multò autem minus ſuaderi.

Poſſet autem quis exemplum horologij contraponere: quod nimirum ex rotis, & ponderibus multis conſtat, artificis ingenio paratis ad docendum nos horas, & ſolis motus: cum tamen inſenſatum ipſum in hoc ſit; & ſcriptura ſeipſam neſcit, ſcientiæ ſenſum iıi nobis facit: Reſpondeo, quod hæ ſignificationes ſunt non à Natura, ſed ab inſtituto humano: & non docent nos per ſapientiam ſuam, ſed per ſapientiam alterius ibi ſignatam. Nam ſi neque nos ſignorum huiuſmodi rationem habuerimus, neque ſapientiam horologij, & codicis inſcripti intelligemus. Poteſt quidam homo ponere lapillum in via, & facere vt ſignificet tranſeunti aliquid. Non tamen docebit lapillus tranſeuntes, ſed qui pro ſigno lapillo vtitur. Nec docebit omnes, niſi quibus tale ſignum prædictum eſt. Nec profectò Artifex dat ferro, & rotis duritiem, neque campanæ tinnitum; neque ponderi ponderoſitatem, & vim trahendi deorſum: ſed vtitur eis ad proprium ſignum perficiendum. Ita nec Angelus, neque Colchodea, neque Anima mundi dat Calori, & frigori actionem, neque ſenſum agendi; ſed tantum moderantur & vtuntur talibus actionibus: & quia oportet eſſe ſenſatas, ita eſſe aſſeri debent. Nam ſi quis diceret puero vt ſonet tintinnabulum, vt ſignificet aliquid, vtitur eo ſicut horologio: at ſi dicat, vt doceat per ſe aliquid, non poteſt, niſi ille ſciat. Nec impellitur quis ad aliquem ſcribendi modum, niſi ſcriptor ſit.

Concedimus Auicebronti, corpus non agere, quoniam materia eſt: At non ideò Deus aut intelligentia agent actiones corporales, ſed formæ ipſorum agentes, vt Calor, & frigus; quæ non migrant de ſubiecto in ſubiectum, vt Mauri arguunt: ſed multiplicant ſe, atque effundunt, vt declarabimus: concedimus Auic. formas corporales ideatas ab ideis euenire diuinis, & non calorem, & frigus, quæ ipſe vocat accidentia: ſed horum opera in materia illas imprimi: & non eſſe niſi horum ſigillationem, alibi oſtendemus.

Sin autem inſtinctus eſt ab intra in rebus naturalibus à propria videlicet forma vel Materia, vti Ariſtotelem dicere neceſſe eſt: ipſe enim nullam

aliam nouit naturam, niſi formam materiamque; tunc quando res naturali inſtinctu agitur ad finem, præcognoſcat oportet finem. Inſtinctus enim eſt cognoſcentis virtutis impulſus: igitur inſtinctus naturalis eſt cognoſcentis & appetentis naturæ: & Ariſt. ita videtur aſſerere in lib. de ſomniis: vbi increpans eos, qui dicunt, à Diis ſomnia immitti, aſſerit potius à natura fieri, *quoniam ipſa Natura* (inquit) *dæmonia eſt*, id eſt, ſapiens: & in ſecundo phyſ. propter finem naturam agere, docet, & non indigere conſilio nouo, quoniam peritiſſima eſt. Cytharedus quippè (ait) addiſcens, cogitat quomodo hanc, vel illam pulſet chordam. At peritus nihil cogitans, ex arte rectè cytharizat; ita plantæ germinant, florent, frondes, ſpinas, & fructus artificiosè producunt, nullo facto conſilio nouo: ſed arte vtentes ſua, quæ ad finem illas dirigit. Item ibi Ariſt. & D. Thomas docent, Naturam eſſe artem rebus intrinſecam, Artem verò eſſe naturam extrinſecam. Et idcirco quercum gigni è glande, & non nauem, quia ars faciendi quercum eſt in ſuo ſemine, & non faciendi nauem: quæ ab arte extrinſeca ex eadem quercu deinde fabrefit. Igitur Ars, & ſenſus ineſt rebus cunctis iuxta dogmata Ariſtotelis: & hæc Ars eſt natura: & quia illi natura videtur eſſe intrinſeca materia, & forma: idcircò aſſerat oportet in cunctis intraneum eſſe ſenſum, & artem, quam nos impreſſam profitemur ex participio diuinæ artis: Imperitè ergo poſtea ex inſenſatis elementis producit res ſenſatas, & plãtis negat ſenſum in 2. lib. de anima, quibus in 2. phyſ. tribuerat, & rationem, & peritiam, & in 3. de gen. animaliũ c. 11. propterea fieri in elemẽtis ex putrefactis docet Animalia: quia quodãmodo omnia animę ſunt plena. Cæterum quomodo non modo ſenſus, ſed etiam ratio ineſſe rebus inanimatis, & brutis quoque conſilium apparet, quibus ſenſum modo tribuimus, ſuo in loco declarandum reſtat. In lib. quoque de Senſu rerum oſtẽdimus ſenſum magnetis; & leonem timere gallum non quia eſt inferior in ſolariũ ordine: magis enim hominẽ timeret; ſed quia ſpiritus eius craſſus acumine ſpiritus galli penetratur, ſicut à ſtridore in ſectione ſuberis noſter horreſcit. Remora tenet nauim, ſi verum eſt, quia nauis ſenſum ſtupefacit & aptitudinem ad motum tollit, vt acetum dentes afficit. Ficulnea odore ſuaui tenet Taurum, vt nos aromata: quoniam ſuo ſpiritui proportionatur: odor Muſchi in cloaca roboratur, quia calor eius ſpiritalis à contrario putente refugit, cogitur, & augetur. Heliotropia conuertitur cum ſole affecta illius vi, & amore manifeſto. Et nulla vis ignota eſt inſenſata, vt ibidem oſtendimus.

Inſtinctus quid.

Rationes cæter. argumentum

Ignem & aërem non ire ſurſum, quia extruduntur, ſed quia ſenſu & amore cognatorum corporum feruntur. Nec centrum omnia appetere. Nec terram caloris ſedem, ſed frigoris eſſe; ideoque ab ea ignem fugere.

ART. V.

AD Epicureos nunc digredi oportet, qui putant, non proprio ſenſu appetituque ignẽ efferri ſurſum, ſed extrudi à corporibus grauioribus, veluti aqua etiam aſcendit ſi iniiciatur terra in illam. Atque aërem, & ignem & omnia deorſum natura ferri; vnde & in viſcera terræ abeunt, ſi fiat foramen. Copernicius verò in primò lib. Reuolutionum cæleſtium idem ſentire videtur: & exemplo ignis oſtendit: qui ex terra in aërem eleuatus, non eo impetu mox attollitur, quo ſub terra genitus in aërem fertur: quaſi confeſſa cauſa motus eius, quod videlicet ſit extruſio, vel extenſio. Vnde & Pythagorei; quos ipſe ſectatur, in centro terræ ignem, & inferos ponunt: eumque locum igni naturalem eſſe putant; & amicus Stelliosa id aſſerit: quoniam cor, ait, animalis eſt calidiſſimum. Tellus autem cordis in centro vicem gerit. Item plantæ in hyeme ad radices calorem ſeruandum retrahunt. Et fluuij in ſuperficie gelantur, non in infundo: & ſubterranea loca calidiora ſunt editioribus; & valles montibus, & manifeſtè voragines ignis à viſceribus terræ ſe ſe ex pandentis viſuntur in Sicilia, in Eolia, in Iſlandia, & locis in multis Borealibus. Item nequit reddi ratio, qua friget gelu nimio aër in hyeme, niſi ſit proprium aëris. Etenim ſubterranea loca calida ſunt, vt antra, & aquæ emergentes admonent: non ergo à terra eleuatur frigus: quà enim tranſibit? per calorem ne?

Poſitio Epicureorum nobis irrationalis apparet. Manifeſtum enim eſt, ſolem ac ſidera vel ex parte ignem eſſe: oportet ergo calorem ad ſuperas redire, vnde ad nos demittitur abſque dubio. Neminem quippe latet à ſole ad nos effundi ſemper calorem lucemque. Igitur ad cognata, ſimiliaq; corpora ignis ſponte fertur, & non quia extruditur. Item incluſus in viſceribus terræ, qualis generatur ex puluere bellico in cuniculis præliatorum artefactis, frangit montes, in fruſta diſrumpit arces, & ædificia magna, & nullis poteſt cohiberi machinis, aut ponderibus, quin ſurſum erumpat, atque cœlum petat; ergo natura ſurſum it, & non extruſus: potius enim ipſe extrudit machinas, & retinacula, vt quò cupit, eleuetur. Manifeſtè quippè non ipſæ arces, & ædificia grauant ignem ſub ipſis accẽſum in ſpatiolis antris, vel ſub fornicibus, quibus ſuſtentantur. Neque expellunt ipſum ignem ſurſum; neque grauant deorſum: ſed ipſemet diſrumpit omnia: vt ſurſum euehatur. Concedimus quidem, aquam ſurſum fieri magis cui iniicitur tellus, & extrudi, quoniam tellus grauior eſt, & ad ſuam vniuerſitatem permeat; Veluti ignis tenuior pertrãſit aërem, vt ad cœlum perueniat. Neq; quia aër, & aqua deorſum feruntur, ſi tellus perforetur, natura ſingula entia centrum petere aſſerendum eſt. Nam & ignis idem faceret, quod falſum eſt: ſed quia

ſed quia vacuum abhorrent, vel ſuam dilatationem procurant; veluti declarauimus, deorſum accurrere, putandum eſt. Vel fortè à vacuo ſpatio attrahuntur: vel melius eſt corporibus mutuo tangi, quamuis à contrario, quam à vacuo, quo veluti nonente terminantur: ſocietas hominis inimici magis ab homine expetitur, quam ſerpentis, aut lapidis, aut trianguli: corpus autem corpori ſocialius eſt, quàm vacuo: ad quod replendum, vel timore quodam ſtupido inſequuntur; vel amore ſuæ dilatationis, quæ charior eſt, quam ad cognati reuerſio: vnde & ſolaris calor in terram ad ſui amplificationem regni, & ipſe effunditur; vel quia omnia corpora ad centrum ſui ſyſtematis cuius vnitione ſeruantur, quatenus corpora ſunt, feruntur: ſed quatenus formis diſtincta ad certos ſitus eiuſdem, non aliorum ſyſtematum, vt in phyſ. probauimus, & in prima parte. Quod verò Copernicus docet proptereà ignem efferri à centro, quia eſt natura extenſiuus, & à centro ad periferiam fit extenſio: at in aëre quieſcit, nihil vltra progrediens (propriam necat ſententiam: ſi enim ignis eſt extenſiuus, & rarefactiuus natura, & in centro cohibetur, non dilatatur: tellus enim conſtricta, & denſa manet, quod dilatationi eſt contrarium; cælum verò dilatatum, & rarum. Igitur natura ignis eſt cæleſtis, & locus eius eſt cælum: ergo egreditur ad cognatum, & non vt ſolummodo extendatur. Nam ſi ſponte moratur in centro, contra naturam vadet ad peripheriã expulſus: cũ enim centri ſit cohiberi, & peripheriæ dilatari: ſi dilatatiuus eſt ignis, peripheriæ erit amicus. Item oſtẽdimus in phyſicis, calorem attenuare, ac rarefacere materiam, vt poſſit illam mouere, ſuæ operationi vitali aptare: motus autem in centro fieri nequit: ergo ibi non eſt, aut coit ſponte naturaque. Nec verum eſt, quod facta extenſione ceſſet moueri ſurſum: ſed enim quia tenuitatem abſolutam non habet, ſicuti quæ craſſitiem abſolutam non habent, natant in aëre, vel in aqua, donec illam ſortita, in terram poſſint deſcendere: ita ſanè ignis non poteſt ſurſum magis aſcendere quod cupit, & non quia centrum amat: tenuiſſimus enim cælo ſuperiori coaleſcit, & cum eo in girum mouetur peremnem.

Quod autem de inferorum igne docent Pythagorici, & Religio Chriſtiana credit, & D. Gregorius ethneos ignes ab illo deriuat, & puteolanum Virgilius, aſſerimus & nos (licet Chryſoſtomus ſuper epiſt. ad Rom. & D. Thomas in Opuſc 11. & Mag. ſent. in 4. locum gehemnæ ignotum eſſe prorſus dixerint, & potius extra hunc Mundum poſuerint) ſed non natura ibi eſſe, inquit S. Thomas; ſed quaſi diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum: quoniam ſæuit ignis magis ab inimico frigore circundatum: & contra naturam viuentes in loco contra naturam coaptato puniuntur: & ſanè vſtionem, tenebras, & cohibitionem alibi non ita faceret; cohibitio autem eſt eſſentia pœnarum, teſte D. Thoma.

At terram natura frigidiſſimam eſſe in phyſicis docuimus, & in lib de Motibus Aſtrorum Copernici ſententiam exploſimus. Verumtamen & hæc amplius examinanda eſt: ſi ſol natura calidiſſimus, lucidiſſimus, ac mobiliſſimus eſt: ergo è contra tellus frigidiſſima, tenebroſiſſima, craſſiſſima, & immobiliſſima, frigori ſanè proprium regnum, propriaque ſedes debetur, ſicut calori. Vtrumque eſt enim principium ſecundorum entium, & inſtrumentum Sapientiæ primæ: vide Plato in Tim. & Greg. Nyſſen. in Hexam. hæc duo prima corpora, extrema, & maximè contraria principia ponunt. Ergo ſicut caloris Theſaurus, ſedes, & regnum eſt, à quo omnis calor effunditur: ita frigoris theſaurus ſit oportet, cum ex ſui nihilo non oriatur. Aër autem non videtur poſſe poni frigidus, vt Stoicis, Cardanoque placet: frigoris enim eſt condenſare, & conſtipare, & compingere molem, quam corripit, regnatque. Aër autem tenuis eſt: attenuatio autem eſt opus caloris: calore ergo informatur aër. Item aër generatur à calore attenuante; calidus ergo eſt: eſt prętereà natura albus, mobiliſque, albedo autem caloris eſt facies, motus verò operatio: & in Phyſicis aërem calidum eſſe, oſtendimus. Quod Peripatetici omnes, & Platonici aſſerunt. Nec frigoris ſedes aqua eſt, vt Emped. & Ariſt. videtur, quoniam & ipſa alba eſt, tranſpicuaque, & mobilis, liquida, molliſque natura: quæ conditiones caloris facies, & opus, manifeſte ſunt. Generatur & aqua à calore liquefaciente terram, vel ex vapore à calore genito, & poſtea condenſato, & quidem abſque frigoris ope, vt patet in alembichis, & in capitibus animalium, vbi fumus in fluores cogitur: & in operculis feruentium ollarum, & in laquearibus calidorum balneorum: quo delati fumi, prohibitique progredi vlterius, abſque frigore condenſantur; vt nullo pacto frigus aquæ conſtitutionem ingredi exiſtimari debeat, ſed illi externum eſſe, ſicuti vino, oleo, cæteriſque liquoribus; & concurrere aliquando, qua condenſatiuum, non quà frigus eſt. Quantumuis enim in aëre ſæuiat frigus, & quot vis adſint vapores, niſi condenſentur, aqua fit nulla. Non ergo frigus, ſed condenſatio vaporis, vel liquefactio denſitatis eſt cauſa liquoris aquei. Vnde omnia metalla, & tellus ab igne funduntur in liquorem. Tandem neque ſi frigida ſit aqua, frigoris theſaurus dici poteſt: oportet enim frigoris regnum eſſe frigidiſſimum, veluti caloris calidiſſimum. At aqua frigidiſſima non eſt, niſi vbi maximè congelatur: aliàs nec poſſet bibi abſque morte, ſi ſummum frigus haberet, veluti neque ignis ſorberi poteſt abſque noſtra deſtructione: nec animalia in aqua viuerent: nec liquidæ eſſet naturæ, ſed glaciatæ, duræ, immobiliſque, qualis fit aqua à frigore ſummo. Vnde patet frigus eſſe contrarium aquæ; quoniam ipſam deſtruit, & facit ex aqua non aquam, videlicet ex molli, fluida, mobilique, duram, ſolidam, immobilemque. Si autem ſua eſſet natura frigus non deſtrueret, ſed ſeruaret, ſicut calor ſeruat, non deſtruit ignem cuius eſt natura: ergo frigus, aquas gelans, aliunde aduenit & ſibi natiuum non eſt. Cum ergo non ex aëre, quia calidus eſt, & caloris opus; nec ex aqua, neceſſe eſt à terra frigus manare. Terramque eius ſedem eſſe: quæ nimirum denſa, immobilis, compactaque eſt, cuiuſmodi entia fieri ſolent à frigore correpta. Perperam ergo Copernicus, & ſequaces, telluri frigus non natiuum faciunt: vel dicendum erat, an frigus ſit nihil, aut cuius corporis virtus. Nos autem in Phyſic. & in prima part. huius oſtendimus contra Heracl. frigus eſſe ens: & contra Epic. & Plat. calorem & frigus non eſſe apparentias in con-

gressu atomorum cum sentiente anima factas, sicuti titillicatiua vis, sed propriè entia actiua, suique diffusiua; non sensui hominis modò, sed vbique in nobis, & extrà nos mutantia corporum, & in se inuicem agentia ad necem: ergo ignis ex terra fugit tanquam ab inimica, quam sentit sibi molestam, & exitialem.

Resp. ad arg. Stel. Nec quia in fundo fluuiorum, & antris, & radicibus arborum seruatur calor in hyeme, tellus calida sit natura. Regio enim superior terræ à solis calore est immutata, occupataque continuo, vt colores, & fluores, & variæ concretiones, & scissiones, eius declarant: & quia frigus in aërem expanditur, & calor non potest ita attolli absque mole vaporosa, qua cum solet ad cognata regredi, remanet infra telluris ambitum in materia corpulenta ab eo occupata: nec in aërem elabitur, quoniam deest subiectum tenue; & frigus sæuit: Quapropter regreditur infra, vbi in materia solida vnitur magis. Propterea antra, & aquæ vt ventres animantium tunc calescunt: non solum respectiuè; vt Moderni dicunt, sed realiter, omnes enim actiones, & operationes conseruationis, & amplificationis gratia edunt agentes causæ: & quia magis in terra, quàm in aëre tunc seruatur, eo magis colligitur. Cum autem quidam suadere conantur aquas, & subterranea loca esse in æstate calidiora quam in hyeme, hoc argumento, quod nix in antris æstate visis frigidis posita citius liquescit, quam hyeme in antris visis calidis, cum reuerà, aiunt, non sint calidiores quam in æstate, nisi respectu hominis calefacti, cui minor color facit sensum frigoris; falluntur: nam & ventres hyeme calidiores experimur, & Medici contestantur, & vbi circunstat frigus, etiam ignis vesit magis. Neque nix liquescit ob calorem antri in æstate, nisi sit antrum prope superficiem: sed ob aërem calidiorem, & aquæ, & niuis ab vniuersi constitutione liquescere per sympathiam cogente, debilitationem.

Sed dubitatur, quomodo frigus hyemale in aërem inimicum expanditur, calor verò aërem amicum refugit, & terram inimicam captat? Respondetur, quod frigus est potentissimum in terra, & amplificatur tunc effusis viribus, liberisque à solis repugnantia: & aërem subito occupat, vexatque. Calor verò, cum sit extrà cognata entia, & languidus, in aërem frigefactum non exit: suaque intra terram tuetur opera, quarum forma est factus. Frigus quoque dicimus à Boreali regione in aërem expandi, vbi calor non ita egressum eius prohibet: vel etiam ex imo nostrorum climatum. Nam à calore languido robustum frigus non prohibetur: & possunt simul esse, pugnantia, vt patet in aëre: At reconciliata simul esse, & non contra inuicem pugnantia, veluti in misto à Peripateticis ponuntur, nos inficiamur.

Atqui ea ratione etiam, qua calor in aërem non expanditur hiberno tempore, sed ad radices arborum, & aquas subterraneas cogitur, & ad tuenda opera sua, declaratur sensu, & ratione præditus esse: veluti quoniam redit sursum, & tellus deorsum, & calor frigusque concentrantur ab inimico obsessi, sensus illis inesse demonstratur: & quidem sentiat calor oportet expansionem esse sibi vitalem, & constipationem exitialem, nisi vbi à contrario timet, & non molem, sed seipsum colligit, aliàs non tantopere vtrumque faceret: ergo & Mundus in Chaos versaretur. Sique Deus à rebus sensum tolleret, omnia in Chaos redirent, neque contra inuicem agerent: neque vitam suam conseruarent tot agendi modis, neque sese amplificarent, neque inimica destruerent, neque ad sua cognata redirent: & vbi inuenirentur persisterent perpetuo, sicuti dictum est.

Voragines autem ignis possunt à solis calore concepto paulatim agente, & se multiplicante, & terram ad vstionem disponente, fieri in terræ cauernis: sicuti & metalla, & fluores, & lapides, diuturno in tempore tumulatus producit exilis calor paulatim auctus: At si quis à centro inferorum illum educat, nihil contendo, dummodo thesaurum frigoris, & regnum, Tellurem esse primum fateamur. Nec cor mundi est Copernico Tellus, sed potius lien, & sedimenti vas, & carcer ignis, ex eo refugientis. Nec animal magnum contraria non admittit in in sui compositione. Quod autem sol non constet ex igne & tellure, & aquis, vti putant alij recentiores ante macularum solarium agnitionem, ex quibus nunc possent hoc dogma confirmare, suo in loco disputabimus. *In lib.*

Nihil esse in effectibus, quin praexistat in aliqua causarum, licet non eodem modo: At modum esse ab idea causæ eminentioris: & sensum praeesse in elementis, ex quibus animalia.

ART. VI.

NVNC autem corroborare oportet principalem propositionem, vnde animalia sentientia ex rebus non sentientibus minimè posse fieri, asserebamus: quoniam ens nullum potest, quod non habet, dare. Itaque ad impugnationem respondemus, quod sol facit plantas, & lapides, & siccitatem, & nigredinem, ipse albus, tenuisque, & non lapis, nec animal: quoniam non ex propria tantum substantia ista facit, sed ex terra immutata: verum propositio nostra id contendit; Nihil esse in effectibus, quod in suis non præsit causis. Nigredo autem, & siccitas sunt in terra: quamuis mistæ tenuitati, & mollitiei lateant. Calore autem tenuitatem perficiente, & in cælum eleuante, manifestatur siccitas, & nigredo terrestris: si hanc

comburas paginam albam, videre licet vaporem ascendentem, & nigredinem remanentem. Quod carbo accensus manifestius monet; ipse enim niger, à calore albo informatus, rubescit: abeunte verò calore, propriam nigredinem detectam ostentat: ex terra sicca, & aqua molli conficitur lutum, sed calor applicatus prius aquam in vaporem vertit, eleuatque, quam terram liquefaciat. Igitur luti siccitas latens sub humore molli, detegitur à calore, non autem generatur, nisi per accidens; quod non est verè generari ab eo. Quapropter Sol plantas producit, & animalia, & illis dat calorem, & motum, & tenuitatem, in quibus est clarior sensus. Terra verò dat materiam, & corporeitatem: organizatio verò fit à spiritu, cogente Necessitate, Fato, & Harmonia: quæ deferũt Ideam Sapientiæ primæ; cuius instar fabrefit animal. Quapropter cum in animali nihil sit nisi sol & terra, & modus siue Idea constitutionis eius, & hæc prius sint: nihil dubitare licet, quin sensus quoque præfuerit. Illud quoque falsum esse, ostendimus in 2. lib. p. p. & in Physs. ex non coloratis fieri colorata, & ex non corpore corpus: & ipsius Aristotelis, & Aphrodisei, & Auerrois testimonio conuincimus. Non quidem factiò esset coloris, & saporis, & corporis, sed creatio. Hæc enim est factio rei, nulla sui parte eiusdem rationis præsupposita. Idcirco enim Mentem humanam creari, dicimus, & non fieri, quamuis subiecta materia, in qua creatur, præexistat, quoniam nulla pars animæ, ex qua fiat præexistit, licet materia, quæ alterius rationis est, præfuerit, vt docet D. Thomas. Ergo si ex non corpore corpus fieret, crearetur; & quidem Arist. 3. de Cæl. contra Platonem probat, ex superficiebus non concrescere corpus, quoniam ex non corpore fieret: ergo multo minus ex materia, formáque incorporeis, vt concludit S. Iustinus: & ipse Aphrodiseus huius tenax assertionis, veritate conuictus, semper ex corpore præcedenti corpus sequens facit: & Auer. ex interminato corpore corpus producit determinatum sua forma: lucem quoque, & tenebras esse elementa colorum, docuimus, & ex eis fieri, non autem ex non coloribus; & fieri album ex non albo subiecto: sed non ex non albo principio actiuo: sapores quoq; actiones esse caloris, cum sua mole agentis in linguam, nos, & Telesius contra Arist. obtinuimus: odores verò vapores esse calidos, non ex non odoratis rebus prodire. Ignem quoque ex lapidibus frigidis excudi, quoniam in eis latet, à materiæ Crassitiæ sopitus: non autem à motu, & non calore generari, vt putant: si enim ita fieret plures, & ingentiores motus, & percussiones plus caloris facerent: At videmus non pro percussionis magnitudine, sed lapidis merito, plus minusuè educi: plures scintillas Marchesita vno ictu emittit, quàm pipernus ictibus multis: ergo ibi plus caloris latebat: qui à motu excitus, & laxata materia, vim sese effundendi, & manifestandi nanciscitur. Vnde & cinis, & sulphur in scintillis exire, supponenti chartam excipientem, apparet palam: ergò latet ignis in lapidibus, & lignis, & metallis à solis agentis calore in ipsis remanente. Non ergo ex nihilo sui fit aliquid per se & verè; alias vbique & omni ex materia quodlibet fieret, vt contra seipsum benè Lucretius argumentatur; dum contra religionem creationis pugnat. Ostendimus quoque in Commentario de Sensu rerum, viuum non dare mortem, quam non habet: neque scriptorem scripturam, quæ non est ipse, facere. Nam idea scripturæ est in scriptore; ideo ipse scribit, non autem scribit idiota, nec lignum, nec Asinus: Et viuus occidit, quoniam ideam habet occidendi. Et inscius occidit amicum, quem non videt, vel ebrius, casu, aut furore: Nihilominus dat, quod habet, scilicet mortalitatem, quamuis non adhuc mortuus: vel idea occisionis est in prima causa; quæ tradidit illum ad mortem in manu occisoris, vt dicit Moyses in lege Domini. Item non videtur occisor perse occidere: ipse enim aperit modo viam spiritui, vt foras egrediatur: gladius autem facit foramen sibi consimile in figura & magnitudine: & occisor ergo dat quod habet, sed per accidens sequitur mors, non per se, nisi intendat illam occisor, quod fit propter, sed non per se. At quidem ea ratione, qua cupit annihilare hostem, non potest: cum enim sit homo ens, non potest dare non esse. Vnde neq; calor occidit frigus per se, largiendo illi non esse: sad dat proprium esse materiæ frigidæ calefaciendo: ad calefactionem autem sequitur expulsio frigoris, aut mors, per accidens, & secundario. Non enim calor intendit frigoris mortem, sed propriam amplificationem, & vitam, sed hanc sequitur mors per accidens: quoniam frigus non compatitur calorem secum. Inferius quoque ostendemus, quod neque Deus summum ens potest dare non esse, & annihilare per se. Sed subtrahit à rebus esse, si vult, & per accidens fit non esse, sicut calor subtrahit albedinem suam, & per accidens ostenditur carbonis tenebra ab eo, non autem fit. Ita si Deus subtrahat à rebus esse, patet subitò ipsarum non esse: sed hæc inferius examinabuntur. Nunc autem liceat concludere, ex eo quod sensus non est nihilum, nequit per accidens fieri. Et cum sit ens, quamuis per accidens à non sentiente te fieret, tamen necesse esset, ipsum in alia re, vnde per se erat, haberi. Siccitas, & nigredo, licet non sint à sole per se, tamen sunt à terrestri materia, & ex nihilo non fiunt: cum verò pergit Lucretius, quia ex non animantibus fit animal, & ex non ridentibus, neque lacrymantibus, fit ridens, & lacrymans, & ex non lapide lapis, consequens est, vt sensus ex non sensatis possit oriri) stulte loquitur; etsi enim ordo, & figura, & situs, vt ipse opinatur, formas, differentiasque corporum faciant: Nihilominus præfuisse oportet, in Idea primæ Causæ huiusmodi ordinem, figuram, & situm; & fato, & Necessitate, & Harmonia, fluentibus à prima causa, cogi corpuscula ad talam ordinem, situm, & figuram, & non solo casu, vt sequentes declarabunt sermones. Item palam est, corpora de se non esse actiua, & in hoc rectè dicit Auicebron; In Mundo autem dantur actiuæ causæ, vt calor & frigus: ipsa quoque anima agit, & operatur. Non ergo passiuorum corporum solo ordine, & situ mutatorum, res actiuissima fieri posset. Fatemur nos, ex non lapidibus fieri lapides, & plantas, & animalia ridentia & lacrymantia: Verumtamen nihil esse in lapidibus, plantis, & brutis, quod in causis non præfuerit: ordo enim & situs, cum non sit à casu, sed propter finem, vt contra Epicureos demonstrabimus: (oculus enim ita formatus est, vt videamus, sicuti penna hæc aptata est, vt scriba-

mus ab Arte imitante naturam, longè potiorem in præstituendo finem, vt in prima parte probauimus) necesse est dicere, in primo artifice præfuisse, quoniam pertinent ad ideam. Calorem verò corpus, motum, sensum in naturalibus elementis præcessisse, aliàs non ex certis rebus, sed vndique, & vbique res cunctæ fierent. Animal ergo præfuit & sensus, & lacryma, & risus; sed non eodem modo, quo nunc sunt in animali. Risus enim est dilatatio spirituum in labiis ostensa: & dilatatio est in rebus, & lætitia, sed non ita, vt in animali, aliàs omnia formam animalis haberent. Lacryma quoque est cerebri humor, à spiritu sese abdente, & conspectum fugiente, & tumefaciente, & impetu confluente, foras eductus: humor autem in rebus est, & timor, & motus, & fuga: sed non ita vt in homine: lapides quoque fiunt ex terra & calore, qui non sunt lapis: sed lapis nihil habet, quod in illis non præfuerit, nisi situm partium vnitiorem iuxta ideam diuinam: situs autem præest & partes, & hæc omnia, quæ in lapide visuntur, sed non in tali forma. Domus quoque est in lapidibus, cemento, lignisque, sed non in ea forma, quam mox ab ædificatore consequuntur; qui sanè nihil facit ex non ente: sed & materia externa, & idea interna, quæ præsunt. Neque Deus ex nihilo prorsus facit res, sed ex suis ideis, & participationibus. Nihilum autem concurrit ad compositionem Metaphysicam, tanquam terminans, & distinguens, non tanquam agens causa, aut principium originis, vel ordinis, vt in prima par. præmonebamus. Quapropter cum sensus entitas sit, vel entitatis opus, præfuerit est necesse: sicuti docemur, cum dixit, *Producat terra animam viuentem, & producant aquæ Pisces & volucres*: ex eo profectò quod habent, & quia non habent animam humanam Deus inspirat homini spiraculum vitæ: vt ex Patrum test. probatur in Apolog. de Sensu rerum, & quia nihil probarũt aduersarij contra nos, examinanda restant dogmata eorum de vis sensitiuæ productione ex non sentientibus causis.

Variæ sententiæ de Formarum substantialium, & accidentalium generatione, & principio formatiuo, & præsertim animæ & sensus, de quo inquirimus.

ART. VII.

ALII igitur opinantur, animam sentientem educi de potentia materiæ, sicut & omnes formæ. Quapropter cum calor generat calorem, non migrat ab agente in patiens calor per calefactionem, sed quia patiens est in potentia ad calorem, reducitur in actum à calefaciente: & ita putant, simile à simili generari, quoniam quod præest potentia in materia, fit actu ab habente actum: igitur ab animato agente producitur animal: & ne cogantur formas de foris generare, sicut Platonici ab ideis, dicunt, ipsas non generari, neque corrumpi, sed compositum generari, & corrumpi. Non enim fit sphera, sed ænea sphera, vel æs sphericum: ita nec anima, fit sed animatum: & diuisi sunt Peripatetici in hoc, quoniam alij ex materia nuda producunt animam, & materiæ etiam non quantæ, nec quali ingenerant: & isti putant Animalia, quæ ex putrefactione oriuntur ab agente æquiuoco de potentia in actum reduci, ab ipso nimirum cælo per motum animæ cæli. Alij verò putant, latitare formas in materia, vt Anaxagoras, & ex entibus confusis fieri entia mox distincta. Alij dicunt, latere in materia non formas, sed inchoationes formarum: quæ virtute agentis extrinseci reducantur in actum: aliàs genetatio esset creatio, vel violenta, vel ab extrinseco, sicuti artificiatorum factio: ita dicunt Albertistæ, quoniam Aug. rationes seminales dat. Aristoxenus verò putat, animam esse Harmoniam contrariorum elementorum. Galenus verò, temperiem eorundem, nam temperiem cerebri, dicit, esse animam rationalem, sentientemque: cordis verò vitalem irascibilem; iecoris naturalem vegetatiuam. Aphrodisiensis tandem putat, non esse temperiem, neque Harmoniam, sed potestatem quãdam ex mistione elementorum resultantem: veluti vis medicinæ compositæ ex multis simplicibus pharmacis resultat longè nobilior illis: & speciem esse, actumque corporis misti, non autem materiæ nudæ, vt alij dixerunt. Epicurei verò nullas esse virtutes actiuas in natura putant, sed ex concursu atomorum nasci: Animamque ex rotundis atomis constare, & quotidie nasci, & renasci: nam dormientibus abest. Auicennas verò horum impossibilitatem deprehendens, Colchodeam ponit datricem formarũ substantialium. Accidentales enim, vt calorem, & frigus, & humorem, & siccitatem, circularitatem, reputat esse passiones materiæ, & in ea à seipsis fieri, & variari secundum mistionem. At alij Machometani etiam accidentales à Deo creari formas, credunt, quoniam de subiecto in subiectum non migrant accidentia: & hi dicunt, eiusdem esse speciei animalia genita ex spermate, & ex putrefactione: & omnia sponte oriri posse: quoniam Colchodea dat formas, aut Deus, qui ex spermate, & sine spermate generant. Auerr. verò nequaquam esse eiusdem speciei ranam ex rana, & ex luto genitam, contendit: quoniam alias habent materias, & alias agenres causas. D. Thomas verò opinatur eiusdẽ esse posse, si contingat, ex semine, & ex putredine posse generari, vt mures, ranæ, pediculi, &c. Ante hos omnes Platonici ab ideis deriuant formas rerum: putantque posse ex semine & putredine eandem speciem oriri. S. Iustinus martyr. ex incorporea causa diuina materiam, formas accipere declarauit in q. ad ortodoxos: & S. Boëtius ex formis incorporeis abstractis formas corporales ortũ habere dixit, teest D. Thoma 2. cont. Gent. Aug. ex substantia, & luce, quæ est materia Animarũ, sicut moles corporea corporũ: dat. n. triplicem lucem. i. Angelicam ex qua constãt Angeli; corporalẽ ex qua sidera ignis, & corpora lucida: & sensitiuam, ex qua infusa Mundo fiunt Animæ brutor. Nam de Animarum humanarum origine cum diu dubitasset, creationi ex nihilo tandem ipsas committit.

Formas nullas, neque proinde animam, esse in potentia materiæ, neque inchoationes formarum in gremio materiæ latitare; neque produci ex ea, sed recipi in ea.

ART. VIII.

NOBIS autem impossibile videtur, quod ex gremio materiæ inertis, insensatæ, sensus oriatur, aut alia actiua forma. Materia enim passiuum principium est, receptiuumque formarum. Ergo non datiuum: sed si quis det, recipit illas. Esse quidem in potentia materiæ pura, est tantum in ea posse reperiri, non autem in eius gremio latere: nec ipsam posse in formam conuerti. Impossibile est enim naturam passiuam fieri actiuam: & corpoream fieri incorpoream: esto enim quòd formæ materiales, veluti circulus, & triangulus, sphera, qui sunt corporis termini, aliquo modo lateant in materia, quia non res noua, alteriusque substantiæ in materia est inserenda, sed ipsamet materia istis etiam formanda, vel per sectionem, vel per extractionem, vel per flexionem causæ agentis: quamuis nec sine idea agentis primi, qui omnibus velut instrumentis vtitur: tamen formas actiuas, quales sunt calor & frigus, cùm sint sui multiplicatiuæ, & alterius essentiæ à materia, & non perseuerent vti sphera absque actione, ab ipsa materia educi, impossibile est, vel materiam in ipsas conuerti: & cum anima actiua res sit, è materiæ sinu oriri nequit. Porrò si nec ex materia fit forma: neque latet in materia forma, vel pars formæ: ergo ipsa ex nulla sui parte fit: ergo creatur, quod negant: sed falluntur Peripatetici, quoniam vident à motu calorem excitari, & ex semine plantam oriri, vnde putant omnes formas similiter materiæ inesse: cùm tamen falsum sit, nisi ab agentibus causis indantur; lapis enim à sole genitus calorem habet, qui possit excieri motu: & semen spiritum habet, qui possit animal, & plantam efformare; & in putrefactis producuntur animalia, quoniam calor sensitiuus est, spiritumque ex mole attenuata auctus ipse generat, ac proinde ex crassa in qua retinetur mole efformat animal, vt Basilius, Ambrosius & Athanasius in Apologia citati etiam docent. At nisi præexistat sensus, nullo pacto sensatum fiet ens. Igitur ex materia prima, quæ omni caret forma stupidissimè formas educunt Peripatetici, & propriis conuincuntur exemplis: & quando Arist. hoc negotium examinat in 3. de gen. An. cap. 11. putat in putrefactis inesse terram, aquam & spiritum, & in spiritu calorem, vt quodammodo omnia animæ sint plena: vbi etiam Auer. elementa, & calorem animata esse fatetur de mente Arist. in Metaphys. verò 7. & 8. & 9. & 11. & 12. putat in seminibus inesse artem fabricandi animal, veluti in mente artificis est ars fabricandi domum: Ergo vis animalis inest, & non ex pura potentia materiæ, sed ab agentibus causis: & in putrefactis inesse arbitratur aliquid simile semini: quoniam nullum ens fit, nisi à suo simili, & vniuoco: & hoc contra Platonem asseuerat sæpe. Quid ergo opus esset simili exteriori, nisi aliquid det? numquid propriam excitabit similitudinem, non autem dabit? Hoc falsum est. Nam ædificator dat ideam suam ædificio, & scriptor scripturæ, aliàs, & qui non est scriptor, scribere posset: & calor calidum facit, & frigus frigidum: Ergo omne agens dat passo suam similitudinem: sigillum quidem apertè condemnat hanc opinionem, quod nimirum suam imprimit formam: & non educit de potentia ceræ formam. Illa autem dicitur in potentia, quia recipere potest, non quia dare: & vt docet Arist. in 9. Metaph. dicitur potentia passiua, non per se, sed respectu actiuæ: & tunc verè est aliquid in potentia, quando pars rei faciendæ est in illo iam facta per dispositiones præuias. Non enim dicitur terra in potentia animal, sed semen: & tunc magis cùm propè actum peruenit: ergo materia non dat sensum, nisi habeat actu aliquo, vel recipiat. Item si in materiæ potentia sint omnes formæ: ergo contrariæ formæ simul erunt: actus enim potentiaque eiusdem generis sunt: Igitur si actus contrarij, potentiæ contrariæ: quomodo autem potestas caloris, frigorisque simul natura sint, quis fingere potest? præsertim verò in eodem materiæ puncto. Falso quoq; fundamento innituntur, quod videlicet formæ agentes non per se generentur. Nam materia non generatur, neque corrumpitur: ergo forma generatur. Compositum verò est materia formaque simul. Igitur compositum non per se fit, se per aliud, id est, quia fit forma, sicut ignis non calefacit, nisi quia eius calor calefacit: Diuus Thomas probat, Deum non esse compositum ex materia & forma, quoniam non per se ageret primò, sed per formam: Et Caietan. contra Scotum probat, quod intellectus, & intelligibile non producunt intellectionem tanquam duo principia partialia: quoniam, inquit, solum species intelligibilis per se intelligeret, & non intellectus, sicuti aqua calefacta non calefacit, sed calor quo actuatur: licet aqua denominetur calefaciens: ergo cōpositum denominatiuè generatur, forma autem quidditatiuè: & sicut albedo quidditatiuè disgregat visum, nix verò denominatiuè, denominatur enim ab albedine alba: ita forma per se fit, & generatur, & agit quidditatiuè: compositum verò per illam: ergo neque verum est, quod anima non generetur, sed compositum: & hæc videtur fuga vana: quam vanitatem insectari eorum testimonio licuit. Item illud etiam irrationabile videtur, quod asserunt, ex putrefactis generari animalia imperfecta à cœlo: & cùm obiicitur impossibilitas, quia cœlum inanimatum non potest animata facere, respondent, quod non virtute sua, sed virtute intelligentiæ mouentis, facit animal. Itaque quæro ab eis, num intellectus mouens influat animam in materia, nec non? Si influit, ergo ab extra recipitur: si non influit, quid prodest esse animatum ad

1. p. q. 215
1. de gen. an. cap. 1.

generandum animal ? Melius Auerr. aliquid ponit in semine, & in putri materia persimile virtuti seminis: & D. Thomas dicit, illam virtutem esse calorem, spiritumque. Verùm Arist. dicit, non esse animam, neque in primo, neque in secundo actu: sed sicut qui neque habet artem cytharizandi, neque cytharizat, ita nec anima, nec opera animæ in semine affirmat: sed solummodo motum inditum à generante, qui remanet in suo instrumento, sicut virgæ motus in virga: & sua virtute indita à generante, producit animam, vel animatum corpus: Ergo & in putrefactis solus est motus cœlestis, & nulla pars animæ, cuius contrarium in Metaph. docuerat contra Platonem. Sed hæc assertio eius est stultissima. Non enim motus virgæ, absente motore, augetur, sed deficit: vis autem in semine, & putredine semper crescit, donec educat, perficiatque animal: motus quoque est accidens, & veluti nonens: quod ad entis perfectissimi generationem ineptissimum est. Animal præterea summo artificio constat, & longè diuiniori, quàm artificatum mirificè horologium, aut molendinum: Igitur motus de se stupidissimus, nec ideam sciens absente motore, nullo pacto tantam artem apponet in formando animali, qua ipse caret, nec habere potest. Ergo spiritus sentiens saltem semini concedendus est, concessus ab Alberto, Thoma, August. Amb. Nysseno, & ab ipso Aristotele aliquando, & in putrefactis similiter. Nam quamuis ad ideam primi entis animal efformetur, à bene cognoscente virtute ita efformari, necesse habet: sicuti seruus sapiens exequitur præceptum ideale domini sui, non autem asellus, aut lapis, aut motio relicta, aut quoduis instrumentum sapientiæ expers. Mirum præterea quomodo agens, quod nihil dat, potest generare sibi simile per dissimillimum motum: & committere ineptissimæ entitati, & quasi nonenti, operosissimum & industriosissimum opus.

Deterius quoque videntur errare, qui formas imperfectas latere in materiæ sinu docent, & virtute agentium perfici causarum: si enim in vna eademque parte materiæ formæ insint tales, cum maximè contrariæ sint, dicendum est, qua ratione conuiuunt. Item quo pacto vbi agens forma regnat in deuictissima materia, non omnem eius sinum ab omni sibi contrario purgat: calor sane ita materiam permeat, vincitque, vt nullum receptaculum seipso vacuum relinquat: Ergo non modò frigus latens postea oritur virtute infrigidantis, sed nouum frigus inditur materiæ, in qua regnat calor. Idem igitur & de cæteris formis dicere licet: si enim formæ latent in materia, sunt in actu: ergo seipsas educunt de potentia materiæ. Nam agens non dat aliam partem formæ, neque virtutem nouam: quoniam non transit accidens, vti etiam dicunt, de subiecto in subiectum: Neque generat virtutem, quoniam de potentia materiæ ipsam educeret: neque partem virtutis, quia etiam educeret: ergo nulli vsui videtur deseruire agens, nisi det virtutem saltem. At si dat virtutem, nihil prohibet quin magis est necesse, & formam ab eo dari. At quis non cognoscit in proiecto lapide virtutem agentis? Ergo si datur communicatio ab agente, non erit eductio de gremio materiæ generatio, sed ipsa communicatio, vt dicebamus. Præterea, si cœlum generat ex putrefactis, cur ad producendum hominem indiget alio homine? Non quidem ob hominis perfectionem, vt aiunt: quoniam perfectius ens à perfectiori causa emanat: & conuenientius est tribuere cœlo & suæ intelligentiæ hominis factionem, quàm lapidis, & ranæ. Homo præterea non intelligit quo pacto generatur homo in ventre fœminæ; sicut nec calamus quod scribit: ergo concurrit quasi instrumentum: ergo non perfectionis gratia requiritur. Sapientia enim intelligentiæ cœlestis perfectius operatur, quàm homo inscius suæ actionis. Igitur motus cœli in virtute intelligentiæ deberet hominem producere, magis quàm murem: cur enim vilia facere Agens nobile, & sapientię plenum, & non perfecta: insipiens verò agens, & vile perfecta potest, non ignobilia producere? Id nunquam delarant Peripatetici: & qui formarum latitationem ponunt, stultè à cœlo viles perfici, & à causis vilibus perfectione donari nobiliores opinantur. Tandem cùm Peripatetici negent, formas amplificari à seipsis: & negent ab agentibus causis ingenerari: sed tantum educi de materiæ sinu; oportet eos affirmare, generationem esse creationem ex nihilo: quoniam si ex pura potentia materię fiunt formæ & virtutes, & accidentia: & in materia non sunt, sed possunt esse, nec ab agentibus dantur: Ergo ex nihilo fiunt: vel materia ipsa vertitur in formas, quod impossibile & ipsi arbitrantur. Item, si præcedunt inchoationes; oportet illas esse formas imperfectas: quæro postea vnde suscipiunt augmentum, & perfectionem, si non suscipiunt magis & minus iuxta eorum dogmata? Et dato quod suscipiant: quæro de accidentali calore, quomodo augetur: si enim à seipso, ergo formæ seipsas generant, nam calor vt tria faciens seipsum vt quatuor, producit sui partem: si se generat, & effundit: ergo non de potentia materię eliciuntur formæ, sed est vis multiplicatiua in agentibus causis: si de potentia materiæ: ergo causa agens exterior nulla requiritur, quonia iam est inchoata forma, & seipsam educit, & auget. Agens enim si nihil dat, non adiuuat inchoatæ formæ conatum: si dat, ergo omnem formæ portionem det, oportet, quoniam hoc confitentes, & illud confitentur: si tantum remouet impedimenta, ergo non generat, sed per accidens dicitur generare, quia remouet prohibens, at genita forma manifestatur: sicut Aristot. per accidens mouere lapidem deorsum, putat, hominem, qui remouet impedimenta; qua stultitia asseri potest, in frigidissima terra, vel in calidissimo igne latere inchoatum calorem, frigusue? Vide quantis argumentis sanctus Iustinus hanc stultitiam condemnat.

Formas agentes, & ipsum sensum, non esse corpuscula, contra asseclas Democriti: nec actiones fieri de fluxu atomorum.

ART. IX.

PEXIME autem Democritus, & sui Epicurei, nullas esse virtutes actiuas, arbitratur: & actiones fieri ex defluxu atomorum, & ex corpore nõ actiuo: passiones verò eorumdem receptione. Manifestè enim lux & calor & frigus actiua sunt principia, se se amplificantia, & in inuicem agentia, occidentia, & generantia: corpus præterea additum corpori facit maius: segregatum verò minus. At ferrum ignitum non fit maius, cuiusmodi fieri oporteret, si calor esset corpus, nec frigefactum augetur, sed potius cogitur, & imminuitur: vnde vides, vim rarefaciendi esse in calore, & condensandi in frigore. Vtrumque autem augeret, si corpora essent, & non augerent per rarefactionem, sed per coaugmentationem, & impletionem occupatæ molis. Item sol continuo effundendo lucem, continuò imminueretur. Reprobauimus autem in physic.q. quod non minuitur, nec nutritur vaporibus, vt veteres, & hodie Galileus credunt: speculum quoque plus lucis excipiens, augeretur: & ita stulti sunt Epicurei, quòd putant, solem quotidie nasci ex nouis atomis, è terra eleuatis ignita: & quotidie in vesperi occidere, extinguique, quoniam caloris copiam effusi emittens, seipsum imminuit. Quam stultitiam non modò oracula diuina, sed omnium nationum testimonia, & præsertim nauigantium ad Americam, & circumdantium orbem terræ per Oceanum Australe, conuincunt. Calor quoque intra nubes occlusus seipso augetur concentrato. Similiter & frigus: hoc autem non possent facere, si corpora essent: Constrictio namque corporibus est imminutio. Nec seipsa ex aliorum corporum additione augent, cum potius à corporibus aliis comprimantur præsertim à contrario: frigus enim à calore circumdatum augetur: calor autem in frigoris materiam non inuertitur: ergo augent seipsas: ergo actiuitas non est ex atomorum defluxu, sed ab interna potestate, vt dicebamus. Motus præterea omnis esset violentus, omnisque generatio. Item in speculo lux augetur, & non additione atomorum: ergo seipsa: nam extra speculum in aëre cur non magis augeatur, vbi atomi incorporabiles magis adsunt illi? Longè melius sapit Auicebron, qui nullam dat corporibus actiuitatem. At dato quòd calor & frigus sint corpora tenuissima, oportet adhuc illa esse prædita sensu: quoniam mutuò se se auersantur, & in inuicem agunt & patiuntur: fugiunt, vniuntur; arte se se tuentur, & quæcumque edunt animalia opera vitæ, & sensus, cæteris insunt quoq; rebus. Item, si corpuscula hæc sint, tenuissima esse oportet: ergo à crassis extrudi semper sursum iuxta dogmata Lucretij. At nunc videmus lucem venire deorsum: quod impossibile illis videri debet, si corpus est. Itẽ nec frigus in terra viuere posset, sed extrudi sursum ad sidera, quoniã tenuissimũ est adeò, vt ferrum, & lapides permeet: ergo oportet fateri nõ omnia entia esse corporea, & corporea & incorporea entia sensu prædita esse. Item creatio, & non generatio fieret rerum: quoniam corpora non habent actu, nec potentia actiuas formas: ergo neq; vnde oriantur, nisi ex nihilo, nos docebunt: situs enim, figura & ordo, materiales tantum differentias faciunt, non actiuas: oportet ergo præter corpora dare causas actiuas. Nec enim quomodo à se moueantur corpora, & præsertim industriosè ad formandum animal, docebunt nos.

Animam, cæterasque formas non esse Harmoniam, temerè ortam: neque temperiem: neque speciem organici elementati corporis.

ART. X.

ARISTOXENVS quoque & Galenus, & Aphrodis. non minoribus premuntur absurditatibus, ex insensatis elementis producentes sentientem animam: constat enim, nihil esse in elementis, quod ab elementis non contractum sit. Virtutes ergo & potestates speciesque vel sunt ipsa elementa, vel eorum Harmonia, & temperies, vt aiunt: At anima, sensus, ratioque sunt aliquid longè nobilius, diuiniusque, & superioris ordinis: licet autem virtutes omnium vnitæ, quid vnum nobiliusque faciant: nihilominus non quod excedat ipsas, præsertim si se mutuò comminuunt, deteriorantque per pugnam. Non quidem oximel aceti mellisque excedit vires: & quamuis mutetur in quid nobilius, oportet illud nobilius, vel ab extrinsecis causis aduenire, vel ab eisdem viribus suam molem, cùm auctæ fuerint, dignificantibus: Auctio verò non potest ab aucto alienum esse. Nec enim calor exilis factus robustus mutat genus: multò autem minus imminutus. Igitur nobilitas ab extra veniet: ergo sensus ratioque non ab elementis commistis producitur, sed ab externa nobiliori causa, veluti ab ideis, aut à Colchodea. Dictum quoque Aristoxeni inualidum est: si enim Harmonia quatuor contrariorum facit animam: cùm in omni misto insit Harmonia, omne mistum erit animatum, vt Alexander ipse infert. Nam nisi æquentur contraria, non fiet mistum in doctrina eorum: sin verò aliquod ex elementis excedat viribus, aliquod verò materia, vt ipsi putant: tunc virtus animæ sensusque tribuendus est magis elemento, viribus excedenti, quàm materialitati: ergo sensus proprius erit illius elementi, & non omnium: neque mystu-

ræ: quoniam miſtura, & elementa omnia ſunt in omni miſto: Non autem exceſſus virtutis alicuius, vel aliquorum ex miſcibilibus. Item, Harmonia, quæ reſultat ex fidibus muſicis eſt quid aliud differens à fidibus, & à vocibus: attamen ex eis reſultat, & aëris percuſſione taliter moti: ſed fides voceſque non caſu edunt harmoniam, ſed ab Artifice paratæ ad ipſam: Ergo ſi Artifex aliquis cōponit elementa ad animæ productionem; ipſe ſapientiſſimus erit: & ab eo defluet ſenſus in miſturam, & non à caſuali miſtura: & redibit opinio Auicennæ & Platonis; ſin verò caſu miſtio ad talem harmoniam fiet, vndique poſſet, & quomodolibet gigni animal: nec determinatè quodlibet ſuum ſimile producet: ſi autem debita miſtio ad talem harmoniam præcequiritur, & certa modificatio miſcibilium quodam caſu effincta: omnia à caſu venient, quoniam & rationalis anima à caſu eſt: hanc autem ſententiam inferius reprobabimus, quoniam & nos multa conſilio gerimus; & Natura propter finem artificiosè gignit omnia. Datur ergo prima Sapientia: Ergo melius ab hac deriuetur anima, quàm à caſuali cōgreſſu inſenſatorum miſcibilium. Item Harmonia & temperamentum non progreditur extra ſubiectum ſuum. Anima autem cœleſtia intuetur, & diuina cogitat, & mundum omnem permeat: Harmonia non eligit bonum, nec reprobat malum, nec reſiſtit paſſionibus corporeis, nec reprimit iram, nec triſtitiam; quoniam cùm ipſa ſit corporalis affectio, nec præuidere, nec dignoſcere iſta poſſet. Harmonia quoque reſultat ex intentionib. vocum, & chordarum: At anima præcedit, quoniam ipſa architectatur corpus, & organizat mirifico apparatu. Item Harmonia eſt reſpectus quidam: Non enim niſi nobis eſt, noſtroque ſpiritui harmonia; aliis verò rebus minimè: ſicut dulce eſt mel nobis, amara geniſta: capris verò è contra geniſta dulcis eſt, mel verò amarum: ſentiens autem anima non eſt reſpectus quidam, ſed verè ens, iudicans omnia entia. Item harmoniæ eſt iudicari, non iudicare.

Galenus quoque eiſdem argumentis confutatur. Nam temperies fit ab anima, ergo non eſt anima. Item temperies elementorum nihil addit ſupra vires elementorum, niſi vnionem: Quoniam Galeno nihil videtur in rebus eſſe elementatis, quod ab elementis non acceptum ſit: Ergo ſenſus præerat in elementis. Item nullus effectus excedit ſuam cauſam: Anima autem excedit elementa: quoniam non modò materiales res elementares nouit, ſed incorporeas, diuinaſque, vt honorem, ſapientiam, deſpectionem, virtutes, religionem, & intelligentias. Hæc autem elementorum partes non ſunt, neque paſſiones. Item cogitatus animæ excedit elementa, & cœlum & mundum, & ſupra hæc omnia extollitur. Nec temperies excedit ſubiectum, anima autem vult, & ſentit à longè valdè extra ſubiectum. Item cùm temperies à prædominante elemento habeat motum, mouebit vno tantum motu ipſa corpora, vel ſurſum, ſi ignis prædominatur, vel deorſum. Hæc ratio valet contra eos, qui vnum modò motum dant vni elemento. Item temperies cerebri, quam Galenus putat eſſe animam ſenſitiuam & conſultricem, manifeſtè ſtupida eſt: & ſi tangatur, non ſentit, vt ipſi fatentur Medici: quomodo ergo cœlum, æquinoctia, ſidera, & remotiſſima, & diuiniſſima entia conſiderabit? furor eſt prorſus ita opinari. Nos autem in Apologia contra Galeniſtas, ponentes triplicem anmam in corpore noſtro, diſputauimus; oſtendimuſque, ſpiritū intra cerebrum habitantem eſſe animam, non autem cerebri temperiem ſtupidam inertemque, quæ ad eius tutelam ex molli ſubſtantia ne in oſſa dura impingat, & laceretur, aut contundatur ſpiritus, fabrefacta eſt, quaſi lectulus mollis, blanduſque. Verum eſt quidem, mores animi ſequi corporis temperamentum: quoniam ſpiritus ipſe corporeus eſt: & iuxta eius paſſiones afficitur & anima à Deo nobis immiſſa: in brutis verò prorſus ita ſe habet. At & ipſa propriis aliquando affectibus repugnare, dum à contrariis paſſionibus ſimul agitantur, ſæpe viſuntur & quaſi ſyllogizare quid proſequendum potius ſit, ſyllogiſmo tamen ab affectionibus & viſis impreſſo, non libere expreſſo & ſenſitiuo, & non mentali. Vnde non ob id temperies erit ipſa anima: neque ſenſus in anima à temperie manat, ſed præexiſtit in cunctis rebus, vt dictum eſt, alio tamen modo in aliis.

Eiſdem rationibus conuincitur Alexandri ſtultitia, qui habitum, poteſtatemque miſtioni aduenientem, putat eſſe animam: nihil enim ab extra aduenit, in brutis præſertim, vt ipſe docet, niſi ab elementis: ergo nunquam dicet quî fieri ex illis inſenſatis poſſet ſenſus. Nec in homine intellectus actiuus ab eo, & Ariſt. ſuo additus, facit ſentientem eſſe paſſiuum: ſed ſpecies externas à materia ſeparat, vt paſſiuus ipſas ſuſcipere poſſit, intelligereque: quo pacto autem communicare elementaris facultas ſtupida cum diuiniſſimo intellectu externo poſſit, non declarant: neque quomodo ex ſtupidis elementis paſſiuus, mirifica intelligens, fiat. At inquit Alex. exilem in principio diuerſitatem magnam eſſe in fine: Itaque ex parua elementorum differentia, poſſe ingentes oriri. Itaque & altricem mox animam, deinde ſenſualem, & tandem intellectiuam fieri procedente temperatura: hinc & organica corpora fieri, quæ maxime ab elementis diſtant: Ergo & formas à formis elementaribus remotiſſimas. Huiuſmodi autem ſunt animæ, ſpecies nimirum organici corporis, ſicut grauitas eſt ſpecies ſimplicis.

i.d. An.

Sed hæc ſententia ſeipſam necat. Nam organicum eſſe corpus non ab elementis fit, ſed ab organizante anima, vt etiam Plato probat: organa ſiquidem mirifico apparatu fiunt propter animæ functiones: ergo ab anima fiunt, vel ab alia exteriori ſapientia. Non enim elementa inſenſata facient organa ex temeraria miſtione, ſui vſum non præconſiderantia: ſed à fabro ſapientiſſimo fieri, neceſſe eſt. Nunquam enim malleus, & lima, & gladius, ex miſtura ignis & ferri per ſe fient abſque fabro; neque ex lapidum & cementi adunatione domus camerata, & feneſtrata conſurget, abſque domificatore: Ergo neque organicum corpus præſertim ab elementis ſe ſe mutuò deſtruentibus: ergo nec ſpecies eius, quæ eſt anima. Item deſtructa forma, deſtruitur id, cuius eſt forma, etiam apud Ariſt. at abeunte anima adhuc remanent organa, vt oculus, auris, manus: ergo non forma organorum, neque totius organici anima eſt, ſed aliquid per ſe exiſtens, vel corporeum, vti ſpiritus brutorum, vel incorporeum, vti mens humana. Operationes quoque ſenſus manifeſtè ſunt in calore, & frigore: igitur non organicum modò corpus ſenſum habet, ſicut ignis leuitatem. Item neque ſi multa in fine miſtionis eſt diuerſitas, eo reducetur, vt poteſtatem nanciſcatur à ſeipſa, longè ſeipſa nobiliorem, & quæ ſidera, & mare, & mundum permeet & metiatur,

tiatur, & Deum sapiat, & colat. Neque quæ addit Alexand. in 2. de an. c. 23. docent nos, quod cupimus, ait enim. *Is intellectus actiuus siue solus gubernat res, quæ in hoc orbe sunt ad relationem diuinorum, & concernit, ac discernit, vnde ipse intellectum possibilem ereat, siue cum ordinato certoque cœlestium motu: siue ab eo procreantur, & ab intellectu nostro, vel ab his, & ab eorum motu natura proficiscitur, ipsa autem res singulares vnà cum intellectu gubernat*, &c. At quantum vis afferat intel-tellectum agentem, & cœlestes motus Alexander ad productionem intellectus passibilis, nihil demonstrat, quî ex insensatis elementis illum creent. Etenim non influit passiuum intellectum Alexandro actiuus, veluti Auicennæ Colchodea, neque motus cœli stupidus, & quasi nonens tantam animæ diuinitatem parit, nisi ab intelligentia orbis cœlestis deriuet: quod non vult: ergo vel ex nihilo erit, vel ex insensatis elementis, quoniam deforis non est, quod est similiter etiam in brutis: ergo frustra ad temperiem recurrebatur, & stultè idearum defluxus negatur, & alius introducitur ab intellectu agente, non dissimilis. Nec Arist. rationes contrariæ ab Aristotelismo pensantur: omnis quoque rei formatio erit ab hoc intellectu, ergo non ab elementis: ergo & quidquid dicit Alexander in libro de mistione, & de Fato contra Deum Stoicorum, in vilissimis rerum formationibus tanquam figulum occupatum, contra seipsum dicit: & hoc ipse videt, & dissimulanter declarat: sed stat firma demonstratio nostra, quoniam deprehendimus sensum in calore, & frigore, & in corpore antequam organizetur: oportere res cunctas sentire, & sensum non esse organici formam. Omitto rationes innumeras, in Physicis à nobis explicatas, quod anima non sit forma: Nam in dormientibus est forma oculi, & non videt, & in mortuis: & cum quis intentè intuetur, minus audit: & cùm attentè musicam audit, non videt prætereuntes; quoniam spiritus, non forma ab oculis ad aures occurrit; & vnum oculum claudunt sagittarij, vt totus spiritus sentiens ad alterum confluat, perspicatiusque scopum videat, vt notat Augustinus, & sonis mouetur: & musica ad caput retrahit illum: & neruus humefactus non dat illi transitum, qui datur incorporeis. Igitur non est anima species organici corporis.

Item neque difformis corporis, in temperamento, colore, densitate, mollitie, & caliditate, & qualitatibus, & figuris, & quantitatibus, vnica forma esse potest, vt pulchrè Telesius nos admonet: quis enim eandem speciem, formamque nerui, & ossis, & sanguinis, & spiritus, & carnis, absque erubescentia audeat affirmare? Igitur sensus, cognitioque non organicæ actus rei est, sed cuiuscumque rei vitalis entitas, vt declarabimus. Si enim diuersorum prædicamentorum iam nominatorum, & simul elementorum anima est actus: ergo omnis rei erit actus: non ergo solius animalis: si vel considerare norint, quæ affirmant ipsimet. Tandem Auicenna & Mauri, qui à Deo, vel à Colchodea Animas deriuant, partim ex dictis videntur confutati, partim ex dicendis. Non enim sensus modo inuenitur in animalibus, sed in calore, & frigore, & aëre & in cunctis rebus, & in spatio continente omnia: igitur frustra adducitur Colchodea, aut Deus de nouo creans, quod ab initio creatum est; nisi contendant omnium formarum tam passiuarum, quàm actiuarum, tam substantialium, quàm accidentalium productionem esse creationem, vel defluxum, & emanationem à Deo; & quidem hoc concedunt Mauri, quia non putant à calore calorem gigni, quoniam transiret ab igne ad aquas ipsum accidens. Hoc autem irrationabiliter timetur. Quoniam calor gignit calorem seipsum effundendo, & amplificando, non autem eumdem seipsum numero transfundendo de subiecto in subiectum: quod si fieret quid absurditatis habet? Nonne aqua calido ferro superiniecta, eius suscipit calorem: nam tam subitò gigni non videtur dicendum. Accidens ergo actiuum transit de subiecto in subiectum, vt lux docet, & tenebræ: non autem passiuum vt circulus & linea, & angulus. Videmus nihilominus sigillum transire in ceram sigillatam. At non transire dicamus, sed multiplicari, sic & sapientia de magistro in discipulum transit, non deserendo magistrum, sed sese multiplicando: ita fortè calor de ferro ignito in aquam se multiplicat, aliusque est numero, si subiectum aliud: & qui præerat in ferro extinguitur. Verum nullo pacto cogimur, horum creationem ponere. Et Auicenna consultissimus Maurorum, à Colchodea non deriuat accidentia actiua, sed formas substantiales: & profectò, si per formas intelligit modum formamque existentiæ rerum, quo constituuntur, & ab aliis separantur: cùm iste modus non sit calor neque frigus, neque materia, sed quædam ipsorum omnium species, seu existentia in tali tantoque entium gradu ad certum finem, vsumque, veluti domus non est idea, neque lapides, ligna, & cementum, sed quod resultat ex vtrisque, & vocatur ab Auicenna forma totius, vtique si ita sentit Auicenna, rectè sentit. Modificatio enim huiusmodi in quodam rerum gradu fit per Fatum, Necessitatem, & Harmoniam, regulantes calorem, & frigus, & materiam, & passiones eius, & reducentes ad certam entitatem, quam speciem rei substantialem dicunt: quoniam rei cuiusque essentia est. Fatum verò, Necessitas & Harmonia, à Sapientia, Amore, & Potestate diuina emanant, & eius ideam deferunt, veluti docebimus. At in hoc errat Auicenna, quoniam Colchodea hos modos adducit, & non potius ipsam ministram facit Dei, sicuti Plato rectius Animam mundi huic ministerio dedicat. Quod si ita sapit, cur non ab ideis diuinis thesaurum specierum Colchodea habet Auicennæ? Sed vtrum anima mundi, vel Colchodea sint inferius perscrutabimur. Nunc autem hoc concludere liceat, quod quamuis Colchodea, aut Anima totius, effingat formas rerum, non tamen ex nihilo, neque ex sui substantia, sed ex his, quæ in rebus sunt efformant, applicando, & moderando, vti Medicus & Agricola, inquit rectè Augustinus: ergo sensum inesse rebus; oportet, vt illum in spiritu occluso intra molem organizatam afferant ad essentiandam animam. Et quidem patet in calore & frigore esse sensum: ergo non de nouo à Colchodea fit. Si verò formas partis Auicennæ intelligit dari à Colchodea, fallitur: quoniam non creantur, nec deriuantur ab ea, nisi ideales modi rerum iam existentium. Sensus ergo est in rebus, & non ex altera materia abstracta: sed non est anima, donec in spiritu fiat, & occludatur in corpore organico,

ſicuti & calor eſt, ſed non eſt facultas allij, aut cæpæ ipſe calor, donec in materia ita affecta, ita fiat, qualis eſt allij. Feri autem ita, eſt fingi, formarique in entis talem gradum: & hoc à Colchodea eſſe poteſt inſpiciente ideas Dei. Quod autem opera ſenſus in rebus à Colchodea, vel ab anima mundi non communicentur, cum de inſtinctu ageremus, declaratum eſt: vnde remanet veritas, quam priſci philoſophantes docuerunt, teſte Aphrodiſeo in primo de Anima, quod anima conſtet ex principiis, cunctis rebus communibus: ideoque eſſe omnia: nam Potentia, Sapientia & Amor entis proprincipia ſunt, vt dictum eſt, quod neſcio an ita intellexerint Philoſophi priores: quos Aphrodiſeus falsò reprehendit aſſignando aliam cauſam, videlicet, quia poteſt recipere formas rerum omnium, & non quia ex communiſſimis conſtat: id quod reſtat examinandum.

VTRVM SENSVS FIAT PER INFORmationem, vt putat Ariſt. an per immutationem ex parte & ſyllogiſmum ſimul, vt videtur Teleſio: An per eſſe ipſum cognoſcibile.

CAP. VIII. ART. I.

QVONIAM nihil ſentimus, niſi patiamur à ſenſibili, in nos agente. Actio autem eſt diffuſio propriæ eſſentiæ & ſimilitudinis: paſſio verò eſt alienæ eſſentiæ, ſimilitudiniſque receptio. Videtur ipſum ſentire eſſe quædam aſſimilatio inter ſentientem virtutem, & agentem. Ergo in nobis eſt paſſio. Tunc enim calorem ſentimus, cum calorem ipſum ſuſcipimus, & calidi fieri videmur: frigus verò cum frigidi: colorem cum coloramur in oculo: ſonum, cùm ſonatur auris: odores, cùm nares ſubit vapor, ſpiritumque immutat. Itaque videtur ſenſus eſſe aſſimilatio, paſſioque. Hoc & Ariſtoteles teſtatur, & Antiquiores ferè cuncti. Nihil, videlicet, ſentiri, nec intelligi poſſe, niſi ſenſus intellectuſque fiat ipſum obiectum ſenſibile, ac intelligibile. Verùm Ariſtoteles ſenſationem & intellectionem facit per informationem: putat enim formam ſenſibilis, & intelligibilis actuare & informare ſenſitiuam, intellectiuamque potentiam: & ita fieri vt ſentiamus, intelligamuſque: ſenſum verò, & intellectum non eſſe ens aliquod, ſed puram potentiam, veluti materia prima. Imò Theophilo & Marino Peripateticis videtur intellectus eſſe ipſamet materia prima in potentia ad omnia: ſi enim aliquid eſſent, tunc non omnia ſentirent, neque intelligerent: intus enim exiſtens prohibet extraneum; vt lingua plena humore cholerico amaro, nihil guſtat, quod non amarum videatur: ita ſenſus intellectuſque nihil cognoſcerent, ſi quid actu eſſent, niſi actum ſuum: quomodo autem formas rerum recipere poſſint: & quid ſit ſpolians illas à ſubiectis ſuis, deferenſque ad intellectum, & ſenſum, minimè videtur explicare: forma enim lapidis non derelinquit lapidem, & tamen eſt in oculo, & in intellectu: & quod dicit de intellectu agente, qui velut ignis res immutat in ſui ſubſtantiam, ſpoliatque materialitate, ſicuti declarat Alexander, ita abſtrahit formas à rebus, facitque eas intelligibiles, & defert quaſi cibum intellectui paſſiuo) nihil declarat: quoniam quid eſt deferens illa ſenſui non docet, niſi ponat etiam ſenſum agentem, ne ipſa per ſe obiecta ſuas formas emittant, veluti ſimulachra ad cognoſcentem virtutem: priuarent enim ſeipſa formis, & corrumperentur: Atque ſi tantum poteſt intellectus agens vtiq; omnia intelligibilia ſuis materiebus priuata eſſent ab eo. Item, quo pacto factus in actu, per vnam formam poteſt alias recipere abſque corruptione ſui: ſiquidem materia facta in actu per formam, non poteſt alias recipere, niſi deſtruatur ipſum compoſitum. Et ſanctus Iuſtinus addit, ipſam materiam: hoc enim eſt corrumpi, perdi formam. Item ſi fieret per informationem cognitio; tunc ſenſus fieret ipſum ſenſibile, & intellectus intelligibile: & hoc Ariſtoteles concedit: & Alexander & Auerroës: ſed hinc ſequitur, non poſſe alia obiecta percipere, niſi abiiciat priora. Non enim lignum factum ignis, poteſt fieri aqua, niſi amittat ignis formam: & deſtruatur. Quapropter neque declarant Ariſtotelici quomodo fiat informatio abſque exitio obiecti, vel potentiæ cognoſcentis: Nec quis defert obiectum, nec quo pacto informatio negotiatur, & faciat eſſe: multo autem minus qui materiam ſtupidam, & inertem, vltra ſe non ſe effundentem, dicunt, eſſe intellectum: qui extra cœlum, & ad mundos innumeros, & ad Deum cogitatione expanditur: niſi quis cum Dauid de Dinando, ſtulè putet, etiam Deum eſſe materiam primam, contra quem poſtea erit ſermo.

Ideoque Teleſius arbitratur ſenſus fieri per immutationem modicam, ſecundum partem immutantis, & partem immutati: corporea enim eſt illi anima ſentiens, & non pura potentia, ſed actu ens: itaque non formam lapidis, aut ſolis ſuſcipit ſenſus, ſed modicam immutationem ab eis, vnde de toto mox iudicat, veluti de parte caloris, iudicat de toto calore: ſenſus ergo fit ſemper cum ſyllogiſmo, & diſcurſu ſenſuali à parte ad totum. Deferunt verò ſe ſe obiecta ad ſentientem animam, vel quia ſunt per ſe actiua, vt calor, & frigus, & lux, vel cum alterius actione miſcentur, vt quantitas illuminata, & ſubſtantia calida, & frigida, & mobilis, & exhalans, ad ſenſoria deferuntur à

No quo pacto obiecta ſenſibus deferũtur.

calore, vel frigore, vel à luce, vel ab aëre, motum communicante auribus: vel eorum tenuitas subit nares. Ita quod omnis sensatio per tactum fit, & per immutationem corpoream: & similiter intellectio & imaginatio. Nec quidem videtur sensatio esse passio ipsi, sed passionis perceptio. Nam cum patitur capillus vstionem, non sentimus, quoniam passio non percipitur: neque secundum illam iudicamus de obiecto vrente; & cum quis dormit, passionem manus non sentit, quoniam non percipit: Quapropter videtur Telesio esse perceptio illatę passionis omnis cognitio,

Nos autem aliter sapimus, videlicet sensum, seu sapientiam pertinere ad ipsum esse rerum: & sentiri, & cognosci vnumquodque, quia est ipsa natura cognoscens. Nam cum sensatio sit assimilatio: & omnis cognitio fiat, propterea quod ipsa essentia cognoscitiua fit ipsum cognoscibile: & cum factum est ipsum cognoscibile, perfectè illud cognoscit, quoniam iam est illud: ergo cognoscere est esse: ergo quodcumque ens plura est, plura cognoscit, quod pauca, pauca. Et quidem D. Thom. in 1. p. qu. 14. videtur hoc olfecisse prudenter, cum ait, In hoc differre cognoscentia à non cognoscentibus, quoniam illa non solum sunt proprium esse, sed alienum, id est, ipsorum cognoscibilium. Hæc verò sunt solummodo natura sua. Quapropter quoniam lapis non fit alia entia, nec formas aliorum recipit, non cognoscit: Oculus verò quia aliorum colores recipit, & informatur illis, cognoscit: ex quo sequitur, quia Deus est omnia entia omnia cognoscere. Sed in hoc Thomistæ non videntur pertingere, quoniam cum ens omne suum esse sit, putant non cognoscere seipsa omnia. At D. Thom. autoritate Augustini actus, dicit animam, & res cognoscentes notitia innata cognoscere seipsas præsentialiter, non obiectiuè sicut in reflexa. Patet hoc quidem euidenter, quoniam omnis essentia appetit suum esse, & repugnat contrario destruenti suum esse; & sequitur simile, quo seruatur in suo esse, ergo omnis natura noscit proprium esse; quomodo enim amaret nisi cognitum? Vnde S. Thom. quod omnis amor præsupponit notitiam in amante: & concedunt esse amorem vel naturalem cunctis rebus Theologi ac Philosophi omnes: ergo notitiam naturalem concedant, oportet. Sed & Telesius videtur deceptus ex eo, quod imperfectam rei notitiam considerauit, & quæ fit ex parte, & non ex toto: & ex passione, & discursu, non ex esse. Si enim sapientia non esset ipsum esse, & realitate essentiæ, neque Deus seipsum nosset, quoniam à rebus non patitur, neque Angelus seipsum, quoniam à se non patitur. Et profectò si passio ideo efficit cognitionem, quoniam facit rem cognoscentem esse ipsam rem cognitam per assimilationem: vtique ad esse pertinet cognoscere, & non ad passionem, nisi quatenus causat esse. Quoniam ergo calefactio facit manum esse calidam, ideo manus sentit calorem. Bene quidem dixit Arist. & melius Auerr. quod ex intelligenti, & intelligibile fit magis vnum, quàm ex materia, & forma, quoniam intellectus fit ipsum intelligibile, & non fit vnum tertium ex eis, sicut ex materia & forma. Verùm non rectè hoc pronunciarunt de externo obiecto intelligibili; quod nimirum ex parte cognoscitur: sic enim melius dicit Telesius: sed propositio Auerrois vera est de intelligibili interno, & ex toto, non ex parte. Et hoc modo in solo Deo est omne intelligibile idem quod intellectus; at in creaturis nullum cognoscibile est idé cum cognoscente, nisi esse natiuum ipsius cognoscentis, non autem aduentitium, nisi tam validum sit, vt transmutet cognoscentem in sui naturam. Lignum quidem sentit ignem ex parte: at cum ignitur, sentit ex toto, & obliuiscitur esse ligni, quoniam transiuit in validius esse. Et hoc si considerasset Aristotel. non fieri notitiam per totalem informationem, docuisset, sed per modicam mutationem, vt Telesius admonet. Et ideo notitiam omnem esse imperfectissimam in nobis, declarauimus in 1. lib. Nec rectè dicunt opinantes, non omnem passionem esse sensationem: Nam & pilus cum comburitur sentit, at eius passio non communicatur spiritui nostro, & ideo putamus, non esse sensum in omni passione. Pediculi quoque & vermes in capite nostro, & ventre geniti, passiones proprias sentiunt, non autem nostras: nec nos passiones eorum, quoniam non immutamur in aliquod esse per illas: nec si qua pars corporis immutatur cum spiritu sibi implantato, & eius immutatio non pertingit ad spiritum animalem liberum, qui in capite regnat, & intra neruos se mouet, videmur sentire, quoniam animal est spiritus ipse in crassa organizata viuens mole tanquam in domo sua. Ergo si passio ad spiritum non pertingit, non sentitur ab animali, sed ab illa sola particula, quæ afficitur: sicut non omnis domus afflictio habitatorem tangit. At si animal vnius temperamenti, & vnius formæ esset, & similare, vt aiunt, homogeneumque, tunc passio vnius particulæ ad totum pertingeret. Vnde puto vna aëris particula affecta, totum sentire aërem: sed fortè neque ad extremum cæli illa passio accedit, quoniam motus paulatim deficit: à frigore vero illata passio, antequam ad extremum serpat, reprimitur. Sed quis nouit an vsque ad extremum labatur, sed non cum dolore nisi in principio patientis? sed quidem dolor est sensus destructionis, non autem destruitur totum, sed pars: ideo videtur non serpere ad totum. Verùm enimuerò cùm spiritus qui est in pede, afficitur, capitis quoque consentit spiritus. Sed neque hoc verum est, nisi de passionibus illatis validè nimis, non de innatis, consuetisque, & non validis: continua namque fit mutatio intra corpus nostrum, & spiritus ipsi varia obeunt munera, & tamen nihil illa sentimus: quis enim sentit, quando sanguis è vena resudat, vertiturque in carnem, & quomodo neruus suus nutritur, qui spiritu est plenus, & quomodo ipsemet spiritus ibidem afficitur. Ast hæc videntur declarare sensum non pertinere ad esse, sed illatam immutationem, sicut Telesius, & Arist. opinantur: Nam spiritus seipsum ignorat, & anima disquirit diuturnis argumentis, quid sit anima, atque ab externis suis actibus, vel aliorum colligit: ideo videndum est, quomodo res ipsas res cunctæ norunt, vndeque fit, vt non nosse appareant.

Cognitionem sensitiuam, imaginatiuam, intellectiuam, memoratiuam in eo consistere, quòd cognoscens est esse cogniti: vel fit. Ergo in facto esse, vel innato esse, essentiari, & non immutatione; aut informatione omninò.

ART. II.

CVM sentimus totum calorem, sentiendo partem, non dicimur verè sapere, sed discursu quodam scire ipsum totum: etenim quatenus facti sumus pars caloris, totum aliquo modo etiam sumus: quoniam pars toti est similis, & agẽs omne agit sibi simile: esse autem simile, est esse vnum, & ens illud, cui similes sumus. Quapropter discursus, & syllogismus est sensus rei, non in se, sed in suo simili: & quanto maior similitudo, tanto certior est cognitio: melius enim cognosco lapidem ex metallo, quàm ex ligno: sed cognitio rei in seipsa, & non per syllogismum longe certior, veriorque est, sicut verior est imaginata mulier, quàm eius imago: & magis Petrus est Petrus, quàm Franciscus sibi similis. Imaginatio verò quidam discursus est, quo rerum ignotarum fingimus similitudines à notis illis illas sumentes, componentes, & diuidentes: vt centaurum imaginamur, ex hominis equique compositione: hominem verò intelligimus, non intelligendo eius indiuidualitates: quoniam à nostro cogitatu distant, & quæ à longè sentiuntur, exiliter sentiuntur, quoniam exiliter mouent. Petrum à longè videndo, animal esse iudico, deinde viciniorem factum, dico esse hominem: proximumque verò, dico, est Petrus. Itaque quoniam à longe motum, & corpulentiam solùm video, & illæ fio & sum: ideo solum cognosco esse animal, quoniam prius sciebam ex aliis sensationibus, animalia esse corpora, & moueri: hoc autem cunctis esse commune: vbi igitur fio communia, & sum communia, communia cognosco: propè verò non modo communia me mouent, sed propria hominibus, quoniam figuram hominis discerno: Et quidem discerno, quia fio illa, dum ab illa immutor, quoniam ipsa tunc me immutare potest: quia lux exilis ex profundis, & imis, & paruis partibus figuræ resiliens attingit me propinquum, antequam eius vigor euanescat: proximè verò Petri conditiones particulares secerno, quoniam illæ fio, & sum ob inspectionem obiectorum per accidens, & per se simul, in Petro existentiam, & validorum, & languidorum. Igitur in cunctis videtur cognitio ad Esse pertinere: ergo intelligere commune, & vniuersale est fieri ipsum vniuersale: sentire verò est ipsum fieri particulare; sed idem sensus particulare, & vniuersale nouit: similiter & intellectus; aliàs Deus & Angelus ignorarent singularia, & syllogysmus noster particulares propositiones non adsumeret: ergo intelligere est sensus absentis à longè: sentire verò est intellectus præsentis obiecti: imaginari autem & discurrere est sensus in simili: Memoria verò est anticipatus sensus, quoniam remanet passio illata à sensibili in ipso spiritu sentiente, sicut motus in aëre agitato, & cicatrix in corpore plagato: & quando à simili plagato afficitur, statim passio anticipata reficitur: ideoque memoramus, & reminiscimur: quando enim video mare, aut cymbam, aut fluuium, aut hominem mouentem, aut tristantem, aut docentem, aut currentem, statim recordor nauseæ, quam passus sum in mari, & vomitus mei, & iterum vomo, similiter tristor denuo; & doctrinæ meæ, aut alterius recordor; & cursus præteriti. Ita quod tot sunt modi recordandi, quot sunt modi discurrendi: & quot sunt similitudinum. Est autem similitudo substantiæ, vel quantitatis, vel passionis materialis, vel figuræ, vel coloris, vel relationis, vel similitudinis, vel differentiæ, &c. ideo tot modis argumentamur, & reminiscimur. Et sicuti quando sentit sensus ipsum sensibile, fit illud, ita quando discurrit, fit simile illi, vel illud à simili aliqua dictarum similitudinum. Nam quando video carcerem, recordor Petri, quem in carcere aliàs videram, vel audieram fuisse. Tunc per hanc recordationem iterum fio Petrus, & sum Petrus, quia sum carcer visus, in quo fuit Petrus. Itaque ex esse Petri in carcere transeo ad totum esse Petri: vnde patet, discursum esse idem, quod fieri aliud in simili, vel in parte illius, & non illomet: & esse languidiorem modum essendi, ideoque cognitionem incertiorem. Et quia absentia minus nos mouent, & minus fit illa sentiens animus, minus proinde illa esse, minusque illa scire. Hunc etiam fiendi modum, & essendi in animo nouimus esse, scilicet, ex passionibus illatis posse copulare multas, aut diuidere, & hoc est imaginari: ex eo enim, quod montem sentit spiritus, & aurum, vtriusque motio in eo remansit, & istas notiones potest copulare, & fieri mons aureus: similiter centaurus, Centimanus, chimera. Item diuidere hominem, & cogitare acephalum, aut expedem: quoniam hæ entitates aduentitiæ sunt spiritui, & possunt coniunctæ afficere spiritum, & separatæ, idem spiritus coniungere, & separare potest: & fieri totaliter illæ, vel partialiter, & truncatè. Hoc iterum facere potest, quoniã diuisibilis corporeusque est spiritus, vnde simul potest calorem sentire & frigus, albedinem, & nigredinem in diuersis sui partibus: idcirco & imaginari montem aureum, dum passiones varias mox copulat. Nec oportet, spiritum fieri res ipsas, quando sentit, sed modicam ipsarum entitatem: ex qua de reliqua iudicat, quoniam quasi & reliqua fit, dum modica illa consimilis fit, & est: & ideò non potest multa entia contrariaque simul in eadem sui parte sentire: quoniam non potest simul duo esse acquirere. Item propterea quoque dum aliam rem cognoscit, priorem quasi obliuiscitur, & dicitur prioris habere memoriam, vel notitiam tantum in habitu, & non in actu, quia præsentis rei esse fit,

itaque oportet abiicere esse alterius rei anticipatum: & quia non fit totaliter esse nouum præsentis obiecti; sed modicum: ideo potest redire ad notitiam prioris reminiscendo, quoniam prioris similitudo in aliis est, & potest excitare passionem illius sopitam, & impeditam à nouis passionibus: vnde cum reminisci volumus, similia spectamus, & loca, & tempora consideramus, similia tempori priscæ passionis, & entitatis: & ideo absque negotio reminiscimus, cum quid simile offertur: quoniam sensus fit simile, quod est vnum cum simili esse præterito: sponte recordor festiuitatis præteritæ: vel tristitiæ, & carminis, & mensuram panni, dum alia festiuitas offertur sensu, vel alius ploratus, vel carmen, vel abacus in pariete. At quorum simulacrum non offertur cum labore reminiscimur, quoniam non possumus illud fieri, nisi illud nos moueat in se, vel in suo simili: ex his palam est, omnem cognitionem esse entitatem rei cognitæ, in quam res cognoscens mutatur, vel potius esse entitatem rei cognoscentis, vel quam acquirit, vel quam habet: & quæ non potest fieri, nec cognoscere posse; vnde Angelus, & entia à nobis distantissima, quæ sensum non possunt immutare, & in suum esse aliquo modo traducere, minimè omnium nota nobis esse. Constat ergo seipsa omnia entia sentire, quoniam seipsa sunt absque eo quod fiant; realiter ergo & fundamentaliter cognoscere est esse: formaliter verò distinguitur; qua est iudicatum esse.

Rationes, probantes cognitionem non fieri per esse, sed per informationem spiritalem, aut immutationem modicam. Nec seipsum posse quippiam cognoscere, quia nec informatur, nec patitur à se.

ART. III.

SED contra insurgunt Peripatetici dicentes, virtutem cognoscentem esse puram potentiam. ergo non posse cognoscere nisi ea, à quibus actu sit, formaturque; cum autem à seipsis informari nequeant, seipsa non norint, oportet. Item si haberent proprium esse, & actum, tunc exteriorem non susciperent: intus enim existens prohibet extraneum: ergo quod est ens actu, nullum sentit ens. Item sentire & intelligere est quoddam pati; nihil autem patitur à seipso: ergo nullum ens intelligit seipsum, neque nouit. Item cognoscere non est pati destructiuè, sed perfectiuè. Nam & cum gaudio fit cognitio, & cum lucro, non autem cum omissione esse: perficiturque cognoscens, non verò deterioratur: ergo passio huiusmodi non est realis, sed spiritualis, seu intentionalis. Et hoc patet: quoniam non lapis est in oculo, sed species lapidis: neque coloratur pupilla, sed remanet in sua transpicuitate abscedente colore, quem exterius sentit. Neque oportet ignem sentire, sed speciem, neque solem, sed solis imaginem: hunc autem sentiendi modum, oportet esse absque materia rei sensibilis: ergo sola forma intentionaliter recipitur à sentiente, multo autem magis ab intelligente: intellectus enim non modo intelligit absque materia, vti sensus, sed absque præsentia materiæ, quod sensus non facit. Ergo si passio, naturalis esset sensatio, & cognitio, omnia patientia sentirent, & destructiua esset passio. Verum intellectus à vehementi intelligibili perficitur: sensus verò à vehementi sensibili destruitur: ergo neque intellectus est sensus, neque de ratione cognoscendi est passio naturalis, sed intentionalis: ergo non est esse nosse, vel non reale. Telesius quoque obiicit, cognitio fit per modicam immutationem, non per immutationem: ergo non per esse, sed per fieri, & mutari: Nam si fieret esse alienum, perderet esse suum. Nullum autem ens mutatur à seipso: nullum ergo sapit seipsum. Item sensus est perceptio passionis: & à se non potest pati; ergo neque iudicari: vnde Arist. putat, intellectum non intelligere seipsum, nisi quia se intelligere intelligit: & hoc intelligit per obiecta, à quibus patitur. Ergo seipsum reflexè intelligit & per aliud, à quo patitur. Idem videtur opinari Telesius: experientia quoquoque illis fauet, quoniã nihil difficilius, quã seipsum nosse, vt dicit Oraculum: & quidem neque oculus seipsum videt; neque auris seipsam audit: Neque anima seipsam nouit, alias non fierent tot disputationes, vtrum sit ex elementis, corporea, vel in incorporea, vel à Deo, vel à Colchodea, vel vt potestas, vel actus, vel harmonia, vel spiritus, vel complexio. Vnde nihil minus notum est hominibus, quàm propria anima: & tamen cognoscit in homine sola anima, & ipsa disquirit, quid ipsa sit, & in suis operationibus scrutatur proprium esse, & in anatomiis, & aliorum hominum, vel brutorum actionibus, passionibusque animalibus: quapropter si anima maximè cognoscitiua seipsam ignorat, quomodo lapis, & lignum, & ignis noscent seipsa propterea quod sunt seipsa? Nisi forte ita desipimus, vt dicamus animam non esse seipsam: & quidditatem ab eo, cuius est quidditas, separemus.

Resp. 1. *Theologorum & Philosophorum & Naturæ decretis clarescere cognitionem consistere in eo, quod cognoscens est ipsum cognitum: & passionem, & immutationem ob id facere cognitionem, quia faciunt cognoscens esse cognitum: & ideo omne ens seipsum nosse, quia est idipsum; & animam seipsam nosse notitia abdita: & quare videtur se ignorare: & hoc propter melius esse; ne, dum sui notitia fruitur, ab aliis externis penitus corrumpatur, sed paululum immutetur, & noscat, & Dei opera discat, & Deum.*

ART. IV.

AT verò in omnium gentium Theologia decretum videtur, quod intelligere sit esse. Platonici quidem ideas ponunt in prima rerum causa, & non esse realiter distinctas ab essentia Dei, & Deum intelligere seipsum, quia est sui idea. Arist. in 12. Metaph. putat, intelligere Dei esse eius essentiam, quin & omnium substantiarum incorporearum intelligere non distingui ab intelligente, vt & Auer. ibi declarat. Aphrod. verò in 2. de An. probat ex Arist. etiam intellectum Agentem esse sibi intellectum, & intelligibile, & ipsum intelligere suum. Arabes Theologi idem putant, vt patet ex toto libro de causis. Christiana veritas hoc constanter docet, videlicet, intelligere Dei este suum esse: & intelligere Angeli, quo intelligit seipsum, esse suum esse; & quo intelligit alia à se, non esse nisi aduentitiam eius entitatem. De anima verò humana vtrum seipsam per essentiam intelligat, & sit suum intelligere, diuersa opinantur Theologi. S. Augustinus enim videtur affirmare, & Henricus de Gandauo putat, intelligere abditum identificaui cum ipso intellectu. D. Thomas ponit, intellectum humanum non intelligere se per essentiam, neque esse actum in genere intellectum, neque in genere intelligibilium. Nihilominus patet in doctrina eius intelligere identificari cum esse in Deo, & Angelis essentialiter. Sed in rebus inferioribus intellectionem esse informationem: & proptereà non esse essentiam, sed accidens, & esse quoddam accidentiale: & Caietanus putat, non esse actionem, neque passionem, sed qualitatem. Telesius quoque increpans impietatem Arist. docentis, Deum non intelligere inferiora, quia vilesceret, declarat, Deum non ab inferioribus scientiam inferiorum suscipere, sed in seipso habere tanquam causa causatorum scientiam. Idem S. Iustinus comprobat. Quapropter non video quid obstet, quo minus asseramus identitatem inter sapere, & esse: & quidem si fiat scientia per informationem, manifestè identificatur cum esse ipsius intellectus apud Peripateticos omnes; quoniam non fit tertium, veluti ex materia, & forma, ex intellectu, & intelligibili, sed quid magis vnum: ergo non solum intellectio sui est esse suum, sed intellectio aliorum. Nam non est Peripateticis intellectio actus præcedens identificationem intellectus, & intelligibilis: similiter & sensus, cum fit sensibile actu sentit actu. Ergo & sui & aliorum intellectio pertinet ad esse. Si verò fiat per immutationem modicam, vt Telesius docet, externorum cognitio, etiamnum pertinet ad esse. Quidquid enim totaliter immutatur, transit in naturam immutantis totaliter: at si parum immutatur, fit parum, & ex parte ipsum immutans. Est ergo illud aliqualiter, quoniam non amisit esse proprium omnino: & quia quanto magis fit sentiens facultas ipsum sensibile, magis sentit: vnde quæ à longè nos immutant, & parum in eorum esse immutamur, parum intelliguntur, sentiunturque; ideo fatendum est, omnimodam sapientiam esse omnimodum esse. At non quia quod totaliter transit in alienum esse, destruitur in suo, ideo notitia non sit esse. Nam notitia sui est esse suum, notitia aliorum est esse aliorum. Et si in illud, quod sentitur, sentiens immutatur sentiet illud tanquam suum sensatione non fastidiosa, & laboriosa, sed voluptuosa, quippè quoniam non fit per passionem, sed per esse prorsus. Sed in hoc decipiuntur Peripatetici, quod putant, omnem scientiam requirere sciens, & scitum, & speciem, qua scimus, & actum sciendi: vnde quærunt etiam in Deo speciem & actum, & obiectum seorsim, & falluntur; quoniam horum distinctio requiritur in his, quæ fiunt, & non in his, quæ sunt: cum enim aliqua res fit, requiritur agens, & patiens, & passio, & actio, & species, qua illud agit, istudque patitur: vnde, quia scientia nostra fit per passionem ab obiectis, putant, requirenda esse hæc omnia in scientia entitatis innatæ, quæ est esse, & non passio. Et sanè si inspiciant ritè factum esse, quod similius est intellectioni sui, quàm fieri, quod intellectioni aliorum correspondet, inuenient cessare actum, & actionem, & passionem in ipso facto esse, & agens, & patiens: quod enim est non amplius patitur, vt fiat. Hinc est quod veluti fieri est laboriosum, ita esse est iocundum: & consimiliter intellectio externorum est cum labore, vel saltem conatu aliquo; interni verò esse absque labore, & absque dolore, & absque tempore & successione, dum non sit intellectio reflexa. Hoc quoque vel ipsa exteriorum scientia declarat, quæ dum acquiritur laboriosa est, & cum tempore exercetur, & difficultate; postquam verò acquisita est, iocunda: quando namque spiritus artem cytharizandi addiscit, laborat, & cum vult pulsare chordas cytharæ, cogitat, quam primò, quamvè secundò, & quomodo pulset, & vbi digitos apponat, & consulit intra se, & aggreditur modos negotiosè: At

Lib. de Spiritu & An. & 1. & 9. de Trin.

vbi factus eſt cythariſta, tunc pulſat chordas nullo conſilio detentus, nulloque labore fatigatus ſcientiæ, ſed operis tantummodo. Et pueri,& nos, linguam addiſcentes Latinam, fatigantur, & penſiculando proferunt ſermonem; vbi verò fuerint Grammatici, nullus labor, aut conſiliatio interuenit; ſed ſtatim loquuntur. Hoc autem ideo euenit, quia in talem loquendi qualitatem animus tranſiuit,& eſſe tale acquiſiuit, quo poteſt loqui,& operari: & enim vt in 6. cap. probatū eſt, operatio eſt ipſum eſſe effuſum. Quamobrē non rectè Ariſt. neque Teleſius arbitrati ſunt, omnem ſcientiam eſſe paſſionem, vel immutationem; quæ ſunt eſſe agentis obiecti diffuſum in patientem animam: ſed ſimpliciter pertinere ad ipſum eſſe, pronunciare debebant; & ad fieri tantum pertinere imperfectam ſcientiam; ſicut perfecta domus habet eſſe domus, imperfecta verò fieri: Quod ſi ſcientia acquiſita facta entitas ſcientis, fit extrà tempus, & extra laborem, & paſſionem, & actionem, & agens & paſſum; quoniam hæc omnia ceſſant, vbi acquiſita eſt; multo magis ſcientia ſui innata ſupra tempus, ſuprà laborem,& paſſionem, & actionem, & agentis non indiga vlterius: & hoc quidem modo ſeſe norunt entia cuncta notione abdita innata, non acquiſita, quæ eſſendi eſt primordiale principium, ſeu eſſentialitas, Primalitas, ſicut Poteſtas & Amor. Et quidem ſi cunctæ res amant proprium eſſe, norunt quoque notitia naturali, veluti amant amore naturali.

Ad experientiam contrariam nobis, reſpondentes dicimus, Animam & cuncta entia ſeipſa pernoſſe primò, & eſſentialiter, cætera verò ſecundariò, & accidentaliter inquantum norunt ſeipſa mutata & facta aliqualiter ea, à quibus immutantur. Non ergo ſentiens ſpiritus calorem ſentit; ſed ſeipſum primò, & per ſe, mutatum à colore, & coloratum à colore ſentit colorem, ſentit & poſteà corpus ſubſtratum obiecto colori. Ita intellectus intelligit ſe, factum intelligibile obiectum, ideo ex conſequenti intelligit obiectum.

Et cum obiicitur, quare anima neſcit, quid ipſa ſit, & aliunde inueſtigat, & ab actionibus ſuis. Reſp. quod cognitio ſui eſt impedita à cognitione aliorum: ſumus enim inter contraria entia geniti, & patimur à calore, & à frigore, & ab innumeris obiectis continuo: & ideo quaſi in aliorum eſſe tranſimus: quoniam pati, & immutari, eſt fieri aliud: ergo quaſi in ſui obliuionem,& inſcitiā cadit anima, quia alienorum viribus exagitatur ſemper. Vnde non ineptè Plato putat, à corporis paſſionibus, cui coniungitur, trahi in obliuionem, & ab laboribus in fabricando, nutriendoque corpore, & ab opacitate eiuſdem corporis: idcirco & Triſmegiſtus corpus appellat mortem viuam, & indumentum ignorantiæ: quoniam alienat noſtrum ſpiritum, & mentem à proprio eſſe, & notitia, & traducit ad notitiam, & eſſe corporis, & externorum. Similiter puta, cuncta entia inferiora continuis exagitata externorum paſſionibus, minimè proprium eſſe dignoſcere, ſed quaſi à ſuo eſſe cuncta alienari, & in inſania verſari, & in morte, & nos eſſe in regno mortis, veluti in primò lib. docuimus. Et non quidem animam ſe non intelligere, quia eſt potentia pura, vt dicunt Peripatetici, Angelos verò ſeipſos noſſe, quoniam ſunt actus miſti potentia tam in genere intellectuum, quam intelligibilium: ſed quia nos verſamur in regno mortis, & paſſionum, noſtri inſcitia teneri, illos verò ſeipſos ſapere, quoniam huiuſmodi agitationibus non tanguntur. Vnde melius Auguſt. & Thomas Angelos diſcere externa, non patiendo, ſed à Deo ſpecies rerum ſuſcipiendo, docent, quàm Scotus, qui à rebus ipſis diſcere putat: niſi fortè dæmones praui in pœnam ita modo diſcant, quod facilius credo. At nequaquam omnino ſeipſam ignorare animam aſſero: ſi enim eſt ſua quidditas, ſuam nouit quidditatem; ſed quia non in ſua puritate, ſed in externorum obiectorum miſtura, quæ ipſam exagitant, idcirco notitia reflexa videtur ipſi propria magis pro præſenti ſtatu: & ſimiliter res cunctæ ſe habent; & multæ quidem neque reflexè ſeipſas norunt: quoniam ſenſus à materiæ craſſitie ſopitus, & impeditus, non diſcurrit. Etſi ad ſimile diſcurrat, vt à calore ad calorem: non tamen ad aſſimilatum, videlicet, non ad calefaciens, neque ad eius actus, & copulationes, & principia. Verumenimverò abditum ſui ipſorum ſcire nullis negatur: omnia enim norunt, ſeſe eſſe, & conſeruare ſeſe ſtudent: & ſimiliter anima: ſed quando inquirit, quid ipſa ſit, & quomodo eſt in corpore, quomodo operatur nutritionem, generationem, intellectionem, & in varios errores incidit circa cognitionem ſui: hoc à paſſionibus externis habet, & ab vſu cognoſcendi alia à ſe, quo notitia ſui impedita eſt. Et manifeſtè multa, quæ didicimus, obliuiſcimur, quoniam nouæ paſſiones obliterant priſcas; & quamuis ſpiritus ſemper ſit alius, quoniam alius exhalat, alius gignitur ex ſanguine, illi ſuccedens, non tamen hæc videtur ratio obliuionis propriæ, ſed alienorum entium, in quorum eſſe tranſiens ſpiritus paſſus, cum elabitur, non communicat illud ſpiritui aduenienti. Et idem patiuntur res cunctæ noſtrates in continuo verſantes fluxu, ſicuti in prima par. declarauimus. Vnde quis opinari poſſet, eandem ob cauſam in nobis noſtram fieri obliuionem; ſed non prorſus ita eſt, quoniam ſpiritus aduenien eſt idem, quo ad eſſe natiuum cum exhalante; ſed non quo ad aduentitium: Verùm & hoc eſt pars cauſæ obliuionis: quoniam multiplicitas ſuorum eſſe aduentitiorum obnubilat eſſe natiuum: & nouitas ſui, & cum nouo eſſe aduentitio, impedit collationem cum præterito, & vnitatem entitatis: ergo & notitiam ſui. Sed obliuio in actu rei, cuius remanet habitu notitia, fit ab aduenientе paſſione non à ſpirituum defluxu, niſi quatenus nouas acquirunt defluendo paſſiones. Et vt tandem, quod dico, abſoluam, miſtio alieni eſſe multiplicis & vehementis cum ſuo eſſe vnico, à ſe non patiente, efficit in rebus ignorantiam ſui manifeſtam, & relinquit tantum ſcientiam ſuimet abditam. Et quamuis à quibuſdam entibus patiendo anima oblectetur: à quibuſdam verò ſolum notitia afficiatur abſque voluptate, vel dolore; nihilominus à cunctis à ſe alienatur. Et longus vſus malorum efficit eorum ſenſum naturalem, & ſine dolore: vnde ſolum vehementia obiecta efficiunt dolorem, cum tamen omnia inducant alienationem vel paruam: ea verò oblectant, quæ ſpiritum in ſuo conſeruant modo, vel ad ſuam operationem inuitant, & ideo ſui eſſe amore delinitum omne ens, amat voluptuoſa. Et dum hoc tantommodo attendunt, nihil obiecta curant dolorifica, vel mediocria; vnde

ignorantia aliorum in eis nascitur, & sapientia tantum sui: & tunc à malis externis correpta pereunt, quoniam fugiendi, declinandique modum ignorant. Et hîc videtur latere doctrina Dei: qui nos à nostri esse sensu arcet, videlicet à voluptate, per alienorum esse dolorificum nobis, & ita ad cognitionem rerum, à se factarum verberibus nos trahit, & nos in statu mortis esse monet, vt discamus ad vitam peruenire, & libertatem ab eo petere. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei! entia ergo beata seipsa norunt in fonte sui esse Deo, & hoc est voluptas: externa non norunt, quoniam à seipsis alienarentur: ergo si norunt, vel quia sunt causæ ipsarum, vt Deus; vel quia à diuino esse ideas capiunt, vt Angeli beatifico modo norunt: idcirco Angelos prauos à rebus discere externis confirmo. Si concedunt cunctis in rebus voluptatem, in cunctis rebus sensum concedant oportet: quoniam voluptas est sensus, vel non sine sensu propriæ conseruationis. Hoc autem ex dolore patet, quoniam cunctæ dolent, & sese mutuo auersantur, fugiunt, sequuntur, pariunt.

Resp. 2. Quod pati & immutari, quia faciunt nouam cognitionem: & hanc idcirco pertinere ad ipsum esse.

ART. V.

AD Arist. & Telesium respondeo, quod cognoscere non est pati, nec immutari absolutè, nisi inquantum pati, & immutari est, vel causat esse, vel imperfectè id, à quo patimur, vel immutamur. Quapropter si esse est ratio cognoscendi, & cognitio aliorum facit esse aliud: ergo esse animæ, & cuiuslibet cognoscentis est cognitio sui: imò cognitio facit rem esse quod ipsa est, vnde stabilitur esse principium primordiale entis ipsam Sapientiam, veluti Potentia, & Amor: & quidem nihil possumus, neque scimus, neque amamus, nisi inquantum possumus, scimus, & amamus esse nostrum prius Nam possum leuare pondus, quia possum leuare me ponderatum. Et calorem sentio, quia me calefactum sentio: & amo calorem blandum, quia amo me blande calefactum, vt in p. p. probatum est. Non ergo requiritur vt cognoscens patiatur, vel immutetur à seipso, sed vt sit seipsum ad hoc, vt noscat seipsum, veluti non immutatur, neque patitur cognoscens alia, nisi propter hoc vt fit alia, & postea cognoscat saltem posterioritate originis omne enim iudicium est de ipso vel simpliciter, vel immutato.

Resp. 3. Nullam virtutem cognoscentem, excepta materia, esse puram potentiam, sed actu ens: & se ideo nosse, & alia, quia fit illa, & illorum respectu esse potentia: & cur quæ est actu, & quomodo, & quæ non cognoscit.

ART. VI.

AD id, quod dicunt, sensum esse puram potentiam, & ita intellectum, quoniam, si esset ens aliquod, non cognosceret alia, quoniam intus existens prohibet extraneum, imperitè loquuntur Peripatetici, & contra sua dogmata. Anima enim, & omne cognoscens est ens actu, quinimmò est adhuc & corporis actus Peripateticis: igitur non est potentia, nisi respectu externorum obiectorum: externa autem obiecta non cognoscit anima omnia, nisi ea quæ possunt illam mouere, & similem sibi facere. Ergo nisi quatenus fit ab illis actu, & fit illa: hoc enim est fieri actu ab illis: vnde dicunt, intellectum in actu, & sensum in actu, esse ipsummet sensibile, & intelligibile: & tunc solum sentire sensum, & intellectum intelligere, cum fit actu sensibile, & intelligibile obiectum. Ergo vt possit cognoscere, cognoscens, omne, est pura potentia, non autem vt cognoscat; sed vt cognoscat; est actus; nisi enim potestatiua vis recipiat obiectum, & fiat illud actu, non potest vis cognoscitiua illud cognoscere: neque volitiua amare, aut odire, nisi & suscipiatur obiectū, & noscatur. Ergo ex eo, quod intellectus & sensus sunt aliquod ens actu, non priuantur sui notitia, sed magis sortiuntur illā: Nam & alia norunt, quia sunt & illa alia, vt docent Peripatetici omnes vno ore, præsertim Arist. Aphrodis. Auerr. & D. Thomas, Albertus, & sequaces. Verum nec priuantur aliorum notitia, quia sunt ens actu in se, & non potentia pura: Neque intus existens prohibet extraneum, sed facit vt extranea admittantur iuxta modum intus existentis. Vnde dicitur in lib. de causis, quod intelligentia omnis intelligit suo modo, & non prout res sunt, sed superiores intelligit imperfectiori modo, quàm sunt: inferiores verò perfectiori. Item distinguendum, nam si quod existit intus est idem cum re cognoscente, non cognoscit exteriora omnia, sed illa tantum, quæ excedunt vires virtutis cognoscentis: quoniam illa tantum possunt mouere, & passionem inferre: idcircò tactus non sentit entia minus calida, quàm sit ipsa virtus tactiua: vnde calorem aquæ, & vini, & olei, & piperis per tactum nos non sentimus, sed per olfactum, & gustum: & febricitans non sentit calorem blandum; qui est in manu Medici, sed existimat manum illam frigidam, quæ tamen sanis calida sentitur: non ergò requiritur vt sit pura potentia virtus cognoscitiua, nisi respectu eius, quod nosse oportet aduentitum.

Similiter

Similiter lingua non sentit saporem carnis, & oleris, & oui, quoniam sunt suo sapore inferiores, & languidiores; vnde sol apponimus, vt saporem, quæ comedimus, accipiant: & omnia insipida profecto saporem habent, sed nostro inferiorem: ideo aliis animalibus calidis minus saporosa sunt. Nec sonum aëris consuetum nos percipimus, quoniam est languidior sonitu, quem edit noster spiritus motu suo. Quapropter prouidit Natura, vt quoniam non nisi à fortioribus, & insuetis patimur, & alienamur, fortiora, & insueta tantum persentiscamus. Sin verò quod intus existit est addititium, neque adhuc poterimus alia nosse, nisi illud prius abiiciamus: hoc enim verè prohibet extraneum, quoniam est robustius, quam spiritus sentiens, alias ipsum non affecisset. Quapropter tunc respuit spiritus non modo sensationem obiectorum languidiorum, quàm ipse sit, sed & obiectorum languidiorum quàm sit, quod intus receptum est: idcirco vt dicebamus, febricitans non modo non sentit calorem, quem sanus non sentit, sed nec vllum caloris gradum, qui infra sui feruoris latitudinem continetur; ergo neque illum, quem sentit sanus. Et lingua, amara bili perfusa, sapores amaro languidiores non admittit, nisi copia aduentitij saporis vincat, pellatque inditam bilem: & oculus croceo colore affectus colores croceo simpliciores, non sentit, nisi vt croceos, puta album, & pallidum: ac corpulentiores, vt fuscum & ceruleum videt quidem, sed ad tenebras vergentiores.

Verùm non est dissimulanda dubitatio: Tactus quidem calidus, minus calida tangendo, iudicat esse frigida. At oculus rubedine perfusus non iudicat, alios colores esse contrarios rubedini, veluti tactus calidos iudicat frigidos, sed iudicat rubros persimilesque suo addito colori: specilli virides omnia repræsentant viridia, at non alba. Hoc autem vnde est? Resp. quod tactus suscipit absque medio deferente obiecta sua, & ideo si calidus ipse est, non statim potest, quæ tangit calefacere, & in se immutare, & calida sentire, sed tanquam minus calida, subito sentit, & consequenter frigida, quoniam moles tacta blando calore, calet, & mixturam fortè habet frigiditatis externæ perpetuo: & huiusmodi tactio est potius non sentire calorem, sed tantummodo molem corpoream, & suas dispositiones. At oculus non videt tāgendo res immediatè, quoniam illi à luce, rerum faciebus tincta, deferuntur: lux autem purissima res est, & facilè fœdatur à quocumque colore materiali: igitur à rubedine, quæ est in oculo, fit rubra, & mox spiritui videnti intra crystallinum humorem per neruos delato opticos, offertur rubra: & species, qua intincta resilit ab obiecto, rubra simul offertur, vnde obiectum rubrum similiter apparet. At fuscum non videbitur ita rubrum, sed ad tenebras declinabit: quoniam corpulentius est rubedine, & semper color corpulentior polluit simpliciorem, & ad sui speciem trahit, vt docuimus in physicis. Quapropter non bene Arist. putat, sensum esse puram potentiam, nisi respectu aliquorum sensibilium. Nam manifestè tactus constat calido, & non nisi calores se fortiores sentit: & Aphrod. fatetur, & Arist. consistere tactum non in potentia pura, sed in mediocritate qualitatum, & ideo excedentes tactum nosse: & idem debuissent dicere de gustu, quoniam excedentes modo sapores iudicat; & idem de olfactu, qui etsi omnes suscipit vapores, non tamen odorem omnium sentit. Vnde decepti sunt Peripatetici, putantes, vaporem non esse odorem, quoniam aliqui non odorant: sed canes debuissent docere Peripateticos, dum percipiunt odorem vulpis, & leporis, & herinacij, nobis occultum: At non nisi per vaporem, ab illis derelictum. Auris quoque non omnes percipit sonos, sed excedentes motum innati spiritus: nam sonus aëris, & leues ictus eiusdem, à nobis non audiuntur: quos tamen, fateri oportet, sonos esse; sonus enim est aëris motus: & omnia mobilia edunt sonum, at non semper sensibilem nobis. Molendinarij quoque nos moneant, qui sonos à nobis perceptibiles non percipiunt: ergo auris non est pura potentia ad omnes sonos. Tandem expugnemus arcem Peripateticam: ecce ad oculos confugiunt, dicentes, quod si colorati essent, nullum admitterent forinsecus colorem: & manifestant exemplis paulò antè declaratis, & ideo omnium est susceptiuum. Nos autem è contra ostendimus in cap. de colore in 2. lib. p. p. Transpicuum omne album esse, benè à calore deuictum, vnde opacitas quasi annihilata est. Albedinem verò huius paginæ, & calcis esse mistam opacitate, & ideo non transparere, sed ipsum vitrum, & aqua, & ampullæ eius albæ, plenæ aëre, declarant, omne transpicuum esse album, & præsertim ipsum aërem: sed quia oculi nostri in eodem gradu albedinis sunt, ideo non sentiunt albedinem aëris, neque speculi, sed magis quidem huius. Et ratio est, quoniam simile non patitur à simili: vnde spiritus noster aëreus aërem non sentit, nisi per motum, nec eius colorem, nec lucem cœli. At lucem stellarum, & solis valentiorem, quàm sua est, percipit spiritus. Noctu verò lepores, & blatiæ, & pulices, vident ad lucem aëris exilem, suo ipsorum spiritui proportionatam, vnde tunc pascuntur, & longa cōficiunt itinera, die verò delitescunt, & ad lucernæ lumen fugantur: sicuti nos ad tenebras noctis. Videtur & in hoc Arist. quoque longè minus considerasse, quod ponit intellectum puram potentiam, vt omnia intelligibilia possit percipere, cum tamen longè plurima illum effugiant, quam afficiant. quis nouit speciem Dei, aut Angeli, aut aëris, & multarum rerum nos latentium, quia sensum non immutant? Nec quia illas ab operationibus per syllogismum nouimus, dicitur intellectus esse in potentia ad illas: quoniam non nouit ea, nisi in simili: & quidem effectus repræsentat causas non sibi similes, quia scimus aliarum causarum effectus indices esse causarum. At ab illis rebus, quæ cum anima cognationem habent, non patitur anima, nec est in potentia. Idcirco Arist. concludere debebat, animam cognoscentem esse de numero illarum rerum, à quibus non patitur: & cum sit actiuissima, non debuisset poni in genere potentiæ passiuæ prorsus, sicut materia prima, alioquin rectissimè concludat Theophilus, intellectum esse ipsam materiam primam, quæ Peripateticis est etiam incorporea: cognoscit ergo quidquid est ens actu, alia entia, quæ est potentia per cognitionem additam, vt declaratum est: & voluptas conuincit,

Reſp. 4. Externorum notitiam fieri per realem, ſed modicam, immutationem ſemper, & non per intentionalem, & quo diſtinguantur ſenſus & intellectus Ariſtotelicis notus.

ART. VII.

AD aliam rationem, cum dicunt, cognoſcere & eſſe non identificantur: quoniam cognoſcere eſt pati perfectiuè, & intentionaliter: quod autem eſt, vel patitur realiter, fit realiter id quod patitur, & eſt realiter, quod eſt. Dicimus nihil contra nos concludere, quoniam Deus non eſt, quod eſt, intentionaliter, ſed realiter, & tamen cognoſcit ſepſum. Item Angelus eſt realiter, & cognoſcit ſeipſum realiter. Non ergo requiritur exiſtentia intentionalis cognoſcibilis in cognoſcente, ſed potius realis: falſum quoque aſſumunt Peripatetici, quod ſenſus non immutetur realiter, aliter, vt aiunt, omnia entia dum immutantur ſentirent. Concedimus enim hoc tanquam veriſſimum: & exemplo contrariorum mutuo ſeſe deſtruentium, & auerſantium, & defendentium, declarauimus. In Phyſicis quoque oſtendimus, omnem ſenſationem fieri per receptionem realem; manifeſtum eſt primò in tactu, vbi nulla caloris & frigoris ſimilitudo, ſed ipſe calor, friguſque recipiuntur, dum ſentiuntur. In guſtu quoq, ſapor ipſe realis percipitur, qui eſt actio caloris innati effundentis ſe cum propria mole in poros linguæ: vnde dolores, & voluptates reales cauſat: & nulla ſimilitudo, aut ſpecies ſaporis poteſt reperiri intentionalis. Nec Ariſt. ipſam inuenit, ſed qualitatum elementarium commiſtarum vim eſſe, docet, ſaporem. Auditus quoque non intentionales imaginarios percipit ſonos, ſed reales: vnde niſi aër commotus moueat ſpiritum in auditoriis neruis ſentientem, nequaquam ſonus vllus percipitur. Manifeſtè quoque ab acutis ſonis penetratur, & confoditur, & à grauiſſimis contunditur: ergo non eſt paſſio intentionalis, & perfectiua, ſed ſimul deſtructiua omnis ſenſatio. Idem docet olfactus, qui à graueolentibus aggrauatur, & ſtatim dolor capitis ſentitur intra cerebrum in ſpiritu à ſua diſpoſitione alienato: ab odoribus verò ſuauibus reficitur, nutritur, & augetur, experientia & Medicis teſtantibus: vt ſtultum ſit, eorum negare realitatem. Nec quî fiant ſpecies, imagineſque ſonorum, & odorum fingi poteſt. Adeamus viſum ad quem confugiunt: vbi in oculo conſpicientes imagines viſibilium, putarunt omnem ſenſum fieri per huiuſmodi imaginem, & intellectionem quoque per ſimulacra intelligibilium: licet nunquam caloris, & frigoris, & ſaporis, & ſoni ſimulacrum oſtendere potuerint. Nos autem putamus, viſionem fieri non per imaginem, ſed per motionem, quam ſpiritus ab imagine patitur: ſi enim imago hoc faceret, vtique & ſpeculum, & aqua viderent, quod ipſi negant. In oculo quoque hominis mortui, & dormientis recipitur ſimulacrum, & tamen non fit viſio: ergo ſpiritus affectus, immutatuſq; ab imagine ſentit rem, vnde venit imago. Nos autem in Phyſicis oſtendimus, non recipi in oculo rem exteriorem, quam videmus, ſed nec ſpeciem eius poſſe ad oculum ſponte venire, neque relinquere ſubiectum ſuum: neque à ſenſu agente effici portarique; ſed lucem ſimpliciſſimam tingi faciebus omnium rerum, & ab ipſis reſilire, & oculos ſubire, & in cryſtallino humore cum illa ſpecie præſentari, & ſpiritum, ex opticis neruis ad oculum exeuntem, immutare, eaque imagine, qua ipſa lux tincta eſt, tingere, & ipſum mox immutatum iudicare de viſibilibus iuxta ſpecies illorum à luce delatas. Nec poſſe viſionem fieri, niſi realiter intret lux cum ſpecie, & moueat ſpiritum realiter; ideo nos in luce non videre eos, qui ſunt in tenebris, ſed videri ab illis; quoniam lux nulla ad nos ab illis, at ad illos ex nobis reflectitur: ſimiliter nec in ſpeculo poſito in luce, & vultu noſtro in tenebris, videmus vultum noſtrum, ſed è conuerſo videmus, quoniam lux à nobis in ſpeculum reſilit. Nec ratio Peripateticorum valet, cum dicunt, quod ſi realiter reciperetur color in oculo, fieret coloratus, quod nō fit: neque in ſpeculo color vllus remanet. Nam viſio non fit quia coloratur oculus, ſed quia coloratur ſpiritus, neque totaliter informatur colore, vt Ariſtoteles putat, ſed modicum quid immutatur, vnde vires immutantis iudicat. Sed nec oportet colores remanere in oculo, neque in ſpeculo; quoniam non ſunt actiuiſſimi, vt poſſint oculum omnino colorare: nam & lux ipſa realiter recipitur in oculo, & aëre: non tamen remanet, neque immutat prorſus, ſed tantillum. In ſpeculis quoque realiter recipitur lux colorata colore vultus noſtri, & tamen non remanet, quoniā tempus & vim materiam vincendi non habet. Realiter quoque in aëre eſt lux, & in aqua itidem, & ſimulacra cum illa, & nihil tamen in aëre remanet, niſi paruula affectio. At aliquando ita agere lucem in oculis, vt viſionem, & humores corrumpat, omnes norunt. Quin & albedo ipſa diſgregat realiter, non intentionaliter oculi humores, ſi nimia eſt, & ſpiritum, ac diſſoluit: vt patet in illis, qui longa itinera per niuoſas regiones conficiunt. Vnde Xenophontis milites ab Armenia in Græciam hyemali tempore redeūtes per niuem, cæcati ſunt multi, donec Xenophontis conſulto nigra velamina oculis appoſuerunt. Remanere quoque aliquid coloris in oculis ipſe Aphrod. fatetur, quoniam albiſſima conſpicientes, alborem quendam in oculis aliquo tempore obuerſari nobis videmus: & ſonos grādes audientes, ſimiliter quendam ſonū ſeruamus in auditu; & de ſapore, & odore, & calore in tactu, manifeſtius eſt: & D. Ambroſ. in Hexam. pluribus teſtatur experimētis: & ipſe Ariſt. omnem notitiam fieri per aſſimilationē, & alte-

rationem, docet: Quare ſtultè ad intentiones recurrunt. Non enim quia nos intendimus, ita fiunt ſimulacra, ſed quia ſunt realiter. At ſi realitatem illam exilem, vt Auerr. admonet, non permanentem, vocant ſpiritualitatem, & intentionalitatem, nihil repugno: quoniam non modo in nobis, ſed in aëre, & nubibus Iridis, & in ſpeculo talis intentionalitas ſuſcipitur. Sed non propterea non erit paſſio realis ipſa ſenſatio: vel intentionalitas erit de ratione ſenſationis, & intellectionis, quandoquidem in non ſentientibus ſpeculis, & aëre, iuxta eorum ſententiam, hæ fiunt quoque intentiones, vt in Phyſic. quæſt. declarauimus, At inquit Ariſt. non eſt bos ipſe in ſenſu, & tamen ſentio bouem. Reſp. quod eſt lux à boue reſiliens, vel ſonus, per quos ſimul ſyllogiando ſentio bouem quaſi per accidens, & per aliud, quod realiter eſt in noſtro ſenſu, ſicut ſigillum in cera ſine materia ſigilli. Neque quia fit cum voluptate, & lucro ſenſatio, & intellectio, non ſit realis paſſio, vel immutatio: nam & materia cum lucro ſuſcipit, vt Aprod. ibidem fatetur, & tamen realiter recipit; & cum voluptate comedimus, & tamen realiter comedimus, & afficimur à cibo realiter, & aliquid cum dolore reali comedimus. Et licet voluptuoſum ſit ſcire ignem, non autem pati, non propterea ſcientia non erit paſſio: Voluptas enim accidit, quia ſpiritus noſcit ſe ſapientem malorum, & bonorum, vt illa poſſit declinare iſta ſequi, igitur afficitur voluptate in cognſcendo, quatenus ſui conſeruationem inde auſpiciatur & non quatenus patitur. Sæpè quoque augetur, & reficitur ab obiectis ſimilibus, vel ipſum ad ſuam ſanitatem reſtituentibus, vel ad ſuam operationem inuitantibus: ſed non propterea de ratione ſenſationis eſt voluptas: ſed enim voluptas eſt affectio volitiui, ſenſum ſequens conſeruationis modo. Verum & quæ deſtruunt ipſum, ſentit ſpiritus, & ab iis dolore afficitur, & perditur tandem: vt non magis voluptuoſum, quàm dolorificum eſſe ſenſum, & intellectionem fateamur ratione obiectorum externorum.

Nec quia intellectus non ita valide patitur, ſit alius à ſenſu: ſed eſt ſenſus rei abſentis, à qua paululum immutamur: & ſenſibile ſupra ſenſum deſtruit, non autem intelligibile ſupra intellectum, quoniam de ratione intelligibilis eſt eſſe abſens, proindeque acue intellectionem ad ſui perceptionem. Vnde, qui videt à longè acuitur viſione; ſed de ratione ſenſibilis eſt eſſe præſens: idcirco & deſtruere poteſt, quo vehementius eſt: At comparari debeat magnum intelligibile cum minimo ſenſibili, & ita conueniunt: qui enim poteſt acum, & atomos minutiſſimos videre, perficitur; & qui à longè videt, melius videt propè, ita, qui intelligit maximè intelligibilia, ſe habet ad minima. Ratio Ariſt. peccat petitione principij: id enim quæritur, an id quod percipit abſentia loco, & tempore per ſpecies olim acceptas, languidaſque iam factas, vel formatas nouiter, ſit idem cum eo, quod præſentia percipit per ſpecies fortiter agentes, nondum à ſuis obiectis relictas languefactas, ſint idem. Ipſe verò per hoc ipſum probat, quod per alietatem obiectorum probandum erat. At eadem intelligi, & ſentiri palam eſt: & incorpoream amicitiam, inimicitiāq;, & deſpectum, & honorem Bruta ſolo ſenſu percipiunt: & ſenſum communem eſſe ſpiritum, omnia organa cognoſcendi implentem, alibi docuimus: & imaginationem eſſe actum ideantis eiuſdem ſpiritus in abſentia obiectorum: & rationem eſſe ſentire in ſimili: intellectionem verò ſenſum communitatis: & quidditatem non ab oculo cognoſci, ſed à ſpiritu, qui eſt in oculo, & in omnibus ſenſoriis, qui confert omnia, quæ didicit per multa ſenſoria in eodem obiecto, & ſic elicit ſcientiam quidditatis obiecti. Mentem verò quæ omnes operationes perficit ſentientis ſpiritus & inſuper ex omnibus his ad diuina aſſurgit. Verum quia Ariſt. putauit, cognitionem exteriorum fieri per informationem: & forma rerum realis non videbatur quomodo in animo poſſet recipi, recurrit ad intentiones, & comportant intellectum agentem ad ipſas conficiendas: cum palam ſit à luce à ſpeculo, & in aëre poſſe abſque tali intellectu fieri. Nec nos docuit, quomodo poſſit informari tot formis ſimul intellectus, nec corrumpi adueniente altera, & quomodo ipſe res ſuis formis polientur ab intellectu, faciente de corporeo incorporeum, quod Dei ſolius virtutis eſt. Et quidem ſi ipſæ rerum formæ materiales ſunt in phantaſmatibus, non eſt verum, quod ſenſus recipit intentionaliter, vt aiunt, niſi ſicut cera recipit formam ſigilli aurei, non autem aurum, nec tamen eſt ſenſus, nec receptio intentionalis. Si verò ſunt formæ de ſe intentionales, fruſtrà additur intellectus actiuus ad ipſas actuandas, & traducendas ad ordinem intentionis intelligibilis: ſed de his alibi. At ex dictis non concludunt, quod ſcire non ſit eſſe, nam vel intentionale erit.

Reſp. 5. Intellectum eſſe per ſe intelligibilem, & perperam poni puram potentiam, ne intelligatur; & ſentientem animam cognoſcere ſeipſam ſentire.

ART. VIII.

NEc rectè dicunt, intellectum non poſſe ſeipſum intelligere, quia pura potentia eſt. Ariſtoteli enim eſt potentia ad intelligere, non ad intelligi: cum enim ſit de ordine immaterialium, multò magis poteſt intelligi ipſe, quàm ſpecies materiales defœcatæ à phantaſmatibus, quoniam ipſe per ſe defœcatus eſt. Item dato quod ſit potentia, tamen eſt etiam actus. Nam D. Thomæ & Latinis intellectus actiuus eſt potentia eiuſdem animæ, cuius eſt paſſiuus: & cum ſit actus per ſe ille, ſicut iſte eſt potentia, maximè erit cognoſcibilis: ſed Caietanus

reſpondet, quod non eſt ſibi actus, & lux, ſed phantaſmatibus. Hæc reſponſio fuga eſt : quoniam ſicut lux illuſtrat colores, facitque actu viſibiles : ſic intellectus phantaſmata, teſte Ariſt. Sed lux eſt maximè viſibilis, & ideo facit res viſibiles; igitur & intellectus actiuus facit, res eſſe intelligibiles, quia ipſe eſt maximè intelligibilis. Et hæc ratio nota eſt Aphrod. probanti, quod intellectus actiuus eſt intelligibiliſſimus, quoniam & alia facit intelligibilia, ſiuè ſit interior, ſiue exterior : quamobrem falſo ſtatuitur anima ſeipſam non intelligere, quia eſt potentia, quandoquidem eſt & ens intelligibile, & poteſtas patiendi recompenſatur à poteſtate agendi, & ſuperatur à ſubſtantia tota, quæ ſecundum ſe eſt actus Ariſtoteli, & S. Thomæ : ſed de his alibi.

Ad Teleſium iam reſpondimus, & perceptionem paſſionis ſi ponamus ſenſum, adhuc ſeipſum ſentiet patientem, & fientem aliud : & ſe entem, quod eſt, ſentit, quoniam Teleſio omnia ſentiunt, & amant ſuam conſeruationem : ſed quod obiicitur, quoniam auris non audit ſe, neque viſus videt ſe. Reſp. quod non eſt auris audiens, neque oculus videns, ſed ſpiritus qui eſt in oculo audit, & videt; ſenſus autem oculi materialis eſt ſtupidus abſque ſpiritu & exilis : ſpiritus autem non poteſt oculum videre, quoniam ab intra opacitas eſt; & qui reſpicit per feneſtram eiuſmodi non videt feneſtram eiuſmodi : abextrà verò offertur lux, & illam videt & colores, & colorata per lucem, illis affectam ; oculum verò in obiecto ſpeculo. Quod autem viſus ſeſe videre, & auditus ſeſe audire percipiat, licet Peripatetici negant, Apoſtrod. affirmat, & ipſa rerum experientia : ſpiritus quippe, videns iudicat ſe videre, quod videt ; & non videre, quod non videt ſed ipſi non diſtinguunt videntem ab oculo, & falluntur. Anima verò ſeipſam non nouit propter cauſas paulò ante allatas : ſed abdita notitia & entis, bene ſe nouit. Nec quia nouit ſeſe eſſe, & non quid eſt, aliud erit eſſe à quidditate, niſi ipſum eſſe extrinſecum, quod ipſam noſſe ſcimus, vnde ſe eſſe in corpore, pati, dolere, lætari, mouere, quieſcere cum corpore nouit : ſed hæc pertinent ad exiſtentiam exteriorem ; vt dictum eſt.

VTRVM SENSVS SIT PERCEPTIO *paſſionis, vel paſſio, vel iudicium : & quomodo iudicium validæ paſſionis ſit, & nos à nobis alienat, & reputatur non iudicium : & num ſit actio, vel paſſio, vel miſtum, vel operatio, ipſum cognoſcere. Et tandem eſſe ipſam eſſeitatem, & præeminentiam, Primalitatemuè, entis primordiatiuam.*

CAP. IX. ART. I.

AT quoniam Teleſius rectè nos monere videtur, ſenſum eſſe, non paſſionem, ſed perceptionem paſſionis : ideóque ſequitur non pertinere ad ipſum eſſe rerum, ſed ad perceptionē ipſius eſſe, quod ſimus dum patimur; hoc iterum examinare non grauemur; quoniam tunc rectè de aliqua re iudicamus, cum illam diu, & ſæpè operationes, & paſſiones eius, & cauſas conſpeximus : vtique cum benè, & validè affecti fuerimus, iudicium proferimus : videtur ergo iudicium eſſe perceptio entis, ad quam ſequitur declaratio. Hæc autem perceptio ad immutationem ſpectat, vel immutantis eſt entitas in immutato, affectóque prorſus ſaltem promaterialiter: ſed non quæcumque magis nos afficiunt, melius iudicantur : plurima enim affectio alienat vim cognoſcentem ab eſſe ſuo, & transfert in alienum; & hoc eſt inſania, & furor, quo afficiuntur amantes, & qui mordentur à cane rabido, & ab araneis Tarentinis : & quamuis hæc ſit valida ſenſatio, tamen furor eſt, quia repugnat natura cognoſcentis tranſire in naturam cognito ; & ita omnia moribunda quaſi inſaniunt, & patiuntur alienationem, quoniam valdè immutantur. Ergò iudicium non pertinet ad immutationem poſtquam ipſa nimia immutatio aufert iudicium ſui, & inducit alienum, ſed pertinet ad veritatem eſſe. Nam & ſi rectè iudicet de eſſe ſuo, in quod transfertur, non tamen ratione noſtri eſt iudicium, ſed furor; quoniam nimis alienat : iudicium autem dicitur rectum, cum non à nobis alienamur, & de rebus prout ſunt, pronunciamus. Vnde dicebat Bernardus, Sapientem eſſe cui res ſapiunt prout ſunt : ſed hoc ſapere pertinet ad conſeruationem eſſe proprij ; aliena verò ſapere, ad tranſitum in alienum, ſicut Hector apud Homerum ob vulnus alienatus, dicitur aliena ſapere. Sed quia nos res non penitus introſpicimus, dum remanemus id, quod ſumus; hinc eſt, quod nullum iudicium totale, & perfectum eſt apud nos: vt in primo lib. diſputauimus. Sed quidem videtur iudicium aliquid plus importare, quam perceptio : perceptio enim fit ſola paſſionis notitia, ſenſuque cunctis innato, iudicium verò importat adhuc diſcurſum omnium, quæ pertinent ad obiecti eſſe, vel eſſentiam; magis autem ſi eleuatur à Mente. Et quidem non video, quid perceptio ſupra eſſe addit : percipimus enim quia ſumus, & declarauimus, vbicumque eſt paſſio, eſſe perceptionem ; ſed nod peruenire

quasdam ad spiritum nostrum, & ideo videri absque perceptione fieri. Patet quoque, lapidem minus percipere passionem, quia minus patitur, aërem verò magis, quia magis patitur: & hæc differentia est inter spiritum, & ossa. Nescio quid diuinius olfacio in hoc sermone, & supra esse; & quasi principium, melius autem dicam primordium est eius, seu essentialitas, & rectè vocata primordialitas: pertinet quidem pati ad esse fluens: perceptio ergo est in passione fluentis esse notitia: ergo instante esse est eiusdem notio: ergo verum est, quod notitia non est esse totaliter, sed quasi principium primordiale eius; nam & Amor & Potestas non ipsum esse totum dicunt in formali sermone, sed esseitatem & essentialitatem & realitates, vel potius præminentias, & Primalitates entis, vt infra dicemus. Sed examinemus aliorum decreta, vt hoc clarescat.

Placet Henrico, intelligere non esse pati ab intelligibili, sed intelligibile terminare tantum actum intelligendi: quoniam nobilius non patitur ab ignobiliori, nec spirituale à corporali, teste Augustino: secus verò putat intelligere esse vitalem operationem animæ, & obiectum determinare ipsam: & species intelligibilis gerit obiecti vicem, & simul cum intellectu causat intellectionem, non tamen patitur intellectus ab ipso obiecto, ni per accidens. At D. Thomas putat, intellectum & sensum esse potentias passiuas in recipiendo intelligibile & sensibile: quo recepto actuari, & agere: & hanc actionem esse intelligere, & sentire, quæ sequitur ad actum eius, & non ad obiectum, sed ad actuationem potentiæ. Et Caietanus putat hinc non esse verè actionem, nec passionem, sed vitalem operationem, post vbi actuatus est intellectus: & hoc rectius dicit quàm Aristot. Alexander verò Aphrod. ait, quod sicut ignis, consumens ligna, agit, & simul patitur, dum nutritur, & similiter vis altrix in animali: ita intellectus dum facit actu intelligibiles res simul intelligit, patiturque. Quapropter intelligere ratione intellectus agentis est actio, non ratione patientis. Nos autem, neque actionem, neque passionem esse cognitionem, dicimus, sed quid longè diuinius, & entitatis præeminentiam vocamus vocabulo nouo: quoniam prisci tantummodo considerantes, quod in sensatione, & intellectione interueniat passio, mox nobilitatem virtutis cognoscitiuæ admirantes, ipsam à passione eximere cupierunt, vnde alij dixerunt esse actionem, alij operationem, alij mistum ex eis, vt patet. Nos verò neque operationem audemus ipsam vocare, sed præeminentiam, ac primalitatem, & pertinere ad esse: & passionem interuenire quatenus esse fluens dicit: & hoc esse fluens quatenus additur ab obiectis cognoscenti essentiæ non parere notitiam, sed notitię radicali occasionem se se manifestandi præbere: quoniam cum ipsa præemineat entibus, & essentiet illa simul cum Potentia & amore, constitutione eminentiali, quæ potius essentiatio dicenda est, in aduentu nouæ entitatis, iuxta acceptionem, vel refutationem, comparere solet accidentaliter, vt ignis ex percusso lapide: & sic intelligo aliquid inexplicabile verbo hominis. Vigorem sapientiæ inde scire licet, quod quanto plura scimus, tanto plura sumus, vnde qui omnia est, omnia scit, qui pauca est, pauca scit: & qui omnia addiscit, est sicut Deus omnia entia, & potest operari ferè omnia. Non immeritò sapientes tanquam Dij venerantur ab homine: non enim modo sunt id quod videntur esse, sed multò plura, & res magnæ entitatis magnæ dignæ sunt honore: Ergo Mathematicus est sidera & motus, & vires & operationes earum mensura corporeorum, & quidquid scit: similiter & philosophus omnia naturalia est, cœlum, terra, & quæcumque intra hæc fiunt. Nobilior est Moralis, qui omnes virtutes est. Nobilissimus Theologus, qui est Angeli, & Deus: sed quia parum est hæc, & non totaliter, sed in esse cognito, non innato, sed illato, non omnino est Deus, & Angelus, sed sicut diximus: qui enim omnia est, & non fit, habet scientiam ab actu, non à passione, & verè Deus est. Et ideo intelligendo solùm, potest omnia producere: & scientia eius, vt Potestatiua, est causa rerum: nostra verò causatur: est tamen causa, si à nobis excogitantur. Mens siquidè facit entia omnia imaginatione ideante, Deus autem etiam effectione transeunte ad extra.

Videtur scientia infœlicitas, & vilitas, & esse, & corruptela ex sequentibus argumentis, dubitatiue.

ART. II.

At videmur contra dogmata nostra pugnare: si enim scire est propter esse, & quanto plura scimus, plus à nostro esse recedimus, & transimus in alienum, vtique melius esset ignorare. Felicior videtur lapis, qui longo tempore viuit, quia non sentit sagaciter, quàm sagax canis, qui vix septimum transigit annum. Et quidam Epicureus ossa meliora carnibus, & carnes sanguine, & sanguinem spiritu esse, dicit, quoniam iniurię temporis, & corruptioni resistunt magis: vnde & quia passum ignobilius est agente, omne intelligibile videtur nobilius intelligente, & sensibile sentiente, & durabile non durante. Ad hoc dicimus, quia scientia data est propter conseruationem entis; quæ plus sapiunt, plus conseruari debere, sed è contrario euenit: quoniam plus sapiunt, quæ plus patiuntur, & facilius immutantur ab obiectis: Ergo quæ corruptibiliora sunt. Et hoc Aristoteles paulisper nouit, dum dixit molliores carne esse dociliores. Nec vis cognoscitiua videtur numeranda inter præeminentias, cùm inter corruptibilitates, & passibilitates potius numerari debeat. Nec quidem viri fortes sapientia indigent, quos sua tutatur strenuitas. Videtur ergo languidorum esse, & seruorum: vnde Principes terræ insipientiores esse solent, & committunt seruis artes, & scientias, & speculationes. Similiter animalia robustiora minus participant sapientię, magis autem imbecilla, vt apes, formicæ, araneæ.

Respondeo quomodo Sapientia simpliciter est nobilissima abdita per se, addita per accidens; & præstare insipientiæ omnino.

ART. III.

RESPONDEO quod sapientia non est entis secundum quid præeminentia, sed entis simpliciter: ens simpliciter corrũpitur nunquam: Non enim corrumpitur esse, sed hominis; neque hominis simpliciter, sed huius, vel illius: ita nec herbarum, nec ventorum esse, sed hecceitas. Mutatur autem res, & in omnibus præsidet sapientia, cui omnia viuunt. Nam etsi moritur esse aquæ, viuit in esse aëris: sapientia autem præcedit has mutationes; quæ videntur ad non esse trahere, cum tamen ad aliud esse recursum faciant. Item nobilitauimus esse innatum non addititium, & scientiam abditam, non additam, quæ trahit abditam in aliud; & sapientiam, quæ est actus, & esse, non quæ est passio, nisi per accidens. Quapropter ex eo, quod passibiliora sunt sapientiora, non licet inferre sapientiæ vilitatem: sed essendi instabilitatem sapientiæ arte procedentem. Et quidem passibilitas non est nobilis, nisi quatenus sapiendi plura occasio est: & ergo à sapientia nobilitatur, quatenus plura esse adsciscit. Præstat autem, esse multa adscita, quàm vnum abditum: nisi illa multa sit per essentiam, vt Deus: vnde qui plura sunt, & melius operantur. Archimedes solus in sapientia sua Romanorum exercitum sæpe deuicit. Vnus Cicero in sapientia patriam liberauit à strenuissimorum peximorũ inuasione. Vnus Moyses etiam Deus Pharaonis per sapientiam factus est, & domitor Ægyptiorum, & legislator seculorum; non quatenus patibilis, sed quatenus ex passione sciens. Ipsa ergo passibilitas melior quàm impassibilitas inuenitur ob sapientiam, quæ ex passione iudicat obiecta; & scit illis vti ad bonum esse: Recedere autem à proprio esse non est nobilitas, sed alienum esse sortiri nobilitatem facit vis sapientiæ; Nec nobilius est patiente agens semper, sed fortius, vel fortitudine sua, vt multum frigus paruo calore, vel aliena, vt carnifex iudicis, & Reip. potestate: potentior est Nino & Nardo: Quando autem sunt diuersi generis, potentius & nobilius, non quando eiusdem: dico autem simpliciter: quoniam secundum quid nobilius est frigus vincens calore victo, vel vincibili: Nec tamen lapis est cane nobilior, & os spiritu: nam melior est, dulciorque modica vita canis longa vita lapidis: ille enim est plura, quàm hic, licèt addita per passionem lucrosam, non damnosam. Nec nobilitas est in duratione stupida, sed in scientifica: sapientia autem indita conseruat omnia, non autem addita, nisi quatenus sit indita, vt dictum est: & ipsa mors, & mutatio est entis conseruatio, vt patebit. Nam sicut hominis conseruatio est in morte panis, qui fit sanguis, & in morte sanguinis, qui fit caro & spiritus; & multæ mortes, multæque vitæ partiales in corpore hominis integrant vnam vitam totalem hominis: ita multæ transmutationes vitæ & mortes rerum integrant vitam mundi: & hoc intendit sapientia, vt docebimus inferius. Quæ autem plus sapiunt, plus conseruantur in esse totius, non in esse partis, sed in partis esse melius. Quis dubitat spiritum osse vixisse melius? Potentiores autem dominantur quatenus & sapientiores: quatenus enim strenui seruiunt sapientibus, etiamsi sceptro potiantur. Nec lapides in altari positi sunt beatiores equo in pistrino: Apes quoque meliores sunt struthione: & sapientia conseruat imbecillitatem, strenuitas autem etiam robur destruit, si sapientiæ est expers. Homo autem per sapientiam cunctis feris, se grandioribus & robustioribus dominatur: sed cùm loquemur de Prouidentia hæc repetemus, & videbimus, quod nobilitas non potest nisi in totis tribus Primalitatibus celebrari. Vide & 1. p. lib. 1.

Nota omnia.

Dubitatur, & respondetur, vtrum Sapientia sit vna, vel plures, diuisibilis, vel indiuisibilis: & quomodo per abditam Sapientiam res cunctæ laudent Deum.

ART. IV.

QVo pacto autem vnaquæque res cognoscat, particularium est doctrinarum opus; hic enim res omnes cognoscere modò probamus: & quid ipsa cognitio sit. Ad hoc autem pertinere videtur vtrum vis cognoscitiua sit diuisibilis, vel indiuisibilis: si enim diuisibilis est, ergo & esse omnis rei erit diuisibile, ergo & Deus: si indiuisibilis, quomodo fieri potest, vt simul contraria cognoscat, calorem scilicet & frigus. Nam non potest simul esse idem ens calor & frigus, neque simul fieri calor & frigus. Quomodo enim assimilabatur duobus contrariis contrarium esse, dissimileque, effundentibus. Item quæritur vtrum sapientia sit vna omnium rerum, & communis, an diuersæ sint sapientiæ, & diuersi generis: & quod est sapientiæ munus & functio in cunctis simul, & seorsum.

Ad primam respondeo, esse sapientiam diuisibilem, sicut ens: est enim essentialitas constitutiua entis: cuiusmodi autem entia sunt, videlicet indiuisibilia, vel diuisibilia, eiusmodi & sapientia est, vt patebit, cum loquemur de vno: & cum quæritur quomodo potest simul contraria esse, vel fieri, respondet Arist. ex Plat. quod est indiuisibilis sensus, & intellectus secundum se, sed potest esse multiplex, sicut centrum, quod est vnum, sed lineas multas respicit, & terminat, ab eo ad circumferentias porrectas. Hoc anxiè disquirit Aphrod. & alij

Peripatetici, & nullam inueniunt satisfactionem: vnde alij dicunt, in virtute cognoscente, contraria non esse contraria. Alij verò putant: esse in anima, sicut dulcedo, & albedo in pomo. Alij putant, passiones contrarias simul non fieri in eodem, sed iudicium contrariorum posse: quoniam non iudicat animus contraria esse idem, sed contraria: quare receptio non fit in eodem simul, sed iudicium. Tandem Aphrod. arbitratur posse simul contraria sentiri, quoniam in diuersis partibus sensorij recipiuntur: indiuisibilis verò sensus ea iudicare dehinc potest, quoniã in iudicio non est contrarietas: sed quomodo intellectus, quem à sensorio secernunt, simul contraria suscipiat, & iudicet, & sit indiuisibilis, non declarat: Et Aristot. exemplum est fallax, vt idem probat. Non enim in eodem centro indiuisibili possunt duo contraria recipi, calor, & frigus, albedo & nigredo, quamuis à diuersis sensoriis vel partibus emanent; ipsum enim centrum est iudex; at quomodo iudicet, nisi recipiat? quomodo autem recipit contraria? & quomodo hoc centrum calorem manus, & frigus pedis à se longè, simul suscipit, si per informationem propriam, aut per immutationem fit? Alij recurrunt ad intentionalitates, quæ simul esse possunt. D. Thomas non posse putat, duo simul intelligi, neque simul sentiri, sicuti nec idem corpus duabus figuris, aut coloribus simul affici diuersarum specierum, quamuis vnius generis. Telesius verò contendit, nihil rectè sapere Peripateticos, quoniam dulce & album sunt in pomo, tanquam duo accidentia eiusdem formæ non contraria: At calor & frigus contraria sunt: idcirco si non contrariè existunt in cognoscente, neque contrariè iudicabuntur: iudicat enim iudex omnis, sicut afficitur, & sicut informatur: similiter palam est, fieri cognitionẽ per immutationem: ergo cõtrario modo immutant, & ideo contraria iudicantur: neq; iudiciũ est idẽ, licet iudex sit idẽ. Neq; intẽtiones contrarias simul esse posse, testatur D. Thom. & ratio, quia contrariorum sunt simulacra, ab actionibus contrariis edita, & indita. Idcirco Telesius corporeum esse sensum docet, & in diuersis sui partibus diuerso modo affici, & iudicare. Sed quid dicet de anima à Deo infusa, quæ indiuisibilis est? Nihil inuenio apud eum, nisi quod est forma spiritus: idcirco ergo, quia spiritus corporeus contrariis afficitur, & affectio ipsi communicatur, iudicium ferre mox de illis. At quid dicemus de Angelis, & de Deo? quod multa per modum vnius habent in esse cognito, quia Deus per vnam sui essentiam, causa rerum omnium, omnia nouit. Quomodo autem contraria Deus potuerit creare, & scire, inferius declarabimus. At nunc vim cognoscendi indiuisam esse ratione sui, dicimus: diuidi autem ratione subiectorum diuisibilium, vt lux: & sicut lux est vna in se infinita, velocissima, pulcherrima, sagacissima; ita sapientia in primo ente vna est: At in creaturas effusa modificatur, & polluitur, pigrescit, & hebetatur, suscipitque alia esse, & nomina, & dicitur ratio, scientia, ars, sensus, phantasia, memoria, intellectus: sicut lux in corporibus concreta vocatur albedo, rubedo, viriditas, croceitas, quoniam impurificatur, & à suo esse distrahitur, & graduatur. Nec tamẽ color est lux solis, sed participatio illius, ita neque scientia, sensus, ars, phantasia sunt sapientia Dei, sed participationes eius: & cum Deus subtrahit has participationes, res incidere ignorantiam, sicut abeunte sole colores vim sese manifestandi, & operandi amittunt. Functionẽ verò sapientiæ esse, res nosse prout sunt, & ordinare ad finẽ quidquid ipsi subest; prout verò sũt, nosse, impossibile esse creaturis, quoniam cognoscit cognoscens omne secundum modum sui, sicut visus rubedine aspersus, videt quidem omnia, sed rubra; seipsa quoque abdito modo, & certissimo sapere cuncta, dicimus: Et quia participatio primi entis beatissimi est omne ens, ideo dulce sapit cuique suum esse: & fugit alienum esse sui destructiuum, quoniam dulcedinem alterius esse non nouit intrinsecus; & Deus vtitur dolore, & hac ignorantia ad permanentiam rerum, & ad quandam ipsarum felicitatem: si enim lignum nobilius esse ignis saperet, cuperet illud fieri; & aqua & tellus non repugnarent igni agenti: sed certum esse bonumque pro incerto non auent permutare. Auiditas enim sequitur cognitionem. Ideo maximè proprium esse cuncta amant, quia illud maximè norunt quod sunt; nosse enim est esse; alienum quod non sunt, nisi accidentaliter, non cupiunt, nisi accidentaliter. Et in hoc omnes creaturæ laudant primum Ens, à quo vt sint habuerunt, & vt sentiant, cupiantque esse, quod sunt, & propter finem, ad quem ordinantur. Non enim extra primum Ens sunt, & in eo id, quod sunt, sciunt abditissimo modo vix explicabili. Vnde quamuis metaphoricè laudent Deum respectu nostri, quoniam Angeli eminentius, lapides longè inferius; nihilominus quatenus entia verè laudant, quoniam sapiunt suum esse: & S. Hieron. in Ezech. 10. elementa sentire non inficiatur: & in 8. Mat. *Omnia*, inquit, *sentiunt Creatorem*, quanquã in se videãtur insensata: & obediunt ei, vt dicitur etiam in Ecclesiastico; & D. Thomas magis amant Deum quàm seipsa amore naturali, non methaphorico: & delectantur verè, non metaphoricè, ait etiam S. Dion. & D. Clemens Romanus introducit Apostolum Petrum declarantem Symoni Mago, quod Christus sapientia Dei non fuit solum quando apparuit nobis in homine Christo, sed semper & vbique: & hoc probat, quoniam inquit, vbique est ordo, & ratio in rebus materialibus, & semper artificio quodam fuerunt compositæ, & organizatæ: ergo vbique, ait, semper fuit sapientia in cunctis rebus: vbi Clemens ex sapientia participante declarat participatam: & inesse rebus intrinsecam, declarat. Et sic Ecclesiasticus locutus est, quòd Deus creauit sapientiam in Spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera eius; & ideo benedicunt omnia opera Domini Domino, ibidem, & in Psalmis, & in Daniele, & Baruch: & Theodorus Platonicus res cunctas adorare summũ Bonum, eique mouere pro modo suo affirmat: & cum eo Fic. in Timeum. Quare rem attendentes, & non vocem, analogam esse sapientiam, sicut entitas, videmus, & non metaphoricam.

Intellectum quoque à Peripateticis agnitum, esse sensum vniuersalis & remoti obiecti, & non alterius generis, affirmamus: & bestias habere hunc sensum, & pueros magis: quoniam est confusus & vniuersalis. Nec ab hoc vocari Deum, & Angelos intellectus: sic enim neque Deus, neque Angelus particularia cognoscerent: sed ita vocari, quia intus legunt, & agnoscunt rei essentiam: in nobis verò, & in brutis, quia intra cerebrum, & non in externis sensoriis legimus languido ex obiecto, quod potentius est in eo ad mouendum, scilicet, id quod habet commune cum multis, & quo mouet crebrò,

& cum aliis nostrum sensum, & magis afficit, ideoq; absente obiecto, solum vniuersale remanet: sicut cernentes niuem, seruamus in oculo alboris reliquias non indiuiduales, sed communes: neque enim cuius portionis niuium sit albor dignoscimus: Et Salomon vocat intellectum sensum multa cogitantem à corpore aggrauatum: Et Iob tribuit gallo intelligentiam absentis solis. Dauid negat equo & mulo immortalē intellectū à Deo inditum, non autem sensitiuum: intellectus autem à Deo infusus trāscendit ad diuina, & ad vniuersale causatiuū, & tempora & loca, & corpora cuncta ambit, & innumeros Mundos sine fine apprehendit, & quod scire nostrum non est rerum prout sunt agnoscit, brutis ignotum.

Sapientiam non non doceri, neque transfundi, sed ex consensu Mundi trahi à Deo; & ipsam esse virtutum parentem: Et cur præmia, & pœnæ iustè per leges decernuntur.

ART. V.

SAPIENTIA non videtur posse doceri: discipuli enim sapientum non fiunt omnes sapientes, sed qui sapientia abdita abundant, quæ est principiū adscitæ additæq; ab obiectis, specificantibus illam: vnde nec qui plus laborant, plus sapiunt, nisi externa obiecta, & nō verè nisi sicut recitatores. Nec sapientia trāsfunditur per generationm, quandoquidē sapientum filij sæpe sunt rudiores: quoniam spiritum tenuem exilemque contrahunt, & imminuibilem passionibus generationis, & formationis, & nutritionis alterabilem, & degenerantem facilè: & non capitis spirtus, sed testiculorum effundunt. Contrahitur ergo sapientia Fato, Necessitate, & Harmonia totius entis ad particulares modos sapiendi: & in hominibus sapientissimis, qui spiritum habēt tenuem sed non tenuissimum: is enim statim sentit, & elabitur, & non expectat successorem, cui scientiam cōmunicet, licet communicet sapientiam: hi sunt sagacissimi subitò intelligentes, & præsagientes, & diuinantes ex modico in causis multū in effectibus, & subitò, sed non memorantes. Item nec sapiunt qui spiritum crassum habent, quoniam non suscipit facilè passiones illatas, vnde externa obiecta iudicantur, nec aptus est à seipso moueri facilè in syllogismos multos. Nec qui habent spiritum in prauè efformatis cellis aut angustis, quoniam non potest motus suos recolere nisi in spatiosis & mundis cellis. Nec quibus fuligines multæ ingenerantur, vt in habentibus cor, & iecur calidissima: fuligo enim timidos facit & perplexos in discurrendo, interrumpit motiones spiritus, & syllogismos, & ideo facit tædiosos in studio. Vt ergo benè formentur cellæ, viscera temperentur, & spiritus fiant non crassi, non tenues valdè, non fuliginosi, non molles, non rigidi, tota rerum natura concurrit, & artifex Deus: qui & mentem mox infundit spiritui: quæ iuxta affectus spiritus iudicat, & nullam habet per se operationem, quæ non incipiat à spiritu (nisi cum rapitur ad supera) licet ad vlteriora, & diuiniora quem posset spiritus eleuetur, quoniam est forma hominis, & non abstracta intelligentia, idcirco & insaniam non aufert, nec spiritus, & viscera immutat in melius: sed semper ad Dei cultum trahit. Hic homo per sese omnia nouit, quæ possibilia nosse sunt; & tunc sapientissimus est, cum se verè nihil scire agnoscet: quoniam rerum species imminutas, non res, sentit: nec intrinsecatur illis: at etsi intrinsecaretur, nosset se illa cogniturum non mensura entis, & veri, sed mensura sui. Huic proximus est, qui nouit sapientissimo parere: & quæ nescit ipse, ab eo discere: & hic non fuliginosus est. neque crassus vt obstinetur in prima impressione, qua putet, se sapere: sed tenuis & lucidus, licet cum aliqua fuligine; qui verò crassus est, fuliginosusque, nec per se addiscere potest, quoniam ineptus est ad patiendum ab obiectis ob crassitiem, & quod primò nouit, aliter posse esse non intelligit, quoniam non facilè pati potest ab aliis; nec discurrere, & inuestigare ob fuligines, impedientes motum: hi sunt robustissimi, ferocissimi, & ignorantissimi. Virtus igitur est sapientia, quoniam consistit in ipsa puritate, quæ prout sunt, res capit, non autem alteratas ab impuritate sua, & ita iudicat & afficitur. Affectio enim ex sapore nascitur, sapor ex potesse: ita quod virtus ad extra est regula extensionum Primalitatum ad obiecta exteriora; & sapientia quæ est omnis virtus radicaliter huius regulæ præambula non docetur, nec transfunditur, nisi genitor, cœlum & sidera, & mundum, & suum spiritum, & corpus, sciat ordinare, & genitricis pariter. Quia autem cunctis est dolor communis: & ergo timor; similiter voluptas cunctis conuenit, ergo & amor; ideo obedientia est communis cunctis hominibus: & propterea possunt ferri leges à Deo, & legislatoribus, vt amore vel timore illis ad nostrū bonum obediamus: Non autem vt virtus doceatur & sapientia: sed vt exerceatur ad nutum sapientiæ communis, quæ est ipsa lex, ab æterna lege, qua cuncta fiunt, & seruantur, ortum habens: & in hoc præmium, & pœnæ iustè decernere possunt: quoniam omnes possunt obedientiæ virtutem habere, cùm omnes doloris & voluptatis sint capaces, à quibus ad operandum mouentur omnia. Nota quod sapientia additicia non transfunditur, sed potius docetur, si adsit indita: indita verò, quæ est sui notitia, transfunditur, sed non puritas, perfectioque eius, qua rectè quis seipsum nouit, & postea per se mutatum ab aliis, alia nouit, prout sunt, eo pacto, quo sciri possunt: contrahitur autem à toto ente puritas, vt dictum est; & hæc ideæ correspondet intimius, expressiusque. At si non esset idea, neque quæ sit puritas scire possemus, vt palam mox ostendetur.

De

De gradibus Primalitatum extra Deum. Et quomodo plus à Deo, & Deo, quàm sibi sunt. Et quomodo extra se sunt alienatione occasionali: & de innatis, & illatis primordialitatibus & comparatiuè & absolutè.

ART. VI.

EX iam dictis collige sapientiam primo diuinam infinitam, vnde ortum habet Angelica, & humana, & animalis, & vegetalis, & naturalis gradatim: Naturalis inest cunctis entibus, qua sentiũt quod sibi conuenit & disconuenit sine specie, & discursu expresso, sed impresso, sicut in horologio. Per speciem.n.& discursum sentire (ait S. Thom.) accidit sensui, quatenus est ratio quædam. Nam sensus naturalis est participio vegetalis, per essentiam naturalis; sic vegetalis per essentiam, participio est animalis. Animalis per essentiam, est participio rationalis. Rationalis per essentiam est per participationem Angelicus. Angelicus essentia, est participio diuinus. Etenim omnes gradus superiores sunt in inferioribus participatiuè, id est, dispersius, particularius, & diminutius. Inferiores verò in superioribus sunt eminenter, id est, vnitius, vniuersalius, & plenius, iuxta regulam Dionys. Thomæ, & Origenis: in Deo autem supereminenter. Et sicut omnes creaturæ magis amant Deum, quàm seipsas, id est, magis totum bonum, quàm partem, vt probat S. Thom. & ideo vellent esse semper & vbique, & omnipotenter, & omnisciè, sicut est Deus, magis quàm esse id quod sunt aliquando, & alicubi, & paruipotenter, & parum scienter: sic omnes magis sapiunt Deum quàm seipsas: vnde in primalitatibus non possumus errare, vt in 1.p. l.1. ideoq; vero vniuersali particularia vera norunt. Vnde August. ait, tu noscis hanc veritatem: & ego nosco hanc veritatem: at tu non noscis in me, nec ego in te, ergo in vno tertio lumine communi, sub sole intellectuali: scientia autem qua scimus Deum est primordialis & occulta etiam nobis, sicut & amor naturalis quo cuncta amant Deũ magis quàm seipsa: tum quia sumus alienati à notitia nostri & Dei, propter ictus obiectorum nos istis similantes: innata tamen sapientia semper ad verum primum recurrimus: sicut calor animalis quamuis animaliter ad animalis vitam feratur; tamen naturaliter ad solem sui originem contendit. Tum quia obiectum diuinum est nobis inproportionatum superexcedens, sicut sol oculi vespertilionis facultatẽ. At cum ad nos reuertemur post alienationes statim agnoscemus Deum naturaliter clarè, & vt pollicetur Theologia confortati diuino lumine etiam supernaturaliter. Consimiliter omnes creaturæ magis possunt Deum quàm seipsas. Potestatis enim obiectum est ens & vita. At *in Deo viuimus, mouemur, & sumus*, dicit Aratus, in hoc dicto canonizatus ab Apostolo, qui addit, *ex ipso, per ipsum, & in ipso*; à nobis quidem de nihilo constitutis habemus potentiæ modificationem: A Deo potentiam & vitam, & sempiternitatem. Deo enim omnia viuunt, quamuis mutentur, licet in se vt modificata moriantur. Mox considerandum quod alia à nobis possumus, scimus, & amamus, quatenus sub Deo possumus nosipsos, & scimus, & amamus amore innato; obiecta enim non dant causaliter posse, scire & amare; sed inuitant ad hoc posse, hoc scire, hoc amare, occasionaliter & specificatiuè. Propterea enim possum leuare pondus, & mouere lapidem, quia possum leuare me ponderatum, & mouere me ad lapidis proiectionem; nec enim manus mouebit, nisi motum prius induat, à potentia motiua elicitum: similiter nec sentio calorem nisi calidus fiam, ac proinde me calefactum sentio vt quod; & similiter vt quo eodem sentio calefacientem ignem; Nec amo lucem hanc, nisi quia amo me illuminatũ, quod si non amo à luce nimia molestatus, nec lucem illam amo: Ergo ratio amandi alia est amor nostri. Amamus autem nos quia amamus Deum occulto amore, ita etiam possumus, & scimus.

Vtrum autem sit melior sapientia innata quàm adscita: similiter de potentia & amore quæritur. Respondeo, quod sapientia innata est primalitas & à Deo, idcirco nobilior, verior & certior. Nec enim circa primalitates erramus, nec circa ens & vniuersalia, sicuti probatum est in 1. p. cap. 3. & 4. circa particularitates & nonens erramus: quæ noscuntur scientia illata adscititiaque: in qua non solum homines errant, sed etiam bruta, quidquid dicant inertes. Nam & Catus manducat natos, contra legem naturæ; & asinus & ceruus abutitur asello nefanda venere, vt sæpe probatur: & aues auiculas eiusdem speciei manducant, & multa contra naturam operantur bruta per adscitum amorem & scientiã adulteratam. Natura quidem optima magistra est in naturalibus, sed per accidentales notitias & amorem, & additas vires errant omnia. Verũ est quod scientia extensior est sapientia innata; sed non posset extendi nisi ex innata extenderetur: scimus enim alia per hoc quod scimus nos ab aliis motos & affectos. At cur homo contra naturalem instinctum sapientius sæpe operatur, vt cum vouit virginitatem infructuosam, & sacrificat filium, & ieiunio se macerat? Respondeo quod si contra naturam hæc facit, errat: sin verò supra naturam ob bonum maius, & cultum summi boni Dei, non errat: neque enim error famelico est spernere cibum vulgarem dum mox sperat vtiliorem, nisi intereà mortis periculum adsit) neque infructuosus est qui fructus meliores præstolatur, quàm qui colligit deteriores.

INCIPIT TRACTATVS DE TERTIA PRIMALITATE.

CVNCTA ENTIA AMORE SVÆ CONSERuationis donata eſſe : & Amorem primordium eſſendi, & operandi, agendi, ſubſtinendique eſſe, ſicuti Sapientia, & Poteſtas.

CAP. X. ART. I.

NON modò ſunt entia, quoniam poſſunt eſſe, & ſapiũt eſſe, ſed etiam quoniam amant eſſe. Niſi enim illud amarent, non tuerentur tantopere vnumquodque eſſe ſuum, ſed à ſuo contrario ſe deſtrui ſubitò permitterent : nec amica conſeruantia eſſe ſectarentur, nec inimica auerſarentur : nec ſimile, in quo ſeruentur, generarent ; & omnia in chaos abirent, vel annihilarentur : ergo Amor videtur eſſe principium non modo eſſendi, ſed & conſeruandi, & operandi, & agendi, non ſecus ac Poteſtas, & Sapientia. Opus non facimus ſi non volumus, aut neſcimus, aut non poſſumus: opus autem extenſione eſſentiæ fit : eſſentia ergo conſtat voluntate ſiue amore, ſicuti poteſtate & ſapientia. Patet autem inductiuè in omnibus : lapis enim ſemper vult eſſe lapis, & vbi eius natura ſeruatur ; vnde poſitus in aëre deorſum vergit ad ſuam ſubſtentationẽ. Planta verò ita appetit eſſe, quod etiam perſentiſcens mortem, generat ſemen & prolem, in quibus viuat ſemper, & inſtrumenta, quibus ſeſe defendat. In animalibus, palam eſt, cuncta appetere ſemper eſſe: Nã nec muſca vult eſſe homo, nec canis leo, nec homo elephas, aut ſol, ſed etiam contra hoſtes, & mortem, & mortifera pugnant ſemper animalia naturaliter omnia ; & filios procreant, & educant omni labore, vt in illis viuant, vel ex parte: & ita intenſus eſt hic appetitus, vt quaſi ſolus, & per anthonomaſiam retineat nomen Amoris. Item ſæpe mortem eligunt, dum coguntur viuere, non ſecundũ eſſe ſuũ, ſed alienum inuiſumq; vt in ſeruitute, aut egeſtate: ſimiliter calor & frigus: cupiunt.n. tantopere eſſe, & abhorrent ita non eſſe, vt propter illud contra inuicem pugnent, & è propriis ſedibus ſeſe effundendo, in alterius ſe dilatent, & amplificent, vtque plus & magis, & amplius ſint: expellunt enim inimicum, vt proprium eſſe in tuto reponant, & multiplicent, atque viuant magis, & tempore, & regno ampliori: & infinito ſi poſſent, vti Deus infinitus, quem imitantur in ſuo eſſe & amore, & ſcientia & poteſtate. Hinc & animalia vitæ æternitatem cupiunt ; & hoſtes illam impedientes, perſequũtur aut fugiunt: & regnũ ſibi parant, in quo extenſius, ampliuſque eſſe poſſident. Et contra mortem, ſaltem famæ & regni, & nominis immortalitate ſeſe muniunt: tantus eſt in cunctis eſſendi amor. Amor quoq; mouet cœlũ & ſidera, vt ſeruentur in eſſe ſuo, & eiuſdem gratia effundunt lucem & calorem ad terram deſtruendam, vt eorum eſſe amplificetur, & ſecurum ſit : econtra tellus ſeſe effũdit, adunatur, & quieſcit in medio, ne fortè ad cœlum inimicũ accedens, deſtructionẽ ſui eſſe patiatur. Materia quoq; adeo appetit eſſe materiam, & proinde ſubſtare, quod ſi quãdo ſibi relicta, nec caloris motu, nec frigoris quietem poſſit habere, in fulcimentum exterius concidit, & caſum accelerat in fine, vt citò exoſa operatio terminetur: quod animalia faciunt in fine fugæ: locus quoq; ita locare gaudet, quoniam ob id eſt locus, & in eſſe locum ſeruatur, vt ſi quando vacuum remanet; veluti in cucurbitulis pharmaciæ, & in follibus expreſſo aëre obturatis, & in ſyringis puerorum, & in clepydris hortulanorum, euenire cõſueuit, non deſinat ad ſe trahere, & impleri vnquam: vnde & aquas per canales, ex quibus expreſſus eſt aër, ſurſum eleuat. Itẽ appetitus mutui contactus entium omnium, vnde vacuum abominantur, & diuiſionem non ſecus ac animalia : & actio, & paſſio, & ad cognata corpora reuerſio, & fuga à contrario, vnde mundi diſtinctio perficitur pulcherrima, & anthipatia, & ſympathia rerum omnium, ſatis declarant, in cunctis rebus amorem reperiri. Amor & odium circa idem ſunt, fuga autem odium oſtendit, quoniam amor eſſendi, odium non eſſendi parturit : eandem ſententiam confirment Peripatetici, qui cunctis rebus amorem naturalem ad ſua loca perueniendi tribuunt, igni ſurſum, & terræ deorſum. Plato quoque in Sympoſio, & in Phedro, cuncta entia amore donat. Heſiodus & Parmenides, & Empedocles, principium rerum eſſe, putant, Amorem & primò rebus præſidentem. Virgilius in Georgicis idem monuit. Plin. in herbis amorem, & in lapidibus annotauit, & inter cœleſtia, & terreſtria, ac maritima mutuum amorem Poetæ & Phyſiologi conſiderant in heliotropia, & in palma, in ſtellario lapide, in ferro, & magnete ; in vlmo & vite; & inter ſidera Aſtrologi ponunt amorem. Nec immeritò, quoniam ſimile ſimile appetit. Et hanc ſententiam Eccleſiaſt. confirmat : Et Dauid & Salomon, & paſſim in Prophetis habetur. Et D. Thomas, cuncta proprium eſſe naturaliter appetere entia, probauit : & plus amare Deum, quàm ſeipſa, docuit, amore abdito, & naturali. Nos quoque oſtendimus, in cunctis eſſe ſapientiæ particulam rebus pro modo ſuo, ergo & amorem neceſſe eſt, ſine quo ſtatim deſinunt, & operari.

Vtrum dum concedunt Peripatetici omnia entia appetitu naturali donata esse, Cognoscitiuo etiam concedant, oporteat: & Amor analogicè, & non æquiuocè dicatur.

ART. II.

QVONIAM omnes concedunt, Amorem cunctis in rebus insitum esse, non est immorandum in declaratione existentiæ: sed vtrum sit essentia, vel accidens, & vtrum sit vnus in cunctis vniuocè, vel æquiuocè, vel analogicè quærendum. Distinguunt Peripatetici amorem in naturalem, & animalem, & rationalem seu intellectualem. Naturalem arbitrantur esse quandam propensionem rei ad finē suum absque cognitione, & esse ipsam rei naturam, vel sequi ad naturam: veluti leuitas est ignis inclinatio sursum, & grauitas est terræ inclinatio, & appetitus deorsum, sequens formam suam, nulla præcedente obiecti notitia, vel electione: Sensitiuus verò est potestas à sensus apprehensione, informata aliquo obiecto, ad quam informationem sequitur inclinatio, vt quia sensus videt panem, appetitus informatur forma panis, & ad panem inclinatur, & hic est amor. Rationalis verò non sequitur sensus informationē, sed rationis & intellectus: vnde potest non inclinari ad bonum, sed ad quod eligitur tanquam bonum: & potestas eligendi est arbitraria, & vocatur volūtas: ergo videtur æquiuocè dici appetitus, sicut de mortuo, & viuo dicitur homo, vel metaphoricè, sicut risus de homine, & de prato: & inter accidētia reponitur iuxta horum dogmata. Nobis autē analogicè dici videtur, & in cunctis rebus sectari præcognitionem, & appetitum, quem vocant naturalē, esse essentialem, & omnes ad esse pertinere, vel innatum, vel additum, sed gratia innati semper: cuius respectu amoris, omnes amores dicuntur analogicè, vt nunc constabit.

Entia cuncta propter amorem Boni omnem actum affectionemque ostentare: & Voluptatem esse Bonum amoris principium: & esse sensum saporemque essendi & conseruandi esse. Igitur & amorem esse sapientiæ abditę prolem, & instinctum esse innatæ Sapientię & Potentiæ impulsum, & non ab externis causis indi, nisi violentum.

ART. III.

QVONIAM esse innotescit ab actu, actus autem pertinentes ad entis voliti constitutionem, sunt multi, videlicet voluptas, qua delectamur in bono adepto, nobisque coniuncto: spes, qua tendimus in bonum mox adipiscendum, quoniam causas adeptionis paratas habemus, & desiderium, quod pertinet ad tendentiam in rem volitam, siue sit, siue nō sit spes. Cōcupiscentia est desiderium boni propter se. Amicitia propter alium, cui volumus bonū. Cupiditas, est desiderium speciale bonorum fortunæ vtilium: Ambitio verò honorum: odium verò est desiderium perdendi ea, quæ obstant adeptioni boni desiderati; tristitia est contradictoria voluptati: tristamur enim quia bonum cupitum non habemus: dolor verò contrarius, quoniam mali est passio. Ira est tendentia contra ea, quæ impediunt, vel auferūt bonum. Timor est fuga ab ea quod potest auferre bonum. Amor tandem abstrahit ab his omnibus, & omnium passionum est causa, & actuum: ex eo enim quod amamus aliquid, sentimus voluptatē in illius adeptione: & speramus adeptionem, & in illam tendimus, & non habito contristamur, & contra impedimēta irascimur: at sublato amore nihil ista fiunt aut sunt: & ita videtur sentire D. Aug. At siquidem amorem pro voluptate simul sumat, vt & D. Thom. placet nobis ex notiori voce cum S. Dionysio principum entis, quod inuestigamus, nominare. Verùm enimuerò voluptatem esse causam amoris vel finalem, & partem eiusdem optimam, intelligimus. Nullum enim ens amatur, nisi conferat ad voluptatem: dolorifera enim eligimus, quatenus aliorū dolorum sunt remedia, & occasiones bonorum: patitur miles mortem ob bonum patriæ, in quo seruatur ipse, & sui. Martyr verò ob gloriam Dei sui seruatoris, omniumque entium: æger amaram potionem ob sanitatem. Patria autē, & sanitas & Deus felices nos faciunt pro rata sua: felicitas autē nulla absque voluptate. Voluptas verò sensus conseruationis visus est nobis in Physicis, sicut dolor est sensus destructionis, vel totalis, vel partialis, vel dispositiuè, vel completiuè. Aliquid enim destruit medicina amara de spiritu nostro. Martyrium verò corpus occidit; labor vires; malum nuntium, animi vigorem: ergo quæcumq; nos conseruant, vel ad conseruationem disponunt in nobis, vel in alio, illa voluptuosa sunt: cibus enim & res familiaris gaudium faciunt, quoniam vitam in nobis seruant; Amicorum bona nos exhilarant, quoniam nos amicis seruamur & tutamur: honor voluptuosus est, quoniam in aliorū nos memoria seruat, vel in nobis, quoniam semper lætosus est; filiis quoque iocundamur, quoniam in illis nostra vita, in nobis moritura, postea seruatur: cum ergo omnis actus, omnisque passio, spectans ad amorem, ad voluptatem pertineat directè, vel indirectè, & voluptas sit sensus essendi, vtique videtur amor ad essentiam pertinere, & ad principiationem tanquam proles sapientiæ. Non enim tristamur, ne-

que dolemus, neque fruimur, neque irascimur, neque timemus, nisi ob bonum cognitum, vel boni ablationem: Bonum autem appetitur, quia placet: placet autem, quia conseruat: nam quæ destruunt, abominamur: conseruari autem est esse: igitur amor est essentiale principium entis primordiale: omnia amamus, quia conseruant; odimus verò, quia destruunt: & ergo id manifestum restat. Item si appetunt omnia naturaliter suum bonum, & in eo quiescunt, vt Peripateti fatetur: quiescere autem est frui; frui verò est voluptate eius affici, tanquam fructu vltimo; vnde & nominatur: affici voluptate non potest absque sensu rei voluptuosæ: igitur appetitus naturalis est sapientię proles, vel socius: vnde D. Thom. in Ver. q. 23. ar. 1. ad 13. docet quod res naturales non metaphoricè, sed verè delectantur fine acquisito, & graue acquisito centro. Bonum enim teste Dionysio est verè delectabile & amicabile omnibus participantibus esse bonum Dei pro suo modulo; igitur verè non metaphoricè sentiunt. Item ostendimus, ignem propterea sursum tendere, quia ignem in peripharia sibi cognatum petit. Non enim ob propensionem, quam dicunt, inclinationē naturalem, absque sensu sui: si sic enim moueretur impulsu stupidæ naturæ semper sursum ferretur: At videmus, è nubibus ignem ingenitum erumpere, & deorsum currere, & inimicum fugere frigus supra stans, & fugere occursantia mala: ergo mouetur potentia, sensuque boni, & mali. Item sol calorem continuò demittit deorsum ad telluris inimicæ destructionem; Tellus verò frigus sursum ad cælum destruendum, & sese dilatandum: ergo non sequuntur propensionem stupidam: sic enim semper calor sursum, & frigus deorsum tenderent. Propensio enim sequitur grauitatem, & leuitatē, vt ipsi dicunt: sed grauia sæpe tendunt sursum, vt aqua ad replendum vacuum, & aër deorsum ad cauernas terræ: ergo sensu mouentur, non inclinatione materiali: lignum quoque grauissimum mille millium sextertiorum in aqua natat, lapillus verò vix granum frumenti adæquans, deorsum fertur: & hoc vnde est, nisi quia lignum habet cognationem cum aëre, & in eius fruitione detinetur, lapis verò cū terra: quoniam densus est, & aëris expers? cognoscere autem simile, & dissimile, frui & abominari, ostendunt, & amorem, & odium: non autem stupida vis ista facit. Aristot. quoque sapientia prędiitam prædicat naturam, quæ nihil faciat frustra, & propter finem operetur, & in fine quiescat, & superflua, & defectus respuat: quomodo nunc stupida ponitur, & inclinās ad ignota? sed omnes rationes præcedentis tractatus de sensu, hanc imaginationem, quod natura sit cognitionis expers, confutarunt.

Atqui respondent Peripatetici, instinctu naturali impelli ad fines suos entia insensata: & instinctū esse impulsum præcognoscentis causæ, quam alij Deum, alij Colchodeam, alij intellectum agentem esse, dicunt: ac veluti sagitta à sagittario cuncta ad suos fines dirigi, duce sapientia illius occultæ causæ, Nos autem in superioribus sermonibus hanc assertionem reprobauimus: ostendimusque actus naturales à formis actiuis naturalibus emanare, & propensiones has sequi formas rerum: quod & S. Tho. approbat, dum dicit, leuitatem causare inclinationem sursum, & confutat Arabes, auferentes operationes formarum, & omnia tribuentes Deo operanti, & non solum cooperanti: ergo non sunt impulsus externarum causarum. Etenim violenti essent, & non naturales, vt exemplum sagittæ cōdemnat eos: vnde S. Tho. Ver. q. 22. ar. 1. probat quod si velut sagitta mouentur naturalia à Deo, non irent proprio appetitu, sed dirigerentur solum alieno, non sponte sua: nec delectarentur acquisito fine, vt Dion. docet. Et profectò si sic ferrentur, nunquam mutarent viam, sicut nec formam. At videmus ignem deorsum fugere à frigore; & vt stuppam vel fumum vrat descendere: & calorem solis contra terram deorsum labi; & aquam ascendere contra vacuum; & alia multa, quæ consentientem indicant naturam, & non stupidam propensionem. Idcirco perperam adiungunt, quod dans formam, dat quasi seorsim consequentia formam: ergo & appetitum, impulsumque: sic enim & animalia, & homines, & Angeli impelluntur à Deo, qui dedit formas, quibus aguntur ad fines suos: sed nequaquam stupidam dedit formam: aliàs nequirent ad fines sponte tendere, sed ducerentur: sic neque illis. *Dei* enim, teste Moyse, *perfecta sunt opera.* Cùm ergo omnis forma indigeat cognitione sui boni, & potentia adipiscendi, & appetitu, imperfectus fuisset autor Naturæ dans potentiam & appetitum absque notitia appetibilis: & quidē implicat contradictionem affirmare, quod appetant & non cognoscant, & quod gaudeāt in suo bono, & voluptate afficiantur absque sensu, & dolere absque sensu; & quod fugiant mala absque sensu malorum; qui est dolor. Vtitur & contra Arabes eodem argumento D. Th. de imperfectione autoris, si formis non dedisset suā operationem: & magis valet, nisi operādi scientiam dedisset: quoniam operatio exerceri nequit circa ignotum obiectum. Alias rerum sympathias & antipathias, sensum declarantes, propensionis autorem, ex prædictis notas esse supponimus. Quapropter omnis amor est cum præcognitione, saltem abdita, dicetur analogicè de magis, minusque cognoscitiuis amantibus rebus. Et D. Th. 1. 2. q. 109. 3. agnouit amorem abditum, quo creaturæ magis Deum, quàm seipsas amant; quod non subito palam est: sed operosè declaratur; idcirco mirum quo pacto tantum virum abditus sensus subterfugerit aliquando, qui S. Clementi tamen innotuit: Et Greg. Nysseno, & Athanasio, cui vinum in dolio etiam per aëra sentire vites in agro florentes videtur & conflorescere: Attamē expressè S. Th. concedit sensum naturalib. in cap. 14. Iob lec. 2. & 2. cont. Gent. & 3. d. 29. q. 1. a. 2. c. quod quantum habent res de bonitatis participio, tantum habent & de participio amoris: & quantum veritatis, tantum sapientiæ: & quantum ergo entitatis, tantum & potentiæ: ideoque inuenies apud S. D. instinctum supernaturalem, quo aguntur Spiritu sancto ad supernaturalia: & violentum, quo sagittæ à sagittario: & directiuum, quo discipulus à magistro, & Angelo: & dispositiuū, quo à cœlo & passionibus mouentur; & naturalem, quo à propria intrinseca natura, quæ est principium motus intrinsecus: & omnis instinctus sectatur in notitiam instigantis principij, siue intrinseci, siue extrinseci.

Amorem proprij esse dici essentialem : amorem alieni accidentalem : & omnia diligi inquantum nostrum esse conseruant aliquo pacto, & pertinere ad ipsum esse omnem affectionem, vel per se, vel per accidens ; & Amorem quo cuncta Deum amant, esse essentialem magis, & excedere amorem proprij esse.

ART. IV.

AMOR dupliciter consideratur: primo pro actu tendentis ad bonum, vel fruentis. 2. Pro Potentia essentiali, vnde fluit actus : & hanc, putamus, pertinere ad essentiam rei, rerumque principium. Constituitur enim res amore proprij esse : seruatur verò amore alieni esse : Alienum esse est duplex, aliud causale omnis esse, vt Dei ; aliud verò consociale, vt omnis creatura omni creaturæ socia est aliquo pacto in rerum natura, & mundi colligatione. Amor alieni esse est cum propensione sequente esse adscititium, quod fit cognoscens omne, dum mutatur in illud esse cognitum, at quia extrà proprium esse est illud esse causatiuum sui in notitia cognoscentis, idcirco talis amor est inclinatio ad amatum esse notum ; & rapit ens extra se, & facit esse aliud ; sicut scientia adscititia facit esse aliud, vt dictum est. Amor verò proprij esse non trahit extra se, sed frui se ipso, primi entis participe, & gaudere se ipso, facit : vnde mortem, quæ hanc fruitionem tollit, super omnia exhorret. Et hoc gaudium non manifestatur nisi quando ens à suo esse alienatur per externam violentiam, & sui deperditionem : & mox restauratur: idcircò in comestione est voluptas ; quoniam sensus restaurationis proprij esse deperditi adest ; & in venere multa voluptas, quoniam sensus multiplicationis sui esse ibi adest, & prouisio contra mortem. Vnde arbitror, solem, quando sese effundit, ita voluptuosè amplificari, quin etiam magis ac homo, dum semen emittit, vnde lux ipsa, sese effundẽdo, pręsertim in transpicuis rebus, à se amatis, tanquam similibus, & sui conseruatiuis, lasciuire, exhilarari, & blandiri sibi videtur. Ergo in actione, quatenus facit esse, est Amor. In sensu verò non est amor, sed odium, & dolor, si destructiui obiecti est perceptio, quoniam alienat ab esse. Ergo amor conseruat esse, & ideo odit amans, quia amat proprium esse ; & dolet, quia non vult perdere proprium esse. Amare ergo aliud, est fieri aliud, sicut scire aliud, est fieri aliud. Amare verò se, est esse, quod est : sicut seipsum scire, est esse, sed non amamus alia, nisi quatenus nostrum esse fulciunt, aut instaurant. Vnde neque Deum amant peccatores, & diaboli, quatenus apprehendũt illum, vt sui esse praui osorem, & punitorem, vti docebimus. Quando ergò alia quis amat, fit illa, & vult fieri illa, quatenus putat, sui esse conseruatiua, licèt decipiatur : ergo seipsum amat per essentiam, sicut nouit per essentiam : cætera verò amat, inquantum amat se, factum illa, sui conseruatiua : sicut sentit alia, inquantum sentit se, factum illa alia : sed si hæc factio est cum lucro sui esse, sequitur amor, qui est propensio ad illa : si cum damno, sequitur odium, qui est auersio ab illis, fuga, & refutatio. Scire quidem mala, & destructiua parturit amorem, & odium. Odium destructionis ; Amor verò est conseruationis : quia ex eo, quod nouimus, esse mala sciuimus cauere, & declinare : ergo & per accidens nos seruari : ex eo autem, quod afflicti sumus in sensu eorum, odimus, & respuimus, quoniam perditio esse facta est, aliquantula saltem. Patet ergo, quod amare se ipsum, est esse seipsum, nec distingui ab esse, nisi ratione, & notione, veluti amare alia est fieri alia. Fieri autem est esse fluens & imperfectum alienum, sicuti agere est esse fluens proprium imperfectum in aliud. Et quia quidquid est præter essentiam, & addititium nobis, dicitur accidens, idcirco sicut scire alia est accidentale esse alia, ita amare alia est esse accidentale alia. Et sicut scire seipsum est esse essentiale se ipsum, ità amare seipsum est esse seipsum : sed distinguuntur scire seipsum, & amare seipsum origine & relatione : quoniam amare seipsum oritur ab scire seipsum : sicut amare alia oritur ab scire alia. Hoc autem patet ab omnibus affectibus amoris. Desiderare enim est tendere in aliud: hæc autem tendentia, & propensio est motus: motus autem est idem cum termino suo ; & differunt sicut imperfectum fluensque, & perfectum stans. Qui enim vadit in plateam habet esse in platea fluens, & passim eò magis est in platea, quò magis appropinquat: cum verò est, cessat esse imperfectum in platea, & esse perfectum stansque in platea succedit. Similiter & quando planta generatur semper est aliqualiter planta imperfecta, donec totum esse plantæ habet. Ergo si desiderare est moueri, palam est, quod est aliqualiter esse: similiter ambire, & cupere se habent. Nam etsi honor non est honoratus homo, nec diues est diuitiæ, tamen, qui habet honorẽ, & diuitias, dicitur esse honoratus & ditatus: ergo est aliquod esse accidentale, quoniã honor accidentalis est: ergo cupere & ambire est imperfectum fluensque esse ; habere verò est perfectum esse : constat autem, diuitiis & honoribus nostrum esse conseruari ; idcircoque appeti. Idem apparet in spe, & in gaudio : quoniam spes est tendentia ad esse perfectius quam desiderium: licet & ipsa imperfectum esse sit desiderati in desiderante : gaudium verò, & voluptas est in acquisito perfectoque esse : & videtur ipsum factum esse constituere : & vocatur Amor proprij esse : & ad hunc ordinantur omnes alij amores tanquam ad finem : & ab hoc quoque fluunt, & oriuntur. Nam idcircò honores, & diuitias, & glorias appetimus, quia illis conseruatur nostrum esse, vel in nobis, vel in alio : veneris concubitum itidem ob id desideramus, quod in simillimo nobis partu nos conseruat, perpetuatque esse : In omnium autem desideratorum acquisitione interuenit mox voluptas, quia est sensus acquisiti esse, conseruantis innatum esse : ergo semper est voluptas in proprij innatique esse possessione. Sed latet nos, quoniam externis obiectis alienamur, ita vt vix nos metipsos sentire

nos videamur, vix ergo & amare, vt dictum eſt cum de Sapientia loqueremur : & ſicuti notitia noſtri reflexa euidentior eſt nobis, quàm notitia abdita : ita Amor noſtri reflexus adſcititiuſque euidentior eſt nobis, quàm Amor abditus. Et quia Amor abditus, quo ſe cuncta amant, ab omnibus Philoſophis conceditur, concedendus erat & ſenſus abditus, quo ſeſe cuncta ſapiunt : cæteræ paſſiones, quæ retrahunt à non eſſe, vt ira, timor, odium, pertinent ad eſſe indirectè : adſunt enim, vt conſeruent eſſe à non eſſe : patet ergo, amorem ſui eſſentialem eſſe, aliorum verò accidentalem ; & hunc fluere ab amore eſſentiali. Verumtamen Amor, quo Deum amamus, non eſt accidentalis, ſed eſſentialis. Nam ideò noſmetipſos amamus, quia eſſe amamus : ergo magis amamus eſſe ſimpliciter, quàm ſecundum quid ; ergo magis amamus Deum, & eſſentialius. Item nos amamus non modo eſſe quantum & quandiu ſumus : ſed eſſe ſemper æternumque : & eſſe vbique, & poſſe omnia, & ſcire omnia, & velle omnia, ita vt nihil ſit contra voluntatem noſtram : & hic amor eſt eſſentialis, & innatus. Deus autẽ eſt hoc, quod nobis amamus æternum, omnipotens, omniſcium, omnivolumque. Nos verò caduci, finitique Potentia, Sapientia, & Eſſentia : ergo magis amamus Deum, quàm noſmetipſos, dum amamus noſmetipſos, quia quod non ſumus nos, ſed qùod Deus eſt amamus. Item id quod nos ſcimus, eſt vmbra quædam entitatis diuinæ ; & gaudemus eſſe, quod ſumus, quia Diuinitas participata talem ſaporem habet : Diuinitas participata eſt omne cuiuſque eſſe; ergo omne ens ſeipſum eſſe amando, magis amat Deum quam ſe. Idem probat D. Thomas duplici ratione, quoniam pars magis amat totum, quam ſeipſam : vt manus exponit ſe morti propter vitam totius : & quæcumque fiunt vnum totum, idem ſeruant. Ciuis enim probus exponit ſe morti propter patriàm, vt Curtius, Sceuola, Camillus, & alij. Deus autem eſt totum eſſe, & totum bonum : noſtrum verò eſſe quædam particula illius, & participatio. Vnde Stoici & Horatius vocant animam Diuinæ particulam auræ : & Moyſes, ſpiraculum Dei : ergo magis amatur Deus à qualibet creatura, quam proprium eſſe. Item bonum vniuerſale amabilius eſt particulari : ergo cum Deus ſit vniuerſale bonum, noſtrum verò particulare, magis amamus illud ſuum, quàm noſtrum : & hæc eſt, inquit, ſimpliciter & naturalis dilectio, quæ non poteſt eſſe peruerſa : peruerſa autem foret, ſi magis ferretur in minus bonum, quàm in maius. Cauillus Scoti, & aliorum, quod pars ſe exponit morti propter bonum ſuum, quod habet in toto, quocum eſt vnum, & non quia totum eſt amabilius : & item quia exponitur à toto non à ſe ; nihil concludit. Nam ſi à toto exponitur, melior eſt totius bonitas. Item in Rep. Curtius, & Sceuola, & ſancti Martyres ſponte ſua, non aliorum coactione ſeſe morti expoſuerunt. Item pars non propter vnitatem, quam habet cum toto principaliter exponitur morti : ſed ſecundario, ſequendo ſecundum naturam. Manus enim, & ciuis ſe exponunt morti abrenunciantes vnitatem, & identitatem cum toto, vt ſeruetur totum, & non vt vnitas ipſorum cum ipſo ſui toto.

Dubitationes, quod Amor non magis eſſe, quàm non eſſe faciat : & quod ſit accidens, & non eſſentia : & quod non ſit proles Sapientiæ, cum ſit cæcus & non ens, cum ex inopia naſcatur.

ART. V.

1. SED contra determinata dubitationes inſurgunt. Non enim videtur Amor ad eſſe ſpectare. Multi enim mortem appetunt, & non eſſe ſibi procurant, vt Cato, & Elephas priuatus honore primario, & Nero, ſeipſos occiderunt : & diuinæ literæ aiunt. *Deſiderabunt mortem, & fugiet mors ab eis.*

2. Item amare alia eſt fieri illa alia, & transformari in illa : fieri aliud eſt deſtrui ; lignum quippe dum fit ignis, deſtruitur.

3. Patet idem exemplo amantium, ; qui ſeipſos perdunt, inſaniunt, rem familiarem dilapidant, & vitam exitio dant, vt Iphis, & Lucretius, & Antiochus.

4. Item qui Deum amant, morti, & ieiuniis, & vigiliis diſponentibus ad mortem, ſeſe exponunt. Non ergo Amor magis ad eſſe ſpectat, quam ad non eſſe.

5. Item fatentur omnes Theologi, & Philoſophi, amorem proprium eſſe cauſam perditionis : qui enim ſeipſum amat voluptatibus vacat, & laſciuiis derelinquit honorem, diuitias perdit, ſtudium literarum, & virtutis abiicit, fit piger, ignarus, beſtialiſque, vt Poëta admonet. Non ergo Amor ſui, neque Amor Dei, neque amor aliorum entium nos ſeruat, ſed perdit.

6. Nec omnes actiones ab Amore emanant. Nam occidendi ſe cauſa non eſt Amor, neque perdendi alios, neque merces proiiciendi in mare tempore naufragij, neque confitendi delictum coram iudice ob illud condemnaturo confitentem ad mortem: ſi actionum omnium, quæ ſunt eſſe fluens non eſt cauſa Amor : neque ergo eſſe ipſius. Item homines peccatores, & dæmones odere Deum, primum Ens : ergo amor non eſt entis.

7. Item non videtur eſſe eſſentialitas Amor, ſed accidens, quoniam adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem. Odimus enim eadem, & amamus viciſſim. Item ſuſcipit magis, & minus, & non ſubſiſtit per ſe, ſed ſemper ſubiecto inhæret tanquam accidens : & hæc argumenta probant ſimiliter Sapientiam, & Potentiam eſſe accidentia.

8. Item non videtur oriri ex præcognitione : quoniam multa, quæ non nouimus, amamus.

9. Item ad ipſum eſſe ſequitur voluptas, quæ eſt Amor, vt dictum eſt : ergo eſt effectus non cauſa.

Item multa odimus, quæ nouimus: ergo non vbi est notitia, est & amor. Item à Poëtis pingitur cœcus, quia amantes obcæcat, & seipsos spernere compellit, seque ipsos ignorare: aliud verò honorare, magnificare, & sapere, quod nostri est scope ruina.

Item auaritia, & ambitio sunt quidam Amor, & tamen destruunt, & abominabilem faciunt auarum & ambitiosum deterius quàm cupido venerea: & ex ignorantia veri boni videntur hi amores prouenire; non ergo ex Sapientia.

Item Poëtæ faciunt amorem filium Veneris, & non Palladis. Plato filium Inopiæ, & Consilij. Has dubitationes tunc rectè soluemus, cum quidditatem Amoris declarauerimus.

Examinantur variæ Priscorum Sapientum definitiones de Amore; & tandem approbatur, quod sit Deus essentialiter in primo Ente: in secundis verò participatiuè, & esse præeminentiam, seu Primalitatem constitutiuam entis complacendo.

ART. VI.

DEFINIENTES Amorem alij dicunt, esse, *Desiderium pulchritudinis*: sed hi ad pauca respiciunt; quoniam non desideratur pulchrum, nisi quatenus, est signum boni. Pulcher quidem est serpens varietatibus, & coloribus depictus: sed nos odimus eum, quoniam bonum nobis non promittit, sed malum: pulcher est ignis, & quo potentior pulchrior: nihilominus odimus eum: etenim vnum quodque ens amat, quod sibi est proficuum, & salutare: & illud videtur sibi pulchrum, vt Asinus asinæ: serpens serpenti, ignis igni. Nec debet Amor definiri per desiderium: desiderium enim est rei non habitæ. Nos autem amamus & filios, quos habemus, & nosmetipsos. Vniuersale quoque genus non definitur per speciem suam: quare nec rectè dicitur apud Platonem, quod sit *desiderium parturiendi in pulchro*, ob hoc ipsum. Et quia Amor diuitiarum & honoris, & lapidis, & canis non comprehenditur in hac definitione. Alij dicunt, *Amor est velle bonum*: Et quia vel bonum illud volumus propter se, vel propter aliud: propter se amamus nosmetipsos, & Deum: propter aliud amamus cibum, & vxorem, & bona exteriora. Primus Amor à Theologis vocatur Amicitiæ; secundus concupiscentiæ: sed neque ista definitio valet, quoniam velle est actus voluntatis. Amor verò comprehendit voluntatem, & appetitum, & propensionem; vt de ipso nunc loquimur. Item hæc definitio est per actum, & per obiectum: actus autem, & obiectum declarant potentiam à posteriori, non autem eius quidditatem exprimunt à priori, & prout in se. Melius autem dicit D. Thomas, quod *est inclinatio in bonum:* sumendo inclinationem non pro actu, sed pro virtute, vnde egreditur actus: sed cũ bonum sit idẽ, quod appetibile, & visibile, videtur nihil exprimere, quod volebamus, ista ratio. Item inclinatio pertinet ad Amorem, respicientem externa obiecta. At prius vnumquodque ens amat seipsum, quàm alia, ad seipsum verò non inclinatur; quia non est à seipso seiunctum. & quidem, teste D. Thoma, appetitus animalis, & electiuus præsupponunt appetitum naturalem, quo ens amat seipsum & appetitus naturalis est causa efficiens appetituum intellectualis, & sensitiui, quoad actum: & ex parte obiecti, quod est ipsummet ens amatum, est causa finalis eorundem. Quapropter non videtur hæc definitio conuenire appetitui naturali sui ipsius, sed appetitui aliorum externorum. Tandem aiunt, esse *Potentiam inclinantem, siue virtutem ad bonum vniuersaliter quodcumque sit illud, siuè proprium, siuè alienum, siuè verum, siuè falsum*: & in hoc melius dicunt. Sed quoniam Potentiam ab essentia separant, dicentes, quod essentia est ad vnum, voluntas autem ad multa, sicut intellectus: Nec tamen ipsa est intellectus, quoniam intellectus habet obiectum in se, voluntas verò extrà se, ad quod tendit. Videntur rectius dicere, quàm sapere. Nos enim ostendimus, naturam non esse determinatam ad vnum, neque ad opposita, sed ad plura ex eodem actu: sed calorem calefacere infinita, & Potentiam caloris esse ipsum calorem: & Potentiam, & appetitum materiæ esse ipsam materiam, ex testimonio ipsorum, & decretis Naturæ: & D. Augustini, & Bernar. qui mentem, & voluntatem non esse accidentia, sed essentiam animæ docent. Et ex eo quod voluntas, & intellectus intelligunt, & amant, quæ sunt extra animam, declarauit non esse accidentia: hæc enim extra subiectum non porrigunrur. Et quidem non possunt habere hanc vim extrà animam sese effundendi, nisi ab ipsa anima: quapropter magis est in anima, quàm in suis accidentibus. Et ipsa substantia generans alias substantias nos docet extra se porrigi, vt ratio contraria aduersetur veritati. Intellectum autem, & voluntatem distingui ex natura rei, dicemus in loco suo: Nunc autem patet, non posse definiri per potentiam, quæ est accidens, neque per inclinationem, quæ habet obiectum extrà se, quoniam amans seipsum, non videtur ad se inclinari, sed potius seipso frui: qui non est aliud fruens à quo fruitur: ipsum frui & amare videtur cum esse identificari: Melius dixit aliquando; S. Thom. quod est complacentia Amantis in amatum, vt in p. 2. q. 25. art. 2.

Alias placuit nobis dicere, quod Amor sit desiderium immortalitatis: quiquid enim amamus, amamus vt simus semper, vel saltem quantũ possumus: ideò enim amamus mulieres, vt in illis semen nostrum viuificetur, & reficiatur esse nostrum, quod mortale esse nouimus. Similiter idcirco amamus pecuniam, quoniam illa seruamur: vnde si loco pecuniæ lapillis vteretur Respub. ad permutatio-

nes bonorum, magis lapillos, quam argentum cuperemus. Honores quoque diligimus, quia nostrum esse amplificamus in eos, qui nos honorant, & tuemur à malis, & non sumus præda aliorum. Cibum, & potum, quia nos in nobis seruant, diligimus. Conseruare autem est æternare, & facere vt simus: idcirco statuas, & libros, & templa, & memorias optamus relinquere, vt viuamus semper, saltem in memoria hominum. Pulchra verò diliguntur, quoniam spondent, & repræsentant nobis naturæ sapientiam, & robur ad res producendas, & bene formandas: & si fœmina est, quia insuper semen nostrum potest propagare & viuificare. Si homo, aut equus, quia conseruationem repræsentat: vnde claudos, truncos, ægros, squalidos, abhorremus; quia repræsentant nobis inertiam, & languiditatem nostræ naturæ, & corruptionem nostram: & ita execramus artifices, qui vestes ineptè, aut enses, aut domos inutiles, & citò perituras fabricantur, quoniam vsui nostro non conducunt, & naturæ nostræ inertiam patefaciunt. Plus laudatur, & pulchrior dicitur Anus, à pictore perito depicta, quàm Venus ab imperito; & formosior est lapidea statua benè repræsentans eum, cuius est statua, quàm aurea non benè repræsentans: quoniam hæc nobis inertiam corruptionis causam, illa Artem, conseruationis causam, ostendunt. Quapropter in cunctis apparet Amor, & delectatio, & omnes actus illius ad Esse spectare: veluti & dolor & tristitia, & odium, ob carentiam esse, & substractionem, fiunt: æternitas autem, & immortalitas ipsum esse semper est. Quapropter Amor rectè dicitur immortalitatis desiderium: & obiectioni, qua confutabatur definitio, eo quod desiderium dicit carentiam, Amor verò abstrahit ab habito, & non habito) respondebamus, quod in re habita, quatenus habita, est fruitio, & voluptas, vnde homo suo esse frui dicitur, & illud non amare, eo quod habet, sed eo quod non habet. Habet quidem esse præsens, non autem futurum: vnde amare seipsum, est desiderare vt sit adhuc amplius amplitudine extensiua, & intensiua: extensiua quando vbique esse vellemus, & possidere mundum, & scire, & posse omnia, quæ ignoramus, & nequimus: intensiua verò, quia semper esse, & omne bonum nos simul esse, & Deum fortè vellemus. Quapropter in hoc videtur Amor habiti consistere, vt scilicet, perpetuetur, & expandatur. At nunc ista definitio non placet: quoniam Deus amat seipsum, & tamen non desiderat perpetuitatem, neque amplitudinem, quoniam vtrisque abundat sibi identificatis. Item Angelus amat seipsum, & tamen perpetuus est; & licet non sit amplitudine infinitus, nec à se perpetuus, vt propter Dei Amorem non possit deficere: tamen id quod est habet, & amat fruendo, & fruitur amando: si quid autem vltra desiderat, illud pertinet ad non habitum, non ad habitum: sic & homo, & cuncta entia.

Quapropter non videtur amor esse desiderium immortalitatis, sed aliquid superius. Idcirco interiora rimatus, video Amorem non posse definiri, sed transcendere omnem notitiam, & posse vocari Præeminentiam, seu Primalitatem entis constitutiuam à Potestate, & Sapientia manantem, in eis præexistentem, & in eis redundantem; sicut de Potentia, & de Sapientia diximus: & quia innotuit nobis ab exteriori actu, quo amamus cætera entia: & Amor ad hæc est amplificatiua inclinatio ad illorum fruitionem: consequens est, vt sit Amor Primalitas constituens esse complacendo, sicut Sapientia Sapiendo, & Potestas Statuendo, seu potendo. Non enim nisi per seipsas declarantur, & per actus suos exteriores, qui longè procedentes à principiis lentè, & obscurè ea manifestant. Itaque melius à priscis seculorum Theologis hæc innominabilia principia vocantur Numina, & Dij. Magnus Deus est Amor, ait Phedrus apud Platonem: similiter Hesiodus, & poëtæ prisci mortalium sapientissimi: & Theologia Christiana superegreditur eos, & in Monotriade supereminentissima, Potentiam, Sapientiam, & Amorem, vt per se sonantes Diuos, sed non Deos agnoscit: vt mox declarabimus.

Hìc potes inspicere definitionem Platonis, qua Amorem, dicit, esse dæmonem, & non Deum: & natum esse ex concubitu Peniæ & Pori in natalibus Veneris) non attigisse scopum veritatis. Penia enim est paupertas, quæ impregnatur à filio consilij, qui est Porus: & cum Iupiter, id est, ens primum Iehoua, est in delitiis: hoc est, quando voluptas adest: ex eo enim, quod aliquid esse voluptuosum probauimus, eius desiderio afficimur: & quia non habemus, ipsum non habere est paupertas, & mater desiderij: & quia scimus quid illud sit, quod cupimus, facto consilio habendi illud, euenit vt paupertas nostra impregnetur à filio consilij, qui est deliberatio, & sic tendamus ad rem desiderabilem, & ita parturimus Amorem. Sed quidem hæc sacra fabula non docet nos, quid sit ipse Amor Magnus Deus, quoniam non omnis amor est filius Inopiæ, licet omnis Amor sit filius Sapientiæ abundantis, vel, inopis. Amamus enim etiam quod habemus: & Deus amat seipsum, & non dæmone sed Deo, nisi à Deo excludat amorem, vt videtur cogi etiam dicere Plato: ergo Deus est Amor, & non Dæmon. Accidit autem illi ab inopia nasci, quatenus nonens ingreditur compositionem entis creati, & Insipientia Sapientiæ creatæ. sed ens purum amat, & producit Amorem ex Sapientia & Potentia sua in se: hoc est, exuberantia & Sapore exuberantiæ, vt declarabimus. Quapropter Deus est Amor vel essentialiter vt in primo ente, vel participatione, vt in secundis entibus: & in his dæmon dici posset respectu non habitorum, aut dicetur Amor esse filius voluptatis, quàm Inopiæ: sed de his inferius disputabimus.

Nullum ens cupere sui destructionem ; nec Amorem nonentis esse nisi per accidens : vel quatenus est proles Sapientiæ mistæ Insipientiæ ; & dum cupiunt mortem, cupere vitam omnia entia : & de Amore abundanti, & inope ; cæco, & vidente.

ART. VII.

RESPONDENTES igitur ad principales dubitationes, dicimus, ens nullum posse cupere mortem, quæ est annihilatio, sed mortem, quæ est mutatio status, & esse. Cum enim in esse suo puro se seruari minimè posse, vident, sed cogi viuere vitam seruilem, & pecorinam, & abiectam, non autem suam nobilem liberamque, eligunt mortem tanquam mutationem status. Ita Cato occidit seipsum, ne sub Cæsaris potestate vitam pecorinam, & non suam, viueret : similiter Nero, & Cleomenes, & Antonius seipsos occidunt, ne ab aliis vili morte occidantur : & putant, sese acquirere melius esse in fama & memoria saltem hominum, quàm si ab aliis perimerentur, & in esse inimicorum transirent : & Auarus seipsum occidit, quoniam vitam suam reposuit in lucro, & illo perdito, putat, semet perdi. Amantes quoque, quia nesciunt, viuere se posse absque re amata, si illam nequeunt adipisci, mortem eligunt. Non quia mortem amant, & non esse, sed quia putant, sese subtrahere à non esse : quoniam suum esse reposuerunt in re cupita, & amata: & hoc dicebamus, tractantes de scientia : quod si adeo à rei exterioris vi immutamur, insanimus, quoniam à nobis nos alienamus. Et quia habemus plus de esse alieno, quam de nostro, ideo putamus, nos non esse si illo esse alieno non liceat frui: & ita Auarus, & Amator, eligunt mortem, quia putant, se esse in morte, dum sine re amata, in quam transformati sunt, esse compelluntur : ideoque illis apparet quasi non esse : concedimus ergo, amorem externorum ad non esse nos conducere nostrum ; & ergo ad esse alienum : sed hic Amor est filius Inopiæ, dæmon, & non Deus, & fallit, quoniam fallitur. Non enim sufficiens fuit genitrix finita Sapientia ad robur eius. Amor enim fertur in cognitum tanquam bonum : & quia bona inferiora sunt ex parte bona, non ex toto ; & hoc Sapientia humana non intelligit, aut docentibus non credit, cum sit inops particeps inscitiæ Nonentis : ideò, illis inhæremus quasi omnino bonis, & decipimur, & esse perdimus, dum esse quæritamus : Nec tamen Amor trahit ad non esse simpliciter, sed ad aliud esse, quoniam ipse omni esse præsidet & transmutationibus de esse ad esse. Calor quoque dum vult oppugnare frigus, occiditur ; non quia Amor ducit ad non esse, sed ad esse, & amplificationem sui : sed per accidens contingit ab alio ente perimi, quod etiam seipsum plurificare cepit, studetque, & se per amorem amplificat, & per odium perdit aliud ens impeditiuum suæ amplificationis. Non tamen alicuius actionis odium est causa per se, sed per accidens. Cœlum enim agit in terram amore propriæ amplificationis, & diffusionis sui esse : sic & tellus in cœlum : & cum se mutuo destruunt, nihil intendunt nisi sui amorem, & voluptatem, & esse : & quia suo esse & voluptati resistit contrarium ens, illud expellunt, perduntque, sed per accidens. Calor enim dum frigus occidit, nihil aliud facit, nisi calorem effundere, & calefacere, seque amplificare : ad hoc autem sequitur frigoris mors, non intenta à calore, nisi quatenus non poterat cum suo esse illius esse conuiuere. Sicut Sapientia in primo Ente est vna, & lux in sole pulcherrima, viuacissima, purissima : in secundis verò entibus languet, & fœdatur, & mutat nomen, vocatur sensus, ars, phantasia, cogitatio ; vt lux in opacis recepta vocatur dolor rubeus, croceus, viridis, ita Amor essentialis numen est vnicum, viuax, omnia videns. At in rebus participatus, fit impurus, languens, sicut Sapientia, & vocatur desiderium, cupido, ambitio, auaritia. Nec simpliciter est proles inopiæ, & nonentis, sed entis inopis, impotentis potentiæ, & deficientis Sapientiæ. Merces quoque proiicit nauta volens, quoniam vitam suam vult magis quàm mercium, quarum pondus potest esse causa mortis. Amor quoque est causa, siue potius occasio occidendi seipsum Elephanti, & Cleomeni, sed per accidens : quoniam quatenus amant vitam veram, quæ est generosa, & libera, & gloriosa ; perdunt vitam ipsam, quæ iam vilis incipit fieri, & pecorina. Ergo fugiunt non esse præsentis vitæ, non autem esse : sed quia in illo esse fundatur aliquod nonesse, puta esse non generosum, sed vile & alienum, ideo per accidens dum sibi subtrahunt non esse, subtrahunt & esse : & primus Amor diuinus hæc permittit propter melius, quod ex transmutatione nascitur, vt declarabimus. Qui autem cupiunt annihilationem, nesciunt quid cupiunt: quoniam putant, illam esse carentiam omnis mali, & perturbationis, sicuti Indi Orientales, qui in Niba beatificari, hoc est, in Annihilatione, post multa secula expectant : at non intelligunt, subtractionem essendi esse maximum malorum, & ita delirant. Amant ergo omnes esse quatenus bonum verum, vel quatenus apparens, dum refugiunt non esse. Martyres tandem putant, se cambium facere huius vitæ, quam norunt infœlicem, & caducam, cum alia vita, quam credunt fœlicem, & æternam. Qualis ergo est Sapientia mater, talis est proles Amor : Sophisticæ sophisticus : Veræ verus ; Magnæ magnus : vilis, vilis. Amor ergo cum sit filius sapientiæ sicut sapit, ita operatur : & quidem diuini homines, conspicientes omnem vitam inferiorem esse mortalem, & quæ est in filiis, & fama etiam defectibilem, sagaciter intellexerunt, non nisi ab æterno Ente posse veram vitam æternam accipere: & ita ad illam amorem suum diuinis quibusdam alis eleuarunt. Ergo semper Amor tendit ad esse, & refugit non esse : sin verò hæc vita fœlix esset, nullus cum alia ipsam permutaret : vnde & qui nimis se-

ipſos amant, ſeipſos perdunt, vt dicit Meſſias. Non quia ſeſe amant, ſed quia dum proprio indulgent amori, externa bona, atque mala non attendunt, ſcientias rerum non acquirunt: & bona exteriora amittunt, vnde ſequitur ruina proprij eſſe: quoniam homo non habet in ſe bonum ſuum, neque à ſeipſo conſeruatur, quoniam non eſt à ſe, neque in ſe, ſed à Deo, & in Mundo vbi ſunt multa ſibi aduerſa, & multa proficua: Dumque vtraque negligit vacando ſibi, ab aduerſis perditur, & proficua non procurant, & incidit in perditionem ſui eſſe: quod per declinationem maiorum, & procurationem bonorum ſeruandum erat; ergo amor proprius per accidens eſt occaſio, non autem cauſa ruinæ proprij eſſe: Aliàs in Deo hic Amor non eſſet. Angelus quoque peccauit proprio amore inebriatus, dum vult eſſe id, quod non eſt, ideſt, à ſe & non à Deo: à ſe autem nihil eſt, à Deo ens eſt: ergo incidit in non eſſe dum magnificat inconſulto proprium eſſe. Frigori, & calori quoque euenit, vt dum ſeſe amplificant nimis, corrumpantur in ſede aliena: Neque Amor decipit hominem, ſed ignorantia: Nam quia non nouit quomodo oportet ſeipſum amare, peccat, & corruit: peccare autem non eſt facere, ſed deficere: deficere verò eſt Nonentis participatione, vt dictum eſt, ampliuſque declarandum reſtat: dum procurat eſſe, & gaudet proprio eſſe, contingit non eſſe, non ab amore ſui per ſe, ſed per accidens, vt dictum eſt. Item quia obiecta non ſunt bona omnia purè, ſed miſta prauis: & dum procuramus bonum per amorem, incidimus in malum miſtum; ſed per accidens hoc fit ab Amore. Homo procurat diuitias, & honores, & filios: & quia mala multa ſunt commiſta in actione, & procuratione, & in diuitiis, & in filiis, & honoribus, dum bona captat, mala quoque ſibi parat, odium aliorum, inimicitias, inuidiam, laborem, laſſitudines, ægritudines, bella, vulnera, necem, quæ miſta ſunt cum procuratione, & cum procuratis bonis. Nimius quoque amor æternorum alienat hominem à ſe, & incidit in inſaniam, & ſui vilificationem. Nihilominus verum ſemper eſt, Amorem tendere ad eſſe, & ad bona, quibus ſeruatur eſſe, per ſe; per accidens verò in mala labi ob miſturam bonorum, & malorum: vnde & mala parua eligit homo prudens, vt effugiat mala maiora; & quatenus minus mala, habent ſpeciem boni: & vitam caducam ſpernit, vt acquirat longiorem in fama, vel æternam in Deo; & quia bona fragilia nos impediunt ab adeptione magnorum, ideo eligimus mala tanquam bona: ſunt enim bona ratione finis, vt medicina ratione ſanitatis. Ad aliud reſpondeo, quod diaboli, & peccatores non odere Deum inquantum ens, & bonum; ipſi enim ſemper eſſe cupiunt; ſed inquantum putant deſtructorem ſui praui eſſe: & non verum Deum odere, ſed fictum in eorum imaginatione. Itaque ſeipſos imaginantes odere, & non Deum, ſed de his poſtea.

Reſp. neque Amorem, neque vllum pro principium moueri ab obiectis, ſed ſpecificari tantum: pro principia verò à ſe moueri; & ab Sapientia, & Potentia Amorem prodire, non ab obiecto: & non eſſe cæcum: & quo cæcus fieri videtur.

ART. VIII.

AD alias dubitationes dicimus, Amorem eſſentialem oriri à Sapientia & Potentia eſſentialibus; & non à cauſis exterioribus, ſed interius, niſi à Deo, quatenus eſt intima in cunctis cauſa rebus: ergo obiectum non mouet appetitum ad appetendum, ſed ſpecificat appetitionem, & de communis boni Amore, facit Amorem huius boni; cibus ergo non mouet nos ad appetendum actiuè, ſed finaliter: ſed inquantum eſt in notitia noſtra, vt præcognitum, eſt partialis ratio mouendi appetitum ſpecificatiuè: quia Sapientia facta ipſum ſapibile producet amorem illius ſapibilis. Potentia ergo ſeipſam mouet, ita & Sapientia, & Amor, qui eſt voluntas, & appetitus. Cum enim ſint principia eſſendi, ab obiectis ſpecificantur, ſed non impelluntur ad exercitium externarum operationum actiuè: à ſeipſis verò actiuè ſe mouent, ſi tamen actio dici poſſet actus emanatioque: Quamuis ex potentia oriatur Sapientia, & ex vtriſque Amor. Quapropter incuſandi ſunt, quicunque ponunt obiecta tanquam cauſas, mouentes has primordiales eminentias: non enim obiecta faciunt hominem Sapientem, aut volentem, aut potentem, ſed vt potentia ad talia obiecta ſe conferat potius, quàm ad alia occaſionem præbent. Et quia virtus actiua mouetur ad agẽdum à virtute finali, vnde poſſet videri verum, quod Peripatetici aſſerunt nonnulli, cauſam finalem eſſe cauſam cauſarum, quoniam mouet agentem, à qua omnes mouentur: vnde hæ præeminentiæ illis ſubiicerentur; Idcirco noſſe oportet, quod cauſa finalis eſt duplex, alia qua, alia gratia cuius. Cauſa finalis qua eſt ipſe finis generationis, in quo ceſſat actus, ſicut genita forma in filio, ceſſat generatio; & facta naui, ceſſat eius fabricatio. Et iſte finis non mouet agentem cauſam ratione ſui, quoniam non propter ipſum agens cauſa laborauit primario, ſed propter vlteriorem finem, quem ipſe conſequitur. Finis rei genitæ ſeu gratia cuius non eſt operatio, vt Peripatetici putant, videlicet nauigatio, finis nauifactoriæ; nec vſus filij eſt finis generationis: ſed omnis finis gratia, cuius eſt ipſa cauſa agens: quoniam propter ſui eſſe conſeruationem operatur: & præcipuè cauſa non inſtrumentalis. Igitur appetitus mouetur ab obiecto ad ſpecificationem actus, ſed non ad actum: & mouetur quidem non actiuè, ſed finaliter; & finalitas hæc non ab obiecto eſt, ſed ab ipſo appetitu appetente eſſe: & hoc patet maximè in Deo, qui propter ſe omnia creauit; & in omni naturali agente, quod propter ſui conſeruationem operatur, & agit. Agit autem hoc, vel illud, quia hoc obiectum, vel illud nouit ſibi proficuum ad conſeruationem, vel amplificationem ſui eſſe: ergo ipſemet appetitus dat

obiecto appetibilitatem: & non quidem appetitus, sed esse rei appetentis. Ideo enim magis appeto hunc cibum, quàm illum, quia magis proficit mihi, vel placet magis: ergo ex me habet, quod meum specificet actum. Neque nauigatio est finis vltimus nauis; sed esse vitaque domini ipsius nauis, & conseruatio illius, & Reipub. Intellectus quoque specificatur ab hoc scibili, vt hoc sciat potius quàm aliud, sed non fit ab eo sciens: & hoc etiam pulchrè Telesius docuit. Fit autem sciens, vt se conseruet, & vt sit plus & magis: sed intellectus ordinatur ad voluntatem, vt ipsa specificet actionum obiecta. Nam terminat obiectum intellectus operationem, & excitat ipsum præuia passione ad intelligendum, non quidem ad exercitium, sed ad specificationem. Potestas verò vt possit hoc, vel illud, & ita aliunde habet, non autem vt possit; sed de his postea.

Nunc autem respondentes dicimus, quod à notitia naturali oritur Amor naturalis, ab accidentali obiectorum externorum oritur Amor accidentalis: qui tamen est eiusdem naturalis amoris extensio, vel proles, vel effluxus. Et cum pingitur cœcus falsò pingitur: non enim amamus nisi notissimum nobis esse nostrum; cæcitas autem euenit ex parte mistionis malorum, & bonorum in obiecto exteriori, quæ secernere non nouimus, dum præsertim vnum sectantes, alia negligimus. Et ideo solus Amor accidentalis est cæcus, sed ex parte: & cæcitas eius est in particulari affectione boni parui, cui plurimum miscetur mali: & in post habitione maioris boni pro adeptione minoris boni, & in hoc consistit peccatum. Ignorantia ergo saltem pro tunc, cum peccamus, est causa peccati, vt declarabimus. Ignota quoque, dicimus, non amari, nisi sint aliquo pacto nota saltem in simili: nec voluptatem consequi post esse tanquam effectum; sed tanquam complementum ipsius esse. Auaros quoque, & ambitiosos, & lasciuos ignorantia laborare, vel impotentia, ex quibus prodit Amor, vilis, & stultus. Sed hæc luculentius patebunt cum ipsorum simul Primordiorum collatio facta fuerit, & similiter ad cætera respondebimus argumenta, quod non sint accidentia, neque oriantur mutuo, aliter ac dictum est.

Hoc tamen non est prætermittendum: quod Amor cum sit conseruationis procurator, siuè per bona vtilia, siuè honesta, siuè iocunda: nequaquam cæcus est, quoniam illa bona, oportet, ipsum nosse: sed quia latentia mala in bonis non attendit, dum nimis ad bonum nos impellit, dicitur cæcus; sed cuiusmodi est Sapientia mater, est & proles Amor. Sæpè spernit consilium nouum innitens veteri abditóque, quo nouit summum bonum esse procurandum vndique: & succedentia mala in procuratione, & in mediis abscondita, ipsum arguunt cæcitatis; sed si pura essent bona, ac mala, nunquam erraret. Sicuti non errat in amando Deo magis quam se: quem & nouit magis: omnes enim creaturæ sentiunt creatorem, ait Hier. etiam magis quam se notitia indita naturali, licet addita non item.

REASSVMITVR TRACTATIO,

Quod omnia verè entia essentiantur tribus Primalitatibus.

OMNIA ENTIA CONSTITVI AMORE, Sapientia, & Potestate, tanquam ex tribus principiis eminentialibus: & à Potestate Sapientiam, & ab vtrisque Amorem processione intrinseca, & essentiali, manare.

CAP. XI. ART. I.

QVONIAM iam declarauimus, ens nullum esse, aut operari, aut agere, nisi quia potest, & scit, & vult, esse, operari, & agere (posse enim pati ad impotentiam, & non esse spectat) manifestum esse debet, Potentiam, Sapientiam, & Amorem primordia esse altissima cōstitutiua non modo rerum compositarum, sed & simplicissimarum. Quinimò in eis, & ex eis consistere omnium esse ac potius primalitates & primordia dici debere: Distinctionem quoque originis inter hæc ipsa inueniri. Non enim amatur ignotum, neque impossibile. Amor ergo oritur à Sapientia, & potestate; & quia non cognoscitur, quod non potest cognoscit, licet cognoscatur, quod non amatur: idcirco Sapientiam à Potentia sola oriri affirmare licet. Nec enim potest cognosci, quod non mouet cognoscentem, quale est ipsum nihilum, & entia remotissima. Nec quod excedit potentiam cognoscentis in eo quod excedit: vt verum sit, cognitionem præsupponere potentiam: non autem amorem: quoniam Amor non fertur nisi in cognitum, sed cognitio fertur in non amatum. Igitur principium triplex est, Potentia, Sapientia, & Amor. Nam nec obstat Amori, & Sapientiæ esse ab alio, quo minus sint principia: quoniam ipsa Potentia est tota in eis, & se totam communicat: & nec potest, nisi sciat, & velit, vt declarabimus. Igitur Empedocles, & Hesiodus rectè posuerunt Amorem principium rerum omnium: sed perperam adiunxit odium Empedocles. Odium enim non est nisi Amoris vmbra, & spectat ad non esse, vt dicemus, & est ab Amore: ideo enim odimus aliqua, quia corrupunt nostrum esse, aut odis-

ponunt ad corruptionem eſſe noſtrum amatiſſimum bonum. Rectius Anaxagoras poſuit intelligentiam principium rerum, non autem ignorantiam: quoniam non amamus, nec facimus, quæ ignoramus: quamuis multa fiant ex ignorantia. Itaque intellectus Anaxagoræ Amorem Empedoclis præcedit, ſed non rectè ſine amore ponitur: ſed quia nec Amor, nec Sapientia ſunt, aut operantur, niſi poſſint. Ergo Poteſtas erat præponenda adhuc, vt ſit trinitas principiorum ſummorum in vnitate entis: & fabuloſa philoſophia hoc docuit, dum Venerem, Palladem, & Iunonem introducit Iouis ſorores, & filias. Poteſtas enim eſt Iehoua entis primi coniux, & ſoror, & vnum ergo cum eo: à Poteſtate emanat Sapientia filia; ab vtriſque Amor ſeu voluptas procedit ſupereminentiali modo: & Eccleſiaſticus id confirmat dicens, quod *Rex omnipotens creauit Sapientiam*, ideſt, quia omnipotens: & ait Sapientia ibidem; *Ego mater pulchræ dilectionis*, id eſt, Amoris. Omnis præterea Actio idem probat. Propterea enim eo in plateam, quia volo: & propterea volo, quia ſcio, & poſſum ire: & propterea ſçio, quia poſſum, non quia volo: & dum eo in plateam, ſi deeſſe contingit poſſe ire, ſubito annihilatur ipſum ire; & ſi deficit ſcire ire, ſtatim ceſſat ire; & ſi deſinit velle ire, ſimiliter deficit ire. Quod autem in actibus eſt, eſt & in actionibus, & in ente: quod nimirum ſtatim non eſt, ac eſſendi perdit amorem, aut ſenſum eſſendi, aut potentiam eſſendi. Dictum eſt etiam, quod vt eſſentiant ens: vocari debent primalitates: vt reſpiciunt ad opus, Principia: & vt ad cauſandum exeunt cauſas producunt.

Accidentia inexiſtentia etiam conſtare Sapientia, Amore & Poteſtate, non ſui, ſed ſubiecti cuius accidentia ſunt: & vera differentia eſſentiæ & accidentis apponitur: & identitas ſubſtantialis, & diſtinctio formalis relatiua Primalitatum.

ART. II.

At inquis, quam Potentiam, & Senſum, & Amorem habet circulus, & motus & quies, & figura, & relatio, & ſimilitudo, & honor, & virtus, & muſica? Hæc quidem entia ſunt, & ex his non conſtant principiis: ergo non ſunt vniuerſaliſſima. Reſp. quod ſicuti ſunt, ita habent eſſe: quoniam verò non per ſe ſunt, ſed in alio, & per aliud, & ad aliud: idcirco per aliud eſſe ſunt, & per aliud eſſe operantur, aut patiuntur: quoniam entia non ſunt, ſed entis accidentia, & effectus: ergò & aliûs potentia, & aliûs ſapientia, & aliûs Amore conſtant, in quo ſunt. Circulus in abſtracto non poteſt, nec ſcit, nec cupit, ſed in mente Dei, vel hominis poteſt, ſcit, & cupit mentis poteſtate, ſapientia, & Amore. Vnde ſapiens Mathematicus poteſt circulum alium formare, & ſcit, & vult ad vſum ſui eſſe: & cum formatur circulus, conſtituitur à Poteſtate, & Sapientia, & voluntate formantis: & in ipſo formato remanent tales eſſentialitates in materia, in qua habet eſſe materiale: ſed quale datur à forma agente. Circulus ſolis habet poteſtatem facilitandi motum, & vniendi, aut vnitam continendi ſolis ſubſtantiam, quoniam ad hos vſus eſt illi datus. Oculi verò circulus, vt vndique objecta cernat: & ſubitò cum opus eſt circumuoluatur ad occurſantia vndique obiecta, & tali artificio ſapientiæ architectoris oculorum dedicatur, & Amori, & Potentiæ videndi. Grammatica ſimiliter in mente habet mentis Potentiam, Amorem, & Sapientiam, videlicet loquendi & ſcribendi Grammaticè: hoc autem idiotæ non ineſt; quoniam in eo, non eſt Grammatica, talem, Potentiam, Sapientiam, Amoremque generans ex Potentia, Sapientia, & Amore inditis eius menti. Vult quidem idiota loqui Grammaticè, & in eo, quod vult poteſt velle, & ſcit velle; ſed non poteſt loqui, neque ſcit loqui, quia eius Poteſtas, & ſcientia non eſt actuata, & ſpecificata: ſed quia quatenus vult, eſt: & vult quatenus eſt: non enim lapis vult eſſe Grammaticus, quia nihil Grammatici eſt, aperitur identitas Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris fundamentaliter. Reſponderi iterum poteſt, quod idiota non vult loqui Grammatice, ſed vellet ſi poſſet radicaliter: & ſicut habet velleitatem, ita Poteſteitem, & ſcientieitatem: & ſicut velle, ita poſſe, & ſcire. Motus quoque poteſt eſſe motus, & ſcit, & vult non ſua, ſed mouentis mobiliſque potentia, ſapientia & appetitu, qui diffunduntur in forma fluente per motum: ſed ille fluxus, & relatio longè minus entitatis habent, quoniam adhuc in forma fluente, imperfectáque ſunt quaſi eius affectiones, & eius ſunt eſſe, poſſe, ſcire, & velle. Calor enim in calefactione, eſt ſuum eſſe: & fluxus eſt ſui fluentis eſſe affectio conſtituta à fluente calore, qui eſt calefactio: vel ab impotentia ſubitò calefaciendi omnino & totum, vel à potentia quatenus finita poteſtate. Relatio quoque eſt, quia relatiuum eſt, & habet hoc accidẽs, quod eſt ad aliud referri, quod quidem ex relatiui potentia, Sapientia, & Amore fluit: quia enim homo eſt homo, ſuum eſſe habet à ſua eſſentiali triplicitate: quia eſt pater habet eſſe patrem ab eadem triplicitate diffuſa in generatione; & ex eadem terminata ad genitum habet, quod referatur ad filium: idem dicendum eſt de albedine, & aliis accidentibus: & hinc maximè innoteſcit differentia inter accidens, & eſſentiam. Et quod neque eſſentia in alio, & ab alio exiſtens, ſua triplicitate gaudet, niſi cum illis: homo enim non eſt niſi in loco; & à loco habet eſſe In: & à Deo ſimpliciter, à quo quidquid entitatis eſt, deriuatur. Odium verò, vitium, & alia nonentia his carent entitatibus, & nonentitatibus conſtituuntur.

Sed quomodo ſcientia ipſa conſtet ad huc Potentia, Sapientia, & Amore, quæri poteſt: & reſponderi: quod quatenus Sapientia ſimplex eſt,

nec ens dici potest, sed entitas, nec essentia, sed essentialitas, non res, sed realitas proformaliter sumpta, sed promaterialiter quatenus dicitur ens, constat etiam Amore & Potentia, quoniam hæ præeminentiæ sciunctæ nusquam sunt, si neque in Deo separantur: quo nihil simplicius intelligere possumus, si tamen prout est ipsum intelligimus. Potentia enim non producit sapientiam, quam non habet: ex nihilo enim nihil: sapientia vero emanat vt proles quam simillima generanti: ergo vt idem: ergo cum procedit, non recedit: ergo & in sapientia Potentia: eadem ratione amor ex eis manans præinerat, ergo & cum manauit habet identicè in se sapientiam, & potentiam; & si processit, non recessit: ergo vnum sunt ens realiter, & tres realitates.

Potentiam, Sapientiam, & Amorem esse essentialitates, & non accidentia: & rationes contradicentium essentialitati eorum nullas esse: & proprincipia entis vocanda videri.

ART. III.

QVOD autem accidentia non sunt Potestas, Amor, & Sapientia ex declaratis constat. Diximus enim, fundamentaliter omnes potentias, & virtutes identificari cum essentia, & hoc palam confitentur omnes in Deo; & in materia prima idem est essentia, & potentia passiua, & appetitus recipiendi formas, etiam aduersantium testimonio: in simplicibus verò formis actiuis, confitentur, identificari: idem enim est calor, & potestas calefaciendi, & appetitus calefaciendi: distinguuntur verò solùm respectu ex natura rei: & Scotus hoc in cæteris affirmat substantiis: & D. Augustin. Animæ non inhærere mentem, memoriam, & amorem, sicut accidentia, sed essentiam illius constituere, docuit. Item ratio accidentis hoc admonet: Est enim accidens, quod euenit præter essentiam rei, aut præter intentionem, aut præter voluntatem, aut præter naturæ ordinem, aut consuetudinem: sicut esse curuum, inuenire thesaurum, cadere in foueam, pluere sub cane, Senatum stultè consulere. At Potestas, Sapientia, & Amor non possunt esse extra rei essentiam, aut essentia sine eis, quoniam nulla essentia est, nisi possit, & sciat, & velit suum esse, saltem dum est: neque præter potestatem, imò sunt essendi, & operandi potestas: neque præter intentionem, intentio enim est sapientia: sapientia verò non est præter seipsam: nec vbi non potest esse, aut vbi nolit. Et quidem licet nolimus scire dolores & mala nostra; quoniam scire est fieri illa: tamen volumus scire illa inquantum scibilia, sed non pati illa inquantū destructiua sunt. Nam transacto periculo destructionis à malis, ea mala, vt Virgilius ait, *meminisse iuuat*. Vnde & in malorū scientia lætamur: & suaue est videre in mari (vt ait Lucretius) è terra labores nauigantium: & bellantium certamina, tui tamen sine parte pericli: quoniam addiscimus vitare mala, & gaudemus, nos expertos esse malorum, quibus premi possemus: & putamus, hoc nobis aduenire ex nostra sapientia, vel Potentia, quibus mala vitamus, vel potius ex fortuna, cuius amore defendimur, & seruamur in nostro esse. Quapropter scire non est pati, sic enim nollemus scire, sed est iudicare ex passione res externas, vt dictum est: & scire externorum accidit nobis: quoniam essentialis sapientia est sapor essendi: sapor verò aduentitij esse pertinet ad accidens, quod tamen fluit ex innata sapientia: quoniam exteriora scimus, propterea quod nos ab illis affectos scimus. Tandem neque præter voluntatem est Potentia, Sapientia, & Amor. Nihil enim his amabilius. Amor non est præter seipsum, nec Potestas præter Amorem, nec scientia, nisi per accidens, vbi scibile nos destruit: scientia enim radicaliter sumpta nos destruere non potest, nec non seruare: & licet dolor sit sensus mali destruentis: tamen quatenus est sensus, non est malus, sed quatenus specificatur ab obiecto malo, ex accidenti dicitur malus: vnde & dolorum meminisse iuuat, & nosse in eo, quod notitiam pariunt, & cautelam, & acuunt voluptatem sequentem: & vincunt mala: & inquantum esse illis substernitur, non quantum ad non esse, quo formantur. Ita & peccatum materialiter ens est, & bonum secundum Theologos, formaliter verò nonens & malum. Quod autem non sint præter ordinem, aut consuetudinem, palam est, quoniam semper & vbique est vnumquodque ens, quia potest, scit & vult esse, sicut probauimus, vel inexistere, vel adesse vel subesse. Arist. quoque definit accidens, quod contingit eidem inesse, & non inesse: nulli autem contingit potentia, Sapientia, & Amor essendi: & cùm sunt, adsunt semper: neque non insunt aliquando; radicaliter sumpta, vt primalitates internæ, non vt accidentalitates externæ.

Obiectio Peripatetic. Contra hæc dicerent Peripatetici, quoniam potestas, Sapientia, & Amor semper subiecto inhærent, & non semper subsistunt. Item quia adsunt, & absunt præter subiecti corruptionem: siquidē contingit, nos idem posse, scire, & velle, & mox idem non posse, obliuisci, & nolle vicissim. Item suscipiunt magis & minus: ergo accidentia sunt.

Solutio. Quibus respondemus, quod non sola subsistentia pertinent ad essentiam, neque in eorum dogmatibus. Forma enim substantialis, & materia prima nunquam per se subsistunt in eorum schola, quoniam seorsum per se inueniri non possunt, neque per potentiam Dei, vt quidam ex ipsis docent, nihil eminus essentias, substantiasque esse confitentur. Corpora quoque physica, licèt subsistant per se, non tamen in se, sed in loco sunt; nihilominus substantiæ sunt. Item nec in Deo reperitur sapientia subsistens absque potentia, & amore: Nihilominus ad eamdem essentiam subsistentem pertinent. Idcirco dicendum est quod hæc non sunt principia physica, quæ à suis effectibus non segregantur, sed metaphysica, quæ in suis effectibus sunt, vt constitutiua eorum: & non quidem inhærent ab extra, sed sunt ipsum esse ab intra essentiale essentiatum, & essentia ab intra, & non debent subsistere, sed consubsistere: nec sunt in subiecto, sed sunt ipsum subie-

ctum: & cum quæris, in quo genere causæ constituunt, non potest responderi, neque effectiuo, neque ideali, neque formali, neque materiali, neque finali. Hæc enim sunt physicæ constitutionis causæ: principium autem præcedit rationem causæ; & primalitas rationem principij; & Metaphysica constitutio Physicam: quare dicemus, esse principia essentialia eminenter, sed rectius vocari Primalitates, primordia, quoniam ex ipsis, quatenus vnum sunt, entia primitus essentiantur primò & prima, & præcedunt principia, sicuti essentialitas facultatem, quæ est principium, vt respicit ad extra: intus non est principiatio, sed essentiatio: & habere similitudinem cum omni causarum genere: maximè autem cum materiali. sed materialitate longè diuinioris generis: & esse non partes, sed quasi partes integrales, & simul potestatiuas entis, diuisas rationibus formalib. fundamentaliter ex natura rei, non autē realiter, vt declarabimus; non.n. tres res, sed tres eiusdem rei realitates sunt, non quidem vt principia, nec vt causæ, nisi eminenter: sunt tamen in principiis & causis deriuatis ab eis participatiuè: eorum tamen materialitatem esse nobiliorem omni formalitate: est enim essentia illimitata, & immensa: ergo & modum recipere isthæc proprincipia in secundis entibus non primò, qui modus est forma eorum materialitatis: aut potius finis & terminus dicenda. In Deo autem nullum habere modum, neque terminum. Idcirco & ad 2. rationem dicimus, falsum esse, quod adsint, & absint præter subiecti corruptionem (licèt nec ista sit accidentis ratio. Nam anima quæ non est accidens, etiam præter materiæ generationem, & corruptionem, adest & abest) imò si potestas essendi, aut sensus essendi, aut appetitus essendi cuipiam aufertur, statim si est compositum, dissolui dicimus: si simplex, annihilari; si actio, desinit esse. Videmus sanè, vsque ad finem vitæ calorem & frigus, & infirmos homines, & bruta semper vitam appetere, & repugnare contra mortem: non autem absque potentia repugnant, neque absque sensu mali, neque absque appetitu appetunt; quin asserimus, post mortem remanere sensum entis, & potentiam, & appetitum, sed non prout ante. Neque combustum lignum, & in ignem versum, sensum ligni retinet, sed obliuionem, neque potentiam, neque amorem, nisi ignis; remanet tamen in pelle Ouina metus lupi, & in serpente occiso odium fraxini: sed non qualis ante prorsus, nec in prorsus mutatis: migrant enim Potestas, Amor, & sensus, sicut migrat esse: esse autem mutatur, & non annihilatur, ergo & ipsa triplicitas: cætera autem accidentia annihilantur.

Nec quia idem scire, & nescire; & amare contingit, Amor, & scientia, & Potestas accidentia sunt; quoniam nos non omnem Amorem, & Potestatem, & Sapientiam pertinere ad essentiam, dicimus, sed solum innatas, abditasque essendi. Non quidem Petrus constituitur sapere Francisci, sed sapere sui. Neque amore Francisci, sed sui: neque Potestate Francisci, vel Reipublicæ, sed sui. Posse autem & scire, & velle esse suum nulli vnquam enti deficit, quin deficiat esse. Sed horū externorum deficit, & deficit simul esse, non essentiale, sed accidentale, & addititium (vti monebat sanctus Iustinus) vt, cum scio harmoniam, fio harmonicus, musicusque: si obliuiscor musicæ, desinit esse musicum in me: & quidem declaratum est has potestates, & amores, & sensus externos ab internis fluere, & causari effectiuè, & materialiter, ab obiectis verò specificatiuè, occasionaliter & terminatiuè: vnde D. Thomas à naturali amore deriuat voluntarios, & causat. Cum amo, essentialiter amo, cum amo mulierem, accidentaliter amo, quia terminatur esse meum, trahiturque ad esse muliebre: quod esse desino, cum incipio non amare mulierem: sed tamen non desinit Amor mei in me: sed si quis amat nimis, aut sapit, aut potest aliena, transit in esse alienum, & delirat aut seruit: & non est sibi, sed alteri, & quasi accidens alienum. Hic patet, aliud axioma peripateticum falsum esse, cum dicunt, *quod vni est substantia, alteri non est accidens*: constat enim calorem sibi esse substantiam, & igni: lapidi verò accidens; & calorem natiuum animalis esse substantiam, extrinsecum verò accidens, & vestem mihi accidere, sibi verò subsistere. Item posse adesse, & abesse cum subiecti corruptione etiam accidentia, vt febris & delirium, aliàs docuimus: similiter & substantias formales esse contrarias, non autem materiales. Item hoc etiā rudi ter dictum esse de formis substantialib. quod non suscipiant magis, ac minus, cum tantum materiæ & loco conueniat: & quidem Amor, Sapientia, & Potestas, suscipiunt magis minusque, sicut & esse: pueri enim Esse minus potens, minus sciens, & minus cupiens est, quàm viri. Idem apparet in cunctis formis orientibus, & occidentibus. At si dicatur, tantum accidentia, non essentiam intendi; & remitti, verum est de essentia in idea, non autem in ideatis, in quibus exposita est varietati: aliàs omnia eiusdem speciei simillima essent mutuò; extra latitudinem suæ speciei non suscipiunt magis, sed bene intra latitudinem: sed de potentia, Scientia, & Amore dicemus, similiter se habere, sicut de essentia. Nec nisi susciperent magis & minus elementorum formæ, fierent entia secunda tot gradibus, viribus & essentiis variata: Nec si Primalitates non susciperent magis & minus, distinctio specifica inter entia reperirentur: Et hoc cognouit D. Thom. cum intelligentias, iuxta magis, minusque graduari docuit, & in species distingui. De accidentalibus ratione obiectorum, fatemur, magis, minusque fieri potius quàm de essentialibus proprincipiis, seu Primalitatibus: sic enim libet Metaphysica principia vocare) sed iuxta minorationem Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris, fieri minorationem entis, nemo inficietur vnquam, tam in essendo, quàm in agendo, quàm operando, aut resistendo, & regendo, vt patet: si quis hoc negat, neget calorem suscipere magis, & minus: non enim magis caloris rationem habet iste quàm ille; sed intensiorem potentiam, & vim.

Nec vniuersaliora, nec intimiora rebus proprincipia inesse, quàm Potestas, Sapientia, & Amor; nec Philosophis inuenta esse: & testimonio purissimæ Theologiæ confirmata.

ART. IV.

QVONIAM igitur entis cuiuscumque constitutio ad hæc principia reducitur. Nec vllum absque horum constantia inuenitur: & priora his nō sunt vlla; & omnia fiunt ex eis factione eminentiali, quæ est esse, & non motus: manifestum restat, hæc esse proprincipia rerum. Nam etsi alij assignarunt principia alia, non tamen his priora, quæ ob hoc vocamus Primalitates, & primordia, & præeminentias. Vnum enim, & Ens, & Bonum, quod Platonici, & Pythagorici magnificant, ex his constituuntur. Ens enim est, quia potest, sapit & vult, esse quod est. Vnum verò est ipsum Ens non diuisum. Diuisio enim dicit nonesse: in tantum enim hoc ab illo diuiditur, inquantum non est illud. Multitudo igitur ad nonesse spectat: nos verò entis constitutionem quærimus: hoc autem est vnum, si est primum: sed hoc primum non datur, nisi sit: si autem est, ens est; si ens, ex his, vt postea declarabimus. Nec ergo Numerus præcedit Potentiam, Sapientiam & Amorem. Nam diuisione constat; ergo nonente, & ente, vt declarabimus contra Pythagoreos: Bonum verò est ipsum ens, quatenus amatur: oportet autem prius esse, quàm amari possit: & quæ non sunt desiderantur, quatenus per aliquod simile tanquam entia apprehenduntur. Verum, & Veritas principia non sunt entis, sed ipsummet ens vt cognitum: prius autem est quàm cognoscatur. Nec videtur habere principiandi rationē, & actionem sicut Potestas. Aristoteles verò principia entis facit Metaphysicalia Potentiam, Actum: sed constat, Actum esse ipsam existentiam, si est actus entis: vel operationem, aut actionem: operatio autem, & actio ab agente, & operante manant virtute: non ergo principia sunt; & quamuis actus præcedat potentiam passiuam, non tamen præcedit potentiam actiuam, sed est ipsamet, vt Arist. 12. Metaphy docet. Igitur est sola Potētia principium: sed quia probauimus, non posse principiare, nisi cum Sapientia, & Amore, manifestum est, quod in trinitate hac consistit princi piatio rerum. Vnde Arist. intellectum Actui primo Enti dat & Amorem: licet extra nihil intelligat, illi, neque amet: Et quia principiare est primò aliquid capere seu capescere, & in ente primo hoc non accidit, nisi cum ad extra operatur: propterea Primalitates essentiatiuæ dicuntur nobis, non principiatiuæ: nisi quatenus referantur ad exteriora entia principianda: & sic dicuntur facultates à faciendo, tres, videlicet, Potestatiuum, Cognoscitiuum, & Volitiuum; ex quibus erga obiecta extensiones habentur, & ex extensionibus causalitates, & sex genera causarum, cuiusque duo: alterum ex facultate, alterum ex obiecto, vt in 1. p. declarauimus. Materia autem, forma, & priuatio, quæ analogicè etiam videntur Arist. reperiri in primis entibus, nequaquam principia sunt entis, nec ad extra, nedum Primalitates ad intra. Priuatio enim non ad esse spectat, nec secundorum entium potest esse pars prima, id est, principium ordinis præuium, neque constitutiuum originis principium, nec ortorum entium, nec entis simpliciter. Forma quoque est terminus, & modus rerum, qui ab ente excluditur, sed est huius vel illius, & finis, non principium generationis. Materia autem, non in cunctis rebus est, nisi Physicis: & si est in Metaphysicis construitur ex Appetitu, Sapientia, & Potestate, vt dictum est. Nec illi Pythagorici, qui ponunt principia Finitum, & Infinitum; Par, & Impar; Vnum, & Plura; Dextrum, & Sinistrum; Masculinum, & Fœmininum; Quiescens, & Motum; Curuum, & Rectum; Lucem, & Tenebras; Bonum, & Malum; Quadratum, & altera parte longius: quid altius nostris principiis faciunt; sed ex entis, & nonentis misturam pensiculant. Finitum est enim omne à nonente. Infinitum verò per se non datur, nisi sit Potestas infinita: aut Amor, aut Sapientia. Hoc autem pertinet ad ipsum esse, & eius amplitudinem. Quatenus verò virtualis est ipsa rei certa limitatio, quæ secundis modò entibus conuenit huic & illi. Non autem enti simpliciter. Masculum, & Fœmina ad Potentiam, & Impotentiam spectant; ens autem non constituitur Impotentia, nisi sit aliquod ens, non autem ens simpliciter: cætera palam pertinent ad materiales affectiones, vel entis finiti. Vnde neque Democritus quippiam magnum dixit, dum figuram, situm & ordinem adduxit: hæc enim ad quantitatem modo spectant corpoream: Vacuū verò, & Plenum sunt materia & locus, quibus potestatem, & appetitum, & sensum sui esse constitutiua proprincipia inuenimus indita. Magnum verò, & Paruum sunt entis mensuræ: & dicuntur de terminato ente; de Deo verò absque mensura. Æqualitas, similitudo, &c. spectant ad vnitatem, quæ esse & primum sonat. At neque Theologia gentium attribuit Deo primo enti aliquid præter Potentiam, Sapientiam, & Amorem. Magnitudo enim ad potentiam spectat, Bonitas ad virtutem diffusiuam, quæ est ipsamet Potestas cum Sapientia, & Amore se se diffundendi: vnitas autem eius esse infinitatem exprimit. Diis gentium nihil tribui maius his inuenimus. Nam etsi multiplicant Deos, omnes tamen ad hos reducuntur: Iupiter enim ens dicit: Hercules, Vulcanus, Iuno Mars potentiam: Pallas, Mercurius, Phebus, Saturnus, Æsculapius, Sapientiam: Venus, Cupido, Baccus, Amorem exprimunt. At purissima, sanctissimaque Christianorum Theologia, vnde omnia arcana rerum olfacio in primo Ente, qui se, *Qui est*, vocari declarauit, hæc reperiri primò docet, Potentiam Sapientiam, & Amorem: & à Potentia generari Sapientiam; & ab vtrisque procedere Amorem, vt Ambros. Origenes, & Richardus monent; & vt nobis declarentur, dicunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum omnino Deum: & quamuis

Pater producat filium intelligendo, non tamen intellectus est producens, sed ratio producendi, potius autem producens est ipsa memoria fœcunda apud D. August. Nam fœcunda memoria est Potestas, id enim fœcundum est, quod potest producere: & Durandus acurissimè Naturam fœcundam productricem intellexit: & quidem per actum intelligendi Diuus Thomas: vnde Filius est sapientia, & virtus Patris: & ab vtroque simul Amor procedit, qui est Spiritus sanctus. Rectè ergo dicunt Theologi, quod in creatura rationali est imago Monotriadis, quia est Memoria, Intellectus, & Voluntas; siquidem, fœcundam memoriam faciunt Potestate plenissimam: sed rectius videtur Damascenus sentire, quod in hoc assimilatur Monotriadi, quod est per se potestatiua, intellectiua, & voluntate libera, ipsa rationalis creatura. Idem Bernardus in lib. de dignitate Diuini Amoris. Qui autem ponunt quidditatem, speciem, & ordinem; vel esse, virtutem, & operationem, omnes reducunt has imagines, & vestigia ad Potentiam, Sapientiam, & Amorem: siquidem esse primò videtur à Potestate, & à Sapienti idea, & species essendi: operatio verò, & ordo, ab amore sese effundendi emanant. Quapropter cum supra primum Ens non liceat vel cogitare, & in eius essentia has Primalitates inuenimus, rectissimè has primò dignificamus.

Proprincipia ab obiectis non moueri ad esse, neque ad opus, sed in hoc specificari, aut impedimentis expediri: & cur alienari contingat, & quomodo ab innato esse ad alienum magis, minusque: & declarari non autem definiri per obiecta externa, sed per interna.

ART. V.

RVRSVS autem inuestigandum videtur, quomodo Ens primum constituitur ex principiis; & est primum: & quo pacto hæc omnia principia sunt vnum, & multa: & vnum ita verũ sit, quod Amor procedat ab vtrisq; & Sapientia à sola Potestate, & Potestas à nullo: & tamen sunt æque principia Entis simpliciter; & cùm principia à nullo moueantur, quomodo intellectus, & voluntas ab obiectis mouentur, & ab illis definiuntur: cum definitio sit prior definito, saltem ex parte generis: nihilominus ipsa sunt prima. Ad hæc respondeo, quod sicut dictum est, obiecta harum Primalitatum non mouent illas, sed specificant actum illarum: ipse verò à seipsis, vel mutuo mouentur, dico autem ad exteriores actus, quoniam interiores fiunt absque motu, sed sola processione indicibili, velut lux à sole, quæ nunquam incepit procedere, sed semper ita procedere intelligitur. Manifestum est enim, quod quidquid amamus, propter nosipsos amamus: & quæ enim amore amicitiæ videntur amari, si nobis noxia essent, & intelligeremus esse noxia, in eo, quod noxia, non amaremus. Neque enim Deum vt punitorem diligimus, nisi quatenus punitio est nobis medicina, & salus. Obiecta igitur mouent voluntatem tanquam bona: Bonum autem est, quod nobis prodest, ad esse seruandum: vtilia enim manifestè nos in nobis seruant: honesta verò in aliis: iocunda verò non sunt bona, sed sensum boni habent. Itaque omne bonum, in eo quod bonum, est iocundum, vt dicemus. Igitur obiecta nos mouent in quantum habent aliquid nostri: vnde filios plus diligimus, quia plus nostri habent: pecuniam diligimus, quia nostram conseruationem habent. Siquidem homo esset solus, & non cum aliis rebus, quæ sunt in mundo, extra mundum, extra locum, neque sciret alia entia esse præter se, se solum amaret, & nosset, & palam sibi esset, & non abdita modò notitia, & amor sui: sed quia inter alia entia viuit, & ab omnibus mouetur: nec sua vita absque aliis entibus potest esse: ab aliis enim substinetur, ab aliis instauratur, ab aliis purgatur, ab aliis fouetur, ab aliis affligitur, idcirco seipsum quasi factum alia vndique immutantia ipsum, quasi ignorat, & non vult, aliorum notitia, & amore alienatus: Idem & aliis euenit entibus, vt quasi nulla sint sui prorsus iuris, sed aliorum. Colligauit enim Deus ita rerum vniuersitatem. Quapropter indubitanter asserendum est, Amorem & scientiam sui inesse rebus cunctis: & ab obiectis alienari, & specificari: non tamen generari, neque quoad substantiam, neque quoad actum. Definiuimus autem has Præeminentias ab obiectis non quidem externis, sed internis. Amor enim est boni complacentia, non alieni, sed sui. Aliena enim non placent, nisi quia nos placemus nobis, & illa vocamus bona, quia nos seruant, vnde optimum creaturarum solem, in æstate dicimus malum.

Amor quidem nos facit esse alia, non ex se: ipse enim cuperet alia facere nostra. Ignis enim omnia ignem facere vult, & tellus omnia in terram conuertere: At euenit nobis fieri alia, quia sicuti nos agimus in alia entia, ita alia entia agunt, & quod est in nobis de illorum similitudine, & esse, trahit nos ad illa: sicut semen proiectum in terra, trahit terram ad naturam plantæ, cuius est semen: Si autem potentior est terra adiacens illi, trahit semen ad terræ naturam. Hinc videmus amantem in rem amatam transire, & timentem in rem, quam timet. Morsicatus homo à cane rabioso, in canis naturam vertitur, & catellos quasi in semine suo emittit: & ab araneis Tarentinis venenum efficacissimum per vulnus bibentes in illarum naturas transeunt, earum colorem amant, & sonum earum naturæ congruentem: quo deliniti psallunt, excudantque venenum, & spiritus attenuatur, purgaturque eiusdem exhalatione, vt in quarto libro de Sensu rerum docuimus. Obiecta ergo nos immutant, volentes, quatenus bonum nostrum in eis

nostrum in eis ostenditur: nolentes verò, quatenus malum. Sed cum malum in nobis suum semen sparserit, hoc crescente, in illud immutamur: & primo violenter in illud trahimur, mox sponte, quoniam illud facti sumus, & simile simile petit. In hoc autem est virtus diuinæ legis, quæ, quantum affici externorum scientia, & amore debeamus, regulam patefacit. Hinc auari, & lasciui, & ambitiosi, regulas transgrediendo, incidunt in sui alienationem, vt magis pecuniam, & honorem, & mulierculam cupiant, quam seipsos, ab horum affectione seminali paulatim crescente, alienati è suo esse ad obiectorum esse viliorum: sicut timidi ita à formidabili re afficiuntur, vt non nisi illam se videre, putent: & cum nimis affecti fuerint, ad illam sponte inclinantur. Quanto ergò magis ab amabili trahentur? Obiecta quoque sapientiæ non faciunt nos sapientes, sed vt ipsa sapiamus, & simus: sapere autem naturale est, innatumque. Pueri verò non sapiunt, quia spiritus, quo sapiunt, laboribus fabricandi corporis affectus, neque se, neque externa sapere permittitur. At mox in externorum admiratione occupatus, etiam se magis obliuiscitur: & tandem ad sui notitiam redit ex inspectione similium. Et quidē videat multa sensus eius antequam nasceretur, quoniam in calore, & materia, ex quibus genitus est, inerat sensus; sed obliuio illarum tetegit eum per noui esse aduentum: quoniam scire est esse, & vnius entis vnum est esse: forte autem & nouus sensus genitus est cum nouo spiritu: habet enim sensus quoque se se multiplicandi vim, sicut Potestas, & Amor cum essentia. Tandem cum non vna res sit homo, non vnam sapientiam habet: aliter enim sapit & amat spiritus, aliter neruus, aliter os, aliter caro, & conspirant in amore communitatis, & in consensu: non autem spiritui omnium sensus partium est notus: ideò nos, qui spiritus ipse sumus intra crassam molem, & eo sapimus, non sapimus sapientiam partium, nisi in dolore, & voluptate, qui sunt modi sentiendi viuidiores: Mens autem, à Deo immissa nobis, per spiritum quoque sapit, quem informat. Ideoque nec deliria eius frænare satis valet. Potentia quoque est nostra entitas ipsa: & id possumus, quod sumus: operari enim & agere est esse diffusum, quod in nobis prius est. Neque obiecta nobis posse dant, sed auferunt impedimenta, vel terminant actum Potentiæ, & specificant. Si enim calor non habet obiectum, quod calefaciat, est calor potens calefacere: at posito obiecto, calefacit magis illud, quam aliud: & ab illo non habet vt posset, sed vt sic possit. Potest homo generare hominem, sed ab hac fœmina habet, vt in hac ita generet, & hunc. Quasobres palam est ab obiectis non habere, quod sunt, sed à se has Primalitates, & non generari, sed excitari, & commoditate donari, & specificari, non autem moueri. Nec enim sensus, aut intellectus est passio, nec scire est pati: sed iudicare ex passione ipsum agens, quoniam per eam factum est ipsum aliquo pacto. Ergò seipsum magis iudicat, & sentit ens: quoniam non indiget fieri, sed est id, quod est. Definitio autem ab obiectis externis est declaratio quædam à posteriori; & iam diximus, quia notiora sunt externa, secundum artem non secundum naturam, per externa de internis nos facere sermonem.

Quamuis ex alterutris procedant ipsa Primordia, æque tamen proprincipiant seu primordiantur: quoniam non sunt materialiter, aut essentialiter procedendo diuisa: sed quodlibet in quolibet remanent, & procedens præest in eo à quo procedit: & id à quo procedit communicatur procedenti, & totaliter, idcircò comprincipia sunt.

ART. VI.

NEc quia ab alterutris pendent Proprincipia nō sint æque prima; non enim se se tempore præcedunt, neque dignitate, neque ordine, sed origine, quoniam alterum ab altero est. Idcircò Scotistarum, & Thomistarum cesset disputatio; quoniam neque radicalis voluntas intellectum radicalem præcellit, nec intellectus voluntatem; neque Amor Potentiam: sed ita colligatæ sunt, & inuicem communicatæ, vt vnum sint, & simul constituant ens: sicut enim materia præcedit formam in genere causæ materialis, & forma materiam in genere formali, & tamen ab materia, & in materia forma est: sic & longè eminentius videntur ista se præcedere, & simul esse. Nascitur quidem Amor non à Penia, & Consilio, nisi in rebus finitis, amantibus aliquid extra se, quod non habēt: & hic Amor non est essentialis, licèt fluat ab essentiali: causa etenim amandi externa est Amor nostri esse conseruabilis ab externis. Ideò ergò amamus alia, quia amamus nosmetipsos. Potius autem est Veneris filius, Venus enim, teste Lucretio, est hominum, Diuûmque voluptas. Voluptas autem causaliter sensus est internus rei intrinsecus possessæ, & conseruationem instaurantis, aut amplificantis. Cibus instaurat, coitus amplificat, amicitia tutatur. Quapropter non minus rectè sapiunt, qui voluptatem voluntatis actum esse dicunt, quoniam per prius est sensus exquisitissimus, & intimus conseruationis & esse, à quo amor, cuius actus est voluntas, sicut dolor est actus odij, à sensu intimo destructionis, & non esse. Et rectè D. August. putat, charitatem esse sapientiæ saporem, sed causaliter: quoniam charitas intrinsecum suauemque saporem amabilissimū Diuini esse videtur subsequi. Sapor autem à sapientia dicitur: sapientia autem à gustu nomen accepit, in qua nobis intrinsecè vnitur bonum, & sentitur; non tamen omnino intrinsecè, nec ita extrinsecè vt cæteri sensus. Igitur ab hoc sensu exquisitissimo nascitur Amor. Nam postquam degustamus aliquod bonum, illud postea amamus: gustatio autem sensu fit, siuè interno, siuè externo. Quamobrē & si amorem Poëtæ negant esse filium Palladis, quæ est sapientia, & faciunt filium Veneris, quæ est voluptas, non intelligunt Palladem pro sapientia abdita, sed

pro prudentia exteriori, & notitia rerum externarum: à qua non procedit Amor: non enim externa diligimus, niſi quia prius eſſe noſtrũ diligimus. Sed videntur Poëtæ Græci, non agnoſcendo Venerem pro ſapientia abdita, ab olim in hæreſim incidiſſe, quam in Diuinis nunc tuentur, videlicet Spiritum ſanctũ non procedere à Filio, qui eſt Sapientia, ſed à Patre qui eſt Poteſtas; ſed apud alios Poëtas aliter geneologia texitur: quoniam Theologiam verterunt in deriſionem, & ludũ, vt patet ex ſympoſio Platonis: pręſertim cum nec Palladem à Iunone; ſed à Ioue deriuent, & recta fuiſſet, ſi de capite Iouis Pallas oritur, à Pallade, & Ioue Venerem producere: & Amorem externorum, qui eſt ex parte per accidens cæcus, ab amore interno, qui eſt Venus. Nam omnem appetitionem ab appetitione naturali D. Thomas producit. At & cuncti Theologi, & Philoſophi fatentur Amorem à Sapientia produci: etenim *ignoti nulla cupido eſt*, inquit Poëta, & ipſa ait in Eccl. *Ego mater pulchræ dilectionis*, ideſt, Amoris, & Agnitionis, ideſt, reflexæ notitiæ. At in hoc eſt dubitatio, vtrum Sapientia producat Voluntatẽ, vt Amb. & Aug. monent, an ab eſſentia animæ æque fluant. Nã dicunt, Voluntatẽ moueri à Sapiẽtia, obiecto deſiderabili informata: quod ſi ita eſt, neque ipſa Sapientia per ſe mouet, ſed per obiectum; obiectum autem, quia in eo eſt aliquod bonum appetentis: igitur à ſe ipſo appetitus per ſe & verè mouetur: & ſicut actus eius non pendet à ſapientia niſi ſpecificante per obiectũ propoſitũ, ita neque eſſentia voluntatis ab eſſentia ſapientiæ erit: & tamen determinant in Monotriade aliter, videlicet Verbum Dei, actiuè producere cum Patre Spiritum ſanctum: ergò & in creaturis idem eſt, quoniã ſuam cauſam imitantur inquantũ poſſunt. Quapropter & ego, fluere Amorẽ à Sapientia, dico, quoniã ita, & in actibus videmus externis. Neq; enim obiectum mouet ſpecificando, niſi quia cognitum, ergò eſt cauſa actus, ſi cauſæ nomine intelligimus quid eminentius. Nec quidem ſapientia ſola producit Amorem, ſed & Poteſtas cum ea. Non enim impoſſibilia amamus: neque producit Sapientia non potens, quæ non ſit virtus & ſapientia ſimul, vt Apoſtolus monet. Nam ſicut non poteſt producere actũ externæ dilectionis, niſi fœcũda ſit plenaq; obiecto diligibili, ita neq; internum Amorem, niſi plena ſit obiecto intimo, quod eſt eſſe, & Poteſtas. Itẽ quia nihil dat, quod non habet: ſi ergò Amor à Sapientia fluit & à Potentia, verè præeſt in illis. At ſi præeſt, quare producitur? ideò producitur, quia præeſt. Omne enim, latens in fœcunditate cauſæ, producibile eſt. Et hinc eluceſcit, quod ſunt vnum, quia alterum in altero ſunt, & præſunt, & poſt ſunt. Quomodo enim Poteſtas producit Sapientiam, niſi poſſit? poteſt autem, ſi habet: ideò enim calor calefacit, quia habet eſſe caloris. Calefacere enim eſt effundere eſſe caloris: ergò ſi effuſio non eſt ad extrà, idem eſt prorſus effundens, & effuſum: ſicut lux & lumen in eodem ſole: ergò cum remaneat ſapientia in ipſa Poteſtate producente: & Amor in ipſis Poteſtate, & Sapientia producentibus, etiam poſtquã productus eſt, & præfuerit etiam ante productionẽ (ſi hoc imaginari licet) quoniã non dant, quod non habent. Nec productum non eſt ſimillimum producenti: ergò eſt idẽ, identitas en. perfecta ſimilitudo. Igitur manifeſta eſt identitas & comprincipiatio ipſorũ, quoniã non fit per participationẽ; ſed per Toticipationẽ, & coëſſentiationẽ. Hoc autem palã fiet in exterioribus. Igitur non quia procedunt ex alterutris, non ſunt ęquè principia: quoniã non ſunt cõdiuiſa eſſẽtialiter, licèt ex natura rei relatiua realitate diſtinguantur. At ſi calor oriretur ex frigore, quoniam diſtincti ſunt eſſentialiter, non poſſent eſſe æque principia: nec forma, & materia, ſi alterum ex altero naſcatur: Non ergò fluit Poteſtas eſſendi, & Sapientia, & Amor ab eſſentia, ſed eſſentiant ipſam, ſuntque vna ipſa quatenus Primalitates, & eſſentialitates coëſſentiantes, & coinexiſtentes, & contoticipantes realiter: ſed quatenus reſpiciunt actus exteriores fluere dicuntur ab eſſentia, nõ Poteſtas, Sapientia, & Amor primalitates, ſed facultates, & principia, ideſt, Poteſtatiuum, Cognoſcitiuũ, & Volitiuũ: ſed cum eſſentia ſint ipſæmet Primalitates, à primalitatibus fluunt; ſic enim accidentia ſunt quatenus reſpiciunt ad extrà poſt eſſe cõpletum fluentia, vt in Theologia docebimus: accidit enim reſpectus ad exteriora obiecta Primalitatibus; & ſic realitas hæc cum reſpectu nouo, accidens vocatur formaliter, at radicaliter & realiter ſunt Primalitates. Iſta ergò Principia egredientia ad obiecta externa dicuntur viæ in S. ſcriptura, teſtante Dauid. *Vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas*: extenſio horum ad obiecta vocantur paſſio in Poteſtatiuo, notiones in Cognoſcitiuo, Affectionnes in Volitiuo: ex quibus ſequuntur cauſationes, & ſex cauſarum genera: vt in 1. p. lib. 2. probatum eſt.

Eccl. 24.

1. Cor.

Quodlibet ens eſſe quod poteſt eſſe, & quod ſcit eſſe, & quod vult eſſe; & multò magis ſi ſcit & poteſt: & maxime ſi ſcit, poteſt, & amat ſimul: & hoc verificari eſſentialiter, & accidentaliter triplici ratione.

ART. VII.

OMNE ens eſt quod poteſt eſſe, & quod ſcit eſſe, & quod vult eſſe. Igitur ſi poteſt eſſe Rex, eſt; & ſi ſcit, eſt; & ſi vult, eſt. Quis non delirare me nunc dicet? ego enim ſum in carcere, & volo eſſe liber, & tamen non ſum liber. Sum quidem in eo quod volo etiam & Rex. Vnumquodq; ens vult eſſe id, quod eſt eſſentialiter, & nullo pacto poteſt appetere noneſſe, quia annihilationem ſui eſſe appeteret: hoc autem impoſſibile, niſi ipſum noneſſe apprehendat quaſi bonum: ſed decipitur, qui noneſſe tanquam bonum accipit, quoniam non purum noneſſe, ſed non eſſe malè cupit: & quia in ſuo eſſe eſt aliquid mali, vt cæcitas in oculo, & labor in corpore, & mente; idcircò putat, ſe poſſe cupere noneſſe, quia odit eſſe, quod, inquantum malum, eſt noneſſe: & hæc cogitatio non eſt naturalis, & abdita eſſentialiſque: ſed accidentalis, & ſuperaddita: cumque nihil ſuperadditum appetamus, niſi ob abditum inditũque eſſe: conſequens eſt, vt noneſſe non ſit appetibile. Qui ergò vult eſſe Rex, aut diues, aut liber, eſt quidem: Nam

nō vult esse annihilari, & fieri ille alter, qui est liber, & Rex; sed vult esse quod est, & insuper ille alter, qui est Rex: sed quod est, est: Est autem voluntate liber, & Rex, ergo est liber, & Rex eomodo quo cupit: quoniā non cupit cum sua destructione. Impossibile autem est esse, id quod est, & alterum simul essentialiter: sed quod est essentialiter, iam est: quod non essentialiter, est quoque accidentaliter: non enim potest quod non est. Item si vis esse Rex, & non destrui quod es, vis esse accidentale, & non essentiale. Accidentale autem esse Regis, & liberi habes: nam etsi non eodem modo, quo videns cupere, habes tamen eo modo, quo cupis: si enim cupis esse Rex, & tu non esse quod es, sed quod est Rex, iam es, quod non es tu, quia es Rex, quod non es tu. In eo enim quod Rex, quod cupis esse, & non id quod tu, est in mundo, ergo simul es, quod non es, quia es Rex, quod non es, & es simul id quod es. Contradictoria enim non possūt simul intelligi esse vera, si tu contradictoria esse cupis, illa non intelligis. ergo neque cupis, ignoti enim nulla cupido. Iterum quia cunctæ res constant affirmatione, & negatione ex esse, & nonesse, vt dictum est, dum cupis esse Rex, & non quod tu es Rex: & tu componeris metaphysicaliter ex esse, quod habes, & non esse, quod non habes: igitur ex tuo esse, & ex esse Regis quod non es, componeris, & constitueris. Amplius autem quia appetis esse Rex, & appetitus est accidentalis, & id quod appetis factus es accidentaliter, idcirco sequitur, quod si appetis esse Rex es quidem eo modo, quo appetis: Sed ais: ego vellem esse Rex realiter, & video Numam, qui non erat Rex, factum Regem absque sui destructione essentiali, sed accidentali: ita & ego cupio fieri Rex, & non destrui, nisi accidentaliter, realiter: quoniam hæc destructio est melioratio: sicut cupio habere pecuniam, & non habeo: si autem accipiam, nihil destruor, sed plus habeo. Respondeo quod cum esse nobis accidentale, sit essentiale respectu ordinis rerum à Deo emanantis: licet respectu tui possis cupere esse Rex, quoniam accidentale est tibi, non tamen potes cupere respectu ordinis ab æterno statuti, nisi putes, omnia casu fieri, vel multa respectu ordinantis Dei, quod est impossibile. Idcirco cupere esse Regem, est cupere destructionem ordinis rerum. Ordo autem essentialis est mundo etiam Arist. licet non rectè id intelligenti: putat enim alibi Fatū posse rescindi prorsus, & impediri. Item essentialis est Deo scientia, & voluntas: quod ergo sciuit, & voluit esse, erit: ergo tu non eris Rex sicut cupis: quoniam si futurus non es Rex, impossibile est quod sis: quoniam etsi tibi esse Regem accidens sit, tamen mundo essentiale est à Deo sic euenire: ergo non cupis nisi contra Deum implicitè, licet non explicitè, & directè: sed iam ostendimus, Deum non posse odio haberi: si quod ipse non vult, nos velimus, oderimus eius velle. Hoc autem impossibile est naturaliter: nisi deceptoriè, vt cum quis deceptoriè putat, se velle non esse: ergo impossibile, quod cupias esse Rex præter ordinem eius, ergo quod cupis es eo modo, quoniam es quod es essentialiter, & accidentaliter: & quia hoc esse accidentaliter, est respectu æternæ seriei essentialiter, aliàs esset aliquid præter prouidentiam: & hoc est impossibile appeti: idcirco dum appetis esse quod non es, & non destrui quod es, appetis quod es, & quod non es, & iam constitutus es metaphysicaliter ex eo quod es, & ex eo quod non es, homo enim constituitur ex esse hominis, & nonesse asini, non bouis, non cœli, non lineæ, &c. vt dicebamus: ergo & tu ex esse Monacum, & ex non esse Regis. Quapropter palam, quidquid cupimus sumus, inquantum nostrum esse est finitum à nonesse, & essentiatum. In Deo autem verum est, quod sit quidquid appetit esse, quoniam ex nullo nonesse componente cum suo esse, constat Deus. Quapropter duplici ratione verificatur, quod tu es id quod es, & quod cupis esse, ratione scilicet metaphysicalis compositionis, qua essentiaris ex esse, & non esse: & ratione physicalis, qua vnumquodq; fit id, quod cupit: vnde amans omne fit res amata: & quia omnia amat; omnia fit, & est similis Deo, teste Dionysio: idcirco odium est in eo, qui est pauci esse. Deus autem nihil odit, vti Salomō docet: neque enim quod odiret, fecit, sed quod amaret: peccatum verò non est ens, vt patebit, ideo odit illud. At & qui cupit esse quod non est, cupere non potest, nisi per id quod habet de eo, quod cupit: vnde rectè dixit Auer. ex parte, quod materia appetit formam per id quod habet de motu ad formam: vt quia tepida est aqua, amat fieri calida; & quia semen animatum est aliquantulum, amat fieri animal. Igitur qui appetit fieri Rex, aliquid Regij in se habet. Non enim lapis appetit esse Rex, sed qui nobilis: vel de Regio semine. Igitur semper appetitus præsupponit esse rei appetitæ in appetente: & hoc physicum est: & quia amor præsupponit posse, quoniam non amat lapis esse Rex, quia non potest: & præsupponit notitiam, quia ignota non amamus: palam est, quod simus potentia, & scientia, quidquid cupimus esse. De sapientia quoque palam est, quod facit esse accidentaliter, id quod non sumus: qui enim nouit lapidem est lapis: quoniam similitudo lapidis est in eo; vel passio à lapide indita: & qui omnia scit, omnia est, & qui scit impossibilia, est illa impossibilia in esse cognito prout scit: non autem est realiter & essentialiter, sed accidentaliter: quoniam non potest plurificari essentia indiuidualis: quia circumdata est à nihilo, & terminata. Et quidem qui scit Deum & amat Deum, sit Deus in esse cognito, & amato: & quendam diuinitatis sensum, & dulcedinem, & fortitudinem in se habet, & hoc experti sumus: & Bernardus in Canticis testatur mirificè hanc experimento veritatem. Item nos esse, quod possumus essential ter: nulli dubium est: sed & quod possumus accidentaliter: ideo enim possumus, quia sumus: semen potest fieri animal, quia est, non autem lapis, quia non est. Potest calor calefacere, quia est calor ipsa calefactio. Potest scriptor scribere, quia est idealiter scriptura: & hoc confirmatur ex eo quod inest Potestati amor & sapientia, & sunt in inuicem coessentiatione, & contoticipatione: ergo qui amat sapit, & potest; & qui potest, sapit, & amat; & qui sapit, amat, & potest: ergo etiam est: variantur autem essendi modi, & materia mox distinguuntur, vt in prioribus sermonibus ostendimus.

Entia non posse, nisi quo sciunt, & volunt, & nescire nisi quo possunt, & volunt: & nolle nisi quo sciunt, & possunt, ergo, &c.

ART. VIII.

AT nunc illud declarare oportet, quomodo quia appetimus, quia possumus, & scimus, sit idem appetitus cum posse & scire: & contineatur in illis, & illa in eo. Hoc patet, quoniam quod nescimus, aut nolumus, non possumus. Non enim potest homo ire in plateam, si non vult; licet enim posset addita voluntate, tamen non potest absque voluntate; voluntas ergò dat, vt possit. Vnde Augustinus ait, *Omnia saua, & immania, facilia prorsus facit Amor*: & quidem patet, quod homines propter amorem fæmellæ possunt mirabilia opera fortitudinis, & scientiæ adipisci: fiunt enim Poëtę, & Oratores, vt celebrent rem amatam: fiunt victores bellorum & laborum: quos absque amore non audent, vel spectare. Magnetis amore ferrum sursum attollitur, quod sine amore facit nunquam. Aqua quoq; sursum eleuatur amore replendi vacuum. Quapropter quod nolunt entia, non possunt; ergo voluntas est in vera potentia: & licet Grammaticus nolit loqui grammaticè, & habeat potentiam loquendi, tamen non verè habet potentiam loquendi, cum non vult loqui, sed solum essendi grammaticum, cuiusmodi & voluntatem habet, sed loquendi minimè: vnde in sacris quoque quod nolumus, dicimur non posse: & Deus dicitur non posse viros probos condemnare, quia nõ vult: similiter etiam, quod videmur posse, & velle tamen non possumus, nec volumus, nisi sciamus. Non enim possumus ire Romam, nisi sciamus ire: nec edere, nec scribere, neque esse: quicquid enim scimus, sumus: & si homo est albus, scit esse albus, non scientia superaddita, sed indita. Formatrix enim causa per scientiam, & potentiam, & voluntatem format hominem album: quando autē ab alio quis ducitur Romam, nesciens iter, non ipse vadit, cum non possit, sed trahitur violenter: aut si sponte vadit scit vadere, sed non Romam, nisi & terminum itineris sciat esse Romam. Iter autē nescit sua scientia sed alius, quocũ it: & quidē nõ datur eunti scientia eundi, ambulandique: sed ita, & horsum ambulandi: ergo mouetur ad exercitium à se sciente, potente, & volente: sed specificatur exercitium ab alio modum docente; vnde Plato, neque doceri posse, quod nesciebat quis opinatur: Et Arist. addiscentē scire, vel ex parte in 9. Metaphy. voluit. Nos autem in simili, & ex parte: ergo quidquid possumus, volumus & scimus.

Sed dicis, Deus potest facere hominem omnem habere cornua, & non vult: & Rex potest vincere in prælio, cum habeat plures milites, quàm aduersarius, sed nescit: nam artem ordinandi exercitum & inimicorum apparatus ignorat: & vulneratus sentit dolorem, quem non vult. Respondeo, quod Deus posset facere omnem hominem cornutum: sed tamen non potest: ex quo enim statuit absque cornib. esse hominem, non potest secus statuere, quoniam sibi aduersari non potest. Deus autem nihil potest facere nolens: ergo facit omnia volens: & quia non vult, non potest: vnde Augustinus respondet cõtra Arianos, quod Deus volendo, & non nolendo producit filium, quem tamen non potest non producere, quia non potest seipsum non intelligere. Item quia Rex non intelligit quo pacto vincat inimicum, non potest illum vincere: ergo potentia sine sapientia non est potentia: si enim calor nesciret vrere, profectò neque posset: & Deus si non vult facere hominem cornutum, non potest, & si non vult neque potest, non scit: ex eo enim quòd non potest, non scit: & quia non potest, propctereà quòd non vult: ideo quia non vult, non scit: Et hoc docet Chrysostomus, dum ait: *Nescit Deus patrocinium dare criminibus*: vbi nescire est nolle, & non posse: & Apostolus ait, *Deus negare seipsum non potest*: sed si homo potest seipsum negare, cur Deus non potest? quia non vult: ergo semper simul hæc inueniuntur: Item qui habet scientiam scribendi, habet potentiam, & voluntatem scribendi, sed non exterius, nisi quando prodest sibi, & suis est bonum: esse autem bonum, est esse, vel conseruatiuum ipsius esse: igitur si non vult scribere, in quo non vult, non est voluntas, neque potens, neq; sciens scribere: quoniam nescit seipsum nescire; est autem seipsum nescire voluntas faciendi contra seipsum: eo enim quod vult id, quod putat non sibi bonum, vult suum nonesse: velle autem nonesse nulli datur, nisi opinanti, quod nonesse sit melius quàm esse: melius autem præsupponit bonum, & esse: igitur qui melius optat, non optat nonesse, sed magis esse: igitur qui non vult scribere, nescit scribere, quoniam si vellet, sciret. At inquis: si nescit, ergò oportet illũ addiscere; quod est falsũ. Respondeo, quod non oportet illum addiscere scientiam scribendi, sed addiscere quod sit scribendum in illo tunc, quando non vult: simul enim ac scit expedire ad suum esse, quod scribat, statim scribet: sed ais: si non potest. Respondeo, quod si non potest ab intrinseco, neque scit, neque vult: si ab extrinseco, tunc non vult, neq; scit ab extrinseco in eo quod non potest ab extrinseco: quis enim sciret scribere, aut vellet ligatis manibus, aut sine instrumentis? & siquidem vellet, non tamen vult in eo, quod non potest: & hoc patet, quoniam vellet seruare merces nauta, sed non vult in tempore naufragij. Calor quoque vellet ire sursum, sed quia in visceribus terræ est, & non potest habere tenuitatem, quacum feratur sursum, remanet & non vult ire: vnde & animalia & plantas gignit volens, quæ tamen nollet, si posset, aut sciret ad cælum reuerti: ex quo patet, scientem, & potentem, & volentem semper simul esse. Dolorem verò sentiens, non vult dolorem, quia dolor est nonentis appulsus: non autem possumus velle nonesse: sed tamen volumus ipsum scire, quod est in dolore. Quidquid scimus essendo volumus, non autē non essēdo. Posse verò dolere est

impotentia: ſcire dolorem eſt immutatio entitatis: ideo non ſcitur per ſe, nec per ſe cupitur. Quapropter ſicut in actibus exterioribus ſcimus, quòd poſſumus, & volumus; & poſſumus quòd ſcimus, & volumus quod poſſumus, & ſcimus: ita in interiori, & abdito eſſe: Actus enim exteriores ſunt declaratiui interiorum.

Quod Proprincipium producit ſuum Comproprincipium, quamuis ſit illud.

ART. IX.

SED quæritur quopacto, ſi ſimul ſunt, procedit alterum ab altero: ſi Potentia eſt Sapientia ſimul & voluntas, quomodo producit Sapientiam, & voluntatem. Reſpondeo, quod ideo producit, quia habet illas: neque enim producit, quod non eſt in ſe: ſed ſi habet, cur dat, quod habet? Reſpondeo, quod non dat aliis ſed ſibi: ſed cur dat ſibi, quod iam habet, & quomodo? Reſpondeo, quod non dat ſibi, vt ſit quod dat, ſed vt ſit, quod datur: ſed ſi erat quod datur, quare producitur? Reſpondeo, quod erat ſemper, & ſemper producebatur: quoniam hoc eſt eſſe procedentis ab alio eſſe; & quia non eſt à ſe ideo oportuit ſemper dari, & produci à producente: ſed quid effecit, vt non ſit à ſe? Reſpondeo. Non aliquod ens externum, ſed ipſam etentis natura ſic ſe habet, vt in eo ſit procedens, & à quo procedit procedendo ſolum, non receden do: & integrent ita eſſe. Et hoc nouimus, quia in exterioribus cõſimilis datur proceſſus, licet cum diſtinctione materiali, quæ intus eſt rationis formalis: & diſtinctio facit hanc eui dentiam. Et licet S. Ambroſius aliquando dicat, propterea proceſſiones interiores fuiſſe, vt ſint exteriores, videlicet creatio, & generatio; hoc tamen eſt verum declaratiuè, non entitatiuè. Proceſſiones enim internæ ſunt naturales, & eſſentiatiuæ: licet ſine illis nec externæ darentur, vti docuimus in 2. lib. & 3. Theologicorum.

Proprincipia diſtingui ex natura rei formaliter fundamentaliter in primo Ente: in ſecundis realiter, ſicut realitates, non ſicut res.

ART. X.

SED quæritur quo pacto diſtinguitur Potentia à Sapientia, & voluntate, ſi ſemper ſimul ſunt? ſi ſola ratione noſtra; ergo diſtincta in ſe non ſunt, niſi chimericè: ſi per ſe diſtinctæ ſunt, quomodo vnum ſunt, vel ſeorſum non ſunt? Potentia, Sapientia, & Appetitus caloris quo pacto diſtingui poſſunt? aut materiæ? aut alterius entis? Reſpondeo, quod ſi conſiderentur, vt quod, procedit, & vt à quo procedit, diſtinguũtur relationibus realibus; ſin verò vt ſunt, quod ſunt abſque conſideratione relationis, diſtinguuntur formaliter, quoniam alia eſt ratio ſapientiæ, alia potentiæ, alia voluntatis: ſed num hæc diſtinctio formalis ſit à ſola ratione noſtra, vel ex natura rei, difficile eſt videre: ſed profecto ratio noſtra non poteſt diſtinguere veraciter, quæ ſunt omnino vnum; igitur ex parte rei fundamentaliter diſtinguuntur, & radicaliter, etſi non realiter omnino; & non diſtinguuntur vt res à re, ſed vt realitas à realitate eiuſdem rei: & diſtinctio eorum in creaturis eſt realis, quoniam aliquo pacto ſeparari poſſunt. Nam potentia poteſt reperiri abſque voluntate, & ſcientia: etenim poteſt equus ire Romam, ſed ignorat & non vult. Petrus autem poteſt & ſcit, ſed non vult: ſed Paulus tabellarius poteſt, ſcit, & vult: ergo poſitioni noſtræ repugnamus? minimè, ſed declaramus; qui enim poteſt habet ſcientiam, & voluntatem potendi ire Romam actu completo; eundi verò non habet ſcientiam, & voluntatem actu completo, ſed Potentia, & virtute. Neque enim ſi non haberet virtute, poſſet vſquam ſcire, aut velle ire, vel ire: & ex hoc cognoſcimus proceſſiones abditas: & hoc patet, quoniam non dicitur verè potens ire Romam, niſi ſcire, & velle, ſimul poſſet: poteſt autem per id quod habet virtualiter de ſcire & poſſe; quoniam potentia fœcunda parturit ſcire, & poſſe: vnde lapis non dicitur poſſe velle, aut ſcire ire Romam de ſe, quoniam de ſe non habet fœcundam potentiam, ex quibus emanat ſcientia, & voluntas: dicitur autem appetere & ſcire deorſum, quoniam poteſt ire deorſum; & habet in ſe grauitatem, quæ eſt potentia, & appetitus & ſcientia ipſius deorſum. In ipſa potentia ergo continetur appetitus & ſcientia, & idcirco dictum eſt à nobis, quòd, quod nolumus, aut neſcimus non poſſumus ex parte, qua caremus voluntate, vel ſcientia. Igitur ſe habet ſicut partes integrales totius entis; & quidem ſunt eſſentiales, & quælibet in quolibet eſt ex parte, & ex toto; ex toto virtualiter, ex parte actualiter. Item ex toto realiter, & materialiter, ex parte formaliter, & quidditatiuè: ſic enim abdita balbutire cogimur; & quoniam eadem res eſt potens, ſciens, & volens: & alia ratione poteſt, alia ſcit, alia vult; ſed quatenus poteſt, eatenus ſcit, & vult ex parte, & virtualiter: & quatenus vult, eatenus ſcit, & poteſt; & quatenus ſcit, eatenus vult, & poteſt. Idcirco tres realitates eſſe dicimus diſtinctas ex natura rei formaliter, non autem realiter. At in primo ente; in quo perfectè altera eſt altera: perfectè ſapientia eſt Poteſtas, & voluntas, & quælibet, quælibet propter eminentiam ſui eſſe primi: eſſe enim primum eſt vnitas maxima;

id.irco ibi solum fundamentaliter distingui per rationes formales intelligibiles actu à nostro intellectu. Tanta enim est primi entis infiniti eminentia, vt quidquid cogitemus, & quoscumque conceptus formemus de illa, ab illa adequentur, & superentur in sua vnitate, qua est primum. Et quidem Scotus distingui ex natura rei nullo considerante intellectu, putat, perfectiones diuinas in Deo, ob diuersas rationes formales, quas habent in creaturis: Et quia Deus vult voluntate, & non intellectu; & intelligit intellectu, & non potestate, & obiecta horum sunt diuersæ rationis: idcirco concludit, distingui rationibus formalibus ex natura rei. Nos autem nequaquam istud concedimus, quoniam, & in creaturis ita distinguuntur, & sunt quælibet in qualibet: multò autem magis vnitæ sunt in Deo, & multò minus distinguuntur: Et quia infinitæ sunt, omnem alterius perfectionem includunt, & actu: ergo sunt formaliter indistinctæ, licet habeant distinctas rationes formales, vt à nobis agnitæ, & intellectæ; & hoc sentit Schola Thomistarum erudita. Relatio autem relatiua, quæ superuenit emanationibus, secundum quod procedens ab eo, à quo procedit, distinguitur, realis est realitate relatiua, non reali absolutaque, quæ proinde rem essentiamque non variat, sed ad creaturas deriuata, quo magis à principio recedit, eò magis in diuisionem realem labitur, vt dicemus.

DE PRIMALITATIBVS NONENTIS.

NONENS, CVIVS NATVRA EST NON esse, vel simpliciter, vel in apto nato ad esse: vel secundum quid, constitui ex comprincipiis sui ordinis videlicet, Impotentia, Insipientia, odio, Metaphysicali constitutione: & declarari per Proprincipia entis.

CAP. XII. ART. I.

POSTQVAM Ens ex suis realitatibus constituimus, ad Nonentis naturam declarandam redire oportet: quoniam & ipso constant entia finita. Nonens dicimus, quod nullo modo est secundum se, existit tamen in ente finito ipsum finiendo, & separando ab aliis entibus finitis. Constat verò ex oppositis integralitatibus entis, nimirum Impotentia, Insipientia, & Disamore, si vocabulum hoc esset in vsu, sed dicamus ex odio. Quod enim nullo pacto est, nullam habet Potentiam, nullam Sapientiam, nullum Amorem: omnem verò Impotentiam, omnem insipientiam, omnem odium: sed potest dici habere potentiam non essendi, & Sapientiam non essendi, & Amorem non essendi, vel non substandi, vel non subsistendi, vel non existendi, vel non operandi; vel non agendi, vel non recipiendi. Declaratur enim Nonens per Ens, quia & per ens concipitur: quæcumque ergo plus habent entitatis, plus habent potentiæ, Sapientiæ, & Amoris: quæ minus, minus: hoc autem minus est ex admistione Nonentis: si quidem essentiale est creaturæ, in eo quod creatura, finitam esse: essentiale est participare ipsum Nonesse; ergo essentiantur omnia Esse & Nonesse. Quod autem Impotentia sit Nonens, patet, quoniam non possumus, quod non sumus: vt non potest scribere, qui non est scriptor; nec calefacere, quod non est calor: motus enim non calefacit, sed calorem manifestat. Deus verò est eminenter omnia, ergo & calor, ideo potest calefacere. Neque potest scire, qui non est sciens: lapis enim non potest scire; puer autem potest, quia non habet impotentiam, quæ est negatio Potentiæ. Ignorare quoque est Nonesse; sicut enim qui aliqua scit, est illa, ita qui nescit, non est illa: & cum scit aliqua, sed non prout sunt, est illa, & non est illa: inquantum est, scit; inquantum non est, quia non est prout sunt, non est illa; Sophistica ergo constat ex esse & Nonesse. Ignorantia solo Nonesse in apto nato, vt in Rustico. Insipientia verò puro Nonesse, vt ipsum nihilum, quod nullius rei saporem habet, neque vt est, neque vt est & non est, sed non vt est absolutè: odium verò non rectè exprimit oppositum appetitus, quem vocamus Amorem: quoniam non solum dicit Amoris carentiam, sed fugam etiam, & detestationem obiecti alicuius; sed nos vtemur hoc nomine pro Inappetitu, & Noluntate. Non velle autem est non esse id, quod nolumus, sicut velle est esse, vt declaratum est.

Impotentiam, Insipientiam, & Noluntatem esse Nonentis: Et cum dicitur aliquid posse mori, aut sentire dolorem, aut velle mori, intelligi posse per impotentiam, scire per nescientiam, velle per noluntatem.

ART. II.

SICVT autem ens est, ita Nonens non est: ergo Impotentia non est, neque Insipientia, neque Disamor: sunt autem modo suo negando, & remouendo esse: & nos dicimus, illas esse, quoniam non possumus de illis loqui, nisi quasi de entibus; & hoc in prioribus sermonibus palàm fecimus. Quando autem dicimus, ægrum esse impotentem, Rusticum ignorantem, lapidem inappetentem, nihil ponimus in eis; sed remouemus esse, & posse, & scire, & velle, quæ pertinent ad essentialitatem: similiter autem quando dicimus, Petrum posse mori, aut cadere, aut sentire mortem, aut velle perire, non dicimus potentiam, sed impotentiam, & inscitiam, & noluntatem; sed per sua opposita declaramus: Potest enim mori, quia potest non esse; potest non esse, quia non potest esse: non potest esse, quia caret essendi essentialitatibus valentioribus; carere autem est non habere, & non habere, non esse, vel secundũ quid. Sentire quoq; mortem, & dolorem, est pati mortem, & dolorem. Nam dolor habet passionem, & perceptionem passionis: passio ipsa corruptiua non sentitur, nec cupitur, sed sentitur esse nouum, quod aduenit, non autem illud non esse, in quod incidimus; & repugnantia inter esse, & nonesse est dolor. Nam, facto alio ente, cessat dolor: sed sensus est esse, non autem nonesse. Frigus cum occiditur à calore, sentit calorem, & in hoc patitur nonesse suum per accidens; & nonesse non per se, sed per aliud sentit: hoc est per calorem, qui non est frigus: velle mori non est velle, sed est nolle: quoniam mors vt Nonens non potest appeti; vt verò malorum finis potest appeti; sed quia mala faciunt contra nostrum esse, & inducunt nonesse: & ideo Nonesse odimus, cum mortem volumus; & per accidens volumus non esse, dum volumus melius esse; obiecta quoque istorum sunt Nonentia: Ignorare enim est Nonentis: & cum dicitur homo ignorare Grammaticam, est carere esse; & cum dicitur falsus Grammaticus ignorare Grammaticam, etiam dicitur non esse verè Grammaticus: falsitas enim est nonesse rei: vt falsum aurum est non esse aurum, sed videri. Ideò componitur ex esse & non esse: ex Nonesse essentiali, & ex esse accidentali. Tandem cum dicimus, Petrus non vult currere, ly non vult, negat esse accidentale, quod est in currere: & ideo oportet intelligere quando negatiuè, & quando priuatiuè sumitur ncta negationis.

DECLARATIONIS CANON.

Quæ plus entis, vel Nonentis in sua constitutione admittunt, tam in rebus, quam in rerum entitatibus essentialibus, accidentalibusque.

ART. III.

CONSTITVVNTVR ergo entia finita, ex esse, & Nonesse: & quæcumque sunt minus finita, minus habent de non esse, & magis de esse: quæ verò magis sunt finita, plus habent de Non esse, & de Impotentia, & de Ignorantia, & de Noluntate. Idcirco post Deum Seraphini habent maximum esse, maximam Potentiam, & maximam Sapientiam, & maximum Amorem. Cherubim habent magna hæc omnia, quoniam participant magis de oppositis: si enim Cherub habet Potentiam, vt centum, Seraphin habet vt mille; quod deficit de centum ad mille est Impotentia, Ignorantia, & Inuoluntas. Et sic distingues in cæteris gradibus entium secundum misturam entis, & Nonentis: & maximè entia in Amore cognoscuntur, quoniam Amor præsupponit scientiam, & potentiam; vnde Amici Dei dicuntur Amantes, magis quàm scientes: licet non ament sine scientia, & Potentia abdita; non auhem se per etiam addita: & Theologia practica ocnoumit. Idcirco inter entia minimam entitatem habent, & maximam Nonentitatem negationes apprehensæ, vt ly non, ly Nihilum: quibus vtitur intellectus, vt signis declarantibus Nonesse, & sunt aliquid in intellectu. Deinde priuationem, vt cæcitas: cæcum esse est carere visione; carentia autem nullum esse habet, nisi quia in hoc ente, scilicet animali habet, vt exerceat actum non essendi videns. At si totum subiectum destruat, magis nihilo est proxima, vt mors, & corruptio: quò est corruptio, & non quò est simul generatio. Post hæc sunt entia successiua, vt motus & tempus. Motus enim est esse fluens mobilis: & quatenus esse, est ens; quatenus fluens, est Nonens. Nam ideò fluit, quia non habet Potentiam subito complendi actum. Idcirco illuminatio à potentissimo Sole subito fit, & non successiuè, quoniam potentissimus est agens, & materia aëris transpicui nihil repugnat. Videtur ergo successio ex impotentia essendi totum vbi volumus, prouenire: & ideo omnia entia mortalia semper in quodam fluxu, & motu sunt: & sicut fluuius, qui nunquam est idem, & sicut lux candelæ, cuius pars petit sursum, & abit,

pars generatur semper alia; ita & corpora nostra, & spiritus animales. Quapropter mutatio ipsa est nōentis admistione multa condita. Tempus verò est ipsamet successio, quæ respondet paruitati & paucitati potentiæ permanendi in esse: & ideo substantia Angeli super tempus est, quia non perditur, & instauratur continuo, vti nostra: sed habet successionem in operationibus exterioribus, quoniam non est infinita, vt subito fiat, quod faciendum vult. Deus autem tempus & Euum trascendit, quia nulla successio. Tempus ergo non est mensura motus, sed successio conatus in passionibus rerū à Nonentis limitatione manãs: & ideo mutatio magis est in tēpore: quã motus aut Quies. Mutatio enim est ex parte fluxus, & rei fluentis Nonentitas: Res enim fluens paulatim est, & antequam tota sit, in quo fit nouum esse, succedit sibi particulatim propter impotentiam agentis, & repugnantiam resistentis, & effluxum earundem particularum ad cognata corpora. Motus verò est solum ex parte fluxus in temporalitate. Quoniam sol mouet se, & non in instanti, ob virtutis suæ limitationem, & complacentiam sui esse, ita ob bonum sibi conueniens limitatum; non tamen partes eius effluunt: & quæ fiunt ex amplificatione, non sunt substantia eius, sed generatæ portiones in sedibus nostris ad rerum transmutationem. Quapropter non rectè Arist. putat, tempus esse mensuram motus, quoniam ipso mensuramus motum. Omnis enim mensura præter id, quod est mensura, est in se aliquid; vt palmus est nobis mensura, sed secundum se est manus expansa: Et quia est nobis notissima, vtimur illa ad cognoscendam quantitatem ignotam aliorum entium; & idcirco motus solis notissimus nobis est mensura omnium motuum in Astronomia; & tamen horologium rusticis est mensura motus solis. Quapropter non rem Arist. definit, sed vsum. Neque Telesius rectè pertingit dicendo, esse spatium, quo fit motus: spatium enim est locus: & est spatium in quo; tempus verò, quo: sed mutuatur definitionem tempus à notiori. Nos autem ab ipsa re illam colligimus, postquam inuenimus Impotentię esse modū in agendo: stultè quoq; Arist. putauit, vacuū esse nihil, cum sit conceptaculum, basis intranea ac sedes rerū corporearū, nulli contraria, omnia substētans, omnia penetrans incorporalibus dimensionibus, & ab omnibus penetrata corporalibus dimensionibus propter æquationem contenti, & continentis: & cum sit basis illis existendi, & suo constet Sensu, Potentia, & Amore, perperam inter nonentia, vel accidentia, alieno constantia sensu, potentia, & Amore, annumeratur. Habent & relationes minimam entitatem, & multum Nonesse, & fortè plus accedunt ad Nonesse, quàm tempus, & motus, quoniam resultant ex sola habitudine alterius ad alterum in coexistentia, & per se non subsistunt, neque sunt aliquid, nisi fundamentum suum respiciens ad aliud, vt in prima par. declaratu est. Item ad Nonesse spectant quæcunque pereunt, mutato corpore, formæ; vt circulus, triangulus, & materiales formæ, quæ ex situ partium materialium resultant: situs autem relatio est ordinis: & ex ordinatis partibus quibusdam sub modis. & Ideis producit figuram, quæ nihil est de se, nisi partium figurati habitudo quædam: & cum mutatur figuratum, desinit, & annihilatur, quamuis partes figurati remaneant, in quibus fundabatur. At formæ agentes, vt calor, & frigus, & facies earum, vt lux, & tenebra, sunt proprio sensu potestate, & Amore constantes: & extrà subiectum sese effundunt, & multiplicant, & producunt, tanquam instrumenta primi Entis secunda entia, & ideas imprimunt fato diuino correpta. Relationes rationis, vt nomen, genus, &c. propè nihil sunt, licet significent esse. Reales verò sunt, sed per esse relatiuorum, vt paternitas, & filiatio. Materia autem, quam propè nihil ponere solent, est maximè ens substentans formas materiales, & actiuas: & dum hæ omnes pereunt, ipsa semper permanet. Quare Nonenti formali similem si dicant, vt D. August. rectè dicunt. Sin verò Nonens simpliciter, non videtur rectè dici; quoniam ipsa verè est, vel verius, quàm ipsæ formæ corruptibiles; vt & Plato agnouit: sed quia à formis eius cognitio apud nos pendet, videtur quid minus esse, quàm formæ; veluti Epicureis Deus videtur ad Nonens pertinere, quia minus notus est illis, nisi ab effectibus, à longe ipsum repræsentantibus. sed non quæcumque sunt minus secundum nos, sunt minus secundum naturam. Nam in cognitione proprij esse abdita relucet Entis primi Amor, & Sapientia, in accidentali verò, quia sumus aliud, etiam nostrum quasi esse perdimus, dum illud amplificamus, videtur non relucere nobis Deus: quoniam *qui addit scientiam, addit laborem* (teste Salomone) & appetitus exteriorum affligit animum, quoniam in suum Nonesse rapit tam appetitus, quam sensus, nostram entitatem, dum ipsam facit aliam amplificando. Ita enim euenit, vt nulla entitas absque Nonentitate comparetur. Tandem palàm est, quod numerus pertineat ad Nonesse, Vnitas ad esse. Nam idcirco duo non sunt vnum; quia alterum non est alterum. Nonesse autem est Nihili essentia; & siue numerus fiat additione, siue diuisione, semper intermediat Nonesse: sed quia vnitas est prior diuisione; ergo quia additio fit ex diuisis, præcedit etiam diuisio additionem. Diuisio autem est à nonente, detrahente ipsum esse, idcirco numerus quocumque nascatur modo, à Nonesse est. Non ergo æternus, nisi Nonesse sit æternum, & ab æterno separans esse. Non rectè ergo Plato, & Pythagoras dignificant numerum: sed rectissimè vnitatem.

Tempus quid est.

Doctissimè tandem D. August peccatum esse nihil, docuit: quoniam est defectus naturæ, vel moris: Defectus naturæ est, vel quia eius Potentia admistione impotentiæ vincitur, sicut cum producit hominem sine cruribus, vel quodlibet mancum, truncumuè. Defectus scientiæ est, cum deformem producit, vel multam materiã admiscuit: vnde tria brachia fiant; vel ventrem, aut quoduis membrum extra situm suum: vel dum producit hominem, facit illi vultum caninum. Defectus verò Amoris euenire solet, cum ante quintum mensem ex muliebri vtero partum expellit, vel ex menstruo, & ex non puro sanguine nutriuerit. In horum defectu manifestè Impotentia, vel ignorantia, vel negligentia, odiumuè, interuenit: siquidem, & propter hæc peccat quoque Artifex omnis: Ars autem filia est Naturæ. Peccata quoque moris ab eisdem defectibus proueniunt: peccant enim homines vel fragilitate, vel ignorantia, vel malitia, quæ implicat, aut est odium legis Dei, quæ primæ Sapientiæ est regula. Et quidem malitia est defectus Amoris, & Ignorantia defectus scientiæ, & Impotentia, seu fragilitas Potentiæ est defectus: cum vincitur, quis

quis à libidine carnis vel ab hoſtis pugna. Et idcirco omnia peccata in lege hominum, & Dei remiſſibilia ſunt ipſo iure, ſi ſola Potentiæ defectio, vel ſcientiæ ſunt in causâ. At vbi ſolius voluntatis defectus eſt, cum præſupponat Potentiam, & Sapientiam, à qua ipſa fluit vt declarauimus, tunc nullius defectus excuſat: quoniam ipſa præſupponit poſſe, & ſcire: etſi renuit poſſe & ſcire, multo deterior eſt, quàm ſi non renuat, ſed ſequatur ſuum impetum, negligens conſiderare malum contentum in obiecto, vel non habens tempus conſideratione intellectus vtendi. Et quidem totum eſſe totaliter peccat, quando voluntas peccat: ſed quando aliæ præeminentiæ, non totaliter, quia voluntatem non habent in ſe actualem. Meretur autem pœnam, qui omnia habens requiſita ad opus, peccat in opere: non autem qui requiſitorum aliquo caret: quoniam excutere ipſum noneſſe non eſt noſtri iuris: ſed abiicere eſſe eſt noſtri iuris: & quia eſſe eſt Deus, vel Dei participatio, ſola voluntate abiiciente eſſe, peccamus de iure naturæ.

DE OBIECTIS PRIMALITATVM ENTIS, ET NONENTIS: *ET PRIMO OBIECTVM POTENTIÆ eſſe ipſam exiſtentiam, non autem eſſentiam: & hanc contrahi ab exiſtentia. Et ſimul Poteſtatem, & Operationem, & Actionem, & receptionem pertinere ad exiſtentiam, ideò obiici Potentiæ: Impotentiæ verò obiectum eſſe Noneſſe, ſeu nonexiſtentiam ſecundum rem, licèt non ſecundùm vocem, &c.*

CAP. XIII. ART. I.

VT autem Entis, & Nonentis natura pateat magis, & quo pacto ex horũ compoſitione ſecunda fiant entia, ſit palam; eorum obiectũ conſiderare oportet. Videtur quidem Potentiæ obiectum Exiſtẽtia: ſapientiæ Veritas: Amoris Bonitas. E contra verò impotentiæ, Mors: Inſipientiæ, Falſitas: Odij, Malum, eſſe obiecta. Eſſentia quìdem conſtat horum vnitione ſimpliciter, vel ſecundum quid; & cum ſit ęterna à nulla potentia præuenitur. Sed vt poſſit ita exiſtere in diuerſitate entium ab Potentia habet. Concedunt Peripatetici, eſſentiam eſſe ęternam, & infinitam tempore, & loco. Homo enim in communi, & Roſa in communi, ſemper, & vbique eſt, non quidem eſſe exiſtentiæ, niſi in indiuiduis actu exiſtentibus, ſed eſſe eſſentię. Et ideo poſſe concipi à quocumque intellectu, vbicumque & in omni tempore. Nos autem declarauimus, hoc falſum eſſe, niſi de eſſentia prout eſt in Mente Dei. Neque enim nobis liceret infinitam eſſentiam cogitare, niſi quia eſſet. Et quidem multa cogitamus, quæ non ſunt, vt Chimeras, & Centauros; ſed tamen per ea, quæ ſunt, miſcentes, vel diuidentes rerum eſſentias. Idcirco eſſentiam non eſſe obiectum Poteſtatis, ſed eſſe ipſam Poteſtatem dicimus in eo, in quo primò continetur. Veluti enim Poteſtas eſſendi animal eſt in ſemine, & non in lapide, & poteſtas ſcribendi eſt in ſcriptore, nõ in agricola: & hęc poteſtas eſt animalis eſſentia, procedens ad eſſe quando vult, vel poteſt. Ita eſſentia rerũ eſt in mente Dei, & in ipſo primo Ente; cuius eſſentia eſt omnis eſſentia, vt declarabimus. Et ipſa eſt poteſtas, vt ſit: ſi enim non eſſet primo modo, neque ſecundis eſſet. Si in idea ſcriptoris non eſſet ſcriptura, neque in charta poſſet eſſe. Et ſi in Caloris Poteſtate non eſſet calor, neque poſſet in manu calefacienda poſtea eſſe. Idcircò videtur eſſentia eſſe Poteſtas eſſendi, non tamen excluſo ſenſu, & voluntate realiter, ſed tantum formaliter, vt dictum eſt; quoniã diſparatæ ſunt rationis. Igitur cùm Poteſtas ſit ipſa entitas, aliud eſſe acquirere potens ob illud eſſe, quod habet multiplicabile: conſequens eſt, vt Exiſtentia ipſa, ſeu Eſſe exiſtentiæ, ſit obiectum eius.

Obiectum enim eſt id, ad quod primò, & per ſe reſpicit virtus, cuius dicitur obiectum: & cuius ratione cætera reſpiciuntur. Dicimus enim obiectum viſus eſſe lucem, quia primò & per ſe viſibilis eſt: & per ipſam colores fiunt viſibiles; & ipſa colorata entia. Igitur quoniam eſſe eſt ad quod Potentia fertur, & per ipſum ad alia: ipſum eſſe erit Potẽtię obiectũ. Operatio enim eſt obiectum Potentiæ, ſimiliter & actio: Dicimur enim poſſe agere, & poſſe operari. Sed poſſe operari eſt cõſeruare ipsũ eſſe, cuius actus eſt operatio innata, quæ propter ipsũ fit. Agere verò eſt effundere propriũ eſſe vel naturale, vt cũ homo generat hominẽ; vel ideale, vt cũ homo facit ſcripturam, quæ eſt eſſe ſuæ artis ſcriptoriæ, communicatum paginę. Idcircò Potentia poteſt in operationem & in actionem, quia poteſt in ipſum eſſe. Poteſtas quoq; paſſiua ipſius materiæ, & loci vniuerſalis ad recipiendum, & receptandum alterius eſſe, & tanquam ſuum ſuſtentare, quoniã eſſe Materiæ eſt ſubſtare, loci locare. Et vtraque ſubſtantia eſt baſis eſſe, illa ſecundaria, iſta primaria.

Et quia eſſentia contrahitur ab eſſe exiſtentiæ. Neceſſariò participat noneſſe: Idcircò & Poteſtas contracta ad eſſe impurificatur, & fit impotentiæ particeps. Et hoc patet: quoniam veluti eſſentia Scripturę in mente ſcriptoris eſt amplitudinis infinitę, quoniam ex ea plurimę & infinitæ oriri poſſunt, & expanſa eſt in infinitum, quia vbique fieri poteſt: & eſt ęterna per ſe: nam non moritur niſi per accidens, quatenus moritur ſcriptor. At in natura, potiùs autem in Autore rerum, nunquã moritur eſſentia formalis rerum. Ergo per ſe Idea ſcripturæ eſt immortalis: At in pagina, vel in tabella recepta finitur à materia, & non poſſunt infinitæ fieri ex ea, quoniã indiuiduata exiſtit

incommunicabiliter: & non est nisi in vno loco: & est mortalis, omnibus subdita varietatibus, & accidentibus materialibus. Et quamuis ex ea possint aliæ transcribi, si ponatur vt exemplar in vsum: non tamen erunt eiusdem nobilitatis, & perfectionis cum ea:& multò minus cum idea scriptoris, nisi per accidẽs quis sciat transcribere melius per aliã ideam, & non per primam: Ita etiam essentia hominis in primo Ente est infinita, accidentium expers, & impotentiæ. Vbi verò recipitur in Materia, & fit Petrus, statim incidit in varietates & passiones, & accidentia, & contrahitur ad vnum esse hîc, & nunc; & ex hac essentia particularizata possunt aliæ propagari, sed nunquam attingent perfectionem ideę hominis, neque primi ideati Adami: nisi plusquam hominis idea vtatur Deus, sicut in Christo communicauit cum idea hominis. Item in virtute ideæ primæ homo generat hominem, & non quatenus est hîc, & nunc. Sic enim incommunicabilis est: sed non quatenus similis est illi. Ergo Potestas est ad Esse. Et esse respicit vt obiectum: & in eo non perficitur, sed deficitur. At, ais, omnis virtus perficitur à suo obiecto, vt visus à luce, & agens ab actione, & auditus à sono: non ergo esse est obiectum Potentiæ. Respondeo, quòd hoc verum est de Potentia receptiua, non de datiua: nec omnino verum de receptiua. Nam oculus à colore coloratur, & à proprio esse remouetur, & ad esse coloris trahitur: & dum vnum colorem sentit, terminatur eius ampla Potestas in illo vno: non enim plura simul sentire, aut intelligere datur: multò verò minus infinita; ad quæ Potestas communis respicit. Et dum sciens fit ipsum scibile, & aliqualiter ambitum, & sui esse quasi amittit particulam. Materia quoque informata vna forma, perdit amplitudinem suam ad alias formas, & sic locus. Licèt ergò fiat cum lucro, tamen, & cum amissione fit omnis receptio. Datiua autem Potestas non in dante diminuitur, nisi per accidens, vt si generans debilitetur: sed in eo, qui recipit, fit contracta, & debilis Potentia dantis. Puer enim imbecillior est patre suo: & calor genitus calore generante: sed hoc verum est in ipsa generatione fluentis esse: Nam post generationem potest genitus seipsum augere, & multiplicare, nisi accidentia externa obstent: sed hęc Potestas est primæ Potestatis vitalitas, & non sua. Omnis ergo receptio limitat: & ideò virtutem, nonentis mistura minorat. Non tamen entis potentis minoratur Potestas: sed quo magis sese amplificat & in multas materias suam ideam effundit, maius esse habet, nisi sit tantę amplitudinis, vt pręhabeat omnia esse, vti Deus. Ignis ergo ignem generans non minoratur: sed dum recipitur inquantum recipitur minoratur receptum: sed non donans principium in se.

E contra verò impotentia habet Nonexistentiam, seu Mortem pro obiecto. Et quidquid nonentis reperitur in quolibet esse ab impotentia emanat, & operatur. Cęcus est homo, quia visu priuatus est: Potuit autem priuari, quoniam non potuit resistere causis aduersis: Nam quamuis sit à gladiatore, vel ab humore influente, vel ab vstione priuatus, nihilominus illę causæ non priuant, nisi id, quod priuari potest. Posse autem priuari impotentia est secundum rem, non secundum vocem. Frigus quidem potest à Calore occidi, quoniam non potest resistere viribus: sed Potentia occidendi est in calore. At calor neque occidit potentia, sed impotentia: occidit potentia actiuè, impotentia formaliter. Calor enim solummodo effundit suam naturam dum frigus occidit, hoc est, calefacit: sed quia cum calore effuso non potest commorari frigus in eadem materia, vtrumque enim esse suum procurat: ergo per accidens calor occidit frigus, dum seipsum generat, & effundit actiuè; sed formaliter occidit per se. Dum (videlicet) enim calor non est frigus, occidit omne quod ipse non est: quatenus ergo participat nonesse frigoris, dat nonesse frigori. Ergo & frigus patitur, quia non est calor: & calor agit quia est calor, sed occidit quia non est frigus. Ergo Impotentia est ex parte frigoris, quasi actiua: & ex parte vtriusque formalis. Quoniam limes & forma eorum est, vt neuter sit alter. Hinc patet impotentiam corruptiuam, non autem receptiuam esse propriè ad nonesse tanquam ad obiectum suum. Impotentia enim ad recipiendum est ex abundantia Potentię proprię, qua potest dare, & non accipere; & hæc est in Deo: & falsò nomen impotentię habet cum sit potestas summa. Sicuti falsò dicitur Deus non posse peccare. Non enim posse peccare est potentia, sed impotentia: peccare namque est deficere; defectus autem ab impotentia est, igitur non posse deficere est abundantia potentiæ. Et hęc valdè notanda sunt ne potentiam pro impotentia, & è conuerso, sumamus. Impotentia verò ad recipiendum, & ad diuersum, quę in limitatione repletionis, sicuti vas plenum non potest plus capere, & calor non potest recipere figuram, & ignis non potest recipere frigus, & congelationem aliquam, impotentiam dicit, quia aliquod nonesse est in causa. Quia enim calori non conuenit esse materiale, non recipit: quia ignis habet esse calidum determinatè, & non frigidum, limitatum est, vt frigidum non admittat: quia vas est plenum, limitatum est; vt non possit plus recipere: limitatio autem est à nonesse. At in Deo non est talis potentia, neque limitatio, vt vnum tantum genus entis in se habeat, & potentiam recipiendi tantum ad mensuram, vel dandi ad mensuram: sed omne genus entis præhabet eminenter, & ideò non potest recipere, sed solum dare. Patet ergo quod siue negatiuè, siue priuatiuè, impotentia ad nonesse spectat, tanquam ad suum obiectum. In essentia verò non potest impotentia. Quoniam licèt essentia hominis non sit equi, nec possit esse equi in existentia: tamen in essentia sunt, non quatenus respiciunt equum, & hominem, sed quatenus dicunt fundamentum. Essentia enim Dei est omnes ideæ: & ibi identificantur: & secundum ipsam ens est vnum, vt Parmenides odoratur. Sed respectu creaturarum mox ratione separantur: & tandem re, dum effunduntur ad extra. Denique impotentia ad agere, & ad operari, est impotentia ad esse operantem, & agentem. Ergo negat vel priuat operari, & esse. Ergo ponit non esse agentem, & non esse operantem. Ergo semper ad non esse spectat. Vt dicebamus de Potentia ad Esse.

DE OBIECTO SAPIENTIÆ, ET INSIPIENTIÆ.

SAPIENTIÆ OBIECTVM ESSE VERITATEM, vel rei, vel intellectus: & quod ſit in vtriſque vario modo, ibi eſſe entitatem conformem creatori intellectui: hanc entitatem conformem rei intellectæ. Falſitatem verò eſſe obiectum inſipientiæ & pertinere ad Noneſſe: & ſimiliter eſſe duplicem.

CAP. XIV. ART. I.

SAPIENTIÆ autem obiectũ eſſe dicimus, ipſam Veritatem. *Eſt Veritas* (vt aiunt) *adæquatio rei, & intellectus.* Sed duplex eſt intellectus, alius noſcẽs, producens Veritatem vt diuinus: alius non producens, ſed noſcens, vt intellectus creatus. Res ergo cunctæ dicũtur veræ, quatenus adæquantur intellectui Diuino, à quo habent eſſe; quatenus verò adæquantur intellectui noſtro, non ſunt veræ, ſed faciunt veritatem in nobis; ſed nos veri ſumus, ſi rem intelligimus ſicuti eſt. Sin autem intelligimus ſicuti non eſt, ſumus falſi. Igitur in rerum natura non eſt falſitas aliqua, ſed veritas omninò: quia res non poſſunt eſſe, niſi ſicut voluit Deus, vt ſint. Non enim impotens eſt, vt nõ poſſit facere res, ſicut ipſe vult; neque aliquid ſubterfugit cognitionem eius: neque reſiſtit voluntati eius. Igitur nulla falſitas poteſt eſſe in re, niſi in ipſo factore præcedat, quod nefas dicere: Deus eſt inuentor rerum, & artifex primus; Artificiata autem dicuntur vera, ſi artificis ideæ correſpondent: ſin verò non correſpondent, dicuntur falſæ: Dicitur enim falſa ſcriptura, quæ menti ſcriptoris non adæquatur; & falſus gladius, qui gladiatoriæ arti non conformatur: & poteſt euenire falſitas in ipſo artifice, ſi non facit gladium iuxta quod requiritur ad vſum. Sed hoc ex idea praua euenit: Cum quo tamen ſtat, quod gladius, aut vas aptum vſui, dicatur falſum, ſi ideæ factoris non conformatur. In re ergo nihil falſi eſt. Ergo veritas eſt entitas rei prout eſt à cauſa ſua. Et ideo dicitur apud Aug. ſimilitudo ſui principij. Et cum dicitur falſum aurum, non quidem rectè dicitur reſpectu Dei. Eſt enim falſum aurum, non aurum reſpectu eius, ſed aurichalcum verum; & falſa ſanctitas, vera hypocriſis. Dicũtur autẽ falſa reſpectu noſtri, quibus videntur eſſe aliter quàm ſunt: vel quia nos fallere poſſunt, & decipere, vt vnũ pro alio accipiamus. Dicitur quoque falſum quod eſt inſtabile in natura, vt color Iridis, quia non eſt conſtans, & tamen verè eſt color; & in collo columbæ varij videntur ineſſe colores, & quidem verè videntur, & in eo quod videtur ſunt. Nam lux ſolis ex vario ſitu opaci reſiliens, variis eſt apta tingi modis. Itaque videtur ergo Veritas eſſe rei entitas: vnde maximè vera ſunt, quæ maximè ſunt, quæ minus, minus. Idcircò & res admiſtam habentes Nonentitatem, habent admiſtam & falſitatem. Color enim in columbæ collo quatenus habet aliquid de Noneſſe coloris, habet eſſe aliquid de falſitate coloris, ſed non reſpectu Dei ſcientis prout ſunt, ſed reſpectu entis deficientis à perfectione ſuæ ideæ: vt autẽ deficiat eſt à Deo permiſſiuè, à Nonente verò formaliter, & effectiuè, iuxta modum efficiendi, & formandi, quem tribuimus Nonenti: Perfecta oratio qualis à Cicerone deſcribitur, non inuenitur, neque perfectum poëma, neque perfecta demonſtratio, qualem Ariſt. deſcribit. Sic ergo ſicut noſtræ ideæ non correſpondent omninò opera noſtra ſingula, ſed omnia correſpondent: vnde Zeuſis vt pulchritudinem perfectam exprimeret in Veneris ſimulacro, triginta ex mulieribus vix collegit illam. Ita ſingula opera Dei ſuæ ideæ non omninò correſpondent. Videmus enim alios homines aliis hominibus perfectiores, & in perfectiſſimo quoque ſemper aliquid deſideramus, vt in Moyſe Linguæ promptitudinem, in Salomone continentiam, in Socrate ſcientiam phyſicorum, in Apoſtolis virtutem belligerandi, aut corporis pulchritudinem, in Cæſare pietatem erga patriam, & cautelam erga ſe: in cęteris verò infinita penè deſiderantur. Quapropter non omnes effectus Dei adæquant ideam eius ſpecificam, ſed correſpondent ſingula ex parte ideationibus ſingularium: & variantur ſecundum magis, & minus infrà ſuæ ſphæræ latitudinem. In quo ergo non attingunt ideam Dei, dicuntur falſa, & nonentia, quia participant de noneſſe non ſolum aliarum idearum, ſed de noneſſe proprię ideæ. Non tamen Deus dicitur falſus, quoniam ab eis ſcientiam non accipit, ſed dat eſſe, quod fieri videtur intellectus noſter ſciens. Deus autem habet. Permittit autem Deus varietatem in ideatis, quoniam cum idea ſit infinita, infinitis modis participabilis eſt etiam infra ſuam latitudinem: & diuitię Dei ſic manifeſtantur. Falſitas ergo eſt in re, quatenus non reſpondet ideę, ſed non inquantum à Deo fit, ſed inquantum permittitur participare de noneſſe, non autem eſt falſitas in Deo, quoniam omnes gradus eiuſdem ideæ in eo relucent prout ſunt: in nobis autem eſt falſitas, quia non ſapimus prout ſunt. Vnde tam rudes facti ſumus, vt putemus, ideam non ſuſcipere magis, & minus in materia. Quando ergo dicebamus non eſſe falſitatẽ in re, quoniã ſunt, ſicut Deus voluit, verũ dicebamus de voluntate actiua, vel permiſſiua: cũ quo tamen ſtat, quod quę permiſſiuè accidunt, recedũt ab idea, & regula ſua: vnde actus peccaminoſi dicuntur non eſſe à Deo inquantum habent de defectu, & Noneſſe, ſed eſſe à Deo, inquantum habent de ente. Igitur non videtur Ariſtot. rectè poſuiſſe falſitatem ſolum in intellectu humano, quoniam & in re eſt, quatenus deficit ab eſſe, vt caſtanea putreſcens eſt falſa, cum videtur, & cum non videtur, ſana. Inſipientię igitur

falsitas est obiectum. Cum enim non apprehendit rem, est falsa, si non putat esse id quod non apprehendit. Vt qui cæcus est non videns solem, putaret non esse solem, is insipiens est, non modo quia non sentit solem, sed etiam quia non intelligit; opinaturque non esse. Et suum obiectum est Nonens, vt non lux, non sol, non color. At quando apprehendit rem, sed non sicut est, est falsa falsitate complexa: vbi patet falsitatem ad nonesse pertinere. Nam duplex esse reperitur, videlicet simplex, vt homo, & compositum, vt homo est albus. Veritas, & falsitas in rebus simplicibus sunt esse, & non esse, & semper mistæ sunt: quoniam nullum esse respondet ideæ prorsus. At quatenus respondet, est ens, quatenus non respondet est nonens: licet enim falsum aurum sit verum auricalcum; tamen potest esse verum aurum, & verus homo, sed deficiens à perfectione totali hominis, & auri; & huius falsitatis ratio respondet insipientiæ negatiuæ: Veritatis verò sapientiæ. In rebus verò compositis veritas, & falsitas consistunt in coniunctione coniunctorum in natura facta similiter in cognoscente: vt si dico, homo est rationalis, vera est, quoniam in natura est coniuncta homini rationalitas; & in coniunctione non coniunctorum in Natura non ita se habet. Et idcirco talis falsitas compositionis non inuenitur in re, sed in intellectu tantum. Falsitas simplex est in re, quia est ipsum non esse, & defectus veri esse. At non componitur in natura esse & non esse eiusdem rei: vt homo & asinus. Sed componimur esse, & defectus eius, quod est participatio non esse. Et quidem respectu huius compositionis falsitas est in re, vt si dico. Paxonas est rationalis. Nam quamuis sit homo, non tamen vtitur ratione, cum deliret, & sit stolidus. Vnde patet, quod veritas, & falsitas compositionis est in re. Si enim miscet cum homine stoliditatem loco rationalitatis, vtique fallit. Et sic non videor rectè dixisse cum aliquibus philosophis, quod veritas, & falsitas compositionis sit solum in intellectu, cum sit etiam in re. Neque posset in intellectu veritas, nisi esset prius in re. Intellectus enim noster est verus, quando est conformis rebus, falsus quando difformis. At in intellectu plurificatur falsitas magis quàm in re, quia non solum falsitate rei fallitur, vt cum indiuiduis attribuit perfectiones speciei, dicendo, Paxonas est rationalis: sed quod debet rationalis esse inquantum homo, verum diceret: verùm & ex parte sui fallitur, cum componit quæ non sunt composita in re; vt si dicat sol est triangularis. Et negatiuè compositio habet veritatem, cum dicit non esse, quod non est, vt homo non est asinus; & falsitatem cum dicit non esse quod est, vt homo non est animal. Dicere autem est intelligere primariò. Ergo videtur obiectum sapientiæ esse nonens, vt cum dico, homo non est asinus: & obiectum insipientiæ, Ens, vt cum dicit; homo est asinus. Sed palam quia homo non sit asinus, ideò cum dico, homo est asinus, affirmo Nonens. Ergo insipientiæ obiectum nonens est: licet vocaliter videatur ens. Et cum dico, homo non est asinus, remoueo nonesse, & per indirectam locutionem affirmo esse. Ideò enim non est asinus, quia habet esse rationale. Et licet hoc non exprimo, subauditur, vel saltem in communi, hoc est, non est asinus, exponitur, habet aliud esse ab asino. Item in esse cognito ipsum nonens inducit modũ entis, & idcirco potest esse obiectũ sapientiæ non affirmantis nonesse, sed negantis.

Veritas enim, & falsitas sunt in re ipsum ens, & nonens, simplex, vel compositum. In intellectu verò humano veritas est conformatio eius ad res: cum enim aliquid intelligimus, in illud mutamur, & esse eius suscipimus, vt dictum est. In hac autem immutatione est iudicium subitò præstoque de re immutante. At si iudicat prout est, veritas est in iudicante intellectu. Si prout non est, ipsum immutans falsitas est in intellectu. Falsitas autem euenit ab similitudine immutantium obiectorum, vnde alterum pro altero accipitur ab ipso immutato intellectu: vel à mistione obiectorum, vnde simul mouent, & non discernuntur alterum ab altero: vel ab intellectus passione interna, quæ non admittit veram immutationem obiecti, sed falsificat illam, sicut bilis in lingua saporem cibi: vel à natura intellectus terminata ad suum esse, quo mensurat alias entitates suam immutantes: vel à modica immutatione non sufficienti ad iudicium, vt est Angelorum nobis notitia per effectus: vel ab omnibus, vel multis horum impedimentorum. Hinc intellectus dat rebus quod non habent, aut aufert quod habent: & in vtroque actu nonentitas admiscetur rei, & ipsius intellectus: quia ipse non est factus illa, neque discernit ergò illam: & hoc est primum nonesse, id est non fieri: vnde sequitur secundum quod est non discernere ex parte sui: ex parte rei verò est nonentitas attributa, vt homo est asinus, aut entitas negata, vt homo est non animal: vbi includitur adhuc bis nonens. Et insipientia suis obiectis ita gaudet: quoniam à non sapere sicut sunt, procedit affirmare quod non sunt, aut negare quod sunt, tanquam obiecta talis non sapere seu insipientiæ. Quando verò negat, quod non habent, vt homo non est asinus, aut affirmat quod habent, vt homo est animal, tunc obiectum sapientiæ est esse, & nonesse, sed illud affirmatum, hoc negatum. Sed dum negatur non esse, affirmatur esse. Et veritas non consistit in nonesse, neque habet ipsum pro obiecto: sed conformitatem intelligentis ad rem intellectam, siue negatiuè, siue affirmatiuè. Et quia intellectus dicens, hominem non esse asinum, conformatur rei, est verus & affirmatiuus, non ratione rei negatæ, sed conformationis ad rem negatam; sicuti esset falsus per non conformationem sui ad rem negatam, quando dicit, homo non est animal. Patet ergo, quod veritas intellectus consistit in hac entitate, quæ est conformitas sua ad rem; & falsitas in hac non entitate, quæ est non conformitas sua ad rem. Rei autem veritas est entitas sua conformis ideæ, omninò: falsitas est non entitas, & non conformitas ideæ primæ. Et hanc consistere in nonesse rei, falsitatem verò intellectus in nonesse intellectus sicut res, & per consequens orationis veritas, & falsitas ab eo, quod conformitates has, vel difformitates prout sunt, vel prout non sunt, significat, habetur. Respectu conformitatis rei ad ideam est vera, homo est animal, falsa, homo non est animal. Respectu verò conformitatis nostræ ad rem, vtraque potest esse vera, homo est animal, & homo non est animal: quoniam est vera propositio, licèt non significat verum: & verè potest intelligi falsum: licet falsus sit intelligens. Quapropter verum est aliquid esse falsum: & verum est aliquid esse verum. Ergo verum ambit verum, & falsum; non verum rei, sed verum intellectus.

Veritatem, ac falsitatem in signo, & in signato diuersam esse.

ART. II.

DVplex quidem est Ens, Rationis, & Reale; ita duplex Veritas Rationis, & realis. Veritate rationis vera est hæc. Homo est asinus, non autem reali: quoniam veritas rationis est signi, realis est significati. Et quatenus signum apprehenditur vt ens, est verum, licet sit falsum signum. Verus ignis est in mari aliquando, sed falsum signum nauis, quoniam potest esse super scopulo: ita vera propositio, & falsum significans. Vnde verum est, quod falsum sit, hominem esse asinum, sed ly verum dicit signum, sed non signatum: sicut & hęc, falsum est, quod sit verum, hominem esse asinum. Sic species falsa cogitati centauri vera est species in intellectu, sed falsum repræsentat. Nam & nonentia per entis speciem repræsentamus, vt cũ in Abaco ly o, quem vocant zerum, est ens, & figura, & tamen nihil dicit. Et cum dico, nihil, hæc vox nihil est ens, & tamen quod non est dicit, & ad hoc dicendum posita est, & vera est, & in Tragœdia verè repræsentat Agamenonem, qui non est Agamenon.

Vtrum Veritas solum sit in re, & non falsitas, vt putat S. Augustinus, vel vtraque sit in intellectu tantum vt putat Arist. vel, &c.

ART. III.

Soli-lo. li. 2.

DVas opiniones oppositas inuenio alteram Tertulliani, & D. Augustini putantis falsum non reperiri in re, sed solummodo veritatem. Et non esse verum, quod respectu intellectus tantũ dicantur Verum, & Falsum. Nam, inquit, falsitas est nonens: Nonens autem non reperitur, neque in Mente, neque extra Mentem. Et ideò falsitas est solum vt Priuatio, & non reperitur nisi in vero. Est enim falsus, qui putat, rem ita se habere, sicuti non se habet. Sed ipse verus est, quoniam ita verè putat, & quando dicit falsum, verè dicit falsum, quod non est, siue sciens, siue nesciens; & sensus annunciat res, sicuti ipse afficitur. Ergo non annunciat falsum, sed suam affectionem veram. At quia contingit, ipsum non affici prout res, sunt euenit vt fallat, quia non prout sunt res nouimus; sed hoc non esse nihil est, ergo non est in rerum natura, sed in subiecto veritatis. Item ait, lapides; nunquam visi vt in visceribus terræ sunt veri lapides, & res extra cælum, si quæ sunt veræ: ergo veritas non dicitur respectu intellectus, sed respectu entitatis propriæ. Item potest probari ex eo quòd verum est obiectum intellectus: ergo pręuenit intelligentem, & est similitudo principij, id est, ideæ: (ait alibi.) Alteram inuenio sententiam Arist. Opinantis non esse verùm neque falsum in re formaliter, sed causaliter, neque in intellectu, apprehendente quidditatem rei, nisi per accidens respectu compositionis, & diuisionis. Nam in intellectu componente, aut diuidente falsitas, & veritas interuenit. Ergo respectu simplicium esse vel ignorantiam, quoniam non attinguntur, vel sapientiam, quia secundum totum attinguntur, cum sint simplicia, & indiuisibilia: & tandem verum, & falsum esse contraria, quia adæquatio, & inadæquatio positiuę acceptionis rei sunt in intellectu. Item sensum nunciare falsum, sed non cognoscere falsum, vti intellectus.

[lib. de ver. re- c.36. Me- ph. & Met.]

Ratio ita sentiendi Aristoteli fuit, non agnoscere Deum causam rerum, ad cuius ideæ similitudinem res verę dicuntur omnes. Vnde miror, quod Theologi aliqui hoc aduertunt, & nihilominus adhærent Aristoteli, & non Augustino platonizanti: sed tamen non negant veritatem rei respectu ideę, & ideati. Sed in hoc discordant à nobis, quòd putant, essentiam non suscipere magis, & minus, & ideò non deficere ab idea: quod reprobauimus. Et quamuis falsitatem esse in rebus diximus, ab Augustino non desciuimus: quoniam ponimus ipsam nonens & defectum: & positio eius est vt remoueat, non vt ponat; & est obiectum insipientię, non sapientię. Nam quando falsitatem sapimus, non sumus falsi, quoniã per ens ipsum apprehendimus, & declaramus, & asserimus, ad nonens pertinere: & signa nihili, quę sint nonentia, non habemus, ideò per signa entis ad nonentis mutuamur significationem. Concedimus nos in intellectu esse verum, & falsum, sicut in cognoscente; sed non formaliter, vt ipsi volunt, quoniam in rebus est formaliter veritas, & falsitas, & cum Augustino dici debet. Et est etiam causaliter, quatenus facit, vt oratio & intellectus noster sit verus, & falsus. Prętere dicimus, in intellectu, & sensu esse verum, & falsum, quatenus sunt res quædam: & causaliter, & formaliter sic in eis est verum, & falsum, & non modo cognoscitiuè. Sicut enim res adæquata ideę est vera, inadęquata falsa; ita intellectus adęquatus rei est verus, inadęquatus, falsus: licèt & hoc habeat amplius, quoniam etiam potest cognoscere verum & falsum rerum directè, & suum reflexè: quod & sensui competit. Oculus enim nouit se videre, & quandoque malè, & remum fractum in aqua: & corrigitur falsitas eius à visione extra aquam, & ab alio sensu. Vt diximus in 1. parte contra Aristotelem.

Ratio, qua probant, verum & falsum esse in intellectu Peripatetici, nulla est: quoniam inquiunt, veritas est terminus intellectus, & non rei: & est in intellectu ipsum cognitum verum: Amatum autem bonum est in re. Et appetitus dicitur bonus à bono obiecto: sed intellectus non dicitur verus à vero obiecto, sed etiam à falso, quando nouit falsum esse falsum. In re ergo veritas est respectu intellectus, à quo denominatur, vt sanitas in Medicina respectu animalis. Nec aiunt, in intellectu nisi com-

ponente, aut diuidente. Nam si non componat aut diuidat, non cognoscit, neque dicit verum. Cum apprehendit hominem, & quidditatem, non dicit verum; sed cum nouit se recte apprehendere, vel non rectè, dicit & noscit verum & falsum.

Sed profectò hæ rationes sunt inanes; quoniam cognoscere, aut dicere verum, facit intellectum veracem, sed non constituit rei veritatem: ergo res est vera, quia est in rerum natura, vt homo: falsa, quia non est, vt chimera, cuius non datur in Deo similitudo propria. Item intellectus est verus, quando adæquatur, non quando cognoscit adæquationem. Nam sic neque falsitas daretur in intellectu, dum cognoscit inadæquationem: sed semper esset veritas: & dum inadæquatur rei cognitæ, non esset falsum, si non cognosceret falsum; ergo nullus hæreticus est falsus, quoniam non cognoscit falsum: & nec philosophus est falsus, quia cognoscit falsum: ergo non datur falsitas in re, neque in intellectu: neque falsus voluntarius, est falsus, sed fallens. Nam quo fallitur, non intelligit, inquit August. in lib. 83. q. 32. Prima ratio deficit, nam veritas est terminus intellectus, vt Entitas, & Bonitas, omnis enim terminus notificatiuus ab eo est: & Veritas non est ens rationis, vt Nomen, & Genus, & syllogismus, sed vt entitas & realitas, teste sancto August. & Auic. nec quia cognitum est in cognoscente, ab intellectu est veritas. Nam antequam cognoscatur res est vera, sicuti antequam appetatur est bona: obiectum enim omne præuenit potentiam cuius est: & intellectus dicitur verus, quando nouit falsum esse falsum, quoniam à veritate rei hoc habet non à se, nisi tanquam cognoscens, & non tanquam dans esse veritati: Neque enim Medicina & vrina sunt sana, nisi respectu sanitatis in animali: ita nec intellectus, nec oratio vera, nisi respectu veritatis rei: Et quando dicunt obiectum intellectus, esse verum, hoc fatemur: & cum dicunt ly verum, esse conditionem obiecti, quia non intelligitur nisi vt vera omnis res: voluntariè asseritur, quoniam intelligitur res quatenus mouet virtutem intelligentem, vel quatenus intelligens fit illa: hæc autem factio facit intellectum verum veritate rei, sibi communicata plus minusve: sed iudicium de re postea verum aut falsum sequitur tanquam cognoscens, non tanquam faciens, vt dicebamus. Quapropter alia est veritas iudicij, alia est rei, alia est conformationis cognoscentis ad cognoscibile: licet hæc sit quoq; rei, veluti omnes aliæ immutationes. Vide quod diximus in 1. p. ad Scept.

Triplex veritas.

In apprehensione quidditatis esse falsitatem dicimus, si non apprehenditur vt est: & hoc patet de quidditate Angeli, & sideris, & animæ; quā vel non nouimus, & sic talis ignorantia, & talis res ignorata, vt sic, est nonentitas: & obiectum insipientiæ: & dicitur falsitas negatiuè non priuatiuè: vel si nouimus, & non prout est, quoniam parum mouet & ex parte, & ab effectu: & sic est falsitas obiectum insipientiæ priuatiuè. Nec quia indiuisibiles sunt, totaliter, aut nullo modo apprehendūtur, vt putat Arist. quoniam virtualiter est multiplex eorum essentia: vnde de Deo simplicissimo habemus innumeras voces quidditatiuas, non tamen eius quidditatem totam patefacientes: & sic de Angelis. Idcirco in hoc verior est Scotistarum opinio, quod entis, & cuiusq; simplicissimi vocabuli ratio totaliter, vel nihil scitur: sed non ad mentem Arist. qui de substantiis æternis loquitur: sed neq; de puncto hoc verum est: cum eius definitio sit adhuc Mathematicis dubia. De vnitate quoque Metaphysici altercantur. Quidditatem caloris ad sensum iudicare spectat: & à sensibus sensibilium rationes Aristoteles docetur, vt patet ex 2. de gener. & corrupt. & 4. Meteor. & circa horum quidditatē magis decipi intellectū quàm sensum, in disput. pro Telesio demonstrauimus. & & in 1. p. ostendimus etiam Arist. testimonio, qui in 2. Post. demonstrationes resoluit ad sua principia prima, nota sensu, quæ sūt definitiones & axiomata.

Tandem neque rectè probant, verum & falsum contraria, & non contradictoria esse, quoniā vtrumque aliquid ponit. Nam falsum nihil ponit in re: neque in intellectu, nisi quia intellectus vtitur nonente tanquam ente. Et hæc propositio, Omnis homo est animal, contradicit huic, Nullus homo est animal, quamuis ab Arist. ponatur contraria, quia habet medium in materia contingenti. Aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus: quæ sunt quidem ideo ambæ veræ, quia subiectū non supponit in vtraque pro eadem: & sic neque contrariæ sunt; sed hæc, homo est albus, & homo est niger, sunt contrariæ, si tamen ly homo, supponat in vtraque pro eodem subiecto. Item quoniam, vt diximus, contrarietas participat contradictionem, idcirco videtur contrarietas opinionum non esse contradictoria subitò: quia in re eadem fit subiectiuè, cuius ratione videtur ponere, cùm tamen de se neget.

DE OBIECTIS AMORIS ET DISAMORIS.

AMORIS OBIECTVM ESSE BONITATEM: quæ in re est perfectio entitatis vt procedentis à Voluntate Diuina approbante: in nobis verò esse entitatem nostram perfectam, & quidquid ad eius spectat aliquo pacto conseruationem.

CAPVT XV. ART. I.

EA ratione, qua diximus Sapientiæ obiectum esse Veritatem per se: & hanc esse entitatem rei vt cognitā: idcirco quæ magis entia sunt, magis mouere intelligentem vim, & magis cognosci: quæ verò minimè sunt entitatis, minimè cognoscibilia esse secundum nos; ita nunc asserimus eadem ratione, Bonum esse obiectum amoris, & quæ plus bonitatis habent, amabiliora esse, & meliora: quæ verò minus, minus. Et videtur bonum sicut & verum esse in se priusquam in amante, & cognoscente, vt Aug. dixit. Nam quamuis à nobis non amentur, nec cog-

noscantur aliqua, nihilominus vera & bona sunt. Bonitas ergo videtur rei entitas. Et quia ens omne tunc est verè, cum perfectum est, tunc similiter est bonum: Puer quidem bonus, sed non prorsus. Vir autem bonus est, quia iam ad suum entitatis gradum summum accessit: senex verò non ita bonus, quia iam à gradu perfectionis recessit: & in cunctis rebus dicitur bona, quæ in sua summa est perfectione; & bonum aurum, quod omnia in se habet requisita ad auri naturam: id est, tantam duritiē, tantam partium æqualitatem, & pondus, & colorem, quanta, & qualis requiritur ad constitutionē auri: & quia nescimus summitatem perfectionis rerum, nisi per accessum ad quandā mensurā, oportet dicere, quod sicut res vera est, quia simillima suo est principio ideali mensuratiuo sui esse: ita bona sit, quia approbatissima est à suo principio volēti esse illius: & quia Deus est rerum opifex per potentiam, & sapientiam & voluntatem suam, dicentur existere, iuxta potentiam eius: Veræ iuxta sapientiā eius: Bonæ, iuxta voluntatem eius: & quia vult prout scit: ergo idea non absolutè, sed vt approbata per voluntatem est causa bonitatis: vnde sæpè Moyses dicit, *Vidit Deus* (id est visione approbatiua) *Cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* & alibi scriptum est, *Nihil odisti eorum quæ fecisti, & diligis omnia, quoniam tua sunt.* Amor ergo Primæ causæ facit, vt res sint bonæ. Amor verò creaturarum non facit res, quarum ipse non est causa, esse bonas, sicuti nec scientia veras: sed fit ipse bonus, amando res bonas, & verus sapiens veras, prout sunt; & ipsæ res ergo appetūtur, quia sunt bonæ, & sciuntur, quia veræ, & sunt, quia potentes esse: Et sicut Prima causa non est vera, veritate à rebus sumpta, sed veritate sua in res suas effusa: neque est bona amore à rebus afficientibus captus, sed amore quo res efficit, & quem in res effundit, vt dicemus: Idcirco Theologorum doctissimi affirmant, Deum non amare nos, quia sumus boni, sed esse bonos nos, quia amamur à Deo.

Quæ autem minus consona sunt voluntati Dei approbanti, dicuntur mala, vel totaliter vt nihilū, quia nihilum approbari nequit, neq; intelligi; vel ex parte, vt homo peccator: ex quo enim peccat deficit à Dei voluntate: & Monstra, licet sint à Deo volita permissiuè, non tamen approbatiuè, dicuntur mala. Et quidem quatenus volita, sunt bona etiam peccata naturæ, & Monstra, quia Deus vult illa ad finem bonum: sed quatenus permissa non sunt bona, vt demonstrabimus, præsertim peccata moris, quorum non est vllus vsus, sicut in malis naturalib. quæ possunt ordinari ad melius vel æque bonum: peccatum autem morale cùm sit deordinatio non est ordinabile ad bonum, nisi miraculosè à Deo: & cum sit contra Deum bonum vniuersale, non potest ad maius vel æque bonum ordinari, sicut corruptio boni particularis ad aliud æque vel maius bonum, vt D. Thomas etiam docet.

Num rectè bonum distinguatur in Vtile, Honestum, & Iocundum.

ART. II.

FAMOSA distinctio est Boni, qua aliud est vtile, aliud iocundum, aliud honestum. Vtile est, quod quæritur propter aliud, non propter se, vt cibus propter vitam, medicina propter sanitatem. Honestum verò quod quæritur propter se, vt sanitas & vita. Iocundum verò, quod terminat motum appetitus, vt ludus, quamuis sit damnosus, & inhonestus. Hanc diuisionem approbant Peripatetici. Plato verò nullum putat vtile neq; iocundum, nisi honestū. Et quidem per se verè dicit, nō propter aliud. Nam ludus intantum est iocundus, inquantum honestum habet: si sumitur honestum pro eo, quod propter se expetitur. De vtilibus palam est: De honestis patere potest ex eo, quod cuncta animalia, & entia appetunt semper esse, & nihil non moliuntur, vt fugiant non esse, & conseruentur in suo esse: Item addiscunt virtutem, vt tueantur vitam: & omnia scite volumus, quoniam ab omnibus rebus nostram conseruationem, vel haurimus, vel defendimus. Metaphy. quoque, quam propter se appeti, Arist. docet in 1. Metaphys. postmodum in 9. propter opus ipsam, & omnes scientias desiderati dicit: opus autem propter vitam esse, nec ipse aut alius negat: Et quidē Theologia Christiana propter vitam æternam appetitur: & pericula & labores in bello, & pace, vel propter vitam in fama, & opinione hominum, vel propter vitam in Deo suscipiuntur: Et quamuis sese mortalem putaret homo, adhuc Theologiam, & Metaphysicam cuperet fortasse, saltem vt fiat omnia entia: qui enim omnia addiscit, fit omnia, vt dictum est, & amplificat se ad omnia: in quo est similis Deo. Idcirco sapientia propter se expeti videtur, quoniam propter se quod ipsa est: sic enim & voluntas, & potestas propter se expetuntur. Iocunditas autem est sapor ipsius esse; & ludus placet, quia spes lucrandi pecuniam, qua seruatur esse, in eo inest: aut si animi gratia fit, vt spiritus ventiletur, & purgetur, & viuificetur, magis habet sensum esse, & conseruationis: & melancholici ipsi sunt iocosi, quoniam fuligine interna eorum spiritus exagitatur continuò, quam fatigationem effugiendi quæritat ab externis ludicris remedium. Voluptas in Venereis est sensus conseruationis in simili; & quamuis lasciuus non intendat nisi libidinis expletionem, tamen natura propter generationē in Venere posuit voluptatem, & in cibo propter vitam: & hoc sapientia abdita sentimus, non superaddita. Item quamuis esse destruitur, & honor in Venerea re, non tamen hoc intendit Natura, neque Venereus per se, sed sequitur per accidens, ita ferente Fato, vt ex aliis alia restaurentur, & renascantur. Quapropter voluptas vel allicit ad procurandum esse in se, & in aliis, vel est sequens comes ipsius esse, tanquam sentiens ipsum: sicuti dolor apprehensus præcedit non esse destructiuum, & in ipsa destructione totali, vel partiali adest: Quapropter Bonum, cuius causa omnia operantur, est esse; & eius abdita cognitio, seu cognitionis effectus intimus est voluptas. Idcirco in rebus vtilibus, vt in lucrando, & in honestis, vt in sciendo, & dum laudamur, est voluptas, quoniam sensus conseruationis in his relucet; pecunia enim seruamur, & honore conseruatio amplificatur. Vnde videtur honor quædam luxurians conseruatio: sed vbi eadem res est honesta, & vtilis, vt principatus, voluptatem præstat maiorem. Mala inimicorum sunt nobis voluptuosa, quoniam ipsis peremptis, à peri-

culo, & suspicione liberamur. Et quidem non esse voluptatem non præstat nisi per accidens: quoniam bonum est per accidens. Bonum verò non est appetibile primò, sed fruibile: idcirco enim appetimus, vt fruamur: & quia omne ens suo esse fruitur, suum esse habet tanquam summum bonum, & per se; cætera verò tanquam vtilia, & conferentia ad suum esse: sed mox quia suum esse est partiale respectu Dei, qui est totale bonum, magis appetitur propter Deum, sicut manus appetit se propter totum animal: & quia non à se potest esse, sed à toto: ideò homo non potest à se æternari, sed à Deo, debet propter Deum omnia agere, vt dicemus. Idcirco omnia bona vtilia: solus autem Deus fruibile bonum videri debent.

Bonum ergo humanitùs non debet distingui, nisi in honestum, & vtile, siue propter se, & propter aliud. Quod appetitur propter se, vt finis appetitur; quod propter aliud tanquam medium ad finem. Medium autem Bonum est, cùm est perfectum. Ideo in prima parte finem & perfectionem esse causas à volitiuo probauimus. Nec media sunt verè bona nobis, nisi quia ad illud nos dirigunt, summum Bonum disponendo, vel cooperando, vel remouendo impedimenta, vel adiuuando, vel trahendo, etiam inuitos, vt iustitia punitiua. Bonum verè Bonum est finis omnium: omnia autem appetunt semper esse: vnicuique ergo finis est suum esse; & quia non est propter se, sed propter Deum, & à Deo esse vniuscuiusque rei, ideo propter Deum appetibile est, cui omnia viuunt. Idcirco omnia vti Deus esse, scilicet æterna, & infinita esse cupiunt, & proprio gaudent esse, & illis rebus quæ proprium esse seruant, aut ostendunt: contrarii s verò tristantur.

Idcirco non recta est Peripateticorum assertio, qua propter finem omnia operari statuunt, & illum finem dicunt esse bonum: & Bonum non esse in appetente, sicut verum est in intelligente. Hoc enim falsum est: si enim omnia agunt propter finem, & finis omnis rei est proprium esse, ergo Bonum quod est obiectum appetitus, est in appetente, & non in alio, & fortè magis quàm verum. Medicus quidem operatur omnia gratia inducendæ sanitatis: & hæc est finis Medicinæ, sed non finis Medici, sed est medium ad finem Medici. Medicus enim proprium lucrum, sui esse conseruatiuum, habet pro fine, vel honorem, qui est luxurians conseruatio, vel amici salutem, quo & ipse seruatur. Et finis nauifactoriæ non est nauigatio, sed conseruatio nostra per eas, quæ ex nauigatione proueniunt vtilitates. Finis quoque militis non est pugnare, neque victoria, sed conseruatio Reipublicæ, atque sua ex victoria. Conseruatio autem est continuatio ipsius esse cuiusque rei: ergo malè putant, quod appetibile sit aliquid exterius per se. Patet enim, quod omnia appetibilia si nostro esse cœperint aduersari, desinunt esse appetibilia: si Amicus erit insidiator, aut latro nostrarum rerum, desinimus illum amare: si studium literarum obest sanitati, dimittimus: si honor pœnam mortis habet, non amatur, nisi quatenus vitam in fama, vel in Deo conseruare nobis putatur; si vita, aliena à nostra, est viuenda nobis, & ipsam cum Catone abiicimus. Nec hoc indicat, voluptatem esse prius appetendam quam vita: non enim dolor modò eius abiectionem suadet, sed dedecus, seruitus & perditio rei familiaris, & amasiæ; sine quibus viuere, quod eramus, esse non confidimus. Ergo voluptas est affectio sequens sensum conseruationis: ideoque & in labore glorioso adest. Bonum ergo vltimum est in appetente. Nam & Deus ipse, pro quo omnia spernimus, in nobis est, nec reputatur extraneus, vt cætera obiecta: sed quasi nostrum Totum, quod amant omnia entia magis quam seipsa, partes nempe boni, vt S. Thom. probauit. Quapropter causa finalis externa non mouet appetitum, sed seipsum mouet appetitus, quia propterea appetit, quoniam aliquid sui in externo obiecto præuidet. Nec, vt putat Aristoteles, cessant actus adepto fine exteriori: sed in interiori ratio cessandi est, internante sibi rem exteriorem, qua seruari putat agens: obiectum ergo mouet vt specificans modum consequendi finem, & non vt vltimus finis. Quapropter cessant quęstiones Peripateticorum: An finis mouet vt in re, an vt in intentione: mouet enim vt in re semper: quoniam intentio intendentis proprium esse habet pro fine, sed pro medio, ipsum obiectum, in quo relucet aliquid proficuum fini. Non enim potest mouere, quod nondum est, nisi per id, quod est. Et quamuis multa destruant esse nostrum, propter quod appetuntur, tamen vel putantur seruare, vel verè seruant aut in nobis, aut in fama, aut in filiis, aut in Deo. Omne ens ergo est appetibile ab eo cuius est esse per se, ab aliis verò per accidens, excepto Diuino esse, quod non potest per accidens optari optione naturali, sed accidentali & reflexa. De ratione Boni non modò est esse finis, sed esse principium: idem enim est principium, & finis suarum actionum: Bonum quoque est ipsum esse amatum, quod cum seipso intellecto, & possibili constituunt vnum esse simpliciter in Metaphysica compositione. Quapropter irrationabiliter ad pauca respiciendo Aristoteles condemnat Pythagoram & Platonem, & Empedoclem, quòd posuerint Bonum inter causas efficientes, & materiales, & non intellexerint causationem finalem. Causatio enim finalis est quædam determinatio, specificatioque agentis, & non extranea ab eo: Idcirco & Dionysius dicit, Boni rationem esse, vt sit sui diffusiuum: se enim diffundere est suum esse amplificare, propter quod agit agens omne. Hoc autem faciunt quæ magnam habent entitatem, vt principia rerum: idcirco non sibi modò, sed aliis dant entitatem, & vtilitates plurimas: & hæc est beatitudo ipsius entis: quoniam plurimum & amplissimum esse habet aliis, & sibi, & non indiget alieno: & idcirco dicit IESVS: *Beatius est dare, quàm accipere:* Ergo sunt bona principia effectiua, & materialia materialitate Metaphysica: & sæpe Physica. Calor enim solis effusus est causa agens plantæ, & remanet in illa, vt pars componens, & materia formæ totius, sed pars formalis partis formæ: Et Albertus ait, est pars animæ, non autem anima.

Bona bonitate essentiali propter se expetita, quanto plus esse habent, plus bonitatis habent, vt Deus, mox Angeli: quæ autem minimæ sunt entitatis, vt motus, minimæ sunt bonitatis per se. Quæ autem sunt bona non respectu sui, sed alterius, quanto magis proficua sunt illius entitati, propter quam expetuntur, tanto magis bona sunt, quamuis minoris sint entitatis: vnde equus mansuetus melior est nobis, quam leo ferocissimus, & fortissimus; cum tamen secundum naturam melior sit leo, vel equus ferox, qui seruire recuset: & Reipublicæ melior est

quandoque

quandoque vir idiota, quam literatus: & motus melior eſt mundo, quam quies: ceſſante enim motu, ceſſat generatio & diſtinctio rerum pulcherrima: & melior eſt acus paruula ad conſuendam veſtem, quam gladius, aut vomer: licet hæc ſecundum ſe meliora ſint, quia plus habent entitatis. Et ſi meminerimus perfectionem rei, & puritatem eſſe bonitatem, iam videmus inter res factas ad vſum, meliores eſſe, quæ perfectius ad illum vſum pertingũt, vt inter acus melior eſt, quæ acutior,& gracilior: & inter gladios, anceps & aculeatus, & longus. Quæ verò non ſunt inſtrumenta, vel non vt inſtrumenta conſideranda veniunt, meliora ſunt quæ plus habent entitatis: & quæ eiuſdem ſunt entitatis, quæ puriora,vt argentum purius impuro eſt melius;& vinum purius,impuro. Impuritas autem fit ex miſtione alterius rei,vt ſi aquam miſceas,præſertim peioris conditionis: vel miſtione defectus eiuſdem rei, vt ſi ad extremam ſui denſitatem, & luciditatem argentum non peruenit, & planta ad ſuum vigorem & fructificationem: & quamuis omnia proprium eſſe ament, & ſeruent, tamen puriora magis amant amore vero, & abdito, ſuum eſſe,ſeruantque:vnde æger minus ſuam ægram amat vitam, aut ſenex, quam ſanus,aut iuuenis, quia de alieno eſſe, vel de Noneſſe proprio plus habent illi, quàm iſti: idcirco & plus ſeruantur per ſe; licet per accidens quandoque ſecus cõtingat ab exterioribus cauſis ſeruantibus, aut corrumpentibus: quibus fit vt ſanus, & iuuenis prius moriantur, quàm æger,& ſenex. Et quia virtus eſt, quæ bonum reddit habentem,vniuſcuiuſque rei virtus eſt ſua puritas, perfectioque: impuritas verò vitium, malumque ſecundum naturam: ſecundum verò morales ſcientias virtus eſt regula affectionum,& operationum ad ſummi boni acquiſitionem: vitiumque enormitas ad malum, & deſtructionem trahens; & imitantur puritatem, & impuritatem naturales in conſeruatione & deſtructione.

Ex his collige Bonum non eſſe aliquid ſeorſum ab Ente, ſed ipſum ens, vt amabile ſecundum naturam,aut ad finem noſtrum: ſecundũ naturam dico, quod maximæ eſt entitatis; ergo & maximæ voluntatis obiectum, vel infinitæ, vt diuinæ: ſecundum nos verò quod noſtro fini magis prodeſt: vnde contingit aliquando idem eſſe bonum naturæ, & nobis, vt Deus & Sol; aliquado non item, vt coluber & ſidus Saturni. Nec Verum eſſe ſeorſum ab Ente; ſed ipſũ Ens,vt cognoſcibile,vel ſecũdũ naturam, vt Angelus & cœlum, vel ſecundum nos, vt digitus, & pes noſter. Nec exiſtens aliud ab ente, ſed ipſum Ens vt poſſibile exiſtere ſecundum naturam,vt Ver,& dies;vel ſecundum noſtram poteſtatẽ,vt Comedia & Palatiũ:vnde vocantur Bonitas, Veritas, & Vnitas paſſiones entis apud quoſdam Peripat:Ideæ apud Plat. De Vnitate infra. At de his pronũciandũ, quod eſſe paſſiones entis à noſtro poſſe,& ſcire & velle habent: Atqui ſecundũ ſe ſunt ipſum Ens, à Primalitatibus diuinis deductum & graduatum: Non exiſtente homine,vidit Deus etiã quæ fecerat eſſe valde bona: & quæ ſcierat valde vera; & quæ erant facta, valde poſſibilia eſſe.

Malum eſſe Nihilum, aut eius participationem priuatiuam, vel negatiuam, vel impurificatiuam: & eſſe obiectum Noluntatis, & odij, & timoris, quatenus conſtituunt Nonens ſimpliciter, vel in ſubiecto deficiente.

ART. III.

EST ergò Malum obiectum odij: ſed Malum eſt Nonens; ſi ſimpliciter,eſt obiectum Noluntatis: ſi ſecundum quid, eſt impuritas, aut defectus puritatis; & ſic eſt vitium in exceſſu, vt audacia; & bicepes homo; aut defectus, vt timiditas, & Nanus: vel eſt priuatio habitus in ſuſceptiuo, vt cæcitas, & ſtupiditas in homine: vel in Non ſuſceptiuo, vt cæcitas in lapide. Odimus autem & entia quatenus noſtri Noneſſe ſunt cauſa per accidens: ſed Noneſſe eſt obiectum odij,& idcirco propter ipſum omnia odimus: vnde vinum aqua miſtum odimus, quia aqua facit illud noneſſe vinum purum: & ſæpè amamus quoniam ſalubrius eſt vitæ noſtræ aqua miſtum. Malum ſimpliciter non eſt, & ideo non poteſt appeti, ergo eſt obiectum inappetentiæ, quæ eſt Nonentis eſſentialitas tertia conſtitutiua in genere ſuo: & ipſum eſt cauſa omnis mali, quoniam eius miſtione res ſunt malæ, vel negatione boni, vt lapis non videns; vel priuatione, vt animal non videns: videmur tamen magis odire priuationem, quam negationem: magis enim odit homo ſe non videre, quàm non habere alas: nec lapis dicitur malus, aut odit, quia non videt; ſed quia non & deorſum; aut quia non habet duritiem ſibi competentem ad reſiſtendum, malis ſuis, hoc eſt corrumpentibus: & ratio eſt, quia vnum quodque amat tanquam ſummum bonum ſuum eſſe proprium:igitur ſi caret alieno,non triſtatur,quia non nouit notitia abdita bonum alienum; ſed ſuum: & ſuo beatificatur. Amor enim eſt proles notitiæ: idcirco & ſi non habemus alas, non triſtamur, quoniam hoc nobis ab Idea non competit,neque nouimus earum bonitatem,niſi ab extrinſeco;quod non facit fruitionẽ,& voluptatem. Triſtamur autẽ cæcitate,quoniã habere oculos eſt nobis bonũ à natura debitũ propter finem; & ſcimus,quod bonum ſit indita ſcientia: idcirco in non habere oculos, ſentimus Noneſſe noſtrum:in non habere alas Noneſſe alienum. Diſpliceret autem nobis ſi Aues ſine alis eſſent,quoniam naturæ ignorantiam,aut impotentiam in eis faciendis intueremur: & quia idem eſt Autor noſtræ,& illorum naturæ,noſtri eſſe ignobilitatem, & impotentiam ſyllogizaremus. At cuius Noluntatis obiectum eſt, lapides carere viſu? Ipſi enim non cupiunt viſum, neque nos ipſis; Neque Deus. Item cuius Noluntatis, Odiiuè obiectum ſunt ea entia, quæ non ſunt, neque fuerunt, neque erunt? vt diametrum non eſſe ſymmetrum, & hominem non eſſe alatum? & duos, & quatuor non facere decem? & Montem aureum vſque ad ſolem altiſſimum,cuius Nolũtatis eſt Noneſſe? Reſpon-

deo, Noluntatis naturæ, & Dei:ipse enim non vult lapidem habere oculos: neque Mōtem aureum esse,neq; hominem alatum. Ast hoc non velle non est soboles Insipientiæ, & Impotentiæ, sicuti velle est Sapientiæ,& Potentiæ,Deus enim potest,& scit facere hominem alatum, & lapidem videntem: quare ergo non vult? Respondeo quod voluntatis obiectum est ens,non absolutè,sed vt bonū: Bonum autem dicitur vel propter se, vel propter alia: & quia non est bonum vniuersitati rerum, hominem esse alatum,& mōtem aureum ad solem vsq; erectū: idcirco non vult Deus vt sint,neque natura. Sed ergo non volūtatis,sed Noluntatis sunt obiecta:sed contradicunt alij Theologi,quoniam eadem voluntate volumus,& nolumus. Nos verò hoc negamus:sicut enim non eadē scientia scimus,& nescimus: ita nec eadē volūtate volumus, & nolumus, sed nescientia nescimus,& noluntate nolumus: nec intellectu non intelligimus, sed intellectu, vt non intellectu, idest, vt participe suæ Nonentitatis. Sed contra,si in Deo est Noluntas,ergo & Nonesse. Respōdeo,quod in Deo est Non esse Malum,sed hoc non est Nonesse, sed esse:sicut Immortalitas;quia enim non vult,quę nouit vana, inutilia, aut mala esse, vult bona, & necessaria esse: sed de his postea. Nunc iterum, quod Nonesse hominem alatum est obiectū Noluntatis: quam Nonens habet. Diximus enim Nonens Impotentia, Insipientia,& Nolūtate constitui; & non vult ergo hominē esse alatū, ergo vult non esse; sed non voluntate,sed noluntate. Hoc autē intelligere impossibile videtur: quoniā si Noluntate vult Nōesse,nolle autē nonesse est vellet esse: ergo Nihilum nolens nonesset,vellet esse;sed hoc non turbet nos. Quoniā Noluntas in re existente si est nonentis, est volūtas entis; sed in Nihilo noluntas non est entis, sed nonentis semper,quoniam non potest velle vllo pacto:neque potest nolle potentia,sed Impotentia. Noluntate ipsius Nihili: ergo lapis non videt: & Voluntate entis,qui vtitur nihilo tanquam Ente ex Potētia,ex Sapiētia exoriens: sed cum est noluntas, ex Inscitia, & Impotentia oritur, non quà Deus est impotens,& inscius:sed qua obiectum nō est possibile, neq; scibile, sicut diametrum esse symmetrū.

Sed quò natura vtitur morte,& corruptione tanquam bonis, cum pertineant ad Nonens, quod est malum? Respondeo quod vtitur morte, & corruptione aliorum ad generationē, & vitam aliorum, vt morte pecudis ad vitam lupi. Non tamen per se est optabilis mors, & corruptio, sed per accidens, quatenus ad esse procedit, & simul est generatio. Neq; quia ex nobilioribus corruptis fiunt entia ignobiliora,est malum in Mundo:quoniam etsi per se nobiliora sunt, tamen ad naturæ finem ignobiliora, vt ad manducandum nobilior, & melior est panis, quam aurum,vel Sol:sed quis est finis vermium nobilior homine corrupto, ex quo nascuntur? Respondeo quod Artifex rerū hoc scit,vt ostendemus. Nos autem scimus finem artis nostræ, quem ignorantes bestiæ deriderent; vt propter quid suscipitur bellum,vnde tot mortes,& ruinæ proueniunt? propter quid nauigamus in tantis periculis? propter quid ex auro ornamus frenum equorum?cur ex tanto ferro efficimus paruam acum? & propter quid proiicimus frumentū,& tegimus illud limo,terraq; seminantes? Malum ergo causam nō habet,nisi bonum, & in bono est tanquam defectus boni, quo formaliter res denominātur malæ,teste Augustino. Quapropter ignoranter Manichæi quærunt mali causā per se sui generis, quoniā à bono fit per accidens. Sicut calor cū per se se dilatat,per accidēs occidit frigus:cui est malum extingui, sed non calori: & quia defectus entis totalis nō datur,sed huius vel illius:Idcirco Nonens simpliciter non datur: & sic enim circulus,aut calor in medio glaciei annihilantur,nihilominus aliud esse eis succedit, vt alia figura, & alia virtus actiua. Sed vtrū datur annihilatio, inferius scrutabimur. Peccata quoq; mala sunt,in quantū cōtinent in se Nonesse,idest,defectū rectitudinis. Nam per se nullus actus est malus; rectitudo autē est lex, Sapiētiaq; Dei summa,ex qua lex naturalis,& polytica deriuantur. Idcirco nō potest appeti peccatū,sed appetitus eius non est appetitio, sed veræ appetitionis frustratio,ait Dionys. c.4. de Diuin. nom. Iocunditas autē in eo est non ex parte peccati,quæ est defectus, sed ex parte actus, qui est entitas:& actus prohibetur quatenus habet de Nōesse,non de vero esse:& idcirco August.& Dionys. putant peccatū non habere causam efficientem,sed deficiētē. Et quia nullū Ens totaliter deficit,quoniā nec annihilatur,ideo peccata naturæ,& moris semper in entibus fundantur: & indicant Potentiæ, vel Sapiētiæ,vel Voluntatis defectum, & deordinationem à Fine. Defectus autem à Deo non fit, quoniam ipse non potest deficere, cum sit summè Ens, & nihilo vllo tangatur: nec nolle finem, quem ipse præstituit, vt Artifex non potest sui opificij imperfectionem velle, sed materia & instrumentum, & tempus fallax,aut discipulus inscius,&c. Ideo non à Deo sunt peccata, & monstra: Dicuntur tamen postquam accidunt,ab eo volita,quatenus ad ordinem rerum vsus eorum per Dei omnipotentem voluntatem & sapientirm confert: & propterea Deus non facit malū,ait Basilius,sed dicitur facere, quia vertit illud in bonum. Sed quidem Malū physicum potest esse volitum à Deo per accidens, vt corruptio propter generationem, At Malū morale, nec per se, nec per accidens: quoniā cum sit deordinatio nō potest de se esse ordinabile ad bonū maius vel æquiualēs,licet infinita Dei potētia de se, nō de illo,vtatur in bonū aliquod: sed nō in maius,nec in æquiualēs. Est enim contra Deum summum Bonum,quo nullum maius nec æquale. Malum autem physicum, vt mors vitulæ,& ignis extinctio,est contra bonū particulare, ideo ordinari potest ad bonū aliud æquale vel maius, vt rectè S. Thomas philosophatur: blasphemia autē nō est ordinabilis,ergo nec volibilis propter aliud bonū: quoniā nō est bona,nec per se, nec per aliud: nec est bonū ipsū esse; quamuis postquā est,ordinetur à Deo miraculosè,vt vel sit occasio boni, occasione accepta, non data: quapropter odiū Dei, blasphemiā, superbiā,& alia huiusmodi nō facit Deus immediate,nec permittit, nisi quatenus dedit vires faciendi nobis. At pestes, bella, fames, sterilitas,permittūtur, quoniā sunt ordinabilia,& à Deo fiunt nō actiuè; quoniā hæc non sunt entia, sed defectus entis, vt frumenti, aut salutis,aut pacis,& trāquillitatis: & quia aliorū entium mistione fiunt, quæ proprium existēdi modum adimunt illis rebus, quæ ab eis patiūtur: & actio pertinet ad Deū,ideo Deus autor est omniū horum; sed passio nullo pacto cōpetit Deo: pati enim est mori, vel ex parte,& deficere,vt frigus dū patitur,deficit:ergo Deus ad passiones nō cōcurrit,nisi permissiuè; cōcurrit verò ad actiones per se, vnde per accidens oriuntur passiones,& defectus. Itaque nullo pacto malum est per se,neque nihilum: sed per ac-

cidens: ſunt tamen remouendo, non ponendo, vt dicebamus: & ideò obiectum ſunt odij, & noluntatis per ſe: voluntatis verò & Amoris per accidens, ſeu propter aliud. Nec Nonens mouet voluntatem, ſed ens in quo latet Nonens, aut non conſeruans.

Bonum igitur eſt eſſe, & id, quod conſeruat eſſe. Malum eſt Noneſſe, & quod Noneſſe affert, deſtruendo eſſe ex toto, vel ex parte. Idcirco Bonum eſt, quod appetunt: Malum, quod omnia oderũt: & ideo ſimilia amantur, quoniam ſimilibus ſuis res conſeruantur, vt ignis igne, homo homine, frigus frigore: contraria verò odio habentur, quia deſtruunt: & quia ſimilia per accidens deſtruere ſolent, in quantũ & ipſa ſeruantur eiſdẽ rebus, quibus ſua ſimilia ſeruantur; & illæ res non ſufficiunt, vel non ſufficere putantur ad ſalutem vtrorumque ſimilium: idcirco ſimile odit ſimile, vt figulus figulum, quoniam eadem viuunt arte lucroque, & dum partitur lucrum, minus ſufficit vtriſq; ergo omnis amor boni inſufficientis, vt participantis Nonens, parit zelotipiam in Amantibus, quæ eſt timor perdendi bonum amatum ex toto, vel ex parte. Amor verò ſufficientis Boni parit charitatem in Amantibus, vt Amor Dei. Et quando zelus eſt inter Dei amatores: non dum amant, ſed lucrum temporale, quod ex cultu Dei illis prouenit, & pro eo altercantur: vnde Apoſtolus ait; *ſi zelus eſt inter vos, carnales eſtis*: contingit & contrarium amari; quatenus per accidens nos ſeruat: vt Medicinam, & frigus expellens nimium caloris: vel impellens ad benefaciendum, & ſalutem, vt flagellum.

DE PVLCHRO.

PVLCHRITVDINEM ESSE SIGNVM BONITAtis Dei, vel Naturæ vel Artis: aliquando verum, aliquando falſum; & Priſcos parum, vel nihil hoc cognouiſſe.

CAP. XVI. ART. I.

PVLCHRITVDO non per ſe amatur, quoniam non eſt per ſe Bonitas: ſed eſt ſignum Bonitatis vel naturalis & inditæ, vel additæ & vtilis, vel artificialis: Quatenus ergo bonum oſtendit, allicit ad amorem, ſed non amatur: & quia ſignum non datur poſſidenti, ſed acquirenti, & quærenti: idcirco nihil dicitur pulchrum reſpectu tactus, & guſtus: hi enim ſenſus conſtituunt in vnione poſſeſſi obiecti; cibus ideo non dicitur pulcher, neque calor, neque frigus, neque coitus venereus; quoniam intrinſecus eſt nobis. Dicuntur autem bonus calor, & frigus, & coitus bonitate iocunda, & delectabili: quoniam ſignatum adeſt intus, & non ſignum: Reſpectu verò auditus dicitur Melodia pulchra, & reſpectu viſus dicitur lux pulchra, & fœmina, & omnia viſibilia ſunt aut pulchra, aut turpia: & reſpectu imaginationis, & intellectus dicuntur res pulchræ, quoniam à longè aſpiciuntur ab his potentiis. Pulchritudo ergo ſignũ eſt Bonitatis vtilis, vel honeſtę, vel iocũdæ. Turpitudo verò mali, vel inutilis, vel inhoneſti, vel inſuauis: licet ſuauitas ſit in vtili ſemper, & honeſto; & inſuauitas in oppoſitis. Bonitas autem rei interna conſiſtit in Potentia, ac Sapientia, & Amore: vnde ſigna horum pulcherrima ſunt nobis; igitur lux pulcherrima eſt, quia potentiſſima, & ſui diffuſiua eſt: ignis quoque pulcher eſt, & leo, & Aquila: & omnia fortia. Sed pulchritudo ipſa non eſt Fortitudo, ſed ſignum fortitudinis: vnde lux pulchra eſt, quia eſt ſignum vigoris multi ipſius ſolis; & ſecundum ſe omnia ſtrenua pulchritudinis dant ſignum: ſed quia non ſunt nobis bona, quanuis ſibi ipſis ſint bona. Idcirco non omnia videntur pulchra; Sibilus, & figura ſerpentis, & vigor, & ſaltus, pulchri ſunt aliis ſerpentibus, nobis autem turpes, & deformes apparent. At Achillis, & Alexandri, & Orlandi geſta fortia, dicuntur nobis pulchra; quoniam in eis relucet ſtrenuitas humana, quæ ſeruat noſtram naturam. Fortitudo tamẽ Turcarum videtur Chriſtianis deformis, quoniam ab illa deſtruuntur, non ſeruantur. At quatenus humana, videtur pulchra, quia noſtræ naturæ prebet indicium, & diu conſeruabilis. Signa quoque Sapientiæ pulchra dicuntur magis, vt picturæ, ſtatuæ, veſtes affabrè ſutæ, & contextæ: libri philoſophorum, & poëmata, & ſcientiarum ſcripturæ, polytica benè ordinata ad perennitatem, & fœlicitatem: quoniam indicant nobis Sapientiam, quæ conſeruat nos, & tuetur; & poëmata placent, quoniam non modo ſunt ſigna ſapientiæ ipſius Poëtæ, qui eſt alter nos in natura; ſed quia æternant nomen magnorum virorum, & repreſentant induſtrias, virtuteſque hominum. Et cum vitia pandunt, & vituperant, pulchra ſunt, quoniam docent nos viuere ſecundũ virtutem fœliciter, & cauere mala: & quidem in hoſtibus ipſis eſt pulchra virtus; vnde Archimedes mirabili quadã Mathematica ex mæniis Syracuſanis rapiens naues Romanas, & euertẽs, amatur à Marcello duce Romanorum; & pulchritudo eius in talibus actibus admirabilis erat. Ad pauca autem reſpiciẽtes, & non ad totam naturam, odere virtutes inimicorum. Ipſi quoq; labores, & vulnera quando ſunt ſigna virtutis, pulchra ſunt: Vnde D. Auguſt. vulnera Diui Vincentij pro fide morientis pulchra videri dicit, quoniam fidei conſtantia in illis ſplendebat. Et Mandricardus vulnera illata ſuis ab Orlando, quia erant grandia, & valde mortifera, admiratur apud Arioſtum: & quaſi pulchra amat, & inuidet, quia ſigna erant magnæ virtutis Orlandi: ſed qui patiebantur dicebant eſſe turpiſſima: & Medicus vocat vulnus pulchrum, quod eſt ſanabile, deforme inſanabile. Quapropter non eadem omnibus ſunt pulchra, ſed quibus ſunt ſigna bonitatis: ſicut nõ eadẽ omnibus

ſunt bona, excepto ſuo eſſe: cuius ſigna omnibus pulchra dicuntur: ſigna Amoris pulchra ſunt, vt hilaritas, affabilitas, beneficium, quoniam qui nos amat, ſeruat; ſigna Odii verò turpia. Quapropter non rectè Peripatetici dicunt pulchritudinem reſpicere viſum; & amari, quia conſiſtit in quadam proportione: & quia ſenſus eſt proportio, ideo pulchra amat, vt ſimilia, & non vt bona.) Non enim (inquam) lux eſt in proportione, ſed abſque numero, & menſura, vt ait D. Ambroſius. Neque vulnus, neque bellum, neque alia nominata pulchra in proportione conſiſtunt. Non ergo Ratio pulchri eſt proportio, ſed apparentia Boni. Nam & ſerpens proportionatus eſt, & nobis eſt ſimilior quàm lilium: tamen non pulcher ſerpens eſt nobis, ſed pulchrum eſt lilium, & Roſa: & non omnis, ſed quæ bonum nobis aliquid oſtentat: licet lilium bonum naturæ pluſquam noſtrum oſtendat, Roſa verò noſtrum magis. Medicus quoque vocat Reubarbarum pulchrum, quod videt aptum ad purgandum: Deforme autem, quod ineptum. Pulchra eſt melodia in conuiuio, deformis in luctu. Pulcher eſt color croceus in auro, quia auri perfectionem, & bonitatem natiuam dicit: at in oculo noſtro eſt deformis, quoniam ægritudinem oculi, & corruptionem ſignificat. Pulchritudo ergo à ſigno Bonitatis conſeruuatis habet eſſe: Deformitas verò à ſigno Malitiæ deſtruentis. At in quibus proportio, & commenſuratio eſt ſignum Bonitatis, in illis modo eſt proportio pulchritudo, vt in corpore animalis, & fœmellæ: ſi enim debet ſeruari, & nos ſeruare, ratione ea conſtructum eſſe debet, qua ſuperet mala deſtruentia: & ideo vnumquodque membrorum debet eſſe ſuo vſui paratiſſimum, & non impediens, ſed adiuuans alia membra: & in hoc conſiſtit proportio, etiam apud Apoſtolum: & ſicut domus fabricata contra rationem vſus, non ſeruans habitatores, dicitur deformis, ità Corpus contra conſeruationem ſpiritus inhabitantis, & ſui, deforme eſt. Sed non modo proportio requiritur, ſed magnitudo, ſiue proceritas, & viuacitas coloris, & dexteritas motus, & loquelæ ſuauitas, & ſtrenuitas, & agilitas. Hæc enim omnia indicant Sapientiam, & fortitudinem inhabitantis, & fabricantis ſpiritus: & quidem in maſculo vocis magnitudo, & aſperitas commendatur, quoniam indicium virilitatis eſt, & roboris: in fœmina ſuauitas, quoniam indicium eſt mollitiei, in qua noſtrum ſemen ſeruari, & paſci, & producere ſimile, arbitramur. Pulchritudo fœminæ requiritur ad ſeruandum nos in prole; & ideo pulchra eſt ſi habet apta membra, & qualitates ad prolem, vt ſuccum non nimium, ne obruat ſemen: nec parum, vt non poſſit paſcere: fortitudinem quæ det vitam, & robur nato: non audaciam, & ſtrenuitatem, quæ reiiciat fœtum. Proportio membrorum indicat naturæ ſapientiam in fabricando: & ſicut veſtis non cohærens corpori, & conſuta prauè, indicat inertiam Artificis, quamuis ſit ſericea, ita corpus malè commenſuratum indicat inertiam virtutis formatiuæ: & quia homo hanc pulchritudinem primò nouit, vocat omnem pulchritudinem formam, & formoſitatem: cum tamen lucis pulcritudo ſit longè nobilior, & non forma. Agilitas, & dexteritas, & proceritas indicant vigorem, entitatem, & artem, idcirco ad pulchritudinem requiruntur. Pigritia verò, & paruitas, & ineptia indicant defectum vigoris, & entitatis, & artis. Quapropter Pygmeus, naſutus, morboſus, æger, truncus manu, gibboſus, ſqualidus, piger, timidus, ventricoſus, non dicuntur pulchri, ſed deformes. Et ad pulchritudinem exactam omnes partes pulchræ requiruntur; ne Nonentis admiſtionem, quod eſt defectus, indicent; ad mediocrem verò non omnes. Melius ergo Plato vocauit pulchritudinem, florem diuinæ Bonitatis: ſicut enim Bonitas creata eſt fructus Bonitatis diuinæ: ita eius ſignum eſt flos quidam manifeſtans illam. Vnde & odor quatenus ſignum cibi, eſt pulcher, ſed quatenus eſt cibus ſpiritui, eſt bonus.

Item dicitur quidquid eſt bonum ad vſum alterius, pulchrum, ſi oſtendit ſignum ad talem vſum: enſis dicitur pulcher, qui flectitur, & non remanet in flexura; & qui ſecat & pungit, & qui eſt longus ad feriendum: ſed ſi ita longus aut grauis, vt non poſſit contractari, dicitur deformis Pulchra dicitur falx, quæ ad ſecandum oſtendit aptitudinem: ideo pulchrior dicitur ſi ex ferro fiat, quàm ſi ex auro; ſimiliter pulchrum eſt ſpeculum, ſi veram repreſentat imaginem, non ſi aureum. Et quia ars humana eſt quæ conſeruat homines, non dicitur pulchrius, quod eſt ditius aut nobilius, aut melius ſecundum naturam, ſed quod plus artis oſtentat opus: vt ſtatua marmorea elaborata à Polycleto peritiſſimo ſtatuario, dicitur pulchrior quam ſtatua aurea ab ignobile ſtatuario, quoniam plus artis illa oſtentat; & eiuſdem pictoris Anus imago benè, & exactè repreſentans Anum, dicitur pulchrior, quàm Virginis imago, non benè imitans imaginatam Virginem. Ars enim Naturæ imitatio: & Infernus deſcriptus in poëmate Dantis dicitur pulchrior paradiſo ſuo ibidem deſcripto, quoniam plus artis ibi, quam hîc imitando expreſſit: licet ſecundum Naturam infernus, ſit deformiſſimus, & paradiſus pulcherrimus: ergo patet vndique pulchritudinem eſſe ſignum bonitatis, quæ promaterialiter in Potentia, & Sapientia, & Amore conſiſtit: ergo Caieta conſentinus omnes, in dicendo quid eſt pulchrum, exuperauit ſcriptores, quamuis principia Metaphyſ. non attigerit. Nos in cantione noſtra de Pulchro omnia expreſſimus; & pulchri diximus eſſe Amorem, Boni verò fruitionem: quoniam tunc Amor nobis videbatur à voluptate ſeiunctus & obiecti abſentis eſſe modo.

Pulchritudo quandoque eſt ſignum verum Bonitatis, aliquando teſtis falſus. Nam fabricans ſpiritus impulſu diuino ipſum corpus, poteſt à fine fabricæ mutari, & fieri prauus ex cibo, aut calore nimio, aut defectu. Sicut qui domum pulchram facit, & extemplo ægrotat; vel fortè exteriora domus nouit elaborare, interiora verò minimè: ergo Socrates, & Eſopus foris deformes ſunt, quoniam eorum anima interiora ſibi adaptare ſatagebat, non exteriora in fabricando; aliæ vero animæ ſunt ſimiles his, qui pulchras veſtes optant; non autem vtiles. In Alcibiade verò vtrunque natura poſuiſſe videtur & fructum, & florem.

Sed in quibuſdam etiam carentibus pulchritudine ineſt venuſtas; & in pulchris abeſt. Venuſtas ergo eſt flos pulchritudinis, vt pulchritudo Bonitatis: & videtur conſiſtere in actibus, vt in verbis, & motibus, & nutibus, proportionatis ad ſenſum illorum, quibus venuſti videntur alij. Eſt ergo pars quædam pulchritudinis venuſtas, non tota pul-

chritudo, nec ad omnes, sed ad illos tantum, qui tali sympathia afficiuntur, & quadam inferioritate donati respectiua commouentur ad melius; iudicatque ergo aptitudinem animæ ad opera quædam quibusdam nobis proficua, vel iocunda.

Sicut autem non datur malum essentiale, sed vnumquodque in sua natura est bonum; licet alteri sit malum, vt calor frigori: ita non datur turpitudo essentialis, sed respectu eorum, quibus malum indicat: vnde inimicus inimico videtur turpis; amico vero formosus: in Natura autem datur malum, idest, defectus, vel impuritas, quæ ad non esse trahit ideatum; & ita turpitudo in entibus est signum defectus, & impuritatis, vt dictum est.

Sicut distinguebamus de Bono & Vero secundum naturam, & de gradibus eorum; & secundum nos: ita etiam de pulchro nunc videmus distinguendum. omnia quoque pulcra sunt secundum naturam, & ad totum; non autem ad partes: stercus nostrum vermi pulcrum & bonum: Nobis è contra, Mundo autem est sicut zipetium.

EXISTENTIAM, VERITATEM, ET BONITAtem distingui origine, rationibus formalibus includentibus perfectè vel imperfectè seipsas: & hæc tria obiecta Proprincipiorum identificari eis: & esse transcendentia Metaphysica, de quibus veteres loquuntur.

CAP. XVII. ART. I.

QVONIAM Bonum est, quod purum est, & non deficiens ab esse sibi ex idea debito: & tale esse est simul verũ. Nam si deficeret, vel excederet, nõ esset, verum, sed falsificatum, vel deficiens à vero: vtique Bonũ à Vero, & Ente oritur, sicut appetitus à Sapientia, & Potentia. & quia non est verum, quod non est, ab Esse oritur veritas, sicut Sapientia à Potentia. Addit ergo existentiæ Veritas entitatem, quæ possit mouere Sapientiam ad sui notitiam. Non enim, quod non est cognoscibile, est: nec mouet, quod non existit actu, cognoscentem. Nec vllum ens nouit seipsum, nisi vbi factum est extrà suas causas, positumque in veritate sui esse. Bonitas autem addit perfectionem, & complacentiam supra veritatem: quando enim res est, seipsam noscit abdita notitia: & mox seipsam amat: neque enim ignotam, aut imperfectam amaret. Et qui se impurum amat, vt peccator, odit se. Hæc autem voluptas abdita, & Amor à perfectione Esse prouenit. Idem ergo Ens cõponitur ex Potentia, Sapientia, & Amore; & idem est Bonum, Verum, & Ens simul: quoniam obiectum, & Potentia in abdito sunt vnà, vt declaratum est. Et quidem in Bono si est perfectio, prius necesse est, vt sit veritas: quod enim non verè est perfectum, non est neque purum: si est veritas, ergo & entitas: non enim verè est quod non est. Si habet veritatem rationis, habet esse rationis, si realem, reale: si subsistentem, subsistens: si substantem, substans, &c. Quapropter præcedit ens verum, & verum Bonum natura, & origine; licet vnum sint. Nam Ens in Potentia, vel imperfectum, est quoque Verum, & Bonum in potentia, & imperfectum: & quocumque est, verum est, Bonumque; & omne verum est ens ea entitate, qua est verum, scilicet vel rationis, vel rei extra animam. Quapropter etsi Verum, & Bonum dicitur, de Ente, & de Nonente, vt ibi,

(*Bonum erat si natus non fuisset*) tamen Nonens est bonum per accidens, quatenus per accidens est Ens, vel remotio Nonentis: cum tamen verissimè esse sit bonum, & nonesse malum: & aliud est non nasci, aliud Nonesse: & quamuis Bonum præponatur Enti à Platone, & Dionysio, præponitur in causando, non in essendo, vt enim causet aliquid, non modo oportet esse, sed diffusiuum esse sui habere: Deus ergo nobis prius innotescit, vt bonus, quam vt ens notitia præsertim externa. Veritas quoque ad Nonentia extenditur: sed non nisi quatenus, vt entia concipiuntur, & significantur Entis idea, & vocabulo. Potentiam autem ad Nonens non ponimus, sed impotentiam. De Vno verò disputabimus, cum illud venabimur. Cum autem Existentia, Bonitas, & Veritas, dicantur de suis potentiis, seu facultatibus (nam omnis potestas est Existentia, & Veritas, & Bonitas: & similiter Sapientia est Entitas, & Vritas, & Bonitas, & Amor est Entitas, Veritas, & Bonitas:) & quodlibet horum sex de quolibet aliquo pacto, & semper prædicetur: consequens est, vt vnum sint re, non ratione, absolutè, non respectiuè, realiter, non formaliter: sicut ex superioribus patuit sermonibus. Et Trascendentia ista sunt, quæ de omnibus dicuntur: & quia obiecta Proprincipiorum de cunctis entibus, siuè fictis, siuè veris, siuè realibus, siuè rationis, dicuntur, & diuiduntur per modos, & notiones in decem cathegorias nostras, & Architæ, & Aristotelis, consequens est, vt sint ipsa Transcendentia.

De numero, & conſtitutione Tranſcendentium Metaphyſicorum & Logicorum.

ART. II.

DIVIDVNT Ens Peripatetici in reale, & rationis : & Ens reale primo partiũtur in per ſe, & per accidens. 2. In abſolutum, & reſpectiuum. 3. In vnum, & multa. 4. In quinque Tranſcendentia, quæ ſunt Ens, Vnum, Aliquid, Res, Verum, & Bonum. 5. In Finitum, & Infinitum: ſed Scotus contendit hanc eſſe primam, eo quod fiat per differentias intimiores. Entis differentiæ ſunt modales, & non diſtrahentes, neque contrahentes extraneo quodam modo, ſicut differentiæ generis apud Peripateticos. Nobis autem non videtur Ens diuidi in Tranſcendentia, cum ipſum ſit vnum ex tranſcendentibus: Neque quartam diuiſionem eſſe tranſcendentium, ſed primam: quoniam tranſcendentia dicuntur de quolibet Ente ſiue finito, ſiuè infinito, ſiue per ſe, ſiuè per accidens. Quapropter cum ſint vniuerſaliora, primo in loco condiſtinguuntur. Item arbitramur, tranſcendentia non dici modo de Entibus realibus, ſed etiam rationis. Nomen enim & ſyllogiſmus, & oratio ſunt veri, Boni entes, vel bonitate ſubiecti, ſicut affectiones entis, vel etiam ſua, quatenus ad id propter quod ſunt, boni ſunt; & veri, ideſt, ad ſignificandum, & cum multa relatiua ponantur entia rationis, imperitè diſtinguũt ens reale in abſolutum, & relatiuum : & in per ſe, & per accidens, cum & in ente rationis hi modi reperiantur. Falluntur etiam in eo, quod dicunt Metaphyſicum non conſiderare ens rationis, ſed Ens reale tantum: vtrumque enim conſiderat: quoniam omnes ſcientias regulat, & eorum principia inueſtigat, & probat, reprobatque, & artes, ſcientiaſque rationales ipſe conſtituat.

Qui diſtinguunt Tranſcendentia ex natura rei, ſed non realiter, videntur ſapere peritius, quam qui ratione ſola, vt dictum eſt : licet neutri proceſſiones eorum norint. Ariſt. rectius ſtatuit eſſe quatuor, Ens, Vnum, Verum, & Bonum, quam Auic. qui addidit Rem, & Aliquid. Res enim non eſt idem, quod Ens ample ſumptum: at differunt ſi ſtrictè ſumatur ſola voce, & impoſitione; non autem ſi ſecundum totum ambitum; quoniam Res eſt Ens ratum: Ens verò eſt res rata, vt realia, & non rata, vt entia rationis. Nec res ab eſſentia, & Ens ab exiſtentia ſumantur: ſed vtrumque ab vtraque: exiſtentia enim Res eſt, vel realitas, vt dictum eſt. Ens autem melius exprimit vtrũq; præterea quoniã Res dicitur tantum de Ente reali: vt nomen ſonat, non de ente rationis: Ens verò de vtroque; ergo Res non eſt tranſcendens, ſed ſubtranſcendens, vt probauimus in Logica. Aliquid verò dicit aliud quid diuiſum ab aliis rebus : & quia omnis res ab alia eſt diuiſa, poteſt dici Aliquid. Sed quia Deus à nullis diuiſus eſt; quoniam omnia eſt eminenter, & in omnibus, non poteſt dici Aliquid, quoniam contractus eſſet ad particularem entitatem, idcirco arbitror ly Aliquid, dici tantum de ente finito, non de infinito, eſſeque ſubtranſcendens.

Sufficientia & ordo Peripateticorum eſt, quod intellectus primò cognoſcit Ens, mox oppoſitum Nonens; mox diuiſionem à Nonente poſitam. Deinde Ens vt indiuiſum in ſe, & ſic eſt vnum. Deinde vt diuiſum ab aliis, & ſic eſt Aliquid : & tunc ſequitur Res, quoniam dicit quidditatem indiuiſam in ſe, & diuiſam ab aliis: Deinde, Verum, quia eſt obiectum intellectus, qui prior eſt Voluntate: & Deinde Bonum ipſius Voluntatis.

Sed iſte ſermo nihil probat: quoniam Ens diſtinctè cognitum comprehendit Verum, & Bonum vniuerſaliſſimè : Vnum verò vt conditionem entis ſimpliciter : Aliquid autem vt entis finiti rationem. Cuiuſmodi & modum, & quid, & Pronomina, & Relatiua de cunctis dicta concipit: Idcirco multo plura eſſent tranſcendentia ad libitum intellectus; ſed quemadmodum in rebus eſſe agnoſcuntur, & quia Primalitates ſunt Poteſtas, Sapientia, & Amor; & hæc diſtincta habent obiecta ex natura rei, ſcilicet, Ens, Verum, & Bonum: Idcirco hæc tria ponimus Tranſcententia Metaphyſ. At Logica infinita, hoc eſt vocabula omnia vniuerſaliſſima, & Pronomina, præſertim quæ nominis cuiuſlibet apponuntur loco : vt Aliud, Ego, Quid, Hoc, Illud & quæ de Deo, & de cunctis creaturis dicuntur. Nec modi Entis faciunt Tranſcendentia ſicut genera rerum. Tranſcendentia enim fiunt à Primalitatibus, proceſſionibuſque internis : Vnum verò eſt primum in quantitate, & transfertur ad primum in omni genere : mox ad Primum Ens; ſicuti omne ens eſt ens participatione entis : Ita Vnum participatione Primi Entis; quod quia primum eſt, infinitum eſt, & vnum indiuiſum, à quo omnia vt ſint vnum habent. Vnitas autem dignitas eſt Entis conſeruatiua, ſicuti diuiſio eſt annihilatiua : & obiectum eſt omnium Primalitatum ſimul, ſicuti Ens, Verum, Bonum, ſeorſum & ſigilatim; Et hoc inueſtigare nunc oportet.

FINIS LIBRI VI. PARTIS II.

THOMÆ CAMPANELLÆ PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICORVM DOGMATVM;

PARS SECVNDA.

LIBER SEPTIMVS.

VNITATEM IMPORTARE PRIMITATEM, Diuinitatem, & Entitatem supremam, simpliciter, vel in genere, vel ex nostro instituto; & non producere numerum, sed vnitates per se: & essentiam non esse vnam, neque plures, vt nos intelligimus: sed alio modo; & Parmen. sermo quàm verax de vno.

CAPVT I. ART. I.

VNITAS videtur quid diuinissimum esse, & primitas ipsius entis, & in ea, & per eam, & ab ea constare cuncta, & esse in eò, quòd vnitatem participant. Neque enim est, quod vnum non est, & quia iam vidimus, omnem rem esse, quia amat esse, & quia scit esse, & potest esse, per argumentum à priori: At iterum esse, quia potest; & posse, quia scit, & amat esse, per argumentum à posteriori: & similiter iudicatum est ab obiectis, quoniam res est, quia existit, & quia vera est, & quia bona est, & è conuerso. Nunc inquirendum est quo pacto se habeat vnitas ad esse, vtrum præcedat, an sequatur origine, & quid addat, aut prædicet. Et quidem veteres Philosophi ens non esse, nisi vnum sit, docent, & in eo esse, quod vnum. Et vnum, & ens idē esse putat Arist. At Plato præcedere, quoniam ens omne est vnum: at non omne vnum est; componeretur enim ex esse & vnitate, nec simpliciter esset vnum. Nos autem dicimus essentiam neque vnam, neque plures, quoniam idea hominis si esset per se vna, non posset multiplicari in multis indiuiduis: si verò esset multiplex, non posset seruari in vno indiuiduo: ergo non vnus sol, neque vnus mundus, sed infiniti reperirentur. Neque fuisset vnquam vnus homo, vt Adam, sed semper multi: ergo & ipsum ens, à quo omnia sunt entia, non videtur esse vnum, neque plura: si enim vnum, nunquam multitudo euenisset ab eo: & hoc Parmenides probat apud Platonem, dicens, si vnum est, multa non sunt: & Arist. videtur asserere, dicens, Ab vno, inquantum vnum non prouenire multitudinem: sed humilius sapit, quàm antiquiores. Mihi autem videtur nec vnum ab vno; quoniam vnum non multiplicatur vt sic; & propterea Deus non potest esse nisi vnus, quia verè vnus. Verùm nihil prohibet quin vnitas producat vnitates minores & consimiles. Nam si idem procedit, non recedit, vt fiant duo: Non

enim poteſt ens non entia facere, neque vnitas non vnitates: ſed ſolum infinitum vnum eſt, nec poteſt infinitum facere extra ſe, Multitudo ergo eſt vnitatum numerus: ſed quia numerus importat diuiſionem; diuiſio autem eſt à nonente: in hoc enim calor eſt diuiſus à frigore, & hoc corpus ab illo corpore, quod non eſt calor frigus, nec hoc corpus illud corpus. Igitur vnitas, quæ eſt ſummum ens, infinita eſt, nec numerum admittit, quia nec actu nec potentia diuiſionem. Propterea Parm. probat, quod non eſt totum, nec pars: ſic enim diuiſibile eſt, non vnum, ſed plura: ergo, ait, non habet principium, nec medium, nec finem: partes enim ipſius eſſent, quod non vnum: ergo, ait, eſt infinitum, quia caret principio & fine: ergo eſt abſque figura rotunda aut recta: habet enim partes à medio diſtantes: ergo non eſt in ſe, nec in alio, quoniam non eſſet vnum, ſi in ſe, & complecteretur ab alio vndique: ergo partes haberet: ergo non mouetur, nec quieſcit. Non enim alteratur, quia alterum à ſe faceret, ſcilicet, non vnum: Nec loco mouetur, quoniam nec circulo, nec rectà: ſiquidem nec in alio eſt, nec in alio fit, vbi non erat; & quia nec in ſe, nec in alio eſt: ergo nec quieſcit: ergo nec alterum à ſe eſt, quia non eſſet verè vnum: nec ab alio, quia non eſt ſeipſo alterum, cùm ſit vnum ipſum, & non alterum altero: ſic enim non ſeipſo alterum: ergo neque ipſum. Item nec eſt idem alteri: quia erit etiam illud alterum: ergo non vnum. Nec idem ſibi, quoniam eſſe idem non eſt eſſe vnum: numerus enim etiam dicitur idem multis, non tamen vnum eſt, ergo ſi idem non verè vnum: item ergo nec ſimile neç diſſimile ſibi aut alteri: quia eſſet idem ſibi aut alteri; quod negatum eſt: item ergo nec æquale, nec inæquale alteri vel ſibi propter eaſdem cauſas: tum quia non habet menſuras plures, neque pauciores ſuis, vel aliorum: nec eaſdem, quoniam haberet partes, neque eſſet vnum. Si æquale ergo idem, quod negatũ eſt: item nec eſt antiquius, nec iunius, nec coætaneum aliis vel ſibi: ſi coætaneum eſſet idem aut ſimile; hoc autem negatũ eſt: ſi iunius aut antiquius; ergo eſſe in tempore alterum, & diſſimile, & inæquale, quod reprobatum eſt: item ergo nec eſt in tempore; fieret enim ſeipſo ſenius & iunius, & coætaneum. Siquidem ſi ſenius ſe: ergo iunius ſe; ſenius enim iuniore ſenius: ſi ſe; ergo ſe iuniore: ergo etiam fit iunius, recedit enim ſenex à ſe, vt iuniori. Hæc autem prorſus vni non conueniunt: non enim eſt vnum quod ſenius, iunius, aut æquum eſt, aut fit. Tandem, ait, ergo non eſt, nec fuit, nec erit; quod enim eſſe capit in præſenti, aut præterito aut futuro capit: ergo non habet exiſtentiam, ſed ſolum eſſentiam: ergo non eſt niſi ſecundum rationem: Non eſt ergo, nec ly eſt dicitur de vno: neque quod eſt ens, nec quod eſt vnum, niſi voce: non enim poſſumus aliter loqui: ergo ſequitur, non datur ſcientia, nec nomen, nec ſenſus de vno, ſed eſt incognoſcibile, ineffabile, inſenſibile. Adde, quod nod exiſtit extra ſe: ergo ly eſt, notio eſt ſolum. Vnitas verò quæ non eſt totum ens, admittit diuiſionem, ergo numerum; ergo limitem & finem. Finitudo autem à nonente eſt: igitur maxima vnitas maximè ens eſt: ergo diuiniſſima eſt, & prima eſt. De ratione ergo vnitatis eſt primitas: & quia ſapientia, Poteſtas & Amor ſunt Primalitates infinitæ vnica infinitate conſtituentes ens infinitum vnum: & ipſum primum, Ens oportet eſſe potentiſſimum, ſapientiſſimum, & amoroſiſſimum: & ſecunda entia ex parte, Poteſtate, Sapientia, & Amore conſtitui; & ſimul ex Impotentia, Inſipientia & Noluntate; Manifeſtum eſt, quod primitas eſt maxima vnitas: quoniam ſunt in eo, quod vnum ſunt: & eſſe vnum à priori habent, non à poſteriori: ergo in omi genere rerum illud eſt primum, quod eſt maximè vnum, & maxime tale in eo genere, ſicut lux in genere colorum. Vnitas ergo addit diuinitatem, quoniam Primitatem, & Entitatem ſublimiſſimam: & hoc vetuſtiſſima Hebræorum lingua monet, dum loco primi, dicit vnum: *Et factum eſt* (ait Moyſes) *Manè & veſpere dies vnus*, hoc eſt primus. Nam ſequitur, factum eſt dies ſecundus, tertius, &c. Primitas autem vnitatis non eſt ipſamet Primitas Proprincipiorum, videlicet Poteſtatis, Sapientiæ, & Amoris: hæc enim eſſentiant ens, non vt res, nec vt entia, ſed vt realitates, & eſſentialitates: & quia eſſentia eſt quatenus vna eſt: vnitas eſt eſſentiatum, & eſſentiatio quocumque modo tam primi, quàm ſecundorum. Omne enim ens iſtis conſtat primalitatibus. At vnitas dicit totum ens eſſentiatum primalitatibus, & addit primitatem inter entia, vel ſimpliciter, vel ſui generis: & quamuis vocetur à nobis vnumquodlibet ens; homo enim dicitur vnus, non ſolùm Adam aut Ieſus, ſed vltimus homo; & viliſſimus dicitur vnus; hoc tamen ratione noſtri, & non naturæ ita ſe habet: qui facimus primum, quodcumque nobis offertur primum, non quod eſt primum omnino; nec abs re poſſemus ita primificare, quippe quoniam quantum participant de ente, participant de primitate. Hinc dicitur Zacheus vnus homo, quatenus ens homo: ſicut enim à primo Ente cuncta participant eſſe, ita & vnitatem, & primitatem aliquam. Nam & diuinitatem aliquam participare dicuntur: & idcirco quaſi per ſe ſunt, ſicut Deus per ſe. Per ſe autem eſſe eſt non in alio, nec ab alio, nec cum alio; quod ſoli Deo conuenit: ſecundis autem rebus minimè; nam ſaltem ſunt in loco, quæ non ſunt in ſubiecto, & alterum alteri colligata ſunt in eorum vniuerſitate quadam miſtione: Deus autem immiſtus eſt, ſi verè vnus eſt per ſe. Hinc orta eſt opinio Ariſtotelicorum, quod vnum ſit idem quod ens, addat autem indiuiſibilitatem.

Vnitatem

Vnitatem dicere indiuiſionem in ſe, & non etiam diuiſionem ab aliis, vt ſunt. Et Ens addere ſuper particularia entia vniuerſalitatem. Vnum verò Primitatem: & Diuinitatem: & non ſolam negationem, vt putat Ariſt. & Auerroës.

ART. II.

SI Vnitas eſt idem realiter cum Ente, non videtur Sapientia eſſe vna, niſi quia ſimul eſt Poteſtas, & Amor, vt dicebamus. Sapientia enim non eſt ens, niſi cum his, & in his, & hæc in ipſa, licet proceſſio ſit, & quædam diſtinctio formalis, non realis in eis. Vnde non ſunt entia, ſed entitates & realitates entis: Ergò & vnalitates vnius dici poſſent. Idem dicendum videtur de Poteſtate, & Amore: De Exiſtentia, Veritate, & Bonitate. Vnum enim eſt quoddam totum, vnde pars non eſt vna, niſi quia tota. Nec Petrus eſt vnus homo, ſi ei deſit anima, vel ratio, vel crura, vel manus: ſed dicitur homo æquiuocè, vel dimidius, vel truncus. Sed tamen eſt vnus homo truncus, quia eſt: Eſt & homo vnus mortuus, quia æquiuocè homo: ſed quia ens eſt non æquiuocè, eſt vnum ens non æquiuocè. Quapropter cuiuſmodi entitas, eiuſmodi vnitas eſt in rebus: & vera entitas, & maxima entitas cum vera, & maxima vnitate. Tolle vnitatem, non datur ens vnum, nec multitudo: Quæ eatenus eſt quatenus conſtat vnitatibus. Et Ariſt. nititur probare, ens idem eſſe, quod vnum realiter. Nam cum dicuntur de aliquo, nullam diuerſitatem cauſant in eo; idem enim eſt dicere homo, & ens homo, & vnus homo. Nam & ſimul natura generantur, & corrumpuntur homo, ens homo, & vnus homo. Item prædicantur per ſe ipſa, & non per aliud de ſubſtantia rei; quidquid enim eſt, ens eſt. Item addit Auer. Si res non eſt vna per ſe, ſed per aliud; quæro de illo alio, cum ſit ens, erit vnum, an non? ſi non, quomodo dat vnitatem? ſi erit; aut ergo per ſe, aut per aliud; ſi per ſe, habetur intentum: quod & de primo idem poterat reſponderi: ſi per aliud: iterum quæratur de illo alio.

Nos autem dicimus, addit homini ly ens vniuerſalitatem, id eſt, communitatem, & ſimilitudinem, quam cum cæteris rebus cunctis habet: & ly vnus, addit totalitatem, & perfectionem, & dignitatem entis, quæ eſt primitudo, & participatio, & caracter diuinitatis. Simpliciter autem dicit diuinitatem. Et hoc Scotus à longè olfecit. Vtrum autem in Deo ſit numerus ſine nihilitate, aut indignitate, vt ſancta Theologia docet, in ſequentibus palàm fiet ſermonibus. Cæterum in primo Ente, ly ens, & ly vnum, nihil videntur addere, quoniam ſeipſo eſt vniuerſaliſſimum, & perfectiſſimum: quoniam non eſt contractum ad hominis, vel lapidis eſſe, & caret hecceitate contractiua. Et ſecunda entia, ſicut per ſe non ſunt entia, ſed per primum, à quo habent eſſe: ita nec per ſe ſunt vna, ſed per primam Vnitatem: à qua deficientes, deficiunt etiam ab entitate. Et quia videntur habere eſſe hoc, quod eſt diminutum ab hecceitate, ſiue contractum, ita habent vnitatem hanc: & deficiunt ab ea, cum ab hac entitate deficiunt. Quia ergo ſimul generantur, & corrumpuntur, non ſunt diuerſæ res, ſed realitates. Et Ens dicitur Vnum vnitate ſua, & vnitas ens entitate ſua, non ſuperaddita, ſed indita: nec vltra, quo res ſit vna, quæri debet: eſt enim ſeipſa tota. Ideo Auer. ratio non probat, quod ly vnum non dicat niſi indiuiſibilitatem, & negationem; ſed quod non dicat aliam rem à re vna, ſed realitatem aliquam non excludit. Nam ſecundum nos dicit Primitatem cognitionis, & ordinis à nobis poſiti: ſecundum naturam verò aptitudinem ad hanc Primitatem noſtram, vel actualem entitatis dignitatem. Lux enim eſt primus color, & Rex primus ciuis, & Adam primus homo; Aptitudo autem illa eſt diuiſibilitas ab illis. Non enim cognoſcitur vnum, quod eſt aliis miſtum. Vt caloris gradum & intenſionem non vocamus vnum in multitudine caloris in fornace. Quod autem eſt in ſe indiuiſum, verius eſt vnum natura. Nam quamuis ſolus vnus homo eſſet in Mundo, aut vnus lapis, nihilominus vnus eſſent, ſicuti & Mundus Vnus. Et Deus antequam mundum produceret erat vnus. Et quidem quod eſt primum, non eſt diuiſum in ſe: ſic enim non eſſet primus, ſed aliqua pars prior altera: Non enim poſſunt eſſe plura prima. Et quod eſt aliis vnitum, eſt vnum, ſed non omninò: quoniam aliorũ miſtio trahit illud ab vnitate ad multitudinem: Ergò vnum eſt in ſe indiuiſum, & ab aliis diuiſum. Sed quia diuiſio dat noneſſe illa, à quibus diuiditur, conſequens eſt vt totalitati entis ſummi detrahat: quod enim non eſt aliqua, caret illis. Ergo defectus in eo: Ergo multitudo facit vilem vnitatem, & deficientem, niſi vnitas ſit tota multitudo ſimul vt oſtendemus. Non ergo de ratione vnius eſt diuiſibilitas.

Indiuisionem non esse constitutiuam vnitatis, sed eius asseclam: & indiuisionem non esse priuationem, & post cognitam: Diuisionem verò habitum, & præcognitum, vt putant Peripatetici, sed è contra. Nec maximè indiuisibile esse maximè vnum, sed maximè ens esse maximè vnum.

ART. III.

QVOD autem sola indiuisibilitas in se non faciat vnitatem, inde patet, quod quæ maximè indiuisibilia sunt, essent maximè vnum. Vnum enim ens est, ergò maximè indiuisibile esset maximè Ens. Ergo punctus indiuisibilissimus maximè ens esset. Quod Peripatetici negant, & ponunt ipsum quasi nonens. Nec quia est in alio, sit Nonens. Nam atomum corpusculum in luce solari conspectum, est per se, vt aiunt, & tamen non maximè vnum, sicut maximè indiuisibile. Deus autem magis vnum, quam corpusculum illud, vt asserunt omnes: & tamen totum esse cunctarum rerum in se præhabet. Item particula lucis esset magis vna, quam tota lux. Non ergo indiuisibilitas negatiua constituit vnitatem, vt Arist. vult, ita quod sola negatio diuisionis addita enti constituit vnitatem transcendentalem: sed est realitas quædam entitatisque conditio: At inquit Arist. *Vnum videtur esse indiuisibile, aut materia, sicut continuum: quod diuisum non est amplius vnum, siue continuetur arte, siue natura. Aliud verò est vnum materia, & forma, vt aqua, cuius omnis pars est aqua, aut materia, sed non forma, vt homo ex neruo, carne osse, difformibus: Sunt vnum subiecto, quæ non sunt diuisa in eo, vt dulcedo & albedo in pomo. Sunt vnum vsu, vt calcei, & cibus & potus ad eandem comestionem spectantes. Vnum ordine, vt exercitus non diuisus. Vnum diffinitione, aut generica, aut specifica. Et in omnibus his indiuisibilitas facit vnitatem.* Respondeo, quod indiuisio non constituit vnitatem, sed sequitur illam: Ex eo enim quod cibus confert ad instaurationem sicut & potus, sequitur quod sint vna commestio, & non diuisa; & ex eo quòd homo habet sensum & motum, sicut & leo, sequitur, quod sint in hac ratione generica indiuisi homo, & leo. Similiter quia continuum habet partes ad eandem actionem, & passionem, & entitatem spectantes, & cohærentes, sequitur, quod sit indiuisum. Diuisio autem parit multitudinem, quoniam ipsa fit à nonentitate: sectum lignũ nõ est sicut erat, ergo sicut non erat. Nec ipsa diuisio facit nonesse, sed fit; nec vnitas facit esse, sed est. Aut si facit prior ente est. Quomodo autẽ est, nisi entitate? Ergò simul sunt. Vnitas ergo vt dicit Primitatem dignificat esse, non præcedit esse: vt verò dignificat, magnificat: at quatenus dicit indiuisibilitatẽ, sequitur ad ipsum esse maximum. Cum enim diuiditur, minuitur. Idcircò maximè errant Peripatetici in eo, quod putant indiuisionem esse priuationẽ diuisionis, & cognosci prius habitum, quã priuatio. Ergo, aiunt, prius ens, postea nonẽs, postea diuisio, postea indiuisibilitas, & vnitas. Sed errant: quoniã indiuisio, quam importat vnitas, nõ est priuatio, sed entitas maxima, & secundum naturã cognoscibilis maximè. Et est ens positiuũ, licet secundum vocem sit priuatiuum, & negatiuum. Et hoc patet quia vnitas mensurat numerum, ergo notior est. Item ab vno fluit multitudo: ergo præhabet vnum illam in se virtualiter, ergo vnitas dicit fœcunditatem essendi. Et idcircò dicitur in libro de causis, quæ plus vnitatis habent, plus esse habere, & fixionẽ, & infinitatem, & virtutem. Non igitur est priuatio Vnitas, sed habitus. Diuisio autem est Priuatio, & nonens, vt cœcitas; aut nonentis filia. Virtus enim diuisa decrescit, vnita augetur: & entitas. Vnde elucescit magis, quòd Vnitas non sit indiuisibilitas, sed quòd in ipsa fundetur, & non sit priuatio; sicut nec nõ posse peccare, est impotentia: nec immortalitas est priuatio, sed æternitas, ens maximum.

Vnitatem, & Numerum, primò secundum nos inueniri in quantitate: sed secundum rem, & naturam in entitate. Et dicere, non Quantitatem continuam: nec indiuisibilitatem continui: neque metrum, sed Primitatem simpliciter, vel participatiuam Diuinitatis; consistentem in entitatis dignitate, & conseruatione entitatis & fœcunditate. Nec metrum esse minimum, & indiuisibile secundum se, sed secundum nos. Ideò aliam esse indiuisibilitatem vnitatis per se, & quo ad nos: Et de prole vnitatis; & à Primitate oriri indiuisibilitatem, & Metri rationem.

ART. IV.

INnotuit nobis primò Vnitas in Quãtitate, sicut & Numerus ex Diuisione Quanti. Idcircò putant alij rationẽ Numeri, & Mensuræ propriam Quantis: cæteris verò per translationem. Alij verò aiunt in omni genere esse vnum primũ, quod numerat replicatũ eiusdem generis partes. Et quidem rectè vtrique asserunt: Illi enim respiciunt vnde impositum est nomen. Isti verò ad quod. Vnitas ergo transcendentalis est, & ad omnis generis vnitates pertinent, ita & Pluralitas. Et quia Vnitas dicit Primitatem, & Indiuisionem, & Metrum: ratione autem Primitatis est Metrum, quoniam secundum accessum, & recessum à primo mensurãda sunt secũda entia simpliciter, vel in suo genere; idcircò verum est, quod Numerus sit in genere Quantitatis primò quo ad nos, quia in Quantitate innotescit Mensura. Sed cum Quantitas essentiæ sit communis cunctis rebus, vtique secundum naturam Vnitas & Numerus sunt in omnibus rebus: & non est verum, quod vnum, quod cum ente conuertitur, dicit indiuisionem: & cum

est principium Numeri, dicit rationem Mensuræ: sed hoc tantum secundum nos ita se habet. Vnde & Deus dicitur mensura omnium rerum, quoniam per recessum ab eo res numerantur; vt patebit. Et tamen nos non à Deo cognitionem exordimur, sed à rebus. Cælum verò mensuramus gradibus, gradus milliaribus, milliaria passibus, passus pedibus, pedes digitis. Ergo mensura secundum nos est quid minimum & indiuisibile, ne possit variari, & obscuritatem facere; sed & nobis notissimum. In Deo verò est quid maximum. In Angelo est pes Angeli in Apocalypsi, sed metaphoricus. Hinc patet, indiuisionem esse de ratione Vnitatis nostræ secundariò, quatenus mensurat: De ratione verò entis quatenus dicit Primitatem actu, vel aptitudine, sicut dictum est. Idcircò non est Vnitas corporeorum ipsa Quantitas continua, vt putant alij, quoniam & ipsa habet partes distinctas. Neque indiuisibilitas continui, quoniam punctum esset maximè vnum: neque mensuratiua ratio: Mensura enim pertinet ad esse, & ad nonesse mensurati, quoniam simile, & distinctum ab eo, re, vel ratione, esse oportet; sed entitas est, vt apta seruari seipsa, quę est diuinitas participata, vnde fluit Primitas, & Indiuisibilitas, siue Quantitas, & Mensuratiua ratio. Mox Vnitatis participationes sunt Identitas, Æqualitas, Similitudo, Conformitas, Concordia, Consensus, Compassio, Paritas, Proportionalitas, Analogia, &c.

VNITATI OPPONI DIVISIONEM, NON autem Numerum, seu pluralitatem, nisi quatenus constituuntur Diuisione. Et hanc esse Nonens, vel Nonentis influxum, & Primitudinis & Diuinitatis, & Entitatis inimicam. Et Numerum non esse substantiam entis, vt Plato, & Pythag. putant: sed Nonens. Et ideò in participantibus Nonens solum reperiri vt sic. Ab Aristotelis rationes contra eos, & Parmenidem nihil valere.

CAP. I. ART. V.

VNITATI autem opponitur Diuisibilitas, & nõ pluralitas, vt Peripatetici putãt: Et Plato, qui diuidit ens in vnum & multa: nã vnũ est ens, vt primũ simpliciter participio cui Nonens opponitur: Multitudo autem ens est, quia plures vnitates, vel defectiuas continet, & ergo entitates: sed ex ea parte qua includit Entitates non opponitur vnitati, sed constituitur, & mensuratur ab illa. Ex ea parte verò, qua includit diuisionem entitatum, dicit Nonens, & opponitur Vnitati: quatenus enim Petrus est homo, vnus est cum Paulo homine: sed quatenus est diuisus à Paulo non est homo, sed hic homo: esse autem hic, est nonesse ille. Mediat ergo Nonens faciens diuisionem. Ergo verè dicit Parmenides, si Vnum est, multa non sunt, quoniam qua ratione sunt, vnitatem habent: qua ratione non sunt, diuisionem: Diuisio autem est Nonens. Non ergò multa sunt. Hinc Pythagoram, & Platonem licet incusare, qui cum vnitatem substantiam rerum agnouissent, mox numerum inter substantias locarunt: Numerus enim quà est diuisus est nonens. Verumtamen quia secunda entia constituuntur Esse, & Nonesse, vt in 1. lib. probatum est, vtique vnitate, & numero entia secunda constare non absurdè dicitur. Arist. autem arguto, sed humili præditus ingenio, eo quod Numerus sit accidens, non constituere entia putat: Numerus enim neque accidens, neque substantia, sed essentia, & existentia rerum, siue sint substantiæ, siue subsistentię, siue accidentia. Tolle Numerum, omnia sunt vnum & Deus. Vt ergo entia sint, numerus est. Neque idem substantia erunt tres homines, & tres boues, quia constant eodem numero, vt Arist. arguit: Non enim loquitur Pythagoras de Numero Arithmetico, sed transcendentali, cuius Arithmeticus est participatio, & ille est entis, & nonentis confectio, non coarctata ad genus. Idcircò tres homines ita inter se quoad esse distinguuntur, sicut tres boues, & ita consimiliter constituuntur: Sed hominum trinitas non est boum substantia, sed trinitatis boum. Accidit autem numero esse boum, & hominum, sicut accidit enti esse hominem, aut bouem; & homini esse Petrum: Nihilominus ens & numerus habent esse absque his hecceitatibus & particularitatibus in communitate. Sed de his cũ perueniemus ad ideas. Pręterea nulla res esse potest absque vnitate. Vnitas ergo causa est omnium, non egrediendo ab vno. Numerus etiam omnis est vnus, dualitas vna, quaternarius vnus, decas vna, dimidium est vnum, & omnis omnium particula est vna, & quod plura partibus est, vnum est toto: quod plura accidentibus, vnum subiecto: quod plura numero, vnũ est specie: quod speciebus genere: quod plura processibus vnum est principio. Ergo datur vnum ante multitudines, & ante vnitates multitudinũ, quo sũt omnia. Item si vnum non est, quidquid capis erit multa. Ergo non datur rei principium, illud enim multa est. Etsi partem accipit priorem, illa etiã erit multitudo. Ergo non datur prius, & primum, nec medium, nec finis: & omnia erunt multa confusa. Imò & nihil.

D. Tho. 1. p. q. 7.

Ex dictis enim patet rationem Parmenidis aliam veram esse: quæ dicit, omnia entia esse vnum: Nam quidquid, ait, est præter ens, nihil est: quidquid est præter vnum, est præter ens: omne enim ens vnum; ergo præter vnum nihil est. Et cum Arist. ait, Ens non esse vnum, quoniam diuiditur in decem prædicamenta, malè loquitur;

1. Phys.

etenim qua diuiduntur, prædicamenta non sunt: qua vnitatem habent, sunt: & qua Numerus, non sunt, sed qua vnitates, sunt. Et hic est sensus Parmenidis; quoniam ipse posuit entia multa, vt ignem, & terram principia physica: & vocauit terram nonens; quoniã ipsa recedit à perfectione entis magis quàm ignis: & participat nonens: at non est Nihil. Et cuncta sunt quatenus vna.

At cum Parmenides putat vnitatem non esse, quia neque in se, quoniam esset non vnum, quia sunt duo, quod, & in quo: neque in alio, quia tunc essent multa eius membra circumdata ab alio extrinsecus. Item nec vnum dici ens, nec ista, *vnum est*, quoniam ex vno, & ente fieret compositio, & multitudo; vera quidem dicit secundum rem. Vnum enim illud est ante omnia entia, & non vt numeri pars, nec sui, teste Dionysio in 13. de diuinis nominibus. Neque habet existentiam aliam ab essentia. Propterea ly est dicitur de ipso notionaliter, non realiter, ita vt componat cum vno; essentialiter vno.

RATIONES EFFICACISSIMÆ METAPHYSICALES, quod vnitas sit, & ipsa primum sit ens, prima Potestas, prima Sapientia, primus Amor, prima Existentia, prima Veritas, & prima Bonitas, & quidem per essentiam, & infinitam, à qua omnia entia habent esse, Potestatem, Sapientiam, & Amorem, & existentiam, & Bonitatem, &c.

CAP. VI.

MVLTA quidem videmus esse entia, Calorem, Frigus, Materiam, Cœlum, terram, sidera, plantas, feras, lapides, metalla, liquores: Attamen in vno eodem loco contenta, & inter se quodam ordine colligata; aliud namque ab alio dependet: in omni verò coordinatione rerum inuenimus vnum Primum, quod per se primo cum sit tale, ac per essentiam, causa est qua cætera eiusdem ordinis sint talia: in quodcumque genus causarum intuitum ferimus. In calidorum namque genere ad primum per essentiam deuenitur calidum, vnde omnia calida sunt, videl. ad solem, quem in physicis ostendimus esse fontem ignis: & non ab igne per accidens genito in concauo lunæ fictitio; terram calefieri, & fontes, & plantas, & animalia, ac cætera calorem participare: sed ab ipso sole, qui per essentiam calidus est; & causa est vt cætera participent calorem. Similiter in frigidorum genere deuenimus ad Terram primum frigidum, à qua omnia participant. Neque enim non terræ sit, sed aquæ frigus primum, quod nimirum aquas gelat, & in non aquas, videlicet Crystallum & glaciem, & similia, dura ac sicca conuertit in entia, & perdit liquiditatem, & mollitiem, & fluxibilitatem natiuam aquis. Potest ergo amplius aqua frigefieri, quàm est. Ergo vel non est natura frigida, quoniam nulla natura corrumpit id, cuius est natura: vel non summè ac primò frigida. Ignis enim summè calidus, adhuc calefieri nequit: sed Aër, & cætera, quæ calorem participant. Nec calor natura ignis corrumpit ignem. Similiter autem in corporum genere deuenimus ad primum corpus, vnde participarunt omnia corpora. Omnia etenim corporea entia ex terreno corpore fiunt. Terra autem, & cælum ex prima materia, quam ostendimus esse corpoream molem: & non per accidens oriri corpus ex materia incorporea, & ex forma incorporea simul iunctis, & quasi ex nonente fieri, vt finxere Peripatetici. Idem inuenimus in causis exemplaribus. Ex primo enim exemplo inuentoris molendinorum fiunt omnia molendina: & ex primæ cytharæ idea omnes cytharæ: licet multifariam postmodum variatæ fuerint. Attamen ad eundem finem, primum exemplar imitantur: Ergo & in naturalibus ex exemplari, ex quo primus homo factus est, homines fiunt omnes: & exemplo primæ plantæ, omnes plantæ, vt dicebamus. Neque enim Natura inuentorem habeat insipientiorem artificibus humanis: neque ipsa careat illo, quem dat nobis. Ex his palam fit: Ergo & in entium coordinatione deueniendum esse ad primum Ens; quod cum sit per se maximum, summumque Ens, causa est vt cætera entia sint. Primum autem in omni huiusmodi serie est Vnum: à cuius accessu, & recessu causatur Numerus: & lux enim vt dicebamus in 1. par. lib. 2. est primus color: à cuius participatione serialis colorum numerus causatur, vt secundus sit albedo, tertius palliditas, quartus croceus, & sic seriatim. Similiter ostendimus in saporibus. Et in calidis primus est sol, secundus sidera, tertius cælum, quartus Aër &c. Cum igitur Numerus non solùm reperiatur in Cathegoriis particularibus, & artificialibus, quandoquidem in Repub. primus est Rex, secundus Princeps, tertius Dux, &c. sed inter entia reperiatur: quoniam cœlum, & Terra & sidera, & animalia, aliaque entia faciunt numerum. Licet enim cælum Terraque æquè primò nobis nota sint, tamen primum dignitate, vel intentione videtur cælum, secundum terra, tertium sidera, quartum Mare, quintum Homo, &c. vel si per causas numeramus, originésque primum est locus: secundum corporea moles, tertium calor, quartum frigus, quintum cælum, sextũ tellus, septimum sidera, octauum mare, nonum Homines, decimum plantæ, &c. vnde patet inter entia esse numerum non modo in ordinibus particularibus: ergo & Vnitatem: ergo prima Vnitas, quod primum est Ens, quod est ipsum Vnum, & omniũ rerum causa, & causa causarum. Idem ostendit ordinatio potestatum. Etenim quidquid est, idcirco est, quoniam potest esse:

& eo modo, quo poteſt eſſe: quæ enim poſſunt ſubſiſtere ſunt ſubſiſtendo: quæ nequeunt ſubſiſtere, ſed in alio exiſtere, vt calor, & figura, ſunt inexiſtendo: quæ ſubſtare poſſunt, ſunt ſubſtando, vt Materia, & ſpatium continens Mundum. Vnumquodque autem indiget vel loco, vel ſubiecto, vel ſocio, vel conſocio, vel conſociali ente ad potentiam eſſendi. Et quia quædam poſſunt magis eſſe, quędam minus: neceſſe eſt peruenire ad id, quod maximè poteſt: ad ipſam nimirū per ſe Potentiam. Per ſe autem non eſt, quæ ſubſtat, & à ſubſtando habet eſſe. Neque quæ inexiſtit, neque quæ indiget loco, aut tempore, in quibus ſit, alioquin cæteris non daret poſſe exiſtere, cum ipſa indigeat. Prima ergo Poteſtas eſt à ſe ſubſiſtens, & primò conſtituens ens. Hoc patet in Polyticis imaginibus naturæ: vbi eadem poteſtas Regis, quæ eſt per eſſentiam inquantum Polytica, dat cunctis poteſtatibus ſub ſe vt ſint: etenim Princeps, & Dux, & Marchio, & Conſiliarius, & ſcriba, & iudex, & lictor, & tribunus, & edilis, & quicunque alij ſunt poteſtate conſtituti nihil poſſunt, niſi quatenus participant Regiam poteſtatem, magis, aut minus; & in quo non participant, non poſſunt, ita & in rerum natura ad primam Poteſtatem deuenire neceſſe eſt, per ſe omnipotentem.

Præterea ex præcedenti libro agnouimus, omnia entia eſſe, quia ſentiunt eſſe ſuum, & alienū, quatenus immutatur ſuum in illud; aliàs non fugerent contrarium; neque amicum, neque ſimile ſequerentur; neque in inuicem agerent; neque generarent: & omnia in Chaos redigerentur. Non autem omnia ęquè ſentiunt, ſed alia clarius, vt aër, ſpiritus, cœlum, animalia: alia obſcurius, vt plantæ, dentes, lapides. Idcircò perueniri oportet ad primam Sapientiam, vnde ſenſus illis communicatus eſt. Item quia in cunctis rebus quidam ordo, & ratio relucet: ordinare autem ſapientiæ eſt opus: ad primam Sapientiā deueniſſe oportet. Plantæ quidem emittunt folia ad tegendos fructus à frigore, & æſtu: ſpinas verò contra animalia: fructus ad ſuam immortalitatem comparandam; & dum ſibi proſunt, etiam aliis entibus ſunt vtiles, vt animalibus. Animalia verò ratione multa gubernantur: nam viliſſimæ formicę congregant in æſtate prouidentes hyemem: viuuntque in quadam polytica. Apes in Monarchia ſequuntur Regem, habentes diſtributiones operum, & laborum, excubias mellificiū, fabricam cellarum, exercitum, & militiam ratione ordinatam. Grues ſimiliter videntur participare rationem, & polyticam. Idem apparet in aranearum operibus, intexunt retia ad captandas muſcas, & culices, miro artificio. In piſcibus quoque multa relucet ſapientia, ita vt diſputet Plutarchus, vtrum in mari ſit ſapientia maior, quam in terra. At homines manifeſta ratione reguntur, vt patet in omni polytica. Tandem intueri licet ventorum, & pluuiarum natiuitates ſuo in tempore proficuas. Motus grauium deorſum, leuium ſurſum quodam conſilio proprio, vt ſeruentur à cognatis corporibus; & communi inſuper conſilio, vt vniatur, & ſimul diſtinguatur rerum vniuerſitas. Intueri licet demum ſiderum ordinem, motus planetarum obliquos, Solis, & Lunæ viciſſitudines, & excurſus ad generationem rerum. Et dum propriam conſeruationem, & inimici deſtructionem procurant, rerum ſecundarum conſeruatio, & diſtinctio quaſi per accidens illarum reſpectu fit. Sub ſapientiſſimo Artifice ſimiliter dum cœlum, & terra ſeſe oppugnant, non faciunt quod vellent, ſcilicet alterutrius deſtructionem, ſed quod nollent ſecundorum entium generationem; ſicut ignis, quo vult coquus aſſat carnem, & non, quod vult ipſe, vrit penitus. Sidera ſimiliter ad ſolis lucem eleuantur, & tardantur, ad abſentiam deprimuntur, & accelerantur, ſæpéque ſtant, alias velociſſimi ſunt, & modo ad Auſtrum, modo verò ad Aquilonem flectuntur: & dum ſui procurant conſeruationem, ſecundorum entium in conſtitutione deſeruiunt: Et quaſi artificio quodam aguntur, non quidem vi, ſed amore, & odio; & ſicut malleus, lima, ignis, aqua, carbones, & alia inſtrumenta fabri deſeruiunt ad elaborandum enſem, aut falcem, aut ligonem, quod ipſa non intelligunt, ſed Artifex: & nunc tardius, nunc velocius, nunc directè, nunc ex latere applicantur ad conſtitutionem artificiatorum ab ipſo artifice. Ita etiam ſidera eleuari, deprimi, tardari, ſtare, & flecti ad diuerſas mundi plagas viciſſim apparent: vnde vbique ſecunda generent entia, & ſuas temperent vires: & frigori dent ſpatium reficiendi terram; & dum vſquequaque effuſis viribus agunt elementa ad ſui generationem, & inimici deſtructionem, ſecunda entia à ſe non intellecta ad intelligentiſſimi Artificis ideam exprimendam aptari, & concinnari videntur: vt qui primam ſapientiam non agnoſcit, ſtupidiſſimus ſit. Nam ſi à ſeipſis ad artificiosè agendum cunctæ res mouentur, & quædam magis, quædam minus induſtriosè: vtique neceſſe eſt ab aliqua prima arte, primaque ſapientia participare: ſi verò ab alia ſapientia extrà ſe aguntur, vtique ſapientiam in rebus primam oportet agnoſcere: At quia cognouimus in rebus non modo proprium ſenſum, quo ad ſuas operationes propriæ conſeruationis gratia, mouentur, ſed & quo ad id, quod non intendunt quadam arte aguntur, videlicet ad conſtitutionem, & conſeruationem aliarum rerum, & ſimul colligantur mutuis vtilitatibus nulla confuſione, ſed conuictu miro, ordinatáque diſtinctione: Ergo datur Sapientia prima, quam participant omnia entia, ſicut in primo lib. declaratum eſt, qua ſapiunt ſimul & ſeorſum.

Pręterea cunctis rebus ineſt amor conſeruandi ſeipſas in proprio eſſe vt declaratum eſt. Si enim non amarent ſuum eſſe, non fugerent inimicum, quo deſtruuntur; nec peterent amicum, quo conſeruantur: nec agerent: nec generarent, & omnia in chaos verſarentur. Eſt autem Amor magis, minuſque in rebus: & quæ ſunt maximę entitatis, maximè amant, vt patet. Igitur datur primus Amor, quem omnia participent: niſi enim ille præeſſet, ens nullum haberet vnde amaret. Item ſicuti Amor proprius conſeruat quamlibet vniuerſi partem; ita amor totius vniuerſi conſeruat vniuerſum. Neque enim partibus ineſſe poteſt, quod à toto excluditur: & colligatio rerum, & conſenſus, & conſpiratio, quę reperitur in vniuerſitate totius, non ſecus ac in partibus animalis, declarant amorem toti inſperſum: quod non niſi à primo Amore ſit, oportet, continente omnia ſociali connexione, & priora ad inferiorum prouidentiam mouente, inferioráque ſuperioribus firmiter conuerſione iungente.

Pręterea idem patet ex obiectis accidentalibus: quęcunque enim exiſtunt, finita ſunt, & non exiſtunt omnino, ſed aliquo modo; vt homo exiſtentia hominis, lapis exiſtentia lapidis; Mundus exiſtentia mundi, calor caloris. Sed omnem entitatem res habet nulla. Ergo cum aliqua magis, aliqua minus exiſtant: oportet

deuenire ad primam existentiam per se, & omninò existentē: neque .n. possemus imaginari aliquid per se calidū, nisi esset, neq; aliquid per se Ens, nisi quoniā innotuit in cunctis rebus aliquid omnino primū in genere suo. Igitur datur & omnino existens. Datur & vita prima, cuius participio cuncta viuunt. Illamque oportet esse immortalem, ne eius morte annihilentur omnia. Ergo autorem esse seculorū, & vitarum. Præterea quæcunque sunt, vera sunt. Dicitur autem magis aut minus verum non per se, sed per accessum, & recessum à maximo vero: aliàs nullum inueniretur verum magis quam alterum: neque aurum impurum & deficiens esset minus aurum, quam purissimum: neque homo ignarus, & vilis, esset minus homo, quam sapiētissimus, & fortissimus. Sed iuxta accessum ad ideam hominis perficitur homo. Igitur & entia sunt vera veritate prima inuariabili non à rebus factis percepta, sed factoris idea rationéque constante: in qua ego & tu cernimus veritates: neque enim ego in te, nec tu in me: Ergo omnes in lumine primo, & communi.

Præterea omnia entia sunt bona, sed quædam magis, quædam minus in diuersis gradibus, & generibus: & alia aliis bona sunt, alia verò omnibus, vel multis. Proprium esse bonum est vnicuique cuius est esse; & est optimum illius: quoniā ipsum, & propter ipsum omnia appetuntur. At dum entia appetunt proprium bonum & illud cupiunt esse semper & infinitum extensiuè, & intensiuè, ostendunt esse aliquod bonum summum, & infinitum intensiuè & extensiuè quod participant, & in suo esse participato illud agnoscunt. Neque enim amari posset, nisi esset, & notum aliquo pacto esse. Quapropter deueniendum est ad ipsam purissimam Bonitatem summam, vnde omnia sunt bona, & quod omnibus est bonum. Alia enim, nec omnibus bona, nec purè bona sunt; quoniam deficiunt: nec omninò, quoniam aliqua carent bonitate, & finita sunt: nec possunt dare omnibus incessanter bonitatem.

Præterea omnibus entibus potest addi, aut minui aliquid: quoniam non purè perfecta sunt. Datur ergo primum perfectum, cui neque additio, neque minutio fieri potest, perfectionum largitor, super omnem sese expandens finem vbique absque fine.

Rationes efficacissimæ ex Physicis petitæ, quod detur primum ens, hoc est, ipsa Vnitas simpliciter, quæ Deus est causa causarum.

ART. VII.

Siquidem quæcunque videmus entia à seipsis esse & semper fuisse possunt, & omnes effectus ad causas nobis manifestas redigere possemus, frustrà aliam causam occultam, sapientioremque inuestigaremus: non secus ac si quis me scribentem hunc librum intuens, ad huc quæreret num ego, vel alius sibi ignotus sit, qui scribit. Frustra quoque fit per plura, quod æquè benè per pauciora fieri potest: Natura ipsa declarante, quæ superflua non admittit: Ac vbi vna sufficit causa, multitudo obest causationi. At si eorum quæ fiunt causæ nobis notæ, vt cælum, & terra seu calor & frigus, & materia, & locus, non sufficiunt, vtique alia causa quærenda est: & primò illam indicant constructio animalis, & mundi, & causarum ordo, & actiones propter finem diuinissimum cuilibet enti præscriptum.

1. In ordine causarum non est deuenire ad infinitum, quoniam si causa secunda agit vel à se, vel ab alio mouetur ad agendum, sed non videmus à seipsis agere, sed alia ab aliis moueri. Ergo datur prima causa mouens omnia. Nam secundæ causæ non mouerent. At si procedimus in infinitum non dabitur primū; & tunc nulla causa mouebit: non enim primæ actio poterit ad causam vltimam communicari per infinita media. Si enim infinita sunt, pertransibilia non sunt: Nulla autem causa seipsam efficere potest. Datur ergo primum efficiens: à cuius primi efficientia ventum est ad præsentes causarum effectiones.

2. Præterea agunt omnia propter finem particularem: & cum sint contraria, nunquam conueniant ad communem finem, nisi ab aliqua causa vniuersali, & vnica dirigerentur.

3. Item Mundus cōstructus est materia, calore, & frigore; entibus cōtrariis: quæ elemēta contraria constituerunt, & simul Mundanam vniuersitatem. At cum videamus singula cōtraria propriam modo amplificationem, & conseruationem intendere, & sui contrarij destructionem, nunquā ita temperata fuissent, vt conseruationem vniuersi intenderet, & ad ipsam colligarentur. Si enim calor, & frigus in eadē materia à principio enati fuissent quodā casu, vel à seipsis, quod est impossibile, tunc vterq; materiam ipsam occupare, & in ea regnare voluisset: & contra se inuicē pugnassent. Neque frigus intra cœli ambitum suam molem locasset, videl. terram: neque cælum terram contrariam intra sua viscera reliquisset: sed in spatio immenso alius aliò processisset, & ab inuicem separati essent, ita quod, vel, si infinitus est locus infinitam distantiam, aut maximā appetiissent alter ab altero & nihil ex inuicem generassent: vel si locus est finitus, propè inuicem stetissent, & alter alterum oppugnasset, ita quod tellus ex parte qua respicit cælum, cōbusta esset: ex parte verò auersa gelu nimio rigeret, & non generaret animalia, plantas, lapides, & ea quæ videmus ex cōtrariorum pugna fieri: vel cum sit viribus inferior cælo, iam destructa esset, & in cælum redacta, annihilato frigore, suo constitutiuo principio: & in Mundo vnum tantum esset ens, scilicet ignis. Aut si quatuor sunt elementa, aliud aliò processissent, & nihil ex inuicem generassent: nec intra cæli ambitum ad pugnandum contra inuicem cohibita à seipsis fuissent: ex quo intelligimus autorem longè potentissimum, longè sapientissimum, longéque optimum contraria ita colligasse, vt vnum intra aliud sit, nec tamen vnquam destruatur, sed quasi per vices in inuicem agant; & frigus telluremque tuetur vicissitudo, condensatio, & vnio: Cælū verò motus, & elongatio à contrario, & vires robustiores. Item non totum æquè copiosissimum habet collectum calorem; sed in sideribus, quas vocant fixas maximè calet: at ita remotę sunt, vt terram non offendant: planetæ verò non ita co-

piosum sortiti sunt calorem, vt terram perdere possent, vnde & luna citima, nec lucem emittere à seipsa potest ob imbecillitatem caloris: sol verò, qui potuisset terram exurere, ita remotus est, vt non possit; & adeò velocissimè mouetur propter bonum conseruationis suæ (seruatur enim ignis motu) vt nunquam eandem terræ faciem aspiciat, sed continuò aliam & aliam. Item nec vno motu ab ortu ad occasu fertur, sed ab Aquilone ad Austrum, & ab Austro ad Aquilonem, obliquos semper agit circulos intra tropicos, ita vt vbique terram calefaciat & impregnet, sed nunquam destruat: at ex calore suo imminuto secunda entia constituat, liquores, animalia, plantas, lapides, &c. & quod in die, & in æstate, destruit, telluris frigus in nocte, & in hyeme instaurat. Contraria autem cum sint, nescio quo pacto ad hunc agendi modum potuissent temperari, vt nunquam se inuicem destruant, & dum cupiunt sese destruere, mutuò se seruent, ac secunda generent entia, quæ non intelliguntur ab eis: & ordinem temporum, & vicissitudines rerum faciunt talem, qualis omnibus proficiat rebus: vnde animalia omnia quasi propter ipsa facta esse putant: Homines verò propter seipsos, & vnumquodque secundorum entium, dum est propter aliud, propter seipsum alia esse, quasi pernoscit: & quod euenit de necessitate, propter melius quoque euenire videtur: etsi enim tellurem in medio cœli necessitas coëgit, & condensauit, & quiete donauit: tamen suæ prodest conseruationi quasi ex condicto hoc ipsum: similiter & cœlum ab ea segregatum esse, & in globos collectum esse sidereos, vt terram oppugnet Necessitas fecit: sed tamen melius cœli hoc fecit, ne à terra vnita deuinceretur: & propter melius secundorum entium, ne ipsa non generentur, si vndique terra combureretur.

Præterea nec ab æterno ita fuisse compositus potest mundus: componentes enim partes præsertim contrariæ præcedunt ipsum compositum: & cùm ipsæ à seipsis conuenire & concordari ad mundi constructionem non potuerint, necesse est ab autore longè potentissimo, ac sapientissimo mundum constructum esse. Neque enim à se sunt, nec post conuentionem ex non contrariis contraria reddidit vnio.

Præterea quædam generantur, & corrumpuntur. Hoc autem vel fuit semper, vel aliquando incepit: si incepit, ergo ab aliqua causa Diuina primaque ortum duxit. Neque enim tam mirificam secundorum entium formationem stupida causa ordinasset: si semper fuit; ergo ab aliqua causa sempiterna habet vt sit. Non enim perpetuatio generationis, & corruptionis à causa deficiente pendeat. Quod autem non per vices, demonstrabimus contra Empedoclem.

Præterea idem ostendit constructio animalis, in quo ossa ad sustentandum quasi basis statuæ viuæ posita sunt, & in partes distincta, possit vt flecti, & erigi statua ad opera vitę. His superpositi sunt nerui ad colligandum ossa, & deferendum spiritum motorem ad omnes partes viuificandas, & mouendas. His appositæ sunt venæ, & arteriæ ad trahendum sanguinem, & instaurandum quod deperditur à calore continuo exhalante. Deinde superposita est caro ad colligandas omnes partes, & tegendas à frigore, & calore, & ab externis iniuriis, contusionibus, & exsiccationibus, fractionibus, gelationibus: cui superpositum est corium ad continendas, & defendendas omnes partes. Item instrumenta nutritionis magnam prouidētiam ostendunt: facti sunt enim dentes anteriores acuti ad secandum cibum, interiores plani ad molendum: os ad recipiendum: osophagum contextum fibris rectis, transuersis, & obliquis, ad deglutiendum: ventriculum ad coquendum: Intestina ad deferendum, & sequestrandum sanguinem à fæcibus: anus ad emittendum fæces: & quia putet, longè à sensibus, & occlusus musculo, & natibus deseruientibus ad sessionem, & ad alios vsus. Item venas miseraicas ad sugendum partes puras alimenti. Iecur ad sanguificandum alimentum, & calefaciendum ventriculum. Mox factum est cor ad viuificandum, & attenuandum sanguinem: cuius pars tenuior in spiritum agatur, crassior verò resudans ex arteriis copuletur sanguini venali, & viuificet ipsum, reddatque digestibilem ad nutritionem. Cordi appositus est pulmo ad trahendum aërem dum dilatatur, ratione ea, qua non datur vacuum: vnde calorem cordis cohibet, ne exhalet foras ad cognatum cœlum, sed augeatur, sicut à follibus ignis, intra sanguinem, & ipsum attenuet in spiritum. Vnumquodque autem membrum ea temperie, figura, colligatione, consociatione, & loco constitutū est, vt dum sibi prodest, singulis profit membris: omnia autem subseruiant capiti, in quo spirituum vniuersitas tanquam in arce residet. Ideoque interiores partes constant cerebro molli, & multo, quasi puluinarib. vt spiritus non lædatur impingens in ossa, & in partes duras, & insuper distincto in cellas anteriores, vbi spatietur: in interiorem vbi se colligat ad contemplandum: & inferiorem vbi ad se reficiendum ex sanguine in plexu retiformi contentum, agitatumq; à spiritu, vt in seipsum attenuetur, & augeatur. Post cerebrum adsunt panniculi ad ipsum retinendū: cui circumstant ossa in caluariam fabrefacta ad defendendum. Mox cutis sine carne, ne sentientem vim impediat. Deinde capilli tanquam leuissimum tegumentum, non grauans, neque impediens sensum: facti ex fuliginibus sanguinis: Item mirificam artem conditoris ostendunt etiam excrementa, & vasa eorum: nam cū deberent tanquam inutilia, & inimica foras emitti statim, nec possent absq; læsione partiū purarum, factum est vt in quibusdam vasibus reconderentur, & ad vsus mirabiles deseruirent: namque spuma sanguinis accensa, bilis vocata, in felleam vexicam reponitur ad stimulandum spiritū amaritudine sua in intestinis contentum, quando abundans eò effunditur, vt dum amaritudinem expellere cupit, simul & excrementa crassa expellat, & mundificet intestina: fex verò sanguinis reponitur in liene, vt cū abundauerit per quandam venam in ventriculum, quando vacuus est, effundatur, & acetositate sua ipsum constringat, & stimulet ad appetendum cibos, qui repleant ventriculum; & dum tali nocumento succurrunt, nutriant ipsum animal: sputum verò, quod ex vapore ad caput eleuato ex cibis concrescente in aquam fit, mox in linguam cadens deseruit ad intromittendum cibos ad poros linguæ ad faciendam gustationem: & mox ad transferendum per fauces cibum siccum facilè, ne lædantur: similiter dum mouetur lingua, vt non exciccetur: possitque loquutionem exercere: cineres verò ad nutriendos renes delati, vtiles fiunt ad decolandam vrinam, & ad afficiendam salsedine eandem, vt possit stimulare spiritum ad excretionem: & vasa seminaria afficere, & spiritum in

eis mordicare, vt ſtimuletur ad Venerem, & generationem. In quibus omnibus admiranda Conditoris Ars relucet: Neque enim ſpiritus, aut anima quæcunque ſi cognouiſſet propria opera nutritionis, purgationis, & generationis exercere, indiguiſſet ſibi ſtimulos parare ad illa: oportet ergò ſapientiorem cauſam hæc opere prouidiſſe, vt partim dolore, partim voluptate ad operationes, & actiones neceſſarias ſtimularetur. Nos quidē ignoramus, qua ratione compactum eſt corpus noſtrū, & vix diſquirentes longo tempore in Anotomia, partium vſus intelligimus: ergò non videtur ſpiritus noſter ſua ſapientia fabricaſſe corpus, ſed ab alio Artifice Potentiori, ac Nobiliori edoctus, non verbo, ſed facto, & adactus ſtimulis doloris, & voluptatis, corpus ita elaboraſſe. Nec dicant, animā corpus fabricaſſe, & poſtea oblitam eſſe. Nam nec nunc propria opera intelligit: & quomodo corpus ipſa nutrit, ſegregat fæces, diſtribuit alimentum, diſcurritque per corpus, mouet, & ſenſificat, non intelligit: ergò ſumma aliunde Ratio præeſt operibus eius nunc: & cum corpus conſtruxit.

9. Idem apparet ex conſtructione ſenſoriorum: ſiquidem tot ſunt, quot modis res nobis cōmunicari poteſt. Aut enim lux ab eis reſilit ad nos & propter hanc facti ſunt oculi, qui lucem tinctam formis rerum excipiunt, & ſpiritus in oculo illis affectus de illis mox judicat. At quo pacto præſciuit ſpiritus, ſe vſurum tali artificio, & ita ob talem finem conſtruendum fuiſſe oculum, niſi ſapientiſſimus artifex id prænoſſet, & præmonuiſſet, & præfuiſſet in conſtructione illorum? Aut à rebus in nos motus per aërem venit, vnde de illis judicamus: & ob id fabrefactę ſunt aures mirabili quadam arte ad ſonantes motus excipiendos. Aut à rebus ad nos venit pars vaporoſa, & tenuis, & ad ipſam excipiendum judicamdumque de rebus euaporantibus vtilitate, & nocumento, factæ ſunt nares, ſpongioſo oſſe depurantes vaporem, ſpectantes deorſum, vnde obuiam veniunt. Ad ſubſtantiam verò craſſam dignoſcendam, & vires innotas rerum, ſenſorium guſtus fabrefactum eſt in lingua neruoſa plena ſpiritu, & ſpongioſa, vt admittat guſtabilia ad guſtantem ſpiritum. Vt verò vndique ſentiat vires rerum externas, vigenteſq;, per totū coriū ſenſum expandit: & magis vbi magis indigebat; vbi minus, minus. Nā capilli, & vngues expoſiti ad defensā, nè ſubito lædantur duritie, & ſtupiditate donati ſunt. Oſſa quoq; ſimiliter dura diſtinctaque, vt poſſint ſtatuā illæſa ſubſtentare pondusque magis, & erigere flectereque. Quis autē ſufficiat enarrare innumerabiles vſus cujuſque partis, & particulæ? vbi nihil fruſtra factum vidimus, ſed omnia ob fines multos: & dum ſeipſa membra ſingula ſeruāt, ita artificioſè colligata ſunt, vt & alia coniuncta ſibi ſeruent, adiuuentque omnia totum. Ex quibus patet Ars conditoris diuiniſſima. At ſi in homine, & in formica, & Muſca componendis tanta relucet Ars, quanta in vniuerſitatis rerum compagine eſſe putandum eſt, nobiſq; ignotū ſicut vermibus in ventre noſtro genitis ignota eſt corporis noſtri fabrica Diuiniſſima, & animæ noſtrę ſapientia plurima.

10. Præterea cum elementa Phyſiologorum inſenſata ſint, nec poſſint ita diuinam artem de ſe oſtentare: elementa verò Teleſij, licet ſentiant, nō tamen intendunt hominem fabricare, aut plantam, ſed ſeipſa tantummodò amplificare, & contrarium occidere: oportet Artificem Diuiniſſimum ſecundorum entium propagationem intelligere, & operari, atque vti ipſis elementis, tanquam organis, Fato, & Neceſſitate correctis: dolore, & voluptate adaptis, vt infra oſtendemus.

Præterea vel homines, & perfecta animalia ſunt coæua elementis, vel non; ſi coæua, nón tamen ab æterno eſſe poſſunt: ſi quidem partes componentes præcedunt compoſitum: ipſa autem elementa non potuerunt hominem generare ſubitò, quoniam non agunt ſubitò vt Deus, quia virtutem habent finitam: nec vt ſol illuminat: quoniam hic eſt effectus ſui ipſius oſtentatiuus; & non ſecundorum entium. Non enim ſubitò ſol plantam, aut hominem facit; nec Calor ſubitò comburit, licèt ſubito hic calefaciat, ille illuminet; elementa ergò hominem diuerſæ conditionis à ſeipſis, & mira conſtructione indigentem ſubitò non fecerunt: ergò homo non poteſt eſſe æternus, neque coæuus. At ſi elementa feciſſent hominem, facerent & nunc. Oportet ergò hominem à diuiniori cauſa factum eſſe: & quamuis mures, & anguillæ fiant mirifica arte à ſole ex terra immutata; oportet fateri, ab Idea aliqua Diuina eorum formam traduci: ſicut domus ab ædificatoris arte. Non enim elementa talem habent artem, & ideam faciendi ranas, mures: vnde quomodocunque factus ſit homo, & fiant animalia, oportet diuinam cauſam elementis præponere, ac præficere, vt & de Ideis loquentes amplius docebimus.

Præterea anima hominis eam intelligit. Nam infinita meditatur, & cupit; quomodo autem poſſit hoc facere, niſi infinitū ens reperiatur? Abſit enim vt anima, quæ eſt particula mūdi, plus cupiat, quam ſit in veritate rerum. Neque enim pars vlla excedit ſuum totū: nec effectus ſupra cauſas ſuas eleuatur.

Præterea vel Mundus eſt æternus, vel factus: ſi factus, cum à ſeipſo non potuerit fieri, neque ordinem tam mrificum ſortiri; quia elementa, aut ſunt inſenſata, aut ſuam modo intendunt amplificationem; oportet dari Artificem potentiſſimum, ſapientiſſimum, & optimum. Potentia enim ignis validiſſima nullis cohibenda machinis non poteſt artificioſè agere, niſi ſapientia donetur, nec aliena à ſe entia facere, niſi vi, & arte alterius regatur, ſicut à Coquo ad epulas conficiendas: vel proprio Amore corrigatur: ſicut in formatione plantæ debilis factus, ſtudet eam ſibi perficere vt tegumentū: requiritur ergò Potentia, Sapientia, & Amor. Et in primo ente maximè, vndè omnia participant entia. Si verò Mundus eſt æternus, vt probat Ariſtoles tunc indiget æterno motore: quia ſemper mouetur cælum: & ille motor erit immobilis, ac Deus: ſed hæc ratio Ariſtotelis vana eſt. Ait enim, omne quod mouetur ab alio diſtincto ſeparatoque mouetur: alias idem eſſet Mouens, & Motum, in actu, & potentia ſimul: oportet ergò deuenire ad primum mouens immobile: ſi enim illud mouetur, ab alio mouetur, & illud ab alio: ergò in infinitū: ergò nullus motus, quoniam primum mouēs non dabitur, à quo ſecundi motores mouentur: per infinitos enim non peruenitur ad primum, &c. At multipliciter peccat hæc ratio, vt probatū eſt in p.p. & in Phyſicis: dū quæ geſtantur, aut ab extrinſeca vi mouētur, ab alio moueri oſtendimus: non autem quæ natura mouentur intrinſeco principio motus: & ſic idem eſt agens & patiens, potentia, & actus: quoniā operatio non eſt paſſio, ſed actus entis in actu, & potentia, quæ dicit actiuam vim: & quidem nec probat ratio dari mouens immotum: ſi enim ipſum non mouetur, nec mouebit. Non enim dat, quod

quod non habet: & si mouet vt desideratum, non ipse mouet, sed desiderans mouet seipsum: at specificat modum motus per apprehensum obiectum. non autem habet ab illo vim motiuam, vt dictũ est in 1. li. huius partis. Concludit fortè ratio Arist. dari primũ mouens, quod seipsum mouet per essentiam natura; & hoc erit cœlum Empyreum, id est, igneũ, cuius calorem constat esse motorem longè verius, quàm in grauibus, & leuibus. Scotus, Seneca, & Telesius docent esse motum ab intrinseco in grauibus & leuibus cõtra Arist. Nos vero transcendimus rationes Arist. & aliorum; & dicimus, quod leuia & grauia se se mouent, & calor cœlum mouet, quia amant propriam conseruationem in suo esse. Amant autem per motum, quoniam sentiunt per motum ad illam peruenire, vel in illa versari: sciunt autem quoniam possunt: possunt autem quoniam sciunt & volunt: Ergo Amor, Sapientia & Potestas sunt causa motus in cœlo & in cunctis. Nam & Arist. intelligentia mouet quia potest, scit, & amat: ergo ad primam Potentiam, Sapientiam & Amorem entis primi deueniendũ est: & omnes rerum operationes, & actiones, & effectus, hunc syllogismũ corroborat.

Præterea quod non est simpliciter primum, sed tantum in aliquo genere, in illo genere primatũ habet; & nomina propria, & particularia illius generis sibi conueniunt: quod verò simpliciter est primũ & omnino, id non habet prius in vllo genere causandi, aut principiandi. Igitur omnia in illo, & post illud, & omne genus ergo causarum & principiorum continet: ergo est ante omnia, & ab ipso, & ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & propter ipsum sunt omnia: vt manifestat, colligatio, conspiratio, & dependẽtia, & nomina communissima, in quo conueniunt omnia, sc. ens, Verum, Bonum, Vnum: in quibus non conuenirent omnia, nisi ab vno, & per vnum communicatum omnibus. Conuenientia enim & similitudo, influxus est vnitatis.

Præterea communicatio est vniuersalitatis, & non particularitatis. Petrus enim generat hominem, & non generat seipsum Petrũ: & in homine est animal & corpus, & substantia & ens: ergo oportet cõmunissimũ principiũ per secundas causas particulares modificare sui communionem; cum nec secundæ causæ modum intelligant huiusmodi communicationis.

ARGVMENTA PRIMA AC FORTISSIMA *contra factas probationes: & in his probatur, vel non dari illud primum Ens, vel plura æque prima esse, pluraque, vel nulla numina.*

CAP. II. ART. I.

SED contra propositiones adsumptas multæ militant dubitationes, nam tametsi verum sit in omni ordine particulari ad primũ eius ordinis esse deueniendum: non tamen verum videtur in ordine entium. Ens enim non est communitas vniuoca, nec genus: si namq; genus esset, cuncta entia essent eiusdẽ essentiæ: sicuti omnia, quæ sunt in genere Quantitatis, aut Figuræ aut operationis, &c. & prædicarentur mutuò. Quapropter sicut in æquiuocis non datur primum, ita neque in entibus.

Præterea corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere, vt probat Arist. in 10. Metaph. quoniam per se dicuntur de his, quib. insunt, & necessario: Alioquin (ait idem) simul quandoque esset corruptibile, quandoq; incorruptibile; quod est impossibile. Igitur non possunt in genere cõmunicare: neq; in materia, quoniam transmutãtur in inuicem: ergo non possunt ab eadẽ causa dependere. Non ergo vnum idemq; ens erit causa corruptibiliũ, & incorruptibilium. Cumque sint entia in mundo, alia corruptibilia, alia incorruptibilia, ostendunt non conuenire in aliquo primo: illud enim primum simul esset corruptibile, & incorruptibile.

Præterea aut primum Ens est materia, & forma simul, vt cœlum; aut agens causa, vt intellectus Anaxag. aut materia sola, vt putat Dinanden. aut locus vniuersi, vt quidam Arabes; aut omnia hæc, iuxta illud (*Iupiter est quodcumque vides, quodcumque mouetur*) apud Lucanum: si omnia hæc, non est verè vnum, sed multiplex, & ipse mundus erit Ens primum, æternum, & vnum colligatione; sicut dicit Aristoteles: & Marcus Varro, qui mundum ex Anima, & corpore Deum facit. Et Plin. totã naturam. Aut si causa est efficiens illud vnum, quæritur quomodo genuit materiam? & vnde facta est? non enim causæ actiua facit passiuam, sed efformat passiuam, vt arguit Hermogenes apud Tertull. Non enim dat, quod non habet: sique agens non est natura passiuum: ergo non facit ens passiuum: si autem materia & agens causa sũt semper: æque prima entia erunt duo, & non vnum; & adde tertium locum præsuppositum illis. Materia enim non potest esse, nisi in præexistenti loco. Item si quinque sunt genera causarum prima ab inuicem distincta, quinque erunt prima entia, & non vnum.

Præterea sunt in mundo contraria entia, vt sol, terra, calor, frigus. At hæc quomodo ab vno fieri potuerunt? & multo magis viget ratio contra nos, quam contra Anaxag. apud Arist. ille enim posuit chaos, & Mentem: & cum sit vna Mens, & materia vna Arist. videbitur impossibile, quod fierent multa entia. Ab vno.n.non nisi vnum) effugit enim facilius Anax. calumniã respondendo, in chaos latuisse multa consimilia, & à Mente segregata fuisse, & ordinata ad mundi constructionẽ. Nobis verò non præcedit chaos, neque multitudo aliqua, vel latens in eo, sed primum Ens vnum tantũmodo: vnde videtur impossibilis. Aut redit opinio Parmenidis omnia esse vnũ: Nam si vnum est, multa non sunt: per essentiam enim vnum est substantiaque: Non ergo multitudinem admittit: aliàs illud vnum non esset vnum: sed præterea effectus causæ assimilatur; effectus autem contrarij sunt. Quæro igitur cuinam est simile primum Ens? Calorine, an frigori? si

calori, ergo calor est eius effectus, & non frigus: similiter frigus, si frigori; At quomodo ab eodem contraria duo prodire, nunquam amica? ergo vel semper mundus fuit, & nullum datur ens primum, nisi forte dignitate: vel præfuere duo prima entia, vt dicebat Simon Magus, & Manichæi, alterum principium lucis, alterum tenebræ: & hoc in tempore Tartari multi opinantur. Itaque alium esse Deum cœli, alium terræ. Et fabulosa philosophia confirmat cuiuslibet elementi proprium Deum; cœli Iouem, aëris Iunonem, aquæ Neptunum: telluris Plutonem.

Præterea de illo primo quod reperitur in qualibet rerum serie, & de cæteris secundis prædicatur aliquid commune essentialiter. Dicitur enim sol calidus, aër calidus, aqua calida, homo calidus: & lux est color, rubedo est color. Item triangulus est figura, quatratum, circulum, &c. At de Deo primo vno, & de cæteris non potest prædicari, quod commune essentiale. Nam Deus esset color, substantia, & figura, & corpus, & operatio. Non videtur ergo ponēda vnitas entium diuersorum, sed tantum eiusdem generis. Neque ens vniuocè dicetur de vno principio generum, & de generib. quoniā non est genus, vt probat Arist. Præterea hoc vnum aut est finitum, aut infinitū; si infinitum ergo non datur multitudo, nec contrarietas: si.n. ignis esset infinitus, nō reperiretur aqua, aut terra, aut homo, sed omnia essent, ignis, alioquin ab horum terminis finiretur: Ens ergo primum vnum si est & infinitum, solum erit: & si hoc vnum est calidum, non compatitur esse frigus: si frigidū non compatitur calida: si corpus, non cōpatitur terminos, figuras, & colores, & diuersitatem corporū: si incorporeū, quomodo reperiuntur corpora? Si bonum infinitum, aut verum, quomodo reperiuntur mala & falsa? si ergo erit finitum, ergo non vnum: ad aliud enim, & ab alio finiretur: sicut tellus ab aqua, & aëre, & aër à cœlo, & vnumquodque à suo ambiente. Item & semper finitum fuit: ergo semper cum alio, ergo non solum ergo non primum, ergo nec vnum primum sed multa prima.

Præterea generatio & corruptio, & motus intra ipsum, vel extrà sunt: si intra, fluctuat, & est multa, generans & genitum, mobile & immobile: si extra, nō est vnū: at si hæc patitur, ab alio patitur, ergo datur aliud: At si ipsum nō patitur, aliud est quod patitur. Duo ergo, saltem prima, corruptibile, & incorruptibile. Item sequestratæ sunt causæ, vt ars sit artificiatorum principium, Natura naturalium, casus casualium, cœlestium cœlum, terrestrium terra, & non dabitur prima causa.

Præterea hoc primum est substātia, vel accidens, aut vtrumque? si vtrumque non vnum: si alterutrum non generabit vtrumque.

Præterea casualia, & fortuita non sunt ab arte, nec à natura, nec à Deo; aliud enim intendunt Ars & Natura, quam monstrum, & ruinam artificiatæ domus; Nec Deus potest contra naturam, & contra artem, velle, & agere, si sunt instrumenta eius: si verò non sunt, erūt illi æque prima: si sunt, ab eo non impedientur, nec adigentur, vt faciant monstra & peccata: At si aliud est quod impediat, & vitiat naturam, & artem: illud aliud erit quid potentius Deo, & Natura, & Arte, vel æquipotens, & æque primum.

Præterea oporteret similiter deuenire ad primū nonens, ad primum malum, ad primum falsum, ad odium primum, quod concedunt Veteres dicentes, Prima genera rerum esse bonum, & malum: alij, ens & nonens: Alij, Deum, & Diabolum: non enim à Deo bono mala oriantur, nec à vero falsa: nec mors à vita. Habent ergo causam suam, & hæc æque primam: quid dicemus ad hæc.

Diuisio entis analoga. Item quocumque modo dicatur ens, deueniendum esse ad primum. Item non esse æquiuocum vllo modo, nisi de ente primo, & secundis, quatenus includunt nonesse. Item quæ nomina dicuntur de Deo propriè, & quæ metaphoricè, inquantum non esse dicunt, & quod hæc eadem quantum ad esse dicuntur adhuc analogicè, & respondetur ad primum argumentum, & probatur vniuocatio entis; sed non Scotistica, & ostenditur perfecta analogia de Deo, & creaturis.

ART. II.

TRIPLICITER sumitur ens. 1. vt dicit compositionem in oratione, vt cū dicimus, Nihilum est nihil. 2. pro ente per accidens, vt homo albus, & Musicus thesauri inuentor, pictor. 3. sumitur pro ente per se, hoc est in sua essentia considerato, vt homo, albedo, locus paternitas, &c. Dicitur autem ens de his analogicè, & nō æquiuocè, vt putāt: quoniam ipsa oratio est signum compositionis in re: etenim quamuis non verè sit ipsum nihilum, tamen est negatiuè, & remouēdo, non ponendo, veluti & per orationem significatur: similiter quod alteri accidit, sibi est essentia, & potest per se cōsiderari. Idcirco quamuis ens per accidens sit compositum ex eo quod est, & quod accidit ipsi, nihilominus resoluitur ad ens per se: nā & in mundo copulantur entia, & est vera & realis copulatio: ens verò per se aliud est, solum essendo vt Deus qui non substat accidentibus, nec proprio actui existentiali; & propterea non dicitur substantia, nec subsistentia apud Augustinum, & Thomam, sed solum essentia. Aliud est subsistendo, vt Angelus, & Anima: aliud substando, vt locus, & materia, & compositum: aliud inexistendo, sed per se, vt formæ actiuæ, calor & frigus: alia inexistunt, sed non per se, vt formæ passiuæ, triangulus, & circulus: alia adsistunt vt relationes & respectus exteriores: aut mistim, vt actiones, & passiones: Cum autem hæc omnia aliquo pacto sint, dependeant oportet ab eo, quod summè, & omnino, & eminentissimè est: non enim aliqua entitas præter ipsum, alioquin non omnino esset, sed aliquo modo: qua illa enti-

tas deeſſe ſibi. Et quidem ſi ens dicitur vniuocè de his, neceſſariò datur primum Ens, vt omnes concedimus: ſi æquiuocè, oportet etiam reduci ad vnum, vnde æquiuocatio ortum habet in alia: ſiue æquiuocatio ſit metaphorica, ſiue diſparata: cui potius conuenit æquiuocationis nomen. Canis enim dicitur de cœleſti, & marino, & terreſtri: ſed manifeſtè ſecundum impoſitionem noſtram de terreſtri dictum eſt primò, & de terreſtribus vniuocè dicitur. Quapropter etſi ens de genericis multis æquiuocè dicatur, neceſſe eſt quod ſit de quibus vniuocè. At ſi reſpicias ad quod imponitur nomen, oportet tamen canem prius dici de cœleſti: quoniam ob illo ideam terreſtrium, & marinorum, & conſeruationem, & vitam Aſtrologi deriuant. Metaphoræ ergo dicunt aliquod primum, vnde transferuntur. Nam riſus pratorum dicitur primò de hominibus. Quapropter ad vniuocationem, & proprietatem recurrere licet in cunctis: & ita Ens ſecundum id ad quod imponitur primò, de primo propriè & vniuocè dicitur, & de ſui ſimilibus.

At ſi analogicè, vt probauimus, manifeſtè oportet venire ad primum, reſpectu cuius analogantur. Ala enim dicitur de auis parte, poſtea de piſcis conſimili parte, & poſtea de remigio nauis: ac manifeſtè manu ducimur ad cognitionem primi in communitate analogica. Verumenimuero non videtur æquiuocatio aſſerenda: ex eo enim, quod ſecunda entia producuntur, & dependent à primo, non poſſunt pura æquiuocatione conuenire. Æquiuocatio enim eſt inter ea, quæ non habent mutuam dependentiam, vt riſus in prato, non dependet à riſu in homine, & latratus hominis non dependet à latratu canis: & ius, quod eſt brodium, non dependet à iure, quæ eſt lex: At ipſa entia cum à primo ente ſua cauſa omnia dependeant, nequaquam poſſunt inter æquiuoca collocari: ſed manifeſtè inter analoga cum ſapore vniuocationis: Vnde Theologi veteres dicunt Deũ habere naturam, quæ eſt omnis natura, & nomen quod eſt omne nomen: & ipſe Autor rerum reſpondit: *Ego ſum qui ſum*; & ſeipſum ens abſolute vocauit, cum poſtularetur nomen eius. Imò nomina cunctarum rerum ſunt nomen Ens participio: cœlum .n. dicitur ens celans omnia: Homo ens hoc rationale: lapis ens hoc terreum, durum, frangibile: & ſic de cunctis quæ per ly eſt notificantur, vt ſicut ab ente omne ens, ita à nomine entis omne nomen. Nam in entis nomine includitur hoc quod vocatur lapis, & quod homo, & quod cœlum, vt Rabbyni etiam olfecerunt: omne nomen eſt participans entis nominis.

Quædam nomina dicuntur de Deo propriiſſimè, vt ipſæ perfectiones, ſeu primalitates primæ videlicet, Sapiens, Potens, Amans, Bonum, Verum, Vnum: quoniam hæc vocabula non important imperfectionem, niſi definiantur Ariſtotelico modo, quod ſapientia eſt habitus intellectus: Bonitas obiectum appetitus: Vnitas, indiuiſibilitas materialis: & ſic non propriè dicuntur de prima cauſa: ſed cum tranſcendentaliter conſiderantur, videlicet ſapientia, vt ordinatiua, iudicatiua, & gubernatiua entitas: Bonitas vt probatiua, communicatiua, & conſeruatiua: Poteſtas vt fœcundans, & vincens omnia: Vnitas vt continens omnia in primitate ſua: Veritas vt exiſtentia certiſſima ſine defectu, aut impuritate: & hæc vocabula primò dicuntur de Deo, poſtea de creaturis: quoniam ab illo omnia habent, vt ſint, vt poſſint, vt ſapiant, vt ament, &c. Quædam verò dicuntur de Deo metaphoricè, vt quod moueatur, bos, ſit lapis, leo, lignum, pannus, ſtella, metalla, teſte Dionyſio de Theologia ſymbolica: quoniam huiuſmodi nomina imperfectiones ſemper dicunt ſimul cum perfectionibus. Imperfectio autem eſt defectus Potentiæ, aut Sapientiæ, aut Bonitatis, aut Veritatis, aut Exiſtentiæ: & quia hæc nomina ideo claudunt imperfectionem, quia dicunt non eſſe ſimul cum eſſe: vt enim probatum eſt in 1. lib. omnia entia ſecunda ex ente & non ente eſſentiantur. Idcirco nomina ſecundorum entium, neceſſario defectum entitatis dicunt cum ipſa entitate: Ideoque non dicuntur, niſi metaphoricè de Deo. Attamen inquantum dicunt entitatem, habent analogiam: cum enim dicitur Deus eſt leo, quatenus leo dicit fortitudinem: & Deus fortis eſt, analogicè ſe habent adinuicem: ſed quatenus hæc fortitudo leonis eſt ſtulta, & deficiens robur reſpectu Dei, claudit metaphoram, & æquiuocationem: enti enim & nonenti nihil eſt commune vniuocum. Dicitur tamen Deus Anima minus impropriè, ſed nec hoc placet Diuo Auguſtino, ne corpori videatur aſtrictus. Dicitur Deus Angelus etiam metaphoricè ex qua parte Angelus deficit ab entitate Dei à ſapientia, Poteſtate, & Amore, ſed quia Angelus longè minus deficit, quàm bos, aut lapis, longè minus metaphoricè quoque dicitur.

Quapropter accidentia rerum quæ non ſubſiſtunt, neque inexiſtunt per ſe, dicuntur de Deo quaſi æquiuocè, vt Motus, Actio, Tempus, figura, & huiuſmodi: ſed quatenus horum idea eſt in Deo ad analogiam aſcendunt: vnde & Deus, teſte Triſmegiſto, vocatur ſphera intellectualis. At quatenus deficiunt ab entitate prima, & ſunt veluti nonentia (Motus enim pro ipſo fluxu conſideratus, quaſi nihil eſt: figura quoque cum ſit extremitas Quantitatis, & cedat in nihilum, ſi Quantitas alia figuretur forma) ſic de Deo non dicuntur niſi metaphoricè: ſed cùm Deus ſit cauſa rerum quatenus ſunt, & non quatenus participant de nonente: omnia nomina dicentia eſſe, & primalitates entis, dicuntur de Deo propriè, & de creaturis analogicè.

Responsiones ad argumenta in 2. Cap. Art. 1. posita.

ART. III.

QVAPROPTER respondentes ad argumenta primum, dicimus, in eo quod entia omnia conuenire, & mutua prædicatione donari, sicuti ea, quæ sub eodem genere continentur, & sicut substantia dicitur vniuocè de animali, & de homine, & de corpore, & de forma, & de materia essentiali: ita etiam ens dicitur de Deo, & de qualibet re vniuocè, si imperfectionem rei sequestres intellectu. Nam si intellectu à lapide sequestrauerimus defectum entitatis, sapientiæ, Potentiæ, & Amoris, & obiectorum suorum: tunc ipse lapis habebit tantum esse suum, & quidem infinitum: si enim finitur nonente, hoc sequestrato, remanebit Ens infinitum: sed quia infinitas eius non est affirmatiua, sed quædam non repugnantia essendi infinito modo, non simpliciter, sed lapideo: vterque gradus entitatis eius habebit analogiam cum entitate Dei: sed si intelligas lapidem, seclusa omni imperfectione eius, & simul nonentitate eius, esse infinitum, quia nullum nonesse habet, & ergo omne esse habet, vt quidam inferunt, oportet tunc ipsum Deo vniuocare: & si hoc intellexisset Scotus vniuocationem penitius, & verius in ente posuisset.

Deum non esse causam æquiuocam, sed analogam: & perperam assignari æquiuocæ causæ rationem ab his, qui ens vniuocum, aut analagum ponunt.

ART. IV.

VOCANT Peripatetici Theologi Deū causam æquiuocam, veluti sol caloris, quem putant non esse calidum, sed potentem facere calorem: sed propriam vocē multi non animaduertunt: non enim effectus æquiuocus index est suæ causæ, sicut nec canis terrestris declarat stellatum: & tamen hæc non sunt purè æquiuoca: nec similitudinis expertia. Æquiuocum enim diuersum genus, & essentiam importat, solam autem nominis vnitatem: sicuti ly populus dicitur de arbore, & de hominum multitudine omninò æquiuocè: vbi nullo pacto sese mutuò inferunt.

Rursus aiunt, causam æquiuocam semper esse nobiliorem, & vniuersaliorem, quin & in fieri, & in facto esse causam esse: vniuocam verò esse particularem, & in fieri tantum: si enim ignis per se vniuersalis causa esset ignis, seipsum simul causaret quoniam causa per se primò vniuersaliter est causa omnis effectus eiusdem speciei: sic Socrates si per se generat hominem primò, generat omnem hominem, ergo & seipsum: sed cùm hoc sit impossibile, oportet causam vniuocam esse particularem, æquiuocam verò vniuersalem: sol ergo omnis hominis est causa, & omnis ignis, sed Socrates est tantū huius hominis causa, & hic ignis huius ignis.

Sed profectò hæc ratio non sufficit. Motus enim apud Peripateticos est causa æquiuoca caloris, non tamen omnē calorē generat, nec nobilior est calore: & ipsi negant solem esse musca nobiliorem, nedum homine, quicūque inanimata ponunt cœlestia corpora. Non ergo videtur primum Ens inter causas æquiuocas numerandum; cum quia non faceret effectus sibi similes, nec ex eis cognosci posset: cum quia nec nobilior esset prorsus, nec vniuersalis: Nam risus prati non facit risum hominis, nec è conuerso, nec canis piscis latrabilem canem; nec ius brodium legis ius, sed homo viuus facit hominem pictum, & Ala facit idealiter remigium, quoniam ab ea didicit homo virtutem, & fabricam remi. Analogum ergo primum Ens poni debet, sicut ad analogiam resoluitur omnis prædicatio, teste D. Thoma: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat* (ait Moyses) *& erant valdè bona*; quoniam à seipso bono summo emanarunt.

Nec quidem propter hoc solum dicitur Deus bonus, quia est causa Bonitatis, & sapiens, quia causa sapientiæ, & ens, quia causa entis, &c. vt quidam dicunt. Nec dicitur modò bonus, quia non malus, & ens, quia nonnihil, vt alij dicunt; sic enim solum causaliter, vt primi dicebant, aut solum per remotionem imperfectionis, vt secundi, hæc vocabula de Deo dicerentur: sic posset etiam de Deo dici corpus, & lapis & culex, quoniam horum est causa: & per hæc aliqua ab eo negari possunt. Est corpus nimirum, quoniam non est lapis; quoniam non est mollis fragilisque, est culex, quoniam volat cogitatione, &c. quæ cum non dicantur nisi longè inferiori modo, & metaphorico propter copiam nihili, quam includunt: reliquum est vt fateamur cum Theologis præstantioribus, & cum Platone in Timeo ex bonitate Dei procedere, sicut fortiter arguit D. Dionysius rerum bonitates, ex sapientia, & entitate Dei, sapientiam, & entitatem rerum; & similiter vnitatem, aliasque Primalitates. In Deo ergo est Bonitas aliterquam lapideitas, hoc est propriori, & veriori modo. At qui æquiuocum Deum principium faciunt, ita dicere habent, quod huiusmodi, & omnia vocabula remoueant à Deo, vel causalitatem dicant: & quoad impositionem à quo, & ad quod propriè creaturis conuenire, quod sacris eloquiis minus consonat, dicente Iesu, *Nemo bonus nisi solus Deus*; sed non dices. Nemo bos, aut nemo color, nisi Deus.

Nos igitur vocamus Deū causam analogā; similiter & solem, quem tamen solum caloris, & lucis vni-

uocã dicimus causã, vt probamus in physicis: hominis verò, & plãtæ, & lapidis Analogam, quoniã licet non habeant solis figuram, & formam & virtutem, aliquid tamen simile habent proportionaliter, & propterea causa Analoga est illa, quæ habet in se vnitè, perfectissimè, & abundanter ea, quæ effectibus insunt diuisim, & imperfectè non adæquantia virtutem agentis, sicut in homine, & in planta, & lapide, est virtus solis sparsa, & alterius rationis imminuta, & vario modo conficta: vnde quando ignis generat ignem, vniuoca est causa: cum generat fumum, est Analoga, & cum germinare facit terram, æquiuoca, Asinus ergo Asinum gignit vniuocè: Mulum verò analogicè, pediculos, & pilos æquiuocè. Dico inquantum Asinus, quoniam in quantum animal vniuocè, vel analogicè ista gignit. Non ergo causa, quia est æquiuoca, est vniuersalis, & potentissima, & generans omnia eiusdem speciei, vt putant, sic enim & Motus generaret omnes calores. Sed ideo causa est vniuersalis, quoniam abundat entitate, quam possit omnibus elargiri, & omnia ab ipsa participare: & in hoc quod deficiunt, seruatur analogia, deficiens ab vniuocatione, quod Peripatetici in re non inuestigantes, sed in vocabulis, aberrant ab inspectione Entis, & Veri. Quapropter manifestum est, si omnium perfectiones in prima causa existunt vnitæ, ipsam analogam esse analogia attributionis, non extrinseca modo, sed intrinseca, formaliterque.

Notandum quoque reperiri communitatem analogam inter illa, quæ non sunt causa, & effectus; vt vrina, & medicina dicuntur sana, & triangulus triangulo est inæqualis, sicut planta plantæ differens. Et hæc non satis declarare se inuicem, nisi intellectus opera multa pertingentis ad primum, respectu cuius analogantur: communitatem verò inter causam & effectum paruo negotio vtrunque sponte declarare: sicut enim se habent duo ad vnum, ita octo ad quatuor: quoniam dupla proportio causaliter est in dualitate, in octonario verò effectualiter saltem secundum ideam: quoniam ad dualitatis ideam dicitur duplum. Quamobrem, *non relinquit se Deus absque testimonio*, teste Paulo Apostolo, & *nulla sane res tam parua est, quæ Deum non manifestet*, teste Trismegisto, quoniam omnes effectus illius sunt participes entitatis, Potestatis, Sapientiæ, Amoris, & obiectorum.

Ens & vnum, & Bonum, dici de Deo, & de secundis entibus analogia proportionalitatis, & attributionis, & omnem Analogiam occultas saltem radices in attributione habere: & vnde errarint qui attributionem auferunt ab Analogia inter primum, & secunda entia; & argumenta illorum soluuntur.

ART. V.

QVONIAM duplicem in primo libro inuenimus communitatem analogicam, aliam nempè attributionis, secundum quam alicui primò conuenit aliquid per se, & formaliter, cæteris verò per respectum ad illud primum, quod etiam recipiunt in sua diffinitione tanquam delaratiuum, & essentiatiuum illius respectus: sicut sanum per se dicitur de Animali: de Medicina verò, & vrina respectu ad animal: vnde dicimus vrinam in quantum sanam esse signum sanitatis in animali, definientes. Aliam verò Proportionalitatis, secundum quam non videtur subito respectus ad primum vnum haberi, sed similitudo attendi vnius ad alterum, ad habitudinem alterius ad alterum: vt quemadmodum se habet Ala ad aues, ita pennula ad pisces, & remigium ad nauigium. Quæ similitudo habitudinum optimè repræsentat similia non secus fortè ac animalis communitas, hominem, & culicem, & echinum, & cõchilia manifestat: & quamuis non mutuo diffiniantur, neque per respectum ad primum, tamen respectus ille est abditus in natura: etenim ab eadem Idea ob eundem finem ita constituta sunt.

Post hæc autem inuenimus, ens dici de diuersis, generibus, & de primo ente vtraque Analogia: & quoad secundam patet: sicuti enim ipsum est, ita & secunda sunt: Et semper esse amant, & possunt, & norunt esse pro rata sua: etenim iam sunt: si enim non essent sciri ac nominari non possent: sed quidem debilitas entitatis secundorum non excludit similitudinem cum entitate primi. Nisi quoad esse quantum & non quantum: non quod ad esse ens primum, & ens non primum: sicuti nec quia proportio viginti ad decem est grandis, & copiosa, nõ erit eadem cum proportione duorum ad vnum; & quidem ab ipsa originem habet abditam, sicut remus ab ala. Ergo in arcanis naturæ reducitur Analogia proportionalitatis ad analogiam attributionis, licet secundum artem logicalem differant, vt in 1. p. lib. 2. monstratum est. Ideo analogiam attributionis esse inter primum ens, & secunda entia assero contra quosdam Theologos, non introspicientes, sed aspicientes ipsam. Et quamuis inter infinitum Deum, & finitas creaturas non detur proportio, quo ad esse Magnum & paruum, & quantitatiua, vt dicunt: datur tamen quatenus entia sunt, & Deus causa, & creatura effectus eius est, similitudo, & cognatio. Quoniam quidquid est, aut est effectus primi entis, vt lapis: aut signum ducens nos in cognitionem eius, vt ordo: aut recipiens effectum eius, vt locus, & Materia secundum Veteres: aut cooperans instrumentum eius, vt secundæ causæ inquantum causæ: Sic autem vrina est signum sanitatis: appetitus est effectus; medicina est causa: dicta est conseruatio eiusdem sanitatis, quæ per se inest animali. Nec quia non ponitur primum ens in definitione secundorum entium, veluti ponitur in definitione vrinæ, & Medicinæ & dietæ, & famis, animal, inquantum sana

dicuntur, non erit ens analogum attributione, vt argumentantur prædicti Theologi: Hoc enim ideo euenit, quia secunda entia per proprias quidditates definiuntur, quæ includunt nonens, & imperfectionem, at non quatenus entia, sed quatenus hoc vel illud limitate, & deficienter. Medicina enim, & vrina, & dieta, si non definiantur inquantū sana, sed inquantum Medicina, & inquantum vrina, & dieta, non recipiunt sanitatem animalis in sua definitione. Nec pater filium in sua definitione, si non definitur inquantum pater, sed inquantum homo, sic & homo quando non definitur inquantum ens, sed inquantum homo, nequaquam suscipit in sua definitione Deum primum ens. Præterea Modus, quo prima causa secunda entia causat, latet nos; & latuit philosophos: idcirco non consueuerunt illam ponere, sic enim etiam si nesciremus modum, quo vrina est signum sanitatis animalis, non vocaremus illam sanam, neque definiremus per sanitatem animalis. Bruta enim, & Rustici ignorantes artem medicinalem, non dicunt, hæc vrina est sana, vel ægra, vt Medici dicunt: & propterea legendo videbis Theologos sæpè ponere Deum in definitione Animæ & Angeli, & multorū entium, quia quid eminentius intelligunt quā physici. Præterea nomina, quæ de prima causa prædicamus, non sunt inuenta nobis primò in prima causa, sed in causatis: & secundum id, ad quod imposita sunt, dicuntur per posterius: vnde autem imposita per prius. Propterea ergo, quod Sapientia, Bonitas, Potentia, Amor, prius innotuere in secundis entibus; & ab illis causam primam venati sumus, non definimus per primam: tametsi Primalitates promptius primum ens suscipiunt in definitione: vel ipsum ens absolutè: cæteri verò effectus defectui, qui ob deficientiam cadunt in Metaphoricam, & longinquam similitudinem, non ita subito ens accipiunt in sui ratione. Sanitas autem innotuit nobis primò in animali, & postea in Medicina, & vrina; & ab animali ad ipsas transiuit nomen sani: idcirco definiūtur per sanitatem animalis apud nos. Quasobres puto, Angelos in cognitione matutina definire creaturas per respectum ad creatorem, in quo primò ipsas intuentur; & vnde primo eliciunt nomina mentalia, & trahunt ad res creatas: & quidem si nunquam vidissemus Aues, & pisces, sed tantum triremus, vocaremus remos Alas, non autem alas remos: & Ala remum in definitione reciperet, vel in declaratione, & non è conuerso. At Deus per se primò ac summum ens, dum causat secunda entia, suam similitudinem illis effundit, neque alienam, quæ non est; & necessario hæc similitudo inhæret secundis entibus, & est ipsamet secunda entia quatenus entia: Quapropter cum entia dicuntur entia, & bona, entitate diuina, & bonitate diuina dicuntur: ergo non solum ab extrinseco denominantur sicuti vrina & Medicina denominantur sanæ ab extrinseco scilicet à sanitate animalis, non inhærente illis; sed ab intrinseco dicuntur entia, & bona primi entis, & boni participatione illis indita, vt patet ex D. Dionys. Thoma, August. & Boëtio. Igitur hæc analogia proximè accedit ad vniuocationem. Necesse est enim in effectibus causæ similitudinem reperiri. Neque enim causa quod non habet dat, sed quod habet. Nec contrarios sibi quasi stulta faciet effectus, sed consimiles quantum potest. Hinc elucescit quare bos, & lapis non denominantur lapides, & boues lapideitate, & bouinitate diuina, sicuti dicimur boni, & entes bonitate, & entitate diuina: quoniam lapis & bos non solum entitatem, & perfectionem important, sed simul nonentitatem, & defectum quo essentiantur. Differentia enim constitutiua rerum, Esse, & Nonesse participat, quia constituit, & distinguit; vt Rationalitas facit hominem esse hominem, & simul non esse lapidem, & cæteras res, quamuis nobiliores.

Vnitatem, hoc est, primum Ens, omne genus causæ licet contineat, actiuam esse causam & hanc omnium nobilissimam; & semper in actu esse, & dare & non recipere, nec pati: ergo nec esse materiam, nec spatium basim rerum, vt alij arbitrantur: & satis fit ex parte argumento secundo.

ART. VI.

QVÆRENTES igitur, quod genus causæ sit primum Ens, nullum particulare genus inuenimus, sed omnia genera causarum, & principiorum in primo Ente contineri eminentissima ratione cognoscimus. Veruntamen efficientem causam magis esse quam cæteras intelligimus proprius ac verius: siquidem nobilissimam oportet esse causam primam, veluti & omne primum in omni genere. At Potentia passiua ignobilior est quam actiua, sicuti Agere declarat, quod nobilius est, quam pati per se, licet accidat interdum pati esse nobilius, vt Socrates ait, *melius est iniuriam pati, quam inferre*: quatenus in ipsa illatione iniuriæ inest vitium iniustitiæ, per quod deficit à virtute actus; sed Potestas imbecillitati sèpe præfertur, quia illa ens, hæc nonens. Item ait IESVS, *Beatius est dare, quam accipere*, qui enim dat, habet: ergo est quid plus: qui recipit, non habet, & non est. Et hoc verissimum est, quando dans suæ bonitatis diffusiuum est, non alienæ, inquantum aliena. Præterea à Potentia passiua receptiua nullus effectus dependet, nisi detur ab Agente: ergo non est Potentia, nisi in respectu ad actiuam. Potentia verò perditiua, qua frigus à calore patitur, & destruitur, Potentia non est; sed impotentia. Igitur Prima causa nullo pacto est Potestas passiua: nec enim affligitur, neque recipit, sed dat. Præterea Actus præcedit Potentiam, non dico actiuam, sed passiuam. Nam licet omnia semina sunt potentia, & postea actu; & in generatione præcedat potentia: tamen non reducitur ad actum quod generatur, nisi per aliud prius existens actu: & ipsa potentia præcedens, actus est, vt probatum est in primo lib. huius partis. In

eo enim potest semen esse animal, & puer vir, quia habet actu aliquid animalis illud, & iste aliquid viri; & non propter potentiam passiuam: sic enim & lapis respectu materiæ diceretur potentia animal; vnde Anaxag. Mentem tanquam actum præponit, quæ ex Chaos extrahat, quæ insunt potentia; & Empedocl. Amorem, & Odium: similiter Parmenides, & Hesiodus, & Ouidius, & Aristoteles, & Plato, & Pythagoras, & quicunque ingenio præditi fuerunt scriptores, Actiuum ens passiuis anteponunt. Non enim à se ligna, & cæmenta, quæ sunt domus potentia, fiunt domus actu: nec sperma fit homo, nisi ab homine vel agente Diuiniori: & per hominem cognoscitur, quod illi simile sit futurum. Notitia enim est passionis perceptio: Passio autem ab actu ingeri tantum potest; & potentia passiua per actiuam cognoscitur, cui subest: Actus ergo dignitate, tempore, & cognitione secundum naturam præcedit potentiam, quæ non est actiua, vel imperfecta: igitur actiua est Potestas prima, & semper actu, vel ipse actus: quoniam si componeretur ex actu, & potentia, non esset verè prima, nec per se ens primum, sed per participationem. Item si semper esset in potentia ad aliquod esse, quod non habet, sicut linea dicitur in potentia semper ad esse hominem, quia nunquam erit, vel lapis est homo in potentia, quod totaliter nunquam erit; tunc primum ens patietur secum Nonesse, & compositionem Nihili, & desiderium amplioris esse, & non erit, ergo Primum ens. Sin autem est in potentia non ad actum, quem habet, sed ad aliquem alium actum, ad quem aliquando reducetur, tunc præterquam quod non est omnino ens, quia patitur defectum entitatis, restat quærendum à quonam reducetur ad actum? si ab alio, hoc aliud erit prius, & nobilius illo, quod est in potentia: ergo illud non erat primum ens, aut sunt duo prima entia: sin verò reducitur à seipso in actum, sicut calor dum seipsum auget, & multiplicat: oportet in se habere actum; non enim daret sibi actum, quem non habet. Nam ipse Calor, dum calefacit, se ipsum dat: & licet gradum acquirat maiorem, hæc tamen acquisitio non est in se, sed in alio. Deus autem in nullo est, sed in se, quod enim in alio est, non subsistit per se, & indigens est substentationis, ergo non est primum, neque vnum: si autem dat sibi, quod habet, & non in alio; ergo semper est actu, & non potentia, eo quod habet.

Quomodo autem sit Causa eminenter, quod est esse principium, aut primordium, posterius dicetur.

Idem docet Sapientia: cuius proprium est gubernare, ordinare, & iudicare: Omnis quippè artis, & naturæ Sapientia in eo relucescit, quod nihil agunt inordinatè, aut frustra, nec superflua admittunt, nec deficientia in necessariis: Præuident futura mala, ac bona; & idcirco propter finem bonum agunt opificia sua. Planta enim folia, & spinas simul cum floribus producunt ad defensam futurorum fructuum, quos propriæ mortalitati in sua fragilitate præuisæ subcursuros præparant: Idem in simplicibus causis actiuis agnoscimus; quin & in lapidum generatione, & nutritione, & reuersione ad locum suum; quod si iudicio proprio agunt, quod participant, admonent primum Iudicium inueniri: si alieno, illud primum alienum quo aguntur omnia, est Sapientia prima actiuissima omnium artifex omnem habens virtutem ex Sap. 7. Nam si omnia animalia per sensum operantur, quanto magis Sapientia est actiuior? nihil enim nisi præconceptum, & mox ordinatum, fieri potest: Et ostendimus, Sapientiam non esse passionem, sed Actum in 2. lib. Patet ergo actiuissimam esse causam primam ea ratione Sapientiæ: & semper in actu. Nam si aliquando intelligat, aliquando non, participabit potentiam reducibilem ad actum, vel non reducibilem; & sic idem quod prius: erit enim particeps Nonentis, & mortis: omnis enim mutatio aliqualis mors est, vt dicemus; vel similis nobis dum dormimus, aut obliuiscimur; quia per passionem sentimus, & operamur, vnde indigemus instauratione, & quiete; & nouis aduenientibus passionibus obliterantur priores, & obliuionem incidimus rerum per passiones illas notarum.

Cum prætereà probauerimus, quod sapere sit esse actu id, quod sapimus. Constat primum ens, cum sit omnia entia, omnia sapere semper actu: nec aliunde turbari ab actu suo, quoniam non addiscit scientiam, sed habet, vt dictum est.

Idem admonet Amor, qui teste D. Gregorio, nunquam est ociosus: vnde principium actiuum rerum visus est Parmenidi, Hesiodo, & Empedocli. Velle enim est operari: operatio autem est principium actionis; & actus ipse entis in actu, vt dicebamus. Neque quicquam fit nisi à voluntate operatum: & quod semper volumus, semper operamur: vt quia cælum semper esse vult, semper vult moueri, quia hoc actu seruatur esse. Amor Magnetis stupido ferro inertique dat actiuitatem, & motum. Amor bruta trahit, & homines ad cuncta eorum opera: vndè Poëta sapidè, *Trahit* (inquit) *sua quemque voluptas.* Voluptas autem est Amor: Ergo prima causa actiuissima est, quoniam amat semper seipsam, & omnia, quæ sunt, quatenus sunt. Nam in eo, quod sunt, aliquid eius sunt. Multis etiam argumentis probari potest, Actiuitatem pertinere ad causam primam; & nemo est qui inficiatur, nisi stolidissimus sit, vt Dinandus, & Arabes quidam.

Ex his palam est, Deum non esse materiam: esset enim Potestas passiua: pati autem est recipere; Dei verò est dare. At quamuis qui materiam esse Deum, asserunt, asserant oporteat ipsammet esse causam actiuam, vel actiuas causas esse eius passiones, & affectiones: nihilominus hoc stultissimum est. Non enim ipsa à seipsa affici potest, sed ab alio, neque à seipsa moueri: Mouens enim aliud est à moto semper: & quamuis naturalia moueant seipsa ab intrinseco, forma tamen mouens est aliud essentialiter à corpore moto, vt calor ab ignis corpore: oportet ergo asserere, Deum esse compositum; quod facit esse ipsum non vnum, neque primam causam, vt ostendemus: vel actiuitatem, esse respectum & nihil, vt putant Epicurei, calorem frigusque à materiæ situ, & ordine, & figura oriri: & hoc falsum esse non semel declarauimus; & qui materiam actiuam faciunt, aut ex actiuitate, & passiuitate componunt, non intelligunt quid nomen materiæ sonet.

Nec spatium, in quo sedet Mundus, esse Deum opinari licet: siquidem ipsum indiget repletione corporis, & entitate, quam non habet. Deus autem omnia habet, secundum conceptionem communem omnium hominum, imò & omnium

rerum : eſt quoque ſpatium paſſiuum, & receptiuum, non datiuum, & actiuum : & licet omnia ſubſtentet, & nullis ſit contrarium, & præcedat omnia, quoniam ante ipſum nihil : oportet namque in loco eſſe quidquid eſt : non tamen videtur poſſe dare calorem, & frigus, aut materiam creare, & ſecunda entia, & arte aliqua vti propria ad rerum compoſitionem. Sed eſt vtique nobiliſſimum ens, & baſis entium corporeorum, non tamen Deus, ſed in Deo ; imo & Mens ipſum præcedit : indicat enim calor, & frigus, & materia, & rerum colligatio, ars, ordo, & idea, non à ſpatio modo res habere, quod ſint, ſed ab aliquo longè priori, perfectiori, abundantiori, qui non indigeat ſpatio ad ſui ſubſtentationem, ſed dederit ſpatium corporeis rebus ad ſubſtentationem earum : & in eo ipſas increarit. Mens etiam ſubitò infinitum ſpatium percurrit & complectitur, & lineat : hoc autem non faceret ſi eſſet ſpatij pars, & effect u s

Quapropter Democritus, & Epicurus, qui materiam, & locum tanquam duo prima principia, quæ vocant ſolidum, & inane, poſuerunt, falluntur valdè : quoniam ſunt verè duæ ſubſtantes cauſæ, ſed paſſiuæ, non actiuæ. Idcircò ad actiuam reſpiciendum erat. Et quamuis Materia, & locus nunquam corrumpantur, ſicuti formæ actiuæ, ſcilicet, calor, & frigus, vnde tanquam incorruptibilia diuina eſſe arbitrari quis poteſt ; Nihilominus formas incorruptibiles adhuc venari licet, & non quas Ariſt. mouentes cælum aptat, ſed nec ipſius cœli vim actiuam, quoniam & cœlum peribit, teſte Dauid Propheta, ſed Poteſtas, Sapientia, & Amor perire nunquam videntur, neque ens. Nos autem primum Ens inueſtigamus, quod eſt omnia, & non hoc aut illud. Omnia autem ſunt non materiæ & ſpatij gratia, nec à materia, & à ſpatio, licet in Primalitatibus cum illos conueniant, non in modo eſſendi, & agendi.

PRIMVM ENS CAVSAM ACTIVAM OMnium rerum, & ad ipſam reduci formalem, finalem, & idealem; & ex nihilo fieri entia à primo Ente debuiſſe. Item non eſſe materiam, neque locum coæternas concauſas Deo, ſed à Deo produci potuiſſe, non quatenus paſſiua ſunt, ſed quatenus entia : ſed quatenus paſſiua, eſſe nonentia ; & falſam eſſe ſententiam dicentium, cauſam paſſiuam fieri ab actiua, & paſſionem ab actione per ſe : ſed Deum omnino facere, quoniam omnium entitates habet eminentiſſimè, vt ſunt, non vt non ſunt.

CAP. III. ART. I.

QVONIAM efficiens cauſa nobililiſſima cauſarum eſt : licet Deus omne genus principij & cauſæ contineat : verius tamen efficiens videri conſueuit.

Nec quia Finalis cauſa mouet agentem, cauſa cauſarum nobiliſſima exiſtimanda eſt Ariſtoteli : ipſa enim eatenus eſt cauſa quatenus eſt ipſa efficiens. Propter ſeipſum namque omne ens agere in prioribus ſermonibus docuimus. Nam vel, vt amplificent proprium eſſe, vel, vt acquirant ea, quibus proprium eſſe conſeruatur, agunt omnia : quin & effectus ipſe dicitur cauſa finalis, quatenus mouet agentem. At non mouet niſi quatenus præeſt in agente eius ſimilitudo, & eſſentia : & quia actio eſt effuſio propriæ ſimilitudinis: vtiq; propter ſe agat omne agens, præcipuè tamen principale, aſſerendum eſt. Nam & ſimilitudo, quam communicat, eſt ipſummet agens aliquo pacto, vt probat D. Thomas ſubtiliſſimè quidem : quoniam ſimile inquantum ſimile ſimili eſt vnum. Ergo ſeipſum agens amat, & multiplicat, dum ſimile amat, & facit : ergo finalis cauſa reducitur ad agentem.

Cauſa quoque formalis eſt ſimilitudo formæ agentis, & conuenit cum ea ſpecie. Et ignis quidem ignem generat ſibi ſimilem, ergo ſibi vnum inquantum ſimilem, licet materia diuiſa cauſet diuiſionem numeralem, non tamen ipſum agens. Igitur quærenda non eſt alia prima cauſa formalis, quæ non ſit agens. Agunt enim omnia per actiuam formam. Primum ergo agens eſt omnium forma, non formata, vt dicebat S. Auguſt. ex quo ſtatim patet cauſam quoque Idealem reduci ad efficientem præſertim primum ; Inuentor enim artificiatorum non ab alio exemplari ideam recipit, ſed à ſeipſo excogitat. Qui enim inuenit bombardas à ſeipſo excogitauit ideam : ſed alij artifices ab ideata dein bombarda. At licet in natura ſit tonitruum exemplar : in arte tamen non præceſſit ; ſic & in natura exemplata ſunt multa primò : ſed præcedunt in primo Opificè, ſicut artificialia in arte intrinſeca quæ eſt natura. Perfectio etiam effectus eſt in Agente præ concipiente vſum effectus, & ornante ad vſum. Quapropter nulla difficultas eſt inueniendi cauſam primam in ſe habentem eminenter omne cauſæ genus, ſcilicet efficientem formalem, finalem, & idealem & perfectionalem: concurrunt enim ſimul. Vnde Seneca vnam eſſe cauſam primam philoſophatur, & non plures.

Cæterum de materiali fortiter inſtat dubitatio : quoniam nullo pacto ipſa videtur poſſe cum agente identificari,

identificari, vnde Plato arbitratur materiam coæternam Deo: & Anaxag. Chaos præsupponit æternum: Democritus corpuscula, Empedocl. elementa. Arist. Mundum æternat, & primam causam, non verè causam ponit, sed quasi vnum ex entibus, & veluti animam alicuius partis vniuersi: & physiologi omnes materiam supponunt æternam, qui formam, & ordinem Mundi sæpè iterant ex ruinis præcedentiũ Mundorum. Quoniam (aiunt) *ex nihilo nihil fit*: sed solubilis est hæc ratio: nostra autem inextricabilior: quomodo, videlicet, à Deo actiuissimo passiuum ens potuerit emanasse; & quomodo locus nullus fuerit ante Mundi creationem: & in quo erat Deus: & quomodo huiusmodi substantia post ipsum ab ipso sit: & vtrum finita, & quô, an infinita, &c.

Huiusmodi quæstio non habet locum inter Gentes, sicuti inter Christianos, Iudæos, & Macometanos, asserentes concorditer à primo Ente omnia entia facta esse, nulla ipsorum præsupposita parte, sed ex nihilo materiali, & post purè nihilum: Ita enim necesse habent materiam deriuare à Deo; & quidem facile est respondere ad rationem physiologorum: quod nimirum ex nihilo nihil fit ab agente particulari, & per transmutationem. At ab Agente vniuersali, quod nõ transmutat id, quod iam esse, in aliud, quod non est, sed producit simpliciter, quod non erat, & per se facit ens. Homo namq; aut planta non facit ens per se, sed per accidens, dum facit hominem, & per hũc, ens: aut plantam, quæ est, & præsupponit ens; & facit partem, idest, formam, & non totum, idest, materiã, & formam. Agens autem vniuersale facit totum, alioquin vniuersalis non esset, quoniam aliquid non faceret, sed præsupponeneret, & aliena, non sua curaret; vel indigentia compulsus, conductusque ad alienorum curam, vel violenter operoso negotio illigatus, quod est impossibile. Ideoq; non præsupponat partem oportet, sed ex nihilo agat: & hanc factionem totius ignorarunt Physici, intuentes modo agentium, indigentium, & imbecillium partiales factiones, quæ præsupponunt totalem omnipotentis causæ. Ars enim præsupponit compositum; & natura materiam. Deus verò nihil: quoniam non indiget, vt causæ secundæ imbecilles, aliqua priori causa potiori, & fœcundiori, nec factione priori.

At quî fieri potuit, vt materia ab agente causa ex nihilo produceretur, difficilè intelligitur à nobis, qui partiales modo transmutatiuasque actiones nouimus. Verùm conuincit ratio, de necessitate oportere omnia entia esse ab vno vniuersali principio: ergo dicendum est, quod quia materia non agit, sed patitur, & recipit: & in eo, quod patitur non est ens, sed fit ens: pati enim est recipere alienam similitudinem: ergo non habet quod recipit: Passio ergo consistit in non habere: ergo quatenus passiuum principium dicitur, non est à Deo actiuissimo, sed quatenus habet actum entitatiuum, vt benè dicit Scotus, licet satis hoc non intelligant; cum quidem materia calefit, aut frigefit, aut fit spherica, rara, densa, triangularis, recipit actus, quos non habet, & quos ipsa non est (& notanter ita loquor) Non est autem actus, quem recipit, non quia Deus ei dedit Non esse actum, sed quia permisit Non esse, quod iam ipsa per se non erat. Quatenus autem materia ens est, facta est primo Ente, & non ab anima primi orbis, vt putat Auic: etenim vt vt sit, potest esse, sapit esse, & cupit esse: neque immerito dixit Plato, cui subscribit Arist. *Materiam appetere formam, sicut fœmina masculum*. Nec solum per id, quod habet de motu ad formam, vt dicit Auer. Sed quia ad hoc creata est, vt suscipiat formas: vnumquodque autem appetit proprium finem, ad quem dirigitur à prima causa. Non enim potentia passiua constituet primariò materiam in esse materiali, sed secundario. Primò enim constituitur à Potentia essendi, à sensu essendi, & ab Amore essendi: sed quia non completur entitas sua, nisi ab agentibus formalibusque causis, ad quas est, ideo appetitum, & sensum, & potentiam ad illas habet. Hæc verò in eius corporeitate fundantur, vel corporeitatem fundant: si enim incorporea esset, formas non reciperet, nec in diuersas partiretur, nec distinctioni rerũ subesse.

Et cum quæritur, quomodo Deus incorporeus facit corpora: Respondeo, quatenus Ens primum præhabens in se omnium entitates. Et hoc fortè voluit Trismegistus, cum dixit, vtriusque sexus fœcunditate plenissimum esse Deum: quoniam actiua, & passiua entia producere potuit, quatenus entia. Nec quidem purè passiuam potentiam esse materiam omnes Theologi concedunt: nec eius operationes docent: sustinere enim formas, quoddam agere est, & cum ab illis occupatur, cum eis coagit: etenim cum propriam non acceperit actiuitatem, induitur, & sectatur alienam. Item sibi relicta deorsum concitat motum, quasi animal in fine fugæ: & à calore deuicta, cum eo fugit frigida, & calefacit, & tendit sursum: ac à frigore occupata infrigidat, fugit calida; vt manifestum sit ab agente causa vniuersali incorporea, idest, immateriali potuisse & ipsam aliquo pacto actiuam produci Materiam. Etenim S. Iustinus ait, *Diuinitatem dicimus incorpoream, non quia* (inquit) *sit incorporea: est enim Deus substantia sua, vt vltra corpus, ita vltra incorporeum: vt pote vtriusque horum opifex. Nec enim fecit Deus id, quod ipse est: sed vocamus incorporeum, vt distinguamus eum à corporibus, quibus non existentibus non diceretur Deus incorporeus, sicut dicitur increatus, vt distinguatur à creatis, quibus non existentibus, neque creatus, neque increatus diceretur: sic ergo neque corporeus neque incorporeus est*.

In q. ad Orthod.

Idem de spatio, in quo sedet Mundus, dicendum videtur. Nam trahit ad se corpora, quibus impleatur, vbi vacuum fit, vt patet intra folles, & cucurbitulas, & in tota arte de spiritalibus, in quibus potentiam, & sensum, & appetitum sui esse declarat: quod quia in substando perficitur, substare potest, sentit, & appetit: vnumquodque enim, cuius est opus, est gratia operis, quod dictum est. Nec ergo mirum si & locum à Deo productum esse dicimus. Nam quamuis Deus sit incorporeus, & immaterialis, vt mox ostendemus, tamen præhabet in se quid eminentius correspondens analogicè corporeitati, & materialitati, & dimensionibus loci incorporeis, ac materiæ corporeis, vt dicebat Trismegistus de fœcunditate omnis sexus. Quin & Apostolus ad Ephes. 3. idem sonat, dum rogat, vt Christus Sapientia Dei habitet in nobis ad hoc, *vt possimus comprehendere cum cæteris sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*: hæc autem in Deo esse in quo beatificamur comprehendentes, subintelligitur in contextu Apostolico, vt & S. Dionys. de-

clarauit, sed analogicè. Neque enim Deus creat, quod ipse est: esset enim ipsius essentia etiam creata, vt Iustinus arguit: nec quod non est, alioquin non posset dare: ergo eminenter est omnia, & non formaliter.

Quod autem aliqui Theologi dicunt (Ideo materiam potuisse creari à Deo, quia non per se, sed simul cum forma creata est à Deo prima forma omnium: & quod sicut passio fit ab actione, ita principium passiuum ab actiuo) nihil ferè declarant. Cum quia non omnes Theologi concedunt simul cum forma creata esse, sed præcessisse informitatem materiæ, vt Chrysostomus, Basil. Euseb. Gregor. & alij; quidam verò saltem à Deo sine forma posse conseruari concedunt non ineptè, vt Scotus, & Scholastici multi: tum quia non respondent ad robur argumenti. Esto enim, quod cum forma creata sit: tamen quæro, esse potentiam passiuam, & corpoream, vnde habet, & quomodo habet à Deo incorporeo, & immateriali, & impassibili, actiuissimoque? Numquid forma creata dat Creatori Deo, vt possit materiam concreare, & ipse Deus per se impotens est? Nec enim quærimus num materia possit esse sine forma: Hoc enim detur illis; sed quomodo à principio immateriali, actiuoque sibi similes effectus producente, potuit emanare talis entitas potentialis, & corporeitas, siuè seorsum, siuè coniunctim. Alterum quoque dictum eorum non constat: etsi enim passio sit actionis effectus, quatenus est idem actus Agentis, & Patientis, vt calefactio passiua actiuæ calefactionis effectus est: tamen hoc per accidens est, & quatenus passio est receptio, & acquisitio alienæ similitudinis, & non quatenus passio est verè passio, hoc est deperditio propriæ similitudinis. Non enim calefactio expulsionis frigoris (quæ est verè passio) causa est assimilans sibi effectum: sed sic est causa caloris recepti in frigido, & non expulsionis frigoris, nisi per accidens, vt in prima parte, lib. 2. cap de ac. & pas. demonstrauimus; & vt sic est causa dissimilitudinis; quapropter fallacia est à per accidens ad per se ita arguere. Passiuum enim principium non est simile actiuo, sed contrarium: aliàs non pateretur ab eo, nec eius similitudinem reciperet: nec perderet propriam, quia iam haberet illam: ergo agens non facit passum, vt sit, sed vt patiatur. Patitur autem in quantum non est ipsius agentis naturam habens: ergo non fit patiens ab agente, sed destruitur, id quod erat patiens, & fit ipsum agens, quod non erat: nec passio fit ab actione, nisi per accidens, quoniam agens actum edit, & non passionē, nisi quatenus ad actus insertationē sequitur: ergo modus quęrēdus est, quo Ens primū producit materiā, & locū sibi dissimiles tantopere. Et quidā nulla responsio satisfacit, nisi quā diximus (quidquid Auic. cruciatur (videlicet vtriusq; sexus fœcunditatē in Deo præexistere, non iuxta sensum, quē impugnat D. August. cōtra illos, qui dicunt, Deum esse simul masculum, & fœminam instar hominis: sed quia præhabet in se horum virtutes omnes, & latitudinem, longitudinem, & profonditatem, & altitudinem in Analogica eminentia. Facit igitur Deus materiam, & spatium quatenus entia sunt, at non quatenus pasciua: sic enim non sunt id, quod patiuntur. Et vt ostendimus, Deus non concurrit ad passionem receptiuam, vt passiua est, quoniam non indiget: neque ad diperditiuam, quoniam non deficit; sed tantum ad actionem, quæ est entitas diffusa, quoniam ipse summum ens est, & nulla entitas absque illo; & in ipso non localiter, sed potius quàm localiter, sunt omnia: & de ipso non materialiter, sed eminentius quàm materialiter: & cum ipso non existentialiter, sed fœlicius quam existentialiter. Et per ipsum non actiuè, sed plusquam actiuè: & ad ipsum non finaliter, sed melius quàm finaliter: & ad eius similitudinem non idealiter, sed altius quàm idealiter: & ipso non formaliter, sed interius quàm formaliter, vitaliter sunt omnia; & sic satisfactum est tertio argumento principali.

Corruptibilia posse à principio incorruptibili emanare, quatenus non totam eius virtutem habent, sed mistionem nonentis. Et multiplex ratio corruptelæ: & satisfit argumento secundo.

ART. II.

RVRSVS asserentes, primum Ens esse eminenter omnia entia, dicimus tamen, ipsum non esse corruptibile; neque accidens, neque substantiam sed ENS. Corrumpitur enim omne in quantum participat nonens. Ideo enim calor à frigore extinguitur, quia ipse calor non est frigus. Cùm ergo ponamus, primum Ens omnia esse, sicuti, & vnum est tota multitudo, & Rex est tota Potestas subditorum magistratuum; consequens est, vt à nullo possit vinci, aut corrumpi, sed ab omnibus seruari, & amplificari Non enim potestas Ducis, Marchionis, & Comitis, & Iudicis, & Cancellarij, aliorumque magistratuum à Rege creatorum, dum agunt ex data potestate, tantùm, Regi potest obsistere, aut esse noxia per se inquantum est ab eo, inquantum Rege, sed per accidens inquantum ab eo vt ignorante; aut inquantum accidit subditis aliqua Potestas aliunde, puta ab hostibus, aut à seipsis accepta, non data. Prima autem causa non habet priorem, nec æqualem, nec inimicam, quæ possit secum pugnare.

Cum ergo quæritur, quid est causa corruptionis rerum, si à Deo non est, alij aliter respondent. Hesiodus quidem ad Dei gratiam hoc refert. Nam quæ (inquit) gustauerunt Nectar, incorruptibilia remanserunt, vt Angeli, & Cœlum: quæ non gustauerunt, corruptibilia. Idem docent Theologi antiquiores, vt S. Ireneus, Iustinus, Clemens, Dionysius, & alij, quod, videlicet, Diuinitatis participatio, quæ per Nectar declaratur poëticè, auxiliumque ex Voluntate Dei, quæ est summus Amor, & dulcedo Nectarea, in causa sunt, vt anima humana sit immortalis, & Angeli, & alia multa. Nam cum ex

nihilo cuncta nata sint, vt dicebat etiam Hesiodus, necessariò corruptibila sunt.

Et Arist. vim facit in hoc dicens in 1. de Cœl. quod, quæ potuerunt aliquando non esse, poterunt & non esse. Non ergo aliquid factum immortale est. Idcirco in 3. Metaph. hanc Theologicam responsionem irridet, & dicit fabulosam: & in 12. Metaph. dicit non posse reddere causam, quare aliqua sunt corruptibilia, alia verò incorruptibilia. At quidem Theologi rectè dicunt, ad Dei voluntatem ascendentes; sed qui Deum naturaliter operari, aut æternum Mundum, opinatur, non acquiescit. Item restat adhuc physica, & metaphysica ratio, quam tacuerunt.

Sed Empedocles putat, se satisfecisse dicendo, omnia esse corruptibilia, quoniam ex odio componuntur, & amore: quæ enim à solo sunt Amore immortalia sunt. Arist. quoque hanc sententiam deridet, quoniam non sibiconstat, & arbitraria est. De constantia nil ad nos,

Sed Arist. qui meliorem afferre putat rationem, aliam affert nullam. Dicit enim alia corruptibilium esse principia intrinseca, alia incorruptibilium: sed tamen eadem proportione: Communissimum verò principium vnum immortale ponit, sed verè nihil principiare, sed tãtummodo mouere primum orbem, & ab eo alios orbes imitatione, vel violentia circumferri; & sic in inferioribus fieri transmutationem: quam motus diarius æternat, obliquus verò in vices distribuit. Et cum cogitur dicere causam intrinsecam, adducit Materiam, quæ est in potentia ad omnes formas, & quia sic se habet, transmutationem fieri, & generationem, & corruptionem: & quod in potentia est, necessario ad actum reduci: Idcirco non posse entia hæc inferiora non corrumpi.

At quidem impia indoctaq; eius est ratio; quoniam nec Deum rerum facit causam, sed transmutationũ: & quidẽ nõ per se; sed velnti per accidens. Nã vilesceret ille, si ista cognosceret. Itẽ nec Materia incorruptibilis, est causa corruptionis: ipsa enim potest recipere, si quis det, nõ autem dare formas, vt sæpè probatũ est, & Arist. in 9. metaph. dicit nõ dari potentiã passiuam, nisi quia habet actiuam: Non enim potest pati, nisi quia aliud potest agere. Quapropter non videtur ad Materię potentiam reduci corruptibilitas, sed ad causas agentes, generantes, & corrumpentes. Elementa quoq; habent materiam secundum totum, & tamen non corrumpuntur, nisi secundum partes, vbi scilicet à contrario opugnantur: Contrarium autem agit ex odio. Ergo rectè dixit Emped. odium esse causam corruptionis: sed quia odiũ nascitur ex amore conseruationis, & ex participio Nihili; idcircò Amor causa primaria sit generationis per se, & entitatis, corruptionis verò per accidens, & Nonẽtitatis, quoniam finitæ à Nihilo virtutis est. Nec quidem vt alibi ostendimus, Materia appetit formam, quã non habet nisi per id quod de ipsa habet: sed cum à forma potentissima informatur, occupaturq;, tota penetratur, & fit vnũ cum illa: nec motum, nec quietem, nec actionem; nec ergo appetitũ habet diuersum ab eo, quem à forma habet. Non quidem ignis materia aliud nisi actiones caloris, & opus, & appetitum habet, dum validè regnat Calor. At si à frigore oppugnetur, & occupetur, illa frigoris portio in Materia suscepta amplius appetit frigus, vt roboretur, & regnet. Et quidem Arist. in 4. Meteor. imputrefactibilem putat esse ignem in regno virtutis suæ: & partes terræ centrales habẽt materiam, & tamen nunquam corrumpuntur, quia à contrario sunt elongatæ: nisi quis fingat cum Nypho imperitissimè illas sursum ad peripheriam semper cupere exitum, vt corrumpantur. Ecquis crederet; entium aliquod reperiri, quod mortẽ appetat, & procuret sui? posset etiam hac licentia fingere alia longè stultiora. Quare ignoranter à cœlo materiam auferunt, ne corrumpatur, vt Egidius melius sapit. Optimè autem Telesius, qui ea modo entia corrumpi posse, indicat, quæ habent contrarium robustius, & præpotentius: vnde Sol, licet sit igneus, ac terræ contrarius, non tamen corrumpitur, quoniam terra non est robustior, nec illi propinqua, vt possit illum extinguere.

Ergo Animas, & Angelos asseremus immortales, non propter hoc, quia carent materia, licet verè careant, sed quia carent contrario corrumpente potentiori: contrarietas enim diaboli non est physica, ita vt substantia substantiæ cõtrarietur, sed moralis, & Polytica, ita vt volũtates & intellectiones, & exercitia cõtrarientur. A corporibus verò, & ab igne corrumpi non posse, quoniam communicãt in materia, & susceptione cõtrarietatis, sicut linea nõ patitur à calore: vnde rectè S. August. nobilius, quãdo alterius est ordinis, non posse ab ignobiliori pati, docet, sed hęc quidem in physicis ita se habẽt. At supergredientes ad nobiliores scientias, inuenimus contrarietatem ideo esse in rebus, quod à Nihilo originem habent. Calor enim frigori cõtrariatur, quia ipsum non est frigus: sed neq; hoc videtur sufficere: nam Materia non est calor, neq; frigus, & tamen nulli cõtrariatur eorum: ergo non à Nõesse tantũ nascitur contrarietas, sed à qua piam radice, adhuc inquirenda: sed hanc ostendimus esse odium ex Emped. Odium autem ex conseruationis amore.

At cum nõ possimus negare Nonẽtis ingressum, vtiq; ad mistam causam accedamus oportet. Calor quidẽ potest, scit, & amat secum esse, & vult illud æternare, & amplificare in infinitum: & quia per se non potest esse, nisi in Materia, eã occupare studet totã frigus verò idẽ optat: vterq; enim est ab infinito Deo creatũ, & vterq; Dei infinitatẽ æmulantur. Quoniã verò Materia non sufficit vtrisq; nascitur contentio, & odiũ, & bellum: ergo & corruptio, & generatio: ergo causa corruptibilitatis est cõtrarietas, vt Telesius dicit, & Potestas in contrariis: causa verò contrarietatis est odiũ, vt Empedocles monet: causa verò odij est Amor suæ conseruationis, & amplificationis, vt dicit S. August. At quoniam Amor Amoris est autor, non odij, nisi per accidens, quærenda est causa per se, & hoc est Nonens, non modo illa Nonẽtitas, qua calor nõ est frigus; sed illa qua Materia, nõ est sufficiẽs calori, & frigori; & deficit ei tanta entitas, quantam vterq; caperet: & quia cupiunt infinitã, quia sunt proles infinitæ potentiæ, & Amoris Dei: Idcirco hæc Nonentitas infinitatis materialis, est causa zeli, & odij, & belli, sicut in Riualibus palam fit. Quapropter corruptibilitas, & Incorruptibilitas non indicant diuersa principia prima, sed contrarietatem in rebus, quæ radicem habet à Nonente, & Ente: vnde semper confirmatur nostra sententia, & qui alias adducunt causas pueriliter soluunt.

At nunc restat inquirendum, cur Deus hanc rem habere contrariam, & corruptiuam fecit, illam verò minimè. Et quidem non est alia ratio suprema

reddenda, nisi Nectar Diuinæ voluntatis, vt Theologi Gentiles, & Nostrates pariter docent. Arist. verò irrisor illorum, irridetur à seipso.

Quæ autem Aristot. dicit in x. Metaph. quod corruptibile, & incorruptibile sunt contraria, & priuatiuè opposita, sicut Molle, & Durum, falsum est. Nam vel sunt eiusdem speciei sicut terra in superficie est corruptibilis, & in centro incorruptibilis: vel sunt diuersi generis, vt Angelus, & planta; vbi patet nequaquam ita opponi, vt ipse putat.

Et quod Auer. reputat falsum, quod Theologi credunt, eundem hominem esse corruptibilem, & à Deo fieri incorruptibilem, quia Arist. impossibile hoc opinatur, ignorantiæ plenum est; cum & Tellus in centro sit etiam Aristoteli incorruptibilis, & in circumferentia corruptibilis. Quod si tantum potest elongatio à contrario, quantum poterit autor contrariorum, & vitæ? Stulte quoque Platonem incusant, qui ideas incorruptibiles corruptibilium causas ponit. Nam & Christiani idem docent, & ratione summa. Quis enim non videt lucem in sole incorruptam, & in terra receptam fœdari, & corrumpi eius lucem, & calorem? Item scientia in Anima humana est incorrupta, & tamen in voce prolata, & in scriptura corrumpitur. Idcirco palam, quod Idea in mente Diuina sit incorruptibilis, prolata verò in materia inter contrarietates, corrumpi habet: quoniam non est illa, sed defluxus illius. Non ergo diuersitatem principiorum dat nobis corruptibile, & incorruptibile, sed entis, & nonentis principiationem ostendit. Item quia corrumpitur id, quod debilius est, & minoris potentiæ à potentiori: Minor autem Potentia Impotentiæ admistionem habet, & Nonentis: palam est, quod, corruptibile, & incorruptibile differunt sicut Ens & Nonens, vel sicut horum participationes. Ens autem Posteate Sapientia, & amore constat. Nonens oppositis: quæ inspicientes non errabimus ipse quoq; Arist. cœlum incorrup. facit causam corruptibilium & gen.

Diximus etiam in Medic: corrumpi corpora vel à contrario, à quo nos distare faciet Deus, quando induet nos incorruptibilitatem, vel extinguet: vel saturabit, ita vt cessent odia: quoniam, teste Apostolo, *Creatura liberabitur à seruitute corruptionis*, aut à suis propensionibus oppositis corrumpi: Calor enim ad cælestia redire, & propterea depascitur subiectum humidum, & solidum: corpus verò in terram propendit & grauat: vnde dissolutio vtrinque imminet. At si deus has propensiones tollat, quod facilè est, si homo positus fierit extrà hunc Mundum; vbi nec calor solem olfaciat, nec soliditas terram, manebit incorruptus, solisque Primalitatibus operabitur. Probauimus enim in 1. p. lib. 2. quod nauim capillo possumus mouere, etiam in mari nostro: & Mundum extramundani redditi: De his in 3. p. Hæc de causis externis corruptelæ. Causa autem intrinseca est Nonentitas, eiusque Primalitates, scilicet Impotentia, Insipientia, & Disamor: quo tamen non patiuntur corruptelam subiectæ entitatis, nisi per extrinsecus passiones illatas, & propensiones ad attrahentes causas. Ergo compositio ex alienigenis est itidem causa mortis, vt dictum est de Spiritu euolante, & solido grauante.

Contrarietatem non indicare Dualitatem primi Entis, sed misturam Nonentis in secundis rebus: & esse similitudinis signum, & non diuersitatis.

ART. III.

At neque contrarietas, vt aliud argumentum contendebat, demonstrat duo prima Entia: si enim potuit Materia & locus, quæ sunt valde dissimiles primæ causæ ab ea oriri, vt declaratum est, longè magis potuere contraria: quoniam vt declaratum est in 1. p. contrarietas non nisi à similitudine originem habet: quod eiusdem rei appetitus, & sensus, & Potestas docent. Contrarius est Rex Regi, quia vterque appetit regnum aliquod, & potest vterque habere, & scit vterque regnare. At Regi non contrariatur coquus, neque figulus. Figulus tamen figulum odit, vt in Prouerbio fertur, Quoniam vtrique lucrum à fictilibus vasibus quæritant: & quia alter alterius lucri est diminutio, dum non sufficit illis, consequens, vt sese odio habeant: similiter calor contrariatur frigori, & non lineæ, vt figulus figulo, & non calceario, quoniam eandem materiam vtrique habent, & cupiunt idem: patet autem calorem frigori esse similem, quoniam vterque actiuus, vterque sui diffusiuus, vterque incorporeus, vterque idem appetens subiectum est. At Materia, & linea nil conueniunt calori, aut frigori in his, nec in aliis, & tamen non contrariatur lineæ, nec materiei calor. Quare palam est cum sint similes ab eadem causa oriri posse, & stultè, Deum lucis, alium à Deo tenebrarum positum esse à Manichæis, & hodie à Tartaris propè Cataium, alium Deum terræ, & alium cœli: quoniam contrarietas inter cœlum, & terram est à calore, & frigore, qui ab eadem causa necessario sunt, cum simillimi sint, & quasi filij duo eiusdem Regis idem Regnum expetentes.

Cum autem quæritur, cui horum similis est Deus? Respondendum est neutri: sed vtrumque esse Deo similem. Nam vterque est potens, & sentiens, & amans sempiternitatem, & amplificationem infinitam, quam Deus possidet. At inquis, quare non viuunt simul, & non deponunt odium? Respondeo, quoniam si deponerent odium cessaret & Amor propriæ conseruationis, & immortalitatis: sic autem essentialis est illis: dum ergo sunt id, quod sunt, odium deponere, & oppugnationem mutuam non possunt, donec tellus à cœlo vitrificetur, & figuram mundi Deus immutabit, & propensiones; vt in 3. p. docebimus. At inquis, & quare non pugnant contra Animam, & Angelos, & Materiam? Respondeo, quia non appetunt illa idem quod ipsi, quoniam sunt alterius ordinis: sicut nec piscis appetit regnum Aquilæ, Materia verò, vt substet facta est.

At inquis, cur Deus creauit contrarietatem in eis, ipse sibi non contrarius? & cur dualitatem actiuæ causæ, ipse vnus? Respondeo ad distinctionem rerum, & participationem suæ bonitatis; dum enim hæc contraria inuicem agunt, non se perimunt omnino, sed secunda generant entia, prout à Fato, & Necessitate, & harmonia feruntur: & in eis relucet diuersa participatio innumerabilis idearum ipsius, aliud quàm hoc intendentibus. Hoc nobis cogitare licet verisimili ratiocinio. At Dei voluntatem, quis intellexit? Nam & quare sese ostendat in tanta varietate, nec nisi verisimili ratione pensamus.

Duo autem oportuit esse principia actiua: quoniam ab vno vnum ens modò factum ita esset, vt totum cælum, aut totum terra mundus sit: quoniam nisi seipsum facere ens nullum scit, aut potest, aut vult. Duo autem mutuò sese oppugnant, & ex eorum imminutione, & temperamento multiplici industria primæ causæ variato in multiplici actione contrariorum, nascitur rerum multitudo admirabilis diuinas diuitias repræsentans: quibus vult Deus. Quomodo autem ab vno multitudo oriri potuerit, postea examinabimus.

Sed adhucquæri posset, quomodo à calore calefieri, attenuari, moueri, vri res videntur: à frigore verò frigefieri, condensari, immobilitari, & gelari? Profectò contrariæ sunt istæ actiones, & natura. Quomodo ergo à similibus fiunt, si contrarias vocas similia? & vnde illud: *Omne simile appetit suum simile*? & quomodo hic fallit? Respondeo, quod dum pugnant homines quoque actiones contrarias edunt: nam in exercitu altera pars figuram sphericam assumit, altera quatratam, quoniam ita commodum est illis ad victoriam. Calor vincit attenuando, & mouendo sursum ad cognata corpora: frigus verò condensando, & cogendo deorsum in terram omnia, vbi suum est regnum: vtrique idem faciunt, sed quoniã ab initio illi peripheria, isti centrum contigit, Fato Dei, diuersus agendi modus ad eundem finẽ conseruationis euenit illis. In amplificatione sui, & regni proprij ritè cõueniunt: Modus discrepat. Verùm calefacere & frigefacere indicant diuersam naturam. Neque enim sunt omninò idem, aliàs coirent, sicut calor calori: sed vnde diuersitas illis? à nihilo fortè, vt diuersitas, at vt constitutiua ratio intrinseca, nemo nouit, nisi qui entibus gradus indidit, ingeniaque varia. Non enim qui non est scriptor, intelligit cur hunc caracterem, ita formo ego, illum verò aliter.

Ad aliam interrogationem dicimus, simile appetere suum simile, quia appetit seipsum: simile enim inquantum simile est suum simile. Verum ergo est quod calor appetat calorem, & figulus figulum: quoniam simul seruantur. At quando res qua seruantur similia, est illis extranea, & non sufficiens, dum vtrumque cupit illam, incidunt in zelum, & odium, & pugnam per accidens, quatenus similia, per se quatenus insufficiens est obiectum: insufficientia verò est proles nihili. At quis scit, vtrum aliquando Deus hanc pugnam auferet, & odium, ostendendo contrariis alium essendi, & conseruandi se modum, vt Theologi in renouatione Mundi sperant? Hoc rectè credimus, & ex hac ratione intelligimus, scilicet ex similitudine, sed consilium Dei, & modum ipse nouit.

Ex eisdem rationibus corruit Gentilium secta, arbitrantium à proprio numine singula elementa regi: At rationes quoque plurimæ sunt contra eos: Non enim modum dicent, quo couenerunt contraria numina ad constituendum mundum vnum: & alterum intra alterum. Nec quidem semper ita fuisse oportet: contrariæ enim sunt Mundi partes, & dissidentes: præcedunt ergo ipsum compositum. Nulla enim videtur composita res perpetua fuisse, sed incæpisse aliquando, quoniam manifestè habet aliquid prius se, hoc est, partes suas. Rationes quoque quibus ostendimus nullam colligationem multarum rerum in vnum posse fieri, nisi ab vna causa, & quidem immista, nec conseruari nisi eiusdem consilio, hanc sententiam euertunt. Qui verò dicunt Fato quodam conuenisse, & sæpe congregari, ac disgregari rerum machinam, licet non stultè loquantur de fine, & exordio rerum, tamen causas attribuunt imaginarias, & verisimiles: qua in re, cessante physica ratione, recurrendum arbitror ad reuelationẽ. Qui enim omnia creauit Deus, ac gubernat, ipse nouit, & ista scire licet, quantum ipse declarare velit: vnde rectè didici, experimentis multis sagacitate diuina indita nobis hæc melius, vel tantillum intelligi, quàm syllogismo humano. Quo tantum satis est agnoscere, contrarietatem rerum non arguere contrarietatem primi Entis, & duplicitatem, sed mistionem nonentis in compositione secundorum; & similium concertationem ob idem obiectum: vnde & vnitas primi Entis confirmetur, & satisfactum est tertio argumento principal.

AB VNO QVOMODO MVLTITVDINEM *deriuant Aristoteles, & Auicenna, eorumque ex parte improbatio.*

CAP. IV. ART. I.

QVONIAM declaratum est, contraria, & diuersa, quatenus sunt, esse ab vno, & esse vnum: quatenus verò non sunt, à Diuisione esse, quæ nihil est per se: instat adhuc dubitatio, quomodo potuerit ab vno multitudo deriuari. Item quomodo inæqualitas? Non enim rationabile, nec iustum, vt aliud ens factum sit nobilissimum, vt Sol, Angelus, Moyses: Aliud ignobilissimum, vt Festuca, Diabolus, Thersites, Cœcus.

11. Met.

Peripatetici qui mundum æternant, putant alias materias esse cœli, & elementorum, & intelligentiarum formas alias, & tantum analogia conuenire;

ac ſemper fuiſſe, vti nunc ſunt, nec quomodo ab vno manarint, declarant, quoniam ſuper æternitate fabricantur. In rebus autem inferioribus multitudinem à quatuor elementorum miſtura efficiunt, cuius cauſam aſſignant primum motum æternantem generationem, & multiplicationem: ſecundum verò, qui fit in circulo obliquo, ſuo acceſſu & receſſu contraria facere, hoc eſt generare, & corrumpere, quia contrariorum contraria eſt cauſa. Numerum quidem ponunt ſpeciem Quantitatis ac proinde accidens: ponunt quoque numerum tranſcendentalem, ſed rebus numeratis identificant: Ab vno autẽ Deo omnia fieri ſtatuunt, quatenus diuerſis operatur inſtrumentis, hoc eſt, Motoribus cœleſtium orbium.

Nec poſſe Anaxag. multitudinis reddere cauſam, credit Ariſtoteles, propterea quod ab vno intellectu ex vna materia, non niſi vnum facere potuiſſet ens; deridetque Empedoclem ex amore generantem vnitatem: ex odio verò multitudinem, cùm odium ſeparando oppoſita, vniat ſimilia: & Amor copulando oppoſita, diſgreget, & in minutias, vt poſſint combibi, & conglutinari.

Democritum verò tanquam in ſufficientem reiicit, qui multitudinem à tribus differentiis auſpicatur, ſitu, figura, & ordine, cum ſint longè plures. Videlicet ſuperabundantia, defectus, miſtio, ligatio, glutinatio, ſpiſſatio, rarefactio, poſitio, tempus, locus.

Sed ſiquidem humiliter loquuntur, quoniam nec primam vnitatem reſpiciunt, nec principia differentiarũ: & licet Ariſtot. reducat eas ad contrarietatem; contrarietatem verò ad habitum, & priuationem: habitum & priuationem ad abundantiam, & defectum: alias verò ad vnitatem, & multitudinem, de qua dubitat vtrum priuatio ſit, an contrarietas. Cognoſcit quoque priuationem eſſe nonens ſubiecto: & tamen inertia quadam propria, & aliorum dictis inuidens, non intellexit primam vnitatem, ſed putauit eam eſſe priuationem, & indiuiſionem: nec multitudinem, quam putauit ens magis, vt filiam nonentis non intellexit. Quoniam verò in 1. p. de his dictum eſt ſatis: nunc properamus ad origines ipſarum.

Et quidem Auicennas dictis legis ſuæ, & Ariſtoteli ſimul inhærens, arbitratur Deum vnum omnia creaſſe: ſed cum ab vno non niſi vnum fieri crederet, & excogitauit Deũ creaſſe primam intelligentiam, quæ intelligendo Deum creauit ſecundam intelligentiam; intelligendo ſe vt actum Animam cœli, & intelligendo ſe, vt Potentiam, cœlum. Secundam verò intelligentiam creaſſe tertiam intelligentiam, & Animam ſecundi cœli, & cœlum; ita quod extendit hanc catenam vſque ad intelligentiam ſublunarium, quam putat creare animas, & formas miſtorum: & ſic ab vno deriuat multitudinem faciente tamen ſeriatim vnum; eadem ratione producat, crediderim inæqualitatem: quanto enim magis à prima Cauſa recedunt, minus perfecta ſunt entia, & inferioris ordinis pariunt effectus.

Hanc opinionem reiecit Auerr. tum quia neq; Deum poſſe ex nihilo quidquam facere aſſerit, tum quia Deus non agit, vt natura, ſed vt ars, quæ ab vno exemplari multa facere poteſt. D. autem Thomas putat nullam cauſam, excepta prima, poſſe ex nihilo quid facere, quoniam hoc eſt opus virtutis infinitæ; omnis autem cauſa finita, nec poſſe inſtrumentaliter ad creationem concurrere: quoniam inſtrumentum requiritur ad præparandum ſubiectum formæ introducendæ ab agente. Deus autem ex nihilo creat: hanc rationem impugnant Scotiſtæ, quoniam putant inſtrumentum non habere propriam actionem, qua vtitur cauſa princeps: ſed falluntur, vt alibi oſtendimus. Omnes tamen in eo conueniunt, multitudinem à Deo poſſe oriri, quoniam non agit quantum poteſt, & determinatè ad vnum ſicut natura, ſed quantum vult, prout intelligit conuenientius eſſe. Non enim Medicus dat quantum poteſt reubarbarum ægroto, ſed quantum confert ſaluti. S. Iuſtinus quoque ait; *Deum non eſſe actione, vt calor calefactione. Idcirco nec ſemper, nec quantum poteſt agere, ſicuti ſemper, & quantum poteſt, eſt.* Nos autẽ dicimus in operib. ad intra ſemper, & quantum poteſt agere, & eſſe actu ſuo: actus enim eſt operatio ad intra: in ad extra verò, ſicut & quando, & quantum conuenit ſuo eſſe accidentali in creaturis; & hanc eſſe actionem; quæ & qua non eſt Deus, quatenus tranſitiua.

Neque agens rationale, neque naturale efficere vnum, niſi primo & per ſe, & arguitur contra Reſponſiones Peripateticorum Theologorum.

ART. II.

NOS igitur omnem multitudinem ab vnitate deriuantes, quatenus eſt ens, & à nihilo quatenus nonens, eiuſmodi incommodis non vrgemur. Verumenimuerò, cũ omne agens agat ſibi ſimile: primum agens non diſſimile ſibi faciet, alioquin nullo pacto ipſum eſſe quippiam cognoſceremus. Neque contra ſui naturam, & non ſecundum ſui naturam agere cenſendum eſt. Quapropter diuerſitas & numerus quî fiat adhuc inquirendum videtur. Nam licet agat ex intellectu, & voluntate, tamen agit quod ſimile ſibi eſt, ſaltem proportione, vt probatum eſt: qui autem agit ex arte multa & varia, habet cauſam variandi opus, nempe materiam: vnde Plato eam coæternat, vt ex materiæ diuerſa diſpoſitione, ideas diuerſas in ea imprimat Deus: Anaxagoras verò materiam præſupponit iam formatam, ſed miſtam, vt tantum indigeat ſeparatione, quam prima præſtat Mens. Nos autem ex nihilo quomodo multiplicabimus? Præterea artifex ad varios vſus, varias format res propter indigentiam. Deus autem nullius indigens eſt.

Item nec videtur verum, quod agentia naturalia faciant modò vnum: ignis enim calefacit, tepefacit, vrit, generat carbones, flãmas, animalia à longè, & plantas, vbi remanet vis eius modificata: ergo aduenit multitudo etiam ab agente naturali, diuerſis

agente virib. in materias diuersas, & in diuerso positas situ, & diuerso dispositas modo. Frigus quoque Arist. producit aquam & terram, & glaciem, & niuem, & grandinem: sol quoque diuersissima entia generat, lapides, plantas, animalia, aquam, aerem, ignem, quæ omnia ipse quoq; ignis facit: & iam ostendimus solem esse natura calidum, lucidumq;. Quapropter non video differentiam in hoc inter causam naturalem, & rationalem, vt aiunt. Nec quod dicũt causam rationalem facere opposita, verum est, nisi per accidẽs. Non enim Medicus facit infirmitatem inquantum Medicus, nam & non medicus ipsam facit. Nec quia secundum artem propinat venenum, agit contraria arti, sed contraria rei exteriori: sicut Cytharedus cum ex arte pulsat, semper est cytharedus, licet aliis musica noceat: sed cùm cacophoniam non secundum artem facit, est per accidens, & non vt cytharedus. Nec enim eodem in tempore cõtraria faciet: similiter etiam frigus aliquando calefacit per antiperistasim, & calor attenuat, & indurat. Quapropter si Deus est essentialiter vnus non videtur posse facere multitudinem, nisi per accidens, vt dictum est.

Prætereà non videtur vna res vnum facere, quamuis naturalis sit causa. Calor.n. non modo calefacit, sed attenuat, mouet, albefacitque secundum suam actionem innatam, & ad hanc sequitur facere lapides, aquas, vapores, plantas, & animalia. Verumenimuero hæc omnia calefaciendo facit, ad calefactionem enim sequitur attenuatio vt dispositio ad vincendam materiam, sibique subiiciendam; quare calefactio est per se primò, attenuatio propter se, nõ per se: ad attenuationem sequitur leuitas, & motus: ergo leuare, & mouere sunt effectus secundarij ipsius calefactionis: albefacere verò est apparentia caloris, qui est ipsemet calefactio: & quidem hi effectus nobis vocentur vniuoci: sed calefactio est ipsa vera vniuocatio, & per se; cætera verò ratione eius, & secundariò: At facere lapidẽ, & aquam, & plantam conuenit calori, sed non vniuocè, nec per se, sed per accidens. Non .n. calor est planta, licet sit pars substantialis eius, nec intendit facere plantam: forma enim plantæ est ab idea specifica, quæ exprimitur in modificatione caloris in materia sic concinnata: hoc autem fit Fato, Necessitate, & Harmonia, influentibus à prima causa. Quapropter videmus propriam modò caloris actionem esse ipsum calefacere, quæ primò simplex actio est; alias verò simplices actiones esse etiam, vt attenuare, albefacere, & mouere, quæ propter calefactionem, & non primò propter se fiunt: intenduntur tamen à calore. At alias esse compositas actiones, quas non agit calor propter calorem: neque vt calor, sed vt modifitus à causa prima, factusque organum eius ad producendas plantas, animalia, lapides, &c. & horum respectu æquiuocam causam dicimus esse calorem & solem: elementa æquiuocè causæ hominis sunt, sed non frigefactionis, calefactionis, exsiccationis, ignitionis, terræque factionis. Hac etiam ratione artifex intelligendo, & exprimendo ideam artis, vniuocè agit: at cum alia facit tanquam instrumentum alterius: sicut remigat cogente magistro, agit æquiuocè ferè seu propter aliud; sicut equus victoriam acquirit impellente equite. Patet ergo ab eadem causa tam naturali, quam artificiali emanare multitudinem, quia in diuersas agit materias, sicut ex hoc ligno scannum, ex illo lectulum; vel quia diuerso in situ; vel quia diuerso modo est dispositus ipse, vel materia; vel quia agit diuersis instrumentis; vel quia ad diuersos fines; vel quia ipsa causa agens modificatur à causa minus principali: vel vertitur in alium vsum à principaliori, & de causa principali redditur instrumentalis.

Si ergo Deus diuersa facit entia, aliunde diuersitatem sortiri dicendus videtur: ergo vel ab instrumentis, vt dicit Auic. vel à materiæ diuersitate, vt Anax. vel à modificatione, seu ideatione, aliqua sui. At cum ex nihilo agere, & non propter indigentiam, declaratum sit; videtur non potuisse multitudinem facere: vel omnia esse vnum, sicut dicebat Parmenides. Item simplicissimus est Deus longè magis quàm calor, qui calefaciendo, vnam modo rem per se facit, scilicet calorem, cui accidet esse alium à suo agente, quoniam transit in materiam exteriorem. Deinde accidit alia innumera fieri ex minutione, & immutatione à contrario, & modificatione & vsitatione causæ primæ. Quid ergo dicemus? esse Deum compositiorem? aut per accidens ista facere, vt calor? aut extra ipsum esse materiam, in quam agit.

Item quomodo calor effundit se, multiplicatque, & homo facit hominem: intelligentia verò sterilis est, & non facit intelligentiam, vt Auic. clamat? Neque enim quia imperfecta, sic enim neque Deus perfectissimus crearet. Neque quia perfecta & nobilis: sic enim neque homo ignobilior hominem gigneret; quod multi Hebræi Theologi considerantes, tribuunt sexum intelligentiis, & generationem. Dato.n. quod ex nihilo non faciat aliquid, vt D. Th. arguit cõtra Auic. tamen ex sui intellectione faciat, non dedecet; sicut calefaciendo, seipsum calor generat, multiplicatque: si enim indecorum videtur ponere generationem in Angelis quasi carnalem, vt fortè Origenes credidit, intellectualis quare negatur? & quidem in lib. de causis hoc docemur; & calor ipse docet, calorem generando absque coitu, & decisione sui, sed multiplicatione, vt possit intelligentia intelligendo se multiplicare.

Primam vniuocam productionem per se esse vnius ab vno: pluralitatem verò ab actione æquiuoca, seu analoga non per se oriri: sed gratia primæ suboriri: & adducuntur instantiæ contra hoc ipsum.

ART. III.

Qvasobres omninò fatendum est, Deum operari vniuocè aliquid secundum essentiam, sicut calor calefacit, alia verò secundum modificationem aliorum entium, sicut calor facit plantam modificatus à frigore, & materia, & circumstantibus: quod Deus producit vniuocum, non potest recipi in exteriori loco, vel materia, sicut homo productus ab homine in loco & tempore suscipitur, & corporibus externis intermanet: & calor productus à calore suscipitur in subiecto calefacto: vnde sequitur ipsum differre numero à calore

generante, ſicut homo genitus à ſuo genitore. Quoniam finita ſunt entia, & quidquid faciunt, extra ſuos limites faciunt. Nec enim in eis poteſt remanere: ſiquidem duæ res non continentur in terminis vnius. At Deus infinitus eſt. Quod ergo producit extra ipſum exire non poteſt: alioquin limitatus eſſet Deus: Et quia quod per eſſentiam producit Deus, eſt Deus; ſicut quod producit calor, eſt calor, & quod producit homo, eſt homo: conſequens eſt vt producens & productus non modò ſit vnius eſſentiæ, ſicut calor producens, & calor productus, ſed etiam idem numero, quoniam non extra ipſum: Et hoc arcanum licet olfecerit Plato, & Triſmegiſtus, tamen non verè intelligitur niſi in Theologia Ieſu: in qua ſcimus Verbum à Deo productum eſſe Deum, & apud Deum, & productionem hanc eſſe æternam, ſicuti Deus.

Porrò ſicut calori deinde conuenit attenuare, mouere, & plantas facere, & lapides indurare, & liquefacere: & hæc omnia facit per calefactionem quatenus limitatà eſt: & calefactio eſt ipſe calor effuſus. Ita ſanè Deus creauit mundum, Angelos, homines, cœlum & terram, limitando productionem ſuam primam infinitam eſſentialem: cuius reſpectu hæc dicitur accidentalis: Et ideo ſcriptum eſt, *Omnia per ipſum facta ſunt*. Et profectò ſicut à calefactione procedunt liquefactiones, attenuationes, conſtitutiones lapidum, & plantarum, ita à Verbi diuini imaginatione, procedit Mundus, & quæcumque in eo ſunt (vt rectè ſapit Diuus Thomas) & dicitur Mundus, quaſi filius ſecundus ſummi boni, & participatione Deus apud Platonem: & Ambroſius propterea Verbum interius emanaſſe, vt exterius emanaret mundus: & quicumque rectè philoſophati ſunt, cognouerunt mundum Archetypum in mente Dei, & viſibilem extra Deum. Quapropter patet à Deo vno inquantum vnum non procedere, niſi vnum, vt dicit Auicenna in proceſſione naturali, ſicut à calore non procedit niſi calefactio naturaliter, quæ eſt calor non immanens vt Deus in Deo, ſed effuſus: ſed quod non producat niſi vnum, eſt perfectionis: homo enim plures filios facit in remedium mortalitatis ſuæ; & quia non poteſt vnum immortalem facere, & quia extra ſe infinita ſunt, quæ non ſunt homo, quæ occupare vellet, & humanitate ſua donare, & amplificare ſe ſine fine: ſicut calor non contentus videtur vna calefactione, ſed omnes materias calidas facere vellet, vt ipſe ſit infinitus. At Deus vnica productione infinita producit infinitum, à ſe non differentem eſſentia, aut numero, quoniam extra ſe nihil produci potuit ſibi coeſſentiale infinitum: vnde intelligimus vnitatem, & infinitatem eſſe Deo eſſentialem: & ſicut homo non facit niſi hominem, & calor calorem: & omnis homo factus, & calor, eſt eiuſdem eſſentiæ, ſed non exiſtentiæ numeralis cum homine, & calore calefaciente, & plures homines facti ſunt vnus homo.

Met Tr. 9. c. 4.

Sed quæ poſtea faciunt gratia humanitatis, & caliditatis, differunt eſſentia, & non ſunt vnum: non.n. ſella & lectus, & ſcriptura & domus ab homine facta, ſunt homo, nec inter ſe vnum, ſicut plures filij, & plures calefactiones: ſimiliter attenuatio non eſt vnum cũ calore, nec planta, nec lapis, nec liquor, quin nec vnum inter ſe, quoniam non per ſe fiunt, ſed quaſi ex accidenti propter ipſam calefactionem & humanitatem, cui vtilitatem, & vſus præſtant varios ad conſeruationem caloris, & humanitatis.

Sic Deus ſemper producit ſeipſum in ſe, & vnum: quæcumque autem extra ſe producit non ſunt vnum cum producente nec inter ſe, quoniam fiunt quaſi ex accidenti, vt ſol facit lapidem, & lignum.

Sed quæritur quis modificat actionem Dei, vt faciat mundum finitum, & non infinitum, & faciat hominem, & Angelum, & cœlum & terram? Non quidem indigentia cogente, ſicut homo ſcannum facit, & domum, & librum, &c. ad varios vſus, propter varias neceſſitates: nec enim videtur tantum operari, quantum opus eſt. Medicus hoc facit, quia non dat reubarbarum, niſi quantum ſufficit choleræ purgandæ. Sed Deus vnde habet hanc præſcriptionem ſufficientię? Item quia limitatur caloris vis à frigore, ideo producit aquam, & plantam, & ignem: ſed à quo modificatur Dei actio, cui nihil contrariatur? Præterea nulla præfuit materia, quæ eius modificaret actionem; vel quæ ſuſciperet aliter quàm in Deo eſt entitatem: ſi enim ſolis actio à terra non interciperetur, nec à materia exteriori, vtique ſola caloris effuſio ab eo fieret: ſi verò extra nihil eſſet, in quod effunderetur, tunc ſui in ſe voluptas & ſecuritas ſufficerent ad eius eſſe æternum, quoniam quæcumque carent contrario, ſunt æterna. Nec quia D. Baſilius, & Chryſoſtom. & Orig. Deum primò feciſſe cœlum & terram, vel informem materiam, in cuius formatione deinde actionem Dei modificant) effugiunt argumentum, commodius, quàm S. Auguſtinus, qui omnia ſimul abſque præuia materia producit. Namque limitatio Dei in materia, & adhuc in cœlo & terra primò creatis inquirenda eſt. At quidem ſpatium in quo ſtat mundus, primò creatum videtur eſſe maximè vnum, & penè infinitum: ſic & materia vna, & infinita eſſe videtur etiam Peripateticis; limites enim, & numerum, & diuerſitatem habet à formis: quare non incongruè à primò creatis ſecundò creata differre limitationis gradu quis diceret. Namque opera cœli & terræ videtur diuerſitas oborta: vt nec incongruè Auic. ſecundis cauſis tribuat multiplicitatem: Deo autem vnitatem: ſed adhuc inquirendum eſt, qua ratione limitata eſt virtus Dei in primæ intelligentiæ productione, & in Materia, vt ita ſit materia, quod non Angelus: & in loco, vt ita locus, quod non materia?

Limitationem

Limitationem esse à Nonente formaliter; à Deo verò effectiuè idealiter vtente ipso Nonente vt Ente: Creaturas quoque cum limitant actionem Dei bonam, ad certos modos, ordinatiuè se habere non formaliter, nisi vt sunt ex nihilo, quo minorant entitatem. Et rursus arguitur.

ART. IV.

Ad has dubitationes respondeo, limitationem formaliter nō esse à Deo, sed à Nihilo: nec factam fuisse, quoniam Nonens non fit, sed à Deo vsum in hoc accepisse, *qui vocat ea, quæ non sunt* (ait Apost.) *tanquam ea quæ sunt.* Ad constitutionem enim materiæ non solum requiritur esse, sed Nonesse Angelum, nec formam, nec locum: & ad esse hominis non solum requiritur esse, sed Non esse Asinum, non esse lapidem, non esse gladium, &c. Quapropter asserimus, omnia quæ sunt, in quantum sunt, vnum esse, & non plura, sed inquantum non sunt, plurificari. Homo enim non est aliud ab asino inquantum ens, sed inquantum hoc ens, scilicet humanum, quod non asininum: sicut nec Petrus est aliud à Paulo in quantum homo, sed in quantum hic homo: & calor non est aliud à calore, sed hic calor ab illo calore. Quapropter eruditissimè dixit Parmenides, omnia esse vnum: & ratio eius solida est; si enim vnum est ens, quidquid est præter vnum est nihil.

Diuisio autem Aristotelis peccat, quoniam à Metaphysico sensu ad physicum descendit. Non enim esse substantiam, & non accidens prouenit ab esse, sed à Nonesse. Hoc autem Nonesse non est à Deo: ergò mirificè hinc intelligo Verbum apud Deum esse Deum, vt calefactio apud calorem est calor: & omnia per ipsum facta esse, sicut per calefactiorem fit attenuatio, liquefactio, & lapis, &c. ita Mundus, & Cœlum, & Angelus per Verbum, & sine ipso factum esse nihil, quoniam sicuti calefactio non est causa, vt ipse limitetur calor, sed frigus externum: ita Deus non est causa limitationis, sed ipsum externum Nihil, quod non est à Deo; sed tamen vtitur illo Deus.

Cum autem quæritur, quare Deus fecit Mundum, & vnde limitata est eius actio, & quomodò nihilum potuit impedire ipsum ens: Respondemus, ipsum ens infinitum non impediri, quoniam Deus est in Deo; ipsum verò finitum necessariò impediri, ne sit infinitum, quoniam extra Deum reperiri infinitum non potest: cum ergò dicemus, quod actio Dei primi entis, & virtus, modificatur à secundis præsertim cū peccant: non introducimus aliud ens, aliamq; causam cū Manich. Modificare enim est angustare & minuere entitatem communem ad certum modum. Ergo non est actio formalis Dei nec creaturæ: vt caloris calefacere, sed ordinatiua nō entis respectu Dei: respectu verò creaturæ aliquādo ordinatiua, aliquando deordinatiua.

Dubitatio. Sed insurgit quæstio durior: tunc enim sequetur, quod Deus fecisset extra se (licet de hoc extrà sit inferius disputandum) vnum tantum ens limitatum; cætera verò ordine quodam processisse; vt Auicen. sentit, & Arius, qui Deum produxisse Verbum vnum ex nihilo, vt per ipsum secundorum seriem, & mortalitatem proferret. Vel si plura fecisset entia, oportuisset ea æqualia facere: quoniam eadem potentia, & Sapientia, & Amore fabricata sunt omnia. Vnde ergò diuersitas tanta? & cur vnus est Sol, & stellæ multæ? & cœlum terra nobilius? & Moyses coquo? & cur Mundum corporeum infelicitatis plenum creauit, & non modò incorporeum, limitationis, & infelicitatis, minus participem?

Sententiam Origenis de rerum corporearum origine, & inæqualitate, licet falsam, non posse impugnari, sed nonenti formaliter, & voluntati Dei actiuè, tribuendam esse pluralitatem, & inæqualitatem.

ART. V.

Qvapropter arduum, admirandumque Origenis ingenium, putauit, Deum multa ante sæcula creasse Mundū incorporeum, qualis & ipse est, & innumerans intelligentias æquales virtute prorsus, ne cui iniustus videretur Deus, & acceptor personarum; omnes autē liberas arbitrio fuisse, & in gloria locatas. Verū ipsarū aliquas peccasse corā Deo, idcircò pœnā incurrisse, quā vt exigeret Deus, creauisse Mundū corporeū partim pulchrū partim deformem, & in tetro terræ carcere inclusisse dæmones, alias verò in aëre; cœlum verò, & sidera minus peccantibus adscita fuisse corpora: Animabus hominum ex terra, & cœlo fabricari ergastula. Deique Sapientiam incarnatam esse, *vt recōciliaret sibi siue quæ in cœlo, siue quæ in terra,* vt dicit Apostolus ad Ephes. & alibi sæpè repetit instaurasse, & pacificasse, *quæ in cœlo sunt*; & Ecclesia canit. *Sanguis vnda profluit, terra, pontus, astra, Mundus quo lauantur flumine.* Ideoque carceres aliquando destruendos, Deumque futurum omnia in omnibus, quoniam *cœli peribunt,* ait Dauid, *tu autem permanebis:* & renouato sæculo alias futuras esse res consimiles: ergò pro meritis inæqualibus animarum peccantium factas esse res inæquales. Vbi sanè solus Origines videtur causam, seu occasionem distinctionis rerum, & creationis Mundi corporei considerasse. Sed contra insurgit S. August. & cum eo D. Thomas, absurdum esse putare, quod Deus

non proprio consilio, sed quasi ex accidenti distinxisset rerum ordinem: vt meritis, & pœnis obuiaret. Item si plures intelligentiæ peccassent eo peccati gradu, quo intelligentia, alligata soli, peccauit, tunc oporteret Deum creasse plures soles: ergo ex casu fecit vnum solem, & non ex consilio, quod falsum est. Etenim si plures essent soles Mundi machina dissolueretur, & tellus combureretur, & entia inferiora non fierent ea, qua fiunt ratione, & ordine. Quapropter Dei consilium fuit, talem, & vnum efficere solem: non autem peccatum in causa. Idem de cæteris apparet rebus.

Quapropter putant inæqualitatem euenisse à Deo varietati rerum consulente: varietatem verò fieri ad demonstrandas diuitias gloriæ suæ, & participandas ideas in eo latentes: & finalem causam in hoc esse bonitatem diuinam.

Nos autem cum disputabimus, quamobrem creatus est mundus à Deo nullius indigo, hæc considerabimus. Nunc autem non videmus Origenem his argumentis expugnatum, licet falsa opinatus fuisset: licet enim ex accidenti factus sit mundus respectu rerum factarum, & Angelorum peccantium, non tamen respectu Dei, qui præsciebat eos peccaturos. Accidens autem est, quod præter intentionem, & scientiam, & potentiam, & essentiam fit: & quidem occasionem mundi producendi aliqualem assignat Origenes; cæteri verò minus. Præterea D. August. & D. Thomas dicunt, quod si Adam non peccasset Sapientia Dei non fuisset incarnata. Vbi sanè ex accidenti, & peccato, tantum bonum, & longè maius quam fuit creatio Mundi, Deo adscribũt, & Caietanus dicit hoc non inconuenire, quoniam ordo naturæ præcedit ordinem gratiæ, & culpæ: prædestinationem verò Christi pertinere ad ordinem gratiæ: sic diceret Origenes, Naturæ ordine debuisse mundum incorporeũ Deo consimilem, & sine inæqualitate fieri; at ex occasione, à Deo tamen præintellecta, inæqualitatis plenum, & corporeum factum esse. Nec si peccassent Animæ plures peccato animæ solaris, Deus fecisset plures soles in vno Mundo hoc, & in hac forma: sed iuxta Sapientiam suam mundum fabricasset, qui posset plures habere soles alios sublimiores, alios humiliores situ, aut terram maiorem fecisset, & ordinem agendi alium posuisset. Nam & caniculæ, & fixæ multæ sunt maiores Sole: & circa illas possunt rotari planetæ alij, vt circa Iouem, & Solem nostrum. Et quidem Animalia diuersarum figurarum facit Deus, & aliqua bipedia, aliqua quatrupedia, alia centipedia. Cur non potuisset mundos bisoles, & multisoles facere? Sed & D. Thomas hoc docet 1. p. q. 25. & alibi, quod si Adam non peccasset, nati essent solum prædestinati; & Sapientes, probi; & nudi incessissent, &c. Potius quidem immanifesta dicemus consilia Dei, quam aliquid certè affirmemus in his, quæ sensum exuperant. Vermis intra corpus nostrum non iudicat de nostra origine, & anima, & causis: homo autem in Mundi ventre de Mundo, & de Deo tam ardua inuestigat, quoniam diuinum est animal; ô Deus da mihi vt intelligam.

Respondemus ergo iuxta principia nostra, inæqualitatem esse defectum in eo, quod est alterum minus altero; defectus autem, & modificationem esse Nihili influxum. Hoc autem vti Deum pro voluntate: cuius non est assignare causam, sed consilij rationem inueniri ex rerum ordine. Si enim omnes essemus Reges, vbi coquus, & Agricola? tunc sequenti die omnes essemus serui: Item si omnes stellæ essent soles propè destrueretur tellus, & generatio perderetur. Item si omnia elementa essent ignis, nihil vltra fieret, aut esset: & sicuti Apostolus membra in corpore requirit, vt sit corpus, & à posteriori argumentatur; ita nos in Mundo inæqualitatem, ex quo est Mundus, requirimus: sed cur hoc, non illud, vel non ita, à priori non intelligimus. Vsus quidem videmus varios, & instrumenta Dei actionem modificantia, & propter bonum totius, & totum propter Deum; sed à priori hoc non sapimus.

Effectus inadæquatos infinitæ causæ posse plurificari, non autem adæquatum, & vnde sit inadæquatio.

ART. VI.

AB vno igitur posse multitudinem emanare dicimus, si non participat vnum totaliter: sic enim vnum procedit, & est idem: sed quando procedentia limitata sunt, possunt esse plura, quoniam nullum omnia replet, nec adæquat virtutem agentis.

Auicen. sua Metaph. Et Auicen. decipitur in hoc, quoniam si concedit vnã intelligentiã à Deo posse creari finitę naturę, vtiq; alias posse creari finitas, nihil obstet. Et cũ dicit ab vno, non nisi vnũ, verũ dicit de vno adęquãte per toticipationẽ, & hauriẽte totã vim agẽtis, & intrinseco; nõ autẽ de hauriẽte similitudinẽ per participationem: & in lib. de intel. hoc Auic. cõcedit. Et patet, quoniã calor producit calorẽ, & semper calor est vnũ essentia, qui productus est cum producẽte: Multitudo, & numerus euenit ab exterioribus causis. Si autẽ calor esset infinitus producẽdo calorẽ, extrà se non produceret, sed in se: si autem extrà se produceret, qua ratione producit hunc calorem, potest alterum producere, quoniam eius vim infinitæ potestatis, & appetitus generandi infiniti, non adæquant. Intelligentiæ non producunt intra se essentialiter, & subsistens, vt Deus, sed extra se, vt homo, & Deus: sed non indigent fortasse exteriori multiplicatione, cum sint securæ de immortalitate. Sed cur Deus extra se producit? Respondeo, quod non producit Deum extrà se, sed quæ participant eius Deitatem; ita Angeli extra se mirabiles edunt operationes, & res, sed non ex nihilo, quoniam pręsupponunt actionem Dei. Nec Angelos faciunt, quoniam non indigent: quod autem non participent totaliter vnum, euenit ex eo, quod sunt Nihil extra Deum. Deus verò dat tantum entitatis cuique enti, quantum illi conuenit. Nonentitatem verò non dat, quia iam habet, vt dedit homini esse hominem; sed non dedit Nonesse Asinum, quia habebat iam hoc non esse in eo, quod non erat nec homo, nec asinus, nec aliud quippiam. Quapropter palàm fit, Numerum esse Nonentis participationem, vnitatem verò entis. Et quia numerus est mensura, & limitatio, ad Deum non pertinere, nisi ex accidenti, hoc est inquantum vtitur ad aliorum limites, non sui.

DE INFINITO.

RATIONES ARIST. QVOD NON EXISTAT *infinitum magnitudine, Materiale; quantum valent: Quamuis infinitum Quantum reuerà sit impoßib.*

CAP. V. ART. I.

SED instant Argumenta prima, si Deus infinitus est, quomodo aliquid extra ipsum fit? at si intra ipsum, quomodo participant nonesse, & corruptionem & malum, quæ intra Deum non sunt? Respondeo, infinitum dici multipliciter, primò pro eo, quod inceptum est, sed non finitum. Et hoc idem est, quod imperfectum. Secundò pro infinito in quantitate, & multitudine, vt quod non habet extrema, nec potest pertransiri, sicut linea infinita dicitur, & corpus. Et de his forsan propriè infinitum dicitur, de quibus dicitur finitum, & vocatur infinitum priuatiuè. Quare tertiò dicitur infinitum, quod difficile pertransitur, sicut mare, & cœlum. Quartò verò dicitur negatiuè pro eo, quod non est aptum esse finitum, nec infinitum, vt si dicas punctum non est aptum pertransiri: sicut vox dicitur inuisibilis, quia nec videri est apta. Quinto modo dicitur infinitum quantitate virtuali, vt Potentia, Sapientia, Bonitas infinita, quoniam inexhauribilis est. Et quidem hæc infinitas est duplex, vel duratione, vt quod semper fuit, & erit: vel magnitudine, quod infinitæ est virtutis, & illimitatæ; & se habet ad similitudinem corporis infiniti, sicut duratione se habet ad similitudinem lineæ infinitæ. Aristot. ergo contendit non dari infinitum nisi in potentia, vt numerus dicitur infinitus, quia semper ei potest addi, & continuum, quia semper potest diuidi. At nunquam terminetur additio, & diuisio, quia finiretur, & non esset infinitum potentiale. Concedit tamen infinitum duratione esse cælum, & motores eius, & Deum.

3. T. Conatur autem probare, quod non detur infinitum quantitate. Nam omne corpus est superficie terminatum, & omnis numerus est in aliqua specie numeri, sicut animal in specie animalis, vt homo vel leo. Nulla autem species numeri est infinita, neque quinarius, neque denarius, neque, &c.

Item omnis numerus est mensuratus vnitate; corpora quoque omnia sunt in loco: Loci autem finiti sunt sursum & deorsum: quod autem est in loco, alicubi horum est.

Item corpus omne, aut graue, aut leue, ergo vadit deorsum, vel sursum: in infinito autem non est dare deorsum, & sursum, quia omnia occupat: & deorsum, cum sit Medium, quod refertur ad extrema: & ipsum careat extremis ergo & extraneis, non dabitur.

Item si corpus infinitum erit similare, aut semper mouebitur, aut semper quiescet. Si enim est in loco naturali, & idem est locus totius, & partis similaris, vbique quiescit totum, & pars. Quoniam non est maior est ratio, qua altera pars mouetur, altera quiescat, & alteri sit naturalis iste locus, alteri ille. Si autem est extrà locum naturalem, semper mouebitur, & totum, & partes. Quia si non naturalis est parti, neque toti locus vllus. Nec diuiditur locus infinitus, vt alius sit naturalis, alius verò non.

5. Si verò corpus infinitum sit dissimilare etherogeneumque, tunc non erit vnum, nisi contactu, vt Mundus, & elementa. Sed tunc aut partes sunt infinitæ numero, vel finitæ. Si finitæ non poterunt componere infinitum, nisi sint infinitæ magnitudine, & finitæ numero. Sed plura infinita non possunt reperiri. Vnum enim occupat omnia, nec relinquit aliquid extrà se. Nec dices aliquas esse magnitudines infinitas, alias finitas. Tunc enim infinitum in se conuerteret omnia finita, & corrumperet. Quoniam vis eius est excedens infinitè. Si verò sunt numero infinitæ, ergo infinita erunt loca, & infinita elementa, & ignota, cuius oppositum videmus.

6. Item non poterit esse infinitum compositum: quoniam componentia aut erunt infinita, quod est impossibile, aut vnum infinitum, & alia finita, & non æquabuntur. In Mistione autem oportet æquari contraria, & illud quamuis viribus impar, tamen facta proportione semper excedet absque fine finita.

7. Neque potest esse simplex infinitum, quia corrumperet alia elementa, sicut Heraclitus omnia in ignem conuertenda putat. Nec enim potest esse non elementum illud infinitum; nam principium est, ex quo fiunt transmutationes. Nec fit resolutio nisi in quatuor elementa. Ergo corrumpent reliqua. Mundus autem æternus est.

8. P. Cœl. Nec potest cœlum esse infinitum, licèt sit aliud ab elementis, quoniam motus eius circularis est, & finitur in viginti quatuor horis. At infinitum moueri non potest circulo: quoniam si lineam à centro ad circumferentiam extendas in infinitum, tunc extremitas lineæ in infinitum distat à loco vnde incepit moueri: & cum reuerà motus cæli perficiatur, sequitur impossibile; quoniam ratio infiniti est esse intransibile. Neq moueri potest motu recto infinitum, quia non datur locus, quo feratur cum omnia repleat. Item addunt inter duas lineas à centro ductas in infinitam circumferentiam contineretur infinitum, ergo inter terminos interminatum.

Hæc Aristot. contra infinitum quantitatis, in quo non parum quid videtur probare; Attamen quamuis

ponentes infinitam extrà cælum, licèt secundum totum illud quiescat, & secundũ partes quæ sunt apud nos moueri putent. Nec ergo lineam illam mobilẽ in infinitum porrigant. Tamen coguntur ex finitis facere infinitum; & quantum non Tantum & Numerum nonnumerum, vel partẽ Toti æquare & plura infinita dare, quæ sunt contra veritates primas. Ergo Copernicus, & Philolaus infinitum asserentes, cælum extremum immotum ponunt: Systemata autem intra ipsum multa moueri: Et Epicurei alios mundos extra hunc infinitos, non sine contradictione.

Etsi ratio alia Arist. quod terra illorum mundorum veniret ad istam, omninò nulla sit. Vnumquodque enim ens in suo manet systemate. Neque enim cor Petri vadit ad pectus canis, vel Francisci. Et cum interposita sit tanta moles cœli, terræ inimici, quomodo ad hanc terram illa contendet, & non potius in se se colligat in suo centro vt nostra in suo, magis vrget quod dicunt inter duas lineas in infinitum extensas in centro se tangentes concluderetur infinitum spatium: & inter multas infinita spatia extrema, ex quo concludi etiam potest quod sint innumerabilia infinita in vno. Et hoc repugnat quidditati infiniti & naturæ: quoniam non admittit nisi vnum. Quod si habet in centro finem etiam habet in peripheria. Si enim hac in parte finitur, ergo in aliis, ergo in omnibus. Nec enim Totum est maius omnibus partibus, nec partes Toto: nec vna omnibus æqualis & Toti. Insipiens est qui cogitat lineam aut corpus infinitum in vno extremo, & non in alio. Et qui ab æterno vsque ad nos dies infinitos numerat, quasi æterno sit primum. Peccat tamen Arist. quoniam lineam finitam continere putat infra terminos suos partes infinitas in quas possit diuidi non quidem potentia, sed actu, nam ipse ait diuidi in partes quæ insunt. Vbi D. Thomas ait, actu, non potentia: sicut elementa in misto. Ex quo dogmate sequitur in dictis suis contradictio. Et quod granum mihi æquetur Mundo. Et quod pars sit æqualis Toti. Et quod infinita sint plura: & pars: & aliquid. Quapropter in Quantis & in generibus rerum non datur infinitas, sed extra genera: sine numero, pondere, & mensura.

Aliæ rationes Aristotelis ex loco eluduntur ex eo, quoniam locus est nobis finitus; sed extra mundum fine caret, iuxta ponentes infinitum. Item illud asserentes, dicerent infinitum esse dissimilare; sed hîc vnum existendi modum, ac Mundum extare alibi alium: & quidem quamlibet stellam esse mundum vnum Pythagorici autumant, & propriis constare elementis. Totum verò non moueri, sed partes, & Mundos. At si Mundi isti & partes infiniti sunt, singulæ magnitudine finitę: Profectò tota ipsorum vniuersitas esset finita. Similiter, si numero. Hoc si negas: das plura infinita finita. Et Corpus & Numerum infinitum, coguntur ponere illud superficie interminatum, & numerum extra numeri speciem, multitudinem sine fine, vt D. Thomas considerat hîc contra Arist. Quod reuerà implicat contrad. Nam si finitur ex parte nostra, etiam foris extra Mundum finitum est. Partes enim sectæ hinc omnes finitæ sunt in sectionis termino. Et sic quæ cogitantur extra Mundum. Item omnis pars finitur ab alia, & in aliam suam compartem: Ergo & Totum. Propterea nos infinitum corporeum dari non posse, continuum aut discretum, statuimus. Positum infinitum non subitò mundanas partes destruet, vt putat Arist. sed infinitis permutationibus agitabit intra se, quoniam contrarietas non deficeret in partibus. Nec se toto agit, sed sui contactu finito. Ratio autem qua non datur infinitum Quantum, vnitum aut discretum, habetur ex quantitatis quidditate: quoniam est aliquod ens, non Totum, & omne. Aliquod autem est aliud quid ab aliis, ergo finitur ab illis, vel in illis. Item Quantitas est mensura substãtiæ. Mensura autem immensa esse nõ potest. Nec ergo Numerus innumerus. Nec quantum non tantum. Implicat ergo quantum esse infinitum. Partes quoque corporum & numeri videmus esse finitas singulas: ergo & Totum. Propterea rectè probatur apud Parm. quod infinitum nõ habet partes nec Totum: Alioquin partes infinitæ essent quælibet æquales Toti. Et infinities idem erit infinitum. Qui autem sic loquuntur nesciunt quid sit infinitum esse. Quapropter magis conuenire videtur puncto infinitas quam Mundo corporali: Vt alibi ostendimus. Nunc autem num rectè Arist. oppugnet Dei infinitatem examinandum est.

Rationes Aristotelis, quòd non detur infinitum separatum à sensibilibus, vanas esse, & secum pugnantes, & contra dogmata Christiana, & Philosophica; sed nil posse. Et Finitum & infinitum esse entis distinctionem, non autem Quantitatis.

ART. II.

IN XI. Lect. x. igitur Metaph. contra Platonem, ponentem infinitum, separatum à sensibilibus, & principium rerum, vti nos, ita procedit. Si infinitum huiusmodi est substantia, ergò caret magnitudine, & multitudine. Hæ enim passiones sunt accidentis, videlicet Quantitatis. Tu verò ponis infinitum in substantia; sed quod caret magnitudine, & numero est indiuisibile; Si autem est indiuisibile, ergo non est infinitum nisi negatiuè: sicut vox dicitur inuisibilis, & punctus infinitus. Ergo non est verè infinitũ, sicuti ipsum inquirimus.

Item infinitum est passio numeri, & magnitudinis. Sed hæc non sunt substantiæ separatæ, sed accidentia concreta, ergo non datur infinitum per se existens, vt Plato putat.

Item si datur infinitum separatum, aut erit accidẽs, vt numerus separatus apud Platonem, aut substantia. Si accidens tunc ipsum non erit principium, sed id cui accidit. Vt principium locutionis non est inuisibile, sed vox. Si autem est substantia, aut indiuisibilis, aut diuisibilis: si diuisibilis, cum omnis pars substantiæ sit substantia, tunc omnis pars infiniti erit infinita: ergo multa infinita, vel infinita infinita faciunt vnũ infinitum. Ergo totum non est maius sua parte, quia infinita sunt æqualia, & partes totius. Si autem indiuisibilis, ergo non infinita, quia infinitum oportet esse Quantũ. Quantũ autem diuisibile est. Ergò accidens. Ergo infinitũ non est principiũ rerum, substantiaque.

At hæc argumenta si quid veritatis concluderent, non modò totam Christianam Theologiam euerterent (vnde mirum quî ab expositoribus Christianis acceptantur) sed Platonicam, & Aristotelicam. Cum enim confitentur omnes, Deum esse magnum in vigore, & non in quantitate corporea, sed transcendentali, & necessariò incorporeũ esse; nescio quo pacto ad hoc vt sit infinitus, requirit Arist. corporeitatem in eo: quam etiamsi finitus sit, desideret oportet. Non minus enim illi finitudo, quam infinitudo passio est quantitatis, sed magis.

Imò Quantitas est Tantitas, & finitudo entis finiti. Infinitum autem quantum non est, nisi secundum nostram imaginationem, quæ corporata non potest incorporea capere, nisi corporeo modò, vt croceus oculus omnia videt vt crocea. Falsum ergo assumit, quod Finitum & Infinitum sunt passiones quanti, sed enim sunt entis etiam apud Theologos, præcipuè Scotum. Ens ergo aliud Infinitum vt Deus, aliud Finitum vt creatura: & iterum duplex Finitudo, altera molis, vt Quantitas continua, vel discreta; altera virtutis, vt limes omnis essentiæ.

Quapropter respondeamus pro omnibus, infinitudinem esse Deo essentialem, & Deum esse indiuisibilem diuisione quantitatiua: & substantiam (potius autem essentiam) eius infinitam continere in se eminenter omnem entitatem & perfectionem. Si enim aliqua deesset, aliquod ens esset, ergo Finitum nec extra genera esset. Et cum ait, Non ergo esset infinitum, de quo quærimus, mentitur: quoniam non quærimus infinitum corpus, aut numerum quæ eius testimonio non possunt esse, sed ens infinitum. Contra quod Arist. arguit fallaciter æquiuocando. Nec verum est, quod sit infinitum negatiuè, sicut vox inuisibilis, sed positiuè. Licet enim secundum vocem videatur negatiò, tamen affirmationem circumscribit. Sic cum dicimus Deum immortalem, non priuamus ipsum entitate, neque negamus aliquid ab eo: Mors enim nihil est; sed circumscribimus æternitatem, quia nos mortales magnum quid videmur dicere, cum mortem negamus pro nostra paruitate. Cum ergo dicimus Deum infinitum, negamus illi finem, & limitem; Finis autem in nonens abit. Homo enim finitus est, quia ita est homo, quod non lapis, nec aliud ens: sed hoc nonesse non pertinet ad dignitatem, sed ad paruitatem, & defectum, qui proles est Nihili. Quapropter verè dicimus infinitum, hoc est carentem limite, & non compatientem secum aliquod nonesse, vt per hanc negationem intelligamus totum esse, & omnem entitatem in eo esse absque limite. Ergo extra genus. Omne enim genus est aliquod ens, & ideo habet differentias & diuersitatem ab aliis entibus. Deus solus omninò ens entium omnium entitates continens eminéter, id est, vnitius, plenius & vniuersalius absq; participio alicuius Nihilitatis. Et cum ait Arist. Ergo est indiuisibilis, concedimus. Nam & ipse in 8. Phys. & 12. Metaph. ponit Deum indiuisibilem. Et cum dicit, ergo non infinitum, nego, de infinitate entis: Concedo de infinitate molis: esset enim punctus; Nam quo magis vna, & indiuisibilis est essentia, eo magis infinita est, vt dicitur in lib. de Causis.

Ad 2. Resp. quod non est in Deo infinitudo vt passio Quanti. Sic enim esset Finiti passio. Imò ipsa quantitas est Finitudo: Nec ergo potest infinitudo esse passio quanti, vt nec calor frigoris. Quanti passiones sunt magnum & paruum, multum & paucum: Non autem Finit. & infinit.

Ad 3. dicitur, quod non est indiuisibilis mole, virtute autem indiuisibilis in se, sed multiplex in effectibus, sicut punctum, ait S. Dionys. est vnum centrale, sed lineæ ab eo innumeræ deriuantur. Et quo longius recedunt à centro, eo magis diuiduntur: quo magis accedunt, eo magis vniuntur. Et sol vnus continet omnes inferiorum vires.

Et cum dicitur, si diuiditur, aut infinitas in partes, aut finitas numero: dico, finitas in effectibus extra Deum, infinitas tantum in Deo, quia eius potentia ad infinita est. At fortè ad intra hoc tangit Mysterium sanctissimæ Trinitatis, in qua creduntur tres numero personæ vnus numero Deus esse. Et respondemus cum Athanasio esse distinctionem in tres personas relatiuam: Non autem diuisionem essentialem, & quamlibet personam esse infinitam, non tamen tria infinita entia, sed vnum infinitum ens. Vt omnis persona est Deus, non tamen tres dij: & ratio Arist. verum concludit si daremus infinitũ Quantum: Tunc enim tres personæ essent tria infinita: quod implicat contrad. imò etiã possent esse tria infinita; At quoniã vna est essentia, & non quanta, non materialis, in Trinitate; neque damus totum, & partes, nisi secundum vocem, sed tantum valet vna persona, quantum totæ tres: & hoc palam fecimus in Sapientia, Potentia, & Amore, etiam in naturalibus, quæ sunt tres realitates, & vna res. Et quidem Arist. ipse ponit in Deo intellectum, & voluntatem, & Potentiam tres realitates, vt vnum ens indiuisibile, nec tamen tria numina infinita: Sed Arist. non calluit Metaph. vti Scotistæ rectè monent, in multis. Quippe mirum quomodo transcendentalem infinitatem Arist. conniuentibus oculis præteriit; nec intelligit finitatem per se & infinitatem respectu nostri, quibus immensa moles vocatur infinita æquiuocè in Quantitate nobis primò innotescere: sed non in ea sola & verè reperiri, cum essentia hominis sit finita ita, vt non sit essentia Asini. Et definitiones hoc poterant illi declarare essentiarum, quæ ob ipsum definitiones vocantur. Præterea cum ritè probasset non reperiri posse infinitum quantum, numero, nec magnitudine in rerum natura: statim debebat concludere, quod infinitum non est passio Quanti, sed non quanti. Si enim non datur homo irrationalis, nec irrisibilis, necesse est fateri irrationabilitatem & irrisibilitatem non esse differentias aut passiones hominis.

Ex impio falsoque supposito, quod mundus sit æternus, Arist. probare Deum esse, & infinitum duratione; & stultè asseclas, & impietate occulta actos, probare Dei infinitatem ex dictis Arist. cui neque Deus est, si motus æternus non est: & eorum controuersias non posse sedari.

ART. III.

PORRO Peripatetici diuisi sunt circa Dei virtutem. Alij enim volunt ipsum esse infinitum, vt Latini: propterea quod Aristot. in 8. Phys. probat, Deum esse virtutis infinitæ, quia mouet infinito tempore: ex eo enim quod ostendit motum esse æternũ cognoscit Motorem æternum: & quia æternum edit actum, esse purum actum, ergo immateriale: & quia primum, ergo immobilem; nam si moueretur, ab alio moueretur, & illud aliud esset primum: Alij verò putant æternum esse infinitum tempore, hoc est, vt aiunt, extensiuè, sed non intensiuè: ex eo enim quod semper mouet, & semper mouebit, infinitus est duratione: si enim etiam vigore, tunc moueret in non tempore: sicut enim vis debilis mouet idem mobile in multo tempore: fortior verò in paruo: fortissi naq; in minimo, ita infinita moueret in nullo. Sed mirum cur tantopere in falso fundamento fabricantur: si enim motus æternus non est, vt omnis Theologia declarat: tunc Arist rationes nullæ sunt. Nec Deus est secundum doctrinam eius: nec Angeli: nam ideo Deus illis est, quia motus perennis est necessariò semper, vt patet ex 8. phys. & 12. metaph. Hoc autem longè stultius asserunt Latini, Arist. non verè, sed problematicè potuisse motum æternum, atque mundum: licet enim hoc fuerit problema inter philosophos, tamen Aristoteli videtur necessarium. vt patet ex verbis, & syllogismis eius. Et ipse D. Thomas in 12. metaph. lect. 5. ait, *Ex hoc processu manifestum est, quod Arist. hic firmiter opinatus est, & credidit necessarium fore, quod motus sit sempiternus similiter, & tempus: aliter enim non fundasset super hoc intentionem suam de inquisitione substantiarum immaterialiũ, &c.* Deinde ostendit falsas esse rationes Arist. quibus probatur æternitas motus, & temporis: & certius probari Deum esse æternum, & immaterialem, si motus & tempus inceperunt. Idem docet in 1. cont. Gent. Iustin. quoq; idem sentit contra Arist. Quapropter mirum, quomodo Aristotelem Recentiores sequantur negantẽ Deum esse, si mundus non semper fuit. At concedatur Auerroi, qui, vt Aristoteli adhæreat, recessit à lege Mahometi ponentis mundi creationem: quomodo autem concedemus Christianis Theologis tot libros inscribere de Infinitate primi Motoris fundatas in perenni motu, qui asseritur cõtra primum Fidei articulum? Nos autem fatemur, quod posito perenni motu (quod nulla tamen ratione probari certa potest, vt infra videbimus) necessariò sequitur, Motorem esse infinitum duratione: & ex consequenti, infinitum vigere; licet hæc consequentia repugnet Aristotelicis positionibus: sicut multæ aliæ ex dictis suis contra alia sua decreta eliciuntur, teste Lactantio & Iustino. Hoc autem palam. Nam quod esse & operari potest tempore infinito, infiniti vigoris sit oportet: tota enim actio simul contellecta indicat vim infinitam.

in 8. phys.

Sed quidem non esse infinitum Deum, non modò præcedentibus rationibus contra Platonem Aristot. probat: sed ex eo quod ipsum necessariò agere putat, & tamen non mouet absque tempore. Ipse enim in 8. phys. eam propositionem fecit, vt ab infinita virtute fit motus in non tempore. Nec mediũ aliquod resistit, quod motum tempore donet, vt putat in 4. phys. Nam in nihilo moueri vltimam putat spheram à Deo, quoniam extra cœlum nihil ponit: ergo seclusa resistentia medij, quæ sola Aristoteli dat tempus, & seclusa finitate mouentis, quæ aliis dat tempus, & posita necessitate agentis, vtique in non tempore fieret cœli motus: quod in nostra philosophia, etiamsi poneremus motum æternum, non valet: quoniam non sola resistentia medij, nec cum finitate motoris, motui tempus dat, sed etiam ipsius spatij dimensiones. Non enim potest aliquid esse simul in duobus extremis non transito medio, & medio medij. Nec fortè instantanea actio infinitum agens ostendit, cum solis illuminatio Aristoteli absque tempore fit: sed resistentiæ vacuitatem.

Metaphysica ratione optimè demonstrari primum ens esse infinitum: nec extra se posse aliud infinitum fieri.

ART. IV.

CVM autem nulla physica ratio infinitum ostendat primum principium; qua ratione id asserimus? Si enim ex eo quod ex nihilo in instanti mundum creauit: hoc creditum est, non scitum: Ex ruinis enim aliorum mundorum, vel ex chaos hunc constructum esse mundum diceret, qui cogitur eius nouitatem fateri; & cum instas, quare illi mundi destructi sunt, & chaos absque motore languit: & cur non prius distinctus est, & quid expectauit Deus? Respondetur, contra nos id esse. Nam qua de causa non ab æterno factus est mundus, & quid expectauit Dominus, & quo ocio delectatus ad mundi creationem non veniebat? Ecquis nouit, an ante sex mille tantum annos incipiat creare, & non ante millia millium annorum? quamuis enim tempus non fuerit, duratio negari non potest.

Quapropter supponentes, quod ex parte probatum est, & infra patebit, ab opifice longè potentissimo, longè sapientissimo, longeque optimo, factum esse mundum, & non casu quodam: eius infinitatem ostendimus metaphysica ratione. Quod enim est aliquo modo, vel entitate aliqua, & aliqua non, illud finitum est, quoniam caret aliqua entitate, & gradu: & non om-

Ph. 1

nino est, sed aliquo modo, & aliquo esse: Deus autem omnino est, nulla carens entitate, & modo, ergo infinitus est. Non ita est Deus quin non sit cœlum, & homo, & lignum, quatenus hæc sunt, & non quatenus non sunt, vt probatū est. At Peripatetici dicerent, Deum habere omnem entitatem, non tamen propterea esse infinitum. Nam omnia entia simul infinita non sunt: ergo Deus non verè infinitus est, sed respectu gradus entium, in quibus non continetur, exuperat quidem omnia genera, non tamen infinita genera, nec in infinitum. Sed contra: Entia omnia sunt infinita, successiuè saltem, si non simul apud Peripateticos: Deus autem simul est omnia illa, quoniam ab eo non manarent, nisi virtutis inexhaustæ foret. Præt. omne finitum est participio ens: dato autem hoc, datur ens per essentiam, quod necessario est infinitum, vt in 6. lib. probatum est: alioquin essent omnia participio: & nulla Toticipio; & darentur partes sine toto, & effectus sine causa, quod contradict. implicat,

Item quidquid finitur à materia finitur, vel ab alio, in quo recipitur, vel à gradu entitatis: si enim albedo non esset recepta in materia aliqua, infinita esset, sicut humanitas in communi considerata. Rursus si albedo, non ita esset albedo, quod nullus alius color, hoc est, non nigredo, non rubedo, &c. ipsa tunc esset infinitus color. Rursus si non esset ita color, quin simul sit sapor, odor, passio, motus, operatio, & cætera accidentia, tunc esset infinitum accidens. Tandem si non esset ita accidens, quin simul sit substantia, & corpus, & Angelus, & locus, tunc esset infinitum ens, vel omne ens: At omne ens finitum est in gradibus suis, & generibus; quoniam singula finita sunt genera. Nihilominus indiuidua sunt infinita, vel possunt esse successiuè: genus enim hominum non repugnat esse infinitum, & idea bouis in infinitis materiebus receptiblis est. Quapropter si demus ens continens omnia entia, & quæ sunt, & quæ esse possunt: quoniam quæ esse possunt, sunt in potentia entis, vti in 1. lib. 2. p. probatum est, necessariò illud ens, quod est omnia, infinitum est.

Præterea nos imaginamur infinitum: & quidem anima nostra est intra pugillum cerebri limitata: ergo infinitum existit. Neque enim pars potest supra totum eleuari: Si ergo anima quæ particula mundi est, ens infinitum extra mundum concipit, videtur quid incredibile, & stultum omne dogma contra infinitum. Possumus quidem imaginari in Socrate, & in lapide, & in cœlo aliquid plus Socrate, & lapide, & cœlo, quoniam hæ partes sunt, & totum consideratum exuperat quamlibet partem. At quid supra totum non licet imaginari vllo pacto, nec per insaniam: sobrietas enim, & insania non sunt quid extra totum, sed passiones particulæ totius: igitur extra totum quo pacto egredientur? Hîc caue dictum Niphi Peripatetici, dicentis, nos posse aliquid imaginari maius Deo, quoniam stultè, & impiè errat cum Arist. suo: quidquid enim imaginamur supra Deum, illud est potius Deus, & non quod putabamus esse Deum, quodque supergressi sumus; quomodo enim nos supra Deum ibimus?

Fatemur ergò, Deum non posse facere effectum infinitum, non quia impotens ipse, sed quia nullum ens, quod non est Deus, potest infinitum esse: produci verò infinitum, & esse Deum de Deo, & vnum cum Deo Deum in Deo, vnumq; infinitum, Theologica ratione didicimus, sed effectus externi à longè id ostenderunt.

Vnitatem Dei infinitam excludere à se nihilitatem, & numerum: rebus autem permittere ratione nobis ignota: sed posita ipsorum natura à posteriori quid sciri: & tamen in vno ente esse vnum, & in vno ordine, & fine, & continentia vnitatem pro posse seruare.

ART. V.

AD argumentum ergo principale respondetur, quod vnitas essentia est Dei, sicut Bonitas, & Sapientia, & Potestas, & Amor, & quidem infinita: sed posse sub hoc infinito vnitates alias reperiri ab ipsa prima vnitate dependentes: Multitudinem verò duo in se habere, videlicet vnitates, & diuisionem earum: quoad vnitates esse entitatem, quoad diuisionem esse nonentitatem. Quapropter verum est, si vnum est, multa non esse, quia quatenus multa, dicunt diuisionem; & diuisio est nonens: nonens autem non est: sed quare Deus plures relinquit vnitates, & non vnam conflat ex omnib. rebus? Item in eo quod multa participant nonens, Deus autem infinita vnitas est, & non modò infinitum ens: Quapropter si permittit res multas tanquam entia, non potest permittere tanquam numerum, quoniam admittit nonens, & non vnitatem, sicut infinitus calor non modo non permittit frigus, sed nec quippiam permittit non calidum, præsertim intra se, & in regno suo. Item licet nonens sumptum negatiuè Deus non permittat intra se, tamen permittit sumptum priuatiuè, quod est proles negatiui: quatenus enim homo est homo, & non est asinus; habet in se nonesse asini: & terra nonesse cœli: & licet hoc nonesse non sit, tamen exercet actum nonentis, dum facit terram non esse cœlum; sicut dum facit animal esse cæcum, nam verè cæcus est, hoc est, non videns. Item quomodo hæc multitudo intra viscera vnitatis? & quod plus, intra viscera infinitæ vnitatis? Ergo infinita vnitas eius admittens numerum, sicut entitas eius, dum admittit nonens.

Respondeo, nos quidem sagacitate quadam, ac Dei nutu agnoscere omnia esse à Deo, per Deum, & in Deo, ipsumq; esse infinitam vnitatem: At quo pacto indiuisibile ens infinitum sit vbique vix cogitamus, & totum in qualibet mundi parte; & omnia in eo magis, quàm ipse in omnibus, vt S. August. dicit, Intra est, & non inclusus; extra, & non exclusus; supra non expressus; subter non depressus; in medio non compressus. Quapropter vt possumus loquamur cum reuerentia de illo. Nam quidem dicimus omnia esse in eo, non sicut in loco, sed ipsum

locum ab eo sustineri, & omnia locata: & veluti locus penetrat omnia, & penetratur ab omnibus, nec tamen diuiditur dum penetratur, ita Deus, sed non eodem genere penetrationis. Nam licet dicat S. Gregor. de Angelis: *Quocumque currunt, intra Deum currunt*; & Apost. cum Arato: *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Tamen sicut in eo, qui dat, & conseruat esse, veluti sol dat, & conseruat lumen in aëre, & ipso abeunte, non est amplius lumen. At Deus non sicut sol distat ab aere, sed internus est cunctis rebus, magisque intimus, quàm res ipsæ sibimetipsis, non tamen finitur à nonentitate rei: non enim sicut homo non est lapis, Deus itidem est homo, & non lapis: homo enim in Deo Deus est, & omnia entia: similiter ergo licet sit in rebus numerus, non tamen est in Deo, nisi vnitas, quoniam propterea numerum est in rebus, quia hæc res non est illa, vt homo non est lapis. Entitas autẽ Dei est omnis entitas, ideo non dicimus, intra Deum reperiri nonens, aut multitudinem inquantũ nonens. Nam omnia vnum sunt in eo: multitudo autem est ex nonesse rerum; nonesse autem in Deo non est vllum, neq; intra Deum, neq; extra: ex eo.n quod nõ est, nullibi est, & nullo pacto: & licet animal sit non videns, non tamen est nonens, sed est carens aliqua entitate: sic homo non est Angelus, non tamen nonens, sed carens entitate Angeli; quam tamẽ habet in Deo: vt autem carere possit, à Deo non est, sed à sui cõditione, qua factus est ex eò, quòd non erat. Deus autem semper fuit: & quando accepit esse à Deo, nõ accepit omne esse, sed quantum Deus dedit.

Quare autẽ non dedit plus esse, quis intelliget? Ad vniuersi constitutionem, & ordinem, scimus non debuisse hominem habere omne esse, sed oportuisse aliud esse hominẽ, aliud lapidem, aliud Angelũ, &c.

Sed quare ita constructus est, vt ita distinctus remaneat in partibus, nemo dicet. Quis enim consiliarius eius fuit? dicunt ad sui diuitias & gloriã multiplicem manifestãdam; sed cui, si nemo erat? & qua gloria indiget, cui nihil deest? & quomodo manifestat ipsam creaturis suis, quæ sunt nihil coram eo? Nos enim formicis nostra non ostentamus præclara opera. Deus autem longè excedit nos, quàm nos formicam. Quapropter ex verisimilibus locuti sunt doctores, sed solus Deus nouit consilium suum.

At posse hæc existere entia iam videmus: quomodo autem earum nonentitas, & diuisio intra infinitatem entis vtriusque permittatur, latet nos, sed quidem in Deo ipsa non est: Deus enim cuilibet enti intimus est, sed latet: Namque nos etiam anima nostra latet; vnde quid sit anima inquirimus, & tamen ego inquirens sum anima: corpus enim nihil hæc inquirit: & tamen nescio me: quomodo Deum sciam? corpus opacat animam, ne se agnoscat, & ens enti obest: Deus tamen in cunctis est intimus: & quia in homine est Deus, & Deus est non modò homo, sed omnia alia entia: ideo nil mirum si permittit, hominem non esse leonem, quoniam hæc permissio non est entitatis suæ modificatio, sed entitatis humanæ: & numerus est in rebus, non in Deo, Deus enim est in qualibet vnitate, & non est illa res vna, sed omnis res vna simul eminenter. Quare cũ dicebamus, calorem non permittere frigus, neque non calidum ens intra se, verum est: sic neque Deus permittit nonens, aut numerum, quoniam in omni re est ipse, qui simul est omnis res, & vna, & non plurificata. Nonentitas verò non est nisi priuatio in re hac, non autem in Deo, qui est in re hac omnis res, nulla priuatus realitate. Non ergo finita est vnitas eius, nec entitas, si permittit res ita se habere. Quod Scotus tribuit voluntati. D. autem Thom. bonitati communicabili modis innumeris. Intra viscera infinitæ vnitatis ponimus numerum, & nonens, non quidem in ipso infinito vno, sed in multis vnitatibus finitis ostentantibus vnitatem infinitam pro modo quoque suo.

At quidem vnitate contineri cuncta, palam est: & vniuersum ipsum esse vnum, & indiuisibile in primo ente: Etenim quamuis corpus à corpore separetur, tamen intermediat aliud corpus, quod est pars etiam Mundi. Totus autem Mundus siue finitus, siue infinitus, indiuisibilis est. Cum enim aliquid diuidimus siuè gladio, siue fractione, intermediat gladius, aut aër, qui etiam mundi pars est: si verò nulum mediaret corpus interponeretur spatium vacuum: quo constat, omnia vnita, & colligata esse: spatium autem ens esse nobilissimum in superioribus probatum est sermonibus. Quapropter ab eo vnitas retinetur: & diuisio, & nonentitas prohibetur in toto: ipsum verò spatium in Deo est, & seruatur anteilus; etsi ratione spatium diuiditur, sicut corpus re, tunc ante spatium est Deus indiuisibilis etiam ratione vera: idcirco enim intellectus penetrat omnia corpora & spatium, quoniam est primalitas: spatium autem non penetrat intellectum, sed corpora, quoniã illo est posterius, istis prius: Corpus autem non nisi corpora diuidit fragiliora se, id est, minus vnita: omnia ergo sunt vita, & ens in Deo, quia indiuisa: sũt in spatio corporaliter: sunt in corpore diuisibiliter. Mundus autem corporeus adhuc habet materiam, & calorem, & frigus, qui ex ea facere cœlum & terram: calor autem & frigus similia esse diximus, ergo & vnum in eo, quod similia: Materiam verò, licet diuersam ab eis, tamen non à loco, cui conuenit in dimensionibus, nec à principibus actiuis, quibus subiecta est basis: omnia autem conueniunt in esse, & in hoc vnum sunt, & in vno ordine, & in vno fine à Deo præstituto

Infinita vnitas ergo excludit infinitam diuisionem, & multa facit esse vnum: locus enim & materia, & quæcumque sunt, vnitatem habent ab eo: Dedeceret autem si plures Mundi essent inuicem non communicantes: Tunc enim non ab vno penderent, sed à casu, vt Epicureis conuenit. Nobis autem vnitas in cunctis commendatur, non quidem vnitas puncti indiuisibilis, sed entis omnia, & locum ipsum continentis, & vnum facientis: Et quia maximè est ens prima Vnitas, plures res fieri vult, seque infinitis communicari modis, non tamen extra vnitatem. Nonente autem, aut multiplicitate aut modificatione ipsum non tangi: sunt enim extra ipsum dissimilitudine, non localitate, & continentia Dei, quæ portat omnia verbo virtutis suæ, non qualis in spatio, sed præhabet hanc, qua spatium continet corpora, & qua corpus formas, & qua formæ accidentia: Omnia enim in Deo sunt, & vnum in Deo sunt: & diuisio est extra solum dissimilitudine, non existentia, nec essentia, nec notitia, nec, &c. Non ergo peccauit Parm. in hoc, sed accusator eius Arist. & Auerr. vt bene notat Albert. 1. Metaph. Tr. 4. cap. 10. & Auic. Suff. lib. 1. cap. 4.

Generationem

Generationem & vitam à Deo eſſe Agente: mortem & corruptionem à nihilo, ſed à Deo permittente: & nullum ens Deo mori, nec mundo, ſed tranſmutari, & hoc à contrariis rerum viribus fieri Deo agente, & permittente: & vtrum detur annihilatio.

ART. VI.

CVM autem quæritur, qua ratione generatio, & corruptio, & mors ſunt in Deo, vel extra, ergo alia datur cauſa: ſi intra, quomodo mors ab eo, & in eo: & quomodo idē generat, & corrumpit? At quidem Apoſtol. *In ipſo* (ait) *viuimus, mouemur, & ſumus.* Ieſus autem dicit: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorū, omnia enim viuunt ei*: & alibi: *Deus mortem non fecit*: Vnde reſpondendum videtur, hæc omnia in Deo eſſe, & tranſmutari, non tamen aliquid mori reſpectu Dei: quoniā dum mutatur in aliud eſſe, & illud eſt à Deo, & in Deo, & Deus totus in quolibet eſſe, ergo non moritur, ſed in eſſe præcedēti dicitur mori: ſicuti dū homo moritur, Mens viuit in Deo, ſpiritus in aëre factus aër: corpus fit terra, & aqua, & viuit vita terræ, & aquæ. Quapropter nō videtur eſſe mors, niſi reſpectu ſtatus, in quo erat. Homo enim hominibus moritur, ſed non Deo, neque mundo: Semper enim in aliqua mundi parte, vel partibus, remanent hominis partes. Mundus autē in Deo eſt. Hoc autem patet, quod caro vitulæ viuebat vita vitulæ: ab homine verò manducata, viuit vita hominis: & facta terra, vita terræ Dolor quidem eſt in tranſmutatione: At vbi res tranſmutata fuerit, viuit & gaudet in illo ſtatu, in quem mutata eſt; & cū tranſmutatur ob ingentem paſſionem obliuiſcitur prioris ſtatus. Neque enim nos ſcimus, quid fuimus in ventre matris: multo autem minus quando eramus in patre ſemen, & ſanguis, & panis, ex quo ſanguis; & herba, ex qua panis; & tellus, ex qua herba: & hoc mutatio vocatur Poëtis tranſitus Lethei fluminis: nam ſicut aqua fluminis ſemper alia, ſic phyſicæ res. Et quidem dum tranſmutatur, non in vnā modò rem tranſit, ſed in varias: caro enim vitulæ fit fumus, & vapor, & chilus, & ſtercus, & res multæ deinde: & quaſi forma typographi in aliarum paginarum aſſumpta continuò, diſſolutaque compoſitione: ſic omnis corporeitas transferri videtur: & mors vnius ad multorum generationem conferre, & ex multorum mortibus rem vnam fieri: quę tamen in toto vita ſunt vna: ſicut in corpore humano moritur panis, viuit factus ſanguis, qui moritur vt fiat caro, & ſpiritus: qui viuit, & non vita ſanguinis, nec meminit ſe fuiſſe ſanguinem: & multi dolores, & voluptates, mortes, & vitæ, vnius corporis vita ſunt: nullius. n. cōpoſiti apud nos vita permanens, ſed fluens compoſita ex vitabus, & mortibus ſuccedentibus per fluxum: ſic tranſmutationes multæ vitam mundi integrant ex mortibus, & vitabus multis: & tamen moritur nihil. Nam Deus perire non patitur, quæ fecit vt ſint. Hoc Virgilius intellexit, cum ait,

Nec morti eſſe locum, Deum namq; ire per omnes, &c.

Sed quæ cauſa res tranſmutat? & quomodo intra Deum fit mutatio? & quomodo calor in pila plumbea, incluſus intra glaciem extinguitur? Non enim tranſmutatur forma actiua, vel paſſiua, ſed ſubiectū: De calore autem quid fit? Reſpondeo fieri mortem, quoniam fit generatio, & vita: omnis enim mutatio eſt mors rei præcedentis, & vita conſequentis. Deus autem non concurrit ad mortem, ſed ad vitam: quoniam non concurrit ad paſſionem, ſed ad actionem: quando ergo calor perimit frigus, dat calori vim agendi, frigori verò reſiſtendi, non dat vim exuperādi: ſed permittit frigus exuperari ob caloris vitā: ſuperari autē eſt deficere, & mori, & pati: hoc verò eſt fieri, quod non eſt, Deus autē ad non eſſe non cōcurrit: ergo neque ad paſſionē, neq; ad mortē, niſi permiſſiuè, & ordinatiuè, non autē effectiuè: efficere. n. eſt dare aliquā entitatē, pati verò eſt recipere entitatem, aut amittere, & non habere. Deus autem non recipit, quia habet, nec amittit, nec deficit, quia omnia eſt entia. Quapropter non approbamus, quæ veteres Theologi dixerunt. Deū concurrere ad malum pœnæ, & ad mortē effectiuè, niſi intelligant ex parte iubentis, exigentiſq; & non dantis pœnam effectiuè formaliter. Ignis. n. virtute Dei vrit, ſed non vritur corpus eiuſdem virtute Dei, ſed ſui imbecillitate, & deficientia & poſſibilitate; quæ eſt à nonētitate tanta, quæ poſſit reſiſtere, & vincere: ſic etiam permittit numerum, & priuationes, & nonētia, non totius, ſed partium ad bonum totius: & hac ratione dicitur etiam autor mali, quia vtitur illo in bonum, teſte D. Baſilio: Cum autē quæritur, quomodo intra Deum iſta fiunt? Reſpondetur ratione partium; & non requiri cauſam exteriorem, ſed propria potentia, & vi, aliam contra aliam rem agere: Deum autem permittere paſſionem, & bellum, vt ſecunda entia ex his fiant. Permittere autem eſt non auxiliari ſupra vires naturæ, nec infra, ſed iuxta: ſicut Nauta permittit nauim perdi à vento. Hoc autem mirabile eſt, quo pacto res in Deo ſunt, & Deus in rebus, & tamen occultat ſe, permittitque, res immutari in ſe: ſed quidem pati poſſunt, quoniam non de ſubſtantia Dei ſunt, ſed ex nihilo, & ente compoſita. Idcirco ad nihilum inclinant: Deus verò annihilationem prohibet, & tranſmutationem permittit, vt ſub aliis formis eius diuitiæ ſemper communicentur: Hoc autem ad quid? Ipſe nouit: Dionyſius tamen diuiniſſimus ſupra omnes videtur ſapere, dum generationem efficientiæ bonitatis ſummæ tribuit, non autem & corruptionem. Quā enim corrumpuntur Deus non eſt cauſa, ſed rerum impotentia; quā verò generantur eſt cauſa. Diuus Thomas autem ait, quod Deus non eſt cauſa malorum, ſicut Nauta eſt cauſa ſubmerſionis nauis, per ſuam abſentiam, & ſalutis per præſentiam: Deus enim à nulla creatura ſe abſentat, ſed ſicut ſol fouet omnes naturaliter, ac rationales etiam ſupernaturaliter. Adeſt ergo fauendo, ſed permittit fortioribus victoriam: & Diuus Thomas potius loquitur in gratuitis.

Calorem intra glaciem, & globum niuis intra

fornacem iniectum, non putamus annihilari. Nec lucem extincta lucerna, nec circulum comminuto subiecto: quomodo enim Deus annihilationem rei factæ à se permittat? sed dicimus occultari, vt Trismegistus sentit, qui vocabula vana esse mortem putar, sed occultationem existimat: generationem verò esse manifestationem: sed quidem manifestè calor generat calorem sese effundendo: effusio autem non est manifestatio tantummodò, sed etiam multiplicatio: gradus ille ad quē multiplicatur, vnde est? si à potentia caloris: ergo & cum extinguitur, redit ad impotentiam, quæ est nonens: si à Deo, tunc redit opinio Arabum reprobata in 2. lib. quod Deus formas accidentales, & substātiales faciat; si à Thesauris naturæ: tunc egredietur à materiæ gremio nascens, & in ipsa occultabitur moriens calor, vt Peripateticis dicere conuenit, quod reprobauimus. Quid dicemus? eritne in spatio latens? aut in anima mundi, aut in Deo, in quo vitam nostram absconditam dicit S. Paulus? quod Peripatetici aiunt, non fieri neq; corrūpi formas iam reprobauimus: licet enim fiant vt quo, siue vt quod; patet, calorem fuisse in pila, & postea extinctum esse à glacie: quæro quid actū est de illo? dicunt, desinit esse: hoc ipse scio, sed in nihilum ne, aut ens? Non respondent; sed quidem annihilari videtur, & fortè non est inconueniens: & D. Th. loquens de resurrectione, accidentia, & formas quæ annihilatæ sunt, non reuerti autumat, sed quomodo annihilari in Deo potuerunt? fortè in eius virtute sunt, & non annihilantur, sed ad suum principium intrinsecum referuntur, & fortè intra nos latent plurima nobis occulta. Neque Deum videmus, neque Angelos, neque aërem. Quid de his? suntne Thesauri niuium, & ventorum, & caloris, & frigoris, vt videtur dicere Iob? sed vbi sunt nisi in potentia Dei omnia potentis, Deus autem in nobis est. Reuertamur ad nos cum Augustino.

A numero & emanationibus diuinis ad intra, ortum esse omnem numerum, & productionem in rebus ad extra, ex Theologia, & Metaph. probatur: & satisfit hac noua responsione duobus argumentis repetitis à primo articulo huius capituli, & propositi in exordio quæstionis.

ART. VII.

AVT fortasse argumentis satisfaciemus dicentes, in Deo esse numerum, sed non participem nonentis realis, quoniam Trinitas Primalitatum vnius est essentiæ, & esse emanationem sapientiæ à Potentia, & Amoris ab vtrisque, sed sine diuisione, aut tempore, aut corruptione, quæ in rebus finitæ virtutis: & ex his oriri ad extra numerum, & generationem, & productionem in rebus: & cum obiicitur, ergo in Deo est nonentitas.

Respondetur, quod termini numerales in Deo non ponunt numerum nostro similē, nonentis participem, sed excludunt indiuisibilitatem quantitatiuam quam habet punctus: nec tamen dant diuisionem, sed distinctionem, non indiuidualem, sed relatiuam, quæ minima est, reperiri.

Sed ais, ex quo vna persona non est alia, continet nonentitatem eius, sicut homo nonentitatem lapidis: ergo ponitur in Deo nonentitas. Negatur, quoniam homo & lapis, & Petrus, & Paulus differunt essentia, aut numerò: etenim vnū non est aliud, nec in alio: sed in Deo omnis persona est in omni alia, & eadem substantia est numero tribus, procedit enim persona à persona non participando, nec recedendo, sed toticipando, & immanendo: ergo quidquid est in vna, est in omnibus: essentiant enim idem: & licet pater non sit filius, non aufertur entitas illi aliqua, quæ sit in filio, & non in patre, excepta relatione, quæ tamen est in essentia illius, qui est pater. Ita dicūt Theologi doctiores. Similiter est in Deo processio, & non cum motu, nec cum separatione, quoniam non fit extra Deum. Infinitus. n. est, & à se exire non potest. At reb. inest numerus particeps nonentis, quoniā finitæ sunt: ergo alia extra finē aliûs.

Similiter est emanatio, & transmutatio, quoniam extra fit productio, & à cōtrarietate, non à relatione sola; & cum participatione nihilitatis, quoniam dum transeunt ad aliud esse, recedunt à priori, & eius nonesse petunt.

Quapropter quoniam Theologia S. ostendit non in Deo esse numerum, & productionem, sed diuino modo, stultum est quærere vnde numerus in reb. & productio: sed ab eodem principio deriuanda est: & quamuis non sit eadem, tamen analogicè ad illam se habet. Id etiā ratio metaphysicalis persuadet: ex eo enim, quod ens omne constituitur ex Potētia, Sapientia, & Amore: & ordo quidam est internus in eis, vt à Potentia emanet Sapientia, quæ simul habet esse Potentiæ. Nam non communicat Potentia, quod non habet, neq; non consimilē emitatem. Ab vtrisq; autem procedit Amor. Amamus. n. quæ scimus, & possumus: ergo in eis erat amor, nā non darent, quod non haberent, & in Amore est potestas, & Sapiētia, quoniam ipse suis proprincipiis similis: ergo idē procedit: vbi sanè inuenitur numerus, sine diuisione essentiæ, & quasi sine numero, & processio absque diminutione, & separatione, & morte, quoniam fit adintra, & absque mistione nihilitatis, per essentiationem internam: Numeri autem exteriores, & productiones, ex eo quod fiūt ad extra, & cum nihilitatis, & finitudinis participatione per principiationem, aut causationem, quæ imitantur à longè essentiationem, ferant secum diuisionem, & mortem, & trāsmutationē, & alienationem; & imitantur interiorem productionem essentiatiuam, & numerum, vt possunt: magis autem principiatio, quam causatio imitatur essentiationem: quoniam principiatio habet principiatum adintra sæpe: causatio adextra, nisi ex proximis immediatis causis seminalib. fiat. Quapropter declaratū videtur, quomodo intra infinitā vnitatē stent aliæ finitæ vnitates, quæ imitantur illā in numero, & esse, & productione, sed cum modo, & mensura, quā ab ambitu nihili habent, à quo participant impotentiā, insipiētiam, & odiū, permittente Deo, & vtente his nihilitatib. ad modificationē rerum. In Trinitate perfici

numerum sciunt omnes Arithmetici, in emanatione naturali, & voluntaria omnes latere emanationes vniuocas, & æquiuocas, & artis naturalis, & exterioris, dictum est prius. D. etiam Ambrosius docuit, emanationes ad extrà, hoc est, creationem, & generationem, ab emanationibus ad intra causationem habere. Neque potuisse parere ad extrà, qui non peperisset ad intra: & S. Iustinus ait, esse in Deo vnitatem propter suam essentiam, & Trinitatem proprea fœcunditatem: ex qua ortum habent rerum essentiæ ad existentiam.

Respondeo ad argumentum principale, quod intra Deum non reperitur malum, nec Deo nec Mundo, sed respectu partium, permittente Deo propter melius totius, vel partis, nec dari causam mali nisi nonens.

ART. VIII.

EX his etiam patet, quid respondendum sit quærentibus, vnde tot mala, si Deus est Bonum infinitum, & vnde peccata naturæ & artis. Dicimus à Deo enim esse permittente, non autem faciente: Et cum additur, Deus non agit contra artem, & naturam, quæ sunt instrumenta sua, neque ipsa contra seipsas, ergo datur alia causa. Respondetur res contra se inuicem agere, & posse deficere, quia nonentis mistione constituuntur. Deus autem permittere ipsorum defectum propter aliud bonum, aut manifestum, aut occultum. Patet enim permitti mortem vitulæ, & pecoris propter bonum hominis, & lupi, & florum defluxum ad fermentandam terram; & bonorum flagella, vt meliores fiant; sintque aliis exemplum; vtque mereantur magis apud Deum: alios quoque permitti blasphemare, & malefacere, quoniam libertatem, vt apud ipsum mereri possint, largitus est, nec ipsam temerat ob iudicia Dei occulta, de quibus cum tractabimus de Fato sermo nos manet. Nunc autem dicendum, nihil vnitati, & bonitati, & gloriæ Dei deperire ex hoc: qui enim blasphemat, non Deum summum bonum optabile blasphemat & odit, sed vindicem scelerum suorum, quem putat esse malum in animo suo: ergo speciem malam animi sui odit, & blasphemat: ergo seipsum. Deo enim nihil repugnare potest.

Qui autem se facit Deum, non tollit Deo honorem naturaliter, cum sit factura Dei; sed moraliter ordinem Dei peruertendo; & in hoc obnoxius pœnæ, quæ bona est, sicut purificatio auri per ignẽ, aut ignis fomentum per ligna, & iustitiæ declaratio per principem: omnia autem fieri ad gloriam Dei: sicut enim nos vtimur herbis maturis, & floribus, & fructibus, & germinibus, quando nobis placet; & tamen hoc displicet plantæ, quæ propter seipsam ista facit: sic naturæ autor vtitur rebus omnibus, & morte & vita, & malis, & bonis, quoniam propter ipsum omnia. Et sinit malos, sicut nos vrticas in horto ad custodiam olerum, & semitonos in musica, & metaphoras in carminibus, quæ vitia sunt, & benè consonant: de quibus infra.

Pertinet autem ad Dei bonitatem esse omnes gradus entis, & posse quædam deficere magis, quædam minus prout magis minusue entis & nihili in compositione, habent, si physica sunt: si libera, prout magis minusue vti volunt vtriusque participio: Deus autem excludit à se omne malum, & nonens, & defectum formaliter: non autem à rebus extra se: quæ dicuntur esse extra, non extra loco, sed essentia, & dissimilitudine. Intra Deum enim sunt, sed non de essentia Dei: Et Deus potest ab illis subtrahere, & largiri esse prout vult: quare autem hoc vult, illud non vult, quis scit? Origenes tentauit dicere, & inhibitus est.

Nos autem declarauimus, malum non esse in mundo, nisi respectu particularium; vt ignis est malus terræ, & homo serpenti; non autem respectu mundi, cui omnes partes concinunt. Multo autem minus respectu Dei, cuius gratia factus est mundus. Vtrum autem alios mundos fecerit extra istum meliores, aut facturus sit, non intelligimus.

Sed vtrum res meliores, quàm quas videmus possit; alij negant, quoniam sapientia decreuit optimos effectus, & potentia efficit: alii dicunt cum D. Thoma, non esse limitatam Dei sapientiam in rebus factis: & hoc rationabilius est, si infinita est. Sed cur non fecerit meliora, nemo intelligit, & qui putat alium esse mundum, & Deum meliorem, vt Symon Magus, non ostendit. Quapropter coniecturis vagamur, nescio quò.

Interim hoc vnum agnosco, quod quæ putamus mala, bona sunt; & qui eorum vsum norunt, id fatentur: qui verò sui sensu rapiuntur, mala putant, quæ nocent ipsis licet optima sint aliis: bona verò, quæ vtilia, & delectabilia, licet aliis rebus mortifera sint: qui autem philosophatur in Deo, agnoscit singula entia esse bona, omnia verò valdè bona. Sed de his postea: hîc sufficit nosse, mala non reperiri nisi in respectu, qui respectus est à nonesse, & contrarietate, vt dictum est prius. Loquor de malis naturæ, non de moralibus, quæ nec vult, nec permittit Deus, sed vetat in lege naturali & positiua, quoniam sunt deordinationes à Deo vt fine, & contra Deum summum Bonum: nec potest ergo ordinari ad bonum vt mors vitulæ, nec ad melius, cùm Deo nihil sit melius. Permittitur ergo permissione cadente super conditione naturæ, vt sit liber homo, non super peccatum vt sic: & ordinatur à Deo ex omnipotenti sapientia, non ex ratione peccati, vt corruptio ad generationem.

DEVM ESSE OMNEM NATVRAM, ET *omne nomen, & mox nullam naturam, & nullum nomen: Et qui hoc nouit, euadit primam caliginem, & est in principio secunda, quæ est diuina lux, in qua latet.*

CAP. VI. ART. I.

Quærentibvs verò vtrum Deus sit substãtia, vel accidẽs; respondemus, esse omne ens eminentissimè, idest, plenissimè, vniuersalissimè, & vnitissimè, & adhuc infinitam quidditatem super omnia entia, & primò quidẽ dicimus, Deum esse cœlum, esse terram, esse muscam, esse leonem, esse hominem, esse festucam, esse lapidem, esse accidens, esse syllogismum, esse tympanum, & omne ens naturale, & artificiale, mentale & reale: sed tamen seclusis imperfectionib. quas habent ipsæ res.

Imperfectiones autem sunt proles nonentis, vt impotentia, dolor, fragilitas, mors, contrarietas, stultitia, insipientia, stupiditas, odium, zelus, libido, paupertas, limitatio, paruitas, paucitas, auaritia, dolus, & alia innumerabilia, quæ reducuntur ad suas primalitates, quæ sunt impotentia, insipientia, & odium, seu inuoluntas. Cum ergo à lapide, aut à musca hæc omnia abstuleris, remanet potentia, sapientia, & amor, iustitia, veritas, bonitas existentiæ, sed intra suæ limites naturæ: & quia horum limitatio est à nonente, auferamus limitationem, & tunc remanet sapientia, potentia, & amor illimitatus, & infinitus, & hic est Deus: ergo ex singulis rebus per scalam negationis ad Deum accedimus. Sed alium gradum ascendamus, quoniam ablatis imperfectionibus remanserunt perfectiones, quæ nobis sunt ipsæ primalitates, vel obiecta, aut ipsorum germina. Adhuc illud considerandum est, quod in Deo non sunt, sicut in nobis diuisa: sed quidquid est vnum est alterum, vt docet S. Augustinus. Quapropter sapiens, bonus, potens, volens, verus, iustus, aliæque perfectiones sunt vnum; ita quod sapiens est idem quod potens, & volens & bonus. Distinguuntur enim in creaturis propter limitationem entitatis eorum. At extra limitationes est Deus; sicut calor solis in sole totus vna res, sed in planta dicitur forma, vel anima plantæ: in lapide vis lapidea: & in vino sapor vini: ita quod diuersæ sunt res in effectibus, quæ in causa sunt vna: & hoc probatum est prius: Et Scotus distinguit eas ex natura rei: sed inspexit effectus & causas naturæ; sicut nos aliquando.

Post hunc gradum ascendere licet superius: Quoniam Deus non est sapiens, sed sapientia: qui enim sapiens est, aliquo sapiens est, sicut sol est calidus calore. Deus autem est, quo omnia sapiunt; ergo sapientia est: & veritas, & potentia, & vnitas, & bonitas: & si quando inuenitur dici sapiens, ponitur concretum pro abstracto in scriptura sancta, vt rectè docet S. Bern. contra Gilbertũ, quoniam abstracta dicunt essentiam, cõcreta participationem: Ergo ex hoc palam est, Deum esse ens, quoniã omnis perfectio, vt potestas, sapientia, & amor, & bonitas, & veritas, & existentia, sunt vnum in Deo: ergo sunt ens, aut potius essentia: sed quia entitas dignissima est in eo, quod vnitas est, dicimus Deũ esse vnitatem.

Ser. 80. super Cant.

Verũ quonã Deus ineffabilis, & inexcogitabilis, remouebimus etiã ab eo vnitatem & entitatẽ, prout docet D. Dionys. & tunc intramus in caliginem cũ Moyse ad videndum Deũ: ex eo enim quod nomen entis, & vnius ex creaturis est, adhuc negandum est, prout ex his est, & nobis cognoscibile, & remanemus in doctissima ignorãtia, in qua incipimus scire: vnde Apost. ait, *Si quis putat se aliquid scire, stultus fiat, vt incipiat scire*: ô quàm verè. Nunc enim aliquid maximum, & sine fine olfacio, quàm cum discebam, Deum esse omnia, & postea esse perfectiones, & postea abstractiones, & postea entitatem, & vnitatem: ipse tamen dixit ad Moysen: *Ego sum qui sum*: & alibi: *Deus tuus vnus est*, quoniam sublimiora vocabula super Ens, & Vnum non habemus: ex his coluerunt Deum sapientissimi Philosophorum; & Deus innotescit nobis, prout capere possumus. Iam ergo vidimus, quod ille, cuius natura erat nobis omnis natura, & cuius nomen erat omne nomen, iam non est vlla natura, nec vllum nomen: ergo nihil: absit. In eo enim eleuamus illum super omnia nomina, quia omnes naturæ, & omnia nomina participant ipsum nihil, & finita sunt. Nos autem excessimus super caliginem, quam offundunt oculis nostris entia creata participatione Nihili: & sic in ignorantia vidimus aliquo pacto Deum, qui est intra nos, sed in caligine absconditus. Caligo est nonentitas ipsorum quæ nobis caliginem parit, caligo est lux Dei. Ipse enim simillimus luci est, *Et in eo tenebræ non sunt vllæ*, ait Ioannes Apostolus: & est *pater luminum*, ait Iacobus Apostolus: Et *lucem inhabitat inaccessibilem*, ait Paulus Apostolus. Et quidem sicuti res nostræ à caligine occultantur, ita Deus à nimia luce sua: solem enim, & stellas, quæ cum sole gradiuntur, nos non videmus ob lucem: sicuti hominem in nocte non videmus ob tenebras: Deus ergo occultus est, ergo vel luce, vel tenebris, sed tenebræ in eo non sunt vllæ, sed in nobis: ergo in luce sua occultatur, vt ait Dauid: *Amictus lumine, sicut vestimento.* Intimior est nobis Deus, quã ipsi nos nobis, tanquam prior, & primus essentiarum dator, & conseruator: spatium verò tanquam prius, non primum, & tanquam conseruator, non dator: Materia tanquam simul: & accidentia eius, vt posteriora. Materia ergo, & accidentia opacant notitiam nobis. Duas ergo causas non agnoscendi eum habemus, tenebras nostras & lucem eius: iam tenebras nostras excessimus: quis nos roborabit ad lucem eius? aut quis obumbrabit solem eius, vt fiat nobis apprehensibilis? sed nolo vmbras.

Io. 1. Iab. 1. 1 Tim. 6

Ps. 1.

Non modò syllogismo Metaphysico ad diuinum lumen perueniri vsque ad Dei notitiam immediatam, sed longè melius, ac citius per purificationem animæ in fide, & amore Dei: quod rationibus, & experimentis, & experimentorum comprobationibus, palam fit.

ART. II.

PROFECTO ipsamet lux illius, cum assueuerimus intueri: quæ enim cognitione discursiua nouimus, non in se illa nouimus, sed in similibus: vt enim dictum est, Sapientia est res sapere provt sunt, & eius particula est sensus exterior: sed quoniam ex parte sentimus ex qua totum, quatenus est parti simile, agnoscimus discurrendo, sicut ex particula ignis omnes ignes; & ex particula frigoris omnia frigora: & hic primus discursus certus est in similaribus, homogeneisque; sed non ad agnoscendam quantitatem, & multitudinem, nisi confuso modo; essentiam verò distinctò. In dissimilaribus verò incertior, seu minus certus; sicuti ex voce cognoscimus canem, & ex figura hominem, & ex colore niuem: idcirco sensus Sapientiæ principium habet, sed non consummationem, quoniam res in parte non in toto nouit, & in effectibus, vel causis, vel concomitantibus extrinsecisque conditionibus; ex quibus ad interna vtcunque argumentatur. Quapropter Deum; qui exterioribus non obiicitur sensibus, non nisi discursu nouimus ab effectibus, etiam discurrendo paulatim tribuendo illi esse, & perfectiones eius, & auferendo non esse, & imperfectiones, excessimus caliginē: in qua videmus per speculū in enigmate, & similitudine: omnis quippe discursus rem in simili, non in se ipsa cognoscit: sicut qui in speculo imaginem intuetur suam, & non in se. At verò possimus nè Deum intueri cognitione propria, & non similitudine sola, quis nouit, nisi expertus? Moyses, Paulus, Bernardus, Catharina, Dionysius Carthusianus, aliique multi experimento hoc gloriantur: scimus quidem oculis non posse nos videre aërem, neque Angelos, neque dæmones: quoniam cornea, vuea, & crystallinus, & aqueus humor sunt velamina abscondentia nobis res tenues, & subtiles, vnde si cribrum apponatur oculis, aut per aquam natando aspiciat, longè minus res minutas videbit oculus. Omnis enim materia partem opacitatis habet: licet enim sit in colore deuicta, transpicuaque facta, tamen adhuc continet in se opacitatem: vnde vapores etiam tingunt lucem: ergò existimandum est, quod si Spiritus extra velamina foret, multò plura videret, & interius latentia in rebus. Hoc autem possibile esse nocturna declarant animalia; quæ noctu vident, edunt, & bibunt, & longa conficiunt itinera: die verò cæcutiunt, sicut nos ad lucem solis rectam, ita ipsi ad obliquam reflexamque. Hoc autem non à vi cognoscente euenit, sed à fabrica oculorum, quæ aliter in aliis afficitur ab actiua luce: & non ineptè Arist. dixit, quòd si senex reciperet oculum pueri, videret vt puer: sed etiam Spiritum pueri, dicere debuisset, qui copiosior est aptiorque ad substantandam lucem: licet enim similis sit Spiritui nostro lux: tamen Spiritus exilis exili gaudet luce, robustus, robusta. Sapientia autem inest cunctis, vt Potentia, & Amor, sed magis, minusque, vbi non per se, sicut in Deo, subsistunt, sed in subiecta substantia limitante ad magis, minusque. Quapropter si Deus animam eo perduceret, vt oculo non indigeat, vel ab oculo omnem opacitatem ad tempus separaret, tunc posset anima videre aërem, & qui in eo volitant dæmones, & Angelos: quod multis euenisse scimus in raptu. Sed in ordinaria visione Brigida multa cernebat oculis corporalibus, latentia sodales: at non nisi sub forma corporea: sicuti Ethiopum informa dæmones tentantes Cardinales, Prælatosque, in frequentia totius populi Romani, videbat. Hoc autem quomodo possit fieri Deus scit, qui oculis, eius purgamina apposuit, aut abstulit quippiam impediens, aut formas eiusmodi representauit. In extasi autem multa vident sæpè corporalia, vt Brigida, & omnes extatici. Et hoc proculdubio fit præponendo illis in vigilia simulacra eiusmodi, qualia in somnis præponūt Dæmones, & Angeli, & Natura: ex quo scimus non esse oculum, qui videt, sed animam, quoniam & sine oculo videt: vnde fortè Deus foramen aperit in vigilia, vt videat interdum spiritualia: aut oculum purificat, & glorificato reddit similem, qui teste D. Augustino, ex puritate, & lucidicate etiam diuina contuebitur: alias animam à corpore separat. Nam S. Catharina separatum à se in raptu corpus suum se vidisse fatetur: sed hæc visio in corporalibus hæret: Sancti verò Deo chari vltra corporalia conspexerunt, & non per imagines in quibus adhuc discursus partem habet: sed in re ipsa intuendo. At quidē Dionysius immensam aspexit lucem raptus in extasim in choro Monacorum, & imagines, licet se colloquio IESV Dei fruitum dicat: & has quidem visiones frequentes habemus apud Brigidam. Verùm enimuerò Paulus, & Catharina viderunt arcana Dei, quæ non licet homini loqui: & rationem reddit Catharina, quia verba humana sunt à rebus corporeis accepta, & transposita ad spiritualia; sicut quando dicimus, quod Deus loquitur, mouetur, irascitur, habet manum omnipotentem, &c. quæ voces in veritate blasphemiæ sunt. Nec enim Deus loquitur pulmone ore, dentibus, & flatu, vti nos: nec mouetur cum sit vbique, nec manum habet, cum non indigeat eiusmodi ponderoso instrumento: vbi intelligo excessisse visionem imaginariam, & ad intellectualem peruenisse. Dico autem intellectualem non more Peripatetico, quæ est cognitio similitudinis, & non proprietatis potius quæ bestiis, quam hominis conuenit Menti; sed intellectualem more Augustini, & Bernardi, quæ est intuitus Diuinorum, & aliarum rerum

Marginal notes: In c. 1. Cā. ser. 74 in ep. ad fil. in An in ervs vel. — De Ci. uit. Dei 22.

Serm. 52. super Cant.

prout sunt, cuius particulam sensus præsente obiecto habet. Hor autem declarat Bernardus, qui tunc putat animam mortuam morte iustorum, cum à corporeis non modo separata cupiditatibus, sed & similitudinibus exuta conuersatur cum superis. *Nam si* (inquit) *transilisti carnis oblectamenta, separasti te à corpore, sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate praualeas : erras si citra inuenire te existimas secretum similitudinis, luminis serenum habitaculum pacis.* Talis excessus, aut tantum, aut maximè, contemplatio dicitur, &c. Et quidem Socrates, alij Philosophi prisci, qui argutis verborum non intendebant, Philosophiam vocabant mortē, quoniam separat animā à corpore, & superis cōiungit. Auic. eis cōtestatur. Nec quia nos id non sumus experti, negare debemus. Qui enim talia dicunt, Sapientissimi, & optimi, sunt hominum: ergo non decepti, nec deceptores ; & loquuntur experimento, non syllogismo: sed animalis homo non capit. Veniam ad Bern. qui Verbum Dei in se cognouit, & reuelauit ad profectum aliorum. *Cum sæpius* (ait) *intrauerit in me Verbum Dei, non sensi cum intrauit aliquoties : adesse sensi. Affuisse recordor: interdum præsentire potui introitum eius, sentire nunquam : sed ne exitum quidem : nec qua via. Non per oculos, quia non est coloratum ; non per aures, quia non sonuit : non per nares, quia non aëri miscetur, sed menti : Non per fauces, quia non est mansum, austerum : nec tactu comprehenditur, quia non palpabile. Quà igitur introiuit? An forte nec introiuit quidem, quia nec deforis venit : neque enim est vnum ex his, quæ foris sunt. Porrò neque de intra me venit, quoniam Bonum est ; & scio, quia non est in me bonum. Ascendi superius meum: & ecce supra hoc verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi ; & ecce nihilominus infra inuentum : si foras aspexi extra omne exterius meum comperi illud esse : si intus, & ipsum interius erat, & cognoui verum quidem esse, quod legeram Act. 17. quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus : sed ille beatus est in quo est ipsum, qui illi viuit, qui eo mouetur. Quæris eum ita sint inuestigabiles viæ eius, vnde ipsum adesse adnorum? viuum & efficax est penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vsque ad compages, & intima ossium : & medullarum : moxque vt intus venit expergefacit dormitantem. Animam meam, mouit, emollit, & vulnerauit cor meum durum, & malè sanum : cœpit euellere, destruere, ædificare, & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, necnon & mittere praua in directa, & aspera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius, &c. Verum quia hæc omnia vbi abscesserit Verbum perinde ac si ollæ ebullienti subtraxeris ignem, quodam illicò languore torpentia, & frigida iacere incipiunt ; & hoc mihi signum abscessionis eius.* Hæc & alia Bernardus propalauit de se, quæ non impius modò, sed ferus, stultusque est quicumque minus crederet : vtque ego fatear meam insipientiam longo tempore de his dubitaui, ac illusiones imaginatiuę esse fortasse opinabar. Cum post multas calamitates coactus sum ad Deum redire ex toto corde, & post lachrymas multas, & miserias, in quas ex parte incidi dæmonis dolis vexatus, in has consolationes, & illuminationes Deo miserante deueni : & præsentiam Dei non semel in me intellexi ea prorsus ratione, qua describitur à D. Bernardo : & cum repentinus me occupat vigilantem, & orantem, aut quippiam operantem fulgor illius, sentio fugam vitiorum in me, & compressionem affectuum carnalium, & neglectum omnium bonorum caducorum : ex quo intelligo potentiam eius : & ex emendatione morum, & reformatione spiritus, eius bonitatem, & decorem considero ; & semel contemplando immensum spatium luce perfusum, & stellas in eo innumeras magnitudinis ingentis, quasi mansiones licentissimas, & diuinas, & in medio earum opacam terram, quasi neuum in facie hominis : vnde consideraui Duce Deo, Terram esse carcerem eorum, qui à mansionibus lucentibus expulsi sunt. Neque enim Deus hanc opacitatem paruulam in medio tantorum luminum sine causa posuisset : & purificandam, post seculum hoc intellexi) Quanquam dubito de visione hac vltima vtrum ab ideante anima mea, an ab ideante Deo, vel Angelo addita sit) aliaque multa in eiusmodi contemplatione, quæ omnem excedit syllogismum. Intra enim & extra systemata tanta spatium locans omnia consideraui, basim corporeorum, in quo viuunt : At intra & extra spatium intelligentias, quasi Mundum, permeantes spatium & corpora, præcedentemque : & mirificam Sapientiam, & immensum amorem, quo hæc vniuntur. At extra & intra omnia hæc Archetypum Mundum, ideam Dei in Deo, Verbum, quod capit omnis Spiritus intellectus, & sine terminis extensum, & sine extensione complectentem : in quo omnia viuunt, mouentur, & sunt etiam quæ nobis mortua, torpentia & nonentia apparent : & de his alium parabimus sermonem : & curtam esse humanam Sapientiam quæ Archetypum non sapit. Curtiorem, quæ nec Mentalem : Curtissimam quæ nec Mathematicum bestialem verò quæ corporalia tantum situalis Mundi agnouit. Nec de origine vt finibus rerum Philosophatur natus in ventre Mundi, vt vermis intra caseum, non adepturus alas, quibus ad exteriora immensa peruolitet. Quapropter testimonio testium tantorum conuictus, proprioque experimento pernoui Deum esse in nobis : & nos quasi qui est in carcere, & per foramina explorat, vitro, & tunicis velata, & per murorum percussionem significat aliis, qui in aliis sunt carceribus, ita per foramina velata oculorum inspicimus, & opaco clausi corpore quid agimus ipsum regendo non videmus, nec nos ipsos, & percutiendo dentes, & labia, & palatum, & aërem, significamus aliis concaptiuis, quæ sapimus. At in nobis est Deus, & nostri causa latet, non sui : ipse enim manifestissimus est, nos autem occultati in opaco, putamus illum occultatum: multo autem stultius, cum dicimus luce sua occultari. Non enim lux occultat, sed manifestat : sed nos imbecilles ad intuitum eius in luce occultari dicimus Deum potentissimum. Quapropter transgresso syllogismo iam intuiti paululum sumus nostro, vel alieno intellectu primum Ens vnum in luce sua. Assuefactio requiritur ex parte nostra, & dispositio Primalitatum nostrarum : maximè autem

Amoris. Deus enim præſtò, nec in Amore ſecundus erit: & quidem Philoſophi per ea quæ facta ſunt ipſum venantur, & cum ſint infinita nunquam pertingunt ád finē & fallitur Auer. & Auic. qui per notitias res adeptas copulat mentem Deo. Hoc enim nec primam caliginem euadit: nec expertus eſt. Sancti verò fide omnes ſyllogiſmos ſuperegrediuntur, & credunt eſſe Deum, itaque vno quodam ſaltu totam caliginem peruolant, & in lucis oras perueniunt; quam affectuosè contuendo paſſim purificantur, & roborantur, fiuntque vnus Spiritus cum eo: & ad comprobandum idipſum creaturis ſeruientibus Creatori, ipſe etiam miraculosè imperant: & miracula ſupra naturam faciunt, quia ſuprà naturam ad eius autorem, & Dominum eleuati ſunt, vt experientia docet, & mox declarabimus, & non naturaliter, vt Auicen. putat.

FINIS LIBRI VII. PARTIS II.



THOMÆ CAMPANELLÆ PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICORVM DOGMATVM, *PARS SECVNDA.*

LIBER OCTAVVS.

QVA RATIONE CVM DICTVM SIT Deum eſſe lucem, & in luce; tenebras creaſſe poteſt: & lucem Dei eſſe altioris ordinis.

CAPVT I. ART. I.

BONVM erat nos hîc eſſe: ſed reuocant nos ad caliginem ſyllogiſmorum filij Iſraël in Montis huius radicibus tumultuantes. Si (inquiunt) *Deus eſt lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ*, vnde ortæ ſunt tenebræ, & frigus & copulentia? ſique Deus eſt lapis, & omnia ſecluſis imperfectionibus, & limitibus, eſtne corporeus lapis? Corporeitas namque entitas eſt. Reſpondemus, Deum non eſſe lucem corpoream, nec tenebram, ſed magis ſimilem luci, quàm tenebris; nec materiam, nec formam, ſed ſimiliorem formæ: nec eſſentiam, nec eſſe, ſed ſimiliorem eſſe. Nec ſubſtantiam, nec accidens, ſed ſimiliorem ſubſtantiæ: nec corpus, nec ſpatium, ſed ſpatio ſimiliorem: nec locum, nec locatum, ſed ſimiliorem loco. Non ante, neque poſt, ſed potius ante: nec corporeum neque incorporeum (ait S. Iuſtinus etiam) ſed ſimiliorem incorporeo. Nec totum, nec partem, ſed ſimiliorem toti, quàm parti. Nec numerum, nec vnitatem; ſed ſimiliorem vnitati. Nec circulum, nec triangulum, ſed ſimiliorem circulo: cum enim excedat omnia, quæ plus vnitatis entitatis habet, plus ad ipſum accedit. Quapropter dicimus tenebras eſſe à Deo creante, & conſeruante eas; ſed tamen lux Diuina, quæ excedit lucem corpoream viſibilem, à qua lux ſolis deriuatur, & à ſole omnes aliæ, vt docet Auguſtinus, non eſt contraria tenebris corporalibus, quatenus ens ſunt, ſed quatenus nonens: vnde idem Euangeliſta ait, *lux eſt, & lux in tenebris lucet*: & Dauid, *Quo à facie tua* (inquit) *fugiam? ſi aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades: ſi habitauero in extremis maris, illuc manus tua tenebit me: & dixi, forſitan tenebræ occultabunt me, &c. ſed ibi nox ſicut dies illuminabitur: & ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius, &c.* Quapropter licet in nocte ſimus, tamen intra nos eſt lux eius: quoniam lux corporea, & tenebra ab ea ſunt, quatenus enim entia contraria non ſunt: quatenus verò hoc & illud ens, contrariantur: quonian limitatio Nonentis proles, peperit contrarietatem, vt dictum eſt. Anima autem noſtra, quoniam à luce diuina emanat, & Spiritus noſter, quoniam à luce ſolari emanat, abhorrent tenebras terreſtres in oppoſitum

Ioan. 1.
Pſal. 138

oppositum esse trahentes. Sed cum Ens primum mens contemplabitur in eo omnia amabit entia: sic etiam abhorret frigus in se, sed non in Deo vt patebit. Quando ergo euasimus caliginem cum Moyse eramus in luce inaccessibili, non solari, sed Diuina, vbi tenebræ & mors, & perditio, & infernus, & omnia innotescunt. Nam per lucem Solis non omni, quoniam non contraria. Porrò dubitat August. num ante lucem Solarem visibilem, ex qua species rerum, detur etiam & lux sensitiua ex qua fiant animæ brutorum, si non sunt ex elemẽtis, nec ex elementorũ qualitatibus. Item quærit de luce mentali, ex qua Angeli & mẽtes humanæ creantur. Supra quas est lux diuina, & pater luminum; qui lucem habitat inaccessibilem. At profectò dictum est, quod lux corporalis facies caloris est, lux sensitiua est primalitatis secundæ participium, quo cõstat omnis natura, nedum animalis, & lux ipsa ignis: lux mentalis non est in elementis, & in natura, sed à patre luminum datur, hoc est cum creat Angelos & animas, de quibus in 3. p.

Deum non esse corpus, non formam, non materiam, non compositum ex ente & essentia, nec ex vniuersali, & particulari, nec ex subiecto, & accidenti: nec ex genere & differentia.

ART. II.

PRIMVM Ens non esse corpus, declaratum est prius: corpus enim patitur, & mouetur, & diuiditur, & recipit. Deus autem Actus est, mouens, indiuisibilis, & dans. Deus est vita potentissima, Sapientissima & amorosissima: corpus autem formaliter est per se mortuum, impotens, stupidum, & ab anima, & agentibus formis participat vitam, potentiam agendi, Sapientiam, & appetitum actiuum; per se enim, pati tantummodo est aptum: quod longè abest à Deo datore. Diximus autem à Deo esse corpus, & spatium, quoniam eminenter horum entitatem Deus habet, & non est forma, vt physicæ formæ. Sic enim corpus efficere non posset. Et quomodo sit vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, ex Apostolo, & Trismegisto docuimus. Quod non sit forma rerum Deus, vt putarunt Almariani: quoniam forma possidetur, & terminatur à materia. Deus autem limitari non potest. Item est conditor Mundi, vt probatum est, & melius probabimus. At artifex, non potest esse forma sui artificij: vnde Anaxagoras mentem opificem abstractam facit: id quod pudefacere debebat Manicheos, ne Deum bonum quasi victum à Deo malo irretitum in materia poneret, ex cuius particulis, vel qualitatibus animas brutorum deriuat. Totamque corpoream molem Deo, quasi vim passo, animat: omniaque sentire non participio primalitatum diuinarũ abstractarũ vti nos & Hier. & Nyss. & alij patres docent, sed diuinitatis victæ corporatione. Item in quibusdam Mundi partibus est maior, in quibusdam minor virtus, & Sapientia: si autem Deus omnium forma esset, æquè possent, & saperent cuncta, si de Deo sapimus non sicut de creaturis. Item non esset causa prima, & per se, quoniam indigeret materia ad agendum, & subsistendum. Item non esset omnium entitas effectiua, quoniam materia informatur, & non fit à forma, vt Auic. putat: & quæritur num Mũdus semper fuerit sub hac forma, vel inceperit: si semper nõ est Deus autor rerum, vt docuimus, & ostendimus: si incepit, causa à qua incœpit est Deus. Non enim casu factus sit pulcherrimus rerum ordo, illa autem non est forma mundi. Item si est forma, vel homogenea, vel etherogenea: si homogenea, totus mundus esset ignis, vel aqua, vel terra, quia non potest diuersarum essentiarum vnica esse forma simplex: si autem est etherogenea, vt forma hominis, quæ ex forma nasi, & oculi, & auris, & genarum, & manus, aliarumque partium consurgit, palam, quod non erit forma essentialis, sed accidentalis, & passiua, non actiua, resultans ex positura, & formatione quarundam rerum; vt in 1. p. declaratum est. Non enim forma actiua res difformes informare potest, differentesque res, & rerum temperies.

Si verò dicatur; quod non sit forma materialis, sed sicut anima humana in corpore humano diuersas temperies informat, & sicut lux aërem, & speculum, & nubem: Aut quod adsit sicut nauta naui. Tunc non erit ipsa prima causa rerum, sed sicut vna ex rebus ipsis: cumque rebus indigeat, vt nauta naui, & anima corpore, non est per se sibi sufficiens. Neque infinitus, quoniam à corporis limitibus finitur, vt nautæ operationes extrà nauim non extenduntur. Probatum est autem, primum Ens infinitum esse. Item non erit causa omnium. Anima enim mundi non efficit corpus Mundi, nec humana hominis, sed format tantum; Item anima quæ insidet sicut nauta, non potest esse incorporea, quoniam, vt doctè demonstrant Telesius, & Ambrosius, forma incorporea toti materiæ miscetur, vt calor ignis, & lux aëri: Spiritus ergò corporeus erit, vt Stoicorum Sententia est apud Alexandrum & Senecam: si corporeus, vel igneus, vel aëreus, vt idem dicunt. At quomodo aquam permeabit, & terram? Oportet enim animam animato persimilem esse, vt in toto versetur: si verò est corporeæ substantiæ supercælestis, quæro an omnibus corporibus mundi sit similis, vel quibusdam, vel nullis. Si nullis, cur intermanet? Si violentatur, vt maneat, non est verè Deus: si quibusdam, ergo abest aliis, nec totum gubernat, At non assignabitis partem, in qua non reluceat Dei vis, & Ars: si verò incorporea, vt Varro, & Plinius docuerunt; ergo omnia corpora permeabit. Tunc quæro, extendetur ne extensione eorum, vt calor ignis extensione, an vbique totus? si extenditur, vt

Varro fortè concedit, qui partes vniuersi vt Dei membra adorat, tunc patietur passionibus eorũ, & pugnis, & minis, & affligetur vt Deus Manicheorũ infelix, à quo fœlicitatem sibi pollicentur. Quo nihil stultius de Deo cogitari potest: sed posita tali anima in mundo, quærendus est alius Deus separatus ab huiusmodi perturbationibus, vti nos dicimus. Si verò est in qualibet parte tota hæc anima, nos assentimur, & dicimus, hanc esse Deum; sed contendimus, alias intelligentias illi subesse in ministerio: & non informare, sed formare.

Quod autem Deus non sit compositus ex materia, & forma, patuit, quoniam esset in potentia respectu materiæ: nos autem ostendimus esse actiuissimum, & longè magis quàm calor, qui subitò montes; & ciuitates subuertit in pûluere bellico, vel quàm anima, quæ in ictu oculi totum cogitatione permeat mundum: quod autem materiam habet, tantum non potest. Præterea erit Ens, & Agens per participationem, non per se; compositum enim habet ab alio formam, & per formam est ens, & agens, & non per se. Non enim ignis per se calefacit, sed calor: potius ergo Deus sit calor, quam ignis, & actus, quam compositus ex potentia, & actu. Item compositum est posterius suis componentibus, & ab alia causa adunatur. Deus autem primum Ens est, & prima causa.

Nec componi Deum ex vniuersali, & particulari, sicut homo, & Petrus. Aliud enim addit Petrus supra hominem, scilicet hæccheitatem, & limitationem naturæ in hoc; sed in Deo idem est Deus, & hic Deus, quoniam illimitatus, & infinitus: si infinitus ergò vnus, ergò non habet vniuersale, & particulare, nec actu, nec potentia. Infinitum enim non potest participari, & multiplicari in aliena materia, vel entitate extra se, cum nihil sit extrà illud. Igitur idem est Deitas, & Deus, Sapientia, & Sapiens, non autem idem humanitas, & hic homo, & color, & coloratus, vt dictum est ex Bernardo. Abstractum enim Vniuersale est: Concretum particulare, & hoc.

Ex eadem radice patet, non differre in eo esse, & essentiam: siue esse sumatur pro actu essentiæ cum Thomistis, siuè pro realitate cum Scotistis, siue pro extrinseca adiacentia, in quo quodlibet existit, vt nos dicebamus; ex eo enim, quòd Deus est purus actus & nullam Potentialitatem habet, sequitur quod essentia eius non actuatur, sed sit actus eius: item ex eo, quod est per se vnum: ergo non totum, nec pars, nec simile, nec dissimile, nec existens in se, nec in alio, probat Parm. & nos in lib. 7. quod non est compositio vlla in Deo: ergo nec ex essentia & existentia. Item ex eo, quod est ens per se, non participat esse ab aliquo actu: esset enim actuatum, & non actus: ergò per participationem, & non per essentiam. Deus autem per essentiam est: & non recipit esse aliunde, nec dat esse sibi: quoniam si daret esse, illud haberet: & si non haberet, vnde reciperet? & si haberet esset antequam esset, quoniam per esse est: Vnde S. August. & Thomas docent abusiuè dici, Deus subsistit: quoniam subsistere est sub suo actu esse; & non ipsum actum. Item, quod non est in potentia ad aliquid, non componitur ex actu, & potentia vnquam: neque ex eo, quod habet, & quod non habet. Item Deus est infinitum Ens, & nihil adiacet illi, & à nullo substinetur loco, in quo existat, nec in tempore, quo existat: ergò existentia eius est in se, & est ipsemet Deus: aliàs limitatus esset ab extrà, in quibus existit actu: vnde notanter nec Deum esse concedit Parmenides, ne fortè concedat esse in se, vel in alio, & separari à se, vel ab alio, illum faciat: vnde videtur propè caliginis limen emersisse cum spiritu Moysi.

Ex his palàm est, in Deo non esse compositionem accidentis & subiecti, quoniam accidens, vel causatur ab intraneis principiis, vt Proprietas: vel ab extraneis, vt separabilia accidentia: in Deo autem nihil est causatum: & cum emanet Amor à Potentia, & Sapientia, emanat vt idem, & non effluit foras, vt dictum est. Ab extrà autem Deus nihil potest pati aut recipere. Non enim est in potentia passiua, nec agens superius habet. Nec actus purus potest aliunde actuari; nec infinitum finiri. Item nullum ens est extrà essentiam eius, aut extrà Sapientiam, aut extà voluntatem; ergò nullum est accidẽs illi: & propterea August. & Thom. docent Deum non posse dici substantiam, quoniam substaret accidentibus: hoc enim est de ratione substantiæ, nisi abusiuè, & ad quod.

Quapropter nec ex genere, & differentia constituitur, quoniam non est sub aliquo genere: quia sic esset vnum Ens, quod non alia, ergò finiretur. Differentia autem magis coarctaretur; id quod infinito repugnat. Declarauimus etiam in eo esse perfectiones omnium rerum, & illimitatas: ergò à nullo, differt: sed docuimus ab omnibus differre, quatenus imperfectionem & limitem, & nihilitatem participant. Ergò non est substantia, nec accidens, sed continet omnia genera, & non habet definitionem, quoniam non clauditur vocabulis vllis, sed omnia circuit, neque demonstratur per causam, sed per effectus suos.

DVBITATIO DE EXISTENTIA DEI, ET *prima Responsio, quod sit in omnibus totus, non sicut punctus, sed sicut continens omnia, & non ab vna redeclarari, sed ab omnibus, & præcipuè à spatio, & ab intellectione animæ.*

CAP. II. ART. I.

Vt autem Diuinum esse, prout nobis innotescit, intelligitur, nec dubitatio remaneat in eo, quod diximus, Esse, & Essentiam esse idem in eo: quoniam vt nos philosophati sumus, esse videtur quid extraneum, in quo res, & quo res est: declarandum est nobis, vtrum Deus sit in alio, & quomodo intelligitur, quod sit in omni re, & vbique, & tamen esse eius vbique non distinguitur ab essentia, vt in nobis: siquidem esse Petri in platea, & in mundo, & hic, & hoc tempore, est aliud ab eius essentia, quoniam determinatur ad aliud; quomodo autem Deus est in rebus, & hæc existentia est idem cum eo? & quomodo simul potest esse in cunctis rebus? Item cum sit indiuisibilis, & totus in vno loco, sicut punctus in vna parte lineæ, quomodo potest esse in aliis locis? Non enim idem punctus in alia linea, vel parte esse potest. Equidem doceri, quàm docere id mallem. Non enim inuenio Doctorem, qui id resoluat.

Dicunt quidem, Deum esse indiuisibilem non quantitate, sed essentia, & sicut albedo est tota secundum essentiam in qualibet parte superficiei, sed diuiditur secundum quantitatem per accidens. Ita Deus est vbique totus secundum essentiam, non tamen diuisus per accidens, vt albedo, quia non superextenditur quantitati.

Sed hoc non satisfacit: posita enim albedine infinita, & sine subiecto, adhuc intelligitur in spatio, & alicubi esse: si verò indiuisibilis fiat, vt punctus erit, & in omni re inueniri idem nullo pacto potest.

Sed profectò indiuisibilitas Dei quasi per punctum declaratur ab Orig. quoniam est principium linearum, & superficierum & corporum: & hæc sunt in eo eminenter, & ipsum in eis, & vbique: & profectò infinitum solum punctum esse videtur, non autem alia entia: probauimus enim infinitum non dici de quanto numerali, nec magnitudinali nisi æquiuocè, vt dicit immensitatem respectu hominis metiri non potentis. sed essentialiter dici de primò incorporeo, incorporeorum & corporeorum principio. Sed cum punctum sit principium, & vbique in rebus corporeis vbi habet situm, & in incorporeis sit vnitas, videtur habere infinitatem & principalitatem in cunctis, & Dei imaginem; & solum esse infinitum: & per ipsum Deus declarari posse. An forsan melius per spatium, in quo vniuersitas rerum sedet: quod nimirum neque percussionem, neque diuisionem, neque aggrauationem, neque alterationem, neque corruptionem, neque generationem patitur, & omnia continet; & à nullo continetur. Veruntamen diuiditur imaginatione, quoniam dimensiones habet, licet immateriales: est enim longum, latum; & profundum immaterialiter: & basis intrinseca omni corporeitati commensurabilis; à quo si abstrahas dimensiones passiuas, similitudinem Dei præclaram elicies in punctum. Sed insuper oportet illi addere caloris actiuitatem, & Animæ velocitatem. Neque enim Deus re ab vlla repræsentatur, sed à cunctis simul, quoniam cunctarum ipse est causa. Colligamus ergò perfectiones, & euellamus imperfectiones, & Deum vtcumque inueniemus.

Vniuersale quoque animo conceptum ipsum ostendit, vt S. Iustinus ab Idea percepit. Homo enim consideratus extra hecheitates, vbique est; & animá vbique ipsum intelligit, & indiuisum essentia, quoniam est animal rationale vbique, non autem quantitate, qua caret, quod si tanta vis inest animæ, vt ideam hominis eiusmodi consideret, multo maior vis inest primæ causæ, vt sit. Anima enim quatenus eius est proles, tantum potest: & licet non sit verè vbique, sed non repugnanter, vt alij dicunt, tamen ab anima vbique ponitur, & cogitatur. Nec potest cogitare sic, nisi quia in Deo vbique Ente cogitat, & videt, occulto sibi, ac simul manifestissimo, vnde similiter ipsa anima vbique videtur esse cogitando simul omnia entia; & licet illa potius sint in ea, quàm eá in illis, tamen res quoque intelligit extra se, vt quod, & ad eas refertur, teste Ambrosio. Præterea similiter res potius sunt in Deo, teste Augustino, quam Deus in illis, & simul in Deo est Anima intuens illas, quoniam in ipso viuimus, mouemur, & sumus, & ab ipso, & non ipse in nobis, aut à nobis.

Ostendit autem Deus se esse in cœlo ob mirabilia, quæ ibi facit, & in terra, & in formica, in qua tot partes, & membra fabricatur tenuissimo artificio, vt totus in ea videatur esse, & non alibi: & simul in profundo maris tanto magisterio format Echinos, & conchilia: omitto cætera, & alia innumerabilia, quæ simul vbique fiunt, & conseruantur, vt semper totus in vna sola re videatur. Quapropter fides euidens est, quod sit in omnibus, nisi obstent huic sermoni monstra, & peccata, quæ eius ad gloriam pertinere etiam docebimus.

Deus propterea omnia penetrat, quia est basis

& faſtigium omnium, & ante omnia: non autem penetratur, quoniam poſterius non poteſt in prius, ſed è contra. Anima quoque ob Primalitates penetrat, non Deum, ſed omnia corpora, & ſpatium, & non penetratur ab his. Spatium penetrat corpora, & non ab eis diuiditur penetratione, vti ipſum etiam diuidit corpora, ſed non animas. Corpus diuiditur ab anima, & à Spatio penetratione, & non diuidit niſi corpora adiutum tamen Spatio formaliter, & Primalitate actiuè. Primum ergò eſt Deus, & diuinæ res, Primalitatibus puris conſtantes; vt Mentes: Secundum eſt Spatium, tertium corporea moles, quartum vires corporales, & formæ: tandem paſſiuæ, & ſemper prius poteſt in poſterius, & non è contra. Propterea Mens omnia capit, & à nullo capitur, & Deo eſt proxima, cuius lumine omnia videt, nec tamen ſolem talis luminis videre poteſt: quia, &c.

Deum eſſe in cunctis rebus, & locis per eſſentiam, quomodo intelligitur: & hanc exiſtentiam non differre ab eius eſſentia, quoniam eſt rationis, non rei: ſed potius res, & locum eſſe in Deo.

ART. II.

EST quidem in omnibus, vt dicit S. Gregorius, per Potentiam, quoniam omnia eius regiæ poteſtati ſubduntur: & per præſentiam; quoniam eius ſapientiam, & prouidentiam nihil effugit: & per eſſentiam, quoniam dat eſſe rebus omnibus. Et quidem hæc quatrant Metaphyſicis Primalitatibus noſtris, ſi addas per Amorem; quoniam vt ait Sap. 11. *Nihil odit Deus eorum quæ fecit, ſed omnia diligit, quoniam bona ſunt à valde Bono.* Sed Theologi diſpenſant hunc modum ſolis creaturis rationalibus, & dicunt per gratiam. At quidem per gratiam generalem omnibus adeſt. Nunc autem quomodo per eſſentiam eſt, examinandum manet.

Eſſe quidem in aliquo multiplex eſt, aut ſecundum ſitum, vt homo in platea; aut ſecundum naturam, vt humanitas in Petro, & Petrus in Ioanne, quia ſunt eiuſdem naturæ: Aut ſecumdum virtutem, ſicut Rex in Prorege, & Sol in terræ viſceribus operatur: aut ſecundum Suppoſitum, ſicut Rex in tribunali per ſe iudicans dicitur eſſe immediatè, agens immediatione ſuppoſiti, & non virtutis modò; ſicut quãdo agit per Proregem. Dicimus ergò Deũ eſſe in omnibus, quoniã operatur in omnibus immediatione Principij primi, quo nullũ prius, vt docet S. Thom. 2. cont. Gent. 70. & ſuppoſiti, dans illis eſſe, ſicut Sol dat lumen aëri, & ſimiliter conſeruans: ſed non ſola immediatione virtutis, vt putat Auicennas; neque ſitu, vt Stoici; neque natura, vt Plinius. Ad operationes verò rerum concurrit immediatione virtutis, quia cum eis agit, non in eis modò, vt diximus contra Arabes: & hoc eſt per eſſentiam in rebus eſſe, ideſt largiri illis eſſe, & conſeruare immediatè: eſſe enim eſt ante hoc & illud eſſe. Per potentiam verò eſt dare vim, & adiuuare, vt poſſint ſuas operationes facere immediatione virtutis.

Sed ſi Deus omnibus dat eſſe, & cum omnibus operatur, vnde Mors, & peccata? iam diximus, à cauſis ſecundis operantibus non ex virtute Dei, ſed ex infirmitate propria. Nihilitatis ſobole, Deo permittente, non agente; ſicut tibia non claudicat actiuæ virtutis vitio, ſed ſuo: & lignum habet nodum, & ferrum rubiginem, non à lignario, nec à ferrario, ſed à propria conditione. Sic & res non à Deo, ſed à Nonente, vnde ortæ ſunt, vt poſſint non eſſe, & deficere ab eſſe, & ab ordine. Nec tamen extra Dei ordinem vniuerſalem vadunt, ſed extra particularem. De quibus inferius erit ſermo.

Sed non videtur Scoto Deus eſſe in cunctis rebus, quia dat eſſe; ſufficit enim vnaquæque res dare eſſe proprio effectui, vt bos boui.

Cui reſpondent, dare quidem eſſe per accidens, non per ſe primò, vt bos facit bouem, non autem ens, niſi quatenus accidit fieri ens, dum fit bos: Melius dicerent, dare hoc eſſe, non autem eſſe, vt Deus: eſſe autẽ præcedit hoc eſſe. Item in omni actione præſupponitur eſſe materiale, aut eſſentia: quæ non niſi à Deo eſſe poſſunt; ſimilitor autem, & conſeruari: effectus enim dependentes à cauſa in fieri, & in eſſe, non poſſunt eſſe, nec fieri abſque illa: ſed quæ pendent in fieri tantum, ſicut domus à fabro, poſſunt eſſe, quoniam ſeruantur ab eo, à quo dependent in eſſe, hoc eſt à lapidibus, & cemento, & lignis, eſſe domus conſeruantibus in ſe virtute Primæ cauſæ, in qua ſunt omnia. Cum autem entia pendeant à Deo in fieri, & in eſſe, ſicut lux aëris à ſole, ipſo non conſeruante annihilarentur, vt dicit Auguſtinus, & Gregorius. Sed cauſa agens, & conſeruans eſt ſimul cum cauſato, idcircò Deus eſt in omnibus rebus primitùs, & intrinſecus; vt dans, & conſeruans eſſe, & operationes earum. Similiter Deus dicitur eſſe vbique, quia ipſe dat eſſe loco, & poſſe locare, non quia replet locum corporaliter. Sed quia eſt ante locum: in ipſo enim locus eſt, potiori tamen modo, quàm localiter. Nos autem dicimus omnia eſſe, & operari propter Deum, & in Deo: & quidem verius eſſe in Deo res, iuxta Apoſtol. *In ipſo viuimus mouemur, & ſumus,* quàm Deus in rebus: ſic enim videretur habere aliquam exiſtentiam aliam ab eſſentia ſua. Nec modò quia produxit eſſe materiale, & conſeruat eſſe in rebus, quæ fiunt; ſed quia etiam dat illud eſſe, quod ab inuicem res habere videntur. Cum enim bos generat bouem dat illi ſimilitudinem propriam, non ſicut agens principale, ſed ſicut inſtrumentum Ideæ: ſic ſigillum, & fiſcella dant formam caſeo, vt inſtrumenta opificis, facta ad hoc opus;

videmus enim animalia interdum sponte nasci absq; agente vniuoco, & tamen ad ideam primi agentis sunt. Scimus præterea bouem nescire fabricari bouem; nec hominem hominem. Nunc enim quando sapientissimi sumus, vix summo studio intelligimus quot partes sunt in corpore humano, & quibus deseruiunt vsibus: quanto minus ergo vis seminalis stupida intelligit fabricam, quam facit? ergo ab alio regitur, vt possit fabricari animal; & semen plantæ plantam. quapropter bos bouem non facit idealiter, quoniam voluptatem solam sectatur in coïtu; neque cogitat, qua ratione alter bos fingendus sit in vtero vaccæ: sicut neque homo. Sed Deus vtitur voluptute ad emungendum ab eo semen, quo fabricatur bouem. Vnde Iob acutissimè dixit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me*, &c. *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle & carnibus vestisti me*, &c. Et Dauid ait: *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Vnde vtrique Prophetæ, sicut & mulier illa Machabea fatentur fabricam corporis, & organum non pertinere ad generantem causam, nisi sicut instrumentum, sed ad primam causam, sicut Agentem, & Idealem simul.

Præterea omnia agentia naturalia, & artificialia mouentur ad agendum vel dolore, vel voluptate: voluptas autem est sensus boni, & conseruationis, hoc est entitatis: dolor verò sensus destructionis, & nonentis: sed à voluptate mouentur sponte: à dolore violenter; & quia amant conseruationem, cuius sensus est voluptas, fugiunt dolorem, qui est sensus destructionis. Quapropter tã dolens, quam gaudens causa, dum agit, mouetur gratia boni conseruantis. Dolor enim indirectè nos impellit ad conseruationem, voluptas directè. Bonum autem summum Deus: ergo ab eo omnis bonitas: ergo ipse est, non modò causa actiua princeps, & idealis, sed etiam finalis in generatione bouis. Bos ergo non dat esse boui, sed modificat actionem dantis esse, vt fiat hîc, & nunc, & hoc modo: & secundariò facit, & instrumentaliter, vt dictum est: sed in simplicibus actionibus hoc latet magis. Mistorum enim generatio est similis artificiali: ideo patet in eis differentia artificis, & instrumenti: sed quando calor facit calorem, manifestè simile facit simile, non educendo de potentia materiæ (nam frigus frigefacit vinum, in cuius interno gremio inest adhuc calor: Non autem potest educi contrarium de contrario; & hoc in 1. lib. probatum est) sed effundendo, & multiplicando seipsum: Vbi videtur Deus immediatione potentiæ, & non suppositi concurrere. Non enim homo genitus ab homine est Deus: sed homo: effectus enim gerit imaginem substantialem suæ causæ immediatè immediatione attingentiæ, & omnis effectus particularis sic est: vnde ex causa necess. & contingenti oritur effectus contingens, quoniam hæc est immediata. Et idem dicendum videtur in generatione bouis; nam licet formatio, & finalitas sint à Deo principaliter, tamen calor seminis ex calore bouis aucto fit per multiplicationem, & corpulentia ex corpore. At quoniam generatio corporis non datur, sed transpositio diuisio, & formatio: corpus enim creatum est, & semper idem perseuerat, de calore seminali quæstio nos moratur. Respondemus calorem & frigus esse instrumenta opificis primi, & aliquam habere propriam actionem quatenus instrumenta; hanc autem esse calefacere, & frigefacere, ad quam concurrit Deus immediatione virtutis, sicut ad scire immediatione sapientiæ, ad amare immediatione voluntatis: Et Deum dedisse essentiam, & potentiam calori, & secundum illam nunc seipso amplificari calorem, & acquirere nouam existentiam, sed non essentiam, quoniam vna est essentia omnis caloris, sicut & hominis, sed immediatione suppositi concurrere Deum vt causa finalis, & idealis non vt effectiua in his, nisi sentias de immediatione principij. Attenuare autem, mouere, & albefacere, quæ calefactionem sequuntur itidem se habent, quoniam non requiritur actio spiritalis superans vires instrumentorum; sicut in constitutione bouis, & plantæ, quæ non intenduntur à calore, sicut ille; sed de his cum dicemus de influxibus magnis.

Redeuntes ergo dicimus, Deum esse in rebus, quoniam res sunt in eo, magis autem locus qui est illi similior: & hoc ostendi ab effectu, quia dat esse, & causationem, & operationem, & conseruationem cunctis simul vbique: ergo non habet existentiam extra se, nisi per accidens, hoc est, quia effectus eius ipsam habent. Nec est in eis, nisi vt agens, nec abest ab eis situ, sed natura: nec natura, nisi quatenus res habent de nonesse: quoniam quatenus sunt, Dei natura est omnis natura, vt declaratum est eminenter: sicut enim eius bonitate sunt bona apud Theologos, ita entitate entia: sapientiâ sapientia; potestate potentia; amore amantia, &c. participialiter, & entitatiuè.

DE TEMPORE, ÆVO, ET ÆTERNITATE
Et Deum esse ipsam æternitatem, nec existentiam habere adiacentem in æternitate, vel tempore.

CAP. III. ART. I.

PRIMVM Ens non est in tempore, neque in æternitate, neque in æuo, vt existentia eius ab essentia seiungatur: sed ipsemet est æternitas sua: æternitas enim est duratio semper inem manentis rei, carens principio & fine. Tempus autem est duratio successiua rei, principium, finemque habens. Æuum verò est duratio rei permanentis secundum substantiam, carentem fine, non autem principio. Hæc omnia ex notioribus patent. Ideo enim aliquid est in tempore, quia prius, & posterius habet: Et quoniam substantiæ innotescunt ab actionibus, quæ sunt ipsæmet effusæ, actiones docent, quid sit esse in tempore. Videmus quidem à potentiori agente eandem actionem fieri in breuiori tempore, quàm à languidiori. Item vbi duæ

æque validæ causæ agunt in materiam æqualem, eodem tempore absoluunt actionem; at in materiam inæqualem in breuori tempore illa perficit, quæ in materiam minus repugnantem agit, vt citius ignis liquefacit ceram, quàm alter ignis æquipotens plumbum: vbi patet tempus esse successionem actionis. Nam sol illuminans aërem, absque tempore dicitur illuminare, quia sine successione: vt ergo sit successio in re, accidit ab impotentia agentium: vnde patet, Deum, cui nihil resistit, & nullis limitatæ finibus vires adsunt, absque tempore operari: & vt dicit Iacobus Apostolus: *Apud Deum non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* Hoc enim tempus est per vices agere, & esse: cum enim calor calefacit, non statim ignit, sed paulatim: & in hoc paulatim est ipsa vicissitudo, & successio entitatis ad entitatem: nam ad vnum caloris gradum alius succedit: ita quando ambulat homo, in tempore ambulat, quoniam non totum simul se transfert quò vult, sed per passus, & pedes, & digitos succedendo, & addendo vlterius citeriori: ex quo innotescit, ea in tempore esse, quæ in successione sunt: quod palam est: dicimus enim, res transmutabiles mensurari tempore, quando nascuntur, crescunt, senescunt, & ætas ætati, & actus actui, & passio passioni succedit: & idem actus non totus fit simul, sed per partem post partem. Annum quoque tempus vocamus, quia succedit veri æstas, æstati autumnus, autumno hyems, & mensis mensi, & dies diei, & hora horæ: hoc autem à motu cæli euenit, præcipuè autem solis; non quia tardissimi, sed quia potentissimi omnia immutare, à quo idcirco tempora vicesque: & quia notissimi, dignoscimus. Magis enim in tempore est luna, quam sol, quoniam plus successionis habet, tamen à sole tempora nos consideramus. At si motus solis tous fieret in instanti, non diceremus ipsum esse in tempore. Quare patet tempus esse prolem nonentis, hoc est impotentiæ. Ex eo enim, quod non possum esse simul in domo, & in platea, tempus intercidit eunti à domo in plateam: quod si facerem, vti lux, subitò absque tempore irem: hoc autem non facio, quia non possum: successio ergo est filia impotentiæ, ergo & tempus: & quoniam in motu & mutatione est fluxus, & forma fluens, vt calor in calefactione ipsius caloris fluxus: fluxus autem ab impotentia est, quia paulatim oportet agere: Anima enim, quæ subitò transilit cogitatu sine tempore dicitur operari interdum, vel in minimo. Idcirco tempus est ipse fluxus: & quia omnis fluxus est fluentis formæ vel rei, ipsum Nunc est ipsa forma fluens, vel eius entitas. Quapropter singula entia habent singula tempora, & Nunc propria: sed tempus vniuersale est ipse cœli motus tanquam deferens omnes mutationes: & Nunc est mobile, vt sol. Hinc patet error eorum, qui dicunt tempus fluere ab æternitate: Æternitas enim permanentia est, & à Potestate valida emanat: tempus verò ab impotentia: sed quia ipsum Nunc est entitas rei temporalis, & omnis entitas est participatio primi Entis, & æternitatis. Idcirco concedi potest in hoc sensu, quod tempus fluat partim ab æternitate.

Hinc etiam incusare licet Arist. qui dixit, tempus esse secundum essentiam suam mensuram motus: cum quidem esse mensuram competat ei non secundum naturam, sed secundum animã nostram, quæ vtitur tempore pro mensura: sed quidem omnis mensura propter id, quod est mensura, est secundum se aliquid, vt palmus est mensura panni, secundum nos, sed secundum se est manus expansa: & metreta est vini mensura nobis, sed sibi est vas tantæ capacitatis. Prætetea neq; tempore mensuramus motum: sed ipsomet motu solis, vt notissimo: & ipsas quoque quietes mensuramus motu, & motus quiete, prout prius & magis ex eis vnum offertur: aliud ergo est tempus, quàm mensura motus essentialiter.

Quoniam verò de substantia temporis est successio, & hæc est ab impotentia mista potentiæ, consequens est, vt temporalia principium, ac finẽ habeant, nisi per circulationem reficiantur, quæ est à causæ reuersione. Hinc etiam patet, Angelos, & entia intransmutabilia, quæ non habent successionẽ vt spatium; & huiusmodi eorum substantia esse extra tẽpus: At quia habent operationes, actiones, receptiones: in quib. est successio, partim sunt in tempore, partim extra: & hoc est æuũ: & in quo sunt in tempore, habent principium, & finem ipsæ actiones: ex quo non sunt in tempore, æuiterni sunt, & carent fine, non autem principio: quoniam entia huiusmodi sunt finitæ naturæ, & per consequens ab alio originem habent, & per illud possunt quoque non esse, licèt non per se.

Quapropter quoniam primum Ens nullam patitur nihilitatem, neque impotentiã: ergo nullam habet successionem, neque in essentia, neq; in operatione: operatio enim est essentiæ index: ergo æternũ est: Et quia diximus tempus esse fluxũ rei, qui est ipsa res fluens, sed vt res est potentia; vt fluens impotẽtia: si in Deo non est fluxus, sed res permanens: ipsa res permanens est æternitas, & distinguitur ab eo sola ratione nostra: secundum quam seculum infinitum intelligimus à re in seculo existente distingui: & vocabula hæc sæpe confundimus. Patet ergo Deum non habere principium, neque finem, quoniam per se permanens est, infinitumque expers successionis.

Eandem æternitatem declarat Immutabilitas: quæ enim mutantur, successionem habent. Deus autem, communi Philosophorum, & Nationum consensu, non mutatur. Item omnis mutatio aliqua mors est, vt mutatio substantialis, mors substantiæ: mutatio loci est mors illius localitatis, & acquisitio alterius: mutatio operationis est mors operationis. Quod non fieret, nisi ex radice nihilitatis; illud enim vadit ad nonesse, quod habet in se nonesse aliquod: simile enim ad simile semper it: Deo autem nulla mors adscribi potest, quia nulla nonentitas in eo est, nec esse potest: cæteris verò cunctis potest: Vnde Apostolus ait de Deo: *Qui solus habet immortalitatem.* *1. Tim.* Hoc patet argumentis multis: quoniam est purus actus absque potentialitate: & quod mutatur, aliquid acquirit, & perdit: Deus autem nihil perdere, aut acquirere potest, alioquin non esset Deus.

Item non mutatur à se, quoniam non seipsum ab optima dispositione mouet; neque ab alio, quia non datur aliud potentius: neque æque potens: & cùm sit infinitus extra se ire non potest. Quapropter non habet aliquid ante se, neque extra se, neque post se; neque futurum, neque præteritum est in eo: Quod enim idem semper permanet (vt dicebat Dauid) non deficiet: qui autem transit de præterito ad præsens, & ad futurum deficit: ergo extra tempora est, & claudit illa sub se; & quæ futura sunt, & præterita, sunt illi præsentia: sicuti qui est

ſuper turri circumdantes turrim, & gyro vagantes videt ſimul omnes: qui autem ſub turri, videt præſentes, qui tranſeunt coram ſe, ac futuros habet, qui venturi ſunt ad ſitum eius: præteritos, qui tranſierunt; ita Deus in turri ſuæ eminentiæ omnia habet præſentia, nos verò in imo nequaquã. Hanc aſcendamus arcem, & ita eſſe videmus. Deus ergo æternitas eſt, & nullo pacto in tempore, & eſſe eius ante tempora, eſt verius eſſe ſupra tempora, vel extra tempora circumdans ſimul præſens, præteritum, & futurum, tanquam Rex ſeculorum: vtque Dionyſius inquit, eſt ipſe Deus ſeculum ſeculorum, & locus locorum, vt dictum eſt prius.

QVÆSTIONES MVLTIPLICES, QVIBVS videtur probari Deus eſſe in tempore: & mutabilis, & non idem ſibi; & differre in eo Poteſtas, Sapientia, & Amor, & Actio, & Eſſentia: & neceſſariò agere, non liberè, & finitus eſſe.

CAP. IV. ART. I.

SED hæc videntur pulchra dictu, non tamen omnibus, ita ſe habere. Deus enim poteſt facere, vt præſentia non ſint, non tamen ne præterita non fuerint: ergo præteritum ineſt illi, ſicut nobis, ergo & tempus. Præterea ens infinitum habet potentiam, & ſcientiam, & amorem infinitum, ſed Deus multa non poteſt, vt peccare, mori. Item ea quæ non facit, non videtur poſſe: ſi enim facit omnia, quæ poteſt, cùm omnia ſint finita, indicant ipſum eſſe finitum: ſi non facit omnia, ergo illa non ſcit facere, aut non vult: ergo voluntas, aut ſcientia eius limitatur ad quædam. Præterea ſi poteſt meliora facere, quàm quæ facit, & non vult, aut neſcit, ſequitur idem: ſi verò non poteſt, etiam idem. Item quędam facit heri, quædam hodie, quædam cras: ergo eius actio eſt temporalis: ergo & eſſentia; neque enim actio non ſimilis eſt agenti, & mutatur de non agente in agentem. Si dicas id à voluntate eſſe: ergo voluntas eius temporalis eſt: ergo & ſapientia, & poteſtas, à quibus manat, & quibuſcum eſt vnum & idem. Nam ſi diuerſa, ipſe non erit vnitas prima, nec Deus.

Præterea dicitur mutari de ira in miſericordiam, & quod peccatores illi reſiſtunt, & ſeſe Deos faciunt in contemptum eius. Similiter & dæmones; & Deus expectat tempus ad operandum, & miſerendum, & puniendum in ſcripturis S. & pœnitet, &c. Præterea, ſi facit, & vult, & ſcit aliqua extra ſe, afficitur ab eis, & alienatur extra ſe. Item præſtat (ait Ariſt.) multa ignorare, ne vileſcat intellectus Dei, & permittit mala in inferioribus, quoniam non reſpicit illa, aut ociatur: & Aphrodiſeus probat, quod ſi mundus eſt corruptibilis, non poteſt à Deo fieri incorruptibilis, & ſeries cauſarum non ſtat, quoniam contingentia frangitur. [11] Item voluntas Dei non concordat intellectui, quoniam multa ſcit, quæ non vult. [12] Et tandem ait Niphus, vel ita agit Deus, quod ipſum aliter agere, egiſſe, & acturum eſſe; eſt poſſibile, vel impoſſibile; ſi poſſibile, [13] ergo ipſe mutabilis: ſi impoſſibile, ergo neceſſariò agit, & non poteſt plura agere: ergo limitatus, & finitus: ergo temporalis: & eius æternitas eſt tempus infinitum, & ſucceſſio perennis. Item ſi futura Deus nouit vt præſentia: ergo omnia erunt neceſſariò, & tolletur contingentia, & libertas, & lex: [14] præſentia enim cùm ſunt, neceſſe eſt eſſe: ſi autem erunt contingenter, mutatur Dei ſcientia, quoniam aliter eſſe poſſunt ac ipſe nouit. Præterea Dei voluntas eſt eius eſſentia, ſed voluntas mutatur: [15] nunc enim præcipit vnum, nunc aliud: nunc generat rem aliquam, & vult eſſe; nunc corrumpit, & vult non eſſe: ſi autem quis dicat, voluntatem non mutari, cum immutabile ſit, neceſſarium: omnia autem volita eius finita ſunt, ergo erit finitus. [16] Item ſi neceſſariò ſcit, ergo neceſſariò vult, cum voluntas & ſcientia ſint vnum; ſed multa ſcit facere, quæ non facit, quoniam non vult: ergo [17] aliud eſt voluntas à ſcientia: ſi verò neſcit, aut non poteſt, idem & alia inconuenientia ſequuntur. Has propoſui quæſtiones; vt quoniam eſſe Deum potentiſſimum, ſapientiſſimum, & amoroſiſſimum, declaratum eſt, nunc quidditas, & qualitas potentiæ, & ſapientiæ, & amoris eius declaretur.

Fundamentum ad quæſtiones ſoluendas: quæcumque poſſumus, facimus, ſcimus, & volumus, non per accidens illa ſcimus; & noſtri gratia cætera poſſumus, ſcimus, volumus, aut per nos.

ART. II.

QVONIAM declaratum eſt in 1. lib. ea nos poſſe, quę ſumus: non enim poſſem facere hominem, niſi eſſem homo: neque ſcribere, niſi ſcriptor eſſem: & ea facere iterum, quæ poſſumus, & ſumus: ſi enim facio ſcripturam, ſum ſcriptura in mente: & calor faciens calorem, & homo hominem, eſt calor, & eſt homo: ſed res facta diſtinguitur à faciente, quoniam extra ſe recipitur, & alienatur, & diuerſitas loci, & materiæ videtur eſſe cauſa alienationis, & multiplicitatis: & iam dictum eſt eſſentiam eſſe actionem ſtantem, &

actionem formam fluentem.

Quæ autem facimus per accidens non sumus, vt mortem, & peccatum: sed enim hoc prouenit à nonesse nostro, quo sumus constituti, vt ex ente. Vnde sapientia Salomonis, hominem non posse facere Deos immortales, docet, quia est ipse mortalis. Quæ diximus de Potentia, de Sapientia, & Voluntate, similiter patuerunt. Non enim scimus, neque volumus, nisi quod sumus essentialiter, vt nosipsos, vel accidentaliter: sicut quæ extra nos volumus, & scimus; quæ sanè intantum volumus, & scimus, in quantum nos illa res scitâ, & volita facti sumus: ergo in quantum sumus. Cognosco enim lapidem quatenus meipsum cognosco à lapide mutatum; & volo panem in quantum volo meipsum, pane affectum, & seruandum: & diligo amicum quatenus diligo me, affectum amico. Hæc omnia probata sunt in superioribus sermonibus. Multa tamen scimus per accidens, vt nonentia quatenus tia scimus, & quæ non vidimus per ea, quæ vidimus: & hæc visio est discursus, sicut, video fratrem in simili meo fratri, vel in dissimili contrarioque: sic multa volumus, quia similia illis volumus, vel quia conferunt volitis, vt volo sanitatem, ergo & medicinam, quia confert sanitati.

Deum esse, posse, scire, & velle, & producere infinitum intra se consubstantiale: non autem extra se posse, quoniam infinitum non habet extra; sed cognosci infinitatem syllogismo metaphysico; ergo intrinsecè æquari, posse, velle, scire, & facere in Deo.

ART. III.

DICIMVS ergo, Deum omnia posse, & infinita posse per se, quoniam infinita, & omnia est ipse: similiter omnia facere, & scire & velle etiam infinita, quoniam infinitus est. At quoniam possibile non est, nisi ens: nonentia verò impossibilia sunt: idcirco dicimus Deum non posse nonens, quia non potest ipse nonesse: sed non posse hoc, est potentissimum posse. At vocabulorum nos in dicendis nonentibus penuria decipit, aut falsiloquos facit. Posse autem Dei infinitum est in eo, quod ipse potest semper esse, & omnia esse: ex potentia enim essendi emanat potentia operandi, & agendi, & non patiendi, nec deficiendi: Similiter scientia Dei est infinita, quia scit seipsum infinitum, & voluntas infinita eadem ratione: vt autem sciat se, & velit, non indiget aliunde suscipere scientiam, & affectum, quoniam ipse in se est. Neque scientia, & amor sui in eo est abditus vel habitualis sicut in nobis, qui percussi continuò obiectis externis alienamur à nobis, vtque nosipsos agnoscamus, indigemus reflexione, & discursu. Deus enim externum nihil habet, quoniam quæcumque sunt ab eo sunt, & est inuentor, & faber, & non discipulus, & inuestigator rerum fabricatarum à se. Quapropter scientiam è rebus non haurit, neque amorem: sed dum se scit, & amat, & potest, dat illis esse, amare, scire, & posse, sicut Artifex, inuentor alicuius opificij dum illud excogitat, facit; & ab illo facto non discit quomodo est faciendum, sed alij ab eo: & in interno Dei posse, velle, & scire adæquantur. Ita quod quidquid potest, scit, & vult in se. Potest autem esse semper, scit esse semper, & vult esse semper, & facit se esse semper: si factionis vocabulo vti licet. Nam diximus quod existere est facere permanens; sicut facere est existere fluens: & emanationes internæ declarant, se posse infinitum producere. At non extra se, quoniam illud infinitum necessariò est sibi consubstantiale, ergo vnum cum eo: sicut Petrus generans, idem est cum Paulo genito; sed quia Paulus genitus separatur à generante, materia, & loco, differunt numero: sed Deus genitus à Deo generante, non potest separari, quia infinitum extra infinitum non potest ire, neque diuisibilis est naturæ; vt possit separari, consequens est vt sit idem numero, & essentia Deus: & hoc producere sit esse. Nam & facere nostrum est esse fluens; vt scribere est scriptura fluens. Ablato ergo fluxu, & exterioritate, scribere est ipsa scriptura.

Ergo quoniam summa potestas aufert fluxum à Deo, & illimitatio aufert exterioritatem, consequens est, vt suum producere sit suum esse. Hem quomodo Metaphysica ipsa vera comprobat arcana Theologiæ. Quapropter frustra extra Deum quærimus infinitum effectum, vt potentiam eius infinitam agnoscamus, vel voluntatem infinitam, vel sapientiam infinitam. Quoniam hoc non potest esse extra Deum, sed sufficit metaphysico sensu hoc intellexisse, non enim quia piscis extra mare sentire non potest, neget plurima entia esse extra ipsum mare. Nec quia nos extra finitatem nostram non excedimus, & in nostra finitate infinitum non videmus, negemus illud, sed agnoscamus ens per se, & primum, & omnino existere, ergo & infinitum.

Qua ratione dicuntur res esse extra Deum; & Deum illa non posse, nescire, nec velle per se, sed per accidens; & non necessariò, nisi se, velle.

ART. IV.

DICIMVS autem, extra Deum esse res, non loco extra, nec situ, nec potestate, aut voluntate, aut scientia, quoniam omnia sunt in ipso, & ab ipso: sed essentia, & natura. Etenim quia Deus est ens summum, infinitumq; quidquid finitum, reputatur extra ipsum: finitur enim à nonesse: nonesse autem non est in Deo, sed in nobis, idcirco reputamur extra Deū: quomodo autem nonesse sit, declaratum est prius, cum ostendimus, hominem ita esse hominem, quod non est Angelus, nec lapis, nec alia infinita entia: hoc autem nonesse ipsum essentiat hominem, si enim esset & illa, non amplius esset homo, sed aliquid altioris naturæ, continentis omnes hos gradus entis: quod si esset omnia entia, vt mundus, non adhuc esset Deus: neque si per impossibile essent res infinitæ, nisi per modum vnius esset illæ. Tunc enim esset Deus, sicut omnes calores, qui sunt in plantis, aquis, animalibus, & vaporibus, & stellis, sunt quidem à sole, non tamen sunt sol, nisi in solis vnitate, & figura, & puritate conglobentur.

Iam ergo patet quid sit extra Deum. Hæc ergo extra Deum potest, & scit, & vult quasi per accidens Deus, dum scilicet vult, & scit, & potest esse, & non propter ipsa, sed propter seipsum: quia propter gloriam suam, & bonitatem suam. Quæ gloria, & bonitas, cum possunt esse absque his rebus exterioribus, non inducunt necessitatem earum, sed sui tantum: ergo neque perfeitatem rerum, sed sui tantum.

Deum omnia entia per se posse, scire, & velle, & facere, licet sui gratia non necessariò. Nonentia verò non posse, nec velle, nec scire, nisi per accidens, subtrahendo esse & sciendo esse, & volendo, & ordinando.

ART. V.

QVAPROPTER respondetur ad principalem quæstionem, quod Deus omnia potest quæcumque dicunt esse, quoniam est summum ens, fœcundissimum omnis entitatis. Nihilum, & nonentia Deus non potest, quoniam sibi omnino dissimillima sunt: Ergo Deus non potest mori, neque peccare, neque non esse, neque dare aliis rebus mortem, neque peccatum, neque nonesse; & hoc per se: similiter neque per se scire, aut velle mortem, aut peccatum, aut nonesse, ex quo ista manant. Verùm quia quæ sunt extra se, quatenus extra se, non necessariò vult, neque necessariò scit, neque necessariò potest, idcirco potest facere absque sui damno, vt non sint, sed per accidens non dando illis esse, & subtrahendo influxum, quo conseruantur in esse: sicuti si sol subtraheret lucem, obscuraret aërem; non quidem ipse: cum enim sit lucidus non potest obscuritatem facere, sed per accidens diceretur obscurare, dum ipse aër per se caret luce, vel ab alio tenebras suscipit, vt à terra: sic Deus potest subtrahere gratiam, & esse, & tunc dicitur facere peccatum, indurare Pharaonem in peccato; & dare mortem, & interficere, & annihilare, cum tamen verum sit, quod mors & annihilatio insit naturali conditione rebus ex nihilo factis, & actione contrarij partim fiant, & quidem per accidens, vt dictum est: calor enim calorem facit, sed frigus occiditur cum calore non potens manere: & sicut hæc per se Deus non facit, ita neq; per se vult, neque scit. Nihilum enim incognoscibile est: Deus autem per essentiam suam cognoscit omnia, ergo nonentia cognoscit, quatenus cognoscit sua entitate illa carere: & qui hæc non penetrant sunt proterui, vt Caluinistæ, aut stupidi vt rustici. Cognoscit tamen Deus nonesse, & mortem per hoc quod cognoscit suum totum esse, totamque sui vitam, quod aliqua carent hac totalitate: nec tamen per syllogismum, sed vnico sui intuitu, quemadmodum in I. Theol. & hîc docebimus.

Quæcumque Deus necessariò scit, potest, & vult necessariò, & quæ vult non necessariò, neque necessariò potest, neque scit; & adæquari in cunctis posse, scire, & velle.

ART. VI.

SED Diuus Thomas videtur contradicere dicto nostro, quod Deus quæ sunt extra se non possit, neque sciat necessariò, nec velit: sed ait: Deus non necessariò vult res, quoniam voluntas fertur ad illas, vt sunt extra se, & quia extra se, non necessariò sunt, ideò non necessariò vult eas, sed necessariò scit, quoniam scientia refertur ad res, vt sunt in Deo, in quo necessariò sunt: eadem ratione putat, Deum scire omne verum, sed non velle omne bonum: consimiliter arbitratur, Deum facere omnia, quæ vult, sed non omnia, quæ potest, & multa alia posse, quoniam potestas est in sui natura, voluntas autem ad extrà res volitas respicit.

Mihi autem prima sententia arridet, quoniam quæ nullo pacto sunt, non cognoscuntur nisi per ea, quæ sunt: at quæ sunt extra, cognoscuntur per hoc quod obiiciuntur: si ergo possunt non esse, possunt non obiici. Et quia Deus potest illa nolle, potest nescire ea scientia visionis, qua obiiciuntur ei: ergo non necessariò sciuntur, sicut nec necessariò sunt: sed quatenus sunt in Deo, voluntur, & sciuntur necessariò.

Et cum ait Diuus Thomas, quod voluntas respicit extrà, scientia intra; Ipsemet negat hoc absolute, sed vtraque se habet pariter intra, & extra, quoniam sunt idem in Deo. Namque q. 8. articulo tertio ad tertium dicit, *quod de ratione scientiæ & voluntatis est, quod scitum est in sciente, & volitum in volente, vnde secundum scientiam, & voluntatem res magis sunt in Deo, quàm Deus in rebus.* Hæc ille: & iam ostendimus in primo libro, nullam rem nos velle, aut scire ad extra, nisi per id quod volumus, & scimus ad intra: multo autem magis Deus, qui nullam rem propter illam vult, aut scit, sed propter se, & in essentia sua. Vnde ipsemet Diuus Thomas clarificat hanc sententiam, qui in prima parte, quæstione decimaquarta, articulo nono docet quæ non sunt, à Deo scientia visionis nesciri, sed scientia simplicis intelligentiæ: simplex intelligentia respicit rem in se vtcumque: scientia visionis respicit rem existentem extra, & præsentialiter: ergo quæ sunt extra se, non necessariò scit Deus scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ, qua sunt in se, hoc est in sui possibilitate; aut aliena: quæ tamen à sua non potest non emanare: & eadem ratione quatenus sunt in sui potestate, scilicet Dei; Deus vult necessariò illas esse, quoniam vult se, & potentiam suam necessariò: quatenus verò extra, non necessariò: ergo pariter incedit scientia & voluntas; ita vt dicamus voluntatem practicam respondere scientiæ visionis; & voluntatem speculatiuam scientiæ simplicis intelligentiæ. Idem patet ex his quæ docet quæst. 8. art. 3. Deum esse in cunctis rebus per præsentiam; vbi constat, Deum hoc modo non esse in rebus, sed res in illo, quia cognitum in cognoscente, sicut arguit Aureolus contra ipsum Diuum Thomam: & tamen verum dicit Aureolus quoad modum cognoscendi: & verùm Diuus Thomas, quoad virtutem cognoscendi, qua pertingit vsque ad intima rei cognitæ: & vt dicit Apostolus, *vsque ad diuisionem animæ & spiritus, & compagum, & medullarum, cognitionumque, & intentionum cordis*: hoc autem fit scientia visionis, quæ non necessariò est in Deo, nisi necessariò sit & ipsum visibile: at visibile est, quia volitum; & volitum est liberè, & non per se, & vt finis, sed propter Dei bonitatem, quæ potest carere hoc fine: nam etsi mundũ non fecisset Deus, esset Deus idem, vt docet D. Thomas: ergo Deus non per se scit quæ sunt extra necessariò, sed facta suppositione, quod Deus velit, tunc necessariò scitur, & potestur.

Similiter assero, Deum ita velle omne bonum, sicut scit omne verum. Nam quæ non vult esse, neque scit scientia visionis: sed omnia vera scit simplici intelligentia, & omnia bona vult voluntate speculatiua, quia quatenus sunt, ea vult: sunt in esse cognito, & vult ea in esse cognito. Repugnat enim esse aliquod bonum, quod Deus non velit. Ipse enim est omnia bona eminenter, & nollet seipsum, si aliquod bonum nollet: & in verbis discordat à nobis, non in re D. Thomas.

Tandem assero Deum, quæ facit ad extra, non necessariò facere, nec necessariò posse: sed duplex potentia hîc consideratur, sicut duplex voluntas, & scientia iam patefacta est. Altera scilicet potentia speculatiua, altera practica, & operatiua (loquor per similitudinem ad scientiam, quoniam caremus expressioribus vocabulis) potentia speculatiua est, qua omnia potest absolutè in se, & respondet scientiæ simplicis intelligentiæ, & voluntati speculatiuæ. Potentia verò practica est, quæ ad opus exterius porrigitur. At Deus non potest operari, nisi quod vult, quoniam cogi ad nullum opus potest. Non vult autem, nisi quod per sapientiam nouit esse volendum. Cum autem vult, liberè vult, & non necessariò: ergo potest liberè, & non necessariò: ergo potest non posse, quia potest non velle: ergo quæ non facit, non potest facere, quia non vult; quoniam hæc potestas mista est voluntati, & scientiæ. Et hoc etiam comprobatur ex doctrina D. Tho. qui 1. 1. in quæst. 25. articulo 5. ad primum: ait, quod *Deus potest alia facere, quàm quæ facit de potestate absoluta, & quàm quæ præsciuerit, & præordinauerit se facturum. Non tamen potest esse, quod aliqua faciat, quæ non præsciuerit, & præordinauerit sua voluntate, & scientia se facturũ, quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi, non autem ipsum posse.* In quibus verbis contradictio magna est: primò enim dicit, quod potest facere: secundò verò non potest esse, quod faciat: ergo distinguenda est potentia speculatiua, & practica, vel absoluta, &

ordinata, vt aiunt: & quoniam ordinatio est à voluntate: idem est dicere ordinata, ac voluntate informata: & hoc nos dicebamus.

Itaque moles argumentorum, quæ voluntatem à scientia & potestate segregabat, ruit, dicendo, quod Deus omnia facit, & scit, & potest, sicut vult. & hæ primalitates non separantur, nec ergo limitantur: & quod meliora, aut plura, aut infinita non facit quoniam nescit, nec potest, quatenus non vult: vnde Propheta ait: *Oculi tui Domine ad iniquitatem respicere non possunt*, & Chrysost. *Nescit Deus patrocinium dare criminibus*. Cauentes tamen cum D. Thoma, ne ignorantes decipiantur ex hoc sermone, quippe putantes, Deum esse non omnipotentem, aut non omniscium: sed tamen durior est ille sermo, quod Deus non vult omne bonum, sicut scit omne verum: sed dicamus, omnia posse, & scire, & velle, non posse, nec scire, nec velle nihilum: quidquid enim non est eius voluntate volitum, nihilum est: Vnde Sap. XI. habetur: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi Deus voluisset?* Et hæc per se.

Dicimus enim, per accidens Deum posse, & facere, & scire, & velle nonentia, dum vult, hominem non esse asinum, & facit non esse asinum, & scit non esse asinum: sed hæc nonentitas permittitur, & ordinatur, non fit, & scitur, & amatur propter entitatem, non propter se: sic de cæteris. Peccata quidem moralia, quia non sunt volita à Deo nec per se, nec per accidens: pariter neque scita sunt per se nec per accidens scientia practica, & quia coëxistunt æternitati, quoad substratum esse, & quoad defectum, dicuntur præscita, eo modo quo præuolita: voluit enim Deus hominem esse liberum, & defectibilem natura sciuit: ergo & peccatum non in actus, & defectus approbatione: sed in naturę defectibilis volita conditione: & propterea Deus sicut est omnipotens & omnisciens, sic etiam omniuolus; quod negat S. Thomas, quatenus ly omniuolus sumitur approbatiuè cadente approbatione super malo, non super conditione naturę, vt infra patebit.

Deum non posse facere contradictionem vtrinque veram, quia non potest facere nonens, nec sibi contradicere: & ideo præteritum ne sit præteritum, nec futurum ne sit futurum; nec præsens ne sit præsens.

ART. VII.

REDEVNTES dicimus, Deû per se non posse nisi possibilia, hoc est, entia, non autè, nonentia, nec absoluta potestate; quoniã hoc esset impotentia in eo, vt dictum est: & tamen dicimus, posse facere, vt non sit res, non dando illi nonesse, sed non dando esse; & sic potest annihilare: sicut enim potuit esse Deus absque rebus factis, sic potest esse Deus, subtrahendo esse à rebus factis: quoniam non necessariò ipsas facit cum sint extra se, & propter aliud, quod potest esse sine illis. Attamen non potest Deus facere duo contradictoria esse vera, hoc est, quod idem sit, & non sit; quod ego scribam, & non scribam simul, & semel, eadem ratione qua non potest facere nonens: multo magis potest facere Deus, quod homo sit homo, & sit asinus simul, quam vt si homo & non sit homo: Nam eatenus dicitur nõ posse facere vt sit homo, & asinus simul, quatenus nõ potest esse homo, & nõ esse homo simul. Vidi equidẽ in museo Imperati Neapolitani lignũ versum in petrã, quod omnino videbatur lignũ & omnino petra. Nec enim succus petrificus poros modò occuparat, sed neruos, & corticẽ, & os, & medullam, & totam substantiam in lapidem conuerterat: vnde videntur mihi duæ species non contrariæ vniri, sed quod idem sit, & non sit, nullo potest modo: & longè minus, quàm calor esse frigus. Calor enim & frigus vterque ens est, & mutuam similitudinem entitatis saltem habent, licet impossibilem: at ens & nonens nullo pacto conueniunt: & cum diximus, res constitui ex ente, & nonente, illud nonens posuimus, vt limitem entis, & non vt faciens ipsum nonesse, quod est, sed nonesse plus, vel magis, vel extra, vel aliud. Quare autem non potest contradictoria facere, & potest nonens, parum aduertunt veteres: sed dicunt hanc esse naturam contradictionis. Nos autem intelligimus, nonens repugnare maximè summo enti, & illud non posse fieri, nisi per accidens, vt dictum est. At secundis entibus non repugnat quodlibet nonens: sed illud modò quod eis directè opponitur. Nam essentiantur nonente, sed non opposito directè, vt homo essentiatur nonesse lapidis, non autem nonesse hominis: & propterea Deus non potest dare Petro, vt sit homo, & non sit homo: quoniam non potest vllum nonesse dare, nisi per accidens auferendo esse. Quapropter dum dat esse, non potest simul auferre idem esse, quia sibiipsi aduersaretur: daret & non daret: sed si nonesse esset in Deo, vtique posset dare esse, & nonesse simul: sicut in quadrato est simul triangulus, & in ternario dualitas. Hoc autem propriè non est impotentia, sed summa potestas, quia est expers omnis nonesse, & mortis, & impotentiæ, non potest hæc dare, vt dictum est.

Hinc resoluitur ratio, quæ dabat Deo temporalitatem, eo quod non potest præterita facere, ne sint præterita, sicut facit præsentia ne sint, & futura ne sint. Nam falsò id assumitur: neque enim potest facere, vt idem secundum idem, & in eodem sit simul verum, & falsum, ens, & nonens, tam in futuro, quàm in præterito, quàm in præsenti: & quod dicit Aristot. ex Agathone, quod *hoc vno priuatur Deus, genita facere ingenita*) manca doctrina est, sed enim in quocumque tempore id verum est, quod contradictoria non potest verificare: & doctè D. Thomas ob idipsum putat non posse Deum

facere Adam non fuisse, non quia præteritum per accidens transiuit in per se, vt alij dicunt, sed quia implicat contradictionem: si enim Deus daret Adæ non fuisse, simul verificaretur, quod fuisset & non fuisset: similiter si daret Petro cum sedet, vt non sedeat, simul esset, & non esset sedens: quod est contradictio: similiter si antichristus est futurus, si Deus faceret vt simul sit non futurus, faceret contradictoria. Nam futurum, & præteritum coram eo præsentia sunt: potest quidem facere Deus ne Antichristus sit futurus, sed non vt sit futurus, & non futurus eodem tempore, & loco idem Antichristus. Contradictio autem est, ens esse, & nonesse, & Deum non esse Deum. Omnia ergo quæ includunt esse, & nonesse contradictionem implicant: ergo priuatio, & contrarietas, & relatio, & diuersitas, & differentia, & horum asseclæ, eatenus sunt incompossibilia, quatenus implicant esse & nonesse: vbi verò non implicant nisi duo esse, compossibilia sunt coram Deo: si tamen illa duo esse non se excludunt mutuò per aliquod nonesse.

Sed ais, potest nunc Deus dare Adæ nonesse; sed præteritum, & præsens sunt vnum coram Deo: ergo simul esset, & non esset Adam: ergo vel Deus tempore mensuratur, vel nunquam potest dare nonesse: ergo si hodie dat, cras tollere non potest, cum hodie, & cras vnum idemque nunc præsens sit coram Deo.

Respondeo, quod actio Dei cum sit esse Dei est infinita in se; sed cum ad extra terminatur, finitur, quoniam extra Deum infinitum esse non potest: ex eo autem quod finitur, est in tempore, & ipsa res temporalis, vt facta (vt elicitur ex dictis Iustini contra Gentiles) ex eo autem quod est in tempore, fluens est: ex eo quod æterna in Deo permanens est. In æternitate autem est vnum nunc, quia vna entitas immensa non fluens: & sicut entitas Dei omnes præhabet entitates, ita æternitas omnia tempora Et fluxus, qui facit præteritum, & futurum in nobis, in Deo non habet locum, quoniam neque multitudo in Deo est, cuius vna pars alteri succedit, vt in nobis: neque finitudo, qua ex vno in aliud itur. Quapropter omnia coëxistunt nunc temporalia, ipsi nunc æterno, sicut omnia entia ipsi primo Enti eminenter insunt, cuius natura est omnis natura. Cum ergo quæritur, quare Deus potest facere vt non sit cras, quod hodie est, si vnum est Nunc in Deo, & non potest facere vt nunc sit, & non sit. Dicimus hoc ex eo euenire, quod Nunc temporalia non coëxistunt inter se simul, sed coëxistunt æternitati: esse autem, & nonesse temporalia sunt, & actum Dei terminatum ad extrà dicunt, idcirco non potest in eodem Nunc idem esse, & nonesse, at in diuersis potest; & licet illa diuersa sint vnum in Deo vt in Deo; non tamen vt in rebus extra Deum: vnde si quid esset infinitum vt Deus, non posset illud esse, & non esse; neque in diuersis Nunc, quia ex quo infinitum simpliciter est vnum, semper idem esse habet: similiter potest Deus in eodem Nunc facere rem plura esse continentem, vt luminare, quod simul solis & lunæ, & planetarum vires habeat, sed non quod sit luminare, & non sit simul; quia nonesse à Deo non manat, sicut emanant plura esse, & quod ipse vult: sed nonesse aut succedit, aut præcedit esse: succedere autem & præcedere temporale est; quoniam tempus nonentis proles est, vt declaratum est: ideoque non potest Deus facere ens simul nonens. Non ergo actio Dei est in tempore: sed non actio, & nonens mista actioni, & enti. Qua ratione entia cuncta temporalia coëxistant simul æternitati, disputamus in Theologicis; & facilè assequimur si intelligamus æternitatem esse ante, & post tempora omnia, sicut circumdans omnia: vel sicut Ens præ, id est, super omnibus: vt qui super turri est videt præteritos, & futuros transeuntes, & præsentes omnes simul: & sicut spatium amplectitur omnia; & quod nos temporaliter sentientes hoc non capimus: & quomodo imaginari possumus si ly ante per ly præ exponamus. Nam Patres & D. Thomas ly præ esse abradendum à verbis, actus diuinos erga creaturas significantibus, dixerunt, nec semel, nec imprudenter. Salomon autem ait Deo: *Sicut momentum staterа, & sicut gutta roris ante lucani: ita ante te orbis terrarum*) rectè sanè. Nam gutta vndecumque spectetur tota patet, cum sit peruia visui, & nulla pars impediat alterius visionem: ita rerum vniuersitas Deo. Tempus autem quo est & mensuratur, est sicut vnum Nunc, quod respondet vni momento, perceptibile simul absque successione.

Deum agere voluntate, & consilio æterno, & actione æterna, ideo non mutari nisi secundum rationem nostram: sed secundum rem entia mutari prout ab æterno ipse sciuit, & voluit, & permisit, nec mutare consilium, aut voluntatem.

ART. VIII.

QVAPROPTER ad argumenta cætera respondemus: Deum immutabilem esse, & mutationem esse in rebus, & non in eo, quoniam est rei tendentis ad esse, vel recedentis ab esse; quorum neutrum Deo conuenit. Et cum dicitur irasci, & pœnitere, & mutare sententiam, ratione nostri modi intelligendi, & ab effectibus dicitur, in quibus mutationem, & iram, & pœnitentiam facit, vtendo esse, & nonesse; non autem ratione sui, nisi radicaliter, quatenus est iustus, dans vnicuique, quod debetur. Vnde Lactantius in libro de ira Dei disputat contra scelestos, qui dicunt Deum non irasci, & propterea nec peccata punire posse. Est enim in Deo quidquid est in ira bonum absque malo: Nec quia hodie facit, & cras destruit, mutatur: Quoniam actio eius, vt ab eo, æterna

est, vt in nobis terminatur, temporalis est. In nobis autem mutatio est, in illo identitas, & immutabilitas. Nec mutatur de velle ad nolle, nec de non agente in agentem, quoniam voluntate æterna omnia vult, & vt res fiant, & destruantur quando fiunt, & destruuntur, nil ipso patiente, aut mutato, nisi secundum rationem: veluti columna fit dextra, & sinistra, me facto illi à dextris, vel à sinistris, vt declaratum est in 1. p. huius scripti lib. 2. etenim sicut Sol semper illuminat, sed nos non semper illuminamur, nisi cum Soli obiicimur, sic omnis Dei actio, etiam Mundi creatio, est semper Deo: sed non Mundo: & nobis; & futura coexistunt æterno, & infinito, omnia ambienti: non autem nobis, finitisque rebus aliis: Et iam declaratum est, Potentiam, Sapientiam, & Voluntatem in eo æquari. Patet quoque actionem esse æternam, vt ab eo, sed vt in nobis, temporalem; quoniam limitatur ad hoc esse, & nunc est, nunc non est: successione facta in rebus mutatis, non in ipso mutante per cooperationem, & non compassionem.

Ad alias rationes resp. quod Deus non potest aliter agere, quàm agit, quoniam agit ex voluntate æterna ordinante; voluntas autem ex intelligentia determinat. Intelligentia autem Dei est certissima ab æterno, igitur infallibiliter eueniunt omnia, & agit immutabiliter ex consilio voluntatis suæ, vt dicit Apostolus. Qui autem mutat actionem olim à se ordinatam, ideò mutat, vel quia ipse mutatur in melius, vel in deterius, ita quod tamen sibi videtur melius esse aliter agendum, quam sicut determinauit. Deus autem in deterius non mutatur, quia ab alio mutaretur: neque in melius, quoniam seipso non est melius, neque latuit eum ab æterno, si quid melius est, sed iuxta illud decreuisset: ergò immutabiliter agit, vel mutat actionem, quia aliud mutatur, & non ipse; vnde videtur sibi iuxta rei mutationem mutare actionem, sicut qui decreuerat nauigare, & commoto mari decretum mutat. At hoc ex eo accidit, quod nesciebat mare esse mutandum. Deum autem omnes mutationes futuræ notæ sunt ab initio, quoniam non possunt absque ipso fieri, sed ipse eas facit, & iubet ab æterno, vel permittit, ordinatque ab æterno: idcircò Deus non potest mutari, non necessitate coactionis, sed infallibilitatis, vt mox declarabimus. Iustinus autem ait, quod nunquam mutatur ab eo, quod facere decet ipsum, sed ab eo, quod non amplius decet, mutatione nempe creaturarum, sicut cum deponit Saülem. *q.39. Ad Orthod.*

DE SCIENTIA DEI.

QVA RATIONE ARISTOTELI VIDETVR DEVS non intelligere aliquid, nisi seipsum: & qua est immobilis, & qua mouet cuncta, & qua intelligentia aliæ intelligunt similiter, & beantur.

CAP. V. ART. I.

At dicunt Peripatetici, *quomodo scit Deus?* & , *est ne scientia in excelso?* hoc præsertim Achitofellistę quærunt? quoniam alij ex Epicuro Deum non esse, vel non solicitari cura nostri, acceperunt. Alibi verò ex Arist, dicente, Deum non intelligere nisi seipsum, quoniam intelligibile est nobilius intelligente: actuat enim ipsum perficitque in esse intellectuali. Si ergò Deus aliud à se sciret, perfectio eius non esset in se, sed aliunde. Ne autem vilescat Deus, seipsum modo intelligit: & quidem semper; aliàs quandoque esset in potentia: ergò laboriosa esset intellectio. Item esset materialis, & corruptibilis, saltem secundum operationem. Idem ergò in Deo est intelligens, & intellectum, & res scita & scientia: sicut domus in mente ædificatoris est scientia ædificatiua. Et definitio in mente philosophi est res definita: si enim scientia, quæ est ipsum intelligere, esset aliud, tunc esset laboriosa actio. Item non esset seipso perfectus Deus, sed alio, hoc est, operatione, quæ aliud est ab eo: oportet ergò in Deo esse idem intelligens, & intellectum, & intellectionem.

Nec intelligere componendo, & discurrendo, quoniam procederet de potentia in actum; & transmutaretur. Item intelligeret composita, & materialia, prius partes, & postea totum accipiendo. Hoc autem falsum est, quod Deus, vel alia intelligentia abstracta suscipit materialium notitiam, sed seipsam modo intelligit.

Et quidem putat, Deum mouere omnia, non influendo motum, quoniam se haberet aliter, & aliter, sed nec vt appetens, aut intelligens motum: tunc enim ipse mutaretur; quoniam appetens, & intelligens mouentur à re appetita, & intellecta exteriori: ergò mouet vt appetibile, & intelligibile: eo quod hac solum ratione mouens non mouetur. Et sic dependet ab eo cœlum, dum cupit per motum, tanquam per instrumentum, exprimere in rebus inferioribus, quæ sunt in mente Dei intellecti, & amati, non autem amantis, & intelligentis, nisi seipsum, & in hoc beatificatur seorsum à curis vilium rerum. Et sicuti beantur Intelligentiæ eius intellectione, & amore: multo magis ipse primus intellectus in sui amore, & intellectione,

quæ est actus, & vita eius, & ipsemet, quia est primus purusque actus; ergò per se intelligibilis, & amabilis: & sicut nobis summa delectatio, & vita, est contemplatio diuinorum, multò magis in eo ita se habet.

Quod autem non moueatur vllo motu patet, quoniam neq; locali. Omnis autem motus præsupponit localem; locali autem non moueri patet, quoniam continuo aliter, & aliter se haberet. Item & non mouetur illo motu, quo mouet, sicut primum alterans non alteratur. Item non mouetur ab alio, quoniam illud esset dignus. Nec à se, quoniam diuideretur in partem mouentem, & motam. Nec à se toto, quoniam quatenus mouet esset actu, & quatenus mouetur potentia: idem autem secundum idem non est actu potentiaque. In his dictis, tota Aristotelis Theologia explicata iam est.

Deum esse immobilem non ea ratione, qua videtur Arist. & eminenter in se motus, & quietis essentiam habere, seclusis imperfectionibus: & nihil moueri ab immoto, nec Physicè, nec Theologicè.

ART. II.

NOBIS autem declaratum est prius, Primam causam esse immutabilem, quoniam non potest in melius, neque in deterius ire, neque habet, à quo mutetur; & quia est infinita fines maiores non suscipit, nec minores. Rationes autem Aristotelis de Actu, & Potentia vanæ visæ sunt, quoniam motus, qui est operatio, non requirit res duas, sed vnam: nec motorem, & motum, quoniam est actus entis in actu. Et quidem ipsum intelligere & amare per motum explicatur à Platone; & à D. Augustino dicitur Deus semper moueri: & in Sap 7 quod *cunctis mobilibus est mobilior:* hic autem motus non est mutatio, neque localis, sed actus quidam perennis immanens, ipsaque intellectio, & volitio, quæ per motum, qui est operatio rerum, explicatur: & per quietem quatenus dicit immutabilitatem: vnde Deum & per se stare, & per se mouere se, docet Dionysius in v. de diuinis nominibus: Verius tamen nec moueri, nec stare. Quapropter *quieuit Deus ab omni opere. Immotusque manens, dat cuncta moueri.*

Gen. 1. Boët.

Sed profectò, nisi motus, & quies in eo essent, non posset rebus largiri motum, & quietem: hæ enim entitates sunt, sicut calor, & frigus, vt idem Dionysius, & Iustinus comprobant. Quapropter dicimus Deum, neque moueri, neque quiescere, quatenus motus includit alienationem, & quies torporem: sed moueri quatenus motus dicit actum, & quiescere, quatenus dicit quies immutationem. Ergò præhabet Deus eminenter hæc omnia: & iam declaratum est esse falsum, quod primum mouens non mouetur, & quod omne, quod mouetur, moueatur ab alio, quoniam hoc verum est de violenter, & artificiosè motis, & de compositis ex materia & actu. Ignis enim manifestè mouet seipsum à se, & non à generante mortuo: & calor ignis mouet materiam ignis dum mouet seipsum: & quia eius motus non est passio, sed innatus actus, non requirit motorem externum, veluti ædificium ædificatorem, & discipulus doctorem; vt stultè Arist. argumentatur. At quod immobile est, posse dare motum, impossibile alibi ostensum est, & confirmat Iustinus Martyr. Nemo enim dat, quod non habet. Appetibile verò non mouet, sed occasionaliter specificat motum editum ab appetente causa, quæ seipsam mouet, vt dictum est in 1. lib.

Necessario fatendum esse, Deum non modo seipsum scire, sed omnia, quæ sunt extra se; & turpe esse illi ignorare, quæ nos scimus.

ART. III.

DICIMVS quidem in Deo esse scientiā, & ipsum omnia intelligere & seipsum: quoniam probatum est ad primam Sapientiam oportere ex omnium rerum sensu ascendere: & quia melius est scire quam ignorare, Deo autem meliora conueniunt; omnia ergo ipsum scire dicimus, & Aristoteles contra Empedoclem docet, absurdum esse, quod Deus ignoret odium, & litem, quod nobis notum est. Quare si in hoc principio stetisset, non aliam impiam Philosophiam inuexisset. Sed sic Anaxagoram reprehendit ponentem cœlum igneum; quia, inquit, ignis est rubeus, Sol verò albus: & tamen in suo loco ponit ipse ignem album, cum loquitur de Inde. Non mirum si sui similis Aristoteles contraria hîc docet: nec trahendus est inuitus ad Theologiam Christianam, quam omnibus viribus conatur euertere, ne videamur saltem trahere nobis, in testimonium contra nos ipsos; sed palam eius redarguenda sunt dogmata.

Quapropter absurdum esse arbitramur Deum aliquid ignorare, quod nos scimus, quamuis vilissimum: & minimum; & eadem ratione aliquid non curare, quod nos curamus. *Immo*, vt ait Plato, *quanto nobilior artifex tanto exquisitius eadem arte, magna simul, & parua curat. Deus ergo qui curare vult, ac potest aliquid contemnet?* Sed quoniam non intellexerunt,

quomodo ſcientia eſt in excelſo, & putant ſuper cardines cœli ambulare, & inferiora non conſiderare, vt dicit Iob de impiis, ideò id declaremus.

In Deo eſſe idem intelligens, & intellectum, & intellectionem: nec habere intelligere abditum, nec abditum vt nos: ſed vnius modi, qui eſt eſſe.

ART. IV.

QVONIAM intelligere in noſtra Philoſophia eſt rem cognoſcere non in vniuerſali, vt putat Ariſt. ſed prorſus, ſicut ipſa eſt, ſapere, vt Theologi veteres docent, quoniam eſt intus legere, quidquid in re latet. Hoc autem fieri non poteſt, niſi intelligẽs fiat ipſa res intelligibilis omninò: nam tantum intelligit, quantum de illa fit per ſe, ſed per diſcurſum intelligit reliquum rei: ſicut per diſcurſum fit, & illud reliquum: manifeſtum eſt, ſicut in præcedenti lib. docuimus intelligere identificari cum eſſe: ſicut enim alias res intelligo, quia illæ fio, & cum illæ fio, illæ ſum, ita intelligo quæ ſum ante quam fiam. Sum enim: & hoc ſecundum intelligere abditum comperimus in cunctis rebus: omnis enim res amat ſe eſſe, quia intelligit ſe; neque enim ignotum amat. Sed hæc intellectio à ſuperuenientibus intellectionibus aliarum rerum quaſi obruitur, quoniam res aliæ diſſimiles ſunt, ergò alienant à proprio eſſe & ſimilitudine ipſam virtutem intelligentem: quapropter indiget reflexione, vt ſeipſam noſcat notitia manifeſta. Deus autem nulla indiget reflexione ad ſui notitiam, quoniam ab externis rebus non patitur, non modò, quia eſt infiniti vigoris, & per conſequens impaſſibilis, ſed quia non habet aliquid à ſe alienum, niſi nihilum. Omnia enim entia in ipſo viuunt, mouentur, & ſunt: & quia etiam ipſe eſt cauſa rerum, & ergò non ſuſcipit ſcientiam à rebus, ſed faciendo res eas ſcit: Et facere res eſt manifeſtare ſuam ſcientiam: ergo antequam ſint, eas ſcit: ergo Deus ſeipſum intelligit intellectione ſemper manifeſta, & non abdita, neque ſuperaddita. Ergo non diſtinguitur in Deo intelligens, & intellectum, vt ſit intellectione ſuperaddita, & reflexa, quia idem vt extraneum ſemet cognoſcit, ſed ſunt idem, ſicut in noſtra intellectione abdita: ſuperat tamen noſtram abditam, quia æterna, & ſemper æqualis, non recipiens magis, & minus, nec finem, nec principium. Et eſt beata prorſus, quoniam non intertutbatur ſuperadditis; neque eſt paſſio; neque per aliud: quoniam ergo intelligere, & ſcire eſt eſſe res ſcita, & intellecta, Deus autem maximè eſt ipſe idem ſibi, maximè ſe intelligat oportet.

Quod autem intelligere non diſtinguatur realiter ab intellecto, & intelligente, patet etiam ex principiis noſtris, quoniam intelligere eſt eſſe res intellecta. Et in noſtra Metaphyſica non diſtinguitur Actio ab agente, niſi ſicut fluens à ſtanti, ſumpta pro forma fluente: nam ſumpta pro fluxu eſt proles nihili, & impotentiæ, vt declaratum eſt: diſtinguitur etiam, quia terminatur in aliud, in quo vocatur paſſio. At immanens actio ſi non eſt ſucceſſiua, & fluens, nihil diſtinguitur ab agente, vt declaratum eſt. Ergo Deus intelligens non differt à ſua intellectione; & hoc in noſtra Philoſophia nullam habet difficultatem, ſi quæ decreta ſunt in præcedentibus libris memoria teneantur. Ratio Auic. in contr. nil probat.

Et quoniam Deus ſemper eſt id, quod eſt, ſemper intelligit, cum intelligere ſit eſſe. Nec vnquam eſt in potentia radicali ad actum, quoniam neque à ſe, neque ab alio reduci poteſt, ſed ſemper eſt in actu: neque obliuiſcitur, quia ſemper idem: neque decipitur, quoniam non per aliud intelligit ſe, per quod decipi poſſit, ſed per ſe, qui ſibi ſapere non prout eſt, non poteſt. In his ex parte cum Ariſtotele conuenimus, licet ipſe falſo fundamento innitatur, quod motus ſemper eſt; ergo mouens actus eſt ſemper. Nam ſublata motus perpetuitate, omnia dogmata Ariſtotelis de Deo cadunt.

Quod autem Deus non intelligat diſcurrendo, vtrique aſſerimus; quoniam diſcurſus eſt à noto ad ignotum. Deo autem nihihil ignotum eſſe poteſt: ergo neque in Deo eſt conſilium, quatenus conſilium eſt terminus diſcurſus, ſed quatenus eſt decretum antecedens voluntate firmatum; nam quod quædam faciat, quædam non faciat diſcurſu non decreuit, ſed actu ſimplicis intellectionis, & volitionis. Diſcurſus præterea fit in tempore, & in re dubia, & per aliud: quæ omnia à Deo excluduntur præſertim in cognitione ſui ipſius.

Variæ ſententiæ, vtrum Deus cognoſcat alia, & quomodo.

ART. V.

12. Metaph. T. 51.

SED quomodo cognoſcat alia à ſe diſſentimus. Ariſtoteles enim putat nil cognoſcere niſi ſeipſum indiuiſibile, quoniam ſi inferiora cognoſceret, vileſceret: Et materialia, ſi cognoſceret, diſcurreret. Item ait, pateretur à rebus, ergo eſſet materiali. Alij putant, Deum cognoſcere in vniuerſali, quatenus ſunt entia, non autem hoc, & illud, vt Auer. aliquando. Alij, quod cognoſcat hoc, & illud, ſicut centrum, cognoſcendo ſe, aut lux cognoſcendo ſe, cognoſcerent, illud lineas, iſta colores omnes. Alij putant: quod ſicut qui cognoſcit ſenarium perfectè, cognoſcit etiam ternarium: ita Deus cognoſcens eſſentiam perfectè, cognoſcit res omnes, quæ ſunt participibilitates eius. Ita D. Thomas. Scotus verò putat, quod Deus produxit in eſſe cognito ipſas res, in quo eas cognoſcit, ne cogatur extra ſe illas noſſe; & hæ ſunt ideæ. D. Thomas putat ſufficere, quod cognoſcantur in alio ſicut in ſpeculo: & ideo Deus non vileſcit, quia in rebus res non intelligit. Sed tamen pertingit ad intima rerum dum in eſſentia propria eas intuetur, quoniam nihil eſt in re, quod non cauſetur ab eius eſſentia, & non modo in quo communicant, ſed etiam in quo diſtinguuntur, quoniam ſunt in Deo gradus entis, viuentis, intellectiui, ſenſitiui, &c. & poſſe plures res vt quod, non vt quo, eſſe in mente Dei, quoniam vnica eſſentia ſua eſt ſpecies, quo omnia cognoſcuntur. Nec tamen ſunt illa obiecta in Deo vt plura: & hac ratione Deus intelligit plura ſine diſcurſu, quoniam non vnum poſt aliud intelligit, ſed ſimul, ſicut partes in toto, & ſicut effectus in cauſa, in termino diſcurſus, non in exordio.

Et cognoſcit enunciabilia complexa per modum ſimplicis, ſicut in homine omnia eius prædicata.

Et cognoſcit nonentia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quatenus aliquo pacto ſunt, vel in cogitatione noſtra, vel in poteſtate ſua: quoniam omnium entitatum eius eſſentia eſt ratio.

Et cognoſcit mala per ſpeciem boni, quatenus nouit eſſe boni priuationem: & idea boni repreſentat malum. Ideas vocat ſimilitudines rerum in eſſentia Dei, quatenus eſt à rebus participabilis: quod intelligens Deus format ideas, quæ faciendorum ſunt ratio, & exemplar; non faciendorum verò ratio tantum, quatenus poſſibilium. Et quamuis res variantur, tamen ſcientia non variatur in Deo, quoniam & varietatem ſcit tam rerum, quam enunciabilium; concedit tamen Deum neſcire, quæ ſciuit; vt ſciuit Chriſtum naſciturum, ſed nunc neſcit; ac diminui ſcientiam eius ex parte ſcitorum, non ex parte ſui.

Deum non vileſcere intelligendo res extra ſe, tum quia ſcientia eius non eſt paſſio, ſed actio, & intelligendo ſe vt cauſam, intelligit res cauſatas: Tum quia nihil eſt vile, aut malum, aut turpe reſpectu totius, ſed partium: multo autem minus reſpectu Dei.

ART. VI.

NOS autem dicimus, quod ponentibus, Deum eſſe cauſam omnium rerum, neceſſario aſſerendum eſt, ipſum cognoſcere omnia, quæ ſunt extrà ſe, in longè magis, quàm artifex ſua artificiata: quoniam non præſupponit Deus alterius actionem, & materiam præiacentem, ſed facit. Artifex verò præſupponit; & quot ſunt in materia particulæ, & compaginationes, & reſpectus minimè ſcit; vnde ſepè res eueniunt aliter quàm vellet, vt gladius cum rubigine, & rimulis, & flexibilis, ita vt permaneat inflexura, quoniam neſcit faber ferri atomos, & miſturas inter ſe, puritatem, & impuritatem, & vnionis qualitatem, & diſſenſionis, & concordiæ atomorum inter ſe, & caloris innati gradum, & temperiem, & reſpectus eorum ad aërem, ad aquam, ad cœlum, &c. Deum autem nihil latet, quoniam hæc omnia producit: & præter intentionem, & ideam ſuam res produci non poſſunt: ſicut non eſt rota in horologio, quam faber eius non fabrefecerit. Quapropter Deus ſcit omnia, quoniam ipſe produxit omnia: ergo ſcientia eius eſt actiua non paſſiua, & vt inuentoris, & non vt imitatoris; & vt menſura, non vt menſuratum. Si autem Deus res non feciſſet, vtique eas noſſet, non in idea ſua, ſed in rebus inſpiciendo, & tunc eſſet paſſio principium ſuæ ſcientiæ, ſicut in nobis. Deus ergo fieret ſimilis rebus, vt eas ſciret, & non res ſimiles Deo, vt eſſent. Ergo Ariſtoteles, qui negat, mundum eſſe factum à Deo, negat ideas rerum in mente Dei; & putat, Deum vileſcere, ſi reſpiceret extra ſe; & rectè; ſed iuxta dogma impium. Nam ſic pateretur à rebus, & perficeretur, & non eſſet ipſe perfectus, & diſcurrendo de partibus ad totum, ſciret totum, ſi non eſſet internus in totis. Hæc omnia inconuenientia, quæ ipſe dicit, ſequuntu

quuntur illo excepto, quòd esset materialis: nam intellectus qui passione intelligit secundum Arist. nec tamen est materialis; nisi ex opinione quorundam Aristotelicorum, qui admissa cõsequentia putant Deum, & animam esse ipsam materiam primam, vt narrat Albert. M. At si stetisset Arist. in melioribus principiis, quod videlicet, stultum est asserere, nos quippiam scire, quod ignorat Deus: & in eo quod dixit in lib. de Anima, quod scire, & sentire passio est perfectiua, quia fit cum voluptate; potius hanc passionem tribuisset Deo, quam ignorantiam, & inertiam. Profectò si cum voluptate est scientia, etiam sensitiua: voluptas autem sensus boni est; in sciendo bonum lateat oportet. Bonum autem Ens est, vt dictum est prius: ergo scientia bona etiam rerum vilissimarum, quatenus entia sunt: sic enim vilia non sunt, sed parua, hoc est minus entitatis habent: & qui minima facit absque sui abiectione, minima etiam scit absque abiectione. Etenim non facit Deus minima tanquam minima, vel quia non posset maiora facere, sed tanquam sapientissimus, & potens omnia facere; ergo & hæc minima. Hoc patet ab vsu. Non minus enim vtilitatis habet oculus, qui paruus globulus est, quàm pes, aut crus longè maioris mo lis; imò & plus Sapientiæ est in oculi fabrica, quam in toto ferè corpore; & in fabrica formicæ plus fortè quam in Elephanti. Sed & festuca, in qua nulla nobis apparet ars, ostentat diuitias Sapientiæ De, si introspectes neruulos, & pulpam interjacentem, & constructionem eius totam, & vsum. Similiter, & in capillo, & vbique, vnde Trismegistus, *Caue* (inquit) *ne dicas Deum absconditum, nulla quippe res tam paruula est, quæ non maximè Deum manifestet*: si autem consideres fines, & vsus rerum, multò magis exclamabis. At si quis intelligeret omnes vsus, & consilium Dei, quo facta est festuca, vtique extatica admiratione corriperetur. Nescio ergo quam vilitatem in rebus Aristoteles agnoscit, qua Deum purgat: si intelligat pediculos, stercus, vrinam, serpentes, non quidem videtur esse philosophus, quippe qui ignorat respectu nostri hæc esse vilia, quia nobis mala; sed non in natura: frigori calor videtur turpis, & malus, non autem aliud frigus, nec materia. Calor autem optimus est: & cum eius naturam consideramus, diuinum cognoscimus: serpens serpenti pulcher, & optimus apparet, & Aquilæ non minus, quàm nobis pauis, aut gallina: & merda, & sudor quorundam animalium est nobis zepetium; & stercus muscus odoratissimus: & merda nostra vermibus & muribus, & porcis olet. Quapropter vilitas est respectiua, non essentialis in mundo, sicut & malum; & est respectu partium, & non totius: ergo mundo, & Deo nihil vile, aut malum, vt declaratum est. Quapropter Deus cui nihil est contrarium, teste Augustino, nihil est vile, nisi Nonens, & peccatum quatenus nonens. Non ergo vilescit Deus noster vniuersalis, sed Deus Aristotelicus partialis. At quid stultius est, quàm partem facere Deum, & non magis totum?

Qua ratione scientia est cum voluptate, & est sciens ipsum scibile, vel fit: Deum esse scientissimum omnium, quia est omnia; & posse plura simul scire sine discursu, quoniam per vnicam sui ideam scit, quæ vt causa participabilis à rebus infinitis, est rationes plures possibilium, factorum verò ideæ plures: & Scotum si hoc ità intellexit, non errasse.

ART. VII.

IGITUR cum voluptas sit in ipsa scientia, vel quia anima sciens se melius posse seruari putat ex scientia bonorum assequendorum, & malorum declinandorum, vt considerat Telesius: aut quia fit amplior, & plusquam est: quoniam scire est fieri etiam res scita, vt superius docuimus: Dei scientia est cum maxima voluptate: ergo nullius rei caret cognitione, & omnia potest per illam facere, & ordinare ad sui gloriam, sicut nos consequi & vitare. Et quia scire in nobis est esse, quoniam quæ ignoramus non sumus, sed cum facti fuerimus, tunc sumus, & scimus: Deus qui est iam omnia, scit omnia; est autem eminenter: quoniam *sine ipso factum est nihil.* Ergo quidquid fit in eo est, sicut pars in toto, quoniam participatio est diuini esse: & sicut artificiatum in artifice.

Nec pluralitas obest illi, quoniam in vna essentia relucent, non in pluribus simulacris, aut speciebus, sed in vna sui idea, infinitis modis participabili: & istæ participabilitates sunt ideæ: sunt enim ipsa essentia Dei, non vt sic, sed vt intellecta participabilis innumeris rebus. Ita quod idea absolutum, & respectiuum simul includit: & non fit à Deo extra se, neque in se post actum intellectus intelligentis res, aut ideas rerum, sed per ipsam intellectionem, dum intelligit se participabilem. Cum autem omnis entitas sit à Deo, constat omnia intelligere Deum in se: sicut homo intelligendo perfectè artem suam, omnia artificiata infinita intelligit.

Sed in hoc notandum, quod Deus non producet ideam, vt exemplar faciendorum, nisi addita voluntate; vt rationem verò cognoscibilium ante actum voluntatis; haud tamen non præuisum, si scientia simplex includit etiam intuitiuam, & quidquid voluntas decretura est præscit: vti S. Thomas aliquando vult (si tamen ly ante in ipso esset) producit. Et ideo Scotus benè dicit, ideas produci, quia res producuntur à Deo in esse cognito; sed hoc est verum de rebus, quas aliquando fecit, aut facit Deus: non de his, quæ potest facere, & non facit vnquam. Si tamen intelligit,

esse cognitum, hoc est, esse approbatum, & volitum, vt Platonici doctiores: & horum propriè est idea; aliarum possibilium est tantum ratio: sed quidem non sunt ad vsum cognoscendi, sed operandi, nisi concedamus cognitione visionis, & non intelligentiæ simplicis, secundum quam sunt rationes, & non ideæ. At quomodo cognoscat distinctionem rerũ vix olfacimus. De compositione clarum est, quod cum partes compositorum sint puræ ideæ, vel diuersæ participabilitates eiusdem ideæ, quas simul in vnica sui essentia intuetur Deus, potest simul cognoscere, & nõ sicut putat Arist. per discursum: Discursus .n fit, quando prius cognoscitur vna pars, quàm reliqua: & totum, aut accidens, vel operatio absq; substãtia: sed cum omnia sint in causa suprema, & sint vna res ad plura respiciens, qui perfectè eam vnam rem intelligit, noscit illa plura, vt in vno, & simul; quoniam præteritum, præsens, & futurum coëxistunt causæ, vnde omnis pendet entitas; ex qua, & ex nonentitate, nascitur successio.

Deum cognoscere distinctiones rerum, & singularitates, sicut nonentitates, terminos entium, & non sicut entia, vel sicut carentiam in vno, & existentiam in alio; vel sicut in vno ordine: & contrariæ sententiæ examen.

ART. VIII.

VT autem sciamus, quo pacto cognoscit in se distinctionem rerum, oportet etiã nosse quo pacto nonentia Deus nouit: Dicunt, quia nonens est aliquo pacto ens, vel imaginatum, vel possibile, nosci scientia intelligentiæ simplicis. At non declarant quo pacto Deus ipsum nihilũ intelligat. Porrò cum nihilũ non sit in Deo, neq; extra Deum, nullo pacto cognoscitur, nisi per ens, quatenus scilicet cognoscitur esse carentia entis, vt in 1. lib. dictum est: sic & malum, quatenus est carentia boni; vel quatenus est huic malum hoc, sed non simpliciter, & secundum se.

Sed quod per se non cognoscitur, sed per aliud, cognoscitur per discursum. Deus autẽ non discurrit: quomodo ergo cognoscit ignorantiã per scientiam, & debilitatem per strenuitatem, & minus bonum per maius, & nihilum per ens absq; discursu?

Respondeo quod Deus cognoscit res prout sunt; malum & nonens non sunt, nisi quia entis, & boni sunt negationes, & priuationes; ergo tanquam negationes, & priuationes cognoscuntur: ergo per esse rei negatæ, vel priuatæ, & non per discursũ temporaneum, neque per esse quod non habet, sed per nonesse, quod habent in alieno esse: mira res, & sic est: esset discursus, si de re in rem procederet, non autem quia in re Nonesse cognoscit in vero Esse.

Quapropter cum distinctio rerum sit à nonesse, non videtur rectè dictum, quod in essentia Dei reluceant non solum res, & in quo communicant, sed etiam in quo distinguuntur: patet enim quod homo non est lapis: hoc non esse lapidem in Deo non est, quoniam omnis entis entitas est, & nulla nonentitas, vt probatũ est: si enim in Deo esset distinctio, multò magis esset contrarietas, qua calor non est frigus. Omnis enim distinctio est soboles nihili: & cum dicitur, quod in Deo est viuere, esse, intelligere, quo entia à viuentibus, & intelligentia à non intelligentibus, distinguuntur; non videtur rectè dictum: quoniam esse in Deo non separatur ab intelligere, & viuere, & sentire, & cæteris gradibus entis: sed sunt simul & vnum: separantur autem in nobis per nonesse, non per esse. Non enim lapis est non intelligens per lapideitatem, sed per priuationem, & negationem intelligentiæ, & per non habere intelligentiam. Neque Petrus non est Paulus per petreitatem, sed per non pauleitatem, quæ est in confinio petreitatis: & quamuis dicant Peripatetici, differentiam constituere, & distinguere, intelligendum est quatenus participat de esse, & limitatione, quæ est à nonesse: vt hominis differentia sit rationalitas, quæ dicit esse hominis, & non esse leonis: quid ergo dicemus? si Deus expers est omnis nihilitatis, quomodo cognoscit distinctionem rerum, & quomodo illam fecit?

Respondendum, quod quomodo facit, ita cognoscit: facit vtendo nonente tanquam ente, ergo intelligit nonens per ens. Cum ergo Deus intelligit essentiam suam participabilem multis modis intelligit modos illos. Modus autem est limes, & finis rei: res autem extra suum finem non est illa, nisi Deus carens fine: ergo cognoscit quantum deficit res illa modificata à sua infinita essentia per hoc quod scit quantum participat: ergo non in sua essentia Deus cognoscit distinctionem, tanquam per simulachrum, & speciem, sed tanquam negationem eius in re finita: quoniam totam essentiam suam comprehendit infinito intellectu suo, qui est esse suum: & in toto omnes partes intelligit, non quia in eo sunt partes; sed quia participabilis ad extra est sub quibusdam modis, qui sunt ideæ: vnde patet vnam esse ideam Dei essentiam, sed respicere innumerabilia extra se limitata, & illos respectus perficere pluralitatem idearum, sicut qui eadem idea domus cogitat facere magnas, & paruas domus multas.

Præterea quoniam in rebus factis, licet pluribus, seruatur vnitas ordinis, quoniam ab vna idea sunt: in ordine autem est distinctio, & vnitas, nonens, & ens: patet, quod Deus vtitur vtrisque vt dictum est. Item, quia distinctio vnius rei ab altera fit per defectum entitatis illius rei, quæ est in altera: vt homo distinguitur à boue per carentiam bouinitatis, quæ est in boue; nonens, id est, carentia hæc cognoscitur à Deo, quatenus est, & existentia in alio. Cognoscuntur ergo rerum gradus, & distinctiones, quia sunt rerum, & non quia non sunt entitates, & negationes.

Vnde palàm est, quod non rectè arbitrantur aliqui, Deum cognoscere ens, & vniuersale tantum, quoniam hoc esset cognoscere confusum,

& imperfectum, vt probatum est in primo lib. Te is autem cognoscit omnes singularitates rei, quoniam materiam, & partes eius, & caloris gradus, & frigoris, & actiones, & tempora intelligit, non quidem applicando vniuersale ad particulare, vt putant, nam oporteret prænosse particulare, vt possit fieri applicatio: neque tanquam in causa vniuersali; sic enim singularitates rei ignoraret: sed propriè omnia scit, & penetrat singulariter, quoniam est omnium causa sapientissima, & non latent ipsum effectus eius. Et quamuis distinctio, & limitatio sit à Nonente, tamen res si limitatæ & distinctæ sunt entia: Et Deus per entitates tales, & tantas, & tunc, & ibi cognoscit singularitatem, & distinctionem, & negationes. Et quidem Caietanus super art. 6 eiusdem quæstionis sæpè repetit, *Deum cognoscere in se omnem perfectionem positiuam reperibilem in quacumque re: ita quod nulla res comparata ad ipsam addit aliquid positiuum, quod non reperiatur in essentia Dei, &c.* Et alibi sæpè declarauit diuisionem esse nonens & negationem: vnde miror, quomodo nunc distinctionem ponat in essentia Dei relucere per se. Et quomodo alibi vocant diuisionem habitum, vnitatem verò priuationem, quia est indiuisio; quod satis apertè in 2. lib. reprobauimus, ostendentes, vnitatem esse habitum, & ens; diuisionem verò priuationem: ex quo sequitur, quoniam perfectio positiua tantum in Deo continetur, & non priuatio, quod singularitas, diuersitas numeralis, & generica, & contrarietas, & differentia, & numerus, non sint in Deo, nisi fortè fundamentaliter, & per eminentiam alibi consideratam ex mysterio.

Post hæc inuenio, quod distinctio & nonesse actualium visionis scientia scitur. Possibilium verò, simplici intelligentia. Nam verè in natura Petrus non est asinus: sed quod Mundus secundus non faciendus à tertio non faciendo distinguitur, simplici intelligentia scitur.

Scientiam Dei non augeri, neque diminui, neque variari ex rerum auctione, diminutione, & variatione: quoniam est in æternitate, & mensura, & causa, &c.

ART. VIII.

NON videtur mihi scientia Dei augeri posse. Nam quæcunque futura sunt sciuntur à Deo in æternitate, tanquam præsentia etiam scientia visionis: quoniam videt res quando sunt, & quomodo sunt, siue in potentia, siue in actu, & ipsa contingentia in causis suis nouit, quoniam rectè nouit ad quam partem contingentiæ inclinaturæ sunt causæ; vt vtrum ego cras scribam, vel ne. Nam licet mihi contingens sit, & liberum, tamen ipse scit, ad quam partem inclinabor. Nec mihi videtur rectè intelligi dictum illud, quod contingentia non sunt cognoscibilia à Deo, quatenus sic. Nam siuè entia, siuè nonentia à Deo prænoscuntur; sed vt indeterminatæ sunt causæ non cognoscitur effectus in eis. Deus tam nouit quomodo determinabitur: vtrũ autem eius prænotio necessitatem inferat rebus, in seq. lib. declarabitur. Item quia Deus videt rem futuram, vt præsentem: præsens autem necessario est dum est: omnis res nota est illi necessario existens siuè in causa, siuè in effectu. Contingentia enim nascitur ex ignorantia nostra, & defectibilitate causæ, quæ Deo notæ sunt. Non ergo additur scientia Deo ex re facta. Nam vel fiant ex Dei decreto, & sic ineuitabiliter eueniunt; veluti entia necessaria: vel ex decreto humano facto à Deo libero: & quia non prædeterminato à Deo, quia non temerat libertatem: & quia Deus in suis ideis scit infinitos actus, & modos actuum, ad quos libertas humana potest se determinare: inter quos est ille ad quem se determinabit, ideo dicendum est, quod ex coexistētia futurorum in æternitate Deus præscit in particulari, quod non prædeterminauit, nisi in communi, vt homo scilicet faciat quidquid velit. Igitur non additur Deo scientia ex re facta, quamuis nec decreta à se, nec dum à libertate causæ contingentis. Nec Deus cognoscit prius causam & postea effectum, sed simul, alioquin proficeret in scientia, & discurreret, ait D. Thomas in 1. sent. d. 38. q. 1. ar. 5.

At hæc minuitur Dei scientia ex re destructa; ex eo enim quod sciebat Christum nasciturum, & nunc iam natus est, non cessat scientia hæc in Deo; neque quia scit me nunc scribere, cum non amplius scribam, minuitur scientia Dei, quoniam cessat scire me scribere. Nam Deus omnia scit in æternitate: postquam autem res facta est, aut destructa est, idem scit quod sciebat, hoc est, Christum nasciturum, & natum, & non amplius nasciturum. Non enim succedit illi scientia per tempus, sicut nobis. Quare dicimus, Deum modo scire, quæ sciebat antequam Christus nasceretur; nec quia Socrate sedente, hæc est vera, Socrates sedet; & surgente, est falsa, cessat Dei scientia, quoniam eadem erat ante, videlicet, quod sedente, sit vera, non sedente, sit falsa propositio: sed decipimur, quoniam tempus nos occupat ne æternitatem sapiamus. Et miror quomodo de propositione hoc concedunt, & non de re, cum sit eadem res in signo, & in exist entia: si ergo non variatur scientia Dei ex esse, & nonesse rei, neque ex falsitate, & veritate propositionis variatur, quoniam nunquam accipit vnum pro alio, sed verum, & Ens, vt verum & Ens; falsum &, nonens, vt falsum & nonens. Igitur quæ sciuit, scit, quoniam præteritum, præsens, & futurum in eo locum non habent: sciuit Christum nasciturum, & nunc scit quod erat nasciturus, & vt nunc scit natum, ita tunc sciebat, quod nunc esset iam natus.

Tempora verò, & mutationes scit per hoc, quod scit entitates rerum & nonentitates, & quomodo ex defectu entitatis fit successio, & motus; defectum autem nouit sicut nonens.

Mensuram verò potentiæ, quoniam scit quantum de sua entitate participant, & quantum non

participant. Et qui dixerunt lucem cognoſcendo ſe cognoſcere colores, ex parte verum dixerunt: ſed quoniam ex miſtione tenebrarum fiunt colores, ipſa non cognoſceret colores, ſi ſeipſam modo nouit. At Deus qui facit entia, & ex miſtione nihili es ſentiata ſunt, cognoſcit entia, vt dictum eſt, per ſui eſſentiam, & nihilum per defectum eſſentiæ in rebus, & mutationem per hoc quod magis, minuſque entitatis paulatim participant; & ipſe vtitur nonente tanquam ente. Qui plus ſapere cupit inueniet ineſtigabiles vias eius.

DE AMORE DEI.

IN PRIMO ENTE IDEM ESSE AMANS, Amatum, & Amare, ex noſtris principiis: Et non exactè doceri ex Ariſtotele, & Peripateticorum ſententia, quod Deus nil amet, niſi ſeipſum, cui Plato videtur fauere, & alij.

CAP. VI. ART. I.

DE Amore diuino dictum eſt ſuperioribus in ſermonibus: deueniendum nimirum eſſe ad primum Amorem, primamq; Voluntatem, qua omnes appetitus Amores, & voluntates, & propenſiones ſunt: & profectò Philoſophi omnes cognouerunt in Deo eſſe voluntatem, & Amorem ſui ipſius. Res quidem omnes propenſionem habent ad proprium bonum, qui eſt Amor, & voluntas, & Appetitus, quo tendunt in ipſum: & cum ipſum bonum habent, in eo quieſcunt: & hæc quies eſt oblectatio, & voluptas, differens ab Amore tanquam à ſuo vniuerſali, quoniam Amor eſt mouentis ſe ad finem, & quieſcentis in fine. Differens verò à deſiderio, ſicut id, quod eſt in fine motus ab eo, quod eſt in motu nondum finito. Declarauimus quoque, Amorem eſſe Primalitatem eſſentialem conſtitutiuam, & conſeruatiuam entis, ſicut & Poteſtas, & Sapientia: contra alios philoſophos; & quòd actus Amoris ad exteriora accidens eſt, quoniam ex carentia boni adeſt: ad intrà verò eſſentiale eſt. Quapropter cum in Deo non ſit boni illius carentia, ſeipſum tantummodo amet, & velit oportet: & idem eſſe amans, & amatum, & Amorem, rectè ſequitur ex principiis noſtris: ſed enim amare eſt tendere in finem, vel quieſcere; tendentia autem eſt tendentis entitas, vt declarauimus, & quies eſt ſtantis entitas: & tendentia habet quid de noneſſe, quies autem totum eſſe: cum ergo Deus non tendat in bonum ſuum, ſed habeat, conſequens eſt, vt Amor eius ſit eſſe eius.

Hoc idem probauimus, & ratione, qua Amans efficitur res amata: ergo ſi amans eſt res amata, magis illam amat; ex quo palam fuit, quod amare ſit eſſe.

Peripatetici autem non habent vnde hoc demonſtrent; quippè quibus amare eſt actus amantis, & Amor accidens: vnde nec Ariſt. demonſtrauit, intelligere Dei eſſe eſſentiam Dei, niſi ratione ducente ad impoſſibile, quoniam, inquit, ſequeretur, quòd Deus eſſet in potentia ad accidens, & perficeretur aliunde. Hoc autem non eſt demonſtrare quidditatem, ſed contrarium noneſſe. Cum verò loquitur de appetibili, & appetitu diuino, quoniam idem (ait) eſt intelligibile, & appetibile, hoc eſt, amabile per voluntatem rationalem. Nam in nobis diſtinguitur appetibile ab intelligibili, quoniam ſequimur ſenſibile bonum, aliquando non verum, ſed apparens, ſequitur, quod ſe Deus intelligendo, ſe quoque amet, atque maximè delectetur: quoniam operatio omnis actualis eſt cum delectatione, vt ſentire cum delectatione ſenſitiua, & intelligere cum intellectiua, quæ maior eſt, quoniam purior: & quia intelligibile eſt nobiliſſimum, ergo delectatio eius eſt excellentiſſima. Vnde ſubdit Auic. *primus excellentior apprehenſor cum excellentiore apprehenſione excellentioris apprehenſi. Ideo eſt excellentior delectator cum excellentiore delectatione in excellentiore delectato: & hoc eſt in quo nihil comparatur, &c. & eſt in vltimo gradu perfectionis, eo quod intelligit ſe in tali vltimo, & cum perfectione intelligendi, & cum intelligentia intelligentis, & intellecti, quod vnum ſunt perfectiſſimè: ideo ſui ipſius maximus amator, & amatum, & delectans, & delectatum, quoniam delectatio non eſt niſi apprehenſio conuenientis, ſecundum quod conueniens eſt, &c.* Vnde patet nihil eos declarare, quod volunt, ſed tantum aſſerere, quod verum eſſe aliunde acceperunt: & quia ſimiliter iudicat de intelligere, & de Amare diuino, cōſequens eſt, vt vileſcat Ariſtoteli, Deus, ſi aliquid extrà ſe amet. Nō enim amat, quod non intelligit: exteriora non intelligit, ne vileſcat, ergo multo minus amat. Multo enim nobilius eſt vilia intelligere quàm amare: nam quidem venena noſſe non eſt malum, ſicut velle.

Plato quoq; videtur idem docere in ſympoſio: vbi cum declaraſſet, amorem eſſe dæmonem, & non Deum, quoniam ex parte pulcher eſt, quia amat pulchra, ex parte verò turpis, quoniam ſi haberet pulchra non amaret; putat, Deum, omnis boni poſſeſſorem, nihil extra ſe amare. Quapropter Amorem ponit inter dæmones partim bonos, partim minus bonos: & probat hoc ex eius natiuitate, quia eſt filius inopiæ, & conſilij. Nam quia caremus, appetimus; ergo ex conſilio replendi defectum, tendimus in bonum: & hæc tendentia eſt amor. Cupido enim cibi

nascitur ex fame, & inanitione, & ex consilio instaurandi, & replendi exinanitum, vt ne moriamur; fœminas quoque vt per prolem perpetuò viuamus, quia perpetuitate in nobis caremus: honores quoque ob idem, & vt amplius, & longius viuamus, qui autem hæc in se habet, non videtur appetere. Quapropter cùm in Deo sit copia, gloria, & honor, pax, & omne bonum; non videtur exteriora cupere, quoniã in eo nulla inopia est. Multò magis Epicurus, si Dij sunt, putat extra se nihil amare, nec cura rerum solicitari: quod Aristot. valde placet: sed curam inferiorum committit intelligentiis ex parte, quæ dum mouent orbes quasi instrumenta consequendi id quod amant in Deo, scilicet eius diuinitatem, causant inferiora: quibus tamen contingit euenire multa à casu, quoniam series causarum rescinditur, & impeditur sæpe; vt dum pluit propter frumentum & herbas, sæpe frumentum in area collectum perditur: Vnde Plutarchus, & Galenus adscribunt Arist. negasse prouidentiam in inferioribus, sed fortunæ dedisse, & casui multa. Rabbi Moyses verò eum sequutus circa species prouidentiam extendit, non circa indiuidua corruptibilia: excipit tamen de se hominem ob excellentiam intellectus. Idem Alexander, at sine exceptione.

Amorem Dei erga res alias ex Abundantia, non ex Inopia emanare: & esse causam, & non effectum Boni, & amare quod sunt, non quod non sunt: & quod sunt vnum cum Deo; & non vilescere Deum amando alia à se, quoniam amat amando se, & efficiendo ex hoc illa.

ART. II.

NOS autem in superioribus ostendimus, amorem accidentalem esse filium inopiæ, & consilij: quippe qui ad extera porrigitur: sed essentialem esse sui in se; & non inopiæ, sed copiæ sobolem, nec consilij, sed sapientiæ, qua sapimus, & gustamus, quod apprehendimus: & rectè Poëtas illum fecisse prolem Veneris; hoc est, voluptatis, quatenus voluptas est gustus, sapor, & sapientia boni: & quia amor exterior oritur ex interiori: ex eò enim, quod homo amat se, amat cibum, & filios, & patriam, & honores, in quibus æternatur esse suum prius, magisque amatum; consequens est, vt qui amat se, & agnoscit in se deficientiem, amet ea, quibus instaurat, fulcit, & seruat se deficientem; qui verò amat se, & non cognoscit in se deficientiam, amat res alias ex abundantia amoris sui erga propriam bonitatem. Quapropter non est quærenda ratio amoris externorum semper à carentia & inopia, sed aliquando ab ipsa copia: ergo Deus amat se propter se, & primò: amat verò alia à se, non quia sibi aliquid deficit, quod ab aliis acquirendum est, sed quia exuberat in amore suo: & amor eius exuberans, & non indigus facit res esse; consequens est, vt amor eius sit actiuus, non passiuus: ergo non afficitur Deus à rebus amatis, sed afficit, & efficit res volitas, & amatas: ergo non vilescit Deus ex eò quod muscas amat esse: non enim prius sunt, & deinde earum amore capitur Deus: sed dum amat, facit vt sint. Doctè ergo Theologi aiunt, amorem Dei facere bonum amatum, & non effici à bono amabili, sicut amor noster efficitur à re, quam inuenimus bonam; quod Arist. nihil considerauit.

Amat autem res Deus, quoniam amat se: ipse autem est omne ens causaliter, & eminenter: quatenus ergo omne ens est Dei participatio, amat illud Deus amore, quo amat esse, sed modificato: sicut enim potentia, & scientia, qua [illegible] suum esse, & potest semper esse, scit entia alia à se, & potest, hoc est, facit terminando, & limitando vim infinitam, & amorem infinitum, & sapientiam infinitam, limitibus nonentis: vnde rectè dicunt Theologi, quod ex parte actus voluntatis omnia æqualiter amat, quia eodem vnico actu amat se, & alia: sed ex parte boni voliti in rebus ac terminati, non æqualiter. Nec enim esset aliquid alio melius, si Deus non amaret magis vnum, quàm alterum, cum amor eius sit causatiuus, & non causatus: similiter res ipsæ infinitæ essent sicuti Deus, si infinito amarentur amore in se, vt in Deo: Modificatio autem accidit ab eò, quòd non totum esse, sed aliquod, & partem dat rebus. Amat ergo res sicut sibi ex parte similes: simile autem in eò, quòd simile vnum est illi, cui est simile, vt probatũ est: ergo Deus amans se vnum, omnes res amat, quatenus sibi similes, & non quatenus dissimiles: & quatenus similes facit eas, quatenus dissimiles non facit, sed vtitur nonente in ipsarum factione. Amat ergo Deus hominem, quatenus homo est, non quatenus non est Angelus, neque lapis; sed non esse Angelum, neque lapidem à Deo non habet; nec Deus dedit, sed vtendo nonesse, quod non erat, efficit, vt homo non sit Angelus, nec lapis. Homo autem in eo, quod non est Angelus, nec lapis, est Deo dissimilis, quoniam nonens: ergo & peccatum, & mortem, & cæteras priuationes Deus non amat, quoniam ab eo non sunt, & dissimiles sibi sunt: neque ergo passiones, neque defectus, neque ignorantias, neque odia, neque alia mala: vtitur tamen eis, vt dictum est. Et quamuis quidam Theologi dicant, Deum facere malum pœnæ, quatenus est mistum bono iustitiæ, & contingentiam, & defectum, & dolorem, & corruptionem, quatenus mista sunt ordini rerum, & generationi aliorum; tamen non dicimus hoc esse velle, & amare, sed permittere, & vti ea ex parte, qua nonens sunt. Nec ipsi demonstrant, quod dicunt; nos autem ex dissimilitudine malorum cum Deo summo bono id comprobamus.

QVÆSTIONES PROBANTES, RES A DEO *non fieri, vel non amari, vel necessitate quadam fieri: & nil vtilitatis habere: & frustrà factas esse.*

CAP. VII. ART. I.

SED videtur Deus impertinenter, & superfluò res creasse, & regere: quandoquidem nullo sibi sunt vsui, neque ad honorem, neque ad voluptatem, neq; ad sui conseruationem. Nam licet amor eius exuberet, non tamen ad inutilia fluit: Vnde videtur vel aliqua necessitate compulsus, vel ad gloriam suam velle res exteriores, vt dicit Propheta: *Cœli enarrant gloriam Dei:* & alius: *Omnia propter seipsum fecit Deus*: vel res semper fuisse, vt Arist. dicit. Nec quidem ratio D. Thomæ locum habet, ait enim, quòd res naturales non solum volunt se conseruare, sed facere alias res, quando perfectæ sunt, vt homo perfectus generat hominem, non puer imperfectus homo: ita Deus inquantum perfectus est; vult se tanquam finem, & res alias facere, quæ eius bonitatem participent: & tanquam ad finem) ex hoc enim sequitur quod aliquid perfectionis accrescat Deo, cuius contrarium contendit alibi: item si hoc verum esset, faceret res meliores, vt magis suam ostendat perfectionem: ergo terram maiorem, & solem maiorem, & mundum meliorem, & plures mundos: & homines sapientiores; & ne possint peccare: Quare non videtur Deus liberè agere, sed quantum potest: nec meliores posse præstare effectus.

Psal. 118
Eccl.

Item scit multos homines futuros improbos, adeò vt dicat: *Pœnitet me fecisse hominem*, ergo non ex perfectione, & exuberantia bonitatis vult res exteriores, sed quadam necessitate; vt quid enim nouis legibus, & reformationibus indiget homo? Cur Deus non facit ipsum perfectissimum, vt non peccet? Vel ergo non vult bonum nobis: vel non potest: vnde in Epicurum, aut in Aristotelem, aut in Platonem relabimur.

Gn.

Præterea, si Deus, qui est finis rerum, potest esse sine rebus, vt quid eas fecit? Præsertim homines, in quibus non est, qui faciat bonum? vnde eius contemptus, & vituperatio nascitur, potius quàm honor? si indiget, necessariò vult, & facit; si indiget non simpliciter sicut nos cibo, sed vt dicunt ad bene esse, sicut nos iumento ad iter: vnde hoc bonum Deo in tot malis: & quare facit homines, quos scit esse damnandos, quærunt alij? An facit & relinquit eos absque prouidentia?

Responsio ad quæstiones propositas.

RESPONDEO, Deum posse carere rebus factis, sed res factas non posse carere Deo, & tantum habere de potentia, quantum de esse: & tantum de sapientia, quantum de veritate: & tantum de amore, quantum de bonitate ex participio Dei; & omnino cunctas amare Deum magis quàm seipsas: quoniam amant se esse semper & vbique: ipsæ autem non sunt semper, & vbique, sed Deus est semper, & vbique; ergo dum amant se, amant magis Deum, sicut in 1. lib. huius partis demonstrauimus. Fecit ergo omnia Deus per bonitatem exuberantem: & hoc Plato docet in Timeo, qui licet alibi posuerit amorem extra Deum, loquendo ex persona aliorum, qui Inopiæ filium modò norunt amorem exteriorem; tamen hîc probat fecisse mundum, quia bonus. Bonus autem non inuidet sed amat, vt sint quæcumque possunt esse: Hoc autem resultat ad gloriam suam, quoniam ipsum amant res, ac repræsentant, non tamen ipse hac gloria non potest carere, sed illæ: non enim possunt esse nisi in eo, amando eum, & imitando. Nec quia aliqua Dei gloriam videntur labefactare, vt peccatores abutentes dono diuino libertatis; Deus non debuit hos facere. Nam bonitas Dei non debebat exuperari ab horum malitia: nec metum pati, ne ea producat, Item nec effugiunt Dei legem, & prouidentiam. Nam etsi aliquam bonitatis partem effugiunt, quæ est misericordia, incidunt in aliam, quæ est iustitia, & ad ordinem rerum, hæc omnia requiruntur, vt mox declarabimus. Non ergo Dei impotentia, aut malitia vlla ostenditur ex hoc, aut ignorantia: Ipse enim ab æterno sciuit, res ità futuras vti sunt, & sic eas voluit; & se pœniturum, & puniturum ob melius: sed multum latet hoc melius, & reuelandum expectamus: tamen eius vim; & scientiam, & bonitatem, experti, in hoc quoque latere putamus, quod non videmus; Similiter vtrum malum physicum melioret mundum: Morale verò deteriore, infra docebimus.

Similiter autem cur non meliora, & maiora faciat, ipse scit: sed hoc optimum visum est sibi, quoniam ita placitum est sibi: hoc autem quis intelliget? Tandem ad Dei perfectionem pertinere dicimus, vt faciat, & velit res alias à se, sicut perfectus homo generat hominem: sed duo caue in hoc exemplo: primum, quod si hoc verum esset, Angelus quoque faceret Angelum. Vnde patet, hominem conscium suæ mortalitatis facere hominem. Deum verò producere Deum, diximus, ex abundantia entitatis: qua etiam non potuit extra se producere, quoniam infinitum extra infinitum esse non potest:

Et hæc quidem productio sufficit ad Dei perfectionem: sed quod producat alia extra se, exemplum illud non conuincit; nisi quod sit aliqua abundans perfectio. Non enim quia homo generat, est perfectus, sed quia potest: Nam puer non potest, & tamen mortalis est: sed perfectus potest, & licet hoc sit ad consulendum mortalitati, tamen posse consulere perfectio est: ergo quia hic amor nascitur ex inopia, & ex consilio, est ex parte index mali, ex parte verò boni: hoc est, patris & matris: in Deo autem caret matre isthac: & ex superfluo voluptatis est.

Qui autem putat hanc superfluitatem inutilitatem, in se non experiri illam meretur: in hoc quidem latet consilium Dei; & bonitas multa relucet. Item amor Dei vt in nos terminatur, participat nonesse: ex eo enim quod non eramus, nata est voluptas, vt essemus, & ex consilio voluntatis suæ: ergo etiam in Deo est amor filius consilij & inopiæ: non inopiæ suæ, sed nostræ: Nos enim in nobis non eramus; sed in eo vita eramus: si enim in nobis fuissemus, facere nos noluisset. Eramus enim, sed facere voluit, quia non eramus. Ergo Deus mouetur à nonesse? Absit, sed ab exuberantia sui esse, qua & nonesse vincere voluit nostrum: fecit ergo nos ad benè esse nostrum, non suum, quoniam non indiguit: sed resultat ad bene esse suum accidentale in nobis, quatenus similitudinem eius gerimus.

Et mala sunt partialia, & respectiua, non essentialia, & totalia. Et voluntas Dei non mutatur, nec necessitatur, quoniam ab æterno voluit quidquid fit, & mutationes vult, non tamen mutatur, quoniam vult res rebus succedere; & voluntas eius vniuersalis semper impletur, non autem particularis. Particularis autem declaratur in particulariter iubendo, vetando, consiliando, faciendo & permittendo: de quibus sermo nos manet. Dicimus etiam Deum liberè agere, nec tamen posse non facere, quæ voluit facere, quoniam non potest mutari: sed quia potuit non velle. Nec enim posse peccare est pars liberi arbitrij, vt quidam putant: sed defectus liberi arbitrij, proueniens à nihilo, ex quo nati sumus; teste D. Anselmo, alioquin dedisset nobis Deus libertatem ad peccandum, quod est impossibile: sed dedit nobis posse benè agere, & posse non malè agere, vt ait S. Iustinus: at non dedit, sed reliquit nobis posse peccare, quod ex natura nonentis habemus; reliquit & brutis: sed illis non imputatur ad culpam, quoniam non habent liberum arbitrium datum ad custodiam naturæ, & rectitudinis: sicut nos habemus, qui peccamus eligendo minus bonum ex volita ignorantia hîc & nunc: Deus autem non potest eligere, nisi summum, quod est ipse, & semper, & omnia propter seipsum; quod qui imitantur, nunquam peccant.

FINIS LIBRI VIII. PARTIS II.



THOMÆ CAMPANELLÆ PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICORVM DOGMATVM,

PARS SECVNDA.

LIBER NONVS.

DE TRIBVS MAGNIS Influxibus Primalitatum.

CVNCTIS IN REBVS, ET IPSARVM in constitutione reperiri Necessitatem, Fatum, & Harmoniam & à tribus Primalitatibus Influxus magnos esse, & de his habendum esse sermonem.

CAPVT I.

POSTQVAM de Potentia, Sapientia, & Amore, essentiantibus Ens, & de oppositis essentiantibus Nonens, & de ipsorum obiectis, sermonem fecimus, atque ad Vnius naturam transcendimus, cuius Potestatem, & Sapientiam, & Amorem puras vidimus in se, nullis mistas nihilitatibus: vnde omnis entis ipsum agnouimus principium, quem Deum Nationes appellant. Nunc de Influentiis magnis dicendum restat, de Necessitate nimirum, & Fato, & Harmonia, pendentibus ab illis: vidimus enim generationes rerum, & mutationes rerum, & reuolutiones cunctarum rerum per eas absolui. Pluuia quidem necessitate fit, quoniam Sol vapores sursum necessariò eleuat, & condensatione accedente in pluuiam fiunt, quæ grauis facta de necessitate deorsum cadit. Atque id quodam Fato fit, concurrente terra vaporabili, & Solis actione, & condensatione ex cœli, & temporis dispositione: & tandem id resultat in Harmoniam, quoniam tellus per pluuiam instauratur, & germinat herbam, & nutrit animalia. Idem intuere in excrementis. Nam necessariò dum coquitur sanguis, fæces combustæ remanent: & hoc Fato fit ex concursu multarum causarum, scilicet panis manducati, & caloris agentis in angusto iecore, & spiritus sequestrantis: quæ causæ Fato conuenerunt; id quoque in Harmoniam resultat, & propter melius: quoniam sanguine mundato, fæces,

fæces, qui sunt melancholia deseruius ad excitandam famem in ventriculo, ne pereat animal, si non comedat & ad stimulandum spiritum ad metum malorum, & ad contemplationem; excrementum colericum ad iram, & robur, & ad expellendas noxias fæces, & omnia nociua, stimulus est; sic de cæteris. Idem in arti bus inuenimus: quoniam lapides grauiores, & corpulentiores ponit ædificator in fundamento de necessitate, ne positi in tecto, cadant pondere deorsum in ruinam domus: leues vero, & ligna in tecto, quoniam necessitas posuit leuia sursum, grauia deorsum: hoc etiam fato factum est ex causarum serie, vt alia sint leuia, & parua, alia grandia, & grauia.; & vt hoc tempore iste ædificator illis indigeret. Hoc autem simul resultat in Harmoniam: quoniam grauibus melius est deorsum esse quod appetunt, & leuibus sursum quod appetunt, tum gratia sui, tum gratia domus formandæ aptius, & stabiliendæ, tum gratia habitatorum. Et quoniam quod est melius respicit Amor, & quod ordinatur respicit Sapientia: & quod necesse est esse respicit Potestas causarum, idcirco influxum Potestatis vocamus Necessitatem, Sapientiæ Fatum, Amoris Harmoniam. Et hęc sunt instrumenta Vnitatis supereminentissimæ, quibus Vim, Sapientiam, & Amorem suum communicat, & modificat in rebus. Harum influentiarum defectus ob Nihili participium sunt Contingentia, quæ defectus est Necessitatis: Casus Fati: Fortuna Harmoniæ.

DE NECESSITATE, PRIMA INFLVENTIA Potestatiui.

NECESSITATEM ESSE ENTIS MODVM impossibilem aliter se habere, & ex sex generibus causarum singulatim oriri, & ex multis, & ex omnibus, in rebus, & in signis: & reduci ad primum necessarium, vt omnis Potestas ad primam actiuam.

CAP. II. ART. I.

OMNES appellant Necessarium id, quod non potest aliter se habere; quod autem non potest aliter se habere, necesse est ita se habere; quod autem sit sic, & non aliter, videtur à causis rerum esse. Causarum autem genera sex nouimus Materiam, Formam, Agentem, Ideam, Finalitatem, & Finem: ex his ergo necessitas oritur.

Necessitas finis est duplex, vel simpliciter, vel ad melius: vt ad vitam necessarius est cibus simpliciter: Vestis autem propter melius, quoniam sine illo non potest viuere homo, sine hoc potest, sed non bene.

Ab Agente vero duplex est necessitas coactitia, seu violenta, & naturalis: Violenta vt lapidem impulsum à manu ire sursum: quoniam contra lapidis inclinationem. Naturalis, vt spiritum à sono musico moueri, quoniam natura mobilis est spiritus; & à sono inuitatur ad propriam operationem. Ex parte violenta, & ex parte naturalis est, vt lignum aridum igniri: quoniam ex quo aridum erat, à calore dispositum ad plus caloris erat: ex quo autem lignum erat, & non ignis, contra suinaturam est comburi. Verum aliquid esse contra naturam adhuc duobus accidit modis, vel contra naturam vniuersalem, vel particularem: vt Terram à Sole attenuari, & calefieri, est contra naturam Terræ; quæ frigida est crassaque; sed non contra naturam vniuersi, cui talis competit actio, & passio. Et quidem contra vniuersalem naturam nihil fieri inuenio, nisi peccata contra Deum, quæ non sunt ordinabilia ad bonum maius, ideo non sunt volita à Deo, nec per se vt ignis, nec per accidens, vti corruptio ignis, quæ est contra bonum particulare: ideo per accidens potest volita esse à Deo ob bonum aquæ: non autem blasphemia, quæ est contra omne bonum, qui est Deus: nec recompensibilis æqualis, aut melioris gratia: qui cum nihil patiatur, violentia est in peccante tantum: quæ enim facit Deus miracula non dicuntur contra naturam, sed supra naturam ordinariam.

Sunt autem actiones contra naturam, aut ex parte agentis, vt qui cogitur ire quò non vult, vel ex parte patientis, sicut terræ ignitio: vel ex parte vtriusque, sicut Ebrius verberat vxorem. Sed tamen semper ex parte patientis est violentia: nam naturale est agenti agere sicut dispositum, vt furenti furere, calefacto calefacere, & Ebrio Ebrietatis opus: sic dicimus naturale esse lapidi proiecto in impetu occidere obuium Auem. Et Ensi impulso perforare ex inclinatione addita, non indita: sic ex voluntate addita non indita prospicit merces nauta, ne submergatur nauis.

Necessitas ex Idea, est duo & tria facere quinque, & triangulum habere tres: quoniam ad hominis, vel Dei Ideam ita ista se habent, sic numerus vsque ad decem progreditur apud nos, non autem apud omnes nationes, nam non transit sex apud Afros quosdam. Ex Ideæ quoque necessitate literæ & syllabæ ita formantur, & non aliter: & hæc necessitas concurrit cum formali. Sed quia potest aliter se habere ad placitum Artificis, vnde aliæ nationes alias literas, & vocabula habent, idcirco non est necessitas intrinseca, vt formalis. Necessitas

ergo datur formalis, & materialis, quæ vocatur absoluta, secundum quam omnino non potest aliter se habere, vt necesse est hominem esse animal rationale. Accipitur enim hæc necessitas ex forma totius, & ex forma partis: similiter ex materia, vt duo, & quatuor necessariò faciunt sex, & bos necessariò est corruptibilis à propria substantia proprio calore imminuta, ne dum ab externis causis: Calor quoque necessariò calefacit, & homo necessario ratiocinatur necessitate formali, quoniam forma est actionum, & operationum principium. Ex hac necessitate essentiali oritur necessitas in syllogismis: quoniam definitiones, & propositiones vniuersales sunt necessariæ à forma vel materia rei: vt Totum maius esse sua parte: & contradictoria non posse simul esse vera, quoniam idem non potest simul esse, & non esse: & terram calefactam euaporare, & lineam esse longitudinem sine latitudine: ex quibus conclusiones necessariæ oriuntur, quoniam ex necessario necessarium emanat. Et quoniam dicunt definitiones, & propositiones ipsas rerum naturas experientia agnitas multa, & naturæ rerum sunt, quales, & quomodo ab idea primi Opificis factæ sunt, consequens est, vt omnis necessitas à primo necessario sit, sicut numerus ab vnitate, & omnis potentia ad actiuam respicit.

Verùm & hoc licet, quod quæcumque res determinata materia carent, vt numerus, vt triangulus, & circulus, qui in ligno, & lapide, & carne, & vbique fieri possunt, non habet à materia necessitatem, sed ab idea sola: quæ verò determinant sibi materiam, vt animal, non potest absque illa definiri: & necessitatem ab illa habet: etenim necessario est homo in carne & ossibus: at non Echinus nec lymax nudus.

Dicimus quoque necessarium, quod est ineuitabile, & infallibile, vt solem oriri: quoniam ita sempiterno circulo facere visus est: & hæc Necessitas sumitur à naturalibus causis totius. Pluere verò in hyeme necessarium est ex ordine causarum, sed vt in pluribus non semper. Quapropter propositiones vniuersales non sunt necessariæ, nisi ratione materiæ necessariæ, & non quia vniuersales: vt homo quilibet est rationalis, necessaria est: non autem hæc, Omnis homo est albus: aut hæc, Petrus est homo, necessaria est, licet particularis. Non ergo rectè à particulari, & indiuiduo venantur aliqui contingentiam, & ab vniuersali necessitatem. Nam & hæc, Petrus est albus, necessaria est, licet non quatenus homo: tamen quatenus Petrus, huiusmodi genitus qualitatibus, necessariò est albus: sicut in 1. Parte docuimus; iudiuiduorum esse definitionem, & scientiam: & huius solis, & huius lunæ, licet nobis impossibilem, quoniam non facimus, sed dicimus facta entia. In scientia verò Dei factoris necessaria est omnis propositio indiuidualis, vt, Petrus sedebit cras, & ego scribam: quoniam quibus ex causis ad has heccheitates venitur, ipse scit & disposuit Fando, id est, Fatum producendo, id est, rerum ordinem instituendo in productione verbi: & omnia præsentia sunt æternitati.

Quot modis dicitur Necessarium, dici & impossibile, & ex contradictione vtrumque procedere.

ART. II.

In omnibus his modis Necessarij clauditur impossibile ea ratione qua necessarium. Nam ratione finis impossibile est viuere sine cibo: sine vestitu autem difficile: vnde sæpe impossibile sumitur pro difficili: similiter impossibile est proiectum lapidem non ire sursum, & spiritum præsente sono non agitari: & terram à Sole non calefieri: & gladium impulsum non perforare carnem. At si supponas loricam, est possibile contrarium, vel impossibile. Non enim omne necessarium impossibile est aliter se habere, nisi quatenus, & vbi, & quomodo & quando est necessarium. Neque enim homo est animal rationale, nisi quando, & vbi est homo, vt declarabimus. Similiter dicimus, impossibile esse numeros non porrigi ad decem, & literas non significare, quoniam ex idea habent ita esse, ac significare.

At si quis ex alia idea alios numeros, & literas instituat, idem dicetur de illis iuxta ideam institutoris. Tandem dicimus, impossibile esse hominem non esse animal rationale, & non esse corruptibilem secundum corpus, stante hac dispositione rerum, quæ nunc est, & impossibile est, calorem non calefacere, posito calefactibili; & totum esse minus sua parte; quoniam repugnat Totius & partis essentiç: sic & duo contradictoria esse simul vera: quoniam repugnat essentiæ entis esse nonens, plusquam repugnat homini esse asinus: & ex essentiarum impossibilitate nascitur impossibilitas propositionum; vt, homo est asinus, est impossibilis, quoniam necessaria est, homo est rationalis: & non irrationalis: Verùm imposibilior est, reputanda hæc: Homo est Angelus, quàm homo est asinus, quoniam species nobilior, & amplior claudit in se ignobiliorem, sed non è conuerso; & verior est hæc, quinque est quatuor, quàm hæc, quinque est sex, ita verior est, homo est asinus, quoniam continet in se quidquid perfectionis habet asinus: sed reputatur falsa, quoniam ly asinus dicit imperfectiones in sui essentia, qua essentiatur ex nonesse hominis, & esse asini simul, quæ in homine non sunt: Ex ea enim parte, qua excludit esse hominis, & includit nonesse, claudit contradictionem, sicut ex ea parte qua quatuor claudit non esse quinque, facit contradictionem, ne posimus dicere, quinque est quatuor: cum quo tamen stat, quod in quinque

eſt quatuor, ſed non in quatuor quinque. Tandem dicimus, hominem non eſſe carneum, impoſſibile eſſe: non autem triangulum non eſſe ligneum, ſed hunc triangulum non eſſe ligneum, & Petrum non eſſe album, impoſſibile eſt, ergo non rectè dicunt, eſſe hanc contingentem, Petrus eſt albus. Etenim hoc verum eſt in quantum homo, ſed non in quantum hic homo: Vnde & Ariſtoteles dicit, rem, dum eſt, neceſſe eſſe, vt ſit: ſi ergo neceſſarium, ergo & eſſentiale pro tunc; eſſentia quidem huius, ſed non hominis. Dicimus quoque, ſolem impoſſibile eſſe non oriri, & tamen hic non eſt actus eius eſſentialis, niſi reſpectu noſtri, & mundi: ſol enim in quantum ſol eſt corpus calidum, ſubtile, lucidum, mobile. Non autem clauditur in definitione eius ortus eius craſtinus, niſi implicita conſequentia: & ſic albedo & riſus Petri hodiernus accidentalis eſt, ſed neceſſarius pro tunc ſecundum principia propria, & ordinem rerum. Quapropter propoſitiones omnes neceſſariæ fiunt ex terminis cohærentibus eſſentialiter à cauſis intrinſecis, vel extrinſecis efficaciter potentibus talem copulam facere: & dicuntur in materia neceſſaria. Propoſitiones verò impoſſibiles fiunt in oppoſita materia, vt homo eſt aſinus: & ſine cibo viuit homo. Triangulus non habet tres, vel habet quatuor (ſunt enim affirmatiuæ, & negatiuæ) & ſol cras non oritur. Roma non eſt in Italia. Petrus non eſt albus: Aut Roma eſt in Gallia, Petrus eſt niger: Cuius ergo contradictoria eſt impoſſibilis, neſſaria eſt propoſitio, & è contra. Et quidquid pertinet ad eſſe, & ad noneſſe, quibus res eſſentiatur, facit propoſitionem neceſſariam, vt homo eſt rationalis, & non eſt lapis, & cætera: quidquid verò ad noneſſe, & ad eſſe, quibus non eſſentiatur, eſt impoſſibilis, vt homo eſt lapis, & non eſt coloratus, non rationalis.

Datur ergo neceſſitas eſſentialis generum, & ſpecierum, & exiſtentialis indiuiduorum & accidentium ſic & non aliter; & cùm ſunt neceſſariò, ſunt omnia.

Quo pacto voluntaria ſunt neceſſaria: & omnia (excepto Deo) Neceſſitatem ſuppoſitionis participare.

ART. III.

QVAPROPTER & voluntaria omnia neceſſaria ſunt circa obiectum vniuerſale neceſſitate naturali, non violenta: ſicut enim naturale eſt graui deorſum tendere, ita voluntati velle bonum; ſed erga media, id eſt, velle hoc bonum potius quàm illud, electio eſt; quæ fit à determinatione. Determinari autem magis ad hoc, quàm ad illud vtrum ex ordine cauſarum ferentium occaſionem ſit an à Deo intus mouente, an à proprio actu libero, difficile eſt ſcire, vt infra patebit. At cum volumus facta deliberatione, id eſt, decreti noſtri, vel Dei, vel vtriuſque neceſſariò volumus, etſi poſſumus aliter quoque velle: ſicut omnis res dum eſt neceſſariò eſt, quam vocant neceſſitatem ſuppoſitionis. At nulla videtur eſſe neceſſitas, quæ non ſit ſuppoſitionis, excepta diuina: Deum enim eſſe optimum, ſapientiſſimum, & potentiſſimum, cæteraque attributa eſſentialia, neceſſarium eſt neceſſitate abſoluta, non autem Deum creare & gubernare: nec hominem eſſe animal rationale neceſſarium eſt, niſi ſuppoſita voluntate Dei decernentis facere homines huius eſſentiæ, & non aliuſmodi, vel quidditate æterna ante volitionem: ſolem quoque oriri neceſſe eſt, poſito hoc ordine, qui inditus eſt mundo. At ſi Deus alium ponere voluiſſet, aut vellet, vtique non oriretur: ergo non inepte Theologi quidam in ſolo Deo ponunt neceſſitatem ſimpliciter, in cæteris verò ſecundum quid. Neceſſarium ergo non diſtinguitur contra naturale, neque contra liberum, ſed contra contingens. Naturali enim condiſtinguitur ſupernaturale, & vtrumque eſt vel neceſſarium, vel contingens: & vtrumque rurſus coactum, aut ſpontaneum; & tandem ſpontaneum diuiditur in ſeruile, & liberum, vt in Ethicis diximus.

De Triplici Neceſſitate.

ART. IV.

TAndem triplex inuenitur neceſſitas, videlicet quidditatis, ineuitabilitatis, & infallibilitatis: Prima eſt à Deo autore naturæ, vt Natura: ergo ipſi Deo etiam inuiolabilis: vt Triangulum habere tres: ſecunda eſt in decreto voluntatis Dei, vt ſolem cras oriri, quoniam neceſſarias cauſas ortui eius dedit non impedibiles: & Antichriſtus erit, ex decreto ineuitabili. Tertia eſt à cauſis contingentibus poſtquam determinantur euentus & non ante; vt ego nunc neceſſariò ſcribo, id eſt, infallibiliter quamuis ſim cauſa libera & contingens: omnis enim res dum eſt neceſſe eſt vt ſit .i. neceſſitate infallibilitatis: & ſic liberi & contingentes euentus licet euitabiles tamen neceſſarij ſunt infallibilitate præſcientiæ Dei, quia coëxiſtunt æternitati, licet ratione cauſarum ante euentus ſint fallibiles, quoniã omne ens eſt neceſſarium, vt ens: nonens autem impoſſibile: contingens verò antequam ſit, eſt partim ens, partim nonens, quia poteſt eſſe & non eſſe; ſed cum eſt actu, neceſſe eſt, quia tunc non amplius mediat inter eſſe & noneſſe: & hæc neceſſ. infall.

DE CONTINGENTIA.

CONTINGENTIAM ESSE DEFECTVM *Necessitatis : & non modum illi oppositum : & oriri ex impotentia : & ex additione alterius entis : cui non competit esse per se, sed per aliud : & contingere præter essentiam, aut causam, aut ordinem naturalem, aut consuetudinem, aut voluntatem, aut scientiam.*

CAP. III. ART. I.

SICVT necessarium est id quod non potest aliter se habere : ita contingens est, quod potest aliter se habere : non tamen contingens est necessariò prorsus oppositum, sed eius defectus quidam : sicut enim cibus est necessarius vitæ, ita vestitus qui est minus necessarius dicitur contingenter vtilis : bibere vinum est magis contingens, quia magis recedit à necessario : esse verò Grammaticum adhuc magis : iacere lapillum de fenestra minimum est necessarium vitæ : ergo maximè contingens. Dicimus ergo tot modis contingens, quot necessarium : sed quia est recessus à necessario, & verè necessarium stat in vno : contingens verò in pluribus ; sicut virtus in vno gradu: Vitium verò in recessu ab ea multiplicatur in innumeros gradus: Vnde rectè Caietanus dixit : *Contingens habet rationem pluralitatis, motus, & difformitatis, quia potest aliter se habere : ergo contingens à necessario procedit. Necessarium verò vnius, immobilis, & vniformis ; quia impossibile est aliter se habere : Ergo contingens à necessario procedit naturaliter, vt pluralitas ab vnitate, & non è conuerso.* Et hoc de mente S. Thomæ ; & Aphrod. in 2. de Anima contingentiam ex mistura nihili euenire in rebus, & in voluntate docet. Quod si ita est, non videtur opponi contingens necessariò, sed impossibile. si enim necesse est, Petrum esse hominem, contingit esse hominem. At si contingit, non statim est necesse. Verùm si necesse est esse, impossibile est non esse, vt impossibile sit necessariò oppositū directè.

1. p. q. 13. a. 13.

Dicimus ergo, Contingens respectu finis esse multiplex, vt dictum est : respectu verò causæ agentis dicitur contingens multipliciter. Nam aliud recedit à violento, aliud à naturali agente : vt Motor albus violentat lapidem ire sursum : vbi motor est necessariò violentās. Albus verò contingenter, & per accidens. Sonus necessitate naturali mouet spiritum : fides verò, & lignum in quibus fit sonus, contingenter, & per accidens. Idem apparet in agentibus arte. Nam ædificator per se, & necessariò ædificare habet: Grammaticus verò per accidens, & magis per accidens symus, & maximè pileatus. Vbi patet multiplicari contingens sine fine : si enim ædificans necessariò ædificat, & ædificaturus necessariò ædificabit, quatenus ædificaturus, & non quatenus albus & grammaticus, & claudus, & iracundus, & paruus, & symus, & pileatus, & niger oculis, & superciliosus, &c. quæ infinita possunt inesse ædificanti, non inquantum ædificans: inquantum enim ædificans habet artem necessariò, & manus, & organa ad ædificandum. Cætera verò contingunt aliunde.

Similiter voluntas per se necessariò vult bonum, & beatitudinem, & esse ; sed contingenter vult vineam, & calceum album, & librum, & confricare barbam, & omnia alia quæ recedunt à necessitate. Voluntas n. i. necessariò propendit in bonum: in hoc verò, & in illud, & in tali tempore, contingenter: sicut necessariò graue cadit deorsum, sed ad terræ, vel aquæ superficiem cōtingenter: similiter cōtigenter in caput hominis, vel bestiæ, vel in arborem, vel in album, vel in coloratum, vel in peponem dulcem, &c. infinita, quæ contingere possunt. Necessariò fossor fodit, sed contingenter inuenit thesaurum, aut serpentem, quoniam extra ideam, & actionem eius id fit: & contingit esse, & non esse : similiter necessariò ex idea literæ significant, sed ligneæ literæ, vel lapideæ, vel cereæ, vel nigræ, vel albæ, vel rubræ, &c. contingenter. Tandem respectu formæ totius, vel partis, & materiæ, dicitur propriè magis accidens, & contingens : est enim quod potest inesse, & non inesse, quoniam est extra rei essentiam : sicut enim est necessarium, hominem esse animal rationale ex parte essentiæ, & carneum ex parte materiæ : ita contingens est esse blandum, felicem, cursorē, album, Romanum, parasitum, ire venatum, nauigatum, rumpere lapidem, &c. infinita. Ita essentiale est æstati esse calidam, & fructus maturare: sed quod frigeat sub cane, aut pluat, contingens est, quia non de essentia eius : sicuti contingit hyemi æstus, & cursus equorum, & florere arbores, & bellum fieri. Necessarium est, solem oriri cras, sed oriri nebulosum, contingens est, aut flauum, aut me surgente de lecto.

Ex quibus patet, idem esse accidens, & contingens: & aliud oriri ex ipsa re, cui accidit, sicut esse cursorem oritur ex ipso hominis principio naturali: cicatricem verò habere ex externis causis; & habet plus contingentię: ergo sicut definiuimus in 2. lib. 1. p. contingens est, quod euenit pręter rei essentiam, aut voluntatem, aut intentionem, aut ordinem naturæ, vel consuetudinis; dicimus enim per accidens Venetum Senatum stultè consulere, hoc est præter consuetudinem : & per accidens natum esse monstrum ; & pluisse lapides, id est, præter naturæ ordinem : & per accidens inuenisse fossorem the-

ſaurum, id eſt, præter intentionem, & per accidens Medicum occidiſſe ægrotm pharmaco venenoſo, quia coactus à principe eſt, id facere præter voluntatem. Per accidens verò extrà eſſentiam eſt, hominem eſſe medicum : : ſed quia procedit à rationalitate intrinſeca forma ; magis per accidens eſt eſſe madefactum à pluuia, & ſignatum ferro ; & hæc omnia contingentia reducuntur ad præter eſſentiã; hoc eſt præter eſſentiam naturalem, aut Artis, aut Voluntatis, aut actionis, aut paſſionis, aut ordinis, aut figuræ, aut materiæ, aut cuiuſuis dictorum prædicamentorum. Nam accidit patri eſſe balbum, & accidit balbo eſſe patrem, & accidit Franciſco vtrunque.

Declaratur contingentia eſſe Entis ex miſtura Nonentis à ratione potentiæ, & poſſibilis, & impoſsibilis, & ex impedimentis : & ſolum Deum eſſe neceſſarium abſolutè ; cætera vero in quantum ſunt, non in quantum non ſunt.

ART. II.

DICIMVS ergo, neceſſitatem ab Entis poteſtate, & eſſentia emanare : contingentiam verò à Nonentis participio & Impotentia. Sed quia neceſſitas non eſt ipſa entitas, ſed modus entis potentis omninò eſſe, contingentia non erit nonentitas, ſed modus entis quatenus habet de non eſſe ; quatenus enim poteſt eſſe, neceſſarium eſt : ſed quatenus poteſt eſſe & ſimul non eſſe, contingens eſt ; contingentia ergò eſt à participatione nonentis. Hoc autem patet, quoniam poſſibile dicitur à Potentia, Potentia autem eſt aut actiua, ſicut calor poteſt calefacere : aut paſſiua, ſicut lignum calefieri ; aut diſpoſitio naturalis reſiſtendi malis, vt temperatus dicitur potens reſiſtere infirmitati, & lapis percuſſioni : aut quà poſſumus facilè agere, vel pati, ſicut lingua expeditus facilè loquitur, & lignum aridum, facilè accenditur, & intemperatus infirmatur. Contrariá his dicitur quatruplex Impotentia ; licet illa qua facile patitur, potius ſit Impotentiá, & qua non facile potentia : totidem modis dicitur Poſſibile, & Impoſſibile apud Peripateticos. Nos autem extendimus poſſibile ſicut contingens ad omne genus cauſæ. Nam poſſumus ex materia eſſe graues: ex forma ratiocinari ; & idea ſcribere : ex fine ſanitatis vti pharmaco: ex naturali potentia currere ; & hæc omnia benè, vel malè. Similiter ex conſuetudine naturæ vel artis : vt poſſumus ridere ; & poſſunt Veneti conſulere in Senatu, non autem Hiſpani carentes ſenatu, &c. Et quia quæ dicuntur ſecundum potentiam paſſiuam, & actiuam, aliquando ſunt impedibilia, aliquando non ; quatenus non ſunt impedibilia, ſunt neceſſaria, vt Solem oriri, & triangulum habere tres, quatenus verò impedibilia ſunt, contingentia, vt Solem oriri clarum, & triangulum eſſe ligneum, & Petrum nauigare: contingentia ergo ex impedibilitate. Impedibilitas verò ex Impotentia impediti ad reſiſtendum, impedientibus ſaltem pro tunc: ergo quia Impotentia eſt ex noneſſe, contingentia quoque eſt ex noneſſe ; & quia Deo nihil reſiſtere poteſt, ſolus ipſe eſt neceſſarius omninò: & omnis effectus, eius vt volitus ab eo, Neceſſitatem habet : vt à ſe, & nihilo, ſunt contingentiæ participia, ſicut & nonentis, quædam magis, quædam minus. Ergo quando ſunt, quoniam impedita non ſunt, & quando fuerunt, quoniam impedita non fuerunt, neceſſaria ſunt, futura verò ſunt contingentia, quatenus poſſunt impediri ; ſed quatenus futura ſunt, eo pacto quo futura ſunt, neceſſaria ſunt, alioquin non verè futura eſſent. Dico neceſſitate infallibilitatis, non autem quidditatis & ineuitabilitatis: iſte enim duæ neceſſitates tollunt contingentiam & libertatem, vt probat S. Thomas: non autem prima, vt ſuò in loco diximus.

Quoniam res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, omnia ſunt neceſſariò, quatenus ſunt : ergo neceſſarium eſſe contingentis complementum, & non modum condiuiſum eſſentialiter: & vel ſolas ideas neceſſarias eſſe, vel res omnes prout ſunt.

ART. III.

HOC autem patet ex illa propoſitione Ariſtotelis, tantopere à D. Thoma, & ſequacibus celebrata : *Res dum eſt, neceſſe eſt eſſe.* Hoc autem, dicit Caietanus, euenit à ſtatu rei, non à conditione. Dum enim Petrus ſedet, neceſſario ſedet, ſuppoſito hoc ſtatu rei, ſed quia poterat non ſedere, contingenter ſedet, quoniam eſſentialis differentia Entis eſt neceſſitas, & contingentia : ſed mirum quidem quomodo in eſſentiam neceſſarij mutata eſt eſſentia contingentis, cum venit ad finem ſui eſſe. Non quidem dum fit homo, eſt perfectus homo, ſed cum iam factus eſt cum anima rationali ex ſemine, & embrione, dicitur verè homo. Quapropter ſi quid contingens eſt, quoniam futurum eſt, vbi peruenit ad eſſe perfectum in vltimo actu ſuo, non debet ſpoliari contingentia, ſed totaliter veſtiri. Si antequam ſedeat Petrus, contingens eſt ipſum ſedere, cum ſedet, contingens magis eſſet. Ergo non eſt verum, quod contigens ſit differentia oppoſita neceſſario,

ſicut album nigro, ſed ſicut imperfectum. Imperfectio autem eſt ex defectu Entitatis: quia ergo Petrus cum poſſet ſedere, poterat non ſedere, defectus ſeſſionis erat in eo: cum verò ſedet perfecta eſt entitas ſeſſionis. Et tunc neceſſario ſedet, quoniam Ens eſt neceſſarium ex poteſtate efficaci, quam habet vt ſit: & quia quod eſt, eo quod eſt, non poteſt non eſſe, quia eſſet contra eſſentiam ſuam non eſſe; vel contra eſſentiam exiſtentiæ non exiſtere, ſicut contra eſſentiam hominis eſt non eſſe rationale animal: ideo neceſſarium eſt eſſe ea neceſſitate, qua homo eſt animal rationale. Et antequam fieret hic homo (quoniam homo non fit, niſi hic) poterat eſſe animal rationale, & non eſſe animal rationale, quoniam contingenter pater cum matre conuenerunt, tunc & ita ad actum generationis: & poterant non conuenire, & generatio in vtero impediri. Sed ex quo factus eſt homo hic, animal eſt rationale: ita ſeſſio poterat non eſſe: ſed ex quo eſt, non poteſt non eſſe ſeſſio hæc.

Si autem loquamur de rationibus rerum in communi eadem neceſſitate, qua homo eſt homo, & triangulus habet tres; ſeſſio eſt actus huiuſmodi poſituræ: ſed dicis, quod coniungatur Petro hæc ſeſſio, accidens eſt, ita etiam dico, quod huic materiæ ſeminali coniungatur humanitas, accidens eſt, ſicut quod triangulus fiat ex hoc ligno. Quapropter ſolas ideas eſſentiaſque neceſſarias inuenimus ex dictis Peripateticorum inuitis, & ex Platonicorum placitis, neceſſitate totali: & Pariſienſes Magiſtri idem decreuerunt. Reſpectu ergo cauſarum, & cauſalitatis, & cauſationis dicuntur neceſſaria, & contingentia: ſed reſpectu entitatis, qua ſunt quod ſunt dum ſunt, omnia neceſſario ſunt.

Futura contingentia in eo quod ſunt aliquo pacto, ſunt aliquo pacto neceſſaria: & cognoſci à Deo non in actu vltimæ exiſtentiæ tantùm, ſed etiam in cauſis, vt ſunt.

ART. IV.

SED iterum reuertentes dicimus, quoniam res dum eſt, neceſſario eſt; quia exiſtentia non poteſt eſſe non exiſtentia, omnia eſſe neceſſario eo modo, quo ſunt: ergo præterita ſunt neceſſario præterita; præſentia neceſſario præſentia, futura neceſſario futura. Nam ſi neceſſario non ſunt: ergo neque verè futura ſunt. Nec enim quia futura non ſunt in actu, ſed in potentia cauſarum, neceſſario non ſunt: ſed omnino vt ſunt. Neceſſario quidem non ſunt in actu, ſed neceſſario ſunt in potentia: vt enim probatum eſt in ſermonibus prioribus, illud eſt in potentia, quod aliquo pacto eſt in ſua cauſa in actu cauſali: Non enim dicitur homo eſſe in potentia in lapide, ſed in ſuo ſemine: nec hœdus dicitur in potentia vir, ſed puer eſt in potentia vir, quia ſemen, & puer habent aliquid hominis, non autem lapis, & hœdus: hoc autem quod habent, entitas eſt, licet non in actu exiſtentiæ futuræ. Quatenus verò entitas eſt, & dum eſt, neceſſe eſt eſſe id, quod eſt, & ſicuti eſt: ſic etiam dicimus, pluuiam eſſe in potentia, quoniam vapor eſt in tera, & aquis in potentia, & Solis calor poteſt illum educere, & in aëre poteſt condenſari. Quomodo ergo eſt, ita neceſſe, eſt eſſe. Et hoc eſt futurum eſſe, non enim lapis futurus homo eſt, ſed embrio: ergo quocumque modo res eſt, neceſſario eſt: & hæc eſt ratio, qua Deus non fallitur, quoniam futura contingentia nouit in quocunque actu ſunt, non modo in ſuo, ſed etiam in cauſis. Quapropter non arridet mihi quod dicunt cõtingentia vt cõtingentia non poſſe ſciri à Deo, ſicuti impiè docet Alexander in lib. de Fato, propterea quod, vt ſic, poſſunt eſſe, & non eſſe: & non habẽt entis naturã, ergo neque cognoſcibilis. Nam, inquam, vt contingentia ſunt, habent eſſe in cauſis, & in illo eſſe cognoſci poſſunt: & quia poſſunt non eſſe, hoc non eſſe quoque nouit Deus, vt declaratum eſt; poſſe autem non eſſe aduenit ex impedimento materiali, vel actiuo, vt S. Thomas quoque docet; ſed Deo hoc etiam notum eſt, vtrum impediatur nec ne: quoniam omnes alias cauſas nouit, vnde cauſas impedientes reducit ad neceſſarias in tractatu de gubernatione. Ergo Deus cognoſcit res contingentes vt ſunt: quia vt ſunt, neceſſariæ ſunt, quocunque ſint. Vnde mirum quo pacto D. Thomas aſſentiatur, quod contingentia vt ſic non poſſint ſciri à Deo: cui etiam nonentia videtur ſcire Deus: ergo & magis Contingentia. Sed acutè D. Thomas reſpexit ea in cauſis quatenus cauſa eſt indeterminata, vt voluntas, & tellus fructificatura, ergo & quatenus participanr noneſſe, & quatenus per ſe non ens, non eſt cognoſcibile. Cognoſcit Deus in cauſa libera, & contingenti, vt ſic, in determinationem: non autem effectum niſi ſit, quamuis determinationem cauſę cognoſcat. Nam poteſt poſt determinationem ceſſare ab actu propter nouas occurrentes occaſiones, & liberum iudicium, de proſequando & deſiſtendo. Scholaſtici autem, & Patres multi præſertim Iuſtinus, & Dionyſius aliter ſentire videntur: vt infra.

Contingentiam non esse in Deo, neque à Deo, nisi permittente, & vtente: nec à rebus effectiuè sed defectiuè.

ART. V.

RVRSVS quoniam vidimus, contingentiam esse rei defectibilitatem, non rectè Scotus ponit contingentiam in Deo, nec Thomistæ à Deo: vtrique volunt, diuinam voluntatem esse causam contingentiæ: sed ille ipsam libertatem vocat contingentiam, & non posse res fieri contingentes in Mundo, nisi Deus liberè ageret: vnde ignorantiæ condemnat Aristotelem, qui Deum, & Angelos facit causas necessarias, & tamen ponit contingentes effectus in rebus causatis. Isti verò putant, contingentiæ causam non esse libertatem Dei, sed summam efficaciam voluntatis, per quam non modo res fiunt, quæcunque ipse vult fieri, sed etiam fiunt eo modo, quo ipse vult fieri, vt videtur dicere Dionysius in 4. de Diuinis nominibus. Modi autem sunt vel necessario, vel contingenter. Alij autem Theologi asserunt, Deum per causas necessarias efficere effectus necessarios per contingentes contingenter: quoniam virtus Dei modificatur in causis: & horum Origines est autor.

Sed contra hos insurgunt illi dicentes; *Nullus effectus Primæ causæ potest impediri à defectu secundarum causarum: quoniam imbecille, & imperfectum non potest impedire efficacissimam actionem voluntatis Dei. Hoc patet, quia ex debilitate virtutis seminis homo non producit filium sibi similem in vultu, & neuo, & complexione. Deo autem efficacia non deest vlla: ergo non ex defectu secundarum causarum sit contingentia, sed à Deo eligente tales causas, & faciente eas defectibiles. Item si distinctio contingentium à necessariis referatur solum ad causas secundas, sequitur hoc esse præter intentionem, & voluntatem diuinam; quod est inconueniens.*

Opinio Scoti videtur mihi non docta, non eis rationibus, quibus ab aliis confutatur, sed quia non intellexit contingentiam esse defectibilitatem rei, quæ nullo pacto potest esse à Deo, nisi ordinante: ipse enim non concurrit ad deficientiam, sed ad efficientiam: non ad impediri, sed ad impedire: non ad pati, sed ad agere, quod fatentur omnes cum Augustino: ergo modus voluntatis diuinæ non facit contingentiam, vt est actiuus, sed vt permissiuus. Quapropter cum dicit Scotus, *Omnis causa mota necessario, mouet necessario: & omnis causa mouetur à Deo, ergo si Deus necessario, & non contingenter mouet, omnes effectus erunt necessarij.* Item, *Deus prius respicit effectum, quàm secundæ causæ: ergo dat illi necessitatem ineuitabilem.* Ad hæc inquam, Primam causam mouere necessario, necessitate suppositionis, quia voluit: secundam verò causam moueri necessario ad effectum, vt habet esse; sed deficere propter non esse, quo ipsa simul essentiatur. Quatenus cooperatur ad effectum cum Deo necessario agit, sed quatenus cum nonesse, quod habet, facit effectum, deficit ab esse, & agere: & Theologi hoc docent in actu peccati: in quo Deus concurrit ad essentiam actus non ad defectum actus: & actus Dei non attingit effectum priusquam actus secundæ causæ, sed cum eo modificatus, vt respondet Caietanus: Quamobrem ipse etiam in eo deficit, quod putat ab efficacia diuini actus prouenire necessitatem, & contingentiam, cum debuisset dicere de efficacia ordinantis causas secundas, vt possint modificare: Deus enim eminenter continet omnem causalitatem, nec debet dici necessarium agens aut contingens, licet similior necessario, & tamen instituendo causationem facit effectus liberos necessarios, & contingentes, &c. propter hoc instituit tria genera causarum: sed formali actione ipse potius faceret Necessitatem quam contingentiam: quoniam hæc pertinet ad defectum, & pluralitatem, & impeditionem: in quo constat, Deum non deficere, neque variari, neque impediri: vnde mirum quomodo docente Aristotele, & D. Thoma in in 6. Metaph. & in 1. p. q. 115. Contingentiam oriri ex impeditione materiæ, vel contrarij agentis in præiactas causas, nunc adscribant illam tantum Diuinæ voluntatis actiuo decreto, quando sane Soli ordinatiuo causarum, & defectuum permissiuo adscribenda erat, & Aphrod. in 2. de Anima c. 45. Contingentiam ex mistura Nonentis cum rebus, & cum voluntate humana, oriri docet: & ex imbecillitate.

Nec rationes ipsorum contra tertiam opinionem probant aliquid: secunda enim causa non impedit effectum primæ, sed modificat. Impeditio autem est in secundæ causæ actu, non in primæ. Et hoc exemplum dat D. Thomas de tibia claudicante in tractatu de malo, quæ quidquid motionis habet, est à virtute motiua; claudicatio verò à tibia fracta. Ita contingentia est à causæ debilitate potente impediri; necessitas à Dei potestate, coagentis in omnibus causis secundum causarum modum. Nec Deus impeditur ab agendo, quoniam causa secunda impeditur ab alia causa, quæ iterum est à Deo. Ergo causa vniuersalis nullam patitur deficientiam: & cum dicemus de Fato, hoc enucleabimus. Exemplum seminis nihil probat, quoniam si lepram generantis exprimat, ostendit imbecillitatem non efficaciam: si vultum, & robur, efficaciam. Ergo causa necessaria exprimens in effectu necessitatem indicat efficaciam Diuini actus: sed ostendens contingentiam, indicat proprium defectum, vt discipulus in paralogismo non magistri artem, sed propriam imperitiam declarat. Nec si distinctio talis sit à causis secundis, sequitur euenire quid præter Dei intentionem, & voluntatem: sed præter actiuam tantum, non præter permissiuam, & ordinatiuam; quoniam Deus permittit contingentiam relinquendo causas alias defectibiles, alias verò faciendo necessarias propter melius rerum, & ordinem, & harmoniam: vtitur enim Nonente, sicuti ente. Cum enim calor oppugnat, & occidit frigus, dat calori vires, frigori

q. 41. ar. 2.

verò non dat, sed permittit deficere, vt generetur ignis, aut planta, aut vapor: vbi in frigore contingentia est Deo volente voluntate permissiua, & non effectiua, vt dicebant, sicut in calore. Tertia ergo opinio in eo tantum culpabilis esset, si non intellexit contingentiam pertinere ad defectum, & subtraxit ipsam Deo: vel ab eius voluntate. Nam quamuis à defectu, tamen Deus vtitur talibus defectibus; & sic in faciendo lapide vtitur & esse lapidis, & non esse hominis. Profectò si Deus facit necessitatem, & contingentiam in rebus efficaciter, nihil euenit euitabiliter: vt etiam probat S. Thom. 1. d. 39. q. 2. 2. Propterea caute D. Thom. monet quod quamuis Deus sit causa necessaria: tamen ex efficacia suæ voluntatis est, vt alij effectus sint necessarij, alij contingenter, alij liberè: non quia prædeterminauit effectus in particulari, sic enim omnes essent necessarij necessitate ineuitabilitatis: sed quia, ait, fecit alias causas necessarias, alias liberas, alias contingentes, id est, impedibiles: prædeterminatio ergo cadit super varietate causationum, non super effectus: alioquin nil ad propositum esset facere causas liberas, & neces. & conting. nec efficacia voluntatis eius celebraretur, qua potest facere ipse necessarius etiam contingentes res per modificationem in causis, non in Autore causarum.

Vtrum res eueniant omnes necessariò, vel omnes contingenter, vel mistim; vel euitabiliter, vel ineuitabiliter. Item de mali origine sententiæ multæ, & variæ, torquentes vbique terrarum genus humanum.

ART. VI.

At nos quoque in insuperabile relabimur fatum, si non datur contingentia, nisi quatenus, & quomodo permittitur à Deo; & quoniam totius orbis controuersiæ diræ ex hac ratione manarunt, & perseuerant, præsertim hoc in tempore, de his dicere exquisitè non grauemur.

Alij ergo putant omnia à casu fieri, & contingenter, nullo ordinante Deo, sed prout elementorum, & seminum fortuna fert, vt concursus, motus, ordo, positura, & figura particularum, omnia constituant temeraria quadam agitatione rerum sub nullo duce Deo. Ita sentiunt Epicurei, Democritus, Lucretius, & ex parte Achitofellistæ nostri temporis.

Alij è contra putant omnia necessario ex concursu, & nexu causarum euenire, quoniam, ex anteiactis causis sequuntur effectus quodam ordine inuicto, ita quod quidquid erit, necessario erit; quoniam ex suarum causarum, & temporum ordine immutabili deueniendum est ad illud: hunc ordinem vocant Fatum Stoici, & alij fortunam quoque, vt apud Virgilium. *Fortuna omnipotens, & inexorabile fatum*, &c. ex his alij seriei causarum necessitatem adscribunt, vt Stoici.

Alij Deo ipsi, vt Iaponensium Bongi & Lutherani, & Caluinistæ, qui efficaciter, agente Deo, nos quoque cogi ad peccare, & ad benefacere, prout ipse vult, docent. & hoc idem sentit Mahometus in Alforcam: & Auerroes testatur, esse de opinione suæ sectæ, & Christianorum, in quo mentitur: & Auicen. idem sustinet, & Haly Abenragel, & ferè omnes Arabes, & Mauri, & Persæ, & Turcæ, licet hi sint imperitiores: vnde Auerroes putat, legem suam cum Megarensium sententia, ab Aristotele damnata, concurrere. Alij quoniam, si omnia necessario eueniut, subuertitur liberum arbitrium, & perit Politia; (& quidem non ab re: Nam Iaponenses, & Caluinistæ & Mahometani, & Indi multi negant liberum arbitrium, vt stabiliant Necessitatem Prouidentiæ diuinæ) Idcirco potius negant prouidentiam Dei inuisibilem, quàm libertatem humanam, experientia notam; sic in lib. de Diuin. Cicero putat faciendum, & Stoicorum proceres, qui eximunt hominem à prouidentia Dei, vt sit liber: si enim decreto Dei necessario euenient omnia non necesse est consulere, neque leges ferre: idem docet Aphrod. in lib. de Fato, quoniam non possunt concordare prouidentiam cum libertate humana.

Aristoteles verò ac sequaces, vt patet ex primo Perhierm. & 6. & 11. Metaph. putat, alia euenire necessario, & semper, vt lationes corporum cælestium; & triangulum habere tres; & hominem esse rationalem; & motum æternum: alia verò vt impluribus, sicut pluere in hyeme; & feruere in æstate; & homines nasci cum quinque digitis. Alia verò in paucioribus, vt sub Cane pluere; & hominem cum sex digitis nasci; & fodientem inuenire thesaurum: quoniam causa naturalis, aut voluntaria potest impediri, & hæc impeditio vocatur casus in naturalibus; in voluntariis verò Fortuna; & quidquid ita euenit, vocat per accidens, & contingens: & non habere causam per se: quoniam non est vnum, neque Ens. Vt hominem esse album; & exeuntem de nocte occidi, causam non habent determinatam; quoniam series causarum potest impediri, & hoc probat: quoniam si ita non essent, omnia euenirent necessario, & sic peribit lex, & consultatio, & præmium, & pœna: & addit Aphrodiseus, etiam preces: vt quid enim oramus Deos, ne mala eueniant, sed bona, cum omnino ventura sint, quæ futura sunt necessario? Quod autē necessarium est, nec à Deo potest prohiberi. Non enim potest facere Deus, ne duo & tres sint quinq;, & Diametrum esse Symmetrum: At nec mundum esse incorruptiblem, si est corruptibilis: quoniam hoc esse essentiale est; sicut triangulo habere tres. Theologi Parisienses damnant D. Thomam, eo quod posuerit Angelos, & cælum de natura necessarij, vnde sequitur non posse

posse à Deo annihilari: quoniam Deus non potest hoc facere, sicut nec diametrum symetrum. Probat quoque Aristoteles de Ente per accidens non esse scientiam, neque artem, quoniam non est Ens: vt Musicum esse album non est Ens; caret enim causa per se. Non enim ædificator quærit, num domus futura sit aliis salubris, aliis dolorifica; vel quando cadet; sique in ea manentes vtentur musica, vel cibo fricto, aut assato. Hæc enim accidunt: sic neque Geometra num triangulus sit ligneus, an cereus, an albus: hæc enim accidunt; & infinita sunt; & à causis variis oriri, non inquantum hoc causantibus. non enim quærit thesaurum fossor, & inuenit: & tamen ab alio aliûs causa fodiente, vel à pluuia, vel à terræ motu, potest reuelari thesaurus.

Et quærendo quid est, quod causarum seriem rescindit, vt per accidens effectus eueniat, respondet à materia in primo Perhierm. & ab agente causa contraria in 2. Phys. Quapropter putat, Deum non prouidere, nec intelligere, nec velle, nisi seipsum: & hæc à casu fieri ex concursu, & impeditione causarum secundarum. Idem Theophrastus, & alij, referente Aphrodiseo. Idcirco Origenes contra Celsum, & Ambros. de Offic. Peripateticos faciunt deteriores Epicureis. Auerroes verò mordicus hanc sententiam tuetur. Plato autem ait, *Necessitatem nec violabit Deus*: ponit tamen in eo prouidentiam; sed superiora prouideri ab eo, hoc est spiritualia, & ideas, & species rerum; à Diis verò secundis cœlestia corpora, & inferiorum generationem: à Demonibus verò res humanas tractari, vt refert Gregorius Nyssenus; & ideo res vario modo regi. Sed quidem vario modo scribit Plato de his: cum enim sint à sensu remota, non cum omnimoda certitudine asserenda erant.

Inter Christicolas magna controuersia est de prouidentia Dei: sectarij enim negant liberum arbitrium, vt prouidentiam adstruant. Catholici non negant prouidentiam cum Cicer. vt astruant liberum arbitrium, sed in medio incedunt, dicentes, Deum omnia facere. & scire. & velle, vt fiant prout sunt, Necessaria necessario, Contingentia contingenter. Quia tamen Deus omnia præuidit, & voluit, impeditiones, & concursus causarum quoque voluit, & fecit, & sciuit. Ergo res eueniunt infallibiliter respectu Dei, & necessario: respectu verò nostri contingenter, & libere; quoniam libertas est causa annexa Fato; cuius series est, vt aliæ agant necessariò, aliæ contingenter; aliæ liberè. Sed tota series respectu Dei infallibilis est, non autem respectu secundarum causarum. Sed acutus Caietanus ait, quod licet liberè, & contingenter respectu nostri fiant multa, tamen respectu Dei sunt ineuitabilia: quoniam ex quo ipse ita voluit res fieri, non potest aliter velle, sequitur quod nos non possumus quippiam euitare, ne ita fiat vt futurum est. Nam quatenus est à Deo prouisum, est ineuitabile, vt probat S. Thom. 1. d. 39. q. 2. ar. 2. ex D. Dion. Ergo respectu nostri non est euitabile, vt & S. Thom. fatetur: non enim possumus supra Deum. Et eo magis si Deus eligit, & facit contingentiam, & libertatem, & reprobationem, & prædestinationem, nulla præcedente causa, vel præscientia meritorum, vel demeritorum, sed quia vult, vt aiunt: ideo putat, ex prouidentia Dei sequi aliquid altius, quàm euitabilitas, vel ineuitabilitas; & hoc nobis ignotum. Chrysostomus tamen in Homeliis de Fato docet peccata, & pia opera ab homine fieri: & vitari posse, & probat ex dictis in Isaia, *Si volueritis obedire, bona terræ commedetis: si nolueritis, gladius deuorabit vos.* Sed opinio de necessitate prædestinationis rerum dicit (ait) contrarium: Videlicet, *siue volueritis, siue non, gladius deuorabit vos*: quoniam ita decretum est Fato. Patres omnes ante Augustinum cum Chrysostomo sentiunt. Nos autem probauimus in Opusc. quod non præcedit Decretum Dei libera & contingentia; at sunt necessaria solum infallibiliter, non autem ineuitabiliter. Quod Caiet. poterat ex D. Thoma addiscere. Et quia non sunt decreta à Deo, non sunt à Deo scita, nisi ex coexistentia, nec præscita, nec post scita.

1. p. q. 22. art. 4.

Fundamentum omnium controuersiarum est origo mali, & Contingentiæ: nam ne Deo adscribant mala Epicurei, negant Deum. Manicheus, & Symon Magus, & Tartari, duos Deos ponunt alium bonorum, alium malorum. Gentiles verò multitudinem Deorum. Alij negant prouidentiam, vt asserant mala casu fieri, vt Peripatetici: vnde Aphrodiseus incusat eos, qui putant omnia futura à Deo præsciri, & fieri (quod peius) sicut cædes Lai à filio; & commestio natorum Thiestis. Alij putant, Animas peccasse ante mundum, & earum gratia factum esse mundum, & mala, vt Plato, Pythagoras, & Origenes. Alij malum, & bonum eidem Deo ascribunt, vt Macon, Caluinus, & Lutherus. Quapropter quoniam ad horum notitiam discussio de Fato necessaria est, ipsam aggrediamur. Nam quod reliquum est de necessitatis doctrina, patefiet.

DE INFLVXV SECVNDÆ PRIMALITATIS, id est, de FATO.

QVID NOMEN FATI SIGNIFICET, ET quid sit Fatum perfunctoriè: & non rectè excludi à sempiternis, & artificialibus, & voluntariis. Nec esse naturam, nec causam vnicam, sed causarum ordinem à prima Sapientia institutum.

CAP. IV. ART. I.

SECVNDVS ergo à Sapientia magnus Influxus, rebus inditus, est Fatum; differens à necessitate, quæ videtur consistere in simplicibus, & solitariè sumptis rebus, eo, quod ipsum Fatum videtur esse in rerum multarum concursu, & pertinere ad Sapientiam ordinantem, sicut necessitas ad Potentiam dantem esse vnicuique iuxta modum suum; vnde Fatum dicitur à fando, ac dicendo, teste S. Augustino, lib. 5. de Ciuit. Dei, quasi quæ Fato fiunt, ab aliquo dicente, & iubente ordinata & decreta sint, vti Stoici docent à Dei Verbo esse Fatum, teste Lactantio, & Seneca. Sed quidem nomen Fati explodendum putat Augustinus: quoniam dicit, hoc datum esse fidelibus ab Astrologis, Idem ab eo, D. Gregorius: quin etiam Philosophi antiquiores, qui Deo generationem Mundi, & distinctionem rerum & regimen dederunt, fati nomen vanum esse, falsumque dicunt, vt Anaxagoras, teste Alexandro in lib. de Fato, & in 2. de Anima; & in sacra scriptura non inuenies nomen fati, licet sors, & casus, & fortuna interdum inueniatur. Nam quæ nos tribuimus fato, Moyses tribuit Deo, cum dicat; si quis occiderit hominem nolens sponte sua, sed quia de lapsa est securis, & occidit eum, quia Dominus tradidit illum in manu sua, &c. & semper repetit in eiusmodi, quod sit traditio Domini Dei, & non Fatum. Verum, ait Alexander, qui negant nomen fati, reclamant communi credulitati, & vsui loquendi: ideo non sunt fide digni. Sed resp. sancti Patres non credulitati veræ, sed falsæ reclamant: & non tollunt nomen fati, nisi vbi fallaciæ periculum in intellectu fit. Nam & D. Bernardus in Cant. plorat suam fortunam, quam etiam tacere oportet, ne sit occasio errandi; & D. Thomas nominat bona fortunæ in 1. 2. & Decretale T. de Dãno dato, nominat damna fortuito casu, & fato, data, & à proposito, &c. vnde August. in 5. de Ciuit. negat Fatum sumptum pro sideratione: non autem pro natura, aut serie causarum, aut pro decreto diuino, aut pro executione decreti.

Anxie disquirunt, quid sit Fatum Philosophi: sed communis opinio est, quod sit ordo causarum: quare non rectè Aphrod. ad causam efficientem ipsum deducit, exclusis reliquis: quoniam nullum Fatum est, nisi causarum, & causatorum concursus, & ordo conueniat, vt Senecas admonuit, à Deo pendens. Putat quoque fatum non esse Naturam ipsam; quoniam quæ necessario fiunt, & sunt, fato non dicuntur esse, vt hominem esse animal rationale, non Fato dicimus: & hominem generare hominem, secundum naturam est, non secundum Fatum. Porro nec Sol Fato in cancrum perueniens regreditur: quoniam hoc sempiternum est. Item nec fato fieri putat, quæ arte fiunt. Nam Lecticam Fato dicere factam esse, aut Lyram modulationi accomodatam secundum fatum, ridiculum est; quin nec elementorum transmutationem mutuam putat secundum fatum dici, sed solam generationem indiuiduorum & præsertim animalium: ergo non omnis natura, sed indiuiduorum est Fatum Inter homines autem nõ omnia fato fieri ostendit lex, & cõsultatio, quæ à natura non sunt homini frustra: id quod esset, si Fato necessario cuncta euenirent: quia ergo dicimus, fato audaces, & rixatores violentam obire mortem: intemperatos verò, & voluptuosos immodestam, Auaros iniustos in seipsos: & negligentes, rem familiarem modo curantes sibiipsis esse mortis causam, &c. Ideo videtur fatum esse cuiusque natura; & fatale quod naturale. Item posse rescindi fatum: quoniam studio, & doctrina, & vsu meliores redduntur homines. Et per medicinam ebrietates, & mortes ab eis comprimuntur: vnde patet, fatum non esse causam necessariam, nisi in pluribus, & posse à fortuna rescindi, quæ est causa, vt in paucioribus: & à libero arbitrio corrigente vitia naturæ.

Sed nihil iste homo dicit in eo, quod tollit fatum à rebus sempiternis: Nam & ipse Aristoteles eius testimonio nuncupat anni tempora in primo Meteor. fato decreta. Sic vt in 5. Phys. vocat violentas generationes non decretas fato: vbi patet, Aristotelem violentas, & præter naturam res extra fatum ponere, sicut docuit in 6. Metaph. euenire multa per accidens, quoniam causæ præiactæ possunt impediri. Similiter etiam falsum est, quod à necessariis excludatur Fatũ: quod enim homo sit animal rationale, secundum se non est fatale, sed secundum eum, qui dixit, & facta sunt omnia. Ex eius enim idea ordo nexus est, vt homo sit rationalis; asinus rudibilis, & vnumquodque, id quod est.

At quod Nonens non sit Ens, non videtur à Deo factum, sed necessitate naturæ diuinæ euenire: ex quo enim Deus est omne Ens, & nullum Nonens, non potuit fieri, vt Ens sit Nonens: & ideo contradictoria non verificari est, à diuinæ naturæ necessitate, non autem à decernente voluntate, sicut existentia cæterorum entium, de quibus mox dicemus. At quod fiat nunc homo, & generetur asinus, & Fabius generet, & Petrus non possit generare, Fatale est ex causarum ordine: & ideo æterna non videntur esse fatalia, quia dicunt esse absque ordine ad alia: vt homo est animal rationale per id, quod est homo: est autem per ideam sui: ergo non quia alia causa concurrit. Sed homo hodie generat hominem, & non cras, quoniam fato ita ordinatum est, vt hodie sit validus, & cras imbecillis: & concursu aliarum causarum; vnde rectè Arist. anni tempora fato adscribit, quoniam non Sol vnus, & secundum essentiam necessariam est anni tempora: sed facit anni tempora, immutando terram in variis sui partibus; & vicissim circuiendo. Necessitas ergo pertinet ad naturam rei, fatum ad rerum ordinem, vel ad rei naturam in ordine ad alias res: quoniam est influxus Sapientiæ cuius est fari, & dicere, & ordinare.

Errant quoque putantes non inueniri fatum in artificialibus. Nam fieri hanc Lecticam ex hoc ligno ad talem vsum, longa causarum series produxit: si enim lignum non fecissent præiactæ causæ, neque necessitatem lecticæ attulissent. Neque huic artifici necessitatem discedæ artis fabrilis, vtique non fieret Lectica: sed fallitur Alexander, quoniam artem à causarum fatalium serie excludit. Si enim fatum est ordo causarum, omnes includit: at si est ipsa natura; cum Ars sit naturæ filia, & imitatrix, vtique à natura, facta à fato, fiunt, ergo & Ars: sed ad pauciora respicit ipse quàm Arist. quippe qui fatum in arbitrariis quoque ponit; sed posse impedir: Quod enim, ait, quis occisus sit quia exit de nocte; exit autem de nocte ad trahendum aquam: ad trahendum verò, quia sitiuit: sitiuit autem, quia comedit salsa. Ergo causa occisionis fuit comedare salsa; in quibus concursibus declarat per accidens ista venisse: sed per se interiisse, quia interfectus est; cæteras verò præiactas causas potuisse esse, & non esse: nam & ex non illis potuit interfectus esse: ergo illæ non sunt causæ per se, neque necessariæ: ergo effectus reducitur ad causam per se, quæ non est iterum ad aliam per se reducibilis, sed ad alias per accidēs, sicut Mors per se ad interfectionem reducitur: ad comedere salsa per accidens. Idcirco autem fatum rescindi posse, quoniam causæ per accidens non semper eædem siue in agentibus natura, siue proposito. Non semper eædem, quia contingentes: contingentes verò, quia concurrunt diuersi generis, & impedibiles sunt.

6. Metaph.

Quæstiones ad vtranque partem, num Fati ordo sit necessarius, vel contingens, vel mistus, & respectu quarum causarum: Et vtrum si Dei respectu est ineuitabilis, à nobis vitari possit: Sententiæ omnium sectarum proponuntur, & controuertuntur.

ART. II.

SED posito, quod fatum sit ordo causarum connexarum, quæritur vtrum sit necessarius, & ineuitabilis omnis eius euentus, an sit ex causis partim necessariis, partim contingentibus, & liberis, ita, vt multi euentus eius vitari possint; & an sit reducibile ad causam vniuersalem, cuius gratia omnia sint ineuitabiliter: & an illa prima causa sub fato comprehendatur, quam Seneca vocat Naturam & Rationem rebus insertam, præsidētem Fato, idest (ait) seriei implexæ causarum. Homerus enim, & Ouidius introducunt Iouem librantem fata, & non potentem præter fatum quid facere, eo quod sit de numero causarum fato annexarum: vnde Lucianus deridet ipsius prouidentiam: cum enim Iupiter Ciniscum fulminare vellet, respondet Ciniscus, fulminabis, si permittet fatum. Nam, & ait, cum velles fulminare latrones, fatum retorsit fulmen in tuum templum, & demolitum est illud. Hæc eadem sæpè inculcant Achitofellistæ, quod si verè Deus dat leges, tamen eas non obseruamus, quodam fato aliud facientes: & cum nos punire vult, non potest. Nam Dei hostes hæretici, & infideles sunt innumerabiles: amici verò Dei paucissimi; & hi semper vexati: illi verò potentes, & exultantes vitam ducent. *Hoc quærit Ieremias, quare via impiorum properatur? hoc Dauid, & Abacuc, & Esdras.* Et tamen vix certi aliquid responsum est illis, vnde quiescat animus: Multa quoque Prophetis reuelat Deus, quæ aliter eueniunt, & eorum sensus obscurus est adeo, vt Hebræi expectent Messiam adhuc: Christiani reexpectent. Et quæ de Babylone non vltra inhabitanda, & de Alexandria dixerunt, non ita euenisse. Nec de restitutione Israël, & Ierusalem regno: & multa esse in Prophetis abscondita, sicut in Delphicis Oraculis. Quid enim dixere de Roma, de Venetiis, de Turcis? & tamen Prophetiæ vsque ad finem mundi habent complexionem: & de Mundo nouo nihil dixerunt. Sed videntur omnes vaticinati de proximis sibi euentibus; vt Ieremias; de quibus ratione polytica poterat esse præscientia: sicuti si quis nunc diceret Vngariam à Turcis depopulandam esse, & signaret nomina victoris, & victorum. Atque hinc ad centum annos prædicunt Prophetæ, non signant nomina, & tempus, & locum prorsus, sed sicut Astrologi, & Apollo vaticinantur, quasi sequentes coniecturas ex fati serie eiusmodi res ita futuras esse. Et sæpè aliter eueniūt, & interpretationes suscipiūt varias, quoniam nihil videtur prædicere quasi factor futurorum in eis loquatur, sed quasi coniectator. Qui enim facturus

est matrimonium, dicit, ego dabo filiam meam Iuliam nuptui filio tuo Petro in anno tertio ab hoc, & in mense Iulio. Qui autem coniectat, dicit: nubet puella viro post tempus; vnde quidam hæreticus ait, *Loquere & prophetabis*: omnia enim quæ præloquimur euenirent consimilia præteritis futura, & dictis aliquo pacto accommodabilia.

Alij verò putant, primam causam Fato non supponi, sed facere fatum, & cogere nos ad malum, & ad bonum, prout ipse decreuit ad libitum, & ideo prophetias esse obscuras, vt decipiamur, sicut videtur dicere Isaias: *Excæca cor populi huius*, &c. Et ita videtur Deus dicere ad Ezechiel 13. quoniam idem est prædictor, & factor mali. Idcirco prædicit non clarè, quò nec caueamus, sed quomodo possimus incurrere potius in fatum. Hoc credunt Caluinistæ, & Lutherani, quoniam ipse Deus dixit, se indurare Pharaonem, & spontè induratum iri: & Aphrodisiensis dicit fuisse opinionem impiam in tempore suo, quæ idcirco Phœbum Laio aiebat dixisse, ne vxorem duceret, quoniam à filio occidendus esset pater, & mater subagitanda, quò Laius duceret, & ita mox eueniret, instigante Phœbo, & idcirco oracula esse obscura ne non possint vitari: vnde Seneca in Oedipo, *Fatis agimur, cedite fatis. Non sollicitæ possunt curæ Leuare rati stamina fusi. It cuique suus prece non vlla mobilis ordo. Primusque dies dedit extremum. Multi ad fatum venêre suum, dum fata timent: multis ipsum fugisse nouit.* Quapropter secundum has opiniones non modo liberum arbitrium nil prodesse potest, sed nec Deus ipse, sed potius impellere ad omnia: & leges dare in decipulam, quo ipsas frangendo incurramus in pœnas vetitas, & in infernum damnemur: ergo religionem, & preces nil valere, vt concludit Aphrod. & Virgil.

Isa. 6.

Desine fata Deum flecti sperare precando.

v. Æneid.

Chaldei autem, & Ægyptij sapientes putarunt, fatum sacrificiis, & orationibus mutari posse: quoniam Deus ordinator rerum non ligauit sibi manus, ne possit facere aliud quam decreuit ab æterno. Hanc mutationem Peripatetici in Deo non admittunt, sed potius quædam præter eius intellectum, & voluntatem à casu fieri ex concursu causarum inferiorum, & posse à nostro arbitrio, & à fortuna, fati seriem rescindi, quoniam non omnis res præcedens est causa necessaria consequentis: sed potest non esse, & impediri.

Hoc negant Astrologi plurimi, nam licet alia impediens causa modificet, aut tollat effectionem causæ per accidens: tamen hæc causa impediens à cœlo est, sicut & illa causans: & omnis causa per accidens reducitur ad superiorem causam per se; vnde videtur series fati infallibilis. Et hoc contendit Auic. cum Stoicis contra Arist. & Arabes multi, vt patet apud Auer. & Haly Abenragel. in primo lib. iudiciorum. Omne enim quod est habet causam: sed posita causa, ponitur effectus necessario: ergo omnis effectus necessarius. Nam si non sequitur effectus, illa non erat verè causa, Auic. ait, & cum Arist. dicit ex causis per se, non ex per accidens, sequi effectum; ipsi instant, causam ex qua non sequitur effectus, non fuisse verè causam, sed omnes præcedentes, & concurrentes causas efficere effectus necessariò, quoniam à Cælo est, vt ita concurrant: & impeditio est ab eodem. Vnde D. Thomas quoque putat, Arist. rationem, neque fatum tollere, neque prouidentiam, & esse fallacem, quoniam respicit causas particulares non vniuersales: quod & Boëtius docet exemplo duorum seruorum, qui missi à Domino suo quempiam in locum è diuersis viis, per accidens fortuitum sibi mutuo occursant: sed respectu Domini præscientis, & ordinantis occursum eorum, est per se. Ita milites, & Agricolæ, & Artifices quasi per accidens inter se communicant; sed respectu polyticæ, per se. Causalitas enim determinatæ causæ ad effectus determinatos extenditur. Quapropter causæ particulares, quarum causatio est ad particularem ordinem concurrunt inuicem quasi per accidens: vt florere puleium, intrante Sole in Capricornum, per accidens est respectu aliarum rerum & temporis, non autem respectu solstitij. Quin in Vere, vt hæc herba floreat quando floret altera per accidens est; non enim istius floritio ad illius floritionem se extendit: sed respectu cœli per se est. Tunc enim Sol in Ariete cunctis herbis pullulandi, & florendi consimiliter præbeat auxilium. Quapropter licet comedere salsa non videatur causa, quare occisus est Fabius, respectu concursus earum, tamen respectu causæ superioris, quæ adduxit famem, & occasionem comedendi salsa, & mouit ad hauriendum aquam, & latrones ad transeundum illac, per se est occisio illa: sicut per accidens auis in rete incidit; potuit enim, & absque rete mori: sed per se respectu venatoris rete parantis, & aues clamoribus adigentis.

Met. lib.

Quapropter ponitur triplex causa, id est, vniuersalissima immutabilis, vt Deus: secunda vniuersalis mutabilis, vt cœlũ: Tertia particulares ad proprios effectus ordinatæ, vt igni ad ignire, attenuare, mouere; & homo ad hominem gignere, ad ratiocinari, philosophari, &c. Quæ ergo sunt per accidens, respectu causarum particularium, quia concursus accidit præter intentionem, aut debilitas agentis vis non peruenit ad finem effectus, aut indispositio materiæ repugnat, aut ab alio impeditur, contingentia sunt; sed reducuntur ad causam cælestem. Nam concursus siderum, & actionum cœli præuiarum, ità ferunt; & hoc est fatum. Sed quia non omnes effectus possunt ad cœlum reduci, remanent adhuc alia contingentia, licet pauciora respectu cœli. Primò quia animæ humanæ, & Angeli, & Dæmones sunt in mundo mentali, vnde intra ordinem rerum concausantes, vt dicit Augustinus, & Boëtius, non subdũtur cœlo, nisi per accidens, animæ corporibus alligatæ, quæ mutatis organis afficiuntur secundum sensum: & ipsæ possunt dominari sensui, vt reprimando iram, excutiendo pigritiam, & percipiendo remedia contra pestes, & alios cœli influxus, & adiuuando occultis modis seipsas, & precibus ad Deum. Idcirco non omnis cœli effectus est necessarius. Item quia materia, in quam agit cœlum, est vario disposita modo, & aliter suscipit actionem cœli, ita quod validam, & necessariam suscipit, facitque imbecillam, & contingentem: & quidem patet, elementa habere suas qualitates ante cœli actionem, & varietates, vt vario afficiantur modo: licet ergo in cœlo siderum aspectus sint necessariò, tamen ex defectibilitate inferiorum modificantur ad contingentiam: & in 1. p. q. 115. ar. 6. omissa causarum impedibilitate, quoniam potest

impedimentum ad cœlestem causam referri, vt contingentiam respectu cœli seruet. D. Thomas ait, concursum harum causarum, licet necessariarum, fieri per accidens, & non habere causam: in quo Caietanus excrutiatur, & non satis capit dictum eius, quod clarescit in seq. q. vbi ait, hunc concursum, licet sit ex necessariis cœli motibus, tamen esse per accidens, quoniam causæ naturales ad vnũ sunt determinatæ, ita quod cœlum vnum modo agit naturaliter causando: quod ergo fodiens inuenit thesaurum, non est vna res, sed concursus multarum, qui à cœlo non potest intelligi, & ordinari, cùm eius sit vnum modò facere calefaciẽdo, attenuando, & vrendo: ergo intelligi, ordinariq; à causa superiori intellectuali: solus enim intellectus accipit multa vt vnum, & ordinat propositiones, & euentus, sicut coquus assationem carnis ordinat ad cibum, ignis verò ipsum ignire intendit: ex quo deducitur, respectu cœli non dari Fatum ineuitabile, sed respectu causæ vniuersalissimæ; cuius ordinem vocat prouidentiam, & non Fatum: ad quem pertinet facere omne ens sicuti est: ergo non sequitur, quod omnia eueniant necessariò, sed esse necessarium quòd effectus eueniant, alij necessariò, alij liberè, alij cõtingenter, prout illis præparauit causas Deus, cuius est proprium dare esse: aliarum verò est vti esse dato ad necessitatem, vel contingentiam, &c.

Ergo *Fatum*, vt dicit Boëtius in 4. de Consol. *est rebus mobilibus inhærens immobilis dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus: vel est ordinatio immobilis secundarum causarum ad effectus diuinitus prouisos: vel decretum Dei semel fantis verbo suo, quo dicit, & facit, & portat omnia*, vt Stoïcis dicere conuenit, Lactantio, & Plutarcho: ergo respectu eius nihil est per accidens, & omnia illi subduntur, excepto Deo ordinatore, & effectibus eius immediatis non subditis causalitati secundorum entium, sicut creatio rerum, & glorificatio sanctorum. Nihilominus omnia euenire necessariò, necessitate suppositionis, docet D. Th. non autem absoluta. Supposito enim quod Deus ita euenire voluerit. At ipse voluit ab æterno quidquid voluit, & voluntas eius, & scientia non mutantur, idcirco immutabiliter cuncta eueniunt, vt præsciuit, & voluit, licet contingenter, & liberè respectu nostri: & preces valere ad suscipiendam gratiam, quam Deus decreuit non ad nouam impetrandam non decretam, saltem ex præuisis, & consilium & leges esse ad exequendum decreta per omnia, non ad agendum noua.

Sed hanc positionem ridiculam esse, putat Aphrodisiensis, quia aufert fortunam, & contingentiam. Quod enim respectu vnius est tale, est respectu omnium: sicuti necessarium est hominem esse rationalem, & nobis, & Deo; ita Petrum sedere est nobis, & Deo. Item videtur ponere, Fatum esse causam occultam, & non per accidens, vt exemplum de duobus seruis, quibus occursus fatalis ob ignorantiam, hero verò non fatalis ob præscientiam. Tunc enim incantationes, & miracula, quorum causas ignoramus, fortuita essent, quod nemo concedit. Non ergo Fortuna est causa ignota, sed per accidens, non habens aliunde ordinem ad effectum. Sequitur etiam, omnia possibilia esse necessaria, quoniam scit Deus ita futura; sed nobis nescientibus, vtrum impediatur causa vel ne, dici possibilia, & contingentia: ergo non secundum naturam, sed secundum nos. Item si verum est, futurum nauale bellum coram Deo, ergo incommutabiliter: si autẽ incõmutabiliter, non continget non fieri, ergo falsum est, quod sit quippiã possibile ad vtrumque, si à priori causa est infallibiliter volitum, & decretum. Item si Fato res fiunt incommutabili seriè, non dabitur consultatio; in hoc enim consulimus, vt faciamus, aut non faciamus quod oportet: hoc autem frustrà datum esset nobis, si iam futurum est, quod consulimus, aut eius oppositum ineuitabile; nec seriem causarum possumus rescindere. Item reprehendit (fortè Stoïcos, & Epicureos) qui dicebant consiliũ à nobis fieri naturaliter, & necessariò, cum & quomodo à rebus externis vrgemur, & à serie causarum: & sicut lapis deorsum cadit, & ignis calefacit concurrentibus circumstantibus, ita & nos cõsulere. Hoc enim dicit esse ignorare quid sit consilium, quoniam non illud modò, quod afferunt causæ exequi possumus, sed etiam contrarium: & non sicut ignis, non potest non calefacere: aut bos non sequi herbæ imaginationem. Nam & animalia voluntariè agunt, & ignis spontè calefacit, sed non tamen ex libero consilio ad vtrumque apto declinare: nam ante consilium voluntariè nos quippiam agimus, vt bruta, quod tamen post consilium omittimus. Nec à circumstantibus mouemur, & multo minus à Deo, quandoquidem non semper idem, & melius sectamur, sed nunc vtile, nunc honestum, nunc voluptuosum: ex quo damnat & motum primum voluntatis à Deo cum Scoto. Item si sic erat in Fatis, non rectè accusatur Paris de raptu Helenę: adde neque Iudas de proditione Christi: neque laudatur rectè Petrus de martyrio.

Et quidem admirari possumus Deos, qui natura boni sunt, non autem laudare, & præmio afficere, quia seipsis non euaserunt probi. Item ait, si ex antejactis causis prouident Dij, vt apparent hominibus, ergo necessitate quadam id faciunt, non prouidentia. Si enim Deus non potest non velle, aut non facere, quod ab æterno voluit, vtique ad quid colimus, & rogamus eum? Hæc ille.

Cui addere licet quod Seneca dixit: *Deus semel iussit, & semper paret suo decreto adstrictus.* Item potest annecti quod Iuuencus scribit in morte Christi:

... Lignum portare iubebant,
Quo dominum lucis duris suffigere clauis
Instans vrgebat sæcli immutabilis ordo.

Vt quid ergo damnantur? si enim non possunt aliter euenire, idem esset ac si quis propterea equum verberibus dignum putet, quia non est homo: & diceret vt volet, & non dat ei alas. Ita Deus videtur damnare homines. Chrysostomus in lib. de Fato idem videtur confirmare: & hæc argumenta possunt valdè contra Caluinianos.

Deinde ostendit Alexander, non omnia ex causis præiactis fieri: Nam flores putrescentes, & homines non nubentes, & pueri morientes in vtero, suos effectus non faciunt, ad quos ex præiactis causis ordinantur: ergo ordo causarum rescinditur, & catena non continuatur. Confugere ad visus ignotos, est fingere non causas pro causis. Item non videntur præterita esse futurorum causæ omnes præiactæ: quoniam festum sancti Petri non facit festum sancti Matthei: neque certamen istmicum Olimpicum; neque nox diem; neque æstas facit hyemem, licet sit eadem causa ipsorum cœli circulatio: in cuius serie nil primum, & nil vltimum.

Sed addit, Deo nihil obesse, si quædã eueniunt per accidẽs, sicuti nec Regi si aliqua præter eius ordinẽ, quæ tamen non destruant regnum. Stoici apud Plutar. dicunt, quædam minima præter prouidentiam fieri, sicuti in bene recta domo nil refert, quod puluis farinulæ cadat. Contra quos instat Plutarchus; quoniam iniuriæ & Socratis mors, & tyrannides immanissimæ non sunt res paruæ, etiam Deo negligendæ: ergo datur rescissio Fati.

Stoici verò è contra contendunt, quod ablato Fato, aufertur prouidentia Dei, quoniam præter eius intentionem fient multa. Item aufertur lex, quoniam temerariè omnia fient: lex autem est stabilis regula, sicut Fatum. Aufertur quoque & virtus, nam mundi gubernatio impeditur non existente Fato: ergo Deus non gubernat: ergo si Deus & bonus est, & virtus est bonitas: ergo Fatum est. Dicunt præterea Deum vti omnibus causis necessariis & contingentibus, & liberis necessario ordine; quod Aphrod. propterea deridet: quoniam necessarius ordo necessitat omnes causas: & non erit lex, neque pœna, neque præmium, neque virtus, neque Deus. Et concedit Epicurus, qui omnia casu facit: concedit quoque prænosse futurum non inducere necessitatem, sed prænosse simul & facere, impossibile esse absq; necessitate; & contingens non posse fieri impossibile: ergo, &c. In hoc ergo chaos versamur: Et Caietanus eisdem rationibus conuictus, quas tamen non viderat, fatetur non posse intelligi quo pacto sit ineuitabilis, & quomodo contingentia & libertas cum necessitate præscientiæ, & voluntatis Dei saluari posset. Quid dicemus ad hæc?

INQVIRENDAM ESSE QVÆSTIOnum harum solutionem, licet difficillimam, & quibus auxiliis.

CAP. V. ART. I.

PROFECTO inextricabiles apparent quæstiones præpositę, quoniam ex occultissimo principio, quæ est voluntas Dei, pendent. Et quidem syllogismis ipsum inuestigare quasi à longè possumus, & velatis oculis; sagacitate verò olfacere quid possumus, & falli: reuelatione autem exquisita caremus, quoniam fortè, nec vbi nobis reuelata fuerint arcana hæc, intelligere valebimus, assuetis corruptibilibus, & corporeis phantasmatibus: vnde Catharina sibi non licere loqui arcana Dei docet, quia non possunt absque blasphemia quadam appropriatione verborum & translatione dici: Fortè enim nec nomen necessarij, nec contingentis, nec liberi, nec Fati, nec horum intellectus, sermoni huic commodi essent: sed iterum tentemus, licet quasi cœci hisce baculis innitentes hanc peragrare viam vsque ad montem Dei præuiis precibus incedentes.

Positiones circa quidditates vocabulorum & axiomata pro soluendis quæstionibus propositis.

ART. II.

HAS oportet prælibare propositiones partim probatas, partim probandas. 1. Deus non est causa necessaria, alioquin nihil posset fieri non necessarium: nec contingens: sic enim omnia venirent contingenter, & nihil necessariò; nec causa spontanea, nec coacta, alioquin omnia fierent spontè, vel coactè: nec causa libera, nec seruilis, nam vel liberè vel seruiliter sic cuncta fierent: nec naturalis nec artificialis, ne fortè omnia vel naturaliter tantum, vel artificialiter tantum sint & fiant.

2. Sed est causa causarum, omnes modos causandi in se habens supereminenter, id est, longè vniuersalius, longè vnitius, & longè plenius, quàm cogitare possumus. Et nihil extra ipsum quod non sit ab ipso; & propterea potest omne genus causæ producere.

3. Quanquam vocetur à Philosophis & à Diuo Thoma Deus causa potius necessaria quàm contingens, quoniam minus imperfectionis dicit ly necessarium, quàm ly contingens, tamen neutrum dicitur de Deo nisi seclusa imperfectione. Item licet dicatur causa cogens & spontanea, tamen potius spontanea dicitur, quia (teste Dauid) quæcumcumque voluit fecit; & quidquid ipse facit naturale est rebus factis; & cùm lapidem ducit sursum, non dicitur duci contra naturam à Deo, sicut à nobis, quoniam omnis natura obedit Autori naturæ ad nutum: tamen dicitur cogi contra naturam grauitatis. Imo & Deus ipse dicitur causa coacta, cum dicit in Isaia: *Seruire me fecistis in peccatis vestris,* & cum fecit hominem vt non peccaret, & tamen peccauit, vnde coactus est Deus nouum imponere ordinem naturæ, & Politicæ humanę, & pœnitere

quod fecisset hominem; quamuis coactio & pœnitentia & ira dicantur metaphoricè de Deo propter imperfectionem: tamen sunt in Deo, quatenus dicunt iustitiam & prudentiæ modum, vt docet Lactant. & August. Deus inuitus & coactus castigat peccatores; quoniam ad modum inuiti se habet.

4. Prætereà Deus est causa libera magis, quàm seruilis: sed tamen ex quo ipse decreuit aliquid facere, dicitur seruire & obedire proprio decreto, sicut ait Seneca: *Deus semel iussit, & semper paret*: & in Iosue dicitur Deus obedire voci hominis, quod per metaphoram est, nisi secludas imperfectionem: at veritas est, si consideres Dei bonitatem erga homines, & promissionum veritatem, & decreti firmitatem.

5. Prætereà dicitur Deus causa naturalis, quatenus est Autor naturæ, & mox est causa artificialis: quia producit res extra se per modum artis voluntate & scientia; non autem naturæ exuberantia, sicut producit Verbum intra se, vnde dicebamus verbum naturale esse ens rei extra Deum; artificiale verò ens rationis, & naturam diuinę artis rationem inditam rebus perducentem ipsas ad fines suos.

6. Necessarium dicitur quod est & dum est, quia non potest non esse. Impossibile dicitur nihilum & ens dum non est, quoniam sic non potest esse. Possibile dicitur, quod potest esse & non est antequam sit, potest enim impediri eius causa quæ contingens dicitur, antequam sit effectus; sed effectus cum est non potest non esse: ergo necessarium est, quoniam tunc solum potest esse, non autem esse & non-esse, sicut erat in causis indeterminatis.

7. Duplex necessitas, alia essentiæ, seu naturæ, seu quidditatis dicas, vt Triangulum habere tres, & hominem esse rationalem, & hæc neque à Deo violari potest.

Alia est necessitas existentiæ, vt solem cras oriri, & Petrum currere: Prima potest violari à Deo tantum: Secunda potest violari à Deo & creaturis, præsertim liberis.

8. Quibus enim Deus dedit causas necessarias, vt diei solis præsentiam, omnino erunt, quoniam causa non est impedibilis, ergo neque effectus: potest tamen à Deo impediri. Quibus dedit contingentes causas & liberas, cum liberæ & contingentes possint mutari, illæ à se, istæ ab aliarum causarum concursu; & possint esse & non esse dum sunt in isto possibili existendi & non existendi, contingenter se habent, sed cùm venerint ad existentiam, necessariò existunt; quia omne esse est necessarium, & omne nonesse est impossibile, & omne mistum ex esse & nonesse, antequam determinetur est contingens.

9. Liberum dicitur quod indifferens est ad velle, & ad nolle, ad facere, & non facere, nec determinatur ad velle & facere nisi à seipso, & sic etiam potest desistere ab ipso velle, & ab ipso facere, iuxta arbitrium suum.

Seruile dicitur quod non potest non velle, neq; non facere de se, nisi cohibeatur, vel moueatur ab alio; & ideo animalia & naturalia entia licet spontè operentur, non tamen liberè, quia à passionibus & obiectis; vel à causa præstantiori reguntur: sicut seruus non dicitur liber in his quæ operatur ad Domini mandatum & impulsum: Vnde Arist. ait: Seruus non habet liberum arbitrium; mulier habet, sed debile: puer verò imperfectum. At profectò infans & canis liberum arbitrium non habent; non enim potest eis persuaderi vel per religionem, vel per medicinam, ne appetant aut non accipiant cibum suauem, sicut persuadetur viro per rationem, sed tantum per baculum & coactè: mouentur enim à passionibus & ab obiectis, non per rationem ab eis expressam, sicut horologium & planta, quæ rationabiliter operantur, impressa tamen ratione ab autore naturæ vel artis, & non expressa ab eis per syllogismum. Et quamuis Canis ad multas operationes videatur se mouere, & non ad vnam tantum, non propterea liber est, etiamsi ab incœptis sponte desistat, hoc enim facit non syllogismo elicito, vt notat Ambrosius, sed illato ab obiectis & passionibus: desistit enim ab insectanda vulpe inuitatus ab altera via breuiori, vel à timore Leonis, vel ab altera passione noua: quam non potest declinare. Homo autem multis passionibus mouentibus, multisque obiectis, liberè arbitratur & deliberat quid faciendum sit, etiam si Deus iusserit contrarium: vt intelligas quod si à Deo iubente & præmouente non cogitur ad seruitium, ergo multò minus à creatura.

3. Polit.

10. Naturalia verò spontè operantur determinatione indita ab Autore naturæ, ita vt non possint aliter arbitrari: sponte tamen agunt non coactè, nisi quando contra innatum desiderium à causis exterioribus mouentur violenter.

11. Deus ergo contexit Fatum ex omni genere causarum; & quidquid fit respectu illius est necessarium, vel necessitate essentiæ vel existentiæ. Prima non violatur: Secunda autem vel est necessaria per decretum positum à Deo, vt nasci Antichristum & oriri solem in crastino, vel per necessitatem actualis existentiæ. Prima vocatur necessitas ineuitabilitatis, quod enim Deus decreuit, nemo mutare potest, nec ipse Deus. Secunda dicitur infallibilitatis, quia etsi non sunt decreta à Deo eiusmodi euenta, tamen sunt præuisa, quoniam Deus non prius videt causam quam effectum; alioquin proficeret in cognoscendo, & ideo ex coëxistentia rerum in æternitate nascitur infallibilitas: effectus enim dum est, necesse est vt sit, quamuis à causa contingenti, & necesse est vt cognoscatur à Deo; nec tamen accipit scientiam à rebus, nam infinitas habet in suis ideis determinabilitates causarum liberarum; inter quas est & illa ad quam se determinabunt, & ita dirigit deinde effectus per scientiam conditionalium: sciens enim ad quod se determinabunt causæ liberæ, scit & ordinat vsum illius determinationis: sicut sciens quòd Adam peccaret, sciuit etiam mutare ordinem viuendi, & animalium erga ipsum propter peccatum inobedientiam, & miseriarum in quas incurritur, ordinationem.

Qui autem putat à Deo euenire bona & mala naturæ & moris, vel non decuisse hominem esse liberum, posseque repugnare Dei voluntati ac mandatis, vel Deum non posse cuncta moderari vt vult; hic non intelligit, quid sit Deus, nec altitudinem consiliorum eius, nec ludum ipsius cum suis creaturis, nec finem ipsarum. Id quod nos facimus sentientes de Deo in bonitate.

Contingens aliud in se, aliud ad aliud, & omne reduci ad necessarium alterum, vel proprij esse contingens, nec respectu Totius, & opificis rerum, sed partium, & secundarum causarum.

ART. III.

CONTINGENS quidem diximus esse defectum necessarij. Necessarium autem, quod semper eodem modo se habet: Contingens verò variatur: vt solem oriri necessarium est; rubescere contingens, secundum legem naturæ: secundum Politicam verò, quę naturam imitatur, diceremus, primogenitum Regis necessariò esse Regem futurum; quoniam ita fert consuetudo, & lex huius regni: secundogenitum verò contingēter, quia ex morte primogeniti vel ciuium seditione potest subrogari: quapropter Contingens hoc primo modo prius videtur esse mistum nonenti& impotentiæ: sed cùm fuerit, transit in naturam necessarij, quatenus est; nam quatenus non erat, & poterat non esse & esse, dicebatur contingens.

Secundò dicimus, Contingens in ordine ad aliud, quod est præter intentionem, aut essentiam, aut voluntatem, aut consuetudinem: & hoc non semper habet rationem nonentis, nisi respectu eius, cui contingit: sicut dicimus contingere triangulum esse ligneum, & homines esse nigros in Æthyopia. Et sanè lignum substantia est, & necesse est, ipsum esse substantiam arboris, sed non trianguli. In quo patet, ipsum posse pertinere ad nonesse trianguli, sed non ad impotentiam essendi propriam: sic respectu materiæ nigrescunt Æthiopes à sole, vbi solis calori candido accidit nigrefacere, & homini nigrescere; at si materiam respicias nigram, necesse est homini, vt materiali, nigrescere, dum sol attrahit partes eius tenues, albasque: vbi patet omne contingens reduci ad necess. vel cùm venit ad esse, quando poterat esse & non esse; vel cū accidit alteri, quod sibi est necess. vel alteri, vel rerum ordini, vt fodientem inuenire thesaurum accidit quidem intentioni eius, & actioni; at ipsum fossione reuelari, necesse est, illud verò fodere necesse fuit, quoniam indigebat sepelire mortuum: indigentia hæc necessaria fuit; sicut hominem necesse est mori, & necesse fuit sepeliri ab hoc, quia propinquus erat, vel mercede conductus: & lex, & consuetudo ita ferunt; & posito quòd fodiat ibi, necessarium est ex suppositione ibi thesaurum inuenire: licet autem aliæ potuerint interuenire causæ ad inuentionem, tamen de facto hæ interuenerunt, quæ serie longa rerum contextæ sunt hoc modo: licet enim sit præter essentiam fossionis inuentio thesauri, non tamen est præter essentiam ordinis rerum. Quapropter in rerum ordine nihil videtur esse contingens: est quidem præter essentiam hominis esse nigrum: at habitantem sub Cancro necesse est esse nigrum ex ordine rerum, & Petrum esse album, quoniam semen blandi coloris ipsius materia fuit in sexto climate: quod autem ita fuerit antecedentes causæ parauerunt: & quod altera impediat alteram, necessario fit ordine, vt simul ad temperiem talem deducant effectum: sicut Ferrarius vtitur igne, & aqua, & lima, & follibus, & malleo, & incude: quorum alterum videtur ab altero affligi, & impediri, & tamen ita necesse est, vt gladij forma, & temperies ex ipsorum concursu, & compulsione prodeat. Quapropter licet ordo rerum sit rebus accidentalis, non tamen mundo, sed essentialis; sicut concordatio mallei, incudis, ignis, aquæ & limæ accidentalis est singulis comparata, sed non arti: & partes hominis quodam accidentali ordine cohærent, vt hoc os tangat hanc carnem; hæc pars sanguinis nutriat cor, illa renes: sed totus ordo respectu hominis completi essentialis est. Quapropter si est ordo in mundo absolutus, vt in arte, & vt in homine, necessarius est respectu opificis eius: & qui hoc non videt, cæcutit. Ergo fatendum est nihil à casu fieri præter eius scientiam & ordinem; sed præter partium.

Tertiò, dicitur secundum nos, cuius necessitas ignoratur, vt hominem fulminari contingens: sed si sic decretum erat à Deo, est secundum se necess. nobis verò contingens: quidquid enim facias ita erit; & hoc propriè dicitur fatale à fante Deo.

Voluntarium non distingui à necessario, sed à coacto: & vtrum libertas insit in his, quæ necessariò volumus, an quæ contingenter: & vtrum melius sit velle necessariò, an contingenter: & cur eligimus, quod peius est interdum, & scientes: & vtrum electio fiat propositis duobus æque bonis omnino: & problema hoc astruere Fatum.

ART. IV.

VOLVNTARIVM non distinguitur contra necessarium, neque contra contingens, sed contra coactum, vt seruile. Nam coactum spontaneo opponitur propriè: & ideoque naturali opponitur; seruili verò liberū. Voluntas enim est propensio necessaria sponte naturæ in bonum, & in finem, qui est felicitas: nec contingit arbitrari contrarium: voluntas enim erga finem est libera, sed arbitrium non liberum, sed necess. non enim possumus aliter arbitrari, vt benè probat S. Thom. at in hoc vel illud bonum est contingens arbitrariumque. Non quia voluntas, & amor est contingens, cùm proba-

uerimus, esse primalitatem constitutiuam entis sicut potestas, & sapientia: Sed quia specificari ab hoc volito, contingens est, & circa media hæc arbitrium est liberum, & voluntas libera: possumus enim eligere, vt mox patebit. Eligimus autem, quatenus in hoc aliquid conferens inuenitur aut apparet ad illud bonum, ad quod necessariò ipsa fertur, aut in quo quiescit.

Sed quidnam melius est in voluntate necessitas an contingentia? videtur quidem esse necessitas: quoniam melius est id, quod necessariò amatur, quàm id, quod accidentaliter. Illud enim quia optimum; hoc verò propter illud, quia ad illud conducit, sicut dispositio, aut signum, aut auxilium. Vita quidem melior est, quàm cibus, & equus, & vestis, & melodia, & poësis; quoniam illa propter se, hæc propter illam appetuntur, & illa necessariò, hæc contingenter. Et quidem voluntas respectu finis optimi, vt Beatitudinis, & respectu innati esse, est sicut natura, & natura vocatur à D. Thoma, à nobis verò quasi pars naturę: siquidem & sapientia, & potestas cum ea, naturam, id est, essentiam integrant: respectu verò cæterorum est electio accidentalis quædam, oriens à naturali voluntate: quoniam appetuntur externa quatenus aliquid Beatitudinis veræ, vel apparenter habent, & vt media ad illam: & non vt optimum.

In quo ergo consistit libertas? in contingentia, vel in necessitate? in vtrisque: quod enim necessariò appetimus, libenter appetimus appetitu libero, non autem arbitrio libero: si necessitas est interna, vt immortalitatem; non enim possumus arbitrari non esse appetendam, quam liberè appetimus; nec possumus non appetere, sicut nec grauitas potest non propendere deorsum: si autem necessitas externa est, non appetimus sponte nisi violenter, quamuis liberè: sicut cùm nauta proiicit merces, ne submergatur nauis: Et in hoc declaratur libertas, quia vt vitet maius malum, eligit minus malum, non quatenus malum, sed quatenus minus. Hæc tamen libertas in contingentibus clarescit magis: quoniam bona exteriora contingenter appetuntur, & ex discursu habemus, vt perpendentes, quid nobis sit melius, illud eligamus. At facta electione ferimur necessariò in electum bonum, sed adhuc possumus contrarium eligere, & cessare ab actu, vt D. Thomas etiam probat. Nec enim valet distinctio de sensu composito & diuiso in arbitrariis, sed in naturalibus tantum. Nam & Spir. S. mouenti resistimus, & Deo amplectenti contradicimus: sed quidquid eligimus, in quantum ad beandum esse bonum est, vel apparet, eligimus: sæpe quoque eligimus minus bonum, quoniam pro tunc, quando eligimus, maius nobis illud apparet: sicut cum quis mechatur contra legem, tanquam melius existimet satisfacere voluptati, quàm legi pro illo tunc: & febricitans bibit aquam contra præceptum medici, quoniam dum bibit videtur sibi bonum magis extinguere ardorem stomachi, & linguæ, quàm sanitas: nemo enim potest eligere malum sub ratione mali.

Hoc autem quod videatur melius id, quod est peius, vnde est? à fato ne? an ab ignorantia? Stoici putant à fato, quoniam vrgent causæ multæ sitis, & medelæ, & illa vincit. Et hoc est quod hodie dicunt Iesuitæ à serie causarũ. Peripatetici dicunt ab ignorantia in illo tunc particulari. Nam licet sciat melius esse parere medico in vniuersali, quando tamen peccat, melius videtur parere siti. Caluinus à Decreto æterno, vt licet non aliter eueniant. Aphrod. tamen contendit neque vi, neque ignoratione peccare, sed quia nolunt resistere tẽtationi. Nam sciunt se malefacere, & rogant Deum, ne ita faciant, & prohibent filios ita facere, quod ipsi faciunt: vi autem non agere patet, quoniam nullo impellente partes instrumentales ad peccandũ sponte mouent, & consulentes, & eligentes. Apostolus tamen ait: *Non quod volo illud ago, sed quod inhabitat in me peccatum.* Bernardus verò dicit: *Non quod volo illud ago: sed me non alio prohibente non facio, voluntariè passionibus cedens*: ex quibus patet à serie causarum eò homines deduci: sed tamen posse resistere causis externis per alias causas: vt per legem declinamus à mechia, & per medicinam à potu frigido. Et quidem hæc repugnantia declarat concursum causarum; & ignorantia electa pro illo tunc relaxans frænum appetitui, idem fato tribuit. Sed electionis vis patet, quoniam non compulsi, neque ignorantes malum illud quatenus bono mistum, sequimur, nescio qua vi: mali enim non est electio, nisi sub specie boni. Profectò pluribus propositis bonis semper eligimus melius, quoniam ad illud mouetur anima, non autem melius absolutè, sed nobis. Non enim solẽ magis quàm argentum cupimus: neq; bos aurum plusquam herbam. Ergo ab interno nostro bono pendet iudicium externorum bonorum. Et quia sunt multa & mista malis respectu nostri, quibus alia sunt mala, alia bona, sed non modò bona, cui omnia bona: idcirco dubitamus, & consiliamur, & eligimus; & in hoc videtur esse libertatis euidentia: sæpe tamen cogimur velle, quod nollemus, vt remigare, fodere, fugere, quæ licet mala, eligimus, vt peiora euadamus: ergo sicut bona. At si duo proponãtur æque bona: & æque proxima nobis, tunc hæsitamus, quodnam prius eligamus: vnde aliqui putant, canem inter duas vulpes æque grandes, & eiusdẽ coloris, & æque distantes, immotum permansurum, quoniã non est ratio, cur ad hanc magis, quàm ad illam currat. Similiter famelicum inter duos cibos æque vtiles, & æq; pulchros, & æque distantes, periturum fame: similiter si vtrinque funis extendatur violenter, non ruptum iri, si æqualis sit crassitiei, & roboris vbique partium, & æquali violentia vtrinque trahatur. Arist. quidem dicit, canem ad quemcumq; cibum inclinaturum, & hominẽ, vt euenit: sed nihil ipse, aut alij id soluunt, quoniam melius est homini (aio) tunc manducare, quàm non manducare: ergo propter hoc melius eligit quemcumque cibum: similiter & canis: sed homo fertur ad eligendũ ratione: ratio autem dictat tunc leuare famẽ quo modocumq; sed canis mouetur ab obiectis & passionib. & propterea non est liber. Quomodo ergo ad quemcumque cibum sic inclinabit. D. Tho. ait, quoniam est participio rationalis non per essentiam: quæ rationalitas vocatur æstimatiua.

Sed de fune & pilo quæstio difficilior est: nam licet hoc nunquã eueniat, tamen non impossibile est: & quidem auri partes æquales sunt omnes, vnde simul fundũtur, & simul exhalant: ita & mercurij: sed quo pacto æque tendi, & extendi, & trahi quid possit non video: Nec ausim dicere, omnes pariter ruptum in partes: cũ enim sint innumeræ in vno filo, oporteret innumeras fieri particulas; & sicut puncta: non. n. est ratio cur inter duo hæc puncta, quam inter illa duo fiat ruptura. Neque vna eliget rumpi

pro cæteris: ergo fiet ruptio vbi propendet series causarum, vel nullibi, si non est fatum: sic etiam videmus in nobis sæpe electionē fieri non modò melioris, ac peioris: quod tamen scimus esse peius, sed nolumus intelligere, & non cogimur ab alio, & nosipsi nos compellimus quadam affectione, quasi assiderata. Vnde Astrologi vim cœlestē adesse putāt; alij tentationē diaboli; alij generalem persuasionem; alij animā mūdi: de quibus disserendū adhuc restat. Ast hoc notū, quod homo ex ratione plura cogitante deliberat, non ex passione & obiecto; nec ex Dei speciali decreto, vel impulsu inuincibili: nam & contra Deum deliberat: Deus autem non est sibi contrarius, ac contra passiones: eligit enim medicinam amaram præ dulci, repugnāte sensitiua vi: vnde nec infans, nec bestia vnquam amarum eligere suadebitur: quoniam ratione carent: nec viso pulchro non gaudere, vt vir sæpe: ergo libertas in ratione fundatur.

Libertatem non esse defectum naturæ, sicut contingentia necessitatis: & esse in Deo quoad esse, non quoad nonesse: & differre à natura, sicut pars à toto: & quæ liberè fiunt posse non fieri, non autem vbi est certa voluntas, quæ necessitatem facit, & Deum, quia caret impotentia, & ignorantia, & dat velle, & scire, & non recipit, necessariò velle & operari: & qua ratione. ART. V.

QVONIAM ergo libertas in dubiis apparet, & in his, quæ appetimus contingenter, videtur non esse quid bonum in nobis, sed malum, hoc est, defectum boni. Nam quæ necessariò appetimus, vt Beatitudinem sine errore appetimus: ipsumque esse nostrum non possumus non appetere, & tamen absque dubio, & errore: si ergo omnia bona ita appeteremus, feliciores essemus. Patet .n. quod quando vnum proponitur nobis bonum, illud omnino volumus, sicut ad tranandum mare, nauiculam volumus necessariò, quoniam non per aliud medium tranare possumus: ergo si media certa ad finem essent, non esset libertas neque malum: & si non esset malum, neq; virtus esset, neq; sapientia, vt arguit Lact. lib.7. & in lib. de ira Dei. Videtur ergo sicut contingens est defectus necessarij, ita libertas esse defectus naturæ. Hoc idem videtur Alex. Aphrod. in 2. de Ani. *Quantū, inquit, relaxatur de natura, & potentia ipsius, vt necessariò fiant, quæ secundum naturā fiunt, id est, quod dicimus rarum, & contingens, & aliter se habens: circa hoc etiam versatur infirmitas, à qua nonens oritur, in his est fortuna, & casus, & quæ in nostro arbitrio esse dicuntur: electiones enim, & proposita, quorum aut natura, aut educationes, aut mores causæ sunt, ita in nostro arbitrio esse dicuntur tanquam per nos fiant: electiones autem sine causa, quæ sunt secundū nonens, ipsæ id, quod propriè esse dicitur in nostro arbitrio tuētur; cum fiant propter naturæ imbecillitatem.* In lib. verò de Fato, Deos meliores hominib. esse dicit, quia natura, & non libertate boni. D.Th. non semel probat naturalem, ac necessariam voluntatem meliorem esse, quàm electiua; & hanc ab illa oriri, sicut multiplicitas ab vnitate, & mobilitas ab vniformitate & media propter finem. Et alibi docet, Spir. S. procedere per voluntatem secundum naturæ modum, & non voluntatis, aliter posset non procedere. Et Caiet. dicit, libertatem dicere imperfectionem ex parte rei productæ, quia potuit etiam non produci: Vnde Arrius producit filium per liberam voluntatem, vt ex nihilo possit esse.

1. p. q. 60. & 82.

Sed contra est D. Bern. in Cant. *Arbitrij libertas est planè diuinum quid, præfulgens in anima tanquam gemma in auro, &c. ex hoc ad Dei similitudinem ipsam erigit.* Iustin. etiam ex hoc quod in Deo est libertas, aliquid nobilissimum esse, putat, & non imperfectionem. Et D.Th. quoniam à se deliberat, vt Deus & Dominus, non autem ab alio, impulsus, vt seruus, & canis, & lapis.

Serm. 8.

Dicemus ergo, libertatem, vt distinguitur contra seruilem coactionem, esse quid nobilissimum, & diuinum, quo animus seipsum mouet & deliberat, vt dominus sui: & qui ipsam in nobis negant, vt Caluiniani, eos mereri perpetuam seruitutem. At ipsam non excludere necessitatem naturalem, neque electā. Quapropter Deus non coactione est Deus, sed necessitate, non illata, sed innata, non inuoluntaria, sed spontanea, & amabilissima, quoniam est sui esse sēpiternitas, & immortalitas. Vnde quia non potest nonesse, neq; peccare, felicissimum est; & quatenus entia à tali necessitate recedunt in nonens & in felicitatem relabuntur. Angeli ergo, & B. V. & Beati, quos credimus non posse peccare, necessitate hac fruuntur, ita illuminante intellectum eorum ad cognitionem veri boni, vt nullum bonum incertū appetant, nec ab alio distrahantur: siquidem nos peccamus ob ineuidentiam summi boni, vnde ad caduca bona declinamus, & auertimur ab incommutabili ad commutabile bonum, quod nonentis mistionem habet, nosq; quasi annihilat. Non tamen beati non sunt liberi, sed longè magis, quoniam non coacti, sed sponte summa, non spōte animali, sed rationali, libera, non seruili, illud amant vnum verè bonum: sicut non dicimus, seruū esse corpus strenuum quod non potest infirmari. Ergo libera voluntas cōsummata fruitur libertate: non autem arbitrium liberum: si .n. mens beata posset aliquid maius summo Bono cogitare, esset liberi arbitrij: & peccare posset in hoc: aut summum Bonum non esset summè bonū: vnde Plato in Phedro non rectè putat voluntatem beatorum liberam arbitrio esse, ita vt possint arbitrari vel ex inaduertentia quid melius vel idem meliori modo equorū flexibilitate. i. iræ & cōcupiscentiæ: nisi desinant beati, & lethem bibant, quod ibi accidere non potest, nisi ante consummationem, vt accidit Angelis peccantibus: ex quo casu error hic ortum habet in Platonismo. Quapropter hac ratione inuenimus libertatem meliorem cū necessitate, quàm cum contingentia, seu mauis cū firmitate, quàm cum varietate: & interiorem exteriori. Nos autem quasi coacti penuria, interni veriq; boni possessione priuati, alia caduca bona expetimus in nullo quiescentes. Quatenus verò libertas dicit ad esse, & ad nonesse: ad benè, & ad malefacere, inclinationem, non est libertas, sed infirmitas libertatis, proueniens ex nonentis natura, teste D. Ansel. & Iustino; posse enim peccare non est pars liberi arbitrij: & hoc non agnouit Aphrod. Sed dices, quare punitur peccator? Respon. quoniam liberè eligit,

quod eſt minus bonum præ maiori bono: & quoniam abutitur bono in alium ordinem, quàm à Deo præcipitur. At ſi poſſe peccare non eſt pars libertatis: quomodo eligitur peccatum per libertatem? eligitur ſicut res bona, & in quantum ens: ipſum enim nihilum nemo vnquam velle poteſt, neque intelligere: ergo nec malum, teſte Dionyſio: ſed rem cui miſta eſt nonentitas: ergo non peccat, quia rem eligit: imò peccat, quia non meliorem rem eligit, & vti iubet lex, quæ meliora ſuadet, & deteriora diſſuadet: & peccatum non eſt, quia eligit bonum, ſed quia minus, quod habet rationem mali: quoniam minoritas ex defectu entitatis & bonitatis eſt. Sed inquis, incertitudo melioris pro tunc nos decipit. Reſpondeo, nullum eſſe peccatum, vbi incertitudo pura interuenit ineuitabilis, & non procurata; nec vbi pura fragilitas; quoniam, vt declaratum eſt, defectus potentiæ, & ſapientiæ non faciunt peccatum, ſed defectus voluntatis: quoniam in ipſa continetur poteſtas & ſapientia, & quod poteſt, & ſcit, debet velle facere. Voluntas enim ab eis procedit ipſis plena, non autem illæ ab iſta, vt docuimus.

Ex quo ſatis declaratur, non ineſſe libertatem contra fatum, ſed pro fato: ſiquidem non peccat impotens, & inſcius, ſed nolens bene agere. Quod declarat fatum poſſe vinci à nobis, cùm voluntas adeſt, ſapientia & poteſtate præeunte: & imputari ad peccatum, niſi vincamus fatales cauſas, cum poſſumus, & ſcimus: ergò eſſe fatale nobis ſuperare fatum: ſed fatum cauſarum ſuperamus alio fato primæ Cauſæ. Idcirco enim dat legem contra peccatum, vt vincamus ſeriem cauſarum: hoc autem poſſe fieri impeditio rerum docet mutua. Flos enim fato deſtinatur ad fructum, & tamen nos flore vtimur decerpto, antequam fructificet: Et priuilegium Regis; qui enim eſt de familia Regis, & de filiis liberis, magiſtratibus inferioribus non ſubiacet: ſic qui eſt de familia Dei, quales ſunt arbitrio liberi non ſerui, ſecundis cauſis non ſubduntur: ergo rectè dixit Hermes, quod ſapiens dominabitur aſtris: & nos in Aſtrologicis probauimus, quod religioſus dominatur aſtris: ſapiens vtitur aſtris: ſenſualis homo ſeruit Aſtris. Si autem decreto fatali liberi actus euenirent, nihil valeret libertas. Fatale quidem eſt, vt alij effectus ſint neceſſarij, alij contingentes, alij liberi, alij ſeruiles: & propter hoc habent cauſas neceſſarias & contingentes, & liberas, & ſeruiles, ita vt decretum fatale cadat ſuper genera cauſarum, non ſuper effectus; ſic enim eſſent ineuitabiles omnes & neceſſarij ſecundum rem, quamuis non ſic ſecundum vocem ignorantum.

Cùm ergo libertas ſit quid diuinum, non eſt Deo auferenda, optima namque illi tribuenda ſunt ſemper. At quatenus participat contingentiam, in eo non eſt: neque quatenus dubietate inuoluitur, & inconſtantia. Hoc enim euenit ex ignorantia boni, & ex fragilitate naturæ. Cum ergo Deus ſit omnipotens, & omniſcius, libertatem habet non fluctuantem: ergo quod ſemel vult, ſemper vult: quoniam quæcumque futura ſunt, præcognita illi ſunt: neque à meliori occaſione, cum ſecundum optimum omnia faciat. Quapropter ablatis imperfectionibus libertatem Deo adſcribimus.

Sed inquis, libertas perfectiſſima, aut eſt ſemper velle, aut velle, & nolle: ſi ſemper velle, hoc eſt natura, & non libertas: In quo ergo differunt naturalia à voluntariis in Deo? ſi velle, & nolle, ergò eſt pariter nobiſcum mutabilis. Reſpondeo, in hoc differre, quod quæ naturaliter facit, non poteſt non facere, & eſſe, quę voluntariò, poteſt quidem, ſed ex quo voluit non poteſt: & hoc non poſſe eſt ſumma poteſtas: quoniam optimè voluit, & non poteſt ab optimo recedere; ſicut nós; qui propter melius, quod prius latebat, decretum mutamus. Hoc nolle & velle eſt ex incertitudine, & ex fragilitate noſtra; quorum neutrum eſt in Deo: quoniam non à rebus ſcientiam, & amorem accipit, ſed dat (teſte Dionyſio in ſeptimo de Diuinis nominibus) dum enim ipſe amat ſe, facit, vt omnia entia ament ſeipſa, quatenus aliquid bonitatis Dei in eis eſt: & dum intelligit ſe, facit vt omnia intelligant ſeipſa intellectione abdita, quatenus aliquid veritatis Dei in eis eſt: cætera verò quatenus ab eadem cauſa manant: ſi enim aliunde res aliquæ manarent, quàm à Deo non communicarent nobiſcum, neque cognoſci nobis poſſent: & dum eſſe poteſt, ipſe facit, vt omnia poſſint eſſe eſſentialiter, & operatiuè: ergo liber eſt ab omnibus: & omnia non ſunt ab eo libera: neque .n. Deus poteſt permittere entia ſed facere: nonentia verò permittit.

Deum nullum eſſe permittere, ſed facere; & nullum noneſſe facere, ſed permittere; quod eſt quadruplex, aut purum, aut non facere hoc, aut facere, & non facere in his, aut facere cum hoc contra legem, non contra legem: in quo vertuntur omnes quæſtiones, quomodo concurrat ad peccatum, & proponuntur infra ſoluendæ.

ART. VI.

SED vtrum Deus aliqua entia permittat, & non faciat: & vtrum voluntas humana poſſit violentari: & prima quidem ſtatim patet: quoniam ex quo Deus eſt ſummũ infinitum Ens, & nullam um [illegible] patitur, non poteſt dare aut facere quippiam non eſſe: & multo minus id ipſe poteſt, quàm frigus facere calorem, quantò inter eſſe, & noneſſe diſtantia eſt maior: vnde factũ eſt, vt hac ratione cõtradictoria non poſſint verificari: & cum dare noneſſe dicitur, diximus hoc nõ eſſe verè dare, ſed nõ dare. Hoc autẽ facere poteſt, quia non neceſſe eſt ipſum facere, quæ facit, vt mox dicemus: & hoc eſt permittere noneſſe. Videlicet non influere eſſe vel ex toto, vel ex parte: ſicut dicimus, permittere non eſſe alium mundum, quia non dat illi aliquod eſſe: ex parte verò permittit, hominem non eſſe Angelum, quia dat illi eſſe humanum, & non dat Angelicum:

permittit quoque frigus à calore imminui, quia non dat frigori vires potentiores, quàm calori.

Verùm duplex est permiſſio, alia ſimplex, qua homo permittitur noneſſe Angelus, alia compoſita, qua frigus permittitur à calore occidi, & imminui. Ad primam Deus non concurrit, niſi actione negata: ad ſecundam verò actione negata frigori, & data calori. Ad paſſionem namque frigoris non concurrit, quia eſſet deficere, & ire ad noneſſe; quod Deo nullo conuenit pacto, quoniam à ſeipſo recederet ente ſummo: ad actionem verò caloris contra frigus, quæ eſt diffuſio entitatis caloris neceſſariò concurrit: quoniam nulla entitas eſſe poteſt, quæ à primo Ente non ſit: niſi fortè aſſeramus duo prima entia, duoſque Deos, quod reprobatum eſt in 2. lib. ex quo ergo eſt actio caloris, & paſſio frigoris in morte frigoris, interuenit voluntas Dei permiſſiua, & actiua ſimul, ſed non in eodem: & ideo inuenitur ſæpe in ſcripturis ſanctis Deus autor mortis, & mali, & pœnarum: ſicut penuriam facit vel non dando pluuiam, quia dat calori vires diſſipandi nubes, & vento aſportandi vapores: vel dando vires bruchis ad comedendas fruges, &c. & hoſtibus ad necandũ homines, & expugnandas ciuitates. In omnibus tamen his voluntas Dei reperitur partim permittens, partim faciens. Tertia adhuc datur permiſſio conditionis, qua conditur homo & Angelus liber, vt poſſit eligere bonum & malum; non quia Deus derelinquit hominem vt peccet, ſed vt liber ſit: peccatũ enim Deus non permittit, quoniam non habet cauſam agentem, nec finalem: eſt enim, ait S. Thom. deuiatio à fine: at bonus artifex deducit opus in finem, nec permittit contra artis rationem, vt deuiet, nec vt deficiat (Deus .n. non eſt cauſa deficiens) ſed vt ſit liber ad vtrumque: ergo peccatum non eſt volitum, ait, per ſe, nec per accidens: Derelinquitur ergo homo non vt peccet, ſed vt ſit liber; vult tamen Deus poſtmodum vt peccatum non volitum ſit occaſio boni non data, ſed accepta à Deo, vt iuſtitia eius reluceat, inquit mirificus Thom. 1. ſen. d. 46. q. 1. 2. Et cùm dicit in 1. p. eſſe de prouidentiæ perfectione, ſinere vt cadant, intelligitur de derelictione in manu conſilij & libertate: non autem auxilij ſubtractione in moralib. ſed in phyſicis. Datur & permiſſio exorbitantiæ, qua Natura efficere monſtra, & homo peccare derelinquitur: & in peccato verò omiſſionis, quo quis deſinit benefacere, & natura fructus ferre, liquidò cõſtat eſſe pura permiſſio. In peccato verò commiſſionis interuenit permiſſio, & actio Dei. Non enim homo poſſet adulterium exercere, niſi Deus ad actum illum concurreret, ſaltem mediatè, vt conſeruans naturam & vires actiuas noſtras. Neque Pharao Hebræos percutere, & vexare, niſi Deus cum eo ageret. Ex quo enim percuſſio eſt actus phyſicus, & effuſio entitatis, non poteſt eſſe abſque primo Ente: ſed quia hoc eſt contra præceptum Dei particulare, & extra ordinem & morem naturæ inditum, videtur eſſe permiſſio etiam quatenus eſt deordinatio. Non enim videtur Deus ſibi ipſi repugnare poſſe, ſed tamen multo minus alia entia poſſunt repugnare legi Dei, niſi Deus coageret.

Et in hoc controuerſia crudelis eſt inter nationes, quæ ſæpe vexauit, & vexat vniuerſitatem hominum; quo pacto videlicet, Deus, ſine quo non poſſumus peccare, eximit ſe à peccato, & inuoluit nos? & cur concurrit, ſi peccatum eſt? Homo enim faciens id, ſine quo non poteſt eſſe peccatum, peccat, etiamſi nolit peccatum; quoniam velle conuincitur: ergo multo magis Deus, ſine quo non poſſumus peccare: vel ergo non datur peccatum, vt libertini aiunt: vel datur & ſit à Deo, vt Caluiniſtæ: vel non curat Deus, vt Epicurei: vel non interuenit, vt Peripatetici, niſi ſolùm permiſſiuè: Sed hoc negat Chryſoſtomus in 1. lib. de Prouidentia: vbi probat nec Adam permiſſu Dei peccaſſe: imò Deus lege æterna, & naturali, & poſitiua vetat peccatum: ergo non permittit niſi indifferentia, ſicut iubet bona, & vetat mala. Et Iuſtinus q. 1. cont. Gent. quoniam, ſi Deus permitteret mala, ipſe magis peccaret, quàm nos. Item quomodo permiſſio ſtet cum actione quis doceat? A tibia, ait D. Thomas, eſt claudicatio: à vi motrice motio: ſed claudicatio eſt à libero arbitrio relicto, vt poſſit quod vult: motrix virtus à Deo, non autem relicto vt peccet. Nam, inquam, cur vis motrix mouet non ad claudicationis actum modò concurrens, ſed vt fiat ipſa claudicatio? peccata enim huiuſmodi non fundantur in nihilo & in noneſſe, ſed in non volita ruptura ordinis diuini, quæ eſt actio. Quapropter licet affirmare Deum moraliter non permittere peccatum quod omni lege vetat: ſed phyſicè quatenus relinquit hominem facere quidquid vult, & phyſicas vires & actus ei dat: homo autem modificat ad malum: dat enim Deus velle, ſed non velle hoc malè; alioquin liber non eſſet: & à ſe mala phyſica permittit: vnde elici poteſt bonum, vt corruptionem terræ, vnde generatur planta: ſed non mala moralia, vnde non poteſt elici bonum de ſe, cùm ſint deordinationes à ſummo, nec maius bonum elici ex eis poteſt, ſicut ait S. Thomas, licet omnipotens Sapientia Dei deinde ordinet ad bonum ſuæ iuſtitiæ, vt in Theol. probamus. Quapropter concedamus permiſſionem, quam Caluinus, & Mahometes non intelligunt, cùm tamen clariſſima ſit: Deus enim permittit pati frigus, & hominem non eſſe in platea, vel non eſſe ſapientem, non tamen permittit noneſſe ſimul in domo, cùm ipſe faciat eſſe in domo; & non eſſe hominem, qui adulterat, cùm ipſe ad adulterium, vt actus eſt, perducat, & coagat, non autem impellat. Prætereà (arguo) omnia permittit Deus volendo, non autem nolendo, & ſciendo, non ignorando, & operando nobiſcum, non dormiendo. Vult ergo mala, & nonentia: aut quia Fato ſubeſt, aut quia ex illis contexit Fatum: patet enim ex diſcordia cœli, & terræ ſecunda entia oriri: & ex bellis, & penuriis, & inundationibus, & incendiis rerum immutari Vniuerſitatem, iuxta ordinem ſuum, vel alienum. Non tamen permittit culpas, licet ex culpis ſumat occaſionem bonorũ. Mala enim phyſica ſunt contra bonum particulare, vnde elici poteſt aliud bonum particulare, vt ex morte aquę vita aëris. At malum morale eſt contra Deum bonum vniuerſale, & totum: ergo non poteſt elici bonum recompenſans malum, nedum maius: ideo non permittitur à Deo contra ſe, ſed tantum phyſicè permittitur, vt permiſſio cadit ſuper conditionem libertatis ad bonum, & ad malum, non ſuper actum malum, omni lege vetitum. Hæc pro nunc ſatis ſit dubitaſſe: & inueniſſe dari permiſſionem, quæ non eſt effectio, ſed effectionis negatio, aut ſubtractio, aut conditio naturalis. Dubia .n. in reſp. patebunt.

Hominem quoad exercitium, & specificationem naturaliter velle esse, & beatitudinem; ab obiectis verò naturalium actuum specificari voluntatem, sed non fieri. Neque in hoc posse cogi vel à Deo: ex horum penuria suboriri specificatiuè voluntatem bonorum externorum conferentium ad beatitatem & esse: & quia semper sunt mista malis, fit consilium & electio in quo relucet libertas in homine, & naturalitas defectiua in brutis, & eminentialis perfectaque in Deo, & Angelis: & vtrum homo in his externis volitionibus possit cogi: & de triplici voluntario.

ART. VII.

IN homine esse voluntatem nemo inficiari potest: multa enim facimus voluntariò, vt edere, ire in plateam, in viridarium. Multa verò naturaliter, quasi ante voluntatis actum, vt pulsatio, respiratio, cibi concoctio, & distributio: multa quoque facere dicimur contra voluntatem, vt pater verberat filium, & damnatus ad triremes remigat, & nauta proiicit merces. In his quæ naturaliter facimus, aut patimur, proculdubio secundum fatum operari videmur: & quidem voluntariò, vult quidem omne animal respirare, & arterias pulsare, & cibari, quoniam fames naturalis est passio: & impellitur animal dolore, & voluptate ad eiusmodi operationes; sed tamen omnes educũtur ab amore sui, quo amat suum esse, & odit suum nonesse. Quapropter, quæ videmur facere naturaliter, spontanea voluntate indita facimus, & electione perenni per modum instinctus innati, non illati; sicut omne ens potest esse & scit esse, ita amat se esse. Ergo illas operationes, sine quibus non potest esse, dicitur facere naturaliter: & hoc naturaliter, & maximè, & adeò voluntarium, quod sempiternum sit, & necessarium. Vnde videtur discerni à voluntario, & dici naturale, cum tamen idem sint, vt doctè D. Thomas perpendit, determinata enim est ad finem: & determinat se ad media. A Scoto verò nõ doctè segregatur naturale à voluntario, quandoquidẽ voluntas exteriorum (quæ addita nobis dicitur) à voluntate interiori, ac naturali emanat; nisi quod naturaliter omnia volunt, dicatur propriè spontaneum, quod contingenter liberum, aut voluntarium. Sed quidem ad velle quoad exercitium, & specificationem est differentia: nam homo naturaliter vult suum esse, & beatitatem; & hoc continuo actu, qui est esse: ergo quoad specificationem, & quoad exercitium: quoniam semper vult se esse semper & beatum; & hoc vnum non potest non velle: & quamuis quidam Theologi putent quoad exercitium actus posse hominem non velle beatitudinem, falsum est de actu interno, qui est esse; & verum de externo, quo fertur ad obiectum beatificans esse: potest enim non amare Deum in exteriori actu propter eius ineuidentiam, & cum præponit Deo obiecta viliora: sed tamen quatenus in obiectis quærit aliquid boni, occulta, & innata cupidine, quærit ipsum Deum, Bonum bonorum, & amat plus Deum, quàm seipsum. Et in hoc rectè S. Thom putat, quod si Deus esset nobis euidens, non posset voluntas nostra ipsum non amare, quoad exercitium, & specificationem. Etenim bonum vt cognitum, est obiectum voluntatis: & distrahitur ad diuersa bona, quoniam in nullo summam & omnem bonitatem saturantem voluntatem omnino reperit. Idcirco contingit ipsam à diuersis specificari, & exerceri bonis. Vnde non recta est ratio Scoti, quod voluntas videntis, & & non videntis, & obiectum visum, & non visum eodem se habeant modo circa necessitatem, & contingentiam. Contingentia enim est defectus necessitatis: vbi autem videtur verum omnimodumque bonum, necessitatem inducit naturalem, non coactiuam: quapropter & quoad actum, & quoad specificationem naturali necessitate in illud voluntas fertur. Vnde fallitur Origenes, qui putat, beatos quandoque reuersuros in terram: hoc enim fieri non potest, nisi obiectum beatificum occultet se illis, & cadant: sicut Plato in Phedro, & Virgil. dicunt ad aquas lætheas in ignorantiam, & culpam. Quæ ergo facimus naturaliter, voluntariè facimus, & non coactè; & in hoc consistit libertas, quod est non cogi. At quidem non etiam libero arbitrio; non enim possumus arbitrari aliter esse faciendum, vt notat S. Thom. mirificè. Quapropter neque stellæ, neque Angelus, neque Deus faciunt hominem velle suum esse, & beatitudinem: sed ipse de se hoc vult, sed secundum voluntatem, quam largitus est illi Deus: & hac ratione Deus dare voluntatem, qua etiam dat naturam: sed cum habet naturam homo constitutam Potentia, Sapientia, & Voluntate, statim amat se, & suum bonum, & Deus concurrit coagendo & conseruando, non autem cogendo ad actus innatos, vt dictum est contra Arabes. Actiones quoque naturales dicuntur, quæ ex innata manant Voluntate, Sapientia, & Potestate: sicut .n. graue tendit deorsum, ita voluntas vult, & intellectus intelligit, & potestas esse potest & operari, & operatur: ergo pulsare, & respirare, & cibare, qui sunt actus naturales, eliciuntur ab Amore, & Voluntate essendi: ex quo enim animal vult esse, vult & hos actus facere, quia esse suum compositum absque eis non seruatur. Sanguis ergo & flatus, & cibus, in quibus hos edit actus, specificant voluntatem, & ad exercitium mouent, vt nota: sed non quidem ad exercitium volendi, sed exequendi; ipsa enim de se vult proprium esse. Sed quia per hos actus scit præuia sapientia seruari esse; idcirco hos actus elicit, & exercet: ergo elicitus actus volendi hæc, est specificatio eius, non exercitium volendi: sicut & intellectus semper intelligit

se esse, intellectione abdita. Sed res exteriores deinde intelligit, motus ab eis non ad intelligendum, sed ad intelligendum hoc specialiter, aut illud. Nam, vt diximus in primo, neque Potentia, neque Sapiētia, neque voluntas mouentur ab obiectis ad exercitium, sed tantum specificantur; & ex specificatione resultat operatio, & exercitatio exterior, de qua non intendimus nunc; quandoquidem oportet nos loqui, vt cæteri instituerunt. Actiones ergo naturales sequuntur naturalem, hoc est, abditam voluntatem: & eorum obiecta illam specificant, & non mouent.

Ex his sequuntur aliæ actiones, vt ire in viridarium, legere, belligerare, mercari: quæ quidem non sunt semper, & in omni homine, sicut est respirare, & cibari, & pulsatio. Attamen ab illis suboriuntur: ex quo enim homo amat conseruationem suam, & beatitudinem, habuit ab Autore naturæ, qui illi Amorem conseruationis indidit, instrumenta quoque se conseruandi, vt viscera, spiritum, & omnia instrumenta nutritionis. Sed quia suis solis actibus natiuis non potest seruari; quandoquidem à calore, & frigore oppugnatur, & à rebus externis, & calore continuò exhalante imminuitur, vnde indiget instauratione, nec nisi ex externis rebus instaurari potest, data sunt illi instrumenta itidem exteriora, vt pedes, & manus ad fugiendum destructiua, & sectandum conseruatiua; & tractandum res ad sui vtilitatem, & commoditatem: vnde indiguit societate, & ciuitate, & domo, & cognitione herbarum, & lapidum, & animalium, & cœli, & terræ, & Dei autoris rerum: ergo quoniam multiplex est rerum varietas, & aliæ quidem prosunt, aliæ nocent: & nulla res omnino nocet homini, quin non prosit, vel obliqua ratione; & nulla ita prodest, ac delectat, quin non noceat aliquo pacto, quandoquidem, & diuinorum contemplatio exigit ieiunium, & afflictionem corporis, & abstinentiam à voluptatibus: ipsæ verò voluptates afferunt nauseam, dolorem, deceptionem, ignorantiam, negligentiam. Idcircò in tanta rerum varietate, & incertitudine quædam simul volumus, & non volumus, quatenus bonum, & malum mistum habent. Item eorum, quæ volumus, quædam sunt paria, & æquè bona videntur: vnde incertitudo eligendi videtur nasci, tum à mistione mali, tum à similitudine obiectorum. In hac incertitudine relucet libertas hominis ad vtrumque. Non enim homo sicut cætera bruta statim, quod obiicitur bonum, sectatur, licet statim velit; sed perpendit, & considerat, num in eo insit plus boni, quam mali, & num illud sit melius, quàm alterum, sibi simile, vel commodius, vel facilius acquisitu: & in hoc valet virtus consiliatiua, quæ est Sapientia; qua decernente hoc melius esse, quàm illud, statim homo sectatur, quod melius apparuit: cum autem dubius est consulit sapientes: si Sapientes ignorant, consulit Deum, rogando, vt illius electionem consulat, quod melius est: sæpè quoque recurrit ad hostes, & ad diuinatorias artes. Quapropter omnis libertas videtur consistere in examine incerti, vnde bruta, quæ non examinant, sed primo quouis sensu mouentur, nec cessant à motu in obiectum per syllogismum à se elicitum vt homo, sed per alias passiones, & per alia obiecta aliter mouentia, dicuntur carere libero arbitrio: Angeli verò ac Deus ob certitudinem dicuntur carere consilio, non autem libertate. Nam liberè faciunt, quæ faciunt: sed non discursu præuio, docente verum Bonum, sed intellectu statim illud intuente: Dicitur tamen Deus consilio operari, hoc est non irrationabiliter nō autem discursiuo. Quapropter videtur libertas nostra ex parte diuina, & ex parte vilis ob intellectus dubietatem & ab obiectis specificari, sed non moueri, vt dictum est.

Sed vtrum possit violentari, quæstio adhuc instat, & videtur quidem: nam violentatur reus per torturam, vt iudici veritatem aperiat, & sæpè fatetur inuitas. Nec qui per vim peccant in lege damnantur.

Voluntatem humanam non posse cogi dum voluntas est, nisi velit ipsa eligere peius, tanquam melius: & tamen esse fatale quidquid vult.

ART. VIII.

RESPONDEO, Voluntatem non posse cogi, cum enim ipsa sit propensio ad bonum, donec ipsa voluntas est voluntas, semper in bonum propendit, & licet executio possit violentari, non tamen volitio: & propterea Deus concurrit ad volitiones sed non ad volitiones malas, quæ non possunt esse bonæ, vt concurrit ad actus malos, qui possunt esse boni: & quidem naturalem voluntatem non posse violentari palam est. Nemo enim potest quacunque vi cogi ne amet, se esse: qui enim occidunt seipsos, putant, se fugere non esse, & mala. Vt enim diximus, voluntas mouetur in bonum cognitum; quod si illi malorum nubibus obuelatur, dum quærit mala effugere, incidit in peius: sic etiam reus, tortura coactus, fatetur peccatum; vbi sanè confessio violenta est: tamen voluntas volens confessa est. Nam licet minime vellet, tamen vult omnino, vt vitet dolorem, maius malum, fateri peccatum, vt minus malum. Et quamuis sciat necem ex confessione imminere, tamen illam vt futurum malum reputat distātius, & minus, vel forsam postmodum effugiendum: vnde sæpius eligimus minus bonum hodie, quàm maius pro die crastino. Atque in prouerbio est, melius hodie ouum, quam gallina cras: sæpè quoque eligunt mortem, vt finem malorum: & alij præsentia bona, quia sequentia mala non vident. At quidam vir, quatraginta horas in cruciatibus interrogatus, cogi non potuit (mirabile dictu) vnum dicere verbulum iudicibus: quod si tormenta dira, & tam diuturna voluntatem non cogunt, ergo neque stellæ, neque aliud quippiam cogent hominem, nisi velit cogi: exemplo sunt præter martyres, qui speciali gratia Dei, roborabātur, ipsæ gentiles mulierculæ,

quæ diris tormentis in Siracusis, & Romæ, & Athenis, interrogatæ & ad necem perductæ, quippiam fateri, cogi non potuerunt. Quomodo ergo stellæ, quæ à longe agunt, & naturali, suauique modo, vel aliud quiduis obiectum, coget voluntatem humanam, sicut cogit brutalem. Stephanus etiam testatur, quod spiritui Dei homines resistunt: & Concil. Trid. Et omnes Patres ex hoc quod homo odit, & blasphemat Deum, concludunt etiam hominem esse liberum à Dei præmotione. Non enim Deus diuisus est contra se, vt impellat hominem contra se facere & dicere. Quapropter nec Deus potest cogere voluntatem: potest tamen mutare: sed tunc (ait S. Thom.) non meretur homo, nec demeretur: multo minus obiecta. Quapropter quãuis homo nihil operetur, nisi ex apprehensione boni, & mali: bona autem omnia exteriora sunt & mala: non tamen ab eis cogitur. Nam potest adhuc consilio vti, & deliberare. Et quamuis in fine deliberationis videatur coactus apparentia boni in examine præuio, tamen potest deliberationem mutare; vnde non coactus videtur. Non enim eligit hoc tanquam non possit oppositum, sed quia vtrunque potest dicitur eligere. Nonne & ego nunc possum scribere, & non scribere? edere, & non edere præsente cibo? & multa facere, & respuere? & eligere magis scribere, quàm deambulare? & licet eligam ita, quia pro tunc videtur mihi melius esse scribere, quàm aliud facere: tamen si velim, quod videtur peius, aggrediar, saltem vt ostendam me non cogi. Sed dicunt, hoc quoque facis propter melius: quia videtur tibi melius esse ostendere, quod non potes cogi, quam illud facere, quod aliunde videbatur melius. Fateor: sed non quidem inuitus, hæc facio, & non facio: sed spontè, neque spontè vti bestiæ faciunt multa, qualem spontaneitatem nobis concedit Caluinus, libertatis nostræ hostis, sed spontè per actum elicitum de nouo non mouentibus passionibus & obiectis, sed me eligente hoc: bruta enim sponte agunt, sed seruiliter, non liberè prout ab obiectis inuitantur, imaginationem mouentibus solum, vti nos aliquando, & hoc sufficit ad libertatem manifestandam. At si instas, hoc fatale fuisse, me de his dubitare, & tale periculum facere in libertate nostra, & ita scribere electione edita, & non illata ab obiectis: Ego quoque fateor ex ordine causarum huc deuentum esse, sed intra hunc ordinem causarum causam liberam esse voluntatem contendo. Non tamen fatale fuisse me hic nunc sic hòc velle, ex decreto præcedente: sic enim liber non essem, spontaneus. Coactio autem in lege humana ex parte excusat, non in diuina, licet quoniã reuera nõ datur coactio ad peccatum, cum non possit esse peccatum, nisi voluntarium. Nam neque obiecta nos ita mouent, vt non possimus actum volendi non elicere: vel elicitum non retinere. Fragilitas & ignorantia inuincibilis excusant, non autem vincibiles. Voluntas vero semper inuicta.

RES OMNES NATVRALES COACTE FAcere, ac pati ea, quæ spontè agunt, & patiuntur. Sed temperatam coactionem voluptate, & vtilitate; dici naturam; non temperatam, violentiam: quam fragilitas, & ignorantia faciunt inuoluntariam, & voluntariam, diuersa ratione, qua contexitur Fatum ex Amore addito, & abdito; hìc arcanum Dei latet.

CAP. VI. ART. I.

VIDENTVR autem & entia omnia apud nos facere, quod volunt, sed non quod vellent; omnis quidem homo vellet beatitudinem: quam quia non habet, quærit per studium, & laborem, & artes, & actiones. Ego nunc vellem ire domum, sed quia non possum, volo hìc manere: sique ianua carceris aperta esset, & ego in libertate, vellem subito ire in domum, & non possum subito; ergo cogor per passus ambulare: vellem viuere sine cibo, & quia non possum, volo vti cibo, & labore in acquisitione eius, & cogor velle laborare. Et non modo in actibus exterioribus id patet, sed in interioribus; cogimur enim respirare, vt refocillemus calorem cordis, fuligines noxias expellamus: & spiritus cogitur pulsare arterias, vt reficiatur sanguine attenuato, & onus amoueat; & ventriculus cogitur ad famem ex aciditate atrabilis, & spiritus constrictione: & iecur cogitur coquere chilum vt nutriatur ipse, & totum corpus; & intestina coguntur à pondere, & fœtore expellere excrementa, & à flaua amarabili. Quapropter nihil in nobis absque necessitate cogente fit, si quis rectè introspiciat. Præterea quidquid in Politica benè agimus, aut metu legis, aut Dei, aut conseruationis appetitu, compulsi à timore destructionis, agimus. Actum quoque venereum compelli. Scimus à pruritu testiculorum, & sæpè à morbo, qui vocatur Satyrismus: & ab vteri strangulatione, & à metu mortis perennis videtur coactus, ne scilicet homo penitus moriatur, sed viuat in suo simili. Hac ratione ipse compellor nunc scribere, ne moriar prorsus, & quoniam anteiactæ causæ me huc compulerunt: sed mallem quidem in beatitudine esse, quam in hoc labore.

Tota quoque natura violentiæ particeps esse videtur, & necessitatis coactitiæ: siquidem cœlum voluitur, & Terra stat, quoniam ita seruantur; sed

Sol & ſidera præliantur contra Terram: volentes ipſam deſtruere, timentes ab vmbra, & frigore eius. Tellus verò vmbram & frigus effundit ad ſui defenſionem coacta: & quieſcit in medio, vndique fugiens calorem cœli, ſicut Cæſariani milites à Belgis hoſtibus circumdati, in medio circularem adacti in figuram conſtiterunt: quem ergo Sol effundit calorem in Terram cogente frigore inter hoſtes relinquit. Calor verò coactus intra viſcera terræ ipſam liquefacit in aquas, attenuat in vapores, indurat in lapides, & metalla; & dum cupit facere cœlum, facit alia entia neceſſitate coactus. Sæpè in materia tenui intra craſſitiem & humorem redactus, cogitur ibi viuere, & ſic efformat animal: & quidem facit, quod nollet: vellet enim cœlum facere, & tamen facit hæc ſecunda entia quadam neceſſitate coactus: & fame deinde cogente, fabricatur organa nutritionis, & motus: & à frigore, & à calore externarum rerum compulſus ita agit, vt ibi viuat. Quapropter quæcunque res naturales faciunt, volendo faciunt: ſed non volendo quod vellent, ſed quod coguntur velle; videmus ſanè ſpiritum plantæ folia fabricari contra frigus, & æſtum, ſpinas contra feras, & fructus contra mortalitatem: & eligere vitam in planta, quia non poteſt habere vitam in cœlo, vnde venit.

Verum enimuerò Arcanum in hoc latet diuinum, & relucet Fati vis. Nam licet calor plantæ viuere vita plantæ, animalis verò animalis, & lapidis lapidis, &c. cupiant & ament amore addito: tamen amore indito, & abdito ſemper in cœlum contendũt ire, vnde nunquam ceſſat attenuare molem in vaporem, & cum ea ad cognata reuerti cæleſtia corpora. Ergo ſicut calor quoque in nobis ſemper ad cœlum ire vult, quamuis hanc vitam elegerit: ita hominis anima ſemper ad Deum contendit, licet à ſupperadditis huius vitæ negotiis videatur oblita in cognitione addita, non tamen in abdita: ſicut calor plantæ in cognitione addita vult eſſe in planta: in abdita verè in cœlum. At in abditiſſima in Deum cuncta anhelant, cupiuntque redire: quoniam cuncta appetunt immortalem vitã, & infinitã extenſiuè, & intẽſiuè & ampliatiuè, quod Deus eſt: qui propter hoc omnia ad ſui amorẽ conuertit, vt Dionyſ. docet & Thomas non ſemel. Quapropter videntur res naturaliter facere, quod faciunt, non coactæ coactione noua contra ſcientiam & potentiam, quam habent ex addita vita; violenter verò, quæ contra ſcientiam, & Poteſtatem: vt homo naturaliter dicitur cibari, & iecur ſanguificare, & planta ſpinas, & fructus facere, quoniam hoc faciunt ſecundum ſcientiam additæ vitæ, in ignorantiam prolapſi prioris vitæ in cœlo. Calor enim iecoris à cœlo eſt: & ipſe cibari vult, ne totus elabatur, non intelligens reuerſionem ad cœlum eſſe meliorem, quàm vita iecoris: ſi autem quis conbureret plantam, & animal in cœlum verteret: Et hoc diceretur contra naturam; quoniam contra vitam in ignorantia conſtitutam, & modificatam: cum tamen conſtet, omnes elementorum pugnas eſſe violentiam facere alterum alteri: & rerum natiuitates ex violentia oriri, & rerum formas naturales non longè diuerſo modo, quàm artificiales. Multorum enim actionibus, paſſionibuſque inſtrumentorum & materierum fit gladius, & veſtis, & omnia, ſicut planta, & lapis, & beſtia. At quidem in ipſa paſſione vehementi, quæ fit in tranſmutatione, quam dicimus Mortem, obliuio præteritæ vitæ, & entitatis accidit: & hæc eſt fluuius lethæus à poëtis decantatus. Quapropter gaudent ſequenti vita, & præſenti omnia: & Deus temperat voluptate dolorem, quoniam omnis vita eſt entitas: ergo à Deo, ergo ab optimo, & iocundiſſimo iocunda. Hac ergo noua voluptate detinentur, & dolore, & metu tranſmutationis; quoniam norunt præſentem vitam, alteram verò minimè. Hoc patet in condemnatis ad triremes, & in carcere longo; quorum multos vidi, nolle reuerti ad libertatẽ; quoniã neſciunt aliuſmodi viuere vitam, quaſi obliti ex conſuetudine priſtinæ vitæ, & neſcij nouam inſtituere. Idem euenit cunctis rebus. Quas tamen omnes liquet abdito amore in ſuas origines ferri: terreas ad terram, cœleſtes ad cœlum, diuinas ad Deum: ſuperaddito autem præſentibus contentari: & ita occupari, quod proprias origines non intelligunt. Qua ratione ergo ad hoc compelluntur, Deus ſcit, & ipſe autor eſt Fati, & hęc ratio eſt Fatum.

Voluntatem non verè cogi vt natura ob impotentiam, & liberos eſſe homines ad volendum, non autem ad agendum, niſi ex parte: nec ad patiendum niſi paululum, & cur culpa ſit in ſola voluntatis conſenſione.

ART. II.

SED non ab re quiſpiam quæret, in quo differt voluntas à natura, cum ſimili modo vtraque ſit libera, & coacta. Nam & lapis licet ſurſum cogatúr ire, non tamen it volens vnquam, quoniam ſemper retinet propenſionem deorſum; ſic dum cogitur homo ire in carcerem, vadit quidem volens ire, ſed retinet propenſionem ad non ire. Et qui merces proiicit non perdit propenſionem ad non proiiciendum: & calor in animali non perdit propenſionem ad cæleſtem ignem. Et ſicut idem non poteſt eſſe naturale, & violentum, ita non poteſt eſſe voluntarium, & non voluntarium: ſi enim volendo quid aggredimur, igitur non nolendo. Reſpondeo, quod Natura poteſt violentari, vt faciat quod non vult, ſicut lapis ire ſurſum: ſed voluntas non poteſt violentari, vt velit, quod non vult, niſi traſmutetur in ignorantiam, & in aliud Ens; & tunc non eſt, quod prius; ſicuti qui in furorem incidit. At voluntas dum manet voluntas, quidquid vult, non coacta vult; ſi enim vult, voluntas eſt. Et hoc dicebat Bernardus exponendo Apoſtolicum ſermonem: lapis enim it ſurſum nolens, ſed voluntas vult volens; propendit enim ad id, quod vult, elicito actu, non impreſſo de foris,

vt proie-

vt proiectus lapis; & licet data optione Reus nollet fateri delictum, ex quo tamen vult fateri, fatetur; fato tamen vrgentium causarum; sed superari posse fatum expertus sum: liberi quidem non sumus à passione. Non enim quæ eueniunt possumus non pati: & pluuias, & carceres, & naufragia, licet cauere possimus multa; non tamen omnia, vt vt Cor. Tacitus ex communi hominum decreto, & omnes historici, & Poetæ asserunt: vnde, & Homerus introducit Iouem dicentem ad Deos, quod homines præter Fatum, sibi incommoda spontè quærunt.

In actionibus verò ex parte liberi sumus, vt nunc possum scribere & non scribere, non tamen ire in plateam.

Sed in voluntate ex toto; quoniam licet velimus multa, quæ nollemus, vt laborare, studere, nauigare, tamen nõ coacti volumus, & semper remanet propésio ad oppositum, & ad melius. Potest voluntas à Deo mutari, sed cessat meritum, teste S. Thoma. A cœlo, & passione disponi ad mutationem; à rationalibus suaderi: & in his libertas, & meritum.

Quapropter pati in voluntarium non reputatur culpa; neque non agere, quod non possumus; sed nolle quod debemus; aut agere, quod possumus non agere, præceptumque est, ne agatur. Ergo etiam Deo nulla coactio excusat, nisi ignorantia & impotentia inuoluatur non volitis: quis enim potest cogi agere contra legem summi boni, nisi velit? contra alia bona possumus, non contra summum quid velle. Quapropter & bruta excusãtur à peccato, quoniã ignorãtia, & impotẽtia, fatales, excusãt. Sed homo sciens legem Dei, debet eligere mortem potius, quàm præuaricare, quoniam non potest cogi contra illam vllo pacto, neque à cœlo, neque à terra, sed tantummodo suaderi, & instigari. Nam neque contra amicum quis cogitur volens; lex autem humana excusat, dum quis eligit peccatum tanquam minus malum, quam mortem, quia interiora non ponderat, sed exteriora. Deus autem iudicat iuxta datum vnicuique suum.

Voluntatem à se moueri ad velle, & ad summum obiectum, non ad, media determinari: sed ad velle hoc vel illud moueri à cœlo, & ab obiectis, non tamen cogi ad volendum, sed ad patiendum & aliud agendum, & hoc cunctis rebus conuenire: sed voluntatem humanam posse insuper nouo vti consilio, & consuetudine, ac proposita respuere obiecta, & passiones. Et particularizare, & mutare impulsus, etiam supernos.

ART. III.

QVÆRITVR adhuc, vtrum voluntas humana moueatur à cœlo, aut à Deo, aut à seipsa. Resp. Quod omnia creata sunt ad suos actus determinata à Deo, vel determinabilia. Quædam quidem ad vnum: quoniam illis dat formam vnam, vt principium actus: sic graue à Deo determinatum nascitur ad motum deorsum tãtum: & calor ad calefaciendum. Quæ autem cognitionem habent, & per plura media, & per plures actus ad suos fines ferri opus habent: non nascuntur determinata ad vnum, sed determinabilia: vt animal homo sunt enim determinata solum ad proprium summum bonum in communi, idest, ad felicitatem sui scilicet conseruationem tranquillam, quam non possunt non appetere: ad media verò sunt determinabilia: sed bruta à passionibus & oblatis obiectis determinantur, ita vt non possint iuxta ipsas non operari, nisi aliæ passiones nouæ à prioribus retrahant ipsa, vt canis non potest non latrare contra vulpem, nisi verbere vel cibo oblato. Homo vero determinat etiam se ipsum contra passiones, quoniã pluribus speciebus operatur & ratiocinio: & cum accipit potionem amaram, à Consilio Medicinæ, quod puer & canis non faceret: Item contra obiecta: oblatam enim virginem auersatur, & niue pudenda castigat Franciscus; Item contra Deum. Quem homo prauus & diabolus oderunt blasphemant, ergo non determinatur à passione, nec ab obiectis nec à Deo, nisi vniuersaliter ad bonum: & non specialiter, hic & nunc & sic; nisi ipse velit. Voluntas ergo rationalis ex quo creata est semper illud vult esse, cuius est voluntas; nec à Deo mouetur, nisi sicut cætera omnia entia influxu generali, & ad bonum: nec à cœlo nisi sicut ab offerente obiecta, quæ specificãt ipsum velle, sed non faciunt. Quia etiam in organis imprimit calorem, siccitatem, humiditatem, & frigus per se, vel per accidens ipsum cœlum mouet corpus, & indirectè, & dispositiuè voluntatem; & spiritus enim corporeus est, & patitur à cunctis rebus. Anima in spiritu primò insidet, & eius afficitur passionibus: vnde acto in furorem spiritu, & ipsa alienatur: vnde vult furiosa irrationalique voluntate. Tamen dum sanus est spiritus, ipsa indirectè mouetur à cœlo, & ab omnibus obiectis externis, à terra, ab aëre, & hominibus. Sed tamen nullus istorum mortuum ipsam violentant, nisi aliquando per accidens immutato spiritu in furorem, & tunc non adest culpa, nisi fueri Mens volens furoris causa. Aliarum verò rerum cœlum immutat vires, solum tamen corporatas, vt & spiritus nostri, sic & naturas, & cupiditates: omnis enim natura Potentia, Sapientia, & Appetitu constituitur puris, vel corporatis.

Appetitus ergo mutatur tanquam naturæ pars in naturalibus: & quia cœlum naturali, & consueto agit modo, eius vis non dignoscitur, sed in omnibus maxima est, sed non sola: quoniam tellus, & aliæ res partem habent.: licet autem omnia sint cœli opera, tamen cœlum hoc non sentit, sed tantummodo calorem effundere, & terram destruere, sicut & terra destruere cœlum, & se defendere. Quæcumque autem præter id

fiunt intra cœlum ac terram, præter intentionem cœli, & terræ fiunt, & à Deo solo intelliguntur, & ordinantur, vt declarabimus. Quapropter cœlum immutat volitiones, sed magis Fatum. Non enim solum cœlum facit pluuiam, sed terra, & lacus, & alia entia concurrunt: pluuia autem per accidens mutat voluntatē nauigantis, & arantis, ne nauigent, neque arēt, neque ambulent. Calor enim æstum facit, & iram, & fastidium, vnde bella oriuntur: quoniam animi hominum commoti ad hæc progrediuntur. Facit & cœlum sterilitatem manifestè, & penuriam, & ea mala, quæ ad hoc sequuntur. Nubilosum generat tristitiam, clarum lætitiam, æstuans iram, ventosum ad consilium, & recessum inuitat: frigidum ad ignem, & vinum & crapulā, & famem. Etenim corpus afficit, & spiritum ad interiora, vel ad exteriora, vel dilatat, vel condensat, aliasque facit affectiones, & passiones, ex quibus mouentur homines ad operationes magis quàm à Rationali voluntate, teste D. Thoma, qui propter hoc Astrologos putat multa diuinare, quòd homines passiones sensus potius, quam rationis sectantur consilium. At videmus sub nubiloso, & tristi cœlo alios occupatos nuptiis non tristari, sicut cæteri idem cœlum spirantes: & sub claro lætoque cœlo quosdam mœrere à studio, vel aliunde; sed de Siderum vi posterius dicemus. Nunc enim illud modo declaramus, animam affici à cœlo, vel indirectè, non tamen cogi, sicut nec ab aliis obiectis; quandoquidem non cogitur à diris cruciatibus, validius agentibus: & ad velle non posse cogi, neque moueri; sed ad velle hoc, velit, a, inuitari. Ad quod si non præuio consilio agit, sed decreto peremni, dicitur naturaliter operari, & ab aliis inuoluntariè: si verò facto Consilio, dicitur ex libertate operari; cum enim ad summum bonum, vel proprium naturaliter inclinetur Ens omne, quidquid offertur bonum, statim appetit; & quidquid malum, statim fugit. Et hoc animalibus, & plantis, & cunctis inest rebus ex decreto peremni, quoad suum bonum res inclinauit. Et quidem huiusmodi actiones fiunt certo consilio altissimoque. Planta enim facit folia ad tutamen ab æstu, & gelu; spinas contra bestias; fructus contra mortem: quod non absque magno fit consilio, sed non incerto, quo discurritur ab vno in aliud, sed certissimo, sicut Cytharedus peritus absque meditato consilio subito Cytharæ pulsat fides artificiosè: discipulus verò cogitando, hæsitando, & consiliando, quam primò, quam secundò, & quomodo pulsat: omnes quidem actiones naturales, quibus fugitur malum, & expetitur bonum, absque consilio sunt, participe dubietatis, sed non absque consilio sapientiæ, & probatæ artis; & ita operatur Autor naturæ. At vt velit animal hoc, vel illa, vtitur consilio nouo, quoniam experimento dicit bona non esse pura, neque mala, sed mista. Quapropter licet cœlum, aut alia obiecta proponant bonum, aut malum, si subito animus sectatur, aut auersatur non facta consideratione, dicitur naturalis motus, quia sequitur decretum naturale de boni adeptione, & fuga mali; vnde ægrotus contra Medicum, dolorem pharmaco afferētem, inuehitur, & puer præceptorem verberantem odit: & homo quamcunque pulchram videt mulierem, statim amat: & in his quidem culpa non interuenit, quia naturæ decretum verum sectamur. Sed facto consilio, quod non nisi aliqua in mora fit, æger amat medicum, & puer præceptorem, & homo auersatur pulchritudinem, in qua quid noxium latet. Ergo licet in primis actibus, & obiectis sit quædam coactio spontanea tātum, idest, seruilitas: tamen in libertate nostra est deinde retinere, vel abiicere amorem, & odium obiectorum propositorum, Hoc autem consilium brutis non videtur datum, nisi obscurum, & exile, quale est in pueris, vt in 2. de Sensu Rerum declarauimus. Determinātur enim ab obiectis & passionibus: nec syllogismo consultiuo mutant actum appetendi & cognoscendi & operandi, sed alia à passione vel obiecto affecta: vnde rationalia non dicuntur, sicut homo, qui contra passionem, & contra obiectorum notionem sese determinat ad alios actus: licet neque ipsa bruta, neque plantæ, neque aliud quippiam absque naturali decreto, seu instinctu rationabilissimo operantur, vbi nec violentari videmus res naturales ad volendum. Non enim lapis vnquam volet ire sursum, nisi dissoluatur in leuem vaporem: sic nec vllum entium potest cogi contra inclinationem agere, sed pati tantum: quare stultissimè Caluiniani libertatem homini tollunt ex eo, quod per modum naturæ operetur. Deus enim ipse liber non esset, quoniam ita operatur, vt aliter non contingat ipsum operari. Nec quia specificatur ab obiectis, violentatur animus, sed in obiectum inuitatur ad munus suum exercendum: sicut neque ædificator cogitur à lapidibus, & calce & aqua ad ædificandū, sed inuitatur ad opus. Nec quia homo particularizat influxum Dei, potest facere aliquid sine Deo, vt Ens, sed vt non Ens; peccare enim est deficere, & modificare est in minus abire: quæ potius à nihilo quam ab Ente habent sic esse. Et sicut non possumus dicere, Deus calefacit, Deus manducat, quia dedit calori talem vim, & nobis nostrum esse sic. Omnis enim actus est Dei, sine imperfectione: quæ in creaturis ex nihilitatis participio accidunt: sic non est danda Deo modificatio, nisi vt ordinante etiam nonentia. Ita S. Thom. ait in Pot. q. 11. ar. 3. ad quintum, influentiam primæ causæ per causas proximas determinari, & specificari. Idem dixit de motu primi mouentis Dei, & de operatione ibid. ar. 2. Et in 3. cont. Gent. 66. Agentia secunda esse quasi particularizantia, & determinantia primum.

1 p. ... 2.2. ... & 3. cont. Gent.

Conclusionem syllogismi non esse à Deo, nisi generaliter influente, agenteque, sed ab intellectu: & vtrum motiones primæ simpliciter, & omnis negotij sint à Deo: vbi quæritur de furore, insomniis, prophetia, & occulto consilio.

ART. IV.

AT quidem dum homo inuitatur ad opera exteriora, consilio prius innititur: quod autem concludat hoc, vel illud sectandum, vi detur esse à Deo, vel à cœlo, vel ab alia causa exteriori: Vnde Apostolus ait, *quod Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*: & alibi: *Quod non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Aristoteles quoque in 8. Ethic. putat voluntatem moueri ab intellectu proponente obiecta: intellectum verò à Deo, siue à cœlo: nam cœlum vocat Deum in 12. Metaph. & 2. de cœl. & hoc Astrologi tuentur. At D. Thom. non semel putat, Deum tanquam primum intellectum mouere omnes intellectus, & voluntates: & ad ipsum reduci omnes volitiones, & intellectiones, sicut omnes motus Aristoteles deducit ad motum Motoris primi. Nos autem hæc declarauimus intelligi de generali influxu: quoad finem determinatur homo de necessitate à Deo: at ipse homo determinatus à fine in communi, factusque actu, sese mouet per se, & à se sic & hîc & nunc ad media, vt docet D. Thom. in 1. 2. q. 9. Ergo est liber ad media, ad finem verò spontaneus tantum. Habet autē hæc non à se primitus: sed Deus dat vt se possit determinare. Quo Deus dat esse, vires & operationes; vt sunt extensiones esse, ac virium; at conseruat sēper physicè, non moraliter semper. Voluntas. n. nostra, & esse nostrum de se nihil est, sed à Deo est, id quod est: à nobis verò id quod nonens est. Ast vbi res in esse producuntur, operantur iuxta proprium esse, vt calor calefacit, & frigus frigefacit: & res concurrunt ad agendum, non sicut instrumenta nihil agentia, sed sicut coagentia, licet à Deo habuerint vt sint & coagant. Neque Apostolus, neque D. Thomas, neque Doctores alij rectè sentientes, substulerunt vnquam, formarum actiones, sicut Mahometani, & Caluiniani faciunt; aliàs ita calefaceret frigus, sicut calor, quandoquidem Deus calefacit, & non frigus, neque calor, ex æquo per vtrumque: & stultè facta essent entia, vt sint entitate propria, & non vt agant actione propria; cùm actio sit effusa illamet entitas: sicut calefactio est effusus calor. Nec quia adigitur ad agendum, ipse non agit; non enim est eadem actio Dei & hominis, sicut nec eadem vis agens: Dei enim actio esse facit, & vniuersalis est: voluntas verò nostra particularis, & particularizans. Quapropter dicimus, voluntatem de se velle bonum: & quia bonum est Deus, vel Dei participatio, à Deo mouetur vt à finali causa; & à Deo, vt ab agente, sicut dicunt, quod dans formam, dat consequentia; quia dedit esse, ergo & operari, & à Deo vt coagente, quoniam seruat esse, & operationem, sicut sol lumen in aëre: non tamen lumen non illuminat. At in hoc remanet disputatio cum Caluinistis, vtrùm impellatur voluntas ad velle hoc, vel illud, & vtrùm ad omnia, vel ad quædam. Dicimus quidem non impelli à Deo per vim; eius enim est seruare naturas in suo esse, & operari; & quia est causa prior Deus, qua causante, causant, agit cum causis, & in causas illustrando, afficiendo, & adiuuando, auxilio non modò generali, sed speciali physico, & morali ad bonum hoc & illud. Ad malum verò morale concurrit agendo cùm causa, sed non in causam, & physicè tantùm, non moraliter: imò moraliter dissuadet, & vetat malum in omni lege: & cùm sit actio quò mala, eò defectiua: Deus autem non potest deficere, nec dare vt deficiant, & à se recedant, propterea non potest concurrere in causa ad deficiendum acta: permittit tamen fieri non dormiendo, vt Caluinus arguit, sed physicè agendo, & in bonum ordinando malitiam actus, quemadmodum in Theologicis declarauimus. Et D. Th. in lib. sententiariis, & sup. epist. Rom. docet Deus semper moueri ad bonum: sed à nobis torqueri motionem ad malum, sicut à tibia fracta sponte: Deus excitat Pharaonem ad tutelam regni; ipse verò vtitur excitatione ad perniciem Iudæorum. At ad naturales volitiones generali influxu concurrere, nec mouere ipsam ad volendum, sicut inanime instrumentum, sed sicut animatum concurrens ad opus suum actiuè & formaliter. Et Conclusiones syllogismorum non esse à Deo solo, vel à cœlo, sed ab ipsa quoque anima concludente, quæ aliquando concludit falsū, & malum, non autem à Deo summo Ente, sed quoniam nonentis mixturam habet: & hoc satis declarat ipsam coagere: si. n. solus Deus ageret vel efficaciter, nunquā falsam, & inutilem conclusionem eliceret, neque ad hoc coageret, aut adduceret. Agit ergo nobiscum immediatè immediatione principij, & vniuersaliter, nos verò immediatione personali & particulariter: particularizatio autem est diminutio per nihili actū, & vt sic est à Deo ordinante, sed vt ens, à Deo faciente: sed de his posteà. Caietanus tamen de mente D. Thomæ putat, prima intelligibilia, & appetibilia à Deo in animas infundi non modò in ætatis principio, sed in cuiusque negotij; vnde experimur in nobis absque præuio discursu, aut voluntatis imperio, aut habitu virtutis, quasdam subitò suboriri impetuosas, & efficaces intellectiones, & volitiones insolitas, nescientibus quidem vnde eas habuerimus: quas oportet ad Deum referre, vt influentem & prouidentem particulari cura creaturis intellectualibus. D. Thomas docet determinationes non esse à Deo, nec à cœlo. Nam contradictio est dicere, quod ho-

mo facit quod in se, motus à gratia Dei: gratia enim dat meritum actui, non substantiam & esse: hæc enim à libero arbitrio se determinante, vt docet in 2. d. 5. q. 2. ar. 1. & d. 25. q. 1. ar. 1. ad 3. ergo multò minùs concedit in cæteris actibus nos moueri ab extra. At profectò has impetuosas affectiones contingit sæpe prauas esse, & ducere ad peccatum, & mortem, ergo non sunt à Deo semper, vt putat Caietanus: ideo Astrologi à cœlo eas deriuant, à stellis nimirum beneficis, & maleficis. Et D. Thomas in 3. cont. Gent. docet quosdam esse benè natos secundum cœlum; quos cœlum incitat ad eligendum quod & quando est illis bonum: quosdam verò malè natos, quos inclinat ad & quando malum. Et Caietanus idem docet in 2. 2. Plato verò in lib. de Furore poëtico ad intelligentias bonas, vel malas videtur referre, si addas ea, quæ de dæmonibus scribit: & D. Bernard. Verbo Dei multas attribuit, quasdam Angelis, & quasdam dæmonibus: sed quod dicitur de his occurrentibus in vigilia, de his quæ in somno fiunt, dicere oportet, & magis; quas tamen Aristot. in lib. de insomniis non putat esse à Deo: quoniam non optimis, & sapientissimis immittuntur, sed mulierculis sæpe, & ignaris. Adscribit tamen illas naturæ, *quoniam*, ait, *natura dæmonia est.* Sed quod dicimus de huiusmodi somniis, & impetuosis intellectionibus, & de furore poëtico, & amatorio, adhuc videtur simile dicendum de Prophetis, qui subitò quid intelligunt, præuident, & prognosticantur: quos tamen Aristoteles in problematis sect. 30. adscribit naturali intemperiei: & fieri putat Sybillas, & Bacchas à multa & calida atrabili. Idem docet Galenus in lib. de morbis vulgaribus: & Auicen. putat prophetiam esse naturalem, & à Colchodea, vt Auer. ab intellectu separato. Hippocrates autem in Periarchon, calorem sentire, intelligere, & prophetare autumat. Ptolomæus à Saturni, & Mercurij, & Lunæ cum Venere dispositionibus optimis prophetas facit: & dæmoniacos à Luna & Mercurio, vexatis à Saturno de die, à Marte de nocte in angulis, & non configuratis. Nos autem in commentariis de Sensu rerum plurima diximus. Sed quæ huic sermoni conducunt, dicere non grauemur.

Ab omnibus præfatis Philosophis ex parte rectè dictum esse, sed non ex toto: & extare Angelos puros, & impuros, & Animam mundi, & ab his fieri insolitas intellectiones, & volitiones, & prophetias; sed à Deo sæpe à cælo, & aëre, sicuti & brutis accidunt, quæ naturaliter fiunt.

ART. V.

EQVIDEM nullatenus dubito, primas intellectiones, & volitiones esse à Deo primo Ente, à quo accipiunt esse cuncta entia: cum enim ens ex Potentia, Sapientia, & Amore constet: amor autem proprij esse est amor primùm: consequens est, vt qui dat esse det amorem, & obiectum & actum. Et quia etiam intelligere est esse, idem de intellectione fateri oportet: sed de superadditis intellectionib. & voluntatibus, est quæst. vnde primùm oriantur. Et patet quidem à notitia proprij esse immutati in id, quod de nouo intelligimus, & volumus. At immutans causa quæritur nunc. Et quidem non videtur esse obiectum, quoniam non cogitata, nec visa vnquam obuersantur animo: & sæpe indicant, licèt aliàs visa sint, non quod alias indicarunt. Nam vncinus pomorum, quem videt Amos, aliud quidem indicat, quàm quod prius: & septem vaccæ macræ, & septem pingues, non vaccas vti prius, indicant Pharaoni, sed annos penuriæ & vbertatis; ita vt significationes transferre, & accommodare, non est opus animi stupidi, neque ordinarij sensus, sed sapientis intelligentiæ. Nam & Poëtæ metaphoras faciunt in verbis, & in sensu fabulas multa arte ad significandum non quod verba significant, sed quod res significatæ rursus significant. Præterea non modò hoc est opus intelligentiæ humanæ, sed diuinæ: quoniam ad significandum futura, & absentia adaptantur, & non quæ nouimus, & alio sub sensu dicere volumus poëtico more fingentes. Futura autẽ nosse solius Dei est, ex certitudine cuius est & facere: at ex coniectura conuenit etiam obseruantibus vias eius, & inuestigantibus causas. Medicus enim ægri mortem præuidet in debilitate spiritus, & fortitudine morbi. Nauta pluuias in copia vaporum lunam circumdantium. Astrologus bellum in dominio Martis malefici suffulti in eclypsi. Politicus Reipublicæ ruinam in prauitate Rectorum, & moribus populi seditiosi: & in externorum Regum ambitione, & dolis, & armis. Quoniam hæc ita frequenter se habent. At futura per accidens contingentia non nisi à Deo factore eorum certò sciri putandum est, præsertim longa post secula, sicut Isaias de Cyro, & Ierusalem reædificatione multò antè, quàm destrueretur, prophetauit nominatim: & Michæas mortem Ioram in Ramod Galaad tanta certitudine, quasi ipsam vidisset.

Has autem prædictiones ab atrabile fieri, & à calore, vt putat Aristoteles, & Gal. & Hippocr. stultissimum, impiumque est asserere, vt in lib. de Sensu rerum docuimus, & in 3. p. amplius declarabimus. Vbi etiam quærendum, an sicut in anima humana est vis discursiua, & imaginatiua, & memoratiua, naturales; ita etiam insit vis prophetandi naturalis, non ex causis præmotis tantùm, & passionibus ab eis, & à cœlo, & à numine inditis, sed ex seipsa. Hìc autem assero, ab aëre aliquas fieri & à cœlo in nobis mutationes, vnde futura præuideamus, sicuti & brutis accidit. Alcyones enim præuident maris tempestates, corui & pecudes aëris: hyrundines anni tempora: quoniam hæc omnia fiunt in aëre, quem spiramus. Aër autem sentit ea,

quæ fiunt, & nobis communicat: ſicut enim dum ego loquor, aër tibi ſonum verborum meorum affert: quoniam ſpiritus aëreus eſt, & aëre nutritur, vt in phyſicis oſtenſum eſt: vnde melancholici, & ſpiritu tenuiſſimo dotati, quaſi ſubitò multa norunt futura, & noſtræ mentis cogitatus, qui fiunt per motiones ſpiritus: motiones autem aëri communicantur, & ab aëre ad ſpiritum melancholici deferuntur: qui ob tenuitatem afficitur ſubitò, & inſpicit occulta, & neſcit quo modo: patet enim tenuiora ſuſcipere motum non modò validum, ſed exilem, qui in craſſiuſculis rebus non percipitur. Animalia autem non quia ſpiritu meliori, ſed quia fortè tenuiori, & aliis negotiis non diſtracto, niſi ventris, prædita ſunt; idcirco aëris paſſiones norunt magis, quàm homo, vnde & ægrotantes facilius eaſdem ſentiunt, vt Erniosus vires auſtri, & qui paſſus eſt in crure aut digito plagam, vim frigoris plus in illa parte ſentit, præſertim dum alia ingenti paſſione non occupatur. Quapropter in ſomno plura ex aëre nouimus, quàm in vigilia; quoniam tunc ab aliis negotiis ſpiritus quieſcit, idcirco facilè aëris motum percipit: ſentiunt ergo frigus, & vaporem pecudes, & Corui in aëre, & ex hoc pluuias: vnde ſe mutuò præmonent, & ventri conſulunt, ne vacuus ſit, quando paſci non poterunt: ſic bella vultures: quoniam negotiatio ad bellum præcedens in aëre fit, qui eas afficit cædis futuræ ſimulachris, quod nobis in ſomnis ſæpè indicatur. Nam matres filij necem præuident futuram, vel factam, & amantes amatæ rei ſtatum: & artifices ſuæ artis euentus: imò vigilans mater ſenſit in ſuo latere ictū pugionis, & exclamauit ad ſeruos, nunc filia mea (de qua cogitabat) accepit vulnus in latere: ite: nam diſtabat M. P. & ſic inuenerunt. Melancholici verò omnia propemodum: nam veluti illi ad ſuorum negotiorum, & deſideriorum euentus dignoſcendos diſpoſiti ſunt ex præcedenti affectu, & tractatu: ita iſti ſunt ex ſola tenuitate ſpiritus ad omnia diſpoſiti aptique obiecta: poteſt ergo aër nunciaſſe amico dormienti in domo cauponis, tertiò per ſimulachra euentus, cædem amici, & modum ſicut narrat Cicero, & quomodo manè deferendus eſſet in carro opertus fimo extra ciuitatem; qui ſurgens, & ſocio non inuento, indicauit ſomnium Magiſtratui: cuius poteſtate inuenit occiſum amicum in carro, & puniuit hoſpitem: & hoc cùm fieret, potuit ſereno ab aëre nunciari: quoniam ſcire eſt affici re ſcibili, & affectus aër poteſt ſpiritum noſtrū afficere etiam vigilātem, vt cum Saia nil præſcius ambulans dixit, Puto nunc quod aliqui archibugio vult me occidere: & reſpiciens retro videt occiſorem exonerantē archibugium igne contra eum. Si enim non eſſet clauſus in corpore ſpiritus, non indigeret ſignis & percuſſionibus ad ſciendum quod aliud ſcit ſpiritus, ſed ſolo contactu ſciret, & promptius; ſicut aër tangens aërem, afficit illum ſuo calore, vel frigiditate, vel motu: ergo docet, quod ipſe patitur, & ille ſentit.

At quando futura præuidet quis, vt Don Lelius noſter puerum ſuum cadentem de equo, aſperſum ſanguine, & morientem: cumque ſurgendo diceret puero (quia in itinere erant) vt cautè equitaret. Nihilominus puer cecidit vbi, & quomodo ſomniauerat Don Lelius. Hoc quidem ſtellis & aëri, & ſeriei cauſarum necem parantibus, neſcio quo pacto adſcribam: quoniam vnum quodque intelligit vnum modò facere, vt cœlum calefacere, tellus frigefacere. Fatum autem non eſt cauſa, ſed cauſarum ordo: vnde videtur mihi intelligentiis exterioribus tribuendum, vel dæmonibus, quibus mali executio demandata erat: vel Angelis, quibus malum non placebat: vel mundanæ animæ: & quia nos has res perquirentes inuenimus multa, quæ cælo & ſideribus non poſſunt adſcribi, quoniam ſunt cauſæ fatales, ſed non fati: licet multos ſciant & præuideant ex ipſarum pugna cum terra futuros euentus, non tamen omnes; quoniam ſunt partes & non totum: ſicuti qui rempublicam gubernat, & ſcit magiſtratus, & artifices & milites quid facturi ſint in aliquo die præſcripto: tamen multa contingūt contra eius ordinem: quoniam particulares hominum diſpoſitiones non eos pariunt modo, quos ipſe imperauit effectus, ſed alios plures, & ſæpe impediunt illos. Quapropter magna pars fati eſt cœlum, ſed non tota: & non eſt conſcium, vt dicit Teleſius: ſed multiſcium: poſſunt ergo multæ, ſed non omnes repentinæ volitiones, intellectiones, & præcognitiones ab eo fieri.

Quæ Ptolomæus ſcribit de Luna, & Mercurio à Venere Saturnoque probè affectis in angulo, & ſolaribus dogmatibus facientibus prophetiam, & deprauè affectis parientibus demonoplexiam, experti ſumus magna ex parte vera eſſe: quoniam ad cuiuſque rei generationem tota rerum vniuerſitas concurrit: & magis cauſæ potiores, & tunc vigentes; ſed ad diſpoſitionem ſolùm valere nouimus. Venus enim blandè illuſtrat ſpiritus, aptoſque reddit communicationi ſuperūm: quoniam lucidi ſunt purique: Et Mercurius, ait S. Thom. benè ſitus cum Saturno dat intelligentiam rerum medullitus. Saturnus verò tenues facit, exiles, & fuligionoſos. Mars furentes, quando dominos morum fortiter lædunt: ergo aptos cōmunicationi impurorum dæmonum: vnde ſapienter Origenes dixit, Atrambilem eſſe ſedem malignorum ſpirituum: vtuntur enim fuligine ad terrendum ſpiritum, & frenandum cum eo & animum, vt patet in lunaticis. Vnde vidi demus huiuſmodi homines delectari cadaueribus & ſepulchretis, & prauè olentibus rebus: ſicut mulieres citta affectæ appetunt carbones manducare, & calcem, & fragmina teſtea, & eas denique res, quæ ſimiles ſunt humori craſſo prauoque in ventriculi fundo antegenito. Quapropter ex demonoplexia, & viſitationibus Angelorum, ſcimus eſſe dæmones, & Angelos: & ego diu quærens, nihil horum inueni, niſi quādo non cogitabam de eis. Quapropter taceat Plinius, & Ariſt. & ſequaces, nam veriſſimè extant dæmones in mundo: & hoc negare eſt ſtultum, nedum impium: teſtes enim ſunt optimi, & doctiſſimi hoc experti: non decepti, neque deceptores: & ego hoc iam ſcio, non amplius in aliorum credulitate verſor.

S. Th. 3. cont. Gent.

Rationes Ariſt. quod nulla operatio eos eſſe indicat, niſi cœli motus, ideoq; non eſſe plures quàm motores cœleſtes: vanæ ſunt; quoniam & compoſitio artificioſiſſima plantarum & animalium, & aliarum rerum mirifica cùm non poſſit elementis tribui, nec cœlo corporaliter agentibus non artificiosè; & intendentibus ſui modo amplificationem, non autem productionem ſecundorum entium: benè oſtendunt opifices inuiſibiles aſſiſtentes productioni ac mutationi ſublunarium. Item miracula præter naturam facta; & ſuggeſtiones, & apparitiones, & ſomnia præter naturam, eos eſſe oſtendunt. Quod autem ait, Deum non immittere ſom-

nia, quoniam non optimis, & doctissimis, fallitur: sunt enim dæmones, qui cũ femellis conuersantur: sed somnia Ioseph & Pharaonis, & Nabuchodonosor, & Danielis, & multa quæ extant in Romanorum historiis, longe aliter se habent: & Brutus, & Socrates, & alij audiere voces dæmonis. Taceo innumeros, vt Bernardus, & Dominicus, & Franciscus, & Catherina, & millia hominum in lege Christiana id experti: sed Arist. putauit se optimum & dignum diuinis insomniis: quoniam non intellexit se esse sophistam stultum apud Deum: & cùm ait in lib. de Mundo: quod Deus imbecillis esset sicut Rex Persarum, si tot ministris indigeret: sufficit enim ipse isthæc omnia facere.) Respondemus, pertinere ministros ad maiestatem, non ad imbecillitatem semper. Nam nec sole indiget Deus: posset enim absque illo per se terram illustrare & immutare: ergo frustra est sol? nequaquam. At hoc argumentum damnat ipsum Arist. si enim sufficit Deus, cur addit alios motores ad mouendum secundos orbes: & cur non vnum tantum, sed quatuor deferentes, & tres reluctantes cuilibet planetæ, excepta luna? At non modò Angelos & dæmones esse arbitror, & scio, sed etiam mundi animam longe nobiliorem, vt placet Platoni, & D. Basilio in Examer, & D. August. in lib. imperfecto super Genes. & S. Nyss. aliisque Patribus: ipsamque ponere non modò autoritas & inspirationes suadent: possunt enim illæ negari, & hæ Angelis adscribi. Nec ratio illa, quam posuimus de Sensu rerum ex vi consiliatiua: sicut enim quidquid intra fabricatus est spiritus duce Deo, & quidquid intus operatur, foris quoque operari, & fabricari videtur: vnde ciuitatem similem corpori fecit; capiti similem arcem; ollas ventriculo, horrea iecori, folles pulmoni, fornacem cordi, equitatum pedibus, arma vnguibus, fenestras oculis, & auribus, & quidquid operatur intus, extra operatur: succedentibus enim lætis ad plateas imus, vestibus ornamur, & splendemus, sicut spiritus in oculos confluit vbi lucidissimus splendet: succedentibus verò infortuniis cõsortium auersamur, homines fugimus, ad penerralia nos abdentes, & luctuosis pannis vestimur, & opera vitæ non exercemus: sicuti spiritus fugit ab oculis in mœrore, & eos obscuros relinquit: abdit se in penetralibus, vestit se fuliginibus, quoniam eas non expellit, & dimittit nutritiones, & sequestrationes: vnde suboriuntur infirmitates, & saltē ephimeræ febres, cùm voluerit nouo feruore damna reparare: & in omnibus operamur extrà, sicut intrà vnde optima est diuinatio morũ, & naturæ ab actibus consuetis. Ergo quoniam in rebus dubiis accedimus ad consiliarios vel viuentes, vel mortuos, qui in codicib. loquuntur, excogitauimus, quod animus in interioribus dubiis aliquando recurrat ad consilium diuini Numinis; quod putauimus esse animam mundi, & non Deum ipsum: siquidem Deum rogamus in exterioribus negotiis iustis, sanctisque, sic & in interioribus, in cæteris verò consulimus sapientes in exterioribus: ergo & in interna contemplatione aliquod numen sapientia præditum consulimus: quod credidi esse mundi animã: sed ex quo vidi Angelos, & dæmones existere, & cum hominibus commercia inire: eiusmodi argumenti vis in me labascit: quoniam potest hic recursus ad Angelos fieri præsertim custodes, à quibus bonas suggestiones, & consiilia reportamus; & quando iniqua & inania petimus, à dæmonibus ludificamur, vt Socrates & Brutus testantur; & hoc negare non solent, nisi insueti, inexpertique perscrutari diuina, & sensuum exteriorum curis dediti valde, & abditam notitiam nescientes, vt belluini homines: At nunc duæ me rationes cogunt mundo animam dare diuinissimam. Prima est principatus Angelorum & dæmonum: debet enim præfici cunctis spiritus vnus sui ordinis, qui immediate à Deo percipiat facienda, & iubeat, & rebus consulat cunctis: non enim reducuntur ad vnum Deum, nisi per vnum. Colchodeam autem Auicennæ, & intellectũ Alex. & Auer. alibi exclusimus: hæc .n. anima non huic modo corruptibiliũ sphæræ præsidet, sed cunctis, quoniam totius mundi est anima. Cœlos autem ab Angelis non moueri, sed à proprio calore, in physicis ostendimus; & fundamentum Aristotelis, quod omne quod mouetur ab alio separato motore moueatur, falsum esse, omnia naturaliter mota declarant; & Philosophi, & Theologi præstantiores. Altera mihi ratio suadet animam mundi sumpta ab homine: si enim homo non modò spiritum corporeum, sicut bruta, habet sui habitatorem, & rectorem, verum etiam à Deo animam inditam longe diuiniorem, & immortalem, vt eius intellectio, & volitio infinita, & dominatus super reb. & cœlestiũ intelligentia & religio, & prophetia rerum non corporearũ modò, qualis est brutis, sed etiam pertinentium ad alteram vitam meliorem post mortem, & communicatio cum superis, & conuersatio manifestant: multò magis ipsi mundo præter sensum communem partibus cunctis adscribenda est anima diuinissima. Non enim pars toto melior est, neque homo mundo: vnde & soli, & stellis peculiares quoque animas dare non Aristotelico modo, sed assistentes sicut D. Hieronymus & Origenes, & Patres alij docent, congruum est: sed de his in 3. p. disputabimus.

Reuertentes ergo dicimus omnes præfatos Philosophos ex parte aliquid veritatis dixisse. Nam Aristoteles, & Galen. dispositionem materialem respexerunt. Ptolomeus ad causas dispositionis materialis & formalis. Plato ad causas actiuas exteriores inuitatas ab huiusmodi operationibus. Caiet. fuit diminutus: sed D. Ber. prçcipuas causas introspexit.

Patet enim multas visitationes in animo fieri immediate à Deo: quando non modo scientia, & iudicatio ordinaria contingit, sed diuina inflammatio, morum reformatio suauis, diuinaque extasis, & à terra eleuatio cum illis signis, quæ in fine secundi libri apposuimus. Quando autem est ab Angelis, informatio quædam suboritur, & consolatio quasi ex parte, non ex toto: cætera verò patent exercitatis: sed miraculorum comprobatio, quod à nulla creatura fieri posse 3. p. ostendet, Deum maxime interuenire, & immediate ad has visitationes, palàm facit.

Nec propterea quod mundus anima beata viuit, vermes & belluæ beati erunt, vt quidam arguunt: non .n. hæ particulæ cõmunicãt cum ea, sed reguntur tantũ, sicut vermes nascẽtes in ventre hominis, & pediculi in capite, & lendes, non viuunt vita hominis rationali, nec eius beatitatem participant; ita nos sumus in ventre mundi hanc animã mundi ignorantes, vt vermes nostram, & cum ea non communicantes: & multo minus bruta, & vermes, vt dictum est: non enim est forma materialis, vt temperies possessa à materia, sed vt lux pendens à diuinorum patre luminum intellectualium: infusa quidem corpori, sed non confusa, vt bene aduertit S. Ambros.

EPILOGVS EORVM QVÆ DECLARATA sunt: ex quibus de Fato dicendum restat.

CAP. VII. ART. I.

QVONIAM ergo vidimus in rebus esse necessitatem, & contingentiã, & tamen quando sunt, & vti sunt, necessariò esse; & quæ contingenter se habent ad alia particularia entia, in se esse necessaria, & ordinem rerum multo magis. Itidem vidimus omnia entia quoad interius esse, & operationes internas, necessaria esse; quoad externas verò, quas aut ab ordine rerum sortiuntur, aut à defectu sui esse, indigentis reb. externis, vt sit, & operetur, contingenter se habere; quatenus verò externis non subitò indigent, liberè se habere: ex quo cognouimus, in homine esse libertatem ad vtrumque propter dubietatem, & subitò alterutro non egere: in duo verò esse libertatem, non ob dubietatem, sed solum ob non agere: in rebus naturalibus verò esse voluntatem, seu appetitum, sed non libertatem: nunc ad ipsius Fati declarationem venire oportet, quandoquidem causę ex quibus texitur, ipsarumque modi, iam patefactæ sunt.

Deum ex parte voluntatis res produxisse liberè: ex parte essentiæ contingenter, quatenus participant nonesse: quatenus esse, liberè in se, sed in idea necessariò; & libertatem Dei non dare necessitatem, neque contingentiam. Sed dici res necessarias, & contingentes ratione propriæ entitatis, accedentis, & recedentis ab esse summo: & vt sic sunt à se, non posse Deum contradictoria verificare; nec diuersa, nisi vt entia: nec essentias immutare, vt suæ respondent ideæ, sed corruptibilia posse incorruptibilia facere, & è conuerso: quoniam hoc spectat ad existentiam: & tandem omnia euenire necessariò respectu Dei, sed non necessaria esse omnia.

ART. II.

PROFECTO si Deus est infinitus essentia, & virtute, nullo modo indigus est; habet enim omnia in se: ergo res quæ non sunt Deus, produxit liberè; siquidem probatum est superius, omne ens seipsum modò velle necessario amore essentiali, & innato, cætera verò extrà, contingenter, hoc est, quatenus proprio esse vtilia sunt, & conseruatiua quomodocumq; in se vel in alio: quam conseruationem in alio quærunt res non confisæ propria & in se & quando sine his, quæ ad conseruationem conferunt, esse possunt, dicuntur, eas liberè velle, vt homo vult vestem, & baculum: quando nonesse possunt, dicuntur necessariò velle, vt homo vult respirare, & cibari, & pulsare arterias.

Quapropter si Deus vult res externas à se, quæ non sunt Deus, non quidem necessariò vult: quandoquidem probatum est, prima necessitate nullum ens velle, nisi seipsum, ac Deum, non quasi aliud à se, sed quasi sui esse fontem perennem in se. Alia verò à se cupere contingenter: sed quædam necessaria contingentia, vt respirationem, & victum; quędam libera, vt codicem, & vestem. Quapropter nulla ratio docet Deum voluisse facere mundum, & res extra se amare prima necessitate: Sed neq; cõtingenter, quatenus sint extra se: quæ enim contingunt, sunt extra essentiam; extra autem essentiam Dei entia nulla sunt, quatenus entia, sed quatenus nonentia. Ergo Deus vult res extra se contingenter, quatenus habent de nonesse; quatenus habent de esse, vult liberè, & non necessariò: & quamuis quoad esse sint aliquid illius, & participationes diuinitatis, tamen quatenus sunt extra Deum, communicant cum nonesse: & nullo pacto vult eas Deus, vt sic necessariò; sed quatenus sunt in se: Sunt autem in idea & participabilitate, & hac ratione Deus necessariò vult res, sicut seipsum.

Hæc autem libertas Dei facit esse rerum non necessarium, neque contingens respectu Dei: si enim necessarium, non posset Deus eas annihilare, nec non facere: si contingens, possent esse aliter, ac vult Deus: sunt ergo ad libitum.

At in seipsis quædam dicuntur necessarię, quæ semper eodem modo se habent: quædam verò contingentes, quæ aliter, & aliter se habent; & necessitatem contrahunt ab esse diuino participato; contingentiam à nonesse, quod non erant, antequam essent. Erant quidem in Deo, non erant in se: ergò esse à Deo, non esse à se habent res; vnde est in rebus aliqua necessitas, quam nec Deus violare potest. Prima, & vnica est, quod idem non potest esse, & non esse secundum idem: Et ratio est, quia esse est Dei, non esse nullo pacto est Dei. Non ergo Deus potest dare esse, & nonesse simul: sed duo esse potest magis, vt hominem esse hominem, & esse asinum: sed ex ea parte, qua homo excludit asinitatem, & asinitas humanitatem, non potest idem

esse homo, & asinus, ne fortè sit, & non sit simul, & verificetur contradictio; sed eminenter potest idem esse homo, & asinus, seclusa nonentitate asini, & asinus potest esse homo, non seclusa nonentitate hominis, sed asini, vt dicebamus, quinarium esse quaternarium seclusa nonentitate quaternarij: sed quaternarium esse quinarium seclusa non quidem entitate quinarij, sed nonentitate quaternarij.

Tandem dicimus, essentias rerum esse necessarias, vt non possit Deus meliores facere essentialiter. Non enim potest Deus facere hominem, quod non sit animal rationale: licet possit facere plures creaturas homine meliores: Et hoc peritè scripsit D. Thomas in 1. p. q. 25. art. 6. & assignat rationem, quoniam non potest Deus facere quaternarium maiorem: si quid enim adderet, non esset quaternarius, sed quinarius. Hæc ratio bona est, sed non declarat quod vult. Namque ideo non potest essentia fieri melior, quoniam respondet suæ ideæ in mente Dei, & proprio gradui participationis diuinæ: qui vt sic, non potest esse maior, aut melior. Omnis ergo necessitas impossibilis aliter se habere, refertur ad Deum intrinsecus. Vnde Plato omnem necessitatem ad ideam transfert, contingentiam verò ad indiuiduorum existentiam refert, quæ constat, meliora, & deteriora fieri, prout melius, aut deterius ideæ impressionem participant; sicut gladius, & poëma, & oratio, prout maius minusque participant ideam Artis, sunt magis minusque perfecta. Idea autem in optimo consistit, quam nulla materia prorsus attingit: vnde videmus nullũ poëma fieri, in quo non aliquid desideretur ex his, quæ scripserunt autores Artis poëticæ.

Sed vtrum hæc necessitas sit simpliciter necessitas, vel ex suppositione voluntatis? Si enim idea graduata est voluntatis decreto volentis ad ipsius exemplar aliqua producere, vtique necessitas est suppositionis: si autem idea ante voluntatis decretum est in Deo, vt ratio, non potest homo esse, nisi sit animal rationale: nec triangulus, nisi tres habens: Hoc videtur sentire D. August. At de rerum existentia extra se longe aliter dicendum est: quoniam hæc pertinet ad esse indiuiduale participans nonesse: ergo potest Deus, quæcumque facit esse, facere, vt non sint. Non enim hominem esse in rerum natura, & in platea, necessarium est, sicuti hominem esse animal rationale: sed omne finitum potuit aliquando non esse: ergo poterit aliquando non esse vt prius, Quapropter fallitur Alexander, & Doctores nostri non rectè murmurant contra D.Tho. quia dicit, res esse necessarias, & posse à Deo annihilari. Non enim de necessitate essentiæ, sed existentiæ est sermo: potest ergo Deus facere ne reperiatur numerus quaternarius in rebus: sed nonne quaternarius constet ex bis duobus.

Similiter quia corruptibilitas, & incorruptibilitas pertinent ad esse existentiæ: licet mundus sit incorruptibilis, & Angelus: tamen potest Deus illos annihilare: At non potest facere Angelum, qui non sit intellectualis, neque mundum, qui non sit rerum vniuersitas; neque triangulum absque tribus.

Quod autem dicunt ex Aristotele corruptibilitatem, & incorruptibilitatem pertinere ad essentiam, falluntur. Nam essentia etiam corruptibilium est incorruptibilis, vt trianguli, & equi essentia: semper enim ille habet tres, & hic est animal hinnibile; & hæc incorruptibilitas est ab idea, quæ dat essentiam hanc, & non aliam: essentia verò incorruptibilium est etiam incorruptibilis: existentia verò potest corrumpi, quoniam participat non esse, cum sit extra Deum, vt declaratum est: sed in tantum dicitur semper esse, & necessarius ipse Angelus, in quantum non habet ens cõtrarium potens destruere illum. Atsi Deus faceret illi physicum cõtrarium, destrueretur: sicut si calor non haberet frigus contrarium, esset incorruptibilis: & corpus humanum, nisi esset inter duo contraria cœlum & terram, vnde continuò calor natiuus exhalat, fugitque in cœlum, & soliditas in terram, esset incorruptibile. Quapropter stultissimè Arist. & Auerr. ex eo bibens impietatem, putant, homines non posse à Deo fieri immortales, & beatos; & quod religio asserit, esse fabulam; in alium enim statum translati, & glorificati, absorbetur quod mortale est à vita, vt eminentissimè docet doctor Gentium: Et quidem si idea eorum incorrupta est, nihil obest, quin incorruptum fiat ideatum.

APPENDIX.

QVONIAM ergo vidimus, Deum liberè agere, dum res in actu ponit: sed dum habet, necessariò: & quia Dei libertas est absq; dubietate, determinatam esse oportet ab æterno: ergo sunt res, sicut Deus ab æterno præsciuit, & prædestinauit: ergo sunt necessariò, necessitate quam dicunt suppositionis, & infallibilitatis: ex quo enim voluit Deus eas esse, necessariò sunt: quoniam voluntas eius non mutat consilium à nouo euentu, cui nimirum nihil est nouum: quidquid ergo est, & sicuti est, necessariò est necessitate suppositionis respectu Dei: cum quo tamen stat, quod quædam sint contingentia, quædam necessaria, quędam coacta, & violenta, & seruilia, quædam libera, & spontanea, & naturalia; & ordo in eis positus immutabilis est, & id vocamus Fatum. Itaque declarandum est, quomodo ex mutabilibus, & immutabilibus ordo est necessarius, immutabilisque, & quomodo res sunt simul contingentes, & necessariæ, mutabiles & immmutabiles; liberæ & seruiles, coactę & voluntariæ, naturales & violentæ; quod facilè assequemur, vbi animo conceperimus, æternitatem non magis esse, antequam potest, & quam simul cum rebus, & quomodo mundus Archetypus ęternus continet intra, non extra se, Mentalem, & Mathematicum, & Corporalem, & tempus, & æuum & perpetuitatem.

In

In multis declaratur, posse ex causis multis contingentibus, & necessariis, & liberis, & coactis simul oriri ordinem, & effectum necessarium, non respectu ipsarum, sed vtentis opera ipsarum. Itaque Fatum esse necessarium ex huiusmodi causis, vt à Deo administratis; & non esse referendum ad Cœlum, cœlique seriem rescindi posse, sed non Dei: & cœlum esse partem Fati, & scire, & agere plurima, sed non omnia: & Fatum construi ex entibus & nonentibus: & vtrisque Deum vti alia voluntate.

ART. III.

SI Deus largitus esset rebus solummodo esse, vtique omnes permanerent semper incorruptæ, & necessariò existerent; quia verò communicauit eis actionem, & operationem: in quib. se mutuò impediunt, contingentia in eis suboritur: Diximus enim, quod dum sunt, necessariò sunt: futura autem contingentia sunt; quæ sanè non essent cōtingentia, nisi à causis aliis impediri possent. Fecit autem Deus hoc, vt quidam effectus prouenirent, & multiplicarentur, prout conueniens visum est illi. Hoc enim intelligere non possumus, cur Deus dedit rebus existentiam extra se: vtque se multiplicarent, nisi quia scimus, hoc illi visum esse bonum: effectus autem futurus potest esse, & non esse respectu suæ causæ impedibilis: Attamen respectu Dei necessariò erit, sicuti erit; quoniam nihil effugit eius præscientiam, & voluntatem, Nam quæcumque futura sunt physicè & metaphysicè vel voluntate decreuit: vel præsciuit, & quæ liberè facimus ex nobis determinando, non ex Dei decreto nisi ordinantis. Nec enim faceremus quod in nobis, sed quod ab illo decernitur, & ab illo fit per nos vel in nobis, vt doctè S. Thom. docuit: præscit autem quæ mala facimus, non ex serie causarum, nec ex decreto suo, vt sic & non aliter faciamus: hoc enim funditus tollit libertatem, sed ex coëxistentia rerum futurarum in æternitate. Posse autem à contingentibus oriri necessarium non respectu contingentis, sed respectu vtentis causa contingente, palam est: siquidem Petrus volens determinatè occidere Martinum, potest vti jaculo, & ense & lapide: vbi lapis contingens est causa, quoniam absque eo poterat occidi, & tamē respectu electionis Petri non impeditæ necessarius est effectus: similiter coquus ad elixandum carnem vtitur igne tāquam causa necessaria, sed ligno hoc quercino, vel illo fagino, vtitur contingenter. Ignis quoq; necessariò calefacit: sed non elixat, nisi quatenus modificatur à coquo, & respectu sui elixat contingenter, sed respectu coqui elixat necessariò: elixatio autē est modificatio contingens igni, & necessariò decreta à coquo ratione finis. Vbi sanè plures causæ cōcurrunt, quorū vsus, & finis est necessarius respectu agentis ex arte: concursus verò, & modificatio, & impeditio respectu ipsarum contingens est: poterat .n. & non esse. Ferrarius quoq; facit gladium necessitate artis, & finis: & tamē vtitur ferro, malleo, incude, igne, lima, aqua, forcipe, aliisque instrumentis: quorum mutua est impeditio, & modificatio, & vsus contingenter. Accidit enim huic ferro fieri gladius, & huic malleo ad hunc vsum interuenire; & similiter igni ita vrere; & aquæ ita indurare, & limæ sic limare, & modificare ferrū hoc; & tamen hæc omnia sunt de essentia artis: & igni necesse est vrere, & malleo impulso contūdere, & limæ cōficatæ limare, & ferro calefacto emolliri, & contuso extendi, vbi interuenit necessitas naturalis in igne, violenta in ferro, & contingentia in modificatione singulorū, & libertas electiua in fabro, & in discipulo eius malleum ministrante, & aquā, similiter libertas & quædā coactio seu seruilitas.

Si nunc inspicias totum ciuitatis corpus ex artificibus, & militibus, & magistratib. & fœminis compositum, & simul parietes, & lapides domorum, & opificia singulorum, & instrumenta opificiorum, & belluas, & seruos, & materias: tunc videbis ad ciuitatis conseruationem & vitam concurrere multas causas, & concausas agentes, & patientes, coagentes, & compatientes, alias liberè, alias seruiliter, alias coactè, alias spontaneè, alias necessariò, alias cōtingenter, alias naturaliter, alias præter naturam: & tamen ex eis omnib. oriri ordinē necessarium, à principe impositum, & lege coërcente necessitatum, cū multorum labore & miseria, & multorum gaudio, & splendore, & ex omnib. integrari ciuitatis vitam. Idē videre est in corporis nostri cōpositione, & vita: ergo multo magis in mūdo. Ex quo apparet, non nisi à causa intelligentissima posse ordinem fatalē oriri ex concursu tot causarum: siquidem singulæ dū propter bonum proprium agunt, & secundum sui naturam, producunt effectum vniuersalem boni cōmunis. Agricola .n. vt seipsum seruet, ac familiam, colit terram: ita miles ob idem pugnat, & custodit: seruus vt saturetur pane, & equus vt hordeo vescatur, gladius quia compellitur pungit; bos aratrum compulsus trahit; & quia melius putat trahere aratrū, quàm verberib. affligi; ordinem tamen, & vitam Reipub. princeps intelligit. In regimine nauis idem elucescit & magis: ergo patet mundi fatum, quoniā est concoordinatio causarum agentiū, & coagentiū, & patientium, & compatientium ex præcepto Intellectus sapientissimi necessarium ad finem ex præscripto illius: videmus quidem solem variis viis contendentē exuperare terrā, & ideo excurrere à tropico in tropicum; Terram verò se defendentem frigore & vmbra: at ita ipsorū vires modificati: & fieri vices temporum, & generationes rerum, quas ipsa elementa non intelligunt: sol .n. vult cœlum facere, & frigus terram, sed dum ita faciunt, accidit oriri secunda entia respectu eorum, sicut ignis, & mallei respectu accidit fieri ensem: sed respectu fabri necessariò fit: ergo oportet fabrum mundo præponere sapientissimum, qui huiusmodi causis vtatur ad rerum generationem, & suę artis, & idearum ostentationem.

Elementa quoque Aristoteli congrediuntur, non ob secundorum entium productionem, quæ tamen

ex mistura eorum fiunt: & quidem per accidens, si intentionem elementorum inspicias, ergo oportebat assignare intellectum vtentem ipsorum mistura; quod Anaxag. & Auic. melius agnouerunt: ergo & ideas, quarum instar intellectus modificat elementa, vt effectus tales prodeant. Hoc autem maximè probat cōstructio animalium mirifica, vt vsus partium etiamnum excrementorum; & stellarũ obliquationes, eleuationes, depressiones, tarditates, & velocitates, & lunæ vicissitudines, quæ ad varietatem rerum producendam ex arte parari videntur: sicuti si faber plures malleos supra multam massam administret, alios eleuãdo, alios deprimendo, & punctim, & lateraliter feriendo, & materiam variis modis conficiendo, vt opus suum prodeat multiplex, magnumque. Quapropter stultè ad cœlum vnum refertur Fatum, tanquam si ad solum ignem gladij constructionem referas, & non etiam ad malleum, & materiam, & aquam, & limam; & multò stultius qui opificem vtentem cœlo, & terra non cognoscũt: Etsi .n. maximè sentientia sunt calor & frigus (quoniam talis opificis talia debent esse organa) non tamen intelligunt efficere plantam, & lapidem, & aquam, & animal; sed dũ modificãtur mutuo ex quadam arte coguntur ad productiones talium rerum edendas. Et quidem libenter faciunt, quod volunt ex quo modificata sunt, sicut remigantes libenter mouent triremem ex quo ita fieri oportuit; sed non faciunt quod vellent, vt dictum est: solus enim Deus omni eximitur coactione.

Ex his patet quomodo ordo est necessarius, & causæ non omnes necessariæ: ex elementis .n. & elementatis, & eorum effectibus, & actionibus, & passionibus conficitur fatum vniuersale: sicut fatus est Deus ab æterno, & fatur æternè fieri; vbi patet aliud alij præter essentiam, sed non præter ordinem, vt hominem esse capillatum: & quidē multa sunt præter essentiam communem, vt hominem esse nigrũ, sed non præter induidualem, vt Georgium esse nigrum; & multa contra ordinem Regis vniuersalem; & medicum esse ædificatorem accidit: sed hunc medicum voluisse ædificare aliquid in causa fuit necessarium. Diximus .n. omne quod est, necessariò esse: ergo & necessariò ante erat futurum: nam nunquam fuisset præsens, nisi ante fuisset futurum: sed incertitudo futuritatis ex causæ fragilitate nascens, & accidentium impedientium multiplici ignotoque concursu, faciebat illud cōtingens, & non necessarium. Deo autem cui hæc incertitudo non inerat, necessarium erat, hoc est, infallibiliter futurum. Cælo autem non infallibiliter erat futurum: nam licet omnis motus ad cœlum referatur, & omnis impeditio sit motus: & ipsa scientia humana sit motus, & immutatio ab externis obiectis præsentatis à cælo: & concursus causarum ad synodum planetarum referatur, vt fieri nigrum, cui Saturnus est in horoscopo, & regem, cui sol est in medio cœli cum satellitio planetarum, & bibenia; nihilominus videtur posse rescindi series cælestium actionum, & effectuũ, tum à frigore terræ, tum à consilio facto post oblata obiecta. Profectò quæcumque dispositiones sunt in terra ab initio mundi vsq; adhuc, à calore cœli factæ sunt variis viis terram aggrediente, & variis luminibus in variis terræ partibus, quas fortè oportet omnes cœlo notas esse, sicutiquascumque faber in ferro limationes, & malleationes à pluribus diebus fecit antequam extremam imponat manũ, fortasse nouit. Verum quæ ex ferri natura accidũt, non nouit, vt rubiginem, & atomorum posituram; & multò minus si in ferro esset vis actiua se defendens, & instaurans, sicuti in terra est frigus restaurans in nocte & hyeme, quæ perdit in die, & æstate: Quapropter licet multa sit in cœlo scientia, non tamen totas frigoris vires metitum esse potest omninò; & quas impeditiones suis in effectibus adiiciat: sed multa quidem scire nil diffiteor: sed fatum eius respectu non esse necessarium vndequaque contendo. Quapropter Astrologi plurima diuinare, sed non omnia possunt, licet totam artem perfectè callerent: quod impossibile est. Adde etiam Angelorum & hominum & dæmonum, & mundi animæ varietatem, cœlo non subditam in plurimis: & quidem nulla pars quidquid est in toto scit; vnde nasus nescit, quid vēter tractat: quin nec anima ipsa quidquid intra propriũ fit corpus sentit: ergo nec cœlum, nec stellæ; sunt .n. mundi partes, sed fortè mundi originem sciunt, & præterita longè magis ac nos, & futura longè plura, quoniam sunt causæ ipsorum, sed non solæ, quoniam ad rerum ordinem aliæ interueniũt causæ: & sicut Dux exercitus ignorat, quæ in exercitu inimici geruntur plurima, ita cœlum quæ in terra: ergo respectu Dei solius omnia eueniunt infallibiliter: quoniam statuit effectus necessarios, præuidet contingentes & liberos, & ordinat præuisos vnà cum necessariis ad rerum vniuersitatem & finem, etiam quæ præter suam voluntatem consequentem & antecedentem futura præuidet crimina.

APPENDIX.

Ad Dei quoq; ordinē spectare putamus, & ad fatum, non modò entia, sed etiam nonentia: vtitur .n. Deus nonente ad limitandas essentias rerum, & transmutandas, vt dictum est: & quia non datur ordo vbi non est distinctio, distinctio autē omnis ex nonentis interpositione fit, consequēs est, fatum entibus, & nonentibus intexatur. Quapropter contingentia, & peccata, & monstra pertinent ad fatum vniuersale, licet sint præter fata particularia, vnde Deiphobus ait apud Virgil. *Sed me fata mea, & scelus exitiale lacenæ, His misere malis*, & vt dictũ est, licet non pertineat ad fatum huius herbæ florere, quando spirat Fauonius, & alia floret herba: tamen pertinet ad cœli fatum virtutem florendi vtrisque & vaporibus ab occasu agitandi aërem, simul afferentis, & vt dictum est, licet non pertineat ad fatum serui inuenire conseruum in angiportum, tamen hoc pertinet ad domini fatum ex voluntatis decreto impositum rebus ordinem, ab assistente sapientia directum ad finem aliquem. Voluntatem autem esse permissiuam, vt cum herus rixari seruos non prohibet, quoniam ob talem rixam vult eis vti in pistrino: aut effectiuam, vt cùm præcipit eis colere agrum. Ita & Deus: sed quæ non prohibet Deus, pertinent ad nonesse, & ideo non tenetur non prohibere, sicut homo cui inest entis & nonentis mistura. Omnia tamen moraliter prohibet per legem, & nullum permittit: physicè autem permittit mala, hoc est, non tollit vim, & libertatem agendi, sed concurrit generali auxilio. Propterea Chryso. negat à Deo permitti peccata, vt etiam Iustin. Scholastici autem concedunt permitti: quoniam isti physicè, sic enim ad malum morale & ad bonum sunt indifferentia:

illi loquūtur moraliter, quia sunt vt sic determinata. Ad bonū autem physicè & moraliter cooperantur.

Ex præfatis concordari prouidentiam cum libero arbitrio, & contingentiam contra sectarios; & quæ adhuc remanent argumenta soluenda, si prius de Harmonia.

ART. IV.

EX his solutæ videntur rationes quorumdam Stoicorum & Mahometistarum & Caluinistarum propterea tollentium libertatem, & contingentiam, quia Deus operatur immutabiliter: similiter & Ciceronis tollentis prouidentiam Dei erga homines tantùm, ne subuertatur liberum arbitrium: quandoquidem visum est posse ab vna causa intellectuali per plures concausas, & organa, agentes partim necessitate, partim contingentia, partim coactione, partim libertate, posse effectum produci infallibiliter, & necessariò, vt ipsa conditionauit, & ordinauit: & in hoc decipi sectarios, quod non intelligunt contingentiā esse nonentis prolem, & libertatē esse naturæ modum excludentem coactionem, & seruilitatem, & non necessitatem intraneam, sed extraneam; ad quam si concurrat necessitate spontanea, nil violari, dum tamen possit etiam in sensu composito sequi mouentes causas & ab inceptis desistere: & ordinem constitui ex entibus, & nonentibus: & vtrorumque esse vsum volitum, permissumque. Nunc soluendæ sunt rationes, quibus putant ex prouidentia, & prædestinatione contingentiam, fortunam, virtutem, & legem tolli, & consultationem, & casum, sed prius oportet dicere quid sit Harmonia.

DE HARMONIA, INFLVXV TERTIÆ Primalitatis.

HARMONIAM ESSE FINEM ORDINIS, & influxum amoris.

CAP. VIII. ART. I.

QVONIAM nullus ordo propter se est, sed propter finem: finis autem optimum rerum: idcirco ordinis respectus ad finem nobis est Harmonia; quæ est multorum consonantia ad vnū delectabile bonum; & ex Musicis hoc vocabulum traximus: vbi in vno instrumento plures chordæ variæ, cassæ & graciles variis tensæ modis arte præeunte, & cooperante, à musico pulsatæ, suauem efficiunt melodiam ad animæ delectationem. Quapropter Harmonia videtur obiectum amoris: & ergo amoris actiui est influxus, sicut fatum actiuæ sapientiæ: & sicut amor est proles sapientiæ, ita Harmonia ordinis. Totius mundi Harmoniam licet venari ex partibus. Videmus quidem omne agens agere propter finem, & acquisito fine cessare actionem, & in bono finis agentem quiescere, vt lapis tendit deorsum, quia apud consimile corpus seruatur, & cùm est in suo consimili quiescit, quasi confessa causa motus. Ignis verò sursum it, & cœlo concorporatus simul cum cœlo circumfertur, quasi adeptus finem, qui in rei fælicitate consistit. At quia res omnes colligatæ sunt loco, & coëxistentia, & contactu, videmus alias aliarum esse fines: sicut nauigationis finis est mercimonia: fabricationis nauis est finis nauigatio: dolationis lignorum est fabricatio: sectionis verò dolatio: & tamen hæ artes inter se non communicant. Nam sector lignorum non vt dolentur, secat, sed vt ipse acquirat cibum ex labore tali. Qui verò dolat non fabricationem intelligit, sed ab alio hoc intelligitur, qui conduxit eum: ipse verò mercedem intuetur: qui fabricat nauim ad nauigationem non respicit, nisi quatenus ab alio, sed per se habet finē lucrum operis sui. Nauta verò non vtrū merces bonæ vel inutiles sint respicit, sed vt conficiat iter. De mercimonia .n. curat mercator: de mercatura verò, & de omnib. artibus simul respublica curat: quoniam in ipsarum communicatione fælicitas eius consistit: vnde non rectè Arist. bonum vniuersi putat esse ordinem, sed id propter quod est ordo, loquēdo de intrinseco bonorum de extrinseco patet quod sit Deus: similiter bonum exercitus non est ordo, vt ipse putat, hoc exemplo deceptus. Ordo enim pertinet ad sapientiam, quæ curat verum: vt exercitus sit verè exercitus, debet habere ordinem: multitudo enim inordinata absque armis, & ducibus, & regulis militaribus non vocatur, neq; est verè exercitus: finis autē exercitus pertinens ad amorem, qui curat bonū, est victoria, ad quam ordo cōtexitur, vel est demū securitas, & pax Reip. finis autem Reip. est Dux, si despoticè dominatur; Deus, vbi politicè. Redeuntes ergo dicimus quemlibet Artificem ob proprium bonum agere, ac simul ad finem alterius, & ex parte agere liberè, ex parte coactè, quatenus ad alterius finem accommodatur: ex hoc autē ordine resultat finis harmonicus. Vtrum Deus sit finis naturalis rerum omnium secundum cuiusq; capacitatem; hominis verò & Angeli finem supernaturalē ex promissione bonorum, ad quæ non se extendit natura: & ad illum omnes, ad hunc pauci perueniant: & cur pauci, vtrū defectu auxilij diuini eleuantis ad meritum mentes, an mentium repugnantium: an culpa propria, an aliena: in Theolog. declaramus: hic autem præsupponitur ad disputationis subiectum.

Si agunt omnia propter aliud, dum propter se agunt, facere Harmoniam: & quidem cogi res omnes dolore & voluptate ad sui amorem, & aliorum: ergo & ad opus: & dari esse, & amorem abditissimum ex principiis: in cuius ignorantiam cadunt per superadditum: & hac ignorantia vti opificem ad vitas rerum, prout ordini, & quantum conuenit: & ex hoc resultare harmoniam quoniam esse & amore, & actione, & necessitate, colligata, conueniunt Toti & Deo.

ART. II.

QVONIAM quæcumque necessariò conueniunt ita ordinata sunt, vt propter melius eueniant, prout necessitas ad Potentiam, ordo ad sapientiam, Harmonia melioris ad Amorem referuntur: eueniunt necessariò omnia, vel coactione pura, vel mista amori, vel omnino libera: libertas autem omnino in ipso Deo vno: cæteræ enim res aguntur ad proprium opus duobus eius sapientiæ stimulis, voluptate scilicet & dolore: ex quibus suboritur desiderium, & metus, & mœror, & indignatio:. Diximus enim omnia sentire proprium esse, & simul amare: exteriora verò entia sentire, & amare inquantum sentiunt se ab illis immutari & affici: vnde si afficiuntur benè ad conseruationem sui, amant & delectantur: si malè ad destructionem, oderunt, & dolent. Ad hæc autem omnia videntur affici partim coactè, partim sponte: hoc est, dolore, & amore, semper præeunte Necessitate. Amare enim suum esse conuenit vnicuique ex eo quod non nouit melius, vt pulex amat se esse pulicem, & lapis lapidem, & lignum lignum, quoniam proprium esse, vt optimum nouerunt: alia verò meliora esse ignorant: coguntur verò ignorare ex limitatione sui esse: ergo coguntur & amare hoc vnum, non autem amare simpliciter; vnde homines, qui aliam vitam, & esse sibi conuenire post hanc ex religione, vel ratione, persuasum habent, præsentem vitam spernunt, & macerant, & cupiunt dissolui, & esse cum Deo: calor quoque plantæ vult viuere vita plantæ; quoniam coactus est ab ingenti passione obliuisci vitam solarem, vnde originem habet: sed cum attenuat, & in tenuitate persentiscit exterioris aëris vitam, euolat ad cognatum æthera: Amor ergo vitæ talis non simpliciter, videtur esse coactus, siquidem quidquid ignorantes melius facimus, ex parte coacti facimus: vnde Seneca rectè dixit in Tragedia: *O quàm mortalibus dulce malum additum, vita dirus amor.*

Exteriora quoque cogimur amare, quoniam proprium esse defectiuum persentiscentes, ea cupere cogimur, quæ ipsum esse ex parte ignorãter amatum seruant. Ita cogimur amare cibum & vestem, & labores, & omnia, quibus aliqualiter in nobis, vel in aliis seruamur.

Cogimur quoque reputare res bonas esse malas, vt ignem, quia nos vrit, & serpentem, quia mordet, & cicutam, quia venenat: lactucam verò bonam, & agnum, & vinũ, quia prosunt; cùm tamen in se, & ad mundum, & ad consimiles res, omnes optimæ sunt, & pulcherrimæ, vt ratio probat, & scriptura. Cogimur etiam plus amare & æstimare caballum, quàm hominem: ideoque pluris emimus illum, & pluris metallum inanime, quàm res animatas longè nobiliores.

At sapientia æterna vtitur nostra ignorantia ad vitam nostram: si enim rescirent, omnes alias res esse pulchras & bonas, sed nobis videri aliter ob entitatis nostræ limitationem, vtique nil agerent contra inuicem, nec propriam seruarent vitam, & omnia in chaos conuerterentur. Itaque cùm omnia entia sint bona, & pulchra, hoc inest optimũ ad mundi ordinem, vt videantur aliæ aliis malæ, & turpes, ne redeant in chaos; & profectò qui ad autorem rerum se se eleuat; cum eo inspicit hanc quasi Comediam, in qua res omnes quibusdam personantur laruis, vt aliæ appareant bonæ, & pulchræ, aliæ malæ & deformes: sed depositis laruis, præclarè conuenturas fore, vt in Archetypo conueniunt. Si enim spiritus serpentis est calor ita modificatus in tali tenuitate, & spiritus plantæ similiter in modulo suo, & hominis in suo, & lapidis in suo: planũ est cùm deposuerint corpora, & euolarint ad cognatũ aërem, cœlum fieri vnum cum eo, & non dissidere amplius. Nam pellis ouina tensa in tympano disrumpitur, si aliud tympanum ex pelle lupina confectum pulsetus, quoniam passio, & calor passus secundum primalitates, remanet adhuc in fibris pellium, hoc est, laruarum. Ita & aquæ omnes variæ ex regionib. variis defluentes, in mari consentiunt, & si non subitò paulò post omnimodam incorporationem. Quapropter affectiones, & actiones à coactione, & amore simul eduntur: & tunc vera reputatur coactio, quando contra propensionem & amorem additum res aguntur (dico additũ respectu eius, quem habent in primordiis; cui additur limes huius esse præsentis, cuius amor licet sit additus ad amorem primordialem, dicitur tamen abditus, inditusque respectu amoris subsequentis rerum externarum, qui vocatur additus ad tale esse in se, & superdditus respectu esse in primordialibus essentialitatibus: vnde est & in se) sicut lapis cum impellitur sursum, & homo ad mortem, & tamen vis lapidis sursum it. Nam contuso liquefactoque & in vaporem acto, id euenit: & ignis excussus ex eo idem facit. Homo quoque moriens non præter Fatum proprium exhalat spiritum in æthera cum voluptate, & animum ad Deum & laruam terræ corpoream reddit: sed vt seruentur res in vita, quam sortiuntur, dedit illis Deus dolorem & voluptatem. Nam gaudẽt esse, & cõseruatiuis eius: dolent non esse, & destructiuis: & hoc est Fatum, vt tanto

tempore sint, & ita, vt diuino numini ad ludum, & comediam suam agendam decretum est.

Sed ais: quare dum moriuntur, res dolent, & repugnant morti? si enim vt tanto viuant tempore datum est eis dolere per illa, quæ vitam hanc impediunt: cum sunt in morte, nec vita ista Fato amplius est necessaria, & ludo diuino, non deberent in morte dolere. Respondeo, hoc fieri, ne cætera viuentia cupiant mori. Item vt dum moriuntur, repugnent causis afferentibus mortem, & modificent illas ad fati vtilitates: si enim frigus moriens calori non repugnaret, remaneret calor in sui vigore magno, & non modificatus ita, vt possit planta, & animal, & lapis, aliaque, ex eo fieri in tali materia, sed solus ignis. Idem iudica de cæteris.

Cum ergo omnes mortes, & vitæ rerum, & actiones non sint propter ipsas res modo: quoniam ipsæ dolore, & voluptate aguntur ad fines aliorum, consequens est, vt causa ordinatrix eliciat ex talium ordine quid magnum diuinumque bonum, quod vocamus harmoniam, quæ fundatur in rerum esse, & ordine. Hoc est in Necessitate, & Fato; omnia ergo necessitate eueniunt per Fatum ad Harmoniam. Quatenus res coguntur, sunt ad aliud; quatenus non coguntur sunt propter se. Ergo omnia sunt ad se, & ad aliud: vt sunt ad se, habent necessitatem, spontaneitatem, & naturam; vt ad aliud contingentiam, coactionem, & ordinem: & in omnibus inest Amor ad se, & ad alia; ex his resultat harmonica bonitas, finis rerum.

De triplici fine rerum necessitate triplici comparato in Harmoniam; vnde patet quid sit. Et Deum omnia scire, & facere, & non subdi Fato.

ART. III.

TRIPLICEM finem habet omnis entitas: primus suæ conseruationis, ad quam impellitur voluptate, & dolore: secundus est aliorum vsus, ad quæ metu, & desiderio impellitur. Tertius est vniuersi integritas, & ordo, quæ est propter Deum in Harmoniam ex concursu causarum, & necessitate prima: vt planta facit fructus propter suam conseruationem in eis, ad quam timor mortis, & Amor vitæ impellit. Ex quo resultat secundus finis, qui est animalium nutricatio ex eius fructibus: siquidem imperfecta Entia sunt propter perfecta; sic dicebamus, quod dolator dolat ligna propter stipendium, sed & propter nauis fabricationem simul. Animalium autem vita est ad mundi integritatem: ergo finis plantarum est, & mundi integritas, sicut dolatoris est amplius nauigatio, & mercimonia in bonum Reipub. sed quæ immediatius attingunt vltimum finem sunt nobiliora entia, vt nauigatio nobilior, quam nauifactio, & asportatio, & communicatio rerum nobilior nauigatione: quia propinquior est Reipub. felicitati. Idem docet tonitrui generatio, quod quidem est vapor tenuis accensus intra molem crassam, qui cogitur erumpere, & bombum edere: erumpit ergo primò gratia sui, quoniam mors est tenuibus compressio. Ergo mortis fuga, & vitæ Amor faciunt tonitruum propter se: sed secundus finis est nubium condensatio in pluuiam. Non enim fit condensatio dum tenuitas intermanet. Pluuiæ autem est ad terræ, & plantarum instaurationem, & tamen simul ille rumor præit ad commonefaciendum animalia, vt saluentur à pluuia, & grandine: fortè etiam ad terrendos Dæmones ex Pytag. Quamobrem eiusdem præter proprium multi sunt fines, qui Mundo Harmoniam faciunt: & quæcumque mala, & excrementitia fiunt, habent fines optimos: vt humor colericus vnitur in felle, ne sanguinem inficiat, & quia vadit ad simile vitaleque fel; & seruit ad vsus magnos, vt pungat intestina, & stimulet ad expellenda excrementa; & afficiat spiritum ad iram contra ingruentia mala. Idem probatum est in Physicis de vsu aliorum excrementorum in corpore humano; quibus per analogiam respondent in mundo vsus miri culicum, pediculorum, serpentum, & huiusmodi excrementorum. Vnde palam est, esse Opificem rerum, qui ita disposuit, & contemperauit res, vt dum pro se agunt sint simul vtiles aliis rebus: & omnes Toti, & Totum Dei gloriæ dedicatur. Harmonia ergo non tantum consistit in eo, quod res agit propter se: sed dum agit propter se, vt agat propter alias, & totum, & Deum. Et hæc ordinis ratio est à Sapientia prima: sed pulchritudo oriens ab ordine est ab Amore primo, & ipsa pulchritudo, non vt signum, quo rapimur ad boni notitiã, sed vt influxus ab Amore actiuo, est sedes Harmoniæ. Quapropter cum sapientissimus sit rerum Opifex, & omnia possit, & sciat, & velit; omnia disponat & ordinet, oportet. Nihil ergo est à casu illius; sic enim multa euenirent præter necessitatem, & præter Fatum, & præter Harmoniam: & ipse subiectus esset Fato, & non Fatum ipsi: quod stultum est asserere, sicut qui Arti subiiceret Artificem inuentorem artis. Nam non inuentores Arti subduntur inuentoris, ipsi scilicet imitatores, & discipuli. At si homo peccat præter intentionem Dei quæritur cur non subiicitur Fato. Hoc infra docebimus.

Necessitatem, Fatum, & Harmoniam, transportare Ideam : & in omni actu simul inueniri ; & vnius rei plures esse fines.

ART. IV.

Qvapropter, vt aliàs dicebamus, Neceſſitas, Fatum, & Harmonia, tranſportant ideas de materia in materiam, & materiam de forma in formam. Aliæ enim res corrumpuntur ab aliis neceſſario : & ex corruptione illa ordo quidam nouæ generationis pullulat : & ex ordine Harmonia : quin etiam ſimul fiunt iſthæc omnia. Tonitruum enim neceſſario fit in aëre, dum nubes craſſæ, & tenues vapores comprimuntur, hanc neceſſitatem facit Sol, vapores educẽs è terra calefacta ; & venti anguſtiantes, & loci anguſtia: & tamen venti ex neceſſitate ſuæ vitæ impellunt, & ordine Fatali : & ſimiliter Sol præuia neceſſitate preliatur contra terram, & Fato, in Harmoniam generationis rerum. Concurrit etiam ordo ad tonitrui generationem, qui eſt à concurſu vaporum, & ventorum & cœli diſpoſitione, & ſulphureæ exhalationis intermiſtæ. Et ſimul interuenit Harmonia : quoniam propter melius rerum omnium tonitruum fit ; non dico melius tantum eorum, quæ ſequuntur, vt eſt pluuiæ caſus ad arborum, & terræ, & animalium inſtaurationem, ſed etiam eorum, quæ concomitantur : quæ ſunt fulguratio in ſignum, & diſpoſitionem fulguratorum, & ſequeſtratio craſſi à tenui : & generatio ſimul grandinis ; aliorumque vſuum vix explicabilium. In hoc enim relucet Sapientia, & bonitas Dei, vt non ob vnum vſum, ſed ob plures, res fiant : & dum fiunt neceſſario fieri propter melius ſui, & aliorum, & totius. Hoc autem examinare nunc non pigeat.

OPINIONES EPICVREORVM CONTRA Harmoniam, & prouidentiam. Item Empedoclis, Ariſtotelis, Luciani, Ouidij, & Mahometis, variæ proponuntur examinandæ.

CAP. IX. ART. I.

Sed contra Epicurei putant, omnia caſu temerario euenire, nulla duce Sapientia, & ratione, Mundum regente : ergo nullam eſſe Harmoniam & bonum, gratia cuius res operentur. Sed caſu quodam impelli ob agitationem atomorum in vacuo, & prout res fortuito feruntur diuerſimode copulari, & generationes fieri, & corruptiones, vt fert caſus. Sapientiam quoque caſu fieri in homine autumant. Et figuras, & colores, & actiones, & paſſiones ex agitatione atomorum, quæ ſunt ſemina rerum. Mundum quoque caſu factum, nulla cum ratione aut harmonia. Et plures eſſe mundos extra hunc mundum diuerſarum figurarum, ex atomis in infinito vacuo agitatorum, caſu compoſitis. Nam ſi eſſet Deus, aut vis aliqua ſapiens effectrix rerum, non fierent monſtra vlla, neque permitteret tot mala, vtque boni perpetuo affligantur, & praui homines præualeant. Item ait Lucretius: *Cur genus horriferum profert natura ferarum ? & culices, & muſcas, & pediculos?* Non ne videmus caſu à calore æſtiuo gigni ſpiritum in craſſitie ingenerante : & caſu à frigore hiberno occidi : ſolem verò caſu naſci, & mori quotidie in diuerſis mundi partibus, vnde calor multus exhalat : & caſu fieri tempora & res? ſi enim, vt eſſent res fierent ab Artifice, non ſtatim morerentur. Sed omnis generatio eſt caſualis corruptio : & animalia ſe mutuo comedunt quadam violentia compulſa. Itaque violentia ſtare terram, putat, & cœlum verti à vaporibus, ſicuti rotæ à fumo: quæ verua circumuoluunt : & ſicut caſu natus eſt mundus, caſu corruiturum : & ſatis declarari per peſtes bella, penurias, & naturæ inconſtantiam, quæ facit res, vt perdat : nam flores ante maturitatem cadunt, vt caſus fert, & per hominum ſtultam, temerariamque vitam, nihil fieri numinis decreto, ſed caſu. Item ſi Deus eſt, non ſolicitari cura rerum, ſed extra mundum ſeipſo beari: quoniam ſtultus eſſet, tot curas ſuſcipere ſine cauſa.

Et Ariſtoteles damnat Anaxagorã, quod Deum nullo propoſito fine Mundum diſtinguere introduxerit.

Et Empedocles putat, res de materiæ neceſſitate ita peruenire, & non ob certum finẽ. Non enim, ait, cadit deorſum pluuia, niſi quia grauis : quod autem terram reficiat, non eſt intentum, ſed caſu accidit : ſimiliter enim pluuia frumentum non maturum fouet, & maturatum, collectumque in area, diſpergit, corrumpit, obruitque. Et lapides craſſi ſunt in fundamento domus neceſſitate materiæ, quia graues in tecto non poſſunt ſubſtineri : non autem propter melius. Et ſic de cæteris Philoſophatur, teſte Ariſtotele. Vnde putat, in principio

Mundi facta esse alia genera rerum videlicet oliuiperos, homines semicapros, & hircoceruos, & multa, quæ pictores fingunt. Sed non seruata esse, quia hic mundus istis generibus seruandis fuit tantummodo aptus, & non illis: sed casu sæpè mundum destrui, & ex propriis refici ruinis, prout aliàs regnat lis, aliàs Amor: qui sunt principia mouentia elementorum, & rerum omnium.

Aristoteles autem huius conuictus rationibus putat, partim casu res fieri, partim propter finem, & melius: & conficit philosophiam compositam ex Platonica & Empedoclea. Pluuia (inquit) fit ad frumenti generationem, vt in pluribus, sed interuenit aliquando ad destructionem in area, vt dictum est: similiter natura vult facere hominem, & facit monstrum: sed hoc præter intentionem raro; illum ex intentione, & quasi semper: quoniam potest impediri à materiæ indispositione, vel contrario agente. At in 12. Metaph. putat, Deum nil curare inferiora: sed Mundum ordinatum esse, bonumque eius esse ordinem ab intus, ab extra verò Deum: hunc autem ordinem esse sicut domus, vbi filij patrisfamilias propinquiores omnia ordinatè agunt, & nihil temere: ita est cælum, & orbes, & Intelligentiæ mouentes, vt illi assimilentur: inferiora verò esse similia seruis, & bestiis in domo, multa præter intentionem patrisfamilias agentibus, & à casu: quoniam eius eruditionem à longè assequuntur. Non tamen patremfamilias curare inferiora, ne vilescat; sed res curare eius assimilationem: & moueri ab eo, non vt ab influente, sed vt à desiderato obiecto.

Mahometani verò, & Caluinistæ, omnia curari à Deo, dicunt; & peccata, & mala fieri ab ipso ad sui gloriam.

Alij verò vt Ouidius, & Homerus, & Lucianus Deum Fato supponunt. Nam dum tonat, vt interficiat impios, fulmen à Fato ducitur, quò non vult, scilicet contra templum ipsi Deo sacrum.

Stoici apud Plutarchum, Deum curare magna, non minima.

Plinius, non posse omnia ob mundi immensitatem, & rerum diuersitatem, vbique & simul; sed redire nunc ad has, nunc ad illas, prouidentem.

Contra Epicureos, & Empedoclem, propter finem res cunctas fieri probatur: & ipsorum opinio euertitur euidentia multa: & non ob propriæ finem conseruationis, sed & aliarum rerum res agere, & non omnes fines à propria rei agentis natura intelligi, sed ab aliis.

ART. II.

HASCE sententias confutare facile est, non tamen ita facilè respondere argumentis. Videmus quidem apes, & formicas ratione gubernari, & plantas ratione efficere folia, fructus, & spinas: & animalia ratione quadam oriri, non omnia ex omnibus, sed ex propriis quæque seminibus, imitantibus ideam generantium, & ratione quadam regi: similiter & homines in regno & Repub. consilio multo vti, & in actibus propriis: ergo Ratio est in mundo: ergo prima summaque Ratio, vnde omnes rationes deriuantur: sicuti in primo lib. huius partis dicebamus. Et profectò rectè dicit Tullius: si quis à mundo prouidentiam Dei tollat, is primò neget Athenas Areopagi consilio gubernari: stultum sanè est tribuere partibus, quod non est in toto. Mundi quoque constructio, & animalis, in quibus singulæ partes propriis dedicantur officiis, & dum se seruant, alias seruant, quadam necessitate harmonica: vt qui Architecti sapientiam neget, neget se in mundo esse. Si enim hoc, quod dicit, res casu fieri, probat casu, illi non est credendum, vt temerario casu loquenti: si ratione probat, ergo datur ratio in eo, & in aliis: ergo & in Mundo est prima Ratio fons omnis rationis, vt probat Ecclesiasticus, & Senec. & Cicero. Prætereà Solis vicissitudines, & anni tempora, & stellarum ortus, & occasus, non temerarij, sed ratione quadam facti ad Vniuersi ordinem, & conseruationem, vel cæcis ostendunt Autorem rerum. Et Epicurei putantes, oriri, & mori quotidie Solem casu quodam, non modo stulti apparent ex eo, quòd intra Tropicos describit perpetuos ordinatim paralellos, quod casu fieri non posset: Sed qui iam Mundi ambitum post Columbi nauigationem cinxerũt experimento notissimo etiam bestiis, comperiere, eundem Solem circumferri continuo, & rerum facere vices ea, qua cernimus, ratione.

Sed & hoc nunquam declararunt, qua ratione potuerint atomi conglutinari in sui temeraria agitatione ita, vt mundi constructionem artificiosam produxerint. Videmus enim non posse hominem, & arborem agitatione atomorum fieri, sed ex suis seminibus, propriisque temporibus, & actionibus: & exemplum Lucretij de viginti quatuor literis, quibus vario ordine, situ, & figura compositis, fiunt libri multi, condemnet eum. Non enim atomi millibus millium vicibus vicium agitati ad mundi constructionem ordinatissimam venire potuissent: sicut neque literæ omnes, quæ sunt in Virgilij Æneade millies iactatæ casu poterunt conuenire, vt Æneidam componant. Sed ab arte semel citoque fiunt; vt patet in Typographia. Quapropter stultum est, tribuere casui, quod summo artificio constat; & non arti: & multo stultius cum casus non possit facere, quod facit Ars: quamobrem negare Mundi artificem, est negare, me scripsisse hunc librum, & Virgilium Æneidam, & Lucretium libros suos de Rerum natura.

Multo autem stultius cum putat res non fieri propter finem: si enim ipse scripsit librum propter finem, vt doceat alios, & viuat in fama, ipse, ac

gloria : & cum videat naturam ſimiliter facere: Nam planta facit ſpinas vt defendat, ſicut nos facimus gladios: & folia contra frigus, & æſtum; vt nos veſtes, & vmbracula, & fructus contra mortem, vti nos filios, in quibus viuamus; & ſtatuas,& codices : vtique naturam agere propter finem dicendum erat.

Sed aiunt Epicurei,& Lutherani, nos caſu compelli ad fabricandos gladios, & domos, & vineas, & quodam caſu hæc facere, at deſeruire ad vitam: ita & oculum fabricatum eſſe non propter videre, ſed caſu,tamen animal vti illo ad videndum poſtea. ſicuti planta caſu facit fructum: Nos tamen vtimur illo fructu, qui non eſt factus propter nos. In hoc tamen differunt Lutherani, quod plantas neceſſario fructificare, & nos neceſſario vti fructibus, compellente Dei prouidentia, non caſu, putant. Sed contra eos reclamat Ars, & Natura: palam enim eſt nos conficere gladium propter finem belligerandi, & nos defendendi, quapropter non ex omni materia, vt ex ligno molli, aut frangibili lapide, ſed ex ferro duro, & non facile frangibili illum ædificamus; & ædificare eligimus, & formam damus aptam ad perforandum in extremo, quo ſpectat ad hoſtem, & ad cuſtodiam in extremo, quo ſpectat ad vtentem gladio, & cum hac intentione, & idea expreſſa in forma gladij, & in vſu comprobata, ipſum fabricamus. Et quamuis neceſſitas, & ſeries cauſarum nos ad huiuſmodi fabricam compulerint, tamen conſtat liquido, nos propter finem electum ſub tali forma gladium ædificare : ergo natura, quæ ſapientior eſt, & magiſtra artis, ob finem ſuum faciet effectus ſuos. Quapropter dicere oculos non factos eſſe gratia videndi, eſt ſtupidi ingenij, ac eiuſdem, qui putaret, gladium non eſſe fabricatum gratia defenſionis, & offenſionis; & hunc librum non ſcribi gratia propalandæ huius doctrinæ : quod autem ait, nos vti fructibus arboris non factis propter nos, pauci eſt ſenſus. Nam vt declaratum eſt, Arbos facit fructum ob ſui immortalitatem; ſed tamen quod ſint etiam propter nos, eſt decretum à cauſa principaliori: dolat enim lignarius ligna propter ſuam vtilitatem, & ſtipendium : ſed fabricator nauis decreuit, vt dolentur ad eius fabricam: & quoniam Philoſophi priores conſiderauerunt vnam modo cauſam, & finem vnum particularem, idcirco caſum,& Fortunam ex toto vel ex parte introduxerunt. Quod Anaxagoras abhorret, vti & Auguſtinus, qui primam cauſam vniuerſalem Sapientiſſimam præ oculis habuerunt. Ferrarius quidem facit gladium propter finem; & finis eius eſt merx ex voluntate; ex ſapientia verò eſt forma gladij apta ad bellum. Sed qui cōduxit eum ad gladium fabricandum,alium habet finem in tali opere; putà occiſionem ſæpe amici cuiuſdam, ipſiuſmet ferrarij.

Hoc autem palàm eſt, quoniam arbos non vnum, aut duos, aut decem parturit fructus, ſed innumerabiles, quaſi confeſſa cauſa, quod non ſolam ſui intendit immortalitatem, qui tale dedit ei ſtudium, & quaſi conduxit ſub tali mercede : in paucis enim benè cultis eius poſteritas ſaluaretur. Sed intendit animalium alimoniam. Similiter & piſces millia multa ouorum pariunt, quia natura vniuerſalis non tam ipſorum propagationem intendit, quam alimoniam aliorum piſcium. Et hoc patet, quoniam oues, & boues licet vnum edant partum, tamen volente Deo multiplicantur longè magis, ac canes, qui plures edunt in vno partu catulos: & ex ouibus mãducamus nos,& lupi,& feræ aliæ, & moriuntur ex tempeſtatibus,& tamen ſemper abundamus copia ipſarum : lupi verò, ac leones, & aquilæ, licet plures pariant vno partu, tamen pauci inueniuntur, quoniam non ſunt in cibum aliorum, vt illæ : & natura multiplicat innocentia animalia, noxia verò non fouet. Quapropter ſi Epicurei conſideraſſent, quomodo natura non ob vnum finem, ſed ob multos, res efficiat, vidiſſent profectò Autorem naturæ Sapientiſſimum, & laudaſſent, vt decet.

Ratio ipſorum quod poſterius eſt propter prius, & non è contra, ergo videre eſt propter oculum: & oculus non fuit factus propter videre, ſed caſu) friuola eſt vt in 1. p. oſtendimus. Etenim hoc eſt verũ in exequutione, non in intentione, vnde oritur exequutio. Tota autem natura, & perpetuo ſibi concors declarat, oculum eſſe propter videre longè magis quàm gladius propter pugnare. Et præcognitionem finis eſſe in natura magiſtra longè magis quàm in arte diſcipula.

Noxiorum & inutilium animalium eſſe fines multos mirificoſque contra Epicureos.

ART. III.

CVM autem queruntur, cur fiunt ſerpentes, muſcæ, & alia noxia : videntur loqui tanquam ſui amantes nimis. Non enim mundus, & omnia, quæ in eo ſunt, facta ſunt propter Epicureos, neque propter ſolos homines : ſed vt alia aliis proſint rebus. Nonne Nappello, qui nobis eſt venenum, conturnices veſcuntur. Auiculæ autem muſcis araneis & vermiculis? Aquilæ autem, & Cyconiæ,& Cerui ſerpentibus? ſimiliter conqueruntur ſerpentes aduerſus Deum, quod creauit Aquilas : & nos quia fecerit ſerpentes : & Elephas, quia Draconem : & pecus, quia lupum: & calor quia frigus; & Terra quia cœlum ſibi inuiſum, à quo continuo oppugnatur : ergo tollantur omnia nociua,& nihil erit in mundo : quoniam omnia nocent omnibus. Et quia ex prima contrarietate eſt omnis pugna, diſcordia, & infœlicitas: ſi tollis primam contrarietatem, tollis prima principia calorem, &frigus, & Eleementa: ergo mundum corporeum : & quia contrarietas exercetur ex ſenſu contrarij deſtruentis, & amore propriæ conſeruationis, & potentia entis : tollemus mox mundum mentalem, & Deum. Quapropter neſciunt

quid

quid petunt ita petentes: sed rursus instare possunt: Quare Deus non fecit, vt mundus ex cōtrariis non componeretur; sed ex rebus diuersis,& orirētur res absq; discordia, & mutuò omnes amore fruerētur, & sicut in sęculo aureo dicitur, nulla nocerent animalia, sed omnia omnibus proficua essent. Resp. quod ablata contrarietate mūdi,tollitur distinctio, & omnia vertuntur in Chaos. Neq; ignis iret sursum,neq; grauia deorsum:neq; venti in latera,neq; homines in ciuitates; sed vbicumq; reperirentur res ibi manerent: siquidē ad loca sua vadunt,quoniam fugiunt contrarium noxium, & quærūt simile conseruatiuum. Si autem nulla contrarietas; homo viueret cum draconibus, pecus cum lupis, & species rerum cōfunderentur,& mutuo coitu adulterarentur:ignis esset in aqua,& tellus in Cœlo. Et rerū facies periret: ergo necessaria est contrarietas, & distinctio, & ordo ad Harmoniam: illa autem Harmonia, quam Epicurei excogitarent [illegible]t Chaos rude,indigestumq;. Prętereà nulla fieret corruptio, quoniam alterū alteri nō noceret: ergo neq; generatio:ergo quæcumq; Deus ab initio entia fecisset; illa semper perseuerassent,& nos nati non essemus. Et quidem S. Theologia docet, quod facto cœlo nouo Terraque noua post huius mundi periodum, cessabit generatio,& corruptio,& fames & ciba io. Ergo q od optant Epicurei, & omnis homo, vt mundus sit absq; contrarietate,& errore,& morte, id instinctu Dei optamus: & futurum esse ex Religione didicimus. Sed stante hac mundi facie in hoc mundo impossibile est, ita res haberi, vt non *omnis creatura ingemiscet, & parturiat vsque adhuc*, sicut dicit Apostolus, *quia huiusm, vanitati generationis, & corruptionis subiecta est à Deo nō volēs, sed in spe: quoniam & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis.*

Et quidem fateor,nisi hāc fidem haberem,fortasse in mundo ponendum fuisse aliquid à casu præter intētionem primi agentis,& ipsum Fato subiacere. Sed quoniā hic periodus mortalitatis est breuis respectu æternitatis, & non pertingit fortè ad octo mille annos;& fit propter melius,vt declarabimus: idcirco stādum est in cōfessione Diuinæ prouidentiæ,quā omnis naturę particula manifestat. Si enim intueare muscarū compositionē,& pedes,& alas,& ventrem anulosam, & oculos,& os, quamuis nullū ob finem facta esset musca, tamē à Sapiēntia potētissima ipsam fabrefieri conspicies. Si ergo relucet sapientia in Serpentis,& muscæ,& pulicis constructione:& sapientia nihil casu operatur; vtiq; fatendū est ad finē:quāuis neq; finem ipsi pernoscamus. Non enim omnis humani opificis instrumenta nouimus,& vsus eorum; quomodo cognoscemus instrumenta,& fines Dei? sæpè ego puer ingressus in officinam Ferrariorū,& fabricantium horologia,& focilia sclopettorū,vidi instrumēta, quæ mihi nulli vsui destinata videbātur:imò ea tangens cęsuras,& punctiones ab eiusmodi passus instrumentis, putabam ea contra rationem finis facta esse: & tamen maximè prosunt. Sicuti si rana ingrediatur domum nostram, & videat matulam, & coclear, & arcam, & ligonem,& librum,& lasanum; atq; putaret vel non esse ad aliquos vsus, vel ad alios quàm nos vtimur. Si quidem mus super libro cacat, tanquam in lasano: & in lasano manducat merdam nostrā tanquam in patino:& in arca supercurrit tanquā in deambulatorio:vnde ad alios vsus vertit omnia nostra organa: nam & rodit vestem non induit. Ita sumus nos in mundo, quod est quasi domus, & officina opificis summi, & longè magis insipientes: vnde vsus rerum non intelligimus.

Et Alexander frustrà conatur hoc infringere, & dicere esse fugam: quoniam ad sensum patet ita se habere. Tandem scimus muscas esse, vt auiculæ illis vescantur;& vt humilitates noxias muscæ absumant:& vt nos in exercitio teneant. Si enim neque muscæ essent,neq; pulices, neq; pediculi,& formicæ, & serpentes, aliaq; nociua,non modo mundus careret integritate sua, & ideæ diuinæ in paucioribus rebus relucerent omnes Et periret sagacitas,& studium, & vigilantia, & fortitudo, & patientia.

Fingamus quoq; omnia esse facta propter hominē:quod & verum est; sed nō ob solum hominem. Sol enim circūuoluitur non pro hominibus solum, sed pro cunctis rebus:& licet homo vtatur cunctis, & sit finis omnium quodāmodo, vt dicit Aristoteles 1. Polytic. homo tamen est & propter alia entia,vt declarabimus. At quidem nō parua obuenit homini vtilitas ex inutilibus rebus: si enim noxia illi non essent vlla animalia, tūc dormiret in nemoribus, & campo, & nullo metu cogente, secum mutuo non cōmunicarent, & periret polytica. Item si muscæ, & pediculi in polytica adhuc non essent, perpetua pigritia tabesceret:sæpissimè muscæ,& pulices me reuocant ad studium, & de noxio excitant somno: pediculi in carne mea non nascuntur, quoniam absoluta puraq; inest corpori temperies,odorosaque, nulli subdita vnctuositati, & fœditatibus: & hoc mihi bonū euenit, ne in afflictionibus diris, quibus me Deus per bis sexdecim propè annos subdidit, hoc cruciarer insuper stimulo. Et quoniam natura vigilanti donatus sum pediculis non indigeo, sicuti viri pinguedine, & flegmate grauati, & somnolenti: & quidē hæ bestiolæ quadam materiæ necessitate oriuntur, dum agitatus cum sorditie calor ingenerat spiritum,& corticē vestit;& tamen ob melius est, quoniam sordities deficit, exercitium paratur:ars Dei relucet in omni re, vel tantilla. Multos quoque harum rerum vsus ignoramus: sicuti enim cholera & bilis atra, & sputum, & destillatio ex capite deorsum, & pili, sunt ob vsus magnos,quamuis noxia videantur esse excrementa, vt probatum est in physicis. Sic animalia noxia videntur quasi mundi excrementa: ad mirificos tamen vsus: quorum plurimos scimus, & innumerabiles ignoramus. Macrocosmus ergo ex Microcosmo declaratur.

Ægritudinum vsus contra Epicureos.

ART. IV.

INFIRMITATES licet ex materiali necessitate subnascantur, etiam vtiles sunt ad discendas herbas, & sidera, & lapides, & alia,ex quibus remedia exquirimus: ad cognoscendam quoque fragilitatem nostram, & indigentiam Diuini auxilij. Vidimus quoque vtiles esse ad occasiones magnas: Nam ægrotante tyranno, Ciuitas arma cæpit, & se in libertatem vindicauit: & ægrotante filio pater dotauit Ecclesiam, vnde aluntur multi: sed omnes vsus quis nu-

merare valet? Omnis planè tribulatio nostra est disciplina virtutum, & obiectorum ignotorum agnitio, vnde Deus melius agnoscitur, & omnia quæ vocantur mala, sunt quasi quædam scholæ Sapientiæ Dei, quem etiam per stultitiam crucis, qui per Sapientiam non cognouerunt, cognoscere coguntur.

Bellorum, pestis, & famis, & mortis, vsus, & finis: & nisi essent mala, non essent bona, sed Chaos.

ART. V.

BELLA, pestes, & fames, vtilia sunt Mundo, sicut Caloris, & frigoris discordia: tum ad doctrinas inueniendas, tum ad regna mutanda, seminaque inserenda, tum ad punitionem peccatorum, tum ad virtutis ostensionem: vidimus sæpè in multa pace præualere adulatores, pathicos, scurras, & fraudulentos, hipocrytas & sophistas: in bello verò strenuos, Sapientes, & probos gubernacula obtinere? vel statum rerum immutari prout Deo optimum visum est. Nisi enim Cæsaris, & Pompei bellum fuisset, non fuisset Romæ posita Monarchia, & mutatio mundi subsecuta non esset, & deinde libertas Gallorum, & Germanorum, & Hispanorum; quibus omnibus vices propriæ fuerent: deinde Saraceni, & Tartari inualuerunt, prout Fato decretum erat. Quod autem melius sic, quàm aliter fuerit, nemo scit, nisi qui aliam rerum faciem ex alio posito ordine vidisset. Quod cum non contingat, fateamur à Deo ita fieri, quia ita bonum est: in his quoque oportet distinguere voluntatem effectiuam à permissiua. Sed & illud præ oculis habere, nihil permittit à Deo, nisi propter melius: sicut enim natura permittit mortes, & corruptiones, vt fiant aliarum rerum generationes: ita in omni rerum ordine euenire putandum est: & ruinam, & peccata populi Hebræi fuisse diuitias mundi, vt altè intelligit Apostolus. Neque enim si ipsi per Mundum dispersi non essent, cultus veri Dei propagatus fuisset; vt dicebat Tobias: neque si in Christum non peccassent, gentium multitudo fidem veri Dei accepisset. Ergo omnia seruiunt Deo, vel volendo, vel nolendo, Mundus quidem melior foret sine malo culpæ moralis, non autem sine malo physico, nisi post periodũ sæculi generationis, & corrup. hominum, sed Deus qui non vult, nec permittit peccatum; vult tamen vt cum factum sit, occasio fiat bonorum multorum. Cædes quoque innocentibus sunt vtiles ad vitam in Deo futuram, pecudum ad vitam hominis, & lupi; quos si herbis vesci volueris, querebuntur herbæ, siquidem ipsæ sentiunt, & animalia sunt immota; nec sufficient omnibus animalibus: si terra, moriemur extemplo cuncti: quoniam nequit in nostrum alimentum à calore animali conuerti. Quia ergo res mori oportet, si non hodie, cras: nihil obstet pecudibus sepeliri in visceribus hominis, & lupi, aut in humo: & Deus ex omnibus instaurat omnia: & quoniam non sunt propter se primò, aliis prosint li[illegible]er: & sic homines hominibus seruiunt, aut ad exercitium, & meritum, vt praui bonis: aut ad melius fieri, vt boni prauis, aut ad mutuam defensionem, vt omnes omnibus; aut ad punitionem, & correctionem: vnusquisque scrutetur vias suas intra se, & comprobabit, quæ dico. Si autem Deus dedisset omnibus vires resistendi contra omnia, nihil moreretur, & nihil nasceretur: permittit ergo, vt deficiant res: sed non vt annihilentur, sed transmutentur. Et hoc sufficit rerum naturalium fini, quæ non sunt propter se: sicut dolatio est propter fabricam nauis, & fabricatio ob nauigationem, & nauigatio ob mercimoniam. Et sicut mercimonia absorbet in se nauigationem: & nauigatio fabricam nauis: & fabrica nauis dolata ligna: & dolatio sectionem: ita herba absorbet terram, Pecus herbam, pecudem lupus, lupum homo, hominem aër, & tellus, dum transmutantur, & transponuntur res, donec Deus perfecerit omnia opera sua: & ex omnibus facta fuerint omnia, vt omnibus omnis idea Dei exprimatur.

Cum autem Theologi dicunt, quod si Adam non peccasset, fuisset semper sæculum aureum sine fraude, dolore, & morte, & animalia omnia homini obedissent: vnde videtur permissio peccati non fuisse propter melius. Vel Deum Fato subditum esse; quippe qui fecerat ne peccaret homo, & omnes homines nascerentur boni, & prædestinati ad vitam: mox coactum Fato, mutatum esse mundi nostri ordinem: & Dei voluntatem ad reprobandum prædestinatorum multos: in Theologicis tractamus: & hic in lib. 5. aliquantulum. Seruit Deus decretis suis, non alienis, si seruisse dicendus sit: & Rerum ordines habet in se innumeros; Mundorumque modos, & causas liberas implicauit coactis, & seruilibus, & naturalibus: & quid ordinaturus ipse erat, si liberæ, sic; aut aliter se determinauerint. Et omnia subiacent præuisioni, & ordinationi, & præuolitioni, vt & veniant liberè & necessario. Et aliis modis: non autem predeterminationi in particularitate effectus, sed in varietate causationis.

Plures esse eiusdem rei subordinatas causas, ideo & plures fines, omnesque spectandas esse rectè Philosophanti, & non esse casum respectu primæ, neque negligentiam.

ART. VI.

HIC autem considerandum est, quod sicuti eiusdem rei sunt fines multi, ita eiusdem rei sunt causæ multæ, & particulares & vniuersales, vt fatū finium fato causarum respondeat. Hoc anno paratur bellum in Vngaria, dicit Papa in iubileo, hoc fieri à Deo ad punienda nostra peccata, & hæreses Vngarorum. Astrologus dicit, fieri ab ecclypsi, in qua Mars interregnat in signo Vngariæ: Polyticus dicit, Turcam non habere bellum ab Oriente, neque à Moscouia, neque ab Africa: & quia intentio eius est imperium dilatare, ad hanc partem moturum arma. Physicus dicit, Turcas esse animo bellaces, & superbos, appetereque Mundi Monachiam, & quia nemo ad illam adspirat, sicut Austriaci, contra Austriacos insurrecturum; quoniam his deletis nulla potestas resistet eis. Alij dicunt esse lacessitum verbis Austriacorum; aut ab hæreticis inimicis Austriæ Turcas vocari in Vngariam. Ecce quot sententiæ; tamen omnes veræ sunt: sed Papa respicit Causam primam altissimam. Astrologus partem fati sublimiorem:. Politicus, & alij respiciunt causas humiliores, vt materiales, & occasionales: sic Empedocles putat, domum fieri ita necessitate materiæ, & non respexit quoque rationem finis. Quapropter oportet, rectè Philosophantem omnia considerare: & sic videbimus fortè vel à longè rationes voluntatis diuinæ, & Fati: omnes enim hæ causæ subordinatæ sunt ita, quod illud, quod videtur à casu respectu vnius causæ, est à Consilio respectu alterius. Idcirco fallitur Aphrodisiensis, qui casum esse secundum sui contingentiam talem, & non ex ignorantia, & respectu; cum quidem non sit nisi respectus: si enim fodiens sepulchrum sciuisset ibi thesautum inesse, & quæsiuisset; vtique non Fortuna inuenisset, sed arte.

Deo ergo, omnia præscienti, nihil fortuitum est: vnde omnis finalis Harmonia ad ipsum reducitur: bella enim, & mortes, & fames pertinent ad regimen eius optimum, stante hac mundi dispositione. Quapropter non est recurrendum ad Deorum pluralitatem: neque Deus Fato subiiciendus, quoniam mala eueniunt: quandoquidem ex his malis bona multa suboriantur: sicut ex contusione ferri Faber educit ensem: stultè ergo casui tribuitur generatio bestiarum, & plantarum longè diuinior, quàm ensis ædificatio.

Si autem nil boni ex malo oriretur, tunc vel Deus, quatenus permittens, Fato Homerico, vel negligentiæ Caluinianæ subderetur. Non enim ociatur Deus, cum permittit mala, vt Caluinus arguit: sed vigilat vertendo, & ordinando ea in melius. Sed dices: licet peccatum non sit propter scientiam Dei: est tam præter potentiam, quæ non fecit hominem impeccabilem: vel præter voluntatē. Resp. est præter potentiam creaturæ nō, Dei, & præter voluntatem Dei Legislatoris, non conditoris: condidit. n. hominem liberum, vt possit esse datum à Deo, & non esse à nihilo sub tegmine boni, eligere. Et cum eligit manū, non concurrit Deus nisi ad actū vt bonū: homo. v. se determinat ad malum: & quia dedit Deus hoc, non subditur Fato, nisi lex violata, vt in nobis, non vt in Deo Legislatore. Nec quia animalia moriuntur antequam nascantur, casu fiunt, aut moriuntur; sicut enim nos ex eodem horto herbis vtimur aliquando cum sunt Flores, aliquando germinibus, aliquando in fructibus, aliquando foliis ad varios vsus: Ita Fatum producit animalia, & vtitur eis, vt Floribus in semine, quod in terram jaculantur, aliquando in germine cum sunt in vtero; aliquādo in fructu cum prodierint: & semper summa ratione, licet non semper nota. Gregor. etiam magnus necessarium esse dicit Adæ peccatum propter melius: vt in Deo incarnato deificaremur, & fœlicem culpam ex tanto Redemptore. Non quia peccatum esset ordinabile ad bonum cum sit de se inordinatio: sed quia Deus per Omnipotentem voluntatem fecit, vt sit occasio boni immensi. Ad Alexandrum insuper dicimus, quod Contingentia est ex ignorantia secundorum entium, & ex impedibilitate causarum secundarum: nec data prouidentia tolli Contingentiam, sed ordinari.

ARISTOTELEM ASPEXISSE PARTICVLAREM causam, & finem, & vsum, & non vniuersales: ideo quædam Casui tribuere: & minima maximum habere vsum & vnum.

CAP. X. ART. I.

ATQVE tandem respondeamus Aristoteli, & Aphrodiseo, putantibus, propterea à casu multa, sed non omnia euenire: quoniam pluuia frumentum ex area dissipat; & monstra pariunt feræ; & Flores non omnes in fructus conuertuntur; & hoc est contra intentionem plantæ & naturæ: dicimus, hæc euenire contra intentionem particularis naturæ. Iam enim probauimus, non esse vnicum vnius rei finem. Nam & si planta fructum facit, vt ipsa viuat in eo, tamen causa vniuersalis intendit ex fructibus alimoniam animalium: sicut quidolat, stipēdium habet finem, sed fabricator habet fabricam ex dolatis conficere. Quapropter licet Flores non omnes in fructus vertantur, & hic sit casus respectu plantæ florentis ad fructus, tamen non est ita respectu Causæ primæ: nam nec respectu hominis, qui vtitur etiam illis ad odorem: & cum cadunt in terrā, aut à vento aspor-

tantur, etiam ad aliquem ſunt vſum, ſcilicet ad fermentandam terram, vel diſponendam illam particulam ad aliquid producendum miſtione ſua, quod ibi intendit Deus. Nonne pilus vnus in lacte bibitus necauit hominem, teſte Plinio? quid ni ergo Floſculus effectum aliquem pariat? ſæpè culex vel muſca moueri fecit hominem retro, & inimicum videre, aggredi, & occidere: & clauus vnus perdidit Regnum. Nam ferrarius obleſit pedem equi; equus vehens ſigniferum titubauit, & ſimul vexillum labaſcit: quod videntes inimici canunt victoriam, & ſocij fugiunt, fit clades in exercitu, perditur Regnum: mutatur ſtatus rerum: ecce quid fecit clauus vnus: ſic & omnes minimæ res maximum vſum habent. Vides in terra paleas, lapillos, foſſiculas, monticulos, quaſi caſu factos: & tamen ſumma ratione: nam lucem magis ſuſcipit foſſicula, minus monticulus, paleæ, & lapides variant ſuſceptionem lucis, & caloris actionem: vnde fit, vt in quolibet terræ puncto varia fiat diſpoſitio, & herbæ variæ, & colores varij: & Ideæ variæ oſtententur: ergo quæ minus vſus habere putantur, plus habent.

Arbitror ergo omnes mundi atomos ita diſpoſitos eſſe; vt nulla ſubtractio, aut additio fiat temerè, & totum rerum ordinem immutari, ſi pauca fiat translatio præter ordinem Dei; eſſeque mundum, ſicut horologium, cui nihil addi, aut ſubtrahi abſque errore poſſit. Nam & vt nunc feſtucam ita, vel ita, mouere poſſim, ego liber, decretum eſt, vti & pennam: & res ita ſe habent, vt poſſim ſic & ſic mouere: vt autem ſic determinate moueam, ſi contra fas, eſt præuiſum, & ordinatum mox ad finem aliũ, quàm ſi aliter mouiſſem. Doctiſſimè ergo Auguſt. neq; virgultum, neque feſtucã abſque nutu Dei moueri docet, & Ieſus ait, noſtri capitis capillos non caſu cadere, ſed omnes numeratos eſſe: ergo Ariſtoteles, & Alexander reſpiciunt ad pauca, idcirco Fatum reſcindunt per Fortunam & caſum, & contingentiam, quæ quidem ſunt partialium reſpectu cauſarum: ſed reſpectu primæ cauſæ rationales euentus ſunt; à ratione prima editi per cauſarum entium, & nonentium ſeries; aut à prima Ratione ordinati dũ defectiuè eduntur.

Minima, & caſus ad prouidentiam Dei pertinere, & Deum non vileſcere in eis, ſed magnificari. Reſponſio ad Ariſt. & Contingentiam, & caſum quoad ordinem eſſe reſpectiua, non abſoluta.

ART. II.

PLVVIA ergo licet herbarum gratia ſit, non tamen ipſarum modò eſt gratia, ſed multorũ adhuc vſuum: quos licet omnes ignoremus, hic tamẽ vnus manifeſtus eſt, ſcilicet terræ inſtauratio; & fermentatio, & agitatio, & tranſpoſitio particularum eius: & lucis modificatio, & paſſionum propriarum. Ergo cum diſperdit frumentum in area, transfert illud ad alias particulas terræ, vbi vſui alicui deſeruit. Nec enim quia formicæ ipſum manducant, & paſſeres, abſque vſu eſt: ita nec ceſſat vſus, quia manducatur à terra: Et quia germinat ibi ad aliquem vſum: & quia putreſcit ad alium vſum, ſemper ordinatè fit. Frumentum Tarquiniorum à Romanis proiectum in Tyberim, effecit inſulam in medio Tyberis adhuc extantem: quæ ad plurimos vſus profuit, & prodeſt in hodierno die: quod de multo videmus, id de pauco, & paruo conſideremus. Neque parua negligit Deus, vt Cryſippo videtur apud Plutarchum: neque enim parua ſunt, niſi nobis: ſed ad ſuum quemque vſum eſt maximi momenti coram Deo; & omnes res præteritas eſſe cauſas, & ſigna futurarum omnium aliquo pacto, ſaltem indirectè notauimus. Eſt quoque mæſtitia domino frumenti diſſipati in area, & prouidentiæ nouæ, & affectiones aliæ ex eo ſuboriuntur, ex affectionibus autem actiones. Quapropter in hoc incuſandus videtur Empedocles, & Ariſtoteles cum eo, quod vnum modo rerum vſum conſiderarint: & caſum præter intentionem, & ordinem particularium cauſarum, non aduerterint eſſe cum prouidentia cauſarum ſuperiorum. Nonne frumentum, & farina eſt propter hominis cibum? tamen vtuntur illo fœminæ ad folia collarium dealbanda, & tendenda. Hoc cur non fit caſu, cum ſit præter ordinem communem, & id quod facit diſperdi Deus ad Terræ diſpoſitionem ſit caſu? profectò omnia, quæ ex terra fiunt in terram reuertuntur poſt vnam vel plures tranſmutationes; quod ſi non fieret, oporteret Terram citiſſimè conſumi totam: ſed prouidit Deus vt alibi inſtauraretur, vel ex tantillis atomis, alibi mutaretur, alibi diſſiparetur, vt ſemper poſſit eſſe materia ſuſceptiua ſuæ artis. Vnde videmus in eodem die innumerabilia entia naſci, & innumerabilia mori, & tranſmutari, & alterari, & hoc opus immenſæ Sapientiæ, & poteſtatis eſſe, credendum eſt.

Nec Deo auferendũ, vt putat Epicurus, ne tanta cura ſit infelix: &, vt dicit Aprod. contra Stoicos, ne ſicut figulus in luto verſetur, faciendo, & diſrumpendo vaſa. Si enim Deus particulare eſſet Ens, finitumque, cui alia entia contradicerent, vtique labore multo hæc omnia faceret: ſed cum ſit Ens primum infinitum, à quo omnia ad nutum fieri poſſunt, non eſt illi auferenda cura, ſed labor. Nec vilitas eſſe poteſt opere in tanto, vt diximus contra Ariſt. in lib. præcedentibus; & ad majeſtatem eius conuenire tot ſui demonſtrationes, nulli dubium eſſe debet, licet ignoret cauſam. Et quidem diuina Theologia huiuſmodi operibus Angelos præficit, vnde Maieſtas Dei non cura, & labore eximitur, ſed laudatur, quod eſſe, & cauſationem rebus præſtiterit, & res nobiliores ignobilioribus præfecerit: & in hoc ſatisfit Aphrodiſeo, licet non ob eius argumentum Deus Angelos creauerit. Nec quidem dicimus aliqua à caſu venire, hoc eſt præter Dei ſcientiam, ſed præter Angelorum, & ſecundarum cauſarum, aliqua à caſu facimus. Nec quidem doctiſſimus Plato Angelis, & Dæmonibus curam cœleſtium, & terreſtrium demandauit, vt quieſcat Deus, vel à cauſalitate eximatur, vt fortè recitat D. Thomas ex Nyſſeno; ipſe enim manifeſtè comprobat in Dialogo de Legibus, Deum etiam minima curare. Si namque (inquiens) *quanto Sapientior artifex, tanto exqui-*

sitius vna & eadem arte magna simul & parua curat. Deus qui curare vult, & potest, nunquid magna in eodem opere curabit, & parua contemnet? Nunquid similis est fucis, dignusque odio? &c. Vnde doctissimè comprobatur ad minima Dei curam protendi, ne Deus sit inferior artifice humano; qui si minima negligit, paulatim defluit; & ne sit dignus odio & contemptu. Quapropter quæ casui tribuit Aristoteles respectu inferiorum, referenda erant ad prouidentiam superiorum; sicut corruptio, quæ casu est aliis rebus, sed cum prouidentia ad aliorum generationem.

Et quod Aristoteles & Aphrodiseus aiunt, casum non esse causam ignotam, sed defectum: similiter & contingentiam: & quod vni est à casu, omnibus est, sicuti & necessarium; mentiuntur; quoniam hęc sunt respectiua, & non absoluta: licet enim contingentia sit defectus in causa simplici, & necessitas sit firmitas, vt à Deo, sicut diximus; tamen respectu ordinis omnia sunt necessaria, & quatenus, & quando sunt, sicut dictum est: & respectu causæ vniuersalis, non autem particularis: & patuit de obuia casuali secuis, quæ heto præintenta: & dato quod quę sunt præter essentiam, sint accidentia simpliciter, & omnibus, non tamen quæ pręter intentionem, & voluntatem: cùm aliis sint coactione, aliis voluntate, aliis ignota, aliis præscita.

Monstra non casu fieri respectu primæ Causæ, sed summa ratione, & fine, comprobatur: & homines subiacere causis potioribus, & Deo, & tamen liberos esse.

ART. III.

MONSTRA quoque dicimus esse contra intentionem causarum particularium, non autem vniuersalis, & esse propter finem: aut vt quid noui ostentent siue nobis, siue dæmonibus, siue Angelis, siue causis particularibus; vnde ad considerandum, aut quid agendum moueantur, aut vt quippiam agant. Quos euentus peperere Romæ monstra passim Titus Liuius, & alij historici testantur: similiter & Flauius Ioseph de Ierosolimitanis: sed & Aristotelem proprium exemplum docere poterat: ipse namque ait, fœminam esse monstrum naturæ, quę quidem semper intendit facere quod melius est, hoc est, masculum, & casu accidente ex impotentia faciendi masculi fieri fœminam: Et rectè dicit, sicut omnes alij Philosophi. At si respicias finem propter quem est fœmina, scilicet generationem, educationem, & societatem, dices maximè à Natura intentam esse, volitamque: non quidem à particulari: omnis enim mas, & fœmina quoque cogitat, & cupit masculum generare in coitu: ergo ab vniuersali: ergo idem considerandum erat in aliis monstris; & Dei prouidentia attendenda vbique, & non neganda: & licet multorum monstrorum lateat vsus; tamen benè inspicienti semper aliquid patet: si omnes causas contueare, & non solummodo humanum vsum, more idiotarum: omnis sanè euentus, vt obsit, & vt prosit, accidit. Quapropter & Empedocles multum errasse videtur in eo, quod putat multa monstra in mundi exordio ex materiæ necessitate euenisse, at non seruata esse. Si enim summo artificio, & sapientia res præsentes fabricatæ sunt, vtique mundi factorem sapientissimum fuisse, necesse est, vt mundi constructio, & cuiusque rei declarat: ergo non materiali casu, sed sapientia præeunte condita sunt: ergo nulla monstra facta sunt quasi extra ideam factoris, sed omnes species iuxta ideam illius. Nisi fortè putetur fuisse veluti pictor imperitus, qui multas designat imagines, & alias delet, alias perficit, alias renouat, vt impij Thalmudistæ fabulantur; quod de mundi opifice dicere, absurdum est. Casu autem mundum non esse factum, declaratum est prius, & nunc, & in sequenti libro disputabitur. Quapropter si qua nunc monstra fiunt, fieri ex materiæ necessitate, palam est: sed non est sola materia; at ex virtute actiua debilitata, vel transformata, vel excessiua, vel à materiæ defectu, vel abundantia: & hæc ex causarum serie ita contingunt: ergo & ordine primę causæ: Sicut enim finis Reip. est conseruatio tranquilla ciuium; tamen aliquando necat ciuem, aliquando exponit morti ad bellum, aliquando carcere, & remigio, & exilio affligit: si quis hoc casu fieri putaret, quia præter ordinem consuetum Reipub. stultus esset: & tamen si alia animalia hoc videant, putant nos casu hæc facere. Item nos solemus inserere vites, vt fiat vua partim alba, partim nigra; & peponum semina sine cortice, & Pyra Malis mista nascatur. Et hoc quidem euenit præter intentionem arboris quodam casu: sed non præter intentionem nostram: sic nulla monstra sunt casu coram Deo. Patriarcha Iacob virgarum inspectione, dum auidè ex eis colantes bibebant pecudes aquas, efficit, vt aliquando albæ, aliquando variæ, aliquando nigræ oues nascerentur. Et hoc quidem casu respectu ouium, & Labani; sed respectu Iacob ex magica prouidentia fuit. Ita sunt omnes partus respectu Dei ad suos fines præscripti: etiamsi non voliti antecedenter: Et homines sunt oues, quibus Angeli præficiuntur; & stellæ ex parte, quæ nos funibus radiorũ, & manibus motuum, trahunt, vel sicut nos armentum ad aratrum, ad macellum, ad venditionem, ad pascua, prout libet: & putamus nostro arbitratu nos regi, sicut pecudes & vaccæ se se suo: & videmus alios mori, alios nasci, sicut porci vident alios occidi à porcario, alios vendi, alios educari, & non considerant, quomodo illi subiacent, sed dicunt, cras exibimus in pascua, faciemus hoc & illud: & non dicunt si velit pastor: ita nos cogitamus facere multa, & tanquam onagros liberos nos esse natos, vt ait Iob, & deinde superiores causæ omnia nostra consilia dissipant. Vna namque pluuia mutat naturam, & militum, & agricolarum omnia consilia, & decreta, & vnius Regis pragmatica omnia decreta magistratuum: ergo melioribus causis, naturisque po-

tioribus liberi nos subiacemus, vt dictum est. A Deo etiam agimur vt liberi à patre in volitionibus; & non vt serui à dominis, nisi in exequutionibus istis tantum, in quibus non temeratur libertas.

Aristoteles impiè, & stultè de Deo & secundis rebus quoad Deum locutum esse.

ART. VI.

In Metaph. 11.

EX his patet Aristotelis comparationem ex parte esse impiam, & ex parte stultam: si enim mundus est sicut domus, & Deus sicut paterfamilias, stultum est arbitrari, quidpiam fieri posse absque Dei consilio, & decreto. Ignarus enim, aut impotens, aut negligens esset paterfamilias, in cuius domo fiunt quæ ipse ignorat, aut nolit: ergo nil illi est à casu: Licet autem sint vt filij Angeli, & nobiliora corpora minus aduersa diuinæ firmitati, cætera autem sicut distantia, fluctuent temerario casu: non tamen hæc vicinitas & distantia est casualis, sed ipso statuente: si autem ita semper fuit, quodam fato, cui Deus subiicitur, factum est. Si enim non subiiceretur, nihil contra eius intentionem veniret. Sed quomodo, si Deus nihil nisi seipsum intelligit, & vult, vt sit beatus, eximitur cura Angelorum, & cœli, & inferiorum, & ipse nihil influit, nisi fortè quid ab eo bonitatis quodam casu effluentis intelligentię hauriunt: potest dici rerum Deus aut causa? quia ait: Res operantur, vt Deo assimilentur. Profectò si hoc desiderant res, mirum est quomodo non omnes cessent à laboribus suis & curis, & inspectione rerum, & nulli dent negotio operam, nisi intellectioni, & fruitioni sui ipsarum, sicut sui Deus. At si omnes operantur, vt Deo assimilentur, maximè operari Deum, oportet, seclusa tamen molestia, & labore. Nec tamen includendus est primo orbi, vt Arist. & plerique sui putant, qui mouet volentes cæteros orbes ab ortu ad occasum, naturâ euntes ab occasu ad ortum: sic enim interueniret laborâ contradictione, & non imitatio, vt ipse dicit, sed contrafactio: & cura particularis vnius orbis particulari animæ tribuenda erat, Deo verò totius mundi vsque ad minima, vt Plato, & Stoïci, & omnes rectè sentientes docuerunt. Neque hoc declarare possunt Peripatetici, quomodo Deus nihil influens primo orbi, nec intelligens illum, moueat illum: nisi orbis anima intelligat Deum, & moueat, vt Deo assimiletur, sicut Aristoteles dicit; & tamen vt aduersetur: deberet enim in sui inspectione sistere, & non in motu, quem ille non facit, illum imitari.

RESPONDEO AD LVCIANISTAS, EMPEDOcleos, & Achitofellistas, Deum non subdi Fato, res eius nutu, & fine omnes fieri, & probos fœliciores esse improbis, & regibus etiam in hac vita.

CAP. XI. ART. I.

NVnc ad Lucianum respondemus, Deum Fato non subdi: Nec quia fulmen in Templum incidit, à materiæ necessitate sola factum est, vt dicebat Empedocles, & non à Deo: Manifestè enim domus habet lapides magnos in fundamento, & paruos in tecto, non ob solam materiæ necessitatem, sed quia ita artifici videtur melius ad structuram domus: Deo autem nihil est quod videatur melius, & postea eligatur faciendum, sed ipse facit hoc melius, & illud minus bonum; sicuti si quis non vteretur lapidibus ad fabricam domus, sed lateribus à se formatis, & luto, aliis quidem magnis, quos ponat in fundamento, aliis paruis, quos in tecto: Ita Deus omnes mundi partes fecit, & compaginauit, sicut figulus, teste Isaia, Ieremia, Sap. & Paulo. Quapropter non est quærendum, cur fecit hanc esse Solem, illam Mercurium, illam Tellurem, aliam hominem: hos enim gradus ab eius idea (quæ exemplar est intellectuale, sed addita voluntate est principium externorum) oriri fatendum est: voluntatis autem diuinæ non est ratio, cùm ad eam fiat omnium resolutio rationum. Disputant Legistæ sensum legis: sed accedente Papæ voluntate, cessat disputatio, quoniam ipsa est lex: voluntas autem Dei rationabilissima est, vt patet: & gradus rerum necessarij sunt: ergo vt sint magni & parui.

Quando ergo fiunt fulmina, vel tempestates, non sine Deo fiunt, nec sine fine: si autem non semper lædunt prauos, sed res sacras & viros probos, id quoque est ex Dei voluntate. Nam fortè non sunt probi, quos probos reputamus: aut tolluntur ad meliorem vitam illa facili morte, aut sunt nobis in

significationem. Præterea pater natos in laboribus facit virtuosos, ait Seneca & Paulus. Propterea non lamentandum cur bonis mala. Nec mirum, si templum manibus hominis fabricatum à fulmine interficitur: nam formica Dei manibus fabricata, nobilior est templo, vt vita & organa eius mirifica docent; & sicut dixit Messias: *Neque Salomon vestitus est ita splendidè, vt lilium vestitur à Deo.* Et tamen à fulmine, à curru, à lapide, & à multis causis occiduntur formicæ, lilia, aliæque bestiæ innumeræ: quoniam ibi, tunc, & huic, ita conuenit ad fati seriem, & mundani horologij dispositionem: & cùm tam mirifica sint opificia, tamen quotidie infinita moriuntur, & nascuntur. Templum ergo Deo sacrum destruitur fulmine, quoniam sacratio illa non est respectu Dei, sed hominis: Deus enim vbique est etiam in luto, sed eminenter, & causaliter, & non partialiter, & passibiliter. Templa ergo sunt propter homines, vt dicitur 2. Macab. & non homines propter templa: ergo Deus destruit illa fulmine non casuali, sed vt aliquid significet, aut faciendum sequatur; vtque nos terreat, vel ad pietatem reuocet, & rerum particularium, aut vniuersalium vices mutet. Alij enim recurrunt ad reædificandum: alij ad prædicandum, alij ad manducandum ex labore, alij ad largiendum, alij ad iudicandum: & hoc quidem intelligimus, & videmus. At quid hoc cæteris creaturis ostentet, & efficiat, Angeli vident, in quorum conspectu res creatæ patent omnes: nos enim intra opacum corpus habitantes per foramina oculorum transpicuitate crassa donatorum, vix aërem crassum in nube videmus: quid de spiritalibus conspicari possumus?

Multa quidem dicuntur fieri contra Dei voluntatem, vt quòd impij regnent, & homines peccent; sed præter effectiuam, quoniam faciunt mala sine Deo, non contra permissiuam, permissu conditionis, non omissionis: sic enim nihil faciunt sine Deo: permissio autem est propter melius, vt dictum est, sicut corruptio propter generationem.

Arbitramur quoque res omnes prout sunt esse fœlices. Non enim dicitur lapis infœlix, quia non est Rex, neque Agricola, quia non bene scribit, sed quia messis non ex voto illi succedit. Cùm ergo bonis dederit Deus virtutem, patientiã, sapientiam, & alias gratias, in illis gaudent longè magis, ac Rex in regno; & quando moriuntur, accipiunt hoc vt naturæ debitum: quando interficiuntur propter iustitiam, aut à casu, accipiunt hoc vt meritum ante Deum, vel vt finem malorum, & principium lætitiæ. Non ergo potest bonis obesse quicquam: quinetiam per mortem deificantur etiam in hoc mundo: & dum viuunt, sua sorte contenti, fœliciores sunt principe quocumque potentissimo: sic respondet Symon Petrus Apostolus ad Symonem Magum apud S. Clemen. cùm iste diceret, Religionem Christianam priuare nos præsentibus bonis, & fraudare futuris, quæ non extant: Respondit conscientiam rectè factorum beare hominem in hac vita, quoniam liberat illum ambitione, auaritia, metu, & suspicione, & superbia, & inuidia, quibus malis nulla reperiuntur in mundo tormenta atrociora: quibus sublatis, & addita spe bonorum æternorum, nescio quid fœlicius excogitari potest. Reges enim sunt fœlices in oculis stultorum, qui vident purpuram exteriorem, & non curam interiorem, suspiciones, metus, odia, ambitiones, timores, ne videantur praui, ignari, scelesti, rapaces suis, & alienis: ne perdant regnum, vt sciant respondere Oratoribus; vt ex voto res succedant, ne occidantur à quibus maleficiunt: quod si optimi sunt, & benefaciunt, ipse Epicurus existimat eos infœlices, & communibus laboribus applicatos, & violentatos: quod Symonidi fatetur Dionysius Tyrannus apud Xenophontem. Quis nunc non mallet se fuisse Petrum occisum, quàm Neronem occisorem? Huius statuæ & memoriæ in Tybrim proiectæ sordent, & decreta rescissa sunt, & nomen in maledictione: illius verò templa, altaria, lampades stant, & verba eius, & vita eius dant toti mundo legem. Quin fuisse præstat Senecam, aut Lucanum occisos à Nerone, quàm ipsum Neronem: nec si decem aut centum, aut mille annos vitæ infœlicissimæ, quàm vulgus fœlicem putat, illi vixissent, cum Senecæ, & Socratis vita in fama peremni comparandi essent. Dicunt Machiauellistæ cum Aristotele, sufficit dum viuimus præesse alijs. Nam vita infama est nihili, quam non sentimus post mortem; stultè quidem. Esto namque quòd anima sit mortalis prorsus, vt putant: tamen naturale est cunctis hominibus famæ amplificatio & gloriæ optimæ: quis enim non doleat cum se odio haberi, aut malè dictis proscindi audit? Et ipsi Machiauellistæ, qui in dominio ampliando ponūt fœlicitatem, propter quid ampliant? nunquid vt fruantur bonis, & sine cura, cùm dominium sit plenum curis, suspicionibus, & laboribus? Ergo vt dilatent gloriam, & famam; alioquin præstaret cum Epicuro viuere in angulo, diuitiis, & voluptatibus dando operam. Quam vitam si porcinam arbitrantur, & summum bonum ponunt in regnando, vtique in gloria ponunt: sed quomodo regnabunt sine sapientia? Si enim insipientes sunt, regnantur à Consiliariis, & non regnant: sicuti pueri sub tutore & pedagogo, cùm sint domini, seruiunt tamen. An solum nomen regium illis satisfacit? demus illud lapidi & asino, & idem erit his: si autem cùm sapientia est regimen, vtique bonum est: ergo propter summum: Ergo hoc inquirendum est, vt vera sit fœlicitas. Hoc autem viri probi, & sapientes faciliùs assequuntur. Non ergo infœlices sunt probi, & fœlices peruersi. Et cùm ait Salomon: *Vidi iustos, quibus mala proueniunt, tanquam opera egerint impiorum: Malos autem, qui ita securi sunt, ac si benè egissent:* & alibi: *Vidi neque velocium esse cursum, neque fortium bellum, neque sapientum panem, neque artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus.* Hoc dixit respectu causarum secundarum, quibus inest casus, & fortuna, non autem primæ, cuius iudicio omnia subdit in fine rerum: Mala autem, quæ bonis eueniunt, sunt ad eorum nominis claritatem, & exemplum aliorum, & Reip. restaurationem. Et quia mundus est Comedia; & potiores partes Comediæ sapientioribus & melioribus dantur: idcirco mala & miseriæ, & paupertates eis datæ sunt, quibus subest patientia & sapientia in melius: qui abundant ingenio, carent fortuna, quoniam ingenio viuunt, & clarescunt, quod fortunatis ostendere non contingit, isti verò fortuna. Alij verò vt seruient, alij vt seruentur, alij vtrique muneri dedicati sunt à rerum opifice. Nec est qui seipsum cum altero mutare vellet, vt in 1. lib. declaratum est; licet vellet quoad exteriora mutari; vt formica vellet habere vires elephanti, sed tamen esse formica: sed ex quo est formica, caret illis: ex quo est elephas in desiderio, habet illas in desiderio;

Eth. 5.

Et omnis res ergo contenta est: magis autem meliores: vtque Socrates probat, Melius est pati iniuriam, quàm facere; & voluptatibus multis abundat probus præ improbis: Et nos in Antimachiauellismo ostendimus, primam voluptatem esse, carere malis internis, & vitiis: deinde suspicionibus, & metu: deinde sapientia abundare: deinde sperare æterna bona: deinde frui præsentis vitæ bonis: hanc vltimam habent Achitofellistæ, & Lucianistæ, si tamen habent. Nam qui caret virtute, nescit rerum copia frui; & triplici malo affluunt, & magis in eo quod putant, sperantes vitam in cœlo, decipi, quoniam vt Horatius ait: Hic est menti gratissimus error, homines fœlicitate afficiens, quanto magis si non est error, vt in 3. p. declarabimus.

Respondeo prouidentiam Dei, & hominis esse maximè notas experientiæ, maximeque necessarias Reipublicæ, & in vtriusque confessione standum contra Mahometanos, & sequaces, & contra Epicurum: & hinc parandas solutiones dubiorum.

ART. II.

QVONIAM igitur omnia necessitate, non coactionis, sed infallibilitatis, quæ coactione & amore constat, euenire probatum est. Non enim res faciunt quod vellent, sed quod velle coguntur, sed ex quo volunt voluntate naturali aut libera, coactionem exuunt: sicut qui à Rege per legem, coguntur in Repub. ita viuere, quoniam volunt, vel velle coguntur, non dicuntur contra voluntatem agere, sed pati: si enim nollent obedire, sed potius interfici se permittere, vtique possent. Videmur ex his facilius respondere posse argumentis impugnantibus infallibilitatem prouidentiæ diuinæ, vel libertatem humanam, vel contingentiam rerum. Et profectò quamuis insolubilia essent, nescientibus nobis hæc simul concordare, non tamen, quæ sensui patent, decretaque sunt omnium consensu hominum, præsertim rectè sentientium, conuellenda sunt; vt si quis nesciret soluere rationem Zenonis, qua probat non dari motum (quia quod de extremo ad extremum mouetur, transit per medium, & antequam transeat medium, transit medium medij; & ante hoc aliud medij dimidium: & quia in infinitum diuiditur omne continuum ex consensu Phys. & Mathematicorum; infinitum autem non potest pertransiri: ergo non potest fieri motus: Ergo apparet, sed non est motus: cui Aristoteles respondens (quòd partes infinitæ sunt in potentia, non in actu diuisæ, & affectæ) nihil satisfacit. Nam si sphæram vitream circa sphæram aliam circumuoluas; quas in puncto se se tangere docent Mathematici, & ipse Arist. & experientia: puncta autem sunt actu infinita contactione: sequitur, quod non possit fieri hic motus: Et quidem nemo videtur soluisse rationem Zenonis adhuc). Igitur non propter ipsam negandus est motus, qui patet sensibus omnium: nec propter Parmenidis ratiocinium. Ita (inquam) cum libertas humana sit patentissima, nemo enim est, qui non possit facere plurima, quæ aggreditur: si nescimus ipsam concordare cum prouidentia, non est neganda: cùm præsertim Legis, & Reip. & Consiliorum, & pœnarum, & præmiorum ratio in illa fundetur. Quare Mahometes, Lutherusque omnino arcendi sunt à Repub. si enim putant homines se fato peccare, benè operari, & non posse aliter fieri, quæ eueniunt à nobis, tunc nemo obediet legi, neque magistratui, neque studio literarum, quo fiat melior; nam non potest, si non vult fatum; neque medicinæ valent: nam non viuit, cui decretum est non viuere: neque prophetia, & prognostica proderunt: quæ enim cauere non possumus, frustra præscire conamur: & frustrà consiliamur, cùm tam sine, quàm cum consilio, eadem prorsus eueniant: quemadmodum rectè argumentatur Chrysostom. in lib. de Fato; & omnes insuper Theologi veteres, & Physiologi.

At cur esse transgressores existimamus? nunquid quia non possunt? Ergo condemnabimus asinum exilio & morte, quia non potest habere rationalitatem: lex punit peccata, quæ certo consilio fiunt, non quæ casu, vel ignorantia, vel ebrietate, vel propter bonum. Nam neque nos irascimur contra malum, sed contra animum, & studium malefaciendi. Non enim quia medicus, aut præceptor, aut pater nos verberauit, vindictam poscimus: sed si quis nos leuiter tetigisset, vel sputo ex malo animo lædendi, & despiciendi, vlciscimur, & irascimur: Similiter contra ebrium, aut furiosum, nos lædentem, non insurgimus, sed cauemus tantum. Si ergo necessario cuncta fiunt, & nulla ex libertate, ita puniremus ebrium, & ignarum, & patrem, & medicum, sicut sobrium, & præmeditantem, & seruum contumacem; quod nec vlla lex facit. Lex autem ratio est summa: & cùm aiunt Luthericolæ nos fato punire hos & illos, concedo, sed liberè, quoniam Fatum decernit, & permittit: Et quia videmus, quæ ex libero consilio fiunt, esse bona & mala superadditæ voluntatis, & consilij, non autem quæ fiunt innata voluntate, & nouos euentus non perpendente, sed naturaliter currente. Quapropter cum Cicerone, & omnibus Philosophis, retineamus libertatem, & polyticam. Cum Lutheranis verò, & Stoicis prouidentiam, sed non Lutherano modo excludente libertatem, sed Catholico. Si enim Deus iubet in lege naturali vt faciamus bona, & fugiamus mala: Possumus quidem vtrumque ex generali Dei auxilio: nec dicant, nos non posse nisi ex Dei auxilio supernaturali, quod non omnibus dat, sed illis modò, quos ad paradisum elegit, & cæteris negat, quos elegit ad infernum: Hoc enim auxilium requiritur ad supernaturaliter merendum

rendum ea, quoniam supernaturaliter promittuntur; & tamen quibus datur promissio, datur & posse; non enim Deus deficit in necessariis, nec in promissis. Nemo ergo damnatur defectu gratiæ: etenim si omnibus eadem iubet Deus, omnibus verè sufficiens dat auxilium: bobus autem & asinis non dat Deus legem, quibus nec libertatem, & gratiam seruandæ legis dedit: vnde furiosi à natura excusantur à peccato. Quapropter si diceret Deus, vt faciamus bona, quæ non possumus: & hoc facit, sicut Caluinus dicit cum Luthero, vt arripiat occasionem condemnandi nos, & replendi infernum ad ostentationem suæ iustitiæ, & quod peius est, dum dicit, vt faciamus bona, ipse compellit, & indurat ad malum: vtique est Deus crudelior, & iniquior omni Tyranno: Tyrannus enim dat legem, vt possit transgressores punire, & priuare pecunia, & vita, ipseque ditari: sed tamen non impellit subditos ad malum: Deus autem dat legem, vt transgredientes puniamur: ad quam transgressionem insuper ipse nos cogit, & stimulis, & actione. Nam vt aiunt, Deus facit mala sicut bona in nobis, & nobiscum; & alios indurat, & excæcat in malo, alios emollit, & illuminat ad bonum, & cogit vtrosque ita operari: ergo cum dat legem, nos decipit, dicendo: *Facite bona, & dabo paradisum.* Nam è contrario ipse nos cogit ad malum: ergo inuidet nobis præsentia bona, quæ per legem spe boni falsa æterni, nobis dissuadet, & voluptates, & vindictas, & ebrietates: & futuris defraudat; & dicit nobis, volate, & tamen non dat alas auxilij sui, quibus euolemus: sed hoc parum esset, nisi etiam adderet lapidem molarem in animo nostro trahentem deorsum: quod si tam impius esset Deus, Tyranni sunt optimi hominum, qui ipsum imitantur; & seditiosi sunt meliores populorum, qui legi non obediunt: Ergo hæc opinio facit principes Tyrannos imitatores Dei, & populos seditiosos, & Deum insidiosum, & impium: Ergo omnino est explodenda. Vnde Plato, quem fautorem sibi faciunt quidam Geneuenses, eiicit Homerum de Republica, propterea quod dixerit Deum habere duo dolia vinorum diuersorum, scilicet mali, & boni; & propinare vtrumlibet, quibus vult. Nam impia hæc sententia facit Deum autorem mali ita ac boni. Et quidem Homerus in Odiss. quasi se corrigit, vbi Iupiter contra Lutheranos dicit.

O facinus, mortale genus nos numina primum
Incusat, fontemque putat, causamque malorum,
Quæ veniunt: sua sed pereunt ob facta nefanda,
Cùm sibi præter Fatum sponte incommoda quærunt.

Similiter IEOVA apud Dauid exclamat contrà eos, qui dicunt, Deum esse causam aut fautorem mali: *Existimasti inique, quòd ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam. Si videbas furem, currebas cum eo, &c.*: ita loquetur in iudicio; super quo dicit Apostolus: *Nunquid iniquitas apud Deum, absit, quomodo enim iudicabit mundum?* O docte! namque responderent omnes. Tu me impulisti ad malum, & nunc me condemnas ob illud malum, quod tu fecisti? & quare non condemnas te autorem? Quapropter standum est in confessione liberi arbitrij; è conuerso autem standum est & in confessione prouidentiæ: Ne Deum accusemus ignorantiæ, vel negligentiæ, vel impotentiæ; vnde statim contemnendus appareat, & dignus illusione, sicut Lucianus putat, & Deos omnes irridet: quo posito, corruit Respublica omnis. Nisi enim præmia, & pœnæ expectentur, nemo obediet legi, nisi palam ex timore magistratus; clam verò Tyranni erunt principes, hypocritæ, auari, deceptores: populi raptores, insidiosi, murmuratores, inuidi sine affectione, quod videmus euenisse ex quo Machiauellismus, & Lutheranismus inualuit, & vt dicit Terentius: *Malo coactus quisuum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cauet; si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit, &c.* Sublata ergo prouidentia, hæc mala eueniunt. At prouidentiam esse in minimis quoque rebus, constructio rerum mirabilis docet: eadem semper formicarum, & culicum fabrica non minori ex sapientia, quàm cœli & hominis, & elephanti fabrica: idem omnium legislatorum consensus comprobat & populorum. Et quidem si prouidentia est in Physicis tanta, multo magis est in Politicis. Quapropter hæc duo ad sensum patentia retinentes, argumenta iamdudum facta soluamus

RESPONDEO AD APHROD. NON TOLLI *per prouidentiam Fortunam, & Casum, sed esse eiusdem effectus insertos Fato, & anteiactis causis non per se talem finem intendentibus, sed per alium intellectum, longè superiorem: qui mutabilium seriem facit & nouit.*

CAP. XII. ART. I.

Resp. ad arg. supra posita in c. 4 ar. 2. De fato c. 5.

AD primũ ergo cum dicebat Aphrodis. quod tolleretur casus, & fortuna, negamus consequentiam. Nam prouidentiam damus causæ vniuersalissimæ cui nihil est à casu: causis verò particularibus concedimus casum: quoniam cum non omnia possint, nec omnia sciant, nec omnia velint, sicut Deus; & quæ eueniunt præter posse, & scire, & velle, sint à casu, & fortunæ, vtique respectu Dei non datur, sed respectu aliarum causarum.

Et cum vrget Aphrodis. nos non rem, sed nomen fortunæ seruare, quoniam sic esset ex anteiactis causis, quod repugnat fortunæ, vel ex ignotis, quod ipsam non constituit. Non enim effectus incantationis, quia est ab ignota causa, est fortuitus: nec infirmitas. Respondeo nos seruare nomen fortunæ in vero sensu. Nam & ipse fatetur fodientem gratia thesauri, non casu, sed gratia sepulchri, casu inuenire thesaurum: vbi sane nil diuersificat actum, nisi præscientia: & falsum est fortunam esse euentum ex non anteiactis causis: *Nihil enim sine causa*, ait Iob: & Galenus in de Placitis Plat. & Hipp. comprobat, & omnis Physiologia; ex quo Auicenna concludit omnia euenire necessariò: at non rectè, quia non erant omnes causæ partiales anteiactę propter talem effectum, & propter hoc dicitur à fortuna, & non quia sine causa, licet sine intentione causæ; cum quo tamen stat ab aliqua præcipua causa talem effectum præintelligi, & ideo causam impellere, vel impulsum permittere ad illum ab alio non intelligi; & agere propter alium finem, vt qui facit gladium ad iussionem gladiatoris, pro stipendio facit: sed gladiator, vt occidat fratrem facientis gladium. Nam etiam, *sic vos non vobis mellificatis apes*: Et cum alter scit repertum iri thesaurum, & alter ignorat, dum ambo fodiunt alter fortuna, alter prouidentia inueniunt. Hoc patet in talorum, & alearum ludo: vbi qui signat prius talos, de industria vincit: qui non signat, casu. Quare autem hic probus amittat pecuniam, ille prauus lucretur, est etiam ex prouidentia, ne ille peior fiat, aut vt aliis beneficium sequatur, quibus Deus illam pecuniam destinauit: & omnia exteriora in Republica tanquam in talorum ludo nunc huic, nunc illi obueniunt ex parte vel toto: & dum harmonia, & cœlum, & intelligentiæ fauent huic, lucratur: hoc autem ab ordine rerum est, vt non iaciat talos in tali situ, & tanta vi, & ita vt veniant puncta optata: & stellę, & Angeli, & dæmones, vt pars fati concurrunt: vnde hoc nec per momentum stat in eadem cogitatione, aut vi: quoniam ipse, & res omnes simul mutantur. Quapropter fortuna est effectus prouidentiæ fatalis rescindens ordinem causæ secundæ, sed non primæ: & de monstris hoc ostendimus: & mures casu geniti ex putri materia, eadem sapientia, qua orti non casu conditi videntur: ergo non pręter. Incantationes verò non tribuuntur fortunę, vt ludus talorum, quoniam eius causam in vniuersali nouimus: esse aliquod numen: & propter ipsum incantator excantat, vt faueat votis. At si numen effectum illum produceret, dum incantator non vult, aut non cogitat, aut aliud agit, effectus diceretur fortuitus incantatori, prouisus verò numini. Deum scire omnia antequam fiant, & innumerabiles euentus possibiles à causis contingentibus & liberis, inter quos est ille qui actu erit: ideoque respectu scientiæ nil casu esse, nec respectu omnium ordinationum præconceptarum, certum est, sed respectu aliquarum: vtrum verò præter voluntatem Dei antecedentem sint peccata, & rescindant prouidentiam casu, mox declarabimus.

Resp. Posita prouidentia, possibile, & contingens non auferri, prout sunt: sunt autem non respectus eius.

ART. II.

AD 2. cum ait, auferri possibile, & contingens, si infallibili prouidentia cuncta eueniunt) negatur consequentia, & cum ait; Non erit differentia inter posse ignem calefacere, & Socratem posse sedere. Quod erroneum est. Illud enim necessarium semper similiter se habet: hoc verò contingit aliter se habere. Resp. Quòd ignem calefacere pertinet ad essentiam ignis, quæ non potest aliter se habere: cum respondeat ideæ in mente Dei; sed Socratem sedere non est de essentia primo, sed posse sedere; & hoc dicimus necessarium, sicut ignem posse calefacere. Verum potentia calefaciẽdi ignis est actus, sed potentia sedendi nõ est actus. Idcircò aliter se habent. Sed tamen vtrumque necessarium. Nam si capias definitionem essentialẽ ipsius sedere semper inest ipsi sedere, sicut igni calor. Sed sedere non semper est in hoc, sicut calor non semper hic. Posse autem essentiale est vtrisque ex æquo. Nam quædam possumus ab intus, quædam deforis: & illa possumus ab eo, quo sumus; hæc verò ab eo, quo existimus cum cæteris entibus. Etsi enim contingens est, Socratem esse album respectu hominis, non tamen respectu Socratis nati sub tali cœlo, ex tali semine. Iam enim patuit, resecari ab essentia vniuersali multa, more Platonico, male à Peripateticis contra propria dogmata asserto; sed non à particulari. Est enim de essentia huius hominis (vt est pars vniuersi, non vt hominis indiuiduum) album esse, & ventricosum, & sedere nunc. Hæc autem essentia comprehendit existentiam exteriorem, quæ omnium causarum, & concausarum, & effectuum seriem concernit. Potest sedere Socrates cum sedet; & hæc sessio est necessaria essentialisque huic hoc tempore respectu omnium causarum. Et omnis res dum est, necessariò est. Vbi patet, possibile cum necessario conuerti respectu ordinati euentus. Sed ignis non dicitur posse calefacere, sed de facto calefacere, & necessariò. Dicitur autem aqua posse calefacere antequam incalescat. Quapropter si potestatem actualem sumimus, necessaria est: si verò, quæ præcedit in causis necessaria est, vt in causis. Potest enim aqua calefieri; quia calens ignis potest ipsam calefacere, & in ea est modicum frigus, & modicus innatus calor, qui alium calorum aduocat; sed ignis non potest frigefieri, quia nulla frigiditas est in eo aduocans aliam, sed solus calor in summo, & aër potest illuminari, quia transpicuus est. Transpicuitas autem est pars lucis, quoniam est affectio caloris, vincentis materiæ opacitatem. Tellus verò non potest illuminare, quia nullam habet dispositionem, & lucem, sed solam tenebram. Puer potest fieri fidicen, sed non lapis, quia in illo est quippiam fidicinis, scilicet rationalitas artis. Quoniam ergo omne possibile fundatur in esse: Et dum est, necesse est esse omne ens; Videtur omne possibile necessariũ. Sed quia impedibile, potest nõ esse; & quia ad vtrũq; potest determinari. Sed cum determinatur necessariò determinatur, licet illi cõtingat. Vt pluere sub cane cõtingit ęstati, sed nõ huic, in qua venti vapores multos in hanc regionem attulerunt, & densarunt Saturni sub dominio, feruorem per tẽporem remittente. Quod quia ordinatum est causis prædictis, ineuitabile est. Dicitur tamen contingens respectu essentiæ æstatis in communi, sed non huius æstatis. Dicimus quidem necessarium, quod est semper, vt triangulum habere tres; contingens quod aliquando, vt triangulum esse ligneum, sed quando ligneum necessariò est ligneum, non necessitate essentiæ trianguli, sed existentiæ huius trianguli, in hoc ordine rerum positi, quatenus est pars vniuersitatis sub cura Dei. Vt cum arguit Aphrodis. si incommutabiliter erit triangulus ligneus, vel cras nauale bellum, respectu Fati: ergo non contingit non esse. Ergo impossibile est non esse: ergo necesse est esse, ergò tollitur contingens, & possibile, &c. Responsio iam patet. Quoniam non contingit respectu Dei; sed necesse est esse, ea necessitate, qua Deus fecit res, hoc est, supposito, quod voluerit Deus res esse, & ita esse. Et respectu Dei nihil dicimus esse contingens; sed nec respectu ordinis vniuersalis, sed respectu entium particularium, & ordinis particularis, prout in superioribus sermonibus ostendimus, à causa incommutabili posse infallibiles effectus oriri, vtente causis contingentibus, & liberis.

Sed ais, possum hanc paleam mouere, & sistere, & rerum ordo potest esse sine hac palea, & ipsam possum comburere, & obruere, frangere, & seruare; & nunc, ecce sisto; nunc moueo; & tamen ordo rerum similiter se habet cum hac, & sine hac motione, & cum hac palea, & sine. Resp. hoc etiam ordinatum esse, vt tu possis mouere, & sistere paleam; & si combusseris, fieri aërem, & vbi posueris, ibi manere. Et tamen ad totius vniuersitatem se habere non contingenter, sed ordinatè, vt prouidit Deus. Licet non ita videatur respectu nostri, qui omnem vsum, & pondus, & mensuram, & numeros vniuersi non intelligimus. Capilli capitis nostri omnes numerati sunt. Et tamen potest homo sine illis esse, & decaluari, sed non Mundus: quoniam primus ordo nihil superflui habet, neque diminuti; secundi verò habent, sed minimè ad primum, neque ad inditum esse: Et quæ conditionaliter sunt futura, prærordinatum est, quid fiendum succedente conditione quacunque; sunt enim infinitæ, vt infrà.

Respondeo, omnem rem esse causam futurorum effectuum in ordine, licet non physicè vniuoco, tamen intellectuali; & effectum per accidens habere causam, vel rationalem.

ART. III.

Alex de Fato, c. 14.

AD aliud, cùm ait, Non omnia quæ fiunt, habere causam; nam entia per accidens, non sunt ens, neque vnum, neque causam habent. Item ordinem rerum rescindi: quoniam non omnis homo generat alios homines: nec omnes flores fructus, & arbores. Nec nox facit diem, nec isthmicum Olympicum festum: nec æstas hyemem: licèt cœlum sit causa continuationis horum.

Respondeo ad pauca Alex. respexisse: Non enim dicimus, omnem rem esse causam consimilis, sed in ordine Vniuersi esse causam sequentiũ effectuum: licet enim Petrus non generaret; & alij in vulua moriantur, & flores putrescant, tamen Petrus multas actiones facit deseruientes ordini, & multas impeditiones, & expeditiones, & dispositiones, & modificationes: effectus enim ordinis est alius ab hac causa. Non enim lien est in corpore, vt lienem generet, sed seruet atram bilem, & stimulet ad famem & contemplationem: neque pluuia vt faciat pluuiam est, sed vt terram fœcundet & plantas. Neque malleus in officina est, vt malleos faciat, at omnibus quæ ex ferro fiunt est concausa modificationis: quare si non generat, multa tamen Petrus facit, & spectrum in vinea saltem arcet aues ab vua: flores quoque cadentes ad terræ fermentationem sunt, & instaurationem, & dispositionem, vel tantillam: ex pluribus enim tantillis fit tantum terræ corpus. Mentitur autem, quod præterita non sint causa futurorũ, nisi enim præcedat nox, hyems, & isthmicum, non succedit dies & ęstas, & Olympicum; & quæcumque præcedunt in illis, sunt causa, vel occasio, vel præparatio succedentium in istis, nam ablatis illis, non fiunt ista: & hæc est series fatalis: poma, quæ fiunt in hoc anno sunt causæ pomorum futuri anni, tum quoniam sunt ab eadem idea, tum quoniam non poterat arbos imprægnari succo istorum, & partu, nisi illorum prius grauida, & parens fuisset; materiarum enim aliarum sunt, & temporum, & conditionum: quarum si alię non præcedunt, aliæ consequuntur: Et quidquid fit in pueri formatione in primo mense causa est eorum, quæ fiunt in nono, & secundo, & post ventrem: super præteritis enim fundantur futura: idcirco enim poma huius anni non facta sunt in præterito anno, quoniam potentia arboris & cœli & materiæ dispositiones præuiæ ab initio mundi vsque ad illud tempus ad illa poma habuere ordinem; succus verò sequens, & calor, & aër, & arboris ætas ad hæc noua ordinem habuere: & sicut in nono mense non potest mulier amplius retinere partum ex sanguine, & semine iam adeò alitum, vt in ventre amplius non possit ali, nec sustineri: ita est omnis effectus rerum, & sæculorum, teste Angelo ad Esdram.

Alios autem in vulua mori oportet, sicut nos floribus vtimur antequam fiant fructus. Mundus enim est quasi viridarium Dei, & vtitur omnibus rebus ad libitum, sed rationabilissimum, plerumque tamen ignotum. Quod autem dicebat Aphrod. motum cœli esse causam continuationis, motus autem Deum) poterat ipsum admonere catenam fati esse à Deo, & non disrumpi: etsi disrumpitur vna, sunt aliæ innumeræ præconceptæ, & pręordinabiles: & causas præteritas esse pręsentium causas, licèt non physicè vniuocas, tamen ordinis propagatiuas, & delatiuas, succedentibus physicis ad physicas. Non enim solus homo generat hominem: sed tota vniuersitas rerum; sicut nec solum renes generant vrinam, nec solum iecur sanguinem, sed omnes hominis partes faciendo, adiuuando, sustinendo, disponendo, maximè autem anima: sic est in mundo.

Effectus autem per accidens non est vnum simplex, & causam non habet vnam, sed ordinem rerum: ordo autem Rationem primam; Ratio enim facit hanc propositionē vnam: fodiens sepulchrum inuenit thesaurum: ipsa ergo ordinat, & hoc sicuti in cunctis artificiatis patet: rectè Anaxagoras his præficit mentem, illiusque respectu negat fatum. In 1. p. verò ostendimus entis per accidens esse causas. Reducitur enim omnis effectus ad causam per se, & ad ordinem causarum per se, & licet D. Thom. in q. disput. arbitretur ordinem prouidentię rescindi (cuius contrarium docet in summa) tamen hoc de ordine morali intelligendum est, non de physico. Non enim Deus ordinauit voluntate effectiua peccatum, sed vetuit lege naturali, & scripta: vetare autem est ordinare ne fiat: homo autem vt liber resistens Spiritui sancto, legem trangreditur, & ordinem. Attamen postea Deus hanc transgressionem etiam ordinat ad melius: vnde non est contra, sed præter voluntatem antecedentem Dei. Nec propterea illi aduenit voluntas consequens ex nostra causatione, sed occasione: quam tamen, quia Deus præuidit, & non vetuit, dicitur à sua antecedenti etiam esse. Et quidem D. Thom. 1. d. 47. q. 1. 2. rectè docet defectum & culpam non esse de voluntate antecedenti, nec consequenti diuinæ: sed causæ, cui datur facultas libera vel contingens, cuius solum permissio est præuolita & ordinata. Attamen hîc quæstio vrget de præscientia conditionalium futurorum. Decreuit enim Deus, si Adam non peccaret, cui dedit non temerandam libertatem, alio modo ordinare res politicas & naturales: si autem peccaret aliter, & sic de cæteris; humana enim per scientiam conditionalium regit, & rationalia, vt in sanctis Scripturis palam est. Fatale enim decretum horum non est; Deus autem rescindit fatum voluntatis antecedentis ex occasione actuum nostrorum liberorum, præuisa, non autem fortuita Deo: & volita in communi, & disiunctiuè, non autem in particulari, & cathegoricè.

PROVIDENTIAM NON TOLLERE LIBERtatem, sed illam exercere ad entitatem, & bonum: eiusque defectu vti etiam ad bonum: peccatumque esse defectum; recessumque à Deo: cui Deus non potest cooperari, nec facere. Et Deo volente, & cooperante homines saluari; nolente verò, nec cooperante damnari ex propriis demeritis, quibus volens vtitur Deus, vt nonente: & cur permittit, quod nollet, sed vult quoniam in melius. At quoniam peccatum non potest adducere melius, quæritur, cur promittitur.

CAP. XIII. ART. I.

AD quod aiunt, si fiunt res omnes necessario, tolli libertatem humanam, & Consilium, & legem, & præmium, & pœnam, & Deum esse autorem peccati futuri, ad quod necessitate nos ducit, & ipsum necessario nobis præcipere, & apparere, & non ex electione. Ergo neque prouidere, quoniam non pro meritis prouidetur, sed vt necessario fertur: ergo neque colendus, neque rogandus, quoniam, non potest mutare consilium rogatus, neque nos sortem rogantes. Non recte ergo ostendimus cum libertate Fatum stare. At nunc respondent alij cum Cicerone, & Stoicis, quæ pertinent ad arbitrium, esse extra prouidentiam, quia Deus reliquit hominem in manu Consilij sui. Lutherani, & Mahometani concedunt consequentiam, quod non detur liberum arbitrium, sed seruum prorsus, ex hoc quod in nos etiam extenditur prouidentia: & concedunt peccata fieri à Deo, & legem esse volunt, & pœnas, & prǣmia; quoniam Deus vtitur legibus, vt fallat, & alios puniat, vt præuaricatores, alios prǣmietur, vt amicos, qui licet millies peccent nil imputari eis ad peccatum: sed per misericordiam saluari; & peccatum Adæ fuisse prædestinatum, vt prædestinati ad malum contrahendo peccatum damnentur. Catholici autem in confessione prouidentiæ, & libertatis perseuerantes, credunt Deum ex auxilio gratiæ alios liberè saluare, alios verò ex iustitia liberos damnare, qui gratia generali abutuntur, licet speciali careant efficacique, in qua est salus certa. Generale auxilium Dei non cogere, speciale tamen non cogendo necessitare: & in hoc variæ sunt opiniones Doctorum. Augustinus enim & sequaces, scilicet Anselmus, Prosper, vt Thomistæ aliqui interpretantur, putant ad omnia naturalia esse prædestinationem decreto inuicto: & similiter ad supernaturalia ante præuisionem meritorum & demeritorum, nec esse causam vllam prædestinationis ad vitam, quam fœlicem speramus post huius mundi periodum, nec occasionem, nec conditionem sine qua non, sed solam Dei voluntatem: similiter, & reprobationis, nam quia non eliguntur, sed reprobantur, peccant, & non liberantur, quia non datur eis efficax gratia. Origenes verò & sequaces, vt Chrysostomus, Theophilactus, Athanasius, Basilius, Cyrillus, Cassianus, Iustinus, & tota ferè Antiquitas videntur opinari ex præuiso bono vsu liberi arbitrij, & abusu donorum Dei, prædestinari homines, aut reprobari.

Nos autem in dialogo contra Lutheranos cũ sapientioribus sentientes ex gratia Dei aliquos saluari: quoniam saluare pertinet ad esse: & ideo à Deo, vt patre, omnes voluntate præuisionem meritorum antecedenti esse prædestinatos; tam ad summum bonum naturale, qui est Deus naturaliter adipiscendus; quam ad supernaturalem beatitudinem in Deo, propterea que omnes creat ad imaginem & similitudinem suam, & ad se; neque odiens fecit aliquos Deus, sed omnes ex amoris exuberantia: sicut nullus pater facit filios propter furcam, vt Salomon & Dauid docuere. At voluntate consequenti eos tantũ reprobari à Deo vt iudice: non quos peccaturos, sed quos obstinatos scit morituros in peccatis: ergo ex præuisis demeritis dãnari: quoni damnatio ad nonesse pertinet. Nam Deus vult omnes saluos fieri, vt docet Paulus Apostolus, & neminem perire, vt Petrus: & illuminat omnes homines, ait Ioannes, sed quos præuidet abuti donis salutaribus vsque in finem obstinatos, sequenti ad præuisam obstinationem voluntate reprobat. Et propterea vsque in finem præmoueri ad bonum auxilio generali omnes, quod ex nostro bono vsu efficax fit: liberi enim sumus. Qua in re cum multa meditarer: & S. Brigidæ reuelationes legerem in lib. 5. quæstionum, suspendi sententiam, & diuinam expecto illustrationem. Illud autem inconcusse sustineo, esse in nobis liberbertatem ad volendum, & nolendum: & auxilium, vt entitas addita est, non fieri à nobis efficax: nullam enim entitatem nos dare possumus, nisi à primo Ente & cum primo: ergo fieri efficax à Deo effectiuè, à nobis verò meritoriè tantum; ex virtute tamen prioris gratiæ, quam non respuimus, sed cooperamur, acti ab ea sicut liberi à patre: non sicut serui à Domino; quippe qui possumus respuere gratiam: & de facto habitam respuimus. Neque enim nos gratia deserit, nisi deserta, vt probant Concilia Sanctorum, & codices veracissimi: sine enim pœnitentia dat illam nobis Deus, vt testatur

In Trid. sess. 6.

Apostolus. Peccatum autem non est peccatum, sed debilitas ante voluntatis consensum, nascens ex participio Nihilitatis. Ad debilitatem scimus Deũ non concurrere, quoniã non concurrit ad non esse, vnde S. Thom. deficere non pertinet ad volũtatẽ antecedẽtem, nec cõsequentẽ Dei, sed posse deficere & non deficere, est de voluntate conditoris nostræ libertatis. In consensu verò cooperatur Deus, si est ad esse, nihil tamen cogendo: sed proposita obiecta appetibilia faciendo, & voluntatem exercitando ad bonum, vt cum consentio orationi, itineri. Cum ergo ab ordine recedunt per se recedunt, non per Deum, licet in eius tamen ordinem relabantur. Deus enim non est contra se, nec recedit à seipso: peccatum autem est recedere à Deo. Et cum dicebatur Deus concurrere ad adulterium quatenus est actus, non quatenus est deordinatio: reclamauerunt Lutherani: quoniam non deberet concurrere iuxta nostra dogmata: tenetur enim potius prohibere, vt etiam Iustinus docet in q. contra Gent. Libertini autem aiunt, concurrit, quoniam nihil est peccatum; si enim à Deo, quomodo est peccatum? ergo est illusio dicere, quod sit peccatum. Sed profectò si verè Deus concurrit, vt putat Lutherus, & Caluinus, rectè concludunt Libertini: & minus malum est asserere malum non esse malum, quàm illud optimo Deo adscribere. Nos autem solummodo permitti à Deo dicimus: ex quo enim abutitur homo auxilio Dei modificando ad malum, quod est ad bonum, vel ad indifferens respectu Causæ vniuersalis; & ab esse ad non esse tendit; sicut permittit frigus à calore extingui; ita hominem peccare; & concurrere Deum per accidens, dum concurrit ad actum, agendo cum causa, & non in causam: igitur nec ad volitionis, huius inclinationem, licet ad volitionem in communi. Deus enim intentator malorum est, teste Apostolo Iacobo: & non implanat, teste Ecclesiastico, quoniam, non sunt ei necessarij homines impij, & propterea nec per accidens vult peccatũ. Et illa prætere a inclinatio est ad non esse, & recessus à Deo; Deus autem à se recedere non potest; sed prohibet à malo moraliter, & inclinat ad bonum physicè & moraliter agendo in causam, & cum causa: sed solum cum causa ad executionem Physicam illius actus peccaminosi concurrit, in quo fundatur peccatum, non immediatione attingentiæ; sed principij, vt ait D. Thom. 2. cont. Gent. 70. Quod peccatum essentialiter nihil est, cum sit defectus boni, & abusus, à Deo non factus, nec permissus moraliter, sed prohibitus moraliter; permissus autem solum Physicè, dum natura seruatur per ipsum in sua libertate. Et cum infers: ergo homo rescindit ordinem prouidentiæ, & voluntatis diuinæ, nam præter, & contra voluntatem Dei peccat: si enim ex voluntate Dei peccaret, iniustè puniretur. Et tamen Iob ait, *Voluntati eius quis resistet?* Respondeo, in hoc agnosci hominis libertatem quoniam reuera resistit: sed non resisteret, nisi Deus permitteret, permittit autem volens antecedenter non nolens: naturam enim volendo fecit liberam: sed non simpliciter peccatum volens vt sic, sed quatenus vult hominem esse liberum, non autem peccantem. Ergo ordinem vniuersalissimum voluntatis eius non transgreditur, sed particularem. Vniuersalissimus autem extenditur etiam ad nonentia, vt dictum est, quibus vtitur vt entibus ad limitationem, distinctionem, & ordinem rerum. Ergo similiter vtitur peccatis, non quia vult peccata esse, hoc enim non est obiectum voluntatis diuinæ nec humanæ: sed potest esse voluntatis obiectum, vt mala cedant postea in bonum: quia ergo vtitur illis in bonum, & non subito punit, dicitur in scripturis indurare, excæcare, & facere interdum mala, sed proprius permittere, propterea D. Thom. ait. Deus excitat Pharaonem ad custodiam regni sui: quod est bonum: sed Pharao vtitur illa excitatione in perniciẽ innocentum Hebræorum, & non punitus induratur, & Deus per scientiam conditionalium decernit, si Pharao ritè obedierit, saluare illum, sin minus damnare. Hac enim scientia gubernat rationales creaturas, non autem absoluto decreto præuio, vt alias res, vt sæpè docet in Prophetis. Sed cur inobedientias permittit cum possit tollere? Respondeo, quoniam ex quo fecit hominem liberum, non potest tollere peccatum, alioquin aut libertate illum priuaret, aut defectibilitate. Si libertate, non erit amplius homo: si defectibilitate, omnes erunt subito ac nascuntur, sicut Angeli confirmati miraculosè in gratia: & mundus carebit gradibus suis. Si enim, vt dictum est, non posset deficere calor, neque frigus, non fieret corruptio, & generatio: similiter dices de animalibus: qua enim ratione tollitur defectibilitas à lege, debet tolli, & à natura.

Iacob. 1. *Eccl. 15.*

Sed cur Deus concurrit ad seminis iaculationem, quando non est gratia generandi, & non tollit in illo actu potentiam veneream? & similiter cum extendit manum homo ad furtum. Deus in illo actu coagit; & tamen non peccat, nos autem peccamus, si cooperamur latroni? Item non modo ad motum, vt dictum est, sed vt fiat claudicatio videtur concurrere Deus? Respondeo quod ex quo Deus potest ex illo malo facere bonum, non prohibet illum, nisi per legem moraliter, vt ostendat nos esse rationales, lege coercendos, & non fune, vt bestia: semen autem illud in terra sparsum ad aliquem mox esse vsum, stillæ aquæ declarant, ex quibus multis est pluuia: pluuiæ autem vsus palam est. Homo quidem tenetur peccatorem coercere, quia est pars illius: homo enim hominis est membrum, & non potest facere de malo bonũ, sicut Deus de corruptione generationem. Nec potest homo prohibere moraliter & permittere solũ Physicè, cum non sit autor naturæ: sed pars earũ, quæ partes non gubernat: sed Totius autor totum & partes: in quo & à quo sunt. Deus quippe & lex iubent bona: vetant mala: permittunt indifferentia. Igitur neque Deus permittit peccatum vt fortiter Chrysost. & Iustinus demonstrãt, eà ratione morali, qua homo permittens peccat: alioquin & Deus permittens peccaret, vt arguit Iustinus: sed permittit dum naturas conseruat Physicè in sua libertate, & ingenio, & contingentia, aut necessitate, sicut docet Dionysius prudenter. Permissio .n. non cadit super peccatum, quod vetatur, sed super conditionem naturæ liberæ ad peccandum, & non peccandum. Non ergo inter, Doctores est contradictio: si distinctionem iam dictam perpenderis. Sed D. Thom. in p. d. 26. q. ar. 3. probat quod mala Physica si tollantur, vniuersum esset imperfectius; quoniam non fieret generatio, nec corruptio, nec gradus rerum & ordo, & distinctio manerent. Sed mala culpæ quoniam tollũt perfectiones maiores, & maiora bona.

quam quæ ex eis sequuntur, gloriosior enim Deus in salute animorum, quam in damnatione, & mundus melior: neque enim vt ex corrupt. elementorum elementata fiunt, ita ex damnatione malorum bona potiora fiunt, nisi comparatio inter bonum & malum, & ostensio virtutis, vt in Martyrio ex peccato tyranni, quo non existente etiam vir bonus posset ad salutem æternam peruenire. Et si homo non peccasset, melius esset vniuersum, cum peccatum non sit causa, sed occasio non data sed accepta ad bonum. Ergo videtur ab homine fatum resciendi, & mundus deteriorari, nec res accidere, vt Deus præscribit, sed vt Fatum fert, cui Deus cedit, remediumque quærit in sui incarnatione. Quid respondemus?

Peccatum formaliter esse liberum, materialiter verò quo ad actum, in quo fundatur, esse interdum ineuitabilem; & iustitiam Dei, & Sapientiam ritè in hoc seruari. Et Deum ipso vti: & voluptatem non esse in peccato, sed in actione materiali: & peccatum esse nihil.

ART. II.

AT si ad omnes actus concurrit Deus, & omnes ab æterno voluit, & præsciuit, nec potest voluntas eius, & scientia falli, aut mutari; ergo res ineuitabiliter eueniunt, ergo necessario, ergo non possunt aliter se habere: ergo libertas nostra est vana. Quod enim neque Deus vitare potest, tanquam à se decretum, quomodo nos vitabimus? ergo quid iuuant Prophetiæ, preces, & lex, & deliberationes? Respondeo præuolita esse omnia in communi à Deo, non omnia particulari: & Prouidentiam Dei vti causis liberis, & necessariis, & contingentibus: & quod ex eis euenit secundum suam proprietatem agentibus, infallibiliter euenire, vt dictum est. Ergo, ais, non peccat Iudas proditor, nec Paris adulter, vt Aphrod. & Libertini concludunt: ergo & viri sancti non merentur præmium, sed quadam ineuitabili necessitate illud acquirunt. Hoc argumentum vexat hodie totum genus humanum: licet enim liberè ego nunc scribam; tamen non potest fieri quin non scribam, quoniam ita decretum, præuisumque est, factumque à Deo, qui facit nobiscum, quæ decreuit fieri: nec potest mutare decretum ipse: ergo nec nos: & eius efficacia subruit omnem contingentiam, & libertatem, saltem quoad ordinem. Equidem solebam arbitrari Physica entia esse propter Moralia: Moralia verò propter supernaturalia: & ideo Physica euenire omnia, prout decretum est vel post præuisionem peccati: & morale peccatum non in actu consistere, sed in voluntatis assensu, qui actus primalitatis est contra legem. Quapropter si Iudas tradidisset Christum non voluntariè; sed ignoranter, putans se bene facere, vt Paulus persequens Ecclesiam, & Paris non rapuisset Helenam adultero animo, sed vel ad illam saluandam, vel ignorante ipso absconsam in naui, vel quocunque modo non volito, non fuisse futurum peccatum, sed actum: quoniam verò velle aliquid propter hoc, & non propter illud, constituit rationem peccati: & velle propter hoc est contra legem Dei, & propter illud non contra legem. Idcircò arbitror Deum non concurrere ad velle propter hoc, sed semper ad bonũ operari, & cooperari, & ideò peccatum esse defectum liberi arbitrij; & pertinentem ad non esse, quatenus recedit à lege eligens vetita præ imperatis. Actum verò ineuitabilem esse: & omnia Physicè considerata euenire ineuitabiliter; non tamen constituere hominem peccatorem, nisi actum defectiuum voluntatis euitabilem: ad quem non concurrit Deus, quin vetat: sed per illum rescinditur prouidentia legalis, sed non æternalis: vt cum carnifex occidit hominem ex præcepto iustitiæ, non peccat, quoniam necessitate legis inducitur; at si ipse gaudens spoliis interficiendi peccatoris, occidit hac voluntate auara, vtique peccat; & quidem peccat liberè, & facit actum necessario ex lege compellente: sic ex lege fatali omnia facimus: & peccatum est in voluntatis defectu, quem lex non præcipit, sed vetat, sicut carnifici non dat gaudium de spolio, sed opus iustitiæ. Sed ais, ego habeo vxorem & abutor aliena: & in actu adulterij concurrit Deus; & quia præuisus est, ac præuolitus, ineuitabilis est: quomodo ergo possum vitare peccatum? non enim est actus iste indifferens, qui ex vsu, & abusu fiat bonus & malus: nec semel abutor aliena vxore, vt potuisset per ignorantiam, aut aliquam coactionem, vel necessitatem excusari non concurrente mea voluntate, vt Lot, quando filias impregnauit: nam ex quo necessario interuenit actus, necessario ergo & voluntas, licet liberè; tamen ineuitabiliter; non enim potest ab actu separari malitia. Sic cum blasphemat homo facit actum, cui nulla bonitas: & odium Dei longe deterius: quomodo ergo ad hos concurrit? Respondeo Deo præcognitum esse, non autem decretum te abusurum tua voluntate, & ideo etiam præuoluisse vti abusu tuæ voluntatis in tali actu ad aliquod bonum. Sicut præuidit iniquam voluntatem Iudæ spontaneam, vti decreuit eius voluntate ad Christi traditionem ob ingentia bona, quæ inde peruenerunt. Similiter benè vsus est Deus Paridis abusu ad Græciæ & Asiæ mutationem, & Romanorum originem, & aliarum populationum; quæ ex reliquis Troiæ in diuersis partibus mundi factæ sunt: sicuti nunc Deus vtitur auaritia aliquorum Hispanorum ad inuentionem Regionum nouarum, & copulationem sub vna fide, & principatu: & ambitione Monachorum ad prædicationem; ita vt necesse sit esse scandala, & peccatum Adæ, vt scriptum est. Quæ cum nos non possimus præintelligere, facere, & prouidere, peccatum est nobis vti peccato alieno, & permittere mala, vt veniant bona: non tamen vt vitentur maiora mala: vnde ait Augustinus. Aufer meretrices de Repub. & om-

nia implebuntur prauis libidinibus, Sodomia, bestialitate, mollitie: hoc tamen lex Dei docet esse peccatum. Quapropter non videtur mihi ineuitabilitatem respectu Dei veluti respectu nostri libertati nostræ præiudicare, vel diuinæ bonitati: non enim decreuit actum Iudæ peccaminosum, sed vt libere agat. Ergo nec concedo peccatum à Deo eligi ad bonum vniuersi, sicut benefacta, imò ait D. Thom. vniuersum melius esset sine malo morali, perfectiusque: sed prius præuideri, & postea eligi, imò potius ordinari: benefacta verò prius eligi. Ex occasione autem, bona multa Deum facere, omnes concedunt Theologi, qui præsertim putant, si Adam non peccasset, Christum incarnandum non fuisse. Ratio autem, quod mala solum præuidentur, bona autem præuidentur, & prouidentur, illa est, quod mala sunt nonentia: prius autem est nonesse rerum, quam esse in se: in Deo verò prius, & semper sunt: quia verò Deus non facit nonesse, sed vtitur, vtique præuidet; esse verò facit, ideoque electum est, prouisumque: ergo mala, quia futura sunt Deus præuidit: bona verò quia voluit & præuidit, futura sunt: & sic conciliantur Origenes, & Patres cum Augustino, & sequacibus. Formalitatem verò essentiamque peccati consistere in nonesse, materiam verò in esse, sicut cæcitas est nihil, sed in animali materia cæcitatis est ens. Theologi Sapientiores fatentur cum S. Thoma, & Augustino; & ratio naturalis: quoniam est deficere à Lege Dei; lex autem est ordo, & entitas; defectus verò est nonentitas. Deus est summè Ens, ergo à Deo recedere est ire in nonens. Sed cur reperitur voluptas in peccato, si est nonentitas? Respondeo voluptatem nonesse in peccati essentia, quæ est nonens auersioque: in qua potius est tristitia: sed in materiali substantia, in quo fundatur. Sicut dolor non est in cæcitate, sed in oculo cæcati. Sed cur Deus tantum dat in Sodomia, & adulterio voluptatem? Respondeo, voluptatem esse sensum blandi caloris conseruatiui, qui in tali actu reperitur, & in transitu seminis calidi per neruosam substantiam frigidiusculam, seu minus calidam: & hunc à Deo non prohiberi, sicuti nec libertatem, nec naturam. Et non esse peccatum nisi ex voluntate eligente contra legem: vnde ceruum vidi Sodomisticè abutentem Asello: & nihil peccantem contra Deum: cuius legem ignorat; neque æternam merentem pœnam, sed tantum seminis amissionem: quod tamen ad multos vsus prodest. Etenim multos cogitatus, & Philosophismata nobis subministrauit, & aliis: & terræ proficit, & vbi positum est, prout rerum series fert. Blasphemia etiam in aliquem vsum cedit, saltem ne cognoscatur libertas humana: & Dei sequatur iustitia. Non quia blasphemia sit ordinabilis ad hoc: si enim ordinabilis, esset volita per accidens: sed Deus vult per miraculosum suam virtutem, vt sit occasio alicuius boni, vt ait S. Thom.

Epilogus prædictorum, & declaratio multarum scripturarum sanctarum compendiosa.

ART. III.

Ergo Caietani anxietas ex parte sublata est: nãq; stat cum infallibili, licet non cũ ineuitabili euentu rerũ libertas; & peccatum non esse necessarium, & posse vitari à Deo, & à nobis, neque esse decretum, sed præuisum illud præsertim, quod non est separabile ab deformitate: & Deum non reprobare nisi voluntate consequenti, vt iudex ex præuisis demeritis, omnino arbitrandum est: quoniam etiam ex præuisis demeritis multa elicit bona, non quo demerita, sed quo Deus omnipotenter prouidus. Nec propterea dabitur causa diuinæ voluntatis, vt aiunt. Hæc enim non cogunt, neque suadent Deum ita reprobare, & ad hunc finem; sed ostendunt eius sapientiam, & iustitiam; & confirmant, quod ipse vt pater, & Rex velit omnes saluos fieri in recto sensu, non contorto. Et quod omnes sint scripti in libro vitæ, sed reputantur non scripti, quoniam in eodem præuisiuo libro reperiuntur debitores magis quam creditores, sicut hæc parabola, ex mercatorum libris desumpta, docet: vnde oramus *vt scripta prædestinatorum nomina liber Dei retineat*: & alibi, *vt deleantur scelesti de libro viuentium*, scilicet, qui erant scripti ad hæreditatem Dei, sed inueniuntur à tergo carthæ reprobati ex præuisis peccatis: neque enim delentur sequenti iudiciali voluntate, nisi prius scripti fuerint præcedẽti paternali voluntate. Deus quidem non ex odio creat homines, neque ad malum: quoniam stultum est putare, nos malos quidem filios nostros diligere, & petentibus ouum, non dare scorpionem, Deum verò bonum odire suos filios, & mala illis præparare: vt Iesus docet argumentaturque. Et Sapientia ait, nihil Deum ex odio, sed amore creasse. Ergo neminem fecit propter inferni repletionem, vt dicit Lutherus, nisi quos præsciuit velle peccare, & perseuerare in peccato vsque in finem. Quos dicitur Deus indurare, & obcæcare, quoniam tanquam seruos dimittit eos absque castigatione: ex quo sumunt occasionem plus peccandi: & in finem; nec gratia, quam respuunt, adiuuabuntur: & omnes reuelationes sanctorum ita docent. Literati autem quorum litera occidit, non viuificat. Secus docent: sed cur hos elegit Deus, & non illos, dicimus omnes eligi à Deo ad vitam, sed illi dicuntur non eligi, qui præsciuntur electione abuti quoad æterna bona, ipse enim omnium est pater amantissimus.

Cur autem alij sint fortunati, alij infortunati, etiam à cælo, vt D. Thomas contestatur 3. cont. Gent. in vita præsenti, ad gradus rerum, & Harmoniæ pertinet. Si enim omnes simus Reges, quis colet Terram? quis culinam exercebit? & in hoc sumus sicut vasa Lutea in manu Dei, alia in honorem, alia in contumeliam facta: sed si quis se expurget, ait Apost. 1. ad Tim. 2. fiet in honorem, vt præuidit Deus expurgatum iri. At omnia sua sorte contenta

1 Thom. 2. — *Apoc.* — *In collecta.* — *In Psal. 68.* — *Sap. 11.* — *Mat.* — *Exo. & Hi.*

contenta alibi docuimus; & nulla prorsus contenta, donec, &c. Verum quo ad deificationem post mortem corporis secus se habet: omnes enim antecedenter prædestinantur à patre: quidam tamen luntate consequenti reprobantur à iudice. Vt D. Thomas etiam confitetur, 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.

Consilia & preces ad quid, & quomodo valent, dum ineuitabilis est effectus omnis.

ART. IV.

CONSILIA ergo non tolluntur, quoniam dedit Deus nobis per consilium venire ad deliberationem: licet ergo quod deliberamus sit necessario futurum ex præuisione, non tamen ex decreto nisi in communi. Sed ex causa contingenti, & libera, sicut faber per discipulum liberum, & ignem necessarium producit liberè effectum necessarium necessitate finis. Et plantam per fossionem liberam Agricolæ, & pluuiam contingentem, producit florem necessarium. Deliberamus tamen, vt Aphrodiseus dicit, non tanquam non potentes oppositum facere, nam reuertimur ad oppositam sæpè deliberationem: & nunc possum scribere, & non scribere: nihilominus vterque actus, ex quo euenit, infallibilis est. Nam postquam factus est, non potest non fuisse præteritus: ergo quando erat futurus non poterat fuisse præteritus, & quando erat præteritus, non poterat, non esse futurus. Impeditiones enim fiunt, vt modificetur effectus, aut alius fiat, qui non poterat, nisi ille impeditus esset: sicuti non potest odor rosæ haberi, nisi impediatur arbos ab eius perfectione, & decerpatur rosa. Calor autem & frigus docent multis actionibus, & impeditionibus modificationes fieri, & effectus varios, vt rerum series fert. Liberè ergo operatur homo, & non potest non libere operari. Ergo necesse est ipsum liberè operari: omnis ergo effectus eius est à necessitate liber: lex ergo punit, & præmiat: sed vti est à Deo prouisum. Præces quoque valent non vt non veniant actus ineuitabiles, sed ne cum peccato nostro: ipse enim Deus voluntatem potest retinere, ne labatur in peccatum. Non enim actus est peccatum, sed volitio praua: vtique bona assequamur, quæ conditionatè per preces dare decreuit: & mala vitemus, quæ præuidit per præces vitanda, ac voluit: quod si non oremus, non assequemur, nec vitabimus, sicut si non seminat agricola, non metit. Decreuit enim Deus seminanti dare fructum: ipse tamen voluit hunc seminare, & hunc orare: & omnia ab ipso, & per ipsum, & in ipso. Et hoc inscrutabile arcanum Dei est, quis intelliget? preces quidem sæpè expertus sum valere, si vehementi pioque affectu pendantur: & Auic. assertor necessitatis. & Chaldæi, & omnes nationes idem asserunt. Non potest autem ait sic Auic. & Socrates: & Senec. falsum esse id, in quo omnes nationes conueniunt. Nec tamen prouidentiā rescindunt, & vniuersale Fatum preces, vt putant Chaldæi, sicut nec miracula: quoniam vtraque à Deo præuia sunt & ex hoc ordinata: pertinentque ad seriem rerum, vt August. ait: quidquid obmurmuret Aphrod. Deus quidem prædeterminauit fines, per media præuisa siuè libera, siuè coacta, siuè spontanea, siuè violenta, & quis finis alius sequi debeat, perdito vno verò præscripto. Ergo etiam volitiones, & nolitiones bonas: malas autem solum præsciuit, & præordinauit, non determinauit. Nonentia enim ab eo sciuntur non fiunt: & cum determinatio liberorum sit absque necessitate coactionis, & decretationis: preces iuuant effectum determinationis, non faciunt determinationem: peccata verò tollunt effectum, ponuntque reprobationem: vt etiam D. Thomas in Opusc. de prædestinatione docuit.

Resp. Fatum Diuinæ voluntatis per prophetias, & peccata non infringi, & illas non esse coniecturas, neque hoc contra Deum verum, sed imaginarium. Et pertinere ad Harmoniam.

ART. V.

FATEOR quoque Deum prophetias quandoque dare; & decipiuntur scelesti, qui dignos deceptione se per praua opera reddiderunt, vt dicitur in Ezech. quod etiam præuiderat Deus, & ad bonum vsum vertere statuerat. Et non omnes esse claras quatenus exerceretur ingenium nostrum: sed multas clarissimas esse apud Isaiam, & Ieremiam, & in Euangelio, & euentu comprobatas, vt dubitare non liceat amplius. Aphrod enim dubitauit, quoniam oracula Phœbi erant à Dæmone, & coniecturalia ex causis manifestioribus procedentia, sicuti & Astrologorum prognostica, & medicorum: sed si quis examinet Prophetas veri Dei nostri, aliter sentiet. Nec quia nominatim personæ futuræ non ponuntur, sit coniectura ex Fato: sæpè enim ponuntur, vt nomina Monarchiarum in Daniele, ita vt obstupeat Porphyrius hostis: & Cyrus apud Isaiam; & quod prædixit Ahias de Ieroboam, & Eliseus, & Elias, & Micheas, & Prophetæ de Niniue, de Tyro, de Ægypto, de Ierusalem. Sæpè

Ezech. 1.

autem non ponuntur, quoniam Spiritus Dei fecundo syllogismo similitudinis comprehendit omnia futura similia, vt in nomina Babylonis Babylonem ipsam, & Persidem, & Macedoniam, & Romam, successores eius: sicuti quando loquimur de pomis, intelligimus poma huius anni, & futurorum annorum singulorum, quoniam illa his similia sunt: sed in quo sunt similia prophetia valet, non in quo dissimilia. Roma enim Babylon fuit, & nunc est Ierusalem post acceptam fidem, & Pontificatum Dei: ergo de ipsa sunt prophetiæ pertinentes etiam ad Ierusalem At Angelus synagogæ itaque præest Ecclesiæ Romanæ. Turca verò est Assur ex successione, Ismaël ex Lege, ipsumque tangunt prophetiæ vtriusque: sed de his alibi. Nam & natura, & politica de preteritis futura arguit ex continuata similitudine, vt alibi declaratum est contra Porphyrium, & Lucianum, derisores Prophetarum. Quando verò ex Prophetæ prædictione aliter agimus, quàm decreueramus: hoc quoque ad prouidentiam spectat; nam propter hoc dantur Prophetiæ: nec si quis incredulus est, frustra sunt; ad iustam saltem condemnationem pertinent. Et hoc præuisum erat.

Quod verò dicebant ab homine infringi prouidentiam fatalem, quoniam ipse blasphemat Deum, & legi eius obsistit: hoc autem non est de Fato voluntatis Dei: concedit esse Lutherus, & Caluinus, putantque Deum ipsum impellere hominem ad blasphemiam, vt possit iustè condemnare. Nos autem reputamus tyranni dolos esse ita operari timentis, vel fraudulento ludo perniciosoque astu gaudentis. Quapropter dicimus, hominem contra Dei voluntatem peccare, non Dei impulsu vel permissu propter aliquem finem meliorem: nullus enim finis melior Deo, Deique amore: sed vti Deum mox peccato in bonũ, ideoq; permittere voluntati Libertatem ad bonum, & ad malum; non autem malum: quod vetat in omni Lege; nec de se est ordinabile ad bonum cum sit ipsa de ordinatio. Sed de infinita Dei Omnipotenti voluntate, vt sit occasio ad bonum elicitur aliquod bonum; non tamen equiualens, vel maius malo iam facto morali, sicuti ex malo naturali resultat bonum; ideoque saltem per accidens est volitum. Et prouidentiam Dei extendi ad nonentia, efficientiam verò ad entia asserimus; nec posse hominem blasphemare Deum, sed id, quod concipit ipse de Deo: ergo blasphemat Deum à se intellectum: ergo proprium intellectum affectum specie Dei falsa. Non enim potest summum bonum odio haberi, aut blasphemari, nisi quatenus intelligitur esse malum, quia iudicat ad pœnam malos: qui vt Dauid ait, cum sancto sanctus erit, & cum peruerso peruerteris: hoc autem non est malitia Dei, sed nostra. Nihil ergo resistit Deo directè, vt Deo: Nec Deus blasphemat seipsum in blasphemante, sicut Caluinus cogitur fateri. Neque est libertatis pars data à Deo posse peccare, sed non entis mistura, quo Deus in entium limitatione, & definitione vtitur, ad quam inclinamur ex proprio non esse, quo non eramus: sed ad bonum inclinamur, & esse quod accepimus; ideo homo non saluatur sine Deo, at damnatur sine Deo, vt dixit in Osea. Si autem Deus non vteretur non ente, omnia essent infinita & Deus: sicuti in primo libro probatum est: si verò neque plus minusque nonentis acciperet ad rerum definitiones; omnia essent vnum. Nam habent gradus per accessum, & recessum à Deo summo Ente: vel si multa essent, æqualia essent, vt putat Origenes ante sæcula nostra fuisse. Si autem omnia membra oculus esset; vbi nasus, & pes? ait Apost. vt ergo mundi integritas sit, ex omnibus gradibus rerum constare habet. Licet nullæ propter odium factæ sint, sed ad aliorum meliorum vsum: vt peccatores. Et quia in minimo essendi gradu sunt: quod clarum fiet, cum deponemus Laruas, & lethæum Sacramentum solutum fuerit. Non miretur ergo Lucianus, si Deus non fulminauit ipsum in sceleribus suis: est enim patiens redditor, & non patitur iram, nec iniuriam, vt putamus, sed rei vsum præstolatur, qualem decreuit. Neque enim in Sapientem cadit iniuria, teste Seneca, licet quis putet iniuriari: quoniam non illi iniuriatur, sed cui putat, hoc est homini iniuria digno, qualis Sapiens non est, Quoniam etiam omnes malefactores facere aliquid boni putant in malefaciendo, non exeunt à summis boni sphæra, & prouidentia; præsertim voluntate innata, maximè autem abditissima. Peccant tamen ex mala electione: seque ipsos lædunt.

DE PROPOSITIONVM ORIGINE, Passionibus & Fundamento Primordiali.

ENS ET NONENS CONSTITVERE SECVNda Entia: & hac ex constitutione fluere propositiones affirmatiuas, & negatiuas vniuersales, & particulares; & in contradictoria, quæ est Entis, & non Entis fundari omnem oppositionem propositionum.


CAP. XIV. ART. I.

QVONIAM quidem ad vnum primum solumque purum Ens deuenimus; & cætera non esse Entia, sed aliqua, vidimus. Non enim homo est Ens, sed aliquid Ens: nam nec animal, sed aliquod animal: alioquin esset & asinus, & bos: esse autem aliquod à nonente habent: esse verò Ens ab Ente vno primo. Itaque duo finitarum rerum Primordia nouimus, Ens, & nonens; quæ simul stare non possunt: Ens verò Esse esseentiari, nonens verò nonesse essentiari. Aliquod Ens, esse & nonesse: & sub aliquibus entibus vniuersalitatem sui generis nouimus, vt possimus vniuersales, & particulares propositiones formare. Nonens enim non est vllo pacto: aliquod nonens est in Ente: ideo summum Ens, summum bonum, summum verum vidimus. Non autem summum nonens, quoniam nullo pacto est, sed aliquod nonens, quod in Entibus est: si enim purum nonens esset, Deus non esset: ex Ente autem, & nonente orta est diuersitas, contrarietas, differentia, indiuidualitas: vnde fiunt aliæ enuntiationes identicæ, vt homo est homo, quoniam sola entitas, & vnitas influit in hanc: aliquæ diuersæ, vt homo est animal, & cœlum mouetur; aliæ contrariæ, vt Petrus est albus, & Petrus est niger. Quæ dicuntur subcontrariæ, dum considerantur sub vniuersalibus, quæ sunt, Omnis homo est albus, Omnis homo est niger: & quoniam contrariæ sunt contrariæ, quatenus habent radicem in Ente, & Nonente, quæ sunt contradictionis partes. Ideo dixerunt esse contrarias istas, homo est albus, homo non est albus. Contradictorias verò omnis homo est albus, aliquis homo non est albus: vel, non Omnis homo est albus: quoniam quo ad vniuersalitatem, & particularitatem, & quo ad negationem, & affirmationem opponuntur. Sed in omnibus contradictio est radix oppositionis, quæ ab esse, & nonesse sumitur. Et verè est inter Ens, & non Ens.

Propositiones fieri in Materia necessaria, impossibili, contingenti, & possibili: contrarias, subcontrarias, subalternas, & contradictorias: & quomodo se habent in vero, & falso ad omnem materiam. Et quomodo in contradictione fundetur omnis Logica oppositio.

ART. II.

PROPOSITIONVM aliæ fiunt in essentialibus, aliæ extrà essentiam, sed contingentibus essentiæ: aliæ contra essentiam: vt homo est animal; & homo est albus, & homo est asinus. At hæc homo est, & homo non est, in materia contingenti est, quatenus existentia exterior contingit essentiæ ideali: sed Petrus est, in materia quidem essentiali fit, quoniam existentia essentialis est indiuiduo. Ex quibus contradictoriæ nunquam possunt esse ambæ veræ: neque in materia essentiali necessaria; neque in contingenti: neque in remota, seu impossibile; quæ est contra essentiam; eò quod Ens & nonens simul esse non possunt: & ideo omnes contradictoriæ sunt singulares, quoniam respectu eiusdem, & in eodem affirmatio, & negatio fit. In vniuersalibus verò potest esse vtrinque falsitas in materia contingenti, vt Omnis homo est albus, & nullus homo est albus, quoniam negatio, & affirmatio in his non sunt respectu eiusdem de eodem secundum idem, & in eodem: verificatur enim de aliquo, quod sit albus, & de aliquo alio, quod non sit albus. Sed in materia necessaria, & impossibili, semper altera est vera, altera falsa: in illa est affirmatiua vera, in hac negatiua: veritas enim orationis est significare rem vti est esse; & vti non est, non esse. Habent autem à contradictione hanc vim, quod essentiale est, aut contra essentiam, omnibus inest, aut repugnat: ergo affirmatio, & negatio sunt de eisdem. Subalternæ verò in contingenti semper alteram habent veram, alteram falsam: idest vniuersalem falsam, & particularem



veram: quoniam contingit non eſt de eſſentia, ergo non omnibus eiuſdem ordinis contingit: ergo falſa eſt vniuerſalis affirmatiua: ſimiliter & negatiua, quoniam quibuſdam contingit ſi contingens eſt :. ergo licet vtręque affirmatiuæ vel negatiuæ, ratio contingentiæ tollit alterius veritatem. At in neceſſaria, & remota, aut vtraque vera, aut vtraque falſa; quoniam quod repugnat vni, vel conuenit vni eſſentialiter, omnibus repugnat, aut conuenit, ex idea. Reputantur autem contradictoriæ vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua, & è conuerſo: quoniam in omni materia vniuerſalis complectitur particularem: ergo eius oppoſitio deſtruit in omni materia entitatem illius. Propoſitiones autem diuerſæ poſſunt eſſe ambæ veræ, & ambæ falſæ, quoniam non reſpiciunt idem eſſe, & non eſſe, ſed diuerſa. Et diſputatio eſt de eodem, & controuerſia: idcirco Logicus has conſiderat in diſcuſſione inter duos. Metaphyſicus verò omnes in ſe: quoniam non diſſentionem hominum, ſed rerum eſſe, conſiderat.

Quo pacto Neceßitas, & contingentia, poßibilitas, & impoßibilitas ſe habeant in enunciationibus, & circa oppoſitionem, & æquipollentiam.

ART. III.

ITEM propoſitiones eſſentiales ſunt neceſſariæ; contra eſſentiam impoſſibiles: quæ verò extra eſſentiam ſunt rei, aut intellectus, aut voluntatis, dicuntur contingentes ab actu, quo contingunt: & poſſibiles antequam contingant actum: vt poſſibile fuit me ſcribere ante hanc horam. Sed nunc quando ſcribo eſt contingens me ſcribere; non autem poſſibile, niſi ſumatur poſſe pro eſſe, & non pro poteſſe, id eſt, poſt eſſe, vt dicemus in lib. 5. hoc autem contingens eſt neceſſarium ex ordine rerum vniuerſali, & dum eſt. Sed dicitur contingens, quoniam poteſt à me remoueri, & potuit non fieri reſpectu Fati particularis, ſed non reſpectu prouidentiæ, vt declaratum eſt. Quapropter, ſi addatur propoſitionibus entitatis modus, dicuntur modales: vocant autem modum ly neceſſarium, & contingens, & poſſibile, & impoſſibile. Nobis autem modus viſus eſt rerum limes. Neceſſitas autem, & contingentia ſunt influxus Poteſtatis validæ, vel imbecillis; aut interioris, vel exterioris. Impoſſibilitas verò Impotentiæ, & nonentis ſimpliciter eſt influxus; vti poſſibilitas Impotentiæ, & Nonentis ſecundum quid. Ex eo enim quod poſſibile eſſe poteſt, non-eſſe quoque, eſt impotentiæ influxus: ex eo quod eſſe poteſt, Potentiæ eſt influxus, vnde vocari potius debēt ſortes, & propoſitiones eorum ſortiales aut fatales. At vocentur à nobis modi propoſitionum, ſed non rerum. Ex his autem modis facimus propoſitiones vniuerſales, & particulares de modo: vt neceſſe eſt Petrum currere; & Impoſſibile eſt Petrum currere, vocantur vniuerſales: quoniam ſicut hæc, Omnis homo currit, dicitur vniuerſalis, quia prædicatum conuenit omni parti

subiecti: ita hæc, Necesse est Petrum currere, quia omni tempore conuenit prædicatum subiecto: quod enim necessarium est, semper est: & quia quod semper distribuit prædicatum omni parti subiecti, facit consequenter vniuersalem, vt necesse est hominem esse animal: Impossibile autem est negatio necessarij, ideo similiter se habet: vt potest esse vniuersalitas in essentialibus, & in existentialibus. Quod verò contingens est & possibile, non semper inest, ergo neque omni tempore, & parte subiecti: idcirco particularis est, Contingens est hominem, aut Petrum currere. Potest tamen ratione adiunctæ orationis, cui adiungitur modus, fieri vniuersalis, particularis, singularis, & indefinita, vt necesse est omnem hominem, vel quemdam hominem, vel Petrum, vel hominem currere. At modus, qui compositionem modificat, alius est vniuersalis, alius particularis, vt dictum est ratione temporis (ad similitudinem vniuersalis ratione essentiæ) quod esse continuationē ostendit, sicuti simplices tantum esse.

Modificant autem prædicatum, vel subiectum omnia aduerbia, & adiectiua nomina, vt cum dico, homo doctus prouidet, vel homo prouidet doctè, vel hodie, vel velociter, vel domi, vel benè, vel malè, At hi modi præsupponunt esse, & non faciunt, sed qualificant quoad locum, vel tempus, vel magnitudinem, vel aliud quoduis prædicamentum: sed necesse & contingenter modificant esse rei non factum, sed faciunt. Nam potentiæ facientis sunt proles: idcirco non consueuit fieri propositio modalis de vero, & falso, bono & malo, quæ sequuntur sapientiam, & amorem, quoniam præsupponunt esse, & non faciunt, vt si dicam, verum est Petrum sedere, idem est quod, Petrus sedet realiter; non autem componit cum sua realitate Petrus: similiter bonum est Petrum sedere, præsupponit quod sedet. Hæc videtur ratio, qua non fit modalis ex his; sed vsus potius, quam ratio obtinuit, ne sint modales: quis enim vetat argumentari, & consequentias facere ex huiusmodi? Non quidem æquipollentia & oppositio similis illis, quæ fiunt in non modalibus, quas vocant de inesse. Nam & modales possunt vniuersales, & particulares de dicto constituere, & similiter opponi, & æquipollere. Rursus considerandum est, quod omne verum ex eo quod verum, est necessarium: Vnde Arist. in 1. Perhier. timet ponere veritatem de futuris contingentibus, ne necessariò fiant: si enim est verum futurum nauale bellum, non potest non esse: ergo necesse est esse. Item ait, dum est res, necesse est vt sit, supposito quod sit: ergo res est possibilis, & contingens antequam sit: cùm autem est, necesse est esse, ita ac fuisse: ergo necessarium respectu ordinis rerum (quod Arist. non admittens tamen admittit) non respicit tempus vniuersale. Non enim Socrates sedens necessariò semper sedet; sed necessarium essentiale, vt triangulum habere tres, semper est, quoniam ab Idea æterna.

Cùm ergo Arist. quærit in 2. Perhier. vtrum possibile sequatur ad necessarium, respondet esse possibile, quod potest esse, & non esse ex contingentia, & rationalitate causæ ante determinationem eius: aliud verò quod dicit actum determinatum: illud est ambulatiuum, hoc est, potens ambulare: & hoc putat sequi ad necesse, sicut animal ad hominem, non autem illud. At hoc verè dici quidem non potest; quoniam ambulare est necessarium, vt ipse dixerat, licèt non intellexerit vnde: sed est necessarium supposita causa in actu ex rerum serie non impedita, iuxta ordinantis præfixionem. Nam licèt impeditio sit (vt aiunt) ab exteriori respectu essentiæ causæ, non tamen est respectu causalitatis in serie rerum locatæ.

Rursus putat Arist. oppositiones modalium fieri per affirmationem & negationem modi, alioquin contradictio verificaretur: possibile enim est ad vtrumque, vnde ita vera est hæc, possibile est sedere, sicut hæc, possibile est non sedere: ergo non est oppositio, nisi præponatur modo; vt dicas possibile, & non possibile: sed hæc ratio non est vniuersalis de omnib. modis; neq; de omni possibili, vt ipse fatetur, neq; reddit causam, sed excludit contrariū.

Ratio vera est, quia omnis oppositio est proles contradictionis entis, & nonentis. Contradictio autem est eiusdem de eodem secundum idem. Quapropter sicut hæc modalis, Petrus currit velociter, non contradicit illi, Petrus non currit lentò, vel cras: ita hæc, Petrus currit necessariò, non contradicit huic, Petrus non currit palam, vel contingenter: sed sic, Petrus currit velociter, & non velociter; & Petrus currit necessariò, & non necessariò. Neque enim per se nigrum albo, & pigrum veloci contrariantur, nisi quia est non album, & non velox: cùm ergo ita se habeant, & modus negatus, & affirmatus, possint cadere super dictum negatum & affirmatum, faciunt quælibet quatuor propositiones, vt, necesse est currere, non necesse est currere; necesse est non currere, &, non necesse est non currere. Putat Aristot. modos cadere super verbum, & postponendos: sed quidem non ita se habet; modificant enim aliquando verbum, vt dicit actum, aliquando subiectum, vt esse habet, aliquando prædicatum, vt dicit esse subiecti.

Vt autem sciamus quomodo valet consequentia inter modales, sciendum quod in materia contingenti necesse & impossibile falsam faciunt propositionem, vt necesse est hominem esse simum, & impossibile est esse simum: possibile verò, & contingens vtraque vera eadem ratione, qua dictum est in Cathegoricis: sed tamen ly necesse & impossibile cadunt supra contingens, & possibile; vt necesse est possibile esse hominem esse simum; & impossibile est non esse possibile, &c.

In materia verò necessaria & impossibili, si altera est vera, altera est falsa; vt necesse est triangulum habere tres; & impossibile est habere tres; & super eos non cadit contingens, & possibile, nisi respectu libertatis Dei: Nam contigit esse, necesse habere tres, & possibile fuit esse necesse: hoc est supposito, quod voluit Deus, & quod essentiæ rerum sint ex voluntate: sed cùm contingens sit necessarium, idem dicemus. Contingit necesse esse sedere Petrum; hoc respectu nostri; sed respectu Dei dices, Necesse est contingere sedere Petrum, & hoc post decretum: Nam ante erat contingens, hoc est, possibile; sæpe enim identificantur hi duo. Ad necesse ergo non sequitur possibile, vt putat Arist. si possibile est in actu: si autem est in actu, non rectè dicitur possibile, sed necessarium: ergo ita fiunt consequentiæ: sed vbi affirmatur possibile, & contingens, non ponitur verum & falsum, quoniam ad vtrumq; se habent respectu nostri; idcirco oportet dicere, verum est esse possibile esse, vel non esse; & falsum est, non esse possibile esse, vel non esse; nisi quando æquipollent necessariò, & impossibile; vnde facta est additio.

Necesse est esse Impossibile est non esse Non possibile est non esse Non contingens est non esse	Necesse est non esse Impossibile est esse Non possibile est esse Non contingens est esse
Verum est esse Falsum est non esse	Verum est non esse Falsum est esse.
Non necesse est esse Non impossibile est non esse Possibile est non esse Contingens est non esse	Non necesse est non esse Non impossibile est esse Possibile est esse Contingens est esse.
Non verum est esse Non falsum est non esse.	Non verum est non esse Non falsum est esse.

APPENDIX.

SCIENDVM, quod si cognoscitiui modi sunt verum & falsum, certum & incertum: non æquiualebunt per regulas modorum potestatiui, sc. necesse, impossibile, possibile & contingens: sed si ponatur verum, falsum, opinabile, & credibile, eisdem regulis, in Logica positis valebunt: similiter modi volitiui sunt bonum, malum, indifferens, & conueniens; erunt sub eisdem regulis, non autem si ponantur bonum, malum, conueniens, & inconueniens, vt ex rationibus terminorum constat: de quibus in Logica.

De non modalium consequentiis.

ART. IV.

ÆQVIPOLLENT & Cathegoriæ contrariæ, si postponas signo vniuersali negationẽ, vt *omnis homo est albus*, huic, *nullus homo non est albus*: si verò præponas, & postponas, suæ subalternæ, vt *non omnis homo non est albus*, huic, *quidam homo est albus*: Præposita autem contradictoriæ, vt *non omnis homo est albus*, huic, *quidam homo non est albus*: sed subcontrariæ, & singulares non æquipollent; quoniam, Non quidam homo non est albus, æquipollet suæ contradictoriæ, nullus homo est albus; &, non quidam homo non est albus, suæ subalternæ omnis homo est albus. quoniam negatio quidquid inuenit destruit, & oppositum induit: si autem dicas, homo quidam non est abus, erit eadem cum, quidam non est albus: sed forte fiet per duas negationes varias, vt hæc, *Petrus currit*, huic, *Nec Petrus non currit*: Et quidam currit, cum hac, *quidam homo nec non currit*: Nec videatur nugatio, vt Aristot. putat. Nam eleganter dicitur apud Ciceronem.

Negatio priuatiua similiter se habet, vt; Petrus est iniustus, &, Petrus non est iniustus: in oppositione & consequentia, quando accipitur vt ens. Infinitiua verò minimè: Nam non homo currit, &, non homo non currit, vtraque vera: qui autem entis, & nonentis vim inspexerit, in quo, & vbi, & secundum quid opponuntur, indidem inueniat æquipollentias: ideo enim non contradicit *homo est albus*, huic, *homo non est albus*: quoniam non supponunt pro eodem homine; & similiter, *non homo currit*, & *non homo non currit*, quia pro diuerso ente: similiter, *omnis homo currit*, contradicit, *non omnis homo currit*; non autem, *nullus homo currit*: semper quidem negatio facit propositionem vniuersalem particularem, & è contra; & affirmatiuam, negatiuam, & è contra, si tamen antecedit ipsa signum vniuersale, non modum, & notam coniunctionis: de quibus alibi. Vide Logicam nostram.

Secunda Autoris de eisdem consequentiis consideratio circa modos propositionum.

ART. V.

MODIFICATIONES orationis innumerabiles quidem sunt, sed reducuntur omnes ad potestatiui, cognoscitiui, & volitiui influxus, & obiecta: oratio enim dicit connexionem, & separationem; propterea est solum affirmatiua vel negatiua. Coniunctio autem & separatio vel est realis, vel notionalis: Notionalis coniungit eiusdem rei notiones, vt cum dico, homo est animal. Idem enim est homo & animal, licet notiones duæ; & hæc pertinet ad essentiam rerum: Realis pertinet ad existentiam, coniungit enim res diuersas in essentia, & coniunctas in existentia; vt homo est albus; vel currit: hæ enim coniunctiones, & dis-

functiones fiunt postquā res venere ad existentiam, in qua nos positi coniunctiones existentiales etiam ad essentiales transtulimus. In beatorum autem cœtu non fiunt istæ propositiones, homo est animal rationale, & triangulus habet tres; vnica enim notione totam essentiam notificant, & vocabula ipsorum sunt simul definitiones, vt ly compassio, sicuti dicebamus 1. p. lib. 1. Cùm autem nos Metaphys. tradamus humanam in sæculo confuso & tenebricoso, necesse habemus de propositionibus ita philosophari. Prætereà necessarium & contingens, sunt vocabula primi influxus magni; potestatiuo enim necessitas & contingentia: cùm enim potestas est fortissima & non impedibilis, facit necessitatem; quando debilis & impedibilis contingentiam: impossib. autem & impossib. respiciunt potius obiectum & esse, quàm influxum. Tamen ob inuiolatam connexionem entis & nonentis cum necessario & impossib. transeunt ad ordinem eundem in propositionibus.

2 Verum porrò & falsum non sunt à fato & fortuna influxibus cognoscitiui, sed potius obiecta cognoscitiui, & tamen modificant instar influentiarum: sed quidem deberemus dicere, fatale & fortuitum, id est, decretum totaliter in particulari, & decretum aliquo modo, id est, in vniuersali: vt fatale est oriri solem cras; fortuitum verò pluere cras, vel Petrum scribere. Respondent enim ad necess. & contingens; at oppositum fatali, sicuti necessario opponitur impossibile, non inuenio nisi Vetitum, cuius degeneratio est Permissum.

3 Similiter bonum & malum sunt obiecta volitiui, & modificant instar Influxus: sed quidem deberemus dicere, harmonicum, siue concinnum, & congruum, id est, omnino requisitum, seu volibile: & aliquo pacto volibile vt harmonicum, est habere nasum; & congruum crispos capillos; quemadmodum dicebamus de necess. & conting. Item de fatali & fortuito Addi potest oppositum harmonico erroneum seu discordans, cuius degeneratio est conueniens. Attamen si vocabula vulgata retineamus: dicam Verum & falsum, opinabile & credibile in cognoscitiui propositionibus: & in volitiui, bonum & malum. Indifferens, & conueniens, & faciam propositiones modales istorum sub eisdem regulis potestatiui.

4 Præterea sciendum, quod omne ens, vt dicit essentiam & existentiam, est necessarium vt ista, homo est animal, &, Petrus est sedens: si verè sedet: nam tunc non possunt aliter se habere. Omne nonens tam essentialiter, quàm existētialiter sumptum, est impossibile, vt Petrus est asinus, & Petrus nunc non sedet: impossibile est enim dum sedet, non sedere. Omne participans ex ente & nonente secundum idem, est contingens, & possib. partim enim est, partim non est, potest esse & non esse, vt ista, cras pluet, &, Petrus scribet: potest enim pluere, & non pluere, scribere, & non scribere. Dixi, secundum idem, quia homo est compositus ex homine, & non homine; sed non homo dicit asinum, & lineam; & ea quæ non sunt homo, non autem hominis non esse, sed aliorum nonesse in hominis esse; & propterea consequentia illa valet, necesse est hominem esse animal; ergo est impossibile hominem non esse animal: ergo non contingit hominem non esse animal: ergo non est possibile hominem non esse animal. Et similiter dices, impossib. est hominem esse asinum: ergo necesse est hominem non esse asinum: ergo non est contingens nec possibile, hominem esse asinum: Contingens enim & possibile, cùm sint entis & nonentis simul, conueniunt in omnibus. Propterea si dico, possibile est pluere, ergo contingens est pluere: ergo non impossibile pluere: ergo non necesse est non pluere.

5 At quidem triplex necessitas, alia quidditatis, & hæc semper est, nec Deus illam mutat, sed facit, vt triangulum habere tres, & hominem esse animal. Alia verò est necessitas existentiæ, cui aduoluuntur omnia accidentia, & hæc duplex: alia ineuitabilis, quoniam ex decreto Dei est, qui propter hoc dedit causas necessarias, vt solem oriri cras, & Antichristum fore. Alia infallibilis, vt Petrum scribere, cum scribit; & hoc potest euenire ex causa contingenti & libera; & ante euentum est possib. & contingens, quoniam Deus non decreuit effectum talem, sed in communi, quando fecit causas liberas, vt sc. faciant vel non, sic vel aliter, prout lubet; est tamen necessarius effectus Deo ex præscientia, non ex decreto fatali, vt Stoici docent: melius autem super omnes homines D. Thomas, qui futura contingentia, & libera, nec in decreto, nec in causis à Deo præcognosci infallibiliter, sed in coexistentia rerum in æternitate, considerauit.

6 His stantibus faciam modales propositiones secundæ primalitatis instar primæ; siquidem inter Fatale, quod significat fante Deo decretum, & inter Vetitum fante Deo, vnde illud necessario est verū, istud verò impossibiliter, mediat Fortuitum & Permissum, sicut contingens & possibile, inter necess. & impossib. & sicut isti modi potestatiui, seu influxionum, seu obiectorum se habent ad esse, & nonesse; ita isti cognoscitiui ad verum & falsum: vnde dicimus influxionaliter, fortuitum est hominem scribere: ergo permissum est hominem scribere: ergo non est vetitum hominem scribere: ergo non est fatale hominem non scribere: similiter dicimus obiectiualiter. Probabile est hominem scribere: ergo opinabile est hominem scribere: ergo non est falsum hominem scribere: ergo non est verum hominem non scribere; & sic dices: verum est hominem scribere: ergo falsum est hominem non scribere: ergo non est probabile hominem non scribere: ergo non est opinabile hominem non scribere. Idem dices de fatali, vetito, fortuito & permisso, seu libero, propter quatuor Regulas modalium potestatiui.

7 Eadem via facies propositiones volitiui, siue per terminos influxionales, siue obiectiuales: Dicimus enim, harmonicum est hominem habere nasum: ergo diffidens est hominem non habere nasum: ergo non est congruum hominem non habere nasum: ergo non est volibile seu eligibile hominem non habere nasum; volibile enim & congruum mediant inter harmonicum seu congruum, & diffidens, seu discordans. Dices etiam, congruum est Petrum scribere: ergo volibile est Petrum scribere: ergo non est diffidens Petrum scribere: ergo non est harmonicum Petrum non scribere: eodem ritu duas alias regulas exercebis in terminis datis. Quod etiā in obiectionalibus currit. Dicimus enim, Bonum est Petrum habere nasum: ergo malum est Petrum non habere nasum: ergo non est indifferens Petrum non habere nasum; ergo non est conueniens Petrum non habere nasum: Currit similiter alia regula: Indifferens est hominem radere barbam: ergo conueniens est, vel volibile homini radere barbam: ergo non est malum hominem non radere barbam:

ergo non eſt bonum homini non radere barbam. Mediant enim inter bonum & malum, indiffetens, vt Cicero, & D. Thomas docent: fortaſſe etiam conueniens, ſi non ſemper conueniens eſt bonum: vel dicas volibile, quanam ind.fferens cum volib. conuenit, bonum vero cum volito in Moralibus. At in Metaph. Bonum eſt ens, vt obiectum voluntatis; Malum nonens, vt obiectum odij, ſeu noluntatis. Medium inter hæc eſt ens in potentia, quod nec bonum adhuc, nec malum: & corruptio quatenus eſt ſimul generatio.

Omnes termini ſynonymi iam dictis habent eandem vim in propoſitioniibus.

Notandum omne ens quo eſt, eſt neceſſ. verum & bonum: quo non eſt, impoſſibile, falſum, & malum: quo partim eſt, partim non eſt, eſt contingens, probabile, & indifferens.

Epilogus & Præparatio.

ART. VI.

PATET ergo neceſſitatem prolem potentiæ entis vel ordinis rerum, contingentiam verò impotentię miſtæ cum potentia entis, aut ordinis: & quia particularis ordo habet miſtam impotentiam, non autem vniuerſalis, eiuſque ordinator, idcirco ad particularem ſpectat itidem & poſſibilitas. Fatum verò & fortuna eius particula, & libertas, & caſus catenam variam nectere à Sapientia prima procurrentem vſque ad fines ab ea præfixos. Bonitates autem reſultantes ex cauſis, & ordine in fines, pertinere ad harmoniam: & hanc amoris eſſe influxum; in qua non modò entia, ſed & nonentia, & peccata conſonantiam faciunt, ſicut ſemitoni in muſica, & metaphoræ in poëmate, & leporis occiſio in venatione: & pulchrum eſſe inueniri mala, at pulcherrimum, quia apparent mala, cùm non ſint verè, niſi reſpectus: & hos tollendos eſſe, cùm periodus præſens rerum in aliud abſorbebitur ſeculum: vtque iſta agnoſcamus, iam noua ſermocinatio contexenda nos manet.

FINIS LIBRI IX. PARTIS II.

THOMÆ CAMPANELLÆ PHILOSOPHIÆ VNIVERSALIS, SEV METAPHYSICORVM DOGMATVM,

PARS SECVNDA.

LIBER DECIMVS.

INSTITVERE PRIMALITATVM ENTIS & Nonentis Cathegorias oportere.

CAP. I.

QVEMADMODVM in 1.p. lib. 2. eſſentiarũ omnium, & exiſtentiarum Cathegorias ordinauimus, vt facilè ac ſubitò iis inſpectis poſſit homo genera, & ſpecies, & differentias, ſimilitudines, & diſſimitudines inuenire, & quid cuique conuenit, & non conuenit ſecundum naturam ſcire, ac affirmationes & negationes rectas facere: ita nunc eſſentialitatum coordinationes, & dependentias, & connexiones dicere lubet, vt ſimiliter horum genera, & ſpecies, & differentias, ſeu ſimilitudines, & diſſimilitudines ſtatim inſpectare, & rectè affirmare, & negare, definire, & diuidere cuncta ſpectantia ad primalitatum doctrinam in promptu habeamus. Difficillimum ſane opus, nec niſi Numine illuſtrante declarandum. Et quia exiſtentia rerum notior eſſentiis eſt, ordinabimus prius, ac figurabimus omnes exiſtentias, & coëxiſtentias, & colligationes ipſarum mirificas, vt ex his ad eſſentialitatum ordines, & influentiarum tam entis, quàm nonentis facilius aſcendamus.

Ens ſimpliciter carere exiſtentia: ea autem exiſtere, quæ extra ſimpliciter Ens fiunt entia ſecundum quid: & quomodo dicantur omnia exiſtere in eo, & ipſum eſſe ante, poſt, infra, ſupra, extra, intra, & non more rerum ſitualium, eminentiſſima ratione ineffabili.

ART. I.

QVONIAM ſicut probatum eſt, ea dicuntur exiſtere quæcumque extra cauſam ſuam ſunt in alia, & cum aliis, tanquam alienis viribus ſuſtentata, non cauſalibus, eſſentialibuſque: manifeſtum eſt Ens non exiſtere: ſimpliciter enim eſt, & ly eſt dicitur de ipſo eſſentialiter, & ſecundum quod ipſum, non exiſtentialiter. Non enim dicit actum exiſtendi, ſed eſſendi.

Quod autem ſimpliciter eſt, cauſa eſt exiſtentiarum omnium: poſt eſſe enim eſt exiſtere: ergo in ipſo ſunt omnia, & ipſum eſt ante omnia: prius

enim oportet eſſe cauſam effectibus, & prius quod continet continendis; extra ens non datur ens. Propterea dixit Apoſtolus, quod in Deo, id eſt, in ente ſimpliciter (*ipſe* enim *eſt Qui eſt*, vt dixit Moyſi: cætera enim non ſunt niſi ab ipſo & in ipſo (*viuimus, mouemur, & ſumus.* Et in Eccleſiaſtico dicitur, *ſapientia præcedere omnia*: Quod autem præcedit in eſſe, continet quæ ſubſequuntur: vnde Salomon ait: *Hoc quod continet omnia, ſapientiam habet vocis: Propter hoc qui loquitur iniqua, non poteſt latere, &c.* Quapropter & ratio perſpicax, & ſcriptura diuinitus inſpirata docet nos, baſim omnium exiſtentiarum eſſe Deum Ens primum, qui etiam in epiſt. ad Hebr. *Dicitur portare omnia verbo virtutis ſuæ.* Verbum enim virtutis eſt ſapientia Dei vt expreſſa, tanquam verbum ab ore: vnde dicit etiam apud Eccleſ. *Ego ſapientia ex ore Altiſſimi prodii*: prodiit autem ſapientia ab omnipotentia, & ab omnipotentia, & omniſapientia prodiit ommniuolentia: cum eſſentiant Ens primum: At cum ad extra operantur, ſunt principium vnum, & imitantur emanationes intrinſecas. Quapropter dixit Ambroſius, proceſſionem verbi celebrari apud Deum, vt fiat proceſſio mundi: & Scholaſtici omnes docent relucere rerum productionem in verbi emanatione. Ergo verbo virtutis portat omnia producendo, ac conſeruando: cõſeruatio enim eſt continuatio productionis. Verbum ergo poteſtatis continet, cùm continere ſit conſeruare. Igitur cum timore & exultatione, & reuerentia ſumma ponamus hoc fundamentum, & baſim omnium entium, non tanquam ſubſtratum more baſium materialium in columnis; neque tanquam cui cuncta innituntur membra more oſſium in animali, ſuper quibus nerui compaginantes extenduntur, & muſculi, & caro, & tota ſtatua ſuſtentatur. Nec ſicut aqua maris continet piſces ambiendo illos, & præſtando vitalem vim, ſeu potius calorem cordis ne exhalet cohibendo, ſed vitam intus continuet. Nec ſicut aer, qui animalia ambit, & calorem cordis ſua conſpiratione retinet, & auget, atque inſuper nutrit ſpiritum vitalem, cui eſt ſimilis valde. Nec ſicut Aſtralitas Paracelſitarum, quæ intrinſeca vis ſeminalis eſt, & cuius excreſcentia effloreſcunt indiuidua corpora; quemadmodum videmus ex arboris interna vi flores, fructuſque ſole iuuante ad exiſtentiam extra ſuam cauſam educi. Nec tanquam ſpatium vniuerſale, quod ambit corpora omnia, & interius penetrat incorporaliter, nihil iſthæc ſua penetratione diuidens, aut lædens, ſed ſeruans in ſua exiſtentia, tanquam baſis excipiens vndique illam: ſed longè altiori, ac ſupereminentiori ratione ineffabili. Nulla enim, quibus fari hanc continentiam poſſimus, vocabula habemus: eſt enim intus, ſed non ſicut res incluſa, aut penetrans, aut diuidens: & extra, ſed non ſicut res excluſa, quæ ſi non intret non fit intus: Eſt ſupra omnia, ſed non ſicut res expreſſa deſuper aſpectans, illabique egens, vt inferiora comprehendat: eſt infra, & ſubtus, non ſicuti res depreſſa, ſuper quam entia ſunt & ipſa eminere ſuperius non valeat: eſt ante omnia non tanquam quæ præcedunt vt baſis, aut vt principium originale, & fundamentale ad finem non porrectum, ſed præiactum his, quæ finem vſque porriguntur: eſt etiam finis, ſed non tanquam res quæ primitus non præceſſerit, feceritque vt ſint omnia, ſed ſequatur: abſit enim hoc: ipſe enim eſt alpha, & omega, vt dicitur in Apocalyp. Nec eſt in medio tanquam connectens principia finibus tantum; ſed in principio, & in fine, & in medio, non tanquam exiſtens in eis ſine principio, medio & fine: ſed ſicuti diuiniſſimus intellexit Apoſtolus. Quaſobres deficiunt nobis vocabula, quibus Entis primi exiſtentiam declaremus; cùm reuerà non exiſtat, neque extra ſe in alio, neque intra ſe in ſe: ſed ſit eſſentia ſua exiſtentia ſua, primitas ſua, poſteritas ſua. Vocabula autem iſta videlicet, intus, extra, ſuper, ſubter, ante, poſt, ſunt, ex corporum ſitibus mutuata, & quaſi blaſphemiæ enunciantur de Deo, ſed non imputantur nobis, ſi quid altius intelligamus ad quod transferimus nomina & non ſicuti vnde imponimus

---

Qua ratione dictum eſt apud veteres philoſophos & Theologos vnum eſſe, & noneſſe, & eſſe multa, & non multa, mobile & quieſcens, idem & alter, Totum & non totum: partem & non partem: corporeum & incorporeum: & quo errarunt ponentes omnia corporea: & quo penetrat, & ſubſtinet omnia.

ART. II.

VIDETVR autem Parmenides apud Platonem rectè concludere oppoſita de Vno, omnium principio: Nam primò oſtendit, quod de ipſo non dicitur, Eſt, neque nõ eſt, ergo inquã liud Igõè maius. Et D. Dio. vtramque affirmat, & vtramque negat doctiſſimè ignorando, & reuerentiſſima humilitate ſciendo. Similiter probat Parmenides, quod vnum non quieſcit, nec mouetur, & tamen prius probat, quod quieſcit, & quod mouetur. Item quod non ſit idem ſibi, neque alteri: & quod ſit idem ſibi, & aliis. Item quod nec ſimilis, nec diſſimilis: nec æqualis, nec inæqualis: non antiquus, neque iunius ſeipſo nec aliis: neque contemporaneum ſibi, nec aliis. Et tamen hæc etiam videntur affirmari poſſe: Neque totum, neque partem; & tamen totum quo participant omnia: & partem, quia in omnibus eſt, vt ipſorum pars, ſiquidem ex ente vno participant, & ex nonente ſimul, vt dictum eſt, Neque eſt vnum, neq; multa; & eſt vnũ, & multa. Iuſtin. etiã martyr probat, quod neq; corporeum ſit, neque incorporeum, ſicut ſuperius dicebamus: Et ratio veriſſima hæc omnia cõcipit: & Dion. ab Apoſt. edoctus.

Quapropter non minus ſtultè, quàm impiè recens quidam Lucretianus putat, ens nullum eſſe niſi corporeum, ac corpora omnia infinita eſſe: & vnum eſſe atomum, nimirũ, quod in omnibus ineſt concretionibus vt pars: & prius exiſtit vt totum: & omnes numeros eſſe atomorum congeriem Democraticorum, & punctorũ: vnde concludere habet, niſi pudor coërceat, punctũ, & atomũ eſſe Deum. Quod quam

ſtultiſſimum ſit,& irrationabiliſſimum,ex ſuperioribus libris palam factum eſt. Prætereà ſanè tot eſſent Dij, quot atoma; ergo infiniti infinities Dij ſunt: omnia enim ſunt æque prima. Rurſus quoniam atoma continentur à ſpatio inani, & vniuntur in rerum vniuerſitate; ſequitur, quod inane ſpatium ſit maximè Deus. Cùm autem nos cognoſcamus hoc, & ſpatium ſit expers ſapientiæ Democraticis, ſequitur quod ſpatium ſit Deus ſtupidus ignoratiſſimus: ergo non Deus. Notio enim prima, & vniuerſaliſſima apud cunctas Nationes de Deo eſt, quòd ſit principium creans & conſeruans omnia præ cunctis potentiſſimum, ſapientiſſimum, & amoroſiſſimum: & tam vera, vt ſi etiam beſtialiſſimos interroges homines, negare non audeant, ſed ſtatim nil verius hac notione pronuncient. Qui ergo adorant lapides, & beſtiolas, & ſydera, & alia huiuſmodi, ex variis Tyrannorum & nebulonum præceptis, ſi interrogentur non audebunt refragari, ſicut non audent dicere hominē non eſſe hominem, & panem non debere vocari panem, ſed gladium, cuius eſſentia & finis, & vſus eſt alieniſſimus ab eſſentia & vſu panis: Quemadmodum in legationibus ad Gentiles Reges in libro attitulato, Quod reminiſcentur, &c. demonſtrauimus. Prætereà quoniam noſtra mens ex ſapientiæ participio potentiſſimæ, & amoroſiſſimæ penetrat omnia, ipſumq; concipit ſpatium, & in eo lineas, & figuras iactat imaginatione, & ideatione mirifica: & intellectione pertranſit à fine vſque ad finem omnis ſpatij quantumuis extenſi: conſequens eſt, vt ante ſpatium ſit poteſtas, & ſapientia, & amor, continens ſpatium, & omnia, & in Ente potentiſſimo, ſapientiſſimo, & amoroſiſſimo locari ſpatium, & omnia.

De primo Ente prima baſi exiſtentium entiumque, intima & extima infinita: in qua primum locatur mundus Archetypus Baſi mundorum.

ART. III.

IGITVR balbutiendo vt quimus præponamus Deum vt Baſim intrinſecam & extrinſecam, & fundamentum & cauſam, & ſuſtentamentum immenſum, in quo ſunt omnia, & viuunt & mouentur. Quod etiam ſit intimius nobis, quàm nos nobis etiam ſecundum mentem: ſiquidem & ſpatium ipſum intimius eſt corpori, quàm corpus ſibi. Corporis enim partes à ſe inuicem diſtant, & poſſunt ſeparari, ſed non ſpatij partes ſeparantur: & ſi dimenſiones habeant, non tamen alterabiles nec corporales, nec diuiſibiles ſicuti, & cuiuſmodi corpus habet: ergo intimius eſt ſpatium, quia magis vnum, & vniens corpus diuiſibile & continens interius & anterius, & exterius.

In primo Ente ponimus mundum Archetypum, immenſum, & infinitum ſibi ſimillimum, longè excedentem limites, & numeros mundi corporei, & realius, & verius, & melius: & quidem in ſua entitate innumerabiles abſque fine mundos corporeos præhabentem, & præcellentem. Poteſt enim Deus innumerabiles facere mundos, vti probat S. Chryſ, ſi ipſi eſſe exiſtentialiter poſſent. Quapropter qui mundos infinitos imaginantur corporeos, proptereà poſſunt illos imaginari, quoniam reuerà ſunt in Deo Deus, in quo vita ſunt non participans, ſed toticipans Deum: ſed falsò imaginantur ſi Epicurei mundos infinitos corporeos ex atomis: & impietatis redarguuntur à propria imaginatione: ſi enim homo poteſt infinitos ideare mundos, quod atoma corpuſcula extrà ſui ambitum, nec ideare, nec eſſe poſſunt: profectò mentem humanam infiniti capacem, & diuinitatem infinitam dicere agnoſcereque debeant, & Omnipotens, Omniſcium, Omniuolumque Ens primum Deum ſimul intelligere, cuius participio decorari, & dignari commercio poteſt mens

De mundo mentali præcedente, ac penetrante, & ambiente Mathematicum, & corcorporalem, ſuſtentato in Archetypo; & de ecſtaſi eius ad Archetypum, & ad corporalem, & de occaſione, & auxilio multiplici ad hoc ipſum, & de extenſione eius.

ART. IV.

IN hoc mundo Archetypo profectò inexiſtunt Angeli, Virtutes, Intellectus, & Numina vocati, ſi corporei non ſunt: & proptereà ſpatium penetrant, & procedunt corpora, & ideant ideis, quas à Mundo Archetypo habent, in quo viuunt, ſunt, & mouentur. Quamobrem indoctè, & ruditer in cœlo, aut in terra ſitualiter eſſe perhibentur. Cum potius in cœlo cœlorum, quod nimirum præcedit cœlos, & omnia corpora: potius autem in ſpatio ponendi eſſent, ſicuti dicitur in libro de eſſentiis, qui putatur eſſe S. Thomæ Aquinatis. At quia mundus primalitatum præcedit ſpatium, & corpora omnia, propterea quæ puris primalitatibus, ante ſpatium ſunt. Nec à corporibus impediri poſſunt motus eorum, & negotiatio: ſiquidem Mens humana penetrat ſtatim omnia corpora, & ideat, imaginaturque vbique quidquid vult. Hoc autem facere non poſſet, niſi in mundo verſetur Archetypo. Perhibet etiam Gregorius Magnus huic ſermoni teſtimonium de Angelis dicens, *quocumque currunt intra Deum currunt.*

Nec tamen quia viciniores sunt Deo secundum naturam, beati sunt supernaturaliter: sunt enim intra Deum participio primalitatum entis, & sunt extra participio primalitatum nonentis, quod regio dissimilitudinis vocatur in sanctis scripturis; & tantum possunt, & sciunt, & volunt quantum entis participio habent. Et per conuersionem ad ens simpliciter magnificantur, dignificantur, beantur.

Hanc autem conuersionem non habent nisi speciali ex auxilio: Finitum enim ad infinitum conuerti, eleuarique non potest, nisi magnificetur in Potestatiuo, & in Cognoscitiuo, & in Volitiuo: hæc autem magnificatio est ex addito consortio, & participio maiori diuinitatis: Vnde D. Petrus ait, quod diuinæ consortes per donum eiusmodi efficimur naturæ: & hoc donum vocatur Theologis auxilium, & gratia specialis. Gratia enim alia est generalis qua sunt, & operantur physico ipsorum existendi, & operandi modo: & ad gratiam specialem non itur repugnante natura euntis per ecstasim, & raptum ad inferiora, hoc est, ad finita bona, quatenus finita. Quatenus autem finita, sunt nihili: ergo solum nihilum, vel nihili implicatio incognita, est causa errandi à Deo, & auersionis, vt sanctissimis Theologis scribitur, à minoribus scholaribus non perceptum.

Est & alia gratia, quæ non magnificat essentiationem primalitatum, sed tantummodo facultates, & respectus ad extra: & ista gratia non facit gratam mentem Deo in sua essentia, sed tantum in operatione ad extra facta ad vtilitatem entium coëxistentium: vtilia autem sunt omnia omnibus ex admirabili connexione Necessitatis, Fati, & Harmoniæ fluentium à primi Entis primalitatibus, proptereà vocatur ista gratia gratis data, quoniam facit instrumentationem, & peximis etiam concedi potest ad vtilitatem, sicuti Balaamo prophetia, & Caphæ.

Habemus ergo gratiam Naturæ generalem, qua cuncta sunt, & operantur, & viuunt: & specialem, qua conuertũtur supernaturaliter ad Deum secundum essentiam; & qua conuertuntur à Deo in beneficium aliorum secundum facultatem: vnde S. Thom. acutius quàm cæteri introspexit, quando gratiam fundauit gratum facientem in essentia animæ: & ergo gratis exhibitam in potentiis respicientibus exteriora; si bene seipsum explicare habuisset.

Angeli ergo, & mentes intra Deũ sunt, viuunt, & mouentur, ante spatium, & corpora: & in participio Potestatis summæ sunt, esse possunt & operari, atq; operentur: & in lumine sapientiæ summæ vident, sapiunt, & docent, & docentur: nec tamen ipsam sapientiam summam vident, capiuntque: sed sicuti in sole noster corporalis oculus analogus ad intellectualem, omnia cernit videtque, solem verò ipsum videre non potest, quanquam participio luminis solaris oculo implantati habet, vt possit in exteriori lumine solari res corporatas videre: sic mentes vident omnia in Deo, non autem Deum nisi eleuentur lumine gloriæ eo quasi modo, quo oculus nŏster purgaretur, & roboraretur, vt possit intueri solem in seipso. Hoc autem non efficiet nisi Deus. Hinc apparet quantopere Pelagius præsumpsit ex ignorantia harum participationum, potius autem graduum ipsorum.

Ergo mentes præcedunt spatium, & corpora, & continentur in verbo virtutis Dei: in mundo quippe Archetypo, & transiliunt spatium, & corpora absq; physico motu, qui nostris inest corporibus, vt nostræ mentis cogitationes nos admonent.

Verùm dicet quis mentem nostram non penetrare spatium realiter, neque esse vbicumque cogitat, & amat, licet sibi sic videatur: sunt enim in intellectu species intelligibiles, sicuti visibiles in oculo: & tamen oculus putat se se videre extra se, & porrigi radium suum vsque ad obiectas res: quod tamen falsum esse monstrauimus, quando visiones fieri omnemque sensum intramittendo, non extramittendo in Physicis, & in 1. p. Metaphys. probauimus contra Platonicos, qui extramissionem defendũt. Benè quidem diximus in Physicis Physicè. At cum D. Ambros. in Hexam. lib. 6 ex hac mentis subitanea extensione ad distantissima obiecta, exque penetratione per totam rerum vniuersitatem ostenderit diuinitatem animæ, nosque agnoscamus, quod etsi mens ex concepta specie iudicat de obiecto, & oculus ex affecta intrante ad se luce, de colore, nihilominus habet extensionem quandam per primalitates erga obiecta: nam extra se obiecta cernere se putat, & cernit: siquidem non omne recipiens speciem & motionem iudicat de mouente, & de obiecto, nisi aptum sit iudicare: quod non facit, nisi ante corpora, & colores, & spatium sit: iudicium enim his non alligatur. Tu enim (inquit S. August.) vides hanc veritatem, & ego video hanc veritatem: nec tu vides in me, nec ego in te, ergo in vno tertio maximè vidente, & omnia docente. Non enim receptio illa speciei est notitia, sed aliquid diuinius receptione, quousque ad obiectum exterius extendimur iudicando: species ergo est quo videmus, & quod: at rursus ex hoc quod modico totum ad obiectum iudicio extendimur, itemque rursus innumerabilia sapimus, at absque fine pernoscendo extendimur.

Decipimur autem si extensio maculatur, & torquetur extra Archetypum mundum ad corporalem, vbi incurrimus Nihilitatis, ac proinde falsitatis contagium. Amant etiam mentes in diuini amoris affectu per participium eius cum rectè amant: & cum ad finitatis prolabuntur affectiones, amant non rectè. Consociatur ergo rectitudo, & tortuositas amoris, extensiones: sicuti veritas, & falsitas extensiones sapientiæ, vita, & mors extensiones potentiæ. Idcirco ergo potuere mentes peccare, quoniam ad infinitatem conuerti, & ad finitudinem ex entis & nihili participio habuerunt. Omne autem finitum intra infinitum continetur, & non inuenit finem, nisi cum ad se trahitur; nec inuenit infinitatem, nisi cum ad continentem se conuertitur, & sic fiunt ecstases ad inferiora, & ad superiora.

De Mundo Mathematico substante mundo corporeo, substentato in Mentali, seu Metaphysico, & quomodo coexistant intus, foris, præ, post, &c. vtque exprimitur incorporali, quod in Mathematico per mentalem fundatur.

CAP. V.

IN Mundo Mentium fundatur Basis Mundi corporalis, quæ est Mundus Mathematicus præcedens omnia: in quo mentes tanquam in posteriori sibi ente faciunt figuras, lineas, puncta imaginesque omnes Mathematicas: quas enim in corporibus exaramus, nunquam ad mentis rationem exprimendam exactissimè perueniunt. Nec enim perfectum circulum omnino, nec sphęram tangentem in puncto planum omnino: neque punctum prorsus indiuisile neque lineam sine latitudine, neque alia, quæ præsupponunt, & probant Mathematici: porrò extendunt Mathematici lineam de polo ad polum, & circulos in cœlo tropicos, æquinoctiales, coluros, & alia huiusmodi: quæ tamen non signantur in cœlo, sed in spatio vbi locatur cœlum.

Habere spatium dimensiones scimus ex corporum dimensionibus, quæ in eis extenduntur, & tamen ratione modo habitas. Etenim vndecunque, & vbicunque potest puntus signari, linea extendi, & superficies ampliari: ita quod altitudo, longitudo, & latitudo conueniunt illi ex ratione corporum. Spatium enim nequit extendi, neque ampliari, neque in punctum acuminari, neque ingrossari per linearum, & superficierum compositionem; sed intellectu ita in eo consideramus. Possumus tamen considerare ex corporibus ad ipsum incorporeum transferentes affectam imaginationem. Mens autem diuidit spatium, & delineat, & superficiat, & profundat, quoniam superioris est ordinis in Mundo Metaphysico, idcircò in suum posterius potest ex vi suæ naturæ, non autem in superius, nisi ex eleuatione, & auxilio superioris naturæ.

Finitum quidem spatium est, non modo ex hoc, quod multis caret entitatibus, neque enim est Angelus, neque Mens, neque corpus; sed etiam ex hoc quod non porrigitur in infinitum, vti putant, qui ipsum esse Deū putant. Nec tamen extrà ipsum est aliquid, nisi Deus. Qui tamen non est extrà localiter, sed natura: locus enim, & spatium nullum est extrà locum, & spatium, sicuti non est humanitas extrà hominem, neque lineitas extra lineas. Et tamen, in superioris ordinis continente; sicuti lineitas est in anima lineante, & in sua idea. Propterea diximus, spatium esse Mundo Angelico, qui habet diuiniori ratione, quidquid habent corporum & spatium. Et Deus habet diuiniori ratione, quidquid Mundus Angelicus, & Mathematicus, & corporalis habent, & Mundus Mathematicus habet, quidquid habent corpora diuiniori ratione. Habet enim dimensiones non materiales, & diuisibilitatem non à virtute corporum, sed Mentis, & continentiam corporum, sicut corpus formarum: omnia autem hæc in primo Ente Archetypo diuinissimè insunt: De quo affirmantur omnia secundum perfectiones, & negantur omnia secundum imperfectiones, & nihilitatis participationes. Et quidem nisi præcederet Mundus Archetypus continens omnia, non posset subsistere Angelus, seu Metaphysicus Mundus. Et nisi præcederet Metaphysicus Mundus non posset subsistere Mundus Mathematicus, hoc est, spatium, basis existentiæ corporum. Locat enim potestate, sensu, & appetitu: & nisi præcederet Mundus Mathematicus nequaquam subsisteret seu potius extare posset Mundus corporeus. Corpora enim non sunt, quæ extensa non sunt: non extenduntur autem nisi in spatio, interius exteriusque corpora penetrante, locante, substinente, tanquam tertia substantia vniuersitatum: corporeo autem mundo non existente, neque formarum Mundus existeret actiuarum, nec passiuarum. Calor enim, frigus, humanitas, & corporatæ figuræ, non sunt, nisi in corpore; imò nec motus, nec quies nostrorum entium, quæ analogicè sunt in prioribus substantis.

De Mundo corporali in Mathematicis existente, & situalem substentante. Et de coexistentia, & rationibus in inuicem secundum ante & post, intra, & extra, &c.

CAP. VI.

INTRA seu supra, seu potius in Mundo mathematicò contractior Mundus locatur corporalis, seu materialis: posuit enim Deus corpoream Molem intra Mathematicam, vt locus esset formarum actiuarum, quarum pugna factus est Mundus corporeus. Corporis autem natura est, vt sit diuisibilis per numeros, & vnibilis per vnitatem: inter vnitatem autem, & numerum mediant passiones vtri usque extermina-turam participantes, lentor scilicet, mollities, viscositas, lubricositas, fluor, liquor, vapor, Tenuitas; quæ ad secunda corpora constituenda sigillationes sunt, vt dictum est in 1. p. Penetratur vndique corporea moles à spatio, nec potest hæc pati, nisi spatio continente; nec esse, neque pati, neque cooperari, nisi substet spatium interius, exte-

riusque, quemadmodum, neque ſpatium locare, & conſentire corporibus poterat, niſi illi Mentalis Mundus ſubſtentator præceſſiſſet. Penetrat quidem corpus, ſui corporeus mundus ſpatium, ſui Mundum Mathematicum, quoniam penetrantur ab eo: ſicuti Mentalis mundus penetrat Mathematicum, ob ſuam anterioritatem: & tamen videtur corporeus penetrare Mathematicum, & ſimul compenetrari, ſicuti & Mathematicus penetrare mentalem, & cum eo compenetrari; cum tamen verius ſit alio modo diuiniori mentalem. Suſtinere Mathematicum, & corporalem. Sed vocabula correſpondentia non habemus: vtimur autem vocibus intus, & extrà poſt, ante, penetratione, & huiuſmodi; quæ corporum ſunt ſecundorum, quales nos ſumus; non autem primi corporis, neque ſpatij, neque Angeli. Etenim corporea moles vbicunque ponatur à Deo, ſtat, vti ponitur: nec propoſitionem habet ad ſitus alios, propter quos dicatur tendere ſurſum, aut deorſum, aut intra, au foras, aut, &c.

De mundo ſituali locato in corporali, diſtinctóque per numeros & formas ad eſſentiam exiſtentiarum pertinentes, & coexiſtentiarum: & quomodo propenſiones, & correlationes in ſituali, & vnde multiplicantur.

ART. VII.

POST Mundum corporalem imò (dicam melius) in Mundo corporali locatur Mundus ſitualis noſter, genitus quo ad ſituationem ab Agentibus cauſis, calore, ſcilicet & frigore, dum ſimul pugnant pro corporeæ molis poſſeſſione, ſine qua ſubſiſtere non poſſunt, ſicuti neque materia ſine ſpatio. Quapropter ſicuti calor vult totam molem ſubiicere ſibi, totamque complecti tanquam baſim vitæ ſuæ: ſic etiam moles ſpatium totum. Frigus autem caloris æmulum non ſubſiſtens niſi in corpore, idem occupare voluit; & ex eo partito formauerunt terras, & ſoles, & ſidera: ſi multa ſyſthematha ſunt, vel Solem, & Terram, ſi vnica ſunt. Quapropter ortus eſt mundus ſitualis: ita quod omnes partes ſui ſyſtematis appetentes vnionem conſeruatiuam, & fugientes diſunionem deſtructiuam, dictæ ſunt propendere ad ſuæ vniuerſitatis centrum. Ergo partes ſolis ad Solem, Lunæ ad Lunam; Telluris ad Tellurem; & apparuerunt pondera Amoris ad locum conſeruationis: & ex pugna ſubſequente ſecunda corpora facta ſunt, lapides, metalla, plantæ, animalia, homines. Et prout plus liquoris, aut fluoris, aut ſoliditatis participarunt, intra corpora ſolida, vt beſtiæ, vel fluida, vt piſces, vel tenuia, vt Aues, exiſtentiæ locum ſortita ſunt, & organa ergo obiecta coexiſtentis quibuſcum ſeruantur. Nam pedes aliis, aliis alæ, aliis permulæ datæ ſunt, prout indiguerũt. Et quoniã vita Mundi ſitualis eſt in corporali, & corporalis in Mathematico, & Mathematici in Metaphyſico, & Metaphyſici in Diuino: profectò euenit, vt omnia ſint in omnibus, alio tamen modo: & comparticipent ſimul: proptereaque, organa habent ſitualis Mundi res Poteſtatiuo ſeruientia, & cognoſcitiuo, & volitiuo, & ab obiectis dependentia ſimul, cum quibus ſeruantur. Non enim homo habet Naſum, vt ſit, ſed vt ſimul ſit; eſt enim propter odores. Neque oculos, niſi propter lucem, & colores, quorum notitia ad eſſendum indiget; nec pedes, niſi vt quærat, fugiatque ſeruantia, & deſtruentia: ſic de ſingulis. Colligauit enim Deus omnia ſimul in vna Repub. & vniuerſitate, eſſentiauitque exiſtentias ad coexiſtendum.

Qua ratione Mundi quinque colligati ſunt, & priores ſunt in poſterioribus, & poſteriores in prioribus ſecundum eſſe.

ART. VIII.

HINC mirifica diuinitatis virtus relucet, qua colligauit per propriam vnitatem Mundos quatuor intra ſe, qui ſunt etiam extra ſe, videlicet Mentalem, Mathematicum, corporalem, & ſitualem, tanta ratione, vt neſcias an priora ſint in poſterioribus, vel poſteriora in prioribus. Mundus enim ſitualis eſt in Materiali, ſed tamen Materia eſt in ſituali, vt dans eſſe, & recipiens tale eſſe. Similiter materialis eſt in Mathematico, vt ſuſtentatus: ſed Mathematicus eſt in materiali, vt dans, & ſuſtinens eſſe, & recipiens ſimul tale eſſe: ſpatium enim eſt in cœlo cœlum, in Sole Solare, in terra terrale, &c. Item Mundus Mathematicus eſt in mentali, ſine quo non ſubſiſtit, & mentalis eſt in Mathematico, vt dans exiſtentiam, & recipiens talem exiſtentiam longam, latam, profundam, & reliqua. Mentalis mundus eſt in Deo à quo eſt, & ſeruatur, & Deus eſt in mundo mentali, vt dans eſſe, & accipiens tale eſſe, non in ſe, quippe qui receptiuus non eſt, ſed datiuus: ſed reſpectu noſtri, quibus dicitur eſſe Ens, & Deus, & hic, & aliis nominibus, quæ longiſſimè abſunt ab eius eminentiſſima entitate. Sed tamen dicitur ſic & oſtenditur ſic, & in nobis eſſe

dicitur : ergo accipit denominationem non accipiendo, ſed dando. Quod tam mirificum eſt, vt capi nequeat modo vllo : vnde nullibi magis cæcutiunt homines ; quàm in Dei. Exiſtentia cogitanda, & nominanda : & nullibi magis exilarantur, quam cum de his perceperit aliquid.

Quoniam ergo , poſteriora ſunt in prioribus eminenter, & æqualia in coæqualibus per totiicipationem , & ſuperiora in poſterioribus per participationem. Calor enim participat materiam vt exiſtat. Materia participat ſpatium, Spatium participat mentalitatem, Mens participat Deum ; & omnia poſteriora ergo Deum in ſe habent participatione, Deus autem omnia totalitate præhabet eminentiali : propter hoc dicimus colligatos eſſe mundos omnes ; neque enim abſque ſymbolo glutinante. Idcirco diximus , omnia entia conſtare Poteſtate, Sapientia, & Amore eſſendi, & conſeruandi ſeſe, & mutuis colligata eſſe emolumentis: & priora ampliora eſſe poſterioribus : ſicut in humano indiuiduo, Mens, ſpiritus, ſanguis & ſolidum.

De existentialitatibus in inuicem collocatis , ſcilicet , Æternitate , Æuiternitate, Perpetuitate, Viciſſitudine , Tempore , & mutatione ſecundum ordinem Mundorum.

ART. IX.

ET ſicuti ſe habent in ratione continentiæ localis, vel per localem agnitæ, ita ſe habent in ratione durationis: etenim conſeruari eſt locari , & teneri in proprio eſſe : hoc autem eſt durare : ſicuti autem æternitas eſt Mundi Archetypi, ſic Æuiternitas Mentalis, & Perpetuitas Mathematici, & Tempus materialis, & Tempeſtas ſitualis, ſunt Mundorum. Æternitas, ergò ante, & poſt, & ſuper, & ſubter omnibus eſt. Æuiternitas eſt poſt hanc, & intra hanc in mentali Mundo : Perpetuitas eſt ſub hac, intra hanc, & poſt in Spatio, ſeu Mathematico Mundo, cuius maior mutabilitas eſt finitudo. Viciſſitudo præcellens Temporis eſt propriè materiei : in ipſa enim fiunt ſucceſſiuè formationes, & innumeris mutantur modis ſemper, nec tamen annihilatur: neque ſtat vti Spatium : ſed tamen intra perpetuitatem, & ſub, & poſt extant vices generabilium. Tempus autem eſt tranſeuntium rerum, quæ non modò mutantur vt materia, ſed etiam deſinunt eſſe, & renaſcuntur ; & promouentur & ſeneſcunt : Et eſſe & non eſſe viciſſim in ſituali ſuper materiali celebratur. *Rex autem ſæculorum æternus eſt immortaliſque*, vt dicit Apoſtolus : cæteræ autem durationes , & res durantes mortales ſunt , vel ſubſtantia, vel virtute, vel operatione, vt dictum eſt in 2. p. ex dictis Theologorum: maximè autem Pauli dicentis de Deo , *Qui ſolus habet immortalitatem : qui lucem habitat inacceſſibilem , quem nemo hominum vidit , nec videre poteſt : cuius eſt regnum ſempiternum*, &c. rectiſſimè quidem ; non enim inferiora poſſunt in ſuperiora ; niſi ſicuti dictum nobis paulò ante per conuerſionem gratuitam , & apprehenſiuè, non comprehenſiuè, vt in 3. p. Porrò D. Thomas temporalia coexiſtere æternitati probè ſcripſit. Non modo enim eſt ante & poſt æternitas , ſed etiam ſimul cum temporalibus , & Æuiternis , & perpetuis, & caducis, imò & ſuprà & infrà. Vocabula ſanè iſta mutuamur à corporum ſecundorum ſitibus. Nec quidem perfectè dicunt, quod volumus : ſicuti neque ritè longitudinem , lātitudinem , & profunditatem corporum damus ſpatio, niſi Analogicè , & ſecundum rationem : aliquid enim magis vnum, magiſque eminens hiſce dimenſionibus eſt in ſpatio continens eminenter has : ſic etiam prius poſt , ante, ſuper , ſubter, & ſimul, dicuntur de Æterno cum temporalibus, vt deſcribamus ambitum Entis circa Aliquid. Et Scotus quamuis ſubtiliſſimus defecit in horum conſideratione. Defectum verò effugiſſet, ſi conſimiliter exiſtentiarum ordinem ex loci analogia intra locus peruidiſſet. Quis enim neget formas à materia comprehendi , materiam à Spatio , Spatium à Mente , Mentem , & hæc omnia à Deo , in quo viuimus mouemur , & ſumus? Eadem ſanè ratione durationes intra continentur inuicem.

De collocatione actionum, prædictorum mundorum secundum seriem.

ART. X.

ACTIONES etiam, & causationes consimiliter subordinantur. Actio enim materialis est ab Actiua, & spatio: spatij, & agentis causæ à Potestatiuo, cognoscitiuo, & volitiuo principiis: principiorum à Primalitatibus, vt dictum est in 1. p.

Mundorum schema.



Declaratio Schematis Mundorum colligatorum compenetrantium se, & consequentium.

ART. XI.

QVAPROPTER, vt ex sensibilibus insensibilia intelligamus, præsens schema constituimus rotundum: ad denotandum, quod in Mundis iam dictis non est ànte, neque post, neque super, neque subter: vtque scias neque intus, neque extra dari, sed omnia in omnibus esse eminenter alia, alia participatiuè, formauimus circulos octo. In intimo, ac centrali descripsimus Mundum Archetypum in Deo, vt intelligas in eo existere cæteros, & ab eo: vbi etiam æternitas locanda est sibi correspondens: in extremo quoque circulo, seu post extremum nullis circulis clausum, itidem æternitatem Deum, & Mundum Archetypum, vt intelligas Deum esse intra omnia, & extrà omnia, & ante, & post omnia, & simul cum omnibus, infinitumque vndique.

Idcirco

Idcirco eiuſdem coloris albi debere intimam, & extimam circulorum Aream eſſe. In ſecundo circulo à centrali locauimus mundum mentalem, qui eſt Angelicarum, & humanarum mentium, ex ſolis Primalitatibus, finitis tamen, conſtitutum. Potentia nempè Sapientia, & Amore: vbi poſuimus Æuiternitatem, & Metaphyſicas entitates. Eundem mundum Mentalem poſuimus in ſecundo exteriori, vt intelligas, Primalitates finitas à Deo eſſe intus, & à Deo forinſecus circundari: & eas inter medios Mundos permeare: eſſeque ante, & poſt, intus, & extra corporalia, & Mathematica entia. Circulus autem vterque eiuſdem coloris pallidi eſſe debet ab albo minimum diſtantis: & numero duali vterque inſigniri, vti in figura iſtac vides.

In tertio circulo inſcripſimus Mundum Mathematicum, hoc eſt, ſpatium vniuerſale, baſim corporum intraneam; in quo imaginans vis ideat omnes figuras, & corpora commenſurat. Inſcripſimus eundem Mundum in tertio etiam circulo exteriori; vt intelligas vndique hunc Mundum eſſe tertium, & ante, & poſt, & ſimul cum corporibus, & ſuper, & ſubter, quemadmodum declarauimus in cæteris. Perpetuitas ponitur etiam, quoniam ſpatium non mutatur, non interit, ſed eodem tenore ſemper ſe habet.

In quarto circulo interiori & exteriori ponitur Mundus materialis, videlicet moles corporea, in qua extruitur Mundus ſitualis per formarum diſtinctionem. Et quoniam formas omnes Materia complectitur, & ſuſtinet, ponitur infra, & extra Mundum ſitualem in circulis coloris nigri, & Temporis. Mutationes enim omnes in materia fiunt, & participant Perpetuitatem vtrinque. Neque enim ceſſant, ſed in ſuas reuertuntur origines, & circulationes: Ab vnitate enim materia procedit ad numerum per lentorem, mollitiem, Viſcoſitatem, Lubricoſitatem, fluorem, liquorem, vaporem, & Tenuitatem: & è contra. Et ſic etiam omnes circulationes temporales reuertuntur, & fiunt rerum vices. Ergo in materia eſt Mundus in potentia receptiua, non autem in datiua, ſicuti in Peripato ſomniarunt.

In quinto multicolori circulo ab vtriſque extremis eſt Mundus ſitualis ab omnibus circumplexus, & intus compenetratus, penetrans ipſe nullos. In quo eſt materia baſis, & ſpatium continens, & mens ideatrix, & diuinitas creatrix, & conſeruatrix; & coexiſtentia corporalia ſyſtemata mutuis officiis ſeſe ſeruantia, & tempus in eorum mutabilitate.

Vtrum autem Mundus iſte ſitualis ſit vnus, an plures in 3. p. differemus: vbi, & quomodo ſingula ſyſtemata inuicem colligantur mutuis emolumentis, & actibus, & paſſionibus declarabimus: & quomodo in hoc mundo mirificentiſſimè Deus coadunauit res Phyſicas corporeas; & Mathematicas & Metaphyſicas tanquam in Epilogo omnium: & quomodo Mens humana Phyſicæ materiæ vinculis communis vitæ miſcetur, & faciat Microcoſmum. In homine enim eſt ſpatium intraneum: Corporea moles: vires actiuæ ad ſituales partes diſtinguendas. Solidum Terræ, humidum maris, Spiritus cœli, Mens diuinitus immiſſa, Deus immittens, & conſeruans, Angelus cuſtodiens. Et quibus mutuis vtilitatibus iſta continentur in homine omnium Mundorum Epilogo. Et quomodo Deus præcipuam huius Epilogi curam gerat, & communicet cum eo, & ſupernaturaliter, vt in Theologicis, & in 3. p. huius voluminis comprobatur. Item quomodo mentes quo magis recedunt à ſituali Mundo, proficiunt magis: in materiali enim agnoſcunt, quomodo in vno, & ex vno ſunt abſque diſtinctione, & propenſione ad plura, niſi ab extrinſecis exiſtentiis. In Mathematico quomodo Deus vnus intrinſecatur, & extrinſecatur omnibus; & continet, & ſeruat abſque ſui diuiſione, & paſſione omnia facillimè: & quomodo ideare imaginanti conuenit verius omnia. In Metaphyſico ad diuinitatem proprius accedit proceſſiones intraneas inueſtigando, & eſſentiationes, & egreſſiones. In Archetypo tandem vnam diuinitatis eſſentiam, trinam proprietatem, & virtutes, & dependentias omniū ab ipſo, per ipſum, vt in ipſo. Et glorificatur Mens noſtra in huius intuitu comprehenſione, & fruitione per eleuationem.

E contra verò, quo magis ad inferiora, & corporatas res ſitum certum habentes, & modulum ſuæ entitatis, & bonitatis, eo magis anguſtiatur: & de ſe ſentit anguſtius. Et mortalitatis pauore tangitur, & beſtiis corporalibuſque vilitatibus ſe ſimilem facit, cadit in ſui ignorantiam, & odium, & impotentiam. Et tamen has ecſtaſes ad ſuperiora non facit Mens, niſi intra ſeſe colligens, & concentrans; vbi & Deum cuius eſt imago intelligit, & dum concentratur, amplificatur, & magnificatur inſtar diuinæ entitatis, cuius vnitas dat eſſe cunctis, & expanditur ad omnes numeros. Ecſtaſes verò ad inferiora facit expandendo, effundendoque ſe extra ſe ad corporalia obiecta: vbi quo magis amplificari ſibi videtur, eo magis anguſtiatur, & affligitur, & deſperationem ſui nanciſcitur, & ignorationem; quoniam Deum non in centro, & vnitate, ſed in plurificatione, & diuiſione, & diminutione quærit, vbi minus eſt, & non vbi magis eſt.

QVA RATIONE FIGVRA EXARANDA *sit essentiationis per toticipationem essentialitatum, seu primalitatum, Entis & Nonentis, & principiorum exortus ex eis: & causarum, & causationum per participationem; & cathegoriarum.*


CAP. II. ART. I.

ESSENTIATIONEM per emanationes ad intra difficile est intelligere, sed difficilius est eloqui difficillimum autem describere, imaginemque ipsius figuraliter exarare. Quo enim magis extra mentem effertur ad corporalem, & situalem Mundum, eo magis à sui dignitate recedit, minusque sibi similis est. Tentare tamen non erit inutile. Dicebamus quidem in 2. lib. 1, p. emanare per toticipationem ex Potentia Sapientiam, quam simillimam. Ergo potentissimam æquè ac potentia: sicuti potentia æque Sapientissima, atque Sapientia ab ipsa manens. Simul etiam amorem per toticipationem ex Potentia, & Sapientia procedere, idcircoque non recedere; & quam simillimum: ergo æque Potentissimum, æque Sapientissimum, ac potestas Sapientiaqua: sicuti Potentia, Sapientiaque æque amorosissima est, ac Amor, qui ab ipsis, neque dant quod non habent. Ergò immanet in potentia emanans Sapientia, alioquin non toticiparet, neque quam simillima esset; sed extaret vt recedens: non recessione locali, sed naturali, igitur vt dissimilis aliquo pacto. Ergo non vt quam simillima. Similiter etiam amor permanet in vtroque vnde procedit, alioquin non toticiparet, nec quam simillimus procederet: ista ergo processio nihil aliud est, quàm relationis virtus, qua Hoc est ab Hoc, & Hoc ab His, vt Hoc; ergo æternalis, sine motu & mutatione. Ergo ex his Primalitatibus vnum Ens essentiatur non tanquam ex principiis, nec tanquam ex causis, sed tanquam ex essentialitatibus suis, vocatis aliquando principiis & causis apud Latinos, & Græcos, sed eminenter, & analogicè. Proptereà nos diximus ex Proprincipiis, id est, ad similitudinem Principiorum se habentibus.

Mox ex dictis Primalitatibus, vt respicientibus ad extra, exterioritate naturæ, non loci, manant facultates seu principia tria. Videlicet Potestatiuum, cognoscitiuum, volitiuum, in vi tamen vnius Principij. Indiuisionem enim habent ad extra erga obiecta. Et tamen rationibus distinguuntur. Et in rebus causatis postmodum omnis facultas, & omne organum spectat, aut ad Potestatiuum, aut ad Cognoscitiuum, aut ad Volitiuum, vt declaratum est. Nec tamen alterum absque altero reperiri possunt; relucet tamen magis illud vnde denominatio: vt in oculo cognoscitiuum, in osse Potestatiuum; in venticulo appetitiuum.

Ex Principiis his quatenus ad obiecta tendunt, & in his fiunt extensiones quædam: quas penuria vocabulorum vocauimus in Potestatiuo passiones vt ira, fiducia, spes. In cognoscitiuo Notiones, vt imaginatio, sensatio, memoria, &c. In volitiuo, Affectiones, vt libido, fames, Voluptas, &c.

Et quoniam post has extensiones sequitur in omni Ente actio ergà aliquid, seu operatio, proptereà causationes ex eis agnouimus; & causarum genera multa deriuauimus. Ex potestatiuo extendēte se, nascitur causa agens, à qua cum eo ad quod extenditur suboritur effectus, qui est participatio causarum separatus ab eis in alterum numero Ens, proptereà dedimus agenti causam extrinsecam materialem. Similiter ex Cognoscitiuo extenso ad opus innascitur intus causa Idealis, extrà verò id, quod ideam respicit, vt concausa. Neque enim sola operatur opus exterius, sicuti neque agens; proptereà adiecimus illi causam formalem. Extensio tandem Volitiui, seu Amatiui facit intus causam finalem, qua omne Ens propter se vult, quidquid vult. Et quoniam finis non constituitur in sua causatione intus, nisi exterior causa sibi correspondeat in ratione ad effectum, proptereà dedimus eidem ignotum causæ genus Finalitatem: seu Perfectionem, dicasue perfectiuam causam. Tunc enim finis finalizat, cum res quæ est ad finem perficit perfectio perfectione finali nō autem tantum. Multa enim appetuntur vt perfecta appetitui, non autem Agenti, vt flos, & immaturus fructus prægnantibus gratus in arbore. Quomodo autem ex iam dictis causis egrediantur in effectibus, in quibus recipiuntur complementa causarum, seu effectionum, dictum est in præfato libro. Siquidem ex primo pari est Actio, & Passio, & Tantitas: Ex secundo Similitudo, Dissimilitudo, & figura, configuratioque: Ex tertio tandem operatio, & vsus, seu vtilitas. Quapropter schemata iam dictorum exarare aggredimur.



Declaratio præcedentis Figuræ.

ART. II.

IN defcripta Figura ftatim cernitur Entis conftitutio per fuas Primalitates tres triangulari fchemate, & tribus literis infcriptum ; & quomodo communicantur inuicem per toticipationem, & circundantur vnitatis circulo incircumdabili.

Item quomodo ex Primalitatibus principia, & ex Principiis caufæ fuboriuntur per refpectus, & extenfiones.

Et quomodo à refpectibus internis emanant

externi : & ex communicationibus extenſiones, & tandem ex his cauſationes, cum ex vnitate in multitudinem abimus.

Ex aduerſo figuram Nonentis, ſeu Nihili exarauimus cum ſuis Primalitatibus, & principiis ex illis manantibus : & quomodo ex principiis cauſæ, Item quomodo Ens Finitum ex congreſſu Primalitatum Entis ſimpliciter & Nonentis ſimpliciter, conſtituitur, illis dantibus eſſe, iſtis finitatem per noneſſe : & non Toticipationem, ſed participationem eſſe in huiuſmodi communicatione, alioquin omne Ens eſſet idem cum primo Ente. & omne Nonens cum ſimpliciter Nonente. Et quomodo ex Ente finito eſt Aliquid. Non enim datur. Quid niſi per Ens; neque aliud, niſi per Nonens: ex Quid autem, & Aliud conſtituitur Aliquid?

DE POTENTIA POTENTIFICO POTESTATORIO, & Potente ad eſſendum, ad exiſtendum, ad operandum, ad agendum, ad patiendum, ad dandum, ad recipiendum, ad poſſidendum, propriis & alienis viribus approprietatis vt principalioribus, & vt inſtrumentalibus. Et de inſtrumentorum potentia formaliter, & materialiter.

CAP. III. ART. I.

INTELLECTVRIS ea, quę ad Potentiam Primalitatem primam ſpectant, diſtinguere oportet, quoniam non quidquid poteſtur ad Potentiarum ſpectat Cathegoriam : etenim nulla Primalitas, neque extenſio eius, neque actus abſque Poteſtate fit, editurque, vt dictum eſt in 1. p. Indiuiſæ enim ſunt ad extra Primalitatum opera. Vnde poſſe videre, & potentia viſiua datur, quæ ad Cognoſcitiuum pertinet. Et potentia appetitiua, & tamen volitiui eſt; fundatur enim omnis Primalitas in prima. Quapropter de prima hic agendum, non materialiter conſiderata : ſic enim implicatur in cunctis; ſed formaliter, & idealiter, prout concipitur abſque aliis, & opera quędam fiunt propter ipſam, & per ipſam, licet cum aliis. Igitur in ſchemate ex Primalitate, quæ vocatur Potentia, addito reſpectu ad exteriora, deriuabimus Principium operatiuum, quod primo capeſſit negotium exterius. Et vocatur facultas etiam à faciendi vi: & Peripateticis vocatur Potentia. Subiectum autem eius organicum ad potendum, nos vocamus Potentatum, vt oſſium potentatus eſt ad ſuſtentandum : ſicuti Modificium cognoſcendi per certum organicum ſubjectum vocatur ſenſus ; vt viſus, qui eſt in organo ad colores relato.

In rebus autem incorporeis Mentalis Mundi analogicè hi potentatus, & ſenſus, & Appetitatus reperiuntur, vt ſuo in loco patebit. Reſpectus autem iſte, qui adiicit Poteſtatiuum pertinet ad exiſtentiam, & extantiam, & deriuatur ab interiori reſpectu, & relatione ea, qua eſt poteſtate ex Sapientia, & Amor. Mox Poteſtatiuum per poſſe ſuum, qui vocetur extenſio eius ergà obiectum, vocatum Poſſibile, tendit in actum. Eſt autem alius actus eſſendi, qui eſt Poteſtatis internæ, & dicitur Potentia eſſendi, quæ realiter ab eſſentia non ſecernitur, vt dictum eſt : ex Potentia eſſendi oritur Potentia exiſtendi, quæ eſt principium, & facultas. Ex hac oritur Poteſtas operandi: ex Potentia operandi, poteſtas agendi, & ideo omne poſſe, vel eſt poſſe eſſe, vel poſſe habere, vel poſſe dare, vel poſſe recipere, vel poſſe auferre, vel poſſe retinere, ſeu poſſidere. Poſſe eſſe eſt idem quod eſſe. Nam ſi eſt in ſua exiſtentia habet poſſe exiſtere, ſi in eſſentia, poſſe eſſe. Poſſe autem dare naſcitur ex habere. Habere autem eſt eſſe. Dicitur enim Deus habere diuinitatem, & homo rationalitatem ; non quia ſit diſtinctio inter habentem, & habitam, niſi notionum : aliam enim formamus rationem de homine, & de rationalitate. Et propterea dicitur homo habere rationalitatem pro eſſe rationalis. Ex eſſe autem ſeu habere oritur poſſe dare ; propterea enim dat omne ens, quod habet ; quod enim non habet non dat. Calor enim non frigefacit, quia non habet frigus : calefacit autem quoniam habet eſſe caloris, ac per conſequens facultatem calefactiuam, id eſt ſuum proprium Poteſtatiuum, id eſt, Poteſtatiuum contractum ad hunc potendi modum, qui eſt calefacere, ſeu efficere, id eſt, extra ſe facere calorem.

Omnis autem eſſentia declaratur per nomen, quod eſt notamen eius Grammaticaliter. Actus verò per verbum, & diſtinguitur in actum, eſſendi, vt homo eſt animal : in actum exiſtendi, vt homo eſt in platea ; in actum operandi, vt homo ratiocinatur ; in actum agendi, vt homo generat hominem, & ſcribit ; in actum patiendi, vt homo patitur verbera ; quæ tamen incorporeum ſpatium non patitur, quia non ſuſcipit. Actus autem perditiuus, vt mors, non eſt actus, ſed perditio eius: neque eſt à Potentia, ſed ab impotentia: poſſe enim mori, & poſſe peccare ſecundum vocem eſt poſſe, ſecundum rem eſt non poſſe, vt dictum eſt prius.

Poſſe dare eſt multiplex : vel enim dat ſimpliciter, quod habet de ſe : & ſic ſolus Deus dat: quoniam dat eſſe, & conſeruat eſſe continuando dationem. Calor autem dat calorem, ideſt, hoc eſſe, ſcilicet calidum : ſed enim non habet de ſe eſſe, ſed in ſe per eſſe quod accepit : & hoc eſt dare non quidem eſſe, ſed eſſe Aliquid. Quod rurſus diſtinguitur in dare eſſentiale, ſicut calor calefacit, & homo

& discipuli ad iussum domini exequendum. homificat per humanitatem, quam habet essentialem sibi: vel est accidentale per id quod habet non in se, sed apud se aliunde acceptum: & sic homo dat pomum, & pennam, quam habet aliunde. Hoc autem habere non est posse, sed possidere. Datur etiam mistum dare, vt cum homo dat scientiam; quam ex parte acquisiuit obiecta accipiendo, partim habet essentialiter per innatam sapientiam, qua erga obiectum operatus est; similiter pugnat contra hostem partim ex acquisita pugnandi peritia, partim & magis ex pugnatiua potestate.

Alia est potestas ablatiua, qua aliis auferimus, quod nobis prodest habere, vel prodest nobis, quod alius careat, quando nos non possimus illud nobis adsciscere: vt cum auferimus hosti spolium, quo induimur, & vitam hostis, qua tamen non viuimus nec enim possumus annos eius nobis adiungere: sed prodest nobis eius mors, ne vita eius obsit per accidens.

Vt autem ista duo possimus maius esse in nobis proprium, aut appropriatum præesse oportet: Vt Orlandus proprio esse virtuoso valide tollit spolia & vitam Mauro Agramanti: Carolus autem imperator per esse, quod simul affert posse, militum suorum, sibi appropriatum, spoliat Mauros. Vnde autem est, quod aliorum posse nobis appropriamus? ex ordine rerum ab omnipotentissimo Ente, in quo possumus quidquid possumus: veluti ex sapientia prima est vt possimus scire, quæ alij sciunt: etenim sub eius lumine omnia noscimus.; quemadmodum omnis oculus solari luce implantata præditus potest videre omnia à sole illuminata, similiter voluntate primi amoris in nos effusa omnia volumus.

Datur & posse retinere seu possidere, ex quo tanquam ex postremo notissimoque sumptum est vocabulum habere. Possidemus autem, quod accipimus; ergo præcedit potentia receptiua, quæ vocatur acquisitiua, & est minoris pretij, quàm datiua. Accipimus enim, quia non habemus, ergo quia non sumus: & tamen sumus, alioquin non reciperemus, sed sumus aliud ab eo quod accipimus; vt manus non est nigra antequam accipiat nigredinem: postmodum verò dicitur esse nigra, seu habere nigredinem. Potestas ergo receptiua, & acquisitiua componitur ex esse, & non esse; & hæc propria est materiæ: cuius accipere formas, non autem dare: est enim non habentis & pauperis cuiusque entis. Accipiunt autem vel quo seruantur, vt vestem nudus: vel quod destruuntur, vt verbera nudus, & hæc potestas est perditiua, & magis nonentis, quàm acquisitiua: fundatur tamen super ens. Non enim perditur nisi quod est. Acquisitio autem est vel per proprias potentialitates, seu vires, vt miles acquirit mancipium, & famelicus pomum; vel per alienas, vt Rex per militum vires, & herus per seruorũ opificium, & per mercenarios rem familiarem.

Similiter etiam tenemus, possidemusque vel virtute nostra, id est, potestate, vt gladium miles manu; vel aliena, vt per seruos, & milites Rex possidet regnum. Et quidem potestas aliena vel est adscita, vt instrumentum; sicuti seruus & gladius, & diuitiæ, & domus, quæ sunt nobis instrumenta animata, & inanimata. Animatorum autem alia sunt rationalia instrumenta, vt vassallus, alia irrationalia, vt bos, & canis. Vel est adscita vt comprincipium, sicuti cùm duo trahunt nauim, & duo principes æquis viribus contra alium conspirant; vel adscita vt maioritas ad auxilium, & sic vassallus tuetur bona appropriata sibi per Regis vires; & Angeli sunt nobis spiritus administratorij: & Deus in scripturis sanctis dicitur nobis auxiliator, & adiutor tam ad possidendum, quàm ad acquirendum, quàm ad dandum: cùm enim Deus concurrit vt causa, & nos instrumentaliter prorsus, non dicitur Deus adiutor, nec auxiliator, sed autor & princeps, similiter cum vassallus defendit se per iustitiam Regis, dicitur Rex eius auxiliator. Cum verò per se operatur, vt cum furatur, dicitur vassallus per se causa absque auxilio: cum verò Rex vassallum per manum rapiens mittit illum per aera in hostem, non dicitur illi auxiliari, sed per illum merè instrumentaliter se se habentem operari pugnam.

Quidquid autem potest instrumentum putum, potest virtute agentis principali: ipsum tamen habet aliquod posse, quo potest esse instrumentum: vt ferrum potest fieri instrumentum belli, non autem papyrum, quoniam ex eo ob duritiem & vnionem penetratiuam minus vnitorum corporum carneorum interficiendorum, potest fieri gladius. Item gladius habet virtutem instrumenti etiam ex forma acuta ad penetrandum nedum ex duritie materiæ, quam non habet informe ferrum: ergo omne instrumentum habet quam non habet aliquod posse, & præstat aliquid ad causalitatem, sicuti naturalia instrumenta sensuum, & potentatuum, & appetitatuum facilius declarant; alioquin non sumuntur ad instrumentandum.

Sunt tandem potentiæ instrumentales mediæ inter principalem, & organicam, vt potestas serui,

Instrumentorum vsum esse, vel ex excessu, vel defectu agentis causæ, & commodo patientis: & quæ res in quas indigent organis.

ART. II.

SCIENDVM quod potestas instrumentalis additur potestati principali, vel ex defectu, & modicitate entitatis in agente, vel ex attemperamẽto virium eiusdem excessiuarum: manifestum est enim, quod si ego possem in pagina hac imprimere literas quas habeo idealiter in mente, non indigerem calamo, neque manu, imò nec cartha, sed tantum fine præconcepto, quod est manifestare, quæ in mente gero, statim signa hæc simul ederem, & cattham in qua sunt, quemadmodum & signa, & cartham mente habeo. At vnde est quod mente fabricari has literas, & chartam possum sola imaginatione, non autem exterius similiter fabricari vtrumque? Quoniã non habeo totam entitatem istorum in me: Deus autem cuius essentia est omnis essentia, & cuius nomen est omne nomen, dum vult simul cartham & literas ædificat: habet enim, nec aliunde accipere eget. Quapropter cum

omne ens finitum propriæ limitibus essentiæ contineatur, si quid sibi non essentiale editurum est, necessario indiget, & susceptiuo suæ effectionis ente carente; & insuper instrumento, quo illam edat effectionem in susceptiuum: Et quando edit aliquid sibi simillimum natura, solumque numero distinguibile, habet instrumentum sibi naturaliter adscitum, vtque sui partem: Etenim cum homo scribit indiget calamo organo accidentaliter adscito: cùm verò hominem generat, indiget mentula, & vulua sibi cõnaturalibus organis. Calor autem cum calefacit, videtur solo susceptiuo egere, non autem organo. Non enim virtus eius calefactiua est organum eius, sed ipsemet calor. Verumtamen opinandum est organum respondere facultati, eique adaptari. Igitur quoniam facultas est respectus ad obiecta exteriora; & organa sunt respectus additi ex altera substantia, consequens videtur, vt caloris organum sit propria vis vt relata ad calefactibile: Illud enim manifestum est, quod omne organum est alterius substantiæ ab eo cuius est organum, vt patet in artificiis. In Naturæ operibus similiter. Totum enim corpus animalis est animæ instrumentum, & alterius substantiæ ab ea: similiter oculus est organum non consubstantiale animæ videnti in corporeę: sed quoniam modificare debet & suscipere notiones corporalium obiectorum, fabricatum est de substantia corporum, & idea mentis præcedentis corpora. Quapropter videntur ea., quæ sunt mundorum anteriorum indigere instrumentis ad actiones edendas in mundo exteriores, & posteriores, non autem in proprio mundo, nisi propria facultate. Mens ergo in mẽtali mundo imaginatur, & & operatur omnia sine organis: in corporali verò ad operandum indiget organis: etenim non habet corporalium entitatem in se sicut Deus: ergo si quid facere habet, corporalibus indiget rebus, & organis adscitis, vel natura, vbi fit vnum ens ex incorporea, corporeaque partibus mundorum; vel ex accidenti, & arte, quando nouas edere operationes habet. Propterea arbitrandum est, neque Angelos, neque dæmones, neque mentes humanas posse mutare res corporales absque corporeis instrumentis, quoniam entitatem harum rerum non habent in sua essentia. Non ergo calefaciet diabolus, nisi adhibendo calorem; nec faciet ligonem nisi adhibendo ignem, & malleum, & incudem, vel alia organa hisce analoga, quib. vtitur homo: Deus autem absque igne calefacit, & facit ligonem: quoniam eius essentia est omnis essentia: ergo omnem entitatem præhabet, & effundere potest: vbi autem corpora non sunt mutanda, sed quæ ad primalitates tantum spectant, negotianda, ibi potest mens & Angelus. Propterea ergo mouet omne corpus localiter absque instrumento motiuo: quoniam potestatiui opus est mouere solius. Intelligunt etiam, amantque absque oculis & absque ventriculo, & veretro: quoniam opus primalitatum est intelligere, & amare. Igitur mens humana alligata corpori etiam videt & appetit plurima absque organis sola cogitatione: quatenus verò corporata non esurit sine ventriculo; esurire enim est actus organizati appetitus, seu amoris: nec videt Petrum absque oculo; videre enim est cognitionis modus organizatus sic, & ad hæc. Deus quoque, quoniam virtus eius est excessiua, & vniuersalis non modificata, nec imperfectionata, non potest facere opera diminutionis & imperfectionis participia sine instrumentis: & non potest manducare sine ore & dentibus, nec mingere sine pudendo: nec pati sine corpore, quamuis supra hæc operetur eadem augustius & vniuersalius, & det nobis instrumenta ad præfata opera capescenda, & vim. Igitur instrumenta requiruntur vel propter defectum, vel propter excessum, vel propter attemperationem.

De Potestate Mundorum adinuicem existentiali, & instrumentatiua.

ART. III.

QVAPROPTER mundus Archetypus, id est, Verbum ex ptentia Dei, agit in omnes saundos absque organis, nemum ipse operatur archetypi; puoniam præhabet omnium qmundorum omnes entitates, & potestatiuum eius est omnis potentia. At aliquando vtitur instrumentis non respectu sui, cum non indigeat, sed ad naturæ institutionem: sicuti & tempore est vsus sex dierum in creatione. At quia res non possunt eius influxum immensum suscipere, ideoque oportet illum per organa modificari, & aptari susceptiuis: sicuti aquarum molem totam non bibimus nos, sed cyatho modificamus eius immodicitatem, vt possit nobis aptari in potum. Omnis ergo instrumentatio diuina est vel ad institutionem, sicuti cum Deus sputo illuminat cæcum: aut ad doctrinam, sicut cum sanat iecore piscis Tobiam: vel ad attemperationem, sicuti cùm facit hominem in vulua hominis, & ex canali seminario. At verò esse facit Deus absque instrumentis: hoc esse, & illud esse aliquando facit instrumentis: Omnia ergo agentia sunt diuina instrumenta aliquo pacto, vt dictum est.

Mundus autem Mentalis habet potestatem non agendi in Archetypum, sed suscipiendi bona illius & entitates; ac insuper operandi metaphysicas operationes, id est, posse intelligere, & amare. Qui tamen actus sunt respectu inferiorum; respectu autem Dei sunt susceptiones: Dei enim potestati adhærendo fiunt potentes & possunt. In Dei sapientia sunt sapientes, & sapiunt; in Dei amore amantes sunt, & amant. Nec Deum penetrant in quo sunt, nec comprehendunt, sed penetrantur, & comprehenduntur ab eo. Mundum verò Mathematicum, & corporalem penetrant, & comprehendunt solis primalitatibus: sciunt enim, & volunt, & possunt, potius actiuè, quàm susceptiuè in inferiores mundos; & prout in Archetypo informantur & potestificantur, operantur in Mathematicos, & Corporales. Vnde mens nostra etiam ex vi primalitatum omnia intelligit, & vult, & potest, & imaginatur absque instrumentis. At iste mentalis mun-

dus non poteſt aliquid vltra in poſteriores, niſi adſciſcat ſibi inſtrumenta: vnde anima non generat hominem, niſi corpore.

Mundus Mathematicus erga Mentalem nihil operatur, niſi ſuſceptiuè: ab eo enim accipit ideas: ſed tamen erga corporeum poteſt ſuſtentare, & penetrare, & dare dimenſiones: nec patitur ab ipſo. Mundus corporeus non poteſt in Mathematicum operari, niſi ſuſceptiuè: ſuſcipit enim in eo exiſtentiam, & dimenſiones ab eo. Item numerum, & vnitatem. Non enim poteſt diuidi, niſi per ſpatium intermedians, ergo nec in numerum abire. Item neque formari & figurari, niſi ſpatium conſentiat eminentiis, & proceſſibus figurarum: nec moueri, nec quieſcere niſi in ſpatio, tamen per ſe ſtabili.

Poteſt tamen materia in cauſas poſtremas ſitualis mundi, coagit enim cum illis, & ſuſtentat ipſorum eſſe. Quapropter abſque inſtrumento ſuſtentat, ſed ſeipſa: coagit tamen per formas & figuras tanquam inſtrumenta adſcita: ſitualis autem Mundus in molem corpoream non agit, niſi ſuſceptiuè: ſuſcipit enim ab ea eſſe corporeum, & fundatur in ea; & ab ea diuiditur, & penetratur, & poſſidetur: etenim figuræ poſſidentur à materia, & calor & frigus abſque ipſa nequeunt ſubſiſtere. Nec poſſunt multiplicare eſſe ſuum, ſicuti mens ſola cogitatione, abſque materia: nec vniri ſimul ſine materia: & quoniam pertinent ad mundum ſitualem, in corporali ſuperædificatũ, propterea calor & frigus agunt abſque organis, ſolis facultatibus; ſuntque potius organa mentium.


Igitur Mundus Archetypus ſeparare à ſe mundum Angelicum vel alios ſequentes mundos non poteſt: quoniam extra ipſum Archetypum nihil eſt: & ſi poſſet eſſet ipſe Archetypus finitus: ſeparatur tamen ſola natura, quoniam poteſt eſſe Deus abſque aliis mundis tanquam prius ſuo poſteriori, & tanquam præhabens omnem entitatem poſteriorem, nec indigens aliqua entitate. Et quando dicitur mundus exiſſe à Deo, & homo ſeparari, intelligitur diſſimilitudinis gradibus, non loco; etenim ſicut calor non poteſt eſſe niſi in materia, & moles non niſi in ſpatio, & ſpatium non niſi in mente, ſic mens non niſi in Deo; & omnes mundi iſtorum non niſi in Archetypo: vnde in Scripturis ſanctis legimus ſeparari hominem à Deo, quoniam vadit in regionem diſſimilitudinis, id eſt, minoris participationis, & diſgratiæ: vniri verò Deo, quando in eius conſortium, & ſimilitudinem maiorem eleuatur, & gratiam. Gratus enim eſt illi, quatenus ſimilis illi.

Similiter mentalis non poteſt à ſe ſeparare mundum Mathematicum, quoniam extra mentalem non poteſt abire: Nec Mathematicus impedit in aliquo mentalem: ſed vndique & ſubitò ab eo penetratur, præſertim vbi mens non eſt corporata, ſicut humana: poteſt tamen à Mathematico ipſa ſeparari, quoniam prior: ſed non inuenies ſpatium abſque Poteſtatiuo, & cæteris primalitatibus. Mathematicus poteſt ſeparari vt prior à corporali, ſed non ſeparare à ſe corporalem mundum. Non enim poteſt corporalis extra Mathematicum fieri, aut ſubſiſtere, poſterius enim eſt, indigumque priori. Tandem corporalis non penetrat Mathematicum, niſi ſuſceptiuè, & penetrat ſitualem, ſicut dictum eſt.

SCHEMA POTENTIÆ, ET IMPOtentiæ, actuum, obiectorum, facultatum, ſeu principiorum, extenſionibus ad obiecta cuiuſque propria, cum eiuſque declaratio.

CAP. III. ART. I.

IAM ad ſchemata Potentiæ accedamus, & impotentiæ: quæ vt vides in figura declaratur per oppoſitas egreſſiones, & vias & poteſtationes. Annotabis penuriam vocabulorum in vtroque ſchemate, & quomodo oportet fingere multa.



PRIMALITAS
SAPIENTIA
Actus
Sapere
Obiectū
Veritas
Verum Ens
Verū Existens
Vere Operās
Vere Agens
Vere Patiens
Vere Vivēs
Egressio Respectus
Principiū
Cognoscitivū
Facultas
Extensiones vię ad obiectū
Cognoscibile
Sensitivū
Actus
Videre Visivum ad Visibile
Audire Auditivū ad Audibile
Odorari Odorativū ad Odorabile
Gustari Gustativū ad Gustabile
Tangere Tactivū ad Palpabile
Memoria
Memorativū Ad Memorabile
Reminiscentia
Iudicium
Determinatio
Numeratio
Ponderatio
Electio
Reprobatio
Decretum
Volibilium
Affirmatio
Negatio
Actiones ad extra
Pingere
Divinare
Dicere Ordinare
Loqui Scribere
Declarare
Obscurare
Tacere
Consulere
Comparare
Emendare
Incognoscibile
Extensiones erga obiectum vię
Nescitivum
Facultas
Principiū
Hæsitatio
Nonintellectio
non discursiū
non intellectivium
incontemplativū
Irrationale
Oblivio
Stupiditas
Insipientia
PRIMALITAS
Actus
Desiperare
Falsitas

Præterea notandum, quòd in hoc schemate non omnia vocabula habuimus nostræ ideationi opportuna: & propterea oportet fingere, præsertim quæ spectant ad insipientiam per negationes designatas in ly In, quod à Non in compositis ortum habuisse probabile est. Item quod ly In, seu Non, possunt accipi essentiatiuè, & sic constituunt Nonesse, & non posse, & nescire, & nolle interminatum primalicatiuè. Accipiuntur etiam negatiuè, sicuti cùm in propositione opponuntur affirmationi, & rursus negotiatiuè in re, sicut lapis dicitur non videns: & in operationibus dicitur omissiuè, sicut ocians, & in verbis, vt tacens, id est, non loquens, & sic spectant terminationem rei. Item sumuntur priuatiuè, vt cùm dicitur homo cæcus, non videns, & imprudens: in quo prudentia & visus inesse natura debent: & tandem contrariè, sicuti dicitur infidelis qui fidem impugnat: & inuidens, qui contra videt, volens nonesse quod videt; & in omnibus his est nonentis mistio, præterquam in contrario, vbi sola vt non sit est actio. Nam nihilum est infidele essentiatiuè: lapis negatiuè: Philosophus priuatiuè: hæreticus contrariè, & se habent seriatim, ita quod in contrario præest priuatio; in priuato negatio, in negatione inessentiatio.

Longum esset examen singulorum vocabulorum in schemate positorum, atque lineationem probè significantium congressus distinctorum formaliter, & vnitorum partim formaliter, partim materialiter, sed tamen vides planè, quod ex primalitate addito respectu manat principium, seu facultas, nempe Cognoscitiuum. Quod per suas extensiones, vocatas Notiones, partitur in sensitiuum, discursiuum, intellectiuum, & cætera: & quomodo vnumquodque horum per differentias à subiectis, & obiectis ortas, & organis, & non organis, partitur in plura: & quomodo ad propria obiecta. Item qualiter ex viis ad obiecta manant causalitates, & causæ operationum externarum, & actionum; quæ non satis explicatæ sunt, quoniam plurimæ innumerabiles: sed quilibet ex paucis exemplis potest eas habere, si doctrinæ libri secundi primæ partis non est oblitus. Nec potuimus in schemate eas figurare in ordine ad obiecta: sed satis sit nosse, quod ex causatiuo, orto ex principatiuo, egrediuntur.

Notandum insuper quo pacto ex contemplatione omnium notionum, & facultatum cognoscitiuarum, & causantium notitias, exque obiectis earum cunctis, tam ad sapientiam, quàm ad insipientiam spectantibus, oritur Iudicium: quod ex syllogismo in scibilibus concludit, definit, diuidit & præcipit axiomate: ex perpensione verò in potestabilibus numerat, determinat, & ponderat vires obiectorum, & quantitates, & entitates. Ex examine tandem volibilium obiectorum atque volentium facultatum, siue organicarum, siue non organicarum, elicit sententiam & decretum; quatenus eligere, reprobare docet, refetque. Item quomodo ex consultatione, consilioque (quod in operabilibus agibilibusque est instar Examinis volibilium, & Perpensionis possibilium, & syllogismi scibilium: omnes enim hi actus sunt discursus inquisitiui, sed tamen aliis vocabulis insigniri debent ad alias primalitates relati (aggreditur opus, vel ommittit, vel mandat, vel imperat, vel obedit; vel sequitur, vel fugit.

Præterea vsus omnium harum scientiarum bonus pro loco, tempore, & re ad fines certos vocatur Prudentia in Moralibus: quam in Metaphysicis non posuimus, quoniã non vnius est Primalitatis: & si est, ad praxim eius spectat: sed cum ordinatiuum apposuimus satis intelleximus prudentis opera.

DECLARATIO AMORIS ET DISAMORIS, EO- *rumque actuum, obiectorum, & principiorum, extensionum peculiarium ad specifica obiecta: & copulationum cum cæterarum Primalitatum rebus.*

CAP. IV.

SCHEMATA Amoris & Disamoris, primalitatum tertiarum Entis & Nonentis, intelligenda proponimus iuxta rationes traditas in primarum, & secundarum declarationibus ideatiuè, non materialiter, realiterque exhibitas

Notandum igitur valde distinctionem Disamoris, & Odij, & Mali, & aliorum nonentis facultates, & affectiones, qua possunt accipi essentiatiuè, negatiuè, priuatiuè, & contrariè. Etenim Odium essentiatiuè est idem quod Disamor, Nihili indeterminati. Sed negatiuè tollit Amorem in aliquo ente finito, vt lapis odit mansuetudinem, id est, non amat: priuatiuè verò tollit Amorem in subiecto apto amare: vt cum pater non amat filium; non tamen illi vult malum: & constituunt peccatum omissionis. Contrariè autem Odium vult malum & destructionem alicuius Entis: vt cum calor odit frigus: & homo cimices: & in Moralibus facit culpam commissionis. Et hoc modo ponitur etiam in schemate Amoris expulsiui, non attractiui. Et quidem accidit ex radice Nihilitatis, & exercetur ab Entitate: & propterea mistum reputari debet. Sic Abominatio, Zelotypia, & cætera descripta in figuris iuxta dependentias, & deriuationes suas: quorum doctrina in 1. & 2. lib manifestatur.

Quid autem desit ex vocabulorum penuria, ex regulis olim dictis, & schematibus habes. Obiecta quoque & actus ex propositis elicies. Odium enim, odire, & odibile, esuries, esurire, & esuribile: & sic de cæteris, dicimus.

Præterea sicuti datur iudicium egrediens ex notitia omnium facultatum, & notionum, & obiectorum perfectorum in 2. Primalitate, cuius actus ad obiecta omnium fertur Primalitatum cum suis denominationibus: ita etiam datur in Amoris, & Disamoris cathegoria post experimentum, & probam, & libationem facultatum, & affectionum, & obiectorum, datur (inquam) Decretum seu Propositum, nascens quidem ex iudicio cognoscitiui, & ex comprehensione Potestatiui. Ad ipsum decretum sequuntur actus. Diuiditur enim in decretum electionis, & refutationis, & damnationis; quarum habemus postea executiones causatiuas: id est, amplecti, accipere, tenere, manducare, frui, vti, vniri, coaptare, imperare, eligibilium. Refutationis actiones sunt fugere, declinare, auersari, omittere, emittere, inædia, separatio, abiicere, permittere. Damnationis, fugare, occidere, conculcare, relegare, ligare, mancipare, catenare, vetare, qui actus sunt quidem Potestatiui executiuè, sed volitiui imperatiuè sæpè magis: quando enim ab Potestatiuo sunt, concurrit volitiuum concomitanter, & coadiuuanter: omnes enim Primalitates ad extra indiuisas habent actionem. Verum enim verò adnotandum, quod post Potestatiuum, & Cognoscitiuum, & Volitiuum, exigit propriam cathegoriam etiam id, quod vocatur Operatiuum, seu Executiuum, quemadmodum ex Physiologia compertum est. Actiones enim causarum sunt: affectiones verò principiorum, vt ex iam dictis manifestum esse potest.

CATHEGORIÆ OBIECTORVM.

DELINEANDVM SCHEMA OBIECTI Potentiæ, quod est existentia, cuius est posse, id est, Postesse. Ergò finitum esse: & Potestatiui possibile, horumque declaratio.

CAP. V. ART. I.

POSTQVAM de Primalitatum respectibus, extensionibus, & causationibus dictum est figuraliter, nunc ipsarum obiecta figuranda præ oculis sunt, atq; insuper Influxus magni, qui ex eis. Posuimus quidem Potentiæ obiectum ipsum Esse: non autem essentiam: hæc enim essentiatur Primalitatibus, & non respicitur tanquam quid extans: extant enim quæcunque existunt extrà causam, aut principium suum. Nam quæ ad principiandum & causandum extendunt principium, causamque, non dicuntur existere, sed extensiones extantes, & processus, & vitæ, quemadmodum ex S. Dionysio elicimus, sanctisque scripturis, tota natura rerum contestante. Igitur quoniam Esse dictum est prius de Existentia, quàm de essentia Potentia quoque dicitur prius de eo, quod extat, quam de quod est. Posse enim esse post, vt vocabulum insinuat. Post verò est quod succedit Essenti existens: seu quod de essentia ad existentiam deducitur. Quapropter Primalitas non erat vocanda Potentia, sed potius, Entitas, vt August. solet vsurpare. Quod vocabulũ non respõdet rectè in Latino idiomate proposito nostro. Propterea tamen reliquimus nomen Potentiæ in Primalitate: quoniam forsan, post ipsam sunt omnia, & ipsa est post se semper, vt origo; & ante se, quo existit. Potentia ergo non dicitur neque posse, de illis, quæ sunt ita quod existere illis est idem quod esse: vnde antiquiores Philosophi dixerunt, *In æternis idem est esse, & Posse.* Et Theologi Scholastici ea, quæ sunt in mundo Archetypo, & nondum in Mundo corporeo per aliquam extantiam erga regionem dissimilitudinis, vocant possibilia, & quidditates, & essentias. Quæ verò sunt extra insuper, vocant existentias in actu, & indiuidua, & supposita; & substantias: quoniam extra causam sunt, & indiuidua in se diuisa ab aliis, & quod extra vnitatem primam abierunt, in qua sunt vnum: & quia supponuntur essentiis & subiiciuntur nouis accidentibus, quæ non habent in Archetypo. Quæ autem huiusmodi sunt, non verè Ens sunt, sed Aliquid: & Existẽs: propterea Potentia habet pro obiecto extra seipsum existens: quod tamen est finitum Ens. Vbicumque enim Essentia distinguitur ab Existentia, ibi necessario est finitudo, & Nonentitas, essendique modus particularis, & posterior. Quan-


D. Tho. 1. P.


quam Arist. obtrusa pilosophans ratione, dicat, Vniuersale, id est, Essentiam, & quidditatem non contractam, nihil esse aut posterius esse: cum omnino contraria assertio sit vera. Contractio enim ad indiuidualitates posterior est contrahibili secundum naturam, licet secundum cognitionem nostram corporatam prius occurrat nobis indiuiduum.

Distinguere igitur hic oportet modos essendi, vt figura Essibilium erigatur. Dicimus enim essibile, ne dicamus Possibile, quod Principio Potentiæ, scilicet Potestatiuo, obiicimus. Siquidem Essibile est, imò Ens omne obiectum Potentiæ, quatenus Entia seu Entitas est: Possibile autem est quidquid existit, aut existet. Magis tamen dicitur de eo, quod existet: quoniam ad hoc respicit Posse Potentiæ secundum nos: secundum naturam enim omne possibile aliquo pacto est, vt declaratum est in primo & secundo libro partis huius.

Schema Possentium, id est, existentium non per Esse, sed per aliquod Esse, vt Præesse, subesse, Substare, Inesse, Præinesse, Adesse, Subsistere, Extare, Inexistere, Coinesse, qui sunt modi existendi: eorumque declaratio.

ART. II.




PRIMALITAS
Amor
Actus
Amare
obiectū
Bonitas
bonū Ens
bonum Existens
bonum operans
bonum Agens
bonum Accipiens patiensue
bonum Conseruans
Egressio Respectus
Facultas
Amatiuum
Principium
Appetitus
Voluntas
Affectio erga presens internum obiectum
Voluptas
Actio
tensio
Erga externum
Letitia
Erga alienum
Gretulatio
Erga proprium
Gaudium
Erga commune
Iocunditas
Erga Absens
Desiderium
Actio Querere
Extentiones Vie ad obiectū
Amabile
Sectari
Decretum
Electio
Prosecutio ad
Possibile
Scituro
Volitum
Refutatio
Fuga
ab
Impossibili
Ignorato
Nolito
Damnatio
in
Destructivum
Afflictivum
Impeditivum
Disamabile
Extentiones Vie ad obiectum
erga absens obiectum
abominatio
odium
aversatio
retrocessio
imprecatio
erga communia
inocunditas
Meror
in proprium
ingratulatio
in alienum
illetita contristatio
in externum
inaffectio in ad obiectū presens internum
negative
positive
Displicentia
involuptas
Dolor
Respectus
Egressio
PRIMALITAS
Disamor
Actus
Disamare
obiectū
Malitia
Malū Desiderans
Malū Iners
Malum Torpens
Malum Auferens esse
Malum Annihilans

HOC in schemate Ens finitum ponimus obiectum Potentiæ. Ens enim infinitum nō dicitur posse esse, sed esse: cui posse idem est: hoc autem finitum Ens idem quod existens dicimus. De Deo enim prima Vnitate, vt docebat Parmenides, neque Ens dicitur, nisi secundum nostram rationem, & à posterioribus suis effectibus: ergo neque Præens, neque Substans, seu substantia; neque Subens; neque Inens: neque Præinens; neque Adens, neque Subsistens: neque Extans: neque Inexistens: neque Coinens: neque Coinexistens, sed aliquid maius, & ineffabile, vt docet Dionysius, & exprimitur per ly super balbutiendo. Dicitur enim supersubstantia: super præstans: superinens: superpræinens: supersubsistens: superextans: super coinexistens, &c. Etenim quanquam ly Ens, solum sit eius nomen: tamen omnia nomina habet, qui omnia dat nomina: Cum dat quidquid per nomen notatur, neque enim dat quod nō habet. Igitur dicitur præesse, & subesse, & inesse, & adesse, & subsistere, & substantia, in scripturis Diuinis, quoniam est in omnibus ante omnia, post omnia, super omnia, & cum omnibus, & seorsum ab omnibus. Neque enim dat esse ei, cum quo non est: neque est cum eo, quod esse accipit, cum ipse non accipiat, sed det. Similiter expones cætera vocabula, & propterea ponitur ly super, tanquam dicens immensum super omnes essendi modos. Omne Ens ergo, qui essendi modum habet, finitum est. Ergo proprias habet prædicationes affirmatiuas contractas. Angelus ergo & Mens omnis dicitur Præens in schemate hoc: quoniam constituitur Primalitatibus: quæ præcedunt omnia, & Mentalem extantem faciunt Mundum. Neque est vocabulum Entitatis earum, sed per relatiuum ad Entia subsequentia dicuntur præesse: quoniam etiam reuera nulla causa est aut operatur nisi ab eis, seu eis. Calor enim potentia, sensu, & Amore est, agitque: Materia quoque Potentia, sensu, & Amore subest: sic de cæteris.

Locus dicitur substans, quoniam intrinsecus extrinsecusque substentat omnia. Materia constituitur per ly subesse, à quo subentia dici posset: sed hoc vocabulum non est in vsu: propterea vocetur substantia. Forma dicitur Inens, quoniam nusquam est per se, nisi in materia, cui esse formale dat, accipitque ab ea materiale in vnitatem effectus. Actiua autem causa simplex, quæ etiam solet forma vocari, vt calor & frigus, cum non sint de se, neque agant ex arte, & arbitrio, sed ex natura; quoniam non possunt esse, nisi in materia, in qua semper plus esse, & radicari magis volunt, vnde finita ipsorum ratione finitur esse, vt dicebat S. Iustinus Doctissimus contra Gentiles: non dicuntur inesse, vt forma materialis totius, partisque & ipsa temperies; sed præinesse, quoniam vim agendi & mutandi formam habent, quasi super ipsam formam, materiamque præsentes. Constituimus deinde compositum ex materia, & forma per ly subsistere: quoniam subsistentia videtur quidam modus constitutiuus indiuidualitatis, & incommunicabilitatis rei existentis; cum seorsum est à causis. Materia autem, & forma, & actiuæ virtutes, non subsistunt, nisi complexu mutuo ad subsistentiam tertij Entis deducantur. Et ipsorum est semper communicari, vel diffusione, vel translatione: compositum autem sola existentialitate locali, qua nunc hic, nunc illic se se præsens exhibet.

Relatiuum constituimus per ly Adesse: eius enim est formaliter referri ad aliud. Ergo qua Relatiuum non inest, sed Adest quatenus autem relationis fundamentum, habet omnes essendi modos.

De Accidentibus prædicauimus extare, quando ab intrinseca essentia existente effluunt, vt insint, sicuti quantitas, & actio, & operatio, & facies, & figura, extantes à substantia.

Accidentia verò illata, vt cicatrix, adustio, dealbatio, & Musica, & huiusmodi, dicuntur inexistere, rectò sanè vocabulo, vt per se patet.

Totum & pars non per esse, neque Per substare, aut per inexistere, sed per Coinesse formalizantur: etenim pars non est in toto, cum sit totalitatis res, sed coest in toto. Neque Totum est in partibus, cum seorsum non sit, neque in illis sit, tanquam aliud ab illis: sed coest in illis, & illis. Quod in Parmenide Plato non satis considerauit, vnde melius soluere potuisset argumenta. Peripatetici autem vulgariter Philosophantur.

Notandum, quod modus existendi, & Coexistendi est multiplex insuper vt in loco, sicut Mundus in spatio; vt in vniuersitate sua, vt piscis in mari; vt in subjecto inexistentiæ, sicut litera in pagina: vt in subiecto potestatis, sicuti Rex in Regno, id est, sicut potens in organo suæ potestatis: & Amor seu fames in ventriculo, & intelligens in cerebro & oculo. Item vt in obiecto sui actus, veluti Amor in amasia, intellectus in intelligibili: & è contra. Est etiam causa in effectu, & principium in causa, & Primalitas in principio, vt in participatio, & effectus in causa, vt artificio, &c.

De Analogia, & gradibus Potestatum, & Possibilium, & actuum, & obiectorum.

ART. III.

PORRÒ Mechanici Philosophi non agnoscunt potentiam, quamuis ita loquantur, neque obiectum eius Essibile, sed Potestatem in Potestatiuum tantum, & obiectum eius, quod est possibile: & hoc contractum quasi ad mobile. Igitur, aiunt, Mouens habere virtutem, vt decem, quia mouet mobile, vt decem, & infrà, & non supra decem: quod si quid vltra facit, vel citra, nequit facere, vtique oportet illi additas esse vires vel ab organo, vel à causa: huic verò diminui, vel ab impediente causa, vel organo incommodo: & de his loquuti sumus in 2. lib. 1. p. Nunc autem extendimus Possibile ad id quod potest esse, & operari, & agere, & resistere, & pati, & tenere, & colligare, & diuidere, quorum rationes, & organa, & facultates de se patent, & ibidem atque in Physicis declarata sunt. Quæ sanè analogiam habent etiam ad incorporeas res. Etenim Angelus Raphaël ligauit Dæmonem Asmodeum. Et restitit Michaeli Angelus Regni Persarum 21. diebus. Gehemna est potentificium ad cruciatus animorum, sicuti corpus ad retentionem, & auris ad audiendum: Et ossificium ad fulciendum.

Gradus autem Potestatum sunt à propensionum vi, impetuque manifesti: plus enim grauare deorsum potest plumbum, quam lignum: & plus plumbi libra, quam vncia, nisi illi aër impediens connectatur. Ratio plus potendi est vnitas, qua plus in centrum possunt. Sed vnitates habēt gradus intensiuos, & extēsiuos, & quod vtrosq; habet potentius est. Tolle propensiones rerum ad suas vnitates, & deficient Potestates. Omnia autem Arcem vnitatis appetunt, ipsam scilicet diuinitatem, & à regione dissimilitudinis distrahuntur, sicuti lignum vnius Talenti minus grauat in aqua, quam lapillus vnius Vnciæ: quoniam aëris lignum colligatione in dissimilitudinis, & disunionis regionem actum est. Similiter minutissimus lapilli puluis magis tardè incentratur, quoniam nonentitatis participium multum in dissimilitudinis regionem trahit: descendit tamen post tempora, quod non facit lignum: quoniam præstat nihilitatis pati dissimilitudinem aliquantæ, quàm impuritatis in oppositum trahentis: & malum negatiuè super minus est malo contrariè sumpto. Sic Dæmon plus separatur à Deo quamuis illi similior, quam Mens humana, quamuis minus similis negatiuè, non autem contrariè, & priuatiuè vt Dæmon.

QVOMODO VERVM OBIECTVM SAPIENTIS distinguitur à veritate obiectum Sapientiæ: & quomodo copulatur consecutiuè, cum objecto Potestatis, & de suis membris, & de distinctione inter esse, ac verum esse.

CAP. VI. ART. I.


QVEMADMODVM Sapientia præsupponit Potentiam; ita Veritas Existentiam, quod dicimus esse. Et quot modis contrahitur ergo esse, totidem veritas, quæ est sanè esse relatum ad cognoscentem virtutem: est ergo veritas esse cognitum vel cognoscibile: cognoscitur autem quia est. Nonentis enim non est cognitio, nisi quatenus per Ens concipitur. Idem ergo esse, quod verum esse sine respectu. Esse ergo prorsus solummodo Est dicitur, prout ly est, dicit essentiam, & existentiam. Et hoc solum veritas est: cætera verò non sunt veritas sed vera: propterea veri, hoc est finiti Entis cogniti à prima Veritate, deducti ad existentiam à Prima Potestate correspondentis eidem, vt est intellectus, & Sapientia, nunc schema tractemus.

Vbi per verè præesse, verè subesse, verè inesse, verè præinesse, verè subsistere, verè extare, verè inexistere, verè coinesse declarauimus veritates finiti Entis, vt relati ad cognoscitiuum. Ex his deducitur verè causare, verè operari, verè locare. Causare enim est causantem esse, agere agentem esse. Et tunc dicitur verè agens, cum est actu agens, sic de cæteris.

Schema

Schema Veri, & Falsi.

ART. II.



De Falso obiecto Insipientiæ multipliciter sumpto, declaratio.

FALSVM autem apponitur Vero, vel existentialiter : & sic quidquid non est vllo pacto, falsum est. Et quatenus cognoscitur non esse sicut non est, dicitur verè falsum est : ly enim verè, non cadit super ly falsum, sed super actum cognoscentis falsum: vel opponitur negatiuè, & sic dicitur Mens falsò corporea esse, & substare formis corporatis : & relatio vt relatio dicitur falsò inesse, sed verè adesse. Vel opponitur falsum vero priuatiuè: & sic cæcus dicitur falsò videre, & intellectus delirantis falsò intelligere; non enim vt debet, vtque aptus natus est : vel contrariè, & sic falsus dicitur Mendax, qui mentitur, id est, contra mentem itur; & veritatem oppugnat : & hæc falsitas est Morale vitium multiplex, vt in secunda parte Philosophiæ realis demonstrauimus.

Apparens ergo dicitur, quidquid est & cognoscitur : sed si non prout est, illud propriè apparens dicitur : Nunquam enim falsum essentialiter est apparens ens ; sed falsum priuatiuè & contrariè, aut forsan negatiuè. Entia ergo Chimerica, quæ in rerum natura non sunt prout nostro intellectu repræsentatur, quoniam ab intellectu Diuino non ideantur vt sint, sed ab humano : vel componuntur ex reali exteriori, & apparenti interiori : sicuti cum ægrotus ex parua linea visa in pariete dicit se videre serpentem. Addit enim imaginans spiritus exteriori speciei interiorem nolens aliquando. Vel formatur ex interioribus ab intellectu volente ; sicut cum nouas machinas, & fabricas excogitamus volentes : & hæc vis diuina est in nobis ita ideare valens ; vel partim est ex interiori, partim ex exteriori ; sicuti accidit somniantibus & imaginosis, qui nihil extra vident; sed fuligines, & humores interiores obiiciunt Menti ea, quæ putantur extra corpus, & non sunt, sed in spiritu animali vnito Menti : & in hoc est sæpè deceptio, vt in prima nolentis imaginatione.

Vtrum autem possit homo aliquid ideare ex

ſpeciebus extrinſecus non receptis, quemadmodum multæ ſic videntur, & non ſunt; nam prius receptæ ſopitæ erant in lætheo Mentis, non poteſt homo ſcire, niſi benè conſideret, quod omnis entitas eſt à primo Ente etiam cum Calor facit calorem effundendo propriam entitatem: detur tamen animæ quod effundat ſimiliter notitias: nec dicatur falli, niſi quando putat in mundo corporali fieri ea, quæ ipſa fabricatur in Mundo mentali: tunc enim fallitur, ideoque dicitur falſa. Mendax verò quando inſuper ſciens ſe falſam, venditat, vt veracem: ſicut qui auricalchum, quod eſt falſum aurum, dicit eſſe verè aurum.

Veritas autem & falſitas non eſt in rebus niſi relatis ad intellectum ideantem, diuinumque; vel ideatum, diſcentemque, vt dictum eſt prius. Excentrici autem, & epicycli, & Coluri, & Tropici, quos Mathematici ſupponunt circulos, non verè ſunt corporaliter, ſed Mathematicè ſignantur tamen verè in Mundo corporali, quoniam ibi ſunt eleuationes, & depreſſiones, & puncta expatiationum planetarum corporaliter, vbi tales circuli deſignantur Mathematicè.

In omnibus autem oportet valdè conſiderantem eſſe, vt ſcias quid de quo Mundo eſt verè, & eſt apparens tam exiſtendo, quam agendo: in hoc enim Medici valdè decipiuntur, quoniam vim tribuunt qualitatibus corporeis, quæ eſt Primalitatum: & res prout nobis apparent, non prout ſunt, qualificant. Non enim Cicorea frigida, neque ficus ignis ſecundum naturam, quemadmodum apparent ſecundum nos, & in quibuſdam; ſed omnia perpendenda ſunt, & vtrum ſint, & vtrum appareant, an ſint, &c.

BONVM OBIECTVM AMORIS PRÆSVPponere Verum, & Exiſtens: & quo differt à Bonitate. Et qua ratione conſimili eius ſchema depingendum eſt.

CAP. VII. ART. I.


QVONIAM Amor præſupponit Sapientiam, & Potentiam, idcirco Bonitas præſupponit Eſſe, & Veritatem. Bonitas ergo eſt prima Entitas, Veritas, vt obiecta ſibi probataque volitaque. A prima Bonitate dicitur Bonum, quidquid contractam extra Bonitatem primam habet aliquam bonitatem, quæ vt refertur ad primam Voluntatem; ſeu primum Amorem, principiatiuum approbantem res, vt ſint, dicitur bonum cauſatum, & participatiuum: vt verò ad ſe vt volitam ſibi, vel alteri coexiſtenti Volitiuo, dicitur appetibile, & appetitum. Appetitur autem quod eſt, ac ſimul verum eſt. Nonens enim amari non poteſt: neque Ens apparens ſeu falſum. Neque enim aurum quatenus falſum placet; neque Voluptas quatenus falſa, ſed quatenus voluptas: licet aliquando amemus falſum eſſe inimico, dum per Verum eius eſſe noſtro timemus eſſe, ſicuti ſæpè docuimus. Sic neque oditur, timeturque verum malum, quod falſum putatur, neque falſum malum, niſi cum putatur verum: horum ſchema ſic depingatur.

Declaratio Figuræ Boni.

ART. II.

VBI ſanè contrahitur ly Bonum per præens, ſubſtans, ſubens, inens, prę-inens, adens, ſubſiſtens, extans, inexiſtens, co-inens, propterea quod tot ſunt bonitatis, quot Entis modi: nec vocabula propria habemus. Dicendum etiam erat in contractione Bonum verè præens, Bonum verè ſubſtans: ſeu ſubſtentans verum bonum, vt repræſentetur prǽſuppoſitio Veri, & Entis, ſuper quibus fundatur bonum. Sed quoniam intelligitur hoc ex dictis, figura gracilior, ſic formata eſt.

Bonum quidem cuilibet eſt bonum ſuum eſſe, quo fruitur Ens omne. Item quidquid conſeruat eſſe ſuum, quo quidem non fruitur, ſed vtitur: conſeruare enim eſt continuare eſſe, & ne deſinat ſuſtentare: hoc autem non facit niſi dans eſſe.



Quapropter in Deo idem eſt Bonum Entificatiuum, & conſeruatiuum, formale, & actiuum: in creaturis verò non item. Bonum enim hominis eſt eſſe hominis formaliter, ſeu eſſentialiter. Bonum verò conſeruatiuum eſt cibus in ſe, & locus, & coexiſtentia, fama in aliis, proles in altero ſe. Deus autem vt Entificatiuum, idem enim dat eſſe, & conſeruat nos per ſe, & per bona exteriora; quæ vocamus vtilia, & honeſta. Et ideo Deo fruimur in ſe, vt in nobis eſt largiens eſſe, & continuans: vtimur verò vt eſt in cibo, hoc eſt, dat cibum; quia vtimur dono eius, vt Hilarius interdum loquitur. Et quia Deus eſt tota bonitas creatura pars boni, propterea omnis creatura magis amat Deum quam ſe: etenim quantum habet à Deo de eſſe, tantum habet de poſſe: & quantum de vero tantum de ſcire: & quantum de Bono, tantum de Amore.

COROLLARIVM.

EADEM ratione constituendum esset schema, de Malo, qua de Bono, & similiter de Nihilo qua de esse; & de Falso qua de Vero, sed arbitramur ex suis oppositis innotescere.

De Mali Cathegoria.

ART. III.

DICITVR autem malum oppositum bono multipliciter, vel quidem essentiatiuè, & sic est idem cum nihilo, & falso primi modi, & contradictoriè opponitur Bono; vel negatiuè, sicut dicimus lapidem malè videre, quia nō videt: & asinum malè volare, quia nec aptus est volare: & sic opponitur diuersificatiuè; vel priuatiuè, cum dicimus hominem malè ratiocinari, qui delirat; & pictorem malè pingere, qui benè debet ex arte, vel natura pingere. Et hoc propriè est malum in bono, & dicitur Morale malum constituens culpam omissionis: & calceus dicitur malus, qui pedi non est aptus, commodusque. Et de hoc malo intellexit Dionysius, cum dixit, Malum non esse, nisi in Bono, cui priuatiuè opponitur. Sumitur tandem Malum contrariè, vt calor est malus frigori, & dæmon homini contrariè, qui tamen sibi est malus priuatiuè: & hoc malum constituit plerunque culpam commissionis.

Est autem hoc malum destructiuum, priora autem mala non sunt destructiua, sed non constitutiua Boni. Contrarie autem Malum destruit Bonum eius, cui est bonum. Destruitur autem omne siuè in se, vt cum occiditur homo: siuè in simili, vt cum filius occiditur, siuè in honore, cum infamatur vt malus, fitque execrabilis in mente illorum in quibus seruabatur, vel in rebus vtilibus, sicut cum bona quibus seruatur damnificantur, & impediuntur, &c. vel destruitur in Deo existentia, cum scilicet recedit ab eius lege, & voluntate: qui recessus est mors in esse diuino, quo beamur. Est enim in summo bono, vel in mediis, & viis ad illud summum damnificatio omnis, vt suo in loco declaratum est. Ex his patet qualiter insufficiens est diuisio Boni, in Voluptuosum, vtile, & honestum. Filius enim neque voluptuosum, neque vtile, neque honestum simpliciter. Sed dicendum erat aliud bonum conseruans in seipso, aliud in se altero, aliud per famam in similibus aliis, aliud in Deo: sic etiam malum.

Spectat autem ad conseruationem omnis facultas, & omnis affectio, & omne obiectum benè afficiens.

Cum autem Dionysius, & alij extendunt Bonum vltra Ens: quoniam homini bonum est non esse asinum, & bona est inimici mors. Et bonum est non esse ebriū; hoc per accidens dicitur ratione Entis. Homini enim bonum est nō esse asinum, quatenus asinitas aliquid minuit illi de humanitate, non autem quatenus adderet. Idcirco, si homo eminenter etiam est asinus, & potest quidquid homo, & asinus, instar ficti Centauri, melius est quàm homo non asinus: at si addita asinitas impedit rationalitatem, tunc malum est hoc esse, quia ponit proprium hominis nonesse. Similiter amatur mors inimici, vt bona nobis, non simpliciter, quoniam timemus ab ipsius esse; vnde Calor odit esse Frigus, non qua Frigus est, sed qua moriens est contrariè Caloris.

COROLLARIVM.

DE Appetibilibus ergò, & odibilibus Philosophandum est iuxta regulas præsentes. Tot enim modis dicitur Appetibile, quot Bonum: similiter, & odibile. Item aliquid est bonum Ens, non autem Agens: & aliquid est simul Malum, & Bonum, respectu diuersorum, ad quæ, vt mihi, & tibi, & in se: vt bonus est in volitione, malus in exequutione quispiam; bonus oculis, malum auribus. Solus Deus omnino est bonus omnibus in se, & simpliciter, etiam cum est pœna damnatorum, vt inquit Bern. in V. de Consid.

DE CATHEGORIIS MAGNARVM INFLVENtiarum, videlicet, Necessitatis, Fati, & Harmoniæ, & qualiter sunt in primo Ente, & à primo.

CAP. VIII ART. I.

CATHEGORIAS Influentiarum magnarum apponere iam oportet, scilicet Necessitatis, Fati, & Harmoniæ, à prima Potentia, prima Sapientia, & primo Amore, manantium, quatenus respiciunt obiecta, videlicet, Existens, Verum, & Bonum, respectu exteriori, qui ad multitudinem fertur extra primam Vnitatem. In prima enim Vnitate, primoque ente, hæc omnia sunt vnitas, & vnum. Cuius essentiatio est Potentiæ, Sapientiæ & Amoris vnitas vnissima per toticipationem, & coinentitatem supersubstantialem: & omnis essentialitas seu primalitas est obiectum omnis & singulæ: & quod ex eis essentiatur essentia est omnium, & simul existentia, potius dicam, esse: & Veritas & Bonitas, licet rationibus distinguantur. Est etiam ibi necessitas essendi, sic & non aliter, non impedibilis à suo esse per aliud, neque per se, neque potens non esse, id est, impotens esse. Est Fatum & Harmonia quatenus hoc ex hoc, & in hoc hoc, & hoc ad hoc, more verbi procedentis à fante, non sorte, sed natura, quia nullo consortio Nihili interueniente: item amoris connectentis, & ponentis Harmoniam talem, tantamque qua in nullo diffideant; dissimilentur, dum quia distinguuntur relationibus, non confunduntur deordinatione: & sunt omnino vnum beatum esse: de quibus omnibus in præcedentibus libris dictum est, quantum nostra valuit exiguitas.

Necessitas ergo, Fatum, & Harmonia, sunt in primo Ente fundamentaliter, sicut & Oppositio, & Numerus: at in rebus ab eo manantibus sunt influentiæ: quibus rerum multitudo, & ordo, & concatenatio entificantur: quamuis oppositionum speciebus constent innumeris videlicet contradictione, contrarietate, priuatione, diuersitate, differentia, singularitate, varietate, sicut dictum est prius: constant autem omnia per dictas influentias, quatenus colligantur, entificanturque vnitate, nec ad talem diuisionem abeunt, quæ omnino annihilet; sed enim Entis, & Nonentis constant participio.

De Necessitate absoluta, & hypothetica essentiæ, & existentiæ: quæ à sex generibus causarum est sexuplex: earumque rationes.

ART. II.

NECESSITAS ergo absoluta, omnimodaque est illa stabilitas essentiationis entis, qua ita est sic, vt non possit non esse, vel aliter esse, neque melius, neque peius, neque magis, neque minus, neque vnitius, neque sparsius, neque prius, neque posterius, neque vbi, neque alicubi, neque alterum à se vlla alteritate: & vocatur Necessitas simplex omnino in summa potentia, seu potius esseitate fundata, solaque distincta ratione: & hac Necessitate Deus est solus necessariò. Neque enim potest non esse, neque aliter esse atque est: neque aliter posse, neque aliter sapere, neque aliter velle atque vult voluntate intrinseca, & sui ad se. Hæc autem necessitas est simul spontaneitas omnis expers coactionis, & summa libertas omnis expers seruilitatis, & dependentiæ, summaque opulentia omnis expers ægestatis, summaque firmitudo, omnis expers impedibilitatis, & resistentiæ. Et cum omnia entia contineantur in primo Ente, necesse est, vt in eo necessaria sint: ergo Mundus Archetypus necessarius est: & res mundi Archetypi cum non habeant existentiam sed essentiam; secundum quam dicuntur quidditates æternæ: vt verò respiciunt existentiam, dicuntur possibiles, quia post esse possunt, id est extra vnitatem ad regiones dissimilitudinum prouenire: propterea possibile est radix existentiæ à prima potestate respectabile: ergo res ad extra productæ recipientibus essentiis, quidditatibusue suas existentias contrahunt secum Necessitatem simpliciter, sed hypotheticè, id est, ex suppositione: supposito enim, quod primum Ens vult eas facere, extra suam essentiam, extraque mundum Archetypum; necessariò sunt seu extant, & eo quidem modo quo Deus esse, seu extare ipsas vult voluntate: ordinat sapientia, & facit virtute, id est, actiua potestate. At quia cadunt in regionem dissimilitudinis, propterea quod extra Deum diuiduntur ab eo essentialiter, & ab inuicem insuper multis distinctionibus, quas participant ex nonente, in quo eduntur extra Dei essentiam, qui fundauit omnia super nihilo, portatque omnia verbo virtutis suæ, ne annihilentur: igitur contrahunt ex nonentis participio Impotentiam, Ignorantiam, & Disamorem, sicuti ab ente habent Potestatem, sapien-

tiam, & amorem: propterea sunt etiam alio modo quàm in Deo: & ista alietas non datur à Deo, sed permittitur, & ordinatur, quemadmodum è contra similitudo datur, & ordinatur. Igitur Necessitas suppositionis participat hæc omnia, & egestatem ab impotentia, semper enim indiget, vt à Deo seruetur id quod necessariò extat; & casum ab ignorantia: ignorat enim vnde sunt, & à quo, & nisi doceantur à Deo, vel mediatè prout fert præsens sensus feruntur, & impulsus alienus. Item discordantiam à Disamore, quoniam non amat quæ oportet ad suum esse, & conseruationem, nec ad aliorum esse: vnde aguntur, & spontaneitatem amittunt: Deus tamen vtitur ad maiorem, & mirificentiorem vitam rerum ipsarum egestate, & ignorantia, & odio, & defectibus, sicuti declaratum est prius. Et prout existentias rerum à suis causis, quibus dat esse, & causare, Deus deriuat, habent similiter ab illis necessitatem. At si omnia faceret Deus immediatè, & solus, ita necessaria esset existentia & actus eius, & euenta, sicuti essentia: neque vllus defectus, neque culpa eueniret, quoniam à causa ente absque alia donata participio nonentis, existerent: sed quoniam non Deus solus lucet in sole, sed sol lucet Deo dante, nec calefacit Deus nisi calore, secundum ordinem naturalem, quamuis possit etiam sine calore: propterea Necessitas in Contingentiam degenerat, & impossibilitas è contra in possibilitatem. Impossibilitas enim est influxus impotentiæ nonentis essentiatiuæ: & si sola esset in rebus, nulla res posset esse, propterea incidunt res in possibilitatem, quæ contingentiæ miscetur ad eius constitutionem, quemadmodum nonesse asinum cum esse hominis vnitur ad constitutionem hominis.

Igitur prima est necessitas simpliciter de qua non est cathegoria præsens: secunda est quæ pendet à potessibili primæ potentiæ volentis producere ad exteriora: quod potessibile distinguitur in necessarium & contingens; quod quatenus est, & dum est, necesse est esse; quatenus non est, est impos. at quatenus est simul & non est, & in fieri, est contingens. Sed necessarium in essentiis, quamuis deductis ad existentiã est simpliciter, vt à primo Ente. Non enim homo potest esse non rationalis, neque triangulus non habere tres, neque non fieri septem ex tribus, & quatuor commistis: hæc enim omnia sunt sempiternæ veritatis, vt ait Augustinus. Igitur possunt ad existentiam non venire, & tolli cùm venerint, non tamen aliter esse vel magis, vel minus secundum essentiam. Propterea benè D. Thomas statuit non posse fieri meliora entia, quàm sunt à Deo, quo ad essentias; sed tamen quoad perfectiones indiuiduales, ortas ex existentiæ cum essentia conspiratione. Ergo neque melior necessitas, neq; melius fatum, neque melior (infero) Harmonia, nisi indiuidualiter considerentur. Necessarium verò in existentiis est à secundis causis; propterea tot modis dicitur, quot sunt causæ.

Igitur alia necessitas est à causa finali, quæ tamen non est necessitas nisi præsupposito fine: vt volenti animaliter viuere necessarius est cibus: & huic vitæ hic cibus: aliter enim pane, aliter carne afficimur ad vitam, & hoc pane aliter atque illo. Quapropter simpliciter est necessarium illud sine quo ad finem non peruenitur: vt nisi egrediaris è domo non ibis in plateam. At si potest haberi finis, sed non commodè, aut non facilè, aut non iocundè, dicetur necessarium, id est, secundum aliquid, videlicet, facile, commodum, & iocundum. At videtur nunquam esse iocundum, quod est necessarium: vellemus enim consequi finem, statim absque medio: si ergo medium præcaptamus necessitate eius compulsi, ex hoc enim non iocundamur, sed ex facilitate, vel ex prægustatione finis. Igitur voluptas in cibo & Venere non sunt à medio, sed à finis prælibatione, quoniam vitam indiuidui, & speciei in illis actibus prælibamus. Bonus quoque Deus laboriosis rebus ad finem meliorem mediantibus instillauit voluptatem finis.

Alia necessitas est à Perfectione; vt perfecto homini necessaria est virtus, & quantitas formæ regnanti apta, & strenuitas, & rationabilitatis expeditio, & quæcumque ad formæ spectant cum materia vtilem compositionem: vt lapidi esse durum, &c. ea autem sine quibus perfectio habetur, sed non exacta, dicuntur commoda si affuerint, & ornamenta, vt Grammaticum & Musicum esse homini rationali. & tamen ad Musicum esse insuper aliqua sunt necessaria, alia vtilia, & commoda, vt patet.

Alia est Necessitas à causa agente: vt necessariò aër mouetur cùm homo impellit manum; & necessariò calefit manus præsente calore non impedito: quoniam calor necessariò calefacit: quoniam potest, scit, & appetit hoc propter suum bonum, quo seruatur. Non necessariò autem impeditur agens agere, vel patiens pati: sicuti cum oculus clauditur non suscipit lucem præsentem: sed necessariò suscipit, nisi impediatur. Hæc autem necessitas cum consentit patiens, propter bonum suum dicitur spontanea: & cum ego in hyeme ad ignem calefio, approximatus, necessariò calefio, necessitate tamen nedum spontanea, qualis in cane sese calefaciente, sed etiam libera: quoniam ipse excogitaui ignem accendere ad finem mihi præconceptum bonum: Cùm verò patiens dissentit, quia bonum ex hoc non habet, sed malum: dicitur necessitas coactionis, vt cum manus comburitur, non potens euadere malum combustionis. Nam etiamsi ab alio quis non adigatur ad sui combustionem, sed ipse apponat manum credens se non combustum iri, etiam necessariò comburitur necessitate coactionis, licet accessus ad combustionem fuerit volontarius non quatenus est combustio, sed quatenus calefactio.

Necessitas vero à causa materiali est cùm cadit deorsum ex arbore homo, trahente ipsum materiæ propensione ad centrum: quæ tamen necessitas non esset, si homo extra Mundum hunc poneretur, vbi erga nullum ens propendat pars eius vlla: dicitur etiam diuisibilis necessariò, quoniam constat ex materia apta diuidi, & vniri: Commodè autem cum etiam dispositus est ad diuisionem: vnde alio modo dicimus diuisibilem arborem, atque lapidem, & metallum.

Necessitas tandem à causa ideali est, vt fiat res similis omnino ideæ principalis causæ: vt Cæsaris statua similis Cæsari, & homo similis homini generanti, potius autem existenti in mundo Archetypo, & hoc accedit ad necessitatem essentialem. At quidem potest esse homo & circulus, etiamsi totaliter circuli ideæ non respondet; attamen & talis homo talis ideæ participationi tali correspondeat oportet, & iste circulus isti ideationi, siue per præcognitionem, siue per prædestinationem.

Necessitas autem formalis est cum res consti-


tuitur suo essendi gradu : Non enim est homo nisi per formam hominis, & totius, & partis.

Omnis quidem effectus est causarum compendiatarum existentia indiuidualis ad certum modum, hoc est, formam, reductarum ; quæ forma facit esse hoc, & non illud : igitur necessaria intrinsecus est forma, non autem ad solum esse, sed etiam ad essentiam : cæteræ enim causæ esse tantum respiciunt : & quidem Petrus non potuit oriri, nisi à patre Iona, eo tempore, & conditionibus, & locis, quo natus est : series enim causarum ita se habet, vt hoc, hoc tempore, illud alio producat, alioquin non esset series fatalis, sed temerarius casus : potest quidem Deus, quoniam omnes causas in se habet eminenter & series, producere Ioannem in alio tempore, & ex aliis patribus quoad essentiam, non autem quoad existentiam indiuidualem, qua ita est hic natus ab hoc, & in hoc quod non alius : sicut etiam potest ex mortuo facere viuum, & de cæco videntem, quod tamen non facit natura, quoniam ordo fatalis est, vt omnia præcedentia sint causæ subsequentium, nec possit consequens esse præcedens, & præsens, esse præteritum.

Schema Necessitatis describitur, & declaratur.

ART. III.

NVNC schema construere licet : in quo possimus id, quod in Deo, & æquiualens nostro necessario, & libero, & contingenti, & dicatur supernecessarium more Dionysiano : ex quo deriuamus possibile, id est possessibile, quod in necessarium, & contingens disſecetur : & plurimi modi necessitatis describantur : & quomodo contingens participat oppositum necessitati impossibile, & quomodo possibile oppositum impossibili participat videlicet necessarium, & contingens : ac possibile huiusmodi conuertuntur : non autem possibile, quod præcedit necessarium, & contingens, vt palam est.



Dicitur autem Possibile & Contingens tot modis, quot Necessarium, & Impossibile, videlicet à causis respicientibus Potestatiuum, id est, materiali, & effectiua: & à respicientibus Volitiuum, scilicet finali, & perfectionali: & à pertinentibus ad Cognoscitiuum, scilicet ideali & formali; & ab omnibus simul: series enim rerum ex causarum & causationum nexibus catenatæ totalis non rescinditur, & sic facit ineuitabilitatem; vel coniunctim, vt in naturalibus: vel disiunctim, vt in voluntariis: partialis autem rescinditur ob impeditiones causarum; & sic fit contingentia: Impeditio enim constituitur per nonesse essentialiter, licèt effectiuè, & contrariè fiat ab altero esse. Additur ab occasione, & à conditione Necess. & Impos. &c.

Necessitatem causalem non dari nisi ex Volitiui decreto, Cognoscitiui sententia, & Potestatiui imperio, & executiuo per se, non per aliud, nec impedibiliter: Et cum necessitas tribuitur Voluntati, vel Scientiæ, vel Potestati, practicè intelligendam esse: & quatenus simul ad extrà comspirant: & de tribus Necessitatibus, quæ iterum inducunt vel coactionem, vel infallibilitatem, vel ineuitabilitatem.

ART. IV.

PRÆTEREA scire oportet, quod Necessitas fatalis, & ordinis rerum, & causarum effectus, qui Auicennæ semper videtur necessarius, quoniam à causa in actu posita, & non impedita necessariò egreditur, & impeditio omnis est necessaria, vt philosophatur ex Alchorano Machometi. Alexandro verò videtur contingens, si à causa impedibili, quanquam non impediatur, quoniam putat cum Arist. contingentiam esse entis membrum: sicuti videtur necessarius, qui à causa non impedibili accidit. Nobis considerandi sunt ex radicibus Primalitatum. Videmus enim non propterea nos facere effectum, quia scimus illum facere: ego enim scio scribere hac nocte, sed non scribam: similiter neque quia volumus: equidem vellem scribere, & vellem non peccare, & tamen non scribo: *Et quod odi malum, illud facio,* sicut dicit Apostolus. Nec quia possumus aliquid, propterea fit: possum enim ire Romam, nec propterea eo: ergo forsan quia volo, scio, & possum? Nequaquam: homo enim potest se se ab adulterio abstinere, & vult, & scit, & tamen adulteratur; & ego volo hac nocte scribere, & scio, & possem; & tamen non scribam: & cur? quia facultates egredientes à Primalitatibus erga obiectum non propendunt quantum est opus: oportet enim prius posse, deinde intelligere, deinde velle id, quod faciendum est, & tandem applicare Potestatiuum ad exequendum per imperium Potestatis: non enim sufficit consilium cognoscitiui, neque decretum Volitiui nisi accedat imperium Potestatiui, quod dat efficaciam consilio & decreto, & potestati: & cùm cæperimus vel principiare volumus effectum, & cum prosequimur, oportet impedimenta nulla opponi præpotentia mutare aut voluntatem, aut intellectum, aut potestatem. Manifestum est enim quod cùm aliquid agimus, si quid melius occurrit, mutatur voluntas, & non prosequimur: & si amittimus scientiam illius effectus faciendi, quiescimus: & si vires deficiunt Potestatiuo, quamuis voluntas, & scientia non desint, cadimus in via, nec prosequimur. Igitur ad omnem effectum producendum requiritur facultas Potestaui, scientia Cognoscitiui, & decretum Volitiui: & insuper imperium executiui: quod tamen imperium est omnium Primalitatum materialiter, sed Potestatiui formaliter: Executiuum etiam, seu operatiuum est omnium Primalitatum congressus ad principiationem: sed sicuti ex Potentia oritur Sapientia, & ex vtrisque Amor, ita actio & exterius opus à Potestatiuo incipitur dirigente Cognoscitiuo, & impetente Volitiuo.

Quapropter rectè Origenes dixit, res à Deo propterea cognosci, quod futuræ sunt: etenim scientia non causat res, sed tantum scit: neque ponit, nec præsupponit necessitatem existendi rebus ad extrà, nisi videantur ad extrà; sed tantum existendi in Mente, in qua cognoscuntur. Augustinus è contra propterea res futuras esse docet, quod Deus præsciuit: quod tamen non est verum, nisi de scientia visionis: si enim aliquid video extra me, illud necessariò est; at non propterea causo illud: potest enim aliunde causatum esse; scientia enim præsupponit esse. Quapropter neque peccata necessariò sunt, quia Deus præuidit: non enim illa præuidentia est causatiua, neque tamen causata. Nulla enim Primalitas ab obiectis mouetur, nisi occasionaliter, vt dictum est: Et quidem Deus cognoscit Nihilum, nec propterea extat Nihilum; neque scientia eius causatur à Nihilo. At scientia Dei est causa futurorum simul cum Voluntate, & Potentia Dei per imperium, non per scientiam solam, aut voluntatem. Vult enim antecedenter omnes homines saluos fieri: nec propterea saluantur; quoniam committit salutem suam illis per liberum arbitrium exequendam: quod tamen multis potest impediri modis. Similiter etiam Deus non vult perditionem hominum, imò vetat peccata, & per consilium declinandi peccata rationem docet in in Prophetis: nec propterea non peccamus, resistentes etiam Sp. sancto nobis suadenti, & cooperanti, vt probatur experientia, & scripturarum sanctarum testimonio: ergo non euenit effectus necessariò ex sola scientia, aut voluntate Dei, vel nostra; nec quia potest facere alios mundos facit, nisi adsit imperium Potestatis. Et quidem Deus etiam imperat, vt faciamus bona, & declinemus mala, nec tamen obedimus: ergo non solum imperium morale requiritur, sed etiam physicè executiuum imperium, secundum quod Deus potest facere quidquid iubet, & vult, quoniam nulla causa potest ei resistere: & cum Dionysius de Diuinis nominibus c. 4. p. 4. ait: *Quæcumque Bono*, id est, Deo, *repugnant, Boni virtute & sunt, & repugnare possunt*) intelligitur de

reali taci

sententia, & repugnantia, quam facimus Deo volenti & imperanti solùm moraliter, non autem physicè exequenti simul potioribus viribus, atque ordinariis. Vnde Theologi agnoscunt potentiam absolutam, & ordinatam secundum modum rerum: Vt enim Dioysius ait: *Non est Dei naturas violare, sed seruare.* Igitur cum necessariis causis concurrit necessariò, necessitate (inquam) accepta; cum liberis, liberè; cum contingentibus contingenter; non tamen coactè cùm coactis, nisi metaphoricè, ex hypothesi: Et quidem nemo hoc capit, nisi qui Deum considerat esse Ens, & non aliquod ens: causa enim omnis ducens alteram ad effectum violat eius libertatem, quoniam non est eius essentia, & quoniam habet aliquam cum illa oppositionem, saltem quà hæc non est illa: sed Deus est causa vniuersalissima, & Ens, in quo continetur omne ens: & eius natura est omnis natura: ergo quando cooperatur cum aliqua natura non habet illam violentare, sed conseruare, & perficere eius esse & operari: & qui animam suam non amplificat super totum esse, spoliatque omnibus affectionibus particularizantibus primalitates, is non intelliget vnquam quod nunc diximus.

Quapropter necessitatem ab efficiente causa diuidimus in necessitatem Approbationis, seu deliberationis: & Necessitatem Prognosticationis: & in Necessitatem Determinationis, seu imperij. Prima spectat ad Volitiuum, secundum quam volumus omne bonum nos, & Deus: sed nos siue verum, siue apparens bonum. Deus autem omne bonum verum: ab apparentia enim ipse decipi non potest. Et quamuis velit etiam peccata, & apparentia bona, non tamen ea vult approbatiuè, sed permissiuè tantum physicè vt fiant, & ordinatiuè, quatenus ordinat ad bonum; & sic scriptum est in Euangelio: *Necesse est vt veniant scandala*: quoniam Deus præordinauit ad bonum etiam ipsa mala: & hoc dicitur necessitate termini vel finis, non agentis causæ. Volitiuum enim respicit finem, & perfectionem rerum. Secunda spectat ad Cognoscitiuum, qua Deus cognoscit & præscit omne verum, decernitque: ab ipso enim cernere, quod est videre, sequitur decernere, quod est actu ponere post videre: & hæc visio non ponit necessitatem, sed præsupponit: Ex hoc enim, quod sunt, videntur & sciuntur à Deo, & ab homine; & non quia sciuntur, sunt, alioquin essent Mundi innumerabiles, & homo volaret, cùm Deus etiam hos Mundos sciat, & quomodo potest homo volare. Sed notandum, quod sicuti vult omne bonum, ita scit omne verum: Voluntate enim speculatiua vult omne bonum intra se; sed practica seu approbationis vult omne bonum extra se: nec tamen propterea est omne bonum: quia bonum est hominem omnem saluari in Paradisum, non tamen saluatur omnis homo, quoniam non est bonum saluari malos: voluntas enim speculatiua, quæ respondet scientiæ simplicis intelligentiæ, non ponit res in actu exteriori. Voluntas autem practica, seu comprobationis, & deliberationis vltimæ, ponit res in actu exteriori, sicuti scientia visionis: & illa vocatur antecedens, ista consequens apud Chrysost. & Damasc. Theologos: similiter ergo Necessitas præuisionis non est actiua, neque finalis, sed idealis, & formalis. Tertia Necessitas pertinet ad Potestatiuum: & sic erit necessariò quidquid Deus imperat executiuè per se, non autem si executiuè per aliud. Deus enim imperauit Iudæ ne malefaceret, neque proderet Dominum, ipse tamen prodidit, quoniam Deus non imperauit executiuè per se, sed commisit executionem causæ liberæ, qua cum agit, non in quam etiam agit: Intentator enim malorum est, & non implanat, neque per ipsum stat quominus fiant à nobis bona vt dicitur in Scripturis, quoniam non sunt ei necessarij homines impij: prima radix Necessitatis finalis dicit in animo. *Volo hoc*: secunda idealis dicit: *Ita faciendum est hoc*: tertia effectiua dicit: *Fiat hoc.* Quando ex Nihilo producit, ait *fiat Cœlum*: quando verò ex aliquo, & cum alio dicit: *Producat terra herbam virentem*: &: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: &: *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Quando verò ipse in aliud, & cum alio facit efficaciter, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: & hoc prius pensiculatis etiam futuris euentibus ex consilio voluntatis suæ, sicut dicit Apost. 1. Ephes. Nam prius dixit consilio, & probatione: *Non est bonum hominem esse solum*: mox addit, igitur *Faciamus ei adiutorium.* In sacris ergo Scripturis omnes modi hi continentur, & lucidantur. Propterea cum dicunt sancti Doctores, quod *Voluntati Dei nemo resistit*, & quod *Scientia Dei non fallitur*, quia est causatiua: *Neque electio, quia facit quod eligit*: Et Chrysostomus dicit contrarium, quod Christus elegit Iudam, & tamen electio finem non est sortita: & elegit Israel: nec propterea stetit: & quod *non cadit passer absque voluntate Patris*, quod Ambrosius exponit, id est, *absque scientia*: Omnes facilè conciliantur: quoniam voluntas practica cum imperio, & Visionis scientia cum imperio actiuo, & imperium cum executiuo non falluntur, & infallibiliter eueniunt omnia, & ineuitabiliter eis præsuppositis: & cùm resistere nos Spiritui sancto, & voluntati, & scientiæ Dei, dicimur, vt ibi: *Vos semper Spiritui sancto restitistis*: & alibi: *Principes fuerunt* (ait Dominus, *& ego nesciui*: &, *Nunc scio quod times Deum*: &, *Præcepta mea non custodierunt, & imperium meum & iugum meum fugerunt.* Omnia ista intelliguntur de voluntate speculatiua, & de scientia speculatiua, & de imperio speculatiuo antecedentibus praxim causarum liberarum, & non de practicis volitionibus, & scientiis, & imperiis, post pensata pensanda: & similiter de practicis per aliud exequendis, id est, per causas liberas in sua manentes libertate: non autem de per se exequendis: sic enim imponitur necessitas ineuitabilitatis: non tamen coactionis.

Iacob. | Eccl. 15. | Gen. 1. | Agg. 1. | Isa. 1.

Et sic distingue, vt alia sit necessitas coactionis, quæ repugnat spontaneitati; vt cùm lapis pulsus sursum cogitur ire contra suam propensionem. Alia est necessitas naturalis, vt cum calor calefacit, nec potest non calefacere; & tamen sponte hoc facit. Alia necessitas seruilitatis, quæ repugnat libertati: vt canis seruiliter appetit & currit, obiectis & passionibus & instinctibus actus, vt seruus ab hero. Alia est Necessitas infallibilitatis, qua liberè aliquid facimus, sed ex deliberatione, & electione, nullis impedimentis obstantibus, sicuti ego nunc scribo; & sic omnis res dum est, necesse est esse, non coactionis necessitate semper, sed infallibilitatis semper. At vtrum ista necessitas sit etiam ineuitabilitatis dubium: Ineuitabile enim dicitur, quod aliter fieri non potest, nec caueri, prohiberiue, quin veniat: & hoc solummodo verum est, cùm prima Causa per se exequitur imperium, & tollit omne impedimentum: ideo quæ spectant ad libertatem no-

ſtram dicuntur euitabilia, etiamſi infallibiliter eueniant. Poteram enim ego non ſcribere nunc, cùm ſit actus liber iſte, ſed non ſemper actus liberi ſunt euitabiles, non enim remex poteſt non remigare, nec ego poſſum non manere in carcere, cũ vrgeant cauſæ exteriores: & tamen maneo, & ille remigat: ergo ſola volitio eſt libera, & euitabilis, non autem executio omnino itidem. Poſſum enim nolle manere in carcere, & eſſe liber; tamen ineuitabiliter ſum in carcere, nec poſſum non manere; donec ſeries fatalis impedimenta executionis tollat, dum inuicem res agunt, coagunt, & compatiuntur. Item aliquando coactũ euitari docet ille, qui cogens hominem mori, impeditur ne perficiat. Attamen ſine dubio tanta voluntatis eſt hæc libertas, vt poſſim etiam me occidere; & per quatraginta horas tortus non reſpondere extorquentibus reſponſionem: niſi Mens deſipiat, vel à Deo mutetur. Qui tamen nunquam temerat libertatem, ſed perficit: & cum deſipientiam immittit, culpas deinde non imputat: de his in Theologia: & cùm inclinat voluntatem ad quodcumque bonum etiam nolitum, vt Pauli voluntatem ad fidem Ieſu, non temerat libertatem, quoniam voluntati bonum eſt naturale obiectum: ſi autem ad malum inclinaret per ſe, vtique temeraret, quoniam contra naturam voluntatis humanæ, ac diuinæ eſt illud malum nobis: propterea Deus intentator malorum prædicatur in Scripturis & inſpirator bonorum. Igitur prædeſtinatio Dei vt patris ad ſuam imaginem fingentis hominem proter ſe, antecedens peccatorum humanorum præuiſionem, non ſemper completur in rebus, nec voluntas antecedens, nec intellectio antecedens ſeu ſpeculatiua; ſed tantum practica; & ideò qui prædeſtinati ſunt ſolum antecedenter à Deo vt patre, habentur pro prædeſtinatis conditionaliter, non abſolutè, ſed ſolùm pro præſcitis. Qui verò conſequenter à Deo vt Iudice poſt præuiſionem meritorum, & demeritorum, iuuantium, & deſtruentium effectum primæ prædeſtinationis, hi habentur pro prædeſtinatis abſolutè & pro reprobatis: ergo abſque meritis præceſſit prædeſtinatio: ſed cum meritis eius firmatur executio: & non abſque demeritis fieri poteſt reprobatio, vt optimè concludit etiam S. Thomas in Opuſ. de prædeſt. & prouidentia: & in 1. p. q. 19. art. 6. exemplo Iudicis, quidquid dicunt alij in aliis locis, argumentorum, & autoritatis non intellectæ vi compulſi. At Chryſoſtomus, & Patres omnes, & Scriptura nobiſcum ſentit: quæ Deo ſalutem, & nobis perditionem in Oſea, & in cunctis locis adſcribit. Nec enim odiens Deus creauit Eſau, & Iudam, teſte Sapientia, licet antequam naſcantur odio habiti dicantur apud Apoſt. argumentantem, non decernentem, vt Chryſoſtomus monet, & Patres, vel ſi decernentem, inquam, cum Hieronymo, dictis Patribus ex præuiſis demeritis in obſtinationem productis. Ideo Petrus Apoſtolus clamat, *Satagite vt per bona opera certam faciatis vocationem veſtram*: Et rogat Eccleſia, *vt prædeſtinatorum nomina liber ſcriptus retineat.* Retinet enim, cum per bona opera effectus prædeſtinationis, non cauſa curatur.

At quomodo Deus prædeſtinat, id eſt, ſuper deſtinat, non temporis prioritate, cui omnia tempora, & res ſunt vnico intuitu manifeſta, ſicuti qui ſuper turri ſtans videt ſimul præteritos, præſentes, & futuros tranſeuntes: vnde ly *præ*, per ly *ſuper* exponi debeat, in Theologicis declarauimus: & quomodo prædeſtinatio ad vitam diuinam poſt mortem corporis ſit homini poſſibilis in 3. p. docebimus: in Theologia autem quod etiam de facto ſit nobis reuelatum, eſſe euidenter credibile oſtendimus. Hunc autem vocabulum Prædeſtinationis ad omnes fines indifferenter accipimus. Nota quod ſecundũ Chryſoſt. & Damaſ. voluntas præcedens eſt voluntas verior in intentione qua Deus vult omnes ſaluos, & non eſt velleitas; ſed ſubſequens verior in executione: vt Nauta antecedenter ad procellam vult ſaluare merces: At verius, quoniam voluntas eſt boni per ſe: melius autem eſt ſaluari: at poſt procellam vult proiicere, quod eſt malum per ſe, & ſolum bonum per accidens, vt alia ſaluentur, ſicut rectè admonet S. Thom. in Epiſt. Paul. Rom. 9. Et Auguſt. ait: Deus inuitus condemnat: Nec tamen voluntas conſequens, cauſaliter pendet à peccato, ſed à prima Voluntate, quæ condidit hominem liberum, & ptopter finem.

FATVM ESSE RATIONEM, ET LEGEM qua rerum ſeries ad ſuos euentus contexuntur ex entibus, & nonentibus, & cauſis, & concauſis, & ſignis agentibus, impedientibus, idcirco ſeſe modificantibus, vt prodeant quæ ordinauit fando Deus: & de Fato fatorum; & de vniuerſaliſſimo, & particularibus.

CAP. IX. ART. I.

FATVM præſupponit Neceſſitatem Influxum Potentiæ, quemadmodum Sapientia Potentiam vnde manat: Eſt enim Fatum Sapientiæ influxus. Et quidem dicitur à Fando. Fatum dicunt eſſe Verbum Dei conſubſtantiale, à quo dependent fata rerum omnium, quas vocant omne verbum, vt etiam Stoici dixerunt; in exprimendo enim verbo, omnis creatura conſequenter exprimitur. Fata autem non ſunt res, ſed rerum ſeries contexuntur ad euentus certos non temerè producendos: Prouidentia verò, & mediorum inuentio & diſpoſitio ad Finem, Fato ſubminiſtrans. Gubernatio eſt conſer-


rerum ordinata ad Finem. Itaque Fatum lex eſt & ſumma ratio, qua rerum vniuerſitates connectuntur, reguntur, continentur quadam prohibitione, & imperio, & permiſſione, intus infuſis à prima Sapientia, quæ vocatur Verbum Dei: Et quidem habent principia, media, & fines rerum ſuum fatum. Vnde priſca Philoſophia fabuloſa tres Parcas poſuit fatalis ordinis ſeruatrices, videlicet, quæ net, quæ filat, & quæ ſecat filum. Omnis enim res Fato ſubditæ principium habent, medium ac finem. Igitur cauſæ ſeſe mutuò iuuantes, & impedientes, & per hoc temperantes ad certos euentus, fato ſeruantur. Pertinent etiam ad Fatum Nonentia, & defectus, quatenus ex certo ordine vniuerſitatem complent, diſtinguuntque. Mors enim vnius rei eſt vita alterius, & aliorum ruinam, aliorum ſubſequitur ſubleuatio. Nec tamen Fatum neceſſitatem coactionis præſupponit & comitatur, ſed contexitur ex omni cauſarum genere, videlicet, neceſſariarum, liberarum, ſeruilium, contingentium, coactarum, & modificationibus, & concauſationibus earum, & compaſſionibus: Vbi enim Fatum eſt pura Neceſſitas, ibi Nonentis participatio nulla, ac defectus nullus ineſt, vt in eſſentiis archetypis rerum: nec tamen ibi libertas deeſt, & ſumma ſpontaneitas, vt probatum eſt paulò antè. Eſt quidem Fatum vnum vniuerſaliſſimum legis æternæ: ſunt & fata particularia legis Naturæ, & ſuorum ſyſtematum, & Mundorum: & iterum fata humana, & iterum Romana, Veneta, &c. ſicut leges.

Eſt ergo Fatum aliud, quod ex nexu cauſarum actiuarū naſcitur, aliud quod ex nexu finalium cauſarū, & perfectionalium: aliud quod ex idealium, & formalium; & tandem quod ex omnibus ſimul: Videmus enim vitam hominis huius fato regi multiplici: ſiquidem ab idea & formatione habet, vt ſit homo iſte, cum tali naſo, tali ore, & cruribus tortis, & iecore calido, & cæteris membris certa ratione ſingulari ſingillatim effigiatis. Ab agentibus autem his, vt ſic calidus, frigidus, ſiccus, beneuolus, hilaris, rudis, ſciens & alia multa: ſimiliter à materia, eiuſque diſpoſitionibus, vt ſit craſſus, gracilis, altus, ſcabroſus, cæteraſque paſſiones materiales, de quibus in 1. p. & ſic de cæteris: omnia enim prædicamenta ibi dicta, & in 1. libro dubitata concurrendo fatum complent. Palam eſt enim in cibo, quo nutrimur, quomodo fato adigitur, vt fiat noſtra ſubſtantia, & quot in humores, per quot actiones, & paſſiones vertitur, & quomodo tranſpirat in vapores, conglutinatur in pilos, tranſeat in vias innumeras corporis eius particula omnis: & quia dubitatū eſt prius de his, quando carthæ huius exiſtentiam celebrauimus, quantis viis, & modis ad hunc ſuum finem peruenerit, ſufficit hic meminiſſe: ac ſcire omnem cauſam & cauſationem partem Fati habere, & omnem euentum, & occaſionem illi complicari.

Omnes iſtæ cauſæ veniunt ad certas cauſationes per occaſiones ordinatas, cauſant per conditiones; niſi enim approximentur, & veniant ad talem modum exiſtendi, ita vt applicentur hæ illis; non ſuccedit fatalis res: ipſa quoque non ſucceſſio eſt fatalis, quoniam ab impeditione cauſarum & primalitatum ceſſatione, vel non applicatione, non ſuccedit illi præter ſeriem hanc, ſed non præter vniuerſaliſſimam.

Schema Fati, & oppoſiti ſui 1. Aphoniæ, ita figurabimus.

ART. II


VERBVM
Omnisapientia.
Fando influit.
FATVM.
fatur
PER
OC
CA
SIO
NEM
Finales
Finalizatores
Finalizationes
Causas actiuas & concausas, & actiones.
Perfectiones
Perfectionales
Perfectores
Materiales & patientes.
Formales
Formationes
Formatores
Configuration.
Ideales
Ideationes
& Ideatores
Casus
APHONIA.
per
PER
IN
EAN
IT
MA
Formales
Ideales
Perfectiones
Materiales
Finales
Agentes
Influit
SILENTIVM
Omnisapientia

Declaratio Schematis.

IN quo ponimus Sapientiam Dei omniſcij, vt expreſſam, in apice, vocatam Verbum: quod eſt Fatum æternum, & lex æterna, ex qua influente in rerum exiſtentias oritur Fatum: diſtributum per omnes cauſas quibus fatur Deus, præcipitque res fieri. Et quoniam res non veniunt ad certos euentus, niſi per Occaſionem, vnde Primalitates arripiunt cauſationem, idcirco occaſione colligauimus omnes cauſas ad ſuos euentus.

Diſtinguendum hic eſt Fatum, quo regitur Mundus Mentalis, qui cauſat in Mathematicum corporalem, de ſe influendo, at occaſionem influendi ab iſtis ſuſcipiendo. Item Fatum Mathematici Mundi: quæ à ſituali Mundo tanquam ab omnium poſtremo, & priorum manifeſtatiuo nobis innoteſcunt: propterea de ſituali loquentes ad alios intelligentiam analogicè eleuamus. Omnis Mundus ſuperior & interior cauſat in inferiorem & exteriorem: ſed non cauſatur, at occaſionatur ab inferiori & exteriori excepto primo in Phyſicis. Nam in Moralibus occaſionem arripuit ex peccato Adæ, &c.

E contra ponimus Omniinſipientiam, cui Silentium oppoſitum Verbo apponimus ex Primalitate Nonentis ſecunda: quæ influendo cauſat aliquid oppoſitum Fato: quod rectè vocamus Aphoniam. Fatum enim quaſi voce profertur, cum ſit lex, & ordo præcipientis. Aphonia autem eſt vocis negatio: quæ in cauſis dum non operantur, vel prohibentur operari per Infantiam, quæ non fatur occaſionaliter nec præceptiuè, nec cauſaliter, confert fatales euentus participio Nihilitatis. Item enim dicuntur ſilere, quæ non agunt actione per Sapientiæ priuationem non fantis detracta.

De eo, quod præter Fatum.

ART. III.

EX iam poſitis egreditur Caſus; dicitur enim cadere quidquid præter intentionem accidit rebus: componitur autem caſus ex Entitate, & Priuatione, non qualibet, ſed ea, quæ à Sapientia, & Inſipientia eſſentialitatibus ſunt. Caſu autem dicuntur fieri, quæ præter ſecundorum entium intentionem; & prouidentiam ſunt. Et rectè dictum eſt. Caſum ex ignorantia oriri apud antiquos. Ignorantur autem, quæ ex impedibili cauſatione non præuiſorum impedimentorum ſuccedunt. Quapropter non dicitur Sol Caſu oriri, etiam ſi non penſemus quando oritur, quoniam ſemper eodem pacto oriri conſueuit. Nec quando accidit nobis aliunde; ſed quando ex noſtræ prouidentiæ fallibilitate: ſimiliter cum cauſæ deficiunt, ipſis eſt caſus, non autem nobis, niſi reſpectu ad illas. Aduenit ergo caſus præter Fatum ex Aphonia cauſatum fatali ordine non prouiſo: & multa ſunt caſualia aliis, quæ aliis ſunt ex prouidentia: ſicut dictum eſt in libris antecedentibus. Deo autem nihil caſu eſt: omnia enim prouidit, vel præuidit. Igitur & ſi peccatum Adæ ſit caſu præter intentionem Dei expreſſam, & præter præceptum Morale illi datum fando; non tamen præter prouidentiam in communi. Futura enim Deo ſunt præſentia, ita vt ly *præuidere*, non ſit videre ante magis, quam poſt & ſimul: & declarandum eſt per ly *ſuperuidere*. Et quidem vetando noluit vt fieret culpa ipſa Deus. Sed præuoluit, vt poſſet fieri, & non fieri, dum Adam liberum condit & bonum: at ex participio Nihili. Et ordinat quod ex peccantis deordinatione accidit malum male, in bonum benè.

Diximus quidem à principio qualiter Contingens eſt, quod ſuccedit præter Poteſtatem cauſarum, ſicut neceſſitas eſt, quod ſecundum Poteſtatem. Fatum verò id quod ſecundum Sapientiam & intentionem cauſatum: ergo Caſus quod præter Sapientiam, & intentionem. Diximus etiam Fortunam eſſe, quod præter voluntatem ſeu propoſitum. Et quidem dum diſplicet deinde dicitur Infortunium, quia contra voluntatem, non præter, quemadmodum Harmonia eſt ſecundum voluntatem cauſatum: & ſors confunditur cum vtriſque, Fortuna verò ſeu mala, ſeu bona ferens, eſt præter Harmoniam Voluntatis, ſeu contra. Accidens verò eſt, quod præter eſſentiam, aut Potentiam, aut intentionem, aut Voluntatem, aut Conſuetudinem, aut ordinem rerum euenit. Igitur communiſſimum eſt cunctis degenerationibus ab Ente, & ſuis Primalitatibus, & obiectis, & influxibus.

HARMONIAM AMORIS INFLVXVM SEqui fatalem ordinem, & vniuersalissimam esse vnam particulares plures: quæ sunt fructus legum: & constare in oppositis & similibus. Errorem vero esse quid præter Harmoniam particularem ex Disamoris influxu.

CAP. X. ART. I.

HARMONIA præsupponit Fatum, & Necessitatem, ex quibus deriuatur, sicut Amor, Sapientiam, & Potestatem. Nam lex fatalis à Necessitate, & contingentia exiens, finitur in Harmoniam, quam ponit. Et posse scire & frui eundem seruant ordinem. Et quidem omnes causæ concurrentes producere videntur Harmoniam, sicuti omnes chordæ in eadem Cythara, & omnes Ciues in eadem Ciuitate vitam Ciuitatis concinnant, & omnes partes nostri corporis vitam corporalem. Vnde non videtur esse Harmonia nisi ex multis ad vnum destinatis: ergo etiam si videatur Harmonia produci ex cordis ita tensis, & ita pulsatis, non tamen casu est, sed ab ordinante eas prius ad finem quendam. Quem cum non adsequuntur, dicuntur dissonare, incommodare, & peruerti, & errare. Error ergo ab intento, volitoque fine est Fortunium, & infortunium, prout, aut præter, aut contra voluntatem.


Et quemadmodum plures sunt ordines fatales partium Mundi, ac leges; vnusque est ordo vniuersalissimus, & lex summa, sub qua omnes distribuuntur; ita & Harmonia vna omnium. Quæ in primo Ente est summa sui vnitas & pax: extra dicitur Consonantia, & Harmonia; omnes enim res simul vitam Mundi integrant. Et quamuis videantur ab inuicem discordantes Calor, & frigus, & elementa; tamen hæc discordia ad summam est Harmoniam. Non enim distinguerentur partes plurimæ, nisi discordarent. Alia est Harmonia Calidorum inter se, alia frigidorum, alia hominum, alia lapidum, alia plantarum, alia metallorum, alia bestiarum: & specierum, & generum est Harmonia, & Entis: quæ sanè in cunctis conflatur ex oppositionibus, & consonantiis. Et hoc mirificentissimum est; quod non consonant nisi opposita, neque dissonant nisi similia, vt in præcedentibus probatum est: & huius Scripturæ literæ contestantur dissimiles, atque similes, quæ nisi complicentur variato situ, & ordine, harmoniam non faciunt. Dictum est autem prius, quoniam quidquid euenit casu, & Necessitate, propter melius euenire dignoscitur in Harmoniam redactum. Et quanquam alia doleant, alia gaudeant, tamen tota vita simul gaudet: etenim in nostro Corpore aliæ partes moriuntur, aliæ nascuntur, aliæ mutantur, aliæ stant, & aliæ dolent, aliæ gaudent; tamen vita totius corporis ex his integratur ad Harmoniam iocundam; sic de cunctis dicere oportet rebus. Et si à fine proprio res errantes differant: tamen ad bonum finem communem ab Amore primo conuertuntur.

Ergo aliorum Mundorum alia est Harmonia & omnium simul vna, quoniam vniuntur, vt dictum est in 1. Cap. Item vnius Mundi vna est Harmonia: quamuis partes dissentiant, & singularum partium cuiuslibet est propria Harmonia. Quapropter cùm Musici non agnoscunt nisi harmoniā propriam, sunt similes vnius animalis sensui vni: Omnis enim pars totum repræsentat sicuti ergo nobis videtur dulce mel, capræ autem amarum: quoniam nostro gustui consonat, non autem caprino, ita putatur aliquid dissonare, quia proprio ordini, & legi, & consuetudini, & saluti dissonat. Mors capræ displicet capris, lupo autem benè consonat: & ex vnctorum consonantiis, & dissonantiis constat Mundus, in consonantiam à summa vnitate diuina, ex qua, & in quam sunt, redactis.

Esse autem Harmoniam Amoris influxum, pridem docuimus. Et omne appetibile esse bonum, & conueniens ei, cui appetitur, & per consequens harmonicum: ergo ab Amore primo prodit Harmonia, & fruitio rerum harmonia in Amorem redundat. Videtur ergo Harmonia esse fructus, quo vltimo fruimur ex causationibus multis tandem deducto. Cum autem peruertitur, quasi fructus arboris ante maturitatem, error est, & dissonans, & immusicum fruituro huic: non autem simpliciter: cum omnia sint fructifera omnibus, & Mundo, & Deo, ad suam gloriam omnia pulchrè ordinanri, quæ sunt, & ad Totius vtilitatem: etiam errores & defectus, sicuti semitonos in Musica; & figuras in carminibus.

Schema Harmoniæ, & Erroris: exque his ortorum, fortunij, infortunij, seu, Sortium.

ART. II.



Declaratio Harmoniæ multiplicis speciatim.

QVAPROPTER Schema ita describimus, vt ex Amore cum ordine simul influente intra numerum entium, oriatur Harmonia, quatenus Amor erat pax & nexus in Monottriade. Siquidem Musica post labores, & causationes magnorum operum, cum ad gloriam peruenimus, accedit quasi canens, & laudans, & admirans, & gratias agens cum voluptate, & fruitionis declaratione; propter eaque immanens in suo actu perseueranter: Omnes enim

ſcientiæ, & artes ſunt propter finē conſequendum; ſed in conſecuto tandem ſequitur Muſica. Vnde Angeli dicuntur inceſſanter canere gloriam Deo ter ſancto, in ſcripturis diuinis, & perpetuum Alleluia erit beatis animabus fruentibus Deo. Igitur Muſica etiam Harmonia videbatur nobis id, quod ex ordine fatali reſultat: & propterà ordinauimus Mundorum inter ſe Harmoniam. Deinde partium cuiuſque Mundi. De Mundo Archetypo palam eſt, quoniam ibi ſunt entia omnia Deus. De Mundo Angelico ſeu Mentali ſimiliter, quoniam omnes ſunt Mentes Primalitatum participes per ordines gradúſque inuicem ad Totum conſonantes. Et quanquam Demones ad Nonentis Primalitates magis inclinando, quam ad Entis, pepererint ex hoc errore primum peccatum, vnde videntur diſſonare ab Angelis: tamen & hæc diſſonantia in Harmoniam verſa eſt à S. Monotriade: dum ſuam per malos iuſtitiam exercet ad gloriam. Gloria enim eſt honorum cumulus ſplendentiſſimus ex præclariſſimis naſcens operibus, non quibuſcuque, ſicuti honor, ſed mirificis. Præclarum autem mirificum eſt ex malo elicere bonum, & vti Nonentibus tanquam Entibus: ſicuti cum quis morientē patriā reſuſcitat; de victos exercitus victores facit, laboribus, & mortibus vitam & pacem inſtaurat. Ignorantias peximas idolatrarum, ſophiſtarumque, & Tyrannorum vexationes, & hipocrytarum dolos, detegit, tollitque; quod ſi tollens bonus eſt, & glorioſus, quanto magis Deus, qui etiam in bonum vertit hæc omnia, facitque bono conſonare in mirificam Harmoniam? In Mundo mathematico nihil diſſonat, cū ſit vniſſimus indiuiſus & omnibus concordans quæ recipit corporibus: nec in corporali; ſunt enim baſes conſonantiarum. At ſi addas ſitualem, ſtatim fit diſſonantia cōtrariorum, ſi diuerſorum, diſparatorum, diſtantium, alterorum, priuationum. Sed omnes iſtæ vitam integrant mortalem ex vitiis & mortibus compoſitam: igitur ex harmonia, & errore: & aliquando ergo tollendam: cum abſortum fuerit, quod mortale eſt à vita, ſicut dicit Apoſtolus. Interim tamen ita conſonant, vt corporis noſtræ partes, nec quid emendes ſcias; vt in lib. 4. oſtendimus. Et qui intelligit conſonantias diſſonantium, vocatorum malorum, etiam in malis gaudet, vt Vincentius Martyr, & Laurentius: non autem plorat, vt Epicurus, qui conſonantiam non olfacit.

1. Cor. 5.

Addimus cauſarum ad ſuas cauſationes conuenientiam, itemque cauſatorum cum illis, & inter ſe. Manifeſtum enim fuit, quomodo tunc Muſicus eſt effectus, cum ſuæ cauſæ concordat: ergo & inter ſe quæcunque ab vna cauſa. Quapropter oſtendimus quemadmodum quæ ſunt in mari per ideam analogam ſimilia eis ſunt quæ in terris, & iſta eis, quæ in cœlo cœlique ſyſtematibus cælatis: item quæ in cœlo eis, quæ in Mundo Angelico, & quæ in Angelico his, quæ in Archetypo: ſimiliter etiam dices de cauſis actiuis, quæ à poteſtatiuo cuiuſque mundi ſunt: & analoges ita vt calor mundi ſitualis ſit ſimilis calori metalis, vnde etiam Seraphin ardentes, & Deus Thein, quaſi ardens dicitur, & conſumens ignis per analogas metaphoras: & calores apud nos licet contrariorum Entium, ſunt ſimiles, vt calor ſerpentis colubri calori gradientis hominis, &c. Itidem de materiebus, & perfectionibus, & finibus philoſophandum; vnaquæque enim res ſui perennitatē pro fine habet, & dum id procurat, aliorum etiam bonum curat & omnia eſſe propter Deum amant, quod à Deo in Deo habent, magis quam manus propter corpus à quo, & in quo, & propter quod eſt.

Quomodo autem oppoſita concinnant dictum eſt: niſi enim eſſet oppoſitio non eſſet diſtinctio; & niſi contrarietas, non eſſet generatio, neque corruptio, neque rerum ordo, & ſucceſſio: & niſi eſſet Priuatio, neque habitus ipſi valerent: vnde audet Lactantius etiam docere, quod bonum non ſubſiſteret abſque malo; nec virtus abſque vitio. Et Dionyſius ait, Deum eneruare virtutes bonorum, ſi tolleret Tyrannorū perſecutiones, & fraudes Sophiſtarum. Ergo abſque malo non datur bonum? minimè inquam: cum apud Deū in Deo ſit omne bonumm abſq; malo. Sed bonum finitū non datur abſque malo, ſumpto eſſentiatiuè, & negatiuè etiam in beatis: ſunt enim, & habent ita hoc, quod non illud. Non eſſe autem omne, vt malum computatur: ſed in viatoribus non datur bonum finitum medium ad conſequendum finem abſque malo priuatiuo, & contrario: & quidem in via loquitur Lactantius. Non enim fortitudo datur abſque periculis: neque victoria abſque bello: ſed hoc verum eſt de virtutibus purgatiuis, non de perfectiuis. Iſtæ enim poſſunt eſſe abſque malis contrariè ſumptis, & priuatiuè; ſed relucere, & manifeſtari non poſſunt. Vnde mala omnia ad manifeſtationem & exercitium virtutis faciunt harmoniam, non autem ad eſſentiandum virtutem: & cum Lactantius inquit, quod Sapientia vtilis ad mala præterita, & futura noſcenda, vt declinemus ea: item ad noſtram indigentiam cognoſcendam, vt opulētiſſimo Deo adhereamus: vnde Inopia videtur omnes artes, & virtutes docuiſſe: & omnia malorū genera eſſe quaſi Scholas Dei: & carcer, ſic eſſe me docuit: vnde ſi quis natus eſſet abſque pœna à frigore, & calore, & fame, & cæteris abſque malis, quaſi vermis intra caſeum vndique habens, quid manducet, non egens motu, neque labore ad bona acquirenda, & mala declināda, nec fortitudo nec prudentia nec ſolertia illi opus eſſet: Deus. n. vires & organa dedit propter hoc ad acquirendum, & fugiendum, & vtendum prout cuilibet bruto & enti opus erat: idcircoque aliqua non egere diſcurſu, nec memoria, ſed ſolo, ſenſu. Et ſi nec aliunde conſeruationem acciperet, vt vermis ex caſeo, cui innaſcitur incluſus, tunc neque ſenſu egeret, neque forſan amore ſui eſſe, neque Potentia: ergo eſſet nihil. At ſi hoc ita ſe habet, profecto neque Deus eſſet Sapiens, nec prouidus, nec memorans, nec ſciens, nec ſentiens. Propterea dicendum videbatur, quod hæc mala ad exercitium, & manifeſtationem Boni requiruntur harmonicè, non autem ad eſſentiandum. Atque Deum verè nec memorari, neque ſapere, neque ſentire ſicuti nos propter indigentiam, & coexiſtentiam: ſed ſupereminentiali ratione ſapere Deum, ſentire, & memorari, & ſcire ſeipſam in ſe, vt à ſe, aliaque in ſe & hoc non ex indigentia, ſed ex ſuperabundantia: & ineffabiliter, & ſummè ſuperharmonicè: qui etiam cunctis dat, ſicuti dictum eſt prius.

Declaratio

Declarato oppositi, Erroris in Schemate.

OPPOSVIMVS Harmoniæ Errorem: cum enim errat à sua causa effectus parit dissonantiam. Similiter & Mundi inter se: & Mens, & Spiritus, & corpus etiam dissoluuntur ob Harmoniæ priuationem, quæ nascitur ab errore: & quidem Disamor influit errorem, sicuti Amor harmoniam. Et Error sumitur essentialiter, & sic facit contradictionem inter se, & Harmoniam: sumuntur etiam negatiuè, & parit diuersitatem; priuatiuè deficientiam: contrariè impugnationem & destructionem. Nec diximus Dissonantiam, sed Errorem, quoniam Dissonantia est entium contrariorum, aut diuersorum; sed Error est etiam Nonentis. Errare est extra rem ire. Res autem Ens est. Et quidem Amor minoris boni parit errorem: & Disamor veri: non autem Sapientia decepta, vt alij volunt, nisi à suo Amore, vt nos.

Et quidem inter res cum errant ab inuicem in Primalitatibus, vel qualitatibus; vel materialitatibus, vel finalitatibus, statim Dissonantia insurgit rerum, sicuti vocum in Musicis. Quod manifestum est in regimine Ciuitatis, vbi vnus Ciuis plus æquo sibi arrogat, aut minus: & cum ordines Reipub. non consonant, sicuti chordæ plus, aut minus tensæ, quàm oportebat. Et in corpore humano quando partes, & humores dissident, & passiones animæ inter se, & membra exteriora; statim enim exsurgit ægritudo, & delirium, & deformitas, eo quod errant ab ordine posito propter finem communis salutis. Et quidem ex his deformitatibus etiam fit Harmonia vniuersalis, quemadmodum ex semitonis Musica, & ex figuris carmen: & ex neuis venustas. Non enim speciebus accidunt, sed indiuiduis, & raro.

De Fortuna bona, & mala.

ERRORE & Harmonia concurrentibus, nascitur infortunium, & Fortuna: Cum præter voluntatis propositum res accidunt: quemadmodum Contingentia oriebatur præter Potestatiuum, & casus præter intentionem. Quomodo autem apud Deum, & Mundi vniuersitatem, quæ sunt nobis, & certis rebus Fortunæ, & infortunia, sint Harmonia, & concinnitas, dictum est prius: sicuti & ignorantias prodesse vitabus rerum, ne velint dissolui præscientes alias meliores vitas, in quas mutari possunt, antea dicebamus.

Annotandum tamen, quod Fortuna dicitur euentus non præuolitus, non autem non volitus. Etenim accidunt multa, quæ euenire nobis cupiebamus; at non sperabamus ita venire, vel si sperabamus, non tamen per ea media, & vias, in quibus sperabamus. Sic etiam infortunium est inopinatus euentus non præuolitus, nec volitus, neque ea via exosus, qua venit. Et quid non concordat præcedenti volitioni: vnde in aliquo euentu, & prudentia, & fortuna simul concurrunt. Vt si eligis bonum facere, quando cœlum quod nescis, arridet.

APPENDIX.

AD Harmoniam, & Errorem pertinent Coessentialitas entium, Coexistentia existentium: Habitudo & priuatio. Diuersitas & genus. Analogia, & disparitas: species, & differentia; concordia & contrarietas. Communitas, & singularitas; identitas, & alteritas: collocatio, & distantia. Contemporalitas, & interstitium: societas, & Dissocietas; Concinnitas, & cætera, quæ in lib. 2. 1. p. Capitulo de Dissimilitudine, & similitudine dicta sunt. Quæ similitudines, & oppositiones non sunt Harmonia ipsa: sed quod resultat ex eis concordans optimo fini, per primum Amorem præuolito. Vnicuique tamen sigillatim harmonicum est, quod suæ Voluntati placitum resultat, præcedenti: quanquam dicatur, omne inconueniens omnis Primalitatis & modorum, harmonicum, quatenus placet, siuè huic soli, siue pluribus aliquando: semper autem toti, & Deo: qui etiam mala in gloriam vertit; sicut dictum est prius. Pulchritudo tandem est apparentia huiusmodi concinnatis partialiter. Totaliter enim omnis Boni, siuè simpliciter, siuè secundum quid, apparentia est signumque illi, cui bonum est verè, aut apparenter, vt dicebamus.

CODICILLVS APPENDIX AD DOCTRINAM II. ET III. P. In quo de principio, & Mediis, Finibus Rerum, de Præfinitione, Prouidentia & Gubernatu nouæ cogitationes panduntur, ex omnium Nationum Philoſophia & Errore.

Si mundus corporeus non eſt factus, nec genitus, nec creatus, eſſet ipſe Deus. At non poteſt eſſe, factus, nec genitus: ergo creatus: ergo à Deo infinito Ente. Quæritur ergo propter quid Deus fecit Mundum: & quis finis eius.

ART. I.

POST multas nouas cogitationes, dico, ſi mũdus non eſt Creatus, nec genitus, nec factus, ipſemet Mundus eſt Deus infinitus duratione; quod enim ſemper fuit, ſemper erit; infinitus & magnitudine, nam homo cogitat infinitum, ſempere xtra mundi aſſignatum quemcunque terminum, aliquid intelligendo, vel mundos alios infinitos, vel Spheras, vel entia; pars autem mundi, qualis eſt anima humana, non poteſt ſupra Totum ſuum ſe ſe expandere; ergo mundus totus infinitus eſſet. Ergo Deus eſſet compoſitus ex animo, & corpore, qualis Deus Stoicorum: de quo gloriatur Seneca, quod Plato poſuit Deum ſine corpore, Epicurus ſine anima, ipſe verò ex vtroque componit. Nec qualis Deus Ariſtotelicus; hic enim non eſt totum, ſed primum mobile conſtitutum ex Deo vt anima, & ex primo cœlo vt corpore. Id autem impoſſibile eſt cum anima noſtra ſupra ipſum eleuetur, prout cogitatur ab Ariſtotele: Nec Deus eſſet ſola anima mundi, vt Varro putat; finiretur enim ſuo corpore: nos autem infinitum apprehendimus: ergo aliquid maius. Præterea non poſſet dominari; ergo non eſt anima, ſed intellectus immiſtus, vt argumentatur Anaxagoras. Si autem immiſtus, ergo eſt cauſa mundi, vel ex nihilo, vel ex Ente præuio facti, non creati, nec geniti; ſi enim genitus eſt mundus, eſſet pater eius alius mundus, vel Deus corporeus. Incorporeus enim nõ generat corporeum, ſed creat, ſi Omnipotens eſt; vel facit, ſi non Omnipotens. Eſſent etiam alij mundi, qui præceſſere nati ex aliis, ſine numero; & quomodo poſſit mundus generare mundum, cum non poſſit facere tantum, quantus eſt ipſe; nec ſit vnde alatur poſtea ad tantam quantitatem; ſicut homo natus paruulus ex homine, augetur ex mundi partibus Cibatus externis. Nec Deus eſt ipſa mundi natura: vt Plinio videtur; nam ſupra totam naturam aliquid melius cogitamus, non paſſibile, nec mutabile, vt ſuo loco probauimus. Mundum non poſſe factum eſſe in 3. p. oſtendemus; non enim caſu, nec ab Agente in materiam priorẽ, nec coæuam ſibi, propriam vel alienam, potuiſſe fieri palam erit. Si verè mundus eſt Creatus, vti probabimus; Deus profectò eius eſt Creator Virtute infinitus, vt ſupra oſtendimus, & Sapientia, & Bonitate. Tunc quærimus, quoniam omne agens prius finem; propter quem agit, ſibi præſtituit. Deinde prouidet media ad finem conſequendum: deinde diſponit ordine quodam illa media: deinde gubernat; id eſt, exequitur in mediis adeptionem finis: quapropter prius eſt prædeſtinatio finis: 2. Prouidentia: 3. Gubernatio: 4. acquiſitio: 5. fruitio. Quærimus, inquam, quid ſit finis ad quem deſtinatur iſte mundus, & quibus mediis, & qua diſpoſitione, & quo gubernatu finem adipiſcetur. Hinc enim finis noſter etiam eluceſcit.

Finem Mundi, cuius gratia; eſſe Mundi opificem, naturalem iuxta Philoſophiam: ſupernaturalem iuxta Theologiam. Partium vulgarium Mundi aliquid Diuinum: egregiarum ipſum Deum. Negligentiam, & incredulitatem tanti Finis non in materia, nec in elementorum conflictu, ſed in culpa animorum, & imitatione, inquirendum eſſe.

ART. II.

NON eſt dubium, quod omnis agentis cauſæ principalis ſit finis, gratia cuius, ipſamet agens; finis verò quo, ſit perfectio effectus, ſeu actus formæ, vt perfectio nauis, aut nauigatio. Materia enim, & forma, & idea, ſunt quaſi media ad finem: finis quo, determinat agentẽ; idea dirigit: forma & Materia dirigũtur, cauſãtes tamẽ modo ſuo ſaltẽ in facto eſſe; nã forma determinat Materiã, & Materia ſubſtentat formam Igitur cũ mundi agens cauſa ſit Deus, ipſe quoque erit finis gratia cuius ea ratione, qau poteſt nõ indigẽs actor parare ſibi aliquid. Finis quo, eſt mũdi perfectio: cuius materia eſt corporea

tnales trinæ dimenſionis in corporalibus ; in incorporeis quaſi materia eſt eſſentia trium & primalitatum ; forma verò multiplex nobis eſt nota in partibus, Cœlo, Terra, Stellis, & habitatoribus earum : & in Mentali Mundo conſideratur.

Quomodo Deus ſit finis naturalis rerum omnium non intelligimus, niſi ex hoc quod omnia appetunt bonum. Sed proportionaliter ſibi, quod eſt cuiuſque Eſſe conſeruatio; Deus autem excedit omnem appetitum, cum ſit Immenſa bonitas : ergo particularia entia non poſſunt pro fine habere Deum, ſed quid diuinum: ſi qua ergo ſunt habentia Deum totum pro fine illa ſunt immenſa vel prope immenſa, qualis putatur eſſe Angelus, & mens humana, quæ extenditur infinitè, potendo, intelligendo, & appetendo ; Deus enim eſt finis ſui, quoniam ſe ipſo fruitur : hominis verò quoniã homo poteſt illo frui, vt eius immẽſum deſiderium nos admonet nõ vanum: ſe ipſo enim finitum Ens nullum poteſt beari. Admonet & Dei voluntas, quæ fecit hominem ſui admiratorem & Amatorem, ergo volens vt amatum tandem adiequatur. Neque enim minus bonus eſt in fine, quàm in principio hominis condendo. Nulla Philoſophia nationum hæc artificiosè conſiderauit, niſi Chriſtiana tantum, quæ hominis finem facit Deum, vt obiectum naturale per naturales vires optimè exercitas adipiſcendum ; atque inſuper, ſuper naturale per media ſuper naturalia, quæ confortãt mentem ad habendum, videndum, & fruendum iuxta tres primalitates, prius autem ad adipiſcendum. Illud habemus ex naturali capacitate, ac deſiderio per Metaphyſicam : hoc ex reuelatione, & promiſſione Dei per Theologiam.

Item ex naturalibus agnoſcimus nos contendere ad Deum : & amare Deum pluſquam nos ipſos, notitia & amore inditis: at quidem ex accidẽte aliquo fieri, vt videamus meliora, probemuſque bona ad Deum nos dirigentia, & tamen deteriora ſequamur : id quod alij materialitati tribuunt, alij elementorum pugnæ, vnde noſtræ paſſiones & affectiones deprauantur. At quoniam hæc ratio non ſufficit, anima enim immortalis & potentiſſima debet materiam ſibi omnino ſubiicere ſecundum naturam, vel materiam ei ſubiectam fuiſſe ab eo, qui condidit, & copulauit vtrumque. Elementorum quoque pugnas, cum ſit elementis ſublimior, debet vincere & ſedare ; ergo non eſt quærenda cauſa, niſi in ipſius animæ culpa : propterea ex reuelatione habemus, quod inobedientia primorum parentum, fuit in cauſa, vt generatio fœdaretur, & debilitaretur & corpus non obediret animæ, & Spiritus animalis à mente non ſatis valide regeretur ; & contra hanc inordinationem apparuiſſe Dei Sapientiam in carne humana, vt redimeret, quos condidit homines à malo ; quæ non condidit bonus Deus : & hoc fide rationabilior tenetur, quàm ſunt argumenta Philoſophorum variè de hoc opinantium. Idque Socrates & Plat. & Pythagoras, & Auic. approbarunt : quod in arduis, & ſupra ſyllogiſmum demonſtratiuum incedentibus ſit oraculis diuinis inhærendum potius, quam fragilibus argumentis humanis : vel neganda prouidentia Dei erga genus humanum impudenter.

Omnes homines eſſe voluntate paterna Dei antecedente prædeſtinatos ad ſui adoptionem: nulloſque reprobatos. Conſequenti verò Dei vt iudicis, non omnes. Et proptérea dari conſequentem, quoniam non omnia ſiunt, & prauidentur decreto abſoluto præcedente vel concomitante : neque Deus agit omnia immediatè & efficaciter. Et futura ſcit excoexiſtentia tantum effectum liberorum & contingentium.

ART. III.

OMNES homines eſſe prędeſtinatos ad Dei ſummi boni adeptionem, ſine cuiuſpiam reprobatione, noſtræ animæ natura, ac vires, & deſiderium docent. Deum. v. eſſẽ optimum artificem, & patrem Omnium, noſque ad ſui imaginem, & ſimilitudinem feciſſe, natura duce, cognouimus. Nec enim ipſe quippiam ſibi diſſimile facere potuiſſet ; nec nos ipſum videre ac frui, ſummopere contenderemus, niſi aliquid de illius excellentia in nobis ineſſet, ſicuti nec oculus lucem appeteret & videre poſſet, niſi lucem implãtatam haberet: nec auris ſonos aëris, niſi aërem haberet implantatum : ſicut materia appetit formam per id quod habet de motu ad formam. Corporibus aggrauantibus eas, ignorantiamque ſuipſarum facientibus alligatas eſſe animas non propter vindictam præteritorum in Cœlo peccatorum, alioquin hoc ſcire ipſas oporteret iuxta vindictæ quidditatem : ſed vt ſibi diuinam fruitionem bene pugnando acquirerent perpetua pugna elementorum intra quæ nati ſumus, & animorum cum corpore & ſenſu rerumque circunſtantium offenſionibus, ut ſuper indicant: Nedum oraculum Iob, & Prophetarũ experimento continuo comprobatum, quod *Militia eſt vita hominis in Terra*: & ideo cadunt à prædeſtinatione prima, qui vincuntur in pugna, cum poſſint vincere, ſicut cadunt flores antequam in poma vertantur : ideoq; dari prædeſtinationem cõſequentem ad præuiſa opera à Deo, vt Iudice per merita, ac reprobationem ob demerita, & finalem impœnitentiam : primam enim fecerat pro omnibus, vt pater, qui nullum filium vult perire: ſecundam vt iudex, qui in finem rebellantes punit : obedientes firmat.

Quoniam quæcunque fiunt in mundo, à Deo præcogitata ac volita, & decreta, fuiſſe oportet, neque enim in effectibus eſſe poteſt, quod non fuit in cauſis, niſi modificatio & non eſſe illorum, quæritur quomodo Deus iſta omnia decreuit, optimus, & & tamen multa mala fiunt in mundo, à Deo in ſui ſimilitudinem facto, vt monſtra corruptioneſq; & pugnæ in natura: in moribus verò, & arte quàm

multa contra rationem artis, & artificis Dei, vt cædes hominum, furta, blasphemia, idolatria, & sermones contra Deum; si enim finis omniũ est Deus, quomodo contra hunc finem tanta fiunt? præterea, si sunt decreta à Deo æternaliter omnia, & temporaliter nil fit, nisi faciente Deo nobiscum, non enim est entitas, nisi à Deo primo Ente, ergo vel qua putamus mala, non sunt mala, quando Deus facit illa, & facit vt faciamus; vel Deus nos facit nobiscum omnia, vel in eo deest infinitas aut potẽtiæ, aut Sapientiæ, aut bonæ voluntatis, ergo constabit ex Ente & Nihilo, contra dogma à primo nobis positum probatumque: vel quæ videntur mala nobis, non sunt mala, vt dicunt Libertini.

Stoici ad hæc dicunt, omnia fieri decreto Dei, & Prouidentia, exceptis actibus liberis humanis: alioquin tollitur lex, & preces, & exhortatio. At posse hominem operari prout vult, Deo non operante in ipsum. Sed contra si actus est Ens, & nulla entitas nisi à Deo, ergo Deus facit nobiscũ actus nostros. Aug. in lib. de perfect. iustitiæ, & 1. Ipognost. F. dicit, omnes naturas esse bonas, & factas à Deo; non a. actus, quoniam sunt & à nobis operãtibus, & à diabolo instigante. Et in 5. Ciuit Dei. 9. omnes naturæ & omnes potestates sunt à Deo, non autem omnes voluntates: Idẽ lib. de lit. & Spiritu c. 31. Hugo Victor. in cap. 11. ad Rom. omnia naturalia sunt à Deo, non autem omnes volitiones, & omnia Moralia: sed adhuc stat prima difficultas, nisi probetur, actus omnes esse nihil, vel non fieri à Deo, nisi vt dante esse & posse. Alij dicunt putantes à D. Thoma stare, omnia esse decreta à Deo & fieri sic efficaciter, vt reluctari non possimus; neque enim quæ nõ decreuit Deus fieri, fient vnquam: idem Mahometus docet, & Caluinus, & Lutherus propriè, & per se à Deo fieri actus nostros malos & bonos. At omnes Theologi Antiqui, contrarium docent, & Concil. Trident. non fieri à Deo malos propriè & per se, sed tantum permissiuè. Pseudo. Thomistæ eo quod sunt decreta à Deo, etiam fieri, à Deo volunt, in nobis & nobiscum agente, quoniam causa secunda non potest facere nisi faciente prima, cui subordinatur subordinatione essentiali, sicut non potest arbos facere fructus sine Sole.

Sed quoniam, si Deus prædecernit omnia, & prædeterminat voluntates facitque, quando nos facimus, & similiter cum omni causa se habet, tollitur Cõtingentia & libertas: dicunt Religiosi quidam, omnia quidem decreto non antecedente præuisionem voluntatis liberæ, sed decreto cõcurrendi cum voluntate libera ad illũ effectum, ad quem inclinari ipsam, vel virtualiter, & si nõ actualiter, videt. De contingentibus tacent. Verum quoniam inclinatio est à Deo, adhuc etiam sequitur, quod nec saluatur libertas; quoniã per seriem rerũ vel per se Deos eas inclinat, ergo decretũ præcedit ad sic inclinãdũ, vt deinde Deus prosequatur. Præterea, si non potest homo facere nisi Deo faciẽte eodẽ actu indistincto, & immediato, sequitur quod tollitur libertas in exequẽdo, cum enim actus inceperit peccaminosus, nõ potest homo retrocedere. At S. Thomas docuit rectè, propterea hominẽ peccare quia potest retrocedere ab actu, & tamen prosequitur actum malum. Prꝗterea decretum ponendi Petrum in tali serie, vnde inclinetur ad talem actũ, & non aliũ, etiã tollit Libertatem deliberandi nedum prosequendi. Si.a. potest homo in aliũ; ergo non est certus Deus de inclinatione ad actũ hunc. Et propter hoc D. Tho. ad saluandum libertatem & conting. putat Deũ non cognoscere pro certo actus cõting. & liberos in causis, quoniã sunt indeterminatæ: neque in decreto, quoniã non essent liberæ, sed seruiliter à decreto actæ ac prædeterminatæ: sed in coexistẽtia causarũ, & effectuũ simul cũ Æternitate. Et hãc eius esse Sententiã ex pluribus locis suæ doctrinæ ostẽdimus in proprio Opusculo de prędestinatione. At pseudo Thomistæ dicunt non posse existere nisi Deus decernat vt sint, & cõcurrat ipse faciẽdo: ergo ex coexistẽtia & decreto, vt sint; & prædeterminandi causas & cõcurrendũ ad faciendum. Et quidem Scotus, & Durandus, & plures Scholastici ferè decretũ præmittũt, alij postmittunt, alioquin non fierent. Addunt non posse coexistere res temporales æternis, neque fieri, vt coexistant, nisi decretũ volũtatis Dei præcedat, vt dicitur Apoc. 3. & Paulus ait, quod Deus omnia facit Consilio voluntatis suæ, ergo nõ ex coexistentia, sed ex decreto suo, prę scit futura Deus. Coexistunt enim quia decreta; quæ autem decernuntur, sciuntur, si Deus ipse decernẽs facturus est ea, sine quo factũ est nihil: ergo &. n. ipsa fieri non possunt ipso non faciente.

Aureolus tamẽ Cardinalis & Durãdus Episc. docẽt, substãtias fieri à Deo primas immediatè: actus verò & secundas res mediãtibus causis secũdis, alioquin nõ possent reluctari Deo: cuius contrariũ dicitur in scriptura & apud omnes nationes, qui peccatũ esse cõtra Deũ, & nõ à Deo voiũt: & idẽ videtur docere Aug. qui scribẽs de gratia, & 1. 16. arb. c. 16. ait, *Deus facit, vt faciamus præbendo vires voluntati efficacissimas*, non. a. dicit, faciendo quod facimus, sed vt possimus dãdo vires. Idem Epist. 146. Sic, ait, *naturas quas condidit administrat, vt eas sinat agere motus suos*. Idẽ D. Tho. 1. 2. q. 11. a 3. Deus mouet omnes motus humanos, sed determinatio ad malũ est à nobis. Idẽ q. 10 4. idẽ. Mal. q 3. 2. at quidẽ D. Tho. vult, quod Deus influãt in effectũ, quoniã facit causas, & dat vires, & cõseruat, & applicat ad agendũ; sed ipsa applicatio est per modũ vniuersaliter agẽdi, alioquin esset contra eundẽ dicentẽ, quod Deus ad peccatũ nõ applicat, sed ad actũ vt peccato aduersũ: Sic ait, Rom 9 Lect. Deus excitat Pharaonẽ ad regni sui custodiã, ipse. a. torquet excitationes ad vexandũ Iudæos insontes. Propterea in Pot. q. 1. ar. 3. ad 5. Influentiã primæ causæ per causas proximas determinari, & specificari, docet. Idẽ. 3. cõtra Gen. 66. imo Opusc. 9. q. 38. *Deus non mouet voluntatẽ per nouũ influxũ, sed inclinando lib. arb.* & 2. D. 37. *quicquid est in peccato de ratione actus Entis, & boni, hoc totũ fit à Deo mediante nostra voluntate: sed defectus, qui est in actu ita est à voluntate, quod non à Deo.* Ex his patet quod Deus non facit actus malos vllo pacto, bonos verò facit mediãte voluntate bona; nõ autẽ immediate, nisi immediatione primitatis, nõ immediatione attingẽtiæ: vt docet in 3. q. cõt. Gen. 70. quod Deus & homo immediata est causa: sed Deus instar principij immediati in demostratione, quod non probatur, per superius mediũ; homo verò quia nõ mediat alia causa inter ipsum & effectũ. Quapropter in doctrina S. Tho. nec vt decernẽs, nec vt agẽs immediatè tollit libertatẽ; quoniã prę scit absq; decreto, & operatur per causas, vt primũ agẽs, & per modificatã actionẽ à secundis causis, vel mediãtibus causis, quibus dedit esse & vires; non. a. actus, nisi ob hoc, quia dedit esse, & vires, & inclinationes ad bonũ atq; cõseruat. Alibi etiã docet, quod ad bonũ in vniuersali propriéq; ad fines vltimos Homo à Deo prędeterminatur; sed in mediis à seipso postea, dũ sub nomine boni ea capescit.

1. q. 9. 10.

Assertum. Si Deus prædeterminaret in particulari omnes actus & effectus omnium causarum: periret libertas & contingentia, & error. Item si ageret ip causas & cum causis immediatè immediatione suppositi, nedum virtutis, & efficaciter, vt aiunt: tunc multo magis periret contingentia & libertas: & error omnis: quoniam effectus omnis esset bonus similis Deo causæ bonæ efficaciter volenti & operanti bonum. Sed nos experimur in nobis nimiam libertatem & contingentiam in naturalibus & in Moralibus, & errores, cùm fiunt monstra, cadunt flores, ceruus abutitur asino, homo cadit ab equo, delirat, blasphemat, se facit Deum, & idolatram: ergo nec Deus prædeterminat actus in particulari vt sic, nunc & propter hoc fiant, sed in vniuersali, vt fiant benè: Nec concurrit efficaciter & immediatè, ita vt particularizet & modificet causas & effectus, sed in vniuersali, ita vt eius actio modificetur à causis particularibus, quibus assimilantur potius quàm Deo, vt optimè concludit S. Thom. & proptereà defectus & error est à causis secundis immediatè attingentibus non à prima immediate causante, nec ab assistente mundi Anima, vel ab intelligentiis executoribus: licet minus belle agāt quàm Deus: sed à proximarum causarum actiuarum, & passiuarum excessu, vel defectu, vel deprauatione.

Prædeterminationem ante exploratam voluntatem tollere libertatem omnino, Anselmus, & D. Th. & omnes Patres docuere, nedum Arist. & Plato & Alex. & Stoïcorum schola: & cùm pseudothomistæ dicunt, non tolli libertatem, quoniam Deus mouet attemperando se causis secundis, ita vt liberè cum liberis causis, & contingenter cum contingentibus, necessariò cum necessariis agat. Vnde D. Thom. ait, quod tanta est efficacia diuinæ voluntatis vt res succedant liberè, & contingenter & necessariò, sicut ipse prædeterminauit, quamuis ab ipso moueantur, ita vt non possit aliter euenire atque ipse præscripsit æternaliter, & præmouet temporaliter.) Attamen hoc contra veritatem dicitur: quod enim non potest non euenire, necesse est euenire: igitur si omnia eueniunt ex decreto Dei ante, impossibile est aliter euenire. Vnde S. Thom. in 2. d. docet, quod Deus non præscit, nec præuidet, nec præmouet, quoniam futura illi, sunt præsentia, sed scit, prouidet, & mouet. Item si præmoueret ineuitabiliter res euenirent, ergo necessariò: nec enim Deus vitare posset. Quando autem dicit S. Tho. quod eueniunt non ex natura causarum liberarum & contingentium & necessariarum, sed ex voluntate Dei efficaci, vt sint sic & fiant sic, tollit causalitates, vt indepēdentes à Deo, non autem per se immediatè operantes influxu Dei mouentis ad bonum, & decernentis diuersos causarum modos: Nam Deus dedit causas necessarias & liberas, & contingentes: non autem sunt aut fuerunt per se tales: & decretū efficax Dei est non super effectum, alioquin omnes essent necessariò & boni, sed super causas: vt videl. istæ agant necessariò, illæ contingenter, hoc est impedibiliter, illæ liberæ, quæ à sese determinant: aliæ seruiliter, quia determinantur ab aliis: hinc est quod multa eueniunt præter voluntatem Dei antecedentem, & consequentem, vt peccata: multa verò præter antecedentem tantùm, vt pœnæ. Item etsi non præcedat decretum, cum Deus agat in causas, & cum causis eodem actu, non essent liberæ dum agunt, sed antea dum deliberant. Iesuitę tamen vt seruent libertatem docent Deum ponere voluntates in rerum certa serie: vnde explorat ad quid se inclinabunt, & inde decernit concurrere ad illos actus, non prædeterminando eos: sed præpostterminando: sed isti non saluant libertatem: tum quia nec decretum antecedens emouent (Nam cur Deus ponit magis in hoc ordine Petrum, in quo scit consensurum, vel dissensurum, non potest aliunde esse, nisi quia sic decreuit) tum quia nec præconsequens; dum enim concurrit cum Petro Deus ad actum, non potest Petrus desistere ab actu, nisi prius Deus desistat, si idem actus eademque causatio est vtriusque. Negat autem hoc D. Thomas, & ratio: alioquin non peccaret homo, cum Deus secundum hominis malam voluntatem ita coagit, vt non possit homo non agere. Præctereà illa volitio præuisa est actus: ergo à Deo immediatè coagendo. Si dicis; est inclinatio: ergo, inquā, à Deo inclinante: si dicis Deum non inclinare, tunc nunquam voluntas à serie determinabilis erit: si dicis, Deum indifferenti decreto velle, vt si homo se inclinabit ad actum pium vel ad impium ipse concurrit, non poterit Deus certus esse quod in tali serie positus piè vel impiè aget: ergo incerta erit dispositio suæ prouidentiæ; nam series non determinat necessario: ergo nec pro certo ad hunc actum: sin verò dicis: determinat: *Ergo homo à Fato, non à se* determinatur: ergo non est liber. Addunt prædestinantes non esse possibile, quod voluntas Dei ad decernendum moueatur à rebus, sese absque Deo mouente, vel inclinante, se mouentibus, & inclinantibus, sed in omnibus præcedet ea prior antequam non est alia; cuius voluntas non est ab obiectis externis, sed à se sola moueri potest.

Sed reuerà isti non concludunt: nam & ipsi aiunt, quod si homo non peccaret, nō damnaretur à Deo: Ergo Deus mouetur ad damnandum ex aliqua occasione externa, sc. peccati. Imò si Adam non peccasset, Deus incarnatus non fuisset, iuxta D. Thomæ, & S. Gregorij, & Aug. & istorum sententiam: ergo datur aliquod motiuum occasionale, non causale extrinsecum diuinæ voluntatis; nisi cum Caluino sentiamus Deum decreuisse peccatum, & pœnam non habito respectu ad motiua exteriora, sed quia ita sibi placuit: At si hoc verum est, perit libertas, & contingentia, & lex & conditiones rerum: non enim potes dicere, si hodie pluit terra madescet: nam decretum tollit omnem conditionem secundum se, licèt nobis operantibus conditionaliter secus appareat: hoc sic esse omnes legislatores conueniunt: & Philosophi, Plato, Arist. Alex. in lib. de Fato: Stoïci, Cicero, Seneca, Plutar. & tota natura ac Politica omnis: imò si non sic esset res, omnis consequeretur suum finem, quem appetit, non enim decerneret Deus vt appetat, nisi explere etiam vellet appetitum: sic etiam dixit Chrysost. Si *sola Dei gratia & voluntate saluamur: ergo omnes saluamur, quia Deus vult omnes saluos:* & in lib. de Fato ait, non diceret rectè per Isaiam Deus, *Si audieritis me, bona terræ comedetis: si non audieritis, gladius deuorabit vos*) sed sic: *Siue audieritis, siue non audieritis, gladius deuorabit vos*) vel, *bona terræ comedetis*): frustra quoque diceret Deus, *Conuertimini ad me*, si ipse ineuitabiliter nos conuerteret: & frustra doceret, *Nolo mortem peccatorum, sed vt conuertatur*: &, *si ingemuerit peccator*, si ipse non decreuerat illos conuertere absoluto, vt aiunt decreto, non conditionato.

Quapropter cùm dicit S. Thomas, quod non

datur diuinæ voluntatis motiuum, intelligendum est de motiuo causali & voluntatis antecedentis necessariam volitionem, non autem de occasionali, & subsequentis. Item dicimus, quod Deus vult primos effectus absque motiuo exteriori, vt idem D. Thom. 1. p. q. 14. 5. docet, sed faciendi secundos etiam ex causatione secundarum causarum, occasionem accipit. Occasiones autem sunt etiam à voluntate antecedenti permittente vt agant, sicut volunt.

Notandum quod nulla causa operatur, nisi adsit occasio, quæ motiuum causæ ad causandum, & conditio quæ est applicatio causæ ad causandum: & ideo siue à se determinentur, siue ab alio, habent occasionem & conditionem ab influentiis magnis, scil. necessitate, fato, & harmonia, per quæ Deus applicat causas: non enim calefacit calor, nisi applicetur calefactibili, vel calefactibile sibi, à rerum serie: vnde non indoctè Iesuitæ, ex hac expectant multa decreta Dei. Errant fortasse, quia per hoc non euadunt decretum præcedens, neque necessitudinem actus ad quem concurrit Deus identicè & immediatè; non autem quia Deum subiiciunt secundis causis: quas enim Deus liberas fecit, propterea liberas dicimus, quia Deus voluit, vt se se ipsæ determinent ad actum siue vnum, siue plures & vt possit ab actu desistere etiam in sensu composito; alioquin esset libertas nomine, non re: quidditas enim libertatis violatur à decreto in causam, & à decreto cum causa, cuius actus sit simultaneus cum actu prioris causæ, sine qua fieri nequeat; propterea nullus Philosophorum dixit, Deum prædeterminare causas liberas, quarum est facere quod in se est: sic enim facerent non quod in se est, sed quod est in alio, vt doctè probat Alex. in Opusc. De eo quod in nobis est, & S. Thom. 2. sen. d. 5. q. 1. quod implicat contradictionem, dicere quod homo liber facit quod in se est, motus à Deo immediatè efficaciter, vel naturaliter, vel per gratiam; naturaliter enim operatur absque nouo influxu, vt dicit Opusc. 9. q. 38. supernaturaliter per nouum influxum: sed cui potest resistere, etiam in sensu composito. Regula enim de possib. in sensu diuiso, & in sensu composito, valet in naturalibus tantum, non in arbitrariis, vt probat idem S. Thomas 2. d. 25. Nam homo compositus cum habitu gratiæ, potest prorumpere in actum malum, vt baptizatus post baptismũ; non quia deseritur à Deo, qui non deserit nisi desertus, vt Aug. & Concil. Trid. docent; at Chrys. ait: Deus neque desertus deserit, sed sicut amator insaniens amasiam currit post nos, dicens: *Reuertere præuaricatrix Meretrix, & ego recipiam te.* Idem S. Thom. 3. cont. Gent. 159. sed quia liber est, quando gratus est; & non sicut paries, quando niger est, non potest albus esse.

Item nullus Philosophus dixit quod actio secundæ causę sit simul actio primæ, nisi qui faciunt Deũ animam mundi, & partium omnium, & hominis simul, sic vt veluti manus meę est ab anima & corpore meo simul, sic omnis actus sit à Deo, & à creatura, quod fortasse Varro dixit; sed nec iste ausus est dicere actum peccaminosum fieri à Deo & à nobis simul, immediatè; nec enim vermis in ventre hominis natus operatur ex homine, sed propria anima. Arist. vt saluaret contingentiam & libertatem, facit Deum mouere immediatè mobile primum, cætera per intelligentias: inferiora verò à propriis formis particulariter, & à cœlo vniuersaliter. Plato prima entia fecisse, multa verò & gubernatum per Angelos. Nam ait in Timeo, quæ Deus immediatè facit, immortalia sunt: quæ per medium, mortalia; non enim potest esse defectus in factis in Deo: & quamuis faciat animas immediatè, non tamen actus animæ præsertim peccaminosos, sed à Deo puniri docet, ibi, Phœdone & in Gorgia: imò Rationem in cœlo & in terra Aurigam faciens, non peccare Dei impulsu, sed suggestione equorum, scilicet, iræ & concupiscentię, ait in Phedro; sicut & Iacobus Apost. 1. & Eccl. 15. Item 10. de Repub. relegat Homerum, propterea quod dixit, Iouem dare bona & mala ex doliis suis duobus: & cum dicit Deum in omnibus operari, intelligit vt causa prima omnium. Stoïci, Zeno, Cicero, Seneca, dicunt Dei prouidentiam omnia facere, & causas præmouere; sed liberum arbit. esse extra prouidentiam determinantem; alioquin non datur lex, nec scientia, nec premium. Pythagorici etiam consimiliter, facientes aliam causam bonorum, aliam malorum: Et propter hoc Symon Magus, Marcion, & Manes duos deos fecere: solus Mahom. & Caluinus faciunt Deum causam immediatam actus pij & impij, ex decreto æterno. D. Thomas neque decernit æternaliter actus peccaminosos neque nouo decreto co: cursus Dei immediatè, nec cooperatione immediata, nisi prout ly immediatè sumitur pro immediatione principiationis, quoniã Deus nõ habet causam prioré mouenté ipsum ad causandum, sicut nec syllogismi principium immediatum; non autem pro immediatione attingentiæ, vt expresse monet in 3. cont. Gen. 70. & alibi probat, quod ad actus genere suo malos Deus non potest concurrere, vt quando homo odit Deũ, vel blasphemat, quidquid sit de actu, qui potest esse bonus & malus, vt acceptio rei alienę inuito Domino. Cùm autem dicunt, Deum concurrere ad actum etiam immediatione attingentiæ, non autem ad deformitatem ex se, vel ex D. Thoma, falluntur; actus enim malus inseparabilis à deformitate fieret magis à Deo qui est causa principalis, quàm ab homine. Item cùm sit auersio à Deo, ipse Deus auerteret se à se, vt arguit Aug. & Thomas. Præterea nec homo habet pro obiecto deformitatem, sed bonum vtile vel delectabile cũ actu peccaminoso: ergo nec homo peccaret: peccat autem, quoniam facit id quod non potest esse sine culpa: ergo magis peccat Deus, qui plus facit quàm homo, vt alibi probatum est: imò facit vt faciat homo id quod non potest esse sine culpa: & quia homo non vult actum vt peccaminosum, sed vt bonum, Deus autem vult vt malum, quo possit ostendere iram suam, vt quidam dicunt male interpretando Apostolum: Sequitur quod in actu peccaminoso Deus sit causa volens mali: homo verò boni. Vide impietatem. Præterea vidi ceruum abuti asello contra naturam: quis autem diceret à Deo impulsum & eandem actionem facientem? Præterea facile innotescit ex ratione causationis vniuersalis, & particularis. Non enim cùm floret herba, dicimus, sol floret, sed dat herbę vires, vt floreat, id est, calorem trahentem, spiritum, & vaporem, & succum plantæ ad fastigia plantæ, vbi vertitur in florem: sic etiam Augustinus ait, quod homo facit aliquid, quia Deus dat illi vires efficaces, vt faciat: non quia facit ipse formaliter, non enim Deus calefacit, sed ignis, neque Deus manducat, sed homo, neque generat hominem, neque florem, neque quippiam facit particulariter; & ta-

men plus influit quàm causa secunda: Vnde S. Th. ait q. dispu. quòd effectus plus conformatur Deo quoad virtutem, & plus particulari agenti, quàm Deo, quoad formam & naturam; & vtraque causa est immediata, vt dicebat 3. contra Gent. illa principiatione, ista attingentia: dicitur tamen Deus operari, quatenus dat & conseruat formas, & applicat ad opus, quæ formæ sunt intimæ rebus, ideò dicitur Deus intimè operari, vt docet S. Tho. 1. p. q. 105. art. 5. & quia intimius & prius, & vniuersalius est esse, quod dat Deus, quàm hoc esse, id est, quàm esse calidum, & esse hominem, propterea dicitur Deus intime operari, & magis, non modò cùm in fieri est, sed in facto esse: sicut sol generat plantam, & generatam conseruat, mortua planta generatrice. Cùm autem aiunt, quòd modificatio est entitas: ergo à Deo. Respondetur, quod est entitatis restrictio ad hoc ipsa modificatio, & quia restrictio entis est per nihilitatis participium: propterea non debet tribui Deo, cui nulla entitas deest, & nulla nihilitas inest, nisi in quantum Deus vtitur nihilo tanquam ente ad distinguendum, & modificandum: sed est proprie & formaliter ab hoc ente, id est, à causa secunda vt finita, Deus enim infinitus non potest dare finitudines, nisi vtendo Nihilitate. Item cùm arguitur quòd causa secunda de se est indeterminata, ideò indiget determinatore. Respondeo, quod causa secunda determinatur à Deo, vt Fine, & Bono, cuius gratia omnia agunt: non autem vt hoc bono: & propterea ait mirificus Thomas, quod circa finem determinatur à Deo, id est, vniuersaliter in bonum, circa media verò à seipsa determinatur voluntas eligendo hoc vel illud, sic vel aliter; & ideo erga finem non datur lib. arbitrium, sed tantum erga media. At quoniam qui eligit hoc bonum, eligit simul bonum, vt qui videt Petrum hominem, videt hominem: propterea dicitur Deus determinare ad media, vt bona, non vt hæc, à diuino Doctore.

Ex duplici propositione S. Thomæ, scilicet, quod Deus non cognoscit in decreto, nec in causis infallibiliter effectus contingentes & liberos: nec concurrit immediatè immediatione attingentiæ cum causis præfatis ad effectus particulares, omnium philosophorum, & Nationum errores, & veritates clarescere, & non aliunde.

ART. IV.

QVAPROPTER ex sola doctrina S. Thomæ potest aliqualiter ista quæstio explicari, cui nimirum dogma est quod Deus non præuidet futura in decreto, sed videt in præsentiali existentia ipsarum, non autem in causa contingenti, nec in libera, alioquin, ait, non esset contingens & libera, sed determinata: Item videret rem prius in causa, quàm in effectu & existentia: ergo, ait, proficeret in scientia prius videndo vnum, & deinde aliud, sicut syllogizator à causa in effectum. Etenim quamuis videat Deus causam esse priorem effectu, non tamen videt causam, priusquam videt effectum: sicut in ista scriptura aliæ litteræ sunt priores, aliæ posteriores; oculo tamen meo sunt æque simul visæ, sicut & menti volenti scribere: propterea dicendum quod Deus non videat in decreto nisi commune, vt sint alia necessariò, alia contingenter. Ita quod decretum cadit super causalitatis modos, non super effectum, & effectus modos: propterea enim (ait) aliis effectibus tribuit causas liberas, aliis necessarias, alias contingentes; nec ab omni causa omnis causatio, vti eueniret, posita prædeterminatione omnis effectus. Neque tantopere D. Thomas insudasset in omnibus suis libris ad inueniendū quomodo Deus scit futura contingentia, si decreto eius veniret; sufficit enim decretum: neque enim euenire, aut aliter euenire contingeret, quàm quæ & sicut decreta sunt. Ipse autem docet Deum non posse præscire certò & infallibiliter res contingentes in suis causis, nec in se, nisi vt possibiles, non vt actuales, nisi in sui ipsarum præsentialitate existentię: Et sic docet etiam Capreolus princeps Thomistarum: hoc idem communi elogio Philosophorum probatur, qui Deum non decernere mala, & futura contingentia non esse prædeterminatæ veritatis, docent, & sacræ litteræ, earumque interpretes, dum docent, voluntatem Dei præcedentem præuisionem futurorum, non impleri semper: alioqui nemo peccaret, & omnes saluarentur homines dicente Deo nobis: *Nolite peccare*, & hoc idem faciente: & Deus ad iniquitatem respicere non potest: & vt Apost. ait, omnes vult saluos facere: & alter Apost. ait, Neminem vult perire; at pereunt multi, & peccant plurimi, non solum moraliter, vt homo, sed etiam naturaliter vt Ceruus abutens asello: ergo non sunt decreta omnia à diuina voluntate, nec præuisa per scientiam visionis in decreto: etenim sic essent approbata, vt fierent: sed scientia visionis existentium, & ideo certa Deo non certitudine quidditatis nec ineuitabilitatis, sed infallibilitatis: quando enim sunt, necesse est vt sint, & falli scientia de eis non potest.

Secundum dogma S. Thomæ pro quæstione dissoluenda, est, quòd Deus non concurrit ad effectum immediatè immediatione attingentię, licet concurrat intimè vt dans esse vniuersaliter, sed immediatione primitatis: quia ante ipsum nullum est principium: sed tamen vt causa prima dans esse & virtutes, & conseruans, & applicans, per influxus magnos ad bonum & ad esse: non modificans tamen nisi per causas secundas participantes nihilum, quo possint modificare, sicut entitate vniuersalizantur. Ex hoc enim oritur quod causę secundæ faciunt effectus suos iuxta conditionem ipsarum; nam homo generat hominem, calor calidum. Non potest autem Deus generare hominem, nec calefacere formali calefactione, hoc enim esset restrictio & imperfectio Dei, potest tamen creare & facere vt sint: si enim immediate & efficaciter operaretur in causis & cumcausis: nullus error posset inueniri.

nec monſtrum, quæ palam ex defectu vel exceſſu vel vitio immediatarum cauſarum fiunt: nec Deus ergo ſit cauſa mali: ex ſola enim modificatione malum venit, nunquam verò ex vniuerſali actione. Velut plantæ ſterilitas à morbo ſeminis, non à ſole; & vt naſcatur roſa & non lilium, eſt à Roſaria, non à ſole, licet non poſſint ſine vniuerſali actione ſolis: & illud mirabilius adiunxit S. Thomas, quod Deus non vult malum phyſicum, niſi per accidens, quatenus vult aliud bonum ex illo æquale vel maius, vt ex corruptione elementorum, generatio lapidis aut hominis, & ex morte vitulæ vita lupi. Morale autem nec per accidens, nec per ſe, nō.n. poteſt ex peccato, quod eſt contra Deum ſummum bonum, elici æquè vel maius bonum, quàm Deus, vel quippiam recompenſans perditionem animæ humanæ diuiniſſimæ: ergo Deus non concurrit per ſe nec per accidens ad peccatum vt peccatum eſt, cùm ſit deordinatio: & vt ſic ergo non ordinabile ad bonum, ſicut nec calor ad frigus, ſed tantum permiſſiuè permiſſione phyſica cadente in voluntatis conditum, non in actum peccati, nec morali permiſſione: condita enim eſt voluntas vt ſit libera, & poſſit ſeſe determinare ad quidquid voluerit, non autem lex vlla illi permittit peccare, ſed vetat omnis, ſc. æterna, & naturalis & poſitiua.

Ex hac opinione ſoluuntur omnium Philoſophorum anxietates & argumenta; Homer. enim, & Ouidius, & Lucianus propterea Deum ſubiiciunt fato, quoniam eius voluntas antecedens non impletur: ergo ſeries fatalis contexta ex cauſis neceſſariis & liberis, & ſeruilibus, & contingentibus illi obſtat, quia ſic condidit liberas, vt poſſint obſtare: quod non intelligentes Poëtæ Deum fato impiè ſuppoſuerunt. Et ſcrupulus Plinij facientis Deum impotentem ad ſuccurrendum omnibus malis ex cauſarum immediatarum exceſſu aut defectu, aut vitio accidentibus: non enim eſt impotentia, ſed poteſtas immenſa voluntatis Dei, qua vult vt ſint cauſæ neceſſariæ & voluntariæ, & contingentes ex miſtura & ordinatione entis & nihili: & propterea voluntariæ repugnant, quia Deus fecit eas liberas, & non tollit ipſarum naturas: & hoc ad maius bonum hominis, & ad maiorem Dei laudem cedit. Stoïci etiam ex hoc ſatisfactionem capiunt, concedimus enim omnia fato ſubiacere exceptis voluntatibus, vt ipſi docent, ſed quoad determinationem, non quoad ordinationem euentus. D. Thom. etiam contingentes eximit decreto, ne mala ex hominis peccato inuecta in creaturis, Deo adſcribantur. Satisfit etiā legiſlatoribus; quod aliquando erit iudicium iuſtum Dei ſuper omnes, quamuis impij videantur proſperare, piique mulctati.

Qua ratione Deus non eſt certus de actu libero, niſi coexiſtat æternitati in ſua præſentialitate: nec tamen Deus addiſcit ab illa. Et reſponſio ad contradicentes.

ART. V.

QVÆRITVR tamen, ſi Deus prouidet futura in coexiſtentia, ergo accipit ſcientiam à rebus, non à ſe: ſi à ſe, ergo à decreto vt ſint: ſi à rebus, ergo diſcit & mutatur ab illis. Item antequam fieret mundus, actus hominis non extabant: ergo nec coëxiſtebant: item pugna craſtina non eſt hodie: ergo nec dum coëxiſtit Deo. Reſpondeo ante decretum voluntatis Deum ſcire omnia (dico ſecundum rationem) & producere verbum ideam ſui, ex præcognitione ſui, & omnium poſſibilium, & actualium naturaliter & neceſſariò, quamuis illorum multa ſint contingenter & liberè, vt dicit in quodl. 4. Et quamuis non ſint decreta à voluntate, vt fiant in communi, nec in particulari: quoniam voluntas non præcedit verbum, niſi vt præcognita à Patre omnipotente: verbum enim toti cipat non participat, nec pater fit ſapiens ſapiētia genita: ergo nec volens voluntate ſpirata: tamen volūtas non poteſt velle niſi quæ ſcit ſapientia, quæ præſcit etiā quid voluntas ſit volitura, quoniam conſilio vult ſapientiæ, non temerè: propterea verbum Dei non ſolum eſt ſapientia de ſapientia, & lumen de lumine, ſed etiam conſilium de conſilio, & voluntas de voluntate, id eſt, naturaliter, vt ait Auguſtinus allegatus à S. Tho. vnde etiam dicitur Ratio practica omnium faciendorum per voluntatem, quæ eſt à potentia & à ſapientia: & ſicut prædeſtinat Chriſtum Deus ex præuiſione peccati Adæ ſine detrimento ſapientiæ & voluntatis: ſic cætera multa ex præuiſione futurorum. At quærenti quomodo Deus in ſe præuidet Petrum ſic ſcripturum hodie, antequam ipſe Deus determinet hanc ſcriptionem, reſpondetur, quoniam præuidet ſimul ad innumeros actus Petrum poſſe determinari, eorumque ideationes infinitas infinitoſque modos eorum præhabet, & omnib. præſcribit ſuam ordinationem conditionaliter, & vult vt Petrus faciat quæcumque vult: inter quos etiam eſt iſthæc ſcriptio, quæ non eſt futura ex decreto ſuper ipſam ſcriptionem particulariter cadente, ſed ſuper omnem cauſationem, & operationem vniuerſaliter: nec enim Deus ſcit infallibiliter illam ſcriptionem, ad quam ſeſe determinabit homo, ex decreto, vel cauſa, ſed ex ſcriptionis huius præſentialitate infra æternitatis ambitum. Ad 2. dico, quod antequam fieret mundus, non coexiſtebat mundus, & noſtri actus, nobis, ſed Deo, quoniam ly ante temporale quod prius & poſterius dicit, non erat: ſed æternitas, quæ ſimul eſt Nunc, Ante, & Poſt; & tempus eſt intra eam, vti nunc, & quaſi momentum ſtateræ, vt dicit Salomon. Mundus verò quaſi gutta roris antelucani. Hoc non poteſt videre oculus intellectus creati, niſi ſpolietur ſaltem per cogitationem altiſſimam, tribus ocularibus, ſcil. loci, temporis & materiei: & ſic olfaciet, quomodo apud Deum ſunt omnia ſimul & ſemper; & quomodo agnus occiſus dicitur ei ab origine mundi in Apoc. non autem nobis, niſi poſt 490. annos. Igitur pugna craſtina licet non ſit nunc nobis, eſt tamen Deo ambienti in Nunc ſuo omnia Nunc noſtra: ſic qui

eſt

eſt ſuper turrim videt in ſuo nunc omnes tranſeuntes, quorum nobis in imo alij ſunt præteriti, alij præſentes, alij futuri. Ergo duplex fatum, aliud voluntatis antecedentis & patris Dei, aliud conſequentis & iudicis Dei, ſeu ordinatoris; quæ enim fiunt præter antecedentem voluntatem, incidunt in fatum conſequentis: & tamen vnius voluntatis vnico actu ſunt volita omnia, eorumque modi & cauſæ, ſiue abſolutè, ſiue conditionate; omnes enim voluit eſſe Deus. Deus etiam mala naturæ ordinat, quia volita per accidens, id eſt, propter aliud bonum, ergo ſunt ordinabilia per accidens; mala voluntatis non ordinat per ſe, nec per accidens, quia non ſunt volita per ſe, nec per accidens, ſed ex immenſitate potentiæ deinde, qua etiam non ente vtitur vt ente, volentis vt mala etiam ſint occaſio, non cauſa boni, ordinantur: ſicut ex peccato Adæ, Chriſti, ait, incarnatio: hoc autem iterum declarat ſanctus Thomas, quando docet, quod ſi Adam non peccaſſet, multi non fuiſſent prædeſtinati, vt nati ex illegitimo concubitu, non enim fuiſſet in lege naturali illegitimus concubitus, neque Maria fuiſſet mater Dei: & alia multa quæ ad fatum conſequens ducuntur. Prædeterminat ergo Deus infinitos actus hominis in communi, & infinitas facit illorum ſi venerint, præordinationes: inter quos eſt ille, quem homo particulariter faciendum eligit: ideo non capit ſcientiam ab illius actus præſentia, ſed cognoſcit præſentem in ſuis rationibus idealibus verbi ſui ſemper illum, qui erit aliquando: nec poteſt cognoſci certò, niſi quia erit in Aliquando, contento intra Semper Dei & ordinationum: & ſic omnes opiniones reconciliantur, aut defectus earum, vnde ortus ſit, agnoſcitur.

Dubitationes inſignes ſeptem contra præfatam doctrinam ſoluendo, Reuelationis veritas comprobatur.

ART. VI.

SED maior diſputatio conſurgit. Primò: ergo enim Deus cæcus eſt in prima prædeſtinatione. Secundò. Item Deus operatur plura ex occaſione coactus, quàm ex voluntate decernens. Tertiò. Item quomodo Deus poteſt de velle ad nolle mutari. Quartò. Itē quomodo ex potentia ad actum. Quintò. Item quomodo poteſt euenire quod ipſe nolebat euenire; nec finem conſequuntur ad quem Deus deſtinauit. Sextò. Item cur pœnas tot ſeminauit in mundo, vt doleant elementa pugnando, ac elementa dum tranſmutantur, & ab obiectis & paſſionibus affliguntur; & cur mundus iſte dolorum fabricatus eſt adeò, & non potius delitiarum: & cur dat legiſlatores malos & pſeudoprophetas.

Ad primum reſpondeo, quod Deus bonus eſt & vnus, neque licet intelligere Deum non infinitum; neque infinitum eſſe plus vno; nec ergo beatitatem eius eſſe finitam, & limitatam in volendo vel in intelligendo, vel in potendo. Cùm autem creaturæ non poſſent toticipare bonitatem eius, ſed participare; gradus autem participationis ipſius Infiniti innumeros eſſe oportet, propterea multa genera entium, & cauſarum, quæ Deum ex parte imitantur in eſſe & cauſatione, fieri oportuit. Nec ſimul omnes effectus, quoniam fortè infiniti ferè eſſent, ac ſimul eſſe non poſſent, & totum ens vnum aggregatione, quaſi animal eſſe oportebat ab vno Deo, cuius partes ordinatæ ad Totum, ſimul nequeant abſque totius incommodo exiſtere niſi ſub vno certo numero, ac ſitu: propterea fiunt res in mundo ſucceſſiuè. Etenim & agentes cauſas motu donauit & circulo, vt poſſint in quolibet ſyſtemate fieri & refieri entia fienda. Videtur tamen iſte mundus corporalis non eſſe ſui gratia, ſed propter mentalem: Cùm enim ſit opificium artificiosè elaboratum à diuina arte, habet pro fine diuinam artem: & artifices Dei imitatores: vnde videmus, quod res naturales ſunt gratia Metaphyſicarum, & Moralium. Etenim elementa pugnant vt fiant elementata ex eis, & plantas eſſe propter animalia, & animalia & plantas propter hominem: ergo hominem propter Angelos, & propter Deum: quos intelligimus & experimur eſſe. Deus ergo homines faciendo dirigit illos ad ſe, vt bonum naturale, vt ſcire quimus: & ad ſupernaturalia bona, vt olfacimus naturaliter: & reuelatione certificamur. Cùm ergo omnia ſint bona, ad finem propter quem fiunt, dicuntur bona: Bonum enim non dicitur quippiam, niſi à cauſa finali, ſicuti verum ab ideali: & ens ab effectiua potentia. Et quoniam quædam cadunt à fine, ad quem diriguntur proprio appetitu, non autem alieno, vt ficus fit à ficulnea ad ſui æternationem in ſimili: tamen ab Agricola fit ob manducationem: & cadendo à primo fine non cadit à poſtremo: homo enim nutritur ficu, & ſi cadit ab vtroque; non cadit ob animalium comedentum finem: & ſi ab omnibus iis, non cadit tamen ab omni fine, quoniam & in terram decidens aliquem vſum præſtat vitę totius mundi, vt prius dicebamus: ſicuti & ea quæ in corpore noſtro fiunt. Quæ ergo videntur cadere à finibus multis, non cadunt ab omni fine; ergo nec à Deo fine finium. Eſt enim omnipotens, omniſcius, & omnivolus. Qui autem dicunt Deum non eſſe omniuolum, ſicuti etiam omniſcius, propterea quod non vult peccata, & quædam mala; audiendi non ſunt, quia peccata vt non entia & non ordinabilia ad finem, non ſunt volita: cadunt enim ab idea, & ab intentione Artificis Dei erga finem: ſed vt entia & ordinabilia, ſunt volita: & licet enim peccatum contra Deum non habeat in voluntate antecedenti volitionem ſui, ordinabilitatem, cùm ſit ipſa inordinatio: tamen in conſequenti licet non habeat volitionem, ſortitur tamen ordinationem, non ex ſui natura, ſed Dei exceſſiua virtute, qua vult Deus, vt ſi non ſit cauſa, ſit ſaltem occaſio alicuius

boni, licet minoris, quando non æqualis, nec maioris. Deus ergo voluntate boni patris rerum, omnia facit bona, & ad bonum: ergo & ad se: propterea probauimus quod innato amore res cunctæ magis amant Deum bonum, vniuersale, æternum, & vbique, quàm se ipsas, bonum partiale temporale, hic & nunc: ergo & homines propter se; & si cadunt ab vno fine, incidunt in alterum: qui etiam est Dei, vt iudicis, etsi non vt patris: ergo quoniam in voluntate præcedenti, quæ destinat omnes ad se vt summum bonum, quatenus capacitas creaturarum potest adipisci, ordinat homines etiam bonos à se factos, & capaciores aliis, ad se, vt bonum patrem. Nec est cœcus, qui non videat aliquos casuros à supremo fine. Nam ipse condidit hominem liberum, vt à se determinaretur circa omnia media, & possit reluctari Deo, & non reluctari, bonum perfectum suadenti & mouenti. Quod si præ bono perfecto alterum minus bonum eligat homo contra Dei præceptum naturale, vt si coëat, non vt faciat filium, sed solum vt delectetur, cadit à fine naturali, quæ est perpetuatio in prole; & à supernaturali, si à lege Dei deuiat, vt cum alia concubat: lex enim naturalis bona naturalia pollicetur suis obseruatoribus; lex supernaturalis supernaturalia. Voluit autem Deus hominem esse liberum, & liberè operari, sicuti alias causas esse contingentes, alias necessarias; alioquin effectus causarum omnes essent vnius generis: permissio ergo peccandi non cadit super actum peccaminosum, sed super conditionem causæ conditæ, vt sit libera. Peccare autem contingit cunctis rebus vt ex Nihilo constituuntur, non peccare vt ex ente: Vtrumque autem posse sectari, in libertate est liberarum causarum, & in variabilitate contingentium. Deus autem nescit in causis liberis, & contingentibus, effectum futurum, sed solum scit quod sunt indeterminatæ. Determinantur contingentes à serie causarum, propterea Deus ex serie, in qua eas ponit, potest præscire euentus, potius autem decernere; quamuis vt contingentes sint incognoscibiles. Liberæ autem non determinantur à serie, licet inclinentur, sed solùm à seipsis, & non vno modo, vt grauia & leuia, sed pluribus: & ab actu ad quem se determinant cessare possunt proprio arbitratu, non sicut bruta ex noua passione aut obiecto nouo plus mouente: ne sicut grauia: quæ non cessant nisi impediantur vi. Sed propterea Deus videt effectus contingentes, & liberos non in causis contingentibus, nisi post determinationem, nec in liberis etiam post determinationem, possunt enim variare & recedere ab actu. Propterea sanctus Thomas ait, quod homo positus in actu peccaminoso, potest desistere ab eo, & ideo imputatur illi, quia non desistit: Deus enim mouet eum solum ad bonum & in communi: similiter & in actu pio: multi enim in gratia positi à Deo moti, recedunt ab actu bono, quò feruntur, in malum voluntate propria, non Dei impulsu. Videt autem Deus in verbo suo omnium actualium & possibilium expressiuo (toticipat enim, non participat, nec plus habet) quidquid sua voluntas & nostra sit decretura, non prius autem causam decernentem, & facientem, quàm rem factam, seu effectum; alioquin proficeret in faciendo, aut ex verbi productione fieret sapientior; & quia effectus possibiles, & modi eorum sunt innumeri, omnes istos præuidet, seu potius videt & conuidet Deus, & voluntate consequenti decernit aliter de rebus tanquam præscius non fuisset; sicut Nauta voluntate præcedenti vult saluare merces, & Iudex conseruare omnes ciues; at post procellam, & post crimina indeleta, vult ille merces, iste criminosos necare (hæc duo exempla sunt D. Thomæ) Quapropter voluntas antecedens solum fertur in bonum omnium, & est propriè voluntas: Consequens verò in minus malum, & est per accidens voluntas apud S. Thomam in 9. cap. ad Rom. & Damas. & Chrys. & tamen ista per accidens adimpletur: & dicitur vera voluntas, & illa prima velleitas etiam apud D. Thomam in 1. p. quod verum est in executione, quoniam ista habet effectum, illa non: sed in intentione illa antecedens est verior voluntas, quia fertur in verè bonum: ista consequens velleitas: quoniam aliter volendum erat absolutè per se, vt dicit super cap. 9. ad Rom. & Chrys. hom. 1. ad Ephes. & Damas. de Fid. Ort. Et quoniam voluntas erga entia libera non potest esse nisi conditionata, sicut est omnis lex nobis posita; absoluta enim tollit libertatem: Deus autem videt voluntates & effectus simul: propterea illa prima voluntas non est cœca, licet ad modum cœci se habeat, sicut nec secunda est pœnitentiæ, quamuis ad modum pœnitentis intelligatur, cùm Deus ait post decretum: *Pœnitet me fecisse hominem*: quem non quidem præsciebat peccaturum, nisi secundum nostrum modum intelligendi, sed videbat & purum & peccantem & punitum: quoniam non prius vnum videt quàm alterum, nisi rationis prioritate, & apud nos; nec mutatur de volitione in volitionem, cuius vnica simul omnium est volitio, sed respectu nostri dicitur in sacris Litteris mutare sententiam nosse, si nos nouerimus mutare vitam. At quomodo mutatio illa intelligatur ipse nouit. Nec propterea capit scientiam à rebus, quas idealiter habet: nam etiam Angeli sciunt res naturales per ideas innatas, non accipiendo scientiam ab illis, vt Plato, & S. Thom, docent, & August. nec quidem decreto fiunt Dei, nisi communi; posset enim homo nunc scribere, & fodere, & ambulare, & innumeros alios actus, & hos omnes Deus scit, inter quos est hoc scribere, quem eligit hic homo, in idea Dei æternaliter existens: vt autem existat in rerum natura fit immediata attingentia à causa secunda, & mediata à prima, quæ tamen est immediata principalitate.

Ad 2 q. respondetur, quod quæcumque agit immediate Deus, & non per secundas causas, illa non possunt euenire præter voluntatem Dei antecedentem, idque Plato etiam docuit; melius autem Moses. Nam in principio Deus creat cœlum & terram sine instrumento: & in his primis creatis rebus nihil est præter voluntatem. Deinde Deus iubet res fieri à secundis causis non creari: Dicuntur tamen adeo creata, quoniam mediatè in primis erant creata, vt lux, planta, lapis, animal, &c. & in his quæ dicuntur facta, Deus concurrit, non currit, operando, excepta formatione primi hominis: Quamuis enim de terra limosa, hoc est, aquis mista facta sit hominis statua; tamen à Deo immediatè facta non ministerio Angelorum, vt puta Plato, sed patris Angelorum operatione. Animas quoque humanas creari à Deo, docet Moses immediatè. Nam cùm animas brutorum, planta-

rumque, aquis, & terris generandas commisisset, dicens, *Producat terra herbam virentem, & facientem fructum, & lignum pomiferum*, &, *producat terra animam viuentem in genere suo iumenta, reptilia & bestias*: item, *producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, &c.* Rectè quidem, omnia enim hæc ex elementatione fiunt: tandem dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus.* Et in c. 2. *Formauit Deus hominem dè limo terræ, & inspiranit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: vbi animam non ex aliquo elemento educit, sed ipse Deus inspirat de flatu suo, hoc est, de primalitatum, quibus essentiatur Deus participio, non consubstantiali, vt putant Stoici, sed imitatiuo, vt alibi probatum est: & cùm facit hominem, & animas creat Deus, rectas creat: ergo non odibiles: etenim nihil in eis prҿter Dei voluntatem. At cùm res aliæ operantur secundum vires quas dedit Deus, deficiunt ab imitatione Dei, sicut discipuli, Magistri artem non penitus assequentes, maximè aliarum causarum concursu alterati: vt cùm generantur monstra, & actiones fiunt contra finem, qualis est concubitus brutorum contra naturam, & occisio: Attamen quia ordinantur à Deo, ista dicuntur per accidens, id est, propter id, ad quod ordinantur. Portò hoc tenendum est, nullam naturam scire id quod facit; neque enim canis scit facere canem, componere corpus canis, & instrumenta vitæ: imò nec homo: propterea necesse est asserere, vel Deum ista facere per nos tanquam instrumenta immediatè, sicuti ego scripturam hanc per pennam: vel alias intelligentias: & quoniam contingunt errores in naturalibus, potius est committenda Intelligentiæ vni, vel Animæ mundi, vel Angelis opificibus, quàm Deo nunquam erranti. Vnde Ambrosius & Chrysostomus, cùm dicit Christus, quòd non cadit passer vnus in laqueum sine voluntate patris) reputant etiam indignum Deo, propterea exponunt, scilicet, sine scientia patris. Rectè ob primalitatum identitatem: & quoniam licèt ista sint à Deo volita, non tamen per se, ait sanctus Thomas, sunt volita, ni per accidens. At si etiam mala quæ facit homo blasphemando, iniuriando, occidendo, sunt à Deo volita, saltem per accidens, sicuti & elementorum & brutorum mala: ergo etiam sunt à Deo facta per accidens: ergo propter aliud bonum sunt volita, & facta à Deo, ex quo sequitur, quod non sit præmium, nec pœna post mortem; & ea quæ à legislatoribus accepimus, esse illices, & terriculamenta ad legum obseruantiam: vel omnes tandem homines ad Deum redituros, saltem post sæcula & regenerationes, vt dicit Origenes. Oportet ergo si reuelatio est vera, & non officiosum mendacium, dicere quod mala quæ facit homo præter rationem, non sunt à Deo volita nec per se nec per accidens. Nam nec possunt in bonum verti de se sicut mors vitulæ in bonum lupi, cui enim bonum esse queat Dei odium & blasphemia? licet Deus postea ex bonitatis omnipotentia faciat, vt sint occasio boni. Quapropter si non daretur reuelatio sacrarum Scripturarum, liceret dicere, omnia esse volita à Deo per se vel per accidens. Cum autem hoc sit perniciosum Reipublicæ, & falsum Rei literariæ: & multa Deus faciat occasione accepta non in se, sed in creatura ex peccato Adæ, & aliorum, quæ non fuissent futura, nisi præcessisset culpa (vide quot euenere ex culpa Adæ, & quot ex occasione Christi, & quot ex cæde Cæsaris, & ex stupro Lucretiæ) propterea dicendum est quod Deus multa facit voluntate consequenti, quæ non fecisset antecedenti: omnia tamen fieri à Deo vel immediatè vel mediatè, loquendo de mediatione attingentiҿ: omnia tamen immediatè de immediatione principiationis: Cùm ergo apud Homerum Iupiter rogatus pro Troianis ponderat fata, & dicit se non posse saluare Troiam, quoniam pondus contra eam fatale prҿcedebat, & dicit Veneri non posse iuuentutem Anchisæ reuocare, quoniam obstant fata: intelligendum est de serie causarum præsuppositarum, quas etiam condidit Deus, & de potestate voluntatis consequentis, non autem antecedentis, nec absolutæ, sed tantum ordinatæ supposita serie; sponte non coactè, liberè non seruiliter à Deo posita: Vnde Moses casu occisum hominem ab alio homine, dicit, quia tradidit eum Dominus in manus suas, id est, causarum serie à Deo condita, sic euenire. Peccata ergo & ea, quæ eueniunt ex causis liberis, & contingentibus, dicuntur à Deo permissa in conditione causarum, non in concursu ad effectum malum immediatè: ordinat tamen Deus omnes actus: plurima ergo fiunt præter voluntatem antecedentem, quæ sunt volita secundum consequentem: peccata tamen contra Deum non sunt volita ex præcedenti, nec consequenti voluntate, nec per se, nec per accidens, vt probat sanctus Thomas, sed tantum permissa dum conditur voluntas ad bonum & ad malum sese determinare potens, & dum determinatio & causatio à Deo non impeditur: & propter hoc dicit Concilium Tridentinum, quod Deus non concurrit ad peccatum per se nec per accidens causatiuè, sed tantum permissiuè. Præuidet autem Deus innumeras determinabilitates & efficientias; at quem capesset causa libera, non videt nisi præsentialiter posito post effectu, qui tamē nobis est post, Deo autem simul, vnde necessitatem quidem habet, dum est, ab existentia: non autem à determinabilitate, in qua adhuc potest misceri suum nonesse. Omne enim ens necessarium est, omne nihilum impossibile: Compositum verò ex ente & nihilo, quatenus simul potest esse & non esse, dicitur contingens, dum indeterminatum est, ad vtrumque.

Ad 3. dico Deum non mutari de velle saluum facere ad nolle, nec è conuerso, licet sic dicatur in Scripturis; quoniam ad modum se sè mutantis habet, & tamen ait alibi: *Ego Deus, & non mutor.* Condidit ergo liberè Deus creaturas, vt sint, & causent, aliæ necessariò, aliæ contingenter, aliæ liberè, aliæ seruiliter: non scit tamen Deus quid & quomodo causaturæ sunt contingentes, & liberæ ex decreto, sed ex euentu; qui tamen æque simul cognoscitur à Deo, atque causa & causarum series: liberis autem decreuit conditionatè, vt si sic fecerint, ita eueniat eis & toti mundo: Etenim ex peccato Adæ mutata est tota rerum series, & euentus, in hominibus, & in brutis, imò & in elementis, vt Chrysostomus & Clemen. & alij docent; sic ex Cæsaris prælio cum Pompeio magna pars seriei generis humani. Neque enim ego & tu essemus in mundo nisi Cæsar præcessisset

ſet, & pugna: ſin verò aliter operabuntur, alia ſuccedent, & aliter, iuxta diuinæ immenſæ Sapientiæ ordinationes infinitas, quoniam ſunt infinitè variabiles euentus.

Mutatio ergo eſt in rebus non in Dei voluntate, cuius eſt vnicus actus, complectens infinitum, & conditione aliqua, aliqua abſolutè volens.

Ad 4. Deus non venit de potentia ad actum. Neque enim aliquando noluit, & potuit velle id, & ea, quæ poſtea voluit actu; nec volitio ſui præcedit volitionem creaturarum; ſed volens ſe, vult omnia participantia ſui; ſe neceſſariò: creaturas liberè; quoniam creatura poteſt eſſe & non eſſe, cum antea non fuerit; Deus autem non poteſt non eſſe. Eſſe autem vllum non poteſt non eſſe volitum, vt ens, ſed vt participium nonentis, poteſt etiam non eſſe, ſicut enim intelligendo ſe, intelligit omnia, quæ non ſunt Deus, & producit verbum omnium, ſic volendo ſe, vult omnia, & producit amorem omnium; non vt ignorans, ergo vt intelligens; ergo vnà cum verbo vt vnum ſunt, producit amorem, quem Theologi vocant Spiritum ſanctum: & quamuis ſcientia ſui & creaturarum ſit neceſſaria, non tamen creatura eſt neceſſaria, ait D. Thomas, eſt enim etiam de obiecto contingenti viſio neceſſaria. Similiter volitio Dei & creaturarum eſt neceſſaria, non tamen res volitæ, ſunt neceſſariò volitæ; vel ipſę neceſſarię, vt dicitur in Quolibetis.

Ad 5. Quæ Deus deſtinauit abſolutè, non poſſunt aliter euenire nec finem prędeſtinatum non conſequi: ſed quæ conditionatè conſequuntur finem prædeſtinatum, ſi velint. Vnde ait, *Si bene feceris recipies, ſi malè, peccatum tuum contra te*; non Deus.

Ad 6. Deus non ſeminauit pœnas in Mundo, ſed rerum diſtinctiones generationeſque per ſe, Corruptiones verò per accidens. Multipliciter autem diuinæ poteſtatis & ſapientiæ, & bonitatis repræſentari diuitias Deus voluit, nec ſimul omnes fieri, ſed ſucceſſione, & quæ ſunt pænoſa partibus eſſe toti delectabilia. Vt mortes partiales, quæ fiunt in corpore noſtro propter vitam totius, eſſéque tantum permutationes. Moſes tamen reſpondet ex peccato hominis, cuius gratia factus eſt mundus, eueniſſe iſta mala; ſed de elementorum tranſmutatione, non fit ſatis in iſto dicto, niſi addas quod Paulus dicit; *Omnis Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei*: quæ corruptio in ſeruitute miſerię filiorum Dei ob peccatum graſſatur. Philoſophia humana non poteſt ad iſta reſpondere: vnde potius negat Deum aut prouidentiam. Quæ cum ſint notiſſima vt ſuprà oſtendimus, in arte & natura, negari non poſſunt; ergò cogimur ſtare reuelatis, ſicuti & Socrates & Plato confitentur, in his quæ aſſequi non poſſumus argumento. Seneca etiam vbique negat immortalitatem animorum, & quia Deum & prouidentiam aſſerit, coactus eſt tandem in opuſc. attitulato: *Cur bonis mala, ſi Deus eſt*: Fateri animas immortales, vt Iuſtitia Dei prouidentis non completa in vita præſenti, poſt mortem compleatur. Idcircò requiem philoſophando non inueniri, niſi in euang. probauimus loco ſuo.

Propterea ad 7. dico, quod Deus creauit mundum delectationibus omnibus plenum: vbi non eſt mors & tranſmutatio; ad quem ſumus transferendi poſt huius belli curriculum; Poteſt enim Deus omnia quę facit ſucceſſiuè feciſſe ſimul in ampliori mundo, ità vt non ſit neceſſe alia mutari & mori; aliaque fieri: Sed verè hinc videtur, quòd iſte ſit mundus pugnæ, & alius requiei: ſicut ſibi auguratur, & optat omnis creatura, & Mundus nunc eſſe in fieri, non in facto eſſe; donec expleatur animorum creatio, & omnium Dei ideationum, in omnibus repræſentatio. Rideant Athei, murmurent Epicurei, velint nolint, ſi philoſophandum eſt, ad hæc peruenire neceſſe habent. Remanebunt autem quæ propter ſe, & propter Deum immediatè vt Mentes: non quæ propter aliud. Finitur enim eorum vſus, & tolluntur ſicut ſcena, peracta comedia, cuius gratia erat: & viridarium ſublato Agricola, & Dapes, ſedata fame.

Cogitatio, quantus & qualis esset Mundus, & cœtus hominum, si Naturarum & Moris mala non extarent. Et quare Deus mutat ordinem rerum, propter creaturæ liberæ mutationem : & quod non capit scientiam futurorum à futurorum actione in ipsum, & de infinitis mutabilitatibus nostris, & ordinabilitatibus à Deo præconceptis.

ART. VII.

ANTE tamen considero, quod si Deus fecisset simul omnia entia, quæ sunt, fuerunt, & erunt, Mundus esset longe amplior quam nunc est: & cuncta essent bona, & nulla alteri contraria. Contrarietas enim est propter transmutationem, & generationem rerum, vt ex vna corrupta fiat altera. Quapropter quædam fœlicitas esset, quam fortasse in altero systemate ostendit Deus, vel in requie beatorum. At ex hoc tollitur causatio, & labor & virtus, & prudentia, & Ars, & manducationis cura : & nulla virtutum humanarum remaneret, nisi tantum primordialiter Sapientia & amor Rerum omnium inter se, & ad Deum. Fortasse nec agnosceretur Deus, & beneficentia eius, nisi labor, & causatio, & generatio, & bellum, & dare, & accipere extarent. Item repræsentatio diuitiarum Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris diuini, tota simul appareret, nec doceretur, nec addisceretur. Non enim essent Infantes, & Pueri, & senes; sed omnes vnius ætatis simul creati homines, & res. Malum autem naturale positiuum, quo calor impugnat frigus, & Elementa ad inuicem sese interimunt, non essent : sed fortasse esset malum morale, vel erga Deum contemptus & odium, vel erga proximum inuidia, superbia, negligentia : sed nec ista forent, si occasionem non haberent à serie rerum, vt putat Auic. & nouiter Molinistæ quidam. Quibus potest repugnari, quoniam cum ista voluntaria mala sint, ex libero arbitrio elicerentur effectiuè, licet ab obiectis occasionaliter. Et si homo liber, & Angelus liber non esset, vel ita formati, non vt peccent, quoniam occasionem non habent peccandi. [Nulla enim creatura agit, sine occasione aut motiuo,] tunc Mundus perseueraret vt incepit : & nullum malum in naturalibus, nec in Moralibus inueniretur. Nunc autem videmus, quod non perseuerant in statu quo creatæ sunt : tum propter Elementotorum, ac consequẽter Elementatorum pugnam, & contingentiam rerum, & casum, & fortunam, quæ regnent ex defectu Necessitatis Fati & Harmoniæ pristinæ, qui defectus nascuntur ex pugna præfata, & causarum lucta cœlestium, & terrestrium. Tum propter liberarum causarum exorbitantias à naturali, & diuina Lege, & propter repugnantiam ipsarum inter se, & rebellionem à Deo : vnde cogitabam, quod sic Deus fecit hominem rectum; & quod male in Politica, & vita humana acciderunt à culpa, vel defectu, & consequenter in Natura, quatenus vsui humano, & Angelico destinata. Ergo Deus mutauit ordinem rerum propter culpam primorum parentum. Nam omnes fuissemus immortales etiam corpore. Et boni, & prudentes, & Domini rerum & bestiarum : naturale est enim vt deteriora melioribus obediant. Et hoc arcanum habemus ex reuelatione, instinctu & argumento. Non enim decebat Deum facere homines malos, vel rectos non destinare ad fines optimos, cum in natura, & Politica tanta appareat prouidentia, & amor diuinitatis & studium. At dũ cogitarem quomodo Deus mutat sententiam, & rerum ordinem propter nos, cum sit ille immutabilis præsertim ab exterioribus obiectis, debebatque propter hoc etiam ab euentibus non mutari; ergo nec mutare: Ipse enim præscit quidquid debet accidere, & potest ita constituere mundum consilio certo, vt nullo ex accidente nouo quippiam mutet. Mutamur enim nos quia futura ignoramus, nec consilium certum habemus, sed dubium & mutabile propter euentum non præuisum. Deus autem certus omninò, cur ergo præscius nostrorum malorum condidit mundum, nec potentem euitare mala naturæ, & morum? Non possumus dicere casu omnia fieri, cum in omnibus summa splendeat ratio etiam in casu genitis. casu nascitur Rana & Pediculus, & tamen tanta arte fabricatus, & sensu constitutus, & appetitu proprij studioque boni, vt mirer ad Ecstasim vsque petemnem. Et dixi. Deus non discit ab euentibus, nec mutatur. Ergo habet in suæ Sapientiæ immensitate, non solum infinitos mundos, & Mundorum formas, supra quam nos imaginari possumus. Anima enim nostra pars est, nec supra totum potest cogitare, si non est toto maior. Imaginatur autem homo hos Mundos sine fine: Præterea creando Mundum siue plures, siue vnum, compositum ex causis necessariis, & liberis, & contingentibus, & seruilibus, & spontaneis, & coactis, scit quid necessariæ facient, & seruiles, & naturales, & coactæ in suo decreto faciendorum. Non autem scit quid facient liberæ, quoniam liberas eas facit, vt non decreto Dei seruiant, & prædeterminationi, vt seruus Spontaneus, & coactus, alioquin nullum malum fieret ab homine, cum Deus solum bona decernat, & velit; sed vt se determinarent, ad quod voluerint. Et *posuit ante eos bonum & malum : quodcunque voluerit dabitur illi*, dicit Ecclesiast. 15. At quidem videt quid homo voluerit, siue bonum, siue malum, & ordinat illa. Ordo ergo non ex destinatione, sed ex præuisione, quoniam coexistunt, & causæ, & effectus simul in æternitate. Non autem addiscit Deus ex ista coexistentia, neque mutatur, sed res mutantur. Ipse enim scit de omnibus, & de toto, sicut de mẽ

& solo, quia hodie possum me ad scribendum, ad loquendum, ad ambulandum, ad vindemiandum, & ad innumeras actiones in quolibet nunc applicare, & inter illas innumeras est ista secundum quam scribo. Igitur decreuit ordinare, tam istam actionem meam, quàm alias, quæcunque ex libertate mea contingeret ad aliquem finem. Similiter scit me posse hodie vel nunc determinare ad peccandum infinitis ferè modis peccati, & simul statuit si hoc peccato, vel illo, vel aliquouis peccauero, quid ipse ex eo sit ordinaturus. Et quod dico, de me dico, de Adamo, & de toto Mundo. Nempe si Adam non peccasset alium ordinem rebus humanis statuere: si peccasset venialiter, alium; si mortaliter, alium. Et si hoc vel altero genere culpæ, hunc vel alium modum gubernandi determinauit, & quia infinitis culpis poterat peccare, infinitos modos remediandi simul in Immensitate suæ Sapientiæ ordinauit: Et quoniam peccauit per inobedientiam in paruo pomo; per obedientiam Christi etiam vsque ad mortem remedium parauit: Vt S. Leo, Aug. & Thom. & Greg. docent. Et quia iste modus est mirificentissimus, & fœlicissimus: propterea Greg. canit. *O certè necess. Adæ peccatum, ô fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Et profecto nulla secta, nulla Religio ad tantam philosophiam peruenit: nec intelligunt mundum adhuc esse in fieri non in facto esse; sed sũt vti vermes in vẽtre nostro, qui de nobis nil philosophantur, nec quomodo totius mala, & ipsorum, & nostra in bonum vertentur. Ideo nec quod si Deus fecit nos, gubernat etiam nos, etiam modis, qui videtur impossibiles, & ridiculi. Pilis ecce palpebræ visum regit: Crystallo oculi modico Cœlum, Terram, & Mundum nos videre facit: ridiculo pudendo gignere homines: & sic in Politica per Religionem, quæ videtur Ludibrium Epicuræis Remp. firmat, ad diuina nos eleuat; nec res tam parua, & contemptibilis reperitur, quæ non maxime Deum, vel sponte manifestet, non tamẽ illis, de quibus dicit, Sap. 1. *Non cognouerunt Sacramenta Dei.* Ideo alij negant Deum Beatorem, alij prouisorem & Gubernatorem. Alij affirmant sed ex parte, quoniam fines rerum & vsus, sicut nec Mus Codicis mysteria, quem rodit, non percipiunt; nec primordiorum arcana, & Pauci super hoc Sapiunt. Sola tamen Philosophia Christiana respondet ad omnia quæsita circa hæc, & olfacit Ludum Dei cum creaturis suis præsertim cum hominibus. Solus Orig. tentauit quæstiones omnes. Iesuitæ scientiam conditionalium ante decretum doctè inuexerunt; Melius tamen D. Thom. ex scientia coexistentium decreta deriuat. Et si hæc Philosophia non est vera; at omnia decreta sunt tam malè, vel executa tam malè: ergo Deus non erat tam Potens, aut non tam Sapiens, aut non tam Bonus, qui res sic instituit: ergo non Deus: vel pœnæ post mortem æternæ, sunt terriculamenta, vt Orig. suspicatur. Deus enim ablatis post sæcula malis omnia conuertet ad se. Intereà maneamus in testimonio Euang. & Ecclesiæ. Cum qua si vult Deus; nos errare, erramus, & non erramus. sed non vult ergo multo certiùs est, quod non erramus.

Auicennæ Resp. de paucitate malorum Physicorum, & Moralium, æquè necessariorum ad rerum perfectam vniuersitatem, examinatur.

ART. VIII.

AVICENNA autem qui superat Arist. & alios Peripateticos in Metaph. tract. 9. cap. 6. quod Deus optimus non admittit malum, nisi infra Lunam; quod quasi nihil est ad totam vniuersitatem rerum superiorum. Deinde ait, quod non est malum in speciebus rerum, sed tantum in indiuiduis: item non quo ad perfectiones essentiales, sed quo ad accidentales tantum: & iterum, malum esse necessarium ad perfectionem vniuersi, tam in naturalibus, quam in Moralibus, & propterea sunt à Deo neglecta. Declarat autem quæ dixit, quoniam malum aliud est defectiuum. vt ignorantia, debilitas; aliud prohibitiuum boni: vt nubes prohibet solis lucem arboribus, ne vigorentur, & fructificent. Aliud positiuum, vt dolor, & tristitia; quæ rebus tantum insunt cognoscitiuis causæ, & amissionis. Aliud priuatiuum, vt cæcitas respectu oculi; & hoc non potest esse bonum vlli: & tandem est malum respectiuum tantum, vt ignis ast malus aquæ & frigori; secundum se verò est optimus: Malum ergo per essentiam, ait, est priuatio; Non quælibet priuatio, nisi priuati iudicij naturarum rerum à perfectionibus suæ speciei, & suæ naturæ: sed malum per accidens est particularium, vel retrahens à Iure suæ perfectionis. Et hoc accidit, quia habet materiæ potentiam, vel impeditam ab alio priori contrario, vt in semine prauitas, vnde generatio impeditur: vel superadditam à causis extrinsecis, vel prohibentibus, vt nubes arboribus solẽ, & seminis nutritionem; vel oppugnantibus, vt gelu cadens super herbas. Tunc ait, malum est paruissimum respectu boni, quoniam est solum in aliquibus indiuiduis sublunaribus, defectus perfectionis substantialis, aut accidentalis. Et quoniam hoc accidit ex rerum ordine & causatione, & parum, non sæpè, vt cæcitas; vel multum; sed sæpè, vt languor: Mala autem sæpissima & multa, vt deformitas, ignorantia sunt ex defectu materiæ, vel agẽtis causæ, quia non tantum agit: & pertinet ad priuationem accidentalem. Quæ autem sunt à priuatione, & contrarietate non abstulit Deus, quia rerum naturas non fecisset secundum essentiam, quam habere debent, Ignis enim propter innumeras vtilitates calefacit, & vrit, & materia suscipit contraria. Quod si vestem viri Iusti aliquando vrit, accensus est, & raro. Nec debebat Deus propter bonum accidentale Rarum, auferre igni naturam calefactiuam, & & combustiuam, & passiuis combustibilitatem. Et quidem omnis corruptio est propter generationem, & concursus rerum actiuarum, & passiuarum est necess. ad ordinem & perfectionem Mundi, nec est in actione, cum sit perfectio agentis, sed

in actionis. Ergo & necessario sūt, quæ eueniūt mala accidētalia propter hunc ordinē quo res agētes & patientes, cœlestes, & terrestres, naturales, & animales, sunt ordinatæ, vt sint quod sunt, & faciant res alias bonas. At ex dispositionibus mundi inter se ad inuicem sequuntur aliqua indiuiduorum mala Physica: & vt fiat in anima forma prauæ sententiæ, vel incredulitatis; vel alia malitia in anima, & in corpore, ita vt si non esset sic, ordo vniuersitatis nō esset perfectus; ideo neglectū fuit hoc, ne essent attenta conuenientia, quæ necessario accidant, & ideo Deus ait, in lege Mahom. *Creaui istos ad Infernum, non curo, creaui istos ad Paradisum non curo*, & præmiserat. *Cura rerum omnium est ex hoc, quod Deus scit se ipsum, & quod ab ipso est necessitas ordinationis, & bonitatis, & quod sua essentia est causa bonitatis, & perfectionis secundum quod possibile est rebus, & placent ei.* Intelligit igitur ordinatum bonitatis secundum quod possibile est esse melius, & ex hoc quod intelligit eam, fluit ipsa tali fluxu, quo perfectius peruenitur ad ordinem secundum possibilitatem, & hæc est intentio de cura diuina erga Mundum.

Examine facto dictorum Auic. primo non videtur exactè quæstionibus satisfacere. Nam etiam supra Lunam esse mala Physica, respectiua, & defectiua iam palam est: nec debebat assentiri Arist. æternanti cœlestia, sed potius Mahometi mutabilia facienti & consimilia Mundo Elementari: & docere debebat, quod generatio & corruptio non sint verè mala, licet occasionent verum malum. Mala indiuiduorum essentialia modica admittit, vt cum orbantur, cum occiduntur, cum castrantur; at cum omnes moriantur, quod pessimum est, prouisionem in hoc debet cogitare. Verum quoque est pertinere mala Physica ad vniuersi præsentis perfectionem, in quo est generatio & corruptio; non autem ad vniuersi simpliciter: nec sic de bonis moralibus. Mundus enim sine his melior est: & cum ait, moralia accidere ex fatali serie: v.g. vt iste fiat prauus, & peccet, & à Deo non esse curatum hoc, quoniam ex serie rerum bona ad bonum accidunt, error est. Nam peccatum est contra Deum summum bonum, & deordinatio ab idea, & fine intento à Deo, non compensabile (vt monet Thomas) per maius vel æquè bonum, non erat ergo à Deo negligendum, sicut malum Physicum; ex quo generatio, & mutatio rerum. Propterea stultè Mahometis Deus dicit: *Non curo*; imo, inquam, curat, dat remedia Leges Prophetas, & filium, in Lege Christianorum, & nil dimittit, quod remedio esse potest. Error etiam docens Deum intelligendo se, vt causam bonitatis, & ordinis Mundi secundum, quod melius esse poterat ordinasse fieri; Nec potuisse melius quàm nunc est: imo dicimus factum meliorem, & peccato Angelorum & hominum deterioratum; & in principio alium scriptum esse ordinem. Item propterea adhuc esse in fieri, donec consummatio addat perfectionem, & tollat imperfectiones. Peccasse autem creaturas rationales non necessario ex serie fatali: sed liberè, & ex occasione tantem, tunc & nunc, vt nostra Libertas ab obiectis, & à passionibus, & à Dei impulsionibus palam facit. Quantumuis etiam Auic. minuat mala naturæ, & moris, non ostendit Dei curam desiderabilem, & prouidentiam amabilem dignam Deo: sed mistam negligentiæ vel impotentiæ, & vera remedia tacet. Et quomodo omnis creatura nunc gemens, & parturiens, liberabitur à seruitute corruptionis propter fœlicitatē hominum, rerum cunctarum post mundi renouationem. Si quidem cōuicti Philosophi Deū cognoscere rerū potentem autorem, & bonum gubernatorem, necessario habent credere etiam rerū renouationem; malorum moralium, & naturalium cessationem; ac post præsentia mala fœlicitatem; vel omnium tandem, vt dicit Orig. vel eorum, quorum peccata sunt sanabilia, vt Plato. Auic. quoque idem sentit: Nam in Met. 9. cap. 7. Animas fœlicitari conscientia rectè factorum vult; in qua bene sperando moriuntur, & imaginatis præmiis desideratisque in hac vita acquisitisque; quæ afficiunt magis quàm sensuales voluptates, remanentes in anima, & tandem Deo copulabuntur, & diuinis intelligentiis in æterna gaudia, scelestas vero propriis cruciari acquisitis imaginibus pœnarum, quæ plus possunt quam corporales pœnæ, vt patet in his, qui ex imaginatione mali terrentur, aut moriuntur subito, aut canescunt, aut vultu distorquentur, & sic distorti permanent. Imo & mediocriter bonum desiderantibus, dat mediocria gaudia post purgationem. Hæc quidem verè, sed addunt nostri Theologi delitias, non ex imaginatione tantum, sed etiam ex diuinis obiectis; scelestos vero etiam ab obiectis cruciant, quod S. Thom. quatenus sunt diuinæ potentiæ instrumenta concedit: sic enim Ignis & vermes agunt in animas. Et quia manifestè in corpore afficiuntur malis corporeis; ergo & posteà alligata corporibus pænosis consimiliter patientur. Namque furor Domini succendit Tophet, ait Isaias; de quibus posteà.

Dubitatio de Morientibus in vtero: & de vita producenda & abbreuiandá per hominis scientias.

ART. IX.

At quoniam Theologi asserunt, quod si primus homo nō peccasset, verbum Dei non comparuisset inter homines humana vestitum carne, nec fuissent nati cœci, claudi debiles, inepti ad Scientias, nec damnabiles ad gehennam; imò mala Moralia, & Physica, etiam mors abfuissent: Quæritur ergo cur Infantes in vtero matrum moriuntur. Et si hoc ex peccato originali accidit; vtrum possit non accidere. Et cur aliis bonorum parentum natis hoc contingit, aliis nequaquam præsertim malorum generantium filiis, & hæreticorū: & num vita nostra, si hæc contingenter fiunt, possit per Magisterium Sapientiæ prolatari: si enim decreto Dei mors, & mortis tempus significantur. Vana est Sapientia Medicinæ, & quam scripsimus

de fato ſiderali vitando; ſicut ſi decreto abſoluto ſumus prædeſtinati, aut reprobati, non datur libertas, nec remedium ad mutandum ſortem, vel gradum ſortis, præſertim ſi etiam media ſunt prædeterminata. Perit ergo lex, Philoſophia, & exhortatio. & caſtigatio.

Reſp. Quæcunque hominis gratia, vel principaliter & directè, vel ſecundario & indirectè creata ſunt. mutato hominis ſtatu mutari; & ideo mala noſtra, & brutis, & plantis noſtro vſui dicatis communicari, & vt Paulus, ait iuxta Chryſ. & Clem. Rom. intellectum, Omnis corporea cratura compatitur, & congemiſcit. Item non accidere mala à Dei decreto abſoluto, ſed conditionato, & in nobis eſſe cōditiones adimplere vel fruſtrari. Item Deū non concurrere ad omnes actiones noſtras, & omniū rerū immediatè immediatione perſonali & attingentiæ, ſed immediatione Principij; alioquin nullus accideret error, nec culpa, ſi ipſe præmouet ad actū. & ſimul agit ita, vt nō poſſumus aliter nos agere de facto, quam ſicut agimur de facto. Videmus autem errores fieri non primorum Principiorum. i. Dei. Intelligentiarum, nec cœli culpa, ſed principiorum immediatorum in effectus naturam tranſeuntium. (Cuiuſmodi eſt ſemen Compendium Omnium cauſarum Deciſum ad conſtituendum aliud numero Ens) defectu, vel exceſſu, vel viciatione; aut coexiſtentium rerum oppugnatione, vt herba à Gelu; vel impeditione, vt vmbra Solem impedit in valle ne herbam fœcundet. Quod ſi in cunctis rebus prædeſtinet Deus, quoniam aliæ in aliarum cedunt vſum, haud tamen de homine idē dici poſſe vniuerſaliter. Cum enim naſcatur contrahendo peccatum originis, & veniat in campum mundi militaturus pro vita æterna: cur in vtero moritur quiſpiam antequam poſſit ſe eximere à peccato originis, & pro ſuo fine adſequēdo certare? Videtur ergo de homine ſentiendum, ſicut de fructibus arboris, & natis brutorum, quorum alij in flore, alij in fructu acerbo, alij in iam maturo colliguntur, ſicut ſupra diximus ad Aphrod. Ergo fabula videtur quod diximus, & amplius in 3.p. probaturi ſimus, ſortem hominis eſſe aliam, & propter ſe curari à Deo. Reſp. hominum corpora ac brutorum, & plantarum conſimili facto, ſaltem in ſeculo preſenti ſubiacere. Animas verò non omnes ad Dei ſupernaturalia bona creari, ſed ad naturalia tantum, & de prouiſione Dei erga mortuos in vtero, etiam ſi certam non habeamus reuelationem, non eſſe dubitādum: vnde S. Thom. & alij piè credendum putant Deum illis ſuccurrere ſecreta prouiſione, quo ad ſupernaturalia. Quo ad naturalia ſufficere remedium Verbi pro omnibus incarnati, quocum cōueniunt omnes in naturalibus. Hæretici autem, non reſpondent niſi Deo crudelitatem irrationalem, aut improuidētiam impingant. Et profecto ad Philoſophos ignaros noſtræ Theol. & dubitātes dicam; quod ſi ſumma ars relucet in fabrica corporum, etiam naſcentium illicoque moriētium; multo magis in animorum cura, credatur oportet, Deoque omnia commodanda. At quidem hæc mala ex peruerſo curſu propter peccatum originale accidere cenſendum eſt cum Theologis bono Philoſopho, potiuſquam negare, aut mutilare immenſi Dei prouidentiam; & in fine ſeculorum quid ex his velit Deus, expectandum.

Vitam præſentem produci poſſe indicat Cibus, & Medicina: qui enim prauis vtuntur abbreuant; qui proficuis declinant morbos. Item ait Pſaltes, *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos:* & Moſes. *Honora parentes tuos, vt ſit longæuus ſuper Terram.* Vnde cum Iob ait, *breues dies hominis ſunt. Conſtituiſti eius, qui præteriri non poterunt.* Intelligendus videtur vel de numero in communi, vt ætas hominis ſit circiter 120. annorum. Et equi 30. & Canis. 12. vel de ſtatuto voluntatis ſequentis præuiſionem faciendorum, & omittendorum per hominem, non autem de antecedenti; alioquin Medicina, & ſolertia, & prudentia nil valerent, & fruſtrà dixiſſet Deus in Eccl. 38. *Honora Medicum propter neceſſitatem, creauit illum Altiſsimus. A Deo eſt omnis medela:* Et *Altiſsimus creauit de Terra medicamenta: & vir prudens non abhorrebit illa, Da locum medico, & non diſcedat à te, quia opera illius ſunt neceſſaria.* Si quis autem diceret, quod determinatus eſt homini numerus dierum, & non eſſe producendum per medicinam, nec ne, ignorat propriam vocem. Si enim Deus decreto abſoluto decreuit de vita & morte, quidquid facies, aut omittes, id eueniet quod decretum eſt: ſin verò eſt decretum conditionatum, verbi gratia, ſi adhibebis pharmacatalia, ſanaberis, ſin minus morieris: Tunc poſitum eſt in manu noſtra mori, & non mori: ergo decretum nullum, ſed pactum & lex. Quod ſi etiam media, id eſt pharmacum hoc predeterminatum eſt; ergo quidquid tu facias, vel deficias, non deerit finis, nec modum æquè decretum ac finis: ergo haberemus arbitrium non liberum, ad aliquid conſequendū, ſed ſeruile ad exequendum duntaxat, quod decretum erat de ſuper. Hoc autem falſum eſt, quoniam homo eſt liber ab obiectis, & paſſionibus, & à Dei compulſu, vt probatum eſt, & actus peccaminoſi, qui non poſſunt eſſe abſque culpa contra Deum, non ſunt decreti à Deo, nec facti immediatè: ergo homo poteſt producere vitam ſuam & breuiare, ſicut ſcriptum eſt. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quodcunque voluerit dabitur illi.*

Ergo valent ad producendum vitam ea, quæ ſcripſimus in 2. Medicin, & ad meliorandum quæ ſcripſimus in lib. 15. 17. huius volumus de vita cælitus comparanda, & quæ ſcripſimus in 7. Aſtrol. de Fato ſiderali vitando.

FINIS LIB. X. PARTIS II.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ METAPHYSICORVM DOGMATVM.

PARS TERTIA

LIBER VNDECIMVS.

DE MVNDI ÆTERNITATE, ET principio, & fine, & ætate, & mutatione sententiæ diuersæ.

CAP. I. ART. I.

DE mundi origine variæ sunt sententiæ Sapientum. Alij namque nouiter ortum esse, vt Empedocles, Democritus, Epicurus, Anaxagoras & Legislatores omnes. Alij vero ab æterno factum, vt Platonici multi, aliiq; Gentiles; qui, teste sancto Iustino, putant mundum factum à Deo ingenito, & æterno ingenitè, & æternaliter. Etenim actionem Dei esse essentiam Dei, ergo æternam: Ergo per actionem æternam mundum fieri æternaliter. Alij vero arbitrantur, nullam habuisse originem, sed fuisse semper, vt Ocellus Lucanus, & Aristoteles, qui eius etiam verba furatus est. Qui autem mundum nouiter factum volunt, in diuersas quoque scinduntur opiniones, quoniam alij casu quodam enatum dicunt ex atomorum congressu in immenso spatio: & casu interiturum, & non vnum esse mundum, sed multos in spatio vniuersali, vt Metrodorus, & Lucretius, & recentiores Epicuri sequaces. Alij autem pluries factum, pluriesque destructum autumant. Sicut & res cunctæ, partes eius, itaut regnante amore omnia in vnum congregentur Chaos, pereatque quæ mundum constituit, distinctio rerum. Regnante vero lite iterum distingui ac renouari phœnicis instar propriis ex cineribus. Hoc asserit Empedocles. Quoniam enim vidit poma, & vnus, & animalia, & res cunctas mori, & renasci per circulum, & ex corruptione præteritorum fieri generationem futurorum, idem putauit de toto mundo, quod de partibus. Rationem, qua aliquãdo lis, aliquando amicitia regnat, nõ dixit, sed necessitati cuidã adscripsit (si vera refert Arist.) nec quanto tempore. At sapientes Indi, propè Gangem habitantes, putant, post octo millia annorum destrui mundum, ac deos, ipsum gubernantes, mori, iterumque renouari, aliosque in regimine succedere Deos, & ex quodam ouo instaurandos homines, masculo fæminaque prodeuntibus. Quapropter creatio iuxta vocabuli antiquam significationem his est renouatio. Vnde Origenes aliquando idem suspicatur propter hoc quod Salomon ait. *Quid est quod factum est, nisi quod futurum est, &c. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquã dicere, hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos, &c.* Plato tamen, qui sæculorum renouationem, non tamen mundi totius refectionem, expectat, opinatur post decem millia annorum fieri, vt videtur in Phedro, & Ciuili; quam in Timeo, vel per ignem, vel per aquam reuerti sæpius autumat iuxta monumenta Hebræorum. Virgilius autem post quælibet millenaria, rerum & animarum regressus facit. Attamen omnium rerum reuersiones fieri ad easdem putat Albumassar, & Arabes quidam alij, cum stellæ omnes finierint ita cursum suum, vt reperiantur rursus in eodem simul situ, quo fuerunt in origine rerum, alteriusuè renouationis.

Hinc credit, Mahometem suum, & Iesum nostrum, ex Astrologia prædixisse rerum finem, atque instaurationẽ. Quam iuxta Ptolomei dogmata fieri oportet post triginta sex mille annorum, quando nimirum motus fixarum in consequentia finiri videtur: iuxta vero computum Alfonsi Regis post

49. millia: iuxta Nicol. Copernicum post 25608. iuxta Albateguirũ paulo minus Dñicus Ferrariensis Copernici præceptor cum deprehendisset, à Ptolomei temporibus vsque ad suum, polorum eleuationem quarundam Ciuitatum defecisse à pristino situ, gradu vno, minutisque decem, excogitauit alterum motum cœlestis Machinæ de polo in polum: quem absolui putat post 395000. annos, atque forsan omnium rerum ordinem pariter regenerandum. Alij autem ex his, qui generant mundum, putant, præfuisse chaos, id est, omnium rerum confusionem: quam Prima Mens Deus ipse distinxit, & in ordinem redegit: qui est mundus, veluti videmus, ex indistincto semine & ouo distingui animal. Ita opinatur Anaxagoras.

Plato autem cum Timeo conterraneo nostro, præfuisse Chaos, & agitationem quandam temerariam: quam redegit in ordinem Deus, numeros ideasque sapientiæ suæ in iactatam materiam inserendo. Plutarchus addit, & animam mundi cum materia præfuisse furentem, quam ad sobrietatem reduxit Deus, quemadmodum materiam ad concinnitatem. Idem videtur dicere Ouidius in Metamorph. quæ est Theologia Gentilium. Proceres autem Christianorum affirmant, Chaos cum Mose, de quo canit Ecclesia. *Tetrum Chaos illabitur.* Quem Deus sex in diebus distinxit, sed tamen ipsum creatum esse prius ex nihilo. Talmudistæ Iudæi Deum pluries mundi constructionem aggressum esse, affirmant: nullamque formam sibi placuisse, donec peruenit ad hanc, quam videmus, casu quodam. Attamen D. August. nullum Chaos tempore præcessisse docet, sed omnia simul à Deo creata esse: & sex dierum spatium, esse descriptionem factam populo rudi, conrespondens diebus Angelicis. Conueniunt nobiscum Hebræi & Mahometani, Turcæ, Mauri, Persæ, & Arabes, mundum ex nihilo esse creatum, id quod antiquissimi Theologi Orphæus, & Hesiodus cecinere ab Aristotele sæpè dannati, quod ex nihilo generent, contra naturæ decreta: & quicunque putant, mundum esse factum, interiturum quoque expectant, non tamen in nihilum, sed vel totam Machinam destructam iri in chaos, vel extra mundum dissoluendum: aut in se, sicuti Seneca in Tragedia addubitat, & Lucretius. Alij tamen semper duraturum, credunt, vt Plato, & legislatores, sed permutatum iri in aliam faciem, figuramque meliorem: vnde Isaias videt Cælum nouum, & Terram nouam: similiter Iohan. diuinissimus, & Dauid ait. *Cæli peribunt, & sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur* & cætera. Omnes tamen concordant per ignem dissoluendum fore. Qui autem putant, ab æterno factũ esse mundum & fieri, dum alias res destruit Deus, & alias instaurat: Si in æternum duraturum existimant: sed per incendia & inundationes ex parte mutari. Qui autem mundum semper fuisse opinantur, semper quoque futurum existimant, vt Ocellus, Aristot. Auer. Alex. & Asseclæ.

REPROBATVR SENTENTIA DEMOCRITI

& sequacium, casu ex atomis Mundum generantium: ponitur opinio Anaxagoræ, quod Mens ex Chao extraxerit Mundum, eiusque rationes adducuntur.

CAP. II. ART. I.

ANAXAGORÆ ratio forsan est: Quoniam videmus Mundi constructionem, summa constantem arte, & animalium, & plantarum, cæterarumque rerum similiter: præficere oportet Mundi origini, secundarumque rerum, artificem sapientissimum. Neque enim animal scit construere animal: quippe cum nec homo sciat, quot partes sunt in animali, & partium particulæ, & formæ, & quibus destinentur vsibus. Igitur patrem & matrem, sicut instrumenta præparatoria materiei & fiscellas concurrere oportet ad animalis formationem. Quis enim hominum aut brutorum, aut elementorum oculos, aut aures modo tanta subtilitate ad tantum finem scirent fabricari? vnde Dauid. *Qui plantauit aurem non audiet? & qui finxit oculum, non considerat?* Recte sane. Neque enim Sapientiæ organa condat, nisi sapiens Architectus. Quapropter excluditur primo hæresis Democriti & Epicurei, quod scilicet mundus & animal, quodam temerario casu factus sit. Casu enim atoma insensata ad mundi & animalis fabricam tam consultam mirificamque venire potuissent nunquam: sicuti neque literæ ad huius libri compositionem, nisi Typographo construente ad ideam artis meæ, millies millibus iactatæ vicibus conuenirent. Neque contraria ipsa calor & frigus, quorum vtrumque suam modo amplificationem, & contrarij destructionem procurat, conuenire potuissent de se ad mundi pulcherrimam formationem, nisi à longè potentissimo, longè sapientissimo, longéque optimo opifice moderata copulataque fuissent sic, quod alterum intra alteram cohibita ita agant vsquequaque effusis viribus, & tamen non sese queant prorsus perimere. Quod si contraria non potuere actiua Entia, multo minus atoma corpuscula nullius actiuitatis, sed passibilitatis modo capacia, & nullius insuper artis, sapientiæque, quam in rerum constructione inspectamus, participia.

Præterea à quo, quæso, moueantur atoma in vacuo? & à quo tam sapienter ordinentur ad rerum mirificam compositionem? Respondet Lucretius Epicureorum tuba: A seipsis atoma moueri: vel quia pondere feruntur ad centrum mundi cum inclinamine aliquo: & in hoc motu confligantur & casu componuntur: vel quia nullibi quiescere possunt (quispiam alter responderet) ideoque agitantur, sibique mutuo obuiant, trudunt, agglutinantur,

Psal. 93.

Is. 6. Ps. 1.

disgregantur. At quod de ponderibus dicunt, in p. p. lib. 2. explosum est: Tum quia nullum est centrum in spatio infinito Epicuri, & vbique signari potest: nec peripheria vlla. Tum quia si esset, omnia in illo agglobata coactaque in vnicum modo corpus compingerentur: nec distinctio rerum foret vlla. Reprobauimusque vsum & insufficientiam illius inclinaminis. Tum quia corpora, vt ibi in 2. p. lib. 1. dictum est, multa quo formata alios situs petunt, atque centrum, licet quælibet nostri systematis corpuscula quo corpora sunt ad vnitionem, & per consequens ad centrum sui systematis accurrant: vnde sequitur æternitas formati huius mundi, quoniam ab aliorum mundorum ictibus non timet, vti Epicurus vult, si quælibet ad sui systematis centrum feruntur.

Quod vero asserit à seipsis agitari atoma, quia non est maior ratio, qua in hac parte spatij, quam in alia quiescant, falaciter dicitur. Nam nec est ratio, qua in hanc partem magis quam illam moueantur: ergo semper quiescunt. vacuum enim præterea nullam habet vim, nisi substentandi, siue quiescant, siue moueantur corpuscula, & attrahendi ad se: vbicunque ergo res posita est intra vacuum, ibi quiescet. Si enim vacuum appetit repleri, cum habet rem intra se, sistit eam in situ, vbi habet statim. Si vero non trahit ad se, tunc vbi ponitur atomum, ibi stabit. Cur enim quærat aliud, quod non nouit, aut cui simile non est? at si sim le: nouit ne suum, an non? si nouit, ergo datur sapientia in rebus, ipsaque est causa mouens fugans à dissimili ad simile. Sin minus nouit: ergo ad simile non ibit ignotum.

Præterea situs figura, & ordo ad materialem pertinent formam, non ad actiuam: propterea quærebamus in prima parte. Vnde nam calor, & frigus, & mens, aliæque vires actiuæ, & extra propriam molem se se actiuitate, cogitatu, & syllogismo quasi in immensum extendentes? non quidem ex atomis materialibus nertibusque; neq; ex his solum differentiis materialibus, quæ extra subiectum suum non extenduntur: ergo oportebat assignare principium actiuum rerum, longe melius præfatis atomis: quæ etiam si agant, mundum construere arte tanta, & sapientiam gignere in nobis, nulla ratione poterunt. Quod si ratione & consilio, quod possint Epicurus contendat, tunc quæro, vnde sibi tot rationes & syllogismi, non quidem ab insipientibus atomis: at nec ex nihilo, Lucretio concinente.

Rem ex nihilo gigni nullam diuinitus vnquam.

Neque enim, quia fit in, & ex atomis, non fit ex nihilo. Sic enim possent, vt ipse argumentatur, pecudes fieri ex aëre, & pisces ex lapide: at non fiunt nisi ex semine, quod est aliquid sui. Ergo sapientia ex sapientibus, & actio ex agentibus. Insuper defluxum atomorum actionem non esse, probat, sol, & ignis, qui augentur non deficiunt, dum illuminant: nec lucem esse corpuscula, suis in locis probatum est: quas ob res Anaxagoras non modo præficit mentem, sed in Chaos latere vult res omnes, ne forte ex nihilo sui quidpiam fiat, sed ignis ex igne, aqua ex aqua, os ex osse, &c. Et quoniam ex quolibet fit quodlibet, saltem successione: idcirco quodlibet esse in quolibet: manifestum est enim, cibi, ex quo nutrimur partes aliquas fieri carnem, alias os, alias neruum, alias medullam, nec est assignare rationem, qua hæc pars fit os, illa neruus, nisi quia in cibo latebant. Segregatæ autem concoctione sunt, & quælibet suum ad simile iuit. Non potest autem ire nisi simile cognoscat. Ergo cognitio, sapientiaque distinguit in rebus: Idem ergo fuit in mundi origine. Diuus Augustinus videtur illi fauere, dum rerum semina in mundi mole latere arbitratur, & ex illis fieri res, ne fiant ex nihilo. Nec longe Galenus abest in lib. de Semine. & quoniam in omnibus imperfectum, indistinctumque præit perfectum distinctumque, propterea præcessit mundum rudis indigestaque moles, quam dixere Chaos. Sicuti ouum, in quo mens incubans formauit mundum, animal magnum, vt in Canticis nostris scribebamus. Mundus ergo non est æternus, quippe quem præiuit Chaos.

Lib. 1. & 2.

REPROBATIO SENTENTIAE ANAX. per Aristot. & Empedoclis pluries Mundum generantis, & destruentis amore, & odio; Platonis & Timei ex inordinata agitatione rerum in ordinem à Deo reductionem, ponentium.

CAP. II. ARTIC. II.

1. ARISTO sententiam Anaxagoræ reprobat; quoniam congregationem & disgregationem causas rerum facit, & formas omittit.

Ph. 1. c. 3. &

2. Item, quia non possunt quodlibet esse in quolibet infinities: omne enim corpus separatione, & extractione deficit.

3. Item, quia infinitum est ignotum.

4. Item quia simplex prius est composito. Chaos autem compositum est: ergo aliud simplex præfuit, & multa contraria simplicia.

1. 7. ph.

5. Non potest quodlibet cuilibet misceri, nisi alterentur, & fiat forma media, vt patet de luto & pane, melicrato & oximelle. Ergo non præfuere per mixta indistincte atoma in Chaos, nec nunc sunt.

6. Item neque omnia permista sunt separabilia, quoniam quantitas & qualitas non diuiditur à substantia.

7. Item vtitur intellectu sicut in tragedia vbi ignorat causam Physicam, & recurrit ad numen, vt tragici in solutione nodi. Ita Anax. exordio mundi adhibet mentem: cæterarum rerum segregationem & congregationem, & dimittit generationem.

In 1. Metaph.

8. Item videmus nunc partes vniuersi esse distin-

Ex 8. Phy. ctas: & distinctio est vniuersi perfectio: ergo semper distinctæ fuerunt. Non enim est maior ratio nunc distinctas esse, quam alias.

9. Præterea, cur tempore infinito Mens non accessit ad distinguendum Chaos, nulla est ratio. Et irrationabile videtur ponere mentem otiosam tempore infinito, & Chaos ociosum Si enim bonum erat distingui, cur non distinguebat?

10. Itemque si aliquis, cum omnia quiescerent, mouit mentem ad distinguendum, mouendumque Chaos. Ergo motus ante motum: nam cur non mouit mentem prius, nisi quia non motum erat, &c.

11. Quæritur etiam, quod tempus oportunum, & quam commoditatem expectabat? Siquidem nemo mouetur ad agendum prius quiescens; nisi propterea quod aliquid sibi, vel mobili de nouo aduenit: & semper oportet, quod adueniens nouum se habeat vt mouens; & quærendum est, quid in causa est, vt hoc mouere incipiat agentem causam, vel patientem offerre agenti, aut disponere. Ergo semper erit motus ante motum primo assignatum. Siquidem & illius mouentis oportet esse aliud mouens. Ergo in infinitum. Ergo semper fuit motus, vt Arist. dicit. Ergo est circularis: Ergo motus Cæli: Ergo Mundus æternus.

12. Præterea non datur primum mutatum esse, neque primum moueri: neque primum nunc, nec primum tempus, vt probatur in 6. Phys. id quod in prima Parte, lib. 2. examinauimus.

13. Contra Empedoclem eisdem rationibus arguit. Quoniam non potest assignare causam, qua aliquo tempore regnet amor, aliquo odium, vt fiat & perdatur Mundus iteratis vicibus.

14. Item, motus semper est ante motum.

15. Item, non omnia mala sunt ab odio; cum confusio vniuersi mala sit, & ab amore. Neque omnia bona essent ab amore, vt Empedocles ait, quandoquidem distinctio Mundi est bona, & tamen ab odio & contrarietate.

16. Item, non omnis congregatio est ab amore: quoniam cum confunditur Mundus, oportet separari partes elementorum in frustula, vt possint commisceri. Ergo amor quoque separat. Similiter odium vnit, dum extrahit partes diuersorum elementorum commistas, & eas vnicuique Toti vnit, & ad sua loca seponit.

17. Eadem argumenta valent contra Timeum Aristoteli. Quid enim mouet Deum, vt motu in ordinato agitata ordinaret? Si enim hoc propter melius, quare non prius?

18. Item si mundus semper erit, vt Plato putat, quare non semper fuit? quod enim potuit aliquando non esse, poterit aliquando non esse, & si quod semper in ordine, quare non fuit semper?

Eædem rationes Aristotelis militant contra legem Christianam, & Hebraicam, & Mahometanam, cui adde illam. Quomodo ex nihilo summum Ens faciunt?

Responsionem Aristotelis ad rationem fundamentalem Democriti, & Epicuri esse fallacem; & aliter confutandum ipsorum dogma.

ARTICVLVS III.

NOS autem dicimus Aristotelis rationes demonstrare nihil: idque ostendemus cum ad prædictorum Philosophorum argumenta respondebimus. Quando ergo Democritus ait, vnumquodque componi ex his, in quæ resoluitur: quia autem omne corpus in atoma secatur, ex atomis componatur oportere: atoma ergo sunt prima corpora ac semina rerum. Respondet Arist. Quod corpus omne diuiditur in infinitum, idcirco nunquam diuidendo venitur ad atoma. Hoc nos responsum inane putamus, vt in p.p. probatum est sæpè. Nam licet imaginatione diuidatur in infinitium, sensu tamen stat sectio in atomis: stultum est enim putare toties posse diuidi granum sinapis quoties totum mundi corpus. Ostendimus etiam vanum esse, quod dicebat, indiuisibile, additum indiuisibili non facere maius: facit enim plus, & paulatim maius: sicut vnitas vnitati addita facit binarium &c.

Quapropter respondendum erat Democrito, quod licet materia ad indiuisibilia vsque secetur, haud tamen de ipsius natura est vt sit diuisa aut vnita, sed diuisibilis vsque ad atoma, & coagmentabilis ex suis quibusque partibus, vt à causis actiuis possit omnibus, & innumeris qualificari formis. Non autem sequitur ex hoc, quod indiuisibiles particulæ sint elementa materiæ, sed partibilitates: multo autem minus quod sint caloris & frigoris actiuorum Entium: & multo tandem minimè, quod sint elementa animæ, & sapientiæ omnia metientis. Nisi addas materiæ formales causas actiuas nedum passiuas, ac insuper primalitates: cum triplex actiuitas in rebus reluceat, vt in prima Parte, lib. 2. dictum est.

Præterea diximus, materiam vnam esse elementorum atque elementatorum, & pluribus formabilem formis: quod fieri nequit, nisi partes eius secentur, transponantur, ordinentur, & configurentur iuxta regnantium actiuarum formarum ingenium: vtque ita fiat, oportet ipsam diuisibilem esse vsque ad atoma, & numeri & vnitatis susceptiuam ac consistentiarum mediarum inter vnitatem & numerum. Cum quo tamen stat, quod omnes eius partes ad eandem pertinent causam: sicuti caloris gradus omnes ad calorem eundem. Quæ de casu temerario gignente mundos secundaque Entia dixit, in præcedentibus libris reprobatum est: ostensumque ad rerum generationem, constructionemque atoma ordinari non posse absque sapientissima & diligentissima præpotente causa. Et casum esse respectum defectiuum, non substantiam: nec rerum causam ipsum: sed Arte magis certiusque veriusq;.

RESPONSIONES ARISTOTELIS AD ARGVmenta Anaxagoræ, inanes esse: & propria potius euertere dogmata, nihilque satisfacere.

ARTIC. IV.

ANAXAGORÆ respondet Aristot. in primo Phys. Ex nihilo nihil fieri per se, sed per accidens: quoniam ex priuatione, quæ per se nihil est, Amplius ait, fieri aliquid ex Nonente in actu, non autem ex non Ente in potentia. Deinde in 7. Metaph. putat formas non fieri, sed educi de gremio materiæ: non ergo partes ignis & ossis, quando fit ignis ex non igne, & os ex non osse, præsunt in actu, sed in potentia. Neque fit materia, neque forma, sed compositum.

Nos autem ostendimus in Physiologicis quæstionibus, & in prima parte huius voluminis, primam Aristotelis responsionem euertere totam ipsius philosophiam. Statuerat enim tria principia Naturalium, vnum ad patiendum, & duo ad agendum, sicut ex contrariorum actionibus in inuicem probauerat: ergo & priuationem esse contrarium actiuũ vilius Naturamque, at minus perfectam, vti frigus calori comparatum. ficuti dicitur in 1. & 2. Phys. item in 1. de generat. & cor. tex. 18. vbi etiam terram vocat priuationem, & Nonens respectu ignis, & in 12. Metaph. tex. 22. & Alex. ibidem confirmat. Nunc autem horum quasi oblitus, aut antiquorum argumento victus, priuationem vocat per se Nonens, quam principium actiuum, & naturam esse statuerat. vnde etiam sequitur contra aliud eius dogma, quod si priuatio est per se Nonens, ex nihilo fiat Ens, vel post nihil. Siquidem materia non dat formam, cum eius natura sit receptiua non datiua: neque causa agens Aristoteli dat formam, sed educit de sinu carentis materiæ, ergo de nihilo, vt etiam arguit S. Iustinus.

Similiter quod respõdet de potentia, non minus falsum est. Non.n. est aliquid in potentia, nisi quia est in aliquo actu, vt homo in semine, non autem in lapide. Si ergo ignis fit ex non igne vllo actu, profecto ex nihilo fit sui, sicuti anima humana in corpore ex nihilo sui fit secundum Theologos: materia enim non facit, vt non ex nihilo, sed vt non in nihilo. Nos vitamus argumentum, quoniam ab Agente deriuamus formas in materiam, & latitationem formarum, præcipuè contrariarum euertimus in præcedentibus sermonibus. Ergo Arist. respondens Anaxagoræ in huius incidit opinionem. Esse enim in potentia non potest, nisi quia præest in aliquo actu, sed non in eo, in quo fit, vti ipsemet in 9. suæ Metaphys. docet. Quod autem forma generetur itidem probauimus; ipsa enim est, quæ non erat; materia autem erat, ideoque non generatur. Compositum autem resultat ex formæ in materia generatione. Si enim ipsa erat, compositum quoque erat. Imo compositum non generatur, neque agit. Ergo magis generatur forma, magisq; agit. Quod etiam D. Thomas asserit, cum docet, Deum non esse compositum, sed potius formam. At hæc in præcedentibus satis declarata videntur.

EXAMEN, EMENDATIOQVE ANAXAGOræorum iuxta veriora dogmata.

ARTIC. V.

QVapropter respondemus Axaxagoræ, omne quod fit fieri ex Ente aliquo sui, non ex nihilo; sed ignis ex igne, ossum ex osse, animal ex animali: sed hæc Entitas præcedens non est sola materia, quæ nimirum recipere modo potest, non dare: sed est & vis actiua causis præexistens actiuis, sui diffusiuis, ac multiplicatiuis. Quamobrem cum ex ligno fit ignis, fit ab alio igne, qui seipsum infundit in lignum multiplicatque. Non tamen creat, vt argumentatur Caietanus. etenim ex sui essentia non ex nihilo dat. Et quidem ad creationem potius accedit opificium: scriptor enim ideat scripturam non ex alqua scriptura, neque propriam essentiam largiendo, sed ex ideali similitudine effusa, multiplicataque per deductionem de essentia ad esse. Probauit etiam S. Iustinus, omnes formas materiæ ex incorporea emanare causa, etiam cum non creantur: multo ergo magis actiuæ res. Clarum est enim in simplicium generatione, quod frigus à frigore, calor à calore, ignis ab igne fit, multiplicatione non creatione. At non ita in compositis. Non enim lapis ex lapide fit, neque Animal omne ex animali eiusdem speciei: sed ex rebus, quibus inest quidquid in compositis. Lapis enim duritiem habet à terra frigusque; calorem, & alborem à sole; formam vero lapidis à formatione non quidem facta ab elementis per industriam, sed à causa principaliori, in qua lapidis idea est. Scriptura etiam fit ex atramento, & calamo, & pagina, & homine lineante; at non modo habet in se atrum colorem, & lineationes, & chartam, sed insuper formam, & sensum significationis, non in gremio materiæ latentem, sed ab idea non hominis, sed scriptoris hominis. Verum quidem est, quod aliqua materia ad suscipien-

dam ideam disposita est magis, aliqua vero minus. Non enim aqua est apta fieri Arca, sed lignum. Has autem dispositiones ab elementorum congressu repetito diuturno multiplicique fieri putandum. Etenim liquefaciens sol terram, efficit fluores: indurando vero fluorem efficit lapidem: indurando vero & liquefaciendo, & spiritum ingenerando efficit animal. Sed quia hæc nõ sunt de intentione solis & terræ, quorum intentio est se ipsa modo multiplicare, & contraria destruere; idcirco ad ideam alicuius Mentis recurrendum est. Rectè igitur Anaxagoras ad mentem confugit primam, sed non rectè ideas excludit. Neque enim oportebat præesse partes carnis, & ossis, & lapidis in chaos, sicut in opificiis: sed sola elementa, quæ se mutuò alterando in has veniunt dispositiones, modificationeque, quibus vtitur Mens ad mistorum compositionem. Verè ergo ex cibo, cum coquitur, aliæ partes fiunt ossum, aliæ neruus, aliæ caro, non casu ex nihiloque: sed quia præinerant cibo partes similares dissimilaresque, tenues scilicet, crassæ, lubricæ, & molles, & aliæ plurimæ, quarum aliæ aptiores sunt ossi, aliæ carni: idcircoque in coctura accipiunt similitudinem quoque partium illarum magis, in quas distribuuntur. Flaua enim bilis manifestè ad fel, fęces nigræ ad lienem eis similem, feruntur: vnde iudicandum de cæteris particulis, & particularum particulis idem. At non perpetuo, & ab æterno præfuerunt hæ in cibo particulæ, & in terra, aliisque in rebus, vt Anax. putat, sed à sole factæ sunt variis agente viribus & actionib. frigoris, & vtriusque vicibus continuo ea variantib. quæ facta prius erant. Nam non omnis fluuius perpetuus est, neque omnis minera, nisi vbi sol perpetuo potest consimilem inuariabiliter efficere actionem, coadiuuante dispositione conuersarum partium in aquam aut ferrum, aut sal, ad conuertendas alias adnatas partes. Non ergo homiomeria semper fuit: sed à solis & terræ vicissitudinibus fit, alioquin si præessent omnes partes & particulę, ex quibus mista: nõ oporteret elementa perpetuo in inuicem agere, seseque disponere ad secunda Entia: sed sufficeret sensus rerum, & Mens supereminens ad ferendas similes ad similes, & componendas, quæ nouiter fiunt, res. Nisi forte propter indigentiam vtatur Mens elementorum actionibus ad segregandum, & miscendum. At (inquam) quo pacto cohibet elementa Mens si impotens est de se hoc facere? Si potens, ergo ipsa per se, & non per elementa faciat: & iterum elementa à quonam orta sunt? Mens enim separat modo non generat. Nos autem hæc difficultas non premit, volentes elementa facere has dispositiones & modificationes, non præexistentes. sed dicet, quare ex hac tellure lapis, ex illa pepo, ex altera vermis fiunt, nisi præexistant partes ad huiusmodi aptę? Respondeo, ex actione prima solis nuncusque semper variatas esse rerum dispositiones, donec ventum est ad hoc, vt alia pars terrę aliis sit apta rebus, & deinde aliis. Non enim ex aceto fit vinum, vt ex vino acetum; neque ex terra sanguis, sed ex pane, qui prius fuit ex terra: quoniam series dispositionum ita percurrit. Siquidem calor & frigus amplius agentes in res actas, eas diuersificare habent, & non instaurare, nisi per circulum quoad similes reuertuntur vices. Pomum enim prius à calore fit stipticum, deinde ponticum, deinde acidum, deinde dulce, deinde amarum, deinde salsum, vbi fracescens vritur: non potest autem reuerti actio retrorsum, vt ex amaro dulcescat, ex dulci acescat, nisi per circulum, quoniam additur actio, non demitur. Nec enim iuuenis puer fieri potest, sed puer iuuenis fit, quoniam actio cæli, & omnium elementorum, & caloris natiui sequens harmoniam rerum, additur puero, non demitur. Iuuentus autem est additio pueritię; sed mortuo iuuene, & conuerso in terram, & in cibum hominis, potest fieri puer, & acetum fieri vinum; si prius vertatur in vaporem & aquam, quæ irriget vitem: sed nunquam forte eædem particulę omnes redeunt ad idem vinum & hominem: quoniam fatum vtitur ad commisturam istorum quadam perenni transpositione. Ex his tamen liquet, non præesse particulas, sed fieri à cæli & terrę pugna semper varias: eisque vt Mentem ad rerum constructionem, & fatalem ordinem in totius harmoniam. Quapropter rectè quidem argumentatur Anaxagoras.

At si id etiam considerasset, quod ex idea Mentis fit forma, non præposuisset latitationem in Chaos, sed in mente: & hoc sancta Theologia docet. Quæ ex nihilo materiali generat Mundum; & ex summo esse ideali per virtutem Agentis causæ primæ. Siquidem & nunc vt tales ac tales fiant dispositiones ex pugna cæli & terrę ab aliqua idea est potentissimę causę, quæ ex his elementis contrariis construxit Mundum. Et quia in eosdem circulos & paralellos reuertitur solis actio, idcirco futura sunt similia præteritis: Et poma huius anni pomis præteritorum annorum: non tamen eadem, quia non eadem prorsus actio, & materia & dispositio: Quoniam annus anno additur, & non demitur, & sæculum sæculo. Vnde oportet variari sæcula, & in circulos reuerti, aut Mundi Machinam dissolui, sicut & aliorum animalium, vt declarabimus. Vnde Peripatetici ineptissimè ignorant cur de priuatione ad habitum non datur regressus, nisi per circulum. In hoc quoque videtur Anaxagoras defecisse, quod sapientiam segregantem Chaos intellexit, & non potentiam creantem Chaos ex nihilo: vnde videtur vti Deo sicut artifice conducto ad opus resarciendum, & non ad faciendum totum, sed formandum aliquid ex toto. In quo & Timeus, & Plato videntur incusandi. Si enim materia fluctuans inconcinnis mutationibus semper fuit, ergo fuit Deus alter ipsa materia, cui & Dauid de Dinando dat deitatem: vel alter Deus, qui fecit materiam; ita quod duo dij sunt. & tunc Deus Platonicus, & Anaxagoreus conductus fuisset ad alterius Dei materiam exornandam, formandamque: & mirum, quomodo alienum opus exornare voluerit, cum nullus amor in alienum, nec cogens vis. si enim Deus alter proprium opus exornare non potuit, ergo nec cogere, nec allicere ornatorem opificem.

Quod si hic tantæ est virtutis, vt possint formas de nihilo increare, multo magis potuit materiam, & Chaos, vt Tertullianus arguit contra Hermogenem. At si Deus idem fecit materiam & Chaos; mirum quomodo immenso post tempore, quasi ex lassitudine conualescens ad eius ornatum accesserit, permiseritque temerè fluctuare, animamque Mundi delirare, sicuti Platonicè opinatur Plutarchus. Quam sententiam examinabimus, postquam ocium & lassitudinem

ab opifice exploserimus. At quidem valdè iterum incusandi sunt Platonici hac in re, quoniam sapientiam ad ornamentum materiæ in opifice inuenerunt, non autem & potentiam ad productionem. Non enim sola sapientia agit, sed etiam potentia in ornatu: imò sapientia ordinat dumtaxat, quæ potestas facit. Ergo oportet prius factionem chaos ipsi Potentiæ tribuere, vt S. Patres faciunt, & postea sapientiæ ornatum & formationem eiusdem chaos. Et quoniam potentia non casu quodam agit, sed quia intelligit, nec quia intelligit modo, nisi & velit, propterea Amor etiam rerum origini præficiendus erat, nedum sapientia & potentia. Parmenides & Hesiodus rectè præponunt Amorem facientem, sed non rectè omittunt sapientiam. Anaxagoras affert sapientiam, sed non rectè omittit Potentiam; sic enim inuenisset non ex chao, sed ex nihilo res creatas esse primitus: posteaque ex Ente creato cuncta fieri entia. sola ergo elementa fuere in chaos, non autem homiomeria, & ex his factus est mundus, id est ornatus rerum per sapientiam. Vnde Brigidæ reuelatum est, quod Mundus vocatus fuisset sapientia Dei, & Antonius vocat ipsum codicem Dei, & Bernardus & Chrysostomus. Semina autem rerum, quæ ponit Augustinus in elementis, non sunt ad asserendum dogma Anaxagoræ, sed declarandum: siquidem ea primo ponit in mente Dei, hoc est Idæas, secundo in elementis, tertio in elementatis, quarto in seminibus. Hoc autem pertinet ad defluxum idearum vt in p. p. declaratum est. vt enim ex cælo, terraque modificatis fiat Planta, & vermis, & lapis, non sola modificatio actionis elementorum facit, sed etiam qui modificationem illam ordinaui fatali serie. Quapropter non est calor, aut frigus ipsum semen, & ratio seminalis, vt quidam interpretantur Augustinum; sed ratio illa, qua calor & frigus concurrentes faciunt hoc, vel illud Ens. Quod si Anaxagoras intellexisset, non coactus esset ponere virtutes seminales informatis particulis, sed informatione earum, prout ab idea pendet, & sic Mentis dignitatem validiorem fecisset.

EXAMINANTVR RATIONES ARIST. *contra dogma Anaxagoræ, & inanes ostenduntur contra illum, & contra Theologos, sed potius valere contra Aristotelem ipsum.*

ARTIC. VI.

RATIONES Aristotelis contra Anax. nullæ sunt fere. Licet enim Anax. per congregationem, & segregationem faciat res, tamen vtitur forma præexistente. At Arist. longè deterius educit ipsam de materia, vbi non est, & non deriuat ab Agente in quo est. Quid enim stultius, quam dicere, frigus educere frigus de manu mea calida, & non potius illud præbere, effundereque in manum meam?

Ad 2. diceret, quod licet in cibo non sint infinitæ partes carnis, & ossis, tamen in toto Chaos sunt, & transponuntur, & fiunt res perenniter ex his, quæ sunt. Neque enim consumi potest, quod circulo componitur, & dissoluitur in res, ex eis denuò componendum. Et hæc est Mens Anax. vt patet ex dictis Plat. & Plutar. Non enim ita rudis erat vt ex pane semper fieri carnis extractionem doceat, non consumpto simul pane, & extractis simul cum carne aliis aliarum rerum exiguitatibus, vt in p. p. lib. 2. declarauimus, examinando Arist. & Lucretij argumenta contra Anax.

Ad 3. diceret, vtique esse ignotum numerum partium infinitum, non tamen ob id non est principium; etenim & elementorum particulæ, & gradus caloris, & frigoris ignoti sunt, & tamen principia sunt: sed ex hoc potuisset Arist. doceri esse Deũ, cui omnia sint nota, & qui ex his fabricatur cuncta. neque enim decet Mundum absque notitia sui, & omnium particularum suarum facere. Itaque arbitror, Anax posuisse Mentem, & infinitam sapientiam, ergo etiam comprehendentem infinitum.

Ad 4. diceret inordinatũ ordinato prius esse, non autẽ simplex cõposito. Neque .n. calor & materia Aristoteli sunt priores igne, nisi secundum rationem. At ex his doceri potuisset, Deum simplicissimum præcessisse Mundum duratione. Quod ait, per alterationem res misceri, ille concederet. Sed hanc esse transpositionem. At nos hoc argumentum non tangit, ponentes alterationem cum ratione seminali, quin rationem seminalem esse alterationis modum.

Ad 5. diceret, non omnia esse separabilia nisi Entia: Accidentia autem esse passiones Entis, & præfuisse in particulis Entibus: nec eas separat Anax. neque nos.

Ad 6. Resp. hoc argumentum esse Socratis in Phedone, conquerentis de Anaxagora, quod non diceret fines rerum, ad quos sunt à Mente ordinatæ: sed tantum vti ea in ordinatione Mundi: at deinde segregatione & congregatione. At Theologi nostri vtuntur Mente in omnibus. Aiunt enim, Deum agere in cunctis immediatione suppositi vel virtutis, & ob finem, quem post hunc rerum periodum expectamus; quem scire cupiebat sagacissimus Socrates. At naturale esse, vbi causa naturalis deficit, recurrere ad supernaturalem, ipsa Tragædia docet & ratio: neque enim cuncta inferiori naturæ tribuenda sunt. vnde Anaxag. ad mentem, Plato ad Animam Mundi, Auicen. ad Colchodeã, Alexand. ad Intellectum, confugiunt. Et Auer. impius cogitur illum quærere. Quapropter imperitè Aristot. deridet id, quod rationabilissimum est, necessariumque & suis videtur: sicuti deridet Platonem, quod accipiat ideas ex artificiatis non imperitè quidem; cum etiam Ars sit filia naturæ, eiusque indicatrix, & ipse Aristot. ordinem Mundi domui, & familiæ comparet, & ab huius idea illum venatur in 12. Metaph. suæ.

RATIONES ARIST. CONTRA NOVITATEM Mundi vanas esse aduersus Anaxag. & magis aduersus Theologos, & singulis respondetur, & in Arist. torquentur.

ARTIC. VII.

QVONIAM sequentes rationes sunt directè contra Mundi nouitatem, & destruunt non modo antiquorum sententiam, sed contra Catholicam fidem militāt, attentius soluendæ sunt. Dicimus ergo ad 7. mundi perfectionem & bonitatem consistere in distinctione & ordine; non tamen propterea oportet semper fuisse distinctum. Nam & domus, & animalis perfectio est esse in forma domus & animalis, non tamen propterea semper fuit domus aut animal hoc distinctum, sed prius fuit calx, & lapides & ligna, & postea domus; & prius ouum, & postea pullus. & quamuis actus agentis sit prior potentia materiali, quam deducit ad actum, non tamen potentia materialis, & oui & seminis est posterior actu materiali, vt pullo & planta. Anax. ergo proponit actum priorem, hoc est Deum, in quo omnia sunt in actu, & ita Patres, qui Mundum prius indistinctum faciunt, & deinde à Deo distingui in sex diebus non propter Dei impotentiam, qui simul factum distinguere non potuerit, sed propter sapientiam ordinatricem rerum, vt prius ex imperfectis perficerentur: quod enim ipse tunc fecit, lex aliis factoribus fuit, vt S. Ambrosius admonet.

Ad 8. responderent Patres, Chaos non præcessisse tempore infinito, sed facto cælo, terraque informibus, quæ chaos erant, mox primo die fecisse lucem, quæ, separata ex tenebris, primam distinctionem ostendit; & deinde terræ sudorem à nimio calore liquefactæ reduxisse in locum vnum, quod est mare, vt appareat arida: quæ erat inuisibilis, & inconstructa & vacua animalibus & plantis; ac deinde hæc formata esse factis luminaribus, & stellis, terram impugnantibus ad nutum Dei. Non ergo nobis infinito tempore chaos ociosum est, sed subito distinguitur. & cum quærit Arist. cur tanto tempore ociosa fuit mens, nihil operans, & quid mouit illam ad opus? Respondetur, illam causam dici ociosam, quæ negligit facere, quod facere tenetur propter suam aut aliorum vtilitatem: quibus debebat prodesse. At Deus nec propter se, nec aliorum gratia tenebatur Mundum creare. nec vlla materia eius actionem expectabat: ergo sibi sufficientissimus, & sui solum gratia Ens, & beatum ociosus dici non poterat. Porrò hoc argumentum esse magis contra Epicurum, & Aristotelem ipsum, quam contra nos, aut Anax. Ipse enim Deum facit ociosum qui tamen mouet cælum, at nihil influendo, aut agendo, sed tantum occasionem præbendo, non actiuè sed obiectiuè, vt anima cæli moueat, dum ipsum Deum amat, & vult quæ in Deo videt exprimere, vt dicit Auerr. meliusculè. Siquidem Arist. sententia deterior erat, quippe qui animam cæli mouere dixerat, vt imitetur Deum ociosum & immotum. Ergo potius debuisset quiescere si verè imitatur; nam quiescit semper Deus in sui intellectione, aliud nihil amans, aut intelligens, aut operans Aristoteli in 12. Metaph. Nec tamen reddit causam cur semper sit cælum, nisi fortè quia est corpus Dei. assignare enim hoc, quia semper est motus, non est causam reddere, sed docere ita esse, & dicere quia, non quid, neque propter quid. Ita & Anax. dicit quia, quoniam Dei consilium ignoramus. (cur autem Deus non processit ad Mundi creationem prius (vt Auer. ait, retorquens hoc argumentum contra tres Legislatores) non possumus causam assignare, nisi voluntatem Dei: nec tamen Chaos ociosum ponimus. At Origenes & Platonici respondent præfuisse Mundum spiritalem, exque aliquorum spirituum peccatis Deum occasionem Mundi faciendi assumpsisse. & hanc opinionem debebat Auer. & Aristot. destruere, si suum argumentum validum esse velint. quam D. August. destruit ex autoritate fortasse; nam rationes eius non sunt cogentes. Multa enim Deus potest ex occasione facere, vt incarnationem Messiæ, & reprobationem quorundam, & alia; Ergo & hoc, vt in libris præcedentibus ostendimus. Sed Arist. semper dissimulat responsa antiquorum, & carpit eos in quo ipsi satisfecerunt. Licet autem consilium Dei ignotum sit nobis, tamen ratio redditur à sanctis Athanasio & Iustino, quia creatura non potest esse æqualis Deo in duratione: vel quemadmodum alij dicunt, vt non superbiret putando se esse æternam, quia facta est ab æterno: sed ex nouitate nosset, se esse à Deo, & hoc declarandum erat Arist. quomodo cælum potuit esse perenne vt Deus, quod non fecit: dicere enim quod sit incorruptibile, est dicere quia, & non quid: cum quia incorruptibilitas nō est essentialitas, vt supra ostendimus. tum quia cælum esse igneum, & finitæ naturæ omnes philosophi docent, ergo potuit aliquando non esse. & licet ipse excludat primum falsis argumentis, non tamen secundum; sed fatetur cælum esse finitum: cum autem quærit, quid mouit Deum prius non agentem, ad agendum, & quomodo ponimus motum ante motum. Respondetur, Deum propria voluntate æterna voluisse mundum fieri de nouo in principio temporis: nec enim ante potuit esse, nec tamen ab alio motum Deum esse, vt putaret Plato & Origenes, sed à se. Ipse quoque Arist. putat, voluntatem esse liberam. Ergo non moueri aliunde, præsertim primam; & hoc non esse motum in Deo, quoniam nec voluntas mutata est; sed res, quæ non erat, incæpit esse tunc, cum Deus futuram esse, æterna voluntate decreuerat: neque expectatio commoditatis fecit aliqua. Hoc enim est proprium secundarum causarum infirmarum. Motum autem non semper fuisse, mox docebimus: Neque inordinatum, vt Timeus putat. Et si quis præfuerit in origine primorum elementorum, vt & Patres sancti concedunt, non fuit

fuit æternus, sed præcessit vt seruetur & doceatur ordo naturarum, & statim à Deo ordinatus est in ornatu cæli & terræ. Quod autem detur primum nunc, & primum mutari simpliciter, sicuti datur prima lineæ punctualis particula in p. p. lib. 2. contra Arist. demõstrauimus. Et quomodo nos intra tempus existentes imaginamur ante primum Nunc secula infinita temporalia: falsò quidem. sic enim etiã cum simus intra locum, omnia in loco putamus. & quia materiales, omnia materialia: sicut rubris vtens specillis omnia obiecta putat esse rubra.

ARISTOT. RATIONES CONTRA DOGMA *Empedoclis nil valere; & aliis corrigendum esse rationibus Mundorum circulum. Et sententia Origenis, & Romanorum, & Mahometis ex parte examinatur, & exploditur circa hoc problema.*

ARTIC. VIII.

Argumenta tandem Aristot. contra Empedoclem & Timeum, nulla sunt. neque enim quia materia est ingenita, semper eodem ornatu formata fuerit. Neque quia Amor per accidẽs disgregat, nõ per se congregat: nec quia discordia per se disgregat, per accidens non congreget. Similia enim à dissimilibus separat; sed in hoc incusandus erat Emped. quod discordiæ ita dederit esse, sicut Amori: cum illa sit Nonentis, hæc Entis primalitas. Nec distinctio rerum discordiæ, & Nonenti tribuenda non sit, vt putamus. Reuera .n. hoc distinguitur ab illo, quia hoc non est illud; ergo à Nonente est distinctio. sed duo considerantur in distinctione, primum, hoc non esse illud; secundum, ordinatio huius, & illius in certo gradu Entis, & situ: vnde prodeat harmonia, & non confusio. Nos ergo damus Deo distinctionis ordinem, & efficientiam, & ideationem, non autem formalitatem, seu essentiam, vt in præcedentibus docuimus. Quapropter cõmixtio in Chaos inordinata potest esse, & ordinata: & hæc à Deo faciente, illa à Deo vtente. & confusio non est ab amore, vt putant, sed à casu: neque distinctio, sed à Nonente, & odio eius prole. Sed ordinatio, & vnio ordinata sunt ab Amore, & sapientia promordialibus proprincipiis rerum, vt dictum est, & Dionysius contestatur. Cur autem tanto tempore regnat odium, & tanto similiter Amor: Empedoc. responderet ex vicissitudine fatali: sicut regnat hyems post æstatem. sed quidẽ assignanda erat Empedocli causa exterior; non .n. æstas hyemi succedit, nisi à sole accedente, & recedente: vnde & Anax. & alij, qui Mundi vicissitudides adducunt, fateantur oportet aliquando Deum operari, & aliquando quiescere, vt distinctio, & Chaos sese consequentur perenniter, & hoc vel casu quodam, vel impotentia, aut negligentia actiuæ Mentis, vel ludo quodam eius proprio.

Origenes autem has Mundi vicissitudines tribuit ludo spiritalium rerum, quæ aliquando Deo fruuntur, & Mundi facies formosa fit; aliquando peccant, & Mundo sordido alligantur in pœnam. Bracmani verò opinantur, Mundum hunc destrui, quia Dij eius rectores moriuntur: & deinde ab aliis Diis refici per circulum. Et quidem hi aliquam occasionem afferunt, quam Empedoc. non posuit, si Aristoteli credimus: sed nec quis potest has imaginationes subitò reijcere; quoniam adeò à nostri sensu longè sunt, vt vnde incipiamus, nesciamus. Sed contra Origenem iam diximus non posse, qui affluit Dei fruitione, ipsum non amare, aut peccare: quoniam necessario voluntas fertur in bonum cognitum nullo malo mixtum. Oportet ergo, Deum abscondere se à beatis vt peccent, & quodam in letheo bibere, vt Virgilius ait ad hoc, quod incipiant in corpora velle reuerti. At quomodo possumus Deo assignare hanc sui substractionem, nisi inuidũ Deum, aut fastidiosum, aut non potentem continuare beatitatem illorum? quæ absurda sunt. Ergo & Mundi refectio ex tali occasione. Neque inaduertentia potest assignari beatis animabus, dum Equos, id est, irascibilem, & concupiscibilem, plus iusto alunt nectare vt dicitur in Phedro: cessant etenim ibi equi affectus, rationem peruertentes eamque sequuntur non præueniunt, vt in Theol. lib. 19. Probauimus. Propterea ipse Origenes super Epistolam ad Romanos. Ex eo quod dixit Apostolus (*Charitas nunquam excidit*) probat, beatos nunquam peccaturos, & opinionem corrigit. Bracmanorum quoque sententia rudis apparet ex eo, quod Dij Mundi rectores mori non possunt, nisi ab aliis Diis fortioribus internecioni dentur. Sed vnde veniunt alij Dij ad huius Mundi inuasionem? si ab aliis Mundis extra hunc Mundum, qui fit vt corruptis illis Mundis non corrumpantur eorum Dij, sicuti corrupto nostro Mundo corrumpuntur nostri Dij? Si autem sunt Dij errantes in spatio sine Mundo nihil operantes, qui nostrum inuadunt: mirum est quomodo tanto ocientur tempore, neque hoc aggrediuntur, nisi post octies mille annos. Item vnde didicere Bracmani? reuelatione nè, an ratione? Si reuelatione non probata veris miraculis, & signis aliis, nostrisque certissimis non contradicentibus, vt in p. p. diximus, non est credendum. si ratione ex hoc quod vident res mori, & Mundum mortalem in anomaliis, oportebat quidem magis asserere Deum, in formam meliorem esse mutaturum hunc Mundum, quàm ei ascribere mortalitatem. neque enim facilè, si moriuntur Dij huius Mundi, est fingere, vnde noui Dij. Sed potius in æterna morte Mundum ac Deos versaturos concedant oportet. quod vanum est dictu, & sine ratione. Nec cuiuscunque corpus interit, intereat Anima, vt & Mundi huius Animæ octo (quas credo eos opinari esse spherarum motrices) intereant cum Mundo: Experientia enim nouimus Animas hominum manere post mortem; quas & sancti nostri viderunt, & allocuti sunt. quòd si hu-

ius sermoni reluctantur, reluctabimur ipsorum opinioni. Item in 2. p. ostendimus, oportere dari primum Ens potentissimum, sapientissimum, & optimum per se, & non per participationem, qui est Deus, ergo non plures sunt Dii: & si rectores huius Mundi intereant, remanet ille primus, & ab illo restauretur orbis, & hoc nos concedimus: non tamen eos huius Mundi hoc est, Angelos, cum mundo mori. Neque enim id fiat nisi iubente Deo. Hoc autem num iubere velit, ignoramus, & contrarium credibilius est. Hac ratione Mahometi dogma corruit, qui in fine huius mundi morituros esse arbitratur Prophetas, & Christum, & Mahometum ipsum, & omnes Angelos, Deumque solum remansurum: mortuo tandem Angelo mortis. hinc resuscitatum iri à Deo ad mundi nouitatem. Dicta enim hæc fabulosa sunt, & quæ Deus ad beatitudinem destinauit, & propter quæ res aliæ corruptibiles factæ sunt, incorrupta esse voluit, vt declarabimus: quare litis amicitiæ, chaos, & distinctionis, destructionis, & renouationis vicissitudines, non possunt ratione sustineri, sed quadam opinione: quoniam videmus idem accidere partibus vniuersi: vel fide, quam legislatoribus adhibernus, vel reuelatione diuina: in qua standum est, vbi rectè noscitur esse diuina; per coniecturas enim vagari nusquam finis. Exemplum phenicis non ostendit mundum, & mundi Deos ex propriis ruinis reuersuros. Siquidem corpus phenicis reficitur ex vermiculo nato ex cineribus eius, sicut ex semine serici, sericus vermis, & ex verm papilio, & hoc fit adiuuan e sole, & caussis extrinsecis. Neque enim semen herbæ in herbam verteretur, nisi fouente & sole, & Mundi tota harmonia. Cum ergo Mundus corruit, à quo fouebitur? Item si sensus rebus perseuerat, & Amor, & potestas, non potest Mundus, & Dii interire. Si & hæ primalitates extinguuntur, ex quo sensu reficietur alius sentiens Deus? Anima enim phænicis ex sensu rerum reficitur nobis, aut ab anima Mundi, aut Colchodea vt alii opinantur. Hæc autem omnia interiere Bracmanis. Item Mundus peribit, cælo terram vrente, vt ipsi aiunt, & D. Petrus Apost. & Heraclitus philosophus: ergo corporalis creatura perit, non spiritalis, ergo multo minus res cælestes, animæque cæli, quæ dilatant Regnum, non amittunt, in hac conflagratione, quam expectamus, sed de his infra magis.

RATIONES OCELLI LVCANI, ET ARIST. *& sequacium, declarantes Mundi æternitatem.*

CAP. III. ARTIC. I.

1. *Ex 8 Phy. & in Met. 12.*

ARIST. autem opinatur, Mundum semper fuisse, ac futurum esse, quoniam motus est æternus, ergo & mobile, quod est cælum: ergo & motores intelligentiæ. Quod motus sit æternus inde patet, quoniam est actus Entis mobilis: ergo mobile ante motum, vel semper quieuit ociosè. & hoc improbatur contra Anax. vel semper motum est, vt nos dicimus. Si autem dicatur, mobile factum esse: ergo per motum, qui est actus mobilis: ergo quocunque assignato primo motu, & mobilis productione, datur alius motus ante illum, & aliud mobile, cum motus sit actus eius: si autem erant mobile, & motor absque motu, quærendum est quid mouit illud in infinitum. Ergo datur aliquid quod mouetur æternè, quod videmus esse cælum.

2. Item tempus est æternum; ergo & motus & mobile: quoniam tempus vel est motus, vel eius passio. Si enim tempus factum esset; in tempore, vel in Nunc, factum esset. Ergo fuisset tempus antequam fieret, nam & omne Nunc est principium futuri, & finis præteriti.

3. Item si tempus prius non fuit, & postea fuit, & aliquando non erit postquam fuerit; sequitur quod tempus sit, & non sit; prius enim & posterius sunt temporis partes essentiales: ipsum enim est mensura motus secundum prius & posterius: si ergo prius quam fieret tempus non erat tempus, ergo erat ly prius, ergo tempus. quoniam prius est eius pars.

4. Præterea omne quod fit, fit ex materiali, & actiua caussis. Ergo præfuit materia vel informis; & hoc impossibile, quoniam ipsa non potest reperiri sine forma, vel formata; ergo erat Mundus. Item materia est ingen ta, ergo & Mundus.

5. Item si Mundus aliquando non fuit, possibile fuit non esse; ergo eadem ratione possibile est ipsum non futurum esse: sed quia semper erit, vt motus æternitas ostendit, ergo semper fuit.

6. Probat rursus motus perpetuitatem in primo lib. de Cælo, eo quod Chaldæi, qui per sæcula multa syderum motus obseruarunt, & vt Diodorus ait, per 403000. semper in eodem situ ipsa posuerunt, & mensura motus nulla irregularitate facta in velocius, aut tardius, vel in alia Cæli latitudine, & plaga; neque diuersificato vnquam motu recto vel obliquo: ergo omnia perseuerant sicut ab æterno creaturæ, & stultus est timor Empedoclis & aliorum, qui Mundi interitum expectant.

7. Item Cælum est incorruptibile, ergo & Mundus: siquidem quæ generantur, & corrumpuntur est minima eius pars, & ab hac totius Mundi mortem expectare, vanum est.

8. Has rationes ponit Ocellus in libro de Mundo non interituro, & alias. Non enim inquit, à se perimitur neque ab alio extra se, cum extra ipsum nihil sit; neque infirmitate propria, cum ipse sit sibi medicus, & medela: ita vt sicuti fit corruptio,

similiter eſt generatio; neque foras poteſt diſſolui, neque intus corruere, quia foras nihil eſt, neque locus, neque tempus. Intus verò ordinatio elementorum, & ſpheræ cohærentes prohibent cæli, & mundi ruinam, & circulatio eius facit illum ſemper eſſe in ſuo principio, & in ſuo fine, vt nihil à morte timere queat.

9. Cælum autem incorruptibile probant rurſus, quoniam non eſt de Natura elementorum corruptibilium. Hæc enim mouentur motu recto, illud vero circulari: vnius autem corporis ſimplicis vnus eſt motus ſimplex naturalis, cæteri violenti.

10. Item non habet materiam priuationi ſubditam: ergo nec corruptibilem.

11. Item ſi de Natura elementorum eſſet, præcipuè eſſet ignis; ſed non eſt ignis, quia corrumperet tanta ſua immenſitate cętera elementa, efficeretq; cęlum, quod non euenit.

12. Præterea ſol eſt albus, ignis vero rubeus.

13. Item (Simplicius addit) regulari feruntur motu ſidera & cælum, elementa verò irregulari, & quæ in eis feruntur piſces & aues: non autem ſidera. Ergo alienæ, incorruptæque naturę eſt cælum. Ergo neque à Deo, (ait Alexander) poteſt corrumpi.

Quoniam hoc neceſſarium eſt illi & eſſentiale, ſicut triangulo habere tres: quod Deus non poteſt violare; ſed neceſſarium eſt ei à parte ante, & poſt, ſicut hominem eſſe rationalem. Ergo cælum & mundus incorruptibiles ſunt etiam Deo.

14. Præterea Deus non poteſt eſſe ſine Mundo: nam ocioſus ſine opere. ſemper ergo fuit.

15. Eadem argumenta ab eis S. Iuſtinus adducit, præcipuum autem ex hoc, quod Deus eſt propria operatio ſubſtantialiter; oportet ſemper operatum eſſe, ſi ſemper fuit, & ſemper erit, ergo ſemper genuit Mundum, & ſemper generabit in ſe æternus & ingenitus, æternè & ingenitè; ſecus enim aliquando ipſe non foret, ſicuti calor non eſt calor ſi non calefacit.

16. Voluntas quoque Dei æterna eſt, & actus & actio, ſicut ſubſtantia ſemper eodem modo. Ergo Mundus volitus, & factus ſemper fuit & erit, ſicuti & ſubſtantia Dei.

MVNDVM ESSE FACTVM NON CASV, *ſed à Deo: non ab æterno, ſed in temporis exordio: non ex materia præcedenti, aut ruinis alterius Mundi, ſed ex nihilo, & diſſoluendum eſſe per ignem, & non in nihilum, ſed in meliorem formam mutandum; etenim adhuc non perueniſſe ad ſui perfectionem.*

CAP. III. ARTIC. II.

Nos autem credimus, Mundum eſſe factum, & non caſu quodam, nec neceſſitate cogente, ſed à Potentiſſimo, Sapientiſſimo, & optimo Factore, & non ab æterno, ſed nouiter: & non ex materia præcedenti, neque ex ruinis alterius Mundi, ſed ex nihilo. Et diſſoluendum eſſe aliquando, ſed non in nihilum, ſed in meliorem formam inſtaurandum; nec dum enim ad ſui perfectionem deuenit.

1. Quod ſit factus probat fides omnium gentium, & Nationum, & Legiſlatorum, & Philoſophorum. Vnde ait Auerroes in p. Cæli, Ariſtoteles primus retorſit Mundum ad æternitatem. Sed ipſe non viderat Ocellum.

2. Item patet; quoniam compoſitus eſt ex contrariis. Partes autem componentes ſemper præcedunt ipſum compoſitum.

3. Item eſt naturæ finitæ, & non infinitæ in vigore: Ergo ſemper non potuit eſſe, niſi ab infinita virtute Agentis infiniti conſeruatuſque eſſet. Ergo ab eadem eſt factus. Siquidem eadem eſt faciens & cōſeruans cauſa Princeps: non enim homo conſeruat hominem niſi ex parte, ſed ſol & elementa, & Deus, ſicut lumen à ſole in aëre fit, & ſeruatur: vt quid .n. conſeruauit Deus Mundum, niſi factura eſſet illius? Nec conſeruatio Ariſtotelica aſſignanda videtur, qua Angeli mouent & æternant Cælum, dum cupiunt Deo aſſimilari; quoniam, vt probatum eſt, hoc non eſt imitatio, ſed contrafactio; ſicut ipſorum motus quieti Dei contrariatur, & motus ab occaſu ei, qui fit in ortum. Item Deus poſſet eſſe abſque mundo ſecundum Ariſt. quippe quoniam non mundi regimine beatur, ſed ſui intellectione. Ergo mundus non potuit eſſe ſine Deo; ſed Deus ſine mundo; & non ex neceſſitate mouet ab æterno, vt putat.

4. Item mundus eſt per ſe incorruptibilis ſecundum Ariſt. ſicut triangulus per ſe habet tres, & neceſſario; ergo nō indiget extrinſeco conſeruatore: ſed eſt Deus, ſicut pars eius. Vnde Aphrodiſeus .q. nat. lib. 2. c. 19. oſtendit, Mundum non indigere Deo prouiſore, vt ſit, neque vt benè ſit, de mente Ariſtot. ſed corruptibilia indigere incorruptibilium lationibus ad ſui perennitatem ſpecificam, ergo mundi eſſentia non indiget Deo; ſed cum ſit finitæ virtutis, ſtultum eſt id aſſerere etiam in via Ariſt. ipſe enim probat, non poſſe tempore infinito durare hanc in 8. Phyſ.

5. Si autem ponatur vniuerſitas rerum infinita, & Mundus noſter pars quædam illius, ſicuti ſentiunt alij Philoſophi; tunc etiam oportebit originem huic Mundo noſtro aſſignare. Nulla enim compoſitio ſemper fuiſſe videtur, niſi ex præuiis partib. ſimplicibus, præſertim contrariis: ſimplex .n. præcedit cōpoſitum, ſicut vnitas numerum. Nec dicant præceſſiſſe natura, ſed non duratione. Mundi .n. machina artificioſè congeſta eſt, vt ſubito fieri non potuerit, ſicuti nec animal aliquid, niſi à virtute infinita, vel à finita nulla reluctante materia, ſicuti ſol ſubito illuminat, & corpus vmbram emittit; ſed partes Mundi cum ſint contrariæ, non potuerunt ab æterno ita conſtitiſſe, quoniā repugnantia, vel reluctatio mutua impediuiſſet collectionem elementorum in vnum. Ergo oportet ſimul ita ex nihilo creata fuiſſe, vel cum exiſterent à potentiſſimo opifice iuſſe po-

ſtea cohibita, & concinnata ad ſtructuram mundi.

7. Præterea Mundi partes generantur & corrũpuntur, ergo & totum. Nam cælum eſſe igneum oſtendimus nos, & Theologi & Philoſophi pariter idem ſentiunt. Haud tamen poſſe deſtrui, quia non habet contrarium præpotentius: ſed ab ipſo contrarium ſuum deſtructum iri, & Mundum diſſolui in lib. de Motibus Aſtrorum oſtendimus.

8. Quapropter argumentum Ariſt. retorquentes dicimus, quod ſi Mundus diſſoluendus eſt: ergo non ſemper fuit. Diſſolutionem autem oſtendunt Anomalię motus, & deſcenſus ſolis ad terram, Planetarum continuus, vt à Meſſia ad nos 11000. milliarib. ad minimam menſuram ſint telluri propinquiores facti. Idem oſtendit anticipatio tropicorũ, & æquinoctiorum annua, & obliquitatis ſolaris reſtrictio: & terræ Septentrionalis purgatio & ingeniorum, & fæcundatio. Auſtralis vero cõbuſtio & conſumptio. Ariſt. autem veras non habuit obſeruationes; vel nõ erant hę exorbitantiæ, niſi ex quo dixit Ieſus, *Virtutes cælorum mouebuntur.*

9. Item oſtenſum eſt in ſuperioribus ſermonib. eſſe principium infinitum Ens per eſſentiam cauſam omnis finiti Entis, & per participationẽ: cũ ergo Mundus finitus ſit, & Ens per participationem, ſemper eſſe non potuit niſi factus ab illo primo; præſertim Mundus corporalis.

10. Idem oſtendit hiſtoria Moyſi, & nouitas multarũ artium: & hoc vtitur argumento Lucretius. At Ariſt. dicit, eaſdem artes, & ſcientias ſæpè inuentas eſſe, ac ſæpè perditas illuuionib. incendiis, & bellis. Sed quidem erat. Semper enim ſeruati ſunt homines, qui artes illas propagarent: & diluuia & incendia non fuere per totum orbem, niſi primum ſub Noe, qui omnes artes ſcientiaſque conſeruauit; quod hiſtoria Moyſi, & Ioſephi, Hebræorum & Beroſi Babylonici, & Manaſſæ Damaſceni, & Hieronymi Ægyptij, & aliorum vetuſtiſſimorũ, quos nominat Cyrillus cont. Iulianũ. & Plato his fidem adhibet. Siquidem in Timeo introducit Sacerdotem Ægyptium dicentem ad Solonem Athenienſem Hoſpitem: » Græci Græci ſemper eſtis pueri, quoniam priſcarum » rerum apud vos non extat memoria. Et tamen anti- » quitatis gloriam vobis adſcribitis. Nam Athenien- » ſes dicunt, primos homines ex Attica terra natos » eſſe. Veluti qui habitant Americam ex quodã fonte ſuo natum eſſe primũ hominem putant. Et Hebræi in campo Damaſceno. Ergo cum Ariſt. acciperet ab Ægyptiis, teſte Solone, tantam Antiquitatem, & diluuiorum & incendiorum ſub Noe, & Phaetonte, & Phoroneo & Deucalione, putauit, Artes ſæpè mortuas ſæpè reuixiſſe. At longa ſerie ſcimus nunquã occubuiſſe Cerealem artem, neque faciendi currũ, & baliſtas, & haſtas, & ſcripturam; ſed magis continuo perpoliri, & nunc inuentam eſſe Typographiã, & bombardas, quas etſi Chinenſes prius habuere, tamen originem apud nos habemus nouam & propriam. Poemata quoq; & Religionẽ ſeruata ſcimus, licet variatis ritibus. Nec Salmoneus bombardis imitatus eſt tonitrua, vt Virgilius refert, ſed igne & ſonitu equorum; at etiam poſſibile fuit, nam Dedalus volauit ſub Minoe; & pridem Calaber quidam apud Caſtrumuillarum. Artes ergo videntur occũbere, quæ paucis ſunt communes, non quæ multis neceſſariæ. Græcos quoq; Origines ignoraſſe, certi ſumus; & falsò ſuis adſcripſiſſe nominib. Heroum. Vide nauem Noe Typhi ſuo tribuerunt in cælo; & quidquid Chaldæi, & Ægyptij & Hebræi, priſcis dedere hominib. Gręci ad ſuos tranſtulerunt, vti Deucalionẽm exaltãt pro Noe. Iouem Creticũ pro Belo Aſſyriorũ: Herculem Thebanũ pro Lybico; & Iſim Ægyptiã in Cererem Siculam transferunt. Ipſi autẽ fabulis omnia probant, & hiſtoriæ eorũ vetuſtiſſimę à Nino incipiũt filio Iouis Beli, patre Niniuitarum; qui fuit tempore Patriarchæ Abraham; quæ autem præceſſerunt ſecula putant eſſe infinita, vt ſcribit Plato in Dialogo de legib. & in Atlantico adducit hiſtoriam nouẽ mille annor. quam Solon poëmate cõprehendere volebat. Et Herodatus putat à primo Rege Ægyptiorũ ad ſe quindecim millia pertranſiſſe. Cicero verò affert obſeruationes Chaldaicas ſyderũ 70000. ann. deceptus hiſtoria Græca: Plinius & Diodorus referunt inuentas literas Chaldaicas in laterib. poſt 40000. ſed palã eſt eos loqui, vt opinantes, & non vt teſtes, ſicut Moyſes, qui illa ſæcula ante Niniuẽ digeſſit, teſtimonio priſcorũ Prophetarũ. Et Caliſthenes ſcribens ad Ariſt. ex Babylonia, vbi erat cum Alex. M. dicit non tranſcendere obſeruationes Caldaicas quinq; mille an. vt ex publicis annalibus didicit Chaldæorũ. Ergo Cicero deceptus eſt. Quapropter patet, mundi origo recens non pertingere ad ſex mille an. ſicut in articulis prophetalib. noſtris computauimus. Sed ſicut Græci mentiti ſunt, vt teſtantur oẽs hiſtorici & Poëtæ doctiores in propriis originib. & laudib. ita quoq; in Mundi origine, & magis; & quod mirere magis Chinenſes obſeruatores antiquitatis ſuæ habẽt hiſtoriam diluuij vniuerſalis à noſtra non diſſimilem: ſimiliter & Æthiopes. Mahometani multiplicant præterita ſæcula in fabulis Machometi, & de filiis. n. Agar fabulatorib. ita Baruch prophetat: ſed natũ Mundũ ex nihilo fatentur. Recentiores autem Machiauelliſtæ habent ſuſpectã Moyſi hiſtoriam, quia de nouo Emiſpherio nihil dixit, nec vnde homines illi originẽ habent, ſcimus. Sed (inquam) ex Dodonim filio Iaphet habitatas fuiſſe & diuiſas inſulas gentiũ ſcimus in lib. Geneſ. & Ioſeph de illis mentionẽ facit. & Plato in Atlantico diſiuncta fuiſſe hemiſpheria, quæ per inſulã Atlãticam continebantur, in diluuio narrat ex hiſtoria vetuſtiſſima. Et potuere homines à Tyle in Eſtotilantem trãſiſſe, & à Iapone, & Teduc, in Quiuinã, & Anian. Sed amiſſa ſcriptura origines obliuioni datas: & hos puto eſſe oues nõ de hoc ouile, *Quas*, Chriſtus dicebat, *oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* Et Eſdras in lib. 4. c 7. & poſtea Seneca in Medea, noui orbis inuentionem prophetauit: credo ex oraculis Sybillarum edoctum.

11. Hæc eadem Argumenta probant, Mundum non eſſe ab æterno factum, vt Platonici ex dictis autumant. Nam ſi à Deo factus; oportet, Deum præceſſiſſe ſuum effectum. Item, ait Athanaſius & Iuſtinus, impoſſibile, Creaturas Creatori induratione æquari, finitum infinito. Et licet aliqui Theologi ſuſtineri poſſe hãc opinionem teſtantur: tamen negat Athanaſius, & Iuſtinus, contra Arrianos diſputans. Non quia Deus ab æterno non potuerit creare, ſed quia ipſæ non potuerunt res creatæ æternari: & effectus diuiſus à cauſa, & inadæquatus, non poteſt eſſe coæuus cauſæ.

Item Mundus factus ab æterno, vel ex Ente æterno, vel temporali, vel ex nihilo fuit. Non ex æterno, quoniam non poteſt eſſe materia temporalium. Non ex temporali, quoniam factus eſſet Mundus poſt tempus, ergo ex nihilo. Si ergo præceſſit nihil, Mundus non ſemper fuit.

Exemplum de pede æterno & vestigio sibi coëterno, & de corpore, & vmbra, non probat quod vult, & petit principium. Vestigium enim non potest fingi coæuum pedi, nec mundus est lux aut vmbra, effectus, scilicet, coniunctus, sed separatus Deo.

12. Item, mundus arguit Iustinus, non factus est necessaria sequela, sed voluntate præeunte. Et dato quod factus sit necessitate, faciens tamen præcedit factum, sicut æternum temporale. Mundus enim participat non Esse & tempus; nec toticipat Esse. Ergo non habet totum esse. ergo neque æternitaté. Siquidem probatum est à nobis, tempus esse, non entis prolem & impotentiam simul existendi totaliter totum. Quod cum mundo minimè conueniat dicere ipsum æterno tempore factum, est fortè contradictoria proferre, quoniam tempus æternitasque ita differunt.

13. Præterea, cum extra Deum non potuerit aliquid esse, sicut extra corpus est id, in quo vmbra & vestigium fiat; oportuit mundi constructionem in essentia Dei æterna factam esse: & hoc verum est idealiter. At si extra Deum fiat in nihilo, tunc necessario adest tempus ex nihili participatione mundum separans ab æternitate. Implicat etiam contradicere esse factum & æternum, vt patet ex ratione terminorum, & Patrum omnium decretis, etiam in Concil. Nic. 1.

14. Item, infiniti dies præcessissent, & nunquam ad præsentem ventum fuisset: & animæ infinitæ essent; quod Arist. negat, ergo & se ipsum.

15. Quod autem non casu, neque necessitate à se, sed à potentissimo Artifice sponte factus sit, declarauimus in præcedentibus contra Epicurum disputantes. Et ipsa mundi & animalium constructio, & partium architectura, & vsus, & finis ex parte declarant: & ars & sapientia hominum, & bestiarum, & sensus rerum demonstrant, primam artem mundi opificem, à qua omnis sapientia est in omni re, sicut omnis calor à sole.

16. Quod autem ex nihilo sit factus à Deo, & non ex ruinis alterius mundi, inde innotescit, quod oporteret similiter & illum mundum ex alio instauratum, & illum ex alio in infinitum, vt Empedocles canit. Sed qua ratione mundus non potest alter ex altero æterna fieri serie. Et quærendum est, cur, si bene constructus semel est, iterum soluitur? & vtrum à Deo, vel à se, vel ab alio mundo? si à se, ergo casu fit, & instautatur. Ostensum est autem, non posse casu, & necessitate absque arte magna tantum opificium fieri & refici. Si ab alio mundo, vel Ente, quis restaurat eum? nunquid alium amicum restauratorem habet, & alium inimicum, destructorem? & rursus de illis mundis quærendum esset absque fine. Et responsio omnis opinatiua, & volũtaria esset, non necessaria, & testificatiua. Et vtrum sint alij mundi, inferius disputandum erit. Quomodo autem à propria discordia possit refici, & ab amore confundi, perperam docet Empedocles. Siquidem discordantes res ad vnius Entis compositionem non reducuntur, nisi ab altero Ente præpotentiori coercitæ, & ordinatæ. Quomodo autem tellus frigida intra cælum calidum se posuisset, & cælum calidum intra sua viscera terram inimicam composuisset, nisi arte diuina operante?

17. 12. lib. Gen. Præterea probatum est in superioribus, Ens primum extare infinitum, & per essentiam, à quo omnia finita Entia & per participationem originem habent, sicut omnis ignis à sole, & omne frigus à terra. Ergo Ens primum fecit omnia ex se & non ex alio Ente, non tamen ex substantia sui, quoniam essent similiter infinita & æterna. Non potest autem esse nisi vnum infinitum, & vnum æternũ, vt in superioribus declaratum est: ergo per quandam à se emanationem, ex nihilo materiali facit omnia: & sicut lux à sole emanat, & non est sol, ita res à Deo emanant, & non sunt Deus, sed quasi quidam radij, & splendores eius, teste Bernardo in canticis.

18. Probatur idem ex differentia eius, qui facit totum, ab eo, qui partem. Faciens enim totum ex nihilo facit: faciens partem præsupponit totum. Ergo si Deus agens est vniuersale ex nihilo creauit totum, & omnia: non autem ex præsupposito Ente, sicut causæ particulares: quæ propriè facere non dicuntur, sed facta transmutare, sicut Faber mutat ligni formam in formam Arcæ: & granum ex terra facit frumentum: & sol terram mutat in liquorem & lapidem & plantam & animal. Quapropter necesse est dare agens, quod verè faciat Ens, non auté modo transmutet: & hic est Deus. Ergo ex nihilo facit. Itē sicut album fit ex nō albo, & animal ex nō animali, & quodlibet ex sua priuatione apud Arist.

19. & Parmenidem, ita oportebat facere ex non Ente Ens. Non ens autem nihil est, ergo ex nihilo. Quapropter in hoc defecerunt Philosophi, quod causas particulares tantum considerarunt, quæ non faciunt Ens, sed hoc Ens: & ideo respectu earum accidit casus, & fortuna & malum. At respectu agentis vniuersalis facientis totum, nihil accidit casu, neque malum reperitur, vt in præcedentibus dictum est.

20. Præterea, non potuit fieri mundus temporalis ex Ente æterno vt dictum est, neque ex temporali, quoniam esset ante tempus ergo ex nihilo. Algazel hoc probat ex propositione Artis & Naturæ. Ars enim ad faciendum nauim plus materiæ requirit, quam sit ipsa nauis, vt ligna plurima. Natura vero minus. Ex paruo enim semine facit hominem & quercum. Ergo Deus potentior, ex nihilo. Hæc quidem ratio suadet virtutem Dei: at non ex nihilo prorsus ostendit factionem. Natura enim semper addit materiam semini ad augmentum eius.

21. Quod autem dissoluendus sit mundus per ignem, non modo fides omnium testatur Nationum, sed & ipsarum rerum primarum mutata continuo facies: & exorbitantiæ cælestes fixarum & planetarum: & figurarum transpositiones: & excentricitatum defectus, descensusque planetarum: solstitiorum & æquinoctiorum translatio: & telluris immutatio: & diuinus ordo. Hoc quidem patet ex omnium gentium desiderio querimoniaque quod in hoc mundo plurima sunt mala, mortes, penuriæ, afflictiones, fames, labores. Hæc autem à pugna cæli, cum terra fieri compertum est. Nec posse cessare, nisi alterum contrariorum vicerit: videmus autem solem continuo. Telluri appropinquare, & ipsam ad incendium disponere: nec vnquam reuersurus sursum apparet, vt putat Copernicus, quandoquidem semper descendere à Timochari ad nos per 1900. annos obseruatum est, nunquam vero ascendere: quo argumento vtitur Copernicus contra Arzachelem, retrahentem absides retrorsum: ergo Terram exuret, vt docet Petrus Apost. & opera, quæ in eo sunt: & IESVS propterea

Epist. 1.

dixit, quod stellæ de cælo cadent, quia ad terræ vstionem appropinquant: ergo cessabit generatio & corruptio, sicut declarat Apostolus Paulus, quod creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Præterit ergo figura huius mundi. Sed ais: ergo homines comburentur, & Planta & animalia, & tellus, & fiet Chaos, vel totum Ens cælum. Respondeo, hoc fieri nutu Dei sapientissimi. Et quia mundus inferior est propter superiorem: nam plantæ sunt propter animalia, animalia propter homines sunt, homines vero propter Angelos (ostendemus enim, hominem esse immortalem, & pertinere ad consortium superum, cum quibus & in hac vita sæpè communicat.) Ergo quæ facta sunt gratia finis, peribunt, & remanebit finis: hoc est Respublica beatorum, laudantium Deum. Non quidem enim videtur propter se esse natura inferior. Tellurem autem perditum iri arbitraremur, nisi religio reuelasset pœnas damnatorum æternas, in centro eius futuras. Ergo superficies, vt vitrum purgabitur; centrum vero in sua opacitate stabit, vt infra declarabimus. Præterea, præsto est Deo, quando voluerit cohibere vires Planetarum, & temperiem nouam corporibus humanis dare; quia cælico igne viuo, splendidoque delectetur, sicut nunc solus delectatur oculus.

Rom. 8.

22. Item, sicut calor in animali gaudet esse addito animali, & tamen abditissimo simul desiderio fertur in cælum, ad cognata, vnde venit, corpora: ita anima humana abditissimo amore incessanter ad Deum tendit. Eum scire desiderat, & per religionem colit & quærit: & nunquam finitis acquiescunt bonis, scientiisque, sed scire & velle videtur infinitum: ergo sicut desiderat naturaliter, fiet illi. Quod non potest nisi sub alia mundi figura: nunc enim in Chaos contrariorum versamur, quem oportet à Deo distingui.

23. Quæ autem diximus de instanti dissolutione per ignem ex obseruatis à Timochari per Hipparchum, qui centum viginti annis ante Messiam scribebat: & per Menelaum, qui 99. post Messiam; & per Ptolomeum, qui 138. post Messiam, & per Albategnium, qui 880. & per Alzachelem, qui post 1100. & per Peubarchium, qui post 1464. & Regiomontanum, & Copernicum, qui post Messiam 1525. sydera obseruarunt, colligimus, additis Plinij, & Columellæ, & Alphonsi Regis, & aliorum Arabum, & Hebræorum, & Latinorum concordantiis. Ex quibus elicitur Æquinoctia & Solstitia anticipari: & Planetas terræ continuò appropiuquare, & Figuras Cœli situm mutare, itaut Stellæ, quæ erant in Ariete, nunc sint in Tauro; & quæ in Tauro in situ Geminorum, &c. Et quæ erant Australes, factæ sint Boreales ab Æquatore: & quæ Boreales, Australes.

Item, obliquitatem solis quæ ab Æquatore ad Tropicos grad. 23. & min. 52. excurrebat, esse redactam ad grad. 23. & min. 28. Nec quidem eodem semper tenore, sed nunc velocius, nunc tardius: vt sub Hipparcho in centum annis anticipatio fit per gradum vnum: sub Ptolomeo in 70. sub Albategnuio in 65. sub Copernico in paulò pluribus. Sic etiam obliquitas est Ptolomęo grad. 23.52 Albategnio 23.36. Prophatio Iudęo 23.32. Regiomontano 23.30. Copernico 23.28. Quæquidem incessabiliter imminui videtur sicut excentricitas. At anticipatio Æquinoctiorum, quæ velocissima Albategnio, nunc videtur tardari, ergo & finiri irregularitates, vt putat Copernicus in 1717. annis; sed quia obliquitas non reuertitur, putat eam finiri in duplo, hoc est, 3434. quia duplicatur, corolla Polorum terræ; sed decipitur, quoniam non ex eo, quod ad tarditatem redit anticipatio, finitur anomalia omnis; sed hæc vna tantum: ex qua non licet de cunctis idem ferre iudicium. Copernicus enim vnam modo obseruat anomaliam ex scriptis Antiquorum, ergo malè idem de cunctis opinatur; plures enim obseruasse oportebat ad decernendum. Item, neque anticipatio finitur, sed modus anticipationis, hoc est velocitas, vel tarditas. Ergo non propter hoc debebat finem dare obliquitatis restrictioni duplum, quæ semper restringi, & nunquam ampliari visa est. Similiter errat cum putat in fine Anomaliæ solem reuersurum sursum; qui tamen semper visus est descendere. Et quasi qui vidisset anticipationem, quæ à prima Arietis stella vsque ad secundum gradum Piscium iam facta est, iterum ad tertium reuerti, & ad quartum, & non magis ad primum de secundo, vt palam est; opinatur etiam solem consimiliter sursum reuersurum, quoniam in consimilibus temporibus habent velocitatem descensus solis, & obliquitas, & anticipatio Æquinoctiorum. Quapropter cum anticipatio continuetur, descensus continuari, & obliquitas, vt apparet semper, videri debebat Copernico, donec sol exurat terram.

Post hæc legimus Progymnasmata Tyconis, qui Anomaliam adhuc perseuerare, sicut prius, & non apparere summam tarditatem vt Copernicus opinabatur, obseruat. Terræ quoque immutatio idem docet: nam Palmæ in Cypro non maturabant Dactylos tempore Plinij, nunc maturant: & in Italia, nec producebant, nunc producunt: & in Gallia sub Iulio Cæsare non fiebat vinum, nunc fit: & in Germania non erat cultus. Terræ, neque ingeniorum, sed viuebant Bestiarum More in syluis ex venatione: nunc autem cultus terræ, & politia, & artium inuentiones mirificæ in Germania vigent: quoniam sol descendens purgauit solum & temperiem humanam: vmbræ quoque diameter in lunaribus eclypsibus abbreuiata idem ostendit: & gnomonum vmbræ: vt non sit amplius dubitandum de cœli totius mutatione, & mundi: & hæc esse signa, quæ dixit Messias futura in sole & luna & stellis, quæ ab aëris immutatione proxima esse S. Gregorius, qui fuit in 600. à Christo annis, collegit doctissimè: quoniam tunc fuit velocitas descensus solaris. & subita mutatio terræ ingentes peperit terræmotus, & pestilentias rerum & morum. Non tamen propter hoc scimus, quando erit conflagratio: quoniam neque in quo puncto appropinquationis Sol potest terram comburere, scimus: neque si sciremus punctum, sciremus tempus. Nam Anomalia Cœli docet non eadem velocitate semper, aut tarditate solem deorsum ferri, sed nunc tardius, nunc velocius, & Anomaliæ Anomalias esse percipio contra Copernicum. Ex quo intelligimus, naturas rerum ad nutum Dei moueri, prout illi congruere videtur ad sui absolutionem opificij: sicut faber nunc accelerat, nunc moratur ictus malleorum super opificio suo. Hoc autem nos non intelligimus, neque Angeli eius, qui ministrant opere in tanto.

2.

Præterea mundus videtur factus propter res æternas non propter temporales. Ergo cessabit temporalium vsus, & continuatio; & complebitur omne desiderium Naturæ: & Entia exusta fient Cælum, &

gaudebunt esse Cælestia : & homines diuini : & Chaos non erit, sed vnio ordinata, quam scit Deus: quod sagacitate quadam olfacimus: qua calor cordis nostri, licet amet esse in corde, ad cælum tamen anhelat, & elabitur secreta vi. Ergo stultum est expectare in conflagrato mundo fluuios vini, & butyri & mellis : & arbores semper florentes, & fructificantes: & Paradisum in huiusmodi terrestribus rebus cum Mahomete, vt infra magis patebit.

Præterea non videtur mundus ad sui perfectionem venisse, sed adhuc pugnare cælestia contra terrestria: omnis enim creatura (ait Apost.) *ingemiscit, & parturit vsque adhuc & cætera & liberabitur à seruitute corruptionis.* Et Deum vti hac pugna ad ludum & gloriam suam. Ergo post finem pugnæ perficietur. vtrum autem fiat reuersio ad hanc rerum faciem, negat ratio, quæ meliora in peiora labi, Deum permittere, aut facere reclamat. Sed hanc interim periodum pugnæ propter bonum permitti ad probationem animarum in corporibus clausarum: & dum absoluitur mundus: cui adhuc plures animæ creandæ desunt, & plures corporationes: & fælicitatio totius, & partium.

RESPONSIO AD ARGVMENTA OCELLI, & Arist. & asseclarum, probantium mundi æternitatem.

CAP. III. ARTIC. III.

NVNC ad Aristotelis & Ocelli argumenta respondendum est. Ad primum ergo dicimus, motum non esse æternum, vt putat: sed dari principium & finem eius. Quod autem ait, ante motum esse motus alios: quoniam motus est actus mobilis, falsum est : non enim omnis motus est actus mobilis, neque omnis productio: nisi quæ fit per mutationem alicuius in aliquod : cuiusmodi est secundorum Entium actio. At motus, quo factus est mundus, non est mutatio alicuius in aliquod, sed productio totalis mobilis, ac motus simul, quæ vocatur simplex emanatio, vt cum sol radium emittit neque ipse mutatur in radium, neque aliqua materia. Sic Deus emittit mundum ex nulla re factum, sed ex sua mente genitum: hoc differens à sole, quod sol sui natura vires & substantiam dilatat. Deus autem voluntate ideam & vim participatam exprimit eminentiori, vt decet, modo, & sic factus est mundus, & non per motum, actum materiæ mutabilis. Neque semper erit mundus, vt probat sexta ratio Arist. nam ostensum est, regularitatem, quam in cælo ex obseruatis Chaldeorum deprehendit, falsam esse, & situm siderum non eundem. Siquidem Spica virginis, quæ sub Ptolomeo erat in latitudine boreali ab æquatore in Virginis gradu 24. nunc reperitur in Libræ gradu 18. in Australi : & oculus Tauri, qui erat in Tauro, nunc est in Geminorum quarto, & stellæ Sagittarij in Capricorno. Ergo & Poli euulsi sunt, & sidera alias vias & paralellos faciunt. Item ostensum est, Planetas ad terram descendisse ex excentrocetis diminutione, & vmbræ, & telluris immutatione. Ergo non perseuerat, sicut ab initio creaturæ. Et quidem Apost. Petrus prophetauit de Peripateticis, quod dicerent. *Vbi est promissio aut aduentus IESV? ex quo dormierunt Patres omnia perseuerant, sicut ab initio creaturæ*: & vbi (quasi dicat) sunt signa in sole & luna & stellis? Quæ iam ego primus patefacio contra Peripateticos & Macchiauellistas, & Astronomos, adulatores eorum, qui videntes hæc signa, ad scribunt circellis fictis & non causæ primæ, quæ futura esse prædixit. Anticipationes quoque solstitiorum, & apogeorum translatio, & anni variatio, & obliquitatis restrictio, docent falsum esse dogma Arist. æternantis mundum ex eo, quod sydera perseuerant in eodem situ & motu: cum anomalia motus, & transpositio cardinum, & stellarum, contrarium reclament. Auctoritas autem Chaldeorum à Pico deridetur : æstimat enim, eos non sedulo obseruasse cælestia, vt gloriantur, & ideo has irregularitates non deprehendisse. Sed fallitur Picus, quoniam Ptolomei obseruationes cum Chaldeis conueniunt. Item ita seduli in hoc fuerunt, vt soli inter mundi accolas portentum datum Ezechiæ Regi à Deo per Prophetam Isaiam, in sole, x. lineis regresso, notarint, & super hoc legationem miserint, teste scriptura sacra : ergo non erant tunc hæ exorbitantiæ. Præterea nomen clatura dodecatomeriæ signorum incepisset à Tauro vel Geminis quando à Chaldeis inuenta est Astronomia. At è contra semper ab Ariete inceperunt. Ergo nulla fuit prius mutatio ante Aggei Prophetiam. Siquidem Chaldei & Iudæi æquinoctium in prima stella Arietis obseruabant, & vsque ad Heliam sub Metone Astronomo annis 900. ante Messiam ita perdurauit. Hipparcus autem paulo ante aduentum Messiæ hanc vnam exorbitantiam fixarum deprehendit, & annum non esse dierum 365. & 6. horarum prorsus adnotauit, sed post 300. annos vnum desiderari diem ad circulationes præteritas. Ergo tunc fortè cæpit mundi Machina obstupescere, nã sensu prædita est ad præparationem Incarnationis Dei: & dicente Deo, *Virtutes cælorum mouebuntur*: hæc facta esse paulatim conuenit: & nunc esse miracula nobis quando innotescunt nobis, tunc naturæ quando innotescunt naturæ: Deo autem nihil mirum esse, & Aggeus 2. prædixerat. *Adhuc modicum mouebo cælum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus*: & ex aduentu eius, vsque ad finem mundi compleri hanc commotionem vt canit Ecclesia, *Quando cæli mouendi sunt, & terra.* Vnde non omnino ineptè Copernicus in terra dat mutationem, sed non vti nos. Quapropter Aristotelis ratio in caput suum reuertitur, & periodus mundi finitur.

In lib. contra Astrologos.

Hier. ait omnis creatura sensit Creatorem.

Sed contra ait Auerr. & alij: si erat Deus absque mundo, quomodo manebat ociosus?

Et cur non fecit mundum ante tempora multa? etenim aut noluit, & fuit inuidus: aut nesciuit & fuit ignarus: aut nõ potuit, & fuit impotes & debilis.

Item, quid expectauit, vt mundum faceret? commoditatemne, aut auxilium? aut conualescentiam?

Item, videtur esse mutatus de nolle facere mundum ad velle, & de non agente in agens. Deus autem immutabilis est.

Item, si bonum erat esse mundum, cur non fecit? si non bonum, cur postea fecit?

Item, si actio eius æterna, vt quidam argumentantur apud Iustinum Martyrem. Ergo saltem mundus factus est ab æterno, sicut & idea est æterna.

Ad primum respondetur, ociosum dici, qui suum bonum procurare negligit, aut alienum, cui debet. Ac Deum seipso beatri, neq; indigere exterioribus bonis, vti nos, qui corruptibiles sumus, & bonum in nobis defectibile, aliunde procuremus.

Item, neque Deum vlli fuisse debitorem; idcirco alienum bonum procurare minimè indiguisse. Sed quidem Deus Aristotelicus ociosus videtur magis, quippè qui iam in mundo existens mundi curam non habet, sed se ipse beat sui contemplatione: cætera vero per accidens. Ipse enim aliorum beatitatem nec intelligit, nec curat Aristoteli; sed dum Deum imitantur aliquo pacto beantur.

Præterea, nec Dei esse, est agere ad extra, sicut caloris est calefacere, vt qui si non calefacit, desinit esse calor: sed voluntate æterna facit, vt res sint, quando incipiunt esse. Est quidem Dei actio Deus, & æternitas, non tamen quod fit, ab æterno fit, sicut sol semper illuminat, nec per hoc ego semper illuminor, nisi quando volo. Res ergo fiunt quando vult Deus, licet voluntas & actio eius vt in eo æterna sit, non vt ad nos. Et respond. ad alias interrogationes. Deum non fecisse mundum ante multa tempora, quoniam nullum fuit tempus. Tempus enim est successio, quæ incœpit quando Esse mundi successit ad non Esse mundi: Perpetua enim tempore carent, quoniam successione carent. Successio namque ex impotentia essendi est, penitus, vel secundum partem Si autem mundus semper fuisset, non successisset, neque in tempore fuisset. Antequam ergo esset mundus non fuit prioritas temporis nisi imaginaria. Nos enim qui sumus in successione, propterea quod sumus in transmutatione, omnia intelligimus successiua esse: cum tamen verum sit, quod si mundus nullam transmutationem pateretur, quæ est Entis, & Nihil successio totalis, vel partialis nullum quoque tempus sentiret. Dicimus quoque Deum non fecisse mundum ante, quia non datur ante, aut quia mundus non potuit esse in æternitate, vt Athanasius & Iustinus sentiunt, sed in tempore cum sit finitæ naturæ. Ergo & mutabilis & genitæ: voluit ergo Deus & sciuit, & potuit facere mundum antè si datur aliquando ante: Sed voluit ipsum fieri ex nihilo, non ex sui substantia, ex qua non potest esse nisi Deus. Ergo & successione Entis ad nihilum: quod nō permittit infinitatem vllam, aut vnquam. Ergo in principio temporis, post nihilum sui. nec tamen inuidit illi æternitatem, quam non potest habere. Potest quidem illam habere in mente Dei & habuit in mente Dei: non potest habere in se, & non habuit in se: quoniam implicat contradictionem, temporalem esse æternum, & mutabile esse immutabile: & quod est post non esse, esse ante suum Non-esse: vel cum suo Non-esse. Sicut ex parte non Ens esse totaliter Ens: potest quidem esse ex parte Ens, sed non ex toto, quoniam mutabile, & finitum. Ergo ex parte Non-ens, vt dictum est prius. Bonum quoque fuit, mundum esse quando fuit, non autem quando non fuit: Non ergo Deus non fecit illum, cum esset bonum fieri. Bonitas enim rei est ex Dei voluntate bona, sicut veritas ex Dei idea: ipsa enim voluntas facit bonum approbando, & non mouetur à bono præexistente. Et tunc bonum est, cum Deus vult. Neque Deus expectauit conualescentiam, aut auxilium: nihil enim erat extra eum: sed nec tempus. Ergo nec expectatio. Philosophi autem priores successione obruti, & stabilitatis æternæ ignari, hoc no perpendunt. Idcirco addo, quod si in hoc Dei consilium latet, non propterea debemus rectè posita euertere dogmata, quæ Religio & Ratio sanxit, vt sequamur sophisticum Aristotelis dogma. Præterea vt creatura agnosceret se à Deo esse, non est ab æterno facta, ergo melius fuit illi ante non fuisse, si daretur ante, & hoc melius elegit Deus: fuisse tamen in Deo idealiter melius fuit, & hoc melius etiam eligit Deus. Neque Deus mutatus est de nolle ad velle, neque de non agente in agentem. Nam Deus ab æterno voluit, vt fieret mundus quando factus est. Consilio ergo & voluntate æterna fecit rem nouam, quæ æternitatis particeps esse non poterat, nisi immutabilis esset. Et tunc non æternitate vera, sed participata constasset; quoniā vera æternitate sola virtus infinita potest consistere: finita vero, participata tantum, si est immutabilis; si mutabilis, tempore: vbi vides magis, minusque temporalitatis acquiri pro Non entis participatione. Actio autem Dei, vt in Deo, est ipse Deus, vt in creatura, est ipsa creatura: quoniam non per transmutationem operatur. Non enim est virtutis infirmæ, neque aliquid ei resistit, vt in tempore agere cogatur per partem post partem actionis, sed in instanti. Mutatio autem nulla fit in Deo, quoniam est simplex emanatio, & non laboriosa actio; sed est in creatura de Non esse ad Esse. Quomodo autem nulla sui mutatione dicatur nouiter agens Deus, declaratum est in prima Parte huius operis, vbi relationem realem in creaturis posuimus, sed secundum rationem in Deo, vt ab hoc: vt vero in hoc, realem & æternam. Quoniam est eius actiua potestas, à qua fluxit mundus, quando ab æterno præfixerat, nulla in eo, sed in mundo facta mutatione, ex qua ipse de nouo vocatur Agens, & Dominus, & Creator. Cum tamen nihil noui illi, sed alteri acciderit. Sicut fit columna dextra me mutato, & non illa. Nec tamen Deus non est realiter Agens & Dominus, quia secundum rationem refertur relatione, dicente mutationem, & nouitatem, quæ in creatura solum est realiter. Sed secundum rem est Creator, prout relatio dicit fundamentum, hoc est potentiam creatiuam, & ab hac est realiter Dominus, non à solo termino, vt Scotus arguit, neque ab illa rationis, vt alij videntur dicere, sed à noua reali relatione, quæ adest non inest: ideoque non faciente nouitatem nisi in correlatiuo, vbi est etiam infixa, inestque, vt in prima Parte lib. 2. dictum est. Hoc autem non intelligit, nisi qui intellectum eleuet ad cognoscendum emanationem sine mutatione, & æternitatem carentem successione. Nō enim Esse creaturæ successit æternitati, sed proprio Non-esse, quod tamen non erat in æternitate. Non-esse enim nullibi, & nunquam est. Nam & Mundus vita erat in Deo absque Nō-esse; sed processit à Non esse hoc: ideo dicitur de nihilo in Ens,

nihilo

nihilo limitatum processisse. Ex idea autem æterna effectum temporalem procedere posse indicat calor qui semper calefacit, licet manus non calefiat semper n si quando calori applicatur. Item hoc applicationis arcanum nemo neget, nisi qui effectum causæ adæquat in immensitate Entitatis, & carentia limitationis, & fixione. Cuiusmodi esse non potest extra agentem causam, sed in ea potest, vt in emanationibus Primalitatum declarauimus. Ratio ergo Gentilium contra Iustinum nihil probat. Non enim Deus agit naturaliter, sed libere: ergo est Deus etiam quando non agit: ergo non fecit mundum ingenitè, & æternè: hoc enim repugnat (ait Iustinus & Athanasius) vt sit genitus ingenite, fundamentaliter actio Dei est Deus, non autem terminatiuè.

Ad 2. resp. ante mundum & post non esse tempus, & ly ante & post dicere tempus imaginarium, non verum: sicut ly extra dicit locum imaginarium Aristoteli extra mundum: prius enim & posterius congruunt transmutabilibus, quæ recedunt ab esse, & vadunt ad non esse: & è conuerso, ablato autem Non-esse, nullum est tempus. Similiter ablata mistura Entis & non Entis. Quæ ante mundum non erat: Non enim Deus mistus ex esse & Nonesse: Infinitus enim est: neque Nonesse mundi erat in Deo, in quo mundus erat vita & esse, sed erat in mundo, quod non erat: Non-ens enim non est in Ente, sed circundat & limitat Ens. Deus autem illimitabilis. Esse vero quod mundus accepit, est minus eo, quod in Deo habuit: quoniam extra Deum per Non-entis participationem fluxit, hoc est ad sui limitationem, & hoc declaratum est in p. 2. partis. Sed quidam Theologi peripatetizantes non possunt omni respondere argumento. Nam illis tempus est passio motus, & motus mobilis. Ergo prius oportuit esse mobile, postea motum, postea tempus. Ergo quando creatum est mobile, creatum est in non tempore: hoc autem æternitas. Ergo mundus est ab æterno. Nos autem dicimus, tempus esse successionem: & tunc potuisse creari simul, quando Non esse processit ad esse. Ita quod actus creationis terminum prius natura habet tempus quam mobile. Tempus quidem non est passio motus, nisi quatenus motus dicit esse aliter & aliter se habens, & non ita & ita se habens: ergo quatenus esse & non esse sibi succedentia dicit. Æternitas esse dicit absque non esse, & ex consequenti absque successione prioris & posterioris, vt in præcedentibus declaratum est.

Ad 3. & 4. Aristotelis negamus, factum esse mundum ex materia præcedenti, & cum ait, ex nihilo nihil fit, concedimus ab agente particulari, non autem ab vniuersali, licet etiam in materia possit aliquid ex nihilo fieri: omne tamen agens physicum cum sit particulare præsupponit actionem vniuersalis & in materia fundat & locat effectum suum, quæ illius effectus est. Vtrum autem Angeli aliquid efficiant, & non in subiecto, alibi disputabitur: sed Deum posse in subiecto & non subiecto efficere ex non subiecto, necesse est, si non partiale, sed totale agens est. Materiam autem ingenitam dicimus, quoniam non ex alia materia fit: at ex non materia fieri, & ex nihilo à Deo, necesse est, si totius Entis est causa: & hoc patet ex eo, quod agentes causæ latibula materiæ non norunt, neque in quot atomos diuiditur, & quot gradibus explicatur, & constringitur. Neque ego nunc intelligo huius paginæ atomos, & flocculos, ex quibus composita est, & quibus sunt modis compaginati, nec quot litteras formo scribendo, & quomodo, & atramenti fluxiones, & partes & impactiones. Ergo causa sum instrumentalis alicuius causæ intelligentis hæc omnia: & ita omnes secundæ causæ. Oportet autem esse causam primam, quæ totum effectum intelligat, & faciat: non enim mundus illi debet esse ignotus, vt nobis. Omitto fines futuros ex hac scriptione, & præteritas causas: quæ me huc appulerunt ad scribendum, & concausas cælestes, & terrestres, & medias ab exordio mundi vsque nunc: quas oportet ordinatrici primæ causæ notas esse omnes, & omnino, nisi deliremus cum Talmudistis.

Præterea palam est in singulis mundi partibus & constructione, & vsu, diuina prouidentia. Ergo materia partium est propter finem. Ergo ab eo est qui horum fines intelligit, nec acceperit ipsam paratam ab alio potentiore, nec ab impotentiore: à quo is, à quo sunt omnia, mutuatus fuerit: alioquin nec omnipotens esset, nec amaret, quæ fecit, cum in alienum fundamentum ædificauerit. Nec materia æterna esse potuit, quin etiam forma fuerit æterna: si enim Deus formas ex nihilo facere potuit, potuit & materiam, quæ si æterna fuit, fuit etiam immutabilis, & à se ipsa, & à Deo: habet enim propriam vim ęternā: æterni.a. est semper esse eodē modo. Nā si accepit modū ab opificis manu, ergo desiuit esse quod erat: ergo facta est aliud: ergo habet finem: igitur & principium: ergo in sua informitate creata non est, neque fuit temporibus longis: quemadmodum Hermogenes & Plato putauerunt. Quod si formæ non accesserunt materiæ, neque anima, sed in concinnis motibus fluctuabant, & à Deo in ordinem reducta sunt, vti Plutarchus declarat, deliria illa animæ mundi, & materiei si dependebant à Deo, Deum delirum ostendunt. Si vero alterius Dei erant: ergo nec à nostro Deo, non nisi sua agnoscente, acceperunt concinnitatem. Reuertitur etiam hic sermo ad opinionem Anaxagoræ, ideata præiacientis. & Intellectum modo: non autem & Potentiam Dei agnoscentis.

Ad quintum dicimus, potuisse aliquando non esse mundum, non dicere potentiam ex parte sui, sed impotentiam. Neque ex parte Dei: si agens esset necessarium, quod absque mundo non poterat esse. At si liberum est, dicit potentiam in Deo, videlicet, quod potuit carere mundo, & nō indiguit eius existentia hac extra se. Quoniam vero mundo ablata est illa impotentia, non sequitur, quod poterit Non esse, nisi per potentiam illius causæ, quæ dedit illi esse, & poterit sine mundo esse. Omne enim possibile ab aliqua potentia dicitur. Et potentia passiua ab actiua habet vt sit potentia, sicut declaratum est. Quapropter ea sola ratione potest non esse mundus, qua potest, qui dedit illi esse, auferre, vel non dare. Quidquid enim amittit esse, à contrario destruitur, vt calor à frigore, vel à propriis principiis destituitur, vt lux aëris à sole abeunte, vel ab vtrisque, vt homo à contrariis externis oppugnatus, & à calore natiuo abeunte, & crescente, vel decrescente, ac perinde deficiente, ad cognata corpora elabente. Mundus autem à sola virtute Dei conseruatiua discedente & abeunte potest annihilari. A seipso autem non potest nisi immutari, exque parte destrui.

Igitur respondeo ad rationem Ocelli, quod substantia mundi non potest annihilari. nisi Deo sub-

trahente esse. Forma vero potest destrui & immutari dum alterum elementorum superat alterum, vt si cœlum vincat terram, & omnia vertentur in ignem: & cum ait, Non potest perimi à se, quoniam generatio omnis est corruptio, & ipse est Medicus & Medela, neque ab alio, neque intus, neque extra.

Respondemus, posse corrumpi ab alio contrario, si foret: Sed quia non est, potest à Deo per substractionem esse. A se vero destrui potest quando fiet corruptio vnius totalis, & non generatio eiusdem per circulum, sed solum illius corrumpentis. Et cum opponit sphæras elementorum se mutuò continere, fallitur: nam cœlum naturæ est igneæ, & sydera sunt tellure per potentiora; & paulatim oportet hanc exuperari, & faciem mundi immutari. Hoc autem ex anomaliis & exorbitantiis iam declaratum est. Nec mundus corruet extra, nec intra, vt parietes domus, sed alterum in alterum mutatur elementum. Et licet totus mundus sit in principio & fine suo, non tamen pars principalis. Tellus enim properat ad finem & perditionem sui, & non ad refectionem. Plures enim partes illius destruuntur à calore, quam restaurantur à frigore: eiúsque contrarium augetur viribus, & locum acquirit, & campum belli. Ergo paulatim tellus interibit: quod Telesius negat, licet igneum ponat cælum, quoniam exorbitantias has non examinauit. Sed putauit quantum terræ deperditur in die, & in æstate, tantundem perpetuo instaurari à frigore, in nocte, & hyeme: sed non ita esse iam ostendimus. Nam si vua fit in Gallia, quæ prius non fiebat, ergo terra perdit hoc quod fit vua. Nunc collige quantum in singulis regionibus perdit, & quantum ex rebus olim factis in aërem exhalauit, etiam vsque ad stellatam Spheram, vbi & Cometas fieri deprehendimus, & intelliges deficientiam eius paulatim.

Ergo respondemus ad Arist. simul, cælum non esse natura incorruptibile, nisi quia caret contrario præpotentiori. Iuxta enim dogmata nostra per se incorruptibile id solum est, quod Entitatem habet & virtutem infinitam Quapropter *solus Deus habet immortalitatem*, teste Apostolo. At si aliquid aliud à Deo potest reperiri infinitum vigore, illud incorruptibile esset: neque à Deo posset corrumpi, quoniam per essentiam esset carens principio & fine: & opposito præpotentiori, & dependentia. Et in hoc verū dicit Aphrodisiensis cum Arist. quod incorruptibile & necessarium, neque à Deo potest corrumpi, sicuti nec quod Triangulus non habeat tres, cum iam sit essentiatus tribus, ab idea infinita in Deo: sed quod Triangulus non sit in mundo potest facere Deus, & similiter quod mundus, & Angelus non sint, quoniam Entitas ipsorum finita est & hoc potest fieri à Deo subtrahente esse, & à Deo creante contrarium præpotentius Non ergo incorruptibilitas & corruptibilitas pertinet ad essentiam rerum finitarum, sed ad esse. Esse autem dicit exteriora quibus cum sunt. Ergo à carentia, vel existentia exterioris inimici robustioris, dicitur quid incorruptibile vel corruptibile, ablato contrario. Si enim cælum non esset, terra incorruptibilis esset: & cælum est incorruptibile in superioribus portionibus, quò terræ vis non pertingit. Impiè & imprudenter ergo Auer. immortalitatem resuscitandorum impossibilem esse docet. Angelos autem incorruptibiles dicimus, quia carent contrario & partibus dissolubilibus, & sunt maximè Entitatis. Nonne spatium & materia, quia contrario carent immortalia sunt?

Quapropter respondemus ad Arist. in primo cæli dicentem & in x. Metaph. cælum esse incorruptibile, quia caret materia: perperam concludere. Si enim materia Aristoteli est immortalis, & incorruptibilis: ergo non est ipsa causa corruptionis aliorum Entium? neque enim dat, quod non habet: Et licet corruptiones fiant in materia, fiunt etiam & generationes, & vitæ longæ & breues: ergo non magis est mortis, quam vitæ subiectum. Breuitas quoque & prolixitas vitæ, sunt in ea non respectu eius, sed formarum contrariarum mutuo pugnantium, vt quæ viuidior est, & fortior, viuat magis: quæ imbecillior minus, si æquè oppugnantur: ergo non à materia est corruptio, sed à contrarietate. Sed aiunt. Materia est in potentia ad alias formas, & ideo corrumpi oportet formam, quam habet. At & in hoc inconsiderate loquuntur Peripatetici & contra propria dogmata.

Ipsi enim aiunt contra Anax. non latitare formas in materia, & in 9. Metaphys. probant, potentiam passiuam in tantum esse potentiam, in quantum respicit actiuam. Materia ergo potest recipere alias formas, si datur actiua potestas potens dare nouam formam, & corrumpere illam, quæ in materia iam regnat. Ergo potestas materiæ non facit corruptibilitatem, sed forma contraria ei, quam ipsa habet. Vnde rectè dixit Arist. aliquando, sed parum constanter, ignem nō putrefieri propter suam magnam actiuitatem & potentiam resistendi externis iniuriis. Et qui inchoationes formarum in materia latentes tuentur, parum intelligunt dicta Aristot. qui dicit in 9. Metaph. non esse terram in potentia animal; sed semen per id, quod habet de actu animalis: in semine autem non est potentia purè passiua, sed cum parte formæ, quæ non est in terra; & multo minus in materia prima. Ergo est potentia ad animal, & impotentia ad plantam in tali semine. Et in igne est calor in actu, frigus autem non est in potentia, sed in impotentia, si non potest calor illi resistere: in materia vero nulla potentia est, nisi receptiua; quæ excludit omnem actum: & ideo non dicit corruptibilitatem alicuius, sed receptibilitatem. At in materia ignis non est potentia ad frigus; sed in frigore est potentia, quà materia ignis potest frigefieri. Calor enim, vbi ipse regnat, omnes latebras permeat, & omnem appetitum contrarium sibi extinguit: vnde & libenter materia quiescit sub qualibet forma; & est tantum in potētia, & appetere dicitur per id, quod habet de motu ad formā. i. per actū imperfectū, vt per tepiditatē est in potentia ad ignē, vt bene aduertit Auer. & non per purum esse materiale, quo solū recipere appetit: & in omni recepto quiescit. Itaq; doctè Ægidius arbitratur, materiā cœli nō appetere, quoniā saturata est sua forma Nō. n. est fingere, quomodo contrariæ formæ laterent simul, vel contraria regnante in actu, altera delitescat in regno eius. Dicimus ergo, cœlū esse de de natura ignis, & tamen nō destrui, quoniā non habet contrariū potentius. Sed partes cœli terræ proximas, quas aërē vocamus, manifestè à frigore corrūpi. Et in hoc habemus testimonia SS. Patrū, quod eadē est materia cœli & inferiorū, S. August. Basil. Chrysost. Ambr. Iustin. Orig. & aliorū: & omniū Rabinorū, & Platonis, Auicebron, & omniū Physiologicorum, excepto Arist. cuius rationibus nunc satisfaciendum est, licet alibi confutatis.

CONFVTANTVR ALIÆ RATIONES

Aristotelis, quibus probat, Cælum non esse de natura ignis, aut alterius sublunaris Entis.

ARTICVLVS IIII.

æl. 2.

AD primam ergo cum dixit, natura est principium motus: quæ differunt motu, differunt natura: vnius enim simplicis corporis vnus est motus simplex: motus autem elementorum sunt à medio: vt aëris & ignis: vel ad medium vt aquæ & terræ: Cæli vero circa medium: ergo est diuersæ naturæ: nam neque ignis esse potest: quoniam non magis est contra naturam ignis (ait in tex. 15. p. de cælo) moueri in circulum, quam deorsum.

Respondemus naturam non modo motus, sed & quietis principium esse, ex eius testimonio in 2. Phys. ergo falsum est, quod omnibus elemētis cōpetat motus: Sed cōtrariis contrarias conditiones, ergo aliis motum, aliis quietem: & cum motus motui non contrarietur quoad essentiam, sed quoad terminos exteriores, quia ab oppositis ad oppositos situs fiunt: ideo idem elementum omnibus moueri motibus dicimus, si est natura mobile, sed occasionibus exterioribus motus variari: quod est immobile, perpetuo quiescere. Ergo duo esse elementa alterum quod semper quiescit, quod est terra: alterum quod semper mouetur, quod est ignis (eius testimonio in 2. de cælo 17.) motus autem ignis non potest deorsum fieri ad contrarium, neque sursum quia finis est mundo: ergo in gyrum. Quapropter motus à medio & ad medium non sunt motus, sed regressus ad sui locum & naturam: Natura autem inspicienda in suo loco: & totalitate, non in partibus & extra totum. Cum ergo tota tellus per Auer. perpetuo quiescat, & ignis perpetuo gyro moueatur: hoc esse naturale eis, asserendum erat: motum vero ignis sursum esse fugam à terra ad cognatum ignem: & terræ deorsum esse fugam à cælo inimico ad cognatam terram, vel materiæ delapsum, vt dictum est. Quare perperā Arist. ex motibus elemēta separat, sed à motu & quiete separanda erant. At si à motu, cum sursum & deorsum sint duo & non quatuor, duo elementa ponenda erant, & non quatuor: aqua enim & omnia grauia ad centrum vadunt, si quid non obstet. Leuia autem sursum ad peripheriam. Ergo cælum ex eo, quod perpetuo mouetur gyro, igneum existimandum erat: ignis enim motu priuatus extinguitur (ait Auer.) Ergo naturale est illi suo in loco ita moueri: quod etiam Arist. in primo Meteororum fatetur, dum Cometas ab ignis circulari motu in circulum ferri docet. Sed respondet Simplicius, & alij, hunc ignis motum esse violentum, quia à cælo rapitur in gyrum. Sed contra eos ipsemet Aristoteles in 2. de cælo 18. quod semper est, naturale esse, probat, quoniam violentum nullum durabile. Idem in cap. de Necessitate in quinto Metaphys. sed respondent Peripatetici & Simplicius, hunc motum ignis in gyrum non esse verè violentum, quoniam rapitur à corpore diuiniori.

Sed responsio nulla: quoniam Arist. non cognoscit alium motum nisi naturalem & violentum: vnde ait in tex. 15. non minus esse contra naturam ignis ferri deorsum quā in gyrum. præterea corporis diuinitas est potestas maior: ergo violentat magis. Non enim lignum, quia ab igne comburitur, corpore longè diuiniori, vim non patitur, nec non destruitur, sed magis patitur, & citius propriam amittit naturam, & transit in alienam. Et quidem Plato, contra quem Arist. probat, cælum non esse igneum, neque elementum, ab anima cælum moueri circulo, ponit: quæ diuinior est, quam corpus cæli.

Itaque respondere potuisset ad Arist. non esse violentum motum ignis in gyrum, vt Arist. putat, quoniam à nobilissima rapitur anima. Quapropter & Arist. & naturæ placita docent, ignem moueri in gyrum, & non violenter, si perpetuo. Ergo esse igneum cælum, velit, nolit.

Secunda Arist. ratio vana est contra Anax. nam licet cælum sit immensum respectu terræ, non tamen subito illam exurit: quoniam terra habet vires vnitas, quibus resistit viribus cæli sparsis, & vincit: sidera verò, quæ vnitas habent vires, procul sunt valdè, ita vt vires eorum, sicut species, vix candelarum vim ad terram habeant. Planetæ vicini sunt: sed minoris molis & roboris, quam vt terram exurant. luna, quæ citima est, vix calorem, qui per se possit se effundere, & manifestare, & lucere, habet, vnde à sole mutuatur vices eius. Sol vero qui ipsam exurere posset, distantia impeditur, & motionibus variis: non enim eandem semper terræ faciem oppugnat: sed quod hic in die destruit, reficitur à frigore in nocte: ita & in omni Horizonte. Mouetur quoque & à Tropico in Tropicum Annuo motu: & quod in æstate perdit, instauratur in hyeme in diuersis climatis. Sub Tropicis vero, vbi veniens & rediens reduplicat vires, omnia squalent & arenosa sunt climata, & tellus exusta. Quapropter non videtur, terram sol posse comburere, nisi passim; si enim in aliquo sisteret se situ, ibi tellus vreretur: & in opposito frigus sæuissimum contra cælum rigeret, & nil generaretur. Ergo temperauit Deus timore perditionis cæli, audaces solis vires, quo passim & vndique ipsam terram oppugnaret, & non penitus destrueret, sed secunda Entia, ideas diuinas manifestantia, produceret: donec passim prælij hujus occasione fiant omnia, quæ destinauit Deus & in fine prælij periodus generabilium absolueretur, & rerum noua facies resurgeret, vt dictum est: & Arist. ipse hoc fateri tenetur: quippe qui aërem vigecuplo terra maiorem, ignemque trigecuplo facit, & tamen terram non vrere, quamuis ipsi sit æquè calidus aër atque ignis. Ait enim, ablata ab igne siccitate & remanente caliditate, fieri aërem facilè, quoniam in symbolum habentibus facilis est transitus: vnam enim modo non duas qualitates corrumpi oportet: quod si ob sui tenuitatem non vrit terram ignis & aër, cur timeat à cæli tenuissimi

distantissimique viribus.

Ad 3. cum ait, ignis est rubeus, sol vero candidus, ergo non igneus: quasi rusticus loqui videtur. Manifestè enim & ignis candidus est, vbi à fumo nigro vel carbone non fœdatur: & cadentia sidera, quæ Aristoteli ignea sunt, manifestè sunt candida: in quibus nimirum minus opacitas crassitiesque materialis in est: porro in 3. Met. ipse Arist. deinde loquens, dicit, ignem esse natura candidum, at croceum fieri rubrumque à fumo, quemadmodum candida lux solis, à vaporibus fit rubra, viridis, crocea. Ergo sibi passim aduersatur: & vt præsentes tueatur positiones, semper alias, vel rectè positas, conuellit. At cur Mars saltem, Aldebaramque aliæque stellæ martiales rubræque, non videntur igneæ Aristoteli, sic ratiocinanti? quæ autem docet alias de solis & ignis croceitate in 2. lib. p.p. declarata & destructa sunt. Mox ad Pythagoram & Copernicum.

Rationes, quibus suadetur, sydera esse ignea, inaniter ab Aristotele solui, & stultè suaderi, solem non lucidum, nec calidum calefacere, & lucere.

ARTICVLVS IV.

QVONIAM vero omnes, qui in terra sunt ignes, à sole originem habent: alibi enim terram exurit conceptus in visceribus & exire non potens disponit ad incendium: alibi ad mineras auri, & argenti, & aliorum: alibi in fluores calidos, tepidosque: alibi in oleum: quæ à sole esse Arist. fatetur, Quos vero à confricatis lignis & lapidibus excipimus, à sole manarunt, qui terram in lapidem, & in Plantam, modificato calore suo liquefaciente, & indurante, & intus operante, conuertit. Vnde silex plus ignis, & sulphuris emittit vno ictu, quam pipernus decem ictibus: quoniam abundantiori calore constituta est. Alij vero ignes sumuntur ab ipsis solis radiis multiplicatis, auctisque in speculo, & transpicuis in rebus sui similibus: vbi vnio non facit esse quod non erat, sed colligit, roboratque quod erat. Ergo omnis ignis est à sole & ipse dat lucem & calorem, vt ignis. Ergo manifestè igneus est. Quod canit Eclesia sancta & testatur Ecclesiasticus sæpè, & omnes scriptura Dei, & August. & Basilius, & Ambrosius & Origenes & Dionysius, & omnes ferè sancti Patres & Philosophi omnium Nationum: licet Plato ex floribus elementorum cum Timeo ipsum componat: quoniam putat, non lucere ignem, nisi in materia solida, ergo terrea: nec esse tangibile cælum, nisi terra. Quod alibi reiicimus. quoniam lux transacta ampullas vitreas, in aëre tenuissimo vnitur, & lucet & vrit, vt ignis. Ergo potest in tenuitate absque soliditate calor magnus colligi. & non videtur afferendum, colligatam esse terram cum igne, oporteret enim alterum destrui: & quomodo violento motu perenni ipsa fertur, & ignis eius pondus vectat perenni fastidio, quis dicet? absint à cælo hæ calamitates, & ab Autore Naturæ huiusmodi infælicitates. At Arist. in 2. de cælo Tex. 41. & p. Meteor. 3. & 4. respondet, In sole & in stellis non esse lucem, neque calorem, sed fieri ab his attrito aëre, sicut in sagittis, & lapidibus, & lignis, quæ contrita & collisa vn untur. Maximè autem à sole id fieri: quia licet luna sit vicinissima, non tamen ita solida est vt conterat tantundem. Sed profectò contra hanc responsionem non modo oracula diuina & sanctorum, & Physiologorum autoritas, sed ratio, & experientia, & sensus reclamant: & primum, stultum esse auferre lumen sideribus, & in aëre attrito fieri, declarat Moyses, qui

Eccl. 43.

Deum fecisse luminaria: & stellas, vt lucerent die ac nocte, docet: huncque sensum habent omnes sancti, & omnes Nationes. Item luna prout soli sibi superiori obiicitur, qua respicit ad nos, excipit plus minusuè lucis. Si autem lux fieret in aëre per attritionem, semper illuminata esset tota, quà ad nos spectat, siquidem intermediat aër: & maximè in interlunio luceret, quando simul cum sole maximè verberant aërem. Et tunc plus caloris facerent: cuius vtriusque contrarium experimur. Vnde Peripatetici non audeut defendere Arist. in hoc sermone. Nam, vt testatur Auer. in lib. de subst. orbis, restituerunt omnes lucem soli, dictis Aristotelis non acquiescentes: ita vt aliqui proteruiter negent Arist. abstulisse soli lucem, & sideribus. Sed Alex. Aphrod. testatur contrarium, & similiter Simplicius in 2. de cælo Tex. 41. ait, quod si non negauit soli lucem Aristoteles, ergo neque ait, negauit calorem: nam respondendo argumento antiquorum (quod propterea igneum oportebat esse solem, quoniam lucet & calefacit) respondet sic, *lux & calor generantur ab Astris, attrito aere &c.* Et exempla eius idem declarant. Nam lignum non lucet, neque calefacit Et in primo Meteor. 3. ostendit, solam lationem cæli aërem ignite. Quapropter nequeas satis mirari posteriores Peripateticos, qui contendunt de mente Arist. cælum agere calorem per motum, & lumen: Cum *ille sufficientem esse* dixerit, *vnam solis lationem tantum disgregare aerem, & ignire*: vbi ly *vnam*, & ly *tantum*, excludunt prorsus lucem. Si enim Aristoteles astris cœli dedisset lucem, vtique & calorem dedisset. Quis enim lucem non calidam esse audeat dicere? & lucem, & calorem vniuocum nostro fieri per attritionem. Nec quippiam de luce non calida, aut de igne æquiuoco, vt fingunt quidam. Sed quod latione atterente ait, manifestè falsum est. Tunc enim quæ cœlo propinquiora sunt, calefaceret magis, quoniam plus attritionis participarent. Hoc aut falsum ostendunt montes frigidiores, vallesque calidiores à luce vnita. Et quidem plus caloris est in luce distanti à cœlo, quam in vmbra vicina.

Præterea, ea modo contrita & collisa igniuntur, & lucem, caloremque emittunt, quæ solida sunt, & calore innato, sed sopito constituta sunt, vt lapides & ligna, à sole calido genita.

Manifestè enim, non ligna viridia, sed arefacta à sole, citius incalescunt: nec lapides omnes æquè calorem euomunt, sed silex & marchasita plus, in quibus plus est sulphuris, & caloris: Cæteri lapides, in quibus est minus, minus emittunt, licet pluribus percussi ictibus, vt declaratum est. At aër non suscipit ictus, sed subito diffugit, & alter frigidior succedit, ita vt potius frigus per motus accersias: neque solidus est, qui in crassitie calorem irretitum contineat, sed sparsus, & qui attenuatione facta per attritionem spargatur magis. non ergo potest tantam lucem & flammam, quantam in æstate facit sol emittere, neque tantillum. Si enim aërem contundas, vel in folliculis, vnde non effugiat, nunquā igniri videbis. Quapropter stulta est Aristotelis comparatio, & contra Naturam. Et Seneca & Lucretius sine experimento loquuntur: nec enim sagittæ neque pilæ plumbeæ, imo nec cereæ sclopetorum ignitæ, motu liquescunt, sed frigescunt. At neque illud docet vnquam, quo nimirum pacto sol regulatissimo motu illi delatus possit aërem distantissimum à se per innumera milliaria, flagellare, & ignire. Et quomodo nō flagellat intermedium cælum Lunæ. Et quomodo Luna non æqualem faciat calorem, & maiorem. Nam licet ipsa sit magnitudine minor, tamen vicinitas compensat magnitudinem: vnde Diameter Lunæ videtur æqualis diametro Solis: Ergo & vires æquales sunt respectu suppositi aëris. Ad hæc nesciunt quod dicant Peripatetici; sed illud vnum modo Aphrod. conatur declarare, quod non tangens aërem sol potest percutere aërem, non percusso cælo: quoniam torpedo non stupefaciens funem, Piscatoris manum stupefacit. Quod neque Peripateticis placet. Nam torpedo aliquam qualitatem, & vaporem immittit per funem; & licet nos funis affectum non sentiamus, sed nostrum, tamen aliquo pacto oportet affici iuxta esse suum: Sagitta occidit auem, sed non aërem, per quem transit, sed tamen aliquid facit in aëre.

Præterea hæc nō est qualitas quędā, sed motus est impulsus, qui non potest ad extremū peruenire, nisi medio impulso, flagellaret ergo sol cælum. Et cum sit Arist. de quinta essentia impassibili, non posset pati, nec ad aërem deferre passionem. Propterea Phyloponus Princeps inter Peripateticos, Aristotelem hic derelinquit, Moysi & sanctorum dogmati adhæret. Themestius tamen fingit nescio quid de soliditate impacta magis in sole. Et Auerr. similiter, & per illam grauari aërem. quod cum benè fingere non posset, quoniam cælum non deprimit, neque grauat; tandem putat, lucem esse calidam æquiuocè; &, vt alij dicunt, in virtute, & per lucem sydera calefacere: sed hoc est contra Arist. dogma: cui nimirum si lux est in sole, itidem calor est. Et cum videret lucem facere calorem nō æquiuocum, sed vniuocum; nam facit ignem in speculo similem nostro igni, concludit: *Aut fortasse consimilis erit lux causa caloris, & non est inconueniens copulatam esse calori, & cum eo ad nos venire, &c.* vbi sanè mussitando fatetur lucem esse causam consimilem (hoc est) vniuocam caloris. sed alibi ait, calor cælestis generat: elementaris destruit; ergo sunt dissimilis naturæ.

At quidem mentitur, quoniam ignis à sole factus etiam destruit & generat, vti noster ignis, & sol vbi directus imminet & potens est, destruit, vt patet in æstate, & sub tropicis omnia corrumpente Entia, blando constituta calore; sed tamen simul generat vaporem & tenuitates. at in vere generat Entia blādo calore constituta, quoniam blandus est eius calor à longinquitate: in hyeme verò pauca generat, quoniam à longè est, & frigus eius opera destruit: tamen pluuias facit, & sub terra mineralia. Ad pauca ergo respexit Arist. Ignis quoque noster propinquius vrit; distans fouet nos, blando calore constantes, & generat vermes serici in Calabria à longè positus. Et in combustis syluis & stipulis eius vis remanens, terram fœcundat, & fumum facit, vt sol, & alia omnia: & à solis radiis suscipitur. Fit autem similis Arti, vbi modificatur, sicut & ille. Idcirco alij Peripatetici putant lucem non esse calidam, nisi virtute, & posse generare calorem reflexione, vt patet in speculis. sed reflexio nihil dat, sed tantum vnit colligitque lucem. Ergo erat calor in luce dispersus, & nobis insensibilis, sicut est in luce syderum cadentium, & ignis à nobis: At à reflexione vnitur, & fit fortior & sensibilis, quod in luce nostri ignis quoque euenit si speculum & phialas opponas. Et quomodo non calida lux facit calorem disquirunt, & nunquam inueniunt. Sed dicunt solum esse calidam in virtute & potentia. Et nos declarauimus, potentiam esse aliquid actus: & in actiuis rebus esse ipsum actum; quare ponere virtutem caloris absque calore in Physicis est ridiculum. Nulla enim actio absque agente virtute, imo in simplicibus virtus est idem cum essentia etiam secundum D. Thomam. Item nec virtus agens absque essentia agentis potest dari, alioquin, & essentiam frigoris in igne ponere, virtutem verò caloris possemus: & fingere quodlibet contra sensum, & rationem Entis. Profecto S. Thomas probat, neque Angelos posse calefacere sine calore, quantominus cælum. Deus solus habet rerum omnium Entitates, & ideo sine illis facit quod illæ: non autem creatura vlla. Alij dicunt lucem reflexione irritari, vt animal & calescere, vti nos ira. sed cum Aristoteli lux stupida sit, & nil sentiat, quomodo irritari possit, nunquā declarabunt: & nunquid in perpetua permanet ira? Neque si sentiat & irritetur, calescat. Nam frigus irritatur, & tamen non calescit. Animal autem calescit, quoniam calidum est, & à commotione iræ calor excitatur & augetur; quia est Natura sui multiplicatiuus. Ergo si lux ita irritatur vt calescat, prius calida erat parum, & per iram augetur calor magis. Alii putant, à cælo sicut à primo alterante fieri omnes alterationes, ac primum esse calefactionem. sed hoc nihil ad Arist. dicta confert. Dicimus & nos, esse primum alterans, & vires alterandi habere, quę sunt calor: quomodo autem aliter alterare queat, neque Arist. neque sequaces fingere potuerunt, vt ex dictis patet, cum solus Deus id possit, qui est omnia causaliter & eminenter. Neque fingeret vnquam quo pacto cælum frigefaciat, dum calefacit. Agit enim motu & lumine, quorum vtrumque est caloris minister in dogmate Aristotelicorum. At nos in Physicis iam ostendimus, lucem esse caloris faciem: siquidem vbi vnitus est calor, & se ipsum manifestare potest, lucet quibus manifestatur; lux enim eius est manifestatio. vnde in candela lucet quamdiu est vnitus; at flammæ sursum elatæ & dispersæ, non amplius lucent nobis quoniam illarum calor dispersus non valet oculos subire nostros. sed noctuas videre aëris luce, palam est, & fortè feles, & nigra animalia quoniam spiritus oculorum habent exiliores, à tantilla etiam luce passibiles. Omnis au-

tem lux calida est, quoniam disgregat spiritum visiuum: licet tactui crassiori non sentiatur Motum quoque caloris esse operationem docuimus; & non generare calorem, sed latentem excitare, & fouere, sicut operatio operantem. Patet enim quæ frigida sunt, torpere & quiescere, & gelata stare: quæ verò à calore corripiuntur, fluere in vapores agi, & moueri; vt qui hoc neget, sensu indigeat. Quapropter lux & motus cæli, indicant eius calorem viuidissimum vt effectus causam; & non efficiunt illum apud nos, sed efficiuntur ab illo.

DIVERSÆ SENTENTIÆ LEGISLATORVM, *Astrologorum, & Physiologorum, & Theologorum de substantia cæli; quæ vltra ignem in eo ponunt alia elementa, & systemata, proponuntur examinanda.*

CAP. IV.

AT quoniam ad dogmata multa agnoscenda & examinanda, cæli substantiam nosse necesse est, quid sapientes orbis sentiant in hoc, dicere non grauemur; præsertim qua ratione aduersantur nobis. videmur enim tollere diuinationem per Astra, si omnia eiusdem naturæ ponamus: nam & si sol sit igneus, non tamen sydera & cælum subitò ignea quoque erunt. Ptolomęus quidem probat, Saturnum esse frigidum, & siccum; Iouem verò, & Venerem, calidos humidosque, sed illum magis. Martem calidum & siccum, similiter & solem, sed illum sicciorem: Lunam verò frigidam, & humidam; Mercurium autem omnis qualitatis participem, prout ad solem, & ad sydera configuratur. Idcirco cum omnes stellæ sint de Natura alicuius ex Planetis, videntur & ipsæ frigidæ esse, vt Algol. & Fomahand. Hoc autem probat effectus. Nam Saturnus niues & grandines ciet; Luna verò pluuias facit, & maria tumefacit, & aquis præsidet, & animalibus aquaticis: & à Saturno & Luna assiderati homines morbos patiuntur frigidos, vt Apoplexiam, Epilepsiam, dolores, & destillationes, vt chiragram, sciaticam, podagram. & hoc ex signorum viribus, in quibus existunt. Nam quædam videntur esse frigida & humida, vt Cãcer, Scorpio & Pisces: quædam calida & sicca, vt Aries, Leo, & Sagittarius: quædam frigida & sicca, vt Taurus, Virgo, & Capricornus; quædam calida & humida, vt aër, sicut Gemini, Libra & Aquarius. Et iuxta syderum qualitates, dant illis dominatum super corpus humanũ: vt sanguini Iupiter: semini Venus; flemmæ Luna, & cerebro; Mercurius spiritibus, Saturnus lieni & atrabili; Mars felli & renibus, & choleræ præsint. Similiter ætates Planetis distribuunt, & partes corporis signis cælestibus, vt Aries capiti, & Pisces pedibus, & media mediis dominentur. Item primam domum horoscopantem capiti assignant, cæteras cæteris membris vsque ad duodecimam. Et omnes ferè Astrologi ita his inhærent, vt putent, nullam diuinationem fieri, his peremptis. At & Plato videtur eis fauere, quippe qui ex elementis quatuor componit cælum, vt à Timeo Pythagorico accepit. Pythagoreorum tamen plerique autumant, præsertim Philolaus Crotoniata, stellas omnes esse Mundos, & in qualibet stella inueniri ignem, aërem, aquam & terram, & homines & animalia & Plantas, & nos esse in stella telluris, in qua sunt primo Tellus, & ignis in centro eius, vt voragines Vulcani & Ethnæ, & Puteolanæ, & aliæ multæ (teste S. Gregorio) admonent; & ita sentiunt omnes ferè religiones Mundi, ponentes infernum in centro ardere perpetuo igne ad cruciatum animarum prauarum. Super terram verò aquam & aërem: ex quibus solis relucens lux, sicut ex Diaphanis, ostendit, aliarum habitatoribus stellarum terram nostram esse sidus quoddã. Hoc autem Luna declarat, quæ non lucet nisi lumine solis: & maculas in medio habet à propria terra, quemadmodum & nostra stella maculosa aliis fortè videtur: & tandem Iupiter per Telescopiũ conspicitur maculosus. Et venus cornuta crescens decrescensque instar Lunæ. Præterea si solus ignis essent stellæ omnes, æqualis eiusdemque coloris candidæ essent omnes. Sed Saturnus est plumbeus, Iupiter argenteus, clarusque; Mars rubeus: Venus lactea, Luna subcrocea, Mercurius variè micans. Ergo aliquam habent commistam cum igne naturam. Mirum etiam qui Lunæ maculæ, sicut vmbrosæ nubes. Idcirco videri debet non ignea, sed magis terrea, & ex parte aquea, in quo illustratur à sole. & sicut docet Mestellac, & alij Prospectiui, stellæ omnes à sole mutuantur lumen: Ergo videtur alienæ etiam esse ab igne naturæ. Idem possunt cometæ declarare: qui non, vt putat Arist. sub Luna modo fiunt, sed etiam cum Ioue fieri visuntur, & in cunctis altissimis stellis. Ergo vel sunt stellæ nouæ, quarum aspectus nobis subtrahitur, & ostenditur, prout à solis luce versus nos illustrantur, aut non illustrantur, vt Luna: vel sunt vapores propriis è stellis educti, illuminatique. Nam vapores nostræ Telluris vsque ad Saturnum ferri, impossibile est in copia tanta, qua sidus faciant longè excedens non modo terræ nostræ quantitatem, sed etiam planetarum omnium. Qualiter apparuit tertio ante anno transacto, quod duo occupabat signa. Vapor enim antequã eousque eleuetur, dissoluitur à sole & à cęlo, si est igneum. Item scribit Thycon, cuius libros mihi adhuc videre non licuit in anno 1572. nouum sidus in stellata sphera non comatum apparuisse, absque parallaxi per menses 14. nec situ, nec facie ab aliis differens. Antiquissimi etiam scriptores id docuere. Anaximenes enim sydera esse putat, aliquando apparentia, aliquando sese occultantia. Multa ergo cælat nobis cælum systemata. Nam & ipsa Luna propè synodum solis à nobis non videtur, & cum est in quadrato, pars dimidia, quæ non illustratur apparet omninò similis cælo, & non esse pars Lunæ, sed Cæli: vndè Astronomi antiquiores suspicati sunt, Lunam non esse rotundam, sed scaphoidem;

quod tamen aliquando circellus quidam etiam in semiplena, falsum ostendit. Huic sententiæ Copernicus fauet, qui solem in centro vniuersi ponit, & sex stellas circa eum vagari, scilicet primo Mercuriũ, deinde Venerem, deinde Tellurem, cuius pedisséqua est Luna; nam hæc manifestè videtur terram circuire, & non solem nisi cum terra, aqua, & aëre: ex quibus omnibus fit orbis vnus magnus: supra terram ponit Martem, deinde Iouem, postremo Saturnum. Et tandem spheram stellatam, quæ immobilis perpetuo, sed nobis in gyrum euntibus videtur ipsa & sol gyro ferri. Eadem enim apparentia est moto oculo ac visibili. Plato quidem terram moueri vult cum Timeo, sed in centro Mundi in 24. horis, & ad hoc videri orbem totum in totidem circuire. Non enim potest tanta machina tam paruo tempore circulum penè infinitum, nisi apparenter, vt credibile est mensurantibus gyrum Cæli. Sed non videtur Copernicus reddere causam omnium apparentiarum, præsertim motus fixarum nuper deprehensi in posteriora; & obliquitatis restrictionis: nisi etiam tellus moueatur ab occasu in ortum motu proprio diario, & motu alio communi, sibi & orbi magno, cui est ipsa centrum, feratur in successione signorum annua: non enim minus temporis requirit ad tantum ambitum peragendum, & dum cum Planetis ita mouetur in 365. circulationibus diariis, non æquari motum annuum cum motũ diario; idcirco præueniri æquinoctia, & solstitia, ac videri fixas ab occasu in ortum retrocedere quinquaginta ferè particulis secundis gradus vnius; & propterea Saturnum, Iouem, & Martem videri subliminiores cum Soli coniunguntur, quoniam sunt ex opposita parte diametri transeuntis per solem à terra ad illos: quando verò sunt in opposito apparere grandiores, & terræ propinquiores, quoniam terra est inter eos & Solem. vnde & retrogradi videntur, & tardiores prout magis à sole distant, & nos videmus eos in situ ad fixas eodem, vel vario magis minusque: propterea Venerem & Mercurium semper cum sole incedere videri, quod sunt inter nos ac Solem, qui est centrũ omnium; & nunc videri supra Solem in Apogeo, nunc in Perigeo: neque posse inspici talibus in locis, quod recta supernè & infernè lux solis ferit oculos nostros: quod non euenit aliis Planetis sublimioribus, nisi in synodo. Et ad probandam hanc sententiam phenomena adducit, quę per alias hypotheses declarari nequeunt. Et Ptolomei dogmata continere errores, etiam in Mathematica, quoniam super alieno centro dat sphæris regularitatem in motu. Ex quibus dictis sequitur, cælum ac terram esse longè alienæ naturæ, quam nos scripsimus. Fauet illi Moyses vocans Cælum firmamentum immobile: per firmamentum autem plurimi sphæram stellatam intelligunt. Et videtur fauere D. Chrysost. super Gen. & eius præceptores Eusebius, & Diodorus Episcopus, & Procopius Gazęus, & Iustinus, & Lactantius. Theologi præstantissimi, qui licet solem & sydera moueri dicant, tamen Cælum immobile esse existimant, quod etiam D. Augustinus possibile esse docet in 2. super Gen. Præterea aliqui Theologi volunt supra Cælum stellatum (quod Empyreũ alij vocant, alii quod superius dicunt esse Empyreum) tegi magna aquarum mole: quoniam dixit Moyses, quod Deus diuisit aquas, quæ sũt super firmamẽto, ab aquis quę sunt sub firmamento. Has aquas, quas Dauid, & Daniel tegere Cælum testantur, alii putant esse Cælum Chystallinum, aquæ persimile in transpicuitate, vt Nazianzenus; alii esse veras aquas, vt Rupertus & Bonauentura: Alii Angelos aqueos, vt Origenes; sed profectò si aquæ sunt in Cælo potius videntur esse, quas Pythagorici in systematis sydereis posuerunt. quod nostro Stelliolæ valdè placet; & recentiores scribunt, Solem etiam componi ex quatuor Elementis, sed à multa luce, ad nos emissa, eius opacitatem nobis occultari: & fauet illis Galilæi obseruatio de maculis solaribus. D. Thomas etiam in p. p. Cælum de quinta essentia componi, vti Arist. putat, impossibile dicit; nisi metaphoricè textum Moysi de aquis super Cælo, & de firmamento post facto ex mutabili Cæli materia, exponamus. Melius autem conuenire cum Moyse Platonem, facientem Cælum igneum. Sed optimè Empedoc. ex quatuor Elementsi. Mahomettus etiam tot Nationum magister fabulosus non modo ponit aquas super Cælo, ex quibus Saturnus frigere potest, vti S. Augustino videtur, sed mare turbulentum, & postea clarum, postea viride, deinde spatia multa, deinde montes, & terras multas: deinde luces, & alia systemata sine fine; deinde sedem Dei, ornatam stellis affixis, sicut clauis, quam Angeli deferunt, quorum magnitudo est tam grandis, vt ab altero oculo in alterum vnius Angeli volans auis in mille annis non perficiat iter. Potest autem hæc probare dictis autoritatibus, & ex benedictionibus Iacob, & Moysi morientium, qui nominant imprecantes, fructus Solis & Lunæ, & colles æternos. & Dauid ait, iustitia tua vt montes Dei, & de beatitudine, *Fundamenta eius in montibus sanctis.* & cum tot Nationes huic sententię applaudant, & ex systematis Pythagoricis probari possint, & ex pluribus mundis Epicureorum, & ex apparitione cometarum etiam apud Iouem. & ex contrariis stellarum influentiis, motibus, coloribus, & sitibus: non videmur rectè posuisse Cælum igneum, & mobile. Terram verò frigidam prorsus, & immobilem. Clemens Romanus ex dictis Apost. Petri, aliud Cęlum ponit supra visibile cælum, longè diuinioris naturæ. D. Augustinus putat, Cælum ex aquis constitutum esse. Et Eusebius, Aquas esse principium rerum cum Talete statuit; & textus Hebraicus cælum vocat hascimaim, quasi quid aqueum, & Pythagoras fuit Iudæus genere vt S. Ambrosius, & Clemens Alex. testatur: vnde delectum ciborum, & aquas super cælestia, & firmamentum à Moyse videtur mutuatus. Idcirco rerum originem iuxta materialia principia indagare nunc conuenit.

PROPONIT SE PRIVS DICTVRVM DE *rerum origine prima, iuxta Physicam à Theologia non errantem: vnde principia substantialia orbis pateant magis.*

CAP. V. ARTIC. I.

CVM omnia faciat Deus, tamen secundas causas ad rerum productionem adhibet, vt ex prioribus constat sermonibus: cùm vt modificatio virtutis suæ rerum modulis per eas conueniat; tùm, vt res ipsæ non modo esse, sed causare participent à Deo. Si enim nulla ageret causa, non se inuicem contraria oppugnarent, & res primæ à Deo factæ, ita vt factæ sunt perpetuo permanerent, nullo oppugnante, nulloque patiente. Quapropter rerum originem primarum à Deo describere libet, secundarum vero ab ipsis primis cum Deo agentibus; vnde Moyses sapientissimè, Deum creasse Cælum & Terram tanquam duo prima elementa docet; & deinde ex his cætera iussisse vt fiant, tanquam ornatus ipsorum. Et quamuis omnia simul fecisse potuerit, sicut etiam Augustinus fecisse putat, declaratque dies sex creationis Mosaïcos esse signa originis alterius ab altera, diesque Angelicæ notitiæ; Nihilominus Basilij & Origenis, & Chrystomi, & Ambrosij altum sapit sententia, qui successionem dierum Physicorum Mosaïcè asseuerant; eo quod Deus creator simul, & præceptor naturarum tunc erat: præceptoque docuit artem causandi alteras ex alteris, sicuti successione fieri videmus. Porro quoniam Moyses Populo rudi seruitiis laboribusque assueto, rerum originem à Deo Legislatore suo ostendebat, prout capere poterant (attestantibus prædictis patribus) locutus est magis, quàm prout rei altitudo postulabat: aliis inuestigationem subtilem ex suis relinquendo dictis: idcirco nos in prouecta Mundi ætate sapientioribus populis penitius introspicientibus ob religionis doctrinam fulgentiorem, aperiemus iuxta Physica nobis posita principia latentem mirificè veritatem.

DESCRIPTIO ORIGINIS RERVM EX *primo Geneseos Moysi.*

ARTIC. II.

DIxit Moyses. *In Principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis, & vacua; & tenebrę erant super faciem abyssi; & spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris: Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. Factumque est vespere, & mane. dies vnus. Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis; & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firma-mentum, & factum est ita: vocauitque Deus firmamentum.* Cælum, *& factum est vespere, & mane dies secundus. Dixit verò Deus congregentur aquæ, quę sub Cęlo sunt in locum vnum, & appareat Arida: & factum est ita, & vocauit Deus Aridam* Terram, *congregationesque aquarum appellauit Maria. & vidit Deus, quod esset bonum; & ait. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens semen iuxta genus suum, cui semen in semetipso sit super terram: & factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque semen secundum speciem suam: & vidit Deus, quod esset bonum: & factum est vespere, & mane dies tertius. Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento Cęli, & diuidant diem ac noctem; & sint in signa, & tempora, & dies & annos, vt luceant in firmamento Cęli, & illuminent terram: & factum est ita. fecitque Deus*

que Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus vt praeesset nocti, & stellas; & posuit eas in firmamento Cęli, vt lucerent super Terram, & praeessent diei ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. & vidit Deus quòd esset bonum, & factum est vespere, & mane dies quartus. Dixit etiam Deus: Producant aquę reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento Cęli: Creauitque Deus Cęte grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem: quam produxerant aquę in species suas, & omne volatile secundum genus suum: & vidit Deus quod esset bonum. Benedixitque eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: Auesque multiplicentur super Terram. & factum est vespere & mane dies quintus. Dixit quoque Deus: Producat Terra animam viuentem in genere suo, iumenta, reptilia, & bestias terræ secundum species suas, & iumenta & omne reptile terrę in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, & ait. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus Maris, & volatilibus Cęli, & bestiis, vniuersęque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram, & subiicite eam: & dominamini piscibus Maris, & volatilibus Cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semẽ super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis, quę mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum; & factum est vespere & mane dies sextus.

Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat, & benedixit diei septimo & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret. Istæ sunt Generationes cæli et terræ quando creata sunt, in die, quo fecit Deus cælum et teram, et omne virgultum, etc.

ANTE SACRI TEXTVS DECLARATIONEM, dicendum, si Mundus incepit post suum non esse. i. ex Nihilo, num possit ab æterno incæpisse, atque esse coæuus Deo, &c. Atque vtrum potuerit fieri ante principiũ temporis, quo incepit, & habere plures annos, vel horas, quàm habet, inquiritur, & vix concipitur solutio quæstionis.

ARTIC. III.

VTRVM mundus fieri potuerit antequam factus est, ita quod ætas illius plures contineat annos solares supra quinquies millia quingentos & octoginta duos, quos nostro tempore plerique numeramus, & de quibus inferius disputabitur, non facilis hic agenda est quæstio; Quamuis Theologi multi plures annos ante sui primordia mundo potuisse Deum dare, facilè asseuerent. Sed profectò, si ante Mundum non erat tempus, nisi imaginarium, nec aliqua successio, sed pura æternitas, quæ non nisi vnum habet Nunc, expers successionis omnis; nec Mundus fieri potuit in æternitate, sicut antiquiores Theologi docent, Iustinus, Tertullianus, Athanasius, ac primi Concilij Nicæni Patres argumentãtur; quoniam esset coæuus Deo, quem suum Non esse haud præcessit vllum. Finitum enim esset ab illo non esse: nec enim finitas ante aut post potest esse, nisi à non esse; nec potest dari non esse ante aliquod Ens stabile vel successiuum, nec post, nisi finiat illud, vt patet in omnibus ante & post: Igitur necesse fuit Mundum creari in primo nunc temporis, quod fuit successio eius Esse ad eius Non esse. Sed primum nunc temporis, non dat nobis vltra 5582. ergo non potest ante plus

ætatis habere; ſicut nec motus potuit incipere ante primum ſuum momentum, nec linea hæc ante ſuum primum punctum. Alioquin ſi poſſet ante, & iterum, &c. abiremus in infinitum, cuius non eſt principium; nam & propterea negant doctiores Mundi æternitatem à parte ante, quoniam nunquam peruentum eſſet ad diem præſentem, ſicuti à die præſenti retro numerãdo nunquam ad primũ peruenimus, alioquin non eſſet infinitum quod præceſſit. Etenim oſtendimus omne Ens finiri à ſuo Noneſſe, ſiue ante ſiue poſt, vt linea à ſuo Noneſſe ante primum, & vltimum punctum: & motus à primo, & vltimo Noneſſe, quod eſt poſt vltimum eſſe, & primum eſſe. Quapropter ſi ante Mundum & tempus præceſſit Nihilum ipſorum verè, finita verè ſunt à parte ante: non ergo poteſt principiatum poſt Nihilum, eſſe Infinitum, & coæuum Deo æterno, id eſt, infinito. Quapropter Arabes quidam propriam vocem ignorant, cum dicunt potuiſſe ab æterno vſque ad nos fieri ſucceſſionem, vel indiuiduorum, vel circulationum ſolis. Accipiunt enim illud æternum quaſi Principiũ, & pars temporis, & quod imaginarium eſt, faciunt reale, ſicuti qui ponunt alia nunc ante tempus, & alia loca extra locum vniuerſalem: & qui partes infinitas ad compoſitionem finiti adducunt, & qui inter extrema puncta infinitam diuiſionem fieri poſſe imaginantur, infinitatemque partium, in quas diuidi queat, inexiſtentes. Neque enim diuidi poteſt in eas, quæ non inſunt, vt & Ariſt. & D. Thom. in 5. Metaphyſ. confitentur.

Auic. & Auer.

Præterea D. Thom. in quodlib. 5. probat quod Deus ſcire non poteſt primum inſtans, in quo Mundum creare poſſet; alioquin (ait) non potuiſſet, niſi in illo inſtanti creare. Potuit ergo (inquit) creare ante infinitum infinitate potentiali, quia quocunque dato puncto poteſt ante illud, & iterum ante, in infinitum exordiri. Non autem infinitate actuali, ex quo fuit Deus. At quidem iſte ſermo innititur in dogmate illo (omne continuũ eſt diuiſibile in infinitũ, ac ſimul aggregabile) quod nos perfectis rationibus exploſimus, & hoc dato, adhuc non in veris, ſed in imaginatiis nunc infinitis ante primum nunc temporis innititur. Sed æternitas non præcedit tempus tempore, nec duratione ſucceſſiua, ſed forſan natura (vt aiunt) At forſan nec ſolum natura, ſicut lux radium, & ſicut eſſentia proprietatem; ſic enim eſſent coæua, & eiuſdem ordinis. Auicen. autem & Auer. volentes Ariſtotelizare putant ab æterno Mundum potuiſſe creari: Quod Patres negant, quia Nihilum præcedit creatum eſſe. Æterno autem nihilum non eſt prius, nec enim ab æterno æternum eſſe poteſt, id quod eſt poſt ſuum Noneſſe, veluti Patres argumẽtantur contra Arium in Con. Nic. 1. dicentem, quod filius Dei potuit creari ex nihilo ab æterno. Idem D. Tho. in 2. Sent. ad Hannib. q. 1. Sed reſp. Auic. quod nihilum eſſet prius non duratione, ſed natura: quoniam prius eſt Noneſſe Entis creati, quod habet à ſe, quã eſſe, quod habet ab alio. i. à Deo. Hoc tamen ſtare non poteſt, primo quoniam tractat de Noneſſe rei tanquam de Ente per ſe, quod accipit per accidens Entitatem ab alio; id quod eſt falſum: imo non eſſe, cum accipit eſſe, accipit deſtructionem ſui, ſeu Noeſſe ſui, i. nihilitatis ſuæ, vt ita loquar. Præterea id dicitur præcedere ſecundum naturam quod communicat in natura cum eo, quod ab ipſo procedit: & ad quod neceſſario ſuccedit, quod eſt poſterius, ſicut radius Solem, & Riſibilitas rationabilitatem, vt Auer. in lib. de Subſtantia orbis, & in Metaph. 12. & D. Thom. in loco allegato, docent. At nihilum non communicat cum Ente in natura, imo ſunt omnib. oppoſitionib. oppoſita; nec ad ipſum nihilum neceſſario ſequitur Ens: Alioquin neceſſe eſſet mundũ ab æterno creatum eſſe: & non eſſe Petri non præcedere tempore eſſe Petri, ſed natura: ſed hæc ſunt abſurdiſſima, ergo non potuit Mundus eſſe antequã fuit, ſi non poteſt eſſe coæuus Deo, & coæuus nihilo. ergo enim & Deus, & nihilum eſſe coæua. Inſtat Auer. ſicut ſol, ſi eſſet æternus, præcederet ſuum radium coæternum ſolum natura non duratione, ita Deus Mundum. Sed fallitur, radius enim eſt de natura Solis, nec radij non eſſe præceſſit radium in ſole, ſed mundus non eſt de natura Dei, nec neceſſaria emanatione eſt à Deo vt eius Proprietas, ſic. n. nõ eſſet ex nihilo, nec poſt nihilum, imo eſſet Deus. vana ergo reſpõſio. Alij dicunt ſi pes ab æterno fuiſſet in ſabulo ſitus: veſtigium pedis à pede diſtinctũ coæternum eſſet Pedi, ac ſimul effectus illius diſtinctus ab illo. Sed quidẽ hæc ſimilitudo fallit etiam, nam præſupponit eſſe Pedem ſimul cum veſtigio, quod neque eſt imaginabile, & ſimul petit Principium. Hoc enim quærimus quomodo effectus à cauſa diſtinctus poteſt eſſe, & cauſatus ſimul. Si. n. diſtinctus & cauſatus, ergo poſt & non ſimul: alioquin cõtradictio eſſet in ſermone, eſſet ſimul etiam & non ſimul.

Redeuntes igitur ad quæſtionẽ non videmus quo pacto Mundus potuerit creari ante inſtans primum temporis, in alio inſtanti, niſi imaginario, nec quomodo æternitas præcedit tempus non ſolum natura ſed duratione, quę duratio non eſt æternitas, cũ non ſit ſucceſsiua. Et in qua duratione locum nõ habet tempus, ergo nec Mundi exordium in principio tẽporis. Nec tempus poteſt conuerti in æternitatem, nec æternitas in tempus: ergo Deus non potuit facere Mundum antequam fecit anterioritate temporali realique, ſed nec æternali. Dicit Salomon ad Deum, *ſicut momentum ſtateræ, & ſicut gutta roris antelucani, ita ante te Orbis terrarum*, ergo momentum eſt tempus ad æternitatem, & gutta entitas Mundi ad immẽſum Mare primi entis. Igitur tempus non eſt ante neque poſt æternitatem, ſed quaſi intra, & infra ambitum ſuppoſitũ coexiſtens æternitati vt dicit S. Thomas. Et qui eſt in æternitate videt, quaſi deſuper Turri tranſeũtes, temporalia omnia ſimul, quamuis inter ſe diſtent, ſicut iſtæ literæ inter ſe, quæ oculo meo ſimul ſunt. Porrò ſi totum tempus eſt quaſi momentum infra æternitatem & æternitas eſt collectior momento, & ſine ſucceſsione reali, quæſtio remanet inſoluta, niſi detur aliqua duratio, quæ non ſit tempus nec æternitas. Adducere æuum pro medio eſt petitio principij, ſi enim in principio æui inſtantaneo creatus eſt Angelus, adhuc reſtat quæſtio de puncto anteriori, in quo factus eſt Angelus, vtrum fuiſſe poſſet.

DECLARATIO LVCVLENTIOR ORIGINIS *rerum & principiorum & elementorum iuxta Physicam nostram à S. Theologia non aberrantem: vbi duo principia paßiua, duo actiua, & tres magni influxus res constituunt, ad ideam primi Entis* IEHOVA *iubentis.*

ARTIC. IV.

IN principio igitur successionis rerum, quando ex Non esse successit Esse, antequam corpora prima à primo Ente manarent in spatiositate mẽtali, quam substẽtat spatiositas infinita superemi-nẽtialis supersubstãtialis deitatis, spatiũ vniuersale Mathematicũ, in quo ipsa locanda erant corpora factum est, teste S. Ambrosio Epist. 31. tanquam basis & substantia prima immobilis, & incorporea vt possit capere corpora mobilia, idcirco longa, lata, & profunda incorporaliter, vt corporibus longis, latis ac profundis commensurabilis, aptaque locandis foret. Idcirco sibi simillima; & omnibus, vt omnia posset concipere; differentiæ enim loco à corporibus locatis, non à loco oriuntur: oportet autem origine præcessisse locum, hunc locata, nõ autem tempore, vt exprobrat Auer. Nec quidem inquirendum est, vbi erat Deus ante locũ: ipse enim solus in se, cætera in ipso sunt, & locus. Nec inquirendum est, vbi locatur locus: siquidem locus est, non locatus; verbo namque virtutis Dei substinetur intus, & vbique, extraque: & neque cur non moueatur. ad locum enim moueretur; potest ergo & scit, & vult locare, quoniam ad hoc factus est in Deo, & à Deo omnipotente, omniscio, omniuoloque: & ipse est principium egressionum à Deo, & Fati, & Harmoniæ sedes, & pars. Nec ex alio factus est loco, sed ex nihilo. Et extensum est super nihilo rerum; sed super esse diuino substentante omnia intrinsecè subtus; & tamen eminenter vt causa. Hic caue deliria Mahometis, quod mundus teneatur super columna, columna super fonte, fons super Colubro, &c. vnde hæc reprobentur ostendere nil curamus, quoniam fabulæ sunt, sicut illa Talmutistarum, quod Deus plures Mundos fecisset, & destruxisset; quoniam nolebat in otio viuere; sed tamen nullam sibi placuisse formam, nisi Mundi nostri, & hanc seruasse. Isti enim sentiunt de Deo tanquam de figulo addiscente, vt ex dictis reprobãtur. Post locum posterioritate saltem naturæ creauit Deus materiam primam, quæ est corpus rerum inconstructum, & informe, & iners, absque numeris, aptum ad omnem formam, & artem, & operationem, & numeros: idcirco fuit diuisibile vsq; ad atoma, & condensabile, & rarefactibile, & terminabile ad omnes ideas, vt ex eo cuncta corporalia fieri possent; rem per se idcirco passiuam modo, non multiplicatiuam, nec generabilem, nec augmentabilem, nec minuibilem. Non ergo fecit primo, vt dicit Mahometus, plumam ad scribendum, quę futura erant, nisi intelligat ideam, (vt Persiana forsan vult hæresis,) quæ tamen est æterna, & in mente Dei. Nos autem ex arte, & Natura didicimus, præesse locum cuilibet effectui, & mox materiam in loco, siue in atomos diuisam, siue in Chaos vnitam, vt dicit Ambros. sed melius vnitam, quoniam vnitas præcedit numerum. Super hanc materiam intra spatium positam, cum per se ipsam in rem nullam verti posset, increauit Deus calorem, & frigus, duas agentes causas, Potentia & Sensu, & Amore proprij esse præditas, amplificatiuas, & multiplicatiuas; quæ cũ essent incorporeæ, nec per se stantes, vt Angeli, indiguere corporis primi fulcimento. Quapropter vtraque cæpit occupare ipsam materiam, apparente Necessitate, quæ est primus influxus, & cogente illas ad sui conseruationem procurandam, & confestim cum materia finita esset, nec appetitui essendi infinito, quem ab infinito Deo hæreditarunt, sufficeret, orta est discordia, & apparuit Fatum, ordine, vt ex tali discordia Chaos materiæ, & caloris, & frigoris distingueretur, attendẽte Deo, vt distinctio fit Harmonica mundi constructio: vnde apparuit tertius influxus, qui est Harmonia ab Amore Dei, volentis exprimere in materiæ partitionibus & formationibus diuitias latẽtes naturæ in mente sua. Quapropter cum optarent calor & frigus vterque materiam occupare, contendere cæperunt, quis prius regnaret: Calor ergo vndique materiam inuadens magnam illius partem in fumum conuertit, & à frigore recedere euolareque vndique cæpit in spatium, quod est firmamentum, sedesque eorum prima. Cumque adeo expandisset attenuatam molem vndequaque, vt Deus fato per sapientiam ordinarat, remansit frigus in medio attenuatæ molis, nec sciebat quo fugeret, Necessitate vrgente vndique aduersario. Qui cum adeo à frigore secessisset, vt amplius non posset, vel quia finitum erat spatium, vel quia putauit frigus ad ipsum non posse attolli, molestiasque inferre, vtque alias caloris partes exhalantis expectaret, versus est in gyrum cum explicata mole. Cuius pars tenuissima in suprema regione vocata est Cælum à Deo: pars crassiuscula in inferiori, aër: pars verò crassa, quæ ex materia nõ poterat attolli, sed quasi sudor accensionis super ipsam manabat, vocata est aqua. Nam & ipsa Marina aqua est accensa, & mox liquefacta tellus, & simul fumus crassus est ex fumo enim condensato fit aqua: tunc frigus vndique fugiens calorem circum exhalantem, & circum euntem, collegit partes materiæ in medio, vbi pensile stetit, & formauit globum, siquidem dum partes vndique coeunt fugientes à circumdante hoste in sphæram conglobantur: quod vocatum est terra. Remansit ergo Cælum calidissimum à suo principio actiuo, & mobilissimum à motu, quem accepit primo, vt suam à frigore molem seruaret: & tenuissimum, dum expandit ipsam, vt occupet totum inane spatium, vel vt fugiat ab hoste. & lucidissimum quidem, quoniam calor apparens est lux: sed nondum lux eius satis apparebat, quoniam sparsus calor non lucet: Tellus autem remansit frigidissima à suo principio actiuo,

immobilissimo, vt sit stabilis, & quia vndique fugiens se collegit: Crassities autem est materiæ constrictio collectioque. & tandem nigerrima; quoniã ipsa materia est iners, & ideo inuisibilis, non enim potest agere in videntem, & se ostentare; ergo est tenebricosa: tenebræ enim non videntur, sed in eis ita apertis sicut clausis oculis nos habemus. quippe qui sumus à calore cõstitut', & partiales res; vniuersali autẽ causæ tenebræ quoque sunt notæ. Rectè dicit Salomon, quòd *Deus creauit Mundum ex materia inuisa*. Ex his patet quomodo, cógente necessitate, facta est distinctio prima & ordo, quod est Fatum Cæli & Terræ; ex quo resultat rudis adhuc harmonia duorum primorum elementorum, quæ à Necessitate, Fato & Harmonia sunt, prout sunt. Vnde & in Musica bassus, & supranus terram & cælum repræsentant: Aqua & aër Tenorẽ & Contraltum, replentes hinc inde interualla. Et quod ita habuerunt factum est natura eorum. Natura enim est Natiuitas, & origo. Quidquid ergo cuilibet in sua origine primo aduenit, natura est illius. Natura ergo tellus est immobilis, & frigida, & tetra & crassa, & hoc accepit ex Necessitate & Fato, & Harmonia, vt patuit; sic de cæteris. Et ista est prima Moysis eruditio prædeclarata, quod *creauit Deus Calũ & Terram*, id est, prima duo elementa, vt sentit S. Basilius, & Lactantius, & Trismegistus, & Hieron. in Iob 38. & quicunque sensum Moysi intuetur, & non facit cum Aristotelicum, neque Platonicum, neque &c. Aqua enim, & aër (si tamen spiritus, qui ferebatur super aquam sit aër, & non anima Mundi, nec Spiritus sanctus, vt alij interpretantur, nam diuo Augustino triplex expositio hæc non displicet) nominantur non tanquam prima corpora in principio creata, sed tanquam secunda in primis concreata, vt sæpè Lactantius edocet: imo, ait Hier. de terra fusa tanquam de vulua ortæ sunt aquæ, vt Iob docet. Quapropter iubente Deo, sudor omnis aqueus erumpentibus montibus à calore eleuante, & exhalante editis, cõfluxit in partes imas in locum vnum, quod appellatum est Mare. Cumque præsentisceret cælum frigori vires vnitas fortiores esse suis sparsis; ipsum quoque vniuit portiones multas iubente Deo (cuius iussio est necessitas, & consilium, & volitio) hæ autem vnitiones appellatæ sunt luminaria, & stellæ. Siquidem calor vnitus apud nos lucet; dissgregatus verò, minimè; quoniam lux est apparentia caloris. Non autem apparet, nisi potens agere in sentientem virtutem, cui apparet. Omnis ergo lux, in stellis vnita, est apparens. Vnde rectè Moyses primo factam lucem, & deinde stellas & luminaria ostendit: quoniam desunt lucis vnitiones; vniri autem non potest, quod non præest, & falso calumniantur Porphyriani hanc doctrinam, quoniam ipsi quid sit lux ignorarunt. Nyssenus autem benè intellexit ex calore vnito comparuisse. Multæ quidem factæ sunt vnitiones in prima regione distantissima à Terra, quæ propterea vocatur Empyrea, hoc est ignea, quoniam ita consuluit Deus, ne si propè Terram essent, ipsam subito destruerent: & illis idem consuluit in proprio sensu, vt procul colligerentur, vbi frigus non poterat pertingere ad interturbandas collectiones. Hîc relucet Necessitas ex parte caloris, & Harmonia ex parte Dei. In eadem regione videtur spissitudo quædam coiuisse stellularum minutarum, quam viam vocant lacteam, dum calor copiosior abhinc exhalat, & hoc

Nyss. de opif.

Harmonia fecit cum Necessitate, vt possit Terræ addere varietatem. In inferioribus verò regionibus septem modo factæ sunt collectiones: quoniam frigus plures fieri impediebat; nec tantum caloris habuere, quantus terram exurat, sed passim harmonicè immutet. Vnde Luna Terræ citima per modicum sortita est, & qui non possit lucem emittere, nisi à sole mutuatam. Supra Lunam est Mercurius, deinde Sol, deinde Venus, deinde Mars æstuosus, deinde Iupiter clarior, deinde sub Empyreo Saturnus. Etenim optauit Cælum, dicente Deo, vires tantas colligere, quæ terram inimicam exurat; ac non potuit propè terram, quoniam frigus obstabat: neque à longè, quoniam non perderet. Itaque in tertia regione tanta caloris copia, viresque collectæ sunt, factusque est Sol Dux Pugnæ, dicente Deo. Tunc sex stellæ solem tanquam Satellites circumdare cæperunt, eo quod esset præpotentissimus, illisque adderet lucem, & vires. Idcirco centrum amoris in Sole habent; ipsumque circumdant. Vnde Venus, Mercuriusque supra solem Timeo & Platoni visi sunt. Ptolomeo verò ac Chaldæis subter; quoniam in alio tempore ipsorum motus obseruarunt. Cæteri verò Planetæ cum eo euntes alij tardiores, alij velociores, ad ipsum inclinantur, licet terra intermediet, vt vires recipiant: vnde descendere retrogredique apparent cum in opposito sunt situ.

Mox Sol vbi factus est sub æquatore contendens Terram exurere, cæpit in antarcticam excurrere partem, & simul terram centrum odij circumdare; & cum eo Pianetæ insequentes Ducem, obliquam viam quisque suam propè solarem accepere: & vsque ad gradum 24. excurrentes, perque vias varias Terram exurere aggredientes, magnam eius partem in Austro, iuuando impressum calorem, colliquefecerunt: & ibi creuit Oceanum mare, cingens ab ortu in occasum australem regionem telluris. At iubente Deo, Sol non pertransiuit vltra, quoniam intellexit, partes terræ boreales valentiores, absente ipso, fieri contra Celum.

Igitur Necessitate, & Fato cooperantibus propter Harmoniam, ne altera pars Mundi flagraret, altera rigeret, reuersus est suos in circulos Sol, & reuersionis punctus dicitur ab hoc Tropicus Australis: & sexta sub lunatione peruenit ad æquatorem: vbi est creatus, & vbi diuiditur per medium Mundus totus. & tunc excurrens ad polum borealem insequentibus Aquis multis ex Austro, & facientibus Mare, quod inter Hispaniam, & Americam procurrit ab Austro in Boream, sub obliqua tunc via, qua gradiebatur sol, veluti in excursu ad Austrum factum erat Mare inter Chinam & Iaponem, & Quiuiram: & quia frigus in Borea iam præualebat, oportuit solem immorari octo dies plures in hoc Hemispherio Boreo, quàm in Austro: & construxit idcirco ex fluore corpulentiori non Mare in nostro Hemispherio, sed Montes præaltos, vt Ripheos, Caucasum, & alios, qui ab occasu in ortum per rectum circulum ambiunt Asiam, & Americam, & Europam. Sub Polo verò adiuuantibus stellis maioribus, & pluribus quam in Antarctico (quibus confisus sol prius in Austrum excurrerat) fecit mare Scyticum, & subpolare, adiuuantibus simul aquis ab Austro concurrentibus per Atlanticum hinc Oceanum in Boream, & per

Archipelagum sancti Lazari, illum itidem in boream, & simul sub polo mox coniunctis: & terram tegentibus & Insulas multas facientibus: quod sub Antarctico non euenit, sed terra multa est post Oceanum magnum: quoniam nec influxus nec stellæ ad hoc concurrerunt. congregatio ergo aquarum, quæ cœpit fieri iussu Dei, vt appareret Arida, ita cōplera est simul tempore, sed non origine, luminaribus concurrentibus, & germinatio terræ. Nam licet ante solis excursum iussa sit germinare à concepto calore in primo conflictu impregnata, sol tamen factus est, & stellæ in signa & tempora peragenda. Siquidem in principio temporis factum est cælum, & tamen luminaria & stellæ sunt in tempora & successiones faciendas. Et nox erat vbi non erat lux, quando distinxit Deus cælum & terram, & lucem à tenebris: sed mox factus est sol delator lucis & diei. Quas ergo vias & motus sol & sydera ad terram inimicam destruendam acceperunt, easdem semper continuarunt: quoniam hoc naturale factum est illis, quia in origine euenit; & iussio Dei est lex naturalis, quam spontanea necessitate per fatum in Harmoniam res seruant, teste Augustino: & non miraculum nouum. Ergo sequuntur pugnam vsque ad finem temporis, idest, huiusce successionis rerum, ordinante Deo, vt ex hac pugna ingens Harmonia oriatur. Nam sol, dum vndique terram inuadere cupit, duobus fertur motibus, altero ab Ortu in Occasum, altero ab Aquilone ad Austrũ, & ab Austro ad Aquilonem, intra certos terminos, quos trasgredi cæli conseruatio non substinet: vnde fit vt partiatur lumen cunctis terræ partib. & terram vbique & aquas ingrauidet, dum ipsam vult destruere. Nam calor, quem imprimit, non statim terram attenuare, & in cælum redire potest, sed remanet: & à superueniente frigore, dum quærit illum extinguere, augetur, & retinetur ad terræ fermentationem: & quod calor destruit in die, & in æstate, frigus reficit in nocte, & in hyeme: vnde mirabilis oritur Harmonia ex Necessitate, & Fato communi. Nam terra liquescens fit aqua; in vapores versa fit ventus, pluuia, cometes, grando, nix, ros, super solidiori cælo, qui est aër, vocatus: idcirco firmamentum, teste Basilio, diuidens aquas, quæ fiunt in eo ab his, quæ fiunt in terra: In lentorem, viscositatem, & fluorem, qui mox induretur, conuersa, fit lapides, & metalla: in vaporem vero viscositate occlusum, fluoreque mistum, densitateque contendentem sursum ire, nec potentem à communi matre suas ad natasque moles separare, vertitur in plantam, itaque sursum crescentem. Si autem queat separare vapor tenuis, qui etiam spiritus dicitur, suam molem à communi, efficit animal, organizando crassitiem, qua est obtectus variis organis, aptis ad communem vitam: quæ pertinere videntur omnia aut ad motum, aut ad sensum, aut ad nutritionem, aut ad potentatum. Prouidit enim Deus, vt spiritus suæ originis oblitus propter additas passiones, velit seipsum intra crassitiem seruare, & cum persentiret se paulatim imminui in tenuitate egredientem foras, vbi ignorat quam viuat vitam: siquidem ipse ex augmentato intra terram calore fit. Ergo ex consimilibus rebus reficiendum se, domumque suam, percipit & organa nutritoria ad id parauit, sicuti & potestatoria constructioni apta fecerat: & sensoria ad percipiendum, quæ prosunt, obsuntque vitæ, vt illa sequatur, ista fugiat. Ergo & instrumenta motus & operationem ad sectandum, & fugiendum: & tractandum exteriora corpora. Et ex tot rerum generationibus fit Harmonia ad ideam. Siquidem est in animali calor à cælo, & materia à tellure: color vero & dispositio & operatio, à mistura lucis & tenebrarum, rari & densi, motus & quietis, fiunt. Sed modus, quo compacta sunt ad efficiendum animal, videlicet, vt altera pars sit à multo attenuata calore, quæ est spiritus, alia liquefacta & rubra & fluens, quæ est sanguis, ex cuius tenuiori portione spiritus, ex crassiori vero solidum nutritur: itaque est vtriusque ligamen, sicut mare cæli & terræ: & alia fit crassa, torpens, alia mollis, alia viscosa, alia dura: certis coniuncta vinculis sitibusque, ad sustentandum, statuas, & mouendas, & contegendum spiritum, & continendum succum. & sequestrandas impuritates, & coquendum & distribuendum, & habitandum aliasque operationes edendas, & altera intra alteram contineantur, & operari sic sponte cogantur, vt, inquam, sic consistant, modus est à Necessitate & Fato & Harmonia, delatus per stimulos doloris & voluptatis, concinnatus à Potentia & Sapientia & Amore primo. Essentia enim rerum est potestas, sapientia & amor, misto impotentiæ, insipientiæ & Nolleitati. Sed modus ita essendi est ab idea primi Entis, delata & manifestata per modificationem, actam à tribus influentiis magnis, Necessitate, Fato, & Harmonia.

Necessitas sequitur imperium, quo dixit Deus vt fiant. Fatum sequitur ordinem, quo vt ita fierent ordinauit: Harmonia voluntatem, quia ad certos vsus res factas commendauit. Nam vidit Sapientia quæ fecerat potentia, & erant valdè bona ab amore. Hæc autem in omnibus terræ partibus fiunt; quoniam motus solis & syderum, ea necessitate incœptus defert calorem candidum ad omnes partes terræ, omnesque ingrauidari facit, & omnibus rebus factis calorem vitalem impartiri, vt seruetur: vt neque in nocte destituantur, stellæ præsint, & luna per vices, vt rerum vicissitudines fiant. Vnde post facta luminaria fiunt animalia, quæ nobiliotis & difficilioris erant conditionis, & post illa homo, vt Epilogus omnium, sicut in Physicis docuimus: in quo Deus opificio, à nouo opere condendo quieuit. Non enim poterat fieri melior creatura procedenti de imperfecto ad perfectum. (Nam ipse spiraculum eidem indidit immortalis vitæ, ad similitudinem & imaginem suam) nisi Deus ipse in se statuæ humanæ assumptionem fecisset. Iussit quidem terræ & aquis, vt animas & corpora brutorum ex indito sensu, potentia & amore educerent: Homini vero ipsemet animam inspirat, sibi quam simillimam. Toti tamen mundo, qui est Epilogus magnus eorum, quæ sunt in mente Dei, animam diuinissimam assistentem indidit: quæ vniuersitatis curã gereret, sicut dictum est. Neque enim minori gloria totam sui statuam, quam partem decorauit. At partibus mundi magnis præfecit Angelos, prouidentiæ tantæ executores. Ex dicta descriptione nunc ostendendum restat, quomodo tres influentiæ magnæ in omni re inueniuntur.

IN ORIGINE PRIMORVM, ET *ſecundorum Entium, relucere Neceßitatem, Fatum, & Harmoniam; & abhis conſtitui naturam ad Ideam Dei, & iußionem, quæ eſt lex naturalis ipſorum; idcirco interna poteſtate, & ſenſu, & voluntate, exequutionem in rebus habere.*

ARTIC. IV.

PATET ergo primo ex quo Deus intellexit, eſſe bonum fieri mundum, ac voluit, neceſſario illum feciſſe, electa per liberam voluntatem neceſſitate, quam dicunt ſuppoſitionis. Item, fato quodam, id eſt verbo, hoc eſt principio exterioris fati: ab eius enim ordinatione in idea præconcepta ſeries rerum effluxit. Item Harmonia quadam: nam quia bonus Deus, conuenit bonitatem ſuam manifeſtare, non voce, ſed facto: & illam communicare Entibus, quæ eſſe poterant, nec ſibi glorioſam productionem: propter ſe enim. *Omnia fecit Deus, & vt timeatur* (hoc eſt, colatur) habemus in ſacris litteris: cætera ignoramus: nec cum Origene præſumimus occaſionem faciendi mundi ex his, quæ in mundo indiuiſibili contingerunt, accipere: prima enim cauſa in primo ſuo opificio occaſione non eget, ſicut ſecundæ. Quoniam vero quidquid eſt, in loco eſt, & fit, oportuit præeſſe locum origine. Nec arbitror, Angelos abſque loco poſſe ſubſiſtere, quoniam finitæ ſunt virtutis, & indigent baſi exteriori. Quapropter & ſi non ſunt in corpore deſcribente, ſunt tamen in ſpatio, vt dicitur in libro de eſſentiis, ſancto Thomæ adſcripto: vel ſi præcedunt ſpatium, ſunt in Deo continente, qui & ſpatio continentiam dedit. Etenim ſi ſolis primalitatibus puris conſtant, ſunt in Deo. Si vero etiam corpus induunt, ſunt in ſpatio inſuper. Nec tamen omnia, quæ ſunt in Deo, vident Deum, niſi quantum vult Deus. Nam & nos in illo, & intra illum ſumus, & tamen finitudo multiplex noſtræ naturæ, quaſi extra Deum nos retinet: & noſtra finitudo nobis occultat Dei immenſitatem. Et quidem corporalis Entitas, quoniam recedit magis ab eius immenſitate, & tenebricoſitas, & concretio primalitatum in his, nos valdè elongat à Deo, nobis intimo, vt in 2. p. dictum eſt.

In Eccl. & Eccleſiaſte.

Neceſſario ſpatium eſt incorporeum, & potens, & ſentiens, & appetens locare, vt mundum vniret: nec vacuitatem & diuiſionem permitteret, quippè quia propinquius Deo ſupremæ vnitati cunctis intimo, ac primo in quo ſumus. Materia mox neceſſario corporea fuit & partibilis, atque immortalis, vt poſſit ſubſtentare virtutes actiuas, & ab ipſis partiri & in cælum terramque & ſecunda in Entia transformare. In quo vides nihil caſu illi obueniſſe, ſed rationem finis fatali neceſſitate. Nam neque actiua fuit, ne agentes cauſas impediret. Calor autem & frigus neceſſitate finis, incorporei ſunt, vt mat eriam permearent, nec per ſe ſubſiſterent: indigerent autem materiali fulcimento. Et poteſtatem ſui diffuſiuam acceperunt: & ſenſum propriæ conſeruationis, mortiſque, & affectus: qui ex his, dolorem ſcilicet & voluptatem: & amorem huius, & odium illius. Quodum appetunt eſſe, & non poſſunt eſſe niſi in materia: quæ finitæ exiſtens molis capacitatiſque, non ſufficiat vtriſque; incipiunt vterque illam occupare, ac contra inuicem armari: vnde nullam à Deo diſcordiam habentes, ſed cum ab amore eſſendi, & dum neceſſitate coguntur regnum occupare materiale, ordinatur pugna fatali ſerie ad conſtructionem Harmonicam cæli & terræ primorum corporum, mundum noſtrum conſtituentium. Et hoc ità fuiſſe, originis ordine intelligimus: quoniam etiam nunc videmus, ſolem & ſtellas oppugnare perpetuo terram, & in cælum velle conuertere, & non poſſe omnino, ſed in media Entia. Quapropter quoniam diſcordia non eſt à Deo, caſu facta eſt, ac per accidens reſpectu caloris frigoriſque, dum ſcilicet vterque vult dominari, ſicut inter fratres diſcordia caſualis eſt, & à non eſſe quod horrent, quodque timent quandoque ab alterius eſſe: caſu quoque eſt diſcordia etiam reſpectu Dei facientis, non autem reſpectu Dei ordinantis: peccata enim & non Entia & mala ipſe non facit, ſed ordinat, vtiturque. Conſtituerunt etiam caſu actiua contraria cælum terramque, dum vterque regnum ſibi curat: At reſpectu Dei vtentis ipſorum pugna, maxima relucet in hoc prouidentia. Ipſe enim ita compoſuit, & inſtruxit, & neceſſitatis ſtimulis traxit eos ad pugnam, ſic ſanè, vt terra intra cælum remaneret, & cælum circum ipſam extenderetur, ſicut pellis, teſte Dauid: prouidentia autem, ſante Deo, factum eſt. Quod reſpectu rerum eſt caſus, reſpectu Dei eſt ordo, faciens Harmoniam.

Si enim, Deo nullo aſſiſtente, mundus à calore & frigore caſualem originem accepiſſet, vt Epicurus putat ex atomis; tunc dato caſu, & quidem impoſſibili, quod calor & frigus de ſe nati eſſent, & in materiam cœpiſſent agere: tamen ad conſtructionem mundi nunquam perueniſſent. Nam ex altera parte materiei frigus; ex altera calor pugnam iniuiſſent: & tunc illud huc iſte illuc materiæ portiones aſportaſſent: & ab inuicem fugiſſent, & duas res effeciſſent, non cohærentes, ſed vſque ad extrema ſpatij ab inuicem fugientes. Et ſic mundi ornatus nullus, vnitaſque nulla fuiſſet. Alterum enim corpus totum calidum, alterum vero frigidum totum prorſus fuiſſent. Atqui ſi fortè non adeo ab inuicem recedere potuiſſent, quoniam locus breuis eſt, tamen cominus aut certarent æquis viribus, & ſic nihil ex eis fieret neutro vincente: aut ſi calor robuſtior eſſet, terram deſtrueret totam, aut qua ſpectat tellus ad globum igneum exureretur, & nihil produceret, quoniam non ſuccederet frigus per vices nocturnas temperans calorem, modificanſque, & terræ conceptionem præparans. Ex altera vero rigeret gelu, fieretque nihil, quoniam qui ipſam ingrauidet non adeſſet calor. Ergo neceſſe eſt aſſerere in hoc conflictu, vt & Triſ-

megiſtus innuit, adſiſtentiam Dei, & terram à Potentiſſimo, Sapientiſſimo, Optimoque Artifice, vt ente ſpontanea caloris opera, frigoriſque, intra cœli ambitum poſita eſſe: & hoc etiam propter melius ſui, & mundi: ergo ob Harmoniæ influxum. Namque extra cœlum exuſta fuiſſet, & ſigillationes ſecundorum Entium nequaquam ſuſcepiſſet. Intra vero non exuritur, quoniam Neceſſitate cogente in medio conſiſtit, vndique cœlum æquè fugiens; & vires ergo vnitas habet, robuſtioreſque factas, quibus præliari queat: & ſimul dum præliatur viciſſim vincit, ac vincitur. Ex qua modificatione pulcherrima diſtinctio rerum fit, & productio ſucceſſiua. Patuit etiam, ſydera, neceſſitate cogente, facta, ordineque fatali, dum à terræ viribus vnitis ſe tuetur cœlum, & tamen ad ſummam rerum producendarum Harmoniam: & tamen factas eſſe fixas ſuprema in regione, illuc cogente neceſſitate calorem, & fatali prouidentia concurrente, ne ſubito vrerent terram: cuius magnitudinem vireſque exſuperant valdè. Planetas vero in inferioribus neceſſitate non ſummum accepiſſe calorem, quoniam frigus non ſinebat, ac ſimul prouidentia, ne tellus ſtatim vreretur. Solem vero copioſiorem ac robuſtiorem ſortitum eſſe calorem ex neceſſitate præliandi aduerſus hoſtem, & prouidentia vincendi paulatim per vices ad Harmoniam productionis rerum. Ipſa quoque luna neceſſitate caruit calore præpotenti: quoniam citima eſt frigidiſſimæ terræ, non ſinenti in exordio tanti caloris vnitionem. Et tamen ad conſeruationem terræ hoc prouiſum eſſe, & in Harmoniam ſecundorum Entium. Siquidem dum ipſa à ſole calorem lucemq; ſuſcipit, quaſi nutrix, ſæuum mitigat frigus, caloremque acrem à rebus.

Blandus enim calor adaperit molem, rarefacitque & egreſſum præbet vrenti incluſo calori, vnde res lunaticæ frigeſcere videntur, cum tamen non frigoris additionem, niſi per accidens, ſed caloris egreſsionem ab ipſa patiantur. Neceſsitas quoque quædam caſualis fuit Planetis motu obliquo moueri, ſub fixis, vt poſsint inimicam inuadere terram: ſicut & neceſsitas fuit in gyrum ferri, & tamen hoc fatalis prouidentiæ ſpecimen ad Harmoniam eſt. Si enim terram non circundarent, ſed ſtabiles manerent, vbi ſiti ſunt, terra vreretur, & in oppſito frigus ſæuiret aduerſus Cælum, operaque caloris deſtrueret, & hic res fierent nullæ. Ergo conſuluit Deus caloris conſeruationi, quoniam ipſe ſeruatur motu, ſicuti frigus immobilitate, prout ab origine hoc ingenium accepere, vt perpetuo moueretur: ergo in gyrum, & non recederet à terra, ne opera cæli deſtruantur: & quoniam appetitum habuit vincendi contrarium ab initio perſeuerat ad extrema, ne in oppoſito ſuperetur cælum: ſed intra Tropicos perpetua obliquatione vagentur: & hoc propter melius Harmonicum. Si enim eadem ſemper via: nimis arida exuſtaque fieret tellus ſub illis: in extremis vero gelu nil permitteret.

Hoc autem inde innoteſcit, quod ſub Cancro & Capricorno vbi ſol plus immoratur, quoniam accedit ſub toque recedit per eaſdem vias: ſunt exuſta omnia, arenoſaque, & calidiſſima tantum viuunt animalia: aquæ vero pauciſſimæ: & homines nigri ab adurente ſole, albam extrahente tenuitatem: materiæque nigram detegente faciem. Et tamen ſol ſubito adeſt & abeſt, nec reuertitur vſque ad annum. Quid ergo faceret, ſi vel per menſem ſuper aſtaret perpendicularis, etiam in gyrum per motus? Profecto animal nullum, nullaque planta tali ſub circulo eſſet; ſed arena & incendia maxima: in extremis vero ſub Polaribus regionibus frigus nil generari pateretur. Sed ais: quare ſol motum non ſiſtit ad comburendam terram, ſi hoc vnum eſt ſtudium eius, non autem generandi res inferiores? An quia ignorat ita ſe poſſe vincere terram? Nequaquam. ſtultum eſt enim putare nos id intelligere, qui ab eo diſcimus, ſenſumque habemus, licet à Deo mentem: & animalia id ſcire, quæ nimirum cernunt ignem perſeuerantem vrere; ſolem vero, qui hoc facit ob idipſum, ignorare ſe poſſe ita vincere, præſertim, ſi Angelus illi rector adſiſtit. vnde cogimur duo fateri, vnum, quod vita caloris ſit in motu, qui eſt actus & operatio eius vitalis: & Deũ conſulto hoc illi dediſſe ingenium; idcirco perpetuo mouere ſe circulo: vt vero ſic moueatur, non à natura habere, quæ moueri tantum dat; ſed ab arte diuina, quæ coëgit lege naturali, ſolem velle inimicum deſtruere, & cœlum ſuum defendere: ideoque oportere terram circuire. Et quoniam inſtinctu nouit, vbi ipſe abeſt, præualere frigus, multas oportere per vias ipſam inuadere: ac noſſe ſe paulatim hoc facere poſſe: & verum eſſe quod ipſam diſponat, licet lento, ſic ad mortem in maiore ſui cœli ſecuritate. Vnde & rectè arbitratur ſanctus Ambroſius cum Virg. ſolem opere laborare in hoc: & rectè Teleſius dixit: ſolem opere gaudere in hoc, ſicuti & alij Theologi. Sol ergo, quaſi intelligit, hunc eſſe tutiorem vincendi modum, & ita operatur. Nec approbo, quod Teleſius ait, ita temperaſſe Deum vices cœli & terræ, vt nunquam ſeſe prorſus deſtruant, ſed res ſecundas faciant, licet ſol robuſtior ſit: tamen dum ſibi ſuiſque conſulit, quaſi parcit terræ. Nam vires ſolis victorioſas tandem eſſe oportere, exorbitantiæ declarant, eiuſque deſcenſus paulatim ad terram, & obliquitatis reſtrictio: ergo ſentit ſe paulatim oportere vincere: & tamen dum ſic operatur, miniſtrum ſe Dei eſſe, ſicut noſcit ſe non facere quod vellet, ſed quod cogitur velle. Sic animal vellet volare; cogitur tamen reptare, & velle reptare: vnde etiam hoc alterum fateri cogimur: quoniam ſol & tellus non faciunt, quod vellent, ille omnia cœlum, iſta terram; ſed ſecunda Entia ipſorum intentioni diſſona: oportere à Deo ſapientiſſimo adigi per neceſſitatẽ & fatum ad Harmonicã ſecũdorum Entiũ conſtructionẽ: & hoc etiam dubitandũ foret, cur calor à ſole productus facit animal, & plantam, & lapidem, & non ſolem & cœlum. Sed profecto videmus calorem omnino contendere, terram in calorem vertere, ac cœlum. Quæ ergo facit Entia ſecunda, coactum facere: quoniam imbecillus fit à frigore modificaturque vt non poſſit facere vaporem, ſed liquorem, lentorem, & viſcoſitatem. Et dum hæc commiſtim facit, efformare res compoſitas & decompoſitas: & ipſum velle ita agere, quoniam cogitur velle, ſicut nauta velle proiicere merces. Nam non eſt præterea idem calor, qui à ſole manat, ſed alter qui fit ex eiuſdem multiplicatione: principia enim actiua ſunt ſui ipſius mulitplicatiua. & cum generetur inter contraria à paſſionibus pugnæ obluiſci cogitur ſolem: haud tamen ceſſat cum poteſt regrediſimo inceſſanter hoc facit abd itiſſimo amore, qui eſt inſtinctus: & non ſuper addito, qui eſt ſenſus præſentis coactionis, qua viuere animalis vita vult, aut lapidis. & hic relucet Harmonia ſumma, quod,

Virg. 1. Aeneid. ait: Hic canit errantem lunam, ſoliſque labores.

dum calor vult cælum facere, modificatur & facit volens secunda Entia, & dum frigus vult calorem oppugnare, cogit ipsum intra terram in mineralia, & lapides, & aquas, aliasque in res, immutandam. Quapropter dum frigus facere putat, quod vult, facit, quod non vult: & hoc est Necessitas & Fatum ad Harmoniam in productione rerum. Nos autem & si spiritu id agnoscamus, non tamen cum pueri sumus in principio conflictus, & formationis nostræ, sed nunc post longas obseruationes, & discursus, & per sapientiam Mentis à Deo immissæ purificati. Quid mirum si calor aliarum rerum constitutiuus, hoc suum ignorat fatum notitia addita, & operatur prout fert Fatum à prima dependens causa?

Appendix de vsu motuum cælestium.

ET quoniam ab vno agente, vnaque ex materia, non potest fieri nisi vnum, voluit Deus, vt duo sint principia actiua secundorum Entium: & alteri dedit naturam standi, alteri vagandi, vt modus agendi varietur, & non per eandem viam, vt magis varie ur, & res variæ amplius nascerentur. & sapientia Harmonica in hoc relucet, quod non inferendo vim ipsis principiis cogit ipsa agere libenter quod volunt, & quod nollent: & dum pro sui conseruatione agunt, exequuntur opus Dei, quod non intendunt, tanquam si illud intenderent. Non modo enim mouentur planetæ ad occasum, quod suæ conditioni satisfaceret, sed etiam ab Austro in Boream, & è conuerso ad tutelam cæli, & destructionem terræ. Simul ergo amore, odioque agunt: vtque magis diuersificarentur eorum vires & actiones super terram, habuere centrum amoris ipsum solem, cuius gratia eleuantur: deprimuntur, concitant gradum, tardant & temperant, ita quod nunc præcedunt fixas ad anteriora, nunc sequuntur, nunc cum eis pariter gradiuntur, vnde dicuntur stationarij. Nec sub solis linea vagantur, sed extra quisque in sua, à solari parum recedente: quoniam non eandem caloris copiam habuere omnes. Saturnus enim propè Empyreum, potentissimus est, & vna cum fixis perpetuo graditur rapidissimis: at singulis diebus subdeficit ab eis minutis vnius gradus dumtaxat duobus. Iupiter vero remotior, quinque: Mars remotior, ferè triginta. Venus 58. Sic etiam sol & Mercurius quoniam simul hi planetæ incedunt solem cingentes, cui proximi adsistunt: & ab eo habent vt possint non deficere, nisi Min. 58. Luna tandem pigerrima fuit abs terræ vicinitate adeo quod tresdecim in die gradibus subdeficit à fixis. Sol autem nihil deficere deberet, cum exuperet omnes planetas robore. Sed fecit Deus vt, ne desit esse Dux belli, propriæ conditioni satisfaceret alio motu qui est reuolutionis in seipsum, vt patet intuenti eum in ortu, & occasu, & per Telescopium: qui motus aliis planetis negatus est, vt luna declarat semper eandem maculosam faciem nobis ostentans: fixis vero concessus, quoniam cæli motu contentæ esse pro sua vehementia non possunt: vt ipsarum scintillatio admonet. Venus autem & Mercurius manifestè solem circumeunt: & dum ita feruntur planetę, in quibusdam locis eleuantur in apogeum præter eleuationem, quam habent à sole: in aliquibus deprimuntur præter depressionem, quam habent à solis luce, eos eleuante, destituti in oppositionibus: idcircoque inclinantur ad ipsum: licet à sympathia, quam ad fixas aliquas habent, aut ad systemata aliqua extra cælum, contingat non æqualiter semper deprimi. Ex quibus varietatibus agnoscas mirabilem Dei sapientiam in ordine fatali super necessitate voluntaria ita progrediendo fundato, vt terram centrum odij, quod cupiunt destruere, alio amore impediti non destruant: sed fieret varietas actionum super terram, & diuersitas rerum ad Harmoniam diuinissimam consonans: vbi sanè videtur Deus vti stellis, quasi faber multis malleis eas eleuando, deprimendo, accelerando, tardando, recta percutiendo, & obliqua, super opificium, vt prodeat ad sui ideam. Et quidem Deus non materiali manu, sed voluptate, & amore suæ conseruationis huiusmodi malleos mouet, & timore propriæ destructionis. Timor autem non est ab eo, sed à non esse, quo tamen vtitur Deus. Amor vero est ab ipso esse, quod facit Deus, & vtitur. Quis autem intelliget quomodo rerum diuersarum vitas diuersis syderum subdeficientiis metitur? & ita aliæ res ipsius? & idem de aliis aliorum planetarum, quæ viribus fouentur? sed de his postea.

QVAE DICTA SVNT, AC dicenda manent.

CAP. V. ART. V.

QVONIAM vidimus, primam rerum constructionem Necessitate, Fato, & Harmonia, statui: & secundorum Entium generationem indidem oriri, & ipsorum gratia penè ita constructum esse mundum, & moueri sydera: videndum est, cuius rei gratia res inferiores singulæ sunt, vt earum innotescat Harmonia: de hinc enim redibimus, quasi formatis fundamentis ad cæli substantiam manifestandam, sicut proposueramus.

QVÆ

Quæ res propter quem sint, & operentur finem, & de fine hominis ex parte & Angelos extare.

CAP. VI. ART. I.

OMNE agens agere propter finem proprium, dictum est prius, & in hoc habet necessitas dominatum. At dum propter se omne agit agés, propter alia quoque Entia simul agere comperimus: & in hoc fatalis ordo relucet. At non omne agens propter se, intendere, quod etiam propter alia agat, manifestauimus: vnde ab alia causa superiori, id intelligi, & in harmoniam verti oportebat. Qui enim secat ligna, & qui dolat, & qui construit nauim ex eis, & qui ipsam in nauigatione gubernat:& qui merces in ea asportat,& qui ad Reip.felicitatem illis vti destinauit: omnes quidem proprium intelligunt lucrum,& bonum,& illius gratia operantur. Sed vltimum bonum vniuersale intelligit legislator, qui omnes has artes ad reipublicæ bonum instituit,aut direxit per legem.Sed quidem finem optimum & communem intelligunt causæ executrices, priores, ignobiliores, sed non ab ipso primum mouentur: vt sector lignorum scit,se propter nauim secare, & dolator dolare:sed non eousque progrediuntur, vt intelligant reip.bonum,sed illius hominis modo, qui futurus est Dominus nauis: ædificator quoque nauis intelligit quidem aliquantulum reip.bonum:sed nec propter illud laborat, sed propter se primo, & propter mercatorem Dominum nauis. Mercator autem aliquid plus intelligit in bono communi. Scit enim Patriam fame perire, nisi frumenta & merces aliunde illi apportet.Magis autem hoc intelligit rector reip.Ast rursus regredientes,dicimus,neque sectorem lignorum intelligere nisi confuso modo propter quid secat. Namque vtrum ad fabricandam nauim sint ligna illa, an ad domum, an ad fomentum ignis,ignorat: verum quanto magis intelligit finem, aptat magis ligna ad illum finem. Scit enim grandia & longa nauibus,igni breuia & dissecta:domui mediocria,conuenire. Sed causæ instrumentales,vt securis & discipulus dolatoris,& nauifactoris,nil intelligunt Reip. finem:sed neque proprium semper:solam enim formam rei faciendæ attendunt, neque totam. Serra enim solum diuidere,at sector secare,& vendere ob suum finem ligna nouit. Nauifactor solum nauis ædificationem intendit, hoc est nauis formam in lignis exprimere:insuper & sui mercedem, Nauim vero regere nauta nouit:& ad quale iter,Geographus: Sed propter talem finem mercator, & illius finis finem, Reip.rector. Et hæc quidem ita se habent.In his quæ finem exteriorem habent, quoniam bonum suum aliunde procurant. At quæ agunt in se & non extra se,ad aliud non dirigunt, neque intelligunt finem illius: vt planta producit fructus sed non propter Aues & porcos,& homines; sed propter sui conseruationem in eis. Nam si forte sciret se ad vsum alterius esse, non produceret,nisi coacta:sicuti condemnatus ad remigandum remigat,ne à rectore triremis verberetur. Parietes non defendunt à furibus & frigore & æstu, at ipsi non sentiunt hoc nisi se esse, & quidem valdè exiguo sensu,vt in libro de sensu rerum docebamus.Quæ ergo sunt operanturque ad alterius finem, si finem illum non intelligunt,necessario ab alio agente superioris ordinis reguntur, & illum in finem regulantur. Nunc enim non quæ finem sentiunt,declaramus. Nam & plantã, cui Rusticus mortem,nisi ferat fructum, comminatur,ferre aiunt. Sed hoc tantum patefecimus, quæ sunt alterius gratia, sui gratia operari: at vt alterius gratia operentur simul, ab Autore Fati euenit in Harmoniam vniuersi. Ex his duo agnoscimus,vnum,esse quasdam intellectuales naturas,quæ rerum speciebus præsunt. Si enim ficulnea sui modo amplificationem vitamque intelligit, & à nobis dirigitur fossione & putatione ad fructificandum pro nobis in quo nos valemus dirigere: nam intrinseca eius latent nos: Ergo omnia rerum genera ab Angelis reguntur ad huiusmodi fines, præsertim extra se positos. Si enim Ficulnea se modo propagare dest nata foret, vtique viginti aut centum ficos produceret, semine refertos grandiusculo,aptoque ad eius dumtaxat instaurationem. Ast quoniam producit mille: consequens est, vt eius opera vtantur Gubernatores Angeli impellantque illam ad fructus non vi sed amore propriæ conseruationis,sensuque propriæ destructionis: & non dedit Deus ficulneæ sapientiam tantam, vt non nisi decem producat, & quod sibi sufficiunt:Sed vtitur ignorantia eius in aliorum Entium bonum, & ita in cunctis inuenies rebus. Alius enim instinctus compulsiuus,quo vnum elementum mouet contrarium,& sagittator sagittas: alius directiuus qua homo asinum, & Angelus Physicas res:alius innatus, quo graue tendit deorsum & calor calefacit,& fundatur in potestatis sensus & amoris participio,quo Deus mouet omnia iuxta mensuram participij.

Secundum elicimus dogma, quod sicuti rerum omnium sunt fines proprij & communes, vt fructificatio est ad plantæ vitam, & nostram, ita quoque nos esse non omnino gratia nostri, sed Angelorum & Dei:& nos id intelligere omnes. Nam & homo filios tanta cura generat,educatque suæ conseruationis voluptate cõpulsus: & tamen non sibi,sed Reip. eos gignit. Rex enim est Dominus ipsorum,non autem genitor. Resp. potest eos morti exponere, non autem pater; & tamen pater omnis se gratia sui illos educare cogitat: & hoc verum est, sed ex parte. Sicut planta gratia sui ex parte fructificat; sed non ex toto: quoniam & propter nos magis: & sibi & non sibi mellificant apes:sed magis non sibi calamus scribit. Finem ergo nostrum vltimum nonesse nos ipsos putandum est,sed res nobis meliores. Et tandem ipsum Deum esse finem omnium supremum,& optimum. Quod si nobis natura est, vtique ad ferendum videtur, nos magnam habere partem in Deo, sicut Filius in fine Patris, & sicut mercator in nauigatione, & Apis in mellificio. Si vero occultum est nobis, erimus instar sectoris lignorum, aut sicut sectoris discipulus: vel sicut bos arans, aut calamus scribens. Hoc autem posterius disputabimus: nunc sermonem præsentem absoluamus.

Cælum esse propter terram, & è conuerso, non tamen quoad essentiam, & vtraque esse propter Entia secunda. & in hoc non vilescere, neque violentari, & necessariò Numina adsistere secundorum Entium constitutioni, præcipuè hominum, & homines propter illos, & omnia propter omnia.

CAP. VI. ARTIC. II.

VIDETVR quidem mundus ita temperatus esse, vt omnes res sint propter omnes. Nam & si cælum non sit terræ gratia, nec è contra, dum mutuo se se oppugnant: tamen fecit Deus, vt terra esset terra huiusmodi videlicet, quam habet, naturæ, propter cælum: & à cælo. Stat enim immobilis pensilisque in medio mundi, & sphærica, & crassa & tetra, quoniam à cælo circundante & oppugnante, talem sortitam esse naturam, & in tali seruari fecit Deus. Si enim cælum non esset rotundum sed semiphera, vt putauit Procopius, neutiquam tellus in medio consisteret sic compressa, pensilis immotaque, sed alio diffugeret. Cælum quoque non talibus, quibus fertur, motibus circunferretur, sed vel vno, vel nullo, nisi terram intra viscera haberet. Quapropter & si essentiam, id est, frigus & calorem non habent, alter ab altero, conditiones tamen essendi, seu existendi ab alterutris quasi per accidens habent, nutu tamen Dei. Quo circa cælum, vt ita existat à terra est: & similiter à cælo est, vt terra ita existat, sicut caseus à formula, & exercitus ab hoste, ordinis rationem inuenit: & oculis & nasus sunt, & ita sunt, propter obiecta. Sed rursus cælum & terra dum propter se pugnant, videntur pugnare secundorum Entium gratia, vt scilicet fiant flumina, plantæ, lapides, & animalia, & homo. Nam non quod volunt faciunt, sed quod Deus ordinat. Quod Aristoteli quamuis impiissimo, debuisset Dei prouidentiam persuadere, vel ad sistentiam animæ mundi, vel Colcodeæ, vel Angelorum in talibus actionibus: cum enim quatuor elementa sint illi stupida, & sine sensu: & quamuis sentiret, vt Telesio placet, non intendunt nisi sui amplificationem. At cum videamus, Entia secunda ex ipsorum pugna tanto artificio absolui, & ad suos fines dirigi: vtique adserendum erat, Numen adsistere, & non ad motiones cæli confugere. Nam accessus recessusque solis in circulo obliquo, non aliud præstat quam vices, & modificationem quandam casualem, & non artificiosam: veluti si quis absque arte ferrum igniret, & percuteret, nunquam gladium formaret, nisi Artifex adsistat: est ergo Dei *Sapientia in rebus, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter*, vt scriptum est: (Sap. 7.) & cuiuslibet generis rerum præses est Angelus, vt Origenes & Plato, & Augustinus docent. Prima ergo corpora sunt propter se, etiamque propter secunda. Neque enim vilescit homo, quia plantarũ & pecorũ curam gerit: neque deterior est pecoribus. Non enim propter illa operatur, sed propter se, & propter herũ, & propter Remp. Ergo perperam infert Aphrodisiensis ex eo, quod nobiliora non sunt propter ignobiliora, neque Domini propter seruos, non curari à Diis res humanas, secundaque corpora viliora. Nõ enim in eis ponunt finem, sed in se vel in Domino Dominorũ, cui (teste Dauid) in hoc ministerio seruiunt. Sic etiam Moses solem & sydera in nostrum ministerium esse dixit: & Apostolus Angelos quoque in ministerium nostrum esse, scribit ad Hebræos. Haud tamẽ propterea sunt nobis ignobiliores. Nobis enim seruiunt propter Deum, non propter nos tantum, quibus non indigent, sed nos indigemus illis. Patet .n quod nobis corruptis ipsi remanent: oportebat autẽ prius ipsos corrũpi quam nos: sicut panis, qui est nostri gratia, resque aliæ vsui humano destinatæ. Licet autem species hominum sit incorruptibilis, & similiter boum, & aquarum: ea tamen quæ sunt ad vsum nostrum nostri gratia corrumpimus, vt herbas viridarij, &, porcos & pecudes: nõ autem solem, aut Angelum, sed ipsi manent nobis intereuntibus, sicuti nos manemus herbis viridarij nostri intereuntibus, renascentibusque: videmur ergo nos esse propter illos. Sed profecto res quælibet multis destinata est finibus, quoniam Deus sic temperauit mundum, vt omnia sint propter omnes directè vel indirectè, sicuti omnis litera huius scripturæ est propter omnem, & omnes propter aperiendam huiusmodi doctrinam, quam vnius literæ subtractio vel additio potest adulterare.

Qui autem fines omnes harum literarum non intelligit, non est ipsarũ finis: vt qui nescit legere, non est huius scripturæ finis. Et qui scit legere & intelligere, est finis nec ex toto: quoniam propter ipsum scribo. Sed adhuc est alius mihi finis, manifestatio gloriosa virtutis: & adhuc alius supremus finis, ipse DEVS. Cum enim à me hoc non habeam, quippe qui ex me sum nihili, & à DEO sum Ens, propter DEVM, à quo sum id, quod sum, & facio, sum. Facere enim est aliquid esse, vt declaratum est.

De vsibus maris & fluminum, & omnium aquarum, & montium, & herbarum, & ferarum: vnde intelligimus fines rerum, etiamque minimarum.

CAP. VI. ART. III.

CVM ergo circunferuntur sol & sydera, producunt mare ex terra combusta, solutaque in fluorem intra viscera terræ, & quidem immensæ molis, & crassum amarumque. Et quælibet eius conditio fines habet multos. Mare enim est primo, vt vniat terram cum cœlo: è mari enim eleuantur vapores crassi in cœlum, ipsumque retinent, sicut sanguis spiritum in homine, & spiritus mentem: Item, vt reficiatur terra, ne à sole arefiat. Item, vt subministret humorem per subterraneos meatus ipsi terræ, & fontibus fluuiisq; saltẽ per cauernas in vaporem versum, mox cõdensatũ, aut decolatum, & destillatum, sicuti per pannũ & spongiam aqua ascendit, posteaq; descendit.

Item, vt fontes efficiant fluuios ad terrę irrigationem instaurationemque, & ad plantarum procreationem, nutritionemque, & potum animalium; & cibum ex oleribus fructibusque cōfectum. Vnde Deus prouidit, vt in Ægypto, vbi pluuia non potest ob vaporum tenuitatem concrescere, Nilus e montibus Casatis & Argent sub Capricorno positis, oriēs, impleretur aquis, & per quinquaginta gradus, quando ibi hyems, & in Ægypto æstas, sole tenente Cancrum, inundaret vsque ad Tropicum nostrum; fæcundaretque Ægyptum. Idem accidit in India, à fluuio Menan, & in Æthiopia Occidentali à Nigir, & vbicunque furit æstas, & aqua à locis hyemalibus distantissimis ad locos æstiuales priuatos humore, decurrit, crescens ab hyeme, vel à gelu, & niuium, & terrarum, & marium glaciatorum fluxionibus. In Arabia vero ros huic defectui supplet multus: & prouidit Deus vt super montes aquæ quasi per spongiam, aut alembicum eleuentur; quod deinde ad planities defluerent, terramque reficerent, plantasque, animaliaque. Item, maris immensitas facta est, vt omnem terram australem, vbi sol in perigeum descendit, & calor est robustus exsiccans, terram circundaret: & totum ambiret orbem. At in parte Boreali flumina ingentia & montes altissimi terram defenderent, reficerentque. Et mare Oceanum vsque ad suppolarem terram deriuauit per Athlanticum, & in diametro eius vsque ad Polum, & inde fluuios ingentes educit, & à Freto Herculeo vsque ad Euxinum interposuit Mediterraneum mare ad hoc opus, mirabili profecto prouidentia: & ne spaciosissima Asia illud desideraret, finibus ingentibus maris ambiuit: in medioque eius mare Hircanum constituit ab omnibus maribus, simul iunctis, seiunctum. Et ab hoc, & in hoc fluuios multos, sicut venas à iecore, & Iecur in corpore humano. Fuit quoque salsum, & crassum, & amarum, vt minus agitari possit contra vsus humanos: & vt terram non putrefaceret, sed seruaret. Itaque videtur propter terram factum penitus. Sed itidem propter animalia marina, vt in eo essent Cete grandia, piscesque omnis generis. Qui in aqua salsa vires habent robustiores, pellesque duriores, & minus putrescunt. & pisculus intra mare arbitratur, propter se mare ita factum esse, quoniam fecit Deus, vt multis deseruiens vsibus, quasi vni deseruiat. Sed propter hominem quoque esse mare magis videtur, videlicet, vt cibum illi ex piscibus paret, & fontes fluuiosque quibus vtitur ad plures vsus quam plantæ & animalia. Item crassum, salsumque, vt solum esset nauibus vectantibus hominem, quo ipse vult. In aqua enim dulci lignum non ita sustinetur in sublimi, & citius putrescit quam in salsa. Factum quoque est tantæ magnitudinis, vt homo nauigando omnes mundi partes inuestigaret, & regionis cuiusque bonis frueretur, & scientia rerum inuestigando polleret, & communicarent: & authorem in mirabilibus suis cognoscerent; & sicut prædixit Senecas in Medea, Oceanū vincula rerū laxauit, & ad nouos orbes nos deduxit, resque nouas docuit, & ad vnitatem veritatis fidei in Deum, illius nimirum, quæ hic bonos facit, & in fine beatos, Terrigenas omnes passim congregat. Quo etiam tempore diuino instinctu magnetis vsum ad nauigationes tantas perficiendas Flauius Amalfitanus inuenit: & Christifer Columbus Ianuensis nouos orbes, quos & S. Clemens extra Athlanticū extare dixerat, & Orig.

Pluuiæ autem & niues, & grandines, & ros, sunt ad telluris instaurationē & maris, & flumina ad ipsū currunt peracto vsu, propter quē è montibus elabuntur. Sed singulos vsus dicere nemo potest. Hi. n. sunt ordinarij, & noti, & tamen vix explicantur: quid de ignotis? vna. n. pluuia dissipauit Hannibalis conatus, ne disperderet Romam, & consilia nauigantium, & agricolarum contriuit, & alios ditauit, alios depauperauit ad nutum Dei: & quæ videntur fortuito aduenire, quasi ob ipsa solum præcedere huiusmodi causæ apparent. Romani pluuiam illam, tanquam sibi à Deo concessam celebrarunt. Tellus vero tanquam sibi; plantæ tanquam sibi: Hannibal contra se, formicæ contra se; apes contra se. Quis notabit omnia? fiunt aquæ dulces ad potum; minerales ad medicamen, & aliæ ad aliud. Facti sunt mōtes; vt terræ irrigarentur. Si enim non ascenderent aquæ, neque descenderent. Item nec flumina, nec fontes essent in mundo. Item, vt terra sit capax multarum rerum. Si enim esset perfectè rotūda non tot caperet res, quot capit eleuata, ac depressa passim. Item, vt aquæ terram totam non immergerent. Si enim nulli montes, ergo neque valles; ergo neque aquæ subsiderēt in terræ imis, quia nullum imum; ergo ipsam vndique tegerent, & terrestria Entia non fierent. Item, sunt tanquam ossa ipsi terræ defendentes eā à sole, proptereaque lapidei sunt, Item sunt nidus & domicilia ferarū omnis generis. In terra. n. æquali, non essent inæquales belluæ. Itē, vt arbores duriores, & grandiores in illis seruarētur, quæ in cāpestribus nō fiūt. Itē, vt essent termini, & confines populorū, & regnorum humanorum, & beluarum. Rectè canit Petrarcha Alpes & maria, Italiam à Barbaris separasse. Item, vt in aliis regionibus alia fierent Entia, & in eisdem variarentur. Non. n. producunt campestria quæ montana: & fecit hominem omnibus rebus indigere, vt omnia climata perambularet, & omnia disceret, & datorem omniū intelligeret. Nec quia sub Tropicis squalent, & arēt omnia, non sit vsus vllus illius terræ. Nā Piper, Myrrha, Thus, & alia percalida, & aromatica, ibi fiunt, & aurum, & argentum, & metalla multum, & lapides pretiosi: multa quoque ibi fecit Deus ad vsum aliorum Entium, & ad Angelorum Philosophiam spectantia. Fiunt ergo lapides, vt ossa, terram defendentia, & res diuersificant, & solis lucem vario modo excipi faciunt, & ob materiam artis humanæ, & fabricas multas ex eis. Sic & metalla, quorum singulum habet multos vsus apud homines: & ferrum, quod vilissimum reputatur, nobilissimum inuenitur ad lapides, & metalla domāda ad nostrum vsum, & ligna secanda, & elaboranda, & ad omnis soliditatis partitionem, & ad arma bellica & nautica, & agrestia, & domestica. Et quis dicet vsus eius? In natura vero nescimus plurimos eius vsus, sed videtur quasi casu esse cæteris rebus, nobis vero de industria datum: sic etiam aurum, & cætera metalla, & vitrum, & lapilli pretiosi ad delectationem dati, & commercium, & per mutationem rerum. Plantæ vero dum sibi agūt & fiunt, propter animalia eas esse videmus. Ipsa, ablatis herbis & arborū fructibus, moriuntur. Vnde in mari fiunt plantæ multæ ad pisciū nutritionē, & in terra, prout animalibus, necesse est. Quāuis autē castanea contra glires spinis ornet fructum suum: & frumentū aristis contra passares; & carduus aculeos contra asinos paret: tamen in eorum escam tandē vertuntur, sicut fert fatū, vt intelligas nō esse de intētione frumēti grana passeribus dare, sed sibi

vitã in eis producere: At de intentione vniuersalis causæ esse, vt & passeres alantur,& alia animalia ex plantis:sed cum labore, vt exerceantur ingenia.superbior arbos instinctu nouit se non posse vitare fatum,vel quia insipientior propriam non per scrutatur conseruationem,vel quia confidit in altitudine sua. Sed pilos quosdam in foliis facit quasi spineos contra limaces, & folia contra æstum & frigus. Sed inter homines nationes multæ non vtuntur armis. Animalia autem videntur alia propter alia fieri:vt pecudes propter homines,& lupos:gallinæ propter Homines,Vulpes & Aquilas. Muscæ & Apes propter auiculas. Auiculæ propter Aues rapaces. Mures propter serpentes;Serpentes propter Aquilas & Ceruos. Ceruus propter Leones. Leo & Aquila & Elephas, qui principantur inferas,videntur hominibus subesse,& propter eos fieri,quoniam ab homine domantur ad suum vsum.qui autem vellet dicere singulos, & omnes vsus vnius modo rei paruulæ, nec quidem centum folia sufficerent. Si enim inspicias propter quid est vnguis in digito, mirabiles fines inuenies & si ne fine: est enim vt terminet venam, neruum & arteriam, ne in extremo dissiliant,aut facile sanguinem & spiritum effundendo emittant: est vt sit defensio carnis & ossis:est vt possis prensare aliquid minimum: & caruncula in extremo digiti non diffugiat retrorsum: est vt sit scalpellum contra pruritum, & educat scalpendo prurientem calorem & humorem: est arma contra aduersantes: & defensio & offensio: est vt aliquid ostentet in sui perspicuitate, & ex maculis albis aut nigris. Et quot vsus habet homo in humano mundo,& in tota rerum serie,tot habet vnguis ex parte, vel indirectè. Idem dicimus de quolibet atomo in omni re. Vnde non ineptè Cabalistici ex litteris & punctis & apicibus, quos non casu in scripturam Dei concurrisse autumant, mirabiles exprimunt sensus & vsus. Et alij offendunt in eis vt Gnostici, Deo permittente. Alij lucrantur in eis, vt Hieronymus,& Origenes, & Picus in expositione Geneseos Moysi. At veluti res mutantur,& semina roborantur, aut adulterantur,ita & nomina. Etenim Orlandi nomen strenuissimi,nunc datur ignauissimo. Sed de his alibi.

Omnia esse propter hominem, & hominem propter Deum.

ARTIC. IV.

QVoniam ergo homo vtitur lapidibus,metallis,aqua,mari,vẽtis,cœlo,& terra, & plantis, & animalibus,& signis,& quidem sicut Dominus: Nam animalia ferocissima domat,seque longè robustiora: & arbores ingentes prosternit, & generationem plantarum curat tanquam ipse sit Autor naturæ illorum, & transfert semina de loco in locum,plantat, & facit Hortos,& Messes,& Segetes,& putat, & fouet, & purgat: vtitur eis ad ignem, ad nauifactionem,ad domificationem,plurimosque in vsus. Animalia vero ad escam dumtaxat & nidum. vtitur homo lapidibus, & metallis ad vsus naturæ ignotos,& quasi à sola arte humana destinatos. Domat animalia:eorum viribus vtitur in prælio,in itinere,in venatione. Item eorum carnibus in escam,& corio & pilis in vestimenta,& stramina. Aliis ad ludum & cantum, & medelam. Similiter ventis,pluuiis,fontibus & rebus cunctis. Nam ex cometis prædicit: stellas intuetur,eorum cursus & influxus,& configurationes discit, & in tabulis describit. Et si quid exorbitant, adnotat:futuras prædicit Eclypses & aspectus earum: & ex eis multa prognosticantur. Commercium habet cum Angelis & cum Deo. Namque in eius virtute Helias prohibet pluuiam: ignem de cælo impetrat: mortuos suscitat. Apostoli mirabilia faciunt: Paulus rapitur in cælum. Christum videt in diuinitate. Moses mare transit sicco pede,& mirifica pro suis operatur: & alia huiusmodi passim faciunt homines. Ergo cum omnia sint propter hominem,& homo propter aliud nullum,consequens est, vt diuinitatis sit particeps, & ipse sit finis omniũ: & Deus sit finis eius. Et cælũ supremũ sit aliquãdo sedes eius,vbi oẽs Vniuersitates perlustret,sicuti Religio ipsũ docet. Vnde.n.hæc nobis nisi à Deo? Homo quippe,quasi inferioris naturæ author,animaliũ armenta & greges curat sibi:mundũ vniuersum super ligno peragrat,ventorũ vtitur viribus. Domos portatiles per aquas sibi facit:leges fert diuinę veritatis: literas inuenit,quibus loquãtur absẽtibus & futuris. Dat linguã chartæ,& æramento horologij. Facit de nocte diẽ per lucernas,paruulos mutuatus soles:potu naturæ non contentus ex vuis illũ exprimit: igne vtitur ad cocturam ciborũ & domandũ syluas,montes & metalla:id quod nulli datũ est animaliũ, neq; fortè Angelis? Quis sale & aceto venena,& impuritates à cibo arcere,& oleo ariditates lenire nouit inter feras? Reuera homo diuinũ est miraculũ:& diuina in eo latet mens,& finis eius est Deus:& rerũ generatio inferiorũ durabit,donec hominũ perficiatur numerus:& bellũ inter cęlũ & terrã ob hoc cessabit; nõ.n. propter se ista fieri videtur, sed secundarũ gratia rerũ;& res secundæ propter hominẽ: & homo à Deo verbũ accepit de sua in cælũ translatione,sicuti miracula & testimonia mirifica infra cõtestabuntur. Non n,quæ facta sunt ad aliũ finẽ,videntur æterna: & tãdem sicuti omnia sunt propter hominem,homo est propter omnia. Hæc enim fecit vt mundum vnum faceret, sicuti omnia membra in animali sunt propter omnia, & ad melius.

Principia Physica rerum esse duo prima contraria: ad quæ reducitur contrarietas omnis: ergo duo esse elementa, & quæcunque posita sunt principia Physiologis, ad hæc reduci, hoc est ad calorem, & frigus, ignem, & terram.

CAP. VII. ARTICVLVS I.

DVO esse actiua rerũ principia in Physicis probauimus,calorem,vid. & frigus. Quoniam.n. res contrariæ sunt:ergo principia habent contraria. Contraria autem nõ omnia æquè prima sunt,sed alia ab aliis oriuntur. Nõ ergo omnia principia sunt,sed illa modo à quibus oriũtur omnia contraria. Visa est Democrito contrarietas inanis & solidi esse prima. Anaxagoræ vero; Taleti, Diogeni, Heracl.& omnibus qui vnũ subiiciunt elementum, raritas & dẽsitas,vel disgregatio & cõgregatio. Platoni magnũ & paruũ: Pythagoræ par & impar: Empedocli amor & odiũ. Possunt alij ponere lucẽ & te-

nebras: alij humorē & ſiccitatē: alij motū & quietem. Parmenides vero Ens & Non-ens, ſed calorē vocat Ens, frigus vero Nonens, ſiue Habitum & Priuationem: à quo Ariſt. ponit duo principia act ua: ſed mox ſibi contrarius quatuor elementa. Sed profectò omnis Phyſica contrarietas reducitur ad calorem, & frigus. Nam ſolidum eſt quid vnitum, & denſum: inane verò quid rarum & diſgregatum: condenſare autem opus eſt frigoris per ſe; rarefacere verò caloris. Ad rarefactionem ſequitur inanitas Democriti, & diſgregatio Anaxagoræ & aliorum; & magnum Platonis. res enim rarefacta plus ſpatij occupat: & Humidum Ariſt. & Ocelli; ſiquidē quæ humida ſunt carent termino proprio, & facile (vt Ariſt. ait 2. de gen. & cor.) recipiunt alienum, & ideo omne (inquit) tenue humidum eſt. Tenue autem eſt rarum: Rarum autem à calore fit. Ergo & humidum. Nam ſiccæ, denſęque res, vt ferrum, & lapis à calore ſoluuntur in fluorem humidum, & in aërem, vaporemque mox humidiorem. Motus verò caloris eſt operatio. Omnia enim immobilia à calore attenuantur, & in motum aguntur. Lux verò caloris eſt facies: vbi enim multus, vnituſque calor eſt, lucet vt in flamma, diſgregatus verò, minimè. Ad ipſum quoque calorem attenuantem ſequitur leuitas, & motus: è contra verò ad denſitatem ſequitur grauitas, & torpor, immobilitaſque, congregatio, vnitio, paruitas, & ſiccitas, quæ ſuis continetur ſuperficiei terminis; & ideo non cedit tactui, quia adeo eſt materia vnita, vt non poſſit plus vniri, ergo neque in profundum cedere; quæ omnia declarata ſunt in Phyſicis, & in p. p. Tenebras verò, frigoris eſſe faciem, frigida terra, & vmbroſa docet, & contrari facies contraria. Par quoque Phyſicum, & impar vnitatem, & diſgregationem ſequuntur: impar enim eſt vnum, ergo denſum: maximè vnitum, maximè impar. Par verò eſt multiplex, ergo diſgregatum. Rarum ad impar accedit, quoniam ab vnitate recedit. Ens & Nonens Phyſica principia non ſunt, de quibus nunc loquimur: ſed ipſorum principiorum Phyſicorum ſunt primordia. Calor enim conſtituitur ex eſſe Caloris, & Noneſſe Frigoris, & materiæ. Parmenides autem adaptat hæc nomina Phyſicis; quatenus calor habet plus de eſſe quam frigus: licet vtrumque Ens ſit. Emped. autem ponens odium, & Amorem, rurſus tranſcendit Phyſicam, ad primalitates Metaphyſicas ſcandens. Quoniam Ens ex Amore & potentia, & ſapientia conſtat. Ens aliquod verò, ex amore & odio; potentia & impotentia: ſapientia & inſipientia, primalitatibus nimirum Entis & Nonentis; & in hoc deficit, quoniam anteriores Primalitates omittit, videlicet, ſapientiam & potentiam cum oppoſitis. At cum Phyſicè loquitur, licet quatuor ponat elementa, tamē vtitur quaſi duobus. Ignem enim ponit actiuū, cætera vero paſſiua: & congregatione & diſgregatione generat ſicut Anax. teſte Ariſtotele. Ergo & ipſe ad calorem, & frigus confugit tanquam ad prima contraria. Cum ergo hæc duo viſa ſint eſſe principia actiua, propria potentia ſenſu & amore ſui eſſe ſeſe diffundentia, & omnis contrarietas ſit ab eis: manifeſtum eſt, quod duo ſint prima corpora: quæ nimirum ab his duobus occupata, & conſtituta ſunt. Oportet enim principia actiua ſemper manere: vbi autem maneant, niſi in corporibus primis perpetuiſque? Prima autem ſunt, ex quibus omnia fiunt, & ipſa non ex aliis, ſed ſe ipſa generant, & alia. Manifeſtè autem ignis generat ignem, & terra terram. At aqua non generat aquam, nec aër aërem: ſed ab igne, fundente terram, fit aqua; & ab eodem tenui faciente terram aut aquam, fit aër, & ex horū commiſturis, & modificationibus ſecunda Entia, ſub correctione numinis præſidentis, vt dictum eſt. Humiditas vero, & ſiccitas ſunt paſsiones materiæ à calore, & frigore per ſe vel per accidens genitę: vnde irrationabiliter alia duo Elementa ex horum additione Ariſt. cum Ocello conſtituit, reiecta opinione meliori poſita in 1. Phyſ. teſte Simplicio: vbi duo ad agendum, & vnum ad patiendum, cum Parmenide, rectè ſtatuerat: ex quibus non niſi duo conſtitui poſſunt elementa: Sol pater & Terra mater, vt ſanctis Chryſoſtomo & Lactantio, & priſcis Philoſophis placuiſſe legimus.

DVO ESSE PRIMA MVNDI CORPORA, *vt principia; Solem calidiſsimum, candidiſsimum, mobiliſsimum, & tenuiſsimum. Terram verò frigidiſsimam, tenebricoſiſsimam, immobiliſsimam, & craſsiſsimam.*

ARTIC. II.

HIS propoſitis, cum videamus Solem rapidiſſimo circumferri motu; & calorem aſſiduum demittere, & candidiſſimum eſſe: at & tenuiſſimum exiſtimandum eſſe, quoniam velociſſimè circumferri, & in ſublimi res nulla, cui quantulauis inſit craſſities ſe ſuſtinere poteſt, ſi alia ſyſtemata non extant. Terram vero perpetuo torpere, & craſſam denſamque eſſe; & tenebras ad Lunam vſque effundere, ſicunt ſol candorem vſque ad nos. Friguſque ſæuum obtinere, quod & aquam & aërem gelat; vtique contraria duo hæc prima corpora exiſtimanda ſunt, & hoc tenaciter opinari licet: vtrum verò omnia ſydera, & Cælum ipſum eiuſdem ſint ſubſtantiæ cum ſole, & omnes terræ partes cum Terra, dubitabile eſt. Hoc autem ab oraculis diuinis, & ſenſu & ratione inueſtigandum.

RATIONES OPINANTIVM, TERRAM calidam suis in visceribus esse, ac moueri.

ARTIC. III.

QVICVNQVE terram moueri, circa solem, vel in se vt Copernicus,& Pythagorici Calabri, & Plato interdum opinati sunt; ipsam esse calidam in centro docuerunt; neque enim frigidum, rigensque corpus aptum est motui: & quidem Pythagoras (vt testatur Ouidius) terram esse quoddam animal existimat sensitiuum. Idem Seneca docet in q.n. Etherogeneumque probat: Origenes autem addit etiam rationa'e, & pœnæ & præmij capax; nã & Deum laudat in sacris Litteris, & benedicitur,& maledicitur,& punitur & purgatur. Telesius autem tribuit Terræ sensum: vnde videri possit ad motum apta. Ex quo sequitur de Mundi substantia non rectè philosophatum esse. Probat autem Stelliola eius caloré, quoniam in hyeme subterranea calent,& frigus fit in aëre ab absentia solis. Si enim ex terra exiret, subterranea frigerent valde; sed contrarium apparet: quoniam Entia tunc calent, & arbores calorem in radice à frigoris aëris aduocant seruandum, & flumina in superficie gelantur, & in imo liquida sunt à terræ calore fota. Item non potest fingi, quomodo frigus de terra egreditur, quæ calida est etiam in borealibus partibus: vbi accolæ sub terra sibi ab aëris frigore domicilia parant. Item voragines ignis expirantis à centro terræ in superficie visuntur, vt patet in Islandia, & aliis insulis borealibus, & apud nos in Æolia,& Sicilia,& in Incrime, Vesuuo,& Puteolis. Et passim ignes & aquæ calidæ de visceribus Terræ emergunt. Accedit D. Gregorius, qui Ætneos ignes ab inferorum igne erumpere docet; & Pythagorici omnes idem fatentur,& religio Christiana, Hebraica,& secta Mahometi, & omnium ferè Nationum idem docent. videtur quoque (ait Copernicus) ignis Natura extensiuus esse. Extensio autem fit à centro ad peripheriam, ergo est in centro. Item Terra sphærica est, ergo vt actu suo suam exprimat figuram, sphærico circumuoluitur motu. Impossibile quoque videtur tot millia millium milliariorum in 24. horis à suprema Sphæra,& à Planetis fieri: ita vt in ictu oculi currat septem millibus milliariis. Melius est ergo hunc motum Terræ dare, quæ in seipsam in 24. horis ab occasu in ortum fertur, & facit videri sydera ab ortu in occasum omnia ferri eodem in tempore: cum tamen Planetæ aduerso manifestè proprio motu ferantur sub stellato firmamento (teste Mose) diuturnioribus spatiis temporum ab occasu in ortum: itaut Saturnus in 30. annis,&c. vnaquæque eo tardius, quò magis à Sole centro distat, & spatiosiorem circulum describit. Adde quod Soli coniuncti distantiores nobis fiunt: oppositi verò vicinissimi nobis tunc inter Solem & Planetas positis: & in mediis longitud. mediocres: & propterea veloces tardi, directi & retrogradi hac ratione apparent, ex nostra & ipsorum situatione. Huic rationi contestantur Hebræorum litteræ, quæ firmitatem dant cælo, & in cælis aquas ponunt,& montes & terras, quod Emped. & Pythagoras sectantur, laudati à diuo Thoma, quòd secundum ipsorum dogma textus Moysi ad litteram magis exponitur; qui secundum Aristot. cum non nisi mysticè exponatur, videtur erroneus.

Orig. hom. 4. super Ezech.

NECESSARIO FRIGORIS SEDEM ponendam esse, & non nisi Terram.

ARTIC. IV.

NOBIS autem frigidissima videtur esse Terra. Neque enim fingere possumus, vnde tãtum frigoris in absensentia solis emanet, nisi ab illa vt primo Frigido. Non quidem potest ab aqua effundi; ipsa enim calida est, vel pusillo frigore donata. Nam cum sit Natura fluida & mobilis, & mollis, à frigore conglaciatur, induratur, & immobilitatur. Hoc autem frigus ab ea emanare non potest, quod ipsam à propria remouet Natura. Suspicari autem ab aëre educi, sicut Cardanus,& Empedoc. opinantur irrationabile est. Aër enim tenuis est Natura, rarusque transpicuusq; & mobilis. Tenuitas autem, & motus & raritas, & transpicuitas sunt caloris opus. vnde nec aqua, nisi calida videri potest, cum & his sit donata conditionibus, & à frigore priuetur, & à blando calore donetur: & in aqueo esse seruetur. Præterea quæ corripit frigus, condensat, immobilitatque, vt patet in aqua & in cunctis calidis liquoribus, & in nobis, à frigore ita affectis, vt aliquando Flandriæ gelu rigeant, moriantur que milites excubantes. Si ergo aër frigidissimus esset, vtique & densus rigens immobilisque foret. Tenuitatem autem à frigore nanciscitur vapores congelante, deorsumque trahente: tenuitatem vero amplissimam quam condensare non potest, relinquente. Quapropter cum non possimus neque ab aqua, neque ab aëre frigus deriuare; consequens est vt Tellus, quæ & tenebras frigidas effundit, sit sedes frigoris. Si enim sedes caloris est sol, qui lucem ac calorem effundit, inueniẽda est sedes frigoris in Mundo. Vbi autem sit quis

assignet? Aura ætherea recentiorum est vana: non enim de superis frigus sed calor. Stelliola respondit mihi, calorem & frigus esse quasdam successiones à solis præsentia, & absentia, vel à naturæ vicibus: sed hoc nihil est. Præsentia enim Solis non facit calorem, sed sol facit calorem, & lucem; cui præsenti si quid obiicies, minus videtur facere. Absentia autem solis non facit frigus, quod enim abest non operatur vbi non est, sed vbi est; vbi autem est semper calefacit, vbi non est; non frigefacit, sed aliud est ipsi inimicum in ipsius absentia vires frigefaciendi liberas habet, & frigefacit. Hoc autem quid est, nisi tellus? esto quoque, quod rerum successiones sint; tamen nihil sine causa. Manifesta autem est causa calefaciens, ergo & frigefaciens inuenienda est. Non enim frigus est pura priuatio, vt Heraclito cōuenit dicere, alibi per nos reprobato; sed Ens actiuum condensans, extinguens, immobilitans, congelans, vt patet. Nec absentia caloris & Nihilum potest congelare & conspissare: sed in quo gradu & qualitate relicta est aqua à sole abeunte, ita permaneret. Non manet autem nec à se mutatur ergo ab aliquo Ente: quod frigus est. Neque ad Deum frigefacientem, aut ad Mundi animam recurrendum est: nam etiam ad Deum similiter calefacientem confugiendum esset, & non ad solem. Hoc autem tollit Naturas rerum, vt in 2. par. docuimus. Frigus quoque Ens esse, & non priuationem caloris in p. lib. ostendimus, & in q. Physic.

RESPONSIO AD ARGVMENTA opinantium, Terram esse calidam.

ARTIC. V.

QVAPROPTER respondeo ad oppositas rationes; Terram verè esse sensitiuum Ens, quoniā Ens omne potest, scit, & vult esse proprium. Non tamen propterea erit animal. Animal enim est spiritus intra crassam molem inclusus organizatam ad opera vitæ peragenda: quapropter neque aër, neque aqua, neque lapis sunt animalia, sed planta, & feræ & homines: licet omnia sentiant, sentire autem non est caloris proprium, vt dictum est, sed omnis Entis propriam conseruationem, & destructionem, percipientis, ideoque agentis. Quapropter frigida terra sentit non tamen mouetur, sicut animalia calida; sed tantummodo vires effundit, & reuocat ad sui defensionem: vtrum autem sit rationalis quoque terra, vt Origenes sentit, nihil ad me: Equidem ordine & ratione cuncta agere suas actiones docui. At mente à Deo infusa non omnia donari, nisi homines; at & Mundum, & sydera saltem assistenti. Verum nihil negem, animam intelligentem terræ, non quidem informatiuam, sed adsistentem actionibus, & vitæ illius, vt Nauta Naui. cuiusmodi nullus Theologorum negaret, qui Angelos singulis rebus adscribunt. Non tamen moueat Terram iste Angelus, sed ipsam in sui Natura seruat, quæ est quiescens.

Ad 2. dico absente sole, multum frigoris in aërem à Terra effundi, vel à subpolaribus regionibus, vel à nostris: & tamen subterranea calere, quoniam frigus occupat aërem, & calor sursum fugit, & deorsum, qui est in rebus solo affixis: Quoniam frigus non exit ex ea Terræ parte, in qua res affiguntur, sed aliunde: & nihil inconuenit calorem, & frigus simul esse pugnantes, vt incōuenit conciliatos. Manifestè enim in aëre frigus vagatur æstiuo tempore, vt in editioribus locis experimur: quoniam solaris lux in terram insiliens, resilit sursum, duplicaturque prope terram; frigus verò deorsum redire à geminata luce non finitur, & aërem peruagatur, & cacumina crassorum occupat Entium, & cum vapores densantur ab eo corripiuntur, & in grandinem constipantur. Libentius enim in crassis habitat. Sicuti ergo in aëre est calor, & frigus sese mutuo oppugnantes, ita in terræ cauernis. Potest autem tunc frigus in aëre magis, quam in eo calor vniri roborarique quemadmodum sub terra, vbi etiam per antiperistasim grandescit.

Sic etiam respondemus ad 3. quod calor qui tenuitatem nactus nondum est, sursum exhalate non potest. Quapropter adueniente frigore colligitur, roboraturque. Idcirco subterranea, vnde exhalare non valuit calor, in hyeme incalescunt, & similiter fontes, & ventres animalium, ideoque tunc voraciores. In æstate verò frigescunt, quoniam externo à calore fotus calor tenuitatem facit, & findit Terram exitque sursum. Hac ergo de causa calor arborum in radices cogitur, quoniam ibi calorem roborari contingit: in aëre verò aperto extingui: Et fluuij in superficie gelantur à frigore effusis habenis regnante: In imo verò retentus calor non finit gelari, & ipsæ quidem aquæ blando constant calore: qui in se concentratur, & à terræ calore roborato, fouetur; & à calore aeris deuicto ligatoque non fouetur. Adde, quod in æstate nos valde calidi, subterranea minus calida pro frigidis reputamus.

Ad 4. dicimus, ignis voragines à sole fieri posse vbi calor sub terra paulatim roboratus ipsam disponit ad combustionem. Sicut enim ex terra aquas facit, & metalla: ita passim disponendo facit & sulfur, & mox accensionem, vel prius. Accensio autem continuatur, quoniam adiacentes terræ partes ab igne interiori, dum aliæ igniuntur, ad ignitionem disponuntur; & deinde aliæ, & aliæ. Hoc autem in insulis contingit crebrius, & magis; quoniam cauernosæ sunt, & ab aqua marina incendium fomentatur, vt palàm faciunt artificiati ignes. Nec tamen omnes huiusmodi voragines perpetuæ sunt: Quæ enim Plinij tempore in Vesuuio monte facta est olim, nunc extincta est, sicuti & fluuij multi. At sæpè reuiuiscunt, quoniam qui remansit calor, paulatim augetur donec resumptis viribus iterum erūpat. Non cessarent autem si calor in corde Terræ per omnia æqualis esset. Quapropter si licet opinari ex centro terræ ignes euomi, etiam aquas lice-

bit inde profectas arbitrari, ficuti Plato afſeuerat,& antiquiores Theologi; qui Tartarum aquarum principium in centro Terræ ftatuunt,nefcientes vnde calidæ cum incendiis aquæ,& inſuper tot flumina inceſſanter mariaque deriuent,niſi ab eo fluant, & influant,& refluant, ficut in Phedone ſcriptum eſt. Et Iob quidem nominat fluuios inferorum, & præcipuè Cocytum,ficut Virgilius & Gentiles,poſt mortem tranandos: & Ezechiel deſcendere mortuos in lacum docet. Et diuus Gregorius his annuit, dum precatur vt animas liberet de profundo lacu: & ne abſorbeat eas Tartarus. Licet autem Auguſtinus aliquando,& Origenes,& Damaſcenus, & Philo,& Auicen. putent, pœnas animarum eſſe ſpirituales,& ignem,& Tartarum Metaphoricos:tamē D.Gregorius in Dialogis aliter ſentit:& ſcholaſtici omnes ſubſcribunt, corporeum eſſe ignem,& affligere quodam vinculationis modo ſpirituali.Nec licet ipſum ſub terra ponere, veluti Iſidorus,& forſan Auguſtinus, quoniam non eſſe ibi inferos, ſed antipodas homines poſt Columbi nauigationem iam patefactum eſt: Oportet ergo in centro Terræ fortaſſis ignem ponere,& aquas & niues ponit Carthuſianus Dionyſ. ex Iob ſententia. Dixi fortaſſis, quoniam Auguſtinus in 20.de Ciuitate Dei, & D. Thomas in Opuſc.10.& 11.& Chryſoſt. hom.11.ſuper Epiſt. ad Rom.& Petrus Lombardus in 4.Sēt. d.44.vbi ſit gehenna ſciri non poſſe,admonent.Profecto ſi quis mihi indicaret frigoris theſaurum,ſicut nouimus theſaurū caloris. libenter Pythagoreis aſſentirer,vel Platoni qui Terram aquis,& vtramque aëre, & ſimul omnes ignibus complecti & compenetrari arbitratur. At interim ignem in centro terræ præter Naturam, quod D. Thomæ non arridet, eſſe dicam. Siquidem pæna damnatorum non eſt à Deo volita & electa, niſi ex occaſione,quia peccarunt. Ergo & ex occaſione peccati ibi DEVS inter frigora coercuit ignem,vt grauius affligeret & detineret. Quapropter cum Telluris ambitus ſit triginta & vno millibus ferè milliaribus, poteſt in centro Dæmones,animaſque detinere; donec impleatur etiam corporibus, dilatato ipſius ventre: quando deuictum frigus eſſe defierit: & Terræ facies indurata vt cyſtallum fuerit: Quod Theologi expectant. Quod ſi ignis eſt in centro, vtique & aqua eſſe poteſt. Ex vaporibus enim fumiſque condenſatis in eius cauitatibus Tartarus fieri poteſt, quemadmodum aquæ calidæ in agro Puteolano ex vaporibus, ob accenſione factis, & in anguſtia cauernaram denſatis, fiunt. Hoc tamen contendam contra Platonē, Pythagoreoſque,maria non habere originem, conſeruationemque à Tartaro inferorum, neque ignem. Sed illud à Terra ambuſta olim liquefactaque fieri; propriiſque ex fontibus: ficuti in Calabria videmus aquas in ſalem cōcreſcere parum ſub terra,vbi generantur. Et ſudor declarat,& cinis,ex quo ſal educitur,fieri mare ex aduſta,liquefactaque terra. Flumina autem è mari fortè exeunt colato,eleuatoque, quaſi per ſpongiam, & in mare redeunt,illud ſua in quantitate ſeruant. At Mare non à Tartaro: licet diffiteri non poſſimus, vbi ignis eſt concluſus, aquas calidas gigni oportere. Frigora quoque niues paulò ſuperius fieri,quoniam ambiens frigus calorem illum congelat: & ita verum eſſe,quod de glacie ad ignem tranſeant animæ ſpiritali more patientes, vt aiunt Theologi. Cæterum quod ignis vniuerſitas nequaquam in centro ſit,ſed in circumferentia Mundi,palàm eſt,quoniam à ſole omnes deriuantur ignes; & Theologi,Philoſophique omnes, Ariſtotele excepto, qui tamen ponit ignem ſub Luna, & non in Centro,fateantur.

Argumentum Copernici, quod ignis extenſiuus eſt,(& à centro ad peripheriam ſit extenſio) nullum eſt. Extenſio enim eſt dilatatio & rarefactio. de Natura ignis eſt rarum eſſe: quæ ergo ignit,facit rara. rarum autem intra terram viuere non poteſt;vult ſpatioſitatem,non anguſtiam vita eius:ideo de Natura eius eſt eſſe in ſpatioſa peripheria,nō in anguſto Centro,& ideo ignis omnis fugit à Centro ad circumferentiam: & hæc eſt extenſio, & natura eius eſt extenſum eſſe, & non extendi: extenduntur enim,quę adhuc naturam ignis non acceperunt. Quod autem ignis non eat ſurſum, vi extruſus, vt dicit Lucretius, & cum eo Copernicus, patuit in 2. p. vbi vidimus, ignem ſub terra genitum, quamuis à montibus, & fornicibus ponderoſis prematur deorſum, nolle manere, ſed omnia demoliri, & nullis poſſe machinis cohiberi, quin ſurſum vadat vt Vulcani,& cuniculi bellici oſtēdunt: ergo pergit ſpontè ad ſuum cognatum corpus cælum, & fugit terram, quaſi inimicam: & eſt in Centro terræ ex occaſione, & præter ſui naturam, ſicut & animæ, & dæmones, qui cum Cæleſtes ſint, tamen ſub terra cohibentur. Hæc diximus in gratiam Theologorū ponentium in medio Terræ iſta materialiter:in reliquo tamen frigidam eſſe Terram demonſtratum eſt, non tamen ſub ſuperficie ad duo fortè milliaria: quoniam eouſque penetrat ſolis calor, & generat aquas, metalla & voragines ignis, ſi non ab inferis expirant: ſed ſicut in aëre eſt calor & frigus,ita & in hac prima terræ profunditate; quapropter frigus ab intus, & foris præmitur, & roboratur, donec tandem deficiant vt dictum eſt. Et hoc rectè declarat, hanc ſæculorum ærumnoſam periodum eſſe terminandum, & non æternandam, vt putat Ariſt.

Ad 5. reſpondemus, Terram eſſe ſphæricam, non vt ſphærico motu voluatur: ſed quoniam vndique fugit ab hoſte circumeunte, neceſſe habuit ſphæricam aſſumere figuram: quæ non ob ſolum motū:ſed ob conſeruationem datur: quæ etiam per quietem fit. Et mirum quo pacto huic rationi innitatur Copernicus, qui Solem immobilem ponit: & ſydera non errantia, & tamen ſphærica. quare nunc priuat ipſa ſuo actu:Terræ autem tribuit?

RESPONDEO

RESPONDEO AD VLTIMAM RATIONEM, *motum 24. horarum non conuenire Terræ, sed Cælo magis igneo; nec posse Terram simul cum igne in sole reperiri, & stellas posse lucere absq; Terræ soliditate.*

ARTIC. VI.

QVOD tandem aiunt, Terræ potius, quam Cælo conuenire motum 24. horarum, nobis non ita videtur: manifestè enim ea mouentur, quæ tenuia sunt, calidaque; quæ autem corpulenta, ac frigida sunt, immota manent: cuilibet sanè intueri licet ferrum & lignum, & glaciem & omnia corpulentia immota manere: at vbi à calore corripiuntur, attenuari in fumum, ac moueri. Cum ergo in terra sit corpulentia, & frigiditas, in Cælo vero, & syderibus lux, calor, & tenuitas: neutiquam asserendum putamus, terram moueri, & Cælum stare. quod vero admirantur Pythagorici, quomodo in 24. horis immensum spatium peragrent sydera, mirari desistent, si ignis considerent Naturam; qui sanè viuacissimus, tenuissimus, leuissimus, & mobilissimus est. Siquidem intra bombardas accensus tanto erumpit impetu, vt quasi in instanti per duo milliaria pilam plumbeam antequam sentias bombum, asportet. Lux quoque ipsa simulatq; horizontem scandit ab Oriente ad Occidentẽper immensum spatium in instanti transilit, & fulmen subito mirificè fertur & operatur. Sydera ergo quæ sunt calor (calor enim est lux apparens) cur non possint in 24. horis totum permeare ambitum rerum? Ais, quia corpulentiam habent. Benè quidem, nam absque corpulentia aliqua simul ac sunt in Oriente essent in Occidente, vt lux; sed quia corporeitas aliqua illis inest in duodecim horis tantum perficiunt spatij. Non enim arbitrari licet cum Platone, ac Timeo, Solem ex 4. Elementis constitutum esse. Terra enim immobilis est: ignis vero mobilis. Summa ergo infęlicitas esset igni vectare terram sibi contrariam: Terræq; moueri contra sui Naturam: & iam destructum esset ipsorum alterum in hac mistione positorum, & omnia essent vnũ. Quapropter rectius Plotinus in 3. Ennead. monet non esse in Cælo de Platonis mente Elementa quatuor, sed similitudines, vt ignis lux & calor, aëris tenuitas, aquæ claritas; terrę quasi soliditas: hoc est vnio. At quidem argumentum in Timeo illud est: *Quoniam* (ait) *spectabilis erat cælestis machina. Spectatur autem omne per ignem, ergo ignis in ea.* Et hoc rectè dixit, sed cum ait. *Et palpabilis erat: palpatur autem omne quia solidum: solidum vero Terra est, &c.* hîc audet: quasi enim ipse tetigisset solem, & durum, retinentemq; inuenisset, pronunciat in eo soliditatem. At aiunt, quomodo potest vniri calor, nisi à materia densa? densa autem est terra; in aëre enim non est calor, qui luceat, quoniam densitate caret. Respondemus, benè magnę tenuitati, benè magnum indi posse calorem, declarari in luce per vitrum transuecta: quæ in aëre conglobatur in conum, & lucet, & vrit, sicut ignis. Potest ergo in tenuitate lux vniri propriarum partium similitudine mutuo congaudentium, & ab aduersis se defendentium. Amor ergo vnit lucem in syderibus. In aëre autem non remanet lux vnita, quoniam ad suas origines reuertitur, & ad ipsum solem, ne oppugnata à terreno frigore deficiat: & quia cognata gaudet Entitate, & solitudinem fastidit. De motib. autẽ Astrorum inferius disputamus: quatenus huic sermoni conuenit: vbi etiam patebit, quod neque ab orbe magno Terra frigida vectatur, vt Copernicus docet: quod non omnino repugnat ab alio circumferri, sicut frigida nix à naui: sed nunc ad rationes Stelliolæ respondeamus.

Soluuntur rationes Stelliolæ, probantis conuenire motum Terræ, & Soli quietem.

ARTIC. VII.

AIT enim. Terra & sydera indigent sole: ab eo enim fouentur, ergo ipsa circa solem mouentur, & non è contra. Sol enim tanquam beatus & nullius indigens quiescere debet in sua beatitudine. Vnde & Theologi dicunt, Deum manentem immotum cunctis dare motum rebus, teste Boëtio. Et Sophocles solem appellat Deum visibilem: & Origenes statuam summi Dei: ita etiam Plato in D. de Legibus, filium Dei, solem & mundum vocat: ergo mundus quiescere debet, & Sol; Tellus vero & Planetæ moueri. Quibus respondemus, materiam rerum secundarum esse terram, solem vero agentem causam: hunc patrem, illam matrem; Artificis autem, & masculi est se ad materiam mouere, & non materiæ & fæminæ ad artificem ire. Item Terra est soli contraria: eius autem conseruatio est quies, & operatio; solis vero atque ignis est motus. Item si valet hæc ratio, cur non etiam fixæ circa solem feruntur? Copernico enim stant omninò, neque circa solem, neque circa seipsos conuoluũtur: vnde scintillationem à distantia fieri apparenter docet. Et profectò mirum est, quomodo terra circa se ipsam voluitur in 24. horis, vt solis luce vbique fruatur, & simul circa solem annuo motu voluitur in orbe magno; & tamen cæteri planetæ hoc non faciunt. Manifestè enim Luna semper eandem ad nos faciem ostendit, & maculas in eodem situ; vt neque in se gyrare lateraliter, neque desuper deorsum, cogita-

re queas. Etquidem indiget ſole ipſa & omnes ſtellæ, ſi intra ſe terram habent, & aquas, vt aiunt. Maculæ autem Lunæ, quæ terra eius videri poſſunt, manifeſtè ſtare ſemper in eodem ſitu, & non circumuolui videntur.

Ad 7. reſpondemus, ſolem eſſe Dei ſtatuam, & corporeorum Entium nobiliſſimum, ſed quidem beari motu, & non quiete: Motus enim eſt vita caloris, Terræ verò frigoriſque quies. In ſuperioribus autem libris oſtendimus Dei propriam non eſſe quietem, nec motum, teſte ſancto Dionyſio. Non modo enim in ſcripturis ſanctis prædicatur immutabilis, ſed etiam mobiliſſimus cunctis mobilibus. Ergo habet in ſe quietis immutabilitatem non torporem; motus vero viuacitatem, non mutationem; & tamen neque moueri, neque quieſcere dicendus eſt, ſed eminentius ſeſe habere. Sol ergo Deo eſt ſimilis in operando, & agendo: quod facit motu. Deus autem abſque motu, & tamen vita magis per motum declaratur, ſed vita calidorum. Frigidorum vero per quietem. Terra ergo quieſcat, & ſol moueatur. Nunc Cæli ſubſtantiam examinemus.

ACTIONES SIDERVM OMNES ESSE

à calore, varijs modis agente: & non poſſe ex Aſtrologia probari, frigus in Cęlo eſſe.

CAP. VIII. ARTIC. I.

ASTROLOGIA Ptolomæi nil cogit in Cælo quatuor Elementa ponere, aut quintam eſſentiam; quoniam iuxta philoſophiam noſtram res nulla frigore natiuo apud nos conſtituitur, excepta terra. Aqua vero calida eſt, quoniam à calore fit ex vapore condenſato in locis calidis: & eius motus, & candor, & ſapor, & tranſpicuitas oſtendunt, eam eſſe calidam: at calore blando. Nam à magno ſoluitur in aërem; à frigore in glaciem cogitur; à blando calore in ſuo eſſe fluido ſeruatur. Niuem quoque & glaciem candor, & tranſpicuitas, calidas declarat; licet denſitas frigoris externi, non natiui, ligationem, ne poſſit calor manifeſtari, oſtendat: ſicut & oleum & vinum glaciatum, calore natiuo calida ſunt, à frigore tamen externo oppreſſa, ne operentur. Quapropter quamuis ſydera huiuſmodi res, quas frigidas vocamus, generent, foueantque, non tamen ſtatim ſunt & ipſa frigida. Non enim demittunt frigus ad hoc faciendum, ſed lucem & calorem, & motum. Calor autem à tanta diſtantia deſcendens, adeò debilitatur, quod nobis inſenſibilis eſt. Sicut lux lucernæ nobis à longè manentibus non videtur calida: rebus tamen frigidiuſculis videtur. Nam Medici manus febricitanti videtur frigida, ſano autem calida. Minus ergo calidum, magis calido frigidum apparet. Ita & Lunæ calor debilis ad nos venit adeò, quod frigidum videtur, ſed non aquis. Aquæ enim à calore Lunæ rareſcũt, tumeſcunt, & æſtuant: quod declarat mare Britannicum, quod creſcente Luna creſcit, & decreſcente decreſcit. Poteſtas ergo Lunæ ſuper aquas non eſt à Lunæ frigiditate, ſed à calore. Si enim à frigiditate decreſceret, & gelaretur, Luna creſcente: contingit quoque per accidens, quæ blando calefiunt calore, frigefieri: quoniam dum rareſcunt à calore, frigus circumſtans ſubitò viam inuenit ſubeundi per raritatem, & glaciandi. Propterea que aqua calida in hyeme expoſita frigori, citius congelatur, quam frigida. Hæc enim occludit viam frigori denſitate: illa vero per raritatem admittit. Cancri quoque, & animalia lunaria ſub plenilunio augentur, quoniam humor ab ea rareſcit, & mollities, & melius nutriuntur: à Saturno vero, & Luna fiunt pluuiæ, & grandines, ſi adſit Mars, præſertim in ſynodis, & oppoſitionibus: quoniam plures vapores à multo lumine eleuantur, & à blando calore ſtellarum adaperiuntur, ita vt calorem emittant foras, & ipſi accidente frigore Terræ congelentur. Sic cicorea, cum ſit calida, vt eius amaritudo declarat, iecur accenſum refrigerat: quoniam blando ſuo calore in ſucco ſuo ſubintrante, iecur laxaxatur, aperiturque, & flamma intra iecur ſiccum detenta, exhalandi viam nanciſcitur. ſicut ſi quis aduſtum crus habeat, apponendo aquam tepidam ſanatur, quoniam tepor aperit cruſtam vſtionis, & calor inflammationis egreditur: frigida verò inflammat magis, quoniam calorem conſtipat, roboratque: & in harum rerum cognitione falluntur Medici, vti Aſtrologi, quoniam pronunciant frigida, quæ per accidens frigefaciunt. Omnis ergo in Cælo planetarum coniunctio nouum calorem addit vnione, & nouo modo afficit inferiora, & vapores: idcirco ciet ventos, aut pluuias, aut grandines pro tempore, & loco. Non ergo oportet ponere in Cælo frigus, & aquas in ſyderibus ob eiuſmodi effectus.

Sed inquis, calor Saturni additur calori ſolis. ergo auget, & non facit per accidens frigus. At videmus ſub cane quandoq. pluuiam fieri ex ſynodo Lunæ, & Saturni ad ſolem configurati. Reſpondeo quod ſi Saturni calor ſimul cũ ſolari effunderetur, augeret illum: at quoniam agit in ſubiectum à ſole calefactum, imminuit illum. Patet enim, quod plurium lucernarũ lumina ſeſe interſecant: & dum copulantur non ad eandem viam torquentur, qua maius lumẽ porrigitur: ſed ſingulum ad ſuam. Solis ergo lux licet occupet oculos noſtros, ne videamus alias luces, ſicut calor multus in ferculo tegit ſaporem ferculi, qui eſt blandus calor: nihilominus quælibet lux viam ſuam pergit, & in ſubiectam rem propria actione agit: vnde experimur in hyeme plenilunij lumen calefacere aërem: quoniam ſol tunc debilis eſt nobis: in æſtate vero quaſi refrigerare, quoniam adaperit res aduſtas, & exhalare facit incruſtatum calorem. Manifeſtè etiam aqua tepida

feruenti iniecta feruorem sedat, non auget. Sed hoc fit, quia feruor in pluri materia dilatatus, debilitatur sui disgregatione. Paruo enim igne parua olla feruet; magna vero minimè. Luna autem & Saturnus non addunt materiam æstui solis, sed aperiunt exitum, vel fortè parant: quoniam & vapores educunt crassiusculos, & plures addunt, quàm qui fuerant. Frigori ergo vires per accidens subministrant, vt dictum est. Sed quidem patet vel astrologorum testimonio, cum planetæ retrogadi sunt, quoniã terræ propinquiores, æstum augeri, præsertim cũ plures simul retrocedunt: & in æstate augent æstum, in hyeme vero imminuunt frigus, & faciunt grandines; quoniam tenuiusculi vapores intra crassos occluduntur, qui calore indito, auctoque accensi erũpunt in tonitrua, ac fulgura: crassiores vero tenuioribus priuati, condensantur magis, & glaciantur. Idcirco feruidus Mars in hyeme grandines facit: Saturnus vero niues, quoniam illius calor æstuans tenuitatem educit; istius vero blandus calor erumpendi vim non habet, sed à frigore corriptur, & ligatur in nube, quæ fit nix absque tonitruis, quæ grãdini complicantur. Cometæ quoque, & impressiones ignitæ ab omnibus Planetis fiunt: nam alij sunt Saturnini, alij Martiales, alij Lunares, &c. & tamen omnes calidi. Maris quoque fluxus ac refluxus à sole fit senis quibusque horis: quoniam vbi imminet, fit ebullitio suo à calore: & in diametro concursus vndarum ab ebullitione hinc inde defluentis super sphæra telluris, quam circumdat Mare. In lateribus ergo fit depressio. sic olla eleuatur feruore, qua spectat ignem, & ad ansas: in lateribus vero deprimitur. Transposito autem sole in secundam quartam, quæ primo ferbuerant, detumescunt; & quæ deprimebãtur, eleuantur, altera à feruore, altera à cõcursu. Lunam autem hunc motum non efficere, nec nisi ferè insensibili adiectione mutare, probatum est in Physicis: quoniam ipsa non semper lucet, nec semper feruere faceret: & obseruatum est, vbi imminet ipsa & non sol, fieri decrementum. Quæ autẽ fiunt augmenta, decrementaque, iuxta Lunæ auctionem, diminutionemque, reuera sunt eius effectus, suæ consimiles causæ, non illi. Quapropter palam est à calore vtranque fieri diuersitatem. Et quoniam sol accedens, & recedens variis immutat terram modis, varios gradus caloris efficit. Idcirco quidquid omnia faciunt sydera refertur ad solis actionem: quoniam eorum vis est in modificatione circa maius & minus in solis calore. Quapropter cum dicuntur signa Cæli calida & sicca, vel frigida & humida, & pluuiosa, & tonitruosa, & niuosa apud Ptolomeũ, intelligendum est dum sol est in eis, & ad regiones nostras. Nam dum primum Arietis gradum intrat, immutat annum, adducit veris tepiditatem, & floritionem: & quidem hoc faciebat Sol, quando æquinoctium erat in prima Arietis stella, & similiter facit nunc in secundo piscium gradu, ante primam Arietis, gradibus 28. Ergo ne qualitates stellarum Arietis transierunt in Pisces? Minimè. Sed sol, quoniam in 2. Piscium habet eundem situm, & propinquitatẽ ad climata nostra, quem in primo Arietis habebat: idcirco facit itidem Ver. At quoniam stellæ ipsius modificant actionem, non sunt eisdem omnino modis temperamentisque æquinoctia nunc ac prius. Adde solis descensum, qui nunc in Italia producit dactylos, non autem tempore Plinij, in Cypro nunc maturat, quos tunc non maturabat, & in Gallia vinum, quod non fiebat sub Iulio Cæsare. Et Germania olim solo moribusque inculta sub Cæsare, nunc vtroque splendet cultu. Puto & fructus etiam variari vel tantilla varietate, quam hominum ætas breuis non discernit. Idem de cunctis dico rebus. vide Astrologorum lib. 2. Considera etiam, quod Cælum disponit in moribus: lex suggerit factis dispositionibus. Deus perficit tandem interiori auxilio, qui per exteriora iam dicta disposuit suggessitque.

QVA RATIONE DICANTVR SIGNA masculina & fœminina, vt & sydera. Item frigida & humida, & sicca, &c.

ARTIC. II.

SED qua ratione dicantur signa masculina & fæminina, & frigida & humida, non pariter se habet in Astrologia sicut in Physica. Nam Physicè ea reputanda sunt fæminina, in quibus Sol parum potest. Eademque erunt frigida, humida, nocturna. Sicut è contra in quib. prævalet, sunt calida, sicca, diurna, masculina. Et hoc dici debet non respectu ipsorum signorũ, sed nostri. Ergo non debet taurus vocari frigidus & siccus, quando quidem Sol in Tauro potentior est, quam in Ariete: neque Cancer humidus & frigidus, in quo Sol potentior, quam in Geminis, & proximior nobis quam in Leone. Si ergo ab effectu tales damus signis proprietates, non videntur ritè dari. Si ab essentia longè minus: sunt enim stellæ Piscium nunc, vbi erat Aries: & reputãtur calidæ & siccæ; & tamen, quando æquinoctiũ fiebat in prima Arietis reputabantur frigidæ & humidę Astrologi nesciũt, quid respondeant in hoc: sed Cardanus ait, esse duplex signiferum, alterum stellatum, alterum non stellatum; & in non stellato has proprietates reperiri, cui nimirum impressæ sunt à stellato quando simul conueniebant. Ergo licet stellæ Piscium sint in Arietis situ ad non stellatum orbem; tamen faciunt quod faciebant stellæ Arietis, non quod Piscium: quia non ipsæ hoc faciunt, sed Aries non stellatus in eis. Profecto hæc sententia subtilissima est; at frustra Astrologi ei inhærent: Nam si stellæ Piscium humidæ & frigidæ sunt in Ariete non stellato calido, & sicco, impediant oportet ver, quoniã nobis ipsæ sunt propinquiores, & fortiores ob manifestas vires, occultis potiores. Ergo esset hyems quando Sol est in Ariete, vel frigidius esset nunc ver, quã quando fiebat æquinoctium in Ariete: & nunc frigidior esset similiter æstas, quã tempore Ptolomæi: quoniam stellæ frigidæ, & humidæ Cancri nunc

ſunt in Leonis non ſtellati loco. Hoc autem falſum eſt, nam vel penitus, vel dimidia æſtas defeciſſet: & tamen è contra duplicata eſt: quod rerum generatio calidarum nunc admonet, quæ non erat ſub Ptolomæo: vinum quidem fit in Gallia: in Italia dactyli, ſaccarum, & locuſtarum illuuio; quæ tunc in Ægypto, & Paleſtina calidiſſimis tantum erant. homines ſunt in Italia calidiores; Ruſticitas in Germania ceſſauit, & cultus morum & ſoli, introductus eſt, vt ſuperius memorauimus. Sed poſſet quis dicere has immutationes fieri à ſolis deſcenſu; qui ſi non eſſet, æſtas minoris vis fieret nunc, quàm prius; ſed hoc excludunt ſigna, in quibus ſol facit hyemem, & tamen reputantur calida, & ſicca, vt Sagittarius; Aquarius quoque calidus vocatur, & humidus: & tamen ſæuior ſub eo eſt hyems, quàm in Capricorno, ſicut æſtas validior in Leone, quàm in Cancro. Et cum in Cancro maximus calor fiat, non video cur frigidus appellari poſſit: Aquarius vero calidus, in quo frigus ſæuiſſimum fit. Quapropter Phyſicè rectius dicendi eſſent ab effectu Aries, & Taurus calidi, & humidi, & pars Geminorum: Cancer & Leo, & pars Virginis calidi, & ſicci: Virginis pars, & Libra, & Scorpius frigidi, & ſicci, ſed plus frigidi: Sagittarius, Capricornus, & Aquarius frigidi, & humidi, vſque ad dimidium Piſcium; cuius extremum calidum, & humidum ſit, & hac ratione alia ſint maſculina, alia fœminina, & alia hermafrodita, alia nocturna, alia diurna, & alia veſpertina, vel matutina. At neque maſculinitas ſumatur Aſtrologis à maſculorum procreatione; nam neque maſculi fiunt in ſignis maſculinis horoſcopantibus, & poſitis luminaribus in eis: neque fæminæ in fæmininis; hoc autem obſeruaui non ſemel, & Amico aſcendit Virgo, & Sol in eo, & Saturnus & Mercurius: Luna autem eſt in Piſcibus. Nec propterea vt aiunt, præpoſteræ, paſſiuæque Veneris abuſus illi placuit vnquam more fæminino; neque fæmineæ cogitationes, ſed maſculæ valde, licet temperies nō robuſta inſit valde; quod ſi maſculeſcit ſignum in angulis, vt Ptolomæus dicit; vtique aſſerendum eſt à ſitu, & non à Natura has proprietates ineſſe ſignis. Situs autem dat non potentiam agendi, ſed commoditatem: vnde rectè videtur dixiſſe, ſtellas à ſole Orientales maſculeſcere, quoniam ſuccedens Sol eorum vires auget; Occidentales vero fæmineſcere, quoniam occumbit Sol ante illas, & vires earum in nocte nobis debiles communicantur; & ideo quarta Occidentali hoc verum eſt. Nam ſole tenente nonam domum, Planetæ in decima non fæmineſcunt. Hæc autem diuerſitas à ſolis viribus eſt, ergo & aliæ: quapropter in aliis regionibus alia ſunt ſigna maſculina, & calida; qui enim habitant ad promontorium Bonæ ſpei habent æſtatem Sole tenente Aquarium, & domus Solis Aquarius eſt illis; nobis autem Leo, Aquarius vero Saturni.

Poteſt fortaſſe hac ratione decretum Aſtrologorum verificari, quod ſol in Ariete ſiccitatem inducit & caliditatem reſpectu hyemis præteritæ. In Tauro vero frigiditatem, & ſiccitatem, quoniam vires Solis auctæ calorem Terræ impreſſum ſurſum educunt; vnde per accidens remanet quaſi frigus in Terra: ſicut frigeſcimus in timore, fugiente calore ab extremis in viſcera. In Geminis vero calorem facit, & humiditatem, quoniam vapores multos iam educit calor, & herbæ ſucco plenæ germinant, florent & humorem oſtendunt. At in Cancro frigefacit & humectat; quoniam calorem in tenuitate iam denuo auctum attollit ſurſum; humiditates vero remanent apud nos multæ: nam fontes exuberant, & herbæ & arbores fructus ſucci plenos habent, qui nobis frigiditatem quandam concilient prouidente Deo, vt ſiccitatem, & calorem temperent imminentem ab æſtu ſolis. Nam ſuccedit in Leone calor magnus, non quia Sol propinquior imminet, quàm in Cancro, ſed quia actio eius duplicatur à mora ipſius ſuper climata noſtra: ſi enim quis tangat ignem ſubito non prorſus vritur, ſed ſi ignis paulatim ab eo ſecedat, aſſatur, ſicut caro. Ergo ſicut caro primo ſuccum emittit, & madeſcit, atque deinde ſicceſcit; ita Tellus, & arbores ſub Cancro totum ſuccum in fructus, & folia pandunt: ſub Leone verò ſicceſcunt, & maturant: & prouidit Deus, vt vua non niſi in Virgine, quando iam ſol abſumpſit noſtros humores, & partem caloris eduxit, cuius gratia dicitur virgo ſicca, & frigida: vnde indigemus abundanti ſucco vuarum, calidoque. In hyeme autem oliuæ matureſcunt, & arangia, & glandes, & myrti, quæ à frigoris antiperiſtaſi roborato calore coquuntur: & hæc ſicca hyemi congruunt, vt noſtram fluiditatem abſumant, aut non augeant, aut incidant acetoſa pituitam. Et in aliis regionibus alios dedit Deus fructus, & animalia alia: ſic de cæteris ſignis philoſophandum eſt ex reſpectu noſtri, & actionis eorum præcedentis, & ſubſequentis: vide medicinalia.

QVA RATIONE RESPECTV MVNDI inferioris dicuntur Planetæ, & ſigna qualitates habere elementatas: & reſpectu diuerſarum nationum diuerſas eſſe: & ideo multiplicem faciendam eſſe Aſtrologiam.

ARTIC. III.

Quapropter noſtra poſitio Aſtrologiam non tollit, ſed emendat. Neque enim ponenda ſunt in Cœlo elementa quatuor, vt iſti fiant effectus, cum ſolo calore fiant, & à ſitu facilitatem, & difficilitatem eius actionibus præſtante: & in hoc decipiuntur, quod putant aquam eſſe frigidam, & humidam, & ſimiliter aqueas concretiones: ignem vero ſiccum, & calidum. cum iam patuerit eſſe tenuiſſimum; ergo humidiſſimum. Nam & aër humidus eſt Ariſtoteli quia tenuis. quod ſi humidum accipiamus more Medicorum, qui non rei naturam, ſed reſpectus ad corpus humanum conſiderant, vtique aqua & craſſus aër humidi dicendi ſunt tan-

tum,qui potius vdi dicendi erat,& molles. Sed cum omnis humor à calore fiat per ſe, & ſiccitas per accidens, dum ad ſe cognatam attrahit humiditatem, actiones cœli ab vno calore faciendæ erant. Nam frigus quoque per accidens,& reſpectu noſtri ſit, vt dictum eſt. Ergo noua Aſtrologia componenda eſt pro aliis regionibus. Qui enim ſub æquinoctiali habitant,debent tribuere ſoli domos duas, alteram à medio Piſcium, vſque ad medium Arietis non ſtellatum: alteram vero à medio Virginis, vſque ad medium Libræ. Duas quoque Lunæ hinc inde: Saturno vero duas, Cancrum & Capricornum diſtantiſſima ab eorum Zenith: ſed non tota. Inter media autem Mercurio & Veneri, & Ioui, & Marti, partiri, prout à ſolis domo recedunt,iuxta Aſtrologiam noſtram. Ergo alia erunt illis calida, & ſicca, & frigida, & humida, ac nobis, & frigus eorum maximum longè debilius, ac quod nobis in vere contingit. Qui vero habitant ſub Tropicis, domum Solis habent à medio Cancri, vſque ad medium Leonis non ſtellatorum: cætera vero ſigna iuxta ordinem ad hunc. Nos vero, qui extra Tropicos habitamus, domum Soli tribuimus Leonem, Lunæ vero Cancrum, vtrumque calidum, ſed hunc humidiorem, idcirco frigidiorem reputatum. Saturno vero oppoſitas damus domos, ſcilicet, Capricornum, & Aquarium: qui habitantibus extra Tropicum Capricorni, ſunt domus Lunæ, ac Solis: At Cancer & Leo ſunt Saturni: & ſicut nos poſt has addimus domus Mercurij, & Veneris, & Martis, & Iouis iuxta ordinem à domibus Luminarium, ita & illi. Ergo domus Iouis apud nos, ſunt Mercurij apud illos. Hoc idem decidendum eſt de Triplicitatibus, & Terminis, & de Exaltationibus. Saturnus enim illis exaltatur in Ariete, quoniam Aries eſt, Autumnus eorum, & Saturnus poteſt apud eos valdè in Ariete: apud nos vero in Libra: quoniam anni tempus à ſole factum eſt conſimile viribus Saturni, non quia reuera Saturnus poteſt magis in his ſignis, quam in aliis, niſi reſpectu rerum inferiorum. Iupiter exaltatur nobis in Cancro, quoniam humiditas, & calor tunc apud nos ſunt, & Iupiter talibus gaudet qualitatibus, non in ſe ſed ad nos. Siquidem copioſus ipſius calor proportionatur ei, qui eſt in vaporibus vdis, & aquis temperantibus. Mars vero nobis dominatur in Capricorno, quoniam debilis eſt calor eius, & reputatur ſiccus, quoniam tenuiores facit exhalationes, quæ ſunt aptæ vri, & tonitrua facere. Sed quidem iuxta materias penſandæ ſunt vires ſtellarum: nam ex molli magnus calor multam educit tenuitatem, & difformem; hoc eſt, ex tenuibus & craſſis, & fuliginoſis commiſtam partibus: ex ſicca vero tenues educit vapores, & fuliginoſos: blandus vero calor ex materia ſicca tenues, & ſimilares: ex molli vero craſſos ſed ſimilares: intermedij vero ex miſta materia inter medios. Sed gradus hi non poſſunt dinumerari. Idcirco, neque ſtellarum vires percipi, niſi ab effectibus; qui à ſitu & ſubiecta materia ſpecificantur. Semper ergo poſſunt idem planetæ, ſed aliud reſpectu aliorum. Reſpectu vero ſui iuxta plus minuſque lucis à ſole acceptæ, vnde & in nobis varietatem addūt. & qui hoc non conſiderant dabunt eundem effectum Lunæ diuiduæ, & plenæ, & Saturno in Auge, in Perigeo, & Mercurio ſub Sole, & poſt Solem: & ſic diuinatio fallitur: quod cælum agat nedum calore & luce, ſed etiam aſpectu & motu, in ſtupidas res cauſaliter, in cognoſcentes occaſionaliter: in miſtis miſtim: dictum eſt in Aſtrolo. & S. Auguſtinus addit afflatus: & S. Thomas efficacias ſignatas, quod & hic amplius clarafcet.

QVAS CVM SOLE, ET QVAS SEORSVM *ſuper inferiora vires ſigna cœli habeant, & Lunationes: & Annum ſolarem, & aliorum Planetarum, & rerum paſſiones diuidi in quatuor partes, ſicuti motus Solis diurnus, & ex horum varietate, nullo admiſto cæleſti frigore, oriri rerum inferiorum varietates.*

ARTIC. IV.

EST etiam peculiaris vis in ſignis, & ſtellis, quam habent etiam, ſi Sol non ſit in ipſis. Non modo enim Scorpius eſt tonitruoſus, & pluuioſus in præſentia Solis, ſicut Ptolomęo ponitur: ſed etiam non exiſtente Sole in illo: ſi & alij Planetæ congrediantur, hanc vim habet. Sed non in æſtate, & regionibus calidis, ſiccisque: additus enim calor ex tali ſynodo non poteſt facere, quæ ſol in eo, ſed quid proportionale: At ſi Sol fuerit in Aquario, aut Piſcibus, vtique potuerunt ciere pluuias & tonitruum, quoniam tunc vis Solis languida eſt in regione noſtra, & eorum conatibus conſimilis. Siquidem vapores non attenuat, exſiccatque ſic, ne in pluuias cōcreſcant. Illa.n. vis in tali ſigno non remanet à ſole impreſſa, ſed ab ordine rerum. Quoniā.n. Sole ibi exiſtente, immutatur inferior mundus ad talem effectum, accidit vt ſicut cicatrix remanet in vulnere, & ſicut affectio ſopita in his, qui mordentur ab Araneis Tarantinis, quæ renouatur ſi quando alius commorſus eiſdem appareat, ſicuti renouatur nauſea viſo mari, in eo, qui vomitum & nauſeam paſſus eſt in mari nauigando: ita in ſigno, in quo Sol aliquam efficit particularem paſſionem in inferiora, ſi congrediantur planetæ, effectum eiuſmodi renouant. Habent tamen & aliquid proprium. Nam ſtellæ in eis ſitæ plures, aut pauciores, grandiores, aut minores, conferunt ad effectus plus, minuſque. Ergo Gemini ex quo Aldebaran & Bellatrix, & Orion in ipſos intrarunt, plus calefaciunt, quam ante, ſi tamen canis, & procion non tantundem valebant, iam Cancrum tenentes. Sed puncta cardinalia de ſigno in ſignum tranſeuntia, quæ totius anni diſpoſitionem habent à ſole, longè magis poſſunt: & idcirco rectè Ptolomæus lunationem præcedentem Solis ingreſſum in puncta cardinalia pro anni quarta obſeruare iubet: illa.n. adiuuatur à tota quarta, & eius decreta ſequuntur aliæ lunationes, quoniam & Sol ipſa ſequitur. Sic etiam putan-

dum est, planetas habere peculiares effectus super inferiora, quos cum regnauerint, ostendunt. Verum quia à Sole ipsorum effectus euerti possunt, non enim tenente Leonem Sole, potest Synodus Lunæ & Saturni niuem facere, nisi rarissime, & in regione paludosa. Sed grandinare contingit potius, vt Patauij experti sumus, Sole, & Saturno & Luna in Leone congressis: quoniam regio paludosa est valdè sicut & tota Insubria, & Gallia cisalpina. Sed declarantur vires planetarum & in Eclypsibus, quando nimirum Sol aut luna priuantur luce, actioneque in inferiora, & tunc interregnantes planetæ decernunt pluuias aut serenitates iuxta sui ipsorum proprietates: & similiter bellum & pacem, quatenus animus humanus passionibus ab aëre illatis sponte succumbit, & occasionem suscipit se ipsum nouis passionibus commouendi. Tunc enim vires Planetarum minimè à luminaribus impediuntur, sed iuxta decretum ipsorum prosequuntur regimen inferiorum. Cùm enim dies & anni circulares sunt, non habent principium, aut finem. At quando quid noui accidit, principium est noui effectus: Ergo ille sequitur effectus iuxta vires principij: idcirco ingressus in cardines, & Lunationes eorum habent vim iuxta principiationem suam vsque ad sequentem ingressum Tametsi lunatio non habeat vim, nisi à coniunctione in oppositionem per se, vel ad quadraturam in rebus facilè patientibus: quando tamen est cardinalis, vsque ad quartam porrigitur: Quando vero est Eclyptica, porrigitur ad tot menses, quot horis durauit Eclypsis Lunaris: & ad tot annos, quando solaris; & hoc rationabile est, quoniam motio magna plus durat, vt patet, cum moues virgulam aut aquam: immutatio autem magna est in mundo ex horum mutatione. & licet defectus lucis sit defectus mutationis ex parte sui: tamen respectu inferiorum fit mutatio à frigore, & à passionibus rerum, procedentibus aut declinantibus in nouas affectiones, & effectiones: & quia Sol anni causa est, & Luna mensis: vtique effectus illius in annos, huius in Menses porrigitur. Similiter & Cometæ & ignitæ apparitiones in cælo vires habent & causationem pro robore & copia, & duratione sua, super inferiora: quoniam & ipsæ lucem addentes, addunt insolitum effectum: qui tamen potest à sequentibus constellationibus impediri, vel augeri, prout similes sunt calori & causationi eius, vel dissimiles. Instar enim Horologij est mundus: cui additio omnis subtractioque omnis, mutationem facit. Omnis autem mutatio iuxta vires principij & originis & educationis, effectum facit, producitque.

Patet hoc etiam in diurnis mutationibus, namque idem effectus durat à mane vsque ad meridiem: quoniam sol mane Horizontem scandens res immutat afficitque super nostro Horizonte: & dum sol ascendit, necessario idem effectus augetur, quoniam iuxta originem suam sol perambulat. Sicuti effectus in verè sub Ariete procedunt, proficiuntque sub Tauro & Geminis eadem ratione. Cum vero fuerit in Zenith, quando rectissimis solum nostrum percutit radiis: variat priorem effectum: estque finis illius, & principium alterius: sicuti omnis generatio, simpliciter aut secundum quid est corruptio simpliciter, aut secundum quid. Eadem proportione sol in Cancro variat, aduritque effectus veris, nouasque affectiones, & maturationes efficit. Cumque cæperit descendere, donec vadat ad occasum, semper idem effectus perseuerat, præsertim in aëre & aquis, vbi actio facilius ostenditur. Cum fuerit in occasu, oportet variari effectum, quoniam alio aspectu agit obliquissimo: & quoniam hæc obliquitas paulò ante cæperat, paulò ante quoque ad nouitatem fiebat dispositio: & lucis absentia nouitatem parit à frigore, à defectu promotionis, & à rebus, quibus ipsa occasio aut causa erat sic agendi. Ab occasu autem vsque ad mediam noctem, sicut ab Libra in Capricornum, dispositio consimilis aquarum & aëris est, quoniam absentia solis, & nouæ lucis stellarum, & frigoris actio; & vmbræ agunt vti disposita inueniuntur. Sed in media nocte, vt in Capricorno, variatur actio, quoniam tanta solis absentia quid nouū peperit apud nos ab actione frigoris & vmbræ, & dispositionis rerum, & impressi caloris variatione: & hic affectus durat vsquequo sol in Horizontem emergat. Hæc autem varietas satis patet in mari & aëre; quod in æstate videmus mane tranquillum mare, & auram quandam ab ortu spirantem, vbi aër feruet, & feruor eius ad nos ab ortu expanditur. In meridie vero feruet mare rectis percussum radiis, vapores, qui ipsum agitent, ingenerantibus. Aër vero tranquillus est, quoniam centrum feruoris eius, attenuationisque apud nos est. Excursus vero & motio ad ortum & occasum it. Sed tamen è mari vapores egressi agitant aërem: quando dicimus spirare Ethesias: & quidem è mari, vt in Physicis probauimus, non ex montanis niuibus vt inconsiderate Arist. dixit. In vespere autem iterum videre est tranquillum mare, quoniam ab obliquis percutitur radiis: & ab occasu vbi centrum est aëreæ ebullitionis, Zephiros spirare. Ast hic modus variatur à Luna, à Planetis, à terræ paludibus sæpè, variisque sitibus. Idem patiuntur humana corpora: quæ mane viuida sunt humidaque oriente Sole: in meridie sicca per calidaque: in sero sicca ac frigidiuscula: in nocte humida & catharris plena, frigoreque: & cum hoc intellexeris, & anni tempora consimilia videbis. Nam ver simile est mane: æstas meridiei, autumnus vesperi: hiems mediæ nocti vsque ad diem, à capricorno in arietem consimilatur. Similiter se habet lunatio: namque à synodo cum Sole vsque ad quadratum similis est veri, & mane: A quadrato ad diametrum meridiem refert & æstum. Mox à diametro ad secundum quatratum autumnum & vespere: & tandem à secundo quatrato ad synodum mediam noctem hiememque. Æstates quoque hominis & animantium has sequuntur circulationes, nam diuiduntur in pueritiam, adolescentiam, virilitatem & senectutem, præfatis temporibus seriatim correspondentes, & omnes morbi & actiones & passiones habent originem, statum, declinationem & finem, eisdem persimiles: & planetæ omnes in cælo habent super res inferiores aspectus eosdem ad solem, quos habet Luna: vnde dicuntur facere æstatem suam & ver & hiemem & autumnum, & hoc respectu nostri. Ergo Venus & Mercurius, qui à sole non recedunt, faciunt hæc cum sole. Sed per se habent duas æstates, quoniam in vtroque abside soli coniunguntur, erga nos, inquam: & duas hyemes & duos autumnos, & duplex ver: quoniam bis è radiis emergunt, & veluti qui habitant sub æquatore duas æstates, omniaque dicta tempore duplicata. Item in sitibus Zodiaci habent proprios annos ad mundum, nedum ad solem: & quatuor partes prout ad quatuor feruntur cardines: & Saturnus habet annum suum continentem annos solares triginta: Iupiter duodecim, Mars duos, vt in Astrologicis.

Ex tot ergo Planetarum varietatibus, quoniam simul miscentur, contingunt inferioris mundi variationes. In quo etiam sunt lapides, metalla, & plantæ, & animalia alia aliorum planetarum sequentia motum & qualitatem, ad nos relatorum vt dixi in v. Med. & alia vnam periodum eorum, alia plures: vt manifestum est de plantis, quarum aliæ vnam solis reuolutionem, aliæ plures: idque non accideret, si rectè & non circulares essent motus siderum, & actiones, & inferiorum passiones, ita vt, quod fecere, conseruare queant, nisi in fine efficientiæ effectus defecerint, quod robustioribus nō cōtingit effectibus.

Absque frigore proprio posse effectus, qui nobis frigidi videntur, à Planetis produci; & non esse quatuor elementa, licet sint quatuor anni tempora, & quatuor humores in homine. Item nec verè quatuor esse tempora, sed duo in anno & in die.

ARTICVLVS V.

QVONIAM igitur quæcunque extant apud nos Entia, à calore constituuntur variis modis recepto, atque agente, igitur omnia sydera calida esse oportet: nam ipsorum effectus calidi sunt: quod enim frigus habent, externum est, ab ipsa scilicet terra: quare sicuti non est arbitrandum, sol cum est in Aquario, facere frigus, sed calorem languidum, quia distat à nobis valdè, & obliquos demittit radios: sed frigus à terra effundi, & præualere: ita non est putandum Planetas posse frigus dare, sed ita res afficere, vt à frigore facile patiantur: non ergo in cælo aliud elementum ponendum est ab igne. Item nec quia sunt quatuor anni Solaris, & Lunaris, & Planetaris tempora, erunt quatuor elementa vt videtur Hyppocrates docere: nam ab ipso sole fieri quatuor tempora, non ab elementis ostensum est: vnde in vere præualet sanguis similis tepori eius: in æstate vero cholera, quæ per calorem cæli auctum, augentemque nostrum calorem adusto sanguine aliquantulum, fit. In autumno atrabilis, quoniam valdè adusti sanguinis fæx est: & non aduenit à terra, sed à calore: & non est frigida & sicca, nisi respectu aliorum humorum: quoniam calor æstiuus eduxit foras natiuum: in hyeme vero pituita abundat, non quia elementum aquæ illam facit, sed quia calor natiuus non potest foras in tenuitatem educere partes vaporosas: quoniam à frigore coarctatur: necesse est eas intra cutem constipari in humores. Sic quia calor languidus solis vapores facit crassos non potens eos attenuare, contingit in aquas concrescere facile ab angustia loci, vel contactu mutuo, vel tenuium abscessu, vel frigore cogente à terra effuso: nunquam ergo aqua generat aquam, sed ipsa sic generatur. In Physicis ostendimus contra Medicos, esse vnum modo humorem, scilicet sanguinem: choleram vero eius spumam: melancholiam fæcem: pituitam, cruditatem.

Item, dari alios humores plures quàm quatuor, ros, vrinam, serum, sputum, & multiplex genus pituitæ, & choleræ differens essentialiter: & omnes è calore effici. & tremores febris non à frigore, sed à spiritu fugiente mortificum humorem, sicut in aliis timoribus: & non esse quatuor febres, sed plures, vt quaternitas elementorum sit voluntaria. Item, in elementis humor est aqua: ergo quatuor humores in corpore essent quatuor aquæ. Stultusq; qui bilem vocaret ignem aqueum, id est, calorem frigidum. Sed spiritus igneus & solida moles sunt extrema corporis elemēta duo, cætera mediant, vt in natura. Nec quidem ergo reuera sunt quatuor anni tempora, sed duo, scilicet æstas, & hyems; namque autumnus, & ver sunt partes intermediæ illorū, sicuti dies & nox in diurno motu sunt duo tempora, sed mane & vespere sunt ipsorum confines, & copulationes. Patet enim quod habitantibus sub æquatore sunt duo æstates, & duæ hyemes; Nec tamen sunt duo ignes elementa, & duo aquæ elementa: qui vero habitant sub polis habent duo tantum tempora ex motu annuo & diurno. Siquidem per sex menses semper illis est dies, perque alios sex, semper nox. Ergo duo elementa: vt videas quaternitatem fieri à diuersa actione solis in diuerso situ: similiter & actualitatem sub æquatore: Vt agnoscas ex duobus elementis ita variatis, posse tot diuersitates oriri, ac si essent multa: & laudes ordinem fatalem, & noscas harmoniam à summo bono: & ignorantiam eorum, qui ab vnius regionis affectione philosophantur, & non à toto mundo. Sacræ quoque literæ testantur duo esse tempora, æstas & hyēs, cui respondent dies & nox, calor & frigus, ex Gen. 8. nūquam autē autūnus & ver cōnumerantur.

Res omnes inferiores ab vno calore variis modis constitutas Planetis assimilari, quoad effectum: idcirco ex his fieri prognostica.

ARTIC. VI.

HIS ita se habentibus, contingit diuersas apud nos fieri res ex tali ordine actionum sic variatarum à Planetis, & ideo alias res esse quasi solares, alias lunares, alias Saturninas: & hoc non modo inter genera, sed in eodem genere. Siquidem in arboribus Laurus datur Soli, Cypressus Saturno, Mirtus Veneri &c. In animalibus vero Gallus & Leo, & Homo sunt Solares: Coruus & Locustæ, & Serpentes, præsertim nigri, dantur Saturno: Veneri Columbæ &c: at mox alij inter homines reputantur Saturnini, alij Mercuriales, alij Venerei, alij Solares, &c. quo-

niam licet communis vis hominum ſit à ſole: quia ſicut Sol nobiliſſimus eſt Planetarum ſaltem ad ſyſtema noſtrum & eius gratia cæteri ſunt: ita inter animantia homo præcellit, eius gratia cætera facta videntur: nihilominus, prout in hominis conceptione & natiuitate præualent Planetæ, homines affectos videmus: quod ex calore, & operationibus & ſtudio, & figura, & temperie, verum eſſe agnoſcimus. Siquidem ſagaciſſima inueſtigatione priſci Philoſophantes, vel potius à Deo edocti Patres ſæculi, proprietates quaſdam Saturno dedere, & cæteris Planetis, quas videmus exprimi in homine nato ſub illius dominatu. Sed contingit ſæpè falli diuinationem, quoniam Planetæ concurrunt multi in dominio, & proprietates Nati non potes rectè metiri. Item voluntas hominis non ſemper iuxta primas affectiones, operatur, ſed iuxta inſtitutionem, & educationem, & legem. Nam ſicuti in Æthiopia non agnoſcis hominem Martialem à Saturnino: ibi enim nullus eſt rufus, ſed minus nigredinis forte habet: quoniam Solis conſtitutio generalis præualet particulari: ita lex Chriſtiana à generali diuinaque inſtitutione præualet in Italia, vt multi Venerei & Martiales ad continentiam, & mitem indolem ferantur: ſemper tamen aliqua affectio ſideris apparet. D. namque Hieronymus fatetur ſe in heremo pœnitentem in afflicta carne dira libidine tentatum eſſe: & in miti Monachatu vides eum Martialiter contra Hæreticos & Catholicos ſibi aduerſantes pugnare, ita vt Rufinum & Auguſtinum quaſi in gladiatorio impetat agone: & D. Thomas nedum ſidereos afflatus, quos Auguſtinus concedit, in hoc valere docet; ſed inſuper quaſdam quoſdam homines nanciſci ab aſtris efficacitates, vt miles in pugnando, Agricola in ſerendo, medicos in medicando. Et bene natos & male natos ſecundum cælum inſtigari à ſtellis ad eligendum: illos quod & quando prodeſt: hos vero quod & quando nocet, vt & Caietanus conſiderauit, ſalua arbitrij libertate. Profecto enim temperiei varietas, & paſſionum animi ab ipſa promanantium, certis reſpondet caloris gradibus, qui certis ſyderum actionibus fiunt, quibus & gradus primalitatum fit communicatio: & quod poteſt Sol facere ſolus partiendo colorem ſuum, & in diuerſis poſitus ſitibus, faciunt Planetæ: & tunc magis quando valent ſitu & dignitate, ac proinde cauſatione, ſuper inferiora: licet enim gradus Solis hanc conſtituat herbam, tamen poteſt gradus huius herbæ correſpondere illi caloris gradui, non qui eſt in Saturno, ſed qui aduenit vſque ad nos à Saturno. Idem de hominis gradibus intellige: vnde videmus peſtes à Marte & Saturno regnantibus, praueque diſpoſitis fieri, præſertim in Scorpione: quoniam vapor multus attollitur contrarius noſtræ temperiei, at ſimilis temperiei ſerpentum. Ideoque tunc temporis venenoſa nobiſque contraria præualent animalia: amica vero, vt canes, equi, boues, ægrotant nobiſcum. Similiter ſegetes, & ea, ex quibus nutrimur: veſpæ vero, & herbæ ſaturninæ, virent vigentque: in Scorpione Sol aduſtam poſt æſtiuos dies terram, aquiſque autumni madefactam euaporare facit tetrum fuliginoſumque aërem, aptum peſti: ideoque peſtiferum ſignum reputatur, & conſtellationes in eo iam dictos effectus faciunt, ſopitam in inferiori mundo paſſionem renouantes: vidimus in eclipſi martiali ac mercuriali ſimul afflicto horoſcopo Venetiarum ſchiſma ſub oriri libelloſque ſchiſmaticos concitatis animis: & deinde ſequente in Piſcibus eclypſi, ſigno Venetiis fauente, dum interregnaret Venus & Iupiter benefici, pacē illis dari: quod paulo ante eclypſim prædixeramus, & concordiam principum vidimus, vt Ptolomæus in 2. lib. iudiciorum decernit. Nec putem animum hominum ſtellis ſubdi, vt dictum eſt, ſed ſpiritum animalem, cui animus inſidet. Quo in furiam acto, vidimus furere homines, & obrui rationem, patet quoque in aëre nubiloſo & obſcuro, nos atrabili afflari: ſub ſereno lætari: ſub æſtuoſo iraſci, faſtidireque omnia.

D. Thom. 3. contra Gent. in lib. de Fato & de Iudic. Aſtrolog. & de Sortibus, & in P. 1. & 2. 2. In 5. Polect. 13.

Quapropter diuinatio per ſydera ſpernenda non eſt, etiam in arbitrariis, vt D. Thomas admonet: plures enim homines ſectantur ſenſum ſtellis ſubditum, quam rationem liberam, ſuis in electionibus. Sapiens enim vtitur aſtris: inſipiens ſeruit: ſanctus dominatur. Nec in quatuor elementa reducenda ratio euentus, ſed in caloris varietatem. Hinc etiam agnoſcendum aliam deberi Aſtrologiam habitantibus ſub Polis: aliam in medio climate, vt nos: aliam ſub æquatore, quæ hactenus edita non eſt. Nec iſte modus ab omnibus Scholaſticis & Patribus approbatus in Prognoſticis, à ſummo Pontifice vetatur. Sed de ſupernaturalibus & arbitrariis pronunciare tanquam ſubiectis cœlo: vt in Theol. oſtendemus, & in Apolog. pro Bullis Pontif. contra Iudic. Vide poſt hæc Aſtrol. perfectam.

Præter Phyſicam prædictionem à conſimili vel diſsimili caloris gradu, poſſe afferri Metaphyſicam ab ordine rerum fatali, quem ſitus Phyſicus comportat: & aliquantulum homines poſſe ex Aſtris diuinare, ſed in pluribus falli: & tandem calore, luce, motu, aſpectuque cæleſtium inferiora affici, mutarique, & annè etiam influxu, afflatuque?

ARTIC. VII.

SICVTI autem à calore eſt modus temperiei in materialibus diſpoſitionibus, & per conſequens affectiones & mores in nobis diſpoſitiuè: at in brutis & in cæteris ſublunaribus conſtitutiuè: ita à ſitu Planetarum præbentium calores & vires haberi ordinem noſtrum intra mundi ambitum, & intra genus noſtrum: vt D. Thom. & Alb. & experientia teſtantur. Quandoquidem & artificiata itidem compatiuntur, vt bacillus ferreus ad ſitum, in quo fabricatur, natando ſuper ſuberum, ſe aptat, vt magnes ad polum. Quapropter, qui ſolem habent in medio cœli, ſunt animo ſublimes. Si autem etiam ſtipatum Planetis, fiunt Duces & Reges. Quoniam quem habet modum dator vitæ ad cæteras res, & ad conſimiles ſtellas, eundem habet, qui recipit vitam ad ſuos conſimiles. Quapropter multis eſt dominaturus, qui tali ſub conſtellatione

constellatione nascitur, & à Domino satellitij cognoscitur qua ratione est dominaturus, vtrum religione, vel scientia, vel diuitiarum vi, aut armorum, vt prima causa in stellis disponentibus & significantibus hoc ordinare videtur. Sed attollere scientiam ad hoc, est à necessitate ad fatum transire, & probabiliter ratiocinari: vt Albert. Thom. Scotus, Durand. Alex. Dionys. & omnes Scholastici ferè astipulantur. Ego tamen incerta iudicia puto. Qui veo propter quid Deus statuit illum Regẽ facere quæsierit; harmoniã quoque scandit, & in hoc est perfecta scientia, ad quam à longè, & ex parte nos mortales accedimus. Rectè ergo partiuntur in quatuor angulos, & succedentes, & cadentes Astrologi, plagas cœli, & sydera in angulis posita fortiora faciunt super effectum illius horizontis, cui anguli sunt, quam in succedentibus; atque in his fortiora, quam in cadentibus, quod de nona domo est falsum: quoniam ipsa in cœli altiudine subsequitur, & in ea propè Zenith radij robustiores sunt, sicut & in vndecima magis fortasse, quàm in quarta angulari: quoniam sub terra positus Planeta, paruam super horizontem vim habet. Sed hæc diuersitas domorum primò vires discriminat agentis: Secundò modum, & res, in quas fit actio: illud pertinet ad potentiam, & necessitatem, hoc ad sapientiam & fatum. Vnde rectè Ptolomæus, Cometas & Eclypses, quæ supra nostrum horizontem non fiunt, nec apparent, priuat decreto super res nostras, sed super eas, quibus apparent, posse iudicat. Hoc enim postulat physicè ordo fatalis.

Item, quæ fiunt in quarta Orientali indicare putat subitò effectũ suum: quę verò in medio cæli post sex menses: quæ verò in Occasu post sex alios. Similiter in pueros, & res nouas, quæ in Orientali quarta fiunt, posse autumant. Quæ in Zenith super reges, & templa, & viros, & nobiles, quoniam est in cœli altitudine: quæ vero in Occidentali plaga super senes, & res antiquas, & ignobiles. Et hoc quidem Metaphysico syllogismo docemur. Nec immeritò specificat decretum à Planeta angulari, & à natura signi. Signa enim cœli habent quid consimile illi rerum generi, cuius sol in eo existens productioni est aptus. Vel cui stellæ signi illius fauent. Sed profectò non ita res se habet, atque olim. Stellæ enim Leonis sunt in Virgine, & Tauri in Geminis, & Arietis in Tauro. Ergo non habent significationem signa, nisi quoad id, quod Sol facit in eis nunc: vis autem stellarum à propria configuratione mutua, & viribus, alia est: & secum migrat: nam galaxia, quæ oculis albumen affert, & peculiarem habet significationem, iam transmigrauit in aliud signum, in quo idem, quod prius facit, sed vario modo, quoniam in vario situ. Planetæ vero peculiares habent significationes vbicunq; fuerint: sed à loco dominium sortiuntur, & vires super effectum, vt ab angulis, & à signis, in quibus habent conuenientiam, quam Astrologi domum vocant, & triplicitatem, & exaltationem, & personam: sed multa in his latent, quoniam non nisi Zodiaci stellæ videntur notatæ, & omnia ad ipsum referunt Zodiacum: cæteræ vero quasi negliguntur, licet de verticalibus & horizontalibus stellis, aliquid & modicum pronunciauerint: quoniam ars hæc longas obseruationes requirit, & sagacitatem penè diuinam. Humana enim superstitionibus ipsam obnubilauit multis, vt dictum est.

Ex iam dictis palam est, quomodo sydera agũnt physicè non moraliter nec supernaturaliter: nisi vbi eleuantur à Deo ad huiusmodi significationem, vt in Christi ortu. At per accidens, & occasionaliter, & dispositiuè in moribus valet ipsorum actio: in lib. arb. solum indirectè, quatenus in corpus & spiritum sensualem agunt directè & per se: idcirco supernaturalium sunt signa, vt ait Aug. Naturalium causæ licet non totales: concurrunt. n. inferiores etiam causæ. Propterea nec in naturalibus Astrologus est certus: Moralium vero occasio, dispositio, & causa per accidens, vt dictum est. Physicè ergo sydera agunt calore, faciendo, disponendo, & mutando temperamenta rerum inferiorum, & occasionem moribus, & dispositionem simul, eorumque actibus præbendo. Item per lucem, quatenus est calida, & quatenus manifestatiua: vnde animalia vident obiecta, quibus sumunt occasionem aliter operandi, & commoditatem agendi, sequendi, fugiendi, & cætera opera primalitatum operandi. Item per motum, quatenus delatiuus est caloris & lucis: & quatenus est impulsiuus aëris, & rerum cæterarum. Item per aspectum, & situm: quatenus modificant vires Physicas, & primalitias: & dat ordinem rebus artificiatis, & naturalibus, sicut scripsit sagaciter D. Thomas, & Magnetis propensio ad Polum probat, & Helitropiorum ad solem. Item bacillorum ferreorum natantium super subere ad situm suæ originis artificialis. Adde rationem paulò ante dictam de satellitio solis, satellitium nati prædicentis: & de situ eclypsium, & de nebularum situ, etiam in vrina significante in situm corporis correspondentem, sicuti in Medicina docuimus: omnia enim omnibus correspondent, quoniam sunt ab vno, in vnum vna. Vtrum influxus, & afflatus à cœlo sit, insuper mox pandetur.

Mutationes, quas ex occursu maleficarum, vel beneficarum in deductione ad Aphetam fiunt, non requirere aliud elementum in cœlo: & has varias esse pro variis generibus rerum, & ex his solis modicam & inconstantem fieri diuinationem. Nam non cęlestes modò causas, sed inferiores spectandas esse: quod videtur impossib. & non modò cœlum esse Dei codicem: sed totum mundum.

ARTIC. VIII.

QVAPROPTER redeuntes dicimus, de cœlo non posse afferri nisi calorem, & modum agendi fatalem; ex quo diuinamus de inferioribus. Nam quod aiunt, Martem, & Saturnum per directionem occurrentes Domino originis rerum, interitum significare: Iouem verò & Vene-

rem, prosperitatem) non aliquam influentiam nouam postulat, sed sympathiam, & antipathiam, quæ potest esse in rebus ab eodem principio similiter, vel dissimiliter constitutis: calor enim calori contrarius est ratione materiæ: nam & animal animali est venenum, & homo homini exitium parat & gradus caloris in cepa contrarius gradui aliter contemperato in rosa, quæ cepam auersatur vt cucurbita oleum. Cum enim Martis & Saturni calor sit humano aduersus, quando locus illorum locum Aphetæ scandit, potest decernere malum. Apheta autem est potentissimus planetarum in genitura. Quod autem vna hora scansionis in origine, quindecim annos in transcursu vitæ indicet, quoniam quindecim gradus distantię Aphetæ ab intereptore præhabet, non videtur pertinere ad Physicam, sed ad ordinem fatalem vnde Arist. vitas inferiorum obliquo mensuraricirculo scripsit: quod non nisi obseruatione multa agnoscitur. Si ergo ita sapientia Dei instituit, ita euenire opus est. Sed in aliarum rerum vita aliter institutum vidimus: boues enim vitam habent homine breuiorem: at Cerui & Corui, diuturniorem. Ergo alius aliis est Apheta rebus, vel aliam habet mensuram in gradibus & minutis: herbæ quoque, quæ per sex menses vitam habent, à Luna mensuram vitæ accipiunt, vel ab horoscopi menstrua progressione ad septimam. Aliæ res à diaria cardinum varietate, quæ sc. fragilissimæ sunt. Aliæ à Mensurna: aliæ à Saturno, aliæ ab aliis planetis, & ab aspectu variato mutationem sortiuntur cui possunt, aliæ resistere; aliæ non possunt. Idcirco interpositi gradus aliis menses significant, aliis dies, aliis horas, aliis annos Solares: aliis Martiales, aliis Iouiales, aliis Saturninos: & in his Apheta forsan non accipitur, vt in hominis constitutione. Et quibusdam possibile est aliquas citra mortem perferre mutationes: quibusdam vero minimè. Mors enim est mutatio totalis: mutatio autem est partialis mors. Omnia autem scripta sunt in cælo, qui est Dei Codex, vt Origenes testatur. Sed tamen haud ab omnibus legi potest, nec forsan ab Angelis omnibus, quoad omnia, nisi in sensu historiali. Mihi autem non videtur cœlum tantummodo esse Codex: sed tota rerum vniuersitas. Vnde sanctus Leo: *In ipsis*, ait, *elementis tanquam in publicis tabulis diuinæ voluntatis significationem legimus.* Multa enim statuit Cœlum, quæ à materia patiente, vt diuus Thomas quoque opinatur, & causis elementaribus coagentibus, rescinduntur, vel ex parte. Idcirco sanctus Antonius totum mundum Codicem Dei appellat: similiter sanctus Chrysostomus, & sanctus Bernardus. Reuelatum est quoque sanctæ Brigidæ, nomen mundi ab initio fuisse, Sapientia Dei. Quapropter, vt totum Fatum agnoscamus à Dei sapientia actiua, & in hac sapientia passiua ordinatum: Oportet rerum omnium causas & concausas, ita etiam vitæ periodum, & euentus, & mortem, qui est durationis terminus. Quæ non Quid, sed Quia, nobis scire licet ex parte, sicut diximus in primo volumine contra superbientes se scire: contra quos Pontificum decreta militant, non contra Shcolasticos. Nec Fausto Manichæo fauent, incusanti Mosen & Mattheum, quod stellæ meminerunt in significatione Messiæ. Cum igitur omnis nouus occursus mutionem faciat in eo, quod constitutum est, aliis totalem, quæ est mors: aliis partialem, quæ est ægritudo, vel ad melius corroboratio, & inter entia calida, & eiusdem naturæ hoc quoque fiat: Nam & homo homini mortem affert, & herba herbæ: non cogimur naturas in cœlo oppositas ponere. Catarrhi quoque & destillationes à vapore condensato in capite fiunt, vapores autem à calore. Attribuitur vero Saturno & Lunæ, quoniam paruus existimatur ipsorum calor, qui vapores facere possit crassos, non autem dissoluere. Sed potius foueri, quā fieri dicendū esset. Ingeniū illustre & propheticū Veneri datur, iunctæ Mercurio: qm̄ ob sui varietates Mercurius spiritui nostro est affinis. Venus autem ob luciditatem magnam putatur illustrem facere spiritum, fuliginibus haud obnoxium, ex quo naturalis oritur Prophetia: &, teste Origene, spiritus lucidus sedes est spirituum Angelicorum: atrabiliosus vero Dæmonum: eo enim vtuntur ad vexandos homines, vt Chrysost. & Thomas etiam docent: vnde non ineptè demonoplexiam attribuit Ptolomeus angulari Saturno afficienti Lunam in Solis aspectu malo, & Mercurium in angulis: nullis se se aspectibus contuentes. Mores enim dispositiuè sunt à cælo, vt probat S. Thomas: & Mercurio, Lunæque dantur ob varietatem, ac mutabilitatem: quibus Saturnus male ad nos affectus addit fuliginem, sed probè affectus, tenuitatem, societatis inimicam, & solitudinis amicam, & contemplationis. Quod autem tenue est facilè patitur ab externis, vel parum sensibilibus rebus, & ab aëre, ex quibus diuinat, quæ futura sunt, aut imminent, quoniam parua motio principiorum adducit paulatim effectum grandem: vnde & bestiæ ab aëre affectæ pluuias, quæ in aëre parantur prædicunt: vnde D. Thomas Mercurium in domo Saturni benè situm, ait dare rerum intelligentiam medullitus.

Vtrum autem aliquid influant stellæ, quatenus ab Angelis animantur, deinde declarabimus. Et vtrum efficacitas, quam à stellis agnoscit D. Thomas 3. contra Gent. & afflatus, quem S. August. concedit à cælo, sit seorsum à caloris influxu, posterius dicendum erit. Nunc autem pateat non esse quatuor elementa ponenda in cælo diuinationis gratia: neque Saturnum esse frigidum ab aquis supercælestibus: sed respectiuè, vt declaratum est. Cælum ergo agit per lumen ostensiuè, per calorem actiuè, per aspectum modificatiuè: per motum delatiuè: deferr enim ad omnes situs agentes stellas, & cætera.

Item, impulsiuè dum permouet aërem: vtrum etiam afflatiuè dicendum restat.

In 2. de gen. & cor.

p. p. 9.

Apud Niceph. l. b.

3. contr. Gent. & Philit. 13.

Vtrum ſyderum colores varij, varias ipſorum naturas oſtendant: & vtrum ſyſtemata an nubes ſint ſpeculares, aut apparenter varios habeant colores: vtrum immutanda ſint ab igne; & ſyſtemata ſint intelligentiarum, & non rerum noſtris conſimilium.

CAP. IX. ART. I.

STELLARVM colores varij non cogunt nos ponere diuerſas in cælo naturas, neque ſyſtemata noſtro ſimilia facere: ſicut enim dictum eſt in origine rerum, quidquid euenit fit naturale. Ita quoniam in origine cæli & terræ, Luna, quæ propè terram fuit, tantum caloris habere non potuit, qui poſſit ex ſe lucere, remanſit illi naturale, vt ſemper ita ſit, donec figura huius mundi prætereat: partes ergo ipſius maculoſæ, quæ quaſi virginis faciem effingunt, non terram intra ipſam eſſe declarat, ſed impuritatem, qualis eſt, in nubibus: quæ à calore non ſatis deuictæ, ſi quando à ſole oppoſito, colluſtrantur, etiam intra ſe maculas eiuſmodi oſtentant. Quoniam vero talem ſitum ab exordio habuerunt in Luna, talem perpetuo ſeruant, quoniam nulla vis noua eas à ſui conſtitutione remouet. Piſces quidem in mari, & aues in cœlo à ſeipſis mouentur, hoc eſt, ad cibum quæritandum, & ſedem commodam, & fugiendum incommoda, & deſtruentia: quoniam poſita ſunt intra pugnam cæli & terræ, idcirco variis modis moueri ob varias neceſſitates neceſſe habent. Luna autem & ſydera, eo, quo cæperunt motu, perpetuo feruntur: etenim à rebus contrariis non vrgentur ad nouos motus. At ſi quid nouitatis in eis eſt, poſt annos innumeros deprehenditur, quoniam vita cæleſtium largior eſt, vt potè ab aduerſitatibus diſſita valdè. Sicut etiam ſapientia Ægyptiorum de mundi mortalitate tradit, & Plato in Epinomide. Quapropter non eſt mirandum, cur facies Lunæ & color idem perſeueret, quoniam à Sole ſemper eundem caloris & lucis modum accipit, ſed tamen ex diuerſo ſitu: ſemper tamen ſemiplena eſt, nunquam vndique tota plena: in eclypſi vero priuatur aliquando prorſus lumine, ſed non tota, niſi per horam, & minus: quod illi nouitatem facere multam non poteſt: ſed quis ſcit, quid hæ eclypſes in ea paulatim parturiunt mutabilitatis? itaque non rectè Simplicius, ex eo quod ordine ſemper eodem feruntur ſydera, negat eſſe ignea: ordo enim perſeuerat in eis, quoniam tellus in ipſas non poteſt, neque aliud contrarium, aut noua indigentia, quæ premit animalia, & inferiores ignes: Sed cur Luna à calore perpetuo colluſtrata non purificatur? quæret quis: vt enim antiqui obſeruarunt, maculas Lunæ ita perſeuerare eas nunc videmus. Fortaſſe (inquam) quoniam calor iſte ad eius conſeruationem modo confert, non ad immutationem, quoniam non ſuperadditur nouus, ſed qui ſemper fuit. Sed ais, omnis calor receptus in quacunque materia, ſemper augetur magis: licet enim alius ignis non adueniat ligno, tamen paruulus ignis ab initio oppoſitus creſcit vſq; ad conſumptionem ligni in flammas ingentes.

Præterea ipſe Sol continuò fit terræ propinquior, vt probatum eſt in ſuperioribus: ergo abundantiori calore in lunam agit, cui etiam propinquior fit. Item cur in eclypſi ſolari luna apparet obſcura, & nigra, nec penetratur à ſolis directis radiis? fateor equidem has rationes vrgere, non tamen confeſtim lunam eſſe alterius naturæ à nubibus declarare: videmus enim candelæ flammulam ſoli appoſitam in ſolum vmbram quandam facere. Ex quo intelligimus flammam illam aliquid nigredinis in ſe habere materialis: quapropter & ſuppoſitum lapidem nigrefacit: ita in Luna exiſtimandum eſt quamuis ignea, materiæ faciem non eſſe deuictam, nec à calore Solis ordinario vinci poſſe, ac purificari: & quamuis Sol deorſum accedat, tamen & lunam deſcendere putamus, & omnes Planetas, ſicut in lib. de Motibus Aſtrorum contra Copernicum eſt probatum, & ipſe fatetur de Venere & Marte, quorum excentricitatem abbreuiatam comperiit. Item dico, quamuis augeatur calor Solis in ea, ſicut in ſpeculo, non poſſe illam diſſoluere, quoniam partes eius vnitæ perſeuerant ab amore propriæ conſeruationis, & mutui contactus gaudio. Nec quidem purificari, ne diſſiliant, ſed in fine ſæculorum purgandam eſſe ita, vt luceat ſicut Sol, teſte Iſaia Propheta: cui Oecumenius & S. Hieronymus ſubſcribunt. Scholaſtici vero ſequentes Auguſtinum ab vltimo incendio liberant ſydera, non autem Chryſoſt. neque Ambroſius Cōpſanus, neque S. Clemens in 2. recognit: neque Sybilla in 2. oracul. neque Seneca ad Martiam, neque Lucanus. Sed tamen ſcholaſtici purificationem Lunæ neſcio vnde apportent, ſi non ab igne: verum qui non Ariſtotelizant, fatentur ab igne.

At cur Mars & Orion apparent rubri, qui tamen longè diſtant à terra, nec frigus potuit ipſorum impediuiſſe purificationem? & cur plumbeus apparet Saturnus, & non pure lucidus, vt Iupiter inferior, nec vt Procyon ſuperior? ex his oportet fateri vel nullas per ſe ſtellas lucere, niſi per reflexionem à ſole, ſicut Luna: nam & Auer. vidit Mercurium nigricantem in medio Solis, & eſſe omnes nubes ſpeculares: aut hos colores apparere nobis eiuſmodi, ſed non verè ita eſſe: quod etiam Plato in Phedone videtur docere Quod videlicet nos ſimus intra aërem corpulentum, qui eo craſſior eſt æthere, in quo ſunt ſydera, quo aqua maris eſt craſſior aëre noſtro. Quapropter veluti ſi quis eſſet in maris profundo, & aſpiceret ignes noſtros, aliter quam ſunt, eos videret; ita nos ſydera cernere. Sed ex hoc ſequitur, vel omnia videri rubra, vel maculoſa. Nunc autem diuerſi apparent coloris. Nec ſitus hoc facit. Nam Mars, in ſynodo Solis, vbi apparet paruus, & in diametro, vbi magnus, vbique rubeus apparet; & ſimiliter Saturnus plumbeus, ſiue in ima, ſiue in ſuprema abſide,

Item, ſydera ſepra Martem, & ſub Marte conſpiciuntur albiſſima, vt canicula & venus. Quod ſi omnia ſydera ſunt lucis reflexiones, & ſolus ſol iuxta nomen lucet, vtique magnam faciunt ſuſpicionem, quod in eis ſint res aliæ ab igne: & quod ſint ſyſtemata, & mundi, vt dixit Stelliola mihi, & aliter Nolanus & Pythagoræi, olim, irrationabile ſibi videri, quod magnitudines longè excedentes terram, & quidquid eſt in ea à centro vſque ad lunam, ſint tantummodo ignis ocioſus, & non potius omnia elementa, & Plantæ & animalia & homines, vt Philolao conterraneo viſum eſt. Sed mihi rationem hanc facile eſt eludere: quippe qui potius admiror, cur fecerit Deus terram, aquas, animalia & homines in ſyſtemate noſtro perpetuis plenos malis, generationi & morti obnoxios: vnde arbitror ſydera eſſe potius vniuerſitates rerum immortalium, & domicilia Angelorum cognoſcentium, & laudantium Deum. In noſtro enim ſyſtemate ignorantia multa præualet, & miſeria, & fraus, blaſphematur DEVS, & nō creditur, nec ritè agnoſcitur. Quapropter ſi alia huiuſmodi infœlicia ſyſtemata feciſſet DEVS, non videretur ſuam bonitatem oſtendiſſe prorſus, ſed quaſi iram. Vnde Origenis ſententia anxium diu me detinuit ne fortè ſyſtema noſtrum ſit quaſi carcer eorum ſpirituum, qui in aliis ſyſtematibus candidis, lucidiſque peccant. De terra hoc palam eſt, quoniam Dæmones in ea habent carcerem. Sed de corporibus noſtris diſputando, intellexi tandem, Deum animas non ad pœnam, ſed ad prælium in mundum immittere corporalem: ſicuti ſol calorem ſuum, qui fit ſpiritus animalium: & in fine prælij, ſicuti omnis calor in cœlum redibit, ita omnis anima ad Deum, ſi digna Deo operata eſt in loco probationis. Itaque firmiſſimè credo, quod & gentibus omnibus credibile videtur, teſte Philone, & Origene, ſydera eſſe Reſpub. ſpirituum ſupernorum, cum in mundum corporeum ex mentali egrediantur. In hoc quoque valdè ignari ſunt, qui putant, ignem illis non cōuenire. Nam arctiuiſſima res eſt ignis lucidiſſima, ſenſitiuiſſima, idcirco maximè conueniens ſpiritibus poteſtate & ſapientia decoratis, magis quam alia corpora impura, ſtupida & inertia. Propterea que ex Symbolo Dauid Angelos ſpiritus vocat flammaſque ignis Nec quia infernus etiam habet ignem non conuenit beatis. Ignis enim infernalis caret luce, eſtque accenſus in materia craſſa, quæ comburitur. Ignis vero in materia tenuiſſima puraque non comburit: quoniam comburere eſt aliud ſibi ſimile facere, ideſt, igneum. Sed cæleſtis materia iam eſt facta ignis purus. Non ergo fit amplius, ergo nec vrit. Eius tamen actiuitas perplacet ſpiritibus extra corpus paſſibile. Sicut lux ſpiritui delectabilis, ob oculi paſſionem aliquando diſplicet. At ſi ſydera ignea non ſunt, neceſſe eſt ab igne eas conflari, vtique ſicuti Ambroſ. Compſanus, & Sanctus Clemens arbitrantur, in die poſtremo. At rationem illam de vario ſtellarum colore mihi ſoluere per difficile videtur. Ignis enim candidus in ſua natura eſt: rubet autem in fumo & carbone nigro: & fit croceus, & viridis, & plumbeus in vapore. Ergo quid alienum à ſe habet in ſyderibus ignis: & ſydera lūces nōn ſunt, ſed lucum reflexiones: Ergo cælum ſydereum totum conflagrabit: vt 2. Recogn. docet ſanctus Clemens: apparebitque cœlum ſuperius, aliud purius, nobis ignotum: & ſydera iſta purificata remanebunt. At quoniam in Prophetalibus noſtris docuimus, à ſole factum iri, vt lūna ſit æqua ſoli in luce, & ſol ſeptempliciter ex dominio quod acquirit, & hoc ante finem mundi inferioris: Nam poſt finem lucerna beatorum eſt ſapientia Dei Chriſtus; & non indigebunt ſole neque luna, vt dicitur in Apoc. 21. Vnde vſum horum luminarium ceſſaturum putant Oecumenius & Hieronymus: vtique à ſole quoque erit conflagratio, qui fons eſt totius ignis. Propterea Lactantius Firmianus ſole ſiſtente gradum, expectat conflagrationem. Quid ergo dicemus, ſydera eſſe ſyſtemata, an nubes ſpeculares? Primum abhorreo: quoniam vix rationabile videtur vnicum ſyſtema noſtrum infœlix à ſummo bono eſſe (niſi mors & corruptio ſit ludus & bona mutatio.) Cur ergo ponam tot malis ſyſtemata plena tam plurima? ſi tranſmutatio non eſt ludus, mox ceſſaturus: Secundum, color ſaltem fateri cogit, ſtellas omnes conſubſtantiales lunæ ponere. Sed ad quid tam immenſæ moles? vt ſint Reſp. Cælicolarum. At ſi omnia à ſole mutuantur lucem, & ipſum amant, cur non omnes ad ipſum confugiunt? Profecto hoc expectat Sybilla, & Lucanus, & Seneca, & Lucretius, vt ſydera ſyderibus copulentur, & relicto ordine ſuo, in chaos vertantur. Sed cur nunc id non fit? Quoniam, vt dicebamus, paſſim terram diſponunt ad combuſtionem; & exorbitantiæ iam declarant ad hoc properare: & ipſæ intelligunt melius, tutiuſque paſſim hoc fieri. Aut fateri neceſſe eſt ad tales motus, & ſi non ad motum, eos regulari à Numinibus, Fati ordinem à Deo impoſitum exequentibus. Omnis ſanè Philoſophia noſtra deficiens eſt, niſi ad primas recurrat cauſas. Si tamen quis dicat, ſyderum colores ita videri, non autem eſſe niſi candidos. (Nam Sapientia vocat ſtellas, lympidas flammas) & lunæ maculas proſpectiuæ noſtræ vitio contingere: Quod etiam Diabolus interroganti reſpondit, is aliquid dicere, non autem ſatisfacere videtur. Non enim in vnō ſitu, & omnes apparent eiuſmodi, ſed in diuerſis ſitibus eadem apparet Luna, & Venus, & Mars, &c. Si ergo ſyſtemata ſunt ſydera, fatendum eſt in eis fieri ea quæ in noſtro tellure, & longè plura in maioribus, & analogiam habere cum noſtratibus rebus, quoniam dies alij, alij menſes à propriis lunis, aliique periodi annorum. Vnus enim dies lunaris continet quatuordecim dies noſtrates. In Ioue autem cum quatuor lunis circundetur, longè diuerſiorem eſſe vitam, & entium genera. Repræſentantur tamen in omnibus idearum diuinarum ſimulacra innumerabilia in laudem primi Numinis. Et omnis ſtella eſt quaſi ſcæna ſuarum mirificentiarum.

QVAMVIS SYDERA NON ESSENT ignea, ignis tamen effectus facere per lucem Solis; & à nobis rectè posita esse elementa duo rerum sublunarium; nec dari auram ętheream thesaurum frigoris. Nec Cęli colorem ipsum declarare non igneum. & cur Lunę maculę hominis potius quàm alterius rei faciem effingunt: & lunam esse sicuti est propter finem à Deo, & non propter peccatum Dei, aut Gabrielis.

ARTIC. II.

HOC tamen in fine huius speculationis adnotare conuenit, licet sydera sint alterius Naturæ à sole, tamen in inferiora minimè agere, nisi per lucem, quam recipiunt à sole: ergo per calorem. Lux enim caloris Epiphania est. Item nec euerti Physiologiam nostram, quæ duo ponit elementa, Solem & Terram, Patrem & Matrem: quoniam à sole omnis ignis & calor, à Terra frigus omne iam patet euenire. Nisi quis recentioribus consentiat ponentibus frigoris thesaurum in aura ætherea supra aërem, vbi Aristot. locat ignem: Quod tenuitas & locus & transitus caloris ad nos à sole, negant. Nos autem loquimur de sublunarium rerum elementis: quæ à sole omnes ex immutata terra fieri liquido constat, frigore de superis non accersito, sed de terra pugnante pro Terra. Non ergo Physica nostra corruit, sed diminuta est: quoniam superius philosophari non datur. Color cæruleus non cogit cælum alterius Naturæ ponere: fit enim à luce in immensum sparsa, debilitataque. Montes enim albi ac virides à longè conspecti, cærulei apparent: quoniam lux debilis ab eis ad nos reflexa in cæruleum à candido per multum sparsa aërem degenerat. sic & in aquis albis cærulea conspicitur, quoniam à crassitie illarum fædatur. Atqui profundissima Maria apparent nigra: quoniam in tanta aquarum mole lux fædatur magis, ita quod fusca fit.

Sed dicit quis, qua de causa maculæ lunares faciem hominis effingunt, & non aliam apparentiam? An quia Paradisus terrestris in ea est, vt putat Beda & Ariostus? Minimè. Quoniam voluntariè loquuntur, neque reddunt causam, neque reuelationem habent. Nec hoc ex illo sequitur. At quidem arbitror Deum posuisse insigne quoddam in Luna, vt omnes creaturæ inferiores, vel Angeli, agnoscerent hominem esse dominum sublunarium, & inter omnia nobilissimum, eique Cælum conuenire. Nam licet casu quodam ex vapore Luna constituta sit, tamen vt ita constituatur ab assistente Numine factum est, sicut declarauimus. Similiter enim casu quodam fit vermis in caseo: quod tamen eiusmodi fiat, ab idea est, & tribus influentiis, Fato, Necessitate, & Harmonia, & ab assistentia Numinis ideam transferentis, imprimentisque. Non ergo sine causa hominis potius quàm aliarum rerum figura conspicitur in Luna. Casu in manu & vnguibus notæ oriūtur, sed tamen aliquid significant. Non enim patitur Deus quid ociosum, & Luna est quasi fæmina, quæ fieri debebat mascu'us: & tamen ex impotentia caloris seminalis facta est fæmina; qua tamē Deus vtitur ad propagationem, vt scias quod de industria est respectu sui, & non casu; nisi quoniam à principio vires præpotentes sortiri non potuit: at Deus vsus est impotentia eius, ne terram exureret, & influxus solis & stellarum inferioribus communicaret, & distribueret per vices diuino artificio. Hinc licet irridere Talmudistarum vesaniam, qui docent, Deum pœnitere pro peccato commisso, quando priuauit lumine Lunam, vt daret illud Soli. Et Mahometis stultitiam, qui docet Lunam olim obtinuisse lucem solari æqualem: sed Gabrielis volantis vento ab alis excito extinctam casu inter volandum fuisse. Quibus sententiis vndique ineptis nescio quo pacto Mundus inhæret humanus, nec philosophiam à causis suis interrogare satagit: & quomodo melius est rerum vniuersitati eiusmodi esse Lunam, & non posse ab Angelis rerum ordinem primarum immutari, & alas illas esse intellectualis motionis facultates: vel si Angeli ex igne sunt constituti, vt scribit Mahometus, potius Lunæ lumen auxisset, quàm extinxissent: sed delirium est, hæc deliria velle confutare.

Appendix I.

POst hæc cùm Galilæi nuncium sydereum audiuissem, qui perspicilli res visib les magnificantis, & admouentis beneficio depræhendit in Luna varietates aquarum & montium, quales sunt in Terra: hæsito, num stellæ, excepto sole, systemata ponendæ sint; & tellus sit vnum ex eis: præsertim cum & Venus cornuta sicut Luna crescens & decrescens appareat. At dato hoc, manent immota dogmata nostra, quod sol sit calidissimus, candidissimus, tenuissimus, & mobilissimus saltem in circumgiratione in se, ac proinde pater rerum, quas parturit terra mater; & calorem, & frigus esse prima instrumenta sapientiæ Mundum gubernantis, ac Physica principia rerum actiua. Si autem & in cunctis stellis sol idem operatur, vt in Tellure, an aliter, & aliter, quis intelliget sine Deo reuelante?

Appendix II.

GAlilæi post hæc de maculis solaribus, & de asseclis Iouis 4. & Saturni duobus, libellum legimus. vnde in sententiam Pythagoræorum quis raptus diceret contra ea, quæ nos scripsimus, nisi decretum sacrum aliquod obstaret, quod fixarum motus diurnus sit apparens tantum. Nam & cunctis Patribus, priscisque Christianis omnibus cælum stellatum fixum ponitur, & firmamentū dictum Moysi: & S. Iustinus testatur hoc fuisse dogma Christiano-

Et Chrys.

rum, quod Cælum stet, neque sit rotundum, cuius oppositum fuit, inquit Gentilium: & hoc sui temporis Mathematicis demonstratum esse narrat August. quos confutari non debere monet. Mathematicis autem à stellis innotuit, & Chryst. qui vt Moysi textum saluaret, & apparentiam motus fixarum, respondet, moueri stellas, sed Cælum stare, ex creditis loquitur: non enim nisi ex stellis id sciri queat. Nunc autem & circa ipsos alios Planetas agitari posse, & theatra circum habere, sicut sol noster. At color me detinet, ne tot soles ex eis efficiam. Hinc Planetas omnes Lunas dicere oporteret, vt Venus crescens & decrescens in cornua suadet: non tamen hominibus, nostræ speciei habitacula: cum neque subpolari frigore, maius, neque sub tropicali calore maiorem, species nostra ferre queat: sed Entia alterius generis analoga nostris, ipsi habeant.

Item maculas vt Luna, Iupiter habent, & Venus cornuta & dimidiata, & plena lumine, vti Luna apparet, ita quod Pythagorici vicisse videtur: Mira res, & quæ à Deo reuelationem expectet; Quapropter alius philosophandi modus emergit, si Galilæus non fallitur. Erit ergo ponendum exordium rerum aut ex atomis per inane iactatis, & in plures mundos compositis, vt Democritus vult, sed à Deo iubente, aut ex materia à frigore, & calore discerpta, ex cuius meliore portione solem calor purus in medio victor constituit: frigus verò in portione diuisæ per pugnas materiæ, sese addidit, terrasque constituit multas, & in eis aquas, & aërem, & vapores, calore extrinsecus percutiente, factos oportet. Nec hoc sacris Literis repugnat, imo S. Ambrosius. epist. 31. vtroque modo concrescere potuisse mundum opinatur: sed tamen ex Chaos potius nos in Phys. q. q. art. 4. docuimus: quia vnitas præcedit numerum. Solem ergo circumgirare in se ipsum ac vapores ex omnibus terris educere, quos circa ipsum conuolui aspicit Galilæus: non vt nutriatur Sol, vti putat Galilæus: sed vt Cælum omnia fiant ab eo. neque ex terra, quæ sit intra solem, vt putat Nolanus. Puritas enim solaris candoris non admittit terram intra se. Item videntur nubes illæ extrinsecus aduenire, quoniam non nisi intra tropicos solis & nō vbique, neque intus, sed deforis volitant. Ergo potius ab aliis systematibus ex eorundem vaporibus fieri stellas comatas intra circulum vaporosum, quo singuli planetæ ambiuntur. Nouam vero stellam ex vaporibus fixarum, aut lunarum, quæ ipsas ambiūt stellas, moueri per inane, radiorum solis, vel systematum, quæ ambiunt, circumductione, facillimè cum propensiones aliorsum non habeant: Quibus sublatis totum Mundum vno capillo agitari posse in p. p. probatum est. Sed eorum motum ab intelligentiis concinnari, vt non vltra tropicos, & quadam ratione fiant, non autem vt fiant. Facillimus est motus vbi nulla resistentia, quemadmodum in vacuo: nam & lignum natans capillo trahi potest. Arist. vero peccat, quia motui non artificio motus, Angelos destinat: ponitque pugnas & violentias in eis. Fixas non dicimus soles, quoniam colores puritatem solarem eis negant, sed systemata, (nisi & huiusmodi compositio Solis rationem non tollat,) in quibus quæ Entia sint, nouit Deus: & circa illas girare Lunas, sicut circa Iouem, & Saturnum, & Cybelem, nil inficior. Non modo enim à sole mouentur res iste, sed à proprio appetitu & sympathia, quam cum circumdatis habent centris. Aufero ergo centra odij, & omnia erunt amoris. Paulatimque Lunas Soli propinquare censendum, donec veluti pyraustæ luce eius exurantur. Scripturas verò loqui de his, teste S. Thoma, & Chrysost. prout sensibiliter apparent nobis. vnde Lunam faciunt luminare, quod non nisi nostro systemati est verum, non aliis: sunt enim stellæ Luna maiores & lucentiores. Sic ergo Iupiter quinque luminaria habebit, quatuor minora, vnum maius. Visuntur in Ioue perennes maculæ instar Lunæ; itavt sit Luna solis, & sol medicearum: sic de cæteris. Frigus idem nostrati, oportet esse in Lunis: sicut & calor idem ab eodem sole: non tamen eadem animalia, & plantæ, & res, nisi proportionaliter; quoniam alia est ibi temperies, & apud nos. Frigoris sedes est pars densa in omnibus systematis quæ à tenuiori per solem impellentem mouetur. at Angelorum ministerio motus artificiosè concinnatur, est tamen immobilitatis causa frigus in eis, partialis, non totalis: quæ enim occupat immobilia reddit. Fortè etiam maius est frigus in Mercurio, quam apud nos. alioquin oporteret à sole iam combustum esse. Quid si magnetica sit tellus nostra, vti Gilberto placet? & aliæ alius materiei? Frigus autem propriam non habeat sedem, sed vbique fiat absente calore ex propriis seminibus sese diffundentibus? Nam circulus propriam non habet materiam; sic nec calor & frigus, quia instrumenta sunt opificum Angelorum. Fauent sententiæ Rabbini, & Ambros. & Basil. & alij Patres antiqui, qui aquas in Cælis asserunt: Firmamentque Cælum, & D. Thomas, textum Mosis magis fauere ponentibus Cælum igneum cum Platone, quàm quintæ naturæ cum Aristotele: iuxta quem expositionem non capit nisi mysticam: & corruit littera. At commodiorem esse textui sacro Empedoclem, qui ex quatuor elementis componit sydera: quoniam saluat veras aquas super Cælo: & firmamentum Cælum ex eadem materia non de quinta incorruptibili natura creat secundo die. Arridet & Origenes super Mat. qui sydera ex spissa materia constituit, crassaque, terrestrique, & à sole apparenter candida fieri. Quæ porrò cum Deus solis lucem continuerit, cadant, oportet, perdito motu & igne, quem à sole sortiuntur: & sic fieri Chaos, in inuicem impingendo, & sese collidendo, & à prisco ordine recedendo, vt etiam Lucanus, Seneca, & Sybilla canunt. Interim verò in proprio ordine manent, quoniam ad propria centra ipsarum contendunt partes. vti omnia nostratia Entia ad centrum Terræ, quatenus corporea sunt, tendunt; quatenus vero formata ad alios situs, vt arbos sursum, &c. Ipsæ verò stellæ ad solem respiciendo tali in situ manent. Ridiculi enim sunt, qui positus locales, id est sursum, & deorsum, non iisdem rebus systematibusque putant esse eosdem. sed centrum cuique suum esse deorsum., per pheriam verò sursum, dicere oportet. At extra peripheriam in vacuum iri, & ibi nullam positionem certam esse, nisi relatam ad systema aliquod, vel ad solem. Neque tamen naturales non sint motus hi, qui non à causa interna: Natura enim est exequutio eius, quod cæpit ab initio rerum per artem à Deo inditam, quacunque ratione. Sicuti pulmo à spiritu proprio, proprioque ab appetitu mouetur; ac simul ab aëre inspirato, & vi vacui. sic etiam sydera. Componitur enim naturale ex necessitate & spontaneitate. Atque ipsa absque necessitate Natura est Ars: absque spontaneitate, violentia: absque serui-

litate libertas: Quod Arist. ignorat, dum Physiologos irridet.

Hæc in hac dixi appendice, posito quod Galilæi, Pythagoræorúque rationes, & obseruationes conuincerent, Tellurem moueri, syderaque esse systemata. Hoc enim sublato, nulla sunt asserta isthæc: quemadmodum in q. Phys. & in commentariolo illo, quem ad Cardinalem B. Gaetanum misimus: An Theologia excludat prorsus Telluris motum. Qua in re decretis tandem Summi Pontificis submisi negotium hoc: quamuis probassem, hoc ex dogmate sacram fortasse non euertiscr. pturam. Et agnoscamus id, quod ait Augu. quod si philosophi aliquid verè demonstrant quod Theologi aliter sentiebant ex S. Scriptura: hoc non verè contineri in S. Scriptura, sed humana ignorantia ita putabat. At ex sequentibus adhuc patebit Pythagoricos non vicisse.

VTRVM COMETÆ SINT SYSTEMATA *occulta aliquando apparentia, vel vapores accensi, vel illuminati, vel naturæ, vel Angelorum ministerio; & num ex eis liceat concludere Cælum & Astra esse alienæ naturæ à Sole.*

CAP. X.

COMETAS non fieri ex vaporibus accensis, declaratum est in Physicis: vapor enim, & si Mundi magnitudinem adæquet, in momento temporis ab igne consumitur in tenuitatem inuisibilem, & longè prius, quàm puluis bombardarum; hic enim crassior est res. & hoc declarant stellæ cadentes, quæ ex accenso vapore fieri existimantur, subitò pereuntes: Quapropter ad pauca respiciens Arist. hanc opinionem tutatur; & longè deterius, cum putat à Terra nutriri vaporem accensum. Cometes enim rapidissimo fertur motu, & à loco vnde exordium & vaporem accepit, remouetur extra tropicos, & extra; Terras & vnde consimilem in eadem figura, & magnitudine, vaporem cótrahere continuatum nullo potest modo: durat enim ad duos, & tres, & sex menses. Palam quoque faciunt obseruationes, & instrumenta Mathematica exquisitissima, non fieri Cometas sub orbe Lunari tantum, sed etiam lógè superius vsque ad Iouem, quod Proculus, & Cardanus, & nunc Tycon, vt aiút certissimè comprobant ex parallaxis carentia: & noua stella in sede Cassiopeæ anno 1572. visa, quæ xv. Mensibus durauit sine parallaxi, id optimè probat. Et Cometa anni 1583. in ligno Piscium, & alij multi ex Tycone. Hoc post scriptum mihi noto. quod ostendit contra Arist. Cometas non fieri accensione ignis sublunaris: & Cælum non esse quintam essentiam. Præterea Cometes sub Cancro, stellarum sub Cancro motum, & tempus imitatur: sub æquatore, stellarum æquatoris; sub Capricorno, Capricorni. vbi nimirum vix per vnam horam nobis ad Poli borei grad. 40. positis appareret; si sublunaris esset, vel potius non appareret: apparet autem quanto tempore, & situ australes stellæ: vt nemo in Cælo dubitet sydereo gigni. Vitentur autem Cometæ ab ortu in occasum, aliæ ab occasu in ortum, aliæ à Borea ad Austrum, & è contra, moueri: & tantæ magnitudinis, quod sæpè Cæli quartam occupent. Scripsimus olim, & id Telesio placet, esse Cometas vapores à Terra eleuatos, & à Sole illuminatos, qui in oppositam partem emittunt Comam, veluti ampulla aquæ plena soli exposita radios in oppositam partem faciei, quæ respicit solem, tráſmittit: & hoc obseruauimus, existente sole in plaga Orientali, Comas in Occidentalem protendi; in Occidentali verò, ad Orientalem ipse vidi in anno Christi 1607. Obseruarunt etiam maiores nostri Cometas eclypsari ex Terræ interpositione, sicut Luna; quod palam facit illuminationem solis constituere Cometam; & corpus esse transpicuum, & non tantæ magnitudinis, quantæ apparent: sicut enim radij ab eo refulgentes, qui tantum Cæli occupant. Corpus autem eius parum excedit telluris magnitudinem: vnde non immerito quis dubitabit, vnde tantus vapor in Cælo. Nam de his, qui fiunt sub Luna ambiguitas minor est, sed de his: qui fiunt etiam apud Saturnum non immerito ambigimus. Nam quî fieri potest vt tantus vapor eousque ascédat per immensa milliaria Cæli percalidi (supra Mercurium enim non ascendit vmbra Terræ) & non dissoluatur? Item quomodo è Terra tantus vapor exit, qui Terræ magnitudinem excedit, & non paulatim dissoluitur, neque imminuitur, quo sursum magis eleuatur? Epicuræorum sentétiam indoctissimam, quod non sint amplioris magnitudinis, quã apparent sydera, non nisi rusticorum expertium rationis, nedum Mathematicæ, est. quid ergo dicemus? vel esse systemata nobis ignota, quæ non lucent, nisi quando à sole certo quodam situ conspiciuntur, sicut Luna. Nam ipsa qua in parte non illustratur videtur simillima Cælo, cæruleæ nempe faciei; licet nigricet aliquando cum soli opponitur, ab vmbra Terræ; & quando supponitur à lucidi cádoris comparatione: vel oportet esse vaporem à syderibus eleuatum, nam videtur Cometæ multi propria sequi sydera. Visus est enim qui Iouem circumdans nunquam ab eo separabatur; adeo quod Iouis cauda esse videbatur. Alius autem sectabatur stellas geminorum, & ab eis separari nolebat: alij verò nullas sectantur stellas, & variis aguntur motibus. Quapropter si qui incolunt stellas vident Cometas nostros, qui fiunt sub Luna, quasi caudas Terræ: sed Luna, quæ maximè terrea apparet, hanc habere caudam nunquam visa est. vel mihi historia eius ignota est: sed non videtur Cometa esse sydus. Nam sydera carent coma, & Luna ipsa videtur impenetrabilis à sole: aliter comam emitteret, sicut am-

pulla. Mirum ergo vnde tanta opacitas. & profectò si Luna esset aqua & aër, quãdo diuidua est in quadrato primo, emitteret comam in Orientem, & non prorsus ad perpendiculum linea lucis Lunam dimidiaret. Quapropter Cometa videtur esse vel vapor, vel systema alterius naturæ, quàm sydera. siquidem systema est, nescio cur tantis temporibus occultetur, & comparet tantum sex Mensibus, vel per annum post multa sæcula: & non post certas periodos. Nisi quis dicat ab externis Mundi ad nostras aduentare & recedere: sed quo priuilegio? Quo autor Naturæ ad mutationes in hoc Mundo faciẽdas prout suo opificio aliquando opus est, vtitur. At si ab aliis Mundorum Theatris descenderet, tunc more planetarum post certa determinata tempora descenderet, & non incertis non sibi inuicem correspondentibus vicibus. Item paulatim fieret maior cum primo apparet, & cum disparet, paulatim minor. Nos autem experimur à principio maiorem esse, & statim auctum Cometem paulatim minui, & euanescere etiam mutando colorem. Præterea Epicyclus Cometarum esset maior orbibus planetarũ. Nam post multa tempora reuertuntur iidem: & cum videntur nobis per dies quadraginta vix sui orbis gradum vnum absoluerent: vnde oportet esse immensum orbem ipsorum. Nam vnus eius gradus respondet quartæ parti circuli maximi, quàm visus est Cometes non raro absoluere. Mutationes prętereà magnitudinis, & motus ad Austrum & Boreã, comprobant non esse orbem vnum Cometarum, vt Thyconi videtur: neque planetas esse aliorum Mundorum ad nos venientes, vt Pythagoræis. Si vero quis in æthere nostro Cometem degere dicat, tunc à sole illustraretur, sicuti & alia sydera etiam distantiora. Nisi fortè quis fingat, totum opacum esse Cometem, excepta quadam parte, quam non contingit à sole aspici, nisi post diurna tẽpora, eo quod in se reuoluuntur continuo, & in tanto tempore perficit gyrum, quando nimirum solem denuo ex parte aspectet. At cum huiusmodi Cometæ interdum plures reperiantur simul, & in superioribus regionibus, & in inferioribus, oportet esse plura systemata ignota. Quod quomodo dicamus, ambigimus.

Post scriptum vidimus Cometas duos in hoc anno 1618. quorum primus 59. gradus tenebat à vigesimo Virginis ad decimum nonum Scorpij, formam pennæ Aquilinæ habens, & nullam planetæ formã. Ab ortu in occasum cum Mundo, & ad Austrum per se exiliter sese mouens. Alter instar Planetæ comam, 40. graduum, apud lances, in boream & occasum tendens, defecitque in cauda vrsę maioris: motibus irregularis: vnde plenè agnouimus non esse stellas aliunde delatas; neque circa solem habere circulum, vt putat Thyco: sed ministerio fieri Angelorum ad significandum & agendum.

Nec propterea Aristotelis ratio, qua putat non alios extare mundos propter hoc, quod illorum Terra ad terram nostram veniret: & illorum aqua ad aquam nostram, &c. aliquid probat: vnumquodque enim systema propria gaudet vnitate: & aliena non quærit. Nec enim cor meum vult in locum ire cordis bouis: eoque minus, quo minus circumdantia non sinunt. Si ergo est in syderibus terra & aqua; ex illis vapor, qui fit Cometes, exhalat. Sed hoc multæ negant rationes, vt superior docuit sermo. Si autem alia sunt systemata, ex quibus exhalatio facit Cometem, & non ipsa sydera; rationabilius est. Hisque potest inesse Terra, & forsan Paradisus terrestris; quem in terra nostra diu quæsitum non inuenimus. & forsan locus pœnarum alibi: Nam Christus nominat eius tenebras exteriores: quæ autem in centro nostro sunt, interiores sunt, vt considerat Origenes. Item S. Chrysostomus, & S. Thomas, & Magister Scholasticorum, negant, adhuc sciri posse, vbi sit pœnarum locus. At neque hoc satis rectè ponatur. Illa enim systemata obscurarent interdum fixas, & alia sydera, veluti Luna Solem & Mercuriũ nobis, &c. Præterea nec probabile satis est, sydera esse systemata; namque tellus ipsorum obscuraret alia sydera. Et conspicerentur aliquando semiplena, aliquando plena lumine, sicut Luna. Venus præsertim in elongatione maxima vespertina à sole, qua respicit Orientalem plagam, lumine careret.

Si autem sunt peruia sydera, quoniam puriora quàm Luna, dubitatum est prius, quomodo non purificantur à continua caloris penetratione; sed perseuerant alia rubra, alia plumbea, alia palearia in colore, & non candida prorsus, vt igneus Sol & Venus. Cometæ similiter alij sunt albi, alij rubri, alij plumbei, alij varij: vnde Ptolomęus decernit significationem super illa rerum genera, quę Planetę talem habenti colorem, subsunt. Quapropter non videntur esse systemata cælata nobis, sed nouiter fieri: & sectari sydera, quibus cum sympathiam habent; & alios ferri ab ortu in occasum, sectando motum Cæli: alios ab occasu in ortum, quorsum à luce penetrante impelluntur: vnde & in obliquum feruntur, quando sol in australi plaga est, & Cometę fiunt in tropico cancro, vel extra, alias immobiles esse eo quod ab impetu lucis feruntur ab occasu in ortum: à Cælo verò ab ortu in occasum; vnde oportet, illos manere immotos. alios tandem sectari cõsimiles stellas: sed mirum quomodo à stellarum calore, quibus fiunt quasi crines, non subito dissoluitur vapor huiusmodi: & vnde hæc sympathia maior cũ hac, quam illa? Illud primum dubitatione non vacat: secundum, hoc magnes declarat, qui ad polos perpetuo respicit, quamuis remotissimos: at qui nauigant in Americam, affirmant magnetem cum venerint sub tropico Cancri, & Capricorni aliquantulum à polis deflecti: quod in aliis non facit sitibus, & sub æquatore intra tropicos semper eundem inspirare ventum ab ortu in occasum, sectando motũ Cæli: extra tropicos vero variari. Ex quo intelligimus Cometas in Cælo vias varias habere iuxta mũdi sympathiam, & antipathiam, longè plures, ac nobis occultas. Quapropter dubitare licet, decernere vero per certitudinem non datur in his: sed si vapores à Terra nostra eò attolluntur, quo dictum est, & hoc nobis vix possibile visum fuit, Angelorum ministerio fieri, censendum est: vt talia spectra in Cælo apparerent: & res inferiores immutarentur, sicuti disponit Deus. omnia enim sydera transmutationibus deseruiunt: & quando opus est aliquid variare ad nutum Dei, tales consistentiæ nouæ fiunt: prout in omni arte & Reip. gubernatione aliquando peregrina remedia afferimus. & illa feruntur via, qua Angeli ducunt super opificio Dei. Quis enim audeat casui tantum opus tribuere Cometarum? aut naturæ inferiori non tantopere potenti, nec sapienti, nec volenti? Illud etiam mirabile est, quod dicũt, Thyconem litteris mandare, nouam exortam esse stellam, cæteris similem, non autem Cometis, in anno Christi 1572. quæ adhuc perseuerat extincta; & per 15. Menses fulsit: vnde intelligimus vel à Deo recens

recẽs creatam esse, vel aliunde adductam ad Mundi nostri consumptionem. Nullæ quippe historię, aut antiquorum obseruationes nouum sydus aliquando exortum docent, nisi à morte Cæsaris fabulosè: vnde Aristot. si Cælo adderetur astrum, non posse moueri amplius, vel difficile, opinatur, sed constat sydera à Cælo non rapi, sed per se illa discurrere, vt alibi dictum est, & mox aperiemus. Hipparchus tamen, teste Plinio, nouum sydus suo tempore obseruauit: sed quid factum sit, tacet. (Sed tamen anno 1600. aliud sydus nouum in pectore cygni: & aliud anno 1604. in serpentario obseruarunt.) Quis autem dicat, vtrum ignes multi conglobati è syderibus nouum in astrum coaluerint? Aut vtrum aliquod systema, sicut nostrum ignitum, iam fuerit, purificatumque, sicut expectamus, Terram à Sole exuri, & Christallinam fieri iuxta Theologorum sententiam? Arbitraretur Origenes, aliquam intelligentiam noue peccantem indutam hoc nouo astro; cùi sydera rationalia esse, intellectualiaque putantur, vitij, & virtutis participia Nam *munda non sunt in conspectu Dei*, teste Iob; Philon vero vitij expertia reputat astra, & diuinissima esse, atque intellectualia, & domicilia aliorum intellectuum: sed de his postea.

Appendix.

Post scriptam hanc tertiam partem legi Thyconem, & interposui versicùlos de obseruatis eius duos in hoc cap. sed putat ex Galaxia, quoniam ibi sæpè visũtur, exhalare materiam, vnde fiunt Cometæ. Sed iam Galilæus perspicillo ostendit, Galaxiam esse stellarum collectionem paruularum, & non Cæli crassitiem. Item si à Cælo egreditur talis materia, multo magis è syderibus: sed de materia nòuarum stellarum multo plus dubitatur, putantibus aliis aliud, vt in Thycon vidi. Sed iam hæc omnia apud antiquos dubitata sunt, & à me interposita in hoc capitulo. Hoc vnum perfectè ostendit Thyco, quod super Lunam Cometæ fiunt, in cæteris est simplex opinator; & valde errat, dum illis dat Epicyclum circa solem, cum longe distent aliquando ad boream, & austrum, motibus etiam inæqualibus sese mouentes. Item vidi Thyconem aliam ponentem mensuram mutationis obliquitatis, quoniam ipse refractiones adiecit, Copernico nõ consideratas, neque priscis: sed tamen remanet eadem mutationis series, & anomalia, demptis vnicuiq; obseruatori gradibus à refractione superadditis.

PHAENONIMA CAELESTIA, ANTIQVIORA, *& recentia proponuntur; vnde variæ sententiæ de motibus cælestibus, & mobilibus qua intelligantur arte.*

CAP. XI.

MOTVS contrarios à contrariis causis fieri oportet, præsertim perpetuos. At motum, & quietem ab eadem Natura fieri, impossibile est, Animalia enim idcirco non semper mouentur, quoniam ex mobili tenui, & immobili parte corpulenta, constant, quàm motu dissolui contingit: idcirco spiritus Natura mobilis semper mouetur, vt thoracis, & arteriarum docet pulsus. Motus ergo corporis, est vectatio, quam oportet intermitti. quæ autem natura mobilia sunt, mouentur semper. quæ violenter mouentur, aut vectantur, non semper: sic quæ Natura quiescunt, semper quiescunt; quæ verò violenter detenta, non semper sunt: igitur diuersæ naturæ quiescentia, & mobilia. Si ergo in Cælo alia pars mouetur, alia quiescit, diuersis constat naturis Cælum. Si verò totum mouetur, sed ad diuersos contrariosque terminos, non ab vna mouetur causa, licet sint eiusdem naturæ partes mobiles: sed à diuersis diuersa intelligentibus, appetentibusque. Quapropter hoc examinare non grauemur.

1. Videmus quidem stellas, quas vocant fixas, & simul errantes oriri, culminare, & occidere sub horizontem omnes ab Ortu ad occasum in 24. horis solaribus.

2. Sed stellas errantes non eodem gradu; nam videmus, cum aliqua fixarum sub horizontem occumbit simul cum aliquo Planeta hodie, non seruare eundem ordinem crastina die; sed prius occumbere fixam, deinde Planetam: & quidem Lunã deficere à fixa 13. ferè gradibus? Mercurium, Solem, & Venerem 58. ferè minutis: Martem 31. Iouem ferè quinque. Saturnum duobus.

3. Sed non semper æqualiter, nam quilibet planeta deficit alias plus, alias minus, vt Sol quandoque 57. min. quandoq; 62. sic de cæteris.

4. Item obseruamus non ab eodem puncto horizontis, oriri Planetas, neque in eundem occidere, sed spatiari à Borea ad Austrum intra duos tropicos, vnde videntur obliquè incedere.

5. Nec tamen omnes seruant eandem obliquitatem; nam à Solis via deflectunt, quam sicut notissimam aliorum regulam assumimus.

6. Et cum sunt vna cum sole minus; cum vero oppositi, magis.

7. Præterea tres Planetæ superiores, quando soli coniunguntur, fiunt parui, altissimi, & tardissimi in antecedentia signorum. Subdeficiunt enim maximè à fixis: quo vero Magis Sol ab eis recedit, fiunt terræ passim propinquiores, & maioris magnitudinis, & velociores pedentim in anteriora; & in posteriora deficiunt minus à fixis: ita quod cum Sol à Saturno recesserit 108. ferè gradibus, tam velox fit, vt vna cum fixis videatur ambulare, & oriatur simul, & occidat simul ante, id quod Mathematici veteres vocant stationem, quoniam nec deficere nec præcedere apparet. At paulo post, augetur motu in anteriora ita vt ante fixam stillam, quà cum æquè gradiebatur oriri incipiat, & occidere. Et hunc motũ

veteres Retrogadationem vocant; quoniam retro à motu deficientiæ quem arbitrantur esse proprium, procedunt. Et semper hæc anticipatio augetur, & magnitudo planetæ, & propinquitas ad terram, donec perueniat ad diametrum, hoc est 180. gradus, & tunc dicitur Planeta in maxima retrocessione esse, quoniam maximè anticipat, ita vt Saturnus qui præcedebat fixas minuto vno quando distabat à Sole 116. gr. in diametro antecedat minutis ferè quinque: Mox incipit eodem ordine hæc velocitas, quam vocant retrocessionem, & deficere donec ad 108. grad. perueniens fiat Stationarius secunda statione æque cum fixis gradiens, & mox iterum subdeficit à fixis, quod vocant directionem planetæ. Idem facit Iupiter in 119. gradibus à Sole, & Mars in 133. ferè: Venus autem & Mercurius Solem perpetuo comitantur, & nunc præcedunt, nunc sequuntur: & iterum appetunt præcedere, & tunc vocantur retrogadi; nobis autem veloces. At quando præcesserint, eleuantur passim, & solem ambiunt in superiori absidc positi: cum vero sequuntur, & sunt Vespertini, paulatim Terræ propinquant, & fiunt in abside inferiori velociores in anteriora. Luna verò contra ritum omnium in synodo, & oppositione Solis, eleuatur sursum: in quadratis vero deprimitur, alias magis, alias minus. Quapropter nunquam dicitur retrograda, quoniam etsi aliquando velox sit in anteriora, aliquando tarda, nunquam tamen ad tantam velocitatem peruenit, vt fixas antecedat. Sol verò & Mercurius, & Venus respectu fixarũ alias tardior est in posteriora, & sublimior, vt cum est in quarta Cæli à Cancro ad libram: alias verò velocior, & propinquior nobis, vt in Capricorno, vbi dicunt habere absidem inferiorem.

8. Nam præterea omnes Planetæ in aliqua Cæli parte eleuantur magis: & hoc non à Sole habent, sed ab ignota causa. In aliqua vero deprimuntur, & in illa dicuntur esse in apogeo seu in abside superiori suæ excentricitatis: in hac in perigeo, & in abside inferiori. Hoc autem inde manifestum fuit, quod in aliquo signo immorantur magis: in opposito minus. Computata simul semper celeritate, & tarditate, quam à sole habent. Sol verò quia non habet alium solem, quem sequatur, non fit directus, neque retrogadus: neque stationarius, quoniam nō potest adeò augeri motus eius in anteriora quod excedat 59. min. vt cæteri paucorum minutorum motus.

9. Præterea in sæculis priscis videbatur motus obliquus, qui vocatur latitudinis, & annuus, perfici in eodem tempore cum motu recto, qui dicitur diurnus & longitudinis: ita videlicet, quod qua die & hora, & minuto, & secundo reuertebatur ad æquinoctium, eodem die & hora, & minuto, & secundo reuertebatur ad primam stellam arietis: & constabat annus ex 365. circulationibus, & partibus seu horis sex. At Hipparchus, qui præcessit aduentum Messiæ annis ferè 121. inuenit non concordare motum latitudinis & longitudinis, sed prius solem peruenire ad puncta cardinalia, quàm ad sydus, vnde cæpit moueri, puta ad primam Arietis, & vidit in centum annis ferè vnum gradum præcedere annum tropicũ ante sydereum; sed non satis hoc determinauit. Ptolomæus idem examinans in anno 139. post Messiam inuenit in 100. annis vnum gradum præcedere. Albategnius in anno Messiæ 870. in 65. annis, vnum gradum anticipari statuit æquinoctia, & solstitia. Copernicus tandē in Messiæ 1525. septuaginta ferè annos requiri ad gradus anticipationem vnius inuenit. Præterea & æquinoctia recessisse 28. gradib. à suo principio, & solis obliquitatem à Ptolomæo ad nos 24. min. ferè defecisse: excentricitatē vero sũmam, in qua fiebat à terra distantissimus, diminutā esse plusquam centum, & decem mille milliarib. Totidem ergo solem terræ propiorem factum. Locos vero Apogæorum non modo anticipasse situm quantum solstitia anticipant, sed plus, ergo & proprium habere motum, & nihil esse in Cælo stabile. Nam apogeum solis fuit Ptolomæo in 6. Geminorum, nunc autem est in 8. Cancri. Mercurij vero qui erat in libra, nunc est in primo Sagittari: & sic de cæteris. quod quidem priscis sæculis fuit occultũ. Nam apogea, & excentricitatem, & obliquitatem reputarunt stabilia esse. Cardines verò transponi primus docuisse videtur Hipparchus.

POSITIO ARISTOT. DE MOTIBVS

cælestium orbium, ex diuersis contrarijsque auctoribus consarcinata, proponitur discutienda.

CAP. XII. ART. I.

Ex his apparentiis variæ ortæ sunt opiniones. Aristot. quidem in 2. de Cæl. tex. 57. Ægyptiis siue Chaldæis consentiens. (nam nihil super hac re videtur proprio ingenio philosophatus) stellas fixas arbitratur à primo motore cum suo stellato Cælo 8. ferri ab ortu ad occasum spatio 24. horarũ: & secum violenter rapere septem orbes; quibus infixi sunt Planetæ, sicut nodi in tabulis. At vero simul oēs Planetas à propriis motorib. ferri ab occasu in ortũ proprio motu, sed obliquo, velocius quidē motu violento, quo ab eodem sunt remotiores. & hoc summa cum proportione. In 12. autem Metap. secutus Eudoxum & Calippũ Græcos, alias hypotheses superadducit. Primo enim probat, ex eo, quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur, stellas ab alio moueri: quia sempiterno motu ideo à motoribus sempiternis, & quia 8. videntur esse Orbes Planetarũ, & stellarũ, fixæ enim omnes eundem situm & motũ habent, idcirco ponit primum orbē à motore primo moueri ab ortu in occasũ, sed vt multiplicaret motores, & intellictus, quos dicit æternos

imitatores etiam motoris primi, non vnicum dat motorem vni Astro, sed plures, quot videlicet sunt differentiæ motus. Ergo Saturnus motu diurno mouetur ab ortu in occasum, à propria intelligentia, & non à primo orbe: ab occasu vero in ortum sub Zodiaco ab altera intelligentia, & altero orbe ab ea moto: tunc addit tertium orbem deferentem Saturnum, qui moueat ipsum motu latitudinis ab Ecclyptica, quem etiam Soli, licet nusquam ab Ecclyptica declinet, dat. Dat tandem quartum orbem & motorem, qui tertiam impediunt sphæram, ne planetam extra Tropicos deferat vsque ad Zodiaci polos, qui in ipsa sunt, & ideo mouent ab ortu in occasum contra tertiam. Hanc tamen quartam sphæram nescio propter quid non etiam Soli & Lunæ dedit. Sunt ergo spheræ omnes excepta stellata, viginti sex secundum Eudoxum. At Calippus addit Soli & Lunæ duas alias sphæras, vt phænomena assignentur recte. Hoc est, sicut sui interpretantur, vt saluetur tarditas & velocitas, quam videtur habere Sol & Luna in diuersis partibus: quas ab eisdem concentricis assignare non licet. Cæteris vero Planetis addebat sphæram vnam; & causam non assignat; sed interpretes aiunt, vt efficiant retrogradationem & stationem. Ast præter has Aristot. addit. (vel ex Calippi, vt dicunt alij, vel ex propria sententia, vt ait Ioan. Baptista Amicus Consentinus, qui fecit sphæram ex homocentricis) tres orbes reuoluentes cuilibet Planetæ, excepta, vt videtur, Luna, ne motus superiorum communicentur inferioribus. Ergo fiunt orbes quinquaginta tres, & non 55. vt in textu numerantur, nec 56. vt deberent. Alij putant Aristotelem excepisse Martem, alij Mercurium: sed præter rationem. Luna enim sola non eget illis reuoluentibus.

Positionem Arist. de motibus Astrorum, sibi & Naturæ, & rationi, & experientiæ, & Theologiæ aduersari.

ARTIC. II.

SED profecto non modo stultam opinionem elegit Aristot. decretis Naturæ contrariam, & phænomenorum causas nil reddentem: sed suis quoque dogmatis maximè aduersam; sicuti in cæteris solet, non philosophari, sed aliena transcribere sibi aduersa, & aliquid de suo addere contrarium illis, & inconueniens. Esto enim quod hoc Mathematicis negotiũ credendum erat, non tamen hypotheses Mathematicæ eligendæ sunt, sed obseruationes apparentiarum. Illi enim reddunt non causas pro causis, & petunt principia etiam impossibilia, vt possint numerum, & magnitudinem ex eis assignare. sicut dicũt, motum punctum efficere lineam, & dimidium circuli circumductum sphæram; quod tamen in re visum est nunquam. Igitur licet appareant diuersi motus in Cælo, nam Planetæ ab ortu in occasum cum fixis, & è contra ferri videntur; non tamen hoc impossibile asserendum erat, eandem sphæram simul aduersis ferri motibus: cum quia hoc impossibile deprehenditur, nec exemplum de formica mota super rotam in oppositam partem, hoc suadet: Formica enim & rota sunt duo corpora; & alterum ab altero non patitur vim, sed mouetur illud super hoc moto. Sphæra autem, cui infixus est Planeta, vnum corpus est, tendens ab occasu in ortum, quod simul rapitur ab ortu in occasum contra conatum suum, nec super primo mobili rotatur. Tum quia vnius corporis simplicis vnus est motus simplex naturalis, vt ipse testatur: & quod est contra Naturam, æternum esse non potest; idcirco sibi, & Naturæ aduersatur, ponens motum naturalem, & violentum in Planetis, & hunc æternum, & longè præpotentiorem naturali. Sol enim in 24. horis motu violento mundum totum ambit, naturali vero in anno vno: si ergo tantum præualet violentia super Naturam, mirum est quomodo Aristot. in 2. de Cæl. ponit æternitatem in violento motu. Præterea non rectè dicitur primum mobile mouere omnes inferiores orbes motu violento: non enim potest fieri, vt quod regulatissimè mouetur semper, & non deprimit, neque trahit vicinis inferius corpus, illud secum rapere tam velocissimè possit. Et siquidem moueat Saturnum sibi contiguum, non tamen potest mouere inferiora, nisi Saturnus ea moueat. Quod si ita est omnes orbes mouebuntur æquali motu cum Saturno, vel porportionaliter, vt ipse dicit, remotiores minus participant violenti motus. Hoc autem falsum est, nam Saturnus habet motum subdeficientem à violento minutis duobus, vnde naturalem conficit in 30. annis. Ergo Iupiter deberet in viginti, & Mars in decem, vel in 15. & Sol in x. vel Venus: Et Mercurius in quinque, & Sol in duobus, & Luna in vno: sed non arridet proportio. Nam Saturnus in 30. perficit gyrum, Iupiter in 12. Mars in 2. ferè. Sol, Venus, & Mercurius in vno: & Luna in diebus 29.

Præterea cum Planetæ contendunt motu proprio ab ortu ire in occasum, nequaquam primum motorem, vt Arist. vult, imitantur, sed aduersantur. Ergo oportebat duos primos dare motores, alterum Cæli stellati, quem imitantur in motu raptus, si tamen imitatio, & non potius contrafactio est: alterum in orbe Lunæ, quem imitentur in Naturali. At quomodo duos motus simul edant? Stultè sanè videtur posuisse in Cælo bellum, vnde omnis contrarietas & corruptio abest iuxta eius dogmata: & contra dogmata Dei (dicente Iob) *qui ponit concordiam in sublimibus.* Nec propterea quod nobiliori mouentur à corpore contra proprium motum Planetæ, motus eiusmodi non sit violentus. Quo.n. nobilius, eo magis rapit corpus, & violẽtat, atque destruit: sicuti lignum ab igne, se longè nobiliore, destruitur magis. Amplius si secundorum mouentium beatitudo est assimilari primo, quomodo contra nituntur & reluctantur? Sed Arist. quasi seipsum corrigens in 12. Metaph. tex. 46. non vult moueri ab ortu in occasum secundos orbes à primo, sicut in 3. de Cælo statuerat, sed à pro-

priis motoribus: idcirco dat sphæram, quam mouet Angelus vnus ab ortu, alteram quam alter mouet Angelus ab occasu: Tertiam assignat tertio Angelo in obliquum: Quartam quarto, reluctantem, ne vsque ad polos tertius moueat. Et mox tres reuoluentes, ne ex superis motus inferioribus communicetur. O insaniam! vt enim vnum euitaret inconueniens, quatuor multiplicat absurditates. Si enim motus superioris non communicatur inferiori, quid opus fuit reuoluentibus? Si autem communicatur, vtique dandus erat etiam orbis vnus reuoluens, qui reluctaretur contra orbem primum, ne secundos rapiat. Item neque sic violentia aufertur: sicuti enim primus orbis in contrarium trahens, violentat secundum, ita orbis Saturni, qui mouet ab ortu, contrarius est illi, qui ab occasu, in eodem: Ergo in omni Planeta duplicauit violentiam. Nonne melius erat permanere in his, quæ scripsit in 2. de Cæl. orbem scil. primum omnes secundos circumducere? quod si nequit, ergo ad quid valent reuoluentes? Hoc quoque furoris plenum est, quod putat, Angelos intellectuales prudentiæ plenos & sapientiæ, mouere Orbes Planetarum: ergo non mouent quantum possunt, sed quantum volunt. In hoc enim Natura stupida à cognoscente rationali differt Arist. in 9. Metaph. quod illa quantum potest agit, vt calor: hæc quantum necessarium, vt ileque agnoscit. Non enim Medicus quantum potest ægro dat rhabarbari, sed quãtum conferre nouit sanitati. Si ergo Angeli mouent Cælos, quid necesse fuit multiplicare rotas, tanquam in horologio stupido alteram contra alteram? & non potius prudentia motoris moderari motus? sufficiebat quidem cuilibet Planetæ Angelus vnus, qui moueat ab ortu ad occasum semper tamen obliquando, & cum ad tropicum venerit Planeta, rursus retorquendo, veluti vnus homo præditus arte, ratione potest hoc facere: sed multæ rotæ requiruntur in absentia hominis, si debet machina per se moueri: ille ergo Angelus obliquando, & mensura ea mouendo, qua motum primi orbis non præcedat, sed sequatur, ritè opus expleuisset. At si secundus Angelus videbatur assignandus, qui ab occasu in ortu moueat super altera sphæra: quid opus fuit addere tertium pro motu latitudinis? Nonne ille secundus ratione mouens hanc latitudinem adsciuisset? & in sole vbi nulla est latitudo ad quid prodest? Aliqui aiunt propter obliquitatem, quæ communis est aliis: sed si mouet secundus obliquè ab occasu, quid opus fuit addere tertium? Fortasse, quod expositores non sentiunt. Arist. putauit alium mouere ab Austro in Boream, alium vero à Borea in Austrum; Et idcirco addit, & quartum. Ergo vt fiat secundus motus ab occasu, & cum obliquatione tres Angeli contra nitentes requiruntur. At non sufficiebat qui mouet à Borea in Austrum, cum ad Tropicum vsque transisset sidus, deuoluere ab Austro in Boream? & profecto Aristot. iuxta hanc & priorem expositionem stupidos facit Angelos, qui nesciunt ad quam mensuram debent mouere. Sed indigent non solum doctore, sed correctore, & flagellatore operis sui. Item facit eos violentia quadam mouere, & labore nimio. Nam vel repellitur Australis motor à boreo, ne vltra moueat, & sic violentatur & corrigitur, vt ignarus. Vel succedit oneri, quoniam ille iam lassus est, nec potest à Borea in Austrum flectere sphæram suam. Hoc quoque risu dignum est, quoniam ponit Arist. beatitudinem Angeli in mouendo: ergo quando alter alteri cedit motum, remanet beatitudine priuatus, & in ocio. Angelus enim Solis Australis sex mensibus mouet, & sex alter borealis. Sed infæliciores sunt illi Angeli, qui mouent orbes reuoluentes: nam mouere nunquam possunt, sed tantum reluctari, ne motus superiores inferioribus communicentur: & quia quantum mouent, tantum amouentur, consequens est, vt stent orbes illorum, ergo sunt expertes beatitudinis, & continuo labore conantur ad motum, & nunquam mouent: & quidem Sisiphi sors melior esset. Præterea neque ex his apparentiæ assignantur: neque quid possibile excerpi potest: cum enim vnum sit astrum à multis sphæris circumduci ad tot Mundi plagas non potest: neque si altera alteram vncinis raperet, & vicissim raperetur. Non enim vult Arist. astrum nunc in hanc sphæram scandere, nunc in illam. Ipse enim incorruptibili Cæli substantia, vt putat, & inalterabili, habet hoc tanquam impossibile. Nam & idcirco negauit excentricos & Epyciclos, vt Auerr. & Simpl. testantur. Si autem Angeli adsistunt astro, sicut pilam vicissim excipiunt illud: si sphæris, sequuntur miseriæ iam dictæ.

Item Arist. putat Angelos manere in Oriente: & cum omnis Cæli pars sit Oriens respectu diuersorum, ipse insanit nesciens quid dicat. Forte quia alterum hemisphærium suo tempore ignotum fuit, putauit Orientem in Gangetica India, occidentem in Hispania. O miseri Hispani ab Angelis remotissimi, si Arist. sapit: sed cum obliquationes alibi incipiant, non enim semper in horizonte Gangetico Tropicum attingit Sol, vtique alibi ponendi erant: & non ibi tantum alligandi: sed de his inferius dicemus.

Præterea addimus, non saluari phenomena ex his. Neque enim dicit, quare magis sol immoratur ab ariete in libram, quam à libra in arietem. Neque quare Luna eleuatur in coniunctione & oppositione, & in quadratis deprimitur. Neque quare planetæ fiunt retrogradi, & stationarij, & sublimes, & humiles respectu solis, & proprij insuper Apogij. Neque qui inuentus est fixarum motus in posteriora, vel cardinum in anteriora. Neque de obliquatione Solis variata, & descensu Planetarum ad terram: sed putant aliqui, Aristotelem de tarditate Solis & Lunæ, ac de velocitate satisfecisse per duas additas sphæras, id est quartam & quintam. Cæteris verò retrogadationem & stationem saluasse per quintam sphæram: alia vero phenomena suo tempore latuisse. Sed hoc irrationale est, quamuis nec ab Aristotele declaratum. Si enim alij Planetæ indigent quarta sphæra, ne motum latitudinalem vsque ad Polos Zodiaci furiosus quispiam Angelis extendat, vtique & ob ipsum danda erat Lunæ & Soli quarta. Et non ob motus varietatem quarta & quinta.

Sed neque istæ duæ sufficiunt: Luna enim duplicem habet tarditatem, & duplicem velocitatem. Ergo quatuor addendæ erant illi, & reluctantes. Sol verò tarditatem habet vnam, vnamque velocitatem, sed in diuersis temporibus: vnde non modo sequentur dicta inconuenientia, quod Angeli vicissim beantur, & infœlicitentur, quod alter altero fortior est: sed nec phenomena saluantur: quando enim Sol est velox, propinquior est terræ, & grandior. Quod vnde fiat non dicunt, nisi de sphæra superiori in inferiorem migret. Quando

autem tardus altior & minor. Neque hoc in Luna declarant, neque Cardinum anticipationem, sed videtur hoc per tertiam sphæram Arist. saluare, vt ait D. Thomas ex testimonio Simplicij. Sed quidem tempore Arist. hoc ignotum erat, vt Ptolomæus testatur, qui obseruata priscorum digessit. Et Hipparchus primus annis ducentis post Arist. & Calippum, hunc motum ex parte deprehendit. Neque Arist. eius meminit. Sed videtur dedisse tertiam sphæram Soli propter obliquitatem, quæ minor est, quam in Luna. Ipsa enim quinque gradus excedit tropicos solis interdum, vt obseruatum est, neque vna sphæra hoc præstare potuisset Aristoteli, quippè qui duas assignat velocitati & tarditati; & duas obliquitati: & reuoluentes. Quinta autem sphæra nil satisfacit directioni, & retrogradationi, & stationi Planetarum. Hæc enim plures differentiæ sunt, pluribusque ei indigent sphæris: alioquin sufficeret similiter vna ad alios motus omnes: & non dedisset quatuor pro quatuor differentiis. Sed fortè hic quintus Angelus videtur Aristot. omnium prudentissimus, qui scit retrocedere &, dirigere, mouere ante & pone, sistere Planetam, & accelerare, & tardare gradum. Sed non dixit vnde tanta huic sapientia, & potentia, vt diuersis motibus possit vicissim monere, & sciret tempus absque impulsu externo: cæteris vero impotentia, & stultitia vnde tanta sint: at concessis his omnibus absurditatibus Aristoteli quoniam eius positio, licet impossibilis, non reddit caussam apparentiarum, omittenda est: sicut & alij errores in numero sphærarum.

Sententiam Pythagoræorum variam de motibus cæli, & mundi, non rectè ab Arist. impugnari, & multa ab eis vera doceri.

CAP. XIII.

PYTHAGORICI autem, teste D. Thoma, credo ex Simplicio, excentricos & Epyciclos inuenerunt, quibus phænomena assignarent. Sed hoc non videtur vndique verum, nam Timeus terram moueri statuit in centro mundi in 24. horis, ab occasu in ortum, sicuti nauigantibus in magna naui videntur turres & scopuli moueri, ipsi autem stare: omnia autem extra se moueri. Ergo si gyro feratur nauis, omnia in gyrum circumferri appareant: & in hoc liberat se ab illa quæstione inextricabili, quomodo possit idem corpus ab ortu in occasum & è contra simul ferri: dicendo enim, quod alter motus est apparens, alter verus, nulla remanet difficultas: motus ergo Planetarum est ab occasu in ortum, Saturni in 30. Iouis in 12. annis: consentaneum est enim, vt tantum spatij in tanto absoluant tempore. Huic sententiæ subscribit Plato. Reliquas apparentias: & exorbitantias animæ mundi, & prouidentiæ tribuit.

Hanc sententiam Aristoteles his rationibus irridet, quia scilicet omne elementum in suo loco quiescit: multo autem magis terra, quæ maximè à cælo distat, & quasi de mortua non potest vitam motus participare. Alibi vero ait contra Aristarchum: si terra moueretur, tunc iactantes sursum aliquid recta, non ad perpendiculum videremus illud descendere, sed longè à nobis versus occasum, quoniam non manemus semper sub eodem cælo: & si quis de turri quid præcipitaret, non caderet ad perpendiculum.

Contra Epicyclos autem & excentricos arguunt Per patetici, quoniam omnis motus est à medio, vel ad medium, vel circa medium. Epicycli autem mouentur in se ipsis circulariter, & non ad mundi medium. Item eleuatio & depressio in excentrico non esset ex dictorum numero motuum. Item oporteret vacuum intercipi intra excentricum & concentricum: vel aliquod corpus motu proprio carens interciperetur: vel rarefactibile, & densabile esset cælum, intra quod Epicyclus mouetur: & fieret Sonus in hoc motu, & planeta non esset infixus orbi, sed per se moueretur: & hæc omnia sunt contra Arist. dogmata. ait Auer quasi contra Deum.

At huiusmodi rationes sunt inanes. Quod enim non sit alius motus, nisi à medio ad medium, & circa medium, est decretum Arist. etiam, non naturæ: ipsa enim mobilia ad omnem positionem mouet præsertim animata, cuiusmodi est cælum Platoni, & ipsi Auerroi, & motus ad medium diximus esse delapsum: quandoque conspirationem, & quandoque pugnam. Sol enim qui fertur circulo effundit lucem etiam deorsum ad terram oppugnandum. Tellus vero frigus & vmbram sursum, & ad omnem situm, prout conseruationi cõuenit. Animalia etiam ad omnes positiones feruntur, & ignis lucernæ ad subter positum fumum descendit. Est ergo iste motus à medio, fuga, & similiter ad medium fuga ab extremo. Sed quidem quod est natura mobile, omnibus potest moueri motibus, nisi à contrario impedit quominus sidus ad lucem solis eleuetur, & ea destitutum, deprimatur passim? Quod si abhorrent motum obliquum, cur ipsi dant latitudinis motum astris? Quod nolunt Epicyclum in se moueri imperitè nolunt. Sol enim & stellæ fixæ manifestè in seipsas circumuoluuntur. At Pythagorici astrum per se moueri in Epicyclo volunt, non tamen aliquod sequitur inconueniens, nisi quia non placet Aristoteli. Numquid Deus est Arist. ad cuius voluntatem moueantur sydera? Aiunt esse tanquam nodos in tabula, quod Luna manifestat eandem superficiem nobis demonstrans. Sed profecto si Luna viribus impar cæteris stellis proprio motu suæ sphæræ contenta tur, non subito aliæ stellæ similiter se habent. Nam hæ videntur propriam habere lucem: & non crescere & minui lum ne Luna vero crescit & minuitur, illæ scintillant, Luna minimè: nec Planetæ: quasi ostendentes, se non circumuolui, sicut scintillantes. Sed cur idem in cunctis syderibus concludit Arist. & non omnes eadem via ferri ab ortu ad occasum? Ergo est in eis disparitas. Quod ergo abominatur sydera per se moueri, valde congruit rationi. Sicut enim pisces in mari, & feræ in terra, & aues aëre per se mouentur, multo magis stellæ in cælo sunt liberiores & robustiores,

quæ motu cœli non contentæ per ſe mouentur: id quod diuerſitas ſituum, eleuatio, depreſſio, obliquatio, tardatio, acceleratio docent: quæ nimirum fieri nequeunt, niſi per ſe mouentur Planetæ: In hoc tamen exuperantes animalia inferiora, quod illi regularius mouentur, indigentia & pugnatione minus laceſſiti. Concedunt quoque Pythagorici, cælum rarefactibile & condenſabile magis quam aër: & omnes Theologi ipſum ex ignea natura conſtituentes, & Baſilius, Ambroſius, Dionyſ. At Auguſtin. ex aqua rarefacta, quod idẽ eſt. Similiter concentum cæli Iob ſæpè prædicat, & Philo, & D. Anſelmus, & Licentius ad S. Auguſtinum præceptorem ſuum, idem approbantem, ita ſcribit. *Aptauit numeros cælis: iuſſitque ſonoros exercere modos: parileſque agitare choreas:* & nos oſtendimus omnem ſonum eſſe motum: & vbi ſonus ibi motus. Ergo maximè ſonant cæli: Sed non omnem motum eſſe auribus perceptibilem noſtris: ſicuti non omnis calor eſt viſibilis niſi qui excedit erga nos, vt poſſit nobis lucere: videtur autem ab Angelis ſicut & ſonus cæli ſentitur ab his, qui ſupra craſſum aërem eleuantur. Nec quia Iob dicit, cælos quaſi ex ære ſolidiſſimos factos eſſe, non ſint rarefactibiles: hoc enim intelligitur de permanentia ipſorum in ſe nil temere diſſipata, vt aër, ſed quaſi ſtatua ærea perſeuerante in ſuo ſitu: vel ſicut ex ære fuſo fit ſtatua, ita cæli ex attenuata fuſaq; mole: & hoc ſentit Chryſoſt. & Ambroſius, damnans quintam eſſentiam tanquam hæreticam contrariam ſcripturis ſanctis Apoſtolorum, & Dauidis. Chryſoſtomus quoque & Procopius, & Euſebius Emiſſenus, & Origenes & Iuſtinus & Diodorus Tarſenſis, Theologi præſtantiſſimi, aſſerunt, ſtellas per ſe moueri, vt Pythagorici docuere, & non à cælo rapi: & D. Auguſtinus dicit eſſe veriorem hanc ſententiam, & ſuo ſæculo à Mathematicis certiſſimè demonſtratam Ariſt. autem contrarium non demonſtrat, & fatetur ſe Mathematicæ huius ignarum in 12. Metaph. Neſcio ergo propter quid noſtrates illi adhærent. Rationes vero, quas contra Timeum adducit, nullæ ſunt. Non enim eſt verum, omnia elementa immobilia ſuis in locis eſſe: vel aliqua ſola violentia rapi, nec tamen deſtrui. Quapropter ſi Pythagorici putant, omnia eſſe mobilia, argumentum Ariſtot. vanum eſt. Nos autem aliud in hoc adduximus. Secunda quoque ratio non probat. Nam licet tellus moueatur velociſſimè, tamen & multus aër illi proximus ſecum rapitur. Ergo grauia cadunt ad perpendiculum, quoniam ſimul aër, & terra circunferuutur. Et ego facto periculo intra coopertum nauigium, licet ſecundis celeriter vndis ferretur, tamen ad perpendiculum ex tecto proiecta cadere vidi intra ipſum nauigium, & intra currum ſimiliter euenit. Aliæ igitur adducendæ ſunt rationes, & præcipuè ſunt illæ, quæ non omnia phenomena aſſignari in his hypotheſibus admonent: vt mox videbimus.

Baſ. in Hex. Amb. in exp. ſuper Pſal. de imagine mundi.

Poſitio Ptolomæi de motibus cæleſtibus, & ſupplementum recentiorum poſt noua phænomena.

CAP. XIV. ART. I.

PTOLOMEVS igitur Ariſt. Philoſophiam ex parte complectens, partim dogmata Pythagoræorum, & Chaldæorum, poſuit in in medio mundi terram immobilem, cui circumponit aquam, & aërem, deinde lunam, deinde Mercurium, deinde Venerem, deinde Martem, quem ambit Iupiter, cui ſupereſt Saturnus: deinde ſphæram ſtellatam, & mox ſphæram nonam non ſtellatam. Sed primis Planetis Saturno, Ioui & Marti dat orbes ex centricos, concentricos, & alios ſubſternit etiam ex centricos: & ſtatuit ita moueri Planetam vt quando eſt in ſumma abſide excentrici, dicatur tardus & in apogeo: in ima vero piger, & in perigeo. Item aſſignat ſingulis Epicyclum in quo rotantur ea lege, qua quando ſunt cum ſole, reperiuntur in abſide ſumma Epicycli, ideoque videntur parui, & diſtantes & veloces in poſteriora, quoniam motus in Epicyclo additus motui in orbe, faciunt Planetam citius ab occaſu in ortum ferri: & quando Sol recedit ab eis, ipſi deſcendunt ab Epicyclo paulatim: donec incipiant æquè moueri, vnde dicuntur ſtare: ac mox poſt quatuor ferè dies, retrocedere, hoc eſt in anteriora ferri cum fixis: quando vero ſunt in ima abſide, ſunt in diametro Solis & proximi terræ, & grandiſſimi apparent, & lucidores & velociſſimi ſunt ad retroceſſionem, quoniam ima abſis Epicycli prorſus in anteriora, ſine obice eos: dicunt & paulatim ſubdeficit retroceſſio vſque ad ſtationem. quando fixis æquè moue tur. Nam quantum dat motui eorum orbis deferens Epicyclum in poſteriora tantum aufert Epicyclus mouens eos in anteriora: donec iterum tranſacta abſide & propè tertiam quartam Epicycli accipiunt motum ad poſteriora eiuſdem Epicycli, & dicuntur dirigi: putat quoque ab orbibus adiunctis flecti in latitudinem: nam & ipſe multiplicat ſphæras cum Calippo ex parte. Veneri autem ac Mercurio dat ſimiliter excentricos ad Apogeorum, & perigeorum aſſignationem: & addit Epicyclum, quo eleuantur Soli coniuncti, & deprimuntur in ſecunda coniunctione: ſed in imo Epicycli. Hos autem Epicyclos tantæ molis eſſe oporteret, quantum ſpatiantur à Sole hinc inde: Quapropter Epicyclus Veneris habet ferè 94. gradus diametri. Mercurij vero 48. aliorum vero longè grandiores. Tandem Lunæ dat Epicyclum, in quo eleuetur, & deprimatur: & excentricos contra incedentes ita, quod in Synodo, & diametro concurrentes ipſam attollunt ſurſum: latitudini vero alios aſſignat orbes. Tandem Soli excentricum dat ſine Epicyclo, quoniam non retrocedit: in cuius ſumma abſide reperitur in altero hemicyclo cæli: in ima vero in altero. Et quia obſeruatum eſt, fixas moueri etiam in poſteriora poſt Hipparchum, quoniam Sol antequam perueniat ad fixam, vnde incipit, peruenit ad æquinoctium, idcirco putat octauam ſphærã moueri in poſteriora inſenſibiliter, hoc

est, in centum annis gradu vno: ita quod in 36000. annis perficiat cursum. Ergo motus qui est ab ortu ad occasum tam in fixis, quam in Planetis, fit Ptolomæo ab nona sphæra non stellata: motibus autem propriis mouentur ab occasu in ortum sicut dictum est: obliquitatem vero Solis & absides Planetarum & excentricitatem perpetuo stabiles putat.

Posteriores autem Mathematici & Apogea translata, & excentricitatem & obliquitatem diminutas repererunt: & non respondere centum annis gradum vnum in motu fixarum: nam Albategnio sunt 65. anni, Arzacheli vero & Profatio 70. Copernico alia: vnde visum est Arzacheli, & Aphonso & Tebito aliam aliis temporibus esse quantitatem anni tropici: & fixas moueri aliquando in anteriora: & dodecatemorias signorum in cælo non stellato locarunt: & caput Arietis stellati remoueri in posteriora per octo gradus, & rursus in anteriora per alios octo, & describere quosdam circellos alterius caput super caput alterius: cuius diameter est, 16. gradus: & cum in ambitu circelli spectante Austrum stellatum, dilatari obliquitatem, in opposito stringi: in mediis mediocrem fieri. At, in conuenientia capitis cum capite, quam putant fuisse nascente Messia, conuenire, vt neutrum excedat, neque in motu, neque in cardinibus. Item, dicunt de capite Libræ, & Cancri, & Capricorni. Et idcirco videri fixas in 700. annis pergere in antecedentia, & totidem in consequentia, & æquinoctia antè & ponè incedere. Rex tamen Alphonsus in septem millibus putat hunc circellum absolui: in 49. millibus totum tempus Zodiaci.

Reprobatio Ptolomaicæ positionis, & Recentiorum ex Copernico.

ARTIC. II.

AT Nicolaus Copernicus, cum vidisset Phenomenorum causas ab his perperam assignari; & Ptolomæum in principiis defecete. Nam cum sit dogma Mathematicis commune, olim à Pythagoricis confirmatum; motus Cæli esse regulares, quoniam semper reuertuntur ad idem: sed nobis videri irregulares, quia compositi sunt ex multis motibus, vel quia nos non permanemus in eodem. Ipse Ptolomæus componit motus Planetarum ex multis, & regularitatem dat circulis excentricis super alieno centro: quod nullo potest fieri modo: nam motus irregularis fit cum tarditate & velocitate, & eleuatione, & depressione mixtus. Item ponit motus contrarios in eodem sydere, sicut Arist. vt simul vadat ab occasu in ortum motu proprio: violento vero ab ortu in occasum. Itẽ non seruat symmetriam in locatione Planetarum: nam spatium inter Solem, & Martem Mathematicè emensum, est adeo magnum vt duo Planetæ ferè interponi possint.

Item non reddit causas, qua Venus, & Mercurius nunquam à Sole separantur: cæteri vero separantur: nec conuenit Soli quarta regio: Nam obseruatum est, Venerem & Mercurium aliquando esse supra Solem; & Pythagoricus Timeus, & Eudoxus, & Calippus & Plato ibi eos posuerunt. Alpetragius vero post Ptolomæum Venerem ponit supra Solem. Aliquando videntur sub Sole, & in hoc situ locantur à Ptolomæo, & Chaldæis quibusdam: Præterea Epicyclus, quem assignat Veneri adeo amplus est, vt pars eius terram attingat: oporteret ergo Venerem vsque ad nos in perigeum descendere. Luna præterea non descendit in quatratis quantum Ptolomæo videtur. Nam diameter eius apparet duplo maior, vt & Regio-montanus annotauit. Tres præterea superiores Planetæ absque ratione situantur in Epicyclis, non reddita causa, cur semper in Synodo Solis eleuantur, & in opposito deprimuntur semper. Item non reddit causam diminutionis excentricitatis, & obliquitatis, & apogeorũ. Nec cur fixæ velociores & tardiores in consequentia cernuntur

Quæ autem adducunt posteriores Mathematici, vana sunt: non enim libratio nonæ sphæræ super octauam est ad octo tantum gradus in antecedentia, & consequentia describens circellos: nam vsque ad 28. iam recessisse cernuntur à cardinibus fixæ, & nunquam in antecedentia, sed aliquando velocius, aliquando tardius: & quia motus in extremis circellorum velocior videtur Alphonso, iam Circelli extremum nunc obtinet caput non stellatum: & non velocior, sed tardior fieri apparet: falsum supponere eos oportet.

Item anomalia perfici deberet in circellis per annos 3500. Nam in 7000. peragrantur, & tamen certis Copernici mensuris in 1717. iam perficitur. Messiæ namque tempore fuit in summa tarditate: & in Albategnio in summa velocitate, & tamen nunc appetit tarditatem.

Appendix.

VIdi Thyconem auferẽtem anomalias per hoc quod sibi ex Timochari ad nos, & ex Ptolomæo correspondent anni 70. gradui vni fixarum. Sed fallitur, quoniam ipse totam anomaliam metitur, & non partes, vti Copernicus: & sic verum est, quod 70. correspondent, quod & Copernicus monet, Mediocritatem solam pro regula faciendo. Hinc aliud nota contra Ptol. & Arist. quod Mars Acronichius visus est infra circulum motus Solaris propinquare terræ: ergo non dantur orbes, sed per se feruntur: & hoc obseruauit Thyco diligentissimus: & sequaces.

Sententia Nicolai Copernici de mundi constructione, & motibus cælestibus, renouata ex antiquis Pythagoreis.

CAP. XV. ART. I.

HIS aliisque de causis Copernicus ad antiquam astronomiam Philolai conterranei nostri regreditur, & ponit in mundi centro Solem immobilem rectorem astrorum: post ipsum Mercurium, postea Venerem, deinde tellurem, quam Stelliola vocat Cybelem: sydus in quo sumus nos, replens spatium intra Martem & Venerem: supra nos Martem, supra Martem Iouem, supra Iouem Saturnum, quem ambit sphera stellata immobilis idcirco vocata firmamentum in sacris literis. Cybelem ergo nostram componit ex terra, aqua, & aëre, transpicuis: ex quibus ad alia sidera relucet sydus nostrum: cui addit Lunam quasi pedissequam, illique similem: nam nulla ratione potuit eam à terra segregare: & orbem quemdam magnum ex his omnibus componit: & ita putate rectissimè assignare omnes apparentias. Nam triplicem dat motum terræ, vnum quo per se vt cor orbis magni mouetur in 24. horis ab occasu in ortum, quo videntur nobis circumuolui Sol, & Planetæ & stellæ fixæ vna cum firmamento: & quidem cum sit communis omnibus iste motus ab aliqua communi causa, vel apparentia assignandus est. Secundum motum dat eidem etiam orbi magno simul, quem ipsa ab eo participat: quo scilicet mouetur in consequentia ab occasu in ortum sub signis Zodiaci obliqua via, non quidem verè obliqua, sed recta, quoniam hic est motus omnium Planetarum. Sed videtur obliquus ad motũ terræ diurnum. Ergo videtur nobis Sol & Planetæ esse in oppositis signis: ab eo enim, qui est in circumferentia, videtur quod est in centro in altera parte esse circumferentiæ. Sic nos existentes sub Libra, videmus Solem sub Ariete: & cum sumus in Scorpione, videmus eum sub Tauro, & ita esse dicimus. Zodiacus ergo signatur in firmamento. Sed æquator in terra, similiter & Tropici. & quoniam adhuc duplicem habet terra librationem, alteram à polo in polum, alteram ab occasu in ortum, & è conuerso euenit vt 365. circulationibus & quarta perficiatur motus orbis magni, & terra in paralellis totidem à Sole videatur circundari. & cum est in medio vbique terrarum fieri noctem diei æqualem, quoniam ipsam in partes æquales intersecat: cum vero ad extrema fit inclinatio, dies vel noctes crescere, & multum, vel parum super horizontem videri Solem propterea quod terra inclinationem habet conuersam, vel auersam ab eo: & quia non perficitur eodem in tempore motus annuus circũgirationibus diurnis, sed ille præuenit has, idcirco æquinoctia & solstitia anticipari, & annum tropicum imminui, & obliquitatem Zodiaci: quoniam antequam ad extremam circulationem, vel circulationis partem perueniat cor orbis magni, ipse orbis magnus reuertitur.

Et hoc euenit ex libratione terræ in Polos. Ergo cum reuertatur libratio, diminuetur obliquitas: & termini argumenti & diminutionis eius sunt 24. minuta vnius gradus. Libratio autem, quæ est secundum longitudinem, facit vt aliquando tardius, aliquando velocius fixæ moueri, semper tamen in consequentia, appareant: quoniam natura librationis est in principio & fine tardam esse, in medio vero velocem. A principio autem ad finem numerat 1717. annos, & deinde reuersionem. Et quia in quindecim ferè anomaliis tota Zodiaci via persoluitur, ideo in 25816. annis fixarum apparentem motum perfici autumat, & non in 36000. vt putat Ptolomeus. Verùm, quoniam non videt nunc obliquitatem reuerti ad augmentum sui, sed semper decrescere: statuit à libratione longitudinali inferri vim huic latitudinali, & Polos, quos in terra signat, ad oppositam partem impelli, & quandam corollam intortam describere, cuius dimidium absoluitur in annis 1717. reliquum vero in totidem. Itaquod in 3434. perficitur restitutio obliquitatis. Excentricitatem quoque nouit imminui, & putat eam propè diem reuersuram cum anomalia fixarum, eo quod inueniuntur eisdem in temporibus accelerari & tardari. In anno ergo Christi 1654. ferè omnium erit restitutio anomaliarum, quæ sub Hipparcho cœperunt, & aliæ succedent. Sic ergo putat se rectam Phenonemorum assignasse rationem. Ex his quoque patet ratio, qua Venus & Mercurius à Sole nunquam digrediuntur: quoniam ambitus orbium eorum sunt intra ambitum orbis nostri. Et ideo in vtraque abside à Sole occultantur. Lunæ vero alios assignat orbes, & duplicem Epicyclum, & à Sole digredi, quoniam non habet Solem pro centro, sed terram. Tres vero superiores Planetas digredi à Sole in oppositione quam maximè, quoniam nos sumus tunc interipsos & solem: & idcirco videri grandiores, & stationarios, quoniam semper sub eisdem fixis nobis apparent: propterea quod quantum mouentur in consequentia, subtrahitur illis à visu similiter moto, & ante: & quando sunt in synodo Solis verè à nobis distant maximè, ideo apparere minores & altiores, & velociores in consequentia, quoniam motus telluris additur motu eorum per visum, & non subtrahitur, sed iuxta remotionem à sole passim subtrahi. Et hinc patere causas, quare videntur veloces, tardi & stationarij omnes Planetæ, excepta Luna, nos ambiente, & Sole, quia non mouetur. Attamen, quoniam in Apogeis eleuantur, & in Perigeis deprimuntur, extra ordinem assignat eis excentricos orbes. Similiter, & terræ orbi, quatenus à Sole accedit, & recedit, vnde ad certos gradus imminuitur, & crescit excentricitas. De latitudinibus autem, præsertim Veneris & Mercurij aliter philosophatur: & circellos obliquè intersecat accedẽtes, & reced. ab inuicẽ, vt in suprema, & ima abside diuersa appareat latitudo, & quare Veneri est Borealis, quãdo Mercurio est Australis. De quibus in lib. de Motib. astrorũ diximus satius.

Reprobatio

Reprobatio positionis, quod terra sit extra in quarto cœlo ex Ptolomæo contra Pythagoricos & Copernicum.

ARTIC. II.

1. HANC sententiam, quod tellus non sit centrum vniuersitatis rerum, sed sol, iamdudum Ptolomæus reiecerat, sicut & motum eius. Hoc quidem quoniam terra tanta velocitate percita excuteret animalia, & quæ in ipsa sunt Entia.

2. Item, pendulæ nubes non in eodem persisterent situ, sed etiam semper ab occasu in ortū ferrentur.

3. Illud vero, quoniam perpetuò nobis sex signa apparent super horizontem, & sex subter: propterea quod in centro tellus existens cæli visionem in æquas dispescat partes.

4. At, si tantopere distaret à centro, vicinior esset cœlo ex altera parte; ex altera vero longè distantior. Ergo non sex signa super horizontem perpetu, sed vel tria, vel quatuor videremus. Nam & illud mirum est, quomodo nunc in medio videmus vtrinque sex: nam cum simus in terræ superficie, & non in centro, sed distamus ab hoc per semidiametrum, quæ quibus breuissima apparet, continet 3500. milliaria: tamen in æquas portiones visu cœlum secamus, quia terra cælo comparata est sicut punctum: & ista milliaria quasi nihil sunt ad tantam magnitudinem.


5. At si esset tellus in regione, vbi ponimus Solem, vtique differentiam multam faceret. Sunt enim à solis centro ad terræ superficiem in qua sumus semidiametri terræ 1165. ex Ptol. 1142. ex Copern. continentes milliaria innumera.

6. Præterea, si esset extra centrum ipsa tellus, anni tempora, & cardinum mutationes, non essent æquales, neque dies noctibus in oppositis temporibus.

Reprobationem Pythagorici dogmatis ex Ptolomæo non esse efficacem.

ARTIC. III.

SED putandum est, diuinos illos Mathematicos nostrates hæc omnia perpendisse; & quidem ad argumentum de Nubibus pendulis iam responsum est, quod simul aër circumfertur: & hoc patet magis intra tropicos, vbi referunt nauigantes perpetuo ab ortu in occasum, aërem & mare consimili successione circumuolui: extra tropicos vero alios esse ventos, & motus maris alios & hoc ratione non caret, quoniam Sol dissimiliter aspicit inferiora extra viam suam: nec si tellus mouetur naturaliter excutiet animalia, sicut neque nauis nauigantes. Sed si nauis circumuoluatur extra centrum mundi, vtique excuteret: quoniam reuolutio eius constaret ex eleuatione, & depressione, quæ non sunt in rota, cuius cētrum est centrū mundi. Motus quoque totius, abstractis particulis, insensibilis est. Non rectè Galilæus aquas à motu telluris posterius relinqui, idcircoque eleuari putat: fluxumque & refluxum à terra mota, cuius motum consequi non potest habere. sic.n. & nubes & Plantæ retro comas inclinarent, & relinquerentur in motu multo magisquam aquæ, telluri magis ad fixæ: vt in q. Phys. ostendimus. Alia ratio ostendens, quod anni tempora non essent vti nunc, posita terra extra centrum, valeret, si Sol non poneretur in centro, sed simul cum terra circumiret. Illa autem ratio maximè mouet, quod non perpetuo sex signa super & subter horizontem apparerent, cui responderet Copernicus, tantam esse mundi stellati spatiositatem vt hæc milliaria innumera, quæ à centro Solis ad nos numeramus, sit cum ipsa terra, quasi punctum vnum. Ergo mundus est finitus, & similis infinito, quando quidem tanta moles ad ipsum est punctus: & conuenire Deo tantæ molis opificium dicunt quidam, & non vna quasi pila, quam mundum nos facimus: & ad prospectiuas rationes Copernicus recurrit. Nos quidem etiam erecta figura Mathematica: cuius centrum sit Sol A. & in E.



quarta Peripheria, & in H. stellatum cœlum distantissimum quantum signare possumus, inuenimus tracta linea N.-M. per E. posse spatium inter hanc lineam, & lineam K. A. L. fieri quasi nihil respectu ambitus H. in partes penè æquales, &. tanto magis quod iuxta prospectiuam refractionis ipsa sydera videntur supra horizontem antequam sint, ob crassum aërem, sicuti ex fundo vasis pleni aquæ in superficie apparet Numus: qui non apparet euacuata aqua. Ergo non fuit efficax reprobatio Pythagoræorum.

Reprobatio efficax dogmatum Copernici, & priscorum, iuxta Physicam naturam.

ARTICVLVS IV.

1\. QVID ergo, concedemus Copernico & Philolao hanc positionem? sed alia obstant argumenta, & hoc videtur euacuatum facta suppositione tantæ magnitudinis, & quasi possibile concludens, non quasi necessarium. Profectò si circulatio terræ in horis 24. est 32. millium milliariorum, vel 22. millium penè, vt minimi ponunt: eueniret vt tellus in hora vna efficiat quasi mille milliaria: & in vno minuto quasi sexdecim milliaria. Tunc oporteret, vt quando Bombardæ emittunt pilas tanto impetu ab ortu in occasum, eas longè magis procul impellere, quam quando ex occasu in ortum, quoniam tellus quousque solet pila impelli ad situm Bombardæ, subito occurrit, & fit obuiam pilæ: quod falsum est. Nam eadem vi lapides iaculando in ortum, & in occasum, non longius horsum, quàm illorsum promouimus. Nec dicant ab aëre impediri, qui cum terra circunfluit. Hoc enim probari potest, quando ventus spirat Orientalis, & sub æquatore forte responsio aliquid valet, non autem extra tropicos, vbi ad omnem positum spirare ventos experimur. Potius autem dicendum foret, quod motus pilæ ab ortu in occasum non fit ad scopum celerius, quoniam & motus & mobilia simul mouentur motu totius orbis magni ab occasu in ortum: vt qui supra caput rectà proiicit pilam, dum ipse currit, etiam pila & motus aëris secum mouetur: & qui excurru aliquid proiicit ad certum situm extra cursum, cadere proiectum ad illum situm eundem videt; quoniam ex curru, & aëre, & mouente, & motu, & mobile fit vnum systema.

2\. Præterea superius ostendimus, terræ corpulentiam ineptam esse ad motum & frigiditatem idem declarare: ignem vero & calorem, quæcunque corripiunt attenuare, ac motu donare. Cum ergo à Sole calor, & ignis leuitas, & tenuitas omnis emanet; à terra vero frigus, & corpulentia, & densitas, & grauitas, neutiquam illi quies, isti motus conuenit. Quapropter si nos hanc opinionem sequi cogeremur, solem in seipsum circumuolui, poneremus, atque in centro semper stare, vt cardines Ianuæ. Terram vero moueri delata vi orbis magni moti ab Angelo, si non à radiis solis, & ideo oportere ipsam destrui aliquando. Et sic æstimeremus duo elementa opposita eisdem cum conditionibus, quas in Physicis expressimus. Præterea, licet Copernicus videatur reddere causam, cur à Sole Venus, & Mercurius nō digrediantur, sicuti tres superiores Planetæ: nihilominus adhuc vtitur excentricis & epicyclis in Luna & terra: & in Planetis excentricos ponit. Nec reddit causam cur tellus obliquatur ad Zodiacum.

3\. Ergo non omnia tollit inconuenientia eius positio, & in hoc errat, quod à Ptolomæo, & Philolao simul confarcinat dogmata. Oportuisset enim libere astra moueri & non ab orbibus circumduci, quod Peripatetici & Ptolomæus ex parte ponunt: & omnino adhærere Pythagoricis, qui per se moueri ponunt sydera errantia. Sic enim facilius redduntur causæ Physicæ eleuationis, & depressionis.

Quapropter, si adhuc sumus in excentricis & Epicyclis, quibus non potest liberare Lunam, vt quid mutanda fuit Astronomia? Nam quod ait, Ptolomæum non rectè spatium intra Martem & Solem, vacuum astris posuisse, & symmetriam mundi non pulchrè concinnasse, nihil est: vnusquisque enim arbitramur optimam mundo adscripsisse symmetriam, vnde Pythagorici magnificant suam, Aristotelici suam: Plato suam. Tam enim admirabile est opificium Dei, vt quibuscunque ipsum contemplere oculis, optimè dispositum appareat: & nos quidem ponimus Venerem supra Solem, vt mox dicemus.

4\. Præterea si manifestè tellus est centrum Lunæ, neque separare eas potuit Copernicus vlla ratione: cur, quæso, non & aliorum syderum tellus sit centrum? Quærimus etiam, num alia sydera habeant alias Lunas sibi pedissequas, nec ne? Si habent, cur non apparet nobis Luna Martis, & Luna Veneris, & præsertim in opposita parte illi, quam Sol aspicit? & cur Luna Planetarum non occultat eos interdum, & stellas superiores? si non habent, quo fato euenit, vt quartum sydus habeat Lunam pedissequam, cætera vero careant? Hoc quidem ingens indicium, quod non eiusdem sunt naturæ.

5\. Item qua ratione factum est, vt sydera fixa semper stent, nec Solem ambiant: erratica vero circumeant? Quapropter videtur Copernicus ad calculum respexisse non ad naturas rerum. Neque enim assignauit cuius quælibet stella esset naturæ: & calidissimam immobilitate, frigidas motu donauit, quasi parum philosophatus. Atqui, si sydera omnia sunt systemata, & mundi, cur stent alia, alia moueantur, dicendum erat: & quomodo in Sole calidissimo, non enim lucet alieno igne, possint res elementatæ viuere: vel si ipse totus est ignis, & quiescit, vtique Astra fixa cum quiescant, erunt tota ignis: hoc autem sensus dissuadet, quoniam alia sunt rubra, vt Martem referant sicut Arturus & Aldebaran: alia plumbea, & Saturnina, vt Algol, & lanx. alia Crocea, & Lunaria &c. Si ergo puri ignis essent, candidissima, vti Sol, omnia apparerent.

6\. Magna quoq; de via lactea concertatio est, quid sit, & cur stat. Itē si circūferuntur, vt à Sole vires accipiāt, cur fixa stent? & cur errantia Soli non appropinquāt magis? oportet ergo ad intelligentias rerū gubernatrices recurrere, & non ad sphærarum positionem. Ptolomæi quidem absurditas de regularitate motus super alieno centro ferenda erat magis, quam nunquam facere astronomiam, causas dictorum nil reddentem. Nam vtrique videntur ad calculandos motus respexisse etiam ex impossibilibus Hypothesibus, & non ad veritatem Physicam manifestandā, & inueniendā. At in eo videtur Copernicus valdè peccare,

7\. quod anomaliarum identitatem contemplatus in diminutione excentricitatis, & obliquitatis, & anticipatione cardinum: nihilominus non eidem causæ ipsas adscripsit, sed aliis, atque aliis, fictitiisq; maxima enim tarditas est tribus anomaliis sub Hipparco: mediocris sub Ptolomeo: velocitas summa sub Albategnio: mediocritas sub Arzachele, & Pto-

Hu... gun... post... spon... obse... Gal... quoc... terc... tur. prah... dunt Lun. circa habe...

fatio : & tandem principium summæ tarditatis sub Copernico,in omnibus idem.Et tamen primam attribuit circello super Solis centro confictitio, diuiso in 96. partes , quarum iam centrum excentrici telluris confecit 67. vnde expectat rursus crescere excentricitatem,& terram à Sole recedere,&videri Solem sursū reuerti.Secūdæ causam fecit librationem Polorum terræ. Tertiæ verò librationem orbis longitudinalem. Et rursus in hoc errat, quod assignat eis tempus commune 1717. a nos:& cum ipse vnam modò anomaliam notauerit ab Hipparco ad nos, quasi experientia vnius indiuidui faciat artem; proposuit dogma, quod anomalia omnis sit 1717. perpetuò. Et cum videret anomaliam fixarum iam appetere tarditatem, putauit ipsam esse in fine : at cum non videret obliquitatem reuerti , sed magis minui, putauit eius reuersionem fieri in duplo tempore ; quoniam à libratione longitudinali incidente super latitudinalem, fit contorsio Polorum in modum Corollæ duplicis : vtque secunda absoluatur Corolla, tantundem temporis requiri Et paulò post finito Circello excentrici telluris , fieri reuersionem Solis sursum Vbi sanè perperam videtur argumentari. Si enim anomalia fixarum ita finiretur , vt retrorsum regrediantur, posset aliqua coniectura de cæteris idem existimare : sed cum finis eius non sit reuersio, sed prosecutio nouæ irregularitatis, etiam in consequentia Zodiaci, quæ finitur ipsi in annis 25816. Igitur & motus Solis deorsum , vel terræ ad Solem, & obliquitatis restrictio , semper in idem referendæ erant. Vt scilicet , semper Sol descendat , & semper obliquitas restringatur. Quod patet ex argumento eius contra Alfonsinos. Si enim semper in consequentia visæ sunt fixæ procedere , nequaquam ponendi erant Circelli, qui ipsas in antecedentia aliquando ferant. Similiter arguit contra Arzachelem , Apogium in antecedentia trahentem, quia ab Albategnio ad ipsum retrocessisse apparet : semper Apogia in consequentia processisse : ergo deceptum esse Albategnium in eius assignatione. Sic contra Copernicum mihi arguere suis ex argumentis, licet. Quapropter videtur omnino errasse : quod etiam hinc ad paucos annos videbimus, volente Deo : quando ipse putat solis reuersionem sursum affuturam. Quæ autem Thycon contaa ipsum obseruauit , non vidimus adhuc.

Redduntur causæ Physicæ cælestium motuum verorum , & apparentium, sublato motu violento, & Sphæris homocentricis, Excentricis , & Epicyclis; & restituitur cœlo Amor contra Aristotelem , & terræ quies contra Copernicum.

CAP. XVI. ART. I.

CVM ergo nihil nos conuincat Copernicus, neque Prisci Mathematici, ad mutandam Philosophiam, in illa permaneamus : & apparentiarum causas adducamus oportet. Igitur centrum nostri mundi terram statuimus immobilem, frigidam, crassam, & tenebricosam, vt dictum est. Aquam vero quasi eius sudorem in vallibus eius, sextam superficiei partem occupantem, vt dixit Esdras : profunditas vero vix septimillesimam, quingentesimam. Aquarum quippè moles ad terram nulla est, sicuti neque sanguinis ad animal, vt Basi io magno quoque videtur:& Copernicus probat : & nos emensi mar's Siculi, & Sardoi profunditatem vix ad 80. passus numeramus : terræ vero profunditas , quibus videtur breuissima , est septem millium & quingentorum milliariorum. Oceanum autem vix pertingit ad 100. esto ad mille passus : quid sunt ad 7500 ? post hunc ponimus aërem , qui pars cæli crassior est, idcircoque vocatur firmamentum , teste Basilio, laudato in hoc valdè ab Augustino: nam scriptura dicit : *Sydera & aues in firmamento.* Vnde ergo existimo vocari etiā firmamentū ipsum spatium immobile, quod locat cælum, in cuius ima, & media parte fiunt aquarum generationes. Aëri superponimus æthera tenuius, & pur'us, in cuius ima vagatur Luna: supra Lunam Mercurius : deinde Sol, deinde Venus, deinde Mars, deinde Iupiter , postremo Saturnus: super quem stellatu n cęlum: omnia autem hęc moueri ab ortu in occasum, sed velocissimè Empyreum, quoniam stellis igneis ornatum celerrimis, vt lux manifestat, quæ subito ab ortu in occasum fertur: vt si vel tenuissima materia cæli non impediret, subitaneus fit quoque cæli motus, vt fulminis ignei vis: idcirco desinat admirari hoc Timeus, & Copernicus : nec possumus stellatam sphæram immobilem facere, & stellis dare motum, vt Chrysostomus, & Procopius autumant : quoniam Galaxia , quæ eius cæli pars compactior est, aut stellularum grex, manifestè totum cælum cum astris moueri, ipsa mota, ostendit. nec quod stet cælum, probari potest, nisi & sydera eius stare prius probetur: ex hoc enim etiā processerūt Mathematici sub Augustino ad firmandum sphæram stellatam. Vnum tamen esse cælum totum cum Chrysostomo sentimus : sydera autem per se ferri sicut aues : sed ordinatius, quia minus indigent, aut infestantur minus: Planetas vero tardius ferri , quoniam non tantum virtutis habent, quæ possint moueri cum fixis : idcirco videri retrorsum ire ab occasu in ortum , qui sanè non est motus, sed subdeficientia à motu: & tamen per hanc subdeficientiam vitas rerum caducarum , constantium ex esse & non esse, metimur in non stulta astrologia: fixas autem non contentas proprio motu cum cælo , etiam in se ipsas reuolui , scintillatio docet quod oculorum distantiæ non rectè Arist. & Copernicus adscribunt. Saturnus enim scintillaret, magisque Mercurius, cuius oppositum experimur. Item sub serenissimo cælo minus appareret hæc tirubatio : & tamen apparet magis. Est ergo in eis, & maxi-

Sen[...] Phy[...] & Cos[...]ag. [...]esteli- mu[...]lia- [...]m [...]esse [...] X. [...]l. & 80[...] mi- liar[...]rum An[...]tum, vere[...] 324[...]).

mè indigent illę ſtellæ polares, quæ minus motus participant totius. Planetæ autem non ſcintillant, quia varietas motuum eis ſatisfacit præſertim minus viuidis Sol vero manifeſtè in ſe reuoluitur: & illi vni inter erraticas conuenit, quoniam calidiſſimus eſt. Cum vero Planetæ ſubdeficiunt, in obliquum eunt, contendentes vndique terram vrere: & obliquitas ipſorum cum perficitur varios efficit circulos, medium cæli, in quo ponimus æquatorem, partientes. Notiſſima autem eſt Solis obliquitas, in qua 12. figuras animal um locarunt Aſtrologi. A qua aliæ recedunt, & ipſam diuidunt, ſicut Sol æquatorem. At ſi tanta velocitate ferrentur erraticæ, quanta fixæ, non circulum deſcriberent, ſed lineam rectam 46. graduum ab vno tropico in alterum. Quoniam vero Sol eſt dux belli contra terram, ipſum ſequuntur, dum terram circundant. Vnde habent quaſi duo centra, centrum odij, ſcilicet terram, quam cupiunt deſtruere, & centrum amoris ſcilicet Solem, à quo vitalem captant lucem. Idcirco ergo, vt dictum eſt, ſydera ſuperiora, quando Soli coniunguntur, eleuantur, & putantur eſſe in ſumma abſide Epicycli quoniam multa luce perfruuntur, eos eleuante & tunc dicuntur Aſtrologis veloces in poſteriora: quoniam ambitum ſpatioſum capientes, minus adſequi poſſunt fixarũ motũ: & prout à Sole recedunt, quoniam ad ipſum inclinantur, fiunt propinquiores telluri: & mouentur magis cum fixis ob itineris breuioris curſum: & tandem cum pluſquam fixæ cientur, ſunt viciniores: & dicuntur retrocedere, quoniam breuiorem circulum deſcribunt: ergo citius illum perambulent: proptereaque videntur ante fixas ferri. Cum vero ſunt in mediis longitudinibus, ſtant: quia tantus tunc eſt ipſorum motus, quantus fixarum. Aſt in oppoſito fiunt terræ propinquiſſimi, & breuiſſima vtentes circulatione, vt ſole fruantur, ſunt velociſſimi, itaut fixas maximè antecedant. At mox paulatim eleuantur magis, & in ampliori circulo tardantur; & in eleuatione, & depreſſione efficitur, vt magis minuſque in anteriora ferri videantur. Mercurius vero & Venus propè Solem cum ipſo terram circundant: & ſimul circundant ipſum: & ideo videntur aliquando Sole ſuperiores, aliquando inferiores: vnde Aſtronomi decepti ſunt in locatione ipſorum. Sed Venus ratione ordinis mundi ad centrum, ponenda eſt ſupra Solem, licet etiam ſubter in perigeo fiat: & Mercurius ſubter, licet in apogeo ſit ſupra: quoniam manifeſtè Venus plus à Sole expatiatur: & videtur circulum ampliorem habere, quam Mercurius: & decet Solem vtrinque ſatellitibus ambiri. Et ex circundatione Solis habent abſides vtraſque & retrogreſſiones, & directiones, vt dictum eſt in præcedentibus. Luna vero terræ citima maximè ſubdeficit à fixis: & cum recta lumine repletur in oppoſitione & ſynodo, eleuatur. Dimidiata vero deſcendit, quia obliqui luminis impletur, quaſi carens viribus. Omnes autem habent Apogea propria in quibuſdam ſignis, vbi vel eleuantur, vel moram faciunt: quoniam aliquam ibi ſympathiam cum rebus ſupercæleſtibus habent, & non dico cum fixis: quoniam obſeruatum eſt Apogea mutare ſitum in conſequentia, & alium habere motum quàm fixæ, & ab eis disiungi. Ex quibus arbitror Chaldeos Planetarum exultationes ſignaſſe. Latitudines verò habent iuxta iter diuerſum, quod ab initio adſumpſerunt, natura leque ſibi fecerunt. Et ſicut Sol interſecat æquatorem, ita Planetæ viam Solis, & interſectio præuenitur, vt Lunæ nodi manifeſtius faciunt, ſicut & Solis nodi, priſcis Philoſophis ſtabiles reputati.


Ex vno deſcenſu Solis ad vrendum terram fieri diminutionem ex centrotetis & obliquitatis, & anticipationem Solſtitiorum, & Æquinoctiorum: & hęc eſſe Symptomata mortis mundi per ignem.

ARTIC. II.

QVONIAM vero paulatim ad terræ exuſtionem appropinquant, efficitur, vt Sol per breuiores circuitus delatus magis terram diſponat: atque non indigeat ab æquatore tantum excurrere, quantum prius, quando erat ſublimior, & ad protectionem ſub polarium neceſſe habebat diuagari: quoniam ipſius propinquitas ſub polaria iam excalefacit, ita vt ſolum & ingenia olim barbara, ac ſterilia, nunc expurgata fructificent, fruges, & politiam, & artes. Auſtralia vero nimio calore æſtuantia, defæta ſint ita, vt ſolum non niſi cal das res producat nimis: ingenia vero barbara, ac mancipia facta ſint, attenuato nimis ſpiritu, fuliginibuſque repleto, impedientibus diſcurſum, & incutientibus timorem, & ſuperſtitionem pro religione: fuit olim in Æthiopia religio potens & imperium, teſte Strabone: quod mox migrauit ad Ægyptios ſub Pharaonibus: quibus factis fuliginoſis tranſierunt artes, & religio ad Hebræos & Chaldæos: ab his ad Perſas & Græcos Borealiores, & Occidentaliores. Ab his ad Romanos: à Romanis ad Gallos meliores redditos.

A Gallis ad Germanos poſt illorum purgatam ruditatem tranſiuit Imperium poſt Carolum magnum, & ad Anglos: & ſimul artes: & tandem ad Hiſpanos perpetuo ſeruos, nunc rerum dominos in Occidente. Occidens enim Septentrioni conuenit, ſicut Oriens Meridiei ob terræ ſitum. Nam Africa Occidentalis in alio ſitu non reputatur ita virilis: & tandem ad Americam artes & religio poſt Europæ finem migrauit. Quapropter quoniam deſcenſus Solis velox eſt & tardus & mediocris iiſdem in temporibus, quibus anticipatio æquinoct. & ſolſtit: & obliquitatis reſtrictio eſt velox & tarda & mediocris, ab eadem oriri cauſa iſtorum trium apparentias putandum erat: & ſicut non deſinit Sol deſcendere, ſic neque obliquitas arctari.

Similiter autem æquinoctia & solstitia anticipari censemus, quoniam Sol descendens non excurrit, vel non videtur ad tropicam distantiam antiquam; ideo oportet reuersionem eius anticipari, etiam irregulariter: quorum medius motus sit minutorum secundis 50. & tertiis 12. & quartis 5. Ergo stellæ fixæ, in quibus rotantur tropici, videntur retrocedere in ortum: oportet quoque non in eadē sectione æquatoris solstitia fieri, sed paulo ante quotannis ferè secundis minutorum quinquaginta. Patet ergo eandem causam, esse trium apparentiarum cōsimilium, id est ipsum Solis descensum. Sed hoc videntur nobis obstare non dissimulandum more Pe-



ripatetico, quod sol semper sub eadem Eclyptica fertur nunc sicut prius: quod non fieret, si ipse anticiparet sectionem æquatoris in parte præcedenti. vnde oportet vel fateri cum Ptolomæo fixas Solis in occursum ire, quod neque saluat diminutionem obliquitatis illi ignotam, nisi per Circelios Alfonsi fictos; vel æquatorem inclinari ad Eclypticam, cum Copernico, quod fieri nequit, si vterque est in stellato orbe: manifestum est præterea ex obseruationibus Timocharis, Hypparchi, Menelai, Ptolomæi, Albategnij, Arzachelis, Profatij, Regiomontani, & Copernici, per duo millia annorum fixas perseuerare in eadem latitudine ab Eclyptica, & in eodem situ inter se: tantum enim distat nunc spica Virginis à Basilisco, & à prima Arietis, & à Chelis, quantum in temporibus priscis. & similiter omnes fixæ, & figuræ ab omnibus: at sicuti sub Ptolomęo erat in Virgine in parte boreali ab æquatore, nunc est in libra grad. 18. in australi ab æquatore; & semper tamen duobus gradibus distās ab Eclyptica; ergo retrocedunt? Et quomodo æquator erat in primo libræ sub Metone in prima Olympiade, & nunc est in 2. Virginis stellatæ? Sol ergo excurrit ad extrema Eclypticæ, vbi sunt tropi: sed æquator inclinatus est ad eam, vel ea ad æquatorem; quod latuit Ptolomæum, & patefecit Copernicus. Quid dicemus? Equidem nullo pacto credere possum latitudinem fixarum non variari: atqui potius errare Copernicum in hoc: nec video posse tueri diminutionem obliquitatis, nisi in aliis corporibus diuersis sit Eclyptica, & æquator; quæ possint alterum in alterum inclinari, vel ipse Sol mutet continuo vias, & latitudo stellarum varietur: nisi asseramus, fixas etiam descendere paulatim, & propinquiores sibi inuicem fieri. Hoc autem dioptra & armillæ astronomicæ istorum negant. An fortè videtur obliquitas minui, quoniam Sol propinquior nobis factus breuiorem circulum ambit, cuius partes interceptæ ab eisdem tropicis, sunt breuiores, quā partes maioris ambitus, quo olim ferebatur: & hoc in instrumentis, quibus tropicos notamus fortè contingit; sit oculus in Terra O. porrigantur lineæ visuales O. R. & O. S. ad circulum altissimum T. in quo erat Sol sub Timochari, & fiat intra alius circulus H. sub Hipparco; & alius inferior P. sub Ptolomæo, alius inferior A. sub Albategnio, alius infimus C. sub Copernico. Tunc manifestè patet R. S. magis distare ab æquatore T. Q. quam F. & G. sub Hipparcho, & F. & G. magis quam M. N. tropici Ptolomæi: & M. N. magis quam X. Z. tropici Albategni, & X. Z. magis quam I. L. tropici Copernici. & licet sit eadem visualis linea, fortè tamen lux instrumentis excepta mutat situm. Quis autem scit vtrum & mundi machina situm & ordinem mutet, vel fortè Tellus? canit enim Ecclesia. *Cæli mouendi sunt & terra.* Loquens de hac vltima Mundi ruina; quæ negligentes Dei signa, excipiet, sicut fur in nocte, teste Apostolo, prim. ad Thes. 5. Nos autem non sumus noctis, neque tenebrarum filij, nam vigilamus. Quapropter cū hę exorbitantiæ latuerint Antiquos, vt in principio huius libri diximus, & à prophetia IESV DEI ad nos palam fieri cæperint, verè putandum interitum Mundi per ignem instare. Et quidem prædixerat Aggęus, *Adhuc modicum & mouebo cælum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Et paulo post Hipp. obseruauit primam mutationem fixarum, consentiente Mundo, & admirante præparationem incarnationis Dei: vt fides Catholica contestatur. Omnis enim creatura sentit creatorem, ait Hieronymus.

Appendix.

Post hæc vidi in Tychone & Rothmanno obseruatoribus diligentissimis, mutatam esse latitudinem tanto spatio, quanto Eclyptica inclinetur Zodiaco: vt patet ex Algol. & Aquila, & Basilisco, & aliis. Ergo palam est contra Copernicum non in terra esse æquatorem, sed in Cælo: & Solis viæ varietate omnia variari, sicuti nos putauimus ratione adducti: nec demonstrationem nostram Mathematicam, debilemque nobis quoque visam, dum scriberemus, necessariam amplius esse.

Respondeo ad ea, quæ obstare videbantur ex Theologia, & reprobatio systematum Mahometicorum.

ARTIC. III.

NVNC restat ad Theologos respondere, qui Cælum immobile faciunt: verum esse hoc de spatio, in quo est Cælum, asserentes, & quod sydera errantia per se moueantur, vt dixit Chrysostomus: & vnum esse cælum, sed variis distinctum regionibus; & non dari orbes homocentricos, neque excentricos, neque Epicyclos, & nullum esse motum violentum in Cælo, sed naturales omnes: vnde non possumus satis mirari Telesium, qui motum raptus negans, non inquirendam esse Cæli constructionem, tanquam ignotam decernens, & quidem non stultè: tamen sphæras tot esse præsupponit, quot Mathematicis ponuntur. Si enim ipsi igneum tenuissimum est Cælum, quo pacto in sphæras diuidi potest? Rectius Basilius & Chrysostomus, & Theodoretus, vnum æthera statuunt: eos vero, qui aquas super Cælum ponunt, non rationabiliter loqui, putat Basilius. Sed Moysen intellexisse eas, quæ fiunt super firmamento, hoc est super aëre. Quapropter negamus Cælum aqueum, sed ex aqua in vaporem versa constitutum cum Augustino non abnegamus, nec in stellis elementa: quæ pro Emped. annuit S. Thom. Iam enim palam fit nostræ non obstare sententiæ. Quæ vero systemata ponit Mahometes absque reuelatione diuina, & absque Mathesi, & Physica, ponuntur. Nam maria & 7. Terras, quas nostræ terræ supponit, & bouem & piscem, sustinentes systema, fabulæ sunt. Et nauigantes in Americam, falsas ostendunt. Spatia autem & maria & montes supra celum posita fabulæ sunt. Sed nihil tam stultum, quod per mysticam allegoriam stultiorem non defendatur, vt fortè Machon à Persis hoc tempore. Nos autem Naturam inuestigamus non fabulas. Quod autem in benedictionibus Moysi nominantur fructus Solis & Lunæ, & collium æternorum, nil contra nos. Nam spiritualia sunt hæc in Cælo, & idealia respectu inferiorum, quæ inde formam accipiunt. Est enim Mundus mentalis, teste Basilio, & Philone, & Origene: à quo Mundus stellatus habet ordinem, & Entitates suas, & à stellato Mundus inferior degenerat in ea proportione, qua stellatus ab Mentali.

Appendix II.

HVc accessit obseruatio Galilæi noua de Planetarum maculis ex nubeculis circa solem peruolitantibus, quapropter Tellures multas intra Planetas, aut aliquid proportionale illis ponere in secunda Appendice cap. 9. art. 1. visum est: vnde sequitur alius modus constructionis rerum, & aliæ causæ motus, & quietis systematum; nullumque quiescere secundum totum, sed secundum partes, quæ conglobantur ad centrum, vt vnitæ melius seruentur, ad peripheriam vero per calorem, & appetitum alias eleuari. Hinc etiam rerum interitus, & vltima confusio celebranda videtur, non longè differens ab Origenis coniectura. Ergo non videtur amplius motus vni calori, & quies vni frigori tribuenda: sed appetitui cõseruationis: appetitus autem sensui, sensus à potentia. Quapropter quoniam Sol & calor motu seruatur, mouet se, aliaque. Frigus vero, quia quiete seruatur, quietat se aliaque. Tellus autem licet frigida sit secundum partes; tamen quia à Sole accipit vires vitales, vti alia sydera circa solem gyrare (si conuinceremur quod non credo) dicenda esset, appetitu sic ferente ab intus: ab extra vero solari luce, quæ sola hoc potest absque appetitu eiusmodi: & insuper ministerio Angelico, vt moderante: idemque de cæteris astris. Quapropter nulla causa Physica est alicuius operationis principium, nisi quatenus ex Metaphysis seu Primordialibus constituitur; quibus cessantibus, cessant Physicæ. Nam calori per vim ablata potentia, vt dum ferro ignito imbibitur, non mouetur. Et per illecebras ablato amore, vt patet in calore natiuo animali, non ascendit illato appetitu, sed innato. Atque idẽ sequitur, si cui sensus sopitur conseruationis, & destructionis; quod in cunctis patet animalibus. Igitur imbecilliter philosophatur, qui Metaphysicas causas non attingit. Quis enim à calore omnia disgregante, aurum densari putet, aut à frigore, cũ natiuo constet calore? Ergo ab appetitu propriæ conseruationis. Ergo non est materia calefacta, aurum; sed sic calefacta, & ideata, idem de cæteris dico Entib. Quapropter aurum solutum, potabileq; licet auri duritiem, & caloris gradum amittat, in maiorem transiens, haud tamen auri essentiam perdit, sed formam tantummodo. Est ergo forma talis concinnatio caloris cum tali materia taliter conformata: essentia vero est gradus Entitatis ex certa potentiæ & sapientiæ, & Amoris modificatione ideata in taliter concinnata re: cuius vis remanet etiam amissa forma: vnde in pelle ouina remanet timor ouinus; ideoque pulsato lupino tympano, ouinum disrumpitur. Quapropter altius de rerum Naturis philosophari oportere iá video, & de operationibus, passionibusque non minus: sicuti in lib. 2. p. p. docuimus. cætera manent vt in prioribus disputationib. Idem enim euenit mota terra ad solem, ac sole ad terram, in prospectiua & Physica. Similiter in constructione systematum solem circumdantium. De fixarum autem systematis & Lunis, & Theatris adhuc cæcutimus. Nec illa ratio mea est inuicta, qua Deus plures terras vbi mala abundant, & generatio, & mors, non fecisse videbatur: Potest enim in illis generatio esse secundum partes sicuti in nostro, nam & Paulus ait de illis, *Vanitati subiecta est creatura & ingemiscit, & parturit vsque adhuc:* non tamen secundum totum, & Ambros. ponit aquas in Cælis ad temperandum Solis ardorem, & quidem de his in Physiologia disputauimus. Deus autem innumerabiles diuitias gloriæ suæ in tot systematis per corruptiones, quæ vt Dionys. ait, sunt simul generationes, & sæcula, repræsentat; omnia tamen ad Deum con-

uertentur Entia eo conuersionis quodque gradu, qui sibi conuenit. Mundi corporales plures non sunt, cum sit vnus Deus, sed sub vno circulo magno omnes continentur intra Mundum Mathematicum. Super quo est Mundus Angelicus non loco, sed dignitate: nec tamen plures Dij, cum vnus infinitus omnia systemata facere, & gubernare queat, quidquid dicat Arist.

Has appendices, posito, quod vera sint Galilæi dogmata, adiunxi, ne fides Catholica derideatur, si vera tandem agnoscentur. In omnibus tamen Sanctæ Rom. Ecclesiæ censuram expecto, eique me submitto.

Post 10. annos contra Galil. decretum est Romæ, propterea que videntur stabilita quæ nos scripseramus. Et posito centro odij, & centro Amoris, & descensu Solis irregulari, omnia Phænomena saluantur, vt dictum est.

DECLARATIO SYSTEMATIS VNIVERSALIS *iuxta hypotheses ancipites.*

CIRCVLVS stellatus continens theatrum Solis nostri & Planetarum, qui ad ipsum sunt quasi Lunæ, vocatur firmamentum à Patribus volentibus ipsũ esse stabile ex dogmate Moïsis; à quo Pythagoras accepisse scribitur suæ Philosophiæ arcana, teste sancto Ambr. in quadam epistola; ac fuisse genere Iudeus. At Clem. Alexandrinus refert Pythagoram fuisse circumcisum in Ægypto, vt posset admitti in templum ad arcana Iudæorum & Ægyptiorum. Ab ipso Pythagora Philosophi Itali sphæram stellatam acceperunt es-



ſe firmamentum: & pro eius fixione, & ſtabilitate Patres omnes certant contra Gentiles, præſertim Chryſoſt. Iuſtinus, Methodius, Auguſt. & Magiſter ſententiarum. Hunc circulum ſignauimus littera F. centrumque ſuum fecimus Solem, qui eſt centrum amoris omnium Planetarum, ab ipſo lucem & motum, & virtutem accipientium. Recentiores nomen firmamenti ſub alio ſenſu interpretantur.

♄ Intra primum circulum poſuimus Saturnum concentricum firmamento, quaſi auritum duabus ſtellis, ex obſeruationibus Galilæi.

♃ Intra Saturnum eſt ſphæra Iouis etiam concentrica præfatis, cuius ſidus ſic ſignatum ♃ ambitur à quatuor Lunis, eius influentiam captantibus, vocatis Mediceis aſtris, eius amore procul dubio fruentibus, & ſimul cum ipſo circa Solem rotatis.

♂ Sequitur inferior ſphæra, prædictis concentrica, inſignita Martis caractere, qui rotatur etiam, dum eſt achronichius infra circulum Solis terram ambientis.

T Intra Martem poſita eſt Telluris ſphæra cum ſua vmbra, etiam concentrica cæteris ſphæris, deſignata punctis, non delineata, cum particula conditionali, *SI*, ſignificat enim quod ſi tellus mouetur circa Solem centrum immobile, hunc circulum deſcribit. Etenim in ſacro Indice Copernici cum ſyſtema, quod videlicet circa Solem immobilem conuertatur terra vnà cum cæteris Planetis, conceditur conditionaliter, quaſi non quod verum ſit, ſed quod ſi eſſet verum, ex hypotheſi ſequuntur phænomena, & computus, & ratio Kalendarij, & emendatio anni ciuilis per annum aſtronomicum, & motus Aſtrorum hac ratione, &c. ſiquidem emendatio Kalendarii per Gregorium XIII. facta eſt iuxta obſeruationem Copernici: qui propter hoc accerſitus fuit ad Conc. Lateran. ſub Iulio II. & Leone X. tanquam peritiſſimus Mathematicus ad concordandũ annum ciuilem cum aſtronomico propter correctionem Kalendarij, non ſine nutu Dei, vt per eius obſeruationes pateſcerent nobis ſigna aduentus Domini in Sole & Luna, & Stellis, quæ D. Gregorius ante 900. annos ex portentoſa Elementorum mutatione non longe abeſſe collegit. Sed quoniam non acceptatur eius opinio Cathegoricè, & meo dogmati immobilitati terram contradicit, ambitum illius tantummodo punctis ſignaui. Huic circulo & cæteris iam dictis includuntur circuli Veneris & Mercurij circundantium Solem centrum amoris in noſtro theatro, ſicuti Medicææ Lunæ Iouem; & ſtellas fixas, quæ æquant aut ſuperant magnitudine Solem, aliæ circundant non viſæ nobis Lunæ: ita quod ignoratur vbi ſit centrum omnium ſyſtematum, vt monet etiam Chryſoſt. in epiſt. ad Rom. ſed innumera amphitheatra, & centra ſuarum oſtenſionum feciſſe videtur immenſus Deus. Similiter terram noſtram ambit Luna ſua: qua cum ſimul graderetur ambiendo Solem, ſi tamen ambiret. Stat autem.

Poſt hæc ſignauimus terram cum ſuo caractere, & vmbra diſtinguens nobis diem & noctem, & fecimus illam centrum odij immobile, circa quod ſolcum omnibus Planetis ad eius exuſtionem circumuoluatur, veluti & Iupiter cum ſuis Lunis. Ambitus ergo Solis & Veneris, & Mercurij eſt excentricus præfatis circulis Planetarum, ſed concentricus circulo Lunæ noſtræ, & circulis Mercurij, & Veneris circa terram, vnà cum Sole rotatis. Et propterea deſignauimus quatuor alios per puncta nõ per lineas; quorum duo ſunt A. B. ducentes Mercurij, & Veneris ſphæras quando ſunt ſupra Solem in abſide ſuperiori: in quo loco ponuntur à Pythagoreis Mathematicis, & Plat. & Ariſt. Item alios duos circellos C. D. eorundem Planetarum, quando ſunt infra Solem, quo in loco obſeruati ſunt à Ptolomæo, & Ægyptiis, & Chaldæis. Temporibus quoq; noſtris à Caſella, & aliis circumdare Solem deprehenſi ſunt. Id quod Pliniũ non latuit, & Copern. demõſtrauit.

QVO TEMPORE INTERITVS MVNDI futurus ſit, incertum eſſe: quem tamen nouimus factum, & mortalem eſſe: & alorum ſententias iam deduratıonis termino examinandas.

CAP. XVII. ART. I.

REDEVNTES igitur ad huius libri Exordium, dicimus iam patuiſſe mundum eſſe mortalem, non modo ex ſacris Literis, ſed ex ſymptomatibus ægrotantis ad mortẽ: id quod omnes ſapientes ſenſerunt, Ariſtotele excepto ac Ocello, quorum perſuaſionibus multa obiecimus: & maximum argumentorum ab ipſis fundatum ſemper regularitate cæleſtium motuum; at ſuper obſeruationibus ſyderum perpetuo perſeuerantium in eodem ſitu & ordine ad terram, & ad ſe inuicem, & ad cardines, oſtenſum eſt falſitatis plenum: nec perſeuerare vt Ariſtot. dicunt ex quo dormierunt partes ſicuti ab initio omnia. Nam æquinoctia & ſolſtitia 28. grad. ab Helia Propheta vſque ad nos emota anticipauerunt: Apogea & perigea quaſi 34. via Solis & Planetarum obliqua 24. fere minutis reſtricta eſt: deprehenditur etiã ex excentricitatis diminutione & gnomonum varietate, & Telluris exuſtione prope Tropicos, & purgatione, & moderatione erga frigidos circulos Arcticum & Antarcticum, ſol, & ſydera deſcendere paulatim ad terræ conſumptionem iuxta appetitũ propriæ naturæ, & propheriam IESV DEI, & ſapientium opinionem.

Tempora exorbitantiarum nouarum.

AB Ioue Belo ante Meſſiam, ann. 2131. ſub quo Prometheus promulgauit Aſtronomiam vſque ad Hipparchum, qui floruit 127. an e aduentum Meſſiæ; æquinoctia, ſolſtitia, apogea, perigea, via ſolis, ſitus & altitudo ſolis, & Planetarũ, & quantitas anni ſemper ſtabilis ſibique æqualia fuiſſe obſeruatum eſt per annos 2000. ferè: Nec potuerunt decipi Chaldæi incipientes ab arietis prima ſtella, cum

cum ipsi fuerint inuentores Astron. & Nomenclaturæ. multoque minus si à Iaphet, filio Noë, acceperunt.

Deinde visa sunt mutari propè Hipparchum postquam Aggæus ante Mess. an. 517. dixit. *Adhuc modicum mouebo Cœlum & Terram, & veniet desideratus cunctis Gentibus.*

Eucton & Methô ante Messiam 432. ann. Timoc. 292. Hipparch. 127. Ptolom. post. Mess. an. 139. Albateg. ann. 880. Arzachel 1076. Profatius 1308. Peurbach 1464. Copernicus 1525.

Sub Hipparcho paulò post Aggæum, anno, qui absoluebatur 365. diebus, horisque sex, deesse trecentesimam partem diei primitus deprehensum est. Sub Albategnio centesimà sextadecima, sed à Ptolom. ad Copernicum centesima quintadecima: ab Albategnio ad Copernicum centesima vigesima octaua. Hic fuit autor intercalandi dies x. in Kal. Rom.

Fixarum motus in consequentia, ac proinde Cardinalium punctorum in antecedentia, non fuit vnquam ante Hipparch. sub Methone enim fiebat æquinoctium in prima stella arietis, & propterea nomẽclatura dodecatemoriæ signorũ semper incæpit ab Ariete: sicut solstitia in primis grad. Cancri & Capricorni; & hoc inuariabile reputatum est à Prometheo vsque ad Hipparchum. At paulàtim anticipando inuenerunt æquinoct. ad 2. Piscium, & 2. Virg. vbi remansit nomen Arietis & Libræ, sed non res. At Aries est in situ Tauri; Taurus, vbi Gemini, &c. At sub Plinio anno ferè 40. post Mess. In octauis signorum partibus antecedentibus fiebant æquin. & solst. sub Ptol. in nonis eorundẽ: sub Copernico in 28. ante puncta Cardinalia. Aut Ptol. in 24. pisc. Ver.

Anomalia fixarum ita se habet, quod sub Hippar. & Ptol. motus fixarum est in centum an. grad. 1. sub Albat. in 66. sub Copern. in 71.

Apogia & perigæa plus mutationis acceperunt, vsque ad Ptolom. n. putabantur stabilia; nunc autẽ mutasse situm per 32. ferè grad. Copernicus & Thyco probarunt. Solis n. apogium Ptolomæo erat in 6. Gemin. nunc autem in 8. Cancri. Satur. Apog. erat Ptol. in 23. & 3. Scorp. Nunc a. in 29. & 27. Sagittarij. Iouis erat in 10. & 2. Virg. nunc a. in 6. & 52. Libræ. Martis erat in 25. & 30. Cancri, nunc in 28. 6. Leonis. Veneris olim in 18. 20. Tauri, nunc in 16. 26. Gemin. Coper. sed Cancri Tyconi. Mercurii olim in 7. Lib. nunc in 0. 25. Sagittarii.

Obliquitas Zodiaci habebat tropicos ab æquatore distantes, perpetuis temporib. ab Aristarcho, aliisque Astronomis bene signatis, grad. 23. & m. 51. 20. vsque ad Ptolom. qui existimauit semper eandem fore. At à Ptolo. ad Alb. inuenta est obliquitas grad. 23. & m. 36. & sub Arzach. 23. & 34. sub Profat. 23. 32. sub Peurb. & Montereg 23 30. sub Copernicò 23. 28. 30. & semper minuitur. Nec reuerti incipit, vt ipse putabat.

Descensus & propinquatio omnium Planetarũ ad terram, præcipuè Veneris & Martis, maximè vero Solis ad exustionem terræ, valdè clara est. qui descendisse ex excentricitatis diminutione quasi centum & decem millia millariorũ postquam Christus dixit, *Virtutes cœlorum mouebuntur, & stellæ de cœlo cadent*, deprehenditur. Sub Hippar. n. excentrotetes erat 417. partium, qualium quæ à centro terrę vsq; ad circumferentiam est 10000. sub Ptolomæo verò inuenitur 414. sub Arzarch. 346. sub Coper. 323. Nostro a. tempore 322. 15. Has a. exorbitantias nõ vitio instrumenti, vel obseruationis apparere iam patefactum est; sed mundi machinam nutare. Et nõ ante Aggęũ vt putat Picus: sicut. n. à Methone vsq; ad nos in 2000. an. retrocessere æquinoctia & solstitia ferè per signum vnum. Ita à Promethæo ad Methonem retrocessisset per totidem 2000. an. per signum vnum: ergo Promethæus incæpisset non à prima Arietis stella, sed à prima Tauri, & Mundus ante 2000. an. incæpisset quando æquinoctium fiebat in primo Geminorũ ferè: si eius ætas est 5581. an. sed si calculũ 72. Interp. sequamur, erat nascẽte Mũdo æquin. in 1. Cancri. & cur hoc non agnouere patres, sed ab initio & Iaphet, & Abrahã, & Moses, imbutus scientia Ægyptiorũ, & Dei, exordiebantur annũ, & nomẽclaturam dodecatomeriæ à 1. Arietis? Chaldæi oẽs cæli mutationes obseruarunt etiam miraculosas, factas sub Iosue, & Ezechia: ad quem Baladanus Rex Assyriorũ Chaldæorũ misit legationem, interrogans de portentoso regressu Solis decem lineis: non ergo negligentię erant incusandi à Pico. At etsi negligentissimi, non poterant tamen æquin. & principiũ dodecatomeriæ celebrare in Ariete. Inuentores. n. siue ipsi, siue prædecessores, à Tauro, vel Geminis, vel Cancro auspicati fuissent æquinoct.

Ergo exorbitantiæ istæ incæperunt à Christi præconio paulo ante illius natiuitatem, & iam videmus verum esse quod prædixit de signis in Sole & Luna, stellis: & quod non perseuerant sicut ab initio creaturæ, vt S. Petrus dicturos prædixit Peripateticos. De tẽmpore autem interitus rerum, temerarium est quid certi asserere, quoniam Deus reuelare noluit: sed tantummodo opinari, & expectare iussit, ex arbore fici parabolam discentes; sic & æstum conflagrationis rerum. At quoniam multi opinari & decernere ausi sunt, sententiam nostram proferre non grauemur.

Vtrum Mundi duratio sit sex millium annorũ, vt Theologi plerique opinantur: aut septem millium, aut octo: & num Physicè hoc asseri possit: & num adhuc tales opiniones sint reijciendæ omnino.

ARTIC. II.

Theologi Christiani plerique opinantur pòst sex mille annos figuram mundi huius corruere. Id probant, quia Deus in sex diebus condit mundum, teste Moyse: in septimo autem requieuit ab omni opere quod patrarat: indicans in 7. millenario fore quietẽ Mundo inferiori à pugna elementorũ, generatione, & corruptione: quod suadent ex eo, quòd Dauid dixit, Mille annos ante oculos Dei esse quasi vnũ diem: & idem S. Petrus in ep. st. 2. & Eliæ vaticiniũ, à Talmudistis allegatũ consentit, ponens in duob. millib. an-

nis legem naturæ: in duobus aliis millib. Mosaïcam: & in duobus millib. Messiæ legem, vsque ad finem sæculorum. & verè Messias apparuit in fine quarti millenarij. Nunc autem sumus in 5570. ab orbe condito iuxta exactiorem supputationē. Ergo post quadringentos & triginta annos rerum expectamus interitum. Hanc sententiam tuetur S. Hieronym. super Psal. 81. ad Cypr. Et S. Iustinus q. 71. aduersus gentes. Et S. Hilarius con. 17. in Mat. & S. Irenæus lib. 5. aduersus hæreses: & Lactantius Firmianus Inst t. 7. qui etiam idem probat auctoritate philosophorum: scil. Hidaspis, & Trismegisti, & Sybillarum. Hanc sententiam putat S. August. ex parte probabilem: Ambrosius vero falsam, quoniam suo tempore putauit iam præteriisse sex mille annos, deceptus supputatione 72. interpretum, & Græcorum Bibliorum. Germanus tamen Episcopus Constantinopolitanus, & Hyppolitus Romanus, & Sanctus Cyrillus, dicunt post sex mille, & quingentos annos. Nos quidem theologicè, & physicè has sententias disputauimus in articulis Prophetalibus. Hic autem quantum Metaphysico negotio conuenit, dicimus, esse leuissimam coniecturam, nisi reuelatio certa viri sancti non decepti, neque deceptoris, adsit, declarans, hunc annorum numerum ita intelligendum esse in scripturis Dei: Nam & D. August. has expositiones infirmat. Quæ autem quidam ex Copernici anomaliis tribus adducunt in confirmationem, vana sunt: quoniam in tribus anomaliis non finiuntur sex mille; & in quatuor prætereunt sex m lle & quingenti. Neque scimus, an omnis anomalia sit 1717. Nec vtrum hæ anomaliæ tantum potentiæ habeant. Nos autem tantorum patrum sententias, & philosophorum veneramur, & dicimus per Methaphysicam rationem non reprobari. Si enim verum est, quod in diebus sex, Deus creauit Mundum, cum iam per Astrologiam Physicam nouerimus rerum progressus atque fines latere in suis principiis, quoniam esse fluens est actio, & operatio; quæ ergo in constitutione ipsius esse conuenerunt, in progressu & vita eiusdem consimiliter se habebunt, vitas inferiorum in Zodiaco Arist. metitur. 2. de gen. vnde non immerito Astrologi ex natiuitatis constitutione, quæ in vita accidere possunt, coniecturant: & quantum inter Aphetam, & interemptorem tunc spatium interuenit, tantundem in annis vitæ metiuntur, quando iam illa constitutio cessauit ab initio. In aliis tamen rebus idem gradus significat annum, in aliis mensem, in aliis diem, aliis horam, pro rata virirum: ideo mundo mille anni pro die non ineptè dantur. semina plantarum iuxta vires primordiales, & Cæli & Terræ harmoniam, illis concinentem, vitæ periodum nascicuntur, & alia aliter, & qui sciret metiri vires seminis, & cæli & terræ constitutionem quanto tempore eiusmodi viribus fauebunt, & quanto, & quomodo nocebunt, vtique de vita plantæ pronosticatetur rectè. Idcirco nos in prophetalibus ex his, quæ facta sunt in quolibet millenario annorum mundi, patefacimus, & sex ætates synagogæ, etenim in septima requieuit in Ecclesia, & septem ætates Reipub. Christianæ partiti sumus, & euentus earum, quia simile in simili relucet iudicium: & quoniam sustinemus, septimum diem pertinere ad exordium rerum, idcircò septem milliaria annorum mundo dedimus: sed in septimo vnitionem omnium nationum sub vno Monarcha, & vna lege Dei, in quo requiescent homines à laboribus nimiis, qui mundum afflixere propter diuersitatem legum, & principum terræ, & sectarum, & opinionum. In octaua autem ponimus beatitudinem, & idcirco in ea esse resurrectionem, & non in sabbato. Vnde & multi Psalmi pro octaua inscribuntur, quoniam est spes nostra, teste D. Ambrosio. Potest idem suaderi ex Philosophia Bracmanorum Indorum, 8000. annos mundo tribuentium. Item ex Planetarum ordine. Si enim Planetas septem pro ducibus habet Mundus inferior, & vices ipsorum vnde septem dies hedomadæ fecerunt, quibus etiam Planetarum septem nomina dedere Chaldæi, & Ægyptij, & Græci & Romani, & adhuc in Christianismo perseuerat huiusmodi nomenclatura, & septenarius tanquam à Deo positus in rerum exordio celebratur, de quo philosophantur Orig. August. Hilar. & ali Patres: & omnis lex vtitur in partitione mensium, & annorum, septimanis respondentibus septem Planetis; vtique non videtur impossibile, nec tamen necessarium septem mille annos Mundo tribuere, vt Rex Alphonsus cum Rabinis opinatur, saltem de mundi inferioris ætate. Possem quidem millenariis præteritis adaptare vices Planetarum, quod & poëtis visum est, qui primo sæculo regnasse Saturnum docent in summa fœlicitate; in secundo Iouem cum Gigantes corruperunt Orbem; in tertio Martem cum Ninus belligerandi artem, & tyrannizandi inuenit. In quarto Venerem, cum Assyrij, & Persæ dominati sunt in omni politica. In quinto Solem quando Messias legem tulit diuinam. In sexto Mercurium, quoniam multiplicata est scientia Doctorum, & rerum inuentiones, & noui orbis, & commercia totius mundi. In septimo Lunam quando vires omnium Planetarum recolligentur in vnum principatum, sicut Luna colligit ipsorum lucem, & fiet sicut Sol, & cessat varietas omnium politiarum, & sectarum, & artium: & fiet tandem rerum interitus: sed quoniam hæc potest quilibet accommodare, vt vult, non habet subsistentiam hæc doctrina, quoniam & coniunctiones magnæ, & periodi Planetarum, & introitus apogæorum de signo in signum, & translatio figurarum translatarum de cardine in cardinem vsque ad quadrata, & oppositiones, & sextiles, & trigonos aspectus, multa variant in rerum ordine: at & syderum descensus, & obliquitatis diminutionem; & horum omnium Anomaliam in tarditate, velocitate, & mediocritate, quæ diuerso modo afficiunt res; & post hæc Planetarum configurationes annuas menstruas, & diarias, considerare oporteret, & metiri in vnaquaque re, ac deinde iudicium ferre.

Hæc autem omnia non intelligit nisi Deus fati huius ordinator. Fallimur etiam nos, quando dominia, & significationes stellarum, & elementorum consideramus tantum respectu nostri, & non aliarum rerum magnarum, & paruarum, & Angelorum, ideo videtur nobis aliquando significatio aliter quàm sit, & super alia, & ab alia. Non parum ergo sapiens est homo in hoc si nouit, se ignorare, & quantū, & quomodo, & vnde ignorat. Stulti ergo sunt Astrologi, qui ex qualibet constellatione pronunciant, & non totum fatum considerant, vel non considerandum putant, aut considerari posse. Dixit Iesus ad S. Brigittam, quod si nos

Planetarum vires ac cursus pernosceremus, nihil casu, & sine causa fieri putaremus: sed quomodo possimus hæc nosse, non dixit, sed vt acquiescamus reuelatis. Igitur quando prædicti Patres sex millia ponunt, excipiunt vltimum millenarium, quoniam non est laboris: multi quoque ex eis decepti sunt per falsam supputationem Bibliorum Græcorum. Ideoque recurrendum est ad Hebræos, quorum sententia verior est, quam attulimus. Sunt alij ponentes pauciores annos. Paucissimos autem Rabbi Naason iuxta cuius supputationẽ sunt 5317. ab orbe condito. Idcirco Patrum sententia damnanda non est, donec transeant anni ferè 700. At Cardinalis Cusanus scribens de nouissimis Temporibus Iubileum Christi ponit pro signo, non Hebraicum vt Alfonsus, & quia vita Christi fuit 33. annorum, prædicantis annum placabilem, putat 33. quinquagenas annorum .i. Iubileorũ præterituras ante Mundi transfigurationem; ita quod expectãda est in anno 1650. à Christi Nat. sed hæc sunt incerta, quoniam à Deo non sunt reuelata. Magnam tamen mutationem exorbitantiæ cælestes annuntiant, in reuersione coniunc. M. ad trig. ign. & Vulcanorũ eruptiones. Idcirco nũc ad Physiol. trãseamus.

Non posse motus orbium, & Planetarum restitui vnquam simul ad sua primordia: neque ergo Mundum ex hoc interire, vt putat Albumasar. Neque Christum, neque Mahometem per Astrologiam de fine Mundi prædicasse; nec si reuertantur omnia, Mundum destrui, sed refici.

ARTIC. III.

INEPTISSIME scripsit Albumasar, omnem Mundi faciem immutatum iri, quando omnes Planetæ, motusque cælestes ad primam peruenerint, in qua cœperunt, posituram simul omnes: & IESVM ex hoc prognosticatum esse interitum Mundi, & similiter Mahometem. Nam Mahometes omnis scientiæ expers fuit, nec scribere sciuit, vt ipse testatur in Alcorano: sed hanc de Mundi conflagratione, & Dei iudicio sententiam à Prophetis Iudæis, & Christianis audiuit: at fabulosum numerum annorum Mundo infinitũ penè addidit: nam vt legantur sententiæ tantummodo in iudicio vniuersali, & examinentur delicta, quinquaginta annorum millia ponit: quasi Deus esset homo indigens discussione. Hinc enim ad tempus illud innumerabilia ponit sæcula, ne cito mendacij argui possit. Iesus autem Deus noster de hoc prophetauit, & de Hierosolymorum excidio, & de Euangelij in Gentes propagatione, & alia innumera: quorum partem iam videmus euentibus comprobatam, partem expectamus, & de ipsius diuinitate in Theologia erit sermo. Nunc autem reprobanda videtur Albumasaris opinio ex propriis: licet enim multi expectent mundi renouationem, sicut Plato post decem millia annorum, cum rerum periodus terminatur: Origenes autem, & Ambrosius Compsanus Mundi nouitatem, & habitationes in Terra; haud tamen Planetarum periodos simul reuerti, vnde prius cœperunt, docent. Multi quoque Astronomi hoc impossibile esse demonstrarunt, teste Pico. Cui nos nouas addimus anomalias, præter descensum Solis, restrictionẽ obliquitatis, & anticipationem cardinum. Quapropter etiamsi omnes Planetæ in aliquem primum reuertantur situm, & in sua signa, non tamen Mundus. Non enim Cæli cardines eodem in tempore ad primum situm restituuntur. Nec obliquitas eodem in tempore cum Planetis. At etiam si hæc omnia reuertantur, cum sol semper descendat, & alio terram modo immutet nunc atque prius, nequaquam eadem rerum facies simul omnium refici poterit. Præterea posito quod Sol sursum ascendat denuo, & obliquitas augeatur, & Planetæ in primordialibus signis, & gradibus ponantur vt aiunt, tunc nec redibit numero idem mundus, ita vt ego idem scribam eodem in die, quo nunc, hæc eadem: sed alius numero Mundus. Neque enim eadem poma quotannis fiunt, sed consimilia. Nam easdem materiæ particulas iterum conglutinari, & eosdem caloris & frigoris gradus, & easdem actiones eodem ritu impossibile est, præsertim naturaliter, vt ipse dicit. Nec præterea Mundus finiri videtur, quia reuertitur ad sua principia: Hoc enim est reformari, sed quia vadit ad suum finem. Cum ergo nunc ignis ad terræ combustionem properet, finis terræ, & rerum erit, & non renouatio, nisi à primo Numine omnia postmodum reficiente: quoniam ipse solus est semper idem: Ideoque eadem reficere potest prout vult.

Plato quidem in sæculo aureo regnantibus Diis cum Saturno ortum syderum fuisse, vbi nunc est occasus fabulatur. Deinde relictum sibi ipsi, non autem Diis aliis, fato agitatum in contrarias partes, donec misertus Deus in eius curam iterum reuertatur, & renouationem faciat, qualis nunc est ab orbe condito. Sed quoniam neque Deus ipse in contraria mouet per vices: neque alteri curam ipse lassus, aut aliud facturus, relinquat: neque Mundus spontè sua in oppositam partem se reuoluat, quasi nunc contra Naturam feratur; nec corpora per se moueri valeant: relinquitur sermo vt fabulosus.

Quod vero è contra Fran. Maria à Polo arctico migrante in Antarcticum expectat aliam renouationem post 395. millia annorum, suspicio est ex Polorum mutatione à Ptolomæo vsque ad Copernicum, gradu vno & minutis decem, orta: quàm posteriores obseruationes non confirmant. Item nec scimus, an iste motus sit cum anomalia. Nec propterea Mundus deficiet, si verificatur, sed mutabit figuram.

Sententiam eorum, qui finem Mundi fini motus fixarum tribuunt, varias esse, & quare. Regem quoque Alphonsum, qui post 7000. annos inferioris Mundi finem præstolatur, & post 49000. superioris, non inniti veris argumentis: neque Astronomię ipsius Regis, neque aliorum, sed religioni Iudæorum.

ARTIC. IV.

ALII vero interitum rerum adesse putant, cum fixarum motus qui videtur fieri in anteriora, absoluetur. Ergo Ptolomęo, cui centum anni gradui respondent vni, post triginta sex millia perit Mundus, vel facies rerum immutatur, seu reuertitur: Hipparcho vero post centum millia ferè. Alphonso post quadraginta nouem millia. Copernico post 25816. Albategnio post 23. millia ferme: & quidem diuersa sensere, quoniam diuersis in temporibus stellati Cæli motum obseruarunt, & anomalia non permisit eos conuenire. Sed Alphõsus nõ videtur motu stellarum persuasus: sed à quadam Kabalistarum religione; vt videlicet ad annos 49. Iubilæi Mosaici, in quo secundum legem Hebræam reuertuntur omnia ad principium: & homines ad suas possessiones, & serui ad libertatem, reuertatur & Mundus ad suam originẽ. Moses enim multa in numeris abscondit mysteria. Instituit sacram Septimanam, & Sabbatismum; & ex septies septem annis typicè Iubilæum instituit. At quidem licet diuinitus Moses ac rectissimè legem totam ad exemplar Mundi stellati & Archetypi, ordinauerit: haud tamẽ cogimur post 49. millia annorum finem rerum ponere: cum potius hanc Apostoli sententiã quasi falsam declarent, dum nouissimã esse horam, & fines sæculorum instare admonent post quartum millenarium. At Alfonsus huic occurrit obiectioni, inquiens, post septem mille mutari penitus Mundum inferiorem, post 49. mille superiorem. Fortiora enim, ac nobiliora diuturniorem merentur vitam: hoc autem declarat ex circellis descriptis à capite Arietis stellati, super caput non stellati. Verum cum absolutio circellorum ostensa sit falsa, & distare non octo, sed iam grad. 28. alterum caput ab altero, & anomaliam iam finiri post 1717. annos, quæ non debet nisi post 7000. aut 3500. Alfonso reuerti, conuincitur falsa eius sententia, & hoc patet ex eo, quod coniunctionem capitum ponunt Alphonsini in diebus Messiæ. Et tamen tunc non est finitus periodus inferioris Mundi, sed sicut erat ante, ita & nunc in substantia & figura. Item oportuit ante Messiam circellum alium peragratum esse: Ergo Christus natus est in septimo millenario Mundi: quod omnes negant, & ipse Alphonsus, qui plures quam cæteri numerat annos: tamen in natiuitate Messiæ non ponit nisi 6984. at plures ponendi erant, hoc est sexdecim alij. Verùm cũ omnes Chronologi doctiores hunc reprobent numerum, & Astronomi scribant in ortu Messiæ fuisse caput Arietis stellati sex gradibus in consequentia procul ab Arietis capite nõ stellati, vt ex sagacissimi Copernici testimonio apparet, & ex Plinio, & Columella, qui paulò post Messiam ita scripsere (ne quis dicat, nos nouiter calculantes decipi, quia cælestis anomalia alia tunc fuit) oportet igitur falsa assumpsisse dogmata Alfonsum Regem alioquin omni dignũ laude. Præterea motus fixarum ab ipso computatus non respondet 49. millibus, sed longè paucioribus, quam Ptolomæo. Nam ipse in fine velocitatis anomaliarum philosophatus est. Præterea neque dedit situm stellis conuenientem tanto suo calculo, sed calculo Albategnij, cui respondent 65. an. pro gradu vno. Ergo finis rerum superiorum est Alphonso citior, quam Copernico, nedum Ptolomæo, id est in an. 23760. ergo ante 25. mille, &c. laudamus quidẽ, quod mutationem inferiorum post 6000. posuit ex radice Iubilæi Mosaici, cuilibet anno adaptando mille: & potius Mundi ex septies septem: sed hypotheses falsas adsumpsisse dicimus, & cum ipso pugnantes. Neq; hoc ex circellis, neq; ex magnis circulis elici, sed potius ex sacris non examinatis, & ex vicib. 7. Planetarũ sicut dictũ est: coniecturã vero de duratione supercælestiũ, vt coniecturã finimus.

Tempus vitæ mundi non circulationi stellatæ sphæræ, vt putant alij, tribuendum esse, sed excentrotetis solaris periodo: vnde conflagratio erit mundi inferioris iuxta euangeliũ, & Physicam omnium nationum. Nec posse aßignari periodum sphæræ stellatæ propter Anomalias: neque posse condi tabulas Astronomicas, & Calendaria perpetua. Tempus finis rerum vtiliter ignorari propter Anomaliam & situm victoriæ: & ignoranter, atque impiè dißimulari symptomata mortis mundi à nostris literatis.

ARTIC. V.

AT vero non minus per Theologiam falsitatis arguuntur alij Astronomi, tot millia annorum mundi vitæ tribuentes, quã per Physicam. Si enim sol paulatim descendit, & interitus Mundi est ab eius descensu, causante Terræ conflagrationem, sicut probatum est. Ergo non à fixarũ motu expectandus erat finis mundi, sed potius melioratio. Præterea Stoici, Epicurei, Empedocles, Heraclitus, Sybillarũ oracula, & Philosophi Indi tam veteres quam recentiores,

& Mahometani, Persæ, Mauri, Arabes, & Turcæ, vnanimi consensu mundi finem ab incendio expectant. & ita sanctus Petrus in Epistola 2. & omnes Theologi Christiani consimiliter per ignem consummationem sæculi expectant. Omnis autem ignis est à Sole: ergo renouatio non erat tribuenda cardinibus, obliquum circulum absoluentibus, nisi forsan mensuratiuè, non causatiuè, sed descensui Solis & excetrotetis diminutioni, si quid rectè saperent Astronomi. Ergo neque tempus interitus mundi potest certo assignari. Non enim scimus, in qua appropinquationis positura Sol potest vrere terram: nec si id sciremus, quando ad illum situm peruenturus sit, intelligere valemus. Quapropter solida inuenitur sententia Messiæ, quod neque Angeli neque filius hominis scit; & hoc patet quoniam hic descensus aliquando tardior est, aliquando velocior: ergo non possumus assignare tempus tantæ appropinquationis; propterea Iesus dixit, Nemo scit. Similiter etiam fixarum in consequentia motus aliquando tardus, aliquando est velox, aliquando mediocris, ita vt putarit Arzachel & Thebit, & Alphonsus aliquando in consequentia, aliquando in præcedentia eas incedere: quod tamen falsum est quoniam semper in consequentia feruntur, licet magis minusque vt Copernicus conuicit; ergo non rectè assignarunt 36000. annos, vel 49000. vel 25861. vel 23760: vel pauciores, vel plures. Omnes enim prisci calculatores decepti sunt. Quod autem Copernicus statuit mediocritatem esse mensuram tarditatis & velocitatis, & in ea fieri reuersionem post annos 1717. non rectè statutum est: tum quia ex vnica anomalia omnes iudicat consimiles, qui ex pluribus debuisset experimentis scientiam colligere. Tum quia, vt aiunt, emendatur à Thycone calculus eius (postea vidi Thyconem, & interposui hunc versum, quod ipse inertior cæteris vellet inficiari anomalias & tamen postea concedit) Tum quia Copernicus suis alligat calculis Dei prouidentiam: quam calculis antiquorum alligatam non vidit. Quapropter Pontifex Rom. ductu spiritus Dei annum Iulianũ intercalauit, & fortè nõ quantum mutandus erat iuxta Copernici dogma, sed minus: & comprobauit nutu Dei imminentem mundi interitum. Quapropter iudico non posse tabulas astronomicas perpetuas condi, neque calendaria Ecclesiastica. Voluit enim Deus, vt semper cælo intenti, eius iudicia consideraremus: idcirco quolibet anno mutat Cardines cælestes, & situs fixarum, & Apogæorum & excentrotetem & irregulariter, vt videamus, ad nutum eius mundum moueri, & gubernari, & non à stupida semper idem faciente natura: & Symptomata mundi per ignem perituri disceremus. Tempus autem vtiliter ignoraremus, sicut & interitus nostri, quo semper parati inueniamur. At quis nouit, quomodo super his Philosophentur Angeli, & Dæmones, & stellæ, & partes mundi cognitione præditi: & mundi anima? in hoc etiam incusandi sunt Astronomi, & Physiologi, quod cum omnes sapientes orbis terræ, & sancti Patres, & Messias Deus, & oracula Sybillarum, pronunciarint, mundum per ignem periturum, stellis de cælo cadentibus: & nos in Euangelio expectemus signa in sole, Luna & stellis, & virtutes cælorum commoueri: & hæc proxima ex aëris immutatione esse iudicarit S. Gregorius iam sunt mille anni: & ipsum cælum ostendat, esse nunc præsentia: tamen nostri Astronomi, & Physici, vt Aristotelis, indocti sophistæ saltem in hac re, dogma sequantur de mundi æternitate, quæritant non causas pro causis, assignando circellos fictos & librationes impossibiles & terræ mutationem, & Solis quietem, vt obnubilent Euangelicam & Physicam veritatem: dicentes omnia perseuerare vt ab initio, quod in principio libri exclusimus: vel reuersuras esse anomalias, cuius contrariam semper obseruatum est, & causam certissimam in Euangelio præconizatam deserentes: & hoc in pœnam peccati sui, vt Dies Domini nos sicut fur in nocte compræhendat nil vigilantes super signis à Deo datis: sed quasi naturalia accipientes: & non considerantes, Naturam esse Dei Instrumentum, & Artem rebus inditam, & ad nutum eius omnia operantem.

Incendium mundi, quod expectamus, non esse simile facto sub Phaëtonte: neque aliis diluuiis particularibus: quia nunc erit vniuersalis mutatio à causa totali, & quot sunt cælestes periodi & exorbitantiæ, magnas mutationes facientes.

ARTIC. VI.

NEC putandum est, instantem mutationem esse incendium, aut diluuium magnum, quæ Plato fieri putat in Timeo post magnas cœli exorbitantias. Ad isthæc enim facienda sufficiunt forsan coniunctiones magnæ, vt docuimus in Astrologicis, & reuersio omnium ad primum Trigonum: dico autem Iouis & Saturni, si simul interueniat aliorum Planetarum assensus, & Ecliptica synodus incertis cœli signis, quæ terram maximè immutent. Valet ad idem transitus stellarum primæ magnitudinis de signo in signum, & præsertim in locum cardinalem Æquinoctij vel Solstitij.

Item, anomaliæ non tarditas, quæ paulatim immutat, sed velocitas, qualis fuit sub sancto Gregorio, iuxta obseruationem Albategnij, quando pestes & terræmotus per totum mundum facti sunt, cuiusmodi & nunc expectantur sub Trigono igneo, quia tunc Solis descensus celer subitò terrã valdè immutauit, & vapores pestilentes in aëre eduxit, & multos: & qui egredi non potuere, terram conquassarunt: & facta in Scorpione magna synodo, orta est Mahometis pestilens secta totum penè subito in velocitate anomaliæ inuadens orbem: de his autem, quæ fuerunt sub Phaetonte & sub Noë,

nil certi habemus ob Chronologiarum varietatem: & quia nescimus, an eandem anomaliam tunc cæleſtes motus obtinuiſſenr. Quæ alij ſcripſerunt, temerè dicta ſunt, & cum Plato, & Pythagorici, & Bracmani alium calculum habeant motus fixarum, & ſimiliter alium Ptolomæus, & Arabes, & Latini: conſequens eſt, vt anomalia alia ſemper fuerit. Hoc etiam docuimus in prognoſticis: quod mutatio Cardinis de ſigno in ſignum cum peruenit ad quatratum, aut ad oppoſitionem ita quod vbi erat principium hyemis ſit principium Autumni: & vbi principium veris, ſit Autumni, vel hyemis, magnas faciet in orbe mutationes: & ſimiliter in ſextilibus & quatratis. Sed cum ignoremus vtrum ante aduentum Meſſiæ iſtæ fuerint fixarum præuentiones, nam Chaldæi ſemper à prima Arietis Ver celebrarunt, quod & Nomenclatura dodecatemoriæ ſemper ab Ariete incipiens in omni ſæculo, docet: Incæpiſſent enim à Tauro, vel Geminis, vel ante, Antiquiores æquinoctium, ſi à principio talis fixarum fuiſſet motus: perſeuerauit etiam eadem nominatio vſque ad Aggeum Prophetam, qui eius mutationem prædixit. Ergo nec licet pronunciare, quando nam deductiones tales factæ ſunt ad quatrata, & diametros, & trigonos ipſorum Cardinum: cum potius non extitiſſe dicendum ſit: verum ex his mundi interitum non licere t expectare, ſed nouitatem magnam. Solus ergo Solis deſcenſus terram, & opera, quæ in ea ſunt, exuret: & ignis ſicut in fornace euaporante terra intra æthera, & ſolum, fiet, ſicut exiſtimare licet: nam modum ſcit Deus: vnde Lucanus, & priſci Philoſophi, Solem paſci vaporibus (teſte Ariſt & Plinio) exiſtimarunt, ideoque ſuper terram circulationibus variis cieri, donec ipſam comburat. Nos autem contrarietatem inter Solem & terram vidimus, & talem ruinam conſideramus. Qui autem negant à cælo immutationes fieri ſub talibus temporum articulis, à configurationibus, & tranſpoſitionibus ſtellarum, & cardinum, & apogeorum; indigent ſenſu: nam neque intelligunt differentiam inter noctem & diem, & anni tempora, quæ fiunt ab his palam: ita longè minus quæ fiunt poſt tempora multa: & ſicut puer decennis ignorat iubileum, quod fit poſt 25. annos, & quinquennis neſcit menſium & dierum differentiam: & animal, quod eadem die naſcitur, & moritur, dictum Ephemeron, non percipit differentiam inter diem & noctem, ita nos non percipimus aliorum annorum varietates: qui non fiunt à ſole nobis noto, ſed à Saturno & magnis ſynodis Planetarum: & ſicut febricitans non cognoſcit calorem Medici, ita neque nos inſenſibiles mutationes, quas Planetæ, & ſtellæ faciunt. Angeli vero omnia præterita norunt, & de futuris extimant, ſicut nos de craſtina die, & de inſenſibilibus iudicant, ſicut nos de notiſſimis: & dum omnia ſimul contemplantur, fatales rerum leges norunt, & admirantur Authorem. ſed cur Deus non dedit nobis annos, quot ceruis dat, atque cornicibus, & coruis, & arangiis: vnde poſſemus cæleſtia obſeruare, & Dei opera noſſe magis? quoniam alia nos manet vita: indignum ſanè eſſet, vt Theophraſtus queritur, moriens, quod natura coruis tam longam dedit vitam minimè neceſſariam ad Philoſophandum, nobis vero breuem, niſi nos alia vita, & noua Philoſophia poſt ſeparationem à corpore maneret, & priſcorum ſcriptis vti valeremus: idcirco de his in ſequenti libro nos ſermo expectat.

Extra mundum noſtrum non eſſe alios mundos corpulentos, & corruptibiles, ſed Reſpub. diuinorum intellectuum, & mundum Angelicum.

CAP. XVIII.

VTRVM autē extra mundum noſtrum alij ſint mundi, nulla ratio docet, neque quod nō ſint, & licet aliquando opinati fuerimus fortaſſe alios mundos extra reperiri, nec Dei potentiam huic concludi, & poſſe manum à Peripheria extra extendi. Et quia mens noſtra infinitas res extra mūdum intelligit, nec videtur poſſibile, quod ipſe extra mundum, & ſupra animam mundi erigatur, niſi verè aliqua ſyſtemata foris ſint. Nunc tamen ea ſyſtemata non arbitramur, eſſe materialia, vti noſtra tellus, & Planetæ viſibiles nobis, vel ſi tenuiſſima non tamen corruptibilia. Niſi forſan non ſufficiant trāſfigurationes, quæ in ſtellis & in tellure fiunt ad repræſentandos, vel ſucceſſiuè, theſauros potentiæ, ſapientiæ, & amoris diuini, & corruptio ſit transfiguratio pulchra, non mors extinctiua, vt in 2. Parte philoſophabimur. Cæterū, extra mundum noſtrum alterorum ordinum entia. Et potius reperiri mundum diuiniorem, quem vocant Angelicum Non tamen decet tot ſyſtemata, corruptionis plena, & doloris, tribuere opifici optimo, niſi ludus ad tēpus ſit iſte dolor Et hoc docet Baſil. Magnus in Hexam. de mundo mentali, & Ambroſ. & Damaſc. & Hilar. adde Philonem, & Ioſephum. & Hieron. & Clem. Alexandrinum in expoſitione Phyſica tabernaculi Moyſi. Plato quoque noſtros ſequutus Pythagoricos miris extollit laudibus illum mundum inuiſibilem extra mundum noſtrum. Et mihi rationabiliſſimè ponendus videtur; ſed quidditates rerum in eo exiſtentium dicere non poſſumus, quoniam res noſtræ à longè, & obſcurè illas repræſentant: & iam videmus, quidquid eſt in terra, eſſe in mari, & eadem in aëre, & ſtellis arbitrari licet: quoniam ab eiſdem exemplaribus ſunt terreſtria, & marina, differentia materialitate. Ergo in mundo Angelico ſunt conſimilia, ſed ſpiritualiter. In mente autem Dei omnia tandem ſunt, ſed longè eminentius, & infinitè, vt in ſecunda Parte dictum eſt, vbi & de Mundis Archetypo, Angelico, Mathematico, Corporali, & Situali, ſermonem adiunximus.

Hæc autem videre mens humana altiſſimè deſiderat, omne autem deſiderium, præſertim bonum, ex primo diuino manat Amore, vt omne calidum, à primo calido. Ergo & homo vult, & Deus vult, ergo aliquando erit. Ignorant Deum, qui hæc negant: ignorant mundum, & finales rerum cauſas, & prouidentiam vbique manifeſtam.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ METAPHYSICORVM TERTIÆ PARTIS,

LIBER DVODECIMVS.

IN QVO DE ANGELIS, ſeu de Mundo Mentali.

DICENDVM ESSE, VTRVM PRÆTER ſenſibilia Entia ſunt ponenda alia inſenſibilia, intellectualia: quæ Angeli vocantur: & de hoc variæ ſententiæ.

CAP. I. ARTICVLVS I.

POSTQVAM in libro præcedenti declaratum eſt, mundum viſibilem habuiſſe originem ex nihilo, & interiturum eſſe: non tamen in nihilum, ſed in meliorem formam perficiendum: cum terminatus fuerit periodus generationis, & corruptionis rerum ope magnarum influētiarum, Neceſſitatis ſcilicet, Fati, Harmoniæ, propter finem diuinum: declarandum reſtat, vtrum aliqua Entia præter ſenſibilia reperiantur, vt Angeli, Dæmones, & ſeparatæ ſpecies, & dij. Epicurei quidem, & Achitofelliſtæ hæc omnia negant, Platonici, Stoici, Pythagorici, &c. aſſerunt: Legiſlatores, & Nationes concordant in dogmate hoc, ſed de ſubſtantia & operationibus intellectualium diuerſa ſentiunt: Peripatetici Motores ponunt abſtractos: cætera tanquam fabuloſa irrident. Hoc autem examinare, prout poſſumus, iam oportet.

Epicureos, & Sadduceos, inani curtaque ratione innixos, opinari non exiſtere Angelos, neque diabolos: Sed omnes effectus, illis tributos, eſſe naturales: vel Dei oſtentationes.

ARTIC. II.

EPICVREI igitur & Sadducei, quoniam nullas operationes rerum comperiunt, quæ naturis rerum ſenſibilium tribui non poſſint, ſtultum eſſe arbitrantur alias ignotas adhibere cauſas. Tanquam ſi quis me ſcribentem nunc cernat, & ſimul quærit, num alia ſit cauſa ſcribens, & non ego. Sadducei vero licet aliquas operationes concedant reperiri, rebus naturalibus impoſſibiles, vt apparitiones dæmonum, & Angelorum, & inſomnia mirifica, & miracula ſupra naturam, tamen negant Angelos & Dæmones, & immortalitatem animorum, & has operationes adſcribunt ipſi Deo omnes, & nominari Angelum, & animam mundi, & ſpiritum: & omnes operationes mirabiles eſſe ipſius Dei ſolius oſtentationes. Quam opinionem ea ratione probant, qua Ariſt. in lib. de mundo Angelos eſſe negat rebus inferioribus prouidentes: quoniam Deus poteſt hæc omnia facere, ſi extat, & eſſe ſignum imbecillitatis

sibi ministros adhibuisse multos, sicut Rex Persarum: qui quoniam per se non potest omnia operari in suo Regno, ministris vtitur. Nos in superioribus hanc rationem explodimus: quoniam si ita esset, neque Sol creandus fuisset: posset enim Deus per se terram calefacere, & fæcundare: neque stellæ, quoniam ipse posset modificare vires caloris, & species rerum variare, & in nocte lucere similiter: neque mundum creasse debet Deus, quoniam etiam sine ipso esse posset. Neque spatium, in quo locatur mundus: quoniam Deus posset per se sustinere cuncta. Cum ergo videamus hæc alia esse, non indigente Deo, vtique non persuadebitur hac ratiuncula Angelos non existere: sed dicimus, ad regimen rerum adhibitos, non propter Dei impotentiam, sed maiestatem, & vt res congruos sibi rectores haberent. Dei enim potentissimi maiestatem sufferre nequeunt res fragiles, nisi modificatam: & propter bonitatem Dei: quæ non solum dat esse, sed operari & causare suum eis communicat. At Sadducæi credentes Deum fecisse mundum, & legem Moysi dedisse, insaniunt, cum negant substantias intellectuales: neque enim corporalia & sibi valde dissimillima Entia tantummodo creauit Deus. Sed multo magis ac plura sibi similia & intellectualia: & quod Deus diabolicas ostentationes faciat etiam per se, videtur falsum, & impium. Sed de indiciis manifestantibus extare Angelos, & Dæmones mox dicemus: & quid Rabbi Moses Sadduceizet.

Arist. positio, quod sint Angeli motores orbium cælestium, & non plures, quam quinquaginta, & quinque, quoniam non plures apparent differentiæ motus Astrorum: & in motu beari, neque in aliis mundis.

ARTICVLVS III.

AFFERT Arist. signum, quod extent intelligentiæ aliquæ, ipsum cæli motum: quoniam inquit, omne quod mouetur ab aliquo mouetur. Ergo & cælum: quod quia perenni mouetur motu, semper enim ante motum est motu, à perenni mouetur motore. Est autem in cælo motus primi mobilis ab ortu in occasum: alius Planetarum ab occasu in ortum: ergo plures motores: & quot sunt apparentiæ in motibus Planetarum, tot statuit orbes, totidemque motores: & hoc semper in actu, quoniam semper mouent: ergo expertes materiæ: ergo intellectuales: & sicut in præcedenti libro declaratum est, ponit 55. motores deferentes sydera, & reuoluentes. Tunc ait, non posse plures intelligentias reperiri, quoniam eorum fælicitas est in motu, quo assimilantur primo motori: absque autem motu essent ociosæ, & inertes, & quoniam non sunt plures motus: ergo tot & non plures intelligentiæ. Item ait: si alij essent motus, & non propter astra, ergo propter se: quod non potest esse: quoniam propter mobile est motus, neque propter alium motum: quoniam est ille propter alium; & sic in infinitum. Ergo propter Astra: propter Astra autem tot sunt. Si autem quis dicat, esse alios mundos & alios cælos & motores, ait, hoc esse impossibile, quoniam mundi isti differrent numero, & specie conuenirent. Ergo quilibet haberet suum primum motorem differentem numero ab aliis primis motoribus. Sed quæ differunt numero sunt materialia & mortalia: motor autem primus ex quo perenniter mouet, immaterialis est: ergo non sunt plures primi motores, neque plures mundi, neque plures intelligentiæ: & conuenit, ait Aphrodisiensis, intellectuales motores motibus perennibus, ac regulatissimis, & quasi artificio miro editis, adscribere.

Rationes Arist. quibus probat Angelos esse, & non plures 55. & beari mouendo falsas, sibique contrarias, & naturæ decretis, esse, satis patere.

ARTIC. IIII.

AT, hanc Arist. sententiam non semel inanem esse ostendimus, quoniam falsum est omnino fundamentum eius; omne, scilicet, quod mouetur, ab alio distincto, separatoque motore moueri. Hoc enim est verum de motibus artificialibus, vt ædificatio, & doctrina, & de violentis, vt proiectio ex toto, vel ex parte vt vectatio; de naturalibus vero falsum, quoniam ipsemet ponit naturam esse principium motus intrinsecum, hoc est, ipsam formam. Et patet ignem à se moueri; & frigus & calorem longè magis: & grauia, & leuia à seipsis, & non à generantibus, nisi motu generationis, sed à suis formis: vt Scotus, & Telesius, & Seneca, & D. Thom. sæpè, & quilibet sensu non priuatus contra Aristot. clamant: motus autem cœli naturalis est, ergo à propria forma. Sed ait Auer. eius forma est intelligentia, quoniam animatum est, & ita docet Arist. bis. Sed alij Peripatetici hoc negant, & Aristot. in 8. Physicorum, dum probat, omne quod mouetur, à separato moueri motore: hoc ostendit in violentis, & naturalibus, & animatis: in quibus anima (ait) insidet, sicut nauta naui, qui est separatus motor: & licet sibi contradicat in libr. 2. de Anima, vbi ipsam facit formam corporis, vt solet, secum pugnans, tamen vt præsentem tueatur positionem de separato motore, hic ita loquitur: ergo Auer. malè sentit de Anima cœli informante iuxta Arist. Sed sit naturalis ab informante causa: non tamen rectè probant esse motum cœli æternum, vt in præsenti libro ostendimus. Et posito, quod

quod motus sit æternus, non tamen iste motus cæli, sed agitatio rerum & systematum sibi succedentium & non eodem tenore.

Præterea neque motus cæli, qualis nunc est, videtur intelligentiis tribuendus iuxta Arist. dogma vt enim paulo ante probauimus, ipse hoc non potest asserere, quoniam ponit orbes reluctantes aliis orbibus, ne transgrediantur metam, vtque qui in latitudinem mouet Angelus, non moueat vsque ad polos, habet alium Angelum reluctantem: & ne motus superiorum inferioribus communicentur, dat vnicuique astro delato à quatuor Angelis, tres Angelos reluctantes: vbi nimirum contra inuicem pugnant, & contra Deum, quem imitari fingit Arist. & quidem si Angeli mouerent orbes, & rationali motu, non indigerent reluctantibus neque multitudine: quilibet enim sufficeret ad suum mouendum astrum, & cum ad terminum latitudinis peruenit, reflectere motum, si ratione non caret. Item, sequeretur infœlicitas Angelorum mouentium reuoluentes: quos dum conantur mouere, non possunt. Stant enim superiorum vi. Item, stultè assumit fœlicitatem Angelorum esse in mouere, sed potius in contemplatione ponenda erat & in otio. Nam ipse in contemplatione ibidem ponit summum bonum, & in 2. Ethic. Quapropter non quot differentiæ motus sunt in astris, erunt tot Angeli, sed quot sunt contemplandi gradus: item cum multa supra naturam fiant in inferioribus, & ipsa rerum formatio mirifici artificij, elementis stupidis, & suæ amplificationis gratia tantum agentibus, non sit committenda, debuisset Angelos adhibere alios præter motores orbium. Quod non modo Plato, sed Auicenna, & Afrodiseus eius sequaces agnouerunt esse necessarium. Illud assertũ falsum est, quod semper mouens sit actus separatus. Calor enim ignis semper mouet, & tamen est actus in materia: sicut frigus terræ semper immobilitans, est actus materiæ:

Præterea neque omne expers materiæ est intellectuale: nam locus immaterialis est & non est Angelus. vltima quoque consequentia est inanis: si enim sunt plures mundi, & plures primi motores, non sequitur quod sint propterea materiales, quoniam differunt numero: non enim sola materia facit differre numero, sed omnis singularitas, & distinctio Entis ab Ente: & quidem ipse ponit plures Angelos distinctos numero, & non per materiam: nisi qui ponat Angelos ab orbibus indiuiduari, & esse animas informantes, laboribus Sisiphi alligatas, conatibus & reluctationibus vanis: & similiter Deum: quod est impium & impossibile, vt in secunda Parte ostendimus. At si quis dicat, Angelos differre specie, quia carent materia, vt D. Thomas, idem dicimus de motoribus mundorum: sed ex præcedentibus satis liquet, Arist. perperam de intelligentiis sentire. Quod autem addit Aphrod. inane est: nam ad sempiternitatem motus requiritur mouens intrinsecum naturale, cuius vita sit motus: & non adsistens separatum: similiter ad regularitatem: separatus enim motor vt vult & non vt potest, mouet: vel vt cogitur: natura vero semper eodem ritu: sed & hoc falsum esse videmus ex anomaliis cælestium. Quapropter si motores separati cælo tribuendi sunt, non quidẽ ad motum edendum: cui sufficit, & debetur naturalis forma: sed ad regulandum: sicut ad calefaciendam carnem non requiritur cocus sed ignis, ad sic vero calefaciendum, quod sit assatio congruens cibo humano, Coquus adsciscitur.

Positio Platonis, quod sint multitudine innumerabiles Angeli seruientes Deo in mundo superiori, & inferiori, & in corporum formatione, & Heroas.

ARTIC. V.

PLATO autem consideratis mirabilibus effectibus rerum, qui formis naturalibus tribui non possunt omnes, posuit virtutes intellectuales, quas Angelos vocamus, multiplices. Alios, scilicet, qui ministrent Deo in rerum formatione, & creatione: alios, qui cælestia, & aërea curent: alios vero qui inferiora, quos vocat Dæmones. Quorum alios sapientiores & benigniores; alios vero ignobiliores esse putat. Et propterea addit Heroes, hoc est animas hominum illustrissimorum translatos inter diuos. Hoc autem probat ex consensu omnium Nationum, & ex eo, quod opera Naturæ indigent illis: & quia decebat præter corporalia, extare incorporea entia, Deo similiora. Putat etiam in Timeo, omnia quæ à Deo immediatè fiunt, esse immortalia, tanquam ab immortali, æternoque, & ideo oportere esse alios factores à Deo factos, qui mortalia entia faciant. Quapropter introducit Deum, facientem Animam hominis immortalem, & Mundum immortalem, & Angelos immortales: ipsos vero Angelos, quos Deos vocat, fecisse, ait, corpus humanum, dicente Deo, ne fortè si ab eo fieret, immortale esset: & tunc Angelos mutuatas particulas elementares à mundo corporeo constituisse corpus humanum reddendum mundo, à quo acceperant mutuo: & ideo in Axiocho ait, quod nisi maturius vitam corpoream mundo reddamus, astans supra caput natura, tanquam fœnerator exposcit vsuram, ab aliis dentes, ab aliis oculos, sæpe auditum: & senes interdum bis pueros facit.

Videtur Apuleio, & Porphyrio posuisse Angelos corporeos, quibus tenuissima aërea adaptauerint corpora: quod Philo etiam arbitratur: vnde & stellas vocat purissimas mentes visibiles, domicilia aliarum mentium inuisibilium. Augustinus vero sæpissimè Angelos corporeos facit, & non opinando tantum: sicut & Origenes, & Lactantius, & Basilius, & Damascenus, & Hilarius: qui non recipiunt glosam, Chrysostomus vero & Cyrillus & Dionysius & Thomas, incorporeos: D. Bernardus vtrumque possibile asserit, de quibus postea.

Platonis sententia approbatur. Nec à diuo Thoma, nec à diuo Chrysostomo reiici, sed posse formationes corporum illis tribui, & prouidentiam inferiorum, non autoritatiuam, sed excutiuam.

ARTICVLVS VI.

QVONIAM Plato experientiæ, & omnium Gentium fidei innixus rectè sentit de Angelis, non video quid in eis improbare possim. Nisi quod sanctus Chrysostomus non rectè dictum putat, ab Angelis hominem esse factum. Et diuus Thomas, non rectè prouidentiam Angelis dedisse, putat: quoniam Deus immediatè prouidet omnibus, formas quoque corporum ab eis immaterialibus fieri non posse contendit. Verum Chrysostomus hoc dicit contra Hæreticos, qui hominis creationem Angelis tribuunt: & Deum ad Angelos dixisse putant. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, & non potius. S. Monotriadis ad se esse sermonem. Quod autem Adæ corpus Angelorum ministerio potuerit construi, testis est S. Augustinus, & D. Thomas in p. p.q.91. Nec quia formas ab Angelis manare negat, Angeli formare non possint. Nam & faber dat ferro formam gladij: cur ergo Angelus non possit formam nasi & pedis conficere? manifestè etiam ranæ fiunt ex guttis aquæ cadentibus in puluerem, vbi agens naturale vniuocum non adest: non ergo est verum, quod à tali agente solo potest fieri Ens naturale. Sed D. Thomas loquitur de forma substantiali: quam constat esse in seminibus elementaribus, & de actiuis calore & frigore præexistentibus, non de formatione corporis, quæ ab arte exteriori, & interiori fit. Angeli etiam non excogitant formas rerum, sed iuxta ideas diuinas eos conficiunt.

Idcirco, rectè Plato ex elementis mundi ad ideam Dei Angelos corpora formare, & non ex seipsis formas elicere docuit. Et potius argumenta diui Thomæ sunt contra Auicen. qui alias formas substantiales Aristotelico more ponit ex Colcodea effluere, quod est impossibile. Non enim Coquus assat carnes, sed ignis. Quod autem quæ immediatè à Deo sint, sunt æterna, difficultatem habet: quoniam Deus non agit quantum potest, sed quantum vult. Ergo potest velle dare esse aliquando, quod non resistat contrariis in sempiternum.

Idcirco Iustinus negat, Deum esse idem cum sua actione exteriori: ne facta ab eo sint æterna & ingenita. Plato autem loquitur ex quadam congruentia, & verisimilitudine, sicut in principio testatur. Quod autem negat Angelis prouidentiam diuus Thomas, sed tantummodo executionem prouidentiæ in 3. contra Gent. aduersus Platonem, ex eo quod Deus singularia quoque curat, non videtur legisse Platonem, & ipse fatetur ex Nysseno hoc didicisse. Plato enim in lib. de Rep. & in Dial. de Legibus inquit. *Quanto nobilior artifex, tanto exquisitius vna, & eadem arte magna simul & parua curat: Deus ergo qui curare vult & potest, nunquid magna curabit, & parua contemnet? absit*, &c. *similis enim esset fucis.* Quapropter vsque ad singularia, & minima, & infima extendit Plato prouidentiam Dei: Angelis vero dat executionem prouidentiæ. At, ne videamur tanqnam creduli, vt exprobat Auer. pater Machiauellistarum, Angelos posuisse, ad rationes descendamus.

Angelos extare, ac Dæmones probatur rationibus, experimentis, testibus, & authoritatibus, & consensu omnium Nationum.

CAP. II.

DEMONSTRATVM est quidem in superioribus sermonibus, primum Ens extare potentissimum, sapientissimum, & amorosissimum, immensum, & infinitum: Natura ergo corporea distat ab eo propè in infinitum: terminis enim suis clauditur omnis corporeitas. Similiter & formæ corporales à corporibus afficiuntur, limitantur, & quasi à suo esse deiiciuntur. Ergo côueniens est, quod sint aliquæ creaturæ incorporeæ diuinitatem primi Entis plus participantes & tanta limitatione carentes. Agens enim omne agit sibi simile quantum potest, aut decet. Deus autem potest: & decens videtur quod res sibi similiores faciat, quam ista sunt sensibilia. Ergo sunt virtutes intellectuales separatæ, vt Dei similitudinem repræsentent in essentia.

1\. Item anima humana corpori inclusa intelligit infinitè: & quod si esset extra corpus plura posset scire; dantur ergo intellectus extra corpus. Potestas quoque rerum fragilis attestatur alias potestates viuidiores à summa potestate factas oportu sse. Sapientia quoque idem clamat.

2\. 3. Cum enim lapides & plantæ exili obscurissimoque donati sint sensu: animalia vero quasi stulta sint, solo impetu primæ sensationis, parum discurrendo, & intelligendo minimum operantia: elementa autem propriam modo amplificationem intendentia: conuenit, alias res sapientiores esse à prima sapientia ortas, Deo viciniores. Præterea 4

cum res inferiores in multis indigeant Duce, habeant oportet Duces. Amor quoque res ex his, & propriam modo conseruationem intendentium, approbat dari essentias amorosas longè magis quam corporea Entia: & quæ alienas curent vitas, & bonum. Decet quoque bonitatem Dei, si corporibus non est limitata, fecisse res meliores istis sensibilibus.

Idem probatur ab effectibus. Formatio enim rerum naturalium, licet à propria Natura procedat: ipsa tamen Natura stupida est, & formationis ignara: quoniam intra opacam materiam agit, non intelligens modum agendi, sed actionem tantum. Veluti ignis non intendit emollire ferrum, vt inde fiat gladius, sed attenuare, & facere ignem: similiter nec assare carnes in cibum hominis, sed vrere. Faber autem & Coquus vtuntur igne in modificatione ad opificium. Cum ergo elementa non intendunt facere, & conseruare lapides, & metalla, & plantas, & cometas, & animalia, & pluuias ad generationem frugum: & fulmina ad demoliendas turres, & cometas ad significandum, & homines ad cultum Dei. Consequens est, vt ad talem finem modificentur ipsorum vires, & assistentia numinum diuinorum. Vnde rectissimè sanctus Augustinus omnia Naturæ opera attribuit Angelis, & ipsi Peripatetici coacti, dicunt opus Naturæ esse Intelligentiæ, non errantis. Nec dicas ab inuicem elementa modificari pugnando: nam modificantur quidem, sed non ad finem, & opus alienum artificiosè. Adsistunt ergo Angeli vtentes viribus elementorum, sicuti coqui, & fabri ad exprimendas diuinas ideas in opificio, ex elementis facto: Non ergo dant formam, sed formationem iuxta formam à Deo exhibitam. Similiter etiam quando homo generat hominem, nescit formare corpus hominis, neque nunc post multas inspectas anatomias: neque ipsa anima intelligit quibus partibus constent & qualiter fiunt ossa, & distinguantur, & nerui super extendantur & carnibus vestiantur, & ad motus aptentur. Nam neque nunc scit anima nostra, quomodo ipsa coquit cibum in stomacho, & distribuit sanguinem in iecore, & ad omnes partes corporis particulas cibi similes transmittit. Ergo adsistunt Angeli. Ipsa enim natura hoc non intelligit, sed quasi cæca, vel in obscuro operatur sub Duce: calor quidem facit calorem, & simile simile: sed ita & nunc & sapienter & ad finem, minimè, nisi instrumentaliter: vnde rectè dixit D. Thomas, omne agens vniuocum esse tantum causam in fieri, & non in esse: & quid dicet de his, quæ non fiunt à similibus, vt ranæ & mures? Habent (ait) aliquid simile à virtute cæli. Sed virtus cæli est ipse calor. Concinnatio autem ad hoc animal, si casu non est, ab intelligentia est: vnde patet, homines esse sicut fiscellas & formulas, in quibus Angeli præparant semen, vt faber ferrum in igne: deinde voluptate emungitur homo ad opus, quod ipse nescit facere, sed alius faber, qui ad ranæ formationem faciliorem non indiget fiscella. Sed inquis, posito quod ab intelligentia sint naturæ opera, debent Deo tribui potius, vel animæ mundi & non Angelis. Nos autem in 2 Par. ostendimus, Deum operari immediatè in nobis, sed tamen adhibere secundas causas propter modificationem suæ virtutis in rebus, & propter dignitatem suam, & propter bonitatem, qua facit non modo Entia, sed illis causationem tribuit vtque res mutuo se iuuent & prosequentur amore. Si enim Deus faceret hominem absque patre, non nutriret ipsum pater & mater, vel parum curaret: & sic omnium Entium colligatio dissolueretur.

Quapropter, vt rerum curam gerant Angeli, comparticipes eos facit causationis rerum. De Anima Mundi diximus, quod ipsa est ad curam totius, non particularum, nisi vt in toto. Et sicut Anima hominis curat totum corpus, non autem vermes, qui in ventre generantur, neque pediculos in capite oriundos, sed à propria Anima bestiolæ istæ animantur, & reguntur insuper & Numine. Sic Mundus totus propria regitur Anima: particulæ autem ab intellectibus à Deo distributis ad curam rerum: sed ais. Sufficeret vnus intellectus ad hæc omnia, & Auic. & Alexand. videtur.

Respond. Minimè. Quoniam res sunt diuersæ inter se, & contrariæ, & particulares, non totum, ideo peculiaribus indigent Rectoribus, & hoc decet Dei prouidentiam respectu rerum prouisarum, & Angelorum honorandorum præfectura, & causatione, etiam si sufficeret colchodea.

Præterea, multæ fiunt in homines inspirationes, & intellectiones, & volitiones de rebus nunquam cogitatis: & quædam manuductiones super cogitatis, vt in Columbi animo ad inueniendum nouum orbem. Ergo oportet esse Numen, hæc inspirans, & nobiscum communicans: & quoniam sunt diuersæ simul in diuersis inspirationes, & sæpè contrariæ, bonæ, prauæ, oportet esse plures intelligentias exteriores, & secum pugnantes: quas Theologi bonos & malos vocant Angelos.

Præterea, sunt manifestæ apparitiones Angelorum in corporibus apparentibus factæ, & subito aut mox apparentium, tam bonorum, quam malorum. Et hoc testantur hominum optimi & doctissimi, non opinando, sed testificando. Igitur nullo pacto negandi sunt, quoniam neque decepti, neque deceptores sunt ipsorum testes, vt Antonius Magnus, sanctus Bernardus, sanctus Dominicus, sanctus Paulus Apostolus, Moyses, Iosue, sanctus Petrus Apostolus. Adsunt testimonia quoque Ethnicorum, vt Plutarchus, qui vocat eos genios bonos, & malos, experientia ductus, & Bruti, & Socratis, & Stoicorum & Platonicorum, & Zoroastri testimoniis multis. Item, Porhyrius sæpè Dæmonibus illusus, Apuleius, & Plotinus: & Trismegistus: & Oracula publica Dæmonum in Delpho. Quæ si quis neget, se quoque esse in mundo neget, aut Romam, quam non videt ipse.

Sunt quoque commertia inter homines & Angelos, & dæmones, cuius veritatem cum diu quidam doctissimi quæritassent, nec quippiam videre potuissent, sicut Plinius de Nerone affirmat, quod in hoc suæ curiositati non potuit satisfacere. Tandem ex Themate cœli in Genesi cuiusdam (quod hic nolo ponere, ne alij cõsimiliter illudãtur.) Coniecerunt iuuenem ex tali dispositione visurum Numina: qui instructus vt Angelos in stellis inuocaret, cœpit videre multos singulis noctibus, qui dabãt responsa de omnibus, partim Prosa, partim Carmine, cũ ille expers literarum esset, & de rebus arduis responderunt, & de mutationibus Rerump. & Regnorum, & de quæstionibus multis: mihique seorsum degenti miserunt oracula viri illi. Ergo præ lætitia, & pro gratia tanti experimenti plorabam. Nondum enim experti fueramus Sathanæ artes: nec intelligebamus quod fingit se constellatio-

nibus ligari ad fallendum, vt docet Origenes, & ſanctus Thomas. At ſtupebam expectans euentum, & ille puer mutatus eſt in virum alterum. Cumque commercium ſequeretur, cœpi dubitare an eſſet Diabolus, quoniam quædam dubia, & falſa veris miſta cœpit dicere, & reuelauit nobis inſidias inimicorum, & non potuimus euadere, quoniam per cifram cœpit loqui. Quid plura? promiſit ſigna de cælo, & miracula, & plurima bona illis fallaciter, vt teneret eos in credulitate, prædixitque mala, quæ vtinam non vera fuiſſent. Tandem cum intelligeret me de ipſius diuinitate dubitare, ac illos monere ne vltra deciperentur, ſeparauit nos dolis multis, quos longum eſſet retexere, & iuuenem ad perditionem & violētam mortem perduxit. Mihi quoque in tribulationibus cōparuit, nō ſemel vario vultu & horribili neſcio quis, & fugatur Dei nomine. Et cū aliquid inſtat mali, nomine proprio cōpellat inter ſomniū & vigiliā, ſicuti Socratē & Brutum ſuus Genius; & S. Raymundum & alios Cuſtos Angelus: quorum hiſtorias veras ab ipſis, quibus iſta contingunt, habeo. item à Dæmone quoſdam in lecto affligi, quem tangunt & vident formis variis, non eſt dubitandum, quidquid obloquantur Athei, SS. Dominicus, & Martinus, & Bernard. & Raym. & Cater. & alij ſanctiſſimi & doctiſſimi narrant ſe vidiſſe Angelos, & Diabolos, colloquutos eſſe: ſimiliter & Gentiles. Cur Ariſtotelicis, impiis, & Epic. credamus? Quapropter rectè noui à viris non deceptis, nec deceptoribus exiſtere Angelos prauos, quos ego fugaui diuina inuocatione non ſemel, & perſecutionem paſſus ab eis, mox conſolationes à Deo mirificas accepi, ſicut dixi in 2. Parte, vnde arbitror ſtultum eſſe dubitare de abſtractis Numinibus, quamuis aliis in pœnā, aliis in leuamen, aliaue de cauſa etiā inuocati nō appareāt.

Preterea, puellæ & vetulæ demonoplexia affectæ, & homines omnis generis, quos diligēter exploraui, viſuntur loquentes lingua peregrina, pangentes carmina, & multa diuinantes: quæ natura tribui non poſſunt. Et quod Ariſt. in Probl. ſect. 30. dicit à melancholia id effici, & ſimiliter Gal. de morbis vulgar. omnino falsū eſt. Melācholia n. humor teter eſt, qui nō poteſt niſi horrorē & metū ſua fuligine, intra ſpiritū exhalante, incutere: ſed diuinare & prophetare, & loqui metrice nō poteſt eſſe ab atrabili, vt aiunt: neq; à calore, licet ſenſitiuo ſecundum nos ac Teleſiū, & intellectiuo & diuinatiuo, ſecundū Hippoc. calor enim ſentit calorem ſimilem, & frigus contrarium, & materiam ſuam ſedem: & tota eius intentio eſt ſui amplificatio. Sed tractare de regnis hominū, & reſpondere de quæſtionib. Phyſicis & Metaphy. & de rebus cæli, & ſtatibus rerum, quos ipſe nō pertingit, niſi ex notificatione Numinis, non eſt caloris munus, vt putat Hippoc. ſicut nō eſt ignis dicere, quod ex ferro, quod ipſe emollit, fiet enſis, & occidet. Et ex cibo, quem ipſe coquit, fiet Regi prandium venenoſum. Hæc enim pertinent ad ordinem fatalem, excedentia actionem Naturæ, & non niſi ab intellectuali ſubſtantia, multa ſimul cōferente, ſciri fieriq; poſsūt. Poteſt quidē atrabilis eſſe ſignū caloris multi, & tenuis ſpiritus, apti ad prophetiā naturalē, qualis ineſt brutis: quæ ex pauca præparatione pluuiæ affecta, prædicunt pluuias. Sed prophetare de his, quæ ad vitam aliā poſt mortem pertinent, & ex humanis diuina pernoſſe, & quæ diu urna, poſt tempora accidunt & nominatim ſicut Iſaias, nonniſi abſtractarum intelligentiarum eſſe videtur: vnde homo ab eis inſpiratur: forma enim corporis extra corpus, & corporea, ſibi conuenientia, non eleuatur. Nec negem conferentiam ſubobſcuram multorum in calido ſpiritu participatiuè fieri, vt patet in Syllogiſmo ſenſitiuo, ex participio primalitatum: ſed non eorum, quæ excedunt tam eminenter.

Præterea exorciſmo, coacti Diaboli dicunt multa ignota; & expelluntur adſtricti dare ſignum inditūm: & pulſant campanam, extinguunt lampades, aliaque faciunt, valdè cogentia credere quod ſint, & operentur mala contra homines. Ego loquor expertus meis & aliorum ſenſibus. Quamuis fraus nebulonum fingentium demonoplexiam interdum deprehendatur.

Præterea in ſomnis tam mirabilia nobis ſæpè præſentantur, quæ nullum ordinem habent cum rebus cogitatis: & futura prænunciātur, & præterita multa, & quæ inſtant: vt Ioſepho, Pharaoni, Danieli, Nabuchodonoſor: & aliis. Mihi etiā ſępè pręter admirabiles in vigilia alienationes, quas non niſi ab externis intellectibus fieri oportet, & quia ſunt varia inſomnia, & bona & mala, exiſtimandum, eſſe plures Angelos, & bonos & malos.

Præterea, ſacræ literæ hæc & omnia confirmant, & leges omnium nationum: & ſacra & præclariores Pophetæ, & viri ſancti non decepti, nec deceptores, id confirmant. Qui autem irrident omnes: irridentur ab omnibus. Agrippa Magus contradicit inſidioſè, probatque nihil. De his infra iterum.

VTRVM ANGELI SINT CORPOREI, *ſententiæ Theologorum, & Philoſophorum variæ.*

CAP. III. ART. I.

QVONIAM ex his, quæ in mundo fiunt artificioſè ab elementis, ea non intendentibus, extare intelligentias didicimus, de ipſarum ſubſtantia, poteſtate, ſapientia & amore, dicendum reſtat. Videntur quidem Philoni Platonem ſecuto, corporei eſſe Angeli, idem ſentit Origenes, & Baſilius, Caſſianus, Damaſcenus, Lactantius, & aliquando Caietanus, & Hilarius, & in Concilio Ephes. 2. Ioannes Theſſalonicenſis putat, conſtare ex corpore aëreo, igneoque, prout Dauid ait: *Qui facis Angelos ſpiritus & ignem vrentem*, & Athanaſius, & Metodius ſuffragantes allegantur. Hilarius autem id probat, quia omne creatum in aliquo receptum eſt. Et tandem Auguſtinus in mille locis hanc ſententiam adſtruit, putatque cum Græcis nil incorporeum excepto Deo. Angelis autem tenuiſſima ineſſe corpora, & immortalia, quoniam conſtant ex igne, & aëre actiuis elementis, non autem ex humo & humore paſſibilibus, vt dicit in libro de diuinat.

Idem Mahometus quoque in Alcorano docet Angelos ex igne, homines ex luto creatos. & Hierony. interdum sydera esse spiritus Angelicos corporatos docet, cum Origene. At contra hos opponuntur Dionysius, & Cyrillus, & Chrysost. quos sequitur totus Scolasticorum Theologorum Chorus duce Thoma. Bernardus autem sub dubio relinquit, vtrũ corpora sint Angelis adnata, vel ad tẽpus suscipiantur, & deponantur. Nam palam est hominibus apparere corporaliter, vt profani & sacri Scriptores testantur, & experientia quotidiana. Nam & cum mulieribus coire certis experimentis scimus plurimis; & nuperrimo vno apud Terrauanum Calabriæ: vnde inaniter Agrippa irridet Augustinum, & Bernardi historiam: testes autem opinantibus præferendi sunt, vt dictum est.

Neque essentiam, neque potentiam, neque sapientiam, neque amorem, neque operationes exteriores Angeli, suadere nobis corporeum esse Angelum, vel propter se corpore indigere, sed tantum propter nos: potiusque incorporeum esse ex his probari.

ARTIC. II.

NON quidem videtur vera positio illa, omne creatum esse corporeum; Nã lux & calor, & frigus, & spatium incorporea sunt, hoc est immaterialia. Nec illa, omne quod fit, in aliquo recipi. Nam spatium ipsum in nihilo corporaliter receptum est, nisi in Mentali mundo vt priori. Quapropter si Angeli sunt creati à Deo, non statim corporei sunt: nec virtutes in corpore. Vt autem hoc intelligamus, hoc principium apponendum est. Vel Angelos indigere corpore, vt possint esse, & operari, vel vt intelligãt. Non quidem vt sint, quoniam multa incorporea sunt: neque vt subsistant, sicut calor & frigus, qui indigent subiecta materia: Nam posuimus, spatium subsistere, & non in materia, quin præstare materiei existentiam. sed vtrum indigeant spatio, vt existant, an vt operentur, cum non indigeant vt sint, an ipsum præueniant, hoc difficile intelligo. Si enim non indigent, præueniunt. Ergo ambiunt spatium, & sunt vbique locorum. At Theologi docent Angelum nõ esse vbique; sed qui est in Cælo, non esse in terra, quod operationes eorum declarant; Non enim simul possunt operari, illic & hic, alioquin vnus sufficeret Angelus, ergo à spatio præueniuntur, eoque indigent, non quidem sicut calor indiget corpore, vt existat, neque sicut corpus spatio, sed alio modo eminentiori, à nobis vix intelligibi secundum operationem ipsius Angeli in corpora locata. Siquidem calor diget corpore, vt sit: eiusque essentia istius essentiæ innititur: corpus autem indiget spatio vt basi intima: & licet non deferat secum spatium, tamen semper à spatio penetratur interius, & in eo fundatur. Angelus autem non penetratur si incorporeus est, sed tantum modo coexistit spatio, & quasi limitatur. Non quia spatium ei præstat limites: sed quia virtus Angeli ita est limitata, vt totum spatium non occupet, sed partem eius. Nos autem eius essentiam non intelligimus, qui corporalia tantum nouimus, sed lux declarat aliquid. Videmus enim, ipsam per aerem expandi, & aëre nõn indigere. Nam cum aër moueatur à vento, ipsa tamen eadem permanent, & sequitur Solis motum; similiter radius influuio perseuerat, aqua præter labente: Item neq; vt seipsum moueat, indiget corporeitate, Angelus. Nam lux ipsa incorporea sese effundit, mouetque, & applicando virtutem peragit motum Metaphysicum; licet Physicus sit, ad exteriora, quæ mouet, collatus. Neque indiget, vt intelligat. Nam ostendimus corpulentiora esse minus cognoscitiua, quàm tenuiora, & calorem plus sentire, quàm corpus, si ergo scientia indiget corpore, lapides, & metalla grauiora plus sentirent: quæ è contra potius impediunt sensus vigorem. Neque vt ament. Amor. n. fertur in rem cognitam, ergo maior est in eo, qui plus cognoscit: ergo maior in incorporeis. Videntur ergo corporea potius esse impedimento, quo ad se: Idcirco arbitror, Dæmonibus impuris inesse corpora tanquam carceres cohibentes vires, & sapientiam & voluntatem eorum; & in hoc sentit rectè Origenus, & deceptus est Psellus, putans corpora innata esse Angelis, à dæmonibus delusus. Angelis verò puris, minimè, nisi vbi ea adsumunt ad munus aliquod explendum erga nos, quorum gratia cum corporei simus, corpore indigent ad communicandum nobiscum. sed Naturam ipsorum esse incorpoream vt Dionysius docet, necessarium videtur, cum ex ordine rerum, & ex vniuersi perfectione: tum quia, cur corporei sint, nulla est ratio. Quod verò aiunt ex operationibus id patere, non intelligo. Si enim cum mulieribus cõcumbunt, & apparent nobis, & mouẽt corpora, hoc nequeunt facere, nisi per instrumentum solidum durumque, quod reluctantibus minimè cedat, alioquin nec mouere, nec impetum facere possent; corpus autem aëreum, igneumque, tenuissimum est, ergo cedit tangentibus: quomodo ergo impellunt? Nec enim anima nostra, si aëreum haberet corpus, posset illius ope fodere parietem, impellere vterum, perforare, lapides prensare & iaculari: licet enim aër, & ignis actiuæ res sint, tamen non ratione corporeitatis, sed caloris, & vis inditæ: calor autem hæc non facit, nisi plurimus sit, cohibitusque, vt in cuniculis puluere accenso patet, & in bombardis: & in stellis, quas gyro fert. At si tantus esset in corpore Angelico, vreret quæcunque tangeret. Vis autem ventorum non magis est à calore, quàm à potentia vitali effugiente mortem. Potentia autem præuenit calorem: ventus autem ita motus non potest esse corpus angelicum: quia irrationabiliter operaretur. At si dicas, vim esse in Angelo mouendi, & sistendi: corpus autem esse mollem aërem, tunc calor ille igneus abesset, & vis Angeli, licet multa, non faceret penetrationem, ceu res dura in duram. Præterea quantumuis condensetur aër, nunquam tamen duritiem accipit, nisi in

aquam constipetur & in glaciem : ignem autem condensare quis posset, nisi in ferro ignito duroque receptum ? Præterea si igneæ esset Naturæ corpus Angelicum, non posset deorsum venire, sicuti nec nos sursum, nisi violenter : sed dato quod ab Angeli vi detrudatur ; tunc quando intra mare, & fluuios penetraret, & in terram, extingueretur, & à frigore pateretur. Quæ omnia videntur absurda ad aures hominum sentientes quid altius de eis. Præterea si corporei sunt Angeli, pertinent ad nostram rerum vniuersitatem. Non erunt alterius Mundi, & diuinioris vniuersitatis, sicut dicebat idem Basilius magnus. ex cuius sententia, quæ præclarissimorum est Philosophorum, infero alterius ordinis esse Angelos, & extra prædicamentum nostrum; neque enim communicant nobiscum in materiali genere ; sed operari ad præceptum Dei in nostro Mundo quæcunque faciunt, & ratione nostri modo Mundi corporibus adsumptis indigere.

Ignotam esse rationem nobis, qua Angelus corpus sibi adaptat, sed tamen in corpore apparere, & operari, verissimum esse; nec posse propter opinionem negari experientiam.

ARTIC. III.

AT & hoc intelligere vix possumus; si enim adsumunt corpora terrea vel aquea, quomodo subito disparēt; si ignea, quare non vrunt; si aërea, quomodo ea figurant, & colorant? dicunt aërem, vbi condensatur, figurari & colorari, vt nubes declarant. Sed quomodo ipsum indurant, & quibus retinaculis retinent partes corporis in suo situ, vt nares eleuatos, oculos conglobatos, capillos eminentes, & pudendum erectum, & semine refertum ? & vnde durities in corpore ? Non enim aër ligneum ossum continere intra se posset, neque aliud simile. Fumus quoque & aër condensatus fit aqua: quomodo ergo stat in membris Angeli, vel dæmonis ? Fateor quidem hæc intelligi non posse, neque ab aliquo Theologorum declarata inueni : sed omnes aiunt diuina potentia id effici : quod solemus respondere ad ea, quorum Physiologismum ignoramus. Adduci posset vapor, fumus, terraque, in quorum mistura imitentur Naturam. Sed non satis euadimus difficultates. Sagæ dicunt sub certis ventis & Lunæ afflatibus : qui tamen à nobis non capiuntur. Sunt enim Angeli opifices, sed per influxus magnos, & naturę vires : vide Theologica. Rabbi vero Moyses negat has apparitiones, & putat imaginarias esse, quales freneticis vigilantibus: sic & Agrippa defensor lamiarum. Sed falluntur, quoniam non dormientibus, neque vigilantibus dementatis, sed sobriis, visuntur Angeli in corporibus, & colloquuntur & cooperantur, vt Literæ sacrę passim docent, & sanctorum Patrum conuersatio : & lamiarum itinera, & gentilium deorum qui Dæmones erant, apparitiones, & sermones coram multis: & S. Bernardus Ambiani publice expulit Dæmonem, qui septem annos mulierem turpiter subagitauit, palàm. Adsumunt ergo corpora, & fiunt (vt nuper accidit Terranouæ) succubi maribus, à quibus excipiunt semen, quod fœminis infundunt facti incubi per inuersionem genitalis. Fateor plurimas interuenisse illusiones, & ostentationes per nubem condensatam, & sæpè fœminas, vnctas fumosis vnguentis dormitare, & in somnis imaginaria itinera Dæmonis arte præsentata, obire. Sed quod corporaliter, quandoque eant, hoc experientiæ tot docēt, vt si quis eas neget, omnes historias neget, & testimonia : sed quidem aliquando eleuant nos ad se, cum secundum animam multa videre in raptu nos faciunt : aliquando condescendunt nobis, cum corpus induunt, & corporaliter conuersantur. Quapropter Dæmones impuri, qui corpore retinentur, aliud super induunt corpus ad opera quædam exercenda. Dicimus ergo hæc ita esse : sed qua ratione, ignorari. Ars enim superiorum intellectuum ab inferioribus non percipitur. Impossibile videbatur Americanis, quod charta loqueretur, & horologia spontaneo sonitu significarent horas. Ars tonandi, & volandi & perpetuandi motum, & quatrandi circulum, impossibil s videtur, & tamen scio hominem, qui hæc ipsa nouit. Neque quibus nodis texit aranea telas, & atomis apes cellas, homo scit. Quapropter quid mirum si nos nescimus quibus retinaculis componant aërem, aliaque sibi Angeli adaptent corpora ? Profecto si semper eadem gestarent, & apparerent eodem modo, vtique naturalia illis inesse fateremur sicut animabus nostris: sed quia non eædem perpetuo adsumunt, & multiformia fiunt; potestate & scientia ea transmutandi ipsos pollere, credendum est, & assumendi, & deponendi pariter. Nec quidem aër vnus videtur sufficere, quādo non adsumunt cadauer, aut animatum corpus alienum, sed & particulas aliorum corporum, & qualitates concaptiuant ; color enim absque luce & fumo variatis non fit ; nec figuræ absque densiusculi mistura, sed de his parce loquendum, quoniam parce intelligimus : Vndè Tertullianus, qui membra animæ, & Angelo dat, repræhenditur à multis : qui tamen nec declarant satis, qua ratione in illis dicantur.

Definitio Angeli examinatur, eius essentia ex Metaphysicis vel modicum attingitur; & materia non vniuoca vt putat Auicebron, sed Analogica donatur, & ratio incorporeitatis eius rationibus probabilioribus fulcitur.

CAPVT IV.

QVONIAM opinamur, Angelos esse incorporeos, non tamen adhuc quid sint intelligimus. Non enim negatio indicat quid sint, sed quid nō sint, quia vero incorporeitas conuenit spatio, & actiuis potestatibus, videlicet calori, & frigori, & Angelus his non est similis, quoniam per se subsistit, & mouetur, quorum primum calori, secundum spatio deest; inquirendum esset quid sit. dicunt plerique esse substantiam incorpoream, intellectualem, incorruptibilem, seu æuiternam. Verùm non videtur substantia dici, nisi analogicè; quia substare est proprium spatio, & corpori materiali: Angelus autem non substat, nisi fortè operationibus suis internis, & illuminationibus diuinis: vt qua ratione recipit dicatur substantia. Nos autem euadentes sophismata, dicimus essentiam: quid autem dicat incorporeitas nemo nouit: sed quid non dicat. Cum vero addunt, intellectualis, putant illum diuidere ab homine rationali, & esse hanc eius differentiam constitutiuum. Sed mox videbimus ratione Angelos non carere. Item quoniam Angelus non modo intelligentia constituitur, sed Potentia & Amore, insufficienter videtur assignari eius definitio per intellectualitatem. Vnde Aristoteles & sequaces falluntur cum Angelos vocant intelligentias, quoniam hoc nomen ab vna tantum parte essentiæ sumptum est. Nisi dicas Angelos per essentiam intellectuales, & eminenter rationales, homines vero è contra per essentiam rationales; participio intellectuales. Quapropter melius Theologi dicunt Angelos propter officium, ad quod requiritur Potestas, Ars, & Amor. De æuiternitate deinde disputabimus, num sequatur essentiam, an Dei prouisionem circa eos. Quapropter quoniam nos corporeitatem Angelis tollimus, ergo & calorem & frigus, & mutationem Physicam, exaltamus eos ad superiorem ordinem Metaphysicum, & non constituimus eos ex elementis Physicis, sed Metaphysicis, quæ sunt Potestas, Sapientia, & Amor: & ex his ipsorum natura examinanda est secundum quod relucet in analogica similitudine Entium nostræ vniuersitatis: cum eam in se intueri non detur.

Quapropter neque ex eo, quod intelligere, & obiectum eius, incorporea sunt, Angelus incorporeus est, vt putant, sed ostendendum hoc erat ex subsistendi potestate: & hoc neque conuincit, cum & animam humanam posse per se subsistere fateamur, & tamen corporis esse formam, sed ex eo, quod vniuersitas rerum exigit ad suam perfectionem, vt veluti sint potentes subsistere, subsistant. Subsistere enim est suo actui substare suisque accidentibus. Ergo corpora propter finem à superiori causa intentum apta eis fuisse. Vnde Origenes culpæ id tribuit, alij exercitio, alij ministerio. Voluit enim Deus vt sibi in corporibus ministrarent. Sed quacunque ratione corporibus immittuntur, æquum est, vt quidam Deo ministrent extra corpora. Non enim omnis Entitas corporalis est. Et cum Deus sit incorporeus, plura incorporea, quam corporea Entia fecisse, existimandus est. Illud etiam hic adnotandum est cōtra Auicebron, qui opinatur, Angelos materiam habere sine quantitate. Et quidem si materia est pura potentia patiendi, Angelis non est deneganda, ipsi enim patiuntur recipiendo. At quia nobis materia est corpus ipsum: quantitas verò & limes & mensura eius, idcirco eisdem materiam detrahimus: Alij vero dicentes, quia Angeli plures sunt, & materia non potest esse tota in vno, sed plurificatur in eis. Plurificatio autem est per diuisionem: diuisio verò per corpoream quantitatem: ergo non est tribuenda illis materia incorporea) non videntur cogere Auicebronem: quoniam potentia pura est; ipsum posse recipere, diuisum à Deo gradibus potestatis; posse autem recipere in eis est. Sed quia non potest recipere dimensiones corporeas, & calorem, & frigus, sicuti nostra materia, propterea materiæ identitas nobiscum neganda est Angelis, & solummodo analogicè tribuenda, & subsistentia vocanda. Sed vtrum possit per diuinam virtutem, ipse Deus nouit. At qui vocant stellas Angelos corporatos, id affirmare necesse habent: sed quid plurificet Angelos inferius inquiremus. August. lucem non corporalem Angelis pro materia tribuit, sicut & animabus: quas ex eodem Cratere Plato educit: lucem sensualem spiritui brutorum, sed de his supra.

ANGELVM ESSE IN LOCO, QVIA EST

limitatæ naturæ: non tamen in superficie ambientis, sed forsan in spatio: & locari per limitationem, & declarari per operationem: & quid cum Scoto, & quid cum D. Thoma sentiendum in hoc.

CAP. V. ART. I.

QVONIAM ergo essentia, potens, sapiens & bona est Angelus, præcedens corporeitatem, sed tamen limitata, alioquin esset vbique, videndum est, qua ratione sit in loco & moueatur localiter: vt hinc ex eius existentia innotescat, vel tantillum quidditas. Angelos & diabo-

los & Mentes esse in Mundo mentali, qui est interior & anterior ad Mundum Mathematicum, & corporalem & sensualem, dictum est in lib. 01. p. 2. & Anima nostra omnes istos Mundos intelligendo & appetendo penetrans, & circundans, id ostendit. Nūc autem quærimus quoniam inuicem isti mundi cōplectuntur & compenetrantur, quà ratione Angelus in his post suum Mundum cohabitet, inquirimus. Omnes quidem sentiunt non esse in loco circumscriptiuè, sicut corpus à corpore circumdatur, ita vt partes partibus commensurentur: sed definitiuè, quia ita est hîc quod non alibi: sed esse ita hic quod non alibi, Scotus tribuit substantiæ: D. Thomas operationi, quoniam substantia incorporea nō habet esse hic, neque alibi, si per se subsistit, & in Mentali Mundo: vt autem sit ita hic, id est in nostri Mundi particula, quod non alibi, facit operatio transiens ex Mentalibus incorporalia. Præsentia ergo non situalis, sed agentis ad passum, ordo, & ipsa operatio in passum, denominant Angelum esse in hoc loco, vbi est passum, ita quod non alibi; sed tamen existentia eius in loco non est respectus, qui non potest fundari super substantia incorporea, neque super limitatione eius essentiali, quia hæc est æquiuoca ad limitationem localem: neque super negatione distantiæ à loco, quoniam ipsa nusquam est: præsertim si indiuisibilis est: esse autem nusquam & esse hîc contradictoria sunt. Sed Scotus ait, ablata quantitate ab aqua, quæ est in hoc vase, remanet substantia ita in vase, quod non alibi. Sed Thomistæ aiunt, quod neque ibi, neque alibi reperiretur localiter. Et cum Scotus ait. Angelus immediatè operatur in loco, ergo est ibi. Nam præterea non esset ipse in loco, sed sua operatio. Et esset in toto Cælo quod mouet, & commensuraretur: respondent, quod substantia adest, sed non localiter existēs, sed vt operans, aut patiens. Et quod operatio transiens, vt recepta in alio, potest commensurari: & quod in ea parte Cæli sunt, vnde motus incipit. & quod sunt in Empireo si operantur ibi: sin minus, nusquam D. Thomas verò concedit præsentiam substantiæ vt operantis, & contactus virtutis, & esse in loco, vt continens, non vt contentum, quæ omnia cum examinauerimus iuxta nostra dogmata, non repugnant. Quia enim ipsi Peripatetizando putāt, locum esse superficiem ambientis; quod non ambitur, non est in loco. vnde neque punctus est in loco, nisi quia corpus, cui inhæret est in loco; substātia autem Angeli præuenit corporeitatem, ideo loco circumscribi Aristotelico nequit. definiri quoque loco non potest, quia substantia habet limitem essentialem, non corporalem: sed tamen cum sit in spatio, quod præuenit corpora, est in loco forsan eius ratione: & hoc olfecit Scotus: Nam si substantia Angeli est intra hoc corpus operans, necessario est in loco per se definitiuè: alioquin esset simul in Cælo & vbique, vel nusquam. Quod autem nusquā est circumscriptiuè, & definitiuè, aut est Ens omnia continens, vt Deus, aut basis Entitatis rerum, vt spatium; aut nihil. necessario enim est in hac spatij parte ita, quod non in alia, & quia spatium non agnoscunt scholastici, dum ex parte sequuntur Patres, ex parte Aristotelem, ponunt in loco, & non in loco Angelos. Sed profectò si Angelus est vbi operatur existentia limitata, necessario est definitiuè in loco quod est spatium, non autem in superficie corporis Aristotelica. Cum autem aiunt, quod quia indiuisibile, nusquam est, non potest esse hic, verū est descriptiuè: sed definitiuè est hic ita quod non alibi. Hæc tamen existentia est à corporali diuersa, & præuenit eam: & fundatur super limitatione naturæ, & indigentia essendi cum aliis. Si enim non esset spatium, neque Mundus, neque Deus, non posset Angelus subsistere. Sed posito Deo, & ablato spatio, & corporibus, fortè dicet quis, neque Angelus subsisteret, nisi in Deo idealiter. quod tamen non audeo affirmare, sed enim hic esset Deus. Sed insuper vt ideatus videtur esse, ex quo creatus est, & existentiam sortitus in Mundo mentali supra Mathematicum, & infra Archetypum, quo Deus portat verbo virtutis suæ omnia, teste Paulo. Sed etiam Hilarij ratio hoc fortè intendebat, quod nihil fit nisi in alio recipiatur. Sed sublatis corporibus, subsistit Angelus, & beata Entia melius fortè quam positis. Diximus autem corpora locari in spatio penetrante & penetrato: Angelus verò non nisi penetrato, sicut à calore penetratur corpus: nisi & ipse à corpore possideretur. Lux autem vel ex parte hoc declarat: quæ nisi in corpore esset, videtur per spatium posse incedere. Nam nec ab aëre præter labente, nec ab aqua, pendet, sed à sole. Videtur autem calor non à materia dependere prorsus. Nam absque igne est in ferro ignito, vbi etiam ignit. Ergo ipse est ignis essentia, qui si corpore careret, in spatio vtiq; esset, sed non sicut Angelus, sed coextensus. Quapropter operatio declarat Angelum esse in loco, vbi operatur, sed esse in eo facit limitatio existentiæ extra primam causam.

Diximus enim in 2. par. qualiter Angelus est in Mundo mentali, non in Mathematico, nisi prout extenditur ad operandum, & causandum. Sicut lux est in aëre, & ab aëre non dependet, sed à sole: primalitates enim priores sunt, & continent non continentur. Nec limitatio substantiæ Angelis est à spatio, sed à modo essendi; à spatio autē est declaratiuè tantum: vnde D. Thomas vicisse videtur.

Vnum Angelum non posse esse in pluribus locis: & tamen eundem locum à pluribus Angelis posse occupari: & per operationem id declarari; sed iuxta cursum naturalem nequaquam.

ARTIC. II.

HINC etiam terminatur quæstio, vtrum Angelus possit esse in pluribus locis: quoniam limitatio naturæ vnius in vno tantum locat: Operatio vero declarat hoc, si Angelus non potest duos effectus totales adæquatos facere simul in diuersis Mundi partibus. Neque enim excedit vires proprias, neque sphæram actiuitatis suæ: vt potentiam examinantes, declarabimus. Vtrum autem in eodem loco possint esse plures Angeli, respondetur affirmatiuè de potentia Dei,

Dei, ſicut duo corpora poſſunt ſimul eſſe. at phyſicè neſcio cur negatur:cum videamus,duas luces mutuo ſe compenetrare? operationes quoque admonent idem; quoniam idem lapis à duobus poteſt ſimul moueri, quoniam vterque poteſt illum mouere per ſe, ſed ſuperflueret altera cauſa. ideo ordinariè vnus effectus totalis ab vna cauſa totali immediata fit naturaliter, licet voluntariè poſſit à multis & partialibus, & non partialibus: ſecluſo tamen fato.

VTRVM ANGELVS POSSIT MOVERI localiter: & quomodo: & num motu diſcreto, vel continuo, vel vtroque: & vtrum tempus, quo mouetur Angelus, ſit idem cum tempore aliorum mobilium: & vtrum poßit moueri in inſtanti: & vtrum inter terminum à quo & ad quem, ſemper mediet tempus.

CAP. VI. ARTIC. I.

SICVT verum eſt, Angelum eſſe in loco, ita & moueri localiter. Definitiuè enim ita eſt in vna parte ſpatij, quod non in alia, & mouetur per iter vnum, quod non per aliud. Nec quia diximus Motum caloris, & quietem Frigoris operationem eſſe; Angelos verò expertes elementarium qualitatum, quamuis ignei metaphoricè dicantur; negari eis poteſt motus. Motus enim eſt ex potentia motiua, quæ calorem excedit, imo operationes & facultates elementarium ſunt à Primalitatibus. trochus enim mouetur impetu impreſſo non calido: & Telluris glebæ frigidæ ad Terram velociter mouentur: & borealis venti timore mortis aguntur. Ergo motiua vis quamquam eſt in calore; tamen excedit illum, vt primalitas eſt. Et ſic Terram cieri quamuis frigidam ſua totalitate dicebamus: & ſi manifeſtè verum ſit, correpta à calore motu donari, à frigore vero immobilitate: quorum vires ſunt in Angelo eminentius. Peripatetici tamen non concedunt moueri, niſi corpora diuiſibilia. quod enim, aiunt, mouetur partim eſt in termino à quo partim ad quem: nam dum eſt totaliter in terminis non mouetur, ſed quieſcit. Ergo quod partibus caret, cum non ſit partim hic & ibi, non mouetur amplius, quoniam quod mouetur tranſit per ſpatium, quod diuiſibile eſt in infinitas partes & puncta: ſi mobile ſit indiuiſibile, tangit omnia illa puncta ſucceſſiuè: quod eſt impoſſibile, quia infinita non poſſunt numerari, nec pertranſiri. Indiuiſibile ergo non poteſt moueri, ſed diuiſibile mouetur, quia & ipſum habet infinitas partes & puncta, & ſua infinitate metitur infinitatem ſpatij; quod eatenus pertranſitur, quatenus non in actu tanguntur infinita eius puncta, nec diſcernuntur, ſed in potentia.

Propterea Theologorum alij negant requiri ad continuitatem motus, diuiſibilitatem mobilis: ſed ſpatij tantum: alij vero dicunt, Angelum motu diſcreto moueri, nec omnia puncta tangere. Si quando autem continuo, hoc fieri per contactum virtutis ad corpus diuiſibile, quod continuitatem præſtat motui ſua continuitate, ac proinde ſpatio commenſurabilitatem. Et illi quidem non poſſe tranſire de extremo ad extremum niſi per medium contendunt, quia hic ordo præfixus eſt eſt à Deo cunctis rebus: iſti vero poſſe, quoniam Angelus non ſubditur loco vt corpus, ſed eſt abſolutus à lege loci, quia eſt ſuperioris ordinis, nec vlla diſtantia impedit quominus ſubito applicet virtutem ſuam de vna in aliam operationem tranſeuntem. Vnde ſequitur, quod Angelus in inſtanti poſſit applicare ſe ad locum, vbi prius nuſquam fuiſſet; & in eodem inſtanti poſſe vnum locum derelinquere, & alterum acquirere: ſicut illuminatio eſt inſtantanea. Sed tamen dum mouetur Angelus de loco in locum continuo motu non poteſt in inſtanti moueri, ſed in vno inſtanti eſt in termino à quo in altero ad quem: inter duo autem inſtantia mediat tempus. Illi autem è contra concedunt hunc motum ſucceſſiuum in inſtanti, ita quod in vltimo tempore termini à quo perficitur motus, & in inſtanti, qui eſt finis illius temporis, ſit in termino ad quem. ſicut illuminari & illuminatum eſſe. Tandem controuertitur, vtrum tempus menſurans motum Angeli, ſit idem cum noſtro tempore, vel alterius generis. Videtur enim Angeli motus non dependere à motu Cæli. Videtur è contra quia tempus eſt menſura, non requiri dependentia, ſed declaratio. Non enim vinum pendet à phiala, quæ eſt menſura eius, niſi quoad nos: ſed videtur etiam quoad ſe: nam compoſita à ſimplicibus ſui generis, & vilia nobilioribus menſurantur, ſicut lux menſurat colores.

Perperam Peripateticos putasse, indiuisibile non posse moueri; quod etiam si concedatur, posse Angelos moueri: Sed tamen transeundo spatium in tempore imperceptibili, & absolutos esse à lege loci corporalis, non tamen spatij incorporalis, quia finitæ sunt naturę, & potestatis.

ARTIC. II.

NOS autem ostendimus Aristotelis syllogismos esse vanos, experientia reluctante. Nam acus tangit sphæram vitream in puncto, & sphæra sphæram. Nihilominus circumuoluendo alteram altera semperque in puncto tangendo, perficitur motus, ergo & puncta infinita non adsunt, vti credunt. Præterea omnis mobilis extremitas est indiuisibilis, & illa tangit spatium in indiuisibili. Ergo dum mouetur mobile quodcunque licet toto tangat totum diuisibiliter; tamen extremitate præeunte semper tangit indiuisibiliter: Et metitur totum spatium: vt ergo quod mouetur, sit partim in termino à quo, partim ad quem, non requiritur eius diuisio, sed spatij. Posito enim spatio indiuisibili, non fit motus, quia non est qua eat mobile. sed stat ipsum indiuisibile moueri. Neque enim motus diuiditur ad diuisionem mobilis, sed spatij: quod etiam dat continuitatem & tempus. Nec punctus potest in se ipso gyrari localiter, sed situaliter forsan, quia caret spatio. Nullum enim occupat. Potest autem corpus diuisibile. Acus autem gyratur super cylindro, tacto indiuisibili er, quia est terminus diuisibilis corporis: sed per se non credo: quare atomus non circulari, sed recto motu moueri potest, si tamen sit verè atomus, & nō ad sensum: At quidē non potest sensu nec imaginatione dari atomum absque partibus situalibus ad omnes mundi situs respectiuas: sed potest sine partibus quantitatiuis, & ideo potest centrum recta, & circulariter moueri, sicut lineę ab eo ad peripheriam ductæ quoniam distinguitur situaliter. Quod etiam D. Thom. de instanti in quo peccauit Angelus, concepit. Verum & si valeret ratiocinatio Arist nulla est contra motum animæ, & Angeli: Non enim indiuisibilis est, vt punctus quantitatiuè, Angelus: sed essentialiter. Neque loco ambitur, neque à corpore medio impeditur. At quin à spatio impediatur, negare non possumus dum mouetur nō mentaliter solum, sed operatiuè in ordine ad mundum maticū & situalem. Si .n. ab ortu in occasum mundi simul posset moueri non transeundo spatium, tunc posset similiter in infinitum subito, quod Dei proprium est. Quod enim à nulla distantia impeditur, sed simul est in omnibus, potest vbique esse, & infinitis locis. exemplū lucis, quæ subito est in Oriente, potens est ad docendum eius motum. Sed tamen quoniam lux transit per medium, vtique & Angelus per medium transit, lux autem non instanti indiuisibili id facit, quoniam nulla mutatio Physica est atoma, sed nobis videtur in indiuisibili: qui cum simus successione temporali multa affecti, velocitatē lucis sine tempore esse putamus, quia est in minimo tempore. At si non mouetur lux ab ortu in occasum, sed generatur educta de sinu materiæ aëris, vt Peripatetici volunt, longè magis in tempore fiet ab ortu in occasum. Omnis enim generatio præsertim in tanta mole, quamuis disposita, plus temporis requirit quàm loci mutatio, cum præsertim fiat in toto aëre per partem post partem; neque .n. sol Oriens mouet aërem in occasu ad generationem lucis, sed in ortu, quæ motio communicetur vsque ad occasum. Fatemur tamen Angelum moueri, non modo quia operatur in re, quam mouet, vt cum corpus circumfert: sed quia etiam substantia sua mutat situm spatij non taugendo corpora Physica, sed virtualiter: Spatium tamen permeando, ea velocitate, qua corpus mouet. Essentia enim mouens, est cum ipsa motione actiua: quando vero per se mouetur, velocius quidem transit spatium, quam lux aërem: sed nos crasso corpore præditi, & motu pigro, hos motus sine successione reputamus, sicut & atomos in solis lumine indiuisibiles. Sed quoniam Angelus voluntate operatur, potest concitare & tardare motum. Absolutus est Angelus à lege loci corporei, non autem à spatij continuitate, dum in mundum corporeum progreditur à mentali; quoniam finitæ est potestatis: & sicut dictum est alibi; non modo dat motui temporalitatem impedimentum corporis medij, per quod fit motus; sed etiam limitatio virtutis ipsius mobilis, & incompossibilitas terminorū spatij, in quo fit motus. At in Mundo mentali non est motus, eiusdem rationis, sed superioris à lege corporum & spatij absolutus; quales sunt humanæ Mentis cogitationes & applicationes.

Tempus Physicum, præsertim Peripateticum, non reperiri in Angelorum motu, nisi Analogicè: Metaphysicum verò vniuocè, & vtrum sit discretum.

ARTIC. III.

TEMPVS autem, quo mensurantur Angelici motus, videtur esse alterius rationis, si Physicè consideretur, vt mensura est successioque diuersi ordinis Entium. Sed quoniam ostendimus per Metaphysicam, tempus esse prolem non Entis: quia est fluxio successioque: succedit autem Ens Enti, & quod non est, fit: & quatenus fit est, & non est. vt calor calefaciendo facit lignum

calidum,nō subito, quoniam lignum esset calidum, sed paulatim imprimendo partem post partem, & augendo calorem in eo: vbi calor fluens est tempus. Sed vt calor, est Ens; vt fluens, est tempus. Fluit autem quatenus ex Entitate & Nonentitate constat. Cum enim est tota Entitas non fluit; idcirco dicimus & in Angelorum operationibus, tempus reperiri ex Ente & Nonente fluxionem. Dum enim est in Cælo Empyreo, non est in terra. Cum verò se applicat Terræ in medio applicationis, est & non est in terra. Ergo successio Entis & Nonentis secundum locum intercedit, Ergo tempus. Quapropter solus Deus est temporis expers, quia solus infinitus, & nihilitatis expers: substantia autem Angeli, quia non mutatur, non succedit per Esse & Nonesse, dicitur esse in æuo. Sed profectò operationes à tempore non absoluuntur, & sic olfecit D. Thomas omnem veritatem circa hoc, & operationum tempus discretum est si intermediat quies ab operando: sed quia illa quies, totale non esse operationis, facit continuitatem cum illo non esse partiali, quo afficitur dum est, & omnis successio est aliquod tempus: Fatendum videtur semper interesse tempus. Ergone & in Physicis quies præcedens motum continuatur quieti partiali ex qua & momentis componitur motus: ergo & tempus, id est, successio continuatur?

De Potentia Angelorum in essendo.

Angelos non semper fuisse, quia limitatæ sunt naturæ: sed semper existere posse, quia sunt magnæ Entitatis, & nobilitatis; & carent contrario præpotentiori: non autem ob rationes aliorum opinantium.

CAP. VII. ARTIC. I.

QVONIAM ostendimus, vnum modo primum Ens posse infinitum esse, pluraque infinita reperiri minimè posse Angelos limitatæ esse naturæ palàm est. Si autem limitati sunt, æterni non sunt. Carent enim potestate semper essendi. Nam licet semper existere ex quo cæpit esse aliquod finitum Ens possit, non tamen potest semper fuisse. Potest enim Nunc semper esse, quia accepit esse ab eo, quod est infinitum ea conditione, vt alia causa non possit ipsum tollere: attamen oportet ex quo finitum est, accepisse esse: præsertim cum aliud infinitum præsupponamus, quod finitorum necessario principium est. Aristot. quidem putat, Cælum & Angelos æternos, quia Deum non putat esse infinitum, nisi duratione: & licet ex hac conuincatur, quod etiam vigore; tamen ipse non intellexit, sed ex eo, quod semper mouent, sunt actus, ergo absque potentia, alioquin possent non mouere, & corrumperetur motus, quod ipsi absurdissimum videtur. Si absque potentia, ergo non aliquando sunt, aliquando non, sed semper: sic etiam docet, Mundum esse æternum, quia quod potuit aliquando nō esse, poterit etiam aliquando non esse; at motus cessare non potest. Hanc stultitiam sæpè confutauimus, & rationem eius fallacem ostendimus. Quapropter Theologi probant alia via incorruptibilitatem Angelorum, videlicet quia formæ sunt simplices subsistentes, & in corpore minimè inhærentes. Cardanus autem, & alij recentiores, & Stoici olim, vt videre est apud Plutarchum, qui Dæmones post multum temporis corrumpi docent, à Dæmonibus decepti mentiuntur. Vel dici potest, quod corporibus adsumptis moriuntur non se totis. corrumpitur enim vnumquodque quia forma separatur, à materia, dicunt quidam: forma autem per se subsistens, habet esse per se, nec ab ipso separatur, ergo semper est. Verum & hoc insufficiens est. Non modo enim fit corruptio, dum forma separatur, & partes compositi, sed etiam forma corrumpitur per se: vt cum frigus extinguit calorem in ferro ignito in glaciem immerso. Vbi nimirum non corrumpitur ferrum, sed solus calor. Quapropter id videtur solum incorruptibile, quod non habet contrarium Physicum præpotentius, vt dictum est in 2. par. Si ergo Deus Angelis non dedit contrarium Physicum, vt calori frigus; sed tantummodo secundum mores, quia Diabolus voluntatem habet contrariam, non naturam: vtique Angelus incorruptibilis est. Nam & spatium est incorruptibile & corpus. Corrumpuntur autem formæ corpore indigentes vt sint. alia verò Entia perseuerant. Quapropter Damascenus, Irenæus, Iustinus, & Theologi vetustiores, dicunt Angelum, & animam humanam esse immortales non natura, sed gratia Dei: quod Plato & Pythagoras & Hesiodus prius docuerant. Sed hæc est gratia naturalis, quia videlicet non condidit naturam aliam eorum corruptricem Sic etiam calor posset dici non natura, sed gratia incorruptibilis, si Deus non creasset frigus. Ratio quoque naturalis id docet: quia quidquid factum est ex Nonente, potest Nonesse; sicuti enim potuit non esse antequam fieret, ita & nunc, vt rectè dicit Arist. alioquin nec Deus posset facere quin sit: sicuti non potest facere, vt duo & tria non sint quinque, quia hoc semper fuit in sua idea. Mundus autem fuit in idea, vt fieret quando & qualis factus est, & calor, & Angelus. Sed nunc non possunt non esse, nisi Dei potestate subtrahente esse, quod dat, non autem externa alia vi, nisi cui Deus dedit hoc posse. Ergo semper erit Angelus, si caret contrario præpotente. Mundus autem ex contrariis compositus, immutandus remanet: & frigus extinguendum, vbi à calore corripitur. Non modo enim ad corruptionem requiritur contrarium præpotens, sed occasio, & pugna, quæ fato decretæ sunt diuino. Vnde ignis Empyrei cæli nunquam à frigore corrumpitur, quo-

niam imbecillius & distantius frigus est. Sed vtrum calor, & frigus, dum corrumpuntur, annihilentur, vel occultentur in primo esse, dubitatum est prius. Hic autem illud non tacendum, quod si Deus annihilaret spatium, Angeli interirent, si indigent spatio ad sui existentiam: vel in Deo occultarentur: si vero non indigent, remanerent. Omne tamen quod factum est, habet potentiam semper essendi, ex quo est à Deo factum (& hoc Arist. perperam negat) interit autem alio præpotentiori regnante, vt Deus disposuit fato, sicut dictum est. Verum cum Angeli sint nobilissima Entia, decet, immortalia facta esse: quoniam optima seruari congruum est magis. Præterea ea tantum corruptibilia fecisse videtur Deus, quæ ob aliquem modo finem particularem sunt, quo habito cessant ea, quæ ad finem. Nos enim Scenas paramus propter Comædiam, & frumentum propter panem, & nauem propter nauigationem. At acta Comædia, Scenas destruimus ad alium vsum, & frumentum terimus propter panem conficiendum; & nauem vendimus, vel comburimus expleta omni nauigatione. Ergo si Angeli sunt ob vsum alterum, & non propter Deum, intērituri sunt. At quoniam non decet arbitrari hoc de optimis Entibus. Etsi enim regant corporalia Entia, & nos custodiant, tamen conditori seruiunt in hoc, non nobis modo: & sunt sicut serui, non sicut pecudes & frumentum; idcirco eos semper victuros, asserendum est. Ratio ergo Aristotelica, quia sunt actus potentiæ expertes, vana est. Nam & actus corrumpitur ab alio actu; vt frigus à calore. Et supra ostendimus, non esse materiā corruptionis causam, sed radicem corruptionis esse limitationem virtutis, prolem nihili; complementū vero contrarietatem.

In Angelis genus & speciem, & indiuiduum analogicè ad nostra reperiri, & inter se differre numero, & quoad nos specie. Sicut vnum indiuiduum naturale potest esse species ad artificialia, ita transnaturale indiuiduum ad naturalia; & multitudinis causam esse bonitatem in eo quod sunt.

ARTIC. II.

SED quæritur quid causa fuit multitudinis Angelorum? quæ enim corruptibilia sunt, plurima sunt, vt aliis peremptis, viuant alia, vt homines & Aquilæ; vel, vt sint in aliorum vsum, sicut pisciculi, quos vidimus mille parere oua, vt alij vescantur: & arbores innumerabilia semina, non tam sibi, quam aliis. Astra vero, & solem, incorruptibilesque res, multiplicari minimè cernimus. Quapropter si Angelica natura nobilissima est, vnus erit Angelus, vt sol: vel non plures, quam sphæræ cæiestes, vt Arist. opinatur. Has ob res videntur D. Thomæ esse Angeli innumerabiles, quia DEVS nobiliora illa multiplicat ratione perfectionis, sed esse vnum indiuiduum modo in vna specie: *Quoniam*, inquit, *quæ differunt numero, materia differunt.* Angeli autem immateriales sunt. Scotus vero contendit etiam numero differre, & sub vna specie plures esse, quia hæccheitatibus distinguntur non materialibus, sed immaterialibus, & quidem de mente Arist. vera est sententia prima: quia Aristoteles has formas non indiuiduat, nisi corporibus, quibus eas applicat, vt motores & animas. Sed non videtur secundum assertionem communem sola materia corporali res plurificari: sed gradus sui singularitatibus. Ita namque Petrus est hic homo, quod non est ille.

Hæccheitas autem hæc, est differentia singularis. Differentia autem ex Ente, & Nonente componitur: quatenus enim Petrus non est Fabius, non est; quatenus vero Petrus, est. vt autem sit, à causa agente habet, & materiali, & formali ob talem finem. Quapropter singularitas non est ab vna causa, vt est Ens, sed à multis: & quidem materia non est hæc, nisi per hanc formam, ab agente hoc indi-tam. Forma autem est hæc ab hac materia, eiusque huiusmodi conditionibus: vna enim est materia, vnaque est forma. Fit autem multiplex, vel quia agens diuersas materiæ partes, eodem exemplari efformat, sicut eodem sigillo plures ceras, vel diuersis sigillis eandem ceram successiuè, vel diuersis diuersas. Omnis autem diuersitas proles est Nonentis; & numerus similiter. Vnitas autem Entis est vita. Angeli autem plures esse possunt, sicut plures formæ. Et quidem specie differunt & numero: Numero quidem quia Gabriel ita est hic, quod non est Raphael. Et sub eodem ordine reponuntur, vel idea communi, & similitudine. Species enim est indiuiduorum similitudo. Quapropter id, in quo conuenit vnus Angelorū chorus, est species: in quo multi, est genus. Verumenimvero & specie differunt, quia formæ sunt; & posset DEVS ad exemplar Gabrielis producere multos Angelos corporatos: sicut idea hominis vna est, ad quam ex carnib. & ossibus indiuidua multa procreantur. Sigillum hoc vnum numero est: sed potest esse vnum specie simul, si plures sigillentur ipso ceræ. Quapropter rectè dicit D. Thomas differre specie Physica Angelos quatenus materia carent. Scotus verò numero quatenus hic non est ille. Similiter enim & sol est vnus indiuidualiter, & specificè; quoniam plures soles instar eius fieri possunt: At Petrus non est vnus specie, licet plures Petro similes nasci possint; quoniam ipse iam processit ab idea prima, cum multis. Verum quod est vnum indiuiduum in natura, potest esse species artis, vt S. Petrus est vnus: & imagines, & picturæ & statuæ eius sunt innumeræ omnes ad eius ideam factæ: sicut autem se habet natura ad artem, sic se habet Ens Metaphysicum, qualis est Angelus, ad naturam.

Multitudinem Angelorum non esse corruptionis argumentum, sed perfectionis aliquando. Ita in Angelis; & sic dicere Dei bonitatem, & esse ob fines plurimos ignotos; & propter inferiora ex parte.

ARTIC. III.

DICIMVS ergo millia millium, & decies centena millia, id est, absque numero nostrate, esse Angelos; & differre numero in Mundo Angelico: ad nostrũ vero comparatos, specie. Nec multitudinem esse corruptionis argumentum, sed perfectionis in illis. Deus enim Entia bona multiplicauit, quia decet harmonicumq; est, à summo bono plus boni maioris, quam minoris emanare. Vnde cœlum & stellæ excedunt terram, & Entia nostra in immensum, ita quod punctum indiuisibile sunt ista cuncta ad cœlum: vnde sex supra horizontem signa, ac sex infra, continuò cernimus; quoniam à centro terræ ad nos nulla est magnitudo, respectu cœli. Entia vero inferiora multiplicantur propter vsum aliorum, & corruptionis odium, & paruam entitatem: superiora vero ad vsum Dei: quem nec cogitare satis possumus, & cum multa entitate. Mundus enim Angelicus excedit Mundum nostrum, vt ait Basilius: & aliud existendi, & viuendi, & operandi genus, & ordo est in eo. Et quidem decet infinitam Dei bonitatem meliora Entia quàm quæ nobis innotescunt, & plurima, quam credere possimus, creasse: & nihilo discreuisse, sed non minorasse.

At, cùm beata sint illa, cur nostris Entibus miscentur infœlicibus? quoniam & hæc sunt opera Dei viliora, quæ à melioribus regi oportet. Sed vtrum ad numerum rerum nostrarum creati sunt Angeli, & sympathiam quidam habeant cum quibusdam, quæstio grandis est. Quam, cum distinguemus ordines eorum, absoluere oportebit. Nunc satis est potentiã essendi illorũ quoquo pacto declarasse.

DE POTENTIA operatiua Angelorum.

CAP. VIII.

Vtrum Sphæra actiuitatis eius sit duplex, essentialis, & effectualis: & vtrum excedat Sphæram actiuitatis Solis, & aliorum corporum.

ARTICVLVS I.

POTENTIAM autem operandi inter se mutuò adhuc nõ venamur, nisi quoad nos illam nouerimus. Dicunt Veteres, Sphæram actiuitatis propriæ, cuilibet Angelo assignandam, vltra quam non se extendunt vires eorum immediatè: sed quanta sit, ignotum esse: Verùm excedere vires corporum. At hic insurgit quæstio atrox, si enim Angelus excedit corpus, tunc actiuitas sua excedit solarem: Sol autem omnia astra simul illuminat, & terram per immensa milliaria, suas extendendo vires: quod si tantum potest Angelus, sufficit vnus in vno mundo: quomodo ergo dicimus præpositos esse regnis, & speciebus animalium, & indiuiduis humanis: & plures esse Angelos in vna ciuitate? & cur duo percutiunt Sodomam: vnus autem exercitum Sennacherib? & multi currus ignei defendunt Helisæum? & multi Dæmones hinc & inde pugnant in bello Trojano? Nam & si Homerus simulat, non tamen falsum est quod Idolorum Dæmones, alij pro Troja, alij pro Græcia certabant: huic videlicet Iuno, & Pallas: At illi Venus, & Mars, & Apollo fauebãt. At si non tanta est illorum virtus: mirum quomodo corpora incorporeis Entibus sunt viuaciora, & efficaciora. Profectò vnus homo porrigit lapidem per stadium, & circumcirca stadius vnus est sphæra actiuitatis eius: & oculos vsque ad sydera porrigit, & aures per duo milliaria. Sed si fit intramittendo sensatio, hoc magnum est, quod tam à longè sentit. Nam quo sentit est intra se, quod vero, extra: & tamen licet tantum possit homo vnus, tamen multi permanent simul. Vtrum idem de Angelis dicendum est? Non videtur quidem: quoniam ita procul operatur homo mediantibus instrumentis, vt cum proiicit lapidem: sed tamen virtus hominis in lapide imprimitur, vt per se moueatur. Vtrum sic de Angelis dicemus, quod quantum loci occupat essentia, est sphæra immediata virium suarum: extra quam habet aliam sphæram, qua operatur emitten-

M iij

do virtutem, vt homo in lapide, & iaculo: & anima IESV creditur in inferno inferiori per effectum non per præsentiam operata esse, vt in superiori. Sol tamen & ignis emittendo vires, & calorem: calor autem substantia formalis est igni. Vtrum Angelus essentiam expandendo, an virtutem? si essentiam, & non æquè, ac ignis, corporea vis excedet incorpoream. Si virtutem, & non æquè ac Sol, absurdius erit Item solis essent a multiplicabilis est, effundibilisque, & calor effusus non pertinet amplius ad solem, sed deperditur, & fit animal, planta, aliaque entia. Vtrum Angelus emittat virtutem, quæ remaneat in rebus, & non secum eat Sicut vis hominis in lapide proiecto, & solis abeuntis in terra. Si sic, erit ipse partibilis. Sin minus: extensio eius erit breuior proportionaliter, & imbecillior. Nam non excedit sphæram immediatam, vti nos. Nec potest dici, quod actiuitas Angeli est ex imperio voluntatis, & potest in minorem, & ampliorem locum extendi: non enim loquimur de quod vult, sed de quod potest. Nec Rabbinus Egyptius, qui impiè Moysem Aristoteli conciliat, audiendus est. Putat enim Angelos non esse aliquid per se subsistens, sed animas, formasque cæli, & aëris, & aquæ, & terræ, vires, & hominum, & Planetarum. Ita quod seclusis corporibus non remanerent Angeli, calor, frigus, & formæ partiales rerum. At mentitur. Angeli enim sunt superioris ordinis in sacris, & prophanis scripturis. Neque enim potest vis ignis, aut alterius entis forma, sub specie hominis apparere, & loqui, & operari, relicto proprio subiecto. Item, forma abstracta est Angelus, quia nulli corpori est obligatus, sed circa quodcunque potest operari. Vires autem rerum concretæ sunt: corruit quoque Theologia, & doctrina de inferis, & superis, secundum hanc opinionem. Sequitur etiam quod Deus sit forma rerum vniuersalis: quod in secunda Parte reprobauimus. & licet vis incorporea actiua sit: corpus enim non agit, nisi per vires incorporeas, vt calorem & frigus, & formas: nihilominus sicut datur vis concreta in corpore, ita datur & extra corpus: & hoc neque Auicebron negauit. Dicimus ergo vires rerum symbolum habere cum Angelis, sed non esse Angelos: sed in hoc quæstio versatur, quomodo vis in corpore extenditur amplius, quam Angelica extra corpus: & quidem facilè responderet Origenes, & Philo, quod solis lux est vis Angeli corporati: & quia superioris est virtutis, quam qui apud nos discurrunt in tenuibus corporibus, idcirco vires procul magis extendere potest. At nos statuimus, Angelos non esse corporatos: & actiones à corporibus impediri. Dicam tandem extensionem virium Angelicarum esse superioris ordinis, & excedere solarem: sed illā fieri non in corpore, hanc vero in corpore. Quod si Angelus vellet in corporibus actionem edere, longè excederet corporum vires. Sed vires Angelicas esse secretas, & in corpore ostendi, prout & quantum oportet: alioquin & montes possent transferre, & mundum, si iuberet Deus: Essentia tamen Angeli est in mundo mentali: in situali tamen operatio & sphæra oper. Dicimus etiam plures Angelos simul esse, sicut plures luces non extensas corporaliter, sed incorporaliter: & mutuo tangi non quantitatiuè & cooperari, & sociari, & seiungi. Vires autem Dæmonum corporalibus cohiberi, quatenus iustitiæ diuinæ instrumenta sunt, hoc potentibus: & plurimum nos ista latere.

Angelum non posse rerum naturas immutare, sed tantummodo mouere localiter, & per naturales, quas adhibet, posse transformare, & alterare, & in hoc excedere artem, & mira operari.

ARTIC. II.

SED quæritur adhuc, vtrum Angeli possint corpora immutare: nam videmus Magos virtute Dæmonum mouere corpora, & alterare, & ex virga serpentes facere, & ex aqua sanguinem: & infirmitates, & odium, & amorem inducere, pluuias quoque ac ventos excitare, vnde Sacerdotes inferioris Lybiæ, & Brasilienses hac potestate gloriantur, & nautæ Lusitani sese vidisse testantur, ad precationes eorum subito pluuias, ventos, & serenitates fieri. Et Magi in Noruegia vendunt Nautis ventum: quod & de Empedocl. narratur. B. Augustinus quoque existimat, totam creaturam corpoream ab Angelis administrari, & Dæmonib⁹. Ergo ab his miracula fiunt. Vnde ordo virtutum Angelicarū ad hoc deputatur, teste Greg. At vero non videtur Theologis posse Angelus facere, nec immutare materiā, vt Auic. putat. Sed tantum localiter mouere, & vti viribus corporū ad corpora immutāda, sicut ferrarius igne, & malleo ad faciendum gladium, & agricola aquis, ligone, & translatione. Et quia illis notæ sunt vires actiuarum, & passiuarum, dum miscent eas, mira faciunt, quæ non sunt supra naturam secundum se, licet nobis sic videatur. Sicut ergo Natura subitò producit ranam, ita Magus, ex virga serpentem Dæmonis arte. Hoc autem non est verè miraculum, quia non est supra Naturam vniuersalem, neque ex virtute facientis: sed ipsius rei naturalis. Sed cum videamus à Natura res immutari, quæritur cur & non ab Angelo virtuosiori? dicunt, Angelum posse quid maius, in quo continetur illud minus; & quia primus motuum est localis, & omnis motus per localem fit, idcirco dum localiter mouet, omnes motus & mutationes adhibet.

Item, fiunt aliqua à Natura, quatenus est instrumentum Angeli, quod ab ea per se non potest fieri. Sed hoc parum videtur: Nam & Coquus, & Aromatarius, & Ferrarius, faciunt opera mirifica, adhibendo vires naturales, quæ à sola Natura fieri non possunt. Item, licet Angelus alteret adhibendo calorem, hoc tamen idem facit & Coquus, & Ferrarius. Sed in hoc præstaret vis Angelica, si motus eius localis esset etiam alteratiuus, & immutatiuus, ex eius virtute.

Respond. quod licet homo per Artem vtatur naturalibus, non tamen sicut Angelus. Quis enim nouit sanare oculum iecore piscis, vt Raphel? & de virga serpentes facere, vt Diabolus magorum Æ-

gyptiorum? & concitare pluuias?& huiusmodi mira?vnde in duobus excedit Angelica vis:quia scilicet nouit rerum vires nobis ignotas, & tempus & locum aptè operandi:& quia actiuitas eius est valida, vt possit nubes, & aërem, & maria concitare. Nos autem vix aquæ concham, & aëris quantillum ventilabro, non potest quidem alterare, & immutare, quoniam non dat formam rebus,sed mouet res ad ideam Dei suscipiendam, sicut artifex ferrum ad ideam artis: & hoc in 1. p. contra Auic. disputauimus. Item non est rebus intrinsecus, vt auctor & conseruator Entis; sed vt motor vtens eis ad modum Entis modificando, hoc est ad formam, vt artifex igne ad gladium: licet ille magis intrinsecè, & eminentius: Deus potest calefacere sine calore, quoniam est omne Ens eminenter: ergo & calor est, ergo & dat statim esse calidum. At Angelus est aliquod Ens: & non potest dare esse calidum quod non est in se; sed vtitur dato, sicut nec frigus, nec linea, nec magnes dat esse calidum, quod non est. Vsus autem omnis rei fit per localem motum, qui per potestatiuum. Ergo Angelus vtitur rebus, sed non facit res, sed vtitur ad faciendum ipsa Natura. Vnde miracula nulla per se facit, sed mirabilia nobis.

Vtrum Anima, & Angelus, possint immutare propria, & aliena corpora sola imaginatione, & miracula facere naturaliter, vt putat Auicen. Cuius contrarium stabilitur: licet etiam imaginatio aliquid possit, vt sentiens & significans antequam vt mouens.

ARTICVLVS III.

SED contra, ait Auicen. sicut potest anima ex sola apprehensione nil corpus mouendo, calefacere illud, vt in ira,& frigefacere vt in pauore: & ægritudine afficere vsque ad mortem ex sola imaginatione: & semen iaculari ex fæminæ cogitatione,& in somnis multipliciter ipsum immutare: longè magis potest Angelus,qui est vehementioris apprehensionis. Ergo potest pluuiam, & ventum & pestem,sanitatem, aliaque huiusmodi facere multo magis quam potest calor & frigus. Item anima extra proprium corpus ex sola affectione operatur, vt cum fascinat pueros, & arbores exiccat,& occidit:eademque ratione sanant alij, vt Prophetæ & viri benefici vehementis imaginationis, sicut malefici cædunt. Ergo naturaliter anima miracula facit. Ergo & Angelus multo magis. Quapropter arbitratur motores orbium non modo per motum operari:sed per imaginationem in inferiora hæc & efficere miracula naturalia, vt leprosos mundare, cæcos illuminare, & mortuos viuificare, & animata Entia generare. Quidquid præterea potest virtus inferior, potest & superior:ergo si contraria agentia elementa,& qualitates immutant materias,& anima corpus coniunctum, & diuisum ex imaginatione: multo magis hæc omnia faciet Angelus.

Aliqui respondent, quod quia anima est forma corporis potest illud formaliter immutare ex sola cogitatione: quia mouet appetitum sensitiuum ex motu illo causari alterationes: potest ergo virtus superior quod inferior, non eodem, sed excellentiori modo per motum localem inducendo alias mutationes: & quia simile fit à simili, formas & calorem, & frigus fieri non ab Angelo, sed ab aliis formis, & calore & frigore. Item animam non immutare corpora exteriora,nisi prius immutando proprium corpus. Non ergo imaginatio fascinat puerum:sed mouet spiritus qui afficiunt oculos, & oculus aërem continuum cum illa malitia, quam in puero imprimunt,sicut in speculo maculas. Hæ quidem responsione non satisfaciunt: quoniam forma non transmutat id cuius est forma, sed aliud. Non enim ignis calefacit seipsum, neque forma aquæ agit in corpus suum: agere enim est reddere aliquid sibi simile: quod autem subiicitur formæ corpus iam redditum est, cuiusmodi forma regnans cupit. Item anima brutorum non est forma,sed spiritus habitans,vt nauta in naui:& tamen ad eius apprehensionem calescunt, frigescunt,ægrotant,sananturque:præterea vidimus condemnatos ad mortem intra triduum ex apprehensione pauida canescere. Quosdam vero etiam mori, & pauore & lætitia,qui sunt spiritus affectiones, vt in Physicis docuimus. Illud etiam non rectè declaratur, quomodo aërem spiritus oculi afficit,& aër occidit. Scribit Vida Episcopus Albanus heroico carmine, se vidisse hominem propè Viterbum, qui occidebat Plantarum germina, & parua animalia & pueros, truculentis oculis adspectando. Sunt & animalia noxia oculis & flatu eiusmodi: quid diceremus & de veneno Tarantularum ex sola memoria reuiuiscente apud Appulos? Tympanum quoque de pelle lupina pulsatum infringit Tympanum de pelle ouina confectum: non quidem solo motu,quia alia Tympana æquè disrumperet: sed ex apprehensione. Verbum irati Regis exanimat seruum, ad quem profertur,non autem alios,qui propius audiunt: & serpens occisus quoque ab vmbra fraxini recedit: & homo occisus coram occisore ebullit in plaga: & fæmina ex sua imaginatione causat in fætu maculas:& Iacob hac vsus magia est ad ouium generationem: ergo aliquid facit sensus ante motum: quin nulla res mouetur ad aliquid sponte, nisi appetitu: appetitus sensu præeunte,& desiderio,vel odio:& sensus & desiderium præeunte potentia. Anima autem & Angelus potentia,sapientia,& amore constant.

Quoniam sentire est per fieri vel esse id, quod sentitur: omnem autem factionem præcedit mutatio aliqua:omnem ergo sensationem præcedet mutatio, mutationem vero motus agentis & patientis: quapropter dicimus, quidem animam res immutare sibi coniunctas, eas ad immutationem mouendo: sic & Angelus. Affectio autem & passio animalis oritur ex sensu, sicut omnis amor à sapientia.

Quapropter quoniam animalis ſpiritus eſt in corpore, ſicut nauta, poteſt mouere corpus ad omnem ferè mutationem, ipſe autem mouetur ab obiectis: ſed non mouent obiecta eodem modo Petrum audacem, & Paulum timidum. Sed iuxta modum recipientis recipitur paſſio. Si enim alius tenuiorem habet ſpiritum, mouetur magis ab eodem obiecto in eadem diſtantia: & qui perſpicaciorem, ad ratiocinium ſimiliter: & qui paſſus eſt: Spiritus enim animalis quatenus primalitatibus participat, mouetur ab obiectis occaſionaliter: quatenus vero corporeus calidus, tenuis, lucidus, mouetur cauſaliter. Mens ergo ſemper occaſionaliter. Sic quoniam conſueuit ouis à lupo timere: & pellis adhuc retinet ſenſum ouis paruulum & ſopitum: dum lupina pulſatur, ouina timet: & chorda cytharæ vniſona alterius cytharæ chorda pulſata, & hæc quoque agitatur, non autem aliæ chordæ, licet minus tenſæ: quoniam à ſimili ſimile excitatur per ſympathiam, vti à contrario ob oppoſitas affectiones, ex occaſione paſſionis orientes: in quibus patet præire motum. Sed tamen mutationem fieri iuxta apprehenſionem primalitatum: & verum eſſe, quod apprehenſio operatur, quatenus ſenſus eſt, & à ſenſu, & non quatenus modo motus & à motu: quia ſi quatenus motus aptiora ad motum, non ad ſenſum, mouerentur magis.

Sed videntur, quæ ad motum ſunt aptiora eſſe itidem ad ſenſum, cum ſenſus ſit motio: vnde tenuiora ſentire apta ſunt magis. Sed hoc non eſt verum, quandoquidem chorda debiliter tenſa non mouetur ſicut fortiter tenſa ab altera, huic vniſona. Neque timidum mancipium vicinum herili voce, cuius ſenſum non intelligit, mouetur æque atque alter conſeruus diſtantior, qui intelligit, eo quod ſit eiuſdem idiomatis. Sed fortè qui ſentit, aptior eſt pati, quam qui non ſentit, ſed tamen mouetur: quoniam vox ſignum eſt in motu. Ab hoc autem motu vt ſignum eſt, aptior eſt pati qui paſſus eſt, ſicut qui cicatricem habet facilius patitur in ea, quam qui non habet: & qui nauſea in mari affectus vomit, facilius iterum vomet videns mare, quam alius, qui non eſt id à nauſea paſſus. At quando ſignum eſt cognoſcentis, & non mobilis affectio, & chorda chordam mouet potius, vt conſentientem, fatendum eſt, cognitionem aliquid per ſe operari. Anima ergo mouet animaſtice ſpiritum animalem ſola apprehenſione, & non localiter, ſed afficit notione, ad quam ſequitur affectio, & exinde motus localis in ſpiritu, & à ſpiritu in corpus per dilatationem in amabilibus affectibus: per conſtrictionem in odioſis. Ira ergo eſt motio in ſpiritu ex notitia deſpicientiæ naſcens, ſicut cupiditas ex apprehenſione boni: ſpiritus autem calidus agitatus auget calorem, quoniam calor eſt actiuus ſuique multiplicatiuus. Similiter perceptio mali eſt timoris cauſa: timor autem eſt fuga ſpiritus ad interiora. Ergo exteriora priuata motu & calore, qui erat in ſpiritu, frigent. Non ergo anima facit frigus, neque calorem, vt cognoſcens. Sed facit in ſpiritum ob primalitatum participium notionem boni, vel mali: ad quem ſequitur ob participium corporeitatis in ſpiritu motus ad intra, vel ad extra: & corporis immutatio: vnde ex nimio timore ſpiritus collectus anguſtiatur, & calor extinguitur, & minuitur: capilloſque reddit albos ſua facie, quos nimirum nimio carens calore non poteſt vrere, & nigrefacere: anima ergo facit hoc per calorem.

Qui vero imaginatur caſum de trabe alta, dum eſt in ea, cadit: quoniam ſpiritus timet imaginatum malum, & fugit intus, & non regit fortiter exteriores artus. At in trabe ſuper terram ambulans, non cadit, quoniam imaginatio non retrahit ſpiritus introrſus: patet ergo quod præcedit notio ex motione occaſionaliter, & motus ſequitur ex notione cauſaliter: etenim ſapientia & appetitus cum poteſtate ſunt cauſa motus. Ergo anima afficit corpus, non quoniam eſt forma eius, ſed quia ſpiritum mouet, & ſpiritus corpus. Verum & ipſa à ſpiritu ſumit occaſionaliter ſcientiam obiectorum: at iuxta paſſiones ſpiritus afficitur ebrietate, inſania, freneſi, aliiſque affectionibus, quæ ex corpore incipiunt & faciunt ecxtaſim ad inferiora, ſicut in Phyſicis declarauimus, quatenus eſt corporata ipſa mens in ſpiritu corporeo. Verum quando notio eſt à Deo ipſo, in mente incipiens, rapiuntur homines in ecſtaſim ad ſuperiora: & vident arcana Dei: & corpus eleuatur in aërem, ſectando ſpiritum, & ſpiritus mentem. Quę etiam diuiniorum amore deſpicit ſpiritum, & corpus. Quapropter negandum non eſt, quin anima moueat, vt intelligens quandoque nedum vt impetum faciens. Nec vt intelligens mouet niſi quod intelligit amet, aut odiet: intelligit ac amat quia poteſt, ergo & potentia præcedit, cum qua ſenſus & amor radicaliter vnum, habent potentiã mouendi. Calorem quoque & frigus ſæpè operari iuxta ſenſum non iuxta potentiam: vt cum ignis deorſum currit, ſentiens deſuper frigus: & odiens; at frigus in aërem erigitur duplicata luce propè terram: calor enim vt calor calefacit, ſed vt ſentiens fugit & perſequitur, & concentratur, ſi frigus circumſtet. Sic etiam humor bilioſus de felle in ventriculum tendit, reubarbatum amicum ſentit, & omne imaginans afficitur re imaginata, & iuxta affectionem operatur, vt ſpiritus prægnantis, & furentis declarant, ſicut diximus.

Sed vtrum extra corpus immutet ita formaliter aliquid, hoc difficile noſcitur. Videmus quidem, vocem exhilarare, aut terrere audientes: & viſum idem facere. Sed tamen has operationes fieri per localem motum, ſed iuxta patientis perceptionem non motionem. Nam qui vicinior eſt loquenti mouetur magis, & tamen diſtantior afficitur magis qui contra ſe, non contra alterum, vocem perferri nouit. Ergo licet anima agat per motum localem, extra tamen agit tanquam per deferentem affectionem, non tanquam per afficientem. Sed videtur hoc idem agere mouens omne etiam inanimatum. Sæpe enim timemus dum caſum ligni ſentimus, & ſtrepitum ianuæ, quæ tamen non emittit cum motu metum: ſed in nobis fit metus ex apprehenſione mali, occaſione oborta ex motu. Ergo anima agit in exteriora per motum vt motum, & vt ſignum: patiunturque ab ea, quæ extra nos ſunt vtroq; modo: & nos timemus à ſtrepitu ianuæ quatenus apprehendimus ſignum in motu, licèt non ſit realiter, ſed ſimilitudinariè, & excitat, vt ſic in nobis ſopitum pauorem inditum ex rebus terribilibus, & manẽtem, vt cicatricem, & paſſionem inueteratam. quoniam ergo ita operatur anima ad extra, quamuis neſciat quis ſenſus quibus in rebus inſit & qualiter afficiendus ſit: ſic etiam Angelum operari extra corpus ſuum, putandum eſt. Sed longè fortius, quia potentior, & longè artificioſius, quia rerum ſenſus & vires nouit, & qua ratione mouendi ſint, vt quos ipſi volunt affectus illæ pariant: ipſi etiam noſcunt ſemina idealia, & iuxta eorum fæcundationem operantur, ſicut in 2. p. dictum: ſcit per artem ferrarius quo

quo igne, & carbone, & aqua & malleo, & quibus ictibus forma gladij in ferro introducenda sit. Quapropter Angeli operantur mouendo corpora: quatenus sunt potentes: sed quatenus intelligentes ita vel ita mouent. Miracula autem nulla faciunt, nisi à Deo ipsi quoque assumantur vt instrumenta miraculorum: licet faciant per se mirabilia assumendo naturalia, & instrumenta mirabilium. Neque anima nostra potest formaliter extra nos alterare, nisi mouendo, aut significando. Sed signum non afficit nisi intelligentem signorum: motus autem omnia apta pati.

Fascinus ergo est ab anima sentiente, & spiritus commouente: qui commouent aërem pestilenti affectu: aër vero res tenellas: vnde menstruatæ mulieres, & truculenti homines habent vim fascinandi, vel spiritus, vaporesque noxios emittendo, vel lucem ex oculis. Et quidem lux externa potest ab oculis infecta resilire. Videmus enim eam omnium rerum vultibus tingi, eosque ad nos deferre fœdata lux: ergo noxia est: vtque oculus infectus tabe inficit, ita sanus, benignus, salubrisque, sanat, & exhilarat interdum: quod manifestum est: quin & conuersatio hominis fœlicis probique salubris est, & iocunda, & securitatem quandam parit: & domus seruatur, magis cum habitatur, quam cum deseritur ab homine, qui est anima & causa eius: sicut diximus in 4. de sensu rerum: priuata autem homine tabescit, quasi cadauer. Verum arbitror flatum plus nocere, quam oculus per vaporem: sed oculus addit lucem: oculus oculum obuium hebetat, quia lucem emittit viuidiorem: & alius ab alio pati est aptior: vt leo à voce galli, elephas à porci grunitu: & ego à suberis, dum secatur, stridore: & cuiusdam amici, dum sulphur contundi sentiret, dentes ita afficiebantur, vt nutare & cadere viderentur, & gliscere & prurire: quoniam sensus dentium ita affici aptus erat.

Aptitudo autem omnis est à quodam gradu sensus: vnde videmus, singulis membris proprium in esse modum sentiendi: aliter enim neruus, aliter calor, aliter lingua, aliter vnguis, afficiuntur. Hos gradus rerum, & modos pernouit Angelus: ideoque applicare actiua passiuis, & mirabilia facere, quæ nos ignoramus.

De Magia diuina, naturali, & diabolica, & circulatoria: & quod per primam tantummodo fiunt vera miracula, declaratum est in libro de Sensu rerum.

ARTICVLVS IV.

MAGIA ergo vnde dicuntur Magi, qui sapientiam actiuam: & Magistri qui particulam eius habent, alia est diuina, quando alicui vt Dei Instrumento extraordinario, obediunt Entia creata, vt Sol Iosuë, & Helisæo Mors: alia naturalis, qua vtuntur Dæmones, & Physici, & hæc requirit scientiam Physicam, astrologicam, & religionem. Alia Dæmoniaca, quæ etiam Physica est, sed nos illam non intelligimus, quia rerum vires & modos notos Dæmoniis non nouimus. Alia est ioculatoria, qua vtuntur circulatores illudentes plebi, vtentes dexteritate, & occasione, & interdum naturalibus, de quibus in 4. de sensu rerum luculenter disputauimus: idcirco hic satis est nosse, Angelos posse omnia, quæ illis subduntur, afficere, vel per motum, applicatiuum actiuorum, & passiuorum: vel per significationem erga nos, vt dictum est. Quapropter ridiculum est putare, eos pluuiam facere sola imaginatione, si aër non est illorum corpus, sed motione aggregatione: falsumque est, Christum miracula fecisse vtendo naturalibus: quando quidem simplici loquutione imperatiua & vmbra & tactu, miracula faciebat, nullam præparationem Physicam conficiendo, neque inutiliter operando. Quæ dico contingunt miraculariis non diuinis, vt probauimus ex S. Iustino, & S. Clemente. Stultumque est arbitrari, animam Christi, & Moysi, & Samuelis, potuisse aquam vertere in sanguinem, mortuos resuscitare, pluuiam in cælo sereno facere vi naturali alterando: vt putat etiam ex parte Auicennas & Pomponatius indoctissimè, ne dum impiè: quoniam extra nos non agit imaginatio nostra: nisi per motionem, & significationem: motio autem tam virtuosa esse non potest, vt quod natura non potest facere, nos possimus. significatio vero non se extendit nisi ad homines nostri idiomatis, non ad naturam rerum. Ad Dæmones & Angelos extenditur: sed non habet vim in eos: quoniam inferior natura non potest in superiorem, nisi sit supremæ induta virtutem: sicut lictor potest in principem, Regis indutus potestatem.

In Angelis non esse sexum, neque generatiuam potentiam, nisi æquiuocè.

CAP. IX.

REMANET adhuc quæstio, vtrum in Angelo sit potestas generandi sibi similem: quoniam si ea pollent animalia, & calor & frigus: & in ipsa sui diffusione, & generatione magnopere delectantur, & vt dicit D. Thomas, Deo assimilantur in causando: non videtur neganda Angelis. Quapropter Rabbini Hebræorum putant, reperiri Angelos masculos & fæminas: ex quorum coitu aliorum fit generatio. Et Origenes non videtur aduersari, dum cũ multis Doctoribus contendit Angelos cum mulieribus quoque coire nostratibus. Verum-enim vero erronea est hæc cogitatio, si incorporei sunt: sin vero corporei, cum ipsorum corpora sunt diuersæ naturæ, non videntur humano coitu delectari, vti neque homo coitu Echini, aut locustæ delectatur,

neque aquila humano. Diaboli autem in aſſumptis corporibus id faciunt propter improbitatem, & peccandi cupidinem, & fallendi. ſeipſis verò generare, videtur inconueniens. Etenim eo modo generat quæ mortalia ſunt, vt cõſeruent ſe in prole poſt mortem, quoniam natura indiget eorum ſpecie ad vſus futuros, vti ad præſentes. Quapropter ſol & ſtellæ non generant ſoles & ſtellas, quoniam non eſt opus illorum prole ad rerum vniuerſitatem: ſed potius eſſet deſtructio. Lapis quoque non generat lapidem, quoniam non facilè ex terra fit. Animalia autem & plantæ, quoniam eorum generatio eſt ad vſum communem eorum inter ſe, & nos, & vniuerſitatem, propagantur ex ſeipſis, quoniam abſque forma præuia difficile fiunt, ſicut ab artifice multa fiunt abſque typo, quæ facile elaborantur: multa vero nonniſi in typis. Neque quia eſt delectatio in generatione, Angelis tribuenda eſt, vt Mahometes facit. Nam & in comeſtione reperitur, dum reſarcitur deperditum, & tamen illi non manducant, quoniam neque minuuntur. Voluptas autem hæc eſt ſtimulus ad conſeruationem per cibum, medicamentum indiuidui morituri, & per coitum ſpeciei caducæ. Quæ vero conſeruantur immortaliter, eorum conſeruatio eſt illis voluptas ſolida, veraque non medicinalis, vt in ſuperioribus dictum eſt. Quapropter, ſi ſimilem producunt Angeli incorporei, erit productio abſque coitu, ſed qualis eſt caloris à calore multiplicato. Sed cum Angelus non perimatur, vt calor à frigore, aliiſque occaſionibus, non indiget huiuſmodi multiplicatione.

Præterea, multiplicatio caloris eſt ad vſum totius Naturæ, quæ eo vtitur ad cuiuſlibet Entis immutationem, & generationem, tanquam inſtrumento: inſtrumentum vero conſumitur, vt Malleolus in ferraria officina continuo: idcirco neceſſaria eſt eius inſtauratio: cum autem Angeli non conſumantur in rerum adminiſtratione nequaquam multiplicatione indigent. Quod autem non conſumantur, ratio docet: quæ diuiniora Entia immortalia eſſe ſuadet.

Item, auctoritas Doctorum Sanctorum, & ipſius Platonis, qui quæ à Deo immediatè creantur immortalia eſſe veriſimiliter exiſtimat, & rationes olim productæ. Licet ergo aliud aliæ ſectæ prædicent: cum hoc ignotum ſit, credendum eſt ſanctiſſimis & doctiſſimis.

Item arbitrati ſumus paulo ante, Angelos carere Phyſico contrario, quo ſolo Ens perimitur omne. Nam & quæ marceſcunt elabenre calore metu frigoris, & amore externi caloris, non niſi à contrario perdi ob id, palam eſt. Hoc tantum aſſerimus, Angelos minores à melioribus illuminari, ex qua illuminatione ſequitur opus aliquod, quod eſt ſpecialis partus: ſicut magiſter diſcipuli animam ingrauidat, quæ parturit opera ſapientiæ: & hac ratione docens eſt mas, doctus vero fæmina: & de hoc dictum eſt prius: quæ autem referunt ſagæ in contrarium, illuſiones ſunt Dæmonum in corporibus adſumptis.

DE SAPIENTIA Angelorum.

CAPVT DECIMVM.

ANGELVM SE PER ESSENTIAM intelligere: Deum vero per ſe, tanquam per effectum: alios Angelos intuitiuè, quatenus ſimiles ſunt illi: diſcurſiuè autem quatenus excedunt ſimilitudinem. Res vero inferiores, etiam ſingulares noſſe, contra Peripateticos. Sed vtrum per ideas congenitas, vt putat D. Thomas, & Plato, an per acquiſitas à rebus, vt Scotus. Hoc quæritur de rebus, vt factis à Deo, non de formis, opera Angelorum inelementatis impreſſis, quas norunt, vt Artifex artificiata.

ARTICVLVS I.

QVONIAM ſapientia omnis, aut aliunde addiſcitur, aut nobiſcum innaſcitur, & propria fit inuentione: videndum eſt, qua ratione Angeli naturaliter cognoſcunt. Et quidem ſeipſos per ſe cognoſcere, certum eſt ex antedictis, quandoquidem res omnis nouit ſeipſam, licet abdita ſit talis notitia aduentu externarum. In Angelis tamen abditam eſſe non oportet, ſi externis non pulſantur rebus, à quibus cognitionem hauriunt. Ergo à principio ſeipſos norunt, & non ſicut nos vix in ſenectute. Sed vtrum innata, vel illata ſit rerum ſcientia, difficile eſt noſſe. Deum quidem norunt, ſeipſos agnoſcendo effectus illius, in quibus cauſa relucet.

In ipsum enim Deum intuitum non figunt, sicut nec nos in solem absque auxilio supernaturali. Alios vero Angelos tanquam similes. Simile enim in quantum simile, est vnum cum suo simili. Ergo se cognoscens per essentiam, cognoscit similem per essentiæ similitudinem. Non ergo inferiores cognoscunt superiores tanquam suas causas, vt dicunt Arabes, sed tanquam similes: & quia deficiunt à similitudine, cognoscunt non intuitiuè, sed discursiuè illum excessum, sicuti nos in paruo tacto calore multum & totum intelligimus. Superiores vero cognoscunt inferiores sine discursu, quoniam horum similitudinem excellunt. Sed non sicut Deus: qui cum sit causa omnium, & omnia, eminentissimè cognoscit intimas singularitates omnis Entis, vt in 2. p. dictum est.

At quo pacto cognoscunt inferiora naturalia, & corporalia, magna est quæstio: liber de causis dicit, quia sunt causæ naturalium, ideo norunt naturalia, vt artifex artificiata. Sed hoc verum est de formis compositorum, quibus præsunt: non autem de essentiis simplicium & compositorum factorum à Deo. Auic. vero sicut in vniuersali particularia: Auer. autem cum Aristotele singularium notitiam illis aufert. Scotus putat, ab ipsis rebus, & spiritualibus, & materialibus pati, vti nos, & intelligere, & discurrere, & componere, & diuidere: diuus autem Thomas per species omnium rerum concreatas intelligere putat res omnes absque vllo discursu, & compositione, & diuisione: quoniam Deus creat in esse naturali res cunctas in mundo, & simul in mente Angeli res easdem creat in esse intentionali: sunt ergo omnia in Deo essentialiter, & eminenter. In Angelis intentionaliter: in mundo vero naturaliter & est mundus Archetypus in Deo: & Angelicus in spiritualibus: & visibilis in naturalibus corporeisque: & hac ratione singularium notitia Angelos non potest effugere, quia ipsorum speciebus pleni sunt: & quando Petrus est, statim assurgit repræsentatio eius in mente Angeli per speciem hominis: & quando non est, deficit in Petro similitudo, & repræsentatio, & noscit Angelus Petrum non esse: sic de cæteris rebus, & accidentibus, & singularitatibus. Idem videtur sentire Augustinus, & Plotinus etiam de animæ humanæ notionibus. Hæc autem iuxta nostra principia examinentur. Sed quoniam singularia tractant, singulariter norint oportet. Absurdum est enim Angelos ignorare, quæ homo scit: intellectum autem esse particularium, si distinctus, certusque est, alibi probauimus contra Aristotelicos.

Scientiam naturalium potius congenitam, quam acquisitam esse in Angelis: Supernaturalium vero, & volitionum esse acquisitam, sicut & futurorum contingentium. Et circa hæc esse discursiuam, & posse falli, si Deo non subdatur, & tamen hunc discursum non fundari in passione preuia, vti Noster.

ARTICVLVS V.

QVONIAM scire est per esse quod scimus, aut per fieri: quod autem fit, est: ergo scire est esse: & quoniam esse aliud, quam quod sumus, nobis impossibile est ex toto: sed tantum ex parte: ideo scientia nostra est discursus. Non enim totaliter sensus immutatur ab igne: fieret enim ignis: sed ex parte: ex qua parte subito argumentamur totum ignem, quatenus pars est similis toto. Vnde qui fit pars, fit totum: fieri autem pars, est sensus: totum vero, discursus & ratio. Intellectus vero est intrinsecè naturam rei legere: & si totam & in se legit, vocatur intuitiua intellectio, qua similis est sensui percipienti partem. Si vero non totam, sed quatenus similem alij, vocatur abstractiua: ex eo quippe quod cognosco Petrum esse hominem similem Paulo, abstractiuè nosco eum, quod etiam discursus est. Sed quatenus nosco hunc hominem Petrum cum suis conditionibus, intuitiuè intelligo: intelligere ergo in hoc à sensu differt, quod totam naturam cognoscit, sensus partem: & est intelligere in nobis cum discursu ex his, quæ sentimus, & quasi iaculum discurrens. At si absque discursu fieret, vt sensus intuitiuè, validior, & verior esset intellectio.

Secundo animaduertendum, est quod auctor naturæ, non omnibus rebus eandem cognitionem largitus est, sed cuique qualem, quantamque eius vitæ & conseruationi, & operationibus, nouit necessariam esse. & quoniam vita omnium est particularis, partem sapientiæ habent: solus autem Deus totam, quia vniuersalis. Aquilæ in rupibus moranti vt à longè escam contemplaretur, visus acumen datum est, cani dedit natura odoratus sagacitatem: equo insidiarum olfactionem: lupo auditus excellentiam: vulpi astutiam: homini rationalitatem,

Nec tamen cornua, & vellera hominis: quoniam potest sibi arma & vestem parare per rationalitatem, & manum eius instrumentum: vnde superflua fuisset natura, si ista dedisset. Nec alas dedit boui, quoniam ad terræ culturam fecit eum. Ex his patet, quod si ad vitam Angelorum notitia omnium rerum necessaria est, dico naturalium, omniscios factos esse, oportet. Hoc autem ita se habet, quoniam si Angeli deputati sunt ad Dei laudes, & admirationes: laudari autem non potest quod ignoratur, vel cuius opera latent: Idcirco omnia scire eos oportere censendum est. Rursus, quia gubernatui rerum præfecti sunt: gubernari autem non possunt ignota, res omnes

noſcant oportet. At, qũ à non omnis Angelus omnia gubernat,ſed alij alias res: ergo cognitione intuitiua non omnia norunt, niſi quæ regunt: cætera vero per ſimilitudinem, & abſtractionem & diſcurſum. Sed quia ad Dei laudem, res omnes noſſe oportet: propter id omnes norint intuitiuè, & totaliter:& quia ſcientia eſt paſſionis ſequax, quæ enim patimur, efficimur, ſcimus, & cognoſcimus: Angelus autem à rebus pati non poteſt,quia nobilius, & ſuperioris ordinis ab ignobiliori & inferioris ordinis non patitur, niſi quatenus inferius Ens aſſumitur vt inſtrumentum cauſæ ſupereminentis. vt lictor agit in principem virtute regis: & penna ſcribit doctrinam virtute ſcribentis, & ignis punit animas diuina iuſtitia: idcirco melius eſt arbitrari, Angelis congenitas eſſe ſcientias, quam per paſſionem acquiſitas. Sed quæritur quomodo anima humana à rebus vilibus & corporeis patitur.

Reſp. cũ Ariſt.quidã,in virtute intellectus agentis: ſed qui negant intellectum agentem, id derident. Et remanet quæſtio, quomodo ſenſus nobilis ab ignobili patitur ſenſibili. Nec reſponderi poteſt niſi quia ſunt eiuſdem ordinis, & anima ipſa ſpiritui immerſa quaſi corporata eſt, & patitur vt in corpore, per accidens à vilibus:aut vti Plotinus,qui ſympathiam facit cognitionem,dicere animam innatas habere notiones rerum,& à rebus non pati,ſed excitari ad ſui ipſarum conſiderationem. Nos autem diximus excitari & ſpecificari quoniam inconfuſo ſcit omnia, quatenus primalitatibus conſtat: ſed diſtingui & ſpecificari ab obiectis, & occaſionem, non cauſationem, ab obiectis præberi notitiarum. Vide quæſtiones Phyſicas noſtras.

At ſicut dicit Auguſtinus, ego cognoſco veritatem, & tu cognoſcis: & ego non in te, neque tu in me:ergo ambo in Deo: Quapropter quatenus ſunt in Deo res, & ab eo eſſe,& operari habent,poſſunt agere in animam. Sed vtrum etiam in Angelum,negat D.Thomas,quoniam eſt ſuperioris ordinis: affirmat Scotus, quoniam non eſt pati corruptiuum. Sed dignior videtur ſententia Thomæ, & ratio Scoti explosa eſt,quando contra Ariſt. id diſputauimus. (at Deus ſcit, & Angelus hanc veritatem)& quia in tebus eſt contrarietas, non autem in ideis: à contrariis autem afficimur contrario modo: & oporteret idem Angelis euenire, vt po ſint noſſe contraria: & fieri ipſa contraria totaliter,vt poſſint ex toto noſſe intuitiuè, alioquin eſſet diſcurſus eorum ſcientia:idcirco adducor ad opinionem S.Thomæ.Non ergo fit Angelus res omnes, ſed eſt idealiter:quia ſuperioris eſt ordinis & mundi mentalis: & præhabet in ſe rerum Entitates mundi Mathematici & corporalis, ſicut lux omnes colores, & multo eminentius. Si quis autem per diſcurſum inueſtigat, non patitur quoniam fundamentum talis diſcurſus eſt ſimilitudo innata,& non illata.

Puto autem per diſcurſum eos cognoſcere futura contingentia & in his interdum falli: quoniam licet res omnes cognoſcat Angelus per rationes ideales,tamen ſingularitatum coniunctiones ab ordine diuino præfixas, & concurſus fortuitos non ſubito norunt, quando inclinatio cauſarum ad neutram partium declinat:alioquin noti eſſet.

Verum quæ nobis fortuita ſunt,non ſunt etiam illis omnia. Inuentio enim Theſauri ex foſſione cum incipit, nota eſt illis,nobis autem ignota,& fortuita.Sed cum ipſi omnes ſciant,vnde naſcitur ignorantia contingentium? fortè quia ignorant voluntatis actum internum,vt D.Thomas.Sed negat Scotus,& Durandus: non quidem rectè: quoniam voluntas cum ſit primalitas, vti ſapientia,& poteſtas,excedit Phyſicas Entitates, ſed de diſcurſu & ſigno illam venantur:& licet norint potentiam, & ſcientiam noſtram, non tamen actum completum, qui non niſi per voluntatem completur, vt 2. p. diximus,hominem nec poſſe neque ſcire quod non vult. Similiter & quæ facit Deus ſupra naturalem ordinem rerum, ignota ſunt illis: quoniam non datur idea eorum. Idcirco hæc & voluntas ſunt cauſa caſualitatis in Angelis: nobis autem longè plures cauſæ ſunt, vt in 2.P.dictum eſt.

Quapropter in his diſcurſu vti eos arbitror. Et licet negent Thomiſtæ aliqui, tamen ſi quid ſit diſcurſus ex prædictis conſideres, palam eſt quod quæ per aliud inueſtigamus ignotum, diſcurrendo, diſcimus: ſicut Diabolus dum argumentatur an Chriſtus ſit Deus: & Iſidorus, & Auguſtinus, & Dionyſius, experientiam, diſcurſum, & phantaſiam dant & ſenſum, Angelis: quoniam omnes hæ ſunt actus ſapientiæ, & vbi eſt ſapientia limitata concurrunt omnes, vt ex dictis palam eſt.

Ergo occulta volitio, & futurum contingens ante cauſæ determinationem, & ſupernaturalia myſteria ante reuelationem ſunt tria, quæ Angelos latent: & in quibus diſcurſu vtuntur, vt elicitur ex dictis Apoſtolorum etiam & Prophetarum rationabiliter.

Vtrum Angelus Angelo loquatur ſolo contactu, & vtrum mediato, vel immediato: & per quod medium, & de differentia ipſarum, noſtræ locutionis.

CAP. XI. ARTIC. I.

SED quo pacto Angelus Angelo loquitur, & propriam explicat voluntatem? loqui eſt manifeſtare mentis conceptum, propriamque affectionem. Manifeſtatio vero fit, aut immediatè, aut per ſignum aliquod naturale, vel ex condicto: vti per gemitum naturaliter paſſio exprimitur; & per verba, & per literas ſcriptas ex condicto, & ſecundum placitum. Qui autem audit ſcit,ſentitque quid loquẽs ſentit. Ergo loquutio & auditio eſt quandocunque Ens Enti ſeipsũ manifeſtat,& imprimit,quod nõ fit niſi agẽdo.

Igitur aqua calida tangens frigidam manifestat ei propriam caliditatem, dum imprimit, effunditque: similiter aër commotus commouet alterum contiguum, ergo ei proprium motum communicat; & hoc est manifestare. At quando per medium aliquod hoc facit, dicitur manifestatio mediata atque locutio. Quia igitur anima clausa est corpore, sicut potest per scientiam habitualem sibi actualiter aliquid manifestare, vt cum ex principiis elicit conclusiones, & hæc locutio est mentalis: ita potest etiam aliis loqui id quod scit, sui locutionem illis imprimendo, quando vult: & quia hoc non potest immediatè; per organa corporea aërem certis modulis verberando, mouet spiritum habitantem in auribus aliorum, perque spiritum mentem, propriaque afficit affectione. Idque est loqui. At si esset anima extra corpus, alteram animam tangendo virtuali tactu, afficeret sui conceptione, vt aër tangens aërem. sicut enim qui est in carcere alteri in alio carcere captiuo per parietum percussiones ex condicto & consuetudine vario modo actas, varias rès significat; ita anima corporata, alteri animæ. Angeli autem liberi sunt à corpore; ergo non indigent loquela per signa, & percussiones corporum; sed quodam tactu sese intelligunt. Sed vtrum hic contactus debeat esse immediatus, an per medium aërem, an per spatium? si immediatus, ergo distantia loci impediet eorum locutionem, & sunt deterioris conditionis quàm nos, qui aliis à longè loquimur per trecentos saltem passus verberando aërem. Si verò per medium aërem percussum sibi mutuo significant, tunc erunt corporei, aër enim in corpus tantummodo agit. & vera erit sententia eorum, qui Angelos corporatos esse opinantur. Si verò per spatium, difficile intelligo, quo pacto spatium deferat intellectionem, & afficiat Angelos, nisi fiat per stabiles primalitates. At si in Deo sibi loquuntur mutuo, hæc erit supernaturalis locutio, non naturalis, de qua nunc inquirimus. Illud quoque difficilius est, quo pacto Angelus inferior agit in superiorem, & in DEVM, dum DEO loquitur, supplicat, vt in sacris Literis legimus.

Locutionem esse manifestationem voluntariam eorum, quæ cælare possumus: & Angelum loqui Angelo, vel per contactum immediatum, aut per medium spatium, vel potius per directionem conceptionis voluntariam ad eos Angelos, quibus vult loqui, & locutionem aliquando esse simul illuminationem.

ARTIC. II.

OMNIS cognitio sensitiua eminenter continetur in intellectiua superioris ordinis. Potest autem res inuita videri, non autem audiri. Locutio ergo non est visio, sed pertinet ad secretorum manifestationem: quæ quando fit à superioribus Angelis ad inferiores, & à Deo, dicitur illuminatio, si est alicuius veritatis expressio. Si verò est voluntatis tantum explicatio, dicitur loqutio à quocunq; fiat, excepto Deo. Nam eius locutio est voluntatis talis manifestatio, quæ est rerum causa, & regula veritatum. Et quoniam hoc concessit nobilioribus creaturis Deus, vt aliqua cælare possint ad libitum: horum modo manifestatio est locutio: & cognitio est auditio, non intuitio. Loquens autem creatura DEO nihil manifestat, DEO ignotum: idcirco non agit in Deum, sed in seipsum, disponendo se ad recipiendum, & sciendum id quod vult à Deo, sicut discipulus à magistro, & napta ab igne. dum autem Angeli mutuo loquuntur, agunt aliquid in inuicem, vt putat Scotus. Sed hæc actio Physica non est mutatio, sed intellectualis Metaphysica, & superioris ordinis. Nec potest si actio est, fieri in distantem, nisi agat per medium, quod Scotus non inuenit: sed nos putamus, esse spatium, quod quidem ex eo, quod potentia, sapientia, & amore constat, deferre potest actiones Angelicas in quantum à Deo habet esse vnitiuum omnium rerum, & est basis substantiarum & actionum: itaque sese intelligunt, & loquuntur per spatium, non vt sic, sed vt à Deo conseruatum constitutumque. vel quoniam mentes præcedunt spatium, & sunt in Deo, sicut spatium in mentibus, & corpora in spatio Mathematico, se inuicem noscant, & colloquantur dicamus in Deo, non vt est obiectum beatificum, sed vt concurrit ad omnia naturalia opera, producens & conseruans esse. Igitur in Mundo archetypo audit, videtque supernaturaliter; in mentali verò naturaliter: in Mathematico verò & corporali per similitudines præexistentes in Mundo mentali, manantes ab archetypo, sicuti in superioribus sermonibus dicebamus. Si autē est loquutio sola ordinatio conceptionis per voluntatem ad alterum Angelum, vt putat D. Thomas; tunc non impedit distantia, neque requiritur medium. Sed ex eo quod volitio huius Angeli ordinatur ad alium, fit in idea alius similitudo, id repræsentans; non quidem noua secundum essentiam, sed secundum modum. sicut diximus, quod Angelus cognoscit Petrum sedere, quia similitudo sessionis & Petri est in eo, & dum fiunt in Petro, relucent in suo simili; quod est in Angelo: cum verò non sedet, cessat hæc coniunctio similitudinum in Petro; & in Angelo amplius vt sic non repræsentatur. Ergo dum vult Angelus Angelo suam manifestare cogitationem, repræsentatur Angelus manifestans: dum non vult, repræsentatur nolens manifestare. Est enim alter alterius speculum, & idea. Hæc autem ordinatio voluntaria, est quoddam signum excitans alterum Angelum ad audiendum. Et quia non ordinatur ad omnes, ideo non omnes audiunt, nisi ad quos ordinatur. Ergo illuminatio, purgatio, & perfectio inferiorum per superiores exercentur circa ea, quorum non est notio inferioribus innata. Sed an innata quoque perficiatur, non dubitamus. superiores autem ab inferioribus non perficiuntur, quia hoc esset supra solitum naturæ cursum, ac proinde miraculum. Angeli autem miraculis non indigent ad credendum, qui nimirum vident omnia in sa-

pientia Dei. Vtrum verò superiora ab inferioribus patiantur in rebus corporeis saltem ratione communis materiæ, alibi declaratum est. Quæcunque enim communicant in materia corporali, agunt & patiuntur ab inuicem corporaliter. vnde nascitur occasio in primalitatibus agendi metaphysicè, patiendique: quæ verò communicant in materia metaphysicali, agunt similiter & patiuntur ab inuicem metaphysicè ante corporationem in mentali Mundo: quo compaginantur, sicuti corporalia in Mathematico.

DE AMORE ANGELORVM.

Angelos amare se ipsos per amorem essentialem; Deum verò supra se, vt probatum est prius: cæteras verò res, vt Dei effectus. quasdam verò desiderare, quarum non habent inditam notionem, & possessionem; sed non afflictiuè, nisi vbi peccarint.

CAP. XII. ART. I.

AMOREM radicalem, qui est pronitas, vel complacentia Entitatis vt bonę, in Angelis esse maximum, probatum prius: & quia nascitur ex sapientia, eo magis amore præcellere palàm fuit. Amant ergo Deum indito amore plusquam seipsos; amant seipsos plusquam res cæteras, quia norunt se cæteris præstare: sed amant res omnes, quatenus amant seipsos, in quibus res omnes sunt in Esse intentionali, & quatenus norunt sese Dei esse effectũ nobilissimum, & res omnes à Deo, amant se, & res omnes, vt à Deo, & sicut vult Deus. Et quidem amore addito illas modo res amant, quarum notiones inditas non habent; indito vero, quorum habent. Entia ergo gratuita & futura contingentia, & notitiam volitionis aliorum Angelorum, vel hominum, desiderant interdum, sed non amant, quia eas in se non possident; Desiderium autem ipsorum afflictiuum non est, quoniam conformatur voluntati diuinæ; à qua nihil exorbirando, non peccant; ac proinde neque affliguntur. Omnis enim afflictio peccatum sequitur, aut proprium, aut alienum.

Angelos posse peccare, quia finitæ sunt naturæ, & non nisi peccato malitię: cui ignorantia, & impotentia est volendo bonum non benè: & superbiam in eis posse maximè, & cęteras culpas hinc oriri.

ARTIC. II.

PECCATVM quidem triplex reperitur, aut impotentiæ, aut ignorantiæ, aut odij proles. peccatum impotentiæ non imputatur ad culpam: neque ignorantiæ, nisi adsit voluntas non potendi, & ignorandi vel abdita: sed odij, quod & malitiæ dicimus, imputatur: Ergo indiget correctione. Corrigit Deus impotentiam, & inscitiam pæna temporali, vel additione ad defectum. Malitiam, æterna. Qui enim scit & potest bonum benefacere, & eligit malum, consummatus est in malitia: quia voluntas peruersa est, quæ præsupponit sapientiam, & potestatem. Omnis autem creata Natura peccare potest, quoniam cum ex Ente & Nonente cõstituatur, potest ad vtrumque inclinari. At quidem in Nonens tanquam in Ens. Nihilum enim per se appeti non potest. In Angelis ergo potest esse peccatum, quatenus possunt velle bonum non benè. vt si velint beatitudinem, & non à Deo, sed à se. Est tamen quæstio, vtrum peccans omnis sit ignorans in eo, quod peccat. Et quidem negat hoc Aphrodisiensis, quoniam multa scimus esse mala, quæ tamẽ eligimus, vt homicidium: vnde videtur Angelus non peccare vt ignorans; sed vt peruersus, sed quomodo peruerti potest? Non quidem à passionibus corporeis, quibus caret, sicut nos, qui bonum vniuersale & verum, vt particulare sequamur, omittimus. Neque ab ignorantia, dum putat bonum, quod non est bonum. Ergo ex eo, quod non vult considerare malum, quod est in illo bono, quod eligit. Hoc autem non velle est peruersitas non indita, sed addita. Quapropter nullo pacto putandum est, Angelos alios natura bonos, alios vero natura malos. Non enim Deus nobilissima Entia vitio donasset. Neque sapientia & potestas tam magna, permittunt peccatum naturale. Ergo voluntas est in causa malitiæ ipsorum. Interuenit tamen aliqua ignorantia, sed affectata, vt cum non vult Angelus considerare appetitionem, & opus suum esse contra regulam Dei summi boni: vel cum non vult futura contingentia extra suam esse notitiam. Etenim si vellet considerare malum, quod contingenter futurum est ab exorbitantia à summi boni lege, non peccaret. Sed quia hoc, vt futurum est dubium, eligit præsens bonum, præponens suam voluntatem diuinæ. & hic error interuenit nimius, qui est superbia. Et quamuis multa futura, sint

certo affutura, tamen quatenus futura, dubia sunt; quoniam adhuc non sunt. Soli autem Deo certa sunt, cui futurum est præsens. Idcirco hoc dubium facit quandam ignorantiæ speciem, quæ decipit voluntarios Angelos. Et profectò peccatum superbiæ in eis radicem habet: quoniam cupiditas, & inuidia bonorum alienorum, ab illa oriuntur. Cupere enim contra Dei regulam, est superbire, & bona aliis inuidere, est superbire; quoniam solus vult excellere superbus, & non habere pares. Idcirco Theologi aiunt, reperiri Angelos bonos, & malos, & malitiam eorum esse voluntariam, & ex superbia totam prodire. Cætera enim peccata nobis conuenientia, illis non adsunt, quoniam sunt incorporei. Impudicitia & obscænitas delectat eos, vt sit in nobis, non quia ipsi eis gaudent. Attamen iram illis auferre non possumus ex ipsorum potestatiuo, quando ipsi feruntur aduersus nos. Sed .n. vbi est Amor, quæcunq; passiones ipsum sequuntur, adsunt; sed spiritualiter in spiritualibus, corporaliter in corporibus: Deus autem expers est; quoniam Amor eius nihilitati non admiscetur, vt dictum est in 2. p. quod non est Inopiæ filius. Quæstionem de geniis bonis, & malis mouet & Plutarchus in Iside: & concludit malos voluntate malos non Natura, ex autoritate Zoroastri. Ne detur Deus malorum secundum Naturam: quidquid Manichæi & Valentiniani è contra mentiuntur.

Vtrum Angelus peccans posit salubriter pænitere: & beatitatis participes, peccare: & in hoc multa latere.

ART. III.

SED quidem alij Theologi cum Origene putant liberos esse Angelos ad bonum & malum; idcirco & pænitentiam admittere, & meliorari & deteriorai. Hanc sententiam alij explodunt, rectè quidem ex sacris Literis; vnde & hæresim sapere ostendunt: At rationibus infirmis, quoniam, inquiunt, discursu carent, & immobiliter apprehendunt, idcirco ab electo iam malo in bonum flecti non possunt: nec è conuerso. sed hæc ratio debilis est, quoniam sequenti pœna admonentur, & corriguntur. Immobilis est apprehensio veri Boni: ideo à beatitudine non possunt deuiare vt dictum est in 2. p. non autem falsi, præsertim post diutinam doctrinam & redargutionem, nisi lapidei sint & bestiis deteriores, quæ verberibus emendantur. Discere dicuntur etiam super naturalia mysteria, quæ ignorabant, & dubitabant in sacris eloquiis. ergo sicut mutantur intellectione, ita & volitione, quæ ex illa oritur. Homo quoque discursiuus est, & tamen immobilis in peccato post mortem perseuerat secundum eos. Ideo probabilius dicunt in termino peccatum immobilitari, non autem in via, & per gratiam Dei confirmari in bono, ne amplius peccent. Sed hæc arcana Dei sunt vix vnquam Theologis pernota, sed credita, rationabili tamen fide. In malo autem à Deo confirmari dæmones, impossibile videtur etiam D. Dionys. & D. Martino: Quapropter superbia propria confirmatur, & ira. nec pœnis admoniti, resipiscunt. Sunt enim & homines, qui obstinantur ita in suis superbis apprehensionibus falsi honoris, vt nolint corrigi, neque metu æternarum pœnarum, neque præsentis mortis.

Dæmones prauos esse, & nostrum procurare malum dolis & vi, vbi datur, nulla ratione negari posse contra experientiam. Sed ferè non tanta scientia pollere omnes, quanta putamus.

ARTIC. IV.

HOC tamen notissimum est, extare cacodæmones improbos, qui malis hominum gaudent, nosque ad peccata, & sacrilegia, & impietates persuasione adigunt; quod expertus sum. sed tamen non tantam etiam Dæmonum sapientiam quantam prædicant Theologi, comperi. Nam vnus ex eis promisit se cuidam appariturum; deinde cum falsitatis eum arguerem, noluit, fingens se propter melius non se præbere visendum viro sagaci, sicut se præbebat alteri, per quem mihi loquebatur, quasi Angelus, & pollicebatur mirifica. siquidem ad quæstiones aliquas ignoranter respondent. & cum quæsissem vtrum Deus possit immutare fatum & mala hominum: ille dæmon, qui se Deum esse simulabat, respondit se posse abbreuiare mala, alleuiareque, & accelerare, vel tardare, non autem tollere, si fato sunt decreta, & prædestinatione. Tunc ergo dixi ad illum. Si Deus prædestinat fato res immobili: ergo & tempus & modum rei. Ergo non potest accelerare, neque alleuiare mala. Hoc argumentum ipse quamuis à me scriptum, non intellexit; & respondit, me esse stultum quasi eius responsum non percepissem; quia (inquiebam) si tu statuisti cras me occidere, non potes perendie id facere: quoniam fati immobilitas, & voluntatis tuæ antiquæ pariter violaretur: Nesciuit respondere, sed dixit se illis scientias daturum occultas propè diem, vtque expectarent: & delusit eos. & ex his & aliis noui ignorantiam in diabolis vt supra scripsimus. Quæ magis ex hoc elucescit, quod vident homines per conuersionem ad Deum, lucrari vitam beatam: ipsi verò excæcati superbia, id quod nobis inuident, nesciunt adipsci, vt dixit Diabolo S. Martinus, teste S. Sulpitio. Quin

si Psellus vera refert, neque omnis nationis linguas diaboli norunt, & corporei sunt: Ergo verò ex his deduco, eos corporatos potius esse in pœnam, & eorum sapientiam non absque impedimentis exerceri: vel forsan vt fallere possint ita respondent ignoranter aliquando; & superbia cæcantur & ira, non autem præcedenti ignorantia.

Corollarium esse superos, & inferos, & nos ad ipsorum pertinere societatem, & dæmones mentiri se esse defunctorum animas. Et demonoplexiam non esse ab atrabile, & syderibus, nisi dispositiuè, & instrumentaliter.

ARTIC. V.

Ex hac tandem Experientia intelligo, vera esse, quæ dicuntur de superis, & inferis. Et nos pertinere ad societatem Angelorum. ideoque nostris sese immiscere negotiis: bonos quidem, vt iuuent: prauos, vt lædant, & decipiant: Ergo id propterea fieri, quod vtrique nos ad sui cupiunt societatem, ergo vel ad locos prauorum, vel bonorum nos post mortem ituros, prout illis, vel his nos similes per opera reddidimus. Omne enim simile ad suum simile tandem fertur, vt calor ad Cælum, frigus, & grauia ad terram. Ergo animæ ad Angelos. Sed tamen dæmones non esse defunctorum animas dumtaxat, vt quidam putant, & ipsi dæmones vexantes homines, mentiuntur, inde intelligo, quod virtute Dei à sanctis hominibus coguntur fateri veritatem & genus suum, & casum de Cælo dare etiam signa introitus, & exitus mirifica videmus. Nec dęmonoplexiam esse atrabilis passionem vel assiderationem in lib. de Sensu rerum abundè probauimus: licet atrābilem, quam Saturnus significat in Cælo, afficiendo Lunam & Mercurium in coniunctos, esse dęmonum impurorum sedem, cum Origene declarauerimus, eaque vti eos & fuliginibus ad terrendam hominis animam. Lucidos verò spiritus esse sedes, & instrumenta purorum Angelorum, quibus imaginarias nobis conficiunt illuminationes, tangendo spiritum, & afficiendo ea scientia, & affectione, qua ipsi nos afficere volunt, siue dormientes, siue contéplantes, quod ab aere affecto in nobis fieri docuimus: Ergo multo magis ab Angelis, sed de his alibi.

Angelos non distingui ex rerum corporearum proprietatibus: sed habere genus, & species, & indiuidua, ex primalitatibus metaphysicis; & pro accessu & recessu à Deo naturales gradus habere.

CAP. XIII. ART. I.

QVONIAM rebus, quæ in mūdo corporeo sunt, Angeli præsident, putarunt quidem, pro naturæ meritis alios aliis rebus pręfectos esse. Quapropter dæmones aqueos, & terreos, & aëreos, & igneos extare, autumant; & cælestes, & supercælestes: quales Origenes dicit esse aquas, quas super Cælum Moyses ponit. Confirmant hanc sententiam ipsi cacodæmones, qui responderunt cuidam, mihi noto, & Psello per Marcū quendam, eiusmodi extare dæmones varios. & antiquorum gentilium Theologia idem docet, dum Deus aëreos ponunt cum Iunone, cælestes cum Ioue, aqueos cum Neptuno, terreos cū Plutone; & fluuiales & fontales, & syluestres Naiades, Napeas, Driades, & huiusmodi: & tandem cuilibet rei præficiunt Deum, vt cuninam cunæ, forculum foribus, liminonem limitarib. ianuę, Palem frugibus, Pomonam pomis. De quibus Sceuola, & Varro scripserunt. Orphæus & Tritemius sex genera dæmonum posuerunt, cælestes, aëreos, aqueos, terreos, subterraneos. Verum cum non ignoremus, vel ipsorum gentilium testimonio improbos quosdam, & fallaces reperiri dæmones, quib. adhuc Tartari, & Americani, & Africani sacrificant, ne lædantur ab eis: sicuti bonis, vt iuuentur; necesse est falsa dogmata multa ex eorū responsis manasse: Quia. n. diabolus se fecerat Deum mundi, cuilibet rei præfecit minstrum, & simulauit se regere omnia hac ratione. Dicendū ergo potius videtur cū Augustino, quod Angeli Dei omnia superiora, & inferiora gubernant tanquam executores diuinæ prouidentiæ: & quod etiam cacodæmones sint illis subiecti tanquam tortores, & lictores, & carcerarij. Et qui a variis rerum administrationib. deputati sunt, videntur à rebus, in quib. exercēt munus, habere proprietatem: cum tamen verum sit res oēs in eorū mentibus relucere, sicut intelligibile in intelligente, vt dictum est. Nihilominus quod aliis alij reb. præficiantur, non temerè fit, sed pro dignitate cuiusq; quoniā extant inter eos gradus, & ordo. Non. n. cogimur fateri cū Origene, Angelos oēs æquales factos à Deo; & iuxta merita, ac demerita eorū, corpora inęqualia facta fuisse, quib. corporentur. Nam adhuc quærendum esset, cur corpus hoc huic Angelo peccanti adaptauit & non alteri? tunc adduces corporū diuersitatem: & ego rursus pro corporib. certabo, non debuisse Deū inęqualitatē illis largiri; eoq; magis quod sensus expertia non sunt, ea ratione, qua Origeni incōueniens videtur, Deū creasse Angelos inæquales.

Gradus a. & ordo sumitur in Angelis ex similitudine, & dissimilitudine. In eo. n. quod similes, sunt eiusdem generis; in eo quod dissimiles, ad particulares species pertinent: & sub specieb. seu communitatibus

tatibus particularib. datur Angeli plures, qui numero differre dicũtur, & hęcceitate. Sed profectò genus & species & indiuiduum est in eis ad similitudinem inferiorum: quoniam mundus sensibilis similis est intelligibili, sed tamen ibi eminentius: quoniã non cõmunicant nobiscum in materia, sed solum in primalitatibus, Potentia, Sapientia, & Amore. & ab his eorum distinctio sumenda est, vt alij pertineant ad ordinem potentiæ; alij ad sapientiæ, alij ad Amoris cathegoriam. sed quoniam primalitates sunt indiuisæ realiter, licet distinguantur formaliter, idcirco omnis ordo erit in omni ordine. Hoc per Metaphysicam agnoscimus, & non vltra.

Ex Metaphysica ratione omninò palam fieri, quod sola Theologia Christiana reuelauerit nobis naturales Angelorum cætus, & officia rationaliter.

ARTIC. II.

EX quibus intelligimus, Theologiã Christianam tantummodo inter oẽs veritatẽ de huiusmodi Entibus tradere; qm̃ ipsa sola Metaphysicæ concordat rationi. Ponit.n. tres Hierarchias Angelorum, quasi tres species subalternas sub genere eorum communissimo, sed tantum inæquatas dignitate pro abundantia, & defectu primalitatum, & accessu à primo Ente & sub qualibet specie Hierarchica ponit tres ordines Angelorum, quasi tres species specialissimas; & sub omni ordine innumerabiles Angelos supremos, medios, & infimos. Prima Hierarchia pertinet ad Amorem, secunda ad Sapientiam, tertia ad Potentiam. & iure quidem, quoniam Amor habet secum Sapientiam, & potentiam, vnde procedit: idcirco Deo proximior, sapientia vero habet potentiam, idcirco in secundo gradu est. potentia verò non præsupponit sapientiam, & amorem, sed habet indistinctè: idcirco tertio est in gradu. & tamen quilibet est in quolibet horum, vt in 2. p. declarauimus. Ergo in omni ordine sunt oẽs primalitates: & in omni indiuiduo: sed denominantur à propriorib. licet in inferiorib. sint superiores participatiuè: inferiores verò in superiorib. excellenter: æquales in æqualib. proprietaliter. In primo ordine ponũtur Seraphini, qui latinè ardẽtes amore interpretantur, suntque Deo cõiunctissimi propter amoris exuberantiã, eique dicuntur adsistere, & non mitti ad ministeriũ inferiorum, sed ad illuminationes, purgationes & perfectiones subsequentiũ Angelorũ ordinatim. & sũt sicut ignis ardẽtes amore: & penetrãtes tenuitate Dei secreta, & veloces ad motiones spiritales, circa Deũ sicut cẽtrum spiritale conuoluti. A Deo tamen complexi, & lucentes ad illuminationes subsequentium. Sub his est ordo Cherubinorum, latinè sapientum: quoniã post Seraphinos perfectissimè Dei arcana suscipiunt & amant, sed non quantum Seraphini. Post Cherubinos sũt Throni, hoc est sedes: quia potestas Dei omnia iudicantis in illis repræsentatur. suntque Deo coniuncti sicut sedes sedenti. In his perficitur Amor, primam Hierarchiam faciens: sed quia Amor habet potentiam, & sapientiam, ab eis duo ordines nominantur.

In secunda Hierarchia, quæ est sapientiæ, primi sunt Dominationes, quoniam perfectè dominatur, qui perfectè amat Deum; non autem amatur ignotum, neque quod non potest amari. Verùm quia amor sapiens, qui dicitur philosophicus, dominatur, & non sophisticus; idcirco in primo ordine sapientiæ sunt Dominationes. Vnde Petro Apostolo dictum est. *Petre amas me? pasce oues meas.* Non enim potestas potest regere, quod est pascere, sine sapientia & amore, quia esset tyrannica: neque sapientia sine amore, quia esset sophistica, & fraudulenta. Ergo amor requiritur ad dominandum, qui sapientiam & potestatem præhabet, vt declarauimus in politicis. Dominationes ergo dicuntur, licet à sapientia secundum Hierarchiam; ab Amore secundum gradum in Hierarchia, quia respondet Seraphinis, & à potentia secundum quod Thronis substant immediatè, & supremum infimi attingit infimum supremi. Sub Dominationibus ponuntur Principatus. Principari autem architectonicè, est sapientiæ, vt nauigatoria nauifactuæ, & dolatiuæ principatur. At secundum Dionysium ponuntur Virtutes. Virtus autem prima sapientia est. Nam robur & virilitas non est virtus, nisi à sapientia regatur. Sicut canis & leonis virtus non est, sed robur; verum nisi adsit Amor, & potestas operandi, neque virtus est, sed vidimus in Physicis ad virtutem primo sapientiam, id est prudentiam pertinere: & omnem virtutem sapientiam esse. & hi mittuntur ad ministerium per dominationes. Post Virtutes sunt Potestates, respondentes Thronis. & hi resistunt contrariis, & exequuntur ministeria multa potenter, sapienterque. vbi palam est, Hierarchiam hanc integrari quoque ex primalitatibus. Tertia autem Hierarchia, quæ pertinet ad potestatem, habet exequi præcepta Dei in mundo inferiori, ad quæ non mittuntur quatuor primi ordines, nisi forsan in maximis mysteriis supernaturalibus. Et in primo gradu sunt principatus secundum Dionysium. Gregorius verò ponit virtutes, sed de nomine est differentia: quoniã ex vi Hierarchiæ habent nomen potentiæ, & ex vi subsequelæ ad infimos præcedentis Hierarchiæ, & ex ministerio. Quoniam principari est esse primum in aliquo opere exequendo, & disponere cæteros ad idem. & quia omnia seua & immania facilia facit Amor. ideò primi sunt ad exequendum ob amorem Dei præcipientis, & principatus ex vi ordinis ab amore dicuntur. sub his ponuntur Archangeli, qui nunciant opera maiora: & in pertinentibus ad ordinem gratiæ, potiusque naturæ ministrant. idcirco dicuntur Archangeli quasi principes Angelorum. & quia hoc opus pertinet ad secreta diuina tractanda, nuncianda, quasi Legati extraordinarij sunt à latere Principis, & sublimia sciunt. ideò pertinet eorum nomen ad sapientiam, & respõdet Cherubinis, & virtutibus, sicut principatus Seraphini, & Dominationibus: sed ex vi Hierarchiæ, & non ordinis videntur nominari proprius. Angeli sunt tertio in ordine, quasi missi, & nuncij vocati, quoniam naturalia omnia gubernant inferiora, &

ordinaria, prout disposuit Deus. Ministerium autem hoc indiget fortitudine; ideò ex Hierarchiæ, & ordinis ratione nomen pertinens ad fortitudinem deberent habere; & quidem habent ex parte; qui enim mittuntur ad operosa negotia ordinaria, robustissimi sunt. Sed quoniam attingunt nostram Hierarchiam, cui annunciant, & præsunt, ab hoc munere Angeli dicuntur; quod nomen commune est omnibus, quatenus superior inferiori annunciant, & omnia nomina superiorum conueniunt etiam Angelis per participationem, sicut inferiorum superioribus per excellentiam, vt dictum est. Alias Hierarchias non est inuenire in eis, quoniam totam Metaphysicam per tria complent. Est in Deo monotrias prima Hierarchia superessentialis, qua primum Ens potestate, sapientia, & amore constat, vnũ omnino, vt in 2. p. dictum est. sub qua exitur ab vnitate pedetentim, & fiunt tres Hierarchiæ: quæ tamẽ ipsam vnitatem fortem seruant. Sub his Angelicis Hierarchiis sunt animarum ac corporum ordines, vt elementa & elementata meliora, & deteriora, & omnia omnibus similia sunt. Nam quæ sunt in mari esse in terra, & quæ in terra in Cælo, & quæ in Cælo in Angelis, & quæ in Angelis in Deo, esse declarauimus. At quia homo est mundi Epilogus propiam habet Hierarchiam, de qua mox dicemus.

Triplex rerum genus scil. Angelorum, Mathematicorum, & corporum, benè positum, ac colligatum à Platone, *& numeros & magnitudines, & corpora componere mundum, vt ipse dixit: & ab Arist. ignoranter, & crasse incusari.*

CAP. XIV. ART. I.

QVONIAM igitur nouimus in mundo naturam corporalem, eique subiectam incorpoream spatii magnitudinem, & omnia gubernari à virtutibus incorporeis iuxta ordinem primi Entis, rectè Pythagoram ac Platonem triplex genus seu ordinem Entium posuisse innotescit. & falsò ab Arist. incusari, quod non reducant omnia ad vnum primum, & mundum mal disponant. *Non enim,* inquit, *corporea ab incorporeis proficiscuntur, neque à numero magnitudo, neque à magnitudine corpus. nullaque ratione possunt ita colligari. Ergo mundus non est vnus*) palam enim est (inquam) quòd corpora non possunt subsistere, neque moueri nisi in spatio. Spatium autem magnitudo est incorporaliter longa, lata & profunda, & in eo signantur, & verificantur Mathematica. Sunt ergo colligata sensibilia cum Mathematicis intrinsecus. Angeli autem administrant corpora intra Mathematica volitantes, & in eis imprimunt ideas diuinas, vtentes calore & frigore vt instrumentis, veluti Ferrarius igne & aqua & lima: & incus autem & basis est spatium, Ferrum verò, in quo laboratur artificium, est corpus materiale. Hæc autem omnia sunt Entia. At Entia à primo Ente manasse, in 2. p. probatum est. Quapropter insufficienter Aristot. disponit mundum, quia aufert artifices, & ideas factibilium, & basim in qua subsistunt Entia. Prauè ergo incusat Platonem, & is rectè vocat ideas vel Angelos numeros: quoniam artifex iuxta numerũ artificiata cudit. Spatium verò vocat Mathematicum genus, quoniam ratio mensurarum rei factibilis à spatio capitur: absque quo neque extendi, neque intendi, neque figurari Ens potest corporeum, neque terminos sortiri. sensibilia verò vocat corpora, quæ ex Mathematicis, & numeris componit participatiuè: sicut gladius habet in se numeros artis, & mensuram spatii, & corpus ferri. Hinc rectissimè dixisse Salomonem, nouimus, omnia creasse Deum *in numero, pondere, & mensura* & licet res omnes istos habeat modos; tamen numerus videtur tribuendus intellectualibus artificibus, quia incorporei sunt, vt numerus: Mensura spatio, quoniam ab eo est omnis terminus corporis, & dimensio commensuratur. Pondus verò corporibus, quoniam pro corpulentia responderant aliæ sursum, aliæ deorsum vergentes, vnaquæque ad cognatum corpus. Et quidem si à corpore aufers passiones, & materialitatem, remanet spatium. à spatio si auferes dimensiones remanet numerus. tolle à linea longitudinem, & remanet dualitas, à circulo lineam, & remanet vnitas: Sed tolle à numero distinctionem, & remanet vnum Ens, qui est Deus. Ergo Theologia Platonica sic processit ex corporalibus ad Deum tollendo imperfectiones. sed quoniam de ideis numeralibus multiplex quæstio torquet stupidos, & nihil altum sapientes Peripateticos, de ipsis dicere ne grauemur. Hoc prius dicto, quod Arist. malè disponit Entia, & non Plato: ille enim aufert necessaria, & non ab vno originat omnia, sed casu quodam æterno alligat Angelos, & Deum orbibus absque vllo fine, & processione cum Mundo.

12. Metap. cap. vlt.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ

PARS TERTIA

METAPHYSICORVM DOGMATVM.

QVI DE ARCHETYPO MVNDO, ID EST DE IDEIS.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

IDEAS ESSE EXEMPLARIA, PER QVÆ cognoſcunt, & quorum inſtar agunt cauſæ agentes, quæ facienda ſibi proponuntur; & in inuentoribus à ſe, in imitatoribus ab alio accipi; ergo in Deo eſſe eſſentiam ſuam intellectam, vt participabilem pluribus modis, idcirco plurimas eſſe ideas: quæ ſunt abſolutum cum reſpectiuo, & complentur voluntate.

CAPVT I. ARTIC. I.

QVONIAM non caſu quodam factum eſſe Mundum, neque ex temeraria contrariorum pugna, eius mirabilis conſtructio nos docuit: Non enim rebus ſummè contrariis, & non niſi propriam amplificationem, & contrarij deſtructionem procurantibus, mundi formatio & animalium & plantarum, quarum pars omnis ad finem, & vſus mirificos, non ſuperfluo nec deficienter, condita eſt, tribui poteſt; ſed opifici longè potentiſſimo, longè ſapientiſſimo, longeque optimo: Qui contraria elementa cohibere potuerit, & ſciuerit, & voluerit, ad diſtinctam mundi pulchritudinem mirificè conſtruendam. Omne autem agens, quod non temerario agit, præcognoſcit quæcunque agenda ſunt ſibi, & ad ideam ſuæ præcognitionis, & prædeterminationis, & non incertum quidquid occurrit, vt Talmutiſtis videtur, poſtea agit. Quapropter videtur idea eſſe forma obiecta intellectui agentis, vt exemplar, & principium cognitionis agendorum, aut quidem agibilium. Non enim quæcunque ſcimus facere, poſſumuſque, facimus; niſi etiam velimus. Quapropter completa ratio ideæ eſt addita voluntate, quæ facit ipſum exemplar, nedum rationem, vti à ſapientia erat. Et quia non omnium idem eſt exemplar, ſed aliorum aliud; idcirco plures eſſe ideas in primo artifice cognouimus: ſicut alia eſt forma gladij, alia ligonis, in Ferrarij mente. Et quoniam primus artifex, qui eſt inuentor, in hoc differt à ſecundis artificibus, qui ſunt eius imitatores, quod ille habet in ſua mente excogitatum exemplar opificij ſui: hi verò in opificio inuentoris intuentur, ſicut qui fecit primo cytharam, in proprio mente concepit ideam. Alij verò ex cythara, ab eo facta, exemplum acceperunt: Propterea diximus, ideas rerum omnium eſſe in mente Dei, & eſſe ipſam eſſentiam Dei, vt imitabilem, & participabilem à creaturis: & dicere abſolutum cum reſpectiuo, id eſt eſſentiam cum imitabilitate; & fiunt ab intellectu diuino, dũ intelligit eſſentiam perfectiſſimè: quæ vt ſic omnib. modis eſt participabilis. Neque enim intelligitur eſſentia imitabilis, & deinde naſcitur reſpectus idealis: ſed ipſa intellectio eſſentiæ imitabilis eſt cõſtitutio reſpectus idealis. ergo eſt cognitio ideatorum, & conſequenter factio, accedente & complacentia ideati. & hæc eſt productio perfecta in eſſe cognito: quæ ſi eſt ſola denominatio extrinſeca cognoſcibilium, vt putant Thomiſtæ, dicit tantummodo reſpectum ad cognoſcibile: ſi verò dicit aliquod eſſe diminutum, & ſecundum quid, abſolutum eſt quidẽ, & fundans relationem. Sed fortè Scotus fallitur in

hoc, quoniam putat naturali neceſſitate, hoc eſſe à Deo fieri, dum ſeipſum intelligit, & omne intelligibile. Quod falſum eſt. Nam vt ſic, tantummodo rationes rerum vt ſcibilium producit, extrinſecè denominantes ſcibilia factibilia; ſed accedente voluntate libera, perficitur ratio exemplaris ſcibilis vt factibilis. Et ſic propriè habet rationem ideæ completam. ſed an ſit eſſe diminutum abſolutum, fundans relationem, difficilè agnoſco. Nam determinatio faciendi aliquid, eſt principium, & abſolutum cum relatione; ſed quoniam id in nobis eſt verum, non autem in Deo, cuius operatio omnis eſt ſua eſſentia: idcirco non audeo ponere eſſe abſolutum realiter diſtinctum ab eſſentia eius, neque ex natura rei, ſed tantum formaliter, vt dictum in p. p. lib. 2. vt ſit quaſi Ens rationis diuinæ excogitatum in Deo atque in verbo ſuo, quo ſe ſibi exprimit ſine receſſu, procedente ex notitia Dei totali, & rerum omnium volendarum, & volibilium, habeat eſſe expreſſum, quod Scotus vocat eſſe cognitum. in Amore autem manante ex notitia Dei, vt intelligentis, & intellecti per ſpirationem habeat eſſe volitum, eſſentialiter intus, reſpectiuè ad extra. Et hoc verbum eſt Mundus Archetypus, quo alios Mundos facit & conſeruat Deus, ſicut docet Apoſt. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, non produceremur ad extra, niſi verbum procederet ad intra, & conſpiraret ſimul, vt ſint.

Ideas non modo compoſitorum, vt videtur Platoni, ſed eſſentiam ſimplicium extare in Deo: & non modo ſpecierum, ſubſtantiarumque, ſed etiam generum, & accidentium, & partium, & relationum.

ARTIC. II.

NEC modo poſuimus in Deo ideas rerum, quæ continuo fiunt ex elementis temerè agentibus, & propter ſuam modo amplificationem: quas vix Epicurei negare poſſunt. Cum enim calor nonniſi calefacere intendat, & ignem producere, & frigus terram; neceſſe eſt quod productio animalis tot partibus diſtincti ad diuerſos vſus fabrefactis, tribuatur artifici, vtenti, igne, terra, & aqua, ad productionem animalis, & plantæ, & aliorum; ſicuti faber, igne, lima, & ferro, & forcipe, ad factionem gladij; quem ignis, & lima, & malleus, & aqua, nunquam per ſe facerent. Et profectò ſi ars vtitur naturalibus, vt inſtrumentis ſibi adaptatis; multo magis ad effectus naturales, ponendus eſt artifex eiſdem vtens. Verùm & ad productionem ſimplicium, quæ materia, & inſtrumenta compoſitorum, præpoſuimus artificem ita quod non modo datur idea hominis, & plantæ, ſed etiam caloris, & ignis, & corporis, & ſpatij. Non modo enim Faber facit gladium, ſed etiam malleum & incudem, & limam, quibus facit gladium. & in hoc videmur à Platone primo differre. Ipſe enim poſuit omnia in Chaos temerario motu agitata ante fuiſſe, id eſt, ignem & terram, & aquam & corpus: atque acceſſiſſe mentem, & ex illa miſtura inordinata produxiſſe ſecunda Entia ad ideas propriæ artis, ſicut & Timeus dixerat prius. Et Anaxagoras, qui quidem ideas tacuit, quoniam artem mentalem præficiens, ideas videtur adduxiſſe, vel quia putauit, Entia fuiſſe omnia in actu, ſed temerè miſta in Chaos, & mentem non dediſſe formam igni, neque aquæ, erant enim: ſed tantummodo ſeparaſſe & diſtinxiſſe. Sed profectò ad aliquam formam redegit Chaos, ergo præfuit in illa mente, ſaltem forma poſtrema vniuerſalis. Præterea niſi idea ignis in ea fuiſſet, non potuiſſet particulas ignis prænoſſe, & colligere in vnum elementum, & ſimul particulas terræ, & aliorum Entium, niſi quis fingat cum impiis Talmutiſtis, Deum plures mundi formis feciſſe, & deleuiſſe, antequam diſceret facere hunc mundum.

Quapropter neceſſario ponendæ ſunt ideæ, vt dictum eſt. Anaxagoræ verò Dogma excluſimus, quoniam docuimus, à primo Ente orta eſſe omnia Entia: ergo non præfuiſſe Chaos, ſed poſt nihilum creata. Secundo differimus à Platone, quoniam ipſe poſuit ideas ſpecierum tantummodo, nō autem generum. neque indiuiduorum. quia genera non ſunt niſi in ſpeciebus, & nulla ars intendit facere genus, neque ipſa natura facit animal, ſed hominem, aut leonem. Hic verò homo, & iſte leo non habent ideam particularem, quoniam particularizatio eſt à materialibus cauſis, quæ iam præerāt in Chaos. Sed habent ergo ideam vniuerſalem, quæ eſt ipſius hominis, & leonis. & profectò ſic videmus in artificiatis. Non enim artifex habet ideā huius gladij, neque huius ſigillati, ſed ſigilli, cuius inſtar facit ſigillata. Nos verò arbitramur, & generis, & indiuiduorum, & partium, eſſe ideam.

Sicut enim homo eſt ſimilitudo Petri & Martini, ita animal eſt ſimilitudo hominis & leonis. Has autem ſimilitudines præeſſe in mente artificum ſcimus: Nam ars Ferraria habet ideam armorum, & non ſcripturarum. Scriptor litterarum, & non calceorum. Sed inſuper habet ideam A. & ideam B. ſed huius A. & illius B. non habet ideam: quoniam differentia indiuidualis eſt ab hac materia, & tempore & loco, & vi formationis huius A. quæ non ſubiacent nobis, ſicut A. in communi, niſi quatenus fit ad ſimilitudinem illius communis: ideò nulla ars conſiderat ea, quæ accidunt artificio. Sed in Deo non modo eſt præcognitio ſimilitudinum communium, ſed etiam particularium, & inſuper indiuiduorum, ad quæ eius prouidentia extenditur: & materia & diſpoſitio, & tempus & locus ab eo ſunt cognita & facta, & ad omnem concurrit factionem intrinſecè: & quæ per accidens ſuccedunt, ab eo etiam ſunt. Itaque potius ideæ indiuiduorum pertinent ad Deum, quam ſpecierum. Specierum verò ad artem. At generum non datur idea explicitè, quoniam vt trigonum eſt in tetragonem, eſt homo in animali, & quæ fiunt ad ideam ſpeciei, fiunt primo & immediatè: ſed ad generum mediatè non negamus.

Nisi enim exemplar hominis simile esset exemplari bouino in sensibilitate & motu, nequaquam verè esset exemplar humanum. Damus tandem & ideas partium & totius, vt digiti ideam, & caloris, & iecoris, & animæ, & corporis, & totius hominis. Item & accidentium, & relationum, quæ licet non consequantur speciem, tamen consequuntur indiuiduum, & coëxistentias. Qui vero ordinem fatalem nouit, etiam istorum habet rationes. Non quidem ædificator habet ideam picturæ faciendæ in domo, sed domus tantum, neque temporis, quo incipit habitari, sed hoc scit ille, qui decreuit habitare in ea. At qui vtrumque scit, vtriusque ideas habet, & habitationis, & picturæ, & domus, Deus ergo omnium ideas habet, partium & accidentium, & peccatorum, vt ordinandorum ad aliquem vsum. Causæ vero secundæ nonnisi operum propriorum. Hæc autem in prima & secunda Parte declarata sunt omnia.

RATIONES, QVIBVS AD RERVM generationem, & scientiam, Platoni ponuntur ideæ.

ARTIC. III.

PLATO ergo propter duo posuit ideas; primò, vt fieret rerum generatio. Arbitratur enim quòd nisi sint ideæ lapidis, hominis, plantæ, auri, ista non posset fieri; & ratione quidem. Quoniam elementa hæc non intendunt ista facere: nec artificiosè operantur, sed effusis temerè viribus. Res autem multo artificio fiunt: ergo sunt causæ ideales, vtentes elementis ad horum factionem: nec enim ego facerem magis circulum quam aliam figuram, nisi præhaberem ideam circuli. Sic nec Natura certas species & indiuidua, nisi ideatione regularet elementa. Quod putrefacta & sponte nascentia ostendunt, ex quibus fiunt absque simili præcedenti, nisi in aliqua mente. Et hoc idem confirmant sancti, Augustinus & Iustinus. Formas enim rerum esse sicut numeros, quoniā distinguunt materiam, vt possit multiplicari ideatum omne. Secundò, vt fiat scientia de rebus. Quoniam definitio circuli non conuenit huic articulo semper: nam destructo circulo, ipsa remanet; ergo datur idea circuli, cui conuenit semper. Item, datur scientia de homine, non chimerico, qualia sunt vniuersalia Aristotelis: ergo realiter est homo, & non existentibus indiuiduis, quoniam est idea: & quidem prior ideatis. Non enim est scietia de homine ente rationis Aristotelico, sed ente reali; ideo realis. Item, nunquam videmus hominem perfectissimum vndequaque, sed cuilibet aliquid deficit ad hominis perfectionem. Definitio autem conuenit perfectissimo: ergo datur, & is est idea, & per se homo. Propterea omne Ens per participationem, pendet ab eo, quod est per se. At indiuiduum nullum est per se homo, sed materia participans hominem: idcirco datur homo idealis, sicut ignis per se calidus, quo omnia sunt calida. Item, nisi daretur idea hominis, à cuius recessu perfectiones, & imperfectiones metimur: omnis homo esset perfectus. Neque differret Moyses à Thersite. Cur enim ille sit melior, nisi quia ad perfectum, & per se hominem accedit magis? Præterea singularium non esse scientiam, sed vniuersalium. Si autem vniuersalia non sunt, nulla esset scientia & definitio. Item, res moriuntur, & nascuntur: Ergo datur idea ad cuius similitudinem fiunt, ait Augustinus. Quomodo enim semper esset generatio, nisi aliquod perpetuum eam perpetuaret? ideo arbitratur ideas esse species æternas & incorruptibiles, secundum quas fiunt, & generantur, & cognoscuntur: vbi autem sint, contentio est. Nam aliquando ponit eas in mente Dei. Aliquando in anima mundi: aliquando in intellectibus separatis: aliquando per se existentes, si non mentitur Aristoteles. Sed profecto in Deo originaliter, in anima mundi vero sunt vt in primo Dei ministro. In Angelis quoque participatiuè, vt scientia in Discipulis, qui omnes sub anima mundi exequuntur Dei prouidentiam: in vultibus cœli, sicut in sigillis: in elementis, sicut in instrumentis: in seminibus, vt in compendiis & receptaculis. Per se autem nullibi sunt: sed dicuntur per se, respectu indiuiduorum participantium. Sicuti facies Cæsaris viua per se est eius facies: Imagines vero pictæ instar illius, sunt per participationem eius. Quod Aristoteles noluit animaduertere: & fingit Angelos esse ideas rerum corporearum, quod sequaces eius impingunt Platoni, vel esse in concauo lunæ hominem magnum, quem singulares homines participent. Nec quomodo ista fiat participatio declarauit. Ergo audiamus Aristotelem.

Rationes Aristotelis contra Platonem pugnantes: quod ideæ non conferant ad generationem, neque ad scientiam: & quod non sint numeri substantiales: neque in rerum natura extent. Et adde, quod neque Mathematica extent alia à Sensibilibus.

CAP. XI. ARTICVLVS. I.

1 HINC multipliciter impugnat sententiam Platonis de ideis; & primo quod nihil conferant ad generationem, sed superfluo & nugaciter ponuntur Et primo in primo Metaph. lect. 15. Quoniam non prosunt motui, neque transmutationi, cum sint res stabiles, & fixæ, & æternæ, motu non vtentes.

2. Item in 7. Metaphysicæ lectione 16. corruptibile, & incorruptibile differunt genere: ergo non communicant, neque inuicem generant.

3. Item in 3. Metaphy. non quia scimus esse substantias separatas: ponemus esse eiusdem generis cum corruptibilibus.

4. Item in 7. Metaph. lect. 6. omnis generatio siue artificialis, siue casualis, habet, à quo fit, & quod fit. Quod fit simile est ei, à quo fit, vt artificialia menti artifici, naturalia suo agenti, vt ignis igni, & homo homini, à quo generatur. Ergo ideæ non sunt generantes.

5. Item quoniam vnumquodque fit hoc ab hoc suo simili: estque hoc aliquid. Idea vero non est hoc aliquid, sed quale quid vniuersale, quod non generat, neque generatur.

6 Item idea non valet vt exemplar: vnum quodque enim fit à suo simili in specie, per virtutem generantis absque exemplari extrinseco. Quod probat in primo Metaph. lect. 15. quia hoc est vaniloquium poëticum, assimilari naturalia artificialibus.

7. Item generatur homo ab homine non respiciente ad exemplar geniti: sed quia simile facit sibi simile: si autem ab exemplari, & non à generante esset similitudo: Tunc posset fieri similis Socrati, siue Socrates generet siue non Socrates, sed musca, aut leo sit genitor.

8. Item Socratis erunt plures ideæ, quia Socrates sempiternus, & animal, & bipes, sunt idea Socratis corruptibilis.

9. Item in 12. Metaph. lect. 3. agens naturale & artificiale generat simile: non ergo alia idea requiritur quam similitudo agentis.

10. Item formæ artificiales non sunt extra materiam, quoniam sunt accidentia, quæ indigent subiecto, vt etiam Plato fatetur. Neque naturales, quoniam tunc præexisterent, quod est falsum. Nam causa agens præexistit, non formalis, vt sanitas & sphæra, quæ non præexistunt: sed incipiunt esse cum fiunt. Sed vtrum remaneat aliqua post corruptionem, videtur solum asserendum (ait) de intellectu & in 7. Metaph. lect. 6. rursus dubitans, quomodo in multis fit simile à suo simili. Respondet, quod multi generatio est præter naturam, & artem: sed tamen à simili in genere. vbi notandum, quod Aristoteli fit generatio ab vniuoco, non in accidentibus, quæ fiunt à substantia: neque in substantiis factis à casu per artem, aut per naturam, sed tantum in factis per se, vt quidditas domus est ars domificatoris, cui domus facta assimilatur vniuocè. Sic ignis igni: & homo homini: quoniam in spermate est sicut ars domificatiua. In casualibus vero præcedit etiam materia, & pars formæ similis faciendæ, vt calor excitatus casu per confricationem est pars sanitatis, sicut calor factus à medico gratia sanitatis. sed in quorum materia non est aliquid potens mouere, non fiunt à casu, sed semper ab arte, vt domus quia in lapidibus non est actiua pars domus, neque in ligno ignis. In saltatione vero & sanatione præest aliqua pars mouens: idcirco à casu & ab arte fieri possunt. At quæ fiunt à natura & à casu, in eis præest pars formalis mouensque, vt in rana, & sanatione: est in putri materia virtus cælestis S. Thomæ: Proportionale semini, Auerroi: & non potest nisi ex putrefieri Auerroi: hoc negat S. Thomas: sed per coitum & putredinem generat ista. Auicenna vero à Cholcodea generat ex putri, & ex omni materia: ergo ei possunt omnia Entia perfecta fieri ex putrefactis, & per coitum: & concordat Platoni.

11. Item ait Arist. forma non generatur. quia quidquid generatur fit ex materia, & forma: forma ergo esset ex materia & forma, ergo composita.

12 Item genitum est diuisibile, vt sphæra ænea, in æs & sphæram. Sed forma est indiuisibilis: nec materia generatur, neque sphæra, neque æs sed sphæra ænea, hoc est, compositum. Compositum autem compositio est simile, & non ideæ simplici ergo idea nil prodest generationi.

13. Item, in 1. Metaph. lect. 15. positis causis ponitur effectus: sed positis ideis non fiunt ideata, nisi adsit causa agens Ergo idea non est causa.

14. Item, artificialia fiunt absque idea separata, ergo & naturalia.

15. Iterum, substantia non separatur ab eo, cuius est substantia: Idea autem separatur: ergo non est causa formalis.

16 Item, genera erunt ideæ specierum; ergo species erunt idea & ideatum, seu exemplar, & imago.

17. Item, ibidem lect. 15. Plato prætermittit causas agentes & finales.

18. Item, magis causa est materia, quam idea, quoniam hæc est separata à causato.

19. Item, oportet dare ideam motus, ergo motus: ergo idea motus mouetur. Si autem non datur, nec datur motus, quoniam non datur causa.

20. Item, in 7. Metaph. lect. 9. Idea hominis non est homo per se; cuius participatione fiunt homines, quoniam materia sensibilis est pars definitionis, vt nasus ponitur in definitione simi, non in-

trat materia, neque communis, neque singularis. Homo autem non solum est forma, sed compositum ex materia, & forma, & corrumpitur ad corruptionem materialium: non autem ipsa forma, seu idea. Materia est pars quidditatis, & formæ totius, & non formæ partis, vt simi, & non cauitatis, vt humanitatis & non animæ: & materia vniuersalis, siue sensibilis, vt nasus, siue intelligibilis vt linea, ponitur in definitione, non autem indiuidualis: quia indiuiduorum non est definitio, sed sensus: ergo non est idea substantia compositorum, quia illa est incorporea, & æterna, & extra id, quod fit materialiter.

Quod non sint causæ cognitionis.

DEinde probat Aristot. quod ideæ non sunt causa cognitionis, vt sic: neque vt sunt numeri sunt principia rerum. Et primum in 1. Metaphys. lect. 4.

21. Ideæ sunt nobis ignotæ, & de eis vtrum sint, operosior est quæstio, quam de rebus sensibilibus: ergo ipsæ non sunt causa cognoscendi sensibilia hæc, sed potius è contra.

22. Item datur scientia de negationibus, non autem idea: ergo non sunt ideæ propter scientiam.

23. Item idea incorruptibilis est. At vero datur scientia corruptibilium. Scimus enim hæc corrumpi.

24. Item datur scientia de adaliquid, quorum non sunt ideæ apud Platonem.

25. Item etiam si daretur idea relationis, cum illa sit prior ideatis etiam absolutis: sequitur quod relatio sit prior absoluto, quod est falsum.

26. Item lect. 15. res cognoscuntur per propriam substantiam: sed ideæ sunt extrinsecè, & non sunt in rebus sensibilibus ergo non habetur scientia de rebus sensibilibus per ideas.

27. Item nec potest idea misceri suis participantibus: quia sequeretur, quod forma posset esse absque eo, cuius est forma: & accidens per se existere, vt dicitur contra Anaxagoram.

28. Item lectione 14. datur scientia de accidentibus: ergo & idea. Sed hoc est falsum, quia idea est participabilis, & non secundum accidens, ergo substantia.

30. Item si vniuocè dicitur homo de idea & ideato, dabitur tertius homo, sicut Mathematicorum sensibilium, & intelligibilium dantur ideæ apud Platonem, & sic illius tertij, & istorum erit alia idea communis: & sic in infinitum: quoniam ex similibus semper abstrahitur idea &c. cætera. Si vero æquiuocè ergo non cognoscimus alterum ex altero, quia solum nomen est commune, vt si ligno & Petro des nomen hominis.

30. Item ibidem lect. 16. Plato perperam non diuisit Ens æquiuocum: & dedit principia eadem rebus cunctis diuersisque.

31. Item nec potest accipi ab ideis, vnde sit agere, & pati & curuitas, aliæque materiales. Sed de sola substantia dixit: quæ tamen alia habet principia ab accidentibus.

32. Item non datur addiscere per eum, quoniam ideæ sunt præcognitæ, & sunt rationes omnium scibilium: ergo sola reminiscentia datur.

33. Item connaturalium non obliuiscimur. Si ergo nos nascendo participamus ideam: omnia sciremus, illam participando. Quod tamen est falsum: quoniam labore addiscimus.

34. Item ex ideis noscuntur tantum principia formalia: sed ad scientiam requiritur nosse materialia, vt vtrum sima sit quatuor literæ vel vna litera.

35. Item, ad scientiam rerum oportet sensibilia nosse. Si ergo per ideas sciremus illas: cum ideæ sine sensu noscantur, quoniam non sunt sensibiles: sequeretur, quod de sensibilibus sine sensu iudicaremus vt cæcus de coloribus.

36. Item in 7. Metaph. lect. 5. per ideam non constituitur, neque nascitur definitio, & quidditas: quoniam ipsa non est quidditas sensibilium. Quidditas enim est idem cum eo, cuius est quidditas, re, & ratione: vt idem Petrus & hoc animal rationale: alioquin quidditas quoque ipsius ideæ esset aliud ab idea, & prius illa: ergo Ente vero, & bono, esset, aliquid prius: quod Plato negat.

Præterea illius quidditatis esset alia quidditas, & huius alia, & sic in infinitum: ergo idem est quidditas cum eo cuius est. Item si sic non esset, sed diuersa, non poterit sciri id, cuius est quidditas per illam. Neque erit id, quod est, vt homo non erit homo, si quidditas hominis erit ab eo diuersa, & separata, ac proinde non poterit sciri quod sit homo. Scitur enim omne per suam quidditatem. Item Ens non esset Ens: neque bonum, bonum, quia est diuersum à sua quidditate. Nullum enim Ens est talis naturæ, nisi per sibi intrinsecam quidditatem, in absolutis. In respectiuis vero secus est, & in Ente per accidens. Non enim quidditas Socratis est album. Sed quoad essentialia. Idem est quidditas, & quid. Idea autem non idem re & ratione cum ideato, ergo non est quidditas neque definitio eius.

35. Item lect. 13. ideæ non competit definitio, quia est singularis. Singularia autem non definiuntur, quia vel termini definitionis sunt singulares: & tunc erunt synonimi, vt Marcus Tullius Cicero: vel communes: & sic competeret aliis & non illi soli.

Quod non datur idea.

38. ITem probat ibidem, quod idea non datur, neque est substantia ideatorum. Idea enim est vniuersale: ergo si dicit substantiam, vel erit substantia omnium indiuiduorum, vel vnius. Si omnium, ergo omnia erunt vnum, quoniam eorum substantia est vna: & redit opinio Parmenidis. Si vnius, ergo alia non conuenient specie cum illo vno, & dicetur semper æquiuocè ly homo, & quodcunque vniuersale.

39. Item substantia, non dicitur de subiecto. Vniuersale autem dicitur: ergo non est alicuius substantia propria.

40. Item si vniuersale est substantia idem erit duorum substantia, vt hominis & Socratis, vterque est animal.

41. Item dabitur tertius homo, qui dicitur de Socrate, & de idea humana. Item nullum indiuiduum erit vnum per se, quia Socrates constabit ex animali & rationali: quorum vtrumque est vniuersalis substantia in actu, & neutrum in potentia ad alterum, ex quibus fit vnum per se.

42. Nam item qua ratione species sunt ideæ & substantiæ separatæ: eadem erunt genera: & differentiæ: quæ similiter abstrahuntur & prædicantur de pluribus.

43. Item sequitur quod animal sit in homine & in equo, sicut tu in te ipso: quod est impossibile vt idem sit in pluribus.

44. Item contraria simul inerunt animali, idest, species.

45. Item animal erit substantia infinitorum, vel erit æquiuocum,& erit idea,& non modo substantia, vt vult Plato.

46. Item quomodo homo est idea præter animam,quod est hominis substantia.

Quod ideæ non sint abstracti numeri substantiales.

Ostendere conatur adhuc, quod ideæ non sunt numeri, sub quibus sunt Mathematica,& sub Mathematicis Physica: & primo in primo Metaph. lect. 14. Dualitas(ait)est prima in genere numeri apud Platonem. Ideæ autem sunt numeri præsertim impares At idea est prior ideatis: ergo datur numerus impar prior dualitate.

47.

48. Item lect. 16. Ideæ non sunt numeri, quoniam etiam sensibilia sunt numeri: ergo eiusdem substantiæ:ergo idem non est causa alterius. Nec dicas alios esse numeros ideas, atque ideata Nam conueniunt in ratione numeri, ergo sunt idem.Nec quia sempiterni sunt illi numeri sint causa istorum. Nam hoc non facit causalitatem, sed habitudo alterius ad alterum. Quæ non est inter ideas & sensibilia.

49. Si autem dicas ideata esse proportiones numerorum, vt aëris, aquæ,& terræ in proportione numerali: ergo sequitur, quod idea etiam sit proportio numeralis: ergo non datur numerus separatus vllus.

50. Item ex multis numeris fit vnus: non autem ex multis ideis vna idea. Nec dicas numerum constitui ex vnitatibus dumtaxat. Nam vel erunt conformes illæ vnitates: & sic diuersæ species numerorum differrent solum secundum excessum: species autem ideæ sunt. Item enim cum sint multæ:multitudo autem ab aliqua diuersitate. Different ergo plusquam excessu: vel difformes,cum difformitas sit à passionibus calido & frigido,raro.denso &c.numeri autem impassibiles sint, sequitur impossibile.

51. Item Mathematica intermedia sunt ex numeris: ergo datur numerus tertius intermedius, quod est superfluum.

52. Item in dualitate sensibili ac materiali sunt duæ vnitates: ergo causatæ à dualitate ideali, ergo vnitas fit à dualitate, quod est impossibile.

53. Item non est assignare causam, qua numerus est collectus ex vnitatibus.

54. Item si vnitates sunt differentes, ergo non erit vnitas principium, sicut nec corpus commune, sed ignis & terra. Si conformes: ergo omnia erunt vnum. At vnum est principium: ergo idem est principium sui ipsius,quod est impossibile.

55. Item lect.17.probat,quod vnum non sit principium:quia tunc omnia erunt vnum.Si autem sunt genere vnum,est impossibile.

56. Item lineæ & superficies, ex quibus componuntur sensibilia, non sunt ideæ,quoniam ideæ numeri sunt: neque Mathematica media: quoniam hæc separata à sensibilibus sunt: neque sunt sensibilia quoniam non corrumpuntur ergo datur quartum genus Entis.

57. Item, in 12. Metaphys. lect. 12. Si species & numeri sunt principia,non dabitur causa motus.

58. Item, ex non magnitudinibus non fit magnitudo, ergo ex numeris non fiunt quantitates.

59. Item enim nec numerus facit vt causa actiua quantum,neque vt formalis.

60. Item, in numeris non est contrarietas: ergo principia non sunt contraria, ergo neque actiua. Sed potentia erunt agendi, ergo & non agendi: ergo possunt non esse: ergo tollitur æternitas.

61. Item, non possunt dicere quid faciat numeros vnum, cum tollant agentem causam: neque quid facit vnum ex anima & corpore,& ex forma,& formabili.

62. Item, si alia substantia numerus, alia magnitudo, alia sensibilis: ergo erunt inconnexa, & alia habebunt principia. Ergo malè disponentur; nec sit vnus mundus ex eis.

Contra Platonica Mathematica.

ARTIC. II.

CONATUR quoque Arist. aliter euertere Entia media inter ideas & sensibilia, dum nihil esse probat spatium: neque in eo locari Entia, sed in superficie ambientis corporis. Quod nos in p. & 2. p. & in Phys. falsum esse ostendimus, contra eum. At in 3. Metaph. assumit alias rationes, & primo.

2. Si darentur Mathematica separata, darentur & soni separati, de quibus tractat Musicus, & cælum separatum,de quo Astrologus. Sed separatum à materia est immobile:ergo cælum de quo Astrologus considerat,esset immobile:sic daretur auditus & visus abstractus, vt color & sonus &c.

3. Item probat, quod non sint substantiæ. Nam linea,superficies, & punctus non sunt substantiæ:ergo neque corpus, quod ex eis componitur. De illis patet.quoniam sunt termini corporis.Terminus autem non est substantia rei. Aliud enim est terminare, aliud constituere naturam rei. Constitutiuum enim habet rationem prioris, terminus vero vltimi.

4. Item termini variantur, manente substantia, vt cum impinguatur corpus,& macrescit:substantia autem mutata mutatur res,ergo &c.

5. Item,substantia est idem ei,cuius est substantia.Si vero sunt termini & mensura, quæ distinguitur à mensurato.

6. Item substantia est in actu in eo, cuius est substantia,sed superficies & lineæ in potentia.Nam potest secari lapis,& nouas superficies, & lineas sortiri,quæ prius non erant.

Item

7. Item, substantia, quæ aliquando est, & aliquando non est, generatur, & corrumpitur. Sed puncta, & lineæ, & superficies copulantur, & non sunt, & secantur, & sunt: & tamen non generantur, neq; corrumpuntur.

8. Item, ostendit instans in tempore, quod neq; in instanti corrumpitur: quoniam haberet ante illud instans, & sic esset in tempore: neque in tempore, aliter duraret & per tempus. Sic dicendum de puncto, & linea, quæ neque in re, neque in aliud corrumpuntur.

9. Item, numerus non est substantia, quia quæ sunt eiusdem numeri, essent eiusdem substantiæ: ergo tres boues, & tres lapides, & triágula essent idē.

Responsio Peripatetica ad Platonicas rationes.

ARTICVLVS III.

AD rationes autem Platonis satisfacit, dicendo quod nec requiritur idea ad generationem, sed sufficit similitudo agentis, vt dictum est in 10. argumento. Ad scientiam autem non requiritur idea per se existens, sed tantummodo vniuersale obiectiuum. De quo prædicata sempiternæ veritatis dicuntur. Semper enim homo est animal rationale. De indiuiduis vero non esse scientiam, sed sensum: ad quod intellectus reflectitur, & cognoscit ipsum sub vniuersali, & non per se. De Mathematicis vero ait, eandem esse abstractionem: & quod non detur corpus & linea in esse obiectiuo; & propositiones illæ, sphæra tangit sphæram in puncto, & continuum est diuisibile in infinitum: sunt verè mathematicè, non physicè, & verificaui scientiam ipsarum, quo ad prædicata essentialia: & sic esse incorruptibilia: & abstrahere à materia Physica, non autem ab intelligibili: & vniuersalia in essendo esse principia rerū, non autem in prædicando, & definitiones Logicæ esse de vniuersalibus, non autem Physicas. Et tamen omnes includere materiam, saltem vniuersalem.

Scientiam à singularibus, & propter singularia fieri, vniuersalia vero defectu singularium; & iterum propter scientiæ perfectionem, & non posse fieri abstractionem, nisi sit idea: neque generationem, neque scientiam multipliciter confirmatur: & sententia Platonis & Arist. corrigitur vario modo.

ARTIC. IV.

NOS autem sæpè sæpius demonstrauimus, scientiam esse singularium, & vniuersalia esse similitudines singularium substantiales vel accidentales, & ex singularium cognitione colligi propositiones communes, & etiam apud Aristotelem, qui inductione, & experimento eas producit: sed quoniam dum singularia inuestigamus, non omnes singularitates memoria tenemus, sed eas modò, in quibus conueniunt cum aliis, quas idcirco vocamus communitates & vniuersalia. Propterea que scientia nostra est debilis, imperfectaque. Diuina vero quæ singularia minutissimaque attingit, perfecta est; Idcirco videtur scholis scientia esse vniuersalium; cum tamen hæc vniuersalia non scirentur, nisi particularia scirentur. Sed quoniam non omnia singularia scimus, quia sunt innumerabilia: at quibus conueniunt inter se, sunt pauca, & facilè memoria tenentur: idcirco scientiam de vniuersalibus facimus, & tradimus, vt deinde alij ex illis paucis vniuersalibus considerent particularia omnia, quæ ipsis offeruntur. Ita quod quidam circulus fit. Nam scientia per inuentionem est à singularibus, quam deinde per vniuersales tradimus propositiones, vnde cæteri homines discant alia singularia, quatenus sunt similia iis, quæ pepererunt scientiam in inuentore. Quatenus autem dissimilia sunt, nouo indigent sensu. Qui enim fecit scientiam de homine, quod omnis homo habet caput, à collo sustentatum, à pluribus singularibus per sensum ipsam accepit. Cæteri vero sequaces illam propositionem, vt veram applicant omnibus aliis indiuiduis, quia similes sunt iis, à quibus orta est scientia. Verum si obuius fuerit homo Acephalus, vt Plinio ponitur, tunc illam propositionem corrigit, & discit hoc singulare per sensum proprium, & nouum. Scientia ergo facta ex multis sensationibus propriis, vel alienis, vel mistis, compendium est eorum, quæ sensus nouit.

Quapropter Aristoteles relinquens Platonem, ponentem scientiam de vniuersalibus, imperitè relabitur in illius sententiam. Debuisset enim mordicus tueri scientiam perfectam esse de singularibus per singularia: communem vero & imperfectam de vniuersalibus per vniuersalia: contrarium potiùs ipse docet. Nec illa propositio acceptanda erat, quod scientia sit sempiternorum: alioquin, nec Deus sciret singularia, & corruptibilia. Quod Aristoteles falsò tamen docet. Sed miror, Theologos quosdam, qui Deum singularia scire docentes, scientiam tamen sempiternorum dumtaxat affirmare non verentur Scire profectò, est rem sapere, prout est: siue corruptibilis, siue incorruptibilis, alioquin ne sciremus Petrum corrumpi, & calorem extingui. Nihil quidem ad scientiam spectat, vtrum sit corruptibilis vel incorruptibilis, sed tantummodo nosse illam, sicuti est.

Quando ergo Plato dicit, quod non ex stente re-

ſa datur eius definitio, quæ conuenit eius ideæ, quæ niſi extaret, falſa eſſet definitio & Ariſt. reſp. quod extat in eſſe ſpecifico obiectiuè. Plato autem in natura. Controuerſia non poteſt ſedari per Logicam, vt putat Ariſt. quoniam re vera coniunctio prædicati cum ſubiecto eſt eſſentialis, & de eo, quod eſt eſſentialiter, verificatur: non de illo, quod eſt intentionaliter, niſi ex parte ſcientiæ, quæ eſt intentionalis: & quidem non cogimur gratia ſcientiæ ponere vniuerſalia in natura: quoniam ſcientia eſt ſignum: ſignum autem poteſt eſſe ſignati, præteriti, & futuri, nedum præſentis: ſatis eſt ergo ad ſcientiam inueniuam, quod illud aliquando ſit.

Ad doctrinalem vero credere propoſitioni vniuerſali, quam ex his, quæ aliquando ſunt, inuentor formauit: niſi forte abſtractio vniuerſalis non poſſit fieri à nobis, niſi quia eſt in mente Dei, in qua nos ſapimus, licet hoc nobis ſit ignotum, ſicut oculo imago viſilis, quæ fit in eo verum quoniam Plato non ponit vniuerſalia propter ſcientiam ſolum particularium, ſed propter perfectionem ſcientiæ. Scimus enim ex ſingularibus, hominem eſſe animal rationale: & circulum eſſe figuram, à cuius centro ad circumferentiam lineæ omnes ſunt æquales. At non eſt inuenire hominem, cui nihil deſit in animo, & corpore: nec circulum prorſus abſolutum, vt definitio monſtrat: neque ſphæram perfectam, quæ tangat planum in puncto: idcirco putauit ideas dari oportere. Si enim neque Reſp. qualem Philoſophi deſiderant, neque poëma abſque erratis vidimus: & tamen intelligimus melius ſemper inueniri oportere. Propterea idea Reipublicæ & poematis datur apud ſcriptores: & ſic etiam aliarum rerum: vnde ſcientiæ perfectio in idearum notitia manifeſtè ponenda videtur: à cuius acceſſu, & receſſu, de bonitate indiuiduorum, iudicamus. Dicimus enim bonum aurum, quod ad auri ideam accedit magis, vt quod vocant de vigeſima perfectione: Si autem non daretur idea optimi, nulla differentia eſſet inter hoc & illud, ſicut oſtendimus in 2. Parte: neque de rebus veritas cognoſceretur.

Ita enim verum eſſet hoc aurum, vt illud, ſicuti enim vera eſt ſcriptura, & domus, quæ ad ideam ſcriptoris, & Domificatoris accedit: ita naturalia, ſi ad ideam Dei. Quapropter Plato docet de indiuiduis incipere ſcientiam, quoniam ab eis excitamur ad contemplandas ideas, ſed in ideis perfici: & tunc verè doctum eſſe hominem cum ideam nouerit: quoniam à receſſu ab ea metitur perfectiones: & imperfectiones rerum. Si enim quis perfectiſſimum ſaccharum, quale in Venetiis conficitur, nunquam docuiſſet, is putaret optimum quodcunque ſaccharum, nec vnquam perfectam de ſaccharo ſcientiam haberet. Item licet colores plurimos quis noſſet, & lucem ignoraret, quæ viuus eſt color, nunquam perfecte colores noſſet. Sique orationes Demoſthenis, & Ciceronis non haberemus: imperfectè de orationibus iudicaremus. Nunc autem proponimus nobis Demoſthenem, vt ideam oratorum. Sed ex hoc adhuc intelligimus poſſe dari perfectiorem, & ideam inuenimus abſtractam. Et quia quod perfectum eſt, prius eſt quam imperfectū, idcirco ideas præfuiſſe rerum originibus, arbitrandum eſt. Prius enim fuit S. Petrus, & poſtea imagines S. Petri: & prius fuit idea domus, & poſtea domus: & licet artifices humani prius ruditer expreſſerint ideas artium, & poſtea ſucceſſores illas perfecerunt: Si enim Ennius non præceſſiſſet, non tantus Virgilius fuiſſet. Nihilominus aliter æſtimare oportet in naturalibus, & eius auctore. Ars enim imitatur naturam, & ideas ſuas à natura accipit. Idcirco prius imperfectè ipſam imitantur, ſicut diſcipulus magiſtrum, prius ruditer, deinde doctè. Vnde Plinius primos Pictores ex vmbra hominis ruditer primas imagines formaſſe narrat, & paulatim, ad perfectam imitationem perueniſſe. At naturæ opifex non ab alio didicit ideas, ſed à ſeipſo excogitauit: ergo quam primo expreſſit, optimam fuiſſe oportet, & Adam primum hominem perfectiſſimum fuiſſe: neq; enim quia Arbor prius fructus inſuaues, & imperfectos facit, quibus veſci vetat Moyſes: poſt triennium vero perfectos: ita de auctore naturæ putandum eſt. Natura enim paulatim proficit, & exit de potentia ad actum. Auctor vero eius ſubito ad perfectiſſimum venit, quoniam eſt actiuiſſimus, potentiſſimus, ſapientiſſimus, & optimus, vt in 2. Parte declaratum eſt, & non indiget alieno auxilio, vt arbor Sole, & cælo, & nutrimento. Quod Talmutiſtæ non conſiderarunt.

Ex his deduco, quod ſi verum eſt, nos nihil intelligere, neque ſingulare, neque vniuerſale, niſi per ideam, & quia efficimur id, quod intelligimus: oportere, primam cauſam ideis eſſe fæcundiſſimam, & eſſentiam ſuam eſſe ideas. Nam & nos ſumus id, quod intelligimus, ſaltem intentionaliter: quoniam aliunde capimus non ex nobis. Deus ergo, qui ex ſe format ideas, intelligendo ſe tanquam participabilem, eſt ipſæ ideæ. Profectò Ariſtoteles ſtultè ponit in nobis ideas rerum obiectiuas, & non in Deo. Et quia Dei idea eſt cauſa rerum, noſtra vero eſt cauſata à rebus, quas de nouo intelligimus: propterea putandum erat, rectè Platonem dixiſſe, quod extarent ideæ, & eſſent cauſæ generationis rerum & ſcientiæ. Si enim illæ non eſſent, Deus non feciſſet res certis modis formiſque conſtantes: neque res in noſtro intellectu ſui ſimilitudines imprimerent. Et quia hoc faciunt vniuerſalia & particularia: imo vniuerſalia extrahimus ex ſimilitudine particularium: Propterea Plato errauit, ponens ideas ſpecierum, & non indiuiduorum, neque generum, neque accidentium. Multo autem magis errauit Ariſt. qui nihil eas conferre ad generationem dixit. Et opus naturæ non eſſe vt artis. Si enim in natura multa reperitur Ars, vt patet in Anatomia animalium, & Plantarum: vtique ab artificioſa cauſa naturalia generare debebat: non autem à ſtupida, temerariaque. Ars enim imperfectior, & indoctior, quam natura, apparet: ergo natura operatur ſecundum ideam.

Cum vero ait, quod homo generat hominem, & ignis ignem, & ſimile ſimile: neque requiri aliam ideam, temerè loquitur: quoniam non in virtute ſuæ ſapientiæ producit homo hominem, cuius ignorat partes, & conſtructionem, & rapitur violentia amoris, tanquam inſtrumentum non intelligens opus ſuum, ad generationem. Quomodo etiam Plantæ ſemen efformat Plantam cum radicibus, oſſibus, neruis, fibris, corio: & folia, ad tegendum, fructuſque ad immortalitatem, niſi à ſapientiſſima regatur cauſa, horum ideas habente, & vſus prænoſcente? Non quidem poteſt Ariſt. ſemini Plantarum ſtupido tantam artem dare: neque motui, qui in eo non eſt, vti fecit in ſemine humano, id tribuere. Contra quem diximus motum ſubito deperdi, & non durare, & eſſe non Ens, & non poſſe animam, & figuram corporis, & compoſitionem Architectari, quæ vix ſapientiſſimo Angelo ſoli committendæ videntur.

Nam neque nos id intelligimus, nedum nescimus conficere, quomodo ergo motus inanis Entitate & sapiētia, id facit? Adde etiā, quod si non nisi simile à simili oriretur Arist. aliquid diceret. Sed videmus animalia plurima, & Plantas ferè omnes, spontè ex terra oriri, & lapides & metalla fieri, à Sole ex terra, non autem ab aliis lapidibus metallisque. Vnde animaduertere debemus, quod sola perfecta animalia à suo simili fiunt, & tamen agendo animal, nescit, quid facit, neque homo scit hominem componere. Ergo oportet asserere à simili fieri, in virtute, & sapientia eius: sed per virtutem ideæ in artifice primo relucentis, qui vtatur his instrumentis ad modificanda semina, & disponenda ad generationē, non autem ad generandum prorsus principaliter: sicuti nos vtimur Typographia, ad libros conficiendos, & penna. Ita Deus vtitur ad conficiendum animalia imperfecta typo, quia maiori indigent elaboratione, sicuti nos bombardas non facimus nisi in typis. Verum Angelos & animam mundi ipsorum Principem omnibus rebus naturalibus vti: & formare omnia iuxta ideas, quas in mente diuina inspiciunt per ideas, quas ipsi ab ea acceperunt. At cum calor generat calorem, & frigus frigus, non requiri ideas in Angelis: quoniam hæc sunt instrumenta prima naturæ data à Deo, prædonataque vi sua amplificatiua, & effusiua, ne prorsus destructis instrumentis deficiat rerum officina, & propagatio. Et quidem hæc agere suum simile in virtute ideæ diuinæ, à qua habent tale esse, ita quod non aliud: & Angelos amplificare ea, vbi oportet amplificari: & hoc non intellexit Plato, & putauit ideas tantum esse compositorum. Cum autem Arist. putat per accidens nasci aliqua ex putrefactis & casu: neque nos conuinci ex his ad ponendum ideas: errat primo in eo, quod putat aliquid casu fieri posse, quod prima causa non prægnoscat, efficiatque vt in 2.p. ostendimus. secundo vero quoniam ad pauca respicit: non modo enim ex putrefactis nascentia carent simili generante: sed & lapides, & Plantæ omnes, & innumeri culices, muscæ, vermes, formicæ, Apes ex carne bouis, aliaque infinita, quæ casui temerario, cum tam affabrè elaborata sint, & propter fines & vsus, habent partes, & membra concinnata, nullatenus tribuenda sunt. Cum autem eadem fiunt ex coit, ad eandem spectant ideam: & quia hoc expertus sum, damnaui opinionem Auerr. & probaui Thomisticam: sed maximè Auicennam laudaui in eo, quod nouerit à causis extrinsecus essentiam compositorum: licet in eo incusari debeat, quod perfectissima animalia absque Typis Parentum etiam generet: quod nunquam vidimus: nec tantum hoc ita falsum est, sicut illud, quod ponit formas effluere à Cholcodea, & non solam formationem, sicuti nos dicimus: & quod Angelorum multitudinem, ministrantium & Dei actionem, intrinsecam rebus, non intellexit, vt in secunda Parte declaratum est contra eum & Arabes suos. Sed quoniam Arist. non cognouit opificem primum: neque ideas ex eius mente: neque ideata intellexit, & pro fabulis habet, quæ Physica constant demonstratione: Dicat, quæso, quomodo ex elementis stupidis tot rerum varietas pulcherrima formatur, tot animalia & Plantæ absque seminibus, & lapides, & metalla? Profectò vnus fungus clamat ad esse ideam & opificem in omni re: modificationes has tribuit circulo obliquo, insipienter, & motui eius. Motus enim res stupida est. & hæc non intelligit mirifica facere. Melius autem S. Thom. tribuit eius artificium Angelis motoribus sphærarum sed nec Angelis solo motu cæli agentibus committi potest: quoniam agens passo præsens esse oportet, & moderari mistionem, & constructionem: & calorem, & frigus operantia: vnde relicto Aristotele tandem adhæret Augustino Angelorum ministerio rerum formationem tribuenti. Quod Galenus cuperet in lib. de semine, & de vsu partium 17. Tandem in eo videtur Arist. condemnandus, quod posuit materiam, formam, & priuationem, principia rerum, & tamen tollit ideas. Non enim forma est principium nisi idealiter. In generatione est effectus, non principium: imo compositum generatur, quia forma generatur, forma autem agens est principium, sed actiuum: idealis vero est principium formale, quoniam omne agens iuxta ideam agit, & quæ à casu agimus ad ideam agentis, cui nihil est à casu, agimus: & sumus sicut instrumenta eius, quæ ideis carent: & quidem in cunctis naturalibus, hoc prospectum est. In artificialibus vero, ideis tantum vtimur & quoniam hæc in 2. P. declarata sunt, & in responsionibus ad Arist. Melius patebunt, plura addere omittamus. Si tamen meminerimus, neque abstractionem vniuersalis fieri posse, nisi in virtute ideæ, quæ in Deo nobis intrinseco, relucens dat intellectui nostro, id posse sicuti imago Socratis in oculo meo, facit me videre Socratem, quoniam indita est: & scientia inditorum nobis est abdita, propter superadditas notitias, nos alienantes ad se, vt declaratum est in 2. P. Deus ergo in nobis est intrinsecus, & notissimus & amatissimus supra nosmetipsos: & tamen quasi extrinsecus, & ignotissimus. Mira res: sumus ergo secundum mentem in mundo mentali, & penetramus in momēto omnia corpora: sumus secundum externū corporis sensum in mundo corporeo: nec extendimur vltra ea, quæ in prospectu sunt. Corpus autem nec vltra propriam figuram & limitem.

P.P.q.

Responsio ad rationes Aristotelis, quod idea non est vtilis generationi, & confirmatio huius sententiæ, variis quidem probationibus.

ARTICVLVS V.

AD primam ergo respondeo, quod ideæ prosunt motui, & transmutationi artificiosè, non autem temerariè: & quod ex eo, quod sunt stabiles, & æternæ, habent quod sint causæ instabilium & temporalium: cum enim hæc nascantur, & moriantur, & varientur, nisi esset idea stabilis, ipsorum perderetur propago. Sicuti si ars scribendi stabilis idealiter non perseueraret, perderetur scriptura, quoniam chartæ, & ceræ, aliæque materiæ amittunt eas, nec successio dat perseuerantiam.

Rosæ enim in hyeme non sunt, nec in æstate pluuiæ, at tamē reficiuntur ad ideam primi opificis. & Arist. contra se loquitur in hoc. Ipse enim in 2. de Generatione & Corruptione, ad perpetuitatem generationis vtitur causis perpetuis, ad varietatem variabilibus. Sic & nos vtimur materia & elementis ad varietatem: idea vero ad perpetuitatem. Cuius instar causæ principales agunt, & mouent instrumentalia elementa per Necessitatem, Fatum & Harmoniam, vt declaratum est in 2. Parte.

Ad 2. Ad 2. negatur, quod differant genere: sed potentia, & impotentia, vel pace & bello. Tellus enim in centro est incorruptibilis, quia longè à pugna: & sic calor in sole. In superficie vero corruptibilis, quia propter pugnam, vt diximus in secunda Parte. & dato quod differant genere tamen quæ genere differunt, misceri possunt: linea enim, & calor, locus, & qualitas, & substantia, differunt genere apud Arist. & tamen in eodem homine miscentur omnia x. genera prima. Item anima humana est immortalis, & tamen in corpore mortali, vt forma ab eo ponitur, & à suis. Motores quoque orbium communicant cum cælo mobili ipsi immobiles, & cum elementis transmutabilibus, per ipsum. At esto, quod sint diuersi generis in Ente, adhuc possunt communicare. Non enim dicimus ideas conuerti in res corruptibiles, neque corruptibiles res in ideas peremnes naturaliter: sed ideas esse exemplaria corruptibilium: sicuti sigillum de incorruptibili metallo, potest esse idea in fragili cera, & sicut Ars in anima immortali perenniter durans, est idea huius scripturæ, quæ corrumpetur ad chartæ corruptionem.

Ad 3. Idcirco ad tertiam dicimus, nos non ponere ideas cum ideatis nisi in genere Analogo. Sicut enim sanitas est per se in animali. Ita idea hominis est in Deo per se: In Angelis vero, & cæteris rebus corruptibilibus, est vt instrumentis & signis & effectibus. Manifestè etiam domus immaterialis in mente domificatoris dat quidditatem domui materiali fabrefactæ: & nihilominus sunt diuersi generis Analogi: & differunt sicut materiale & corruptibile, ab immateriali & incorruptibili.

Ad 4. Ad quartam insufficienter loquitur: non modo enim ad rerum factionem requiritur, quod fit, ex quo fit, & à quo fit: sed etiam exemplar ad quod fit. Non enim artifex sine exemplari operatur opificium: neque natura, neque casus. Nam ita in naturalibus vt in casualibus summa relucet Ars. Non minor enim est Ars in fabrica Plantæ & ranæ per coitum natarum, quam in Planta & rana spontè natis & casu. Ergo ab opifice sapiente fiunt omnia. Sapientia autem est idea artis. Non enim Philosophus facit gladium, sed ferrarius. Falsum est etiam quod sufficit similitudo agentis, quoniam illa est solum dispositiua, non autem causatiua. Non enim homo scit facere hominem: neque quomodo in vtero compinguntur ossa extenduntur nerui, vestiuntur carne: formantur viscera. Sed opifex summus vtitur semine eius, vt dispositione. Nam & figulus non ex terra, sed ex disposita terra facit vasa. Physicè quidem homo & immediatè est causa hominis: sed Metaphysicè & primordialiter est dispositor tantum. Item ostendimus falsam esse assertionem ex alia radice: quandoquidem aqua & aër non fiunt à simili, sed à sole ex terra. Neque enim aqua facit aquam, neque aër aërem. Item nec lapis lapides: nec aurum, aurum: nec planta plantam, semper: sed omnes plantæ sponte fieri possunt, & omnia animalia, quæ sunt innumera, exceptis perfectis. Quapropter Aristoteles imperitè loquitur, sed solum de calore & frigore verum est, quod faciant semper similes: non tamen de igne & gelu. Nam ignis, ex confricatis lignis & lapidibus fit à solo calore excitato. Similiter in nubibus, & speculis, ab vnito. Tamē calor & frigus, quia sunt rerū simplicia principia, hoc habent quatenus instrumenta Dei, vt dictum est in præcedentibus. Nos quoque fatemur, ideas non generare, sed esse causas, ad quarum similitudinem res generantur: nisi vt identificantur cum Deo Creatore essentialiter & materialiter. i. realiter.

Ad quintum, non est verum, quod hoc faciat hoc. Non enim Petrus facit Petrum, sed hominem Ioannem. Facit tamen hecceitatem Ioannis, quatenus hic est, quia ab hoc: sed tamen hic non facit hunc nisi per ideam. Nam facit hunc hominem: & quatenus hominem ab idea facit. Quatenus hunc, à se, sed & ipse ab idea sui pendet, & secundum illam sese multiplicat, eodem opifice summo id præbente: qui operatur in omnibus: & aliam hecceitatem huic similem præbet per hunc, Necessitate, Fato, & Harmonia ad huius adductum generationem. Ad reliquum dicimus, quod idea non est quale quid, imo est quidditas rei faciendæ. Vnde ipse Arist. dicit, ideam domus in domificatore esse quidditatem domus ab eo fabrefactæ. Et profectò cum dicimus, Petrus est homo, non esset prædicatio essentialis, si ly homo diceret quale quid, sed composita ex qualitate, & quidditate. Quod ipsi negant. Imò Petrus eatenus est homo, quatenus ad hominis ideā accedit: & domus est vera, si ad ideam domificatoris correspondet. Ergo essentia formalis est ab idea. Si autem vocetur idea qualitas substantialis, respectu materiæ, ego quoque id docui: sed respectu compositi est ipsa essentia: vnde per formam melius, quam per materiam vnumquodque definitur. Et non dico per formam partis, sed totius: cui correspondet idea: nam partibus partiales ideæ præsunt, vt dictum est. Gladius non recipiens ideam gladij, non est gladius: sic homo nō recipiens ideam hominis: & aqua sine idea aquæ, est materiale quid tantummodo. Forma ergo essentiat. Est autem forma, ab idea agentis principalis, ob talem finem, tales formas facietem. Quod si instrumenta elementaria ignorant. Vniuersalis idea non generat, neque generatur, vt quod; sed vt quo generat, & generatur, vt dictum est. Ipsa enim est, quo Petrus generat Ioannem hominem, & hunc, & quo generatur Ioannes homo, & hic; & idea domus est, qua domificator facit domum: & qua domus fit: sed vt sic hæc domus, est ab hac materia, & ab hoc agente, & ab hac, non idea, sed ideatione: neque ab hac formatione, quæ fecit formam & ideam esse hanc, quæ prius non erat hæc. Imo D. Thom. ait, quod Petrus non subsistit nisi quia homo subsistit: sed homo non subsistat nisi quia Petrus subsistat; non ergo homo dicit quale quid: sed ipsam essentiam præcisè nec ergo idea.

Ad 6. Ad sextam, negatur assumptum. Ad probationem dico, esse stupiditatem agnoscere plus sapientiæ in arte Discipula, quam in Natura Magistra. Et magis requiri ideam ad naturalia, quam ad artificialia. Et cum ait, quod homo generat simile, non respiciendo exemplar extrinsecū, verum

est, quoniam est causa instrumentalis,& coadiuuās: Instrumentum autem ideas nescit; non enim ignis, neque malleus, neque discipulus scit ideam horologij, sed faber magister in tali opere. Sed qui vtitur homine ad hominis generationem, respicit ad ideam. Natura quoque est sicut cytharista magister, ex innata idea cytharizans: non discipulus, qui considerat cytharizando exemplar. Nec propterea fieri potest similis Socrati sine Socrate de potentia ordinaria: quoniam in Naturæ officina positæ sunt causæ disponentes, & typi ad opificia perfectiora peragenda. Sed quia Socrates ignorat artem faciendi sibi similem, tam in anima, quàm in corpore, oportet opificem longe sapientiorem, ac potentiorem tali opificio præficere. At videmus animalia imperfecta innumera non à suis similibus, sed spontè oriri, quoniam Ars naturæ faciliori ratione potest ista perficere. Non autem leone aut musica vtitur ad Socratis productionem, quoniam stultus esset, sicuti qui vteretur ligone ad scribendum, & penna ad arandum. Alia namque instrumenta aliis opificiis sunt apta. Vnde & in spontè natis fit dispositio similis ei, quæ in vtero prius.

Nec oportet semper esse extrinsecus exemplar, nisi agentibus imitantibus, non autem ex se præcogitantibus, vt dictum est. & septimum quoque corruit argumentum.

Ad 8. responderet Plato, quod vna tantum esset idea Socratis, videlicet homo. Animal enim & rationale continentur vnitè in idea hominis. Socrates verò indiuiduum est, & ideatum, quod non sufficiat vna ad plura indiuidua, sicut vna idea domus ad plures domos; & vnum sigillum ad plura sigillata. sic idea hominis ad omnes homines. Verumtamen secundum nostra dogmata datur idea Socratis, quoniam ipse rerum conditor non modo communem ideam præhabet, sed & singulares; quæ tamen sunt participationes eiusdem ideæ communis. Videt enim ipse rationem hominis participari diuersis, plurimisque modis, & omnes illos modos, & singularitates. Non sic autem domificator, qui tantum videt in idea posse plures domos fieri; sed hanc & illam domum non videt, nisi vbi fit, vel facta est: quoniam est agens particulare, & partis; & non vniuersale, & totius. Neque enim est factor materiæ, neque temporis, neque loci, neque modi, sed tantum formator materiæ, iuxta ideam communem, & transmutator, vt dictum est prius. Nec mirum si ideas misceri dicimus, & alterum in altera contineri: quandoquidem ex idea asini, & equi fit mulus, sicut ex versibus Homeri, & Euangelio fiunt Centones de vita Christi ab Eudocia: & ex pyro & malo insertis mala pyra: & ex idea poëmatis, & idea Prosæ fit Dialogus, & ex C. & L. fit D. & quia mistura idearum in nostro intellectu non facit compositionem animarum, neque rerum, & nobis prænota est; idcirco neque in Deo facit compositionem, quoniam omnis causa in effectibus manifestatur. Nec decet casuale reputare in Natura, quod apud nos arte fit multa. Et quando nil cogitantes aliqua huiusmodi facimus, à Deo per fatum regi videri debemus: vt casu capitur laqueo vulpis, sibi, nō autem Venatori.

Ad 9. Responsum est in 5. & 6.

Et ad 10. concedimus formas, quæ sunt partes compositi, non præexistere easdem numero, sed easdem specie præexistere, fatendum est, & Arist. id semper docuit; & cum ait, quod præexistant in subiecto, vt artificiales in artifice, concedimus: sed non propterea non sunt quidditates artificiatorum. Forma enim gladij est gladii quidditas, & non ferrum. & Arist. id fatetur in aliis argumentis: sed hic sibi Arist. contradicit, & in eo quod ponit, formam esse effectum: alibi verò principium naturalium. Nec potest hoc intelligi, nisi quod principium sit ideale, effectus vero in re formata instar ideæ; sicut domus in mente artificis est principium; In lapidibus verò, & cæmento, est principiatum. Cum ait, nō præexistere nisi causas agentes, fallitur, quoniam & ideales præexistunt; Quandoquidē agens nullum absque idea operatur, in se, vel in alio existente. Et ipsemet docet sanitatem in mente Medici, & sphæram in Fabro præexistere. Quod si putat, non esse distinctam ab agente, fallitur; quoniam aliud genus causandi est per ideam, & per actionem: vnde & separata inueniuntur in eo, qui pingit imaginem Petri, & sæpè agens sine idea non potest agere. Non enim cytharizat non cytharista, nisi naturaliter, vel ex parte, aut artificialiter, habeat ideam. quod ipse sæpè docet, dum actus præexistere semper ante potentiam docet in 9. & 12. Metaphys. cætera quæ addit, in præcedenti Capitulo, & secunda parte declarata sunt: & quomodo in spermate est idea, & spiritus actiuus, & non motus tantum: & sic in putrefactis: & quod ministerio Angelorum formationem sortiuntur, iuxta formas ideales, ex mente Dei defluentes.

Ad 11. nego quod forma non generatur, imò ipsa sola generatur. Compositum enim non generatur, nisi quia forma generatur: neque agit, nisi quia forma agens agit. & cum ait, omne genitum esse diuisibile, & fieri ex materia, & forma, mentitur. quoniam calor fit à calore seipsum multiplicante & generante, nullo composito genito. & si diuidatur genitum, non semper in materiam, & formam diuidetur, sed in partes graduales aliquando, vt in ferro ignito. De differentia compositorum & simplicium dictum est in prima parte.

Ad 12. ridiculè arguit, quoniam neque materia esset causa, quia ad ipsam non sequitur effectus absque agente. Dicimus ergo, non solam ideam requiri ad causatum faciendum, sed materiam & agentem.

Ad 13. responsum est, & negatur assumptum.

Ad 14. dicimus, ideam esse formam non formatam sed formantem, id est, instar cuius fit formatio, ideò separatur ab ideato; & est in ideato, non secūdum totam sui essentiam, sed secundum participationem. Et quidem paulò ante Arist. dixit domum in domificatore esse quidditatem domus materialis; sed affirmat, & negat, prout fert irrationalis cogitatus, teste quoque Lact. & Iust. no.

Ad 15. verum est, quod homo vt participans est ideatum, & vt participatum à Socrate, est idea. Neque hoc est absurdum. Socr. est idea suarum statuarum, & natura artis, & naturæ est idea primordialis diuina. At quidem homo continetur in idea animalis implicitè, vt dictum est.

Ad 16. & 17. negatur assertum: quoniam Plato ponit agentem Deum principalem, & elemēta proxima instrumentalia.

Ad 18. mentitur quoniam materia absque forma non est aliquo pacto essentia rei etiam apud Arist. sed forma est magis substantia rei, quatenus participat ideam; ergo, &c.

Ad 19. Ad 19. dicimus, motum esse vel formas fluentes, & sic eius esse ideã, vel fluxum formæ, & rei mobilis; & quia hic componitur ex esse acquisitæ formę, & non esse deperditæ, non habet ideam: calefactio habet ideam caloris, in alio crescentis, seque effundentis, & fit per partem post partem, addito esse ad non esse eius ibi, & sic fluxus notus est Deo per ideã paulatim partim participabilem, nec propterea idea mouetur. Non enim quia cognosco Petrum scelestum, ego sum scelestus. & licet cognoscere sit esse, quando cognitum est Ens: non tamen quando est non Ens, vt dictum est in 2. p. Porrò vt Ens habeat ideam practicam; vt Nonens, speculatiuam, vt ordinatur ipsum Nouens cum Ente, habet practicam.

Ad 20. Ad 20. responderet Plato, quod materia non est pars quidditatis specificæ, sed indiuidualis tantum. Non enim de ratione sphẹræ est æs, neque de ratione hominis est caro, & os, sed ipsa humanitas tantum: sed in hoc homine est caro, & os, sicut sphæra ænea, æs. Arist. autem instat, quod materia intelligibilis est de ratione circuli, vt linea, & de ratione hominis est sensibilis vt caro, & os; Circulus enim non datur absque linea, neque homo, nisi in carne, & osse. sed profectò linea non pertinet ad rationem materiæ circuli, sed ad formam, vel ceu dicit Plato, etiam circulus sine linea, est vnitas; sicuti triangulus sine lineis intelligitur, & est ternarius. Hanc responsionem non satis impugnat Arist. sed contendit, materiam esse de ratione compositi, sed non formæ. & quando forma non potest esse nisi in vna materia, tunc illam materiam esse de ratione totius. sicut humanitas non potest esse sine carne, & osse; at linea, & circulus potest sine carne, & ligno, & charta, quoniam in omni materia potest signari. Nos autem reddidimus horum causam ex fine, & idea & diximus, Mathematica nõ esse Entia, nisi in spatio; in corporibus verò pertinere ad formationẽ; idcircò cum omnia corpora formentur ad ideam, in omnibus reperiri posse. sic etiam & calor, & frigus, quæ instrumenta sunt actionum in omni corpore. Sed formam esse propter finem, vt gladij propter secare; & ideò non nisi in ferro, & dura materia fieri: sic & ad finem hominis pertinere, vt sit in carne, & osse, vt in p. p. declaratum est; & cum cessat finis, cessare hanc materialitatem, & fieri incorruptibilem ob alium finem. & ad Arist. dicimus, ideam non pertinere secundum nostra dogmata ad formã; nã & idea ignis etiã in ferro seruatur, & frigoris in aëre, sibi contrario. At hominis idea est multiplex, alia animæ, alia corporis, alia manus, alia iecinoris, &c. Ex quibus omnibus fit vnum decompositum, cui respondet Idea, quæ est humanitas, non autem anima, aut rationalitas. Humanitas autem dicit materiam & formam, prout in p. p. dictum est; sed nunc dico, nos differre à Platone, qui ponit ideas dumtaxat formarum; sed fortè ipse, vti nos, formatorum intelligit. sed quoniam materiam non à Deo facit, idcirco ideas formatorum ponit vniuersales tantum: Nos autem particulares quoque, quoniam nulla Entitas effugit sapientiam Dei, & ipse est causa materiæ, & formæ, & formationis, & compositi; & omnis horum idealitas relucet in Deo. Sed materia formam respicit: Deus autem vtrumque. sed constat, materiam esse propter formam, & non è conuerso; idcirco essentiam ad formam pertinere primo; formam verò ad finem: Finem vero ad agentem causam principalem: quæ omnia propter se facit: Agens namque est vltimus finis, & principium rei, vt in p. & 2. p. dictum est. Quod autem indiuiduorum ait, non esse definitionem, in primo reprobauimus. & ideam æternam incorpoream que esse essentiam, non substantiam, diximus compositorum, nec in conuenire: Quando etiam Aristoteli domus in mente est quidditas domus materialis, & ex immateriali idea materiale Ens ipse fatetur, & Ars & Natura omnis.

Responsio ad rationes, probantes quod idea non sit causa cognitionis.

AD 21. dicimus, ideas necessarias esse ad notitiam rerum; siquidem res nulla cognoscitur, nisi per assimilationem cognoscentis ad cognitum. Hæc autem assimilatio est idea & forma, & simulachrum apud Arist. quapropter sibi aduersatur potius, quàm Platoni. Si autem de sola idea abstracta Arist. contendit; nos quoque dicimus, eas non reperiri, nisi in Angelis, & in Deo, quem per ideas cognoscere ideata palàm est. Nobis autem conferunt illæ ideæ, quoniam perfectissimam Entitatem habent, qua carent indiuidua: Ergo perfecta scientia non fit in nobis, sicut in cap. præcedenti probatum est, nisi ad ideam pertingamus; & licet operosa sit inuestigatio idearum, quas abstractas Arist. fingit tamen quas ponimus nos, facillimè inuenimus. Ars enim nostra palàm est idea artificiatorum, & diuina Ars naturalium. & licet quid sint non facilè nouimus, tamen non parit in nobis scientiam vt quod, sed vt quo. Imago Petri, in oculo meo, est quo video Petrum. & licet ignorem, quomodo fiat illa imago, & quid sit, tamen & ego, & rustici, & pueri non videmus Petrum, nisi per illam imaginem. Idea ergo in omnibus licet ignota, confert ad scientiam, vt quo, non vt quod. Item diximus ad perfectionem scientiæ, non ad scientiam, vtcunque necessariã esse ideam. tunc enim de hominum natura, & de statuarum, & poëmatũ bonitate iudicabimus, cum ideam hominis, & poëmatis per nouerimus. Vnde maximè necessaria est idea artificibus, & scire quidditatem eius inuentoribus: imperitis vero qualiscũque ideati notitia per exemplum quodcunque satisfacit: & quia prius nosse opus, deinde operari illud oportet, necessario dicimus, ideas ad scientiam, & productionem requiri. Profectò qui habet scientiam de Poëtica, iudicat de hoc, & de illo poëmate; qui vero hoc & illud poëma inspiciat indoctè iudicat, antequam ideam acquirat. Incipit ergo cognitio à sensibilibus, sed perficitur in idea: Angeli autẽ perfectius cognoscunt, quoniam ideis pleni sunt, vt dicebat Augustinus, & non accipiunt eas à sensibilibus, sed secundum eas iudicant de sensibilibus; & sunt quasi inuentores, non quasi imitatores, nisi respectu Dei. Plato ergo eleuat hominem ad perfectam scientiam, & ad diuinorum notionum à sensibilibus, vt S. Iustinus in se experitur, & iudicat de his in illorum celsitudine per scientiam Metaphysicam. Arist. vero in sensibilibus, hæret tanquam semper addiscens, & nihil intelligens. Quod artificum studium ipsum monere potuisset. Rectè quoque August. probat ideas. Si enim ego scio, hominem secundũ veritatem esse animal: & tu etiam scis hoc esse verum, quod homo sit animal. Tu autem

hanc veritatem non habes à me, neque in me: Neque ego à te, neque in te; ergo vtrique id nouimus in Deo, & per ideam, & non per Naturam ideatorum solam. Verum enim est vnumquodque simile est suæ ideæ: alioquin non differet verum aurum à falso, quia & hoc est verum aurichalcum. Quia verò idea concurrit vt quo; ideo non capimus eam, & tamen per eam iudicamus, sicut de visibili per speciem visiuam. Quid autem sint huiusmodi species ideales in 2. p. diximus, quoniam non sunt imagines; non enim datur imago saporis & soni, sed similitudines. Quidquid enim immutatur à rebus, simile illis fit. Scientia autem est immutationis, aut Entitatis. Nam si est aliquid, non immutatur, sed nouit quia est; per immutationem autem, quia fit; ergo quia est.

Ad 22. dicimus eo pacto dari ideas negationũ, quo pacto datur scientia. scimus autem negationes per affirmationes; ergo idea negationis est affirmatio. scimus enim, hominem non esse asinũ, quia scimus esse hominem rationalem. Non ergo alia idea est esse hominis, & non esse asini; & de hoc diximus in 2. p. luculenter.

Ad 23. secum pugnat. Nam & ipse dicit scientias esse particularium corruptibilium quod semper negauit. Nos autem in 2. p. docuimus, quod corruptibile participat de Esse, & Nonesse, & habet ideam non Entis in idea Entis; & oppositorum eamdem esse scientiam, ipse Arist. testatur. Quomodo Deus & Angeli noscant singularia, & corruptibilia, dictũ est prius. Plato autem diceret, corruptionem esse à materia, cuius non est idea, & per accidens corrumpi ideam in ideato, nõ per se. Corruptionem autem per sensum sciri: Entitatem, per intellectum, in idea.

Ad 24. & 25. diceret Plato ideam esse absolutorum, per quorum ordinem mutuum cognoscitur etiam relatiuum ex consequenti: Nos autem etiam relatiuorum damus ideam & scientiam. Nam ordinamus patiens ad agens, quod absque scientia relationis non fit. Docuimus enim, relationem maximè ad fatum pertinere, cuius ordinator est Deus, qui inter ideas proprias intuetur & ordinem, & relationem earum inter se.

Ad 26. igitur dicimus non esse inconueniens quod aliqua relatio sit prior absolutis, vt prior est creatio, & deinde molendinum. Sed quod relatio sit prior eo absoluto, quod est illius fundamentũ, est impossibile. Non enim est prior creatio quam creator, neque prior paternitas quàm pater, neque prior seruus quàm homo, qui seruituti addicitur. Relatio autem idealis prior est ideato, vt refertur ad habentem ideam, quoniam est alterius ordinis; sicut prius est creatio, quam artificiatum, non autẽ quam creatum, sed simul. Item relatio in idea dicitur de relationibus ideatis, quæ non sunt absolutę sed relatiuę seipsis, vt albedo se ipsa est alba. Relatiua verò vt includunt absolutum, priora sunt relatione, quam fundant.

Ad 27. verum est, vt quod, non autem vt quo. Homo enim non videtur per propriam substantiã, vt quo, sed per simulachrum suum in oculo videntium. Sic domificator per ideam scit domum vt quo, sed per ideatum vt quod; & tamen idea est extrinseca à domo ideata, vt sic; sed participatiuè est intrinsecè in ea, sicut imago Petri in oculo meo, est magis in Petro.

Ad 28. delirat; idea enim non est forma formata, sed formans, vel potius instar cuius res formantur; quapropter & si à domo fabrefacta separatur idea domificatoris, non tamen separatur forma domus, quæ est idea ipsa participata, & forma formata in lapidibus, cæmento, lignis. Neque accidens per se existit, si est idea in anima agentis; dicitur tamen per se respectu Entitatis materialis, & formæ formatæ in ea, quæ non per se, sed in subiecto vt dictum est. Neque Anaxagoras separat accidentia, sed de hoc alibi.

Ad 29. iam dictum est in pr. & 2. parte, quod omne accidens alteri, est essentia sibi, vel alij: quatenus autẽ accidit, dicit esse cum relatione. Quapropter est de illo idea, vt est, & vt accidit seiuncta: sicut de veste & de vestito, de niue, & de albedine. & tandem de albo, vt iunguntur. Nam & res coniungi scit omnis intellectus. Nec quia idea non participatur secundum accidens, non datur idea accidentis: Nam & domus in mente est quidditas domus materialis, & participatur per se: quia domificator per se in quantum domificator domificat. Nihilominus autem in mente artificis idea illa accidens est illi vt homini, non vt domificatori. Dicimus ergo esse quidditatem, non autem substantiam, ipsam ideam, respectu ideatorum, non autem respectu agentis, excepto Deo. Nec participari per accidens, sed per se, nisi respectu causæ per accidens, sed ad instrumenta. Item hic asserit scientiam de Accidentibus, alibi negatã: sed Arist. auidus impugnandi Platonem, nil considerat ea, quæ dicit.

Ad 30. & 31. dicimus non vniuocè, neque æquiuocè dici hominem de idea, & ideato; & domus de domo in mente, & in materia. Nec si vniuocè dicantur, datur tertius homo. Nam & ipsi Aristoteli homo dicitur de vniuersali homine, & de Martino, nec tamen propterea datur alia abstractio tertij hominis. Datur quidem apud Platonem idea lineæ, quæ est in corpore sensibili, & quæ in spatio eius basi. sed linea spatij non est abstracta, separataque à sensibilibus, vt idea intellectualis: sed est vt nobilius Ens, sed sub genere factorum. Idea autem non est facta, sed exemplar factorum; & dicitur omne factum ad illam analogicè, sicut ala prius de aui, & ad eius similitudinem mox dicitur de pisce, & de nauigio; sed prius de pisce. Quapropter si datur magnitudo spatij incorporea, non tamen est idea corporeorum prima, nisi illa, quæ est in intellectu primo. De illa autem, & de ideato, dicitur idem nomen, sed analogicè. Et quidem si perfectè loqui sciremus, vocabulis aliis vteremur. Illa enim dicitur albedo, sensibilis verò album. sic & illa idea dicitur humanitas, Socrates verò homo. Quia verò ex Socrate, & humanitate non abstrahitur tertius, sic neque ex homine ideali, qui potius debet dici humanitas, & de Socrate. Neque enim ex similibus semper abstrahitur idea, nisi fictitia ab his, qui non norunt dependentiam Metaphysicam. Profecto si ita fingere licet, Ens erit quid vniuersale Deo, & creaturis, & melius illis. & ex Ente, & illis fiet semper abstractio absque fine: quod vanum est, & sensui illorum dumtaxat quadrans, qui Entitatem Dei causalem non norunt, vt in prima parte declaratum est. Quod non sit æquiuocum, dictum est prius.

Ad 32. & 33. patet, diuisum esse Ens diuisione analoga apud nos: & posse eãdem esse ideã diuersorum, quatenus alterũ, alterũ imitatur, & participat.

Ad 29.

Ad 30. & 31.

Ad 32. 33.

Ad 34. Ad 34. agere & pati sumi ab agente, & materiali causa, & instrumentis : ab idea verò esse formale. Passiones materiales Platoni sequuntur ex materiæ iactatione. Nobis verò ex prouidentia Dei per Fatum, & Necessitatem, & Harmoniam. ergo & harum esse ideas, dicimus, quatenus aliquid sunt; at quatenus non sunt, per ideam Entis. Et licet accidentia habeant aliam ideam vt sic, tamen à substantiis effluunt, quod Arist. primus docet. Sed nil veretur positiones proprias euertere, quando rapitur contra alios.

Ad 35. Ad 35. concedit August. & Orig. & Plato, scientiam esse reminiscentiam ; sed ille putat, animas creari nouè doctas : Isti verò ab initio sæculorum; sed tamen vtrique aiunt ex corporis fabrica, & labore obliuisci. Nos autem declarauimus, seipsam tantum nosse animam, dum creatur, aut fit: sed cælari in ea hanc cognitionem aduentu superadditarum passionum. Nec oportere omnium scientiam obliterari in ea. Nam non omnium ideas habet, sicut Angelus. sed sui tantum nascendo, Entitatem sentit. Ideo contra mortem, & contra quodlibet non esse pugnat. Quod vero ait in argumento 36. connaturalium non esse obliuionem, mentitur. Nam hoc verum est de his, quæ addiscimus post corporis fabricam absolutam. Quis autem recordatur suæ conceptionis, & infusionis? & tamen passus hoc est. & sentit anima se corpori affigi: sed tamen obliuiscitur, nouis passionibus obliterantibus priores, sicuti ob infirmitatem multi omnem scientiam amiserunt. Et quæ lactantes passi sumus, nunc non recordamur, sed de his in pr.p.

Ad 36.

Ad 37. Ad 37. ideas totales comprehendere etiam materialia, & particularia principia. Humanitas. n. vtrumque dicit. Syma verò litera est, sed quia exprimitur per quatuor quoad formam est vna, quoad materiam quatuor. Sicut vnus est homo Petrus formaliter, sed materialiter multiplex. Est enim caro, os, neruus, spiritus, anima, &c. quæ omnia in idea totali continentur; magis tamen secundum nostra quàm Platonica dogmata.

Ad 38. Ad 38. oportere sensibilia nosse, vt quod : tamẽ per ideam, vt quo. Item ad perfectionem notitiæ sensibilium, vel, vt factibilium, requiri ideam, deinde vt quod ; sed ex sensibilibus nos excitari ad eius cognitionem; sicut Angeli è contra ex notitia idearum ad sensibilia extenduntur. Quapropter cæcus non iudicat de coloribus, quia ideam coloris per oculum non accepit, vnde eleuatur ex participante ad participatam ideam coloris pernoscendam. Qui autem habet ideam à sensibus excitatus est ad notitiam eius, sed per illam perficitur notitia eius. Qui verò ab idea incipit, vt Angelus, perfectus est in notitia à principio. Et in idea relucet omnis cognitio sensibilium. Quia sensus portiuncula intellectionis, vt alibi docuimus, præsertim intuitiuè.

Ad 39. Ad 39. conceditur, quod quidditas sit idem cũ eo, cuius est quidditas. & non modo in absolutis, sed in respectiuis, & entibus per accidens, vt ostendimus in 3. libr p. p. sicuti enim est Ens, ita est quid. sed cum ait (idea non est idem re, & ratione cum ideato) duplex est sensus; vno modo secundum essentiam; & sic verum est. alio modo secundum participationem, & sic falsum. Nam ideatum est ipsa idea participata. Participatum autem addit participans. Quapropter idea est quidditas ideati, vt domus in mente, domui in re, sed secundum esse formale. quapropter definitio ideatorum communis, conuenit ideæ communi, non autem singularis. Et ipsa idea dat esse formale; & in tantum est homo, in quantum habet humanitatem. est ergo idea tota in quolibet ideato, sed non totaliter, & sola: quia addit materiam. Quæ tamen in quantum est formata, & ideata, habet vnum esse cum forma: & tota ratio essentialis est à forma, vt putat Auerr. cum Plat. Nos autem dicimus, etiam à materia physicè, sed vt formata. quoniam damus ideã perfectam totius compositi, vt humanitatem, sicut in p. p. diximus. & in 2. par. ostendimus, quod homo, qui non est ad ideam hominis, non habet essentiam; & veritatem humani esse; sicut gladius si non respondet formæ in mente artificis, non est verè gladius. Veritas autem, & essentia sunt idem; ergo participatio ideæ est essentia ideati.

Ad 40. Ad 40. responsum est in p. p. quod definitio est etiam singularium. Sed propter imbecillitatem scientiæ nostræ aliter videri, & dari per terminos specificos, & singulares proprios; & ex vita Cæsaris Epilogata, à Plutarcho scripta, definitionem Cæsaris sumi; quæ illi soli competit. Cæsar verò est singularis homo in natura, sed in arte picturæ, qua plures imagines eius fiunt, est vniuersalis idea illarum imaginum, & potest definiri vt idea illarum; & Cæsar dicitur analogicè de vero & picto, vt dictum sæpè est.

Ad rationes, quod non sint, responsio.

Ad 41. AD 41. respondetur, quod idea est essentia non substantia indiuiduorum omnium. & omnia indiuidua esse vnum specifica vnitate ideali, vt ipsi Peripatetici fatentur, plures homines participatione speciei esse hominem vnum. quod tamen falsum est, si idea non extat, quoniam species abstrahitur ab indiuiduis, ergo est participans, & non participata. At si non abstrahitur, sed extat in causis agentibus, tunc verè est participata, essentiaque est in omnibus, & omnium participatiuè, sicut essentia scripturæ huius est in omnibus chartis in quibus describitur. In mente autem mea idealiter: & ab hac idea capiunt essentiam. Sunt ergo indiuidua vnum specie, non autem numero, vt dictum est in lib. 2. p. p. & rectè Parm. dicit, quòd sunt vnum quatenus sunt; at diuiduntur, quatenus sunt. vt declarauimus mentem eius in 1. p.

Peripat. in Pr.

Ad 42. Ad 42. dicimus, secum pugnare. Nam in prædicamentis dixit, substantiam vniuersalem dici de subiecto, sed non esse in subiecto; & manifestè homo dicitur de Petro & Paulo; idea autem essentia est multorum: ergo de illis potest prædicari, sed concreto, non abstracto modo. Paries enim est albus, non autem albedo. Sic Petrus est homo non autem humanitas. Idea verò humanitas est, vt docuimus. Item quod dicitur essentialiter. Imò si vera est Aristotelis ratio, nulla definitio data per genus, & differentiam vniuersales, erit essentialis. Ens quoque esset accidens, quia dicitur de Deo, & de nobis. Fit quidem compositio, & affirmatio substantiæ de substantia ab intellectu, prout accidentis de substantia, sed secundum rem aliter se habet.

Ad 43. Ad 43. nihil obstat, idem esse essentiam hominis essentialiter, & Socratis participatiuè, & indiuiduorum

duorum eamdem esse specificam essentiam non autem indiuidualem.

Ad 41. Ad 41. iam responsum est, quod non detur tertius homo, nisi in via Arist.

Ad 42. Ad 42. dicitur, quod indiuiduum est vnum vnitate numerali, & quod non inconuenit, ex pluribus componi substantiis, vt ex elementis, & ex materia, & forma. Item dico, ideam hominis contineri in idea animalis; & ideã Socratis, in idea hominis; vt vnitas in binario, & binarius est in ternario. & fieri vnum numero, non ex potentia & actu, sed ex cõpositionis, & formationis vnitate. Nonne Ars Theriacam vnum numero ex pluribus simplicibus facit: & natura mixtum ex elementis, & compositum ex difformibus, & actualibus? quid mirum si etiam summus Opifex, cuius est vnica idea sui, & in ipsa relucent aliorum entium ideæ vniuersales, & partiales, facit indiuiduum, participans plures idealitates formales. Item idea differentiæ specificæ non est alia ab idea speciei, sed addit non esse aliud. Non Entis autem idea non datur nisi in Entis. Quapropter plures ideæ subordinatæ faciunt vnum, & disparatæ non faciunt. Non enim equinitas, & bouinitas, & humanitas, faciunt hominem, sed animalitas, & humanitas, & Martinitas faciunt Martinum. Nec quidem vnitatem omnem facit actus, & potentia, quoniam posse recipere, & recipi non semper faciunt vnum simpliciter, vt patet in amphora & aqua: sed finis & vsus vnitas essentialis facit vnum. vnum molendinum est sic ex multis: & ordo & forma, & compsitio, vt dictum est prius.

Ad 43. Ad 43. negatur consequentia. Tu enim inte ipso es, sicut idem numero in eodem essentialiter. Animal autem in homine, & equo est sicut idem genere in diuersis speciebus, participatum. vt domus in mente, in domibus extra mentem.

Ad 44. Ad 44. animal esse totum in homine, & totum in equo; differentias verò hominis & equi vt v. g. rationale, & irrationale, non esse in animali, vt genus est ideaque communis, sed in homine, & equo: sicut differentia Socr. & Plat. non est in idea hominis, sed in indiuidualibus. Homo enim dicit ipsorum similitudinem essentialem: ex eo quod participatur à dissimilibus, dicit & differentiam, sed omnes istæ ideæ subordinatæ sunt sicut & scientia ipsarum, vt patet in artibus. Et quamuis sit totum animal in homine, & in equo, non tamen totaliter essentialiter, quoniã non posset in multis esse vnum, sed participatiuè, vt sigillum in sigillatis. Species ergo non sunt in genere, nisi vnitè, genus autẽ in specieb. est participatim.

Ad 45. Ad 45. nihil inconuenit, idem essentiam infinitis dare, vt sigillum sigillatis; quoniam omnis idea est ab infinito Deo. Repugnantia a. si est, aliundè est. & hoc concedunt Peripatetici de vniuersalib. quod Platonici negant.

Ad 46. Ad 46. homo est animal, sed animal non est homo, quia etiam asinus & bos, &c. dicit horum essentiam vt participatum, participantium. Et in hoc à Platone dissentimus. Nam & ideam animalis ponimus, quæ est similitudo essentialis specierum. Verũ quia non sit animal nisi in specie, non est exemplar nisi præhabens specifica exemplaria; & tamen ideã in esse cognito. Et continet species, vt species indiuidua, & distinguuntur subordinatione & continentia: & habent vnitatem, & distinctionem ex his, secundum esse, & non esse.

Responsio ad rationes, quod ideæ non sunt numeri abstracti, & declaratio positionis.

Ad 47. AD 47. dicimus, reperiri ideas numerorum, vt binarium, trinitatem, quaternitatem, &c. dum formaliter sumuntur. Ideas verò aliarum rerũ non esse numeros, nisi per similitudinem. Nam, veluti numerus abstractus simplicissimus est, ita & idea nõ concreta materiæ. Hoc autem patet, quando ex triangulo ligneo auferimus materiam. Tunc enim remanent tres lineæ quasi in spatio intellectæ immateriali, sed tamen extenso. A quibus si abstrahas triangulum, remanet solummodo ternarius numerus. Idea Angeli abstracti numero assimilatur, qui omnium abstractissimus est, & à materia sensibili, & intelligibili; vocat Plato fortè ideas numeros impares: quoniam sunt secundum se indiuisibiles. Paritas verò materialibus diuisibilibusque competit; vnde magnum & paruum dualitatem materiæ tribuit: quoniam multiplicatio ideæ est à materia: numeri autem à dualitate; cum primum exitur ab vno: sed ideæ sunt vnitates. quando igitur Arist. ait, binarium esse primum numerum de mente Platonis, rectè dicit: quoniam vnitas principium numeri est, non numerus. Rursus cum ait, ideas priores esse ideatis, verum est: sed cum ait, ergo dualitate, fallitur. Idea enim vnitatis, prior est dualitate, sed nulla idea præcedit ideam numerorum fortasse: omnia. n. quæ fiunt, numerum habent. Numerus autem idealis prior est numeratis. Vnitas autem non est par, neque impar, sed parens omnium numerorum, & numeratorum: sed in nostra Philosophia numerus cõponitur ex esse, & non esse; at vnitas ex solo esse. Nã est dualitas & trinitas, & omnia eminenter, & causaliter: & res nulla est, nisi quatenus vna. Et numerns similiter vt vnus: sed dualitas non est vnitas nisi participatiuè; & ex eo, quod non est, participat non esse. & hoc non esse, nõ est in vnitate; idcirco ex eo quod est vnitas, non amittit esse, sed non esse. Amittere autem non esse significat summum esse. De his autem in 2. parte.

Ad 48. Ad 48. dicimus, in sensibilibus nõ reperiri numerum, sed res numeratas tantum; nec ideam, sed ideatas. Vbi enim est trinitas, nisi in tribus equis, vel in tribus hominibus, aliisve? Ergo sequitur contra Arist. quod ideæ sint causæ eorum, vt numeri numeratorum, quatenus numeratorum. Et licet essent eiusdem essentiæ, tamen alter alterius est causa, vt calor calefactorum, sed formaliter.

Ad 49. Ad 49. patet, quod non ex eo, quod conueniunt in ratione, sunt idem numerus, & res numerata: quoniam ratio illa est in numero essentialiter; & in numeratis participatiuè, vt ignis & ignitum non sunt, & sunt idem.

Ad 49. Ad 49. fallitur, quoniam sempiternum est causa temporalis, eo quod pluris est Entitatis, ergo causa, & non causatum; sicuti quod est minoris instabilisque Entitatis. vt calor solis est causa caloris in planta, & animali & lapide. Concedimus, habitudinem requiri inter causam & causatum: sed negamus quod non sit inter ideam & ideatum, & numerum, & numeratum, & artem & artificiatum. Manifestè quoque insensibilibus ratio numeralis relucet.

Ad 49. Ideo ad 49. dicimus, rationes numerales reperiri in ideatis. quoniam calor solis sub alio gradu conficit lapidem ex terra, & sub alio arborem, & sub alio animal. Hi autem gradus dicuntur numeri ideati, quorum ideæ sunt in mente primæ causæ. sicuti soni alia proportione numeri, aliam melodiam faciunt.

Nec ex hoc sequitur, quod idea sit proportio numeralis, sed numerus, ad cuius participationem fiunt Entitates sensibiles. Sonus enim sensibilis res est; sed tamen non est harmonicus nisi per numerũ; non tamen quemcunque numerum. Sic calor vitalis est, animalisque fit; sed tamen non quomodocunque nisi in quadam proportione & gradu, respondens ideæ. Ferrum quoque gladius est, sed tamen ad quandam mensuram, numerumque ideale; qui numerus, cum sit idea, & non ideatum, non erit proportio numerorum, sed simplex Entitas participabilis in materia per virtutem agentis sub influxib. primalitatum, sicut dictum in 2. p.

Ad 50. Ad 50. dicimus simplicium esse ideam simplicem, vt caloris: Compositorum verò compositam, vt hominis. Alia enim est idea animæ, alia corporis, alia iecoris, alia nasi &c. sed tamen ex omnibus his consurgit forma totius hominis. cui respondet idea totius in opifice rerum, & ministris excutoribus operũ eius. Hoc etiam patet in artificiatis. Quapropter ex vnitatibus primo constitui dicimus, numerum; sed ex numeris tanquam ex partibus neque negamus secundario: vt decem ex duobus quinariis. sic plures ideas ad totius compositi constitutionem concurrere, non est absurdum; vt mulus idea asini, & equi formatur. Ad id quod addit, dicimus, vnitates esse persimillimas, si abstractè cõsiderentur in mente Dei, & Angeli non tamen species numerorum. Quaternitas enim aliud est à trinitate, quia illa est idea quaternarij, ista ternarij: & cum ait, ergo differunt solo excessu, negatur. Differunt enim excessu, quæ speciem non variant, vt maior calor, & minor; & homo puer, & adolescens idem est, & differt solo excessu. sed additio vnitatis in numero variat speciẽ, quoniam numerus constituitur discretione, nõ continuatione. Alia autem discretio est quinarij & quaternarij. Miror hîc Aristotelis sophismata. Ipse enim in 8 Metaph. comparat ideas, & formales causas numeris in quatuor, & præcipuè in hoc, quod sicuti numero additio, & substractio variat speciem, sic in rerum specibus. Animali enim addendo rationale, constituitur homo: subtrahendo verò constituitur equus. & ab vltima differentia constituit speciem, sicut in numero ab vltima vnitate: quaternarij enim constitutio, fit per quartam non dico situ, sed summatione quocunque loco posita. Ergo quarta vnitas est forma quaternarij. Hoc est forma partis, nam cæteras vnitates ponit tanquam materias. Quaternitas verò est sicut forma totius. Igitur licet vnitates sint similes inter se: tamen distinctio numerica, constituta in tali gradu, ab vltima vnitate facit speciem numeri: cui addita altera vnitate variatur. Non quia difformis est vnitas addita, sed quia additur discretim. & licet calor additus calori & linea lineæ non varient speciem, tamen si separatim ponantur, variant indiuiduum. Indiuiduum autem numero segregatur ab altero. Numerus autem discretione constat. quæ formaliter est talis, à tali idea: effectiuè verò ab agentibus causis. Hinc est, quod duo homines differunt numero, & dualitas horum duorum hominum est vna species numeri, quæ differt ab alia dualitate duorum hominum, & à dualitate duorum canum, & duorum Angelorum differt itidem numero, licet res numeratæ differant specie, vel genere, vt res, non autem vt numeratæ. quoniam numerus est idea non determinans sibi materiã, sicut humanitas determinat sibi carnes & ossa: & aqueitas fluorem, & non duritiem. Et quidem triangulus non determinat sibi lignum, neque ferrum, neque carnem. In omnibus enim his fit triangulus, & triangulus ligneus differt ab altero ligneo, numeraliter: & à triangulo carneo similiter numeraliter. quoniam Mathematica sunt absolutiora sensibilibus. Quapropter cum quærit Arist. quomodo vnitates, si plures sunt, diuersitatem non habent, cum pluritas nonnisi à diuersitate fit, respondetur; quod ideæ quoad absolutum sunt vnum, quoad respectus sunt plures. Eadem enim albedine Socrates est similis pluribus coalbis rebus & hominib. Item vnitas differt ad alia vnitate, quia non est illa; non esse autem nihil est, sed negat tantum. Inter simillimas autem vnitates, vt inter calorem hunc & calorem illum, facit diuersitatem sola discretio. Quapropter si vnitas vnitati adderetur absque discretione, vtique fieret vnum, & non duo. Discretionem verò facit situs, & materia, & actio, & ordo, multaque alia interposita, vt p. p. dictum est. Sed hoc in rebus numeratis; in idea verò, respectus & conceptio Nonentis per conceptionem Entis Nulla .n. distinctio absque mistione nihili, vel in esse, vel in consideratione, vt dictum est in 2. p. quando de numero loquuti sumus contra Pythagoræos. Quapropter si etiam vnitates difformes sunt, vt dicit argues, non subito à calido, & frigido absque passionibus discriminantur, sed sufficit gradus Entis, vt patet in Angelis: qui sunt vnitates distinctæ, hæcheitatibus Entis & quidem perseuerant impassibiles secundum essentiam, quia Physico contrario carent, vt dictum est.

Ad 51. Ad 51. dicimus Mathematicum numerum, sicut & sensibilis, pertinere ad ideatum, numeratum esse. Nec quidem reperiri distinctum, sicuti neque lineæ, neque puncta, neque plana; sed spatium continere hæc omnia in se, quoniam non possunt in eo signari mathematicè, vt ab Euclide probantur, quæ Physicè non correspondent. Non enim sphæra Physica tangit planum in puncto, sicut Mathematica. Nec tamen hoc est superfluum, sicut nec corpus Mathematicum, sed est in secundo gradu Analogiæ.

Ad 52. Ad 52. dicimus dualitatem sensibilem fieri ab ideali, non autem duas vnitates; nisi quatenus sunt vna dualitas. Vnitates enim ab vnitate fiunt, vt sic. sicuti neque homo apud Arist. generat quatuor elementa, sed generat hominem, in quo sunt quatuor elementa, vt opinatur.

Ad 53. Ad 53. dicimus, numerum numeratum habere causas efficientes & finales. Nam semper hominis manus habet quinque digitos, & pedes binario constant, propter finem alibi explicatum. Non enim vnus sufficit pes ad motum, neque plures duobus requiruntur ad figuram erectam deferendam: sicuti sunt quatuor ad substentandum pronum elephantum; & qui figura longa vermiculi constant, sunt centipedes. Numerus ergo est à causa agente propter finem, ergo habet & causam idealem in mente Agentis. Ipsa ergo mens diuina intelligit plures species numeri, & constituit ex vnitatibus.

In rebus verò numeratis eas exprimit ministerio Angelorum Neque enim homo generans scit, quot ossa requirantur ad generationem manus; ergo virtus eius formatiua est instrumentum causæ superioris, istud intelligentis. Habet ergo causas in numeratis. In numerante verò fit per opus intellectus, vt dictum est, Ens Nonentitate discernantis.

Ad 59. Ad 59. dicimus, vnitates in mente prima non esse differentes, licet etiam differentias vnitatum externarum ipsa quoque intelligat. Sed non propter hoc omnia erunt vnum, nisi etiam vnitates essent indiscretæ, sed quatenus sunt numeri constitutiuè necessario discretæ sunt, ergo non omnia sunt vnum, sed plura. Diximus tamen omnia esse vnum quatenus sunt, sed distingui, quatenus singula participant non Ens: & sic tantummodo numerari, vt patuit in 2. p. lib. 2. Quamuis autem omnia sunt vnũ, non tamen sunt illud vnum, quod est principium omnium nisi participatiuè. Illud autem est vnum essentialiter: & quatenus sunt in eo idealiter, non sunt principiata, sed sunt illud vnum. Quidquid enim est in Deo, est ipse totus Deus, propter eius summam simplicitatem, vt dictum est in 2. p. Nec si vnitates sunt difformes, non erit ipsum vnum principium. Nam vnum essentialiter est principium vnorum participatiuè. Nec enim quia homo viuus, & homo pictus sunt differentes, non sit homo viuus causa picti actiuè, & idealiter: quamuis vterque vocetur homo. Quod verò dicit de corpore communi, quod non sit causa; ergo neque vnitas communis, fallaciter dicitur. Nam vnitas est analoga, de essentiali, & participatiua. Corpus verò Physicum est vniuocum. Item corpus vt dicit materiam, est principium; vt verò dicit elementum, non est principium, nisi addatur ei ly primum. Nam prima corpora, elementa vocata, sunt principia aliorum; quæ mox declarantur esse ignis, & terra. Et mirum quidem quomodo Arist. non veretur sic arguere: Quippe qui in Physicis posuit tria principia, formam, materiam, & priuationem in communi, & non hanc formam, & priuationem, vt faciunt Physiologi calorem & frigus, aut rarum & densum: sed communibus vtitur vocibus ita vt etiam artificiatorum formas, & priuationes comprehendat, & quidem perperam. Nam talia comunissima principia metaphysicè ponenda erant, non autem physicè vt ipse hic arguit, fortè non imperitè. Vnde nos quoque posuimus corpus & spatium, passiua: & calorem & frigus actiua principia, in Physiologia, vbi non idealiter res contemplamur. In Metaphysic. verò Ens & Nonens, & istorum primalitates indagauimus. Formam autem & priuationem logicè & metaphysicè explicuimus. Et profectò priuatio est ipsum nihil, forma verò est idea. Corpus autem est materia. Neque oportet ponere hoc corpus: quoniam vnum est tantum corpus totius vniuersi, vnaque materia. Quapropter in lib. de gener. & corrupt. ponit physicè elementa quatuor. sed in primo Phys. ponit principia idealia, quæ à Parmenide mutuatur: qui metaphysicè loquutus est. sicut elementa ab Ocello accepit. Nec videt contradictionem: quoniam si physicè loquitur vbique, sicut posuit duo actiua ita duo elementa ponenda erant, in quibus sunt ipsa actiua. Si autem illa duo ex primo Phys. sunt principia idealia: siquidem forma est principiatum, omnino non sunt nisi sumpta idealiter: ergo hinc perperam arguit ponentes principia communia, & formalia.

Ad 60. Ad 60. negatur consequentia, omnia enim sunt vnum participatione: sequitur tamen quod si vnum est principium Entium, singula sint vnum aliquod: non tamen omnia vnum, quia non participant omnia eodem modo, & gradu totum illud vnum. Item omnia esse vnum, dicimus, analogicè, vel vniuocè vniuocatione Logica cum Scoto: sic enim & Ens, & vnum, genus sunt, vt patuit in prima parte.

Ad 61. Ad 61. dicimus, lineas & superficies esse terminos corporis sensibilis; & alias posse consimiles signari in spatio locante. & in idea primæ mentis haberi, vt terminos corporis, & per se quoque posse considerari. Quod si facit Mathematicus, multo magis prima mens. Nec quia non corrumpuntur, nisi per accidens, non sint inter sensibilia. Neque enim materia corrumpitur, & tamen in his numeratur.

Ad 62. Ad 62. negatur consequentia quoniam non tolluntur principia actiua, quia ponuntur formalia.

Ad 63. Ad 63. respondeo, quod ideæ non numeri, sed dicuntur numeri propter conuenientiam, quam cum numeris habent quatruplicem etiam Aristot. in 8. Metaph. & propter simplicitatem immaterialem, numeranti numero consimilem. Nec ex ideis quantitatis componimus quantitates, nisi formaliter. Quantitates enim materiales ex corpore sunt materiali. Immateriales verò in spatio stant immobiliter. Ideales autem vtrarumque sunt causæ formales, quatenus ideæ sunt: sed quatenus in agente causa habent etiam actiuitatem propter eius simplicitatem, in Deo creatiuam, in Angelis factiuam, vel formatiuam.

Ad 64. Ergo ad 64. negamus ad assumptum.

Ad 65. Ad 65. dicimus, neque in numeris, neque in Deo esse contrarietatem, sed ortam esse ex Ente, & Nonente, & ex appetitu eiusdem rei insufficientis duobus similibus. Declarauimusque in 2. p. inter similia esse contrarietatem, non inter dissimilia. Mundumque duraturum, donec omnia occupet vnum contrarium; aut vbi definet insufficientia appetibilis, aut appetitiuus eiusdẽ rei in ipsis similibus, vt patuit in 2. p. & in p. 3. Quod autem Aristoteli videtur inconueniens tolli æternitatem sensibilis mundi, nos conuenientissimum ostendimus. Sed datis his omnibus, consequentia eius indocta. Quoniam contrarietas vbi cæpit non desinit. Nulla enim natura vnquam sui obliuiscitur, neque seipsam deserit, nisi vincatur ab alia. Pythagoras ergo poneret illam in numeris naturaliter.

Ad 66. Ad 66. negatur assertio mendax, quod ponentes numeros tollant causam agentẽ. Plato enim ponit Deum & ideas, quæ sũt instar numeri. Ideoque numeri vocantur. vnde animam simplicem, & Angelos, vocat numeros, seipsos mouentes; cum tamen constet numeros ideales quatenus ideales per se non moueri.

Ad 67. Ad 67. patuit respondeo in capite vltimo præcedentis libri. Nam ostendimus sensibilia in spatio, vt in basi intrinseca, locari, & subsistere absque eo non posse, ergo datur colligatio Mathematicorum cum Physicis. Numeri vero sunt Angeli, qui per spatium discurrentes totam sensibilem naturam administrant ad nutum Dei sub ducatu animæ mundi. Ideas verò ea ratione colligari, qua ars scribendi hinc scripturæ. Quapropter nisi ideæ essent, nil fieret concinnum & ordinatum, & forma-

tum, sed temerè omnia iactarentur, vel quiescerent, sicut instrumenta scribendi, & subiectum absque idea scribentis, esset mera pollutio chartæ per atramentum. Aristot. autem tollit basim rerum, & formam; relinquit tantum media formata, & quodam casu, & in sufficienti, mundum format. Platoni autem Salomonem fauere, diximus, in eo, quod in numero, pondere, & mensura, producit omnia; hoc est, Angelos numero, sensibilia corpora pondere, Mathematicum spatium mensura facit. Quomodo autem omnia hæc ab vnitate diuina sint, dictum est in 2. par. luculenter: & quomodo etiam in vnaquaque re est numerus, pondus & mensura.

Responsio ad argumenta Arist. contra Mathematica Platonica. Et confirmatio quod sint in corpore Physico, & in spatio, & in idea. Et possint vbique signari propter naturam spatij, quod verificat demonstrationes Mathematicas: alioquin essent vanę, & verificari interdum, vt res; interdum, vt signa.

ARTIC. VI.

Ad 1. RATIONES quoq; Arist. contra Mathematica Entia, nullæ sunt. Necessariò enim oportet dare spatium, in quo mundus insidit, sicut probatum est in Physicis, & in 1. & 2. par. Metaph. & rationes Aristot. contrariæ ibidem solutæ sunt. Spatium autem immobile est, totumque sibi simile, nullis contrarium corporibus; vtque ea possit locare intrinsecè est longum, latum, & profundum, veluti & corpora incorporaliter. datque illis basim subsistentiæ. Manifestè enim si mundus corporeus auferatur, remanet spatium incorporeum. Quando ergo Astrologus lineam extendit Eclypticam, aliosque circulos, designat eos in spatio. Non enim posset recta deduci impedientibus corporibus stellarum, in ipso corpore, sicuti neq; de Neapoli ad Romam via recta est, cum à montibus & vallibus interpelletur. At Cosmographus ducit lineam rectam de Neapoli vsq; ad Romam, quia non in corpore, sed in spatio illam designat. Sic etiam omnes mensuræ cælestium, terrestrium per Mathematicam factæ, in spatio sunt. Et demonstrationes enim falsæ sunt, si in spatio non fundentur. Nec vt quidam putant imaginaria tantummodo linea est, mathematicè sumpta. Nam Mathematica esset de imaginationibus, non de rebus. Ergo linea de Polo ad Polum, quam vocant Axim, esset imaginaria: similiter & eclyptica, & linea de Neapoli ad Romam: ergo non in re: ergo non essent tot milliaria, quot per illam lineam metitur in re. Hoc autem experientia comprobat. Et Astrologus in Eclyptica Eclypses præmonstat, antequam sint; & linea de Neapoli ad Romam, tanta est, quanta per Mathematicam deducitur, ergo & in re, non in imaginatione tantum; & quoniam non est in corpore, ergo est in spatio: & in spatio omnes Mathematicæ propositiones verificantur, alioquin essent chimericæ, & in re nihil eis correspondere.

Ad 2. Ad 2. ergo Arist. rationem respondemus, quod non propterea, quod dantur Mathematica separata, dantur etiam soni, & aures, & Cælum. Hæc enim sunt de genere sensibilium, quibus non correspondet, nisi idea cuique propria in prima causa, & in Angelis. Damus ergo ideas auri, & Cæli, & stellæ, & oculi, & soni, quatenus est. Nam sonus est motus auditu perceptus. Qui quatenus motus ex esse, & non esse participat, vt dictum est. Et cum ait, quod Cælum separatum non mouetur, nego: quoniam Cælum ideale licet non mouetur: tamen repræsentat etiam motum. Scit enim Deus per suam ideam Cælum moueri, & Petrum corrumpi, prout in 2. par. declaratum est: non tamen Deus ipse corrumpitur, & mouetur: neque idea, nisi repræsentatiuè, in quantum repræsentant tantum esse quantum mox excipiat non esse: & existentiam partiū in diuersis vbi fieri. Cælum verò Mathematicum non datur: quoniam ly cælum dicit corpus determinatum. Mathematicum verò omni corpori commensuratur. in eodem spatio, vel parte spatij, possunt alia & alia corpora successiuè locari, & commensurari. At cum in Cælo Mathematicus quid demonstrat, in spatio, in quo Cælum commensuratiuè, illud designat, vt diximus de circulis, & lineis: Alioquin non posset Epicyclos facere, & excentricos aliaque huiusmodi, quæ Cæli fortè substantia non admittit: sed tamen ad calculum valent, & per tales circellos motus, & apparentias metiuntur Mathematici tanquam si verè existerent: quoniam ad calculum idem euenit numerus si in lapillis numeres, atque in fabis. vnde Copernicus mouens Terram, eundem calculum facit ac Ptolomæus mouens solem, & idem euenit ex Epicyclo, & excentrico. Licet ergo Epicycli, & Excenttici, & motus Terræ falsi essent, & non extarent: tamen possunt fingi in Cælo, quoniam in spatio non repugnat quæcunque delineatio. & veritatem quidem ostendunt, quoniam non rem, quę non dumtaxat est, modo signant, sed numerum rei, & motus, qui in quacunque materia potest signari. Circulus enim & ligneus, & carneus, & lapideus, & in quocunque fit corpore. Homo autem non nisi in carne, & osse, vt simitas non nisi in naso. Curuitas verò, quæ Mathematicum est, in omni re.

Mathematicis autem id conuenit, quia sunt res ideales: similiter calori & frigori quia instrumentales. Et potentissimæ causæ primæ Physicæ sunt. At equinitas, asinitas, arboreitas, lapideitas, quia determinatas habent vires, & in materia illis coinnata dumtaxat fieri possunt, fingi non possunt cum veritate in altera materia, nisi idealiter. Cætera verò idealiter, & realiter, vt dictum est. Stella ergo, quam mouent Astronomi in Epicyclo, fortè nulla est, sed fictum corpus Mathematicum,

quo metiuntur motus stellæ physicè, vt numero numerante metimur numeratos equos & boues. Similiter lineam, quam faciunt ex fluxu puncti, & superficies ex fluxu lineæ, & corpus ex fluxu superficiei : non physicè, sed idealiter & realiter ad significanda Physica. Facit autem hæc intellectus in spatio, quoniam in luce ideali diuina, ipsa nouit: abscondito quodam modo, excitatus à sensibilium similitudine. Videmus enim acumen acus lineam facere. Ipsam vero acum lateraliter metiri superficiem : & tabellam profundatam quasi corpus condere. Faciunt quoque Astronomi motus regulares mediocres, ad quos metiuntur excessum & defectum eiusdem motus in eodem astro. Nec falluntur, ea enim est animæ vis, vt subdat suæ comprehensioni per ideas fictas Entia naturalia, quæ Deo subsunt per veras: etenim mundus Physicus, & Mathematicus in mentali præeunte fundatur. Ideæ ergo sunt vt signum in nobis Sicut hæc vox panis dicit id, quo vescimur, nobis, tale signum instituentibus, & non fallit : licet in natura non sit talis vox. Sed ex instituto nostro. Sic, quæ ponuntur ad significandum, se habent in Mathematicis: possunt autem poni, quia idea in nobis est, & spatium in natura, in quo ideantur, veluti idea cibi in nobis est & in natura cibus quo vescimur, cui per ideam imponimus nomen panis, licet non sit: nec tamen fallimur, quia super Ente fabricamus. Vtuntur quoque stella vt puncto, quoniam ad oculum ita se habet, & distantias, vt à puncto ab ea metiuntur. Sed tamen intelligunt esse aliquas terra grandiores per alias demonstrationes distantiarum. At profecto spatiari non possunt, nisi dato spatio, vt dictum est.

Ad 3. dico, corpus Physicum esse substantiam secundam, quia substat causis agentibus & formis & accidentibus. & hoc ipse Arist. docuit cum posuit illud in genere substantiæ. De corpore autem Mathematico dupliciter loqui possumus: vel tanquam de signo ideato, vel tanquam de basi: signum idearum est, quo cogitamus ex vnitate nasci puncta, ex punctis lineas, ex lineis superficies, ex superficiebus corpora : quod quidem prodest ad mensuras corporum Physicorum & spatij ea penetrantis : & hoc quidem accidens est, quoniam ab idea humana sic ponitur, vt Epyciclus & linea de polo in polum. Si autem loquamur de basi intrinseca corporibus, quæ est ipsum spatiũ penetrans & penetratum, tunc palam est, ipsam esse substantiam primam, quia non modo substat formis, sed ipsis corporibus formalibus intrinsecus subest, vt basis Entitatis eorum. Si vero intelligas, corpus ipsam magnitudinem corpoream hominis, & aliorum corporum, non considerando materiam, quæ illa magnitudine concluditur, neque vires agentes, & accidẽtia, tunc dico, illam esse quasi substantiam, sed non substantiam, quoniam habet materiam, quæ sibi substat primum: & vt est interminata, est ipsa materia, vt vero habet terminos, est quantitas Physica, in qua fit forma & accidentia. Quare nil inficiabor esse accidens hanc magnitudinem. Sed ego substantiam posui spatij magnitudinem : hanc vero esse secundæ substantiæ mensuram, vel terminum mensuræ. Sed tamen qui quantitatem substantiam esse dicit, eo quod omnibus substat formis & accidentibus licet ipsa sit in materia & accidens : sed quia primo inditum, habet quasi tertiæ substantiæ dignitatẽ: Respond. facilè ad argumenta. Arist. quod hæc nõ constituitur ex punctis & lineis nisi terminatiuè: & quod terminus extra rem est alius ab eo, cuius est terminus, vt superficies circundantis corporis est aliud à circundato corpore : tamen terminus in re, vt superficies circundati, non est aliud, sed pars eius extrema: & dicimus constitutiuum habere rationem prioris secundum naturam, sed non semper, forma enim & materia constituunt compositum Aristotelicis, & tamen forma est terminus compositionis, & generationis. Quapropter terminare accidentaliter post esse completum, conuenit accidenti: sed terminare complendo esse conuenit essentiæ & essentiali differentiæ, alioquin terminus nullus pertineret ad essentiam : & tamen lineam punctis definiunt & idealiter à puncto seipsum multiplicante generatur punctisque constat, vt in q. Phys. diximus. Nec quia augetur & minuitur hominis quantitas, termini illi non pertinent ad substantiam quantitatis: manifestè enim non sunt de substantia materiæ, quoniam ipsa sub omni termino esse potest: & hoc probat essentiam hominis non requirere terminos determinatos ad sui constitutionem, sed tamen de substantia quantitatis esse nemo neget, cui nimirum competit augeri & minui. Platoni autem quantum passiua est substantia quæ augetur & minuitur, non in tensione & remissione, sed additione & subtractione.

Ad 4.

Ad 4. dictum est quod termini in re sunt partes rei, non tamen extra rem: sed omnis terminus complet esse per non esse: idcirco omnis differentia essentialis vocatur quoque terminus: & Metaphysicè ex esse & non esse terminati constat. Sicut quaternitas ex esse quatuor, & ex non esse quinque. Nec quidem termini distinguuntur à terminato, nisi sicut pars à toto interdum, vt dictum est. Et quamuis sint indiuisibiles, tamen à diuisibili non separantur.

Ad 5.

Nota pro 5. quod amplificatio & restrictio termini nõ tollit substantiam, sed destructio termini substantialis tollit. Sed Arist. æquiuocando arguit à terminis quantitatis ad terminatum substantiale, cui inest quantitas: & dum Mathematicum spatium excludere deberet, in quo ista tractantur, fugit ad quantitatis Physicæ tractationem.

Ad 6.

Ad 6. respondeamus ergo stulto iuxta stultitiam suam. Nonne ipse Arist. ponit, elementa esse quatuor substantias, & reperiri in mistо in potentia, & aliquando per separationem fieri actu, vt docet in primo de generatione & corruptione. Non ergo omnis substantia est actu in eo, cuius est substantia. Item in semine est Aristotelicis anima in potentia: multaque huiusmodi docent passim contra seipsos, & contra naturam. Plato ergo diceret, puncta esse actu in linea, & lineas in superficie, & has in corpore, eo modo quo elementa in misto: & ex his constitui corpora, vt dictum est, ad nos autem nihil: quoniam hæc posuimus in ideali Mathematica humana.

Ad 7. & 8.

Ad 7. & 8. ratio est ridicula, quoniã simplicia non generantur, neque corrumpuntur in aliquid. Nam calor extinguitur, & generatur, & non in aliquid vel secundum Trismegistum occultantur & manifestãtur lineæ & pũcta & superficies: perperam adducit exemplum instantis: quoniam instans, vt diximus, est successionis particula, neque per augmentum remanet in alia parte posteriori, quatenus Ens, vt calefactionis gradus signatus quispiam, dum intenditur calefactio remanet in calido. Ille autem fluxus de non esse ad esse, non remanet: quoniam est Non-entis plenum valdè. Non-ens autem non manet. Sic qui vadit in Plateam sẽper acquirit esse in Platea, & perdit nõ esse in platea Nõ esse nõ remanet

cum peruenit, ſed eſſe completur: inſtantia vero remanent, vt ſunt eſſe paulatim in Platea, ſed completa: vt vero ſunt non eſſe, remanere non poſſunt niſi in memoria conſiderantis Non-eſſe per eſſe, vt in 2. P. diximus. At de lineis & punctis non eſt conſiderandum ſicut de motu & tempore: ſed ſicut de calore & frigore potius. Quis enim non videt remanere poſt extenſionem ceræ circularis in longam, ipſam circulationem occultam, vel mutatam in longitudinem: vel ceſſare in re, & abſcondi in idea tantum: vel nullibi? Temporis autem non eſt tempus: neque motus, ideo ſeipſis ſunt, & non ſunt per eſſe & non eſſe, quibus conſtituuntur intrinſecè: ſicut è contra permanentiæ extrinſecè tantum habent non eſſe, vt dictum eſt in 2. P.

Ad 9. dicimus quæcunque habent eundem numerum habere quoque eamdem eſſentiam numeralem, non tamen Phyſicam. Numeri enim in cunctis entibus fiunt, vt & Mathematica in corporibus. Quapropter ſicut non eſt eiuſdem eſſentiæ Sol & terra, licet vterque eadem figura circularis donatus ſit, ſed quatenus circularis habent eſſentiam figuræ ſimilem ob eoſdem vſus: & circulus ligneus, & carneus ſunt eiuſdem formaliter, & diuerſæ eſſentiæ materialiter & formaliter: ita quæ habent eumdem numerum: item ex eiſdem elementis componitur bos & homo, nec tamen ſunt eiuſdem eſſentiæ, nec ſolus numerus eſſentiat: & hoc argumentum ſolutum fuit in ſecunda Parte & in prima.

Vniuerſale Ariſtotelicum eſſe tantum in prædicando: & vniuocè dici ſemper, & eſſe cauſatum ex indiuiduis agentibus in noſtram animam. Vniuerſale Platonicum eſſe in eſſendo & cauſando formaliter: & eſſe cauſam, & non prædicari de cauſato, niſi obliquè. Aliquando vero per accidens dici de idea & ideato, & abſtracto ab ideatis, ſed ſemper analogicè, & nunquam vniuocè, niſi de ſolis ideatis, vt abſtractum. Et definitiones Logicas fieri per abſtractionem, & declarare ideata primò, vnde ſunt abſtracta, & ſecundò ideas, quarum virtute fiunt in lumine abdito. Phyſicas verò per cauſas omnes epilogatas. Et quid erret Ariſt. in his.

CAP. III. ARTICVLVS. I.

AD complementum doctrinæ noſſe oportet, quod triplex eſt vniuerſale aliud in cauſando iuxta quodcunque genus cauſæ ſicut Sol cauſa eſt ſublunarium: aliud in eſſendo, ſicut Angelus eſt eminenter omnia, quæ nouit, & quæ ſub ipſo ſunt: aliud in prædicando, ſicut ſimilitudo multorum eſſentialis, vel accidentalis vno donata nomine: quæ ſi eſt adhuc ſimilitudinum ſimilitudo, vocatur genus, vt animal. Si vero indiuiduorum, vocatur ſpecies, vt homo. Idea autem licet vniuerſalis ſit, eſt tamen in repræſentando & in cauſando idealiter vniuerſalis, & ſimul in eſſendo. Non enim poteſt cauſare cauſa vlla id, quod ipſa prius non eſt aliquo pacto. Quapropter vniuerſale Ariſtotelicum, quod fit ex abſtractione ſimilitudinis particularium, eſt cauſatum, & non cauſa: & dicitur vniuerſale ſolum in prædicando, & prædicatur ſemper vniuocè de ſuis inferioribus ſubiectis, non per accidens, vt homo prædicatur vniuocè de Petro & Martino: & eſt cauſatum à Petro & Martino, & aliis: quoniam intellectus noſter videns & patiens ſimilitudinem eſſentialem Petri & Martini, quæ vt ſic plura repræſentat, format ideam & nomen illius ſimilitudinis. Ergo eſt cauſatum hoc vniuerſale, ſicut etiam album abſtrahitur ab hoc & ab illo albo. Proptereaque ſtultè dicitur ab Ariſtotelicis participari, cum potius participet indiuidua. Idea vero cauſans, eſt Platonicum vniuerſale, non in prædicando, ſed in eſſendo & cauſando: & quando reducitur ad formam prædicationis, prædicatur analogicè non vniuocè: vt homo ſumptus pro humanitate, dicitur analogicè de homine ideali in mente Dei, & in rerum natura, & intellectu noſtro, quoniam ipſe eſt cauſa formalis, vt ſigillum omnium hominum naturalium: & per conſequens eſt cauſa hominis in mente noſtra, qui prædicatur vniuerſaliter, quoniam eſt multa ſimilia vno donata nomine, quod de ſeipſis nominetur. At reuera non prædicatur vniuerſale in cauſando, niſi in obliquo: & debet in abſtracto ſignificari, vt dicatur humanitas & equinitas & albedo: vniuerſale vero in prædicando ſemper eſt concretum, vt homo & equus, & album. Quapropter cum quæritur vtrum vniuerſalia ſint principia rerum, an ſingularia, dicemus, vniuerſalia in eſſendo & cauſando, non autem in prædicando, niſi per accidens. Vt quoniam materia omnium rerum eſt vna, & Sol vnus, & per vnum alios ſimiles cogitamus, dicimus materiam in communi eſſe principium, & formam in communi, quæ tamen in communi non eſt principium niſi idealiter ſumpta, non autem vniuerſaliter prædicamentaliter. Similiter cum dico, Ens & Non-Ens eſſe principia rerum finitarum, ſumo ly Ens, & non Ens vniuerſaliter, non in prædicando, ſed in eſſendo & cauſando materialiter, licet etiam ſint in prædicando per accidens: quatenus de cunctis, quæ ſunt, idem nomen dicitur: Propterea melius eſſet dicere Entitatem & nihilitatem eſſe principia, & vnitatem potius quam vnum. Quando igitur definitiones fiunt per terminos vniuerſalis, quos genus vocant & differentiam, ſumitur vniuerſale in prædicando: quoniam definitio eſt pars ſcientiæ, vel Epilogus. Nos autem ſcimus res, earum ſimilitudines & diſſimilitudines notando: ergo illa definitio eſt Logica, quoniam per vniuerſalia cauſata & non cauſantia datur. Sed tamen competit ideæ & ideatis analogicè: ideatis vero vniuocè. Phyſica autem de-

finitio, quæ eſt Epilogus eorum, quæ ſenſu nouimus, nominat cauſas omnes extrinſecas, intrinſecaſque, & non tantum ſimilitudines & diſſimilitudines formales. Præſertim vero cum ſingularia diffiniuntur, vt Sol, aut Luna, aut Cæſar. Sed quia ſcientiam ad vniuerſalia redegerunt veteres, quoniam deſperauerunt indiuidua poſſe cognoſcere: eo quod ſcientia noſtra eſt per ſimilitudinem partis ad totum, vt vnius ignis vel particulæ ad omnes ignes, vel ad totum: de vniuerſalibus autem vniuerſalia ſunt nomina: propterea definitiones per terminos communes dederunt: qui tantum non verè principia ſunt, ſed principiata, quoniam figura ſunt ſimilitudinum & diſſimilitudinum indiuiduorum. Non enim cum dico, homo eſt animal rationale, ly homo & rationale ſunt principia hominis in eſſendo, ſed in cognoſcendo tantum: prout ſunt termini abſtracti, cauſatique à ſenſibilibus. At vero quoniam animal & rationale ſunt in natura, non obiectiuè tantum vt dicunt Thomiſtæ, neque formaliter in re, vt Scotiſtæ. Non enim datur animal neque homo communis in natura: ſed idealiter: quoniam datur idea, inſtar cuius fiunt animalia: propterea ly animal rationale eſt definitio per principia idealia. Et rectè: quoniam intellectus noſter per ideas cauſatas intelligit, quæ etiam ſunt in intellectu primo opifice rerum omnium, in quo noſter intellectus iſta intuetur: eſt enim ille in nobis, ſed nos minimè animaduertimus. Nam neque ſeipſam nouit anima niſi abdita notitia. vt dictum eſt. Quapropter Ariſtoteles perperam definit per vniuerſalia, ſi reputat ea eſſe cauſata à ſingularibus, & non repræſentare niſi ſingularia vt facta: meliuſque fuiſſet illi dimiſſis Platonicis definitionibus, ad eas, quæ per terminos Phyſicos fiunt ſe conferre: & ſingularia ipſa definire, ne relaberetur in quas oppugnauit opiniones.

Ens ſumi effectiuè, idealiter, materialiter, & formaliter in eſſendo. Item in prædicando abſtractiuè: & primo modo continere in ſe quicquid ſub Ente eſt actu: ſecundo vero modo in potentia, & primo eſſe cauſam; ſecundo cauſatum, &c.

ARTICVLVS II.

DICIMVS ergo, Ens eſſe principium rerum actiuum, vt ſumitur in Grammaticis, ſingulariter pro Deo, Ente primo vniuerſali in cauſando actiuè. Cũ vero ſumitur idealiter pro eo, ad cuius ſimilitudinem omnia Entia fiunt & participant, dicimus eſſe ideam Entium vniuerſalem in cauſando idealiter, & principium ideale. Cum vero ſumitur materialiter pro eo, ex quo res fiunt, & ex non Ente, eſt principium Metaphyſicum, & dicit Ens primum, & Ens ſecundum, quatenus eſt participato primi nõ idealis, ſed eſſentialis. Et licet non ſit de eſſentia Dei, tamen ab ipſa manat, vt ſplendor à Sole: qui non eſt eſſentia ſolis. Quando vero Ens ſumitur formaliter, eſt ipſa idea cauſans, vel cauſatum, quatenus ſumitur ſub aliquo gradu eſſendi, reſpondenti ſuæ ideæ. Quando vero ens ſumitur vniuerſaliter in prædicando pro eo, quod intellectus humanus concipit de rebus conſideratis prout ſunt, aut exiſtunt, tunc dicitur cauſatum, & eſt terminus communis, quod prius dicit res cauſatas, & mox cauſantem ideam: & prædicatur de omnibus rebus vniuocè, quatenus ſunt: & ſic eruditè dicit Scotus. Sed quatenus dicitur de Ente cauſante & cauſatis, dicitur analogicè, quoniam non eſt vniuerſale abſtractum, vt ſic, ſed cauſa dicens cauſatas res, vt ſibi ſimiles. Et ſic rectè dicit ſanctus Thomas, vt in ſuperiori Parte explicuimus. Ens ergo ideale ponitur in definitione, vt cauſa: ſed abſtractiuum vt ſignum, præciſè vero nec hoc, nec illud, ſicut D. Thomæ ponitur obiectum ſcientiæ Entis idea continet ſub ſe ideam ſubſtantiæ & agentis, & ſubſiſtentis, & inexiſtentis, hoc eſt accidentis. Idea ſubſtantiæ continet intra ſe ideam ſpatij & corporis materialis, & quantitatis, & Angeli, vt ſubſtat operationibus, & accidentibus. Idea vero corporis continet intra ſe corpora ſimplicia, & compoſita elementa, & elementata. Idea elementi continet in ſe ſolem & terram in Phyſicis, & literas in ſcripturis, & maris & fœminæ in Republica, & primarum poſitionum in geometria & artibus. Idea terræ continet terram & partes eius & ſi qua eſt terra in aſtris. Idea elementati continet animalia, Plantas, lapides, fluores, metalla, vapores, & concretiones cunctas. Idea animalis continet volucres, piſces, & feras & homines. Homines vero Petrum, Paulum, Martinum &c. Definitio ergo datur per propria principia idealia, quoniam idea eſt, quæ notificat: & principia ſunt vniuerſalia in eſſendo, & non in prædicando, niſi quatenus conſignificant in eſſendo, & cauſando, vt dictnm eſt. Ex his patet, quod idea eſt intra ideam, quoniam humanitas intra animalitatem: animalitas intra corporeitatem, corporeitas intra ſubſtantietatem: ſubſtantietas intra entitatem. Ergo omnes ideæ ſunt vna idea Entis, quæ contrahitur per Non-ens ad ideas partiales. Nam idea ſubſtantiæ ab Entis idea ſeparatur per hoc, quod minus habet. Non enim agit, neque inexiſtit, ſed patitur ſolum, & ſubſtat. idea autem Entis omnia hæc dicit: ſimiliter idea corporis habet aliquod minus, quam idea ſubſtantiæ: quoniam non ſubſtat omnibus Entibus corpus, ſed tantummodo actiuis incorporeis, & accidentibus formis Subſtantia vero ſubſtat etiam corporibus. Sic idea hominis ab idea animalis ſeparatur per hoc, quod habet minus. Animal enim dicit rationalia, & irrationalia: homo vero ſolum rationalia. Petrus quoque minus habet, quoniam hunc ſolum hominem dicit, ergo eius idea minima eſt. Homo vero omnes. Quapropter imperitè Ariſt. vocat indiuidua ſubſtantias primas, & vniuerſalia ſecundas, abſque declaratione. Si enim Petrus eſt prima, ergo continet plura, & eſt principium ſecundæ. Hoc autem eſt falſum. Item Porphyrius cum Ariſt. Petrum, dicunt, eſſe hominem

participatione speciei: Hominem vero per se. Ergo homo est substantia prima. Petrus vero secunda, participansque: subsistit enim Petrus, quia homo subsistit. Verum est, quod homo materialiter & non formaliter sumptus abstractiuè est secunda substantia, id est communis, imò neq; est substantia, cum similitudo indiuiduorum, formata ab eis in mente intuentium, repræsentans primò indiuidua quoad nos, & deinde ideam secundum naturam. Si vero homo sumatur formaliter idealiter, proculdubio substantia est, quam Petrus, licet non prima; quæ est spatium, sicut prima essentia est Deus significata per ens. Est quidem in Petro humanitas, corporeitas, & entitas, quoniam vnica idea entis omnia includit, sed quoniam idea singularis participat plus non Entis, quam alia quæcunque: idcirco sunt ideæ contractæ in vnam paruam, sicut ideæ singularium sunt eleuatæ in vnam magnam in superioribus. Vnde non indoctè D. Thom. appellat Angelos species potius, quam indiuidua, quoniam sunt maioris Entitatis. Deus vero non genus quidem, quoniam & hoc participat non esse, sed Ens vocamus transcendentaliter: quoniam nullam nihilitatem se cum aut diminutionem compatitur. Quapropter differentias magis ad non esse rei, quam ad esse pertinere docuimus. Cum autem quæritur quomodo in animali est homo, & Asinus. Respondeo indeterminatè: quoad Non esse, sed quoad esse eminenter, & formaliter. Sic in idea Entis omnia sunt indeterminatè, secundum quod per non esse determinantur: at secundum quod per esse, determinatè: omnis enim differentia dicit esse & Non-esse. Deus ergo est omnia in tanta eminentia, quod nulla res non est in eo, si secludas id, quod ipsarum est, vt declarauimus in 2. P. Si multæ aquæ distinctè loco ponantur in vno loco, dicuntur vna aqua, quia non est esse vnius distinctum per non esse, sic ab esse alterius. Hæc tamen similitudo crassa est. Sed quis de Deo potest sentire, vt est? omnes quoque calores & luces sic eminenter sunt in sole. Genus autem materiæ informi comparant, differentiam formæ ornanti. Sed tamen non sic est idealiter, sed abstractiuè in notionib. fortasse. In idea enim animalis sunt omnia animalia, homo, & equus, non quidem ruditer, & informiter, sed eminenter, & nobilius. Quoniã participationem Non-entis ibi tantã non patiuntur: multo autem minus in Deo: forma autem dicitur ornare respectu nostri notionaliter & differentia, ipsum genus. Sed profectò iste ornatus est diminutio idealiter: tamen in eo esse abstractiuo, quo intellectus notionem perficit, est ornatus quidem, quoniam intellectus noster non est natus distinguere, nisi extrinseca corporalia: neq; in vno frui multitudine propter adhæsionem corporis, & tunc scire putat, quando separata intuetur, & concreta Entia per sensum suum concretum, vnde haurit scientiam: qui sensus distincta, & pauca percipit melius, quoniam distinctionem mentalem non callet, seu corporalem. Deus quippè in se vno res omnes scit distincta cognitione. Propterea melius, quam si extra se res omnes ita sentiret, quoniam totam sui Entitatem compræhendit: & quantam res quæuis participat. Sed de hoc negotio diximus in 2. P. Si vero loquamur in esse abstractiuo de Ente: tunc ipsum est minimè virtutis, quia maximè distat ab his, quæ sunt in natura causantes in nobis suas similitudines: ita quod magis Ens est Petrus, quam ly Ens, quoniam Petrus continet in se etiam substantiam & corpus & animal, & hominem determinatè, quæ in Ente non sunt, nisi in potentia quadam Logica. In idea vero Entis, in actu sub Metaphysico, vt dictum est. Quando ergo vocamus Deum Ens, non logicè Ens intelligimus, sed Metaphysicè, idest, idealiter actiuè, abstractiuè vero nequaquam: quoniam imperfectissimus esset. Sed significatur per ly Ens abstractum sed tamen imperfectissimè, quatenus habet esse, vt cætera, quæ habent: quatenus enim habet omne esse primordiale Metaphysicum Ens est, & cætera dicuntur Entia eius participatione, vt dictum est.

F. THO-

F. THOMÆ CAMPANELLÆ PARS TERTIA METAPHYSICORVM DOGMATVM.

LIBER DECIMVS QVARTVS. IN QVO DE ANIMA HVMANA.

Cur seipsam quæritat Anima, & quidem ex operationibus videtur esse spiritus corporeus, tenuis, calidus, lucidus, habitans in corpore, sicut instrumento & domo à se viuificata, & non sicut forma, vt putat Arist. & vtrum in homine sit alia pars diuinior Animæ.

CAP. I. ARTIC. I.

ANIMA humana, quæ de Deo, & primalitatibus constitutiuis, & de Angelis, & de Mundi substantia, ortu, & interitu, hucusque disseruit, quærit nunc de seipsa anxiè, quid sit, vnde sit, ad quid sit, immortalis ne, an corruptibilis; vt quem inter Entia locum sortita sit intelligat, atque ad proprium cuncta dirigat finem. Videtur profectò seipsam ignorare, quæ seipsam quærit, & videtur à seipsa abesse, quæ non in se, sed in alio se quæritat. Et quidem ita est. Namque, vt diximus in 2. Parte, seipsam nouit cognitione quadam secreta, abditaque, quoniam superuenientibus obiectis multis, à quibus patitur, & de quibus iudicat, sui notionem in ea sopiri, occultari, & deiici oportet. Et quoniam alia intelligendo, fit illa alia, idcirco quærit se in aliis, quoniam à seipsa quasi alienata, & absens est, è mundo mentali, in mundum corporalem egrediendo. Ergo sicut noscit alia per passiones illatas, sic se cognoscere studet: nam innatum esse nonnisi cum ad se reuertetur rectè pernoscet. Vtinam saltem aliorum hominum animas intueri liceret, & non essent corpore occlusæ sic opaco, quod per ipsum nihil translucent. Et profectò si translucerent, neque manifestæ nobis essent, quoniam corpora spectare assueti, in corporea capere nequimus, nisi ad mundum mentalem, & lumen diuini solis conuertamus intuitum. Quapropter operationes ad intuitum conferamus exteriorem, vnde fortasse operans substantia innotescat. Videntur quidem animata ab inanimatis differre sensu, motu, & operatione. Corpus enim abscendente anima non mouetur, neque sentit, neque operatur, opera vitæ, vt nutritionem, augmentationem, generationem, conseruationem. Hæc ergo omnia anima faciebat vel cum corpore. In rebus corporeis cognoscimus ignem per se moueri, & à calore omnia crassa attenuari, motuque donari, neque moueri, quæ non attenuata sunt. Ignem quoque nutriri, & conuertere in sui substantiam quæcunque occupat. Ignem quoque generare ignem sibi similem, se se amplificare, ac diffundere, & augere: Item fugere à frigore, cùm est inualidus, & persequi cum potens: appetere sui conseruationem, & contrarij destructionem: & tandem sentire contrarium, à quo fugit, vel quod persequitur ad necem, & simile cœlum, ad quod se se continuò mouet, vbi tenuitatem, vt prædam, nactus est, victoriosus euolat. Vnde rectè existimauimus, spiritum tenuem, calidum, mobilem, sensitiuum, suæ conseruationis auidum esse animam cunctorum corporum animatorum, & plantarum, & animalium, vt probatum est in Phys. & in 2. Parte huius operis, ex decretis

Naturæ & Scripturæ sacræ, omnia entia sensu, potestate, & appetitu, constitutione Metaphysica, prædita esse probauimus. Et ipsam animam non esse harmoniam, contra Aristoxenum, neque complexionem contra Galenum, neque actum complexionis contra Alexandrum, neque formam corporis contra Arist. ostendimus. Neque enim animal ex tot partibus difformibus specie, operatione, virtute, figura: & proprietate diuersis compositum, ab vnica forma informari difforme Ens potest. Idcirco enim difforme. Verum quia decompositum Ens est, & omnes illæ formæ componuntur in vnum Ens ad finem vnum, sicut in artificiatis partes horologij variæ ad vnum horologium, & operationem: Propterea superaddimus formam idealem vnam, quæ dicitur totius: & animæ & corporis, & partium est formalis idealitas: ostendimus quoque animam non esse in corpore vt forma, quandoquidem vna forma, non ideali, difforme Ens non contentatur, sed tanquam habitator in domo, & nauta in naui proprio instrumento. Nam abeunte anima, remanet corpus in sua forma palam, & figura; sicut nauta abeunte, nauis. Verum marcescit corpus, quia deest gubernator causa agens intrinseca, coniunctaque. Nonne cadauer est nauis absque homine, ventis & vndis, & scopulis, & muribus, & perforationibus, & fractionibus obnoxia? Hoc plus habebat corpus animalis, quod ab anima propter vnionem substantialem, non accidentalem modo, etiam nutriebatur eius calor exhalans per cibos ingestos, ne dum alius abit, nullus remaneat fouens.

Erat enim sicuti molendinum potius quod abeute molitore deficit molitio granorum, & molendini artificium. Item videmus obturatis neruis perdi sensum & motum, eo quod anima tenuis substantia est per neruos discurrens: quibus obstructis nequit ad exteriora interlabi. Item cum sensus non sit æqualis in toto corpore, manifestè non est forma æqualis vt in aqua. quæ est tota aqua, sed alibi aliter sentit pro organorum commoditate. Item cum attente aliquid intuemur, non audimus, vel ægrè, eos, qui nos vocant: & cum Musica delectat spiritum, in auribus, totus confluit ad caput, & remanet visus destitutus: non enim vident oculi: & aliquando dormitat cæteris membris destitutis: & cum per vnum oculum intueri volumus, in foramen alterum claudimus, quia totum spiritum in vnum colligimus. Ipse quoque somnus, & deliquia, & cicutæ comestio, & vapores crassi, subitò spiritum ad interiora reuocantes, declarant, eum non esse formam corporis, neque enim visus absque sua forma vidente remaneret, neque manus absque sensu tactus: sed esse spiritum tenuem, mobilem ad omnia munera, habitantem in cerebro, & per genus neruosum discurrentem, & viuificantem totum corpus. Idcirco Plantæ sectis corticibus circum circa, atque neruis suppositis, moriuntur: non autem si vel dimidium truncetur stipitis. Hæc autem alibi pluribus extensa sunt. Quapropter cum eadem hominibus & cæteris animantibus eueniant, inquirimus, vtrum in homine habitet substantia aliqua diuinior, quam quæ in brutis: & vtrum sit illa immortalis.

In 1. p. in q. 1. & lib. Sen. r

De hominis excellentia super animalia, & diuinitate eius animæ, rationes efficacißimæ, & sensatæ.

CAP. II. ARTIC. I.

VIDETVR quidem quantum animal inanimata corpora mista excedit, tantundem homo animalibus præstare. Ita vt non sit excessus secundum magis & minus, propter meliora organa & temperamentum duntaxat. Sed quia est superioris ordinis. Lapides sanè sentiunt, & ligna, & aqua, & quæcunque mista (hic non comparo ignem, & solem, viuaciora animalibus Entia) sed alia magis, alia minus. Et in ipso animali, os, caro, neruus, iecur, sanguis, lien, vesica, & vnguis, & capilli sentiunt, non tamen dicuntur animalia, neque lapides, neque partes animalium, quoniam animal est quodam totum, ex anima, & organizato corpore, constructum.

Item neque quæcunque sentiunt, animæ sunt: non enim ventus, neque aqua, neque lapis est anima, sed spiritus ille, qui in corpore inclusus est, & animat aliud, quam seipsum. Quapropter licet ab eunte spiritu, sentiat cadauer tantillum, vt in 2. P. & in lib. de sensu rerum multis declarauimus experimetis videl. occisi Serpentis fugiëtis ab vmbra fraxini, & hominis ad conspectum interfectoris, & pellis hædinæ ad sonitum Lupinæ, aliisque: non tamen dicuntur animata: nisi spiritum motorem, & viuificatorem per se existentem habeant. Omnem quoque sensum esse tactum docuimus, sed diuersis organis, diuersos sentiendi modos fieri: in oculo enim transpicuo lux tangens spiritum sentitur tincta rebus illuminatis: in naribus vapor vaporantis deferens vires: in lingua tenuis, crassaque substantia seipsam indicans: in auribus motus mobilia annuncians: in toto corpore omnes qualitates extrinsecæ: quæ per partes non perforatas, gracilesque, qualia sunt sensoria prædicta, vt admittant sensibilia ad sentientem spiritum, sed vtcunque crassas suas nobis communicant vires. Ex his autem cognitis animal iudicat, sequenda esse proficua, à quibus benè afficitur: & fugienda noxia, à quibus malè: & ad hoc faciendum, diuersas operationes init, & instrumenta parat: nam faciunt sibi domos, nidos, cellas, retia, Remp. Regnum, aliaque multa ad vitam necessaria, vt patet in auibus, apibus, piscibus, formicis, araneis & cæteris: in quibus quædam relucet sapientia, & actio mirifica, indicans spiritum longè excedere sapientia lapides, Plantas, & partes ipsius animalis. Verum enim vero homo spiritus excedit animales eminentius, quam spiritus res demortuas: nec quidem propterea quod meliora habeat organa, & sensus, & vires potetiores: nam leo & equus, & Elephas, & bos & Asinus, & Rinoceros, & Draco, & Cocodrillus, & Cæte, aliaque plurima, exuperant hominem viribus:

sensibilibus vero non minus. Aquila visu, lupus auditu, Canis olfactu, Aranea & Apis tactu, per quem subtiliter fabricant telas, & cellas ex filis, & cera, quæ nobis contingere non licet tanta arte, neque videre. Gustu autem nescimus quis præcedat, sed profectò capris dulcis est genista, nobis vero amara: cunque ipse ventri indulgeant magis, videntur nobis præferendæ, sicut præfertur nobis Canis in olfactu: qui à longè odoratur hominem & feram, & per vaporem relictum, insectatur illam: & tamen quæ nobis fætent, Cani odorifera sunt. Et quidem illis tanquam sensu exquisitiori hoc præditis credendum est magis, si Entia, & non respectus sunt obiecta sensuum. Quamuis autem Arist. & omnes Philosophi, hominem cunctis præstare animantibus in tactu, dicat: & quia nobis omnis sensus est tactus fundamentaliter, videri possit homo præcellere sensu: nihilominus id minimè conuincit. Nam neque molliores carne sunt ingenio præstantiores, alioquin fæminæ, & pueri præualerent: sed quidem molles facilè patiuntur, scientia autem per passiones acquiritur: idcirco mollities confert. At nisi sit spiritus tenuis, lucidus, purus, in benè formatis cellis, amplisque habitans, ea quæ sentit, non recolit, neque ex eis rectè discurrit, & proinde non præualet ingenio: nam & tenuissimi spiritus ob fuliginem ingenitam, & facilem sui exhalationé, sunt interrupti discursus, & memoriæ labilis, vt Ethiopes, vel qui sub Cancro habitant: molles vero spiritus, &, copiosi & crassi, vt Aquilonares, sunt ingenio concreti, altum nil sapientes.

Item lymaces, & molles vermiculi præualerent ingenio, si mollities id præstat, sed profectò non sic est. Nã & quæ diximus requiruntur. cum ergo homo sit inferior animalibus in viribus & organis sentiendi, & sensu ipso exteriori: è contra vero sit princeps & Dominus despoticus animalium, consequens est, vt aliquid diuinius in eo sit, quam corporeus spiritus: ipse enim sua prudentia domat equos, sibique subiicit, & Elephantes, & Leones, & Boues: & vtitur cunctis animalibus ad victum, & vestitum, & motum, & robur, & pugnam: siquidem carnibus vescitur, pellibus tegitur, eorum cruribus ambulat equitando, & currus ducendo: latratu eorum seruatur & ad pugnam ab eis vehitur. Et equus videtur creatus ad eius vsum in bello, canis ad custodiam, bos ad labores, aues, & apes ad delicias. Plantis quoque vtitur in cibo, & condimento, & calefactione, & domificatione.

Præterea nihil est in mundo, quod suæ non subiacet industriæ. Non ne lapidibus domos & ciuitates, & sepes construit: metalla domat: eisque domat lapides, Plantas, & feras, & omnia ad opificia vtitur? animalium greges facit, & Plantarum viridaria, curat eorum generationem, tanquam Deus eorum, & serit & inserit & copulat, & maturat, & colligit, & mundat, & frangit, & Cellas, & panem conficit, & Epulas, & condit adipe & sale ad penetrationem, digestionem, purgationem prauarum qualitatum, quæ cætera animalia parare nesciunt: & sunt stupida ad hæc opera, sicut lapis ad animalium opera.

Præterea ventos homo domat, mariaque exuperat, tempora nouit, æquinoctia, tropicos, Menses, dies, & terminos eorum signat, & quæ quocunque tempore congruant tanquam sit Dominus temporis, & temporalium: efficit naues, tranat maria, regit se per cælum, sentit eius sympathiam cum rebus terrestribus, vtitur magnete, quæ in occulto maris profundo intelligit, & videt quo vadit, licet vltra vluam aspicere nequeat.

Præterea natat cum piscibus, graditur per mare tutus ab eis in ligno: perambulat terram cum feris: ab eis vectus, volat quoque per aërem. Scimus enim Dedalum volasse, & quemdã nuper Calabrum. Taceo quod ambulet super funem in sublimi aëre: quoniam & Asinum ex parte hoc facere, audimus, edoctum ab homine circulatore, & capram, quod mirabile est. sed longe minus ac homo.

Præterea, totam homo naturam imitatur, & Deum. Nam facit Naues instar pectoris auium: & remigium simile alis: retia meliora, quam aranea: Cellas & ædificia mirabiliora, quam Apes: ciuitatem instar corporis: mures corio similes, caput arci: folles pulmoni: organa Cantus, arteriæ vocali: ignem focumque cordi: ollam ventriculo: cultellum & serram dentibus, molam molaribus: alembicca intestinis: horreum iecori: cloacas culo: sedilia natibus: equitatum, & columnas cruribus: lasanum, & matulam, & sentinam, & decolatorium, felli, lieni, cæco, vesicæ: & præest animalium propagationi, & Plantarum, vt Angelus: & nihil est in mundo, quod non imitetur.

Præterea id sublimius est, quod tonat Archibugio, sicut Deus fulmine: quod nec imitari, nec intelligere possunt animalia. Præterea facit de nocte diem per lucernam, pinguedine arborum, & animalium, retinendo ignem, sicut natura igneum spiritum retinet in corpore nostro, nutritum sanguine, & adipe.

Præterea solus homo inter cuncta animalia vtitur igne: quem nec contingere cætera audent. Et quidem si anima humana esset ignis, non illum obrueremus, cacaremus, & vrina inspergeremus, & aqua, sed vtimur eo quasi instrumento ad dapes coquendas, ad mollienda metalla, ad domandas rupes, & ligna, & arces diruendas, cuius vires arte cohibemus: & ex lapidibus, & ex sole accipimus, fouemus, imminuimus, & moderamur, prout nostris opificiis est opus. Et cum homo nascatur nudus, & inermis, cætera vero animalia armata cornibus, dentibus, rostro, vngulis, squamis, & vestitã pilis & plumis: tamen homo per ignem sibi arma parat, & vestimenta ex arboribus, & vermibus, & animalibus, in genio tanto, quantum Deo istorum Entium conueniret. Habent quidem simiæ & Vrsi manus, non tamen cõtrectant ignem: quoniam ingenio carent. Neque videtur secundum magis, & minus humanum ingenium à ferino differre, sed diuinitate, dominatu, & natura.

Præterea quis non admiretur, hominem per horologiorum opus imitantem cælos, & tribuentem virtutem, & sapientiam rebus stupidis? & chartis dantem animam, quasi Deus, vt loquantur absentibus & futuris sapientias, & leges & mores & artes, & gesta maiorum.

Præterea, Astronomia maximè hominis diuinitatem declarat, nam signat in cœlo circulos, æquinoctia, conuersiones, syderum cursus, & hominibus prædicit, quando luna obscuratur, & sol; & congressus syderum, & nomina, & influentias super aquaticas, & marinas, & humanas, & terrestres res; & quod sydus quibus in rebus sympathiam habet, aut antipathiam: mirabile dictu, sine alis in cœlum volat, & suo subdit ingenio te-

ram rerum machinam : & cum non poteſt rectè notare vias ſyderum, fingit nouos cœlos epicyclos, excentrices, ex quibus metitur curſus eorum ita rectè, vt calculo ſuo videatur cœlum accommodaſſe, & eſſe faber cœli, ne dum cognitor. Si profectò noſtra cum cœlo cognatio id faceret, vtique & animalia Aſtronomiam callerent, quoniam ſpiritus ſolis calore ingeneratus eſt ipſorum animæ: ſed nobis diuinior inſit oportet, & ſimilis non cœlo modo, ſed cæleſtibus Angelis.

Præterea, ſi quid noui facit in cœlo Deus mutando parumper obliquitatem, aut æquinoctia, aut abſides, ſtatim homo id animaduertit, & nouas condit tabulas, & indices tanquam Dei aſſecla in cunctis. Quis non miretur tabulas Chaldæorum, & Ptolomæi, & Copernici, & Alphonſi, Arzachelis, Tyconis, & aliorum fœlicium ingeniorum: ſydera qui ingenio ſupponere ſuo?

Præterea, nedum mechanicæ artes, in quibus aliquantulum bruta conueniunt nobiſcum; nam Medicinam, Rempublicam, & Regnum, & Militarem ſcientiam habent, ſed ſpeculatiuæ longè magis diuinitatem hominis pandunt. Ecce Mathematicus diſtantias rerum inter ſe, & à nobis, & magnitudines cœli & terræ, & aliarum rerum in paruo circello, & quadrante metitur; & ex lunæ paralaxi diametrum terræ, & ab eclipſi vtriuſque magnitudinem, tam ſubtili quidem indagine, vt non niſi Deo digna videatur. Quomodo capiantur æquinoctia, & tropici, & apogeorum loci, ſiqui conſideret, dicet hominem eſſe Deum. Sed Phyſica de cunctis naturalibus tractans, & Politica, & Ethica, & Medicina, Dei diſcipulum illum declarant. Metaphyſica vero ſocium Angelorum: Theologia Dei. Qui has ſcientias non conſiderat, neque hominis diuinitatem ſapit, ſed cum Epicuro cæcutit, qui vix ſolem eſſe in mundo, cognouit, ſed quotidie naſci, & mori putauit.

Magia tandem hominis diuinitatem pandit: per hunc enim efficit miracula, ſiue quæ poteſt natura facere, vt patet de Magis Ægyptiorum, virgā in colubros vertentibus, & de Apollonio Thyaneo, ſiue quæ nonniſi Deus, vt de Moyſe, & de Eliſeo, & Helia, qui etiam de cœlo ignem impetrauit. Apoſtolique Chriſti, qui vmbra ſanabant ægrotos, & mortuos ſuſcitarunt, & futura prædixerunt. Quid de Chriſto dicam, quem non modo diuinum hominem eſſe ſcimus per ſenſatam demonſtrationem, ſed etiam Deum eſſe credimus per rationabiliſſimam fidem: vt in Antimachiauelliſmo diſputauimus? Quapropter de hominis excellentia ſuper bruta diſputandum non eſt, cum ſit euidentiſſima. Et licet Angeli, & Diaboli in Magia naturali adſint homini Doctores interdum, & Actores: nihilominus eius diuina natura panditur; neque enim ſi tanti non eſſet ingenij, cum eo ſuperi communicarent. Vnde quia homo facit ſtatuas loquentes, concludit Triſmegiſtus hominem eſſe diis nobiliorem, vel æqua ſorte congaudere. Profectò enim nobiſcum non tractarent, niſi quid commune cum eis nobis eſſet. Nos enim cum formicis & ranis commercia non habemus Vtimur autem equo, vel elephanto, & cane, & accipitre, ad opera perficienda, vel ad delitias. Conſtat autem ab Angelis nos ad vſus eiuſmodi non haberi: cum ipſi ſint longe ſuperioris naturæ, nihil indigentes corporalibus.

Homo præterea, amicus Dei, fugat Dæmones, non viribus, ſed virtute: animalia autem ſolis viribus aliquando à ſtabulis arcent hominem: non vocis præcepto ſignificatiuo. Commercium ergo cum Angelis Angelicæ nos naturæ ſimillimos oſtendit. Si vero in virtute animæ imaginantis, vt dicit Auic. Profectò anima quæ naturas immutat ſola imaginatione, quid diuinitatis habet. Sin autem vt inſtrumentum Dei per Magiam diuinam. Ergo quoniam precibus ſæpè id agit, Deo eſt affinis, & cum ſuperis participat.

Præterea, ſi Deus aſſumit hominem ad opera miraculoſa, vtique nobiliſſimum eſt inſtrumentum. Non enim nos quolibet inſtrumento ad quodlibet opus vtimur, neque quolibet ſeruo, ſed nobiliſſimo ad nobiliſſima: & licet à ligno Crucis, & oſſe Martyris, & lapide vtatur Deus ad miracula, tamen his vtitur propter hominem. Si ergo condeſcendit ad hoc Deus vt hominis gratia iſta faciat, vtique curam de illo gerit, tanquam de re nobiliſſima.

Præterea, artes diuinatoriæ hominis pandunt diuinitatem. Et licet Diabolus, aut Angelus interueniat, vbi non eſt naturalis ſcientia, vt Medicinalia & Aſtrologica prognoſtica, nihilominus hoc commercium indicat naturæ noſtræ cum illis conſortium, & affinitatem. In Prophetia vero diuina, quæ brutis non adeſt, niſi quædam naturalis ex paſſionibus aeris, innoteſcit excellentia humana, quæ Deo ſimilis futura prænoſcit, licet à Deo dicta, non tamen non diuina probatur. Non enim lapide, & ligno vtitur Deus ad iſta: ſed propter aliquid magnum in eo latens ad finem magnum, vt mox declarabimus.

Præterea, hominis intelligentia oſtendit non ſolum ipſum eſſe animalibus ſuperiorem, ſed etiam cœlo, & elementis: ac proinde eius animam non eſſe à ſole, neque à complexione elementari. Siquidem effectus nullus extollitur ſupra cauſam ſuam principalem, neque excedit illam vllo pacto Non enim ignis poteſt ſupra ſuum ignem genitorem, neque elementata habent vires elementis potentiores. Excedit quidem homo genitus hominem generantem, vt Alexander Philippum: propterea quod Philippus eſt cauſa inſtrumentalis, vt dicit Thomas, vniuoca: at non excedit ſolem cauſam principalem, robore, calore, viuacitate, & cæteris in conditionibus, quas à ſole accepit.

At, homo non modo excedit terram, & aërem, & cœlum, & ſolem, & mundum intelligendo, ſed adhuc ſemper aliquid vlterius intelligit abſque fine. Vnde Democritus infinitos mundos imaginatur: alij vero vnum infinitum: ergo intellectus humanus non dependet à ſole, & elementis, ſed à cauſa ſuperiore infinita. Ariſtoteles dicit hanc imaginationem eſſe vanam: etenim ſi vera eſſet, daretur infinitum. Item, poſſe ex ſimili aliud ſimile intelligi ſuperius, & ſic in infinitum. Ego autem concedo eſſe infinitum aliquod. Non enim anima, quamuis ſtulta, poſſet cogitare infinitum, niſi ipſa proles eſſet infiniti, vel intra infinitum verſaretur. Ergo ſi mundus non eſt infinitus, eſt infinitus ipſe Deus. Item, nulla paſſio eſt in mundo ſine cauſa: pati autem animam infiniti intellectionem à nihilo, quis dicet? Ambulare quoque de ſimile ad ſimile, rationis eſt opus. Et Ma-

thematici hac via mensurant Cælum & terram, & omnia systemata; ergo non est frustra, sed a-ctus diuinæ rationalitatis quæ si à sole esset, non excederet ipsum solem & mundum. Nulla enim pars excedit suum totum: ergo Mens non est pars mundi elementaris.

Præterea idem ostendit humanus appetitus: non enim homo rebus huius mundi acquiescit, & quacunque possessione Regnorum fruens, adhuc plura cupit. & supra cælum erigi, & mundum, sed innumeros occupare. Hoc autem autem non inesset animæ, nisi reuera infiniti Entis esset proles. Nam & si ignis quoque infinita vrere, & occupare, & sese diffundere cupit, tamen hoc habet quatenus est effectus infiniti creatoris, vt diximus in 2. p. Homo autem non habet hoc ab igne. Nam animalia calidiora essent excellentioris appetitus. Nihilominus videmus, Leonem & Aquilam non totum amare Mundum, sed satisfacere ventri tantum, & dominari obuiis animalibus absque glorioso vlterius sese amplificandi appetitu. Præterea homo inquirit de Deo, de angelis, de rebus diuinis & disputat, & tractat; ergo eius animus diuinitatis proles est, non solius ignis.

Postremo figura corporis humani indicat diuinitatem animæ illius; corpus enim instrumentum est animæ. Instrumenta autem fiunt sub formis conuenientibus ad aliquem finem, vt gladius acutus ad secandum, & aculeatus ad pungendum, & penetrãdum, similiter Aquila habet rostrum aduncum ad rapiendum; alas ad fugiendum: Anas collum longũ ad quærendum cibum in fundo fluuij, & pedes amplos, vt super cæno, & aqua, melius sustineatur. Bos collum crassum ad iugum: Canis os longum ad captandum feram: imbecillis lepus pedes agiles ad fugam. & omnia membra disposita sunt in quouis animali ad vsum proprium. nec datur cithara fossori, sed citharœdo. At cum omnia habent corpus pronum in terram, homo vero erectus in Cælum; manifestum fit indicium, quod hæc nata sint ad terrestres vsus, & escam de terra dumtaxat captandam: hominem verò ad Cælum contemplandum. Optimus physionomizandi modus est à figura: vt si quis obuius est nobis, imaginemur nos habere eius figuram, & colorem: tunc enim in nobis subito fit cogitatio similis cogitationibus illius. Vnde etiã animal iuxta imaginationem animæ formatur & fæmina prægnans edit natum similem cupitę rei, & spectatæ nimis imagini: vt Patriarchæ Iacob magiæ doctissima testatur. Quapropter ex figuræ erectione licet nobis hominis sublimitatem demonstrare certissimam. Præterea manus data est homini, vt instrumentum diuinæ animæ. Per hanc enim arma, & vestes, & vires, & omnia, quæ sibi natura negauit, parat; & tanto artificio cuncta tracta, vt videatur quispiam Deus: vrsus, & simiæ habent manum, sed vtuntur ea tanquam pede, & nesciunt tractare ignem, & ferrum, & naues, & aratrum, & artes mechanicas; prensant tantummodo sicut Aquila vnguibus. Diuina ergo res est homo, nec quia homo habet meliora organa est melior animalibus: sed quia est melior habet ab Autore Naturæ meliora organa. Non. n. datur codex rustico, sed literato, nec si daretur, legere posset. homo ergo & melior, & superioris est ordinis, superans Mundum & elementa, ne dum bruta, vt probatum est.

Rationes Platonicæ pro immortalitate animorum examinantur.

CAP. III. ART. I.

1\. SED haudquaquam subitò est etiam immortalis, licet tanta polleat excellentia; nam Stoicis anima, & genius sunt particula Dei, & tamen post mortem non viuunt, sed vertuntur in Deum, vti spiritus in aërem, suam .s. vniuersitatem. Quapropter rationes adducere oportet, quibus & immortalitas demõstretur. Plato quidem ex eo quod anima est numerus seipsum mouens, concludit immortalitatem. Quod .n. seipsum à seipso mouet, non indiget alio, neque destituit seipsum in motu, sed semper mouetur. Anima autem est huiusmodi: ipsa enim mouet corpus. Ergo cum non possit dare quod non habet, consequens est, vt ipsa habeat motum & à se. Nec mouetur ad suos actus vitales ab obiectis, sed solum occasionaliter.

2\. Item in libro de legib. ait. Anima est antiquior corpore; quia nobilius & agens prius est ignobiliori, ac facto. Anima est nobilior, & ipsa facit corpus, id est, organizat ad proprios vsus. Ergo non pendet à corpore. Ergo corrupto corpore non corrumpitur.

3\. In Axiocho probat animæ diuinitatem immortalem ex eo, quod Cælum noscit, æquinoctia, tropicos, & prædicit futuros sydereos aspectus, tranat maria. Respub. condit, leges, & literas inuenit.

4\. Item in Phedone ex studio philosophiæ, quod alienat animam à corpore tanquam immortalem à mortali.

5\. Alibi verò probat idem ex Religione, & idearum, & superum notitia.

Sed prima non est sufficiens. Namque & ignis per se mouetur, & tamen corrumpitur à frigore. Verum dicit, quod à se non pereat, sed non quod non ab alio. idcirco ostendendum erat, quod careret contratio, & sic satisfecisset. vtuntur tamen patres hac ratione, sumendo motum pro appetitione, potestatione & notitia, quæ non habet ab obiectis, nisi occasionaliter, sed à se: ergo independens & immortalis.

Secunda est vera de anima mundi, formante corpora, sed non de omni anima. & licet Plato putet, omnem animam æternam, vnde & bruta immortali anima donat: nam & in illis est numerus seipsum mouens, per se subsistens Platoni, & omnis corporatio ab anima formatur mundi; nihilominus mox ostendemus, non esse ponendas animas ab æterno. Posse tempore ignobilius præcedere, non autem dignitate; & corpora per caloris moderationes sub Angelis à spiritu vitali efformari.

Secunda ratio ritè probat animæ diuinita-

tem, ſed non ſubito immortalitatem.

Quarta propinquior eſt demonſtrationi: quoniam ſi anima ſpernit corpus propter contemplationem diuinorum: ergo ab eo non dependet. & hoc quidem eius ſubſiſtentiam docet; ſed non omnino immortalitatem.

Quinta verò ſatisfacit, ſi declaretur, & optima eſt, vt videbimus.

Rationes Bernardi & Ciceronis concludunt ſubſtantiam, ſed non ſubitò etiam perpetuitatem animæ humanæ.

ARTIC. II.

In Cant. *In Tuſc.*

BERNARDVS ait, quia ſibi ipſi anima eſt vita, & non mendicat eam à corpore, ergo viuit per ſe poſt corpus. Cicero verò ſi, inquit, in corpore mortali animato viuit, ergo multo magis ſeparata à corpore moribundo.

Rectè quidem; ſed non ſequitur, quod viuat in æternum, ſed quod poſſit ſine corpore dumtaxat viuere: circulo quoque æneo competit rotunditas per ſe: nec tamen eſt ſinè materia.

Sententia Ariſtotelicorum varia, ſecum pugnans, & cum decretis naturæ; nec immortalitatem animæ probat, nec vnitatem, nec pluralitatem.

ARTIC. III.

De An. lib. 2. T. 1. & ſeq.

ARIST. autem cum debuiſſet nobis declarare, quo pacto ex elementis inſenſatis inanimatiſque, ex quibus omnia ipſe producit, oriatur anima, & ſenſus, quaſi hoc nihil ad doctrinam pertineret, Logica methodo de anima determinat; quod quia non eſt materia, neque compoſitum, *ſit forma corporis phyſici organici, potentis viuere.* Deinde verò ponit animam intellectiuam ſeparatam, & immiſtam, ſicut Anaxagoras, ex quò ſequitur, quod nullius corporis ſit forma: & idcirco immortalis. Et tamen omnem animam eſſe formam, docuerat; vnde Auerr. & Auic. & Alex. coacti ſunt, ſequendo ipſum, ponere animam, vnam ſeparatam omnium hominum, quam dicunt eſſe intelligentiam; alij actiuam & paſſiuam, alij verò actiuam dumtaxat, præſidentem hominum ſpheræ: quoniam immaterialia non multiplicantur numero; & quia intelligere eſt vniuerſalis, & non indiuidui. Illud autem eſt vnum ſpecie, idcirco vnus intellectus.

T. 4. T. 11. ex lib. 3. T. 4.

Item eſſent infinitæ animæ ſi multiplicarentur, quod Ariſtot. poſitioni non congruit. Alij verò ſtultitiam harum opinionum redarguentes, ne tamen deſerāt Ariſtotelem, ponunt, animam intellectiuam ſecundum eſſentiam eſſe actum corporis. aloquin intelligere non eſſet operatio hominis, ſed ſeparatæ ſubſtantiæ; nec homo eſſet vnus niſi aggregatione: ſed tamen ſecundum potentiam dicunt nullius corporis eſſe actum. & ponunt in intellectiuo duplicem potentiam cum Ariſtot. id eſt, paſſiuum intellectum, qui eſt omnia facere. Quoniam in omni rerum genere, vbi repetitur patiens, reperitur & agens. intelligere autem eſt quoddam pati, & fieri ipſa intelligibilia. Alij interpretantur. Non patitur à corporeis obiectis quia ſic eſſet corporea: Propterea datur intellectus actiuus faciens obiecta immaterialia, vt poſſint intelligi.

T. 17.

Et quoniam anima eſt, qua viuit primo corpus, alioquin ſi de ſe viueret corpus, omne corpus viueret; ergo anima eſt actus corporis, quo viuit. Item anima cognoſcit omnia corpora; ergo non eſt corpus: alioquin non cognoſceret niſi ſeipſum. ſicut oculus Croceus videt omnia crocea. Item habet operationem propriam: ergo per ſe ſubſiſtit, & eſt immortalis, vt arguit Ariſtot. Quod habet propriam operationem, patet: quoniam ipſum intelligere fit abſque organo corporali: non enim vt viſio, & tactus, & guſtus per aliquod organum determinatum fit intellectio, alioquin non intelligeremus omnia, & immaterialiter, quoniam organum determinaret ſibi aliquod intelligibile.

Item intus exiſtens prohibet extraneum; &, vnum quodque recipitur ſecundum modum recipientis: ergo anima eſt pura potentia, & nullam habet ſecundum ſe Naturam, ſed apta eſt omnes recipere & cognoſcere. idcircò eſt immortalis ſubſiſtens. & quia cognoſcit abſque corporis immutatione non eſt idem cum ſenſitiua, & ferina, quæ cognoſcit cum corporis alteratione. & hoc probant, quoniam intellectus intelligit vniuerſale: ſenſus verò particulare: intellectus abſque materia, & præſentia materiæ. ſenſus verò cum præſentia materiæ; nam videt album in quanto homine, vel pariete.

T. 7. & ſeq.

Item intellectus cognoſcit quidditatem: ſenſus verò eſſe, & exiſtentiam, & accidentia. Item intellectus perficitur à vehementi intelligibili: ſi enim intelligit Angelos, & vniuerſalia; facilius intelligit, minus intelligibilia, vt hominem & virtutem, & amicitiam, quæ ſenſui non obiiciuntur.

At sensus à vehementi sensibili corrumpitur. Qui enim intuetur Solem, non potest videre acum., & qui calore multo afficitur non sentit minorem. Ergo quoniam intellectus intelligit vniuersalia, immaterialis est, & quoniam intelligit hominem, quem à materialibus suscipit indiuiduis: idcircò oportet esse intellectum agentem, qui spoliat formas materialitatibus, & faciat immateriales, aptasque ab intellectu possibili, qui acquisitis speciebus intelligibilibus fit intellectus in habitu, qui potest mox actu quæcunque considerare. Idcirco ergo pueros non intelligere, quoniam adhuc intellectum adeptum, seu habitualem, non habent. Et quoniam vniuersale est æternum, & incorruptibile, ergo intellectus est incorruptibilis. Et quoniam intellectio est eius propria, & non communis corpori, veluti sensus, & imaginatio; idcirco contingit ipsum separari à corpore, sicut incorruptibile à corruptibili. Hæc ille.

Nos autem in 2. lib. de Sensu rerum, & in Physiologia, & in p. p. huius ostendimus, intellectum, quē Arist. cognouit, non differre à sensu, qm̄ eodē & particularia sensu sentimus vniuersalia, & fortiter, & languidè mouentia, & prope & à longe: & quæ intelligimus sunt quæ sentimus: vt cum video Petrum à longe, dico esse hominem, propè vero Petrū, ergo Arist. petere principium: hoc enim quærimus vtrum eadem vis cognoscat præsentia, & absentia: ipse verò eam diuidit per hoc, quod altera sentit præsentia, altera absentia. Item immaterialia à virtute sentiente cognosci. Nam amicitiam & despicientiam & dolos cognoscunt bruta: & canis non hanc modo vulpem nouit singularem, sed omnem vulpem per illam, quia similitudinem eius in memoria retinet, quæ est ipsum vniuersale: & latrat quidem noctu ad hominem, sed non ad hunc hominem, cum mox agnoscit herum. quia à longè primo vniuersale, deinde singulare discernit. vt pueri omnes homines Patres vocant, deinde discernunt. Vti nos omnia oua eiusdem esse gallinæ putaremus; non autem Gallinaria experta, cuiusmodi quæ pariat ouum. Videmus in Petro hominem, & hunc hominem; hoc est similitudinem cum aliis, & proprietatem suam. Et argumenta Peripatetica sunt vana. quoniam sensus fit cum immutatione, quoniam præsens obiectum mouet magis: intellectus verò, qui similitudines languidas spectat, non ita immutatur: sed contemplantes attente, manifestè immutantur & corpore, digestionem impediunt, & sæpè insaniunt. Alia ratio est petitio principij, quia cum præsentia & sine præsentia materiæ, non faciunt duplex esse; nam sicut vulnus, & cicatrix sunt, illud magis, ista minus afficit; illud cum præsentia agentis, ista cum relicto affectu tantum. Et quia intelligibile est absens, & minus mouens sensum, sensibile autem est præsens, idcirco inualida est comparatio postremæ rationis. Sed debet comparari minimum sensibile magno intelligibili; & ita rectè euenit. Nam sensus videns à longè & languida obiecta, melius videt proxima & robusta; & sic est intellectus. Sensus quoque quidditatem cognoscit quia vniuersale, & particulare, species & differentias cognoscit. Non quidem oculus, sed vis sentiens in oculo, vt in p. parte dictum est. Non reddit autem rationem, quoniam ratio est ab vniuersalibus, & ab aliis experimentationibus collectis, quæ conficiunt scientiam. ideo oportet non sensum præsentem vnū, sed multorum quæcunque latent causæ in obiecto, & partes, & operationes notasse; vt inde sensus noster eliciat rationem, vt in p. par. dictum est: vbi à sensu scientias omnes ortas, sed sæpius sentiente eadem, & memorante, & conferente cum his, quæ alij senserunt, declarauimus. Memoriam quoque esse sensum anticipatum. Reminiscentiam expergefactionem præteriti sensus per similem præsentem sensationem. Sensumque communem esse eumdem spiritum in pluribus organis diuerso modo diuersa obiecta admittentem. Phantasiam verò sensibilium passionum recolitionem, vel collationem cum aliis copulando, & diuidendo. Rationem verò in notis ignotum sentire. Intellectum Peripateticum à longè sentire, & languide; apud nos verò iaculum rationis.

Quapropter ostendimus, esse nullā Arist. rationē, qua diuidit animam in tot partes. Si enim simplicissima res, vt ait, vtique talem diuisionem non admittit, nisi operationum; multo autem minus sensum ab intellectu separat. Illa enim anima quæ in oculo sentit, intelligit intus, quod ibi sentit. Intelligere enim est intus legere; sed ipsa sentiens intus & foris, à se ipsa non differt nisi in modo operandi, & quia intus obiecta remanent languida per motum, quē imprimunt, & per plures sensus plura obiecta percipit spiritus, aptus est intus separare, & copulare, & sentire vnum sine alio, vt albedinem sine pariete: & ea præsertim, quæ in Natura non habent connexionem necessariam. Sentit enim circulum sine ligno & carne: quoniam sine his foris sentiri potest, eo quod omnes circumeat materias. Sed non sentit hominem sine carne, sed sine Petro, & Paulo, sed in aliis videt extrinsecus hominem, vt de circulo dictū est. qui si sibi determinaret materiam, sine illa non intelligeretur, sed sine indiuiduis; quoniam nullum ita sibi determinat; quin in alio non possit subsistere. At solum Deum infinitum non possumus intelligere in pluribus indiuiduis. Extra enim infinitū aliud concipi non potest, sicut extra Petrum, Paulus Profectò enim si substantia simplex est anima, non potest partiri, ita vt alia sit pars eius sentiens, alia intelligens, alia imaginans. Quod autem non sit forma corporis sensitiua vis, ostensum est prius.

Ostendimus quoque, non rectè Arist. posuisse vim sensitiuam incorporeā, puramque potentiam: tum quia ab humore interlabente impeditur; tum quia accedit, & recedit ab oculo, & inflat, & detumescit, vt patet in omni membro; tum quia nō posset sentire plures res, & præsertim contrarias simul, nisi diuersis sui partibus, ac proinde partibilis sit. imo nec in diuersis partibus, si ipsa est impartibilis. At ex eo, quod noscit omnia, benè concluditur non esse ea, quæ noscit. Sed quoniam multa non cognoscit; de illorum genere, quæ non cognoscit (cognitione, inquam, superaddita) ponenda erat, vt puta, vel aër, vel sicut Angelus: ipse enim tactus non sentit calorem languidiorem suo innato, sed robustiorem: ergo in mediocritate caloris ponendus est. Preterea ostendimus, non esse oculum, qui videt, neque linguam, quæ gustat, sed spiritum, qui in eis inest, & accedit, & recedit, vt patet in deliquiis & somno: & per consequens vis intellectiua, nisi tota incorporea, non est. Nam & speculum suscipit sine materia effigiem, & cera sigillum aureum sine auro, & spiritus bestiæ amicitiam, & inimicitiam in vniuersali, & in particulari. Neque quia percipit corpora, fit incorporea: non enim aërem percipit, neque spiritum

exhalantem ex corpore animalis, nisi per discursum, sicut seipsam. Ergo de illorum est natura. Cumque ipsa sit substantia, & Ens, non perciperet substantias. sed profectò intelligitur recipiens denudatum à Natura recepti, secundum id quod recipit, non secundum totum esse. Oculus quippe albus est, sed albedine simplicissima, qualis inest diaphanis rebus à calore albo deuictis. albedo autem quouis colore tingitur propter suam simplicitatem; similiter & lux. Et tamen lux color est. Potest ergo quod recipit non esse id, quod recipit in eo gradu, sed in alio simpliciori. Oculus croceus omnia crocea videret, quoniã croceitas participarêt opacum, quod tingit omnia seipso. similiter bilis amaras reddit escas; sed tamen caro insipida est nobis nostra, non autem cani, vel pisci. & quia insipida, sapores excedentes ipsam sentit, non autem infra: sicut robur nostrum non sentit pondera formicæ & Apis: nisi. n. ad vnciam pertingat, nobis leue putatur: tamen videmus deorsum cadere grana, & dragmas, quoniam grauia sunt. Sensus igitur noster corporeus est in mediocritate virium, & percipit ea, quæ nos excedunt, & mouent. Cætera verò discursu à simili: qui autem simile nouit, is est idem, qui discurrit ad ignotum, virtus videlicet sentiens. Quoniam verò Arist. non cognouit quid deferat sensilia ad sentientem animam, & quid eas de materia abstrahit, neque hoc docuit, idcirco debuisset ponere sensum agentem, sicut posuit intellectum, & longè magis. quem cum reprobent alij; propterea quod ipsa sensibilia sunt actu, & possunt mouere sensum, & non doceant quo pacto lapidis forma veniat ad oculum: ipsa enim non deserit proprium subiectum: inertiæ condemnandi sunt. Sed nos lucem tingi vultibus rerum, docuimus, & in oculum insilire, & manifestare res, quibus est tincta. Odores verò esse tenuem substantiam, ab exhalante calore delatam: sonum esse motum per aërem communicatum; idcircò neque intellectus agens poni debet; vt enim abstrahatur ab indiuiduis simulachrum, non requiritur opus, sed languor operis. mouent enim sensilia particularia sensum: & quia particularitates sunt paucæ, id verò in quo conueniunt, est multum, quia in omnibus est; idcirco remanet in sentiente virtute ipsum vniuersale potius, quam particularia. & in absentia, videtur sentire, post modum esse vniuersale abstractum nosse. & hoc stulte tribuitur intellectui agenti, quod languiditatis est effectus. à longè enim video hominem, & non Petrum, quoniam Petri singularitas, vt facies, & color, non possunt vsque ad me suas vires extendere; motus verò & figura humana extendunt, quoniam ex aliis ea nota fuere mihi, & plus mouerunt; & passiones inditas ergo plus & facilius excitant. Nec propterea dixeris, esse virtutem in sensu, quæ abstrahat hominẽ à Petro: sed imbecillitatem, & paucitatem particularitatum, non se satis ostentare. Cognosco hanc esse aleam, sed non tanti valoris in ludo, quoniam illud commune habet cum multis, & in multis noui: hoc verò particulare solum in ipsa. sed lusor benè ipsam agnoscit: qui particularia notare didicit; ergo abstractio est vana. Nam & oculus videt colorem non viso sapore, ergo etiam ipse abstrahit. & quare? quia non est aptus pati à sapore. sic sensus distans, quẽ vocant intellectum, ex eo quod distãs moueri nequit à distãs. Similitudines autem super militudines intelligere, opus est ratiocinantis sensus, vt dictum est. nam sicut ex particulari ad aliud particulare discurrit, sic ex vniuersali ad aliud vniuersale. Cum aiunt, intellectum non posse moueri à phantasmate nisi illustretur ab agente, falluntur; quoniam si intellectus est forma corporis, erit etiã organi, in quo est phantasia: ergo affecta phantasia, afficitur forma, in qua est ipsa. Distinctio enim cellarum vana est. sic etiam affecto oculo, afficitur anima intellectiua, quæ ipsum informat. si verò anima non est forma, sed spiritus, tunc in eo fiunt sensationes, & imaginationes, & non relinquitur aliqua illustratio, nisi diuina omnibus in rebus eminenter inexistens. sed de his alibi.

Quapropter rationes Peripateticorum, quibus probant animæ immortalitatem, vanissimæ sunt, & sibi mutuo aduersæ. Non enim probant subsistentiam animæ, dum eam ponunt, vt formam. Qui verò ponunt ipsam abstractam à corpore, non faciunt hominẽ intelligere, sed intelligi, vt Auic. etiã nouit. qui a. formam corporis, non declarant, quomodo ex elementis inanimatis fiat anima. Qui a. dicunt, esse formam secundum essentiam, non autem secundum potentias, non probant, quod volunt: Nam potentia non potest ab essentia separari, nisi cogitatu nostro. si ergo essentia est forma corporis, vtique & potentia: siue enim potentia sit ipsa anima potens, siue quid ab ea effluens, cum extra corpus non effluat, non potest corporis fieri expers. & mirum quo pacto eadem res sit actiua, & passiua forma. Arist. semper negat in eodem reperiri actum, & Potentiam: neque enim semen fieri materiam fætus concedit propterea quod est agens: & nunc quomodo eadem anima est patiens, & agens intellectionem? Item si patitur cum sit forma corporis, patitur simul corpus receptionem specierum immaterialium. Nã & ipsa luce, à corpore non dependente affecta, afficitur corpus aëris, & oculi, in quo ipsa recipitur. ergo imperitè faciunt ipsam immaterialem, vt suscipiat vniuersalia. Speculum quoque suscipit imaginem Petri & hominis. & quidem à longè positum non repræsentat Petrum, sed hominem. & sic est sensus, & intellectus Aristotelicus.

Ratio ergo Arist. qua probat animæ immortalitatem, nulla est. Si enim, inquit, propriam habeat operationem, in qua corpus non communicat, contingit ipsam separari sicut incorruptibile à corruptibili: quod falsum est: nam neque nauta est incorruptibilis qui propriam habet operationem à naui distinctam: neque spiritus equinus. Spiritus enim videt in oculo, & non videt ipse oculus, sed quasi fenestra eius est. & tamen discedit in aërem, qui corruptibilis est. sequitur ergo quod sit separabilis, sed non quod incorruptibilis. Præterea falsum est in doctrina Arist. quod anima propriam habet operationem, in qua corpus non communicat: Ipsi. n. intelligere est pati: forma autem non patitur, nisi compatiatur subiectum. Item anima intelligendo laborat, vt patet. Item vtitur phantasmate intelligendo. Neque enim ipsum vniuersale potest anima intelligere secundum Arist. nisi in phantasmate inspiciat particularia, non modo quando primum intelligit aliquid, sed etiam postquam illius habet scientiam in habitu, quandocunq; vult intelligere, respicit phantasmata, (vt & Auic. asserit) ergo non est absq; organo. & licet dicãt phantasmata concurrere tñ vt obiectum: hoc verum esset, quãdo primũ sentit, seu intelligit aliquid. sed postquam species intelligibilis est in intellectu, non potest intellectus quando vult intelligere, nisi phãtasmata speculetur Ari-

p. de an. c. 1.

lib. 3. de An.

Aristoteli: ergo, inquam, phantasia est aliud ab anima: vel locus non informatus anima. Ergo non vtitur phantasmatibus, vt obiectis, quæ iam habet, sed vt organis. Item corrupto organo phantasiæ, homo insanit, & nil rectè intelligit iuxta ipsorum dogmata. Ergo vtitur eis organicè. Nam præterea anima, cum sit incorporea, & immortalis, & simplex, cum habet in se obiecta, semper illa intelligeret: vnde Theophastus quærit, cur non ab initio intelligimus, si tantus est hic intellectus, quod spoliat formas materialitatibus, & eas reddit immateriales; & copulat passiuo intellectui: &, sicut dicit Aphrodisiensis, est efficacissimus sicut ignis, qui deuorat omnem materialitatem. Hoc tamen falsum; solius enim Dei est, facere de corporeo incorporeum. Item (inquam) postquam semel intelligit, cur non semper intelligit? & vnde est obliuio & deceptio? si enim factus in actu à rebus intellectis, fit vnum cum illis, semper debet illas intelligere: sicut lignum ignitum, factumque ignis, semper calefacit. At cur cessat intelligere? cur decipitur, & obliuiscitur? Non enim potest res immaterialis impassibilis, actiuissima quocunque leui motu, & causa à se alienari, decipique. Item cur non omnia à principio cognouimus, si intellectus actiuus est omnia? vel cur non reminiscimur, quæ alibi intelligit intellectus? hæc ratio procedit contra Auerr. & Alex. Neque enim ex immortali impassibilique formæ impressæ deleantur: & si delentur illæ, quibuscum factum est vnum, magisque quam cum ex materia & forma, profectò ipse intellectus corrũpitur, & deletur. Item quomodo vna forma percepta, potest alias suscipere? neque enim tabula rasa suscipit aliam figuram; nisi prima deleta, vt stemus in exemplo eorum. Profectò si propriam formam amittit, corrumpitur. id enim est corrumpi. omitto rationes contra eos, qui faciunt animam vnam in cunctis, & nunquam declararunt quomodo non idem scimus omnes: & quomodo intelligimus cum intelligimur: & quomodo anima illa hominibus illabitur, & non brutis: & quomodo in aëre manens in corpus trahitur, à quo mala multa patietur, & præsertim scientiæ obliuionem alibi adeptæ. à quo fato cogitur ad hanc copulationem; si non sponte; & quomodo à principio non omnia scimus? & quomodo à corpore obliuionem patitur, & tamen in illud rursus illabi cupit? Et quomodo Arist. hanc animæ vnitatem tacuit. & cum ipsa non patiatur à sensibilibus, nisi in virtute intellectus agentis, quomodo obliuionem, & deceptionẽ à phantasia patiatur? numquid intellectus agens dat phantasiæ, vt possit facere malum in intellectu, & ignorantiam, sicut dat, vt possit bonum, & scientiã videre, dum illa illuminat, sicut sol colores, vt ipsi dicunt? quod si id potest agere absque intellectu agente, ergo frustra ponitur etiam ob alias actiones, & fabulosè iste intellectus agens. Item si anima spoliat materialitate formas, facitque intelligibiles: tunc multo magis intelliget Angelos, formasq; per se immateriales præsertim cum non sit corporis forma secundum Auerr. quod tamen non experimur. vel secundum Alex. intelligit ipsum intellectum agentem longè magis, ac prius quam intelligibilia, quæ materialitatib. spoliat. imò materialia minus intelligeret quam Angelos: quoniam nunquam percipit corpora, sed incorporea reddita phantasmata, vt Angelus est. sed hæc omnia vana sunt. Quapropter videamus si quæ sunt rationes probantes animæ æternitatem secundum veram philosophiam.

In anima vt in omni Ente finito, dari partem paßiuam, & partem actiuam: sed non Aristotelico modo, & ipsam sapere & amare in quantum Ens; sed in quantũ anima dare alteri sapere, & posse, & amare, & secundum se, vel subsistere: vel vt causa agens in existere. & animal esse vnum non simpliciter, neque compositione, sed decompositione. Et vtrum quo primo sapit homo, sit immortale, inquirendum esse iuxta nostram Philosophiam.

CAP. IV. ART. I.

INVENITVR quidem in anima nostra agere, & pati; prius enim recipit rerum motiones, à quibus afficitur, deinde verò de rebus mouentibus iudicat. ergo datur in anima pars passiua, & actiua. sed pars passiua non est animæ in quantum anima, sed in quantum Natura deficiens. Quæcunque enim natura caret aliqua Entitate, potest illam recipere. Quapropter in angelo datur pars passiua, quatenus recipit illuminationem à superioribus; & in sensu, & in materia omnium maximè. Iudicare autem de re inferente passionem est actus animæ, in quantum sapiens est. & est quædam actio, sed potius operatio interna dicenda foret. ergo non datur pars actiua in anima separata à passiua: Eadem enim, quæ patitur ipsa iudicat de eo, à quo patitur. Non enim ego possum iudicare de dolore, quem pateris tu. Neque pars actiua est, quæ spoliat obiecta materialitatibus, sed potius vestit, quoniam ex parte communique passione partis rei, iudicat de tota re, & de indiuiduis cunctis. Sensus enim, ex eò quod videt aliquid figuratum instar hominis à longè, iudicat, esse hominem cum carne, & osse, & oculis & pulmone, & cum cæteris materialitatibus, quas non videt. Sic & intellectus. Vnde Scotus rectè dicit, intuitiuè ab eo singularia cognosci, sed ruditer admittit intellectum agentem alium à iudicante. Insuper in 2 parte declaratum est, obiecta non mouere animam, neque primalitatem ad exercitium, sed ad specificationem tantum. Omnis enim sapientia semper sapit id, quod est illud, cuius sapientia est, vel abdito modo. Cætera verò

in quantum mouent rem sapientem,&in quantum intelligit sapientem mutatam in aliud. Anima ergo non sapit sensu, vel intellectu, quatenus est corpus, alioquin non nisi corpora saperent ; neque quatenus calor, alioquin frigus non sentiret, neque spatium. Ergo quatenus Ens, quoniam omne Ens sentit, & quia neque accidentia sentiunt, vt accidentia sunt, neque enim circulus sentit, sed res circulata: neque paternitas sentit, aliaque relatio, sed res relatiua: neque vestis sentit quatenus vestis, sed quatenus est Ens aliquod subsistens: Propterea diximus, animam esse aliquid subsistens in cunctis rebus. Nec quia subsistit est immortalis, nam & aër subsistit per se, & lapis, nec tamen immortales sunt. Quapropter anima brutorum immortalis non est, licet subsistens. Videmus enim, non esse formam, quando corrumpi potest, non corrupto subiecto: vt necatæ muscæ in aqua, quæ mox ad solem reuiuiscunt, refecto spiritu. & similiter gelatæ aues in Islandia sub hyeme, quæ in vere reuiuiscunt: vnde docemur, animam esse spiritum tenuem calidúque. Nec tamen dicimus subsistentia sola sentire, quandoquidem calor, & frigus sentiunt, qui tamen inexistunt. Ergo damus sensum rebus, quæ sunt actionem & passionem per se habentia. Calor enim agit, & ignis per illum; paternitas autem, & vicinitas non agit, sed pater, & vicinum, vt in secunda parte, dictum est. Animæ ergo est scire, & posse, & appetere, quatenus est Ens, non quatenus anima, quandoquidem omnia Entia his primalitatibus constitui declarauimus.

Quatenus autem anima est sentiens, & appetens, ostendit, se non esse relationem, neque actionem & passionem, neque formam passiuam, vt circulus, aut temperies, neque harmoniam, neque aptitudinem, sed Ens subsistens, vel inexistens actiuum aliquid per se potens, licet in alio; sed quatenus anima habet animare est id, quod dat alteri minus potenti, minusque sapienti, & minus amanti, potentiam & sapientiam & amorem ab intrinseco. respectu ergo corporis dicitur anima: respectu sui verò, Ens. at ex corpore, & anima non fit vnum simpliciter, vt ex potentia, sapientia, & amore, neque vt compositum similare ex materia & forma, vt ex calore, & tenui corpore, ignis, & ex ære & circulo æs: sed vnum decompositum, vt molendinum ex aqua, & lapidibus molaribus, & homine: & textrinum ex texente & tela, & filis, & radio, & casside, & cæteris partibus. Quapropter frustra quæritur vnitas in animali simplex, in quo apparet multiformitas. sed vnum est de compositione, vt & rectè Scotus aduertit. Verum quia hæc decompositio est naturalis, substantialisque in vnam formam totius propter finem, datur vnitas maior, quam pistrino: licet & in hoc conueniant omnes partes in vnā formam totius propter finem. Ars enim Naturam imitatur; vnde & theriacam ex pluribus speciebus conficit vnam speciem. Cum ergo dicunt, id, quo primo viuit animal non est corpus, verum est, sed non sequitur ergo est actus corporis; quoniam animal est decompositum; sed potest corpus tenue, & sentiens magis animare corpus crassum, & stupidius. at cum addunt, illud corpus tenue non esse vitam in quantum corpus, concedo; nam vita est Entitas constans potentia, sapientia, & amore. Vnde anima tenuitatis est calor: caloris verò potestas & sensus, & amor essendi; vel horum vnitas. idcirco inquirendum est, num alia vita sit in nobis, quæ à calido spiritu non dependeat, sed sapiat immortalitatem.

Animam humanam esse immortalem, secundum rectam Metaphysicam.

ARTIC. II.

ET quidem superiora argumenta, quibus ostendimus hominis diuinitatem excedentem animalia robustiora, & calidiora supra seriem procul dubio ostendunt, hominem non à Sole, & ab elementis tantum originem habere, sed ab Ente diuiniori, quod non sit contractum ad esse calidum, & frigidum, & corporeum, sed in sola Entitate permaneat, quæ est potestas, sapientia, & amor. Et quia quo magis Ens est contractum ad aliquam particularem Entitatem, eo magis participat non esse, & corruptibilitatem; Propterea animum hominis à corruptibilitate alienum valdè intelligimus, sed non adhuc immortalem; quia infinitus non est. ergo potest habere id, à quo corrumpatur. At quia quæcunque facta sunt à Deo infinito, volunt infinito viuere tempore, æmulando Deum: & quæ non possunt indiuidualiter, saltem specificè contendunt ad immortalitatem: illa autem consequuntur immortalitatem indiuidualem, quæ carent contrario, & subiecto.

Propterea dicendum est, quod si humana Mens, non est corpus, nec compositum ex dissolubilibus, vt probatum est; & caret contrario, & subiecto, incorruptibilis sit. Non enim à Deo corrumpitur per subtractionem esse, cum institutor Naturæ non subtrahat, quod rebus est naturale.

Quod autem anima careat contrario, patet, quoniam ex eius operationibus ostendimus ipsam esse supra elementa, & tamen constare ex primalitatibus, sicut Angeli; vnde Plato ex eadem mistura in eodem cratere, vtrosque fabricat in manu Dei, & ostendimus ex primalitatibus non contractis nec corporatis. Primalitates autem non possunt dissolui propter coinexistentiam mutuam in inuicem, & identitatem realem, & quia sunt absque contrario: potentia enim potentiæ contraria non est, sed hæc huic: neque sapientia sapientiæ, neque Amor Amori, neque ipsa inter se. Ergo anima est ex hoc incorruptibilis. Nam & omnia fieri potest, quoniam contracta non est ad particularem admistam Entitatem.

Quod autem subiecto careat patet, quoniam subsistit spiritus, qui est anima brutorum. Mens autem nobilior est spiritu, & calore, ergo multò magis ipsa subsistit. Vnde S. Ambros. de Isaac probat, animam non esse formam corporis contra Aristotelē. idem etiam probarunt veteres Theologi, Iustinus, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, Origenes, & alij. Et quamuis in Clementinis decretum sit, animam esse formam corporis: decretum illud non contra Doctores suos protulit Ecclesia, nec contra Mosen, qui spiraculum vitæ organizato, formatoque corpori animam, non vt formam introducit; sed contra Auerroistas, tenentes, esse vnicam animam cunctis hominibus adsistentem ab extra; & secundum sensum, non secundum verba interpræ-tandum est, vt docet S. Thom. item forma ibi accipitur communi modo pro eo, quod est in alio, siue dependeat ab eo, siue non. Theologi namque omnes docent, animam à corpore non dependere, neque possideri, & propriam subsistentiam habere: neque eo corrupto corumpi. Hæc autem omnia contingunt formis veris, tam artificiatis, quam naturalibus, teste Natura, & Arist.

1. p. q. 61 ar. 6.

Præterea forma nulla corporis extenditur extra subiectum suum, à quo possidetur, sed Mens extenditur extra corpus, & extra mundum corporeū. ergo non à corpore & elementatione, quorum est mortalitas; sed ab infinito immortali principio: ergo licet sit forma non pendet à subiecto, nec possidetur. sicut lux in aëre est forma aëris, sed pendens à sole, non ab aëre. Præterea ipsa anima cognoscit contraria, vt calorem & frigus, lucem & tenebras, & vnum per aliud. & videntur in ea nō esse cōtraria. & licet ostenderimus in spiritu animali contraria esse, & contrario modo afficere ipsum, alioquin nō cognoscerentur esse contraria; hoc tamen est in parte passiua eius, & receptiua, non autem in iudicante actiua. Iudicat enim anima de frigore & de calore, quod sint contraria, quoniam patitur ab eis contrario modo. sed tamen iudicium illud non est contrarium, quoniam spectat ad primalitatem Deo proximam, in quo non est contrarietas, vt ostensum est in 2. parte, quæ quidem orta est inter similia idem appetentia insufficiens obiectum. At quomodo à pluribus contrariis simul afficiatur mens contrario modo, alioquin non essent agnita, vt cōtraria, difficilè scimus. Sed declarauimus spiritum corporeum pati à contrariis in diuersis sui partibus contrario modo, & tunc indicare contraria. Quoniam autem Mens spiritui inexistit, vt lux in aëre, quo abeunte, ipsa non abit, nec corrumpitur, tamen afficitur cum spiritu, & iudicat. Idcirco extra corpus alio modo ipsam iudicaturū, puto, prout D. Thomas docet. Nam tunc contraria visa in ideis videntur non esse contraria: contrarietas enim in eis postea accidit ob cupidinem occupandi eandem materiam, & in suis causis radicaliter omnia esse vnum, & distinctionem esse à gradibus participationis idearum; & ad hanc notitiam Telesius non eleuat mentem; quippe qui sensibilia tantummodo tractat, prout sunt: & origines, & fines rerum non inuestigat: idcirco putat, non nisi à corporeo spiritu cōtraria percipi simul, quod Aphrodisiensem torsit.

Item potestatiuum mentis, eius immortalitatem indicat; quando nullis doloribus, nullisque malis, corpus & spiritum destruentibus, cedit, tortores spernit, mortem non timet in sui perennitate confidentia abdita spem reponens, & hoc martyres, & philosophi, & mulierculæ comprobarunt gentiles.

Secundo probatur mentis humanæ immortalitas ex eo, quod intelligit in infinitum, & appetit in infinitum, vt probatum est in præcedenti sermone: operatio autem infinita indicat virtutem infinitam. non quidem Entitate, ergo duratione; & quamuis calor calefaciat in infinitum, tamen hæc actio est contracta ad calefacere: intelligere autem & appetere, contractæ non sunt, vnde & calor, qui est contractus, potest corrumpi ab alio, sed non per se à se ipso deficere, cum sit proles infinitæ causæ. Anima verò, quia non est contracta, caret contrario, idcirco eius operatio secundum primalitates, indicat rectè eius infinitatem. Et quia hoc intelligere & appetere, non est simul, sed quasi syllogisticum post aliud: idcirco non infinitatem Entitatis, seu æternitatis, quæ est omnia simul, sed durationis in tempore æterno indicant successiuè. Nam præterea non modo ambit cogitando & appetendo omnia corpora, vnde probatum est, quod non sit corporea, quia nulla pars est maior Toto: sed etiam ambit omnia tempora preterita, & futura, semper anterius & vlterius cogitando, & facit vniuersale, quod vbique & semper est: ergo non temporalis nec localis res, quia pars esset maior Toto.

Præterea anima intelligit Ideas vniuersales æternas: ergo est similis illis in immortalitate. vbi nota, quod Peripateticorum ratio sumpta ex eo, quod vniuersale est effectus, & non causa, & inexistit mortalibus, & non subsistit: & dicitur æternum non positiuè, sed negatiuè, quia secundum quod vniuersale non repugnat ei sempiternitas; vniuersale verò ideale est causa, & diuinitatis æternæ participatio, quæ est semper in mente prima, idcirco ex huius ratione rectè concluditur animæ immortalitas. Huius autem notio ex illius notione pendet, quoniam anima nostra non sistit intelligentiam in illo, sicut bruta, quæ noscunt herbam in vniuersali ex similitudine aliarum herbarum: sed adhuc intelligit ideam herbæ, vnde omnes originem habent. & velit nolit Aristotel. illam intelligit. Nam in artificiatis est palam. Ergo & in naturalibus, & quicunque Deum autorem Mundi norunt, illas asserunt.

3.

Præterea homo, non modo ea, quæ ad præsentem spectant vitam intelligit, sed superos, & inferos, & Deum: & anxiè disquirit, vtrum sint, & quid sint: Eorumque societatem appetit. Natura autem non dedit animalibus sapientiam vltra quam necesse est præsenti vitæ. vnde leporibus & ceruis timidis dedit agilitatem ad fugam; Leonibus & Apris fortitudinem: Araneæ sagacitatem ad texendas telas in captionem muscarum. Aquilæ acumen vt à longè contempletur escam: lupo auditum validum vt prænoscat in nocte, vbi sit pecus, & custos, & quomodo venetur escam & tandem nullius scientia se extendit vltra conseruationem vitæ præsentis. Vnde & prophetia Alcyonum extenditur ad tempestates maris, quoniam ibi nidificant; pecudum & boum ad aëreas, vt præparent sibi stabulum, aut esca repleant ventrem, ne sit ieiunus cum tempestat.

4.

Hominis autem studium non ad præsentem dirigit conseruationem, sed ad futuram cum superis, quibus cum init commercium, & de quibus inquirit. Natura autem non dedisset frustra hanc sollicitudinem infæliciter optimo animalium. Ergo euidens signum, quod aliud bonum post mortem illi reseruetur, atque conueniat.

5. Præterea enim non cognosceret, neque inquireret, neque appeteret voluntate practica, quæ non ad se pertinent bona: cum ergo cognoscat bona immortalia, & immortalitatem, conueniat illi oportet. Sicut enim natura non dedit manum frustra: neque pedem frustra: sic neque hanc intelligentiam, & appetitum bonorum diuinorum. Nam multo sapientior est in ordinandis, quæ ad animum, & sapientiam spectant, quam incorporeis. In his autem nihil est vanum; si spectes folia, spinas, & fructus, & cortices arborum, & vsus. Homini autem non dedit cornua, neque squamas quoniam superflua essent, cum acceperit manus & ingenium, quo ista sibi parare possit, quæ animalia non possunt Ergo si corpori humano non dedit quod necessarium est, videlicet vestem villosam, ne sit superflua, quia dederat solertiam ad istam parandam: multo minus affirmare licet superfluam esse hominis inquisitionem & appetitum alterius vitæ, & rerum diuinarum.

6. Præterea ipsa Philosophia vniuersalis religio ostendit homini aliam post mortem deberi vitam. Homo enim religans se Deo spernit vitam præsentem, ieiunat, se flagellat, surgit in nocte ad contemplandum, & canendum Deum: summoque superis inhiat amore. Hanc autem religionem in cunctis nationibus inuenimus. Non enim discordant religione, sed in ritu, & notione diuinorum. Quoniam aliter aliæ nationes intelligunt coluntque Deum. Sed omnes omnia post habent religioni. Hanc autem, non est vllo pacto asserendum, esse vanam: quoniam omnibus hominibus conuenit. Neque Reipub. & cœtus hominum vno die absque illa subsistere possent. Neque in Repub. sola, sed in speluncis, & nemoribus homines secedentes, colunt Deum, ab eoque sperant bona æterna: & spernunt corpus diuiniore sui parte confisi. Ergo remanet aliqua vita post mortem. Sed dicunt Auerroistæ, & Archtofellistæ, hanc esse superstitionem animorum deceptorum: neque verè sapientes & potètiores religioni vlli addictos esse: sed eam prædicare vt incutiant metum populis, quo sint Deorum metu sibi obedientes, & in officio remaneant. Sed hæc sententia stulta est: nam qui Religioni addicuntur, non sunt rudiores, & plebei modo, sed hominum sapientissimi, & optimi, quos deceptos fuisse, & decipere, non est arbitrandum. Præterea, veritatem Religionis ostendunt miraculis, prophetia, & colloquio superum: & prædicant eam contra Sophistas, & Tyrannos. Quapropter & si sit aliqua falsa Religio: ipsa tamen Religio non est falsa: neque enim quia plurimi sunt Sophistæ, & Hyppocritæ, & Medici imperiti, & Tyranni, non extant etiam Philosophi veri, & viri verè probi, & Medici sapientes, & Principes benefici humano generi, vt infra demonstrabimus. Imò prius fuit aurum bonum, quam falsum: ideo enim falsum scitur esse, quia deficit à vero & bono. Ego & prior Philosophia & Religio, quam sophistica, & superstitio.

Præterea, neque docebit nos Auerr. quomodo fiant miracula, & futura prænoscantur, & cum Angelis colloquia habeantur per Religionem, si vana est: sed illi hoc negant. Nos autem vidimus, & testamur: & qui hæc testantur sunt sapientes & optimi, & non loquuntur ex opinione, sed ex testimonio, quod triumphat de omnibus opinionibus, vt patuit in prima Parte. Nec quia videntur impossibilia, iuxta Philosophiam Aristotelicam, erunt omnino impossibilia. Nam & Augustino, & Lactantio, & Xenophani, & aliis impossibile videbatur, quod esset alterum hemisphærium, multisque Philosophis & Astronomis videbantur inhabitabiles æquinoctialis plaga, & suppolaris: nihilominus experientia recens testatur contra opinionem, & Philosophiam ipsorum.

Præterea Stoici, & Platonici, & Pythagorici, & Esseni Philosophi sanctissimi, & doctissimi, qui sunt sanctitas mundi, religionē veram esse contendunt, & extare inferos & superos, & pœnam & præmium post mortem: vnde Athenagoras, & prædicti omnes probant, vel futuram resurrectionem, vel transmigrationem in melius, aut in peius, vt iustitia Dei ostendatur. Qui vero negant religionem, sunt indocti, Sophistæ, ac scelesti, exitium mundi, vt Aristotelici, Sadducei, Auer. Epicurus & Machiauellus; & probant proprio arbitratu, quod dicunt, non virtute & experientia. Sed veritas facit homines probos, falsitas scelestos. Ergo falsarij sunt hi, illi vero veridici. Præterea si religio non est & futura vita, ipsa natura stulta, & impia esset, quæ probis colentibus pietatem, continentiam, studium diuinorum, iustitiam, veritatem, nullum dat præmium, sed infirmitatem, & afflictionem, & solicitudinem hanc cassam, & deceptionem: improbis vero iniustis, fraudulentis præsentia largitur bona, & veritatem, si non ipsi sed illi decipiuntur. Vnde Seneca qui vbique mortalitatem animorum docet: tandem in libro attitulato, *Cur bonis mala, si Deus est*, concludit ex hoc argumento animas esse immortales & post mortem esse locum iustitiæ ad pœnas & præmia.

Nec dicas famam, & gloriam, & adorationem post mortem, qua colimus Sanctos, & Iesum Deum, & Philosophos, esse præmium sufficiens religioni, neque præsentem honorem, quem Religiosis exhibemus: cum quia illi spernunt hos cultus & honores, habentque pro nihilo, & vitam ipsam expendunt affliguntque: tum quia iidem honores tribuuntur Tyrannis, & scelestis & falsis Diis, & Veneri, Baccho, Alexandro, Epicuro, & Mahometi, & Neroni: & sæpè his, qui non fuerunt in mundo, vt Achilli fortasse & Orlando, quales à Poëtis depinguntur, & Rugerio, qui nunquam fuit, & aliis decantatis per Poëtas.

Præterea ipsa Sanctorum hominum constantia in asserenda religione vsque ad effusionem sanguinis, amissionem honoris, & bonorum temporalium, manifestam certitudinem futuræ vitæ facit: cum nihil in hac sperent, sed omnia abiiciant pro defensione prædicatæ ab ipsis veritatis. Hi autem non modo Plebei, & mediocres, sed sapientissimi fuerunt, & Potentissimi, in opere, & sermone; & futura prophetarunt, & miracula fecerunt, & vitam posuerunt, vt Iesus Christus, & Apost. & olim Moyses, & Helias, & Elisæus, & alij multi. & licet quidam, falsam religionem adstruentes; pro ea decertant vsque ad mortem, non tamen miraculis, & Prophetia illam con-

firmant: neque hoc faciunt, nisi quatenus credunt, veram esse religionem de futuro sæculo post mortem, vt ostendimus. At qui velit mori pro doctrina Auer. & Epicuri, & Galeni, & Aristotelis, & aliorum, negantium religionem, non inuenitur: pro religione autem innumeri, ergo diuina res est: & profectò cum ipsa sit cultus Dei regis cæli & terræ, necessario dat constantiam, & robur pugnantibus pro se.

Item, vt probauimus, Deus est, & prouidentiam habet de cunctis rebus, maximè autem de nobilioribus; videmus quoque hominem esse creaturarum nostri mundi nobilissimum: quippè qui excedit elementa, & animalia in intelligendo, & appetendo, & operando mirifica: ergo religio est: decet enim, coli superiorem ab inferiori, qui ab eo bona tanta percipit: & hoc naturale esse principum obseruantia à subditis, & Patrum à filiis, monet. Præterea tandem argumentum Iesu Christi contra Sadduceos, inexpugnabile est. Deus enim, inquit, apparuit Moysi, & dixit. *Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Hoc autem dixit, quando Abraam, Isaac, & Iacob iam à præsenti vita decesserant. Deus autem non est mortuorum Deus, sed viuorum: ergo qui moriuntur homines, aliam adhuc habent vitam. Anima ergo ipsorum viuit, quandoquidem corpora iam destructa videmus. Hoc argumentum robur habet à testimonio, non ab opinione. Si enim Deus declarauit, se Patrem esse hominum, & particularem gerit ipsorum curam, & ostendit se eis, vt Moysi & Prophetis (quamuis enim in suo esse Deus non possit nobis videri: potest tamen in effectibus & symbolis: non enim infinitum in corpore humano, aut in flamma ignis potest cohiberi, sed vbique operatur per corpus quodlibet, vti vult.) Hoc autem negare impudentia est non secus, ac negare, Romam esse, & Cæsarem fuisse in mundo. Qui enim id testantur sunt indubitata fide digni. Quapropter si Deus, se Patrem illorum declarauit Moysi, & aliis Prophetis; se Patrem omnium hominum ostendit, & tantam curam habet nostri, vt & nobis se manifestet, profectò immortales homines esse oportet: dedecus enim & inutilitas esset Deo, tantam gerere curam eorum, quæ paululum viuunt, & perpetuò mortua sunt. Et cum dixerit se Deum non mortuorum, profectò & mortuos viuere oporteret. Hæc ratio semper agitauit animum meum. Et Dauid olim, vnde ait. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Et, quid est homo, quod memor es eius?* Non quidem res vilis, & perpetuò moritura, sed nobilissima, & perpetuò victura. Alioquin tanta Dei cura erga nos esset vana, & tanta reputatio hominis, inanis, Deoque indignissima.

Ps. 143. Ps. 8.

Item, verecundia de culpis, & de quocunque defectu nostro, & parentelæ nostræ, & originis, & vestis fractæ, & calcei rupti, & vero, & opinabili, seu apparenti, quæ verecundia est, quasi vindicta nostri contra nos ipsos, vt plenius in Ethicis probauimus: manifestè ostendit non solum præstantiam mentis, sed etiam immortalitatem, & consortium cum diuinitate, cum qua nihil coinquinatum habitare potest. Nam homo verecundatur de corpore suo quando ostendit signum suæ mortalitatis, vnde manducatio, & coitus, & cacatio, & minctio, quibus morti indiuidui & speciei medicamur, in secreto fiunt, præsertim à melioribus, prudentioribus, & religiosioribus, & à cunctis fragilitas, imbecillitas, & corruptela, & mors occultatur: indignaturque anima moribundum colere corpus: vt suam nimirum præstantiam & immortalitatem tueatur. Alioquin vana esset tanta verecundia, tantusque zelus & honoris veri intra conscientiam, & amor non datus brutis & infantibus insipientibus, sed viris: custos sane mirifici thesauri veræ innatæ nobilitatis, cuius etiam vmbra aliquando solum circa honorem relucet in brutis, ex participio primalitatum.

Vtrum autem in futuris sæculis animæ humanæ annihilentur, nemo scit. Sed ratio negat: si enim bonum est, eas esse, & Deo coniungentur in altera vita, & meliorabuntur: vtique semper futuras esse, oportet. Nec enim res vllæ ex diuinitatis adeptione perduntur, sed permanent, sub quacunque forma, & plenitudine: & melioribus perficiuntur: sic & melius de anima sentiendum est: ipsa enim non recipit scientiam, & robur: sicut calor & frigus cum sui deterioratione, & perditione: sed sicut materia formas, cum sui amplificatione: quin etiam cum maiori perfectione & lucro: per scientias enim fit omnia vt dictum est: permanebit ergo in receptione diuinitatis amplior, & gloriosior, & maior: vnde secundum nos potest omnia fieri, quia primalitatibus constituta est, non contractis, & non quia est nihil actu. Stoici autem putant Deum esse corpus tenuissimum, & animas, ac genios de eius substantia: cui vnientur sicut guttæ aquæ mari, & vapor aëri: qui suo toti incorporati propriam subsistentiam amittunt. Nos autem ostendimus Deum non esse corpus tenue, sed incorporeum: nec res finitas posse ipsi infinito sic identificari, vt distinctio non remaneat.

Tandem licet alibi nos nullam propriam operationem dederimus animæ humanæ, quæ spiritui corporeo communis non sit, tamen cognoscere, quod res non sunt sicut nobis apparent, non datum brutis, & intelligentiam diuinorum, & extasim vt propriam damus, & temporum & corporum & locorum intelligendo & amando infinitum ambitum mentis propria videmus: nam & si spiritui communicet, tamen à mente incipere, non à spiritu dicimus. Scire enim est antequam esse calidum, & tenue, & mobile. Sed quia exteriora nescimus, nisi nos moueant: nec mentem mouere possunt, nisi prius moueant spiritum, idcirco à spiritu, & cum spiritu, scientiam & operationem omnem fieri accidit: sed tamen ipsa scientia præcedit spiritum, qui est Entitas, veluti & potestas, & amor. Deus ergo prius illabitur menti, vel se se manifestat: quoniam in nobis est, quã spiritui: Entia vero alia prius spiritui.

De Angelis tamen hæreo, vtrum, menti, an spiritui prius communicent. Sed reuera de solo Deo certi sumus: & quoniam anima à corpore alienata, vel in somnis, vel in syncope, vel in contemplatione vehementi, diuina videt, & arcana Dei, consequens est, vt hæc illi propria assignetur operatio, & non ideati vniuersalis confusa notio, quæ brutis, & pueris conuenit, sed idea; extasis autem spiritui & corpori communicatur ob vnionem, sed non ab eis incipit, vt docuimus in 2. Par. exemplo Bernardi & proprio. Patet autem hanc non esse animalis spiritus operationem, quoniam ipse per se non intelligit, neque appetit, quæ sibi incommoda sunt, & laboriosa. Nihil autem magis vires animales, & corpus & vitam præsentem destruit, quam contemplatio superum: & hãc esse mortem Socrates quandam dicit, id-

est, corporis: tunc enim ab eo animus separatur, & functiones vtiles corpori relinquit, rapitque illud ad diuiniores: euidens signum, quod anima per separationem à corpore non moritur, sed perficitur. Tandem apparitiones animarum post mortem in totis transactis sæculis, vt ex historiis sacris, & profanis scimus, animas viuere post corpus, & semper probant.

Appendix.

CVm autem operationes non cognouisset Arist. sed eas modo, quæ spiritui animalium communes sunt, & posuerit animam actum corporis, consequens est, vt immortalem animam non cognouerit. Cum vero facit eam immistam, sumit etiam thesim Anaxagoræ, qui de totius Mundi autore loquitur: cuiusmodi etiam Christiani Theologi vocant Deum intellectum agentem. & reuera solus Deus est ita actiuus, quod nullo pacto passiuus. Alij vero intellectus omnes patiuntur, & agunt, sed non eo modo, quo Arist. statuit, & ob illum finem, vt ex superioribus patuit: mirum quomodo Arist. operationes diuinas animæ & Sybillinas vocet deliria atræ bilis: animales vero, signa immortalitatis: sed reuera confarcinat positionem ex multorum opinionibus, ideo sibi & naturæ contrarius est, quod olfefacit etiam Scotus, & Lactantius, & alij.

Rationes difficiles contra præstantiam & immortalitatem mentis humanæ, proponuntur dissoluendæ.

CAP. V. ARTICVLVS. I.

1. SED contra animæ immortalitatem, & diuinitatem multa insurgunt argumenta. Primo quoniam, & brutis insunt quæcunque expoliunt hominem, artes. Habent enim Medicinam, ab ipsis enim nos didicimus, clystere, phlebotomiam, & purgationem per vomitum, & oculos acuere marathro. Habent artem militarem pisces turmatim præliantes, sub ducibus & excubiis: & Grues & Corui, & Apes, simiique habent politicam Monarchicam: formicæ Democraticam, & locustæ Anarchiam populariter viuentes. Fabricantur Domos, & Nidos, Aues, & Apes: & Araneæ retia sicut nos. In venatione exercentur Pisces, Araneæ, & feræ multæ. Equi multi castitatem obseruant erga matrem, & omnia sciunt, quæ pertinent ad propriam vitam, non secus ac homo, quæ ad suam: & quamuis seruiant animalia hominibus, id accidit vilioribus, vt Asinis, & pecudibus & canibus, non autem generosis Elephantibus, & Leonibus. At hac ratione etiam homines viles seruiunt nobilioribus, & aliquando nobiles, sicut accidit Elephantis interdum.

2. Item habent animalia religionem, quoniam Elephas baptizat se à coitu, & peccato: & adorat lunam, sicut Gentiles multi, eique genua flectit: nec modo homines, sed & herbæ religionem habent: heliotropiũ enim ad solem conuertitur quadam religione ipsum obseruans in motu longitudinali, salices vero & oliuæ in latitudinali ipsum consequuntur comarum conuersione. Potest inter Apes esse religio: nam & fucos habent qui sunt sacerdotes: & cum plurimæ species viuant in politia, necesse habent religionem aliquam seruare.

3. Præterea quomodo scimus nos ea carere literis, & religione, & scientia, cum videamus colloqui, mutuo dare, & reddere voces? & formicas in æstate natas cõgregare pro hyeme? ergo discit hoc ab aliis, & extat inter eos doctrina & religio. Et Salomon ad scholam formicæ nos mittit.

4. Præterea quomodo scimus, bruta carere miraculis, Martyrio & Prophetia, spectantibus ad comprobationem religionis, cum palam sit alios ab aliis occidi, atque alios sequi alios cum stupore, vt Phœnicẽ Aues: & Prophetare de euentibus pluuiarum, & ventorum, & bellorum nostrorum, vt cornix, bubo, vultures: & mutuis vocibus hæc sibi inuicem indicare.

5. Præterea rationis participia esse omnia, nos in Physiologia ostendimus, & innumeræ experientiæ confirmant. Sentiunt enim, & ipsa partem ignis, non totum: & ex Parte totum intelligunt. Et ex simili homine alios homines: & ex pane hoc alios panes.

6. Item vtuntur sermone & politia, quæ absque ratione exerceri non possunt: vtuntur insidiis, & strategematis. Quando Canis Leporem insectatur præcidit illi viam: & quidam Canis passus iniuriam ab altero, multas escas abscondit, aduocauit Canes ad manducandum; & locauit eos in militia, & contra iniuriantem irruerunt, & occiderunt. Quis non miretur Cancri syllogismum, quo conchiliorum testas iniecto lapillo apertas retinet, vt possit carne vesci, & cruribus non teneri adstrictus? inspice Araneas, & plenas syllogismis videbis in captione Muscæ, & vulpes in insidiis contra Gallinas: & piscis piscator, & polypus astu multo venantur: ita vt dubitet Plutarchus, vtrum plus rationalitatis insit marinis, quam terrestribus animantibus. Quapropter si rationalia sunt, & omnia, quæ homo facit, & ipsa faciunt: si qua nos facimus quæ illis non conueniunt, putanda sunt eis non inesse, quoniam opus non sunt: non autem quia nos melioris ordinis simus: cum præsertim videamus homines quosdam rudiores brutis, & pueros indoctiores canibus, & simiis. Differimus ergo per magis & minus tantum.

7. Præterea, vt ait Salomon, nihil habet homo iumento amplius, vt spirant illa, ita & nos, & easdem ob causas morimur. Et omnia reuertuntur in terram. & partes in brutis, & in nobis eædem: vnde Vesallius admiratur, quod in hominis sectione nihil inuenerit plusquam in Anatomia brutorum præter cerebrum maius: sed cellas cerebri easdem Pytagoras vero putat animas esse easdem brutorum, & hominum, & transmigrare ex nobis ad illa, & videri nos sapientiores, quoniam organa corporis humani sunt meliora, & ideo melius operamur. At animam Canis in corpore hominis omnia humana opera edituram. Nonne videmus, grues grauiores

Gallinis, & tamen melius volare, quoniam meliores habent alas? eandem sententiam tuentur Brachmani, hodie, & Talmudistæ ex parte, & olim Pharisæi: & profectò dicunt spiritus vexantes homines, se se esse animas defunctorum nominatim: vnde videri potest vera transmigratio animarum. Ergo vel omnes animæ sunt immortales, & transmigrant: vel omnes mortales: & homo excedit cætera organis, non autem virtute: sæpè locuta esse vocibus humanis bruta legimus in historiis, & in sacris, asinam Balaam, & Serpentem. Verum quia non habent organa vocis eadem nobiscum, nos eorum loquelam non percipimus. Nec enim Scytharum percipimus. Sed tamen Canes linguam nostram intelligere palam est. Et Polonus Canis, delatus Neapolim, non intelligebat, quæ sibi dicebantur Neapolitanè: sed Polonicè loquentes audiebat & obediebat dictis. Psitaci tamen linguam nostram imitantur: quoniam concauum vti nos palatum habent.

8. Præterea si Anima humana esset immortalis potens esset valdè, sicut, & sapiens, & cupiens: & sicut sapientia vincit omnia corpora, ita etiam potentia, cum istæ primalitates sint vnum: at homo non modo est pigrior & imbecillior sole & igne: sed etiam multis animalibus: etenim Leo, & Elephas, & equus exuperant viribus hominem: quin Corui, & Cerui diuturniorem viuunt vitam, quod si anima hominis esset incorruptibilis, vtique posset resistere infirmitatibus, & corpori dominari & præualere, sicut inuictum immortale mortali. Potentissimum enim est quod semper durat. At è contra videmus, animas corporibus obrui: & timere ab eis discedere, quasi diffidentes absque corpore viuere.

9. Præterea quacunque ex causa moritur homo sicut bestia, & solus Cicutæ succus ipsum occidit, replendo meatus, quos intercurrit spiritus, vel extinguendo calorem. Si autem viuacissima esset mens, immortalisque, statim has mortis occasiones reprimeret, euaderetque.

10. Item ex lætitia nimia moritur homo, & ex vapore in antro Agnanæ, & ex fumo carbonũ in angusto cubiculo: & fluor occludit neruos ne possit interlabi. Nec dicas spiritui id officere modo: nam anima illa diuina est in spiritu, & suo robore, ac sapientia tales molestias posset dissoluere.

11. Præterea leuitas opinionum humanarum, in quibus mens non perseuerat, sed quacunque ex causa mutatur in timorem, lætitiam, iram, dolorem: neq; potest manere attenta negotio præfixo. Ego sæpè cupio ante Deum preces attente proferre, & non possum, quoniam aliæ cogitationes, & aliæ succedunt in animo meo, sicut, motus in aqua, vel in aëre quacunque ex causa fluctuantes. Quod manifestè animæ mutabilitatem aëream indicat expertem illius immortalitatis, quæ entibus conuenit immortalibus: vnde Lucretius adhoc. *Nam quodcunque suis mutatum finibus exit, Continuo hoc est mors illius quod fuit ante.*

12. Præterea scientia est motus animæ, vt in Physicis probauimus: & falsitas, & mutabilitas opinionum indicant eius mutabilitatem. Adde furorem & insaniam, & obliuionem, qui morbi rapiunt animam: quæ si esset immortalis nequaquam raperetur à fuliginibus, & caliditate, & bile & imaginatione forti: sed ista omnia vinceret.

13. Mirum præterea quomodo in anima immortali recepta scientia potest deleri, & fieri obliuio, & receptio, præsertim à tenui vapore vini, vel fuligine atræbilis, vel calore attenuante spiritum, vel aduentu alterius scientiæ, ac motionum.

14. Præterea idem ostendit instabilitas appetituum humanorum. Nũc eandem rem volumus, nunc odimus, nunc indignissima cupimus & obsequia, & quæ nihil ad immortalem vitam pertinent, sed prorsus contraria sunt, & omnes fatemur paucissimos homines ratione regi & Sapientia, sed omnes sequi sensationem præsentem, & voluptatem vilem.

Dolor quoque qui mors inchoatiuè est, potius animæ quam corpori conuenit insensato, & potius homini quam bruto; ergo & mors. videmus etiam aëris & cœli affectiones nobis communicari. Nam sub nubilo tristes sumus, sub sereno læti, sub calido iracundi, & fastidiosi: sub frigido autem crasso, torpidi: & Astrologi ostendunt, nos cœlo subditos esse: ergo frustra probauimus superiorem esse mentem cœlo, & elementis, & animalibus.

15. Præterea, si anima esset immortalis, reuerteretur in corpus post mortem, daret nobis indicium. Et siquid à morientibus postulamus, obtineremus. Sed, vt ait Salomon: *non est agnitus qui sit reuersus ab inferis*, sed *spiritus noster dissoluitur tanquam mollis aer.*

16. Præterea, si anima est immortalis, est prior corpore. Cum ergo intrat in corpus, in quo perdit scientiam, etiam sui, ne dum aliarum rerum? si à seipsa, vt Virgilius ait, quoniam obliuiscitur malorum præteritorum in corpora: ergo in omne corpus intrat, quoniam nullius mala nouit. Et sic etiam inest in brutis: si vero à Deo compellitur, mirum quomodo Deus nobilissimam mentem tetro corpori includat. Nunquid ob peccatum, vt Origenes, quo peccauit in cœlo? an quia delectant Deum mala nostra, vt Caluino conuenit dicere? & quomodo peccant apud superos, & cur, videndum esset. Si vero creatur & immittitur corpori simul: ad quid creare Ens nobilissimum, & ignobilissimo claudere in corpore? & cur id non recordamur? & cur corporeæ labes possunt incorpoream, immortalemque mentem fœdare, & ignorantia sui obruere? & cur in locum peccati animam non peccatricem deiicit Deus? & cur anima crescit sapientia, & viribus, sicut corpus crescit, & similiter decrescit in senectute, si diuina est, immortalisque? videtur enim quod si habet ortum & augmentum corporeis simile, habere quoque mortem similiter, vt & Hippoc. docet.

Paratur responsio ad prædictas rationes: & primo de similitudine, & differentia inter homines, & bruta, quoad excellentiam earundem operationum, & directionis earum ad fines alios in hanc, vel in aliam vitam.

CAP. V. ARTIC. I.

QVONIAM quæcunque ab eadem causa emanant, similitudinem illius gerunt: ipsa quoque diuersa Entia ab vno quouis producta, quatenus ab illo sunt vno, inter se quoque similitudinem, prolem vnitatis illius, habent. Propterea igitur cum omnia Entia sint à Deo vno, similia sunt saltem in communibus in eo quod Entia: nam in particularitatibus contracta sunt ad suas differentias. At, in quantum Entia, cōstituuntur Potestate, Sapientia, & Amore. Ergo in his similia sunt, & differunt gradibus. Cum ergo animalia non modo conueniant cum hominibus in eo quod Entia, sed etiam in genere animalis contrahente Ens: consequens est, vt in Potestate, Sapientia, & Appetitu sint similiora. Idcirco nos ritè speculantes, inuenimus in brutis sermonem, quo mutuis officiis colligantur: & rationem sensitiuam, qua de ignotis iudicant per nota, & similitudinis notionē, quæ est intellectio herbæ in communi, & mali & amicitiæ: & artem fabricandi cellas, & retia, & venandi. Adeoque ista sunt vera, vt Lactantius Firmianus, & Osius Cardinalis religione sola, nos vero etiam libertate, separamus hominem à brutis. Quæ licet sponte non tamen liberè, actu ex se elicito, operantur. Nec tamen propterea sunt immortalia, sed sunt nobis similia, quoniam ab eadem sapientia Dei constituta sunt: ideoque eosdem sciendi modos habent, qui in nobis sunt. Sed quoniam in his adeò excedit homo bruta, quod Deus ipsorum potest existimari. Propterea diuersi ordinis, ac diuinioris ponendus est, sicut Angelus præ homine, licet sit intellectualis vt homo. Eadem enim, quæ bruta faciunt, facit homo: ac insuper multò plura ac diuiniora: participant enim lapides naturam plantarum: planta, brutorum: bruta, hominis: homo, Angeli: Angelus, Dei: & quod est per essentiam in superioribus, est per participium in inferioribus: vt docet Dionys. & Thomas: & infimum superioris est in supremo inferioris gradatim. Bruta enim præsenti sensu rei mouentur, & non eligunt, nisi quod magis blanditur sensui, sicut pueri & insani in genere humano: & renuunt præsentia bona, quando aliquo malo arcentur, vt fœtore, vel baculo, vel hostili insectatione. Quapropter dicuntur instinctu regi, potius quam ratione: instinctus enim est subito facere id, quod offertur primum nullo præuio syllogismo, vel exili valdè obscuroque, qui ab obiectis inducitur & passionibus, non ab intus elicitur liberè: sed instinctu Dei, vel obiectorum, vel passione. Homo autem pensat, & pensiculat quid mali lateat in bono oblato, læsurum salutem corporis, aut animæ, aut Reip. etiam quando nullis mouetur obiectis, sed ex se pso excogitat, seque ad syllogismum mouet innata libertate, non addita modo obiectorum motione: & de his facit libros, & doctrinas, & præcepta, & ratiocinia plurima, & leges, quæ brutis non conueniunt, sicut nec pueris, nec insanis: & licet in multis ratiocinentur bruta, adeo tamen exilis est ratiocinatio eorum, vt nulla videatur, humanæ comparata: vnde eis damus discursum sensualem, non autem mentalem. Item damus eis discursum à mouentibus obiectis superadditum, non ab innata vi sola, & per se, elicitum. Nidificant quidem, sed non per Mathematicam scientiam, sed apponendo stramenta iuxta commoditatem corporis. Clystere sibi facit Ibix, sed non per scientiam Medicinæ: libris enim & studiis caret: sed quia sentit intra anum duritiem iudicat molliendā aqua. Hyppopotamus se sanguine ingurgitari sentiens, secat venas, & Serpens fæniculo linit oculos, caliginem extrahere cupiens: & in his omnibus reguntur ab Angelis, & anima mundi, sicut nos, quando à casu aliquid boni inuenimus: vt qui in nemore est, & ignorat viam Romanam, quodam casu ambulans incidit in eam: & Romam, quorsum cupiebat, se cōfert. Casu quodam quis sulphur in nitrum in mortario ad aliud opus præparato, tetigit igne, & pistillum impetu accensi pulueris euolare impetuosè cernens: statim bombardarum opificium excogitauit: & tamen hic casus fuit in nutu Dei, vt noua arma ad nouas Monarchias, & nouum sæculum inuenirentur. Et hic quidem est instinctus: & ipsius sensus commotio casualis est instinctus: & secundum hunc bruta operantur, vt etiam pueri & insani, non tamen ex arte mentali diu quæsita: & confecta, vti homines consueuerunt. Item neque ex quacunque occasionē sciunt nouas artes inuentare, vt homo: sed naturalibus dumtaxat reguntur, quæ absque studio addiscunt, & quodam vsu perdiscunt, perficiuntque multa ignorantes rectè faciunt quodam instinctu, sic & bruta. In lib. de sensu rerum negauimus instinctum, sed qui est absque sensu instigantis: & instigati. Nec quia homo ab animalibus multa addiscit, discipulus eorum est. Nam & à Plantis, & à lapidibus, & cunctis rebus addiscit homo tanquam discipulus Dei inspectans opera illius, vt exemplaria suorum, & non vt rerum ipsarum discipulus: à scriptura sapientiam discit, & ab horologio tempus, nec tamen est scripturæ & horologij discipulus, sed scribentis, & significantis per hæc instrumenta: neque enim animalia docent in Scholis nostris: sed sunt signa in Schola Dei: at animalia discunt ab homine, vt equi equestrem artem, simij Ludos, & vidimus Asinum, & Capram tripudium & Choream etiam super funem more hominis funambuli assuefactione agere edoctum. Sed hoc rarum est, operosumque negotium illis, ac nobis: & mirum est, quia est in eis, at in homine tot mirabiliora insunt, vt illud non reputetur. dic, vt ludant latrunculis, & scribant Poëmata, & metiantur palmo, vel astrolabio distantias, & suant calceos, & remigium regant. Quæ opera Mechanica, & nulla sunt, aut reputantur in homine:

ne: quoniam diuinus est, in brutis autem sunt mirabilia, qm̃ bruta sunt: itẽ bruta seruiũt homini: nõ a. homo brutis. Et licet homo seruiat homini, non autem sicut vi, & studio actus alieno: sed propria voluntate, quam violare nullus potest: videmus enim Machabęos mortem alacriter suscipere, potius quam Antiocho regi obediant: & Scęuolam ignem non timere, neque regem Porsennam pro patriæ libertate. Et his alias. Ergo seruit homo, acceptoque præcepto virtutem ex se. At equus indiget fræno, & calcaribus Bos stimulo, simius flagello: & dolore, & voluptate rapiuntur, & assuescunt, homo vero sperni dolores & blanditias, & ratione vtitur superiori. qua nec infans, nec canis suaderi possunt vt ieiunent, & suscipiant disciplinam. Nec quia canis de platea in domum carnem portat, & literas, erit itidem rationalis. Hoc enim sensu affecto per vsum facit: & nonnisi vnum. At homo hoc pro nihilo habet, & ad mille amicos præcepta deferre, & munuscula, & cuique sua distribuere: vadit homo etiam quo nunquam perductus est, sola significatione itineris præmunitus. At canis non nisi quo sæpius perductus est ab alio ad illud opus: & propter id ridiculum est comparare illum homini. At quis vnquam homo, vel stupidus, fuit seruus Leonis, aut Elephanti, animalium fortissimi, & sapientissimi? Nec quidem homo huic se subderet, vt hic nobis: neque hic imperare sciret: quoniam parere natus est. Omnia tamen animalia homini se subdunt, nisi quæ nimia ignorantia reddit inepta seruitio: non enim obediunt musca tenui usculo spiritu donata, & memoriæ expers. oportet enim disciplinabilia esse, quæ homini seruiunt. Ferocissima vero, aut indisciplinabilia sunt, & parum symboli nobiscum habent, aut quia nos timemus à ferocia illorum irrationali, non bis non mancipantur. Præterea telas aranearum, & cellas apum, & vesp. & regna, & militarem, nos habemus meliora quam bruta, & alia insuper, longè excellentiora, vt dictum est. Religionem autem inesse brutis proprie negandum videtur. Hæc enim est cultus veri Dei cum despicient a præsentis vitæ propter æternam, à Deo adipiscendam. Scimus autem bruta præsentibus modo inhiare bonis, & nihil de Deo & æternitate inquirere: & quam habent religionis speciem, ad præsentem vitam dirigere. Elephas nanque lunam adorat, quoniam in nocturnis itineribus ab ea beneficium accipit, vt videat, quo vadat. Babtizatur à coitu ad sordes corporis abstergendas, non autem animæ. Solis & lunæ herbæ sectantur motum, quoniam mouentur illorum viribus, & quadam symbola suauitate. Sicut pulegium floret in solstitiis, & magnes spectat polum, & sub polis paululum diuertit: quæ omnia fiunt à consensu & dissensu rerum, vt dictum est in 2. Par. Nec enim quia repent vacuum fluxilia corpora, religione mouentur. Nec aquila & fœnix religiose ad solem adspectant, sed huius vigore delectatæ. Et quamuis multæ nationes colant animalia, non ob id sunt hominibus nobiliora, quoniam cultus eis exhibetur ab homine decepto & putante in eis latere aliquod numen: ipsa vero non imperant homini, nec leges ferunt: nec gladio regunt: sed significant aliqua garritu & volatu, & gestibus, instinctu sensuali, non intendendo oracula dare, sed proprias passiones sectando: suntque vt signa, non vt in scholis doctores. Pecus & Bos multum comedentes indicant pluuiam, quoniam sentiunt in aëre illam parari à vaporibus & frigore. Idcirco cupiunt plenis ventribus reperiri. Et quidem cum passionibus corporis operam attentiorem dent bruta quam nos, qui negotiorum plurimorum mole, & excellentiorum occupati, hæc vix sentimus: sicut qui attente audit non videt: & qui iratus est, blanditiis non afficitur: idcirco melius agnoscunt passiones aëris, easque prædicunt, & corui crocitant sese admonentes mutuo, vti & nos quando quid expectamus mali, vel boni ingentis: qui hernia laborant, aut cicatricibus, prius præuident tempestatem, & frigus, quam cæteri, quoniam facilius ab aëre patiuntur. In somnis quoque plura nobis ab aëre, & cælo significantur, quam in vigilia: quoniam spiritus non vacat negotiis externis, & quasi feriatus facilè à passionibus cæli per inspiratum aërem subeuntibus afficitur: & non modo aër defert passiones, sed etiam sensationes. Siquidem & ipse sentit & communicat aëreo spiritui propriam imaginationem, quem ex belli apparatu, & negociatione appræhendit, eamque communicat quiescenti, non autem agitato spiritui. Motus. n. debiles nonnisi in sedato maioribus motibus, vacuo spiritu & aëre, imprimuntur. Vnde diximus malencholicos ob tenuitatem præsagire: amantes vero ob inditam passionem facilè à simili excitabilem, vt cicatrix. Quapropter Prophetia animalium est ab aëre in spiritu aëreo affecto ab initiis & causis futurorum. Hominis vero non solum ab aëre & cœlo, sed ab Angelis, & Deo. Nec modo de pluuiis, & tempestatibus, & bello, per Astrologiam, & affectionem sagacem prophetat: sed de Regnorum interitu, & nominibus futurorum hominum, & gestis, & de Deo, & Paradiso, & inferis, sermonem propalat, & arcana. Nec passione modo admonitus vt bruta, neque arte sola dignoscendi signa, qua carent bruta; sed alloquio Dei, quod excedit hominem, & bruta. Nec dicas, hoc esse per accidens per instinctum, sicut bruta medicamen inueniunt, & assuescunt psallere super chordam: nam hominibus cunctis Deo charis & piis id euenit. Et hoc miraculis & prophetia, & sanguine probant. Cum vero dicebas Quis scit, an & in brutis ista sint? Respondeo, non reperiri, quoniam tractarent nobiscum de rebus ad aliam vitam spectantibus, sicut nos cum Angelis: & in templo orarent, & facerent quæ ad religionem spectant. Item, haberent instrumenta, quibus ista agerent. Sed carent manibus, & studio, & libris, & lege: sed ais. Quis scit an vtantur lege per traditiones, & sic religionem, & aliis, quæ sunt apud nos instrumentis? Nonne Lycurgus leges tulit Spartanis, noluitque eas scriptura, sed operibus seruari? Videmus præterea apes lege in officio retineri, & militias habere, & excubias, & præfectos operum, & punitionem ignauorum. Resp. Naturam non deesse in necessariis: & in regalibus necessarium esse sermonem, & legem, obedientiam, & præceptum, vt Grues manifestè ostendunt: idcirco eis ista non negamus secundum similitudinem nostram, sed tamen ad aliam vitam post mortem dirigi, negamus. Nihil enim vltra cibum & coitum in Repub. eorum curari nouimus. Omnia sentiunt Creatorem secreto sensu, teste sancto Hieronymo & Platonicis. At per artem, & cultum nonnisi homines aliam sperant vitam. Et licet bruta ob honorem, vel amissam voluptatem se spontè interficiant: id non faciunt nisi desperando vitam præsentem, non a. futurã sperando: nec propter Deũ, sicut & homines aliqui propter amorem muliebrẽ, aliaque bona omissa, sine

quibus viuere se non posse putant, sibi mortem consciscunt, non considerantes: sed tamen omnes propter religionem spernunt vitam & bona, sine quibus alij nollent viuere: & hoc faciunt considerantes, & aliam vitam sperantes.

Transmigrationem animarum humanarum in corpora brutorum, & è conuerso, fabulosam esse, & rationes pro ea inanes.

ARTIC. II.

AT, quoniam non modo olim Pythagoræi, & Platonici, atque Pharisæi: verumetiam Talmutistæ hodierno tempore putant, animas brutorum nobis similes esse,& fieri transmigrationem. Item,& Indi Orientales, & Tartari, & multi Americani idem sentiunt. Quinetiam Mahometes scribit, loquutum se fuisse cum Lupis, qui dicebant se velle fieri Saracenos, ideſt,de secta Mahometis: & vidi Florentinum quēdam, qui licet transmigrationem negaret, tamen brutorum animas præmiorum,& pœnarum post mortem capaces esse putabat:& in hoc laudabat Mahometem: & posset hoc confirmari testimonio sancti Blasij, qui prædicabat virtutem animalibus,& disciplina Christiana illa corrigebat: & Eremitæ plurimi à brutis exigunt obedientiam: & D. Franciscus appellat fratres ipsa animalia, & imperabat eis, & imponebat silentium,& obiurgabat: propterea hanc opinionem examinare iterum negrauemur: cum præsertim nihil se vidisse plus in nobis, quam in brutis dissectis miretur Vesalius: & Salamon dicat, nihil hominem amplius iumento habere: & Moyses vitam aliam homini non polliceatur: vnde vel illa, & nos immortales sumus,vel vtrique mortales.

Equidem potius nos, & bruta immortalitate donarem, quam vtrosque priuarem: non quia mentis gratissimus error, vt ait Horatius: nec legis timor, vt Lucretius, nec quia consuetudo, vt Auerr.dicit, id suadet. Noui enim ab his omnibus solutus viuere. Sed ne peccarem in hominis diuinitatem, & virtutem tantam, quantam in Apostolis & Prophetis, & Philosophis,& in Christo,experti sumus. Et quidem quod post corpus qualibet anima viuat,ratione efficaci nouimus:& brutorum animam spiritum esse, qui in aërem abit,sicut omnis aqua in mare, & viuit aëream vitam. Animam vero hominis vsque ad Deum eleuari, & vitam diuinam victuram esse, eius operationes docuerunt, supra cælum, & solem ipsam eleuantes: & communicatio cum Angelis, & Deo: vtrum autem & bruta adeo altissimas operentur operationes non nouimus,sed eorum praxis contrarium monstrat. Canes enim & equi & pecudes non nisi cibum,& coitum sequuntur: & ad cælestia non respiciunt:neque ieiunio, & studio vacant, vt alia acquirant bona æterna:neque nobiscum communicant. Sed sunt apud nos sicut homines stulti& longè insipientiores,nil discurrentes, nisi quod præsenti congruit statui:& de hoc non ambigimus: idcirco piscium, & gruum & apum, & formicarum disciplinam non meliorem esse arbitramur, neque dignam,quæ humanæ conferatur:& cum dicit Salomon, nil inueniri in homine, quod non in iumento, loquitur ex persona insipientis,vel argumentantis: ipse enim in vita sua hoc argumento contortus est, sicut & ego, & alij rerum exploratores. Sed tandem vidimus omnes,in esse homini operationes diuinas: & negotium de vita futura cum superis, & Prophetiam,& miracula,& inspirationes Dei, & extasim. Quod vero Vesallius dicit nil plus in homine inueniri, nisi cerebrum maius,rectè dicit: quoniam ipse secabat corpus non animā:in corpore autem cum brutis conuenimus, & in sanguine,& in spiritu corporeo: sed hoc abundatiori nos vigemus: idcirco maiori cerebro, & cellis intra ipsum formatis grandioribus opus habemus:tum quia melior est temperies humana, quam brutorum, tum quia mens spiritui primum vnitur instrumento suo, ideoque multam esse oportet, qui tantæ subseruiat menti.

Præterea ex rectitudine figuræ corporeæ, & ex manus artificio ostendimus, corpus humanum non esse sedem spiritus aërei,terram spectantis, vnde nutritur, & operationes vulgares exercentis, sed longè diuinioris,cælo inhiantis,& opificia mirifica fabricantis: sicut cithara se cytharistæ instrumentum,& ligo fossorem indicat non scriptorem.

Item ex eo, quod homo caret squammis, pilis, cornibus, vnguibus,exertis dentibus,cæterisque vestibus:& armis,quæ natura dat animalibus,intelligimus ipsum diuiniori præditum esse anima, quæ hæc sibi parare per manus instrumentum sciret: Et aliunde. Bruta enim de innata substantia, non de adscita, quam sibi adaptare nesciunt,habent arma,vt squammas,spinas, cornua,vngues. Similiter vestes ex adnatis pilis,pennis,testis: imo Aranea etsi sagax,ex suis visceribus educit fila per naturam parata,ex quibus retia texit, similiter vermis sericus ad folliculos: & nullo docente magistro, nullaque experientia, sic operantur. Homo autem ex plantis ex brutorum armis & vestibus, ex metallis, ex terræ fructificatione, hæc & alia innumera sibi suopte ex ingenio parat.

Nec dicat Pythagoras, quod si brutis eadem instrumenta data essent, easdem operarentur operationes. Non enim Natura deficit in necessariis, neque abundat in superfluis. Quapropter si scirent opificia humana tractare, vtique & manus bruta haberent humanas. Pater filiis stultis, vestes, & pecuniam: sapientibus vero artes & doctrinas. Sic Natura brutis villos, & squammas, & cornua, & vngues, & rostrum dedit: homini vero manum, qua exercet ingenium. Posset adhuc obiicere Pythagoras, quod cellas cerebri latiores r & spiritum multum dedit homini, quo mens humana melius exercet ingenium. Brutis vero in pœnam dedit parum cerebri, & spiritum exilem, vel crassum, ineptum scientiæ organum.

Nam & pueri ob spiritus crassitiem, & cerebri carnositatem; alij vero ob angustiam cellarum, & fuligines multas, sunt rudes non secus ac feræ. Ego vero, inquam, hunc sermonem esse diuinatorium, vel reuelatum à Deo aliquo. Nam nos rerum naturas inuestigando non debemus aliud asserere, quam quod in rebus videmus. Si ergo brutis cerebrum, & instrumenta alia data sunt, quæ insipienti animæ, vtique non in pœnam, sed secundum eorum naturam ita factum esse dicamus oportet.

Præterea, pœna & vindicta non est, nec prodest, nisi sciat patiens causam passionum culpam. At nemo hoc scit, nec lex Dei hoc docet nos in pœnam corporatos. A Deo autem reuelationem non habemus pro brutis. Sed Moyses eorum animam ponit in sanguine, & factam ex elementis. Humanam vero à Deo inspiratam, docet. Christus vero in ipsorum salute nihil dixit, nisi quod prouideat eis Deus, sicut liliis & herbis quoad præsentem vitam. Quæ vero dicit Mahometes, falsa esse, credimus: quoniam in cæteris est falsus, ac fabulosissimus. Et culices, & pediculos, & ranas beatificat in paradiso indignissimè. Denique, neque immundis spiritibus credendum est, qui fingunt, se esse animas defunctorum, vt transmigrationem suadeant, quoniam in multis respondent falsum: & quando virtute sacramentorum coguntur, mox fatentur, se esse Diabolos inferni. Neque puellæ scirent ista fingere, neque atrabilis, vt fingit Aristoteles & Galenus. Nominat enim viros occisos, quos puella vexata nunquam audiuit: & narrant, quæ illa penitus ignorat, & loquuntur peregrina lingua: & ego expertus ista loquor. Blasius autem & Franciscus imperant animalibus in virtute Dei, cui omnia obediunt: & ad miraculum, & doctrinã nobis: vt nos factos Deo amicos cunctis posse rebus dominari intelligamus. Scimus quoque animalia pro nobis esse, vti & plantas pro animalibus. Ergo ad nostram correctionem ipsa corrigi intelligendum est; & loqui asinam Balaam. Serpentem vero Euæ, incluso Dæmone.

Sed adhuc maximè intelligendum est, esse impossibilem animarum transmigrationem. Nam vel in omnia transmigrant, vel in quædam: si in quædam, assignanda sunt illa & ratio, qua in ipsa solum: si enim commensuratio corporum id facit, tunc anima Elephantis non transibit in corpus Formicæ & Apis, sed in Cæte, vel Rinocerotem, aut Struthionem. Constat autem sapientissimum esse Elephantum, ita vt etiam literas Græcas didicerit, si Plinio credimus. Struthionem vero ignorantissimum: Apem vero & Formicam sapientes. Ergo potius anima Elephantis transit in Apem, quam in Struthionem. At quomodo potest commensurari tanta animæ entitas tam exiguo corpusculo? Si autem quis dicat indiuisibilem esse animam, ac proinde posse in maxima & minimo corpore claudi: hic non videtur animæ vim agnoscere: quoniam non est indiuisibilis quantitatiuè, vt punctum, sed essentialiter, quoniam essentia eius vna est nil dissecta. Essentia autem animæ præscribit sibi corpus. Non enim anima est propter corpus suum domicilium, & instrumentum, sed potius corpus propter animam. Ergo, quoniam animalium alia est magnitudo, & figura. Figura autem exprimit affectum regnantis, & fabricantis animæ, vt dictum est. Ergo magnitudo indicat entitatis, & virtutis molem. Nec quia homo est Elephanto minor, non sit melior: quoniam figura hominis, & cerebri copia, & fabrica, & operationes, eius præstantiam significant. Quapropter non videtur possibile quod anima hominis includatur in culice, neque culex in homine: sicuti nec ars cytharizandi in acu, nec suendi in aratro.

Item, qua ratione immortales sunt animæ boum & canum, eadem sunt & formicarum & aranearum, in quibus industria relucet multa. Ab his autem ad pulices, & pediculos, & vermiculos facilis est transitus. Ergo in hasce sordities immittemus animas humanas. Item, in ventre hominis generantur vermes multi, & in capite pediculi. Ergo multi erunt homines in vno homine, quoniam in omnibus illis est anima immortalis. Item, qua ratione in vermiculis est anima humana, eadem erit & in plantis, & in herbis: nam & hæc animalia inuersa & immobilia sunt Platoni, & sensitiua Pythagoræ. Sed hoc concedit Ouidius transformans homines non modo in bruta, sed etiam in plantas, Pythagoram sequutus. At, cum & in lapidibus insit sensus: vt Magnes & Stellaria ostendunt, & metallorum augmenta, & vegetationes, & sympathiæ, etiam in saxa, & metalla fiet transmigratio. Et hoc concedit Ouidius, atque canit de multis. Sicut de vxore Loth scriptura sancta testatur. Hoc autem naturale non est, sed miraculosum, & diuinum indicium: nam & in glacie, & in balneo sanctus Gregorius animas reperit, purgationis gratia. Posset quidem Deus animas hominum in corpora brutorum immittere, sicut olim Dæmones in porcos: sed hoc non est secundum Naturam, quam inuestigamus: sed secundum iudicia Dei supra ordinem Naturæ consuetum.

Pythagoras autem in Legibus id docet, & per Theologiam fortè responsis Dæmonum deceptus, & affinitate corporũ brutorum, & humanorũ: nam & amico meo Diabolus hanc opinionem suadere conatus est eo quod reperiantur homines rudiores brutis. Aristoteli autem conuenit hæc opinio ponenti æternitatem mundi, & animorum immortalitatem, & auferenti infinitum numero, & magnitudine, sed tamen ipsam reprobat non aduertens. Præterea videmus Muscas & Apes, necatas mori aqua: deinde vero ad solem, vel ad tepidum furnum reuiuiscere: quoniam spiritus eorum in aquam versus erat, nil læsis organis: at deinde à calore attenuatur, & rursus animat Muscam: tunc profecto oportebit animam immortalem, quæ discesserat, redire in Muscam: quis hoc probet? Cur enim & in nos non redit? & quomodo sex mensibus gelata manet in auibus Islandiæ? patet etiam ex vrina in puluere, paulo post innumeros nasci pulices. Ergo innumeræ animæ à Deo cur creantur, aut ab aliis corporibus migrant? quod si extant animalia quædam absque anima immortali voluntariè affirmatur: quædam ipsam habere. Tandem, cum palam sit, spiritum tenuem esse brutorum animam, & nulla operatio diuinior doceat nos, aliam mentem immortalem eis inesse, consequens est, vt transmigratio hæc naturalis non adsit. Sed dicitur homo fieri bestia, quando mores bestiales sectatur fortè apud Pythagoram moraliter.

Appendix ad idem.

QVod autem bruta non pertineant ad vitam super cælestem, quam homo expectat post mortem, patet: quoniam ipsa non sunt propter se, sed propter hominem, alioquin & herbæ ad vitam illam ordinatæ essent, & mundus totus: quod quidem concedimus ex parte, quoniam liberabitur à seruitute corruptionis, & innouabitur propter nos. Animalia autem, & lapides, & concretiones non remanebunt: quoniam spectant ad corruptionem, & misturam, & sunt propter hominem: quod autem est propter aliud non remanet in æternum, sed expleto vsu, perditur, & mutatur in aliud, in quo est vsui sicut dictum est in 1. lib. 3. Partis, & alibi ostendimus, quod si omnia quæ fuerunt in mundo animalia instauranda essent ad immortalitatem ex vi animæ immortalis, tunc oportet totã terrã in ipsorum corpora conuerti, & fortè nec sufficeret. Argumentum illud, quod si fieret transmutatio, vel de cælo delapsus in corpora, tunc recordaremur quæ in aliis corporibus vel cælo sciebamus, non attuli, quoniam nullum est, nam & nunc obliuiscimur, & quanto magis in illa mutatione maxima, quæ fit in corporatione animæ. Quapropter videtur fabulosè finxisse Pythagoras & ad populum, quod ipse meminerit, se fuisse Euforbium, & Ennius se fuisse Homerum. Non enim iuxta solitum Naturæ cursum hæc recordatio possibilis est: & quæ Lucianus fingit, ridicula sunt. Ex his soluta remanent septem priora argumenta.

Responsio ad reliqua argumenta contra præstantiam, & immortalitatem animorum, & confutatio.

ARTICVLVS IV.

AD 8. dicimus immortalitatem Animæ, non à robore virium corporatarum dependere, sed ex eo, quod non habet contrarium, & constituitur ex primalitatibus non contractis. Potest autem quod contractum est, robustius esse non contracto, non autem purius, vt aqua facta brodium, & liquor contractus in vinum: & ignis in ferro. Sic potentior est corporaliter leonis anima contracta ad igneam naturam, quam humana remanens in primalitatibus. Sed mirum quomodo castigata remissaque mista elementata sint robustiora elementis: sed quidem non toto elemento sed parte nil mirum est, vt ferrum ignitum potentius est aliquo calore, sed non tota caloris natura. Anima autem hominis est participatio Entis primi quædam, & potest ab aliquo Ente contracto viribus vinci, non autem puritate: idcirco mens humana purius intelligit quam qualibet brutorum anima, & limpidius, & longè plura Entia, & diuiniora: quia non est contracta adhoc, sicut enim oculus croceus omnia crocea videt, at purus omnes colores, ne dum croceum, sic est anima humana secundum suam Entitaté comparata animabus brutorum corporatis contractisque ad tenuitatem calidam. Nec sola scientia, sed etiam potentia animæ humanæ extenditur ad plura, quam potentia ignis, & leonis: quoniam ad miracula facienda, ad artificia fabricanda, ad Palatia, ad leges, ad virtutis opera plurima, quæ cæteris rebus licet robustioribus robore contracto, impossibilia sunt.

Item adeo potens est mens, vt tormentis corporis, & spiritus, nullis cedat, nec possit cogi dicere, quod non vult: quod non solum sanctis viris accidit, sed omnibus suum honoré colentibus. equidem 40. horis ego atrocissimè tortus respondere judicibus, ad mortem me adigentibus nolui. De Attilio & Sceuola & aliis vide exemplar fortitudinis, omnem leoninam, & cælestem superantes. Tandem mens humana non per se operatur in corpore, sed per spiritum, qui robustior est in leone, quam in nobis, vt noscam diuinitatem hominis non ab igne, quo leo abundat, sed à Deo participare, & in primalitatibus, & arbitrio libero residere. Nec quia facilè moritur homo, & priusquam animalia, sit inferior: Homo enim constat corpore, spiritu & mente. vt ait August. spiritus autem tenuis est, calidaque subsistentia ex sanguine nutrita, quoniam continuo exhalat ad cognatum cælum, propria educta calore. Corpus vero plurimis, gracilibusq; organis, & vasis est compositum, proptereaq; quocunque disrupto vase, in quo spiritus inhabitat, vel ipso spiritu suffocato, aut elabente: moritur homo: quoniam mens regit corpus per spiritum, eique vnitur hoc vinculo, vtrique simili: quo abeunte, aut perempto, ipsa necessario abit: non enim potest amplius illud regere. Ergo eadem ratione moritur homo, qua cætera animalia; spiritu enim mouetur & viuificatur: mente vero fit studiosus, & religiosus, & sapiens super animalia. Et profectò si ipsa mens discederet solã, non moreretur homo, sed quod remaneret esset animal non homo, veluti est ante animæ infusionem. Quod vtrum alicui vnquam euenerit nescimus. Danthes enim fabulatur officiosè: sed furiosis suspicamur id accidere: at cum sæpè per Medicinam sanentur, non videtur mens discessisse. Neque diuturnitas vitæ compositi indicat minimè immortalitatem, sed præstantia mentis: alioquin melius etiam ferrum auro, & lapis Planta: imo quia alterius ordinis est mens, facilius recedit, quam spiritus corpori similior. Timor mortis est in homine incerto futuræ vitæ: quoniam anima corpori immissa cadit in obliuionem sui, & creatoris.

Dubitat autem vtrum post mortem alia remaneat, quoniã ipsa non nouit se, nisi abdita notitia, ad quam cũ reuertitur, statim incipit velle dissolui corpus, vt Platonici multi, & Apostoli Christi, & sancti viri aliam intelligentes vitam post hanc, ad illã contendũt. At & bruta ipsa timent mori, & tamen eorũ spiritus melius viuit in aëre, quã in corpore opaco: & hoc, quia nesciunt, quæ sibi restat vita: & hoc voluit Deus, ne entia vellent mori, antequam vsui prædestinato subseruiant, vt dictum est. Multos vidi remigantes, & captiuos in carcere diuturno, nolle exire in libertatem: quoniam meliorem ignorant, aut diffidunt viuere vitam. Consuetudo enim in naturam transit. Et sub tyrannide assueti viuere amant Tyrannum, & Remp. liberam oderunt. Remigio brachiorum, & crurum

assueta anima, & carcere tetro, per foramina tantum oculorum videns, putat, aliam non remanere sibi vitam. & spiritus caducus menti quoque timorem addit; quin & corpus sui dissolutionem præsagiens, timorem spiritui, & spiritus menti, addunt. Mens autem omnia cognoscit per spiritum, cui infidit, eiusque affectionibus afficitur vsque ad delirium, sicut lux passionibus aëris.

Ad 9. respondeo, spiritum esse corporeum, & per occlusos neruos transire non posse. Mentem verò, quæ nihil sine eo operatur, præsertim ad corporis regimen, non potest suum instrumentum impellere tum ob opacitatem corporis, tum quia ita colligata est spiritui, & corpori, vt non nisi ipsorum ritu agat: cum autem succus cicutæ occludit meatus, & suffocat spiritum, aut eius calorem extinguit, necessario anima carens instrumento vitæ communis discedit, vt dictum est. Anima autem calida non est, quæ expellat frigus: hoc enim agit per calorem spiritus: neque tenuis, quæ penetret aperiendo poros: transit enim non aperiendo cum sit incorporea, fortasse sibi relicta, seque agnoscens amat discessum, nam morientes multa vident, quoniam mens à spiritu separatur, & incipit cognoscere per se alio modo, conuersa de Mundo corporali ad mentale: scientia enim à spiritu fuit quasi videre per cribrum, aut per fumum & vitrum.

Ad 10. diximus, spiritum totum confluentem in oculos ad spectaculum optatæ rei suffocari angustia pororum: aut disiectum resolui; mentem verò discedere in Mundum mentalem. Similiter etiam à vaporibus fœtidis extingui, qui fuligine fœdant spiritus luciditatem, crassitie aggrauant tenuitatem, tolluntq; motū: calore verò vincunt vires, ac proinde ipsum in crassum Ens vertunt. Hæc autem totalis mutatio, mors est spiritus: ad quem semper sequitur mentis abscessus. Cur anima non tollat tales molestias, dictum est paulò ante.

Ad 11. concedimus, hæc indicare aëream mobilitatem spiritus, in quo est mens, non autem mentis. Nam quando reuera ipsa superis inhiat, rapit in aërem & spiritum & corpus, nullisque externis passionibus turbatur: & cum aliquid constanter vult, perficit corpusque spernit: ergo indicium est magnum, quod ipsa possit per se multum: sed quia est in mollissimo spiritu, eius affectus sequitur & motiones. Spiritum quacunque ex causa dilatari, & constipari, scimus, sicut aër: ac proinde dilatari, & tristari. Sed qui mente in bonum aliud rapiuntur: has leuitates non admittunt, vt in seueris Stoicis nouimus, nedum in Bernardo, & Benedicto, & Paulo, & Dominico.

Ad 12. dicimus, obliuionem, furorem, deceptionem, fieri in mente affecto spiritu. eius enim exhalatio, & noua passio facit obliuionem; fuligo verò obscuritatem, ac proinde timorem, & prauas imaginationes: quas & bilis mordicatio efficit; vehementes quoque alicuius rei cogitationes, cum sint motus, rapere possunt ita spiritum, vt omnia putet esse id, quod imaginatur, vel se solum, quoniam in illud immutatus est, vt in rem amatam, aut formidatam, quam passionem corpori quoque communicat, vt commorsus à cane rabido, & tarantula appula, ostendit. Anima verò has omnes passiones corrigere non potest, quoniam non est separata à spiritu, sed ipso inuoluta, idcirco ad eius insanias insanit, & furit, quoniam non aliunde sapit scientiā, & affectum. Fit autem deceptio, quoniam spiritus accipit passionem vnius rei tanquam sit alterius ob similitudinem, vel affectionem præcedentem. vt quando ex externo & interno obiecto fit, quod non est. & quando interrumpuntur discursus à superuenientibus fuliginibus, vel motibus & passionibus obiectorum externorum, aut intrinsecus mouentiū. Peripatetici autem horum causam reddere nō possunt, quoniā ponunt scientiam in anima immortali, & non in spiritu, quo cum sentit, intelligit, & memoratur, & afficitur. & profectò nisi ita dicatur, necessario anima esset mortalis ponenda; quoniam hæ passiones non sunt corporales, sed animales; ergò alicuius animæ, non diuinæ, ergo caducæ, qua cum illa sit vnum. Mirum quidem quo pacto Peripatetici vnicam immortalem ponentes animam, possunt hæc euadere argumenta. Profectò Scotus melius sentit, qui compositione vnum facit hominem non simplicitate, sed totalite, vti nos. Sed spiritus functiones paucissimi nouerunt. Et Galenus hoc nō distinguens, mentem mortalem facit, sic Aristoxenus, & Lucret. & alij. Augustinus verò, & Ambr rectius perscrutatus est.

Sic patet responsio ad 13. quomodo potest deleri scientia ex mente; quoniam. s. ipsa scit vna cum spiritu. idcirco, hoc deficiente, aut immutato, ipsa nequaquam scit, sed afficitur affectione spiritus. Sed cur in ea non remanet scientia exhalante spiritu? quoniam est vtriusque, non solius. remanet autem illa solum, quæ à superis defluit, & quæ abdita est: sed ab infirmitate, & spiritus abscessione, quo cum sapiebat, amittit scientiam communem vtrisque ex obiectis corporeis partam. Et sic Auic. soluitur ratio.

Ad 14. appetitiones obscænas, & varias, esse corporis, & spiritus scimus: mentem verò posse assentire, & dissentire: vnde pugna sæpè oritur in nobis. Et quamuis idem spiritus secum pugnet, vt cum vult bibere aquam, quia ardorem extinguit, & non vult, quia febrem producit: tamen nunquam hæc pugna fit, nisi quia diuersis partibus res eadem nocet, & ob est: vel delectat simul & molestat. At quando omnino corpori, & spiritui prodest, & placet sicut vti coitu in vere cum formosa puella: displicet autem, quia lex vetat, & religio; tunc illa pugna est à mente; Cuius est noscere legem, & Deum legislatorum largitorem, & bonum melius super caduca corporalia. Quam qui sequuntur, non admittunt turpia & varia desideria; at nascentia statim iugulat decreto auersandi cupitas res. Quapropter obiectis externis, & Cælo, obnoxium esse spiritum, quoniam ab eis mouetur, fatemur: non tamen mentem nisi velit assentiri: In ipsam enim agunt per accidens, & indirectè; solus autem Deus potest in mentem directè. quoniam primalitatibus constat non contractis ad corporea. Sed dicet quis: Qua ratione pati Mens potest à spiritu sibi coniuncto, eadem potest à Cælo & aere, cum iungitur illis. nam si mediatè, potest & immediatè. Hoc negandum est, nisi vinculis iisdem alligetur Cælo & aeri, quo alligatur spiritui à Deo per ministerium Angelorū. Hunc autem modum nos non intelligimus: sed similitudinem formæ informantis habet, sed non dependenter, quod formæ repugnat. Immutato autem corpore, ac spiritu, mentem immutari nouimus per accidens, quoniam sic informat.

Ad 15. dicimus animas à corporibus solutas non reuerti, quoniam si in Cælum euolant, vel in aerem vt spiritus brutorum, gaudent libertate magis quā in carcere. & sicut ignis ascendens sursum, non reuer-

titur,nisi mutetur; sic neque spiritus,neque Mens. Si verò ad inferos fertur,per vim retinetur. Quapropter vana est petitio. Quis enim vellet in carcerem reuerti post gustatam libertatem? Salomon autem dubitando loquitur, & ex persona dubitantis, vel impij. Nos autem nouimus multos resuscitatos à sanctis viris: & animas defunctorum allocutas esse viuos ad instructionem. Et quidem Ficinus Medicus moriens promisit socio se daturum indicium post mortem. & vocauit amicum dicens,frater,anima est immortalis. & tunc is cum esset in alia domo agnouit transitum illius; accurrit & inuenit solum cadauer. Idem accidit Euagrio, & Synesio, Ficino & Mercato, ex condicto. sunt & aliæ experientiæ apud sanctos viros. quas omnes negare stultissima est impudentia. Scimus quidem, Gregorium & Bernardum,& Maurum,& Augustinum, non fuisse mẽdaces,neque ignorantes. Relinquo mille alios. Lege vitas sanctorum.& in scriptura Dei Samuel suscitatus prædixit Sauli se in crastino futurum vbi ipse erat apud inferos. Dionys. Carthus. historias Christinæ,& aliorum verissimas recitat. Et mille animas scimus destructis corporibus apparuisse aëreo sub indumento.

Ad 16. rationis partem postremam dicimus, corporeum spiritum nasci, crescere & desinere cum corpore, sed non in nihilum: neque enim corpus annihilatur,sed formatio tantum. Manifestè enim videmus calorem solis, vbi spiritum tenuem intra crassam ingenerat materiam,vnde nequeat elabi,illam organizare ijs instrumentis, quæ ad communẽ vitam commoda sunt. Quod tamen spiritus facere nesciret,nisi sapientia prima per ministerium Angelorum necessitate quadam ac fato ad formationem corporis illud adigat, vt in prima parte dictũ est. vbi etiam quia corporis formationi incumbit,& variis passionibus agitatur, sui ipsius ignorantia obrui,diximus: sed tamen secreta notitia sui nunquam destitui, proptereaque semper attenuatam molem ad cælestia euehere,educereque,& quia in principio parum elabitur, & materias oppositas attenuat,& in sui substantiam tenuiorem portionem vertit, crassiorem verò in domus suæ substantiam: Propterea in principio crescere diximus aucto calore,& copia spiritus paulatim. At mox absolutis purgatisque ædibus,in quibus inhabitat,considerate per sensoria conspiciendo Entia exteriora. & dũ tantum corpori additur,ac sibi,quantum demitur à se exhalante, fieri statum. Cum verò plus demitur, incipere decrementum,& senium; donec exiccato, corpore, & ægrè nutriri potente, & attenuato eductoque spiritu, & remanente imminuto, adeo decrescit,vt tandem totus euolet, sicut flamma lucernæ deficiente oleo. Anima autem à Deo immissa non sic crescit,& decrescit secundum se, sed secundum spiritum,& corpus, cuius informationi accessit. Et quia per se non operatur, neque scit,nisi per spiritum; idcirco augetur, & minuitur illo; & quia neque corpus moritur, neque spiritus, sed tantummodo separatur, & in aliud Ens conuertuntur seorsum; Mentem quoque separari putandum est; non autem in aliud Ens conuerti secundum substantiã, sed secundum operationem,& affectiones accidentales: nam & ipsa materia incorruptibilis est,& mutatis formis,non tamen ipsa in aliud esse essentiale, mutatur. sic & anima, & longè magis permanet.

Responsio ad postremum argumentum, & addubitatio, & resolutio, num animæ fuerint ante corpora, & propter quid includuntur in corporibus.

ARTIC. V.

AD primas argumenti partes, nihil potest demõstratiuè responderi, sed probabiliter; hoc tamen vnũ verè affirmamus, animas non fuisse ab æterno: quoniam cum sint virtutis finitæ, infinito æquari nõ possunt: nam necesse est ab eo originem habuisse, vt quidam Platonici dixerunt. vtrum autem creatæ fuerint simul cum Angelis, vel ante corpora, vt putat Origenes, neque asseri, neque negari potest demonstratione naturali; sed tantummodo ex reuelatione, ex qua procedit Theologia. Rationes quidem contra eum probabiles sunt, & pro eo non minus: videtur enim illi inæqualitas non conuenire, nisi ob merita; cui satisfit, si dicamus, Deum ad gloriam suam omnia fecisse, & secundum gradus, vt libuit, non autem ob merita, quæ non præfuerunt. Cum verò aiunt: si anima remanet post corpus; ergo fuit etiam ante: nihil demonstrat, sed suadet tantillum; potest enim quod melius est fieri, & ante,& post. Et cum quærit Plato; quid est, quod corpus elaborat? fatemur, Angelos & animam mũdi, vtentes calore,& spiritu seminali,& solari. Sed primam Mundi constructionem, & elementatorum fuisse à Deo, à quo creati sunt Angeli, & didicerunt similiter operari: nec propterea imperfectus sit Mundus, quia nouę animę creantur, quoniam indiu dua sunt, & non ideata idearũ non adhuc expressarum. Sed nos diximus, Mundum perficiendum esse post renouationem præsentis sæculi turbulenti. Nec rationes probantes, quod est post potentia: & quod si naturale est animabus vniri corporibus, nunquam fuerunt separatæ) conuincunt. namque & Augustinus ante formationem corporis, putat, animã Adæ creatam esse: & rerum status diuersi, diuersas affectiones parere possunt, ita vt velint, & nolint esse in corpore. Et quidem calor solis nollet in materia crassa detineri: sed dum pugnat eam attenuare, cogitur remanere: vnde videtur & spontanea & coacta formatio animalis, & spiritus inclusio. Si ergo ex his licet de mentibus humanis aliquid argumentari, posset quis dicere eas aliqua occasione allici in corpus: & statim cadere in sui obliuionem, ac proinde velle manere in eo. Sic Virgilius canit, quod post mille annos letheum bibunt, vt rursus incipiant in corpora velle reuerti. sed à Deo prius in fluuium actæ. Verum hæc persuasio non cogit: tum quia calor Solis, qui remanet, non est is, qui à sole aduenit, sed qui ingeneratur ab illo per sui diffusionem. Anima autem non generat animam, vt dictum est de Angelis, si immortalis est, & non contracta: sicut spiritus, qui generat spiritum ex sangine, & calor ca-

lorem ex sui diffusione. Tum quia vel animæ erant beatæ, vel miseriæ ante corporis clausuram. si beatæ, nunquam cupiuissent corporis carcerem: si miseræ, quærenda est miseriarum causa: & non inuenitur, nisi semper nouas fingamus opiniones. Si verò, inquit Origenes, quia peccarunt: vtique stultũ est putare, eas potuisse peccare si Deo fruebantur. cuius boni summi Amor nunquam excidit, vt etiam Origenes alibi concedit. si verò vt dicitur in Phedro, ex veri intuitu ad opinabilia transeunt, vt cadant; impossibile videtur. In Deo enim omnia vera. Et qui eo fruitur, exterioribus non allicitur: nec si erant in quodam statu naturali, & sicut Angeli, sic etiam animæ peccarunt, vt Ficinus interpretatur. tunc enim aut Deus immittit eas in corpora tanquam in pœnas æternas, aut purgatorias. non in æternas, quia corpus moritur, & ipse animæ licet deceptæ, cupiunt in corpore viuere: neque in purgatorias, quoniam corpus est occasio peccandi magis, vt omnes fatemur; Quomodo autem Deus purgat, & lauat luto maculas mentium? si peccandi finem imponere voluit illis, irrationabiliter ad locum peccati detrusit. Si verò in pœnam; oportuisset non tollere illis memoriam delitiarum præteritarum, & status inclyti, quem perdiderunt. tum quia pœna non est inscio, quod bonum amiserit: tum quia non cauebunt peccata, cum nesciant ob peccatum, se, exilio, & carcere puniri. Contra hanc sententiam in nostra Theologia diximus, & sunt rationes multæ à Cyrillo positæ contra Origenem ex autoritatibus sanctarum Scripturarum. Quapropter rationabilis sententia est, quod animæ à Deo creentur, & simul corporibus immittantur. Non quidem ex Dei substantia, vt putat Stoicus & Manichæus, quoniam Deus partibilis non est: neque inscius, & mutabilis, vt anima humana, neque ex alia materia, cum sit incorporea, nec ex materia mentali vt aliquando suspicatur Augu. hæc enim impartibilis est: ergo ex nihilo, vt dictum est prius, & mox disputabimus.

lib. 1. sup. Ioan.

Quæstiones iterum, cur anima immortalis vnitur corpori, & vtrum anima producat animam cum semine, sicut spiritus producit spiritum, & corpus; vt putat Apollinaris, & Nyssenus.

CAP. VI. ART. I.

1. SED quæritur si naturaliter anima vnitur corpori, ergo non est Deus eius causa, sed Natura. si violenter, ergo homo est violenter homo, si voluntariè, ergo anima amat corpus, vt bonum, in quo tamen multa incurrit mala. & remanet quæstio, cur nobilissimum Ens ignobilissimo vniatur.

2. Item si anima indiget spiritu, & sensoriis ad cognitionem rerum: cur separatur à corpore? & quomodo post separationem cognoscit? si verò non indiget spiritu, & sensoriis ad cognitionem rerum: cur vnitur ei cum detrimento? cur sicut spiritus facit spiritum, non & anima animam per traductionem, vt sentit Apollinaris. alioquin homo non generaret hominem, sed materiam, quæ est ingenerabilis præsertim secundum eos, qui vnam modo formam in homine ponunt quæ sit corporeitas, elementaritas, sentitiua, vegetatiua, & intellectiua simul: nam putat, corruptis prioribus formis, semper quę superuenit continere in se illarum formalitates.

4. Item compositum generatur, ergo anima & corpus ab homine generante: alioquin non esset genitor; & imperfectior esset cæteris brutis generantibus materiam, & formam, & animam.

5. Item, vt ait Apollin. Deus incæstibus & adulteriis cooperaretur immittens animam in tali coitu.

6. Item Greg. Nyss. pluribus ostendit animam ab anima oriri vt corpus à corpore. Nam ait imperfecta esset operatio Dei tantum animam facientis, & hominis solum corpus.

7. Item anima est pars hominis, ergo continetur in semine. Nam in grano continetur spiritus, spica, culmus, internodia, folia &c. quæ visuntur eo germinante. Nec aliunde suscipit vim ea producendi.

8. Item simul crescunt, & manifestantur vires animæ, & corporis per operationes paulatim perfectæ, vt etiam Alb. M. sentit. Ergo habent eandem originem.

9. Item organa corporis fiunt conformia animæ affectibus: vnde alia anima alia habet organa: diximus enim timidum leporem organa habere ad fugiendum, quoniam anima eius iuxta affectum suum sibi talia parauit: Leonis verò animam parasse organa ad pugnandum, propter audaciam: Auis ad volandum propter leuitatem, & tenuitatem spiritus. Ciconiam collum & rostrum longum ad capiendas serpentes, quibus vescitur. Anima ergo fabricatur corpora, prout opus sibi sunt. Ergo ipsa est in semine humano, vt asserit Alb. quæ figuram rectam, & manus fabricatur: ergo non creatur, sed traducitur cum semine, alioquin non esset causa efficiens corporis sui, vt cæteræ animæ, neque illo posset vti. & quidem Arist. sæpè animam corporis causam efficientem ponit; sic Telesius, & Galenus, & Alber. & omnes Physiologi.

10. Item si corpus est propter animam; oportet, illam prius esse, & ad eius voluntatem hoc formari, vt probat Plato. Hoc autem falsum est, si anima infunditur iam formato corpore.

11. Item semina viua sunt, ergò habent animam: si autem vnica est hominis anima, ergo cum semine traducitur: nec Deus singulis momentis creat nouas animas ad libitum cuiusque coeuntis.

Responsio ad propositas quæstiones. Quod mens vnitur corpori propter bonum futurum, non præsens, ad secretam Dei gloriam: & non producitur à mente alia, sed à Deo.

ARTIC. II.

AD primam quæst. dicimus, Mentem vniri corpori naturaliter, & cum infertur: ergo non à Deo: negamus consequentiam. Deus enim & Natura sunt agentia subordinata, sicut principale & instrumentarium: à quibus idem effectus manant. Neque dicimus violenter immitti: neque sponte sua in corpus, sed naturaliter, quia sic nascitur, & creatur à Deo vt in corpore humano habitet. Neque in institutione rerum quæritur miraculum, ait August. sed quid Natura rerum habeat. Quod autem Au c. ait, animas corpori naturaliter copulari, quia amant regere corpus, Platonicũ est. Si enim non prænouerũt cum infunduntur, ergo nec desiderauerunt: nisi forsan instinctu, vt aranea paruula statim ac nascitur non edocta texit retia, & hędus ambulat. & hoc Danthes innuit. Finis autem propter quem vilissimo corpori Deus nobilem includit animam, Physiologus non intelligit, qui tantum esse, & modum, quo corpori inest, scit: Fines autem & origines rerum Metaphysicus inuestigat, Theologia reuelat. Quoniam ergo videmus, hominem esse animal religiosum, & sapientissimum, eiusque intelligentiam superexcedere elementa omnia, intelligimus à Deo ad sui gloriam conditum, vt etiam Philosophi & Poëtæ cecinerunt, & animam eius non esse ab elementis sed supra. Sed cur in corpore claudatur naturaliter non intelligimus, nisi ob bonum vtriusque: Quod autem sit hoc bonum, videtur sapientibus esse bonum animæ, videlicet vt meritum acquirat ita seruiendo Deo, & in exercitio corporali, quod perpetua militia est contra mala obiecta malasque passiones, agnoscendo, quæ sint præparata vincentibus bona: corpori verò, vt per talem coniunctionem & obedientiam finem sibi comparet altiorem, & diuiniorem, quam sibi ex sui natura conuenit: verum quia ipsum quasi instrumentum est, & propter aliud, non videtur æternum: quicquid ergo credimus de corporis resurrectione, & instauratione cum anima, est reuelata fides: naturaliter enim hoc non nouimus. sed solum quod anima post mortẽ corporis meliora speret. rerum autem circulatio æterna, si vera essent, non nisi restaurationem indicaret ad hanc dispositionem, non ad diuiniorem, vel ad specificam. Dicimus ergo naturale esse quòd facit Deus secundum consuetum ordinem. & cum etiam cæterarum rerum formas, neque ab elementis, neque à generantibus fieri posse docuimus; proptereaque Angelorum ministerio ideas exprimimus, multo minus animas humanas à genitoribus esse putandum est.

Et addidimus, animam, vt sentiat, & intelligat non indigere sensoriis, neque corpore secundum esse suum, sed secundum quod clausa est corpore, indiget sensoriis, & fenestris, & foraminibus. Qui autem liber est spiritus, his non eget. Quapropter stultum est dicere, spiritum aut mentem vniri corpori, vt videat & audiat per oculos & aures, quia idẽ esset, ac si quis diceret, hominem in carcere poni, vt fiat sapiens aspiciendo per cancellos. vti etiam S. Ambros. & alij Patres docuerunt, & Platonici: ipsa enim in aperto tota est sensus, & intellectus, & vndique: & post separationem longè melius intelligit, & discurrit; & eius intellectio tunc est sapientia intuitiua, & non per vitrum fenestræ, sed per obiecti tactum internum, aut per idæam à superis defluentem.

Am. lib. ... mori

Et quærenti, cur vnitur corpori vbi minus benè sapit, nescio quid dicam, nisi quod Deus propter exercitium & ludum suum hoc fecit ad meritum mentis humanæ. Sic & Solis calor in terra occluditur, & facit Entia multa sui oblitus ob superuenientes passiones. Et tamen secreta vi semper sursum sapit, & tendit: sic etiam animus humanus licet seipsum ignoret ob passiones additas, tamen vi secreta Deum sapit, & ad Deum contendit. Et hoc est Religionis initium, & robur, vt infra videbimus.

Ad 3. quamuis physicè ita dicendum foret; tamen altius contemplantibus animæ diuinitatem, à Deo illam deriuamus. & licet Deus potuisset dare animæ vt producat animam, sicut spiritus spiritum, & calor calorem; tamen cum formatio corporis non à corpore formante fit, sed à spiritu, & quidem nesciente formationis partes, & vsus, sed operante instrumentaliter, Deo agente tribus influxibus per ministerium quoque Angelorum, & spiritus fit à generante, vt calor à calore effuso, & corpus ex corpore deciso. Caloris enim est generatio non corporis ingenito spiritu; Formatio autem est ab ideæ: propterea arbitramur, & superuenientem mentem esse à Deo, & non à Mente generante. Solis enim instrumentis primis, calori, & frigori dedimus sui multiplicationem, & quidem in virtute ideæ primæ, sicut in superioribus declarauimus. vbi etiam patuit, quòd homo generat hominem instrumentaliter, & Caper Caprum. Neque enim homo, neque Caper, & multo minus seminalis spiritus, scit formationem, & partes & vsus generati hominis, & Capri. Concedimus, physice esse principales causas: sed cum videamus secundum primalitates esse insufficientes, necesse est addere causas principaliores. Homo ergo generat hominem, quoniam semen emittit, in quo est spiritus, totius generationis instrumentalis causa viua actiua: quæ etiam remanet, vt anima perficienda tandem à Mente, à Deo postmodum indita, & non forte in ipsa feminatione vt Alber. M. & Auic. putat. exque tribus his fit vnus homo. Quapropter qui hominem faciunt ab ipsa mente, totum, falluntur. quoniam non nisi materiã dedisset homo generans, & neque hanc secundum Aristot. cui semen non cedit in materiam fœtus. multo verò magis cum dicunt, organizationem, & corporeitatem præcedentem, & sensum corrumpi in ad-

in aduentu animæ, & nouiter fieri statim ab ea. si enim ipsa nudæ materiæ vnitur: ad quid præfuit spiritus, & laboriosa organizatio? si vt mens aliam faciat ex ea: quid oportuit eam rectè factam corrumpi? Et cur Mens si subito tam diuinum opus facit, & præcedens delet, non etiam subito fractum crus reficit; eoque magis cum dominari in corpus iam didicerit? & cur à fuligine & bile discursus & scientia adimitur tam potentissimę causæ, subitò ex nihilo corporeitatem, quam ipsa non habet, & mixtionem, & sensualitatem, largienti? Manifestè quoque, abeunte mente, remanent organa omnia in mortuo per febrem: ergo non sequuntur ipsam, sed corporeitatem à spiritu organizatam virtute animæ Mundi, vt dictum est. Quapropter homo generat hominem, quia corpus & spiritum sentientem adeò producit, quod tandem Deus perficit opus eius, non autem destruit. Et mirum quomodo Peripatetici possint hominem ita generare: cum Arist. per motum generantis remanentem in semine faciat hominem ex menstruò, semenque expelli doceat. Ergo non remanet eius vis. Omitto quod motio illa est inanis; nam subito dependitur, vt patet in Virgæ exemplo ab eo adducto: Formatio autem & anima vigoratur. Item si permaneret, cum stupida sit motio, & non Ens, opificium sic mirificum nullo potest efformare modo. Nobis autem patet hominis ab homine generatio; & Ranæ ex non Rana, vbi nulla est motio generantis: sed formatio fit iuxta ideam ab anima Mundi, caloris opera vtente, sicut in seminibus.

Ad 4. non ergo homo est imperfectior brutis, quippe qui generat corpus, & spiritum, sicut bruta. & insuper disponit ad susceptionem mentis à Deo; qui non nisi perfectissimo opificio eam immittit. ratio valet contra præfatos opinantes.

Ad 5. Deus cooperatur naturæ non peccato, vt dictum est in 2. p. quoniam Enti, non autem nihilo, communicat; Ens facit non defectum.

Ad 6. perfecta est Natura seruiens Deo. perfectum est Dei opus, qui Naturam fecit, & eadem vtitur ad hominis fabricam: nihil enim ipsa facit sine Deo, vt dictum est in 2. p.

Ad 7. & 8. dicimus, Animam esse partem hominis, & in seminis potentia receptiua, non autem actiua contineri. Agit enim seminalis spiritus opificium, capax mentis, à Deo infundendæ: partem autem corporeæ, & animales sunt in semine actu, explicandæ in opus, quoniam sunt ex viribus Naturæ. Mens autem excedit Naturam, & à Deo expectatur. De augmento & decremento secundum spiritum dictum est in præcedenti sermone.

Ad 9. vera est sententia, sed profectò spiritus humanus efformat organa aptanda humanæ menti. Cum enim absque symbolo non vniantur, ille huic deseruit, teste Augustino. Præterea videmus mores iuxta temperiem & organa ostendi in homine. Ergo Mens licet dominatum gerat, non tamen nisi Politicum: quoniam aduenit operi facto, & non ipsa facit, & venit pugnatura hic, alibi verò regnatura. Idcirco non semper organa, vt ipsa vellet habet. Quis enim feruens iecore non vellet frigidiusculum habere? & cellas capitis ampliores, in quibus spiritus posset melius discurrere? spiritus generans facit organa, similia suo principio pro materiæ, & instrumẽtorũ conditione. Formatio a. est ab anima Mundi, & Angelis, qui norunt quæ instrumenta cui animæ debeantur. Nunquid & in generatione ranæ præest semper rana generans organa? Item domus non fit ab habitatore ignaro, sed à domificatore, artis perito. sic corpora non ab habitante anima, sed ab artificibus prædictis. Propterea Thomas non probat, quod Alber. docet animam à principio esse calorẽ, & mox vegetalẽ, & mox sensualem, & tandem Rationalem: vt eadem anima sibi faciat omnia organa. Potest enim Mens vti factis.

Ad 10. ritè probatur corpus ab anima efformari, sed non ab anima geniti, sed generantis: vel à communi anima Mundi. Imò ab hac magis, quæ scit melius opus formationis nobis ignotum; vt domus à domificatore, non ab habitatore.

Ad 11. viua dicimus semina, vita animali, nõ mentali, & ab ea corpus organizari iuxta ideam, quam administrant virtutes Angelicæ sub anima Mundi. Deum verò, quod perfectissimum est, & ab eis dari non potest, adiungere, ipsam videlicet Mentem: neque enim Mens forma, aut formatio est, sed Ens diuinum, non nisi creatori tribuendum opus. & hæc quidem probabiliter loquuti sumus, vt in tanta re potuimus.

Appendix, quod anima, non sit ab Angelis, neque ab anima Mundi.

HIc notare libet, quod Angelus aut anima Mũdi, non producunt nostram animam: nam ex nihilo non possunt: ex seipsis verò facerent similes seipsis; & sic anima esset angelus, & non Mens inclusa ad animandum corpus. Anima verò Mundi non facit animam per decisionem, quia non est partibilis. neque per sui diffusionem, vt calor calorem, quoniam non habet contrarium, cuius gratia velit multiplicari; neque corruptibilitatem quare velit instaurari. Item essent omnes animæ eiusdem speciei. Ostendimus autem ferinas esse à sole. Item non intelligeret anima nostra supra animam Mundi: neque ad Deum intuitũ, & religionem eleuaret. Item Religio immediatè tendit in Deum, & tradita est nobis à Deo, non ab anima Mundi, neque ab Angelis, nisi vt instrumentis Dei. Ergo anima ipsa fit à Deo, & non ab his.

Dicendum esse de vita diuinitus comparanda, & Angelitus, & cælitus, & humanitus, & bestialiter, & de cunctis.

CAP. VII.

MONOTRIAS summa omnipotens, omniscia, omniuola, sicut seipsam communicauit, essentias idæales ad existentiam deducendo mirificentissimè; ita & res cunctas colligauit, imo & physicè, & moraliter communicari voluit. Corpora enim non modò participio primalitatum con-

ſtant, ſed etiam Angelorum, & animorum gubernatione reguntur. Animæ quoque corporibus communicant, quibus vitæ vinculis alligantur. Angeli autem vinculis adſiſtentiæ, & regiminis, vt ſæpè dictum eſt. Corpora Mathematicis ſuſtentantur; Mathematicum ſpatium ad ſe corpora trahit, repleri cupiens: calor & frigus omnibus communicant, dum corporibus occupatis viuere ſatagunt. hinc contingit, vt alia Entia propriis vitis, alia alienis magis viuant. Cogimur hinc admirari ſummam Dei Potentiam, & Sapientiam, & Amorem, qui potuerit, ſcierit, & voluerit Mathematica corporibus, & corpora mentibus, & mentes vtriſque, & res omnes omnibus ita colligare, vt velint ita eſſe. vnde nihil mirabilius, quàm quod anima velit in corpore viuere, & corporis mortem aufugiat abhorreatque, non ſecus, ac ſi ipſa moreretur; cum tamen quando ſe ipſam in ſuis operationibus intuetur, quæ extra Mundos efferuntur, & omnia tranſuolant corpora, non modo quia ipſa intra ſe per ipſorum notiones ſcit, ſed etiam quia ad ipſa extra ſe per notiones illas refertur, & quaſi egreditur, ita vt quidam dicat, eſſe animam magis vbi amat, quam vbi animat; inceſſanter experiatur ſe à corpore coarctari & minui, & carcerari, potius quam iuuari, ita vt Trimegiſtrus, & alij, vocent iure corpus mortem viuã, & ſepulchrum portatile, & ergaſtulum, & indumentum prauitatis, & ignorantiæ: at quando ita contigit, volẽte Deo, experimur, mentem ſibi vitam corporalem comparaſſe, & corpori fabricando, regendoque addici. & dum hoc facit, & rebus corporalibus exterioribus ad hoc ſe indigere agnoſcit, etiam ſibi comparare vitam exteriorem, ita vt alij beſtialiter viuant beſtiarum moribus delectari, vt Epicuræi & delitioſi. alij humanitus, qui politica delectantur, & ſophia: alij cælitus qui cæleſtia inueſtigant inceſſanter. alij angelitus, ſed quidem malis Angelis adhærendo, vt ſagæ, & lamiæ Simon Magus, necromanti; alij bonis vt heremitæ multi Paulus, Antonius, Hilarion: alij diuinitus, vt Petrus, Paulus, Maria, Moyſes propterea inſequentibus de vitabus dicendum reſtat. Sunt enim qui de vita cælitus comparanda ſcripſere, vt Ficinus. ſunt qui de vita diuinitus comparanda, vt Theologi Chriſtiani: ſunt & qui & de vita diabolitus comparanda, vt Agrippa, & alij pſeudomagi; ſunt & qui de vita humanitus, vt Politici, & Plutarchus, & Cicero. & horum ſtudium omnium & ſingulorum, quantum veritatis habeat in ſequentibus manifeſtabitur ſermonibus. & quomodo reuerſio ad Deum hominibus apprimè conueniens ſit.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ STYLENSIS ORD. PRÆD.

PARS TERTIA METAPHYSICORVM.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

IN QVO De Conſeruatione, & Gubernatione rerum.

Entia omnia à primo Ente, à quo ſunt, conſeruari, continuante eſſe, quod largitur: & eſſe propter ipſum primum Ens; ideoque ab ipſo gubernari. Et quoniam alia aliorum altius peruenientium ad primum Ens gratia ſunt, Deum communicaſſe rebus non ſolum vim cauſandi eſſe quoquo pacto pro rata ſua, ſed etiã conſeruandi, & gubernandi ad certos fines in mutua coexiſtentia, ac poſſe ſeorſum Deo ſeruari, non autem gubernari.

CAP. I. ARTIC. I.

QVONIAM entia finita ſunt omnia, excepto primo, à quo habent, vt ſint. Dicitur enim vnum quodq; ens. Igitur vnitaté qua ſunt, & entitatem quod ſunt, à Primo, id eſt vniſſimo vno Ente ſunt. A quo a. habent vt ſint, habent & vt conſeruentur. Conſeruari .n. eſt permanere in ſuo eſſe, & continuari ſuæ origini. ſiue temporaliter, cum trãſmutationib. comitantib. ſiuè intemporaliter ſupra tranſmutationem Et quoniam facta entia nõ modo ſunt, ſed ad certos fines ſunt; idcirco & Deo conſeruante in Eſſe, & Deo gubernante. i. perducente ad certum finem, propter qué ſunt, opus habent. ſicut fili⁹ indiget patre, vt ſit: & vt permaneat indiget eonem patre educatore, & inſtructore, & iterũ vt ſeruiat Reip. in aliqua arte, vel officio, indiget Patre inſtructore & promotore: vtq; in Deum referatur vſus eius erga Remp. & ad vnum, à quo & propter finem ſunt, indiget itidem vt Vicario illius patris, à quo omnis paternitas in Cælo, & in terra nominatur, ſicut dicit Apoſtolus. Et quia pater carnalis eſt inſtrumentum veri patris, & potius cauſa in fieri & exiſtentialiter, quam in facto eſſe, & eſſentialiter; idcirco multiplicatur paternites, ita vt alius generet apud nos, alius educet, alius doceat, quem vocamus magiſtrũ, quaſi particulã magiæ habentem, non totum. Alius deniq; nos ad Deum dirigat, qui nõ magiſter, ſed & magus ſit, callens Religionem, & Theologiam, & oẽs artes, eius ancillas. Quapropter Deus omnipotens, omniſcius, omnium oluſq; poſſet quidem ſeorſum res oés & ſingulas producere & cõſeruare, ſed nõ perducere ad fines, propter quos ſunt, niſi ſimul ſint & coexiſtant. Non. n. pulmo poteſt ad caloris retentionem in corde, & ſpirituum generationem, propter quem finẽ eſt, peruenire, niſi ſit in pectore animalis. Pone eũ in cẽtro terræ, & nihil tibi ſeruiet. Ergo res oés compaginauit Deus in coexiſtentia ipſarum, ita vt oés & ſingulæ ſint propter oés & ſingulas. Item nõ modo dedit eis eſſe; ſed cõmunicauit potentiam cauſandi eſſe & conſeruandi, & perducendi ad fines coexiſtentiarũ, atq; ad Deum ipſum. Et quia in hoc arduiſſimo plus deficiunt, addit auxiliũ immediatũ ſuum, & ſuper eſſentiale, vt in Theologia probatur. Neceſſe a. fuit ſimul exiſtere ſeruariq; & mutuis emolumẽtis affici, quoniam ab eodem vno Deo ſunt, & intra vnũ & ad vnũ. Cum ergo iam patuerit, quod omnia Entia ſunt, & conſeruantur à Deo, inſtar radiorum ſolis in aëre à ſole, vt dicit Dionyſ. & Aug. conſequens eſt, vt de guber-

natu rerum dicamus quo pacto per seipsas inuicem mutuis officiis destinantur ad fines. Et quæ causa, cui effectui præsit in gubernatu, & vbi & quomodo. Hoc præsupposito, quod gubernationis participiũ dedit Deus solis causis actiuis, siue instrumentalib. vt calor & frigus, & Cælũ; siue principalibus, vt Angelus, mens: At conseruationis participium cunctis impertitus est reb. etiam quæ ad finem nõ mouent, nec præcognoscunt: Et materia .n. formas, & spatiũ substentans corpora; & formæ ipsæ essentiales præcipuè, conseruãt res per se. per accidens autẽ etiam contraria, & obiecta, & exempla, &c.

Gubernatorem omnem præscribere, atque esse finem rerum gubernandarum, quarum ipse est, & causa & gubernator. Quorum verò solum gubernator, præscire à prædestinatore finem: & media à prouisore. gubernatum hominum esse vanum, si non habet deificationem pro fine. Quę videtur propter finem esse in Natura, & arte, & religione, ea habere finẽ, vel præordinationis, vel prędestinationis, vel vtriusq;. & in hoc variari dogmata Notionũ. Itẽ in nostro dogmate omnia quę vidẽtur esse præter finẽ à defectu ex Nõente cooriri: & propter finem exercitij, & modificationis mediorum, & tendentium ad finem euenire. & defectus ipsos esse occasiones vniendi gubernatores gubernandis, & quid præstent illi istis in coexistentiarum colligatione.

ARTIC. II.

OMNIS gubernator præfigit finem, ad quem, & media per quæ qui gubernantur agendi sunt. Et quando idem est autor & gubernator, seipsum modo habet pro fine extremo, summoque, vt domificator cum facit domum, quam ipse habitaturus est. Etenim & fenestras, & ianuas, & salam, & ædes superiores & inferiores ad certos proprios vsus architectatur & dirigit per media certa. Media enim sunt formæ horum vasorum, & materiæ. Non enim ianuam de lapide, nec quinquangularem; sed de ligno & ferro, & quatrangularem facit; sicuti neque autor Naturæ pulmonem, & vnitum, & osseũ facit, sed in lobos distinctum, & carnis leuissimę, ac fistulosæ, prout suo congruit fini. Quando verò non est idem gubernator, & autor, dirigit quos gubernat ad finem autoris: vt pastor ouis ad vsus heri. & nauifactor naues ad vsus Regis. subordinãtur autem fines omnes ad finem Autoris: nam frenifactor facit frenum ad vsum equitis. Eques vtitur equo ad vsum Ducis in bello. Dux belligerat vt victoriam Reip. pariat. Victoria a. est propter pacem, & conseruationem ciuium. Ciues a. sunt non propter Regem, sed Rex propter ciues. Isti enim fecerunt sibi Regem, in quo per vnionem virtutis communis. (in eo enim reponunt robur & disciplinã) retineantur, seruenturque mutuis officiis. At si hæc conseruatio vlteriorem non haberet finem, vana esset; moriuntur enim & non seruantur homines neq; Ciuitates perpetuo prout cupiunt; ergo alius est finis eorum, sicuti & brutorũ finis videtur homo, & plantarum bruta, quæ ex eis seruantur,

Difficile est quidem omnium rerum fines inuenire; multa enim videntur esse præter finem, vt pulices, coluber, fractio ollæ, casus olei in vestem nouam, & alia penè innumera, quæ Epicureos & Democraticos, vt tribuerent omnia temerario casui, occasioni fuerunt. Alij autem, cum viderent plurima propter vsus mirificos esse, omnia propter finem à Deo gubernari asseruerunt: Alij considerantes casualia, & finem certum assequentia, tribuerunt partem gubernatori rerum, partem casui, & fortunæ: quæ sanè causæ non sunt, sed causarum defectus. Quomodo autem isti defectus habeant fines suos, nemo exactè intellexit, nisi Christiani Philosophi: qui respectu ordinum secundarum causarum dant defectus casuales, sed respectũ ordinis primæ causæ vniuersalissimi, nihil putãt à casu fieri, sed propter fines. Et cum quæro de fine peccatorum in Natura, vt monstrorum & florum defluentium antequam in fructus vertantur: & in arte, cur cecidit oleum super vestem nouam, & cur ruit domus cum ædificatur: & cur cecidit stilla atramenti in hac pagina, & fædauit scripturam, & tandem in moribus & in religione, vt cur homo adulterium patrauit, & blasphemauit Deum. Et cur Adam peccauit, & nati sunt homines reprobi, qui omnes nasciturí erant prædestinati ad gloriam Dei: vnde non modo videtur esse casus iste secundorum ordinum, sed primi quandoquidẽ contra præceptũ & ordinationem immediatam Dei, causæ vniuersalissimæ, peccauerunt homines, & reprobationem incurrerunt: Qui a. negant has historias, effugere non possunt argumentum quæstionis: Etenim videmus nunc homines peccare contra autorem Naturæ; blasphemando Deum, adorando bestiolas pro diis, & amicos & res vilissimas, procurando mortes aliorũ hominũ, & abortus, & Reip. destructionẽ, insidias, fraudes, mendaciaque struendo. Quæ omnia euenire scimus contra ordinem diuinũ, & vituperamus, & per leges declinare curamus; & tamen facimus, quę in aliis detestamur, propriis passionib. ex rerũ serie, & coexistentia actionũ, passione, & obiectione, & tẽperaturis nostris, & illarũ occasionatis, quasi cõpulsi. Respondent Theologi, hæc oĩa fuisse præordinata à Deo in sui gloriã, sed occultis modis, ac finib. aliarũ rerũ in aliis: nõ tamẽ fieri à Deo, nec prædestinari: sed tamen Deũ fiendis vti. Et quidem Mahomet. & Caluiniani oĩa à Deo prædestinari & fieri, nec posse aliter euenire: & liberũ arbitriũ esse titulũ in nobis sine re. Stoici verò dicunt Deum oĩa prædestinare, facere, & prouidere: sed quæ ad liberũ arbitriũ spectant, tantummodo permittere, & Pelagiani his assentiũtur. Christiani a. Catholici etiã quę ad liberũ arbitriũ spectãt prouidẽtiæ subiiciũt diuinę: sed alij aliter. siquidẽ quæ spectãt ad actus liberos, oĩa à Deo fieri & prædestinari docẽt, non a. quæ

ad deficientias, & deformitates actuum: quorum solummodo est permissio, & ordinatio. Ergo peccauit Adam, & peccant homines, Deo permittente, & ordinante peccatum ad sui gloriam in punitione iusta, eius potentiam manifestante: non autem faciente, nisi actum Physicum subtratum peccatis moralibus. Alij vero, & hunc actum permitti solum putant, & non fieri à Deo immediatè. Alij etiam mortes sequutas ex primo peccato, permitti volunt, non fieri: Ergo multo minus suffocationes hominum in mari, & à Dæmone, & clades, & pestes. Ad quos sequitur, quod neque casus in arte, & natura à Deo sint, nisi defectu secundarum causarum, à Deo non perpetrato. Et cum Christus dixit, quod nec passer cadit absque voluntate Patris in laqueum: hi exponunt absque scientia Patris. Alij dicunt, quod quamuis mors sit sequuta ex peccato, non tamen contra Naturam: quæ impediebatur ab originali iustitia ne fieret: qua sublata per peccatum facta est mors ex elementorum naturali dissidio; & sic omnes mortes, & hominum, & brutorum, & elementorum pugnas volunt fieri secundum Naturam. Etenim corruptiones esse propter generationes: & mortem pecudis ob vitam lupi, & à Deo Physicè concurrente in generatiuis, destructiuis, Physicis, & Moralibus fieri, & gubernari, defectus autem solos permitti.

Nos autem probauimus in secunda Parte, diuinam prouidentiam, prædestinationem, & concursum ad omnia. Et quoniam quædam solummodo ordinantur à Deo vt non Entia, & nihilitates adnexas Physicis & Moralibus. Entia vero fieri & ordinari, omnesque Entitates. Neque ad supernaturalia efficaciam auxilij diuini in nobis esse à nobis nisi meritoriè ex primo auxilio aliquando, cum sumus nostri compotes: sed à Deo semper esse effectiuè, & in nobis, & infantibus, prout in Theologicis demonstrauimus. Et quomodo ad mortes physicas concurrit Deus, vt ordinator, & actor cum causis agentibus: cum passiuis vero tantummodo, vt ordinator. Neque enim quicquam pati Deus, aut nihilitat s rerum fieri particeps, ob sui infinitam potentiam habet. Quod autem à Deo ordinentur, manifestat mirificus vsus horum defectuum, & ipsius nihili, quo res distinguuntur, & constant in suis existentiis. Quod vero propter melius permittatur, quæ videntur casualia præter intentionem fieri, manifestat euentus, à gubernatore institutus. Nam & monstra, & florum casus mirabilem habent vsum, tam ad potestatiui, quam ad cognoscitiui, quam ad volitiui exercitium, & occasiones, & distinctiones, & varietatem rerum ex eis deductam, vt dictum est in secunda Parte. In artibus quoque valet casus olei in vestimentum vt simus diligentiores, & antidoti inuestigatores, ac per hoc rerum Naturæ ad quid valeat doctiores, & ad repræhensionem mutuam, & mutationem cogitationum, & actionum, & naturarum alterationem, & ingeniorum. Similiter peccata moralia ad huiusmodi multa valent in Repub. vt semitoni ad pulcherrimam varietatem: & commendationem libertatis nostræ, & iustitiæ humanæ, ac diuinæ: ad studium contra mala; & vt dicebat Lactantius, neque virtus subsistet sublatis malis. Potius autem dicerem, nec declarabitur. Nam diuus Thomas etiam mundum meliorem futurum fuisse sine malis culpæ Moralibus: non autem sine Physicis, nempe corruptione, & pugna. Mala enim physica sunt ordinabilia ad maius vel æquale bonum: & ideo permissa volitaque per accidens, quoniam sunt contra bonum particulare tantum. Mala autem moralia cum sint contra Deum bonum vniuersale, non sunt ordinabilia ad maius, vel æquè bonum, vel minus: & ideo non sunt volita à Deo per se, nec per accidens. Sed permissa physicè, permissione cadente super conditione hominis in libertate, vt faciat quidquid vult: etiam quæ lege in omni Deus vetat, non.a. permittit vnquam legaliter permissione cadente super actus malos, vt sic. Quod autem deinde vertantur in bonum aliquod vel minus: hoc fit à Deo miraculosè benignissimo ac potentissimo, non ab ordinabilitate mali. Item, prosunt Deo mirificante nobis mala iterum. Neque enim si ista putaremus non esse mala, inuestigaremus virtutē, & virtutū parentē Deum. Peccata etiam contra Deum, non indicant diuinam imbecillitatem ad cohibendum ea, exque suis operibus eradicandum: sed admonent nos nostræ libertatis, & inuestigationem Dei fontis bonorum pariunt, & vnde sint mala ac bona: & tandem misericordias Dei ad tolerandum & purgandum crimina, & remedia. Vnde S. Greg. *O certe necessarium* (canit) *Adæ peccatum: nihil enim nobis nasci profuit, nisi & redimi profuisset. O fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Vnde videmus mundorum ad inuicem copulationem per hos defectus etiam fieri. Egrediuntur enim Mentes ab Archetypo ad Mathematicum, & corporalem mundum: & ingrediuntur ex corporali in mentalem ad Archetypum per plures vias: quarum occasiones sunt isti defectus. Nec enim indigeret gubernatore ciuitas si in sua institutione prima perpetuo perseueraret. Neque nauis magistro, & nautis, si ad destinatum portum per se iret: neque à ventis, & vndis, neque à propria stupiditate, vel imperitia timeret. Ratio ergo gubernationis ad finem est ex rerum deficientia: similiter etiam copulationis nobiliorum cum vilioribus rebus. Indigent enim hæc illis, vt seruentur ad finem: illæ vero his vel ad defectus proprios resarciendos, vt homo cibo, vel ad gloriam & beneficentiam effundendam, vt orator auditoribus, & diues pauperibus, at Diabolus cultoribus ad falsam gloriam. Æqualibus vero vt simul conseruentur ex coexistentia.

De præscientia, prouidentia, prædestinatione, electione, reprobatione, gubernatione, communes notitiæ, &c.

PRæscire est antequam sint res videre, vel in suis causis, vti Astrologus Eclypsim, & politicus bellum: vel etiam in sua simul existentia vt Deus: cuius præscire non est verè ante scire nisi ad sensum nostrum, cum in Deo non sint ante nec post: sed supra scire. Etenim æternitatis cacumen habet vnicum intuitum ad præterita & futura, vt præsentia, sicut dictum est in 2. P. Præscire autem infallibilitatem quidem, sed nullam in rebus ponit necessitatem, neque Entitatem, sed positam, vel ponendam videt. Est enim opus solius cognoscitiui: neque velle seu amare ponit, neque præuelle, sed visam positam, vel ponendam præsupponit, neque posse ponit aliquid

in re,sed in ipso potestatiuo,actiuo,& passiuo. Acti o autem ponit in re, quoniam effundit extra se quod intus erat: vel multiplicat:omnes autem primalitates concurrunt ad actionem: voluntas vt inclinans ad illum, scientia vt dirigens,potestas vt imperans: & simul subinde exequens. Actio ergo est propter finem proprium vel alienum edere ponereque in existentia simpliciter, vt cum calor calorem producit: vel in existentia secundum quid, vt cum reponit lapidem de pariete in Plateam homo: occasionem dat vt aliquis existentiæ modus nouus accedat. Sicut cum præcipit mulieri vir vt se lauet. Ad quam actionem complures actus,& actiones & passiones comperiuntur, & manuum,& aquæ & faciei & aëris intermisti:multa enim sunt media ad actionem finalem:& qui hæc nouit & ordinauit,dicitur prouidere. Sed profecto prouidentia præponit voluntatem finis, cum scientia directiua ad finem: deinde sequitur mediorum apparatus.

Igitur prouidentia addit supra præscientiam finis & rerum, quæ possunt ad finem valere,dispositionem & ordinationem mediorum. Qui enim vult scribere, prouidet sibi chartam,& pennam aptat,& atramentum conficit,& atramentarium,in quo seruetur: & adhuc plures actiones & artes requiruntur, quas ciuitatis prouidentia portat gubernationis ergo.

Prædestinatio autem est rei alicuius ad finem, quam cognouit quis aptam illi fini, vel fac aptam, impulsus ac directio simul. Quam Theologi restringunt ad directionem hominum & Angelorum in vitam æternam Supernaturalem:licet sit ad omnia præscriptio. Nec formaliter est pars prouidentiæ vt quidam dicunt sed extensiuè, quatenus prouidentia,qua parat media,complectitur prius prædestinationem: vel forsan prædestinatio voluntatis consequentis præscientiam euentorum disponit aliter de fine, quam prius:vt post culpam Adę prædestinatio aliter se habet ac prius:& hoc ex prouidentia secundaria etiam.

Reprobatio vero est à fine,ad quē præcognoscitur spōtè ineptum quid,præcisio,derelictioq; :& opponitur electioni, non prædestinationi, vtraque enim meritum & demeritum præsupponit præuisum: prædestinatio autem prima non præsupponit merita sed facit res ad finem. Vnde antè peccatum Adæ omnes prædestinati erant, post peccatum vero facta est electio, & reprobatio, vt diximus in Theol. prout se quisque(auxiliante Deo) mundauit, vel non mundauit per remedium diuinitus datum, vt fiat vas vtile cooperando gratiæ Dei certam faceret suam vocationem. Sed prædestinatio paternalis præcedens præuisionem meritorum & demeritorum, semper est ad bonum obiectum voluntatis primarium: vt qui prædestinat merces ad nundinas propter lucrum, & filios ad hæreditatem. Sed sequens præuisionem non est ad bonum primarium, vt qui merces proiicit in mare propter vitam, & filios ad furcam ob salutem Reipublicæ, quod antecedente voluntate nolebat: sed consequenti præuisionem incorrigibilitatis vult.

Prima voluntas & prædestinatio est potior simpliciter in intentione: quoniam ad bonum totale. Secunda vero in executione, & ad partiale. Quæ primitus est secundum quid, vt notat S. Tho. Epist. Rom. Chrysost. Hom. 1. ad Ephes. Damas. 2. Fid. Ort. 29. Ergo scientia est omnium rerum siue bonarum, siue malarum præsentium, absentium, præteritarum,& futurarum, finis, & eorum, quæ ad finem bonorum & malorum conferentium, & impedientium.

Præscientia vero est respectu futurorum tantum, sed eorumdem,quorum scientia. Et quidem in Deo est idem quod scientia, quoniam nihil fururum est illi: sed respectu causarum,in quibus simul cognoscuntur, dicuntur præsciri, & respectu nostri. Prouidentia vero dicitur futurorum cognitio, finis scilicet & eorum, quæ ad finem cum præparatione mediorum non autem cum infallibi euentu: hoc enim ad gubernationem spectat:vt diuus Thom. in quæstionib. disp.

Prædestinatio quando sortitura est effectum, quem nostram iuuant merita, videtur addere certam electionem voluntatis, cum præparatione mediorum, & gubernationem, donec ad finem accedat prædestinata res, siue bonum siue malum. Sed profecto nunquam ad malum, quo malum, res vlla ab vlla causa prædestinatur. Non enim finalis causa vlla est mala, ad cuius malitiam agens respiciat, dirigatque, licet admistum habeat malum. Et hoc solum cum res non est propter se, neque propter Deum, sed tanquam medium ad bonum aliorum. Ergo Deus sapientissimus & optimus nunquam prædestinat ad malum vti nos:malum enim est defectus boni, & deuiatio à fine, præscripto à causa agente: quæ deuiatio de se non habet causam agentem, sed deficientem: ergo nec finalem, cum sit defectus à fine. Licet Deus faciat, vt sit occasio ad aliud bonum, deinde per miraculum in Moralibus.

Gubernatio autem est per media certa ad finem certum deducere: Prout voluntas antecedens præuisionem & voluntas consequens, quarum nulla est ad malum vt malum, vna cum sapientiæ consilio deliberat. Ergo antecedens. Prædestinatio non habet causam neque occasionem extra prædestinantem: electio vero, & reprobatio à mediis, vel à fine vtique habet occasionem modo præscitam extra in his quæ liberè ducuntur ad finem.

Res viliores esse gratia meliorum, & ab his gubernari, & corpus gratia animæ. Ergo mundum corporalem gratia mentalis: mentem autem Archetypi, à quo habent omnes colligationem, & gubernationem, & ad quem sunt.

ARTICVLVS III.

Videntur quidem res viliores esse propter meliores. Ergo mundus corporeus est propter propter mentalem: hi enim duo habent proprium aliquod esse. Mundus enim materialis non est nisi propter situalem,& situalis est illius ornamentum. Diuisimus tamen mundum materialem à situali, vt

intelligeremus situm non esse essentiatiuum rerum ita, vt non sit tellus, nisi in suo situ tellus, neque ignis nisi in hac peripheria: & quomodo propensiones contrariæ pariunt difficultatem mouentibus & mobilibus. Cæterum idem vnusque est mundus materialis & situalis & iste illius ornatus.

Quapropter licet ille prior sit, non tamen istum gubernat, dirigitque ad proprium finem: sed solummodo basim existentiæ, & coessentiationem præbet. Vtrum autem mundus materialis sit propter Mathematicum, ægrè nouimus, etenim Mathematicus videtur quidem prior vt basis huius, non vt dirigens hunc gubernansque propter se: & tamen gaudet continere hunc vti & materia formas: & propter se inuicem ista tria videntur esse & copulari mutuis emolumentis. Dant enim alij basim existentiæ, alij ornatũ suis basibus, & complementum. Hæc tamen omnia videntur esse propter Mentalem Mundum, à quo reguntur, sicuti omnia corpora nostra à nostris animabus. Copulantur quidem symbolis Entitatibus. Etenim materia formis dat existentiæ locum. Formæ autem materiæ ornatum, & similes sunt illi istæ per formas materiales. Absque enim figuris, dilatationibus, constrictionibus, & numeris, diuisionibusque, quibus materia formis assimilatur, per formas nimirum materiales immaterialibus, non fieret copula. Neque materia spatio vniretur, nisi per dimensiones, in vtrisque consimillimas: sed ibi corporaliter, hic incorporaliter sese commensurantes mutuò At neque mens Mathematico & corporali mundo vniretur, nisi in his etiam tincturas veluti primalitatum propriarum agnosceret. Copulantur autem Archetypo per appræhensionem potestatiui, per cognoscitiui visionem, & volitiui desiderium. Ideæ autem Archetypi mundi maximè sunt causa copulationis mentium & aliorum mundorum ob similitudinem ex eis portensam vsque ad corpora, corporumque formas. Manifestat autem hoc nedum natura, sibi in cunctis systematis consimilis; sed etiam Ars. Quandoquidem nihil ipsa facit, quin & natura ipsam imitetur. Videmus enim piscem catenam, & loricam, & Episcopum, similes catenis & Loricis, & Episcopis, arte humana prius factis: & sepias & pileos & nouaculam marinam, similes atramentario & pileo & nouaculæ artis. Idem in herbis & lapidibus experiere. Non absque admiratione nuper vidimus herbam repræsentantem totam Christi passionem, in foliis crucem, in floribus clauos tres ex centro egredientes: in limbo coronam spineam, in stipite lanceas: ex internodiis vero funes, quibus ligatus fuit Christus, exeuntes: & nuper in Germania natus est puer cum corona spinea, & stigmatibus Christi. Vnde vis ideatiua, & imaginatiua toti naturæ indita, videtur copulans formansque res omnes, neque enim casu res vllæ fiunt, sed prius præconcipiente virtute artificiosissima vitali res omnes permeante, & ideante vt Gregorius Nyssenus monet: ex illa nimirum Sapientia, quæ omnium est artifex, omnem habens virtutem, attingente à fine vsque ad finem fortiter, & disponente omnia suauiter, vt ait Salomon: & ex illo spiritu, quo emisso omnia creantur, & renouatur facies terræ: & quo ablato, deficiunt, sicut Dauid canebat. Igitur mundus mentalis regitur à mundo Archetypo propter ipsius Archetypi gloriam, non propter indigentiam, sed propter indigentiam mentalis: Mentalis autem ob sui gloriam non propter indigentiam regit corporalem; gloria autem est facere, & causando Deum imitari; omne ergo posterius ad prius ordinatur, & à priori regitur: omne autem prius ad primum & à primo.

Sap. 8.

Psal. 103.

Distinctio Angelorum assistentium, & ministrantium, & de ipsorum officiis sigillatim, & num aliqui cadere possint, qui mundo Archetypo adsistunt, & vtrum sint tot gradus inter supremum Angelum, & Deum, quot inter infimam creaturam, & nihilum.

CAP. II. ARTIC. I.

PROPTEREA igitur Daniel vidit alios Angelos assistentes Deo, alios vero ministrantes: adsistunt enim contemplando in Archetypo arcana deitatis: ministrant exprimendo ea in corporali mundo. Adsistunt dum reguntur: ministrant dum regunt. Cum vero ministrant non impediuntur à contemplando, quoniam contemplatio est regula ministerij, & prout vident, ita operantur, vt D. Thomas & Iamblicus etiam docuere. Sed profectò quorum nomina non dicunt respectum ad exteriora, sed primalitates tantum vt à Deo sunt, illi dicendi sunt assistere, idest, Seraphim, Cherubim, & Throni: quorum est Deo inhærere per amorem, per scientiam & per potentiam. In Throno enim diuina maiestas sedet, iudicat, quiescit. Dominationes autem videntur ministrare: dominari enim super quoscunque est respectiuum ad subditos. Virtutem quoque est operari potestatum pugnare contra aduersarios, & custodire suos. Principatuum est primum esse in operibus gubernationem exequentium. Archangelum est esse principalem inter missos ad operãdum iuxta iussiones diuinas. Angelum vero est simpliciter in ministerium mitti: Dominationes ergo Monarchæ sunt ac reges independentes ab omni ministrante: dependentes autem solum ab adsistentibus, præsertim à Thronis, in quibus iudicantur quæ sunt agenda decretis diuinis. Dominationes vero imperant quæ iudicata sunt: Virtutes exequuntur: Potestates tollunt impedimẽta: Principatus operantibus præsunt: Archangeli dirigunt opifices. Angeli operantur tanquam ministri infimi erga singularia.

Igitur Seraphim, Cherubin, & Throni, in his quæ in mundo Archetypo sunt, occupantur. Sunt autem

in Archetypo infinita, quæ ipsi apprehendunt, non tamen comprehendunt. Discurrunt ergo ad infinitum ex his, quæ intuentur. Intuitus enim ipsorum non potest ad infinita extendi, sicuti neque intuitus noster ad totum cœlum, & ostreæ ad totum mare.

Omnis autem intuitus in Deum non est beatificus supernaturaliter nisi sit per auxilium primi ordinis, eleuans ad ingressum gaudiorum Domini: beat tamen absque tanto auxilio naturaliter, sicuti maximum bonum. Experimur enim quod omne bonum, etiam paruum, apprehensum vt bonum, aliquod gaudium parit, quoniam à fonte vitæ, vnde egreditur fluuius voluptatis, teste Dauid, stillicidium aliquod habet. In hac autem visione & assistentia, omnia norunt quæcunque cæteri Angeli, & insuper multa & plus innumerabiliter. At simul ordinant: propterea que purgant, illuminant, & perficiunt Angelos sequentis Hierarchiæ, & ad operandum in exteriori Mundo ritè mouēt. Et comparantur in Repub. statui Religiosorum, qui contemplantur agenda & docent. Qui vero sunt in secunda Hierarchia comparantur statui Ducum & Regum, qui præcipiunt de agendis, & cum subditis simul agunt. Qui vero sunt in tertia, similes sunt militibus, & opificibus, & custodibus ciuitatum. Non enim fit aliquid in Mundo exteriori, nisi ad exemplar interioris, sicut dixit Dominus ad Moysen. Vnde neque nos, qui Mundos repræsentamus, facimus aliquid extrinsecus, quod intus in corpore nostro non prius fiat, sicuti sæpè in Physicis declaratum est. Ratio autem ordinis inter omnia est, vt infimum supremi attingat supremum infimi, & è conuerso.

Non est autem nostrum dicere, quod in mundo hoc Angelico operetur Mundus Archetypus, cum à longe & ab extrinsecis ianuis id olfaciamus. Nec quid operentur ipsi vitalibus actibus erga Archetypum Angeli. Nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ cum illis facit Deus supernaturaliter. Nec quæ secundum rationem dantis & accipientis physicè. Nec puto eos qui semel gustauerunt, posse amittere tantum bonum, vt putat Plato in Phedro: neque enim ignorantia ibi esse potest, neque quid melius optandum in his, qui beantur supra naturam ipsorum. Qui autem dicuntur peccasse, non supra naturam adhuc beati erant: sed bonum quod habebant sibi adscribendo, & quasi à se volendo, vel propriis viribus, quamuis à Deo datis, Pelagiano more, quod acquirere supernaturaliter poterant, se consequuturos affirmando, cadere meruerunt, dum equi, id est, concupiscibilis & irascibilis non probè currum Rationis sectantur, opinabilium pastu deprauati.

Retinent autem & nunc superbiam illam. Vnde & diuinum sibi affectant cultum, procurantque, vt Magi omnes norunt; cum tamen non ignorent sese nihil habere quod non acceperint. Et hoc Plato probat cum à Ioue sequendo auersos fuisse aurigas curruū scribit. Theologi autem plurimi putant non cecidisse Angelos de prima Hierarchia Cum enim assistant, nihil habeant extrorsum tam spectabile in quod inclinarent, auerterenturque à Deo. Dei enim visio & amor, omnia vera, & omnia bona in se habet. Nulla etiam auersio ab incommutabili bono fieri potest, nisi præcedat ad bonum minus conuersio, vt etiam Plato probat, dum per conuersionem ad opinabilia ex intuitu verorum, vel per equorum turbationem, qui sunt ira & cupiditas, frangi Alas sequentium in Paradiso Iouem, & cadere propter hoc in Mundum corporalem, docet. Qui autem de illis primis cecidisse volunt Angelos, quibus fauet Iob, qui principium viarum Domini vocat Leuiathan, nisi contendamus, vias non quasque, sed ad exteriorem Mundum post Angelicum ibi intelligi, ij dicere habent, vel cum Lactantio, quod inuiderunt Verbo diuinitatem & primatum: quod nobis impossibile videtur: inuidia enim non erigitur ad valdè excedentem & infinitam virtutem. Vel quod hominis in Verbo vnionem, quemadmodum Bernard coniecturat, vel sapientiam imponendi nomina rebus, datam homini, clam ipsis, vt fabulatur Mahometus; propterea que iussi sint hominem adorare: quod recusantes, cecidere. Quæ narratio est erronea: nec enim Deus ita illudit suis ministris: neque quod præstare non poterant, erat in eis culpabile; neque propterea homini subiiciēdi erant: vel quod ad nullum bonum, cum essent adsistentes, conuerti poterant, quod esset occasio auersionis à Deo, nisi bonum proprium propriaque natura, quam plusquam decet & supra Deum amando auersionem incurrerunt. Proprium autem bonum erat natura gloriosis gradibus primalitatum prædita: & superioritas super Angelos subsequentium Hierarchiarum: non tamen hæc amatur supra Deum summum bonum amore innato, cum perfectissimè noscatur. Ergo opinione decepti sic se amauere, vt caderent vt Plato monet: ergo non cadent, qui perfectè & non opinabiliter cuncta norunt beatificati.

Quis autem enarrabit quantis distat numeris & gradibus naturaliter à diuinitate? & an quantum distant Entia nostra à nihilo? Videmus enim species rerum & genera secundum accessum & recessum à summo Ente distingui: & sicuti sunt gradus incorporalibus, quorum primum, infimumque obtinet tellus: secundum lapis: tertium Planta. quartum animal: quintum homo; & inter animalia sunt gradus à lende per spongiam, per ostream, per Echinum, per lumbricum, per cimicem, per colubrum, per murem, per bufonem, per felem, per canem, per asinū, per equum, per Camelum, per Elephantum, per Aquilam, & cætera vsque ad hominem. In cuius specie sunt gradus, & quasi innumeri, sicut & in speciebus aliorum generum: Ita quoque in Angelis esse oportet.

Quapropter quærendum, quisnam ipsorum propinquissimus Deo? & quantum distat ab eo, vt possit affectare aliquo iure deitatem? profectò nullus est finis graduum inter supremum Angelum atque Deum. Neque enim res vlla apud nos nascens à sole genita soli videtur propinqua aliquo apparenti gradu, excepto igne. Qui tamen soli comparatus, est nihil. Quis autem numerabit, quantum inter finitum, & infinitum intersit? puto igitur, quod propinquiores sunt res omnes nihilo, quam Enti summo Deo: & enim motus est propè nihil: & atomum corpusculum. At Angelus nullus est propè Deum nisi respectiuè, & quamuis nihilum ab Ente distat sine fine: tamen cum secunda Entia ex infinito nihilo & finita Entitate constent, propinquiora sunt nihilo: & ideo caduca omnia: & ideo minus amabilia quam bonum infinitum Deus, vbi anima non desipit extra eius intuitum posita.

Qua

Qua ratione Necessitas, Fatum, & Harmonia, antequam effluant in ministros, & in Mundum corporeum, præinsunt in mentali assistentium, attributa Thronis, Cherubinis, & Seraphinis. Item, ministros ex ministerio lucrari apud Deum, & quod conueniat ipsis ad motum & quietem artificiosa agere corpora, & ad transmutationem & formationem per influxus magnos, quamuis ipsi non dent formas, nec transmutent propria vi.

ARTIC. II.

IGITVR primorum Angelorum est regi à Mundo Archetypo, & regere mundum Angelicum: per eos enim ac hos influentia diuina promanat: & per Thronos Necessitas Entitatis & operationis, & coëxistentiæ: per Cherubinos Fatum siue series, & coordinatio ipsorum inter se, & ad inferiora Deo fante intelligunt, & effundunt: per Seraphinos vero Harmonia & concentus ipsorum inter se, & ad inferiores, & ad Deum tractatur: & hoc incorporali ratione: ex qua ad corporalem mundum deferuntur ob egressum, & cum egressu mentalis ad corporalem, mittente Archetypo verbo. Et quoniam missio diuina non est violenta vnquam: ergo cum voluptate: ergo cum emolumento missorum: ergo in hac missione, qui dicuntur ministrare, beatitatis partem habent: dum scilicet essentiæ participio participium etiam causationis adiungunt. Quidquid ergo non faciunt corpora, neque corporum vires calor & frigus per se in natura, illud efficiunt Angeli in hac egressione. Dixit enim D. Iesus, *Quod ingrediuntur, & egrediuntur, & pascua*, quibus in beatitate seruantur, *inueniunt*.

Pertinent autem ad mentalem mundum & Angeli & animæ humanæ: nec propterea sunt eiusdem speciei cum Angelis, sicut putat Origenes. Gradibus enim specificis differunt, proptereaque istæ in corpora illabuntur, illi vero in incorporeis permanent. Ergo mentes corporatæ sunt in causa, vt Angeli egrediantur tanquam ad cognatas res, ipsarumque curam gerant. Nec quidem per dissimillima omnino fit egressio, idcirco tincturis primalitatum, tanquam viam parantibus, omnia corpora decorantur.

Quemadmodum & mentes humanæ corporibus per vias stratas primalitatibus spiritus: spiritus autem per sanguinem corpulentiæ colligatur.

Inuenimus quidem corporibus motum & quietem ac simul artificium & rationem, qua mouentur ad certos fines, quos ipsa non amant, vt cum planta facit fructus propter hominem, dum propter se laborat: inueniuntur, & pugnæ inter contraria, vsquequaque effusis agentia viribus in inuicem, vt sibi quodque parent regnum; dumque hoc faciunt in rationabilem modificantur productionem, itaut mirere quomodo in stercore vermes tanta ratione fiant, & vbique res omnes miro artificio, etiam vbi nulla prouidentia inesse videri quasi debebat. Ergo & ad motum, & ad pugnam, quatenus effectum cum ratione sortiuntur, corpora ab intelligentiis aguntur. Vnde sanctus Augustinus administrari à Deo corpora per spiritus existimauit, & corpora crassiora per subtiliora: At quidem instrumentaliter. August. enim docet solum Deum agere, & non agi, sola corpora, quo corpora agi, & non agere. Angelos vero agere & agi.

At quidem non modo rationem mouendorum esse ab Angelis, & faciendorum, sed ipsas formas, videtur Auicebronti. Non enim forma contracta in materiam indiuidualem potest multiplicari, cum incommunicabiliter subsistat eadem numero: neque specie: non enim ab indiuiduo: neque potest esse plusquam est indiuiduum: igitur à spirituali vi formæ in corporibus imprimuntur. Et Auicen. & Plato, & Trismegistus, formas ab incorporea intelligente anima effluere statuunt: quod Aphrod. & Themistius, & Simplicius, aliquando probarunt cum intellectum actiuum faciunt Deum, vt in quæstionibus Philosophicis declarauimus. Nos autem formationem rationabilem ab Angelis facimus iuxta ideas, quas de Mundo Archetypo in corporalem deferunt, sigillantque per secundorum corporum formas, actas Necessitate, Fato, & Harmonia.

Et quoniam omnia motu conficiuntur delectiuo virtutum, distribuere licet iam gubernatum Angelicum sigillatim. Vtrum autem mali Dæmones formationibus rerum præsint sub ducatu bonorum; quemadmodum Platonici plures asserunt, inquirentes dubitauimus: maximè autem Muscarum, Culicum, Colubrorum, & earum, quæ Naturæ obsunt humanæ: Nec visum est absurdum eos Ministros etiam in his facere tanquam colligentes materialia, & tanquam formantes: cum ideas in Deo non intueantur. Et gaudere in eo ministerio, quo nobis aduersantes res producuntur à Deo per ministerium bonorum: vnde Belzebub forsan ex hoc ministerio rex muscarum interpretatur.

Vnum ex Dominationibus systemata mundialia omnia regere, tanquam Dei Vicarium, sydera centralia prima singula singulis Dominationibus gubernari. Horum Planetas Virtutibus; horum Lunas Potestatibus. Corpora vero elementaria ab eisdem, & à Principatibus, & Archangelis, & Angelis: & singulas species rerum in eis ab iisdem, & indiuidua quomodo.

ARTICVLVS III.

PROFECTO si vnus est Mundus, & Deus, pro Maiestate vtitur Ministris, oportet vnam intelligentiam toti Mundo præsidere, quam veteres vocauerunt Animam Mundi, præsertim Platonici, & sanctus Basilius, & Greg. Nyssenus, & Augustinus. Hanc autem puto esse vnum ex Dominationibus, vltimum erga secundam Hierarchiam. Hic quidem Dominatio non alicui corpori magno, vt cælo, vel soli, vel terræ, adsistit, sed totum complet spatium Mathematicum, basim corporum omnium substentatiuam & rationabiliter. Siquidem spatium omnia implet & penetrat corpora: & vnitas deitatis per vicariam vnitatem regit non autem ex templo per plurimas, vt seruetur ordo Monarchicus, diuinæ vnitatis repræsentatiuus. Vnde Philosophi doctiores vnum intellectum præficiunt cunctis corporibus: rudiores vero plures absque ordine ad vnum, sicuti si rex in vno regno suo à se distante, qualis est mundus corporeus in regione dissimilitudinis, præponeret iudices in singulis ciuitatibus absque Prorege vno.

Si autem plures sunt mundi, vt Democraticis, & Pythagoricis interdum apparet: tunc etiam Mentē vnam sui ministram Deus dictis mundis præfecerit. Omnes enim isti mundi sub vno ambitu contineantur oportet, si ab vno sunt Deo: ergo & ab vno vicario Dei. At quomodo vna mens tot corpora magna regat, cum sphæra actiuitatis Angelorum vnum mundum non complectatur, nec possit simul idem Angelus esse in cælo & in terra? Sed forsan est in toto spatio ambiente cælum & terram: vel si in vna parte per se per ministros extet in cæteris, sicuti Papa Romæ adsistens per Episcopos vbique terrarum totum gubernat Christianum orbem, & profecto nulla Resp. neque regnum tam belle gubernatum mundi repræsentat, sicut Ecclesia Christi. Sed quod compleat spatium facilius coniecturo. Non enim Dominationes, & primæ Hierarchiæ Angeli, sphæram actiuitatis habent quantulam ministri inferiores, sed longè maiorem. Trismegistus autem putat mundum esse in mente aliqua, & spatium pro mente ponit. Quod tamen non satis probatur, cum basis corporum sit. Disputauimus de hoc in 2. P. contra eos, qui spatium faciunt Deum. Siue autem sint mundi alij, siue quodlibet sidus sit mundus vnus, profecto oportet distribuere suos singulis Dominationes. Cum enim compertum sit plura sydera parua circa magna circumferri, & iterum circa parua alia minora: consequens est, vt gradatim regnent Angeli. Et in mundo nostro, quod constat ex Sole & Venere & Mercurio & Tellure & Marte, & Ioue, & Saturno, solem circundantibus, à quo conuertuntur in suos gyros, solis radiorum effluxionibus, & spatio, vbicunque tangunt, quidquid tangunt, conuertentibus quorsum ipse se conuertit Sol: vtique ordo est, vt in Sole ipso vnus Angelus vocatus Dominatio principetur. In stellis vero errantibus circa Solem intra certos terminos, prout medietas disci solaris, quæ porrecta foras plus mouere potest, quam partes obliquæ & laterales, cunctis scilicet Planetis dictis sigillatim cuilibet suus vnus adsistat Virtus. Vnde Iesus de Nouissimis temporibus loquens dixit: *virtutes cælorum mouebuntur*: virtus ergo à Dominatione regulatur in existentiis, sicut facultas à primalitate in rerum essentiis. At Planetarum Planetis, quales sunt quatuor Medicei in Iouis systemate, & duo in Saturnio, & Luna in Tellure, & alij inuisibiles, sicut existimare cōuenit, circa Martem & circa Venerem, & circa Mercurium, aliquando nobis, sicut & illi nuper manifestandi, dabimus vnicuique suam Potestatem: & quamuis Potestatis sit coërcere hostiles Dæmones: nihilominus ab hoc munere gubernationis non sunt exempti primores eorum: & cum depellant lunulæ istæ tenebras Planetarum, & in tenebris potentiæ hostiles latitent, vt dixit Iesus, non ineptè in his ministrant Potestates.

Porrò inter systemata hæc parua insunt Tellus & Ignis, corpora prima: & in his Virtutes in esse conseruantes magnorum corporum, intelligimus: & præter Virtutes adhuc insuper Potestates aduersus cacodæmones, & insuper Principatus & Archangelos & Angelos; etenim & secunda corpora magna in quib. aliquæ vniuersitates animatæ seruātur, habent suas virtutes, & potestates, & principatus & Angelos. Nam Apostolus horum inspector principatus & potestates aëris agnoscit, & Deum huius aëris, qui forsan est primus cacodæmon: & cum corporum vbique sint mali Angeli, & bonos in esse censendum est ad ipsorum expugnationem, & correctionem.

Post hos sunt Angeli generationi, & mutationi rerum adsistentes, tanquam opifices. Et quidem cuilibet speciei vnum assignauerunt Platonici, & Christiani Theologi: & inter hos quasi præcedunt Archangeli tanquam magistri opificum dictorum. Supra Archangelos vero principantur qui propriè Principatus vocantur: hi regunt causationes & necessitatis influxum inter eos. Archangeli vero ordinem Causatiuum & Fatum, quo coordinantur. Angeli exequutur harmonicè iuxta præfixas ideas ad certos fines in cunctis generibus & speciebus.

Singulos homines, à singulis Angelis, vltra speciei Angelum, gubernari: & Mundum humanum repræsentare omnes Mundos, & ipsorum gubernatum. Ergo Angelus speciei humanæ respondens Angelo omnium Systematum, requirit hominem vnum, Principem totius generis humani, qui à Christo restituitur, cum propter peccata hominum diuersitas Principatuum, & Sectarum, non ab vno pendentium, introducta fuerit. Et quis ordo Angelorum regnis hominum, quis Prouinciis, quis Ciuitatibus, quis Congregationibus, & Sectis præsit, & horum rectores homines duplici custodia gaudere. Et omnis cetus partitur in Religiosos, & Rectores, & Opifices, tribus Hierarchiis Angelorum correspondentes.

ARTICVLVS IV.

VErumenimuero quoniam omnes species rerum inferiorum videntur esse propter homines, non abs re docuere Theologi cuique homini Angelum custodem vnum adesse præter Angelum speciei: quod non modo Iesus reuelauit, cum dixit: *Angelos puerorum semper videre faciem patris*: sed etiam antiquitas contestatur de Geniis. Vnde Socrates sui Genij seu custodis Angeli increpationes & admonitiones sentire sese dictitat, apud Platonem & Xenophontem. Brutus etiam à proprio Genio præmonebatur. Stoici, & Platonici idem profitetur & Trismegistus. Nos autem etiam proprio nomine vocati à custode Angelo imminentia mala præmonente, edocemur. De bonis autem instruimur certis instigationibus, quas nemo in se non aduertit. Vocibus enim circa hoc parum indigemus. Sancti viri doctissimi inter Christianos id etiam quotidie probant: vt nullatenus dubitare viro rationali amplius sit. Cum præterea de Mentalis Mundi substantiis in corporibus humanis hospitentur: profecto æquum est, vt egrediantur Angeli ad harum custodiã, & gubernatum, donec ad Mentalẽ Mundũ reuertantur, diuisum inassistentes & ministrãtes, donec perficiatur opus Dei. Et quoniam Epilogus Mundi est homo non corporalis modi, sed etiã mentalis: quidquid enim in eis est, continet in se homo: consequens est, vt humanæ speciei gubernatio repræsentet totius Mundi gubernationem. Ergo quoniam vnus erat Mundus subditus Deo, omniaque eueniebant secundum præfixum ordinem ab exordio rerum: cadente autem homine in à Deo auersionem, res cunctæ, quasi à proprio originali decore desciuerunt, vt etiã probat S. Clemens, & Chrysost. regimen totius generis humani ab vno omniũ Patre simul rege ac sacerdote diuisum est. Et sicut dicit Salomon. *Propter peccata terræ multi principes eius*. Idcirco nõ ab vno homine Dei Vicario regitur totum, vti æquum erat, genus nostrum. Principatus ergo diuisi sunt inter homines: sed adhuc remanet vnus Princeps Angelus totius humani generis, non autem vnus homo Princeps, erit tamen aliquando, vti speramus. Nam Papam vnum restituit Christus, vt in libro de Monarchia Messiæ probatum est. Quot autem sunt Principes terræ, tot etiam sunt Principatus Angelici: vnde apud Danielem Angelus regni Persarum introducitur resistens Angelo regni Iudæorum. Sub Angelo, Principatu dicto, vnius regni quasi sub vna dominatione militant plures Archangeli, præfecti Prouinciis eiusdem Regni vel Ciuitatibus: & omnibus congregationibus, siue religiosorum, siue laicorum præsidet Archangelus vnus. Quapropter Rex, & Princeps, & Comes, & iudex Ciuitatis, & Dux militiæ, & Magister generalis vnius religionis, vel ordinis religiosorum, & Abbas vnius conuentus, & quilibet in dignitate constitutus, duplici custodia vallatur Angelica: altero S. Angelo personæ, altero officii seu regiminis: & quidẽ maioris, vel minoris, vel sub ordinatæ virtutis, prout sunt & ipsi magistratus. Similiter & homines singuli singulos habent Angelos maioris, vel minoris perfectionis, pro naturalium indiuidualium dignitate, & fine, ad quem ordinantur.

Matth. 18.

Et in cunctis hominum nationibus triplex ordo correspondens supremo assistentium, videlicet ordo religiosorum primæ Hierarchiæ assistenti diuinis persimilis: & eiusdẽ Hierarchiæ Seraphinis: alius est ordo rectorum Prouinciæ, & Ciuitatis, vt iudices & Consiliarij, & præceptores, & Duces: correspondens secundæ Hierarchiæ, quæ est prima ministrantium, & iubentium: & secundo insuper ordini primæ, idem Cherubinis: scientia enim regit, & dirigit. Tertius est ordo exequentiũ, & seruientiũ in Mechanicis, cuiusmodi sunt pugnatores, & opifices, & agricolæ, qui correspondet tertiæ Hierarchiæ Angelorum: & tertio ordini primæ, qui est Thronorum: potestas enim executiua iustitiæ ipsorum congruit, & robori.

Hic aduertendũ, quod Proclus in libro commentorũ in Alcibiadem, non modo probat animam humanã non esse de essentia Dei: quia turbationibus plena, & ignorãtię, & finitudinis: sed etiã probat Angelũ custodẽ non esse particulam animæ humanæ: vel ipsam animã: neq; n. quod secundũ essentiã melius accipitur ad deterius complerdũ. Et cum perseueret custos, anima vero nũc ita æstuet, nũc mansuetudine, & variis agitatur modis, nõ conuenit cũ custode in essẽtia & informatione corporali. Prætere a ait Iablicus, nõ eleuabit nos custos supratatũ corporaliũ ad Deũ: si pars animæ generationi immersæ esset. Probãt etiã Platonici, animas defunctorũ non esse Dæmones: neq; Deos erraticos, vt Proclus ait. Sed reuera sũt erratici Dij, idest, Angeli, qui suũ principatũ non seruarunt, nec ordinẽ. Neque n. putandum malos natura à summo bono Deo creari potuisse, nec cõtra seipsũ: ergo ex electione, & errore, cum essent Dij, ceciderunt, vt Christiana pandit Philosophia

Ad Gubernatum hominum non modo bonos sed etiam malos Angelos destinatos esse: illos ad bonorum dispensationem, & imperandum malis: hos ad malorum executionem, & exercitium virtutis, & meritum.

ARTICVLVS V.

NON modo autem Angeli boni, sed etiam mali pertinent ad gubernatum hominum, duas ob causas: videlicet, ob exercitium virtutis, & ob iustitiam. Dum enim à malis alliciuntur ad sui cultum blanditiis, atque minis, vexationibus & muneribus, fit qui resistit fortis animo, & fidelior Deo, & eius implorat auxilium, & desiderium arripit reuertendi ad suam originem. Item intelligit sibi meliorem deberi vitam supra corporalem, ad ipsamque erigitur. Si enim nobiscum negotiantur mentes abstractæ, vtique ad ipsarum societatem pertineamus est necessum. Præterea cum Angeli rectores hominum aliquid sunt exequuturi pœnarum contra homines, & cæteras creaturas, vtuntur cacodæmonibus, tãquam lictoribus, tortoribus, carcerariis, carnificibus. Vnde quemadmodum non est bonum in nobis quod Angelorum ministerio non fiat bonorum: neque enim cælum, neque elementa intendunt nobis benefacere, & fortunationem, præsertim quæ fit per doctrinam & virtuté. Ergo oportet à causis intelligentibus fiant. Sic non est malum, quod Dæmonum malorum arte, & vi non infligatur, vt rectissimè considerauit Chrysostomus in Matt. & Aug. in Psal. 77. & eminentiores Theologi: nam & Iob ab Angelo malo affligitur: & per Angelos malos plagæ Ægyptiis infliguntur, teste Dauid: & quæ patiebatur fluxum sanguinis à IESV curata, testimonium habet, quoniam à Sathana alligata huic malo fuerat. Ergo & Angeli, qui percusserunt Sénacherib, & Sodomam & populum à Dauid numeratum, fuerunt boni quidem, vt testatur scriptura. Sed qui iusserunt ex Dei imperio talia fieri: qui vero exequuti sunt malum, mali erant, vnde doctè Augustinus agnouit, omnem legionem Diabolorum ab vno Angelo bono corrigi, & nihil posse eos mali facere, nisi quod boni præcipiunt, aut sinunt fieri in corporalibus, prout in Archetypo mundo edocentur. Vnde cum reuelationem, & præceptum non habent expressum, est inter bonos etiam concertatio voluntatum, & inter malos executio. Neque enim Angelus regni Persarum obstitit Michaël per se pugnando cõtra eum, sed subditi sui cacodæmones impediebant liberationem Iudæorum: quam Michaël procurabat, volente ipso Angelo, vt per Iudæorum magisterium Persæ, quos ipse regebat, docerentur doctrina Dei: cacodæmones vero de Iudæorum vexatione solummodo delectati, imperium exequebantur non propter salutem Persarum. Quapropter nullum malum permittitur, aut imperatur à Deo, suisque bonis à ministris, nisi propter bonum aliquod. E contra vero executores mali nihil mali faciunt, nisi quia gaudent alienis malis: & cum aliquid boni faciunt, ob maius malum inde sequuturum faciunt. Cognouit etiam antiquitas malorum inter se pugnam. Nam Martem, & Apollinem, aliosque Deos Homerus introducit fauentes Troianis cõtra Græcos: Iunonem vero, Mineruam, & alios Deos, fauentes Græcis contra Troianos, cultum proprium vtrosque prætendentes: & alios aliorum malum: vtitur enim Deus ad modificationem negotiorum mortalium bonis, ac malis Angelis, & ipsorum pugna: per necessitatem, Fatum & Harmoniam. Si quis rectè intueatur quam similia sunt inter se omnia opera Dei, vtque ab vno. Ergo mundus mentalis consimiliter vt corporalis analogicè gubernatur: vnde & Hierarchia humana Angelicæ similis est.

Hominem esse in Mundo mentali & corporali secundum Naturam. Angelos vero & diabolos in mentali secundum Naturam, in corporali secundum operationem: & qua ratione Natura non beat, nec existentia in mentali Mundo, sed author Naturæ per auxilium supernaturale, eleuans vsque ad Archetypum, & de scala Mundorum & Systematum.

ARTIC. VI.

PORRO, neque nobiscũ tractarent Angeli & Dæmones, nisi nos pertineremus ad Mundum ipsorum. Quapropter in duplici Mundo est homo: secundum mentem namque nullo spatio corporali, nullisque parietibus continetur: sed simul est in Cælo, & in Terra, & in Italia, & in Gallia, & in America quocunque mens sua ictu oculi percurrit, expatiaturque intelligendo, & appetendo, & potendo. Secundum corpus vero non est nisi in tanto spatio, quanta est sua exiguitas: in carcere detinetur, & vinculis, itaut non possit esse, neque ire eò, quò & ad quas res sua intellectio, & voluntas pertingit; nec plus spatij occupare, quam termini sui corporis habent: animo autẽ occupat mille Mundos.

At visu,& cæteris sensibus, in quibus partim corpulentia, partim corporata vis sensitiua, insunt, extenditur homo ad plurima loca vsque ad stellas,& obuios montes & campum:& quò distantiora corpora,eò minus comprehenduntur sensu. Igitur ex hoc palam est, quod bruta ex primalitatum participio extenduntur vltra ambientes superficies : sed non vbique sicut homo, qui etiam mente diuinas attingit res,& totum ambit orbem. Et in spatio Mathematico etiam designat ideas,& figuras,& lineas rectas nil à corporibus obiectis impedita.

Pertinent etiam diaboli ad Mundum mentalem, alioquin neque cum Angelis,neque cum mentibus humanis negotiarentur: Propterea dicitur etiam in libro Iob,quod inter Angelos coram Deo affuit etiam Sathan, loquens cum illis. vnde palam est, quod in Mundo mentali secundum Naturam sunt etiam contrarietates Metaphysicæ, & Morales: & quod non omnes mentes propterea sint beatæ, quod è corporibus solutæ sint. Item quod nec Natura beat, sed exaltatio Naturę ad gradus diuiniores per auxilium confortans, illuminans,& afficiēs. & quod nulla essentia nascitur beata,sed fit per eleuationem ad meliora. Nec idem est esse,& beatum esse, nisi in Deo ; vbi primalitates nullatenus sunt contractæ.

Post hæc notandum scalam esse inter Mundos, qua ascendere,& descendere queant Angeli,& animæ, & res huius potentes. Quemadmodum enim in microcosmo spiritus vnit mentem sanguini, propterea quod vtriusque participat naturam , siquidem primalitates illi communes sunt cum mente, cuius infimum attingit: ita calorem,lucem , & tenuitatem communem habet cum sanguine corpolento fluidoque , ex quo fit tenuitas , eius supremum. Sanguis verò cum solido habet communem corpulentiam,quo ligantur: Corpus verò cum Tellure, & aqua communicat in iis crassiori modo; & communicationes non fiunt absque mutuis emolumentis : Etenim spiritus à mente dignificatur, & mens ab eo obiecta sensilia capit ad scientias:eoque vtitur ad motum corporis,& nutritionem. Spiritus capit à sanguine nutritionem, & sanguis ab spiritu coctionem , & conuersionem ex altera Natura in sanguineam. Sanguis dat Spiritui instaurationem ex sui tenuitatibus; & corpori ex sui crassitiebus, & ab eo emolumentum habet, vt se contineat, tanquam in vase, ne dissipetur:& officinas & culinas,& molendinum suæ regenerationis,& aggenerationis: sic sunt Mundi. Archetypus enim mentibus dat esse,& operam,& primalitates. Mentalis Mundo vnitur Archetypo primalitatibus , & glorificatione: Mathematico verò ideationibus & operationibus: Mathematicus Materiali dimensionibus , & commensurationibus: Mentali apprehensionibus. Materialis situali configurationibus, & extensionibus, & numeris,& calore, & frigore, sicut tellus aquæ crassitie,& frigoris sensu exteriori. Etenim non est nix absque pluri frigore: nec aqua absque modico extrinsecus formante. Aqua aëri tenuitate & tepore: Aër æther calore,& subtilitate. Et Mens toti per spiritum mundi. sunt etiam proportiones miræ inter ista. Primalitates tamen omnia complent. Ergo transitus fit in gubernatu, sicut in generatione. vt ex crassitie lentor, ex lentore mollities, ex mollitie viscositas: ex hac fluor, ex quo vapor, & Cælū; & è conuerso. sic ex mente ad corpora itur, & è conuerso per dicta media.

Plurima in spatio immenso esse amphiteatra, in quibus diuinæ repræsentātur opes, & systemata alia aliorum esse centra; & aliorum alia. nec propterea immobilia. & omnes fixas vocatas instar nostri solis sese habere, circa quas alij vbique planetæ. & circa planetas lunæ vagantur. nec propterea Copernicum & Cusanum prorsus veritatem probauisse.

ARTIC. VII.

SVper extensum est in spatio Cælum immensum, quod innumerabilia cælat systemata: quę nos sydera vocamus. oportet autem quemadmodum in hac cæli parte, in qua viuimus nos , theatrum efficiunt vnū ipse Sol & Planetæ, ipsum ambientes , & Planetarum Planetæ, seu Lunæ. Sic etiam plurima theatra esse , in quibus centrum amoris cuiusque ipsorum, quod omnia seruat , circa ipsum rotata, solis nostri similitudinem gerat. Vnde visum est antiquioribus fixas vocatas stellas esse soles, circa quos alij Planetæ circumferantur ; & in cunctis Planetis esse eadem, quæ apud nos in Telluris systemate. Probatum est enim à se ipsis non lucere, sed Solium luce instar Lunæ nostræ: quod iam patefieri incipit hoc tempore : quo Veneris astrum obseruamus instar Lunæ crescere, & decrescere: & in Ioue maculas , quales in Luna. In ignitissimo autem globo, nulla macula perennis, sed temporalis modo. & nō inexistens , sed circuuolitans reperiri potest,quemadmodum in sole per Telescopium obseruamus. Et quamquam Nolanus & Cusanus Cardinalis putent solem etiam ex terra, aëre, aquis, & igne constare: non videri autem nobis nisi ignem; quoniam solus extenditur extra discum solarem , & radiorum multiplicatione,& complicatione luminum interpositas obscuritates terreas,& aqueas nobis tegit. id tamen credibile non est. Etenim maculæ eius, quæ iam per Telescopium sunt apparentes, circumuolitant, quasi nubes: nec in eodem situ, & figura perseuerant, vnde nec stellulæ esse possunt, quemadmodum in Physicis quæst. demonstrauimus. Præterea decet alicubi ignem purum reperiri, qui non nisi in sole. Præterea summus eius candor, & circumgyratio idem probant. nec quidem conficit gyrum in mense vnum, vt Galilæus putat, ex nubecularum motu tanto argumentans : nam nec nubes telluris nostræ motū telluris seruant. possunt enim esse tardiores, sicuti qui extra nostrum systema ad nos spectarent, experirentur; & qui terram mouent,

alium illi motum in 24. horis, alium Lunæ pedisse quæ in 28. diebus, alium nubibus circa terram agnoscant.

Stellas autem fixas non esse soles puros, colorum varietas ostendit, qualis in Planetis. Siquidem Aldebaram refert Martem, Canicula Saturnum & Venerem, Formahand Iouem. At non propterea Planetarum circumuolutionibus non ambiri existimauimus; immò maximè asserimus. & circa singulas fixas amphiteatrum Planetarum agnoscimus. Etenim & Planetas nostros ambiunt alij Planetæ: multo ergo magis fixas longè ampliores. Ergo circumducunt radiorum vi, ex ignis Natura manantium, suos Planetas, qui spontè obaudiunt, quoniam in hoc seruantur. Et quidem hæc omnia tali distantiarum proportione & luminis copia, & inopia tanta, in mutuis officiis contemperauit Deus, vt omnes partes omnibus vtiles sint. Et dum proprium procurant bonum, in aliarum partium Mundi bonum laborent, quemadmodum partes corporis humani mutuis emolumentis compaginatæ.

Nec quia non videntur, non adsint circumlati Planetæ ad fixas: nam nec ante Telescopij inuentionem, innotuere medicei. excellentiori autem instrumento forsan aliquando conspicientur. Nec propterea quod fixæ sunt aliarum centra, erunt immobiles vt videtur Cardinali Cusano, & Copernico, & noster sol immotus in centro nostri Amphiteatri sit. Namque & Centrum Mediceorum est Iuppiter, & suorum assectarum Saturnus; nec tamen immobiles. Tellus quoque nostra, quæ centri odij rationem habet, non propterea sit mobilis, quod circa ipsam rotatur Sol & Luna. Nam & circa alias Stellas, illarum accolis rotari videtur, etiam mobiles. Quapropter & situm terræ, & operationem, ignotam esse suis habitatoribus visum est grandiloquis Theologis nostris, vt in speciali libello ad Cardinalem Caetanum probauimus.

Si Stellæ fixæ, atque errantes systemata sunt, solis luce, aut aliundè, vel proprio igne misto aliis elementis, lucentia: & mutuatis radiis collucentia: oportere insuper alia genera rerum, quę apud nos sunt, etiam in eis esse, & homines non vniuocos, sed Analogos nostratibus, & cætera consimiliter: ergo & Angelos rectores & forsan diabolos. Veramque beatitatem in solo mentali Mundo, quatenus Archetypo mirificatus iungitur, reperiri.

ARTIC. VIII.

CVM ergo compertum sit, stellas non esse prorsus igneos globos, sed ex aliis corporibus constare, sicut Luna: consequens videtur, vt non vnius speciei accolas habeant, sicuti neque tellus nostra. Etenim à tot stellis & configurationib. & luminarium actionibus affectum variis astrum modis formationes varias concipiat, pariatq; oportet. Cum præsertim & numeros in eis Deus sparserit, sicut distinctio in Luna ostendit: & mensuras, sicuti finitudo singulorum admonet: & pondus, quo sua ad similia feruntur omnia, & in vnum centrum suæ conseruationis conspirant. Vnitas enim sola conseruat, vt in pr. & 2. p. declaratum est. At quidem non esse vniuocas nostratibus species rerũ viuentium in aliis stellis, apprimè contendimus. Luna enim habet diem æqualem quindecim diebus nostratibus, & noctem totidem noctibus. Non enim in seipsam rotatur. similiter etiam Iupiter, quoniã non in se rotatur vti sol, sed sicut Luna solum motum absque titubatione in Zodiaco habet. vti maculæ eius semper ad nos eodem modo spectantes monent, diem habet perpetuum, qua solem intuetur; noctemque perpetuam, qua fixas. propterea que quatuor Lunis circumdatur, quæ vices temporum longè alias atque nostræ sunt, faciant; & dies Lunares longè minores nostris solaribus horarũ 24. Ita de cæteris iudicandum astris accolisque proportionaliter.

Quapropter non est arbitrandum, homines nostræ speciei esse in astris, quamuis qui sub polis degunt, videantur nobis similes: quanquam diem semestrem paremque noctem habent. Hinc enim temperies communis habitationis, & influentiarum facit homines eiusdem speciei: & tamen alios cum varietate multa, quales Pigmęi, Acephali, Astomi, Cyclopes, Lestrigones, & qui nascuntur ex simiis, & hominibus: ita quidem vt varient speciem extra vniuocationem ad analogiam; sunt enim & homines marini, & subterranei, quasi homunculi, & satyri, à nobis specie distincti apud nos.

Igitur accolas stellarum esse alterius generis, putandum: & in cunctis Amphiteatris Deum ostendere diuitias opulentiæ diuinitatis suæ miris modis: Ergo & Angelos ibi esse rectores, & dæmones forsan. Nam quidam diabolus interrogatus respondit se habere domicilium in orbe Lunæ: & quamuis mentiri soleant, non est irrationale prorsus & Apostolus etiam spiritualia nequitiæ nominat in cælestibus. Et si qui peccauerunt ibi, vti apud nos Adam, Christus etiam per suam incarnationem illis contulisset; cum Apostolus dicat, quod *pacificauit omnia, siue quæ in Cælis, siue quæ in Terris sunt per sanguinem crucis eius*. Et in hymno canat Ecclesia, *Sanguis vnda profluit, terra, pontus, astra, mundus, quo leuantur flumine.* Sed quoniam non habemus de his reuelationem certam, exponendus est Apostolus, quod spiritalia nequitiæ in cælestibus, sint aërea. & astra lauantur sanguine Christi, sicut & ipse mundus non respectu sui, sed hominum. Nam & *Cælum immutabitur, & creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, sicut dicit Apostolus; exponente Chrysostomo, quod sicuti per peccatum Adæ deteriorata sunt cælestia & terrestria, ita per glorificationem humanam in sanguine Christi, omnia meliorabuntur.

Rom. 8.

Interim verò cum probatum sit esse in astris varietatem substantiarum & actionum, & passionum,

& formationum, oportet etiam Rectores esse ibi multos, quemadmodum apud nos, & omnem creaturam corporalem gubernari à spirituali, donec conuertantur omnia ad Mundum mentalem absque resistentia: quodque pro rata sua, & capacitate idcirco in ignem purificantem, & viuificantem, corpora consumabuntur, tanquam in aliorum optimum. Mentes autem in mentium optimam vsque ad Archetypum Mundum, vnde exeunt ad corporalem, reuersuras, seruandas, rationabile dogma est.

Mercurij Trismegisti de Monotriade summa de processione preexistentium in verbo: de Dijs dæmonibus heroibus & animabus, distributis ad gubernatum sensilis Mundi. de Fato, & eius supergressu per animas ad Deum conuersas. de datore formarum, & sigillis & ideis, vnde manant. de seminatione Mentium in Mundum corporali. De Deo primo Ente: de Deo secundo, qui est Mundus: de Deo tertio, qui est homo. deque Religione, & regeneratione hominis. de Fabrica statuarum, & factitiorum Deorum virtute hominis: de illecebris Deorum, & gubernatu.

CAP. III. ART. I.

MERCVRIVS, quem vocant Trismegistum, cum Deum omnipotentem rerum omnium autorem celebrasset, ac Hylem mundum sensibilem, & hominem natos: qui tamen non nati, erant in verbo Dei vita & Deus. Deumque cum verbo suo, per quod fecit omnia, genuisse tertiam mentem, quæ Deus est, & spiritus & Numen, vt ipse inquit: Cum ad rerum conseruationem accedit declarandam, scripsit rem nullam verè mori; quoniam non adnihilatur, sed solũ mutari, & partes rerum dissolui: ipsumque compositum corrumpi: cæterum partes semper viuere, & manifestari & occultari sub diuersis vitarum speciebus: eo quod extra Mundum, Dei filium, ire non possunt, nec extra Deum, qui dat vitam Mundo. vbi autem ad gubernatum rerum deuenit, Deos, Dæmonas, & Heroas, & animas humanas, tanquam pertinentes ad Mundum intelligibilem, à quo putat circũdari, & quasi vestiri mundum sensibilem, & gubernari. & sicuti sensilis mundi membra sunt cælum, aër, aqua, tellus: ita Dei membra sunt, vita, immortalitas, necessitas, prouidentia, natura, anima, mens. Mentem autem de essentia Dei, cui vnita est, vt lumen Soli, participari ab hominibus, & vocari animam, à brutis itidem, & vocari in eis Naturam, passionibus voluptatis, & doloris ita obnoxiam, vt resistere nequeat, quemadmodum & in quibusdam hominibus, quibus lex vt frænum posita est, & pœna post mortem. Alii enim homines mentem sequentes vincunt fatum, id est, causarum seriem, & fiunt similes Diis, nec patiuntur id, quod instituit Fatum.

Py. 12.

Alibi ponit Fatum, Necessitatem, & ordinem à Deo tanquam Parcas, Clothon, Lachesim, Atropon. Sed Fatum quod vocant εἱμαρμένην præponit, quasi sit prædestinatio diuina: Necessitas essendi subsequatur: ordo, quo seruantur, accedat.

As. 14.

Ponit insuper Deum vnum, cælestibus præsidentem; alterum aëri, alterum aquis, alterum telluri: quibus pedissequos dæmones, & Heroas adiungit ad gubernandum: & in circulo Planetarum Deum Pantophormium, à quo omnes rerum species & formas sigillari in Mundo nostro opinatur iuxta 36. horoscopios, quos ipse curat. Puto autem 36. facies vocatas Egyptiis in Zodiaco esse horoscopios apud Mercurium: ex quibus facies inferiorum deducit; quemadmodum Mundus, & qui præsidet Mundo supra Cælum Deus ab ideis æternis eas in Zodiaco affixit. Singulis autem momentis temporis variari horoscopium, palam est, quæ momenta possunt intelligi, & minuta 24. horarum, quibus circulus omniformis horizontem scandit & deserit; vel minutorum secunda, vel secundorum tertia: Propterea que ait non modo diuersæ sunt facies specierum, sed indiuiduorũ etiam eiusdem speciei, ita vt nusquam videas duos homines prorsus similes in facie, ergo neque in cæteris rebus. Potest & videtur ipse velle, fixarum esse cum Zodiaco concursus facere tanquam diuersitatem: siquidem in fixis etiam horoscopios ponit. Sed Pantophormium in Planetarum sphæra, quasi, qui per Planetas generationem formarum in inferioribus, ac transmutationem, curet.

Cap. 8. & 12.

Creatum esse Mundum sensibilem, non Natura, sed voluntate Dei summi boni, docet. & quidquid à bono est, esse bonum, & Deum participio. Deum esse omne Ens, omneque nomen per essentiam. Præcipuè tamen, Deus, Bonum, & Pater. Quærenti autem, cur hominem mentis compotem intra Mundum corporalem creauit, & non potius intra intelligibilem posuit.

Respondet in Ascl. 4. quod Deus creauit sensibilem mundum bonum, omnibus gradibus bonitatis plenissimum: idcircoque amauit. Proptereaque voluit esse etiam, qui mundum à se factum miraretur, & celebraret diligenter. Cumque non posset mens esse diligens rerum corporearum mundanarum, tegumento corporeo mundano texit eam tanquam domo.

Igitur ex immortali, mortalique Natura, vt vtrique origini satisfacere posset. Videlicet intueri æterna, ac diuina colere, & orare; ac simul terrestria, & corporea gubernare, & incolere, per artes Mechanicas, & Morales, & speculatiuas, per quas omnium rerum, & notitiam, & vsum habet homo: sine quibus artibus non videbatur mundus esse effectus.

Alibi tres ponit Deos, ipsum scil. BONUM, autorem Mundi per essentiam Deum: ad cuius imaginem factus est Mundus, secundus Deus. omnia in se comprehendens Entia, sicuti Deus primus verbo: sunt vbi omnia quæ facta sunt vita. Item circularem hunc Deum absque principio & fine, & dum mouetur stat, sicut Deus, & dum stat, mouetur, sicut Deus. qui cũctis mobilibus est mobilior: & immotus stans, dat cuncta moueri, & immutabilis mutari. Tertium Deum dicit esse hominem, perfectam imaginem secundi Dei. Nihil enim est in Mundo, quod in homine non sit: secundum verò imaginem primi Dei: prior enim est mundus homine, & mundus constat intellectibus & corporibus, & homo sua mente, & corporibus, & qualitatibus, & quantitatibus, & coloribus, & motibus, & quietibus, & elementis & cælis, quæ sunt in mundo. Propterea que omnes scientias addiscit, quibus cælum & terram, & omnia metitur, & Angelos sentit & Deum, & canit Deum cum illis, eorumque gaudet consortio. Idcirco, regulam, ad cuius præscriptum hominis vita ducenda est, putat esse Religionem: per quam scimus omnia, & diuinum numen, autorem omnium: & colimus & gratias agimus & meliorationem nostri petimus. vnde & aliam vitam præsentibus miseriis vacuam, sperare licet, à Deoque petere.

Propterea enim Deus, nec Mundum malitia, (quam ab Hyle putat oriri, vt ex ferro rubigo, non ex ferrario) priuat, vt incentiua sint ad boni adeptionem, & exercitamentum. Deinde neminem posse Deo iungi, ac deificari, nisi per regenerationem. Quam silentio & contemplatione diuinorum, & despectu corporeorum, fieri decet: Autoremque regenerationis vocat Dei filium verbum, hominem Dei voluntate. Tunc regeneratum hominem duodecim vltricibus vitiis spoliari per decem virtutes totum Deo inhærere, fierique vnum, spiritu, & laudibus eius inebriari. Corpus autem non putat ita deificari, sed mentem.

Pym. 12. & 13.

Circa gubernatum docet nobiscum, non modo Deum ita copulari, sed per dæmones nobiscum agi, & per Heroas, quas in sublimiori locat aëre, vbi nebulæ & venti non sunt. Præterea ad diuinitatem hominis declarandam, docet, quod sicuti Deus ad sui similitudinem creauit Deos cælestes, Mundus animalia sensilia ex corpore, & spiritu mundano, ita homo ad sui imaginem etiam Deos facit, sicuti moris erat eorum, qui statuas loquentes, & responsa dantes in Ægypto constituebant, & passim in toto fit Gentilismo. Ex corporibus enim mundanis statuas similes sibi faciunt; & quoniam animas dare non possunt, euocant animas dæmonum, vel Angelorũ, easque includunt imaginibus & statuis: quæ & benefaciẽdi, & malefaciendi ex inclusis numinibus sortiuntur potestatem; & qui in hoc claruerunt, etiam in statuis habent domicilium & virtutem, vt Esculapius, Mercurius, Isis, Osiris. quorum etiam irasci est, nedum propitiari: Posse autem irasci, quoniam Dij factitij sunt extra Naturam facti.

Asc. *Asc.*

Præterea illiciuntur diuinis corporalibus rebus, symbolum habentibus cum eis: sunt enim lapides & plantæ & metalla, aromata, & harmonia, cantusque vim diuinam habentes; per quas sub certis cõstellationibus alliciuntur dæmones in statuas, & animæ. Et sicut Dij cælestes cælum complent, quisque in suo ordine; ita nostri Dij Terreni sortibus & diuinationibus nos gubernant, & prouidentia: & amica cognitione auxiliantur. Quam sententiam vna cum Platonicorum decretis examinandam, postmodum moramur.

Examen sententiæ Mercurij de summa monotriade, habitum in 2. p. repetitur per collationem ad sententiam Iamblici, & Procli, Platonicorum. Similiter de productione materiæ, & quomodo melius senserit Mercurius.

ARTIC. II.

RECTE quidem Mercurius Deum creatorem, & gubernatorem rerum omnium agnoscit, eundemque ob primalitates, Trinum, & vnum ex sanctorum Patrum, credo, traditione, vel reuelatione sibi facta cælitus, vt ipse fatetur. Nam & Patrem & verbum eius filium, & spiritum tertiam mentem, simulque Deum, celebrat. Iamblicus de mysteriis Ægyptiorum sermonem faciens contestatur huic sententiæ. sed cum humana ratione ipsa exponeret, Deum vnum in Trinitate non tam bellè explicat. Quamquam Deum autorem, & verbum suum vocat Deum sui Patrem, & sui filium; tacet autem de spiritu, quem potius cum Mundi anima confundit, ob primalitatum ignorantiam.

Præterea dicit Verbum Dei effigiem, & opificem Intellectum sortiri multa nomina. Quatenus enim explicat ideas in Creaturis, dicitur Amum. quatenus artificiosè, & cum veritate perficit omnia, vocatur Phtha, Ægyptiis, & Vulcanus Græcis. Quatenus effector bonorum vocatur Osiris. vt etiam Seneca interpretatur. Sed profectò Mercurius secundorum Deorum, & tertiorum facit has appellationes. Melius Proclus vnum super Ens primo loco ordinat. Secundo vnum Ens, id est, intellectus intelligibilis; tertio intellectus intelligibilis, & intellectualis simul, & expressio prima Iethon: quarto Intellectus intellectualis Emeph, Dux cælestium; quinto intellectus opifex, Dux Opificum mundanorum, qui sunt Dij cælestes, Empyrei, & Ætheræi. Hic forsan est intellectus animæ Mundi, vocatus Amum, Phtha, Vulcanus, Osiris. Verum explicandus est, quod dicit vnum super Ens de Deitate simpliciter, in qua subsistunt tres illi intellectus Diui: quintus enim est

est creatus potius, & anima Mundi; cui subsunt omnes Dij, id est, Angeli: Facit deinde Iamblicus plures ordines iuxta signorum cælestium numerum, & facies 36. De materia quod sit à Deo producta itidem Iamblicus contestatur: de cuius parte vitali cælestes constituit sphæras: alteram partem generabilia conuertit in corpora.

Quid de comparatione membrorum, quasi Dei ad membra Mundi Mercurius non rectè.

ARTIC. III.

Examen.

NON videtur autem Mercurius rectè vocare Dei membra Vitam, Immortalitatem, Necessitatem, Prouidentiam, Naturam, Animam, & Mentem: non quia hoc vocabulo vtitur, cum non possit meliora habere, & ipsum per Metaphoricam analogiam intelligat; sed quoniam vita immortalitasque sunt vnum membrum. quod enim per se vita est, immortalitas est, etiam formaliter consideratum, nedum materialiter. At Necessitas non membrum, sed membrorum compago dici poterat, ipsaque vnitas summa. & ista duo ad primam spectant primalitatem. Prouidentia autem ad secundam, sed cum non respiciat exteriora quib. prouidetur, dicenda erat quatenus est in sorte membri potius sapientia, quã prouidentia; nisi velit hæc membra non absolutè, sed cum respectu ad exteriora agnoscere. Nam cum addit Naturam, Animam, & Mentem, esse Dei Membra, potius extrinsecus Deum, quam intrinsecus considerat. Ipse enim Naturam elementis, Animam animalibus, Mentem hominibus largitur; non autem dat quod non habet: habet autem eminenter & causaliter, & hoc donum spectat ad Amorem tertiam primalitatem. Ipse enim ex placito Dei necessitatem, ex voluntate effectus deriuat.

Mercurium rectè præfecisse Angelos rerum gubernatui: & Pantophormion formationibus: & qua ratione: non tamen sufficienter, nec secundum nos, nec secundum prouidentiam ad alia systemata.

ARTIC. IV.

Examen.

CVM mundi membris præficit Deos, sub quibus Dæmonas & Heroas agnoscit, tanquam exequutores diuini operis: & Pantophormion in sphærarum Republica, id est, virtutem formatricem (quam Colchodeam vocat Auic. Nos autem Angelum præsidentem opificibus, & formatoribus Angelis) bene quidem se habet. At & stellarum Angelos, & aliorum systematum Gubernatores agnoscere debuisset. Rectè etiam in Cælis tanquam in sigillis formas rerum videtur docere: in Angelis sicut in discipulis; in Deo sicut in præceptore, in corporibus inferioribus, sicut in receptiuis, in calore, & frigore, sicut instrumentis; quæ ipse non docuit, nisi de sphæris, & formatore: quem tanquam discipulum ponere oportebat. Neque formas illas cælestes, siue asterismorum, siue Decanorum super 36. imaginibus Zodiaci ita sese habere in Cælo putandum, vt non nisi instrumentalia sigilla sint inferiorum.

Etenim ad alias stellas, & systemata, aliam habent configurationem. & si qua Entia sunt in Luna & in Venere, aliam habent, atque nos, lucis participationem, cum vnus dies Lunaris quindecim tellurales contineat, & varatiores: quoniam soli est vicinior in synodis, & distantior in oppositionibus, fit quam tellus, sic de cæteris. Et cum Saturnus Solem nobis quadrato respicit, alios Planetas non quadrato, sed alio aspectu, respicit, ita vt mirificentissima sit sapientia Dei, quæ eisdem instrumentis simul ad res innumeras, & maximè varias concinnè vtatur: & eadem configuratio, & constellatio alia fit singulis in scenis, in quibus diuitias suæ virtutis repræsentat per Angelorum ministerium, & corporum instrumentationem Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quapropter non solum admittimus Pantoformij 36. facies, sed longè plurimas. Vtrum autem sint quales ponuntur Ægyptiis, & Babyloniis, & Arabibus, nondum examinauimus: nec, nisi Deo reuelante, scire potuisse putamus, quemadmodum etiam Plato de tota Astrologica re opinatur.

In Epin.

Opiniones Origenis & Platonis & Procli, & Virgilij, de Animarum ex Mundo mentali in corpora Mundi situalis immissione, esse improbabiles. Mercurij verò, proximiorem veritati. & quid nos ex dogmate Christiano addiderimus.

ARTIC. V.

Examin.

DE Angelis Dæmonibus, & Heroibus, & animabus, nihil certè dicere valemus per scientiam nostram præter illa, quæ reuelata sunt nobis, nisi prius propter quid animæ in corpora descendunt, examinatum fuerit. Exclusimus autem Origenis dogma ex Platone, quod animæ ante Mundi corporei creationem in Mundo Mentali peccauerunt: propterea que detrusæ sunt in corpora, quasi in carceres: vnde post diuturnos labores atque sæcula purgatis per vices plurimas maculis, ad mentalem mundum reuertantur. Hoc enim neque Mundi corporalis fabrica admittit: essent enim aliquando annihilandus cum purgationes animarum defecerint. Quæ autem fecit Deus perseuerant in perpetuum: In meliorem autem statum redigentur: sed nulli vsui corpora erunt, si solummodo carceres sunt, consumpta malitia. Quam rectius à Deo permitti putat Trismegistus ad exercitium virtutis animorum. Multo autem magis condemnatur error eorum, qui ex beatitudine summa in fruitione Deitatis, cadere animos opinatur, tanquam fastidio aut obliuione boni tam præsentis capiantur. Præterea si in pœnam tantummodo animæ corporantur ad vindictam, cum hoc ignorent ipsæ nec recordentur ob id sese pati, non erit vera vindicta, neque admonitio ad meliorem procurandam migrationem.

Proclus in Alcibiade putat, animas pulchritudinis sequaces in corpora descendere, tanquam illorum specie delectatas: aliquando dicit tanquam prouisuras. Dij enim superiores amant inferiora tanquam illorum benefactores: inferiores verò amant superiores tanquam ex conuersationis officio ad id, vnde iliis benè est.

Igitur animæ cum sint inter Diuos & Dæmones versantes, descendunt in corpora inferiora, tanquam prouisuræ, curamque mortalium suscepturæ. Hoc autem Dij faciunt non se miscendo. Ergo nec descendendo, sicuti animæ generabilibus; vnde aliquando ex munere Diuum habent vt diuinè gubernent, quasi à corporibus per extasim segregatæ alioquin corporearum imaginum diuiniorum delectatæ aspectu formarum circa sensibilia mechantur.

Sed profectò cum Plato, & ipse Proclus, descensum animæ in corpus doceat se iungere illam à diuinis, à quibus Intelligentia, Potestate, & puritate replebatur; coniungereque materialibus generationi & corruptioni; à quibus ignorantia, errore, & sui obliuione imbuitur: & sicut erat per se nobilis in primo statu, ita in corpore fieri quasi per aliud. nec tamen proficit scientia in absolutione corporis, sed expeditur ad reminiscendum quæ scierat. Miror itaque, quod pulchritudinem inferiorum anteponat superiorum formositati. Profectò si anima prouisura mortalibus descenderet, in sui obliuionem non caderet, & rerum ignorantiam. Non enim per casum in errorem, sed per eleuationem ad scientiam prouidentiæ aliorum accingimur. Et cum infantes multi moriantur ante hoc munus, nequaquam propter hoc venisse videntur. Præterea prouidentia exercetur cum profectu, & gaudio prouidentis. Mirum etiam quod Virgilius, & Platonici asserunt, animas reuerti in corpora cum biberint in fluuio obliuionis malorum, in corporibus aliis perpessorum. Non enim deterioritatis cupido quenquam capit, neque cum felix est anima, obliuiscitur vtilis scientię ad declinanda mala. Quapropter melius Mercurius videtur docere, quod videlicet immittit Deus ipse animas non antecreatas, sed cum corporantur. & hoc ad specimen Mundi corporei, & sui ipsius gloriam ex huius Mundi mirabilis cognitione; quæ animam ad Deum ex his simulachris eleuat. Nos autem addimus ob pugnam & gloriæ adeptionem, vt probatis malis ad bona ardentius afficiatur. Quæ autem Plato in Phædro dixit de fractione alarum ex equorum errore superius explosa sunt: quoniam non habent veritatem in beatis.

Mentes humanas, vt meliorent corpora, seque ipsas Deo per virtutem proximas faciant, corporari: hoc tamen præstare se non posse absque diuino auxilio; ideoque custodiam Angelorum eis adhibitam, vt partem eiusdem auxilij fatorum liberantis nexibus.

CAP. IIII. ART. I.

IGITVR ad Mundum mentalem pertinent animæ humanæ, quanquam alligatæ vinculis vitalibus sint Mundo corporali. Cum autem melius iungitur deteriori proculdubio melius deterioratur, & deterius melioratur, saltem secundum existentiam. Quod si mel orat id, quod de-

terius est absque sui deterioritate, illud optimum est vel optimo propinquum; sicut ignis stuppæ adiunctum non fœdatur ab ea, sed ipsam in optimi ignis mutat naturam. Animabus ergo datum videtur, vt meliorent corpora, nec sinant sese ab illis vinci; & quoniam non tantæ sunt virtutis, quanta subito ad id muneris requiritur, præfecti sunt illis administratorij Angeli propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: quemadmodum dicebat Apostolus ad Hebræos. Administratio autem hæc, per quam homines ad mentalem Mundum vsque ad Deum reuertuntur, gloriosa est illis, vt dictum est, qui ex proposito hoc curant. Qui verò materialiter, & per accidens aliud volentes, & intendentes, quemadmodum diaboli; seruilis, infamisque est illis, noxiaque. Gaudent tamen de malis quasi de bonis, superbia eos ita cæcante, vt malint velle quod ipsi volunt, quam quod vult Deus. Iamblicum & Mercurium custodiam Angelorum nobis prodesse, vt soluamur Fato, dixisse recte, si Fato legis naturalis corporeæ, non autem legis æternæ Fato intellexerunt, asserimus. siquidem religio supra corporeum Mundum, & causas secundas eleuat hominem: propterea que Fato hoc superiorem facit, vt etiam D. Thom. contestatur in p. p. vbi de fatis scribebat.

Discrimen inter Platonicos, & Mercurium de ordine mentalium, & inter Iamblicum, & Porphyrium de ratione distinctionis eorum, & an sint orandi omnes, an qui inferiores sunt. & vtrum Physicis an Mathematicis Symbolis ad nostri auxilium inuocati veniant, & an Dij vbique.

CAP. V. ART. I.

De ordinibus autem mentalium conueniunt Platonici cum Mercurio. Verum Mercurius videtur post Deos, id est Angelos ponere Heroas secundo loco: nam super aërem eos locat, dæmones verò apud nos in tertio gradu, & tandem animas in infimo. Iamblicus autem post Deos, dæmones: post dæmones ponit Heroas: vltimo tandem ordine animas. hac ratione vt virtus infima superioris sit prima sui inferioris. Cum verò Porphyrius Deos facit æthereos, dæmones aëreos, animas terreas, reprehenditur ab Iamblico, quoniam non à corporibus habent distinctionem, sed à suarum essentiarū gradibus, & proprietatibus, iuxta quas ad corpora regenda sese exerunt. videtur autem sub Bono, qui est Deus, locare Deos, id est Angelos assistentes: his verò assistentes deinde dæmones, tanquam ministros Architectoribus in opificio mundano: patefacientes ea, quæ in Diis sunt Arcana. Heroes verò dæmonibus subsunt in eisdem muneribus; magis tamen declinando ad particularia mobiliaque. Animas heroibus supponit, tanquam ad corpora inclinatas, & singularizatas. Essentialia deorum est vnitas & permanentia. Virtus verò est causa motionum immobilis. Actio prouidentia eminens, nihil commune habens cum eis, quibus prouident. Animarum essentia est declinans ad multitudinem, & motum, coniunctionemque cum Diis. Virtus ad accipiendum ab eis, & motu vitali replenda, & congruendum cum permanentibus, & cum rebus fluentibus. & hæc actio earum, & ad omnia in se, & per se ipsam contemperanda. Dæmones Diis magis. Heroes verò hominibus secundum hæc propinquant.

Alibi facit quemlibet deorum vbique: quoniam incorporeus, & infinitus est omnis Deus. & quidem dicitur aëreus & cælestis, quoniam ibi magis operatur: licet secundum essentiam, & potentiam sit vbique: nam & anima stellæ cuiusque est vbique, licet in stella magis operetur, & quælibet Mundi pars accipit aliquid à quolibet Deo. quilibet enim Deus cuilibet parti Mundi totus adest, & est impassibilis. Imo ait, Dæmones & Heroes sunt impassibiles sequuntur enim ordine semper æquali, Deos in Mundi conseruatione. vbi autem est passio, non seruatur ordo. imò nec animæ patiuntur corporatæ secundum essentiam, & ideas suas, sed corpus.

Porphyrius passibiles esse dæmones mundi rectores putat, quoniam sacrificiis alliciuntur, & symbolicis rebus per Sacerdotes: Deos quoque passione tangi autumat, quoniam inuocati auxiliantur. Iamblicus verò tunc hominem deorum consequi inuocando adiutorium, cùm à passione corporis per ecstasim secernitur. si ergo inuocatio liberat nos à passionibus; ergo non infert passionem inuocatis Diis. Ergo quia nos efficimur Diis, dæmonibusque similes, ab illis adiuuamur: nec quia conuertuntur ad nos, sed nos ad illos, secundum Boni rationem semper rectè operantes. Dicuntur autem irati, quia nos ab eis recedendo in malum ferimur, non quia illi afficiuntur: puros quoque intellectus, quos precibus non moueri putat Porphyrius, ideoque solos Deos mundanos orari oportere, orandos putat Iamblicus, propter sensum intimum non propter voces supplicationum. Item sacrificia, & symbola offerenda, non propter materiam, & qualitates corporeas earum, sed propter rationes & species, & mensuras incorporeas, quæ sunt in materialibus congruæ Diis. Parua autem congruitas nobis sufficit ad Deos nobis conciliandos, cum sint promptissimi ad benefaciendum. Agens autem præpotens in materiam, vel exiliter præparatam agit.

Has quæstiones nos deinde soluemus. nunc satis est occurrere Platonicis volentibus Deos plurimos esse vbique, & infinitos. Hoc enim falsum est; neque enim infinitum potest esse nisi vnus, vt in secunda parte demonstrauimus: neque vbique est nisi ille vnus infinitus. nisi forsan dicant, esse vbique Deos, & ideas quatenus sunt in Deo. vel quatenus operari vbique corporum possint, non

tamen simul vbique vnus est idem operans, vel quia non repugnat eum, qui est in terra esse successiuè in cunctis systematis: vel quia Mundus mentalis ambit totum mundum corporalem. & intellectio porrigitur in infinitum.

De muneribus gubernantium scil. Dei, Deorum, Dæmonum, Heroum, & Animorum erga visibilem, & humanum Mundum. Item quod conferant nobis septem mentales ordines Iamblico additi, cum apparent, ex sententia Iamblici, & Procli.

ARTIC. II.

De functionibus gubernantium visilem Mundum, hæc Iamblicus: *Deus,* ait, *primus dat omnia omnibus: Dij sequentes aliqua omnibus: dæmones atque animæ, aliqua aliquibus. Item deorum est omnia facere viuificare: Dæmonum est opificium circa Naturas mundanas vsque ad singula simul & perficere, & animas ligare corporibus Heroum viuificare, ratiocinarique, & animas custodire, easque à corporibus soluere. Animarum est varias ex se viuendi formas promere: & tam Diis, quam inferioribus se coniungere, & etiam sine mediis heroibus & dæmonibus, vti solet se præter solitum coniungere Diis.*

1. Et cum sese hominibus superi præsentant, dant corpori sanitatem, virtutem animæ: fouent calorem, efficaciorem reddunt ad vitam, omnia nostra reuocant ad propria principia, & ad harmoniam deducunt.

2. Mox Iamblicus noué ordines vel ordinum cohortes ponit, exque apparitionibus manifestat. *Nam post Deos Archangeli* (inquit) *eadem faciunt quod Dij: sed non adeò sufficientia nec permanentia, & supra proportionem nostram. Angeli bona magis particularia insuper diuisè tribuunt. Dæmones præsentia sua corpus grauant, morbis affligunt, aliter puniũt, animas ad Naturam trahunt, & eos qui ad cælestem diuinum ignem contendunt, circa locum inferiorem detinent, nec à fati vinculis soluunt. Heroes eadem quæ Dæmones faciunt. & insuper ad opera quædam generosa magnaque nos suscitant. Principatus bona largiuntur mundana resque vitæ huius omnes suppeditant. Principes materialia, terrenaque bona. Animæ cum apparent si puræ sunt, salutem animo, donaque sacra, spem sacram præbent. Si impuræ, ad generationem detorquent, spem frustantur, passionibusq. replent, animam corpori copulantibus.*

Proclus verò Deos alios facit opifices rerum; alios propagatores vitarum indiuiduorum; alios seruatores diuini ordinis, id est, fati: Dæmones verò sub his: alios purgationi: alios generationi: alios perfectioni, præficit. Item alios curæ animarum in syderibus, alios ascensui & discensui eorum, alios affectionibus eorum, alios inspirationi vitarum particularium, & ordini & rationibus eorum: alios corporum copulis cum incorporeis: alios cælestium virium distributioni, & ad ornatum, & picturam materiei inferioris concinnandum, & contexendum. Non longè secus Varro philosophatur.

Ex sexdecim differentiis euentorum in apparitionibus octo ordinum mentalium, ex Mundo Metaphysico incorporalem egredientium, eorum differentias agnitas fuisse Sacerdotibus, & quomodo, Iamblicum testari.

ART. III.

VNDE autem innotescere potuerint hi ordines mentales Egyptiis Sacerdotibus, docens nos Iamblicus, sexdecim varietates in apparitionibus eorum ad homines, præcipuè autem ad Sacerdotes in sacrificiis, enumerat. Dij 1. apparent in salutares. 2. habent imagines penitus immutabiles. 3. cum quiete & ordine. 4. cum pulchritudine inæstimabili supra modum delectante. 5. actionesque edunt velociores, quam intelligi queant. 6. eorum magnitudo totum cælum occupare videtur, quam incedentem nec terra sustinere posse. 7. eorum spectacula sunt prælucida fulgentiaque ad summũ, & splendore de articulata mirificè, & magis quam sint reuera. 8. quamplurimo splendore coruscant. 9. tanquam ignis indiuiduus ineffabilisque implens. 10. tanquam ignis stabilis omnino in aspectu. 11. præfulgidus purus in seipso non in alio permanens. 12. Dij materiam repentè cõsumunt. 13. ostendunt Deos vel Angelos circa se adsistentes. 14. demonstrant omnia ordinum principia in se tanquã in supremis. 15. Tenuitate luminis tanta fulgent, vt corporis oculi non possint capere, sicut pisces ab aqua turbida in aërem purum eleuati deficiunt. 16. Veritatem, Potestatem, & actionem nostram ad summum corroborat, & bona præbent amplissima eorum apparitio.

Archangeli in suis apparitionibus ita correspondent Diis. 1. apparent horribiles simul & mansueti. 2. minus immutabiles tamen, quam Dij. 3. cum quiete & ordine, & efficacia. 4. consimiles Diis in pulchritudine, sed minori. 5. celeritas actionis eorum miscetur in gradu minori. 6. ipsis apparentib. partes Mũdi quædam cõmouentur, præceditq; lumẽ in se diuisum. 7. spectacula vera, perfectaque.

8. Præfulgidæque imagines. 9. Ignisque eorum indiuisus, habens circa se velante vel retro quam plurimam multitudinem. 10. Stabilitatis quoq; particeps. 11 Fulgor eorum permanens, sed quasi in oleo. 12. Materiam consumunt paulatim. 13. Angelorum caterua vallati apparent præcurrentium, vel sequentium, vel circunstantium. 14. A Diis ostendunt se dependere. 15. Splendorem emittunt subtiliorem, purioremque quam tolerari queat: non tamen adeo intolerabilem sicut Dij. 16. Præbent bona ampliora, sed particularia magis quam Dij, & cognitionem & potentiam non simpliciter, sed ad hoc, & ibi, & tunc, & hoc pacto.

Angeli autem. 1. Apparent mitiores. 2. Immutabiles, sed minus quam Archangeli, in magnitudine, forma, figura & actione. 3. Adhibent quieti & ordini motum moderatum. 4. Pulchritudinem inferioris gradus sub Archangelis. 5. Celeritatem cum motu & effectum post dictum. 6. Forma & lux minor istorum, & diuisa magis. 7. Effigiesque eorum speciem seruant eamdem, excepto quod à notitiæ plenitudine agnitionis discretione deficiũt. 8. Fulgidi apparent. 9. Ignem diuisum præferunt, sed in ideis absolutissimis. 10. Qui stabiliter mouetur. 11. Et permanet in alio. 12. Soluunt à materia, & ad sublimia reuocant. 13. Opera ordini suo congrua præferunt. 14. Declarant se ab Archangelis dependere. 15. Tolerabilem cum suo lumine, perficiunt aëris mistionem, sacerdotibus attingibilem. 16. Bonaque præbent determinata magis.

Dæmones apparent. 1. Metuendi. 2. Mutabiles magnitudine & figura. 3. Cum turbatione, ordinem transgrediente. 4. Cum pulchritudine in speciebus determinatis secundum rationes essentiæ. 5. Celeriores in actionibus quam sunt effectu & veritate. 6. In magnitudine & forma diuisa magis, & minori. 7. Spectacula exilia & quasi caduca habent. 8. Turbidum ignem. 9. Diuisumque magis. 10. Instabilem. 11. Mistos in se habent Mundi vapores: feruntur que instrabiliter præter vel secundum Mundi motum. 12. Diligenter exornant materiam. 13. Boni Dæmones opificia sua, & bona, quæ tribuunt præ se ferunt. Dæmones vltores suppliciorum species, aliique Dæmones praui occurrunt circundati feris letiferis, voracibusque. 14. Patefaciunt sese superiorib. ministrare Angelis. 15. Nihil eis apparentibus totus aër cõpatitur, nec fit circunfusus subtilior: neque præcurrit lumen aërem anticipans, circunlucetque minimè.

Heroës. 1. Verendi apparent minus. 2. Mutabilesque, vt ferè Dæmones, alias aliter. 3. Cum motu & festinantia. 4. Pulchritudinem indeterminatis speciebus secundum fortitudinis actum habent. 5. Magnificè incedunt ad effectus: & tardius perficiunt, quam Dæmones. 6. Angustiorique forma, aspectque magnanimo. 7. Exilioribus spectaculis. 8. Mistoque lumine ex pluribus. 9. Igneque consimili Dæmonibus, sed non æqualiter. 10. Sed properantiori. 11. Generatiuæ spirituum compositiones eis admiscentur, circa quas & ipsi commouentur. 12. Captant materiam, competentes vbique mensuras strenuè commodeque ipsam curant. 13. Tacet hic Iamblicus de Heroibus. 14. Ostendunt se superioribus subiacere alia ratione. 15. Cum apparent plagæ quædam terræ commouentur, sonitusque circunsonat, aër non fit subtilior, accessibilisque est sacerdotibus. Dona Reipublicæ terrenæ fiunt.

Principatus apparent. 1. Stupendi. 2. Immutabiles. 3. Cum stabilitate, constantiaque in se ipsis. 4. Cum pulchritudine principali & natiua. 5. Cum authoritate & imperio veniunt ad agendum. 6. Prægrandes & vasti. 7. Spectacula faciunt perspicua. 8. Splendent purius. 9 Igne apprime lucido. 10. Et quieto. 11. Permanent eodem modo, mundanum, quod habent, ostendentes. 12. Astant materiæ supereminentes: & hoc pacto sese ostendunt. 13. Prouincias Mundi quasdam secum demonstrant. 14. Præfecturã circa Mundum ostendunt. 15. Circuncurrit eos visorum circunuolutio plurimorum difficilis toleratu: & volumen eiusmodi circa eos est mundanum.

Principes apparent. 1. Noxij & infesti. 2. Multiformiter variantur. 3. Cum tumultu. 4. Ficta pulchritudine adornata, & elaborata. 5. Cum emphasi agunt, & minori tamen effectu. 6. In flati, superbique & insolentes. 7. Spectaculis obscuris. 8. Splendore ex dissimilibus contrariisque confuso. 9. Cum aliqua opacitate. 10. Tumultuosi. 11. Materialibus liquoribus pleni. 12. Impletos se penitus materia monstrant. 13. Afferunt materiæ conditionem ordine carentem. 14. Præfecturam ostendunt circa materiam. 15. Volumen terrenum circa eos: neque super mundana, neque elementari subtilitate.

Animæ apparent. 1. Similes Heroibus, licet minores. 2. Mutabiliores. 3. Cum minori stabilitate & ordine. 4. Cum pulchritudine in rationibus determinatis, sed diuisis magis, sub tamen specie comprænhensis. 5. Cum mobilioribus, & debilioribus actionibus. 6. Effigie in æqualiores & minores. 7. Spectaculis vmbrosis. 8. Igne pleno ex multis generationibus admisto diuisoque. 9. Multiformique ex multis Mundi naturis. 10. Contendunt, trahuntque in generationem. 11. Superflu's maculis, alienisque speciebus repletæ 12. Cum sunt puræ, seorsum à materia: impuræ, inuolutæ materialibus. 13. Purificata igneam ostendit figuram, puram, & micantem lumine, stabili, gaudens benefactis.

Impura vero, labensque deorsum trahit signa vinculorum & pœnarum, & spirituum compositione grauatam: turbationibus materiæ occupatam. Seque subdentem imperio Dæmonum, generationi fauentium. 14. Declarantque se infima loca tenere. 15 Aër eis connatus videtur.

Dij affectiones, & amorem diuinum animorum, & lætitiam, & perfectionem quasi conciliant. Archangeli contemplationem intellectualium summopere puram immutabilemque potentiam. Angeli rationalem cognitionem, virtutemque ordinatam. Dæmones appetitum generationis. Heroës studium ciuilis gubernationis. Principatus motus mundanos. Principes materiales, animo naturæ, operumque fatalium. Animæ appetitum generationis, & studium corporum curandorum.

Adnotatio de Apparitionibus Animorum, dictis ab Iamblico qualiter cum experietia Christianorum conueniant. Et quod non propterea sunt diuersæ Animorum species: neque vna ex eis atque Angelis: neque sunt partes Mundi Angelici, antequam corporentur, neque exitum de Mundo in Mundum esse localem: & fieri ob copulam Mundorum.

ARTICVLVS IV.

IN quibus Iamblici descriptionibus adnotandum, quod & si animæ ad mentalem spectant mundum, haud tamen eiusdem specie sunt cum cæteris mentibus prioribus, vt nostrates Origenem voluisse narrant: neque creatæ ante mundum visibilem in mentali, ex quo cadentes in peccatum, cadant in generationis sphæram, & corporentur, vt Platonicis, & Origeni propterea videtur, quod incompletus fuisset mundus mentalis ante sensibilis creationem. Etenim creantur ad colligationem mentalis cum sensibili mundo. Quem incompletum esse dicimus ante quam omnes animæ, quas facere destinauit Deus, creatæ fuerint, & fiet periodus sæculorum generationi dedicatorum, & succedat firmitas rei factæ, quæ nunc est in fieri, & huius mundi ornatus postremus: omnis enim creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc subiecta vanitati non volens, donec veniat sæculum stabile. Mentalem vero etiam incompletum dicimus, nam & mentes humanæ, vt etiam Platonicis, & Mercurio videtur, transferendæ sunt ad ordines mentium Angelicarum, vacuatos in casu Dæmonum. Neque enim decet arbitrari, Dæmones natura malos, sed obstinata electione: quemadmodum & Platonici paucissimi, & Zoroaster, teste Plutarcho, agnouerunt. Quapropter cum de animarum apparitionibus, & propensionibus ad corpora Ægyptij sacerdotes Iamblicum docent; nequaquam putandum, quod tanquam de æternis loquantur rebus, more Platonico: sed quæ apparitiones fiunt animarum defunctorum hominum. Quas, reuera, & lucidas viderunt etiam nostrates viri sanctissimi, cælestia scandentes: & aliquando ad nostram consolationem remeantes, vt patet de anima S. Francisci, & de anima S. Agnetis suis consanguineis cum multitudine animarum lucidarum comparente, & de anima sanctæ Catharinæ Senensis similiter comitata: & de plurimis aliis. Viderunt etiam alias animas impuras, & catenis ligatas, & vexatas Diabolorũ vi ad ima cadentes, vt patet in Dialogis sancti Gregorij, & vita sancti Patritij, & in libro Carthusiani Dionysij de quatuor nouissimis. Visæ sunt aliæ animæ mediocriter se habentes, quæ ad purgationem ibant. Quas sanctus Nicolaus Tolentinas, & alij multi, & Monachus Cluniacensis, & D. Bernardus viderunt, & quotidie visuntur. Et cum sit tam varia apparitio animarum, non est specierum variarum esse illas nobis existimandum: sed variorum meritorum, pro quibus vadunt ad loca singulæ sibi congruentia. Cum ergo de cælo descendere in corpora, & exire de mundo mentali ad corporalem animas legimus, sermo est secundum capacitatem sensualis hominis. Neque enim transfertur Anima de mentali in materiam localiter, neque Deus facit Animas in cælo, vel extra corpus: sed memento semper quæ diximus de quinque mundis, quorum quisque est in quoque, & posteriores in prioribus: distantes ab inuicem dissimilitudinis regione tantum, non rei, neque existentiæ interstitio. Sic etiam filius Dei, & Angelus, dicuntur exire à patre, quatenus ille se ostendit in corporali creatura patri dissimillima: & iste ab assistentia ad ministerium in exterioribus. In quo ministerio semper seruat adsistentiam simul, vt etiam Iamblicus nouit: imo quo melius adsistit, melius ministrat, quia opus speculationi ad amussim respondens absque vllo edit errore, edendumque iubet. Vnde Angelus Persarum Angelo Iudæorum obsistebat, quando incertus erat, quoniam minus adsistebat, quam Seraphinus, qui sanè conscius magis diuinæ voluntatis forsan non restitisset.

Consideratio ad Apparitiones iam dictas.

ARTICVLVS V.

PORRO notandum, quod de apparitionibus Dei nil loquutus est Iamblicus nec Ægyptii: quoniam diuina maiestas immensa est, ergo non capibilis à nostra modicitate præsertim sensoriorũ, vt de Semele fabulosa Philosophia monet. Item absconditur in luce, quã habitat inaccessibilem, sicut alia Entia in tenebris. Et omnis creatura est sacramentum Dei, idest, signum: quæ cum sint infinita in successione infinitis modis ipsum repræsentabunt: tamen ad instructionem nostram extraordinarias habet apparitiones. Moysi enim apparet in forma Ignis in Rubo, & Danieli Antiquus dierum in curru igneo, à quo fluuius Ignis exibat, vallatus ministrantium & assistentium millionibus Angelorum. Isaiæ in solio excelso cum splendore & fumo replentibus templum: & Seraphin, & Cherubin circa ipsum. Ezechieli gloria Domini in specie Ignis, & venti, & nubis super curru quatuor animalium, idest, mundi elementorum, rotis spiritu vitæ præditis agitato. Ioanni vestitus Ecclesiarum mysteriis, & mundi ætatum symbolis. Quibus sub formis nec Angeli nec Diaboli com-

parere audent., vt ex dictis Ægyptiorum apparet: nam etsi Diaboli transfigurent se in Angelos lucis, semper tamen saltem in vno pede, vel membro vel actu suæ prauitatis signum ostendunt: quamuis frequentissimè sub specie bestiarum: Angeli vero hominum speciosorum. Rursus notandum quod quamuis affectiones propriæ naturæ in speciebus apparitionum per se ostentare habent. Nihilominus iuxta id quod annunciare volunt, mutantur. Iosue enim apparuit Angelus ense munitus docens quod castra Domini tuebatur. Dauidi euaginato gladio ad vindictam criminis. Ioanni habens faciem solis,& crura instar columnarum cum vno pede in terra, altero in mari, amictus nube & iride, vt prædicaret sæculi finem, pacem bonis, exitium malis in omni elemento. Sic de cæteris. *Intelligentia opus est in visione*(ait Daniel) *& discretione spirituum* (ait Ioannes) de quibus in Theologia. Ex symbolis autem licet Philosopho iudicare. Nam Spiritus sanctus donum linguarum, & robur, & velocitatem ad discurrendum per orbem præbens Apostolis, apparuit in vento & flammis figuram linguarum ferentibus. De his Theologi philosophantur. Aristot. tamen in lib. de Diuinatione, & Auerr interpretationes somniorum per symbola fieri oportere admonet. Et Iosephi Philosophiam in somnio Pharaonis, de septem vaccis, & septem spicis, prius pinguibus, deinde macilentis, allegat. Et re vera symbola eadem in somno & vigilia præsentari possunt: & consimiliter iudicandum est de Apparitionibus extra & intra. Nec est qui saltem somnia symbolica, quæ nec ab humoribus intraneis, nec à reliquiis diurnarum sensationum, nec ab aëris cœlique circunfusi inspiratique passionibus fieri possunt, sed ab inteligente solum causa, ordinante species varias ad significandum, qualia sunt somnia Pharaonis & Nabuchodonosor in S. literis, & alia apud Valer. Max. & Cicer. & Archimed. & Cardan. & quæ ego narraui in lib. de Sensu rerum prænunciantia futurorum contingentiam: & quæ expertus sum in adolescente, qui futura & absentia aliquando clarè, aliquando per symbola videbat. Et mirum quo pacto experimentum proprium Pseudopolitici eludere conantur non minus ignoranter & imperitè, quam impiè. Quod si in somnio ista fiunt, & nonnisi ab intelligente causatur non in vigilia eadem causa eas nobis facere apparitiones testificatas in omni natione à doctis & indoctis, bonis & prauis, credenda est ab his, qui non viderunt vigilando?

Correctio sermonum Iamblici de Ordinibus mentalibus iuxta rationem, & sancti Dionysii doctrinam, experimentaque sanctorum virorum.

ARTIC. VI.

Exam.

NOTANDVM præterea, quod Iamblicus prius quatuor ordines posuit cum Mercurio, videlicet, Deos, Dæmones, Heroas & Animas, post primum Ens: hic autem videtur septem aut octo dicere, videlicet, Deos, Archangelos, Angelos, Dæmones, Heroës, Principatus, Principes & Animas: & quidem Principatibus tribuit ea, quę sunt bonorum Angelorum: principibus vero quæ malorum. Item Heroas facit similes Animabus: ex quo plures Philosophi putarunt Heroas esse viros sáctos, qui in numerum Deorum relati sunt, hoc est, Angelorum. Quapropter mirum quo pacto facit eos superiores principatibus, quibus meliora tribuit. Item quo pacto Angelos & Archangelos, qui ex ministerio & missione habent nomé, post duos ponit: Principatus vero, qui à principando vocabulum trahunt, posteriores facit etiam impuris Dæmonibus, & Heroibus. Item nescio, cur alios Dæmones bonos, alios malós dicat, non autem similiter partitur principatus: & profecto secundum ordinem naturæ possunt multi Dæmones; qui ceciderunt de Thronorum & Cherubinorum ordinibus, esse priores principatibus: attamen nunc subiectos esse illos his ipse quoque Iamblicus nouit, qui bonos malis præficit: nullamque præfecturam dat malis, nisi inter cohortes malefacientium: hi autem præfecti Principes videntur Iamblico dici.

Igitur arbitrari licet, quod Ægyptiis & Babyloniis & Græcis doctrina de mentibus mundo præfectis tradita est à patribus primi sæculi: sed variata est postmodum, adulterataque, sicut & aliæ scientiæ & religio. Cum præsertim Angeli desertores, qui non seruauerunt suum ordinem & principatum, apparendo sacrificulis, multa mentiti sint ad eo quod etiam Iamblicus & Proclus & Porphyrius testantur de ipsorum mendaciis, & quod se mentiuntur esse Animas defunctorum: vt hinc etiam crederemus falsam esse doctrinam de origine & pœnis, & præmiis animorum; & tanquam amicos in corporibus Dæmoneplexia affectis eos viuere permitteremus: quod etiam nostris accidit temporibus.

Quapropter existimo, Deos vocari apud antiquos solum modo adsistentes Angelos, videlicet Seraphinos, Cherubinos, Thronos. & Iamblicus ita etiam asserit: imo neque Deos quispiam in mundo corporali facere immediatè, sed per medium Dæmonum & Heroum & Animarum. At ministrantes deinde non sunt septem, nisi addas ordinem Animorum. In sacris autem literis ponuntur septem spiritus Dei missi in omnem terram, idest, septem ordines & Raphaël Tobiæ dixit se esse vnum de septem, qui assistunt ante Dominum. Assistunt enim vt accipiant mandata: ministrant autem prout acceperunt. Vnde idem Raphael assistit Domino, & ministrat Tobiæ: & quoniam animæ corporibus exsolutæ etiam ministrant in multis: comparent enim nobis, annunciantque ex Dei mandato: idcirco septem ordines erunt ministrantium: quos etiam ponit Iamblicus. Verumenimuero confundit ordines: quos enim Archangelos vocat, hi sunt Dominationes: id quod ex apparitionis maiestate incommutabili eorum addiscimus: habent autem nomina inferiorum superiores eminenter, inferiores vero superiorum ex participio. Angeli ergo Iamblici sunt virtutes apud S. Dionysium. Dæmones

Iamblici, sunt Dionysio Potestates. Heroës Iamblici, Dionysio Principatus. Principatus Iamblici sunt Dionysio Archangeli. Principes Iamblici sunt Dionysio Angeli, opifices & Custodes materialium. Confusio autem hæc accidit gentilibus ex Diabolorum deceptione, & ex eo, quod Diaboli ad inferiora redacti cum essent de superiorum numero, nomina sua retinentes sunt in causa, vt videantur. Gentilibus, qui priores sunt esse posteriores: manifestum est enim, quod Principes & cacodæmones, Iamblichi & Heroës quidam, mali sunt: & tamen super bonos principatus ponuntur in ministerio: quod non habent nisi ex natura ante lapsum: nunc enim potius ministrant sub principatibus. Et nisi pœnæ ratio nos admoneret superbiam Dæmonum subditam esse infimis Angelis, dicere possemus, quod qui ceciderunt ex propriis ordinibus diuisis, nunc ministrant iis, qui remanserunt in ordinibus eisdem.

Cum autem quæritur, cur octo ordines faciat Iamblicus, qui prius fecerat quatuor? Respondemus, ex incertitudine sic loquutum: & quæ audierat, enumerasse: verùm sub Diis Archangelos & Angelos comprehendi: sub Heroïbus vero Principatus & Principes: sub quibus Animæ sunt, diuersi quoque ordinis, puræ scilicet & impuræ. & quidem Principatus cum sit super mundi regna non potest esse nisi bonorum Angelorum. Principes vero possunt etiam mali esse: quoniam hi Principes dicuntur, qui primi sunt inter ministrantes Principatibus. In Euangelio etiam ponitur Princeps Dæmoniorum Belzebub, non autem Principatus: & de Principe Tyri & Babylonis inuisibili sub Typo visibilis, est in Ezechiele Propheta mentio. Dæmones ergo sunt omnes secundæ Hierarchiæ, Heroes vero omnes ad tertiam pertinentes, & vtrisque admiscentur Dæmones.

Quinque ordines Cacodæmonum ab Orpheo & Recentioribus numeratos, non omnino rectè à Trithemio describi.

CAP. VI. ARTIC. I.

Examen.

DÆMONES quidem quasi sapientes iuxta vocabulum Græcum nominantur: & fuit vocabulum bonorum & malorum Angelorum. Sed quoniam per sophismata in dictis & factis nos decipiunt mali Dæmones, remansit apud Christianos nomẽ hoc solis malis Dæmonibus tributum. Dæmonum genera, seu potius ordines sex numerauit Orpheus ad Museum scribendo, videlicet, Æthereos, Heroas, Aqueos, Terrestres, & subterraneos: qui omnes immundi sunt prauique, vt Zoroaster, Chrysippus, Plutarchus, Philo, & Porphyrius probarunt experimentis: eosque describit Psellus, & Abbas Trithemius: & quidem Apostolus ad Ephesios experimento & reuelatione doctissimus, nominat Principatus aëris, & Principes & Potestates, & mundi rectores tenebrarũ harum, & spiritalia nequitiæ in cælestibus: contra quos nobis esse pugnam & colluctationem docet: & Dominus IESVS Potestates tenebrarum. Et Dauid Dæmonium meridianum. & in libro Reg. videt Pythonissa Deos ascendentes de terra, ipsos nimirum Cacodæmones: vt in Iob dicitur, quod Behemot dormit in secreto calami, & habitat in locis humentibus. Vnde non spernenda videtur diuisio: & Deos syluarum, & Aquarum, & Inferorum, & aëris, & ignis, apud Philosophos Platonicos & poëtas passim habemus.

Quapropter Proclus, non rectè Dæmonibus tribuit vim, aliis purgandi, aliis generandi, aliis perficiendi, aliis opificium secundum Deorum proprietates, quibus subsunt: hæc enim nullus facit Dæmon nisi ad malum, vt in sequentibus sermonibus palam fiet?

Dæmones igneos seu cælestes, tam subtilis substantiæ ardentisque esse putat Trithemius, vt corpora crassa inducre nequeant. Ergo nec cum hominibus commercium habere, sed sub luna vagari, sicuti D. August. scripsit.

Aëreos induere aliquando crassiora corpora, & apparere: aërem turbare: fulmina & tonitrua efficere, & procellas & ventos: affici superbia & inuidia. Mutareque passim formas pro affectionum varietate: fieri insidiosos, violentos, prout suis agitantur passionibus, & prout Platonici dicunt, solem aspicientibus in modum ignitæ niuis apparere: maleficosque esse valdè.

Terrestres, quos etiam S. Ignatius agnouit, alios versari in syluis, insidiarique venatoribus, alios in campis itinerantium infestatores: alios in locis abditis cum hominibus demorari: quorum alij gaudent solum illudere hominibus: alij admirationem ex prædictionibus sibi conciliare: alij furore agunt homines, vtentes atrabili prauisque humoribus, & passionibus animi terribilibus, quibus se se miscent: hi non seruiunt Magis: territare solum contenti, quanquam in annulis, & chrystallis, & archis, & phialis, & speciebus teneri aliquando sese simulent: & dent inde responsa, & maleficia aliorum Dæmonum soluere polliceantur.

Aquaticos in fluuiis, lacubus, habitare, plenos turbationum, & fraudum: maria concitare: nauigia si permittatur, mergere, & in specie fæminea frequentius apparere, vt Syrenas, & Naiades, Nereides: nec virile schema posse præ mollitie assumere: & mirabilia in aquis facere, sicut Poëtæ & Historici etiam narrant: nec cum hominibus conuersari. Angelos bonos semper in forma virili, malos autem aliquando, illos modo, qui aridas incolunt regiones.

Subterraneos intra terræ cauitates habitare, hiatus terræ efficere, ac terremotus: ædificia subruere, ventos flammigeros excitare: thesauros defossos seruare: fossores puteorum & metallorum ludificare. Nocte de montibus exire, & turmatim chorizare in campis: animas se defunctorum esse mentiri: homines in speluncas allicere, ibique se beatos ostendere.

Sybillas

Sybillas se esse mentiri:cum pastoribus interdum conuersari:thesauros transportare:ostentare ad magorum incantationes, vt astantes fallantur, haud tamen dare.

Lucifugos non posse corpus nisi de nocte assumere: de die nusquam apparere: inperscrutabiles esse: tenebrosos, passionibus frigidis agitatos: malitiosos: inquietos: occurrentium hominum compressores: fugere commercia, omnemque tumultum: canes quoque imitarier.

Hæc Trithemius ex variis autoribus sacris atque prophanis: verum quod putat, Dæmones cælestes, qui Apostolo spiritalia nequitiæ in cælestibus dicuntur, non conuersari cum hominibus, haud tutum est: cum idem Apostolus expertissimus nobiscum illis esse colluctationem admoneat. Præterea ignea corpora eis natura in esse non probat ratio: sed tantum ex ministerio: ergo possunt indui etiam crassiora, nisi vehementia passionum obstet. Iamblicus tamen etiam ignitos apparere scripsit, & variis ignibus alios, alios vniformibus, & constanter. Verum si pyraustæ in Cypriis fornacibus induuntur ignea, poterunt & Dæmones præsertim fatuos ignes. Quibus autem retinaculis, ignoramus, nisi ignis propensio ad cælestia, per Dæmones mutetur. De aëreis melius Philosophatur, & diuo Augustino conformius. Non videri autem in solis obtutu pertinaci, nisi Galilæi maculas, ipse experior. Terrestes quoque seruire per simulationem, sicuti reliquos, dicimus. Nec aliorum maleficia soluere nisi vt magis noceant. Se transfigurare omnes in Angelos lucis etiam compertum videtur. Aquaticos in omni forma apparere, sed frequentius in fæminea, Phorcus, Neptunus, Triton, Glaucus, & alij Cacodæmones suo intuitu declarant. Cætera verè. At bonos Angelos ad diuersos fines diuersas sumere formas, etiam dicimus, sed non terribiles, quamuis maiestatis plenas, qualis apparet Danieli Gabriël. De subterrantis thesaurorum custodibus multa experimenta habemus hoc tempore. Coniurati enim ostendunt vasa aureis plena, deinde auferunt prorsus, vt pluribus probatum est hoc anno.

De lucifugis, quibus Meridiani igneique opponunur vera est sententia: sed quod hominibus non communicent in nocte, quando est ipsorum vis potens, vt Christus dixit, non satis credibile putamus.

Porphyrio, multisque Platonicis, eos Dæmones tantum sacrificiis allici, & suffumigiis, qui nobis sunt proximi, corporeique: nutriunturque nidore & vapore. Deum autem atque Angelos, mentis puritate, & rebus incorporeis conciliari: malaque omnia à Dæmonibus impuris nobis accidere, qui fingunt sese ea, si colantur, tollere, tanquam non à se, sed à Deo, bonisque Angelis illata, putatque Porphyrius abstinendum ab esu, & sacrificio carnium, quibus soli Cacodæmones necessario immiscentur: & per hæc à Magis alliciuntur in corpora humana, & in Annulos, & Phialas, & cætera.

ARTIC. II.

Vt autem sciamus, quomodo alliciuntur, & cur nobiscum conuersantur, & in sacris apparent, Dæmones atque Angeli, & alij aliis rebus præsunt, considerare prius oportet, an corporei sunt: neque enim alliciuntur corporalibus nisi aliquam ex his vtilitatem capiant: neque prosunt quicquam sacrificia bestiarum, nisi earum sanguine, aut nidore delectentur. Vnde qui talibus sacrificiis vtuntur, opinionem de Diis habent, quod sint corporei: propterea que Porphyrius Deo optimo maximo nullum conuenire sacrificium, nisi mentis ad ipsum eleuationem in summo silentio, & contemplationem, Diis vero, idest, bonis Angelis sacrificium laudis vocalis, & numeros & caracteres Mathematicos: quoniam hæc sunt eorum dona, eisque deinde congruentia. Diis vero cælestibus corporatis, hoc est, soli, & lunæ, & astris cæteris, sacrificare conuenit ignem & lucernas: quoniam ab eis lucem & ignem habemus, primitiasque eiusmodi eis debemus, sicuti agricola primitias culturæ terrarũ suis Dominis. Dæmonibus tandem animalia mactentur, & fruges: quibus placentur, ne maleficiant.

Cum enim corporei sint, passionibus corporalibus tanguntur, eisdemque nos agitant. Agnoscit quidem Porphyrius Dæmones bon s, ex anima mundi pullulantes, spiritibus copulari corporeis, & corporari: ideoque corporum species gubernare, videlicet Plantas & animalia, & vota hominum Diis, & Deorum dona ad nos perferre, idest, præcepta & vaticinia.

Itẽ præesse actibus, & Musicæ, Gymnasticæ, Medicinæ, & cætera, eo quod spiritibus, quibus corporantur benè præualent, ac dominantur. Qui vero Dæmones non dominantur spiritibus, sed eorum passionibus cientur, hi fallaces videntur Porphyrio multiformes, variique, prout ipsorum passiones postulant, Malefici generi humano. Suadent tamen Deos bonos & Deum Deorum esse causam eorum nobis malorum, quorum ipsi mali tantum causa sunt: implentque hac opinione etiam Philosophos; quod olim Gentilibus persuaserunt. Nunc autem Mahometanis & Caluinistis, finguntque si colantur, ea mala se nobis auferre, vt sacrificia bonis debita, ipsi mali vsurpent: & Princeps ipsorum pro Deo Optimo Maximo colatur: & dum vitiositates intus, de foris vero infirmitates, & pestes, & procellas, terræmotus, cient, sacrificia exposcunt, vt tollant quasi non sua, sui ipsorum mala opera. Nec tamen eis sacrificat, nisi qui impuritatibus vitiosis est plenus, vt arceat ipsorum vim placatione huiusmodi. Tales sunt Plebei & Venefici. Philosophi enim soli Deo, & Angelis sacra non cor-

porea offerunt. Vt enim ait Theophrastus: Quanto quis à perturbationibus prauis animum purgare negligit, tanto potestati improbæ magis copulatur. Quam proinde cultu demulcere opus habet, alioquin cessare nunquam à laboribus posset. Theologi concedunt Populo hæc, ita tamen vt non gustent de sacrificiis, Dæmonibus mactatis.

Dæmones mali dumtaxat libamine nidoreque carnium oblectantur, Porphyrio: propterea quod iis solet pinguescere spiritale corpus eorum. Viuit enim vaporibus, fumigationibusque carnium, & ex his vires adsumit, vnde non posse fieri autumat sacrificia carnium, quin Dæmon eis gaudens intersit, non vocatus, tanquam suis symbolis tacito pacto, & vocatione attractus. Proptereaque putat Ægyptios, & Pythagoricos ab omnibus abstinuisse carnibus ad escam, & Diaboli inhabitant obsessa corpora: & animæ mortuorum similiter, quoniam eis delectantur, vt suis, & circa occisa sua corpora diuersari sæpè audiunt, depræhenduntúrque, & à Magis alliciuntur, & captiuantur eisdem rebus, occisorumque particulis. Vtque vaticinium animorum inclusione adsciscant, deglutiunt corda coruorum, vel Talparum, vel Asturum: quibus simul animas eisdem delectatas deglutiant. Vir bonus ergo soli Deo sacrificat bonam voluntatem, bonumque iudicium de Deo, moresque bonos, quibus proximus factus Deo bonorum Dæmonum auxilio fouetur.

Michaëlis Pselli Christiani Philosophi sententia, quod Dæmones omnes sint corporei, nutrianturque extrinsecus toto corpore, totoque sentiant sensatione omni. Proprio carere idiomate. Callere tamen eorum quibus cum degunt. non esse mares, nec fæminas, sed in omnem sexum, & figuram transformari: timere minas ex ignorantia quosdam: enses vero ex doloribus illatis: esseque Dæmonum ordines sex, eorumque conditiones.

ARTICVLVS III.

PSELLVS vero Dæmones omnes corporeos esse experimentis sui, atque Marci Ephesij, comprobatum extimat & primum Sanctorum, & Poëtarum testimonio: & quia inhabitant loca frigida desiderare animalium tepidum sanguinum: igneo enim calore potius affliguntur. Idcirco & sacrificia & hominum sanguinem sitire, &, spiritu animali occupato, quo tanquam instrumento vtuntur, vexare obsessa corpora. Et quidem subterranei concutiunt, vexantque occupatum, & vociferantur. Lucifugi segnitiem & anxietatem inducunt, & offuscationem animi: nec metuens redargutiones; quoniam non percipit ob sui obtusitatem. Nec à Medicis ita tolli posse, nisi quando sunt ab humoribus, non quando ab afflatu Dæmonis, interdum vaticinantis & carmina pangentis: quæ humor nullus facit sine Dæmone: exemplum adducit Græcè fæminæ ab Armeno sene coniurata, respondentis Armenicè: & prius volentis pugnare, mox trementis.

Nullus Dæmon sui natura est mas vel fæmina: sed flexile corpus eorum figuratur ab eis iuxta affectiones in vtrumque sexum: variantque colores formasque vti volunt, sicuti nubes ab externis ventis videmus & lucibus: homo enim etiam ex ira rubescit, ex timore pallescit: vtuntur linguis nationum, quibus cum degunt, propria carentes: sunt audaces simul ac timidi. Minus propterea timent aërei. Obiurgantis sensum percipiunt & honorantis. In abyssum mitti formidant, virtute numinis inuocati per sacerdotem: magis autem Angelos, qui eos præcipites dant. Ab aniculis & rusticis exorcistis etiam timent, quoniam discernere nequeunt Dæmones proximiores materiæ quis minas intentauit: facileque capiuntur vnguibus capillis per veneficos & cera & plūbo & filo. Sunt terreni Dæmones, indocti, qui & lapides iacere solent: aërei vero sunt superbi & iactabundi, deceptionis pleni: ipsi docuerunt esse duo rerum principia. Alterum Deum bonorum, & cælestium opifex: alterum malorum, & subcælestium artifex. Addidere tertium, vt super mundana Deus pater, cælestia filius bonus: subcælestia Deus filius malus, primogenitusque summi Patris deiectus in terram. Sed falluntur Græci ista credentes, ait Psellus, fallunt & Dæmones promittentes bona, cum non nisi apparenter ea dent, vt thesaurorum fossores experiuntur.

Magia omnium rerum sublunarium naturas, & vires nouit, & quibus qui Dæmon delectatur, & trahatur.

Percussi Dæmones dolent: & ense transfiguntur, & secantur. Sed statim redeunt ad suam figuram, & solid tatem: quoniam aër & aqua statim dissecta consolidescit in vnum. Totum corpus Dæmonicum sentit omni sensu: audit enim, videt, tangit, gustatque, eodem vbique corpore: nutritur etiam non per os, sed vndique vaporem haurit, sicuti corpus nostrum, qua spiritali aëre ad nutritur inductione: exprimitque excrementa, quæ in eius corpus non transubstantiantur, sicuti nos per transpirationem. Timet ab Ense valdè: & ab his, quæ ipsum secant: & ab herbis ipsorum complexioni nocentibus, vt à rutha, fuga Dæmone, sulphure, & eiusmodi. Hæc in seq. examinabuntur.

Posse captari Stellarum & Dæmonum virtutes per sacrificia, & statuas confectas ex rebus nostratibus, in quibus sunt Cælestia & Angelica dona participatiuè & symbolicè secundum Procli sententiam; & qua ratione superiora ad inferiora descendunt, & inferiora ad superiora eleuantur per eandem viam.

CAP. VII. ARTICVLVS I.

PROCLVS in libello de sacrificio & magia, putat res omnes esse in omnibus secundum ordines suos. Et cælestia quidem in terrestribus terrestrium modo: & terrestria in cælestibus cælesti ratione: hinc oriri sympathiam & symbolum inter omnia, ac proinde allici posse facilè superiora ab inferioribus, in quibus insunt vel intellectualiter, vel rationaliter, vel animaliter, vel naturaliter. Quemadmodum ostendunt Heliotropium, & Selinites, Solem & Lunam æmulantes in motu, ac suo pro modulo laudantes, & colentes: in lapidibus idem experimur. Nam lapis vocatus solis oculus, pupillæ oculi in figuram est persimilis, ex que medio pupillæ emicat radios. Lapis lunaris corniculatam lunam etiam æmulatur sicuti heliofelenus coitum luminarium. Propterea sunt animalia solaria, vt leo gallus, homo, solaris numinis participes, & dæmonis, seu Angeli, qui solaris anima est: propter eaque leonem pauere ad aspectũ galli, quia hic superior est in solari ordine, cum solem canat propinquantem, & mutantem tempora: sunt etiam solares Angeli formas solarium animalium suscipientes cum apparent. Dæmon quoque leonina fronte apparens obiectu galli disparuit: quoniam inferiora eiusdem ordinis reuerentur superiora sui ordinis.

Notat etiam Plantas solares alias esse cum figura, vt heliotropium maius: alios in radiis, vt palma: alias in virtutis ardore vt Laurus: sic de cæteris animalibus, & lapidibus & metallis solaribus, solaribusque Dæmonibus & Angelis considerandum censet. Idcirco sacerdotes miscere solitos omnes plantas, lapillosque solares, & res, in quibus sparsæ sunt solis virtutes, ad alliciendas virtutes solis & numinis, solem animantis, vel gubernantis. Quod enim non potest vnum, possunt plura in vnum genera perficere imitando vnitatem potentissimam. Mox adscitis Dæmonibus per hæc symbola in sacras statuas & sacrificia gradatim per virtutes Dæmonum in Deorum se erexere consortium tum ex symbolo eorum, tum ex doctrina. Ex Diis autem ad Deum Deorum. Quapropter ex Mundo mentali ad corporeum egressionem videtur Proclus facere per symbola sparsa: & ad mentalem ex corporali ingressum per symbola coniuncta in vnum.

Ficini sermo de vita Cælitus comparanda per sub Cælestia cęlestibus similia, proponitur examinandus.

ARTICVLVS II.

MARSILIVS hinc Procli, Protinique sectator, libellum scripsit de vita cælitus comparanda: dum per res ordinis solaris, virtutem solis nobis cōciliamus: per res Veneri dicatas, Venerem: & sic de singulis: scripsimus autem in lib. 5. medicinalium, quæ nam sint solaris ordinis, & quæ iouialis, & quæ aliarum Planetarum, tam de stellis fixis, quam de Dæmonibus: quam de lapidibus, & de Plantis, & animalibus, & metallis, & coloribus, & de saporibus, & artibus, & cæli, & maris, & terrarum mutationibus, non ineptè. Tota autem hæc doctrina à Mercurio videtur propagata, quemadmodum suo in loco anterius memorauimus.

Ex Fic. Cælestium fauorem captari per animam Mundi, quæ cęlestia & inferiora regit, Animam vero per spiritum Mundi: quo Anima operatur, & gubernatur.

ARTICVLVS III.

SVPPONIT ex Plotino Ficinus non posse corporalia ad intellectum eleuari, neque inclinari intellectum ad corporalia, nisi per animam mundi, quæ vtrisque consimilis est. Dona autem animæ haberi per formas corporatas, ideatasque illices idearum, quæ sunt in intellectu: sunt autem in Anima Mundi virtutes seminales, quæ instar ignis naptam vbique sibi expositam ignit: idcirco non per omnes res nostrates omnes ideas nobis adaptari. Probāt ex Sinesio, & Zoroastre. Dæmones ergo corporatos facilè allici, quoniam corporeis delectantur, & intellectualibus: idcirco esse mediatores. Quorum radiis atque stellarum, ipsis propriarum, & seminalium virtutum ex Anima mundi pullulantibus, trahitur vis cælestis. Anima fabricau t in cælo stellas, & figuras omnium rerum & vultus inferiorum. Ergo superioribus respondere, vt sigillatum sigillo: figuras esse 48. & facies 36. in Zodiaco & 360. gradus etiam efficere suam quemque figurationem, & intra & extra Zodiacum. Adde configurationes Planetarum semper nouas. Ergo species inferiores formis stabilibus imaginum respondere. Induiduorum vero conditiones proprias addi ex situ Planetarum inter se & ad mundum, & ad Planetas semper nouo.

Sicut nostra Anima per spiritum dilatat suas vires in membris: sic Anima mundi per quintam essentiam spiritalem diffundere vires per omnia membra mundi: ex quibus qui hauserit sciens segregare quintam essentiam, hauriet simul dotes illis ab Anima mundi datas. Vnde & qui volunt nutrire cor, edant corda animalium: & qui cerebrum, cerebra: & qui ossa, ossa. Ergo si vis ex sole accipere virtutem, manduca solaria, eisque vtere. Si ex Venere, Venerea, in die horaque Veneris, magis autem cum in situ bono ad solem est & ad Mundum, & consimilibus confortata stellis, & in sua domo, vel exaltatione, vel triplicitate, vel termino.

Vide quibus stellis humana gubernatur species: Videtur enim solaris ex vsu ignis, & honoris cupidine, & dominatu super cuncta. Iouius ex legibus, Rep, & foro. Mercurialis ex ingenio, & inuentionibus, & artibus. Secundo inspice quid boni, quæ stella tibi in natiuitate pollicetur. Tertio procura tibi ab ea non omne: sed quod peculiare eius est donum: prout ex Astrologia nosti, licet à Sole, & Ioue, & Anima, spirituque Mundi communia potes.

Inter Mundi, Animam & Corpus mediat spiritus Platonicis, sicuti inter mentem nostram, corpusque: & in spiritu esse quatuor elementa graduatim: minimum enim terræ: plus aquæ: plurimum aëris: quam plurimum ignis: longè quam plurimum cæli, & stellarum: ad quorum graduum mensuras prodiere stellæ, & elementa: hic spiritus intus alit omnia, generatque, vt Virgilio etiam videtur: & corpora genuit omnia prima, vt videtur Auic. Porphyrio & Plotino (sed Timeo, & Christianis à Deo immediatè facta sunt) Hunc spiritum haurit homo per spiritum suum si fiat cælestis: si sordibus animi, & corporis, & vestium, & domicilij se purget: & moueatur stellarum motibus, cælique: & rebus defecatis vtatur solaribus, & applicet se radiis solis, influxibusque in certo situ nostro, vbi Sol viget in sua dignitate, & configu atione ad Planetas bonos, & fixas, & ad mundum per se. vel per Lunam, vt in astrologicis dictum est: quæ consule præcipuè lib. 6. de electionibus, ad horum intelligentiæ complementum. Item 5. Medic.

Ex Fic. Plat. Qua ratione nobis applicantur res illices spiritus, & animę Mundi, & cęlestium, & Angelorum.

ARTIC. IV.

DEINDE ad fauores stellarum captandos accipe, ait ex Thebith, lapidem illius stellæ, herbamque eiusdem: factoque anulo ex auro, vel argento, vel mistis, vt stella requirit. insere herbam, & superpone lapillum, quando scilicet Luna benè aspicit stellam in angulo medij cæli, vel horoscopantem. Ficinus vero laudat potius in cibis, & Medicinis attractum virtutis sydereæ. Valent ad vitam ex testimonio Indorum, & Apollonij. & ad fortunam talem ex tali vita valere etiam D. Thomas stellas putat ad functiones ex naturali facultate à stellis contracta. Ait enim in 3. cont. gent. imprimi à stellis aliquid in corpore, quo disponamur ad eligendum sæpè quod melius etiam nescientes finem, rationemq; interdumq; quod deterius, atque ex cælo illos fortunatos, hos malè natos vocat. Item sortiri à cælo homines in artibus efficaciam, vt miles in vincendo, Agricola in plantando, Medicus in sanando, sint fælices. Etenim sicut herbæ, & lapides aliquid supra vires elementares mirificum habent à cælo, ita & homines. Conferre quoque moribus, & ingenio, vel obesse cælestia dispositiuè, & indirectè, dū sensualem benè vel malè afficiunt, & tēperamenta: laudatque Ptolomæum dicentē. Itē 5. Pol. Mercurius in domo Saturni in bono esse dat rerum intelligentiam Medullitus lect. 13. Ex quibus S. Thomę testimoniis potest doctrina de captando fauore cælestium confirmari in omnibus directè, vel indirectè, vt nos in Astrol. docebamus.

Notat deinde Ficinus virtutem terminorum, & signorum supra singula membra humana ad medicinarum confectionem: & quando conficiendæ sunt, vt in Astrol. probatque ex dierum criticorum ratione, quos à Luna Galenus, & Ægyptij auspicantur, & nos in 4. Medicin.

Quomodo autem autem applicandæ sint res, quę spiritum multum generant, seruant, perficiantque: id est quæ lucidum, tenuem, purum, stabilem, prouidum, primalitatibus vigētem, scripsimus in lib. 5. Med. & in 4. de Sensu rerum. Et qui odores, qui sapores, qui colores, quis tepor, quis aër, quæ aquæ, quod vinum, quæ vestes, quæ conuersatio, quæ Musica, quod Cælum, quæ stellæ ad hauriendum spiritum Mundi singulis in partibus eius implantatum insertumque, & in toto vagantem, ibidem habes: & sub quibus constellationibus: quare non est, cur immoremur in Ficini commento longè exiliori. Tantum cogita, cuius stellæ vis, fauorem, & per quas res.

Ex Fic. Non modo de Cælo vires elemētorum captari, sed etiam dotes occultas ab animabus eorum Physicas, & Morales.

ARTIC. V.

CONTENDIT non modo vires elementares, videlicet calorem, frigus humorem & siccitatem à Cælo nobis nostratibusque in esse rebus: sed etiam occultas, mirificasque; qua scilicet peonia tuetur ab Epilepsia: Corallius ab atrabili: mirobalani à senectute, & obtusitate: Lapis Aquilinus partum educit: dictamus extrahit ferrum ex vulnere; & pentaphilli folium vnum sanat Ephæmeram; duo quotidianam, tria tertianā, quatuor quartanam. Has autem dotes etiam artificiatis à Cælo euenire vt theriacæ ad veneną pulsanda. Quæ virtus eo fortior, quo sub constellatione sua simplicia colliguntur, & conflantur. Oportunitas enim Deus est Pythagoræ, quoniam absque ipsa frustra inceptantur omnia. nec fit libertatis iactura per temporis electionem, sed consilij præcipitatio absque electione sequeretur: vt & M. Alb. docet.

Ex Fic. Plat. De Figuris, imaginibus, statuis, & sigillis, à Cælo vim sortioribus per Astrologiam.

ART. VI.

QVapropter imagines in laminis sculpebāt veteres (quoniam Planetæ illam Cæli imaginem positi in Angulo benè afficiebant) valituras contra morbos earum, & in rebus quidem earumdem asterismis subiectarum; vt Haly Luna subeunte serpentem cælestem, vtiliter sculpi eius imaginem. Scorpij verò, cum ipsum angularem Luna fouet, in lapide Bezoar sculpsere Ægyptij, quo thura sigillata contra ictus Scorpionis & Venena, fæliciter in potu dabantur. Adeoque his confidebant, vt etiam statuas loquentes, & se mouentes ad certas constellationes ex materiebus certis conficerent, sicuti Trismegistus pridem docuerat. Nec desunt posteriores sigillorum, & imaginum confectores; quibus se omne genus infirmitatis sanare profitentur. Imò quidam impius serpentem Æneum à Moyse sub certa Scorpij, vel Serpentarij configuratione factum contra ictus serpentem, audet scribere. & vitulum adorasse Hebræos confectos sub Tauri signo ad captandum Veneris Lunæque auxilium contra Scorpiones, & martios influxus: Eligebant autem lapillos pretiosos Planetis dicatos, vel spontè in terra Natos, vel in visceribus animalium, Planetis dicatorum, aut aurum, argentumuè, tanquam metalla aliorum metallorum vires in sua eminentia continerent. Confirmat Petrus Aponensis virtutem imaginis serpentarij in lapide emathite, inserto annulis: sub quo particula herbæ serpentarię inerant, qua Persæ vtebantur. nam & sanatos apud nos quosdam per illa memorat.

Ficinus ex dictis Platonicorum, & Pythagoræorum autumat radios stellarum colligi in centro Terrę, proptereaque ibi ignem esse, quo torquentur damnatæ animę, non lucidum. Lux enim permeat solùm non opaca: Calor verò omnia. Igitur & metalla & lapides, quibus insculpuntur imagines affici calore, & luce adhibitæ constellationis, ac dotes eius accipere occultas, quales in Naturalibus etiam imprimuntur ab imaginationibus mentibusque cælestium, etiam durissima corpora magis penetrantium, quàm fascinator puerulum: & Remora quàm sistit nauim, & rabidus canis morsum hominem in se conuertit: & grauida mulier tactu appetitę rei inficit fætum. Cælum enim efficacius est istis. Quod nimirum suo vultu statim innumerabiles procreat ranas: & suo calore statim infumum agit solida ligna: & res dispositas, qualia sunt metalla & lapilli stellares, olim à suo sideris dotem melioratam sortiantur.

Figuras autem valere naturaliter autumat: quoniam res mathematicæ Physicas antecellunt, propriæque sunt cælestium magisque vires elementorum; imò apud nos si mutatur calor herbę, aut animalis, species non subito mutatur, sicuti mutata figura. proprietatem enim habet cum speciebus inseparabilem sub ideis. Imaginans fæmella pręgnās, fętui imprimit figuram imaginatam. Vultus Regis mouet Populum ad hilaritatem, vel mærorem, lux & calor quantum valeant, scimus omnes. Quid mirum si figura Cęli, & vultus, & lux, & color &

motus tantas virtutes in artificiatis rebus imprimunt? Non enim figura agit, sed actionem cælestis figuræ allicit, sicut chorda sonans alteram vnisonam ad sonandum afficit in Cytharis; & figura caua speculi lenis ignem cælestem concipit, redditque: sic & alios influxus aliæ, vnde factæ sunt statuæ & fiunt, quæ Ciuitatibus ruinas ferunt ex cælestibus maleficis conceptas stellis, vt testatur Porphyrius. Albertus magnus in speculo experimenta ponit confirmantia vires imaginum, sed abusum damnat, & suffumigia, & orationes adhibitas à Magis, ne Dæmon fortè ingeratur. D. Tho. in 3. cont. Gent. c. tantum virtutis in laminis per Astrologiam figuratis acquiri putat, quantum solet Cælum per herbas consimiles facere, & per metalla naturaliter. Non tam quia figura talis sit in ea materia, quam quoniam compositum tale iam positum est sub certa quadam artificij specie, qualis cum Cælo conueniat. Caracteres autem & figuras nihil valere autumat per se, nisi ad intelligentem dirigantur virtutem pro signis quales sunt Angeli, & Dæmones hominesque. In libro etiam de Fato Cælum suis constellationibus ordinem essendi atque durandi dare non solum naturalibus, sed etiam artificiatis docet: ideoque imagines sub certis constellationibus fabricare. At si quid mirabile vltra consuetum effectum accidat, id dæmonibus aut Angelis tribuendum. Quod & Iamblicus fatetur decipi scilicet fabros imaginum à dæmonibus.

Ex Fic. Plat. Quid per imagines Astronomicas nobis, & quomodo communicantur secundum Antiquos.

ARTIC. VII.

Ntiquiores putabant, quemadmodum alliciuntur in corpora humana ignei Dæmones per humores, spiritusque igneos; & subterranei per obscuros, impuros atrabiliosos; sic etiam per radios stellarum spiritus earumdem stellarum, & per suffumigia & odores, & sonos, & colores, illis stellis congruentes. & hoc in statuis, & in humanis corporibus. Alij addunt spiritum mundi per radios stellarum nostro spiritui communicare, & radios imprimi imaginibus, quæ tactu nos afficiunt. Alij dicunt etiam à longè, vt quæ imagines ciuitatem euertunt. Adhibent fidem & amorem ad contrahendum virtutes stellares, sicut ægrotus de medico confidens sanatur citius. hic sermo inferius examinabitur.

Per septem ordines rerum, Planetis dicatarum, cælestes influxus captari, maximè autem per sonos & musicam, quam putant mouendi vim cuncta inferiora habere: & quomodo quisque proprium genium atque custodem cognoscere valeat: operarique secundum ipsum vtilissimè.

ART. VIII.

Opinio examinanda.

OST hæc, vt ostenderet quanta vis est in Musica, facit septem ordines rerum. In primo locat lapides ac metalla, quibus Lunam præficit. In secundo compositiones ex herbis, gummis, & membris animalium. quæ Mercurio subiicit. In tertio pulueres tenuissimos, vapores & odores, flores, & vnguenta redolentia, Veneri. In quarto verba cantus, sonos dicatos Apollini. In quinto vehementes motus, imaginationes affectus, grandes Martiales. In sexto discursionem, & deliberationes & leges, quib. præest Iupiter. In septimo ecstases contéplationesq; secretæ philosophiæ, quas Saturno refert, quem Iudæi sabath, id est quietem vocant. Sicut ergo ex herbis & gummis fiunt compositiones, speciem à Cælo sortientes, qualis est Theriaca, sic etiam ex sonis certis certas sydenum haurimus (putat) dotes Physicas, si perscrutati quas vires, & quos effectus stella quælibet in se habet, & verbis cantionum detestabimur, quæ stella aufert, & laudabimus, quæ præbet. Deinde cui loco, & cui homini stella illa fauet, ac simul qualibus rebus, & moribus, & sonis, & cantibus illa regio, & ille homo delectetur: vt ipse eos imiteris. Tandem situs aspectusque stellarum quotidianos obseruabis, & his ad quos potissimum sermones, voces, & sonos, & saltus, & mores incitari soleant, vt & tu imiteris, atque sic stellæ illius influxus consequaris. Cantus enim imitatur corpus, & anima motione aëris & significatione, ita vt sit quasi animal spiritale, facilè captans virtutem stellę magis quā medicinarum compositio, & laminę. Deinde declarat, qui cantus cui Planetę conueniant, quanquam sunt omnes solares, & non potes illos tibi conciliare, quemadmodum cytharę chorda pulsata reboat consimilis non pulsata, vtque echo vocib. respondet nostris: & morsus Tarantula ad sonum congruentem excitatur: Sacerdotes quoque Indi commouent nubes, maria & Lunam. Tantumque huic musicę tribuunt Platonici, vt Fabius Paulinus Orphęi lyram ad cęlestis lyrę rationem temperatam potuisse nedum homines & feras, sed etiam

lapides & plantas attrahere, vt poetæ testantur: quoniam totus Mundus est animatus, & Cælo subiectus, ita vt Cæli viribus Cytharę communicatis obediant. Item Cælū est Harmonica ratione compositum motumque harmonicè. Ergo non modo homines, sed omnia inferiora eius harmoniam imitantur, participatam in septem gradibus, videlicet laminerum imaginatarum, medicinarum, odorum, colorumque, sonorum, imaginationum vehementium, discursionis, & contemplationis, per quos homo ad sui syderis dotes præparatur. Propterea Theologi Saturnini; legisperiti Iouiales; milites martiales; Musici solares: vnguentarij & vestiarij Venerei: Pharmacopei, Mercuriales; Metallici Lunares videri debent Ficino. & omne genus hominum ad septem distribui ordines iam dictos.

Cum ergo omnis homo ad aliquod vitæ genus sit secundum stellas natus, inspectare debet ex propria inclinatione sidus sibi propitium: eiusque sequi inchoationem in artibus. Dæmon quoque illius syderis, & artis fauebit. Si ergo aggredietur oppositam professionem infæliciter sibi cuncta cedent.

Deinde docet, duos esse custodes hominis angelos, ex Platonicis & Astrologis; alterum proprium genituræ, alterum professionis. Sed hoc negat expressè Iamblicus contra Porphyr. Cognosci autem custodem Angelum ex Planeta Domino natiuitatis, qui locis hylegialibus, & horoscopo, & præcedenti lunationi plus dominatur, vt in Astrologia diximus. Chaldæi verò à loco partis fortunæ solummodo Angelum custodem inuestigant. Ab aliqua Cæli plaga fælici, vt ab angulis, & à succedentibus, & à nona, & vndecima optarunt habere custodem, vbi locus fortunæ cadit, proiectione facta ex horoscopo graduum, inter luminaria positorum. Iamblicus autem non cognosci, neque dari custodem à figura, eiusque dæmonio. Sic enim non eleuaret nos supra fatum natiuitatis: sed dari à principio altiori scil. à superioribus Diis: & per cultum superioris numinis solui nos à fato, instigante custode; & à vaticinio Prophetarum maximè cognosci & custodem, vt ea, quæ de syderibus latent. Neque enim Astrologia, nisi Patrum reuelatione constat, neque certos euentus sciri posse nisi ex reuelatione: quoniam non oẽs causas, & causarum modificationes, & concursus, & impeditiones, prænotare valemus.

Mox Ficinus docet, vnde quisque suum genium agnoscere queat ex moribus scil. propr is, & inclinationibus. de quibus nos in quarto Astrologicorum abundantius loquuti sumus. imò ex temperamento, & Physionomia etiam coniectare valemus, cui nam stellarum nostra subsit vita: & sub eius fauore nostra tractare debeamus: & quibus rebus patrocinium syderis augeamus, & vitam cælitus constituamus, per cibos, herbas, lapides, sonos, liquores, colores, sapores, vestes, motus, habitationes, lucem, aërem, & cætera, de quibus in v. medicinalium.

Non esse de mentium essentia, sed de Dei prouidentia, corporari: neque superis, neque Deo placere sacrificia corporalium, vt corporalia sunt. neque quatenus Mathematicis ornantur: Sed quatenus signa oblationis mentalis, neque Deum nutriri nidore ac sanguine, neque Dæmones.

CAP. VIII. ART. I.

Examen istorum Ficini.

QVÆCVNQVE Entia ad mentalem spectant Mundum, incorporea esse omnino oportet. Ergo & animas, & Dæmones, & Angelos, & Deum. Quapropter non arbitramur esse secundum Naturam animorum corporari, quatenus mentes sunt, cum in corpore existentes tanquam in regione non propria delirent penè in cunctis; sicut viri in loco pestilenti, languent, timet, delirant, & pauci sani sunt. sed quatenus destinatæ à Deo ad animandum ad copulam Mundorum mirificam: & ad manifestationem, quòd omnes Mundi propterea copulari possunt, quoniam ab vno dependent Ente primo. vnde detestabamur opinionem quorundam Platonicorum asserentium materiam non esse factam à Deo, sed ornatam. Quomodo enim amasset non suam? Similiter & Manichæi visi sunt nobis insanire, cum duce suo Simone Mago, dum alterum Deum faciunt visibilium, alterum inuisibilium. Neque enim in mundo mundus visibilis & inuisibilis copulari possent, nisi per influxum primæ copulantis omnia vnitatis, cuius participio, & illæ & istæ sint. Igitur si quam habent animæ propensionem ad corpora, non ex se habent, cum incorporeæ sint omnino, sed ab influxu vnitatis, & analoga quadam fraternitate. Similiter & Angeli, & Dæmones, corporeò conuersantur in mundo, vel detrusæ vi ex mentali in corporalem ob culpam, quemadmodum de dæmonibus sentimus: vel ex diuina prouidentia, qua ad gubernatum, & meliorationem inferioris mundi destinantur.

Propterea principio arbitrabamur, neque Angelos, neque Dæmones esse corporeos: assumere tamen corpora, vt nobis corporatis, cæterisque rebus nostratibus possent ministrare, quæ diuinitus præcipiuntur. Verum enim verò Cacodæmones corporatos esse in pœnam, nobis visum est aliquando: propter eaque perpetuo gestare corpora. Angelos verò nequaquam, nisi cum nobis condescendunt. Quando ergo Porphyrius & Psellus dæmones nutriri tepore sanguinis, & nidore, & vapore, docent, proptereaque sacrificiis delectari ferinæ, atque humanæ carnis, ingressuque in corpora animata, ac timere Enses & minas, & blasphemias, & ictus, & herbam, & quæcunque illorum vaporosis nocent corporibus, asseuerant: Fortè non omnino audiendi sunt, præsertim cum Porphyrius asserat, omne sacrificium de carnibus bestiarum Deo & An-

gelis displicere, solisque Cacodæmonibus mactari; eosque etiam si Deum inuocaueris, ex auiditate sanguinis,& nidoris, & ex pacto quodam tacito, adesse: ac deceptoriè suadere, Deos & Angelos eisdem delectari nutririque. Siquidem scripsit Moyses ob origine Mundi, Cain,& Abel sacrificia animalium, & frugum obtulisse: eademque iussisse Noe & Moysi vt offerrent: Igitur non soli Cacodæmones inuocãtur eiusmodi sacrificiis. Duo enim in illis consideramus, siue tria videlicet materiam, materiatasque formas. Item numeros, formationes, ideationes, & mirificam artem, quibus constant diuinæ mentis participio. 3. primalitatum participationem cuius ratione consistunt. Et tandem offerentis animum. Quapropter quamquam Deus diligat omnia, quæ fecerit, probaueritque tanquam valdè bona; haud tamen delectari factis à se rebus tanquam indigentem arbitrari licet: sed tanquam propriæ diuinitatis imaginibus, atque vestigiis. & quia nihil ita diuinitatem refert, vt homo inter corporea: propterea non materiales oblationes ab eo requirat, sed mentis humanæ puritatem atque virtutem, qua diuinitati fit consimillima. Proptereadixit in Psalmodia Dauidica. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis, &c.* Et in Isaia cum detestaretur Deus sacrificia brutorum,& thus & oblationes, quibus placare putabant Deum, subiunxit: *Ad quem ergo respiciam, nisi ad contritum spiritum, & trementem sermones meos?* Quapropter sacrificia carnalia in tantum à Deo acceptabantur, in quantum erant protestationes,& symbola mentalium oblationum: & vt ait Dñs Iesus: *Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Hoc est ex integris primalitatibus, volitiuo scil. cognoscitiuo,& potestatiuo: sic enim quidquid sumus. à Deo esse profitebimur. Propterea dixit etiam ad Ezechielem, quod dederit Iudæis præcepta non bona. Et ad Ieremiã, quod conditurus erat aliud testamentum, atque legem inscribendam in cordibus humanis,& omnes Patres cum diuo Apostolo docent, sacrificia carnalia data fuisse à Deo, non præcipiente, sed condescẽdẽte infirmitatib. nostris, ne popul⁹ offerret illa dæmonibus, sicut consueuerat, ac proinde à Domino alienaretur. Item vt occuparetur in seruitio Dei per tot sacrificiorum exercitamenta quotidiana, vsque ad tempus correctionis imposita, sub cæremonialis legis pedagogia.

Psal. 49. *Isaia 66.* *Ezech.* *Ierem. 13.* *Galat. 4.*

Iamblicus verò opinantur etiam Deo sacrificia carnalia offerenda, non quatenus carnalia sunt: Dij enim carnibus non vescuntur, neque symbolum habent cum eis: sed quatenus continent in se ideationes, numeros,& Mathematicas figuras: quæ cum Diis symbolum maius habent, vt sic, quàm quo corporalia sunt. Verum enim verò si de summo Deo loquamur, neque figura, neque Mathematica oblata ipsum placabunt. Etenim longè eminentior est Deus, longéque absunt ista ab ipso, quam mentium virtus essentiaque. Quapropter dixisset melius, si virtutes & laudes solummodo offerendas putasset: idquod etiam Porhyrius nobiscum asserit. At quoniam nulla virtus, nullaque laus ex operato opere Deo munus congruum condignumque esse potest, alioquin oportet iustissimos, sapientissimosque Deo mactare homines quemadmodum Isaac sibi offerendum præcepit Abrahæ: hoc autem esset opera Dei destruere potius, quam ædificare: vnde pro sacrificio sæpè accipit in sacris Literis prauorum hominum necem, qualem Phinees, & Samuel, & Elias patrarunt. Propterea dicimus solam animorum oblationem, sine qua nec homo acceptat bonus ab homine munus, Deo gratam; eiusdemque Dei, si quomodo offerri posset. quod arcanum cum esset generi ignotum humano, ipse declarauit Deus, quãdo nostram vestitus humanitatem assumptam ad secundæ primalitatis personam, seipsum obtulit Deo in diuinæ suauitatis diuinum odorem. Igitur Philosophorum disceptationes de sacrificiis quomodo placeant Deo, quiescent nunquam, nisi cum dogma intellexerint Christianum. Quid enim Deo placere potest nisi Deus? Mirificentissimum autem amoris prouidentiæque signum, si Deus ipse sibi pro hominibus sacrificet. quando ergo Moyses dicit in suauitatis odorem Deo offerri victimas, intelligendus est mysticè, quoniam offertur mens eleuaturque ad Deum, sicut thuris fumus in aëra, symbolum eius sanè eleuationis. Intellexerunt quidem hominem deificatum virtutibus placere Deo ex participio virtutis Dei. At Christiani Deum etiam per essentiam nedum per participium sacrificare edocti sunt.

Angelos ac Dæmones non fugari, neque allici per corporalia, nisi quatenus sunt instrumenta actionum ipsorum, aut significationem habent, aut in reuerentiam, vel in contemptum fiunt: aut ex diuino instituto exhibentur. Item an dæmones qua corporati, delectentur corporeis, vel nutriantur.

ARTIC. II.

QVAS ob res neque Angelis, neque dæmonibus incorporeis corporales oblationes placere queant, nisi quatenus sunt occasiones,& significationes morales, ad egressiones primalitatum pertinentes. Similiter neque herba ruta, neque fuga dæmonum, neque atrabilis, & vrina, neque crepitus, neque lignea crux, neque aliud quiduis materiatum secundum id, quod materiatum est, dæmones abigit, aut allicit: sed solum quatenus sunt instrumenta actionum ipsorum dæmonum, quibus sublatis desinunt operari: aut quatenus signa hostilia Dei: Idcirco atrabili & flatulentis impuris succis per pharmaciam purgatis, dæmon, qui huiusmodi rebus ad corpora vexanda vtebatur, abscedit. id quod & Iamblicum, & Porph. & Psellum Platonicos, non latuit. Galenus autem & Aristot. cæcutierunt, stupidissimis humoribus, & flatibus insensatis, operationes, quæ non nisi diuinis mentibus tribui possunt, adscribendo: hoc est, pangere carmina, loqui peregrina

Aristot. Probl. sect. 30.

grina lingua, absentia vaticinari, & huiusmodi.

Aut valent quatenus sunt significatiuæ corporeæ res ad alliciendum, terrendumque Dæmones: sic enim crucis mysterium, non crucis lignum formidant. Similiter aquam lustralem, & omnia sacramentalia, & diuinas literas: vrinam vero & sputum non quatenus sunt nostra excrementa, sed quatenus in eos coniiciuntur animo despiciente, & vituperante. Adeo enim superbi sunt vt contemptum nullum ferre queant. Quapropter etiam si baculum, aut Ensem, aut lapillum, aut quodcumque pretiosum habes, contra Dæmones proieceris animo irridendi, & contumeliandi, ipsi illud auersantur, quemadmodum si Angelis & Deo offeras rem quamcunque animo reuerendi, acceptant illud: acceptat etiam & Dæmon qui reuerentiam sibi superbissimè sitit.

Cum ergo Deus sacrificia porcorum & asinorum, & immundorum rerum prohibet sibi offerri, non propter se, cui omnia bona sunt valdè, & nihil placet nisi propria similitudo, sed propter nos, tum vt discamus ex his, quæ bona sunt nobis oblatis, reuerentiam bonam Deo exhibere. Si enim contemptibile tibi, offers Deo, contemptibilem Deum facies passim. Tum ad significationem virtutum & vitiorum, Porcus enim luxuriam, Asinus sto'iditatem significant, virtulus obedientiam, Agnus innocentiam, secundum dotes naturales, idest, ideoque indicant nobis vitia displicere, virtutes autem esse gratas Deo. Igitur non rectè Plutarchus, à Porcorum oblatione Iudæos propterea abstinere dixit, quod beneficium aratri terram Musso sulcantes nos docuerint: & Cor. Tacitus, Asinos, quia monstrauerint aquam Moysi: non sac.ificari: cum Deus ipse reddiderit pro causa immunditiam eius. Nec vnquam, tanquam benefactorem coluerint Hebræi Asinum, sicuti Anseres Romani.

Consueuerunt quidem Dæmones omnium rerum etiam nobis impurissimarum acceptare, ac præcipere sacrificia, turpissimis etiam ceremoniis oblata, vt inclinatione tergoris & ani, non frontis & genu: & per fædas commistiones, quemadmodum Gnostici olim, & hoc tempore Mexicani & Peruini indicio fuerunt, & qui cætibus lamiarum intersunt, vt testantur Grillandus, Sprengerus, Spina, Vuolfangus, & alij multi: Tum vt fædarent hominum animas huiusmodi significationibus, & rebus: tum vt sacrificia veri Dei peruerterent: nobisq; tales Deo fæditates placere insinuarent. Quod etiam Porphyr. agnouit.

Potest quidem fieri, vt Dæmones corporati etiam Physicè afficiantur, herbisque, lapillis, & gladio, sibique ista displicere, quatenus assumpto corpori ad operandum officiunt. Sed numquid verè corporati sunt ita, vt actus vitales in assumptis edant corporibus, sicut humanæ mentes, ambiguum valdè est: cum manifestum sit, etiam dolore sensibili eos affici per Gehennæ ignem: quemadmodum & mentes nostræ corporum contubernio patiuntur. Præterea non potest Dæmon corpus suum dilatare, contrahere, & figurare, nisi vis illius in corpore extendatur, vinculisque nobis ignotis illi adaptetur. Affecto igitur corpore ipsum affici oportet: sicut affecto vino etiam spiritum vini.

Præterea dixit Dominus I E S V S, quod immundus spiritus cum exierit ab homine ambulat per loca arida & inaquosa quærens requiem, & non inuenit: deinde dicit: vadam ad domum meam, vnde exiui, quasi in corpore humano habeat requiem, & nutrimentum ex sanguine, sicut dicebat Psellus. Nam & in Gregem Porcorum de corpore humano eiecti Dæmones, vt sibi permitteretur intrare, Dominum rogauerunt. Nos quidem dicimus ipsorum corpora non esse tantummodo circumstantia sicut vestimentum, alioquin non possent colorari & effigiari statim, iuxta Dæmonum affectiones: neque esse sicuti viuificata, animataque, sicut nostratia, sed medium aliquid compositionis inter vtramque sortiri, vt iuxta Dæmonis passiones conformentur, & eorum passio in Dæmones redundaret. Nec absurdum est putare, eos ipsa nutrire vaporibus & nidoribus, namque & corporum, & aëris confricatione, etiam minui atomorum elapsu, rationabile est, cum materialia illis non obediant ad nutum. Præterea cum augenda sunt sicut solent, instar gigantum, vsque ad cælum capita tendentium sese ostentare, necesse habent nouam sibi asciscere materiam, cum creare ipsam non possint. Rationabile insuper est, eas materias, quibus detinetur animus humanus in corpore ipsorum natura consimiles quæritare Dæmones, ab illisque quasi foueri assumpti corporis fomento. Idcirco sanguine & vaporoso succo animalium delectari etiam extrinsecus, vt dicebat Psellus, non intrinsecus nutriri: & quietem quandam in obsessis corporibus habere, vt videtur Euangelium innuere: nisi fortè requies illa & irrequies sint morales. Eiectus enim à corpore, in quo superbe dominabatur, instar hominis contemptum, & iniuriam passi, deuictique, regredi ad domicilium ambitionis suæ concupiscit; saltem vero in porcos, quatenus hominum aliquid sunt: existimo etiam non modo ex significatione & occasione operandi delectari Dæmones corporeis quibusdam rebus, quibusdam vero tristari: sed etiam Physica tangi affectione, quatenus corporati sunt, egressique de mentali ad corporalem mundum. Assumere quoque cadauera humana & ferina Dæmones probatum est: eaque seruare per balsamum & aromata à corruptione: plurima sunt experimenta: cum autem corpora viua obsident, vti spiritu tanquam instrumento operationum, sicuti si mens vtitur: fuit enim Clericus quidam, qui Dæmones gestabat in anulo, & quando volebat loqui sapienter, dabat Dæmoni sic petenti potestatem mouendi linguam, ipseque parum sentiebat eos sermones, sed quasi ligatus animo sibi videbatur.

Angelos bonos malosque non allici, neque compelli ab hominibus sua virtute, neque rerum corporearum, nisi deceptorie. & rationes Platonicorum & Mercurij de Dijs factitijs, esse vanas. Bonos virtute & prouidentia allici: malos fallacia propria, vel diuino imperio compelli, Gentiliumque Theologiam de his esse stultam.

ARTIC. III.

Examen. At verò cum Proclus & Ficinus non de morali loquantur affectione atque influxu captandis per inferiora symbola ab astris, & dæmonibus, & Angelis, sed de Physicis, quatenus quæcunque sunt eiusdem ordinis simul consonant inferioribus superiora, & è conuerso; inquirendum est, an ita possimus maritare superiora inferioribus, vt sydereos afflatus, & Angelicos nobis conciliare, & vaticinia, & artes, & scientias, & alia eiusmodi, quæ passim Magi pollicentur, sicut in superiori declaratum est sermone; ita vt & ad sacrificia, & in statuas ab hominibus confectas Dij factitij conueniantur, & nobiscum conuersentur. Vnde hominis diuinitatem agnouit Mercurius potentem etiam Deos sibi facere sicut & summus Deus. Et an rectè positi sint tres Dij, videl. Creator omnium, & mundus, & homo.

Nos quidem fatemur vnum modo esse Deum, in cuius verbo non vnus modo mundus noster, sed infiniti, & innumerabiles Archetypè continentur; Mundum autem hunc visibilem, quia Archetypi simulachrum refert omniaque in se continet rerum genera, per participationem vocari Deum non renuimus. Homines quoque hominibus Deos dici præsertim Iudices & Principes populorum virosq; sanctissimos, & sapientissimos, qui excellentiam, & principationem super alios habent, etiam Deos vocari in sacris Literis agnouimus. At nunquid tanta sit hominis diuinitas, vt possit non modo brutis, & inter homines principari, sed etiã Deos facere seipso sapientiores possit, à quibus artes, & prophetias, & suarũ rerũ regimen addiscat, & quemadmodum multi putant possit imperiosè etiam Mundi elementa mutare sicuti Poëtæ iactabundi canunt. *Carmina de Cælo possunt deducere Lunam, &c.* interrogati respondemus, hominem nullum, nullũque Ens, qui non fuerit auctor Mundi, posse mundi ordinem turbare, tum quia nec vis eiusmodi in corpore, & tam exigua est quantitate & viribus, neque in anima tam imbecillis corporis vinculis, passionibusque alligata. Igitur nec diabolos, Angelosque, liberos coporeis vinculis, neque si ligati essent per vim, posset homo ad se suique seruitium applicare; quando neque aquilas, neque leones, neque balenas, nisi per artem miram potest subiugare. decepti ergo veteres illusionibus dæmonum, apparitionem syderum, & Lunarum in terris facientium, & ex ignorantia astrologiæ crediderunt se posse carminibus sydera deorsum trahere, & Lunam, quam vmbra telluris obscurat, humano imperio obscurari, vt Petronius Poëta etiam confitetur,

Quapropter neque Dæmones, neque Angeli talem turbabunt ordinem absque ordinantis iniuria. Potestas igitur causarum secundarum non amplius extenditur, quàm quò diuina potestas amplificat. Quemadmodum enim res artificiatæ non alium ingenium habent atque virtutem, quàm quantam artifex largitus est illis. sic neque naturales maiorem ea, quam auctor Naturæ tribuit. si quid ergo valent homines & Angeli, & res naturales supra proprias vires, id habent ex additione primi Numinis. Palam est enim, quod aurum non est nobilius homine, & tamen emimus auro hominem, donantes auro maioritatem ex instituto. Nec verba possunt transmutare panem in carnem: sed ex diuino instituto id faciunt. nec possunt aliquid significare ea verba, quæ rei significatæ similitudinem non gerunt, sed tamen ex hominis placito possunt in omni natione voces omnes, & apud alias aliud significare. Neque lictor potest imperare principi, & carcere claudere potentes; sed ex Regis autoritate potest. sic neque ignis cruciare dæmones, sed ex Dei institutione. Igitur homo non potest dæmones annulis includere, neque statuis, sed ex Dei autoritate id faciet potestatiuè: qua etiam solem sistit Iosue. Allectiuè autem nequaquam; nisi Dæmon in homine ea agnoscat, quibus suam expleat voluntatem. sic enim & falcones & canes, & serpentes allicimus.

Et quoniam primalitates non mouentur à rebus Physicis, nisi quatenus corporatæ sunt, occasionaliter, & non actiuè, sicut asinos etiam dicimus primalitatum non expertes. Propterea dicimus dæmones statuis non includi propter rerum naturalium allectionem: quas enim nos in statuis ponimus ipsi extra statuas sciunt vbi morantur. & qua commistæ illis placeant ratione, commiscere eadem. Idem dicimus de sonis, & pulueribus & suffumigiis, & laminis lapideis metallicisque, & de figuris, & caracteribus. vnde etiam dicere possunt cum Dauide, *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terrarum & plenitudo eius.* Sicut Deus. habent enim diaboli rerum vsum sicut & nos. Deus autem etiam Dominium. At nec inficiandum res Mundi corporalis habere symbolum cum mentalibus: vnde Aqueos spiritus, & igneos, & terreos dicunt eos, qui Aquis, ignibus & terris iuxta ingenium præficiuntur. Attamen hæc si velint habent, & non à nobis. Similiter & Mathematicas res, ipsarumq; mirificentiarum.

At dicent Platonici, Angelos & Dæmones destinatos esse à Deo ad curam rerum corporearum: vbi ergo res illas vident, quorum curam gerunt, alliciuntur: Ergo si in statuis & annulis, & libris eas componamus, allicientur. Similiter per musicam, & nidores. Respondeo hanc rationem esse stultam. Curam enim rerum datur illis tam ad for-

matiomem, & custodiam, quam ad opportunitates captandas, cum opus est aliquod per nos, vel per res animatas alias fieri: quam ad mouendum inanimatas illorsum, vbi oportet eas applicari, vt effectus prodeant: sicut ignem stuppæ applicamus si stuppæ combustionem desideramus. At quoniam & nobis cura, & vsus omnium tributus est; & plantis enim & metallis & brutis vtimur, & liquoribus & sonis, nequaquam existimare licet, quod cum nos vtimur illis, ipsi curam rerum illarum tunc habeant, nisi nostri in illis. Nam & nostri sunt custodes & Antagonistæ. Ergo res naturales non alliciunt Angelos ob curam, cum eas nos curamus, sed ad nostram curam tunc accedunt specialem ex vsu illarum, non ergo in statuis & annulis & crystallis includuntur, vt curent statuas & chrystalla, & annulos, sed potiori ratione. siquidem nobis dant responsa & vaticinia, & instructiones; & quoniam sæpè illudunt hominibus, & mentiuntur, ac rebus obscenis, & vitiosis immiscentur, & de vanissimis nobis consulunt, consequens est vt mali sint Angeli, qui statuas ingrediuntur, malorum hominum desideriis tanquam satis facturi, cum potius ingerantur tanquam perdituri, & vlturi. Siquidem neque adhibitæ res mouent dæmones physicè alliciendo: neque moraliter cum à nobis, neque discere, nec beneficia accipere possint: neque moueantur significatione. non enim obediet superbus Rex liber & hostis, seruo ligato, atque inimico.

Quærit Porph. cur Dæmones per Sacerdotes Ægyptios coniurati compareant tanquam obedientes, & minas & execrationes, & arcanorum reuelationes formidant. Respondet Iamblicus, Deos cælestes minis non terreri, neque iussa humana capessere; sed terrestres tantum obtusos ingenio, instabilisque phantasiæ. Quod etiam Psellus confirmauit. At quoniam D. Dionysius Angelos cadentes ad inferiora, naturalia dona non amisisse docet, sed tantummodo gratuita; consequens est vt omnis diabolus sapientior sit omni homine, atque fortior & liberior. Quapropter, sicut vir fortis philosophus non timet pueri fasciis inuoluti minitationes, sic neque dæmon hominis. Melior est ergo secunda Iamblici responsio, quòd in virtute superorum Deorum homo inferioribus minitatur, & imperet. At quoniam virtutem superûm consequi non valet, nisi vir sanctitate pollens, diuinumque defendens honorem, atque fidem: Vir autem huiusmodi, neque in statuis, neque in annulis, neq; in chrystallis includit dæmones, tanquam ab eis scientiam, & beneficia accepturus, cum sit præstātiori virtute Angelorum suffultus: Consequens est huiusmodi dæmonum inuocatores & inclusores, in suis vanitatibus illis vtentes, virtute careant diuina. ipsique dæmones fingant, sese ipsorum minis ac verbis deuinciri, vt fallant. Nouimus enim hominem qui per sex menses in annulo dæmonem gestauit, & ad omnia scelera eius responsis vtendo, quodā cultu quotidiano per oratiunculas, & suffumigia ipsum venerando: qui deinde abscessit, nec vllis potuit minis, & imperiis, & illecebris detineri, & hoc testimonium iuratum habemus. Cum ergo Iambl. tertiam subiungit rationem, quod totus mūdus, cum suis elementis dæmonum subest curæ, atque singula corpora magna, & hominum cætus, & prouinciæ ciuitates suos habent dæmones, ordine quodam fatali destinatos, quem ordinem tanta diligentia custodiant, vt non modo non patiantur euerti secundum rem, sed nec etiam verbis, & imprecationibus: Propterea huiusmodi minis quamuis vanis etiam terrentur:) Responsione quidem fallaci, quæ non conueniat nisi ignorantissimis, & imperitissimis, quales sunt pueri. Quis enim timebit ordinem rerum peruerti propterea quod vir insipiens perditioni illum deuouet? nisi forsan imperitus puer qui aliquam deuotationi illi efficaciam tribuit. Nunquid, si ego dixero me velle totum perdere Mundum, nisi Angelus, aut Dæmon, aut Rex humanus meis obtemperet votis, propterea obtemperabunt? Quas ob res fatendum, diabolos reuelationem mysteriorum falsorum abhorruisse, quale erat illud de membris Osiridis, & de sacramentis Isidis, ne fortè promulgata à viris sanctis atque doctis deriderentur, ac fallaciæ dæmonum detegeretur: vnde ipsorum deficeret cultus: quemadmodum scelerosi homines in facinora conspirantes sibi delectabilia, timent ipsorum mysteria reuelari. Igitur minimæ, quoniam de sui Natura à superiori ad inferiores fiunt, apud religiosos etiam adhibentur contra Dæmones, dum pœnas illis à Deo augeri comprecantur: vi autem sua pura valerent nihil.

Rectè quidem Mercurius hominis diuinitatem ex eo quod conuersatur cum Diis, & in statuas eos includit, argumentatur. Addi potest etiam ex eo, quod per aera à dæmonibus transfertur, & conuentibus sagarum, atque dæmonum interest. Neque enim nisi ad societatem immortalium mentium pertineret, cum eis in corpore adhuc positus negotiaretur. Multo autem magis, quia cum Angelis bonis etiam conuersatur; & à Deo legem, religionem, & sacramenta accipit: vnde concludendum est, homines prauos ad prauorum Angelorum pertinere cætum. bonos autem, ad bonorum. At nequaquam ex eodem fundamento hominem esse Deum factitiorum Deorum fabrum, concludendum erat; sed ex eo, quod cunctis rebus dominatur, & vtitur: & cum omnibus Mundi partibus corporalis, & mentalis, commercium habet, asserendū erat, ipsum esse quasi Deum corporalis Mundi, & finem corporeorum, positum in horizonte temporis & æternitatis, & infinitore quodam corporum & mentium. Captamus ergo Angelorum, & Dei fauorem per ingressum ad Mundum, dum vitiis corporeis nos prius purgamus, deinde per virtutes perfectiuas ad nostram regredimur originem mentalem, & per eam ad Deum mentem primā. Cuius illecebra sola virtus est, non tamen ita quod Deum ad nos humiliet, sed nos ad Deum eleuet, vt etiam cognouit Iamblicus.

Incarnationem Verbi Dei*, Mundi regeneratoris, non esse irrationabilem. Angelos & Dæmones non verè incarnari. Coitum eorum esse subreptitium, & alieni seminis effusiuum. ordinem vniuersalem à particulari causa euerti non posse. ad confirmandum, quod superiora ab inferioribus physicè allici nequeunt, sed &c.*

ARTIC. IV.

AT dicet quis: quo pacto Theologia Christianorum docet, Dei Verbum incarnatum esse ad reducendum exulem hominem in Deũ, atque humiliasse semetipsum vsque ad mortem, & exinaniuisse, si Deus non allicitur ad inferiora per virtutes, & gratias; sed homo potius eleuatur ad superiora vt dicebat Iamblicus: præterea quo pacto Origenes, & Patres multi aliquos interdum Angelos incarnari, & diabolos, ad regimen humani generis, scribunt, & exire à Deo Patre, & venire in Mundum, & iterum relinquere, & reuerti ad Patrem? hoc autem tot miraculis ac signis, & doctrinis, & credentium sanctificatione & mirificatione, & deificatione, probatum est adeò, vt non nisi impudentissimè negari valeat.

Respondeo, nihil absurditatis in hoc mysterio contineri: neque enim cum dicitur Deus cogi, tanquam autor hominum, necessitatibus hominum consulere, & virtutibus allici, & condescendere, & seipsum exinanire, aliquam in Deo indicat mutationem, aut deteriorationem: sed quod Naturam humanam inanem, ac deteriorem assumpsit, tanquam instrumentum redemptionis hominum à malis, & reconciliationis cum Deo: quam quidem facit propria illectus bonitate non nostra, nisi quatenus est sua. Si enim verum est, quod Deus cum non indigeret creauit homines, verum est etiam, quod casum hominis ipse resarcit, & culpas dolet, cuncta ad seipsum reducendo. Exitus ergo ille de Patre in Mundum, & de Cælo in Terram, non est localis, neque transmutatiuus nisi secundũ rationem vocabulorum, habito respectu ad id, vnde imponuntur, non ad quod imponuntur: secundum enim rem nihil exinanitus est Deus, sed potius inanis completus est homo. Scandalizantur in hoc Epicurei, & homo omnis vitiositate ita affectus, vt prorsus in situalis Mundi particulam ita sit demersus, quod nihil diuinum sapiens, pluris facit partem, quam totum, & pluris sui angusti corporis particulam, quàm sacrorum Mundorum immensitatem. Idcirco quod ipse non faceret pro amico, suæ minimæ cauens Entitati, putet neque Deum Patrem pro filiis inimicis, neque pro Mundo toto, sua nimirum creatura, facere debere; sed qui Naturam Amoris, & vniuersalis Patris amplitudinem bonitatis, & prouidentiæ increando & gubernando, considerat, is magnitudinem mysterij potius admirabitur, quam scandalum vllum patiatur. Plato autem & Socrates, & quicunque non se sibi, sed toti natos credidere Mundo, optauerunt Deum fieri per condescensum ad nos, mundi instauratorem, cultusque diuini iam collapsi apud nos reparatorem. Imò & sic futurũ olfecerunt argumento ex diuina prouidentia sumpto, vt ex libro Plat. de voto, sanctitate, & de legibus, & legislatione: elicimus: & Cicero ex Sybillis edocetur: Trismegistus etiam expectauit verbum Dei, quo factus est Mundus, Mundi restauratorem, atque hominum, vt possint ad Deum reuerti, regeneratorem; nullam enim viam putauit esse tutam huic versioni, nisi filium Dei, & regenerationem: neque horologium fractum instauret, nisi qui fecit illud. Sed lapsus est in errorẽ Trismeg. dum prædicat religionem Deorum in statuis & idolis, consulentium hominibus, & vaticinantium se perditum iri, ciusque multis ante annis deploret casum futurum, quem Plutar. deplorat præsentem in libro de Oraculorum taciturnitate. si enim rectè perpendissent, quod omnes Dij gentium dæmonia sunt, sicut Dauid testatur, saltem ex ambiguis, & fallacibus eorum consultationibus, & ex scelerosis sententiis, & turpitudine cultus irrationabilissimi, sicut considerat Plato & Diogenes, Epicurus, & Lucretius, vnde adacti sunt, vt nec verum Deum extare opinarentur. Propterea quod *Religio peperit scelerata, & impia facta*, vt iste canit. Profecto casum eiusmodi religionis non deplorassent, sed optassent. Quanquam & multa bona per malos Deos Deus Deorum illis fecerit. Ipse etiam casus eiusmodi cultus, eius imbecillitatem, & falsitatem præmonere debuisset, nisi positus fuisset solummodo tanquam figura, quales fuerunt ceremoniæ in lege Iudæorũ, quæ veniente præfigurato, sicut demonstrat Apostolus ad Hebræos, cessare debebant.

Porrò humanationem verbi Dei credunt Christiani Physicam, & viuificam esse, ita vt humana Natura assumpta in diuinam personam, terminetur eà ratione, vt non duo accidentali vnione, sed substantiali, vnus sit homo Deus mediator, adducens sanctissimo mysterio, & sacrificio sui de mundo corporali vsque ad Archetypum nostram humanitatem per mentalem Mundum, qui seruit Deo in hoc mysterio. Propterea Apostolus ait, quod *omnes sunt administratorij spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Idcirco Angelos, & Dæmones incarnari substantialiter non dicimus, neque Ioannem Baptistam, neque Malachiam, neque Ezechielem, neque Danielem fuisse incarnatos Angelos, vt putauit Origenes. Siquidem ad redemptionem Angeli non sufficiunt, cum sint particulares creaturæ, & participationes diuinitatis ad partẽ coarctatæ, non ergo, ad totum, & totalitates expansæ, qualis requiritur virtus ad totius Mundi, ac Mundanorum creationem, & reparationem. Si autem quis dicat, eos incarnari solum tanquam præceptores, ad hominum eruditionem sub custodia, & suggestione Angelorũ, fortasse nec incarnationem eiusmodi ipsi

ſibi adſciſcere poſſent, ſicut diſputabimus in Theologicis: multo autem minus cacodæmones: vnde quod S. Hippolytus docet Diabolum fore incarnandum illius humanitate, quem Antichriſtum expectamus, non ſatis à doctoribus probatur.

Gentiles vero celebrant non modo Deorum incarnationes, & transformationes continuas, ſed etiam coitum cum fæminis, & partum: vnde Iuppiter Perſeum ex Danae, Bacchum ex Semele, Herculem ex Alcmena, per coitum ſuſcepiſſe dicitur. Venus quoque Dea ex Anchiſe Aeneam, & Thetis ex Peleo homine, Achillem: Vnde Theologi noſtri Diabolos incubos, & ſuccubos agnoſcunt. Pluribus etiam experimentis in Priſcis, & hodiernis temporibus exploratum eſt, Diabolos inire connubia cum fæminis & Diabolas cum maſculis in conuentu ſagarum, quemadmodum Creſpectus, Grillandus Vignates, Spina, & alij multi harum rerum exploratores in iudiciis publicis, & priuatis, manifeſtarunt: & in Gallia, in Germania, in Angelia, in Scädinaria & Lapponia, vbi tribunalia contra huiuſmodi Dæmonum amicos non vigent, palam eſt. Habuerunt & veteres, Deos Lares, & Penates, & alios, huiuſmodi commiſtionibus aſſuetos. Qua in re nequaquam aſſerimus, illecebras corporalis libidinis accerſire Dæmones; ſed hos affectione proprij cultus & ludificationis hominum, moueri etenim & qui concubunt cum eis, aliquid frigidum, & in ſuaue ſeſe experiri fatentur. Qui autem Diaboli voluptatem maſculis exhibere volunt, configunt ſibi vuluam calidis ex rebus & carnoſitatibus, quæ ſufficiant ad delectationem præſertim imaginoſi concubentis: quam etiam inani vaſe calido non naturali, plus experiri ſeſe vitioſè gloriantur. Quæ vero fæminæ volunt à Diabolis impregnari petunt hoc: ipſique facti ſuccubi cum hominibus, excipiunt multum calidum & ſpirituoſum ſemen in vaſis ita fabrefactis, ac qualificatis, illudque effundunt in coeuntes fæminas: quemadmodum multis experimentis compertum habemus, præſertim, ante quatuor annos in via Terranouæ, vbi ruſticus cum Diabola pulcherrima coiuit, illectus blanditiis, quam putauit eſſe fæminam, ipſaque ſubito diſparente, ad coitum alterum properante: ruſticus ſtupore, & tremore correptus hæc Principi narrauit, & multis. Quas ob res haud negandum falſos antiquorum Deos ſuſcepiſſe filios non proprio, ſed alieno ſemine ex deceptis puellis, cum paulo ante noſtra tempora filia Regis Scotorum depręnſa ſit à Patre in lecto cum Dæmone: qui ad ingreſſum eius tectum cubiculi euertit: virgoque impręgnata deinde peperit monſtrum. Alij putant Gigantes quoque genitos fuiſſe de ſemine Angelorum propterea quod Moyſes ſcripſit, *videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, genuerunt ex eis gigantes, viros famoſos potẽtes, Deo exoſos*, & cætera. Mahometes etiam duos Angelos, Rot & Marot captos amore formoſæ mulieris, inebriatos ab ea, & deceptes, & à Deo punitos, fabulatur. vnde diſputant recentiores, an Diabolus plura ſemina excipiendo poſſit generare Gigantes. Haud equidem ex duobus vnum coaleſcere putem, cum indiuiduales conditiones non communicentur, ſed potius ex robuſtiſſimi hominis, & fæcundiſſimi, plurimoque referti ſemine, acceptum refuſumque in vuluam, multoque nutrimento alitum, prægrandis mulieris, id fieri paſſim, non irrationabile ſit. Hiſtoriam Moyſi aliter interpretantur perſpicaciores Theologi: quibus filij Dei videntur ii, qui de genere Seth deſcenderunt, filiæ verò hominum de Cain. Conſueuit enim ſcriptura prolem bonorum vocare Deos. Mahometes vero fabulator eſt. Nam quamuis Angeli videantur corporei, de ignis elemento creati, quod implicat in adiecto. Ignis etiam potius exureret ſemen, & mulierem coeuntem. Imo multus calor conceptionem fruſtratur, ſpiritus reſoluendo. Igitur neque Dæmones, neque Angeli per corporeas res alliciuntur, vel coguntur Phyſicè, ſed moraliter, & occaſionaliter, & ſignificatiuè ſecundum prouidentiam, quæ corporeum ad mentalem conuertit mundum. Deus enim & bonis & malis vtitur mentibus, prauitatem voluntatis permittendo ad effectuum modificationes, ſuo magno fini congruentes. Nonne Tyranni virtutes ſanctorum auxere, & ſplendeſcere fecere? & Eccleſiæ Chriſti nonnullas modificationes bonas per accidens peperere? ſic Diaboli ſe habent in mundi gubernatu.

A Cœlo calorem, lucem, motionem, modificationem ſitualem, & ea, quæ ex his conſequuntur, non autem virtutes occultas dari: ſed à primalitatum participio, & modificio has haberi: & Ficini, Proclique ordinem ex parte vanum eſſe ad captandas dotes Metaphyſicas.

CAP. IX. ARTIC. I.

CVM autem à Cœlo vitam captat Ficinus, rationabilius forſan loquitur. Etenim & lumen à Cœlo & calorem captare facilè poſſumus: cum nos illi ſyderi in angulis poſito & ſuæ ſectæ ſtellis ſtipato nosmetipſos diſpoſitos, iis rebus adhibitis, quæ illi ſideri ſunt ſymbolicæ, exponimus. Captamus etiam quemdam ſitum & ordinem. Siquidem bacilli ferrei in ſubero natantes, ad ſitum, in quo fabrefacti ſunt à Ferrario, conuertuntur ſponte. Quod ſi diu alium ſitum ſeruare cogatur intra ligneas, vel terreas fabricas immotas, bacillus ferreus: ita afficietur, vt poſt plurimos annos eductus poſituſque ſuper natante ſubere, ad poſitum conuertatur, quem ſortitus eſt diutina conſuetudine ſicut ferrum in templo Mantuæ, de quo ſcribit Gilbertus, exemplo fuit. Ergo cõſuetudo eſt altera Natura. Ergo & qui ſolaris non fuit, fieri poteſt vel ex parte. plurimum ergo poteſt ſitus aſpectus cœleſtium ad inferiora, & inferiorum ad ſuperio-

ra, ſicut ceræ ad ſigillum adaptatio.

Motum quoque cæli captare licet per Muſicam, cæleſtes motus imitantem. videmus etiam quos motus mater facit concinnos, aut diſtortos, aut tremenres, eos deinde fætum in ſua figura, & motionibus deinde imitari: ita vt fæmina prægnans ludens cum ſimia, peperit filiam ſimiæ per ſimilem in facie & geſticulationibus. Sic & in ventre mundi res conceptæ, atque naſcentes imitantur eas cauſas, à quibus magis afficiuntur. Et deinde cum imitantur etiam è conuerſo afficiuntur. At non propterea imaginationes mentium, quæ ſydera gubernant, contrahunt ſyderum obſeruatores, atque imitatores. Imaginatio enim non defertur cauſaliter per motum, neque per radios, neque per aſpectum, neque per colorem, ſed per primalitatum communionem, aut per dictas res occaſionaliter: modus enim caloris, & lucis, & aſpectus, ad imaginationes quaſdam nos inuitat. Quapropter rectè D. Thomas cælum agere in Animam diſpoſitiuè tantum, Angelos ſuggeſtiuè & moraliter. Deum vero motiuè, declarauit. Per aërem autem imaginatio nulla fertur, niſi quatenus primalitatibus confectatur. Potius autem anima ſuſcipit conſultationes, & vaticinia, & inſpirationes, imaginationeſque à mundo mentali, in quo ipſa eſt ſecundum primalitates; à corporali enim ea accipit ſolum occaſionaliter, & ſignificatiuè, à cauſis, ſigna dantibus exteriora: non autem intus affulgentibus, ſicuti mos eſt mentium abſtractarum: ſpiritus quoque corporeus, quatenus tinctura primalitatum attingit infimum mentis, poteſt etiam illuſtrari ad notitias ſupernè: ſicuti à luce ſolis, & obiectis corporatis infernè, dum corporaturam & diſpoſitionem, & lucem, & calorem eius afficiunt. Formas corporeas rerum è cæleſtibus dependere vultibus tanquam ex ſigillis, & à calorum, luminum, & motuum, & aſpectuum commiſtionibus, tanquam ab inſtrumentis, & modificantibus cauſis & concauſationibus multiplicatis, & concinnatis, donec certæ formæ emergant. Ab Angelis vero tanquam ab ideatoribus, iſta curantibus, pro temporibus, & locis, & opportunitatibus, & quaſi diſcipulis: à Deo vero tanquam è Preceptore, & Auctore, eſſe & operari cunctis ſimul præbente: ſed ex miſtura primalitatum ad certum modum redactarum eas agnoſcimus. Neque enim magnes vim atrahendi ferrum ab vrſis habet: ſed in ſe ex propriis primalitatibus, & modulationibus. Neque chorda cytharæ à cælo habet, vt ad ſonitum eius altera vniſona agitetur, & tinniat chorda, ſed à propria primalitate ita concinnata, & extenſa, vt cum altera conſonantiam pariat: Neque enim ſi non tendatur hucuſque roboabit altera: virtutes ergo multæ non ſunt à cælo, quatenus corporeum, aut lucidum, aut mobile, aut deſuper aſpectans hac, vel illa configuratione, niſi diſpoſitiuè: ſed ſunt à primalitatibus & deriuationibus ex mundo mentali. Ergo nec leo propterea timet gallum, quod eſt ipſo inferior in ordine ſolari. Timeret enim magis hominem gallo ſuperiorem in ordine ſolari, quem & gallus timet. Ergo propterea quod ſpiritus, aut cantus galli, aut præſentia, leoninos ſpiritus craſſos & copioſos aliquo pacto diſcerpit, aut afficit, timetur ab eo; ſic enim & nos ſuberis ſtrepitum, non ex occulta cæli virtute, ſed ex illata penetrantis ſtridoris affectione exhorreſcimus: & Elephanti timent porcum ordinis inferioris: ſunt homines qui viſo mure, quaſi exanimantur, vt mulier viſo colubro, non tamen omnis. Sæpè etiam viri Reges, & animo celſi timent: & venerantur proprios ſeruos, aliquam huiuſmodi affectionem ex certa modificatione perſentiendo. Scimus etiam quod imaginationes, & timores, & grandes iræ, quæ totum immutant ſubito hominem in canitiem, & in mortem, & in diſtorſionem, non ſunt à rebus obiectis, tanquam agentibus, quod non intendunt: neque ſciunt agere: ſed à primalitate occaſionem arripiente ad afficiendum ſeſe talibus paſſionibus, ac ſimul corpus, ſpiritumque, cui vnitur. Hinc coniectari licet quantopere Diaboli immaniſſimas induunt paſſiones, ex modica obiectorum apparentia ſanctitatis, & quomodo timent vbi non eſt timendum, & deſperant, vbi non eſt deſperandum, ita vt miſericordiam Dei, ac bonitatem ſuperbiſſimè, ac damnoſiſſimè contemnant, quam in hominibus tantopere inuident. Ille igitur ordo Ficini & Procli ad captandos cæleſtes influxus, & virtutes occultas, valet nihil, niſi diſpoſitiuè: quod enim ab authore naturæ non datur, nulla ex cauſa dari poteſt.

Res Phyſicas à Cælo non poſſe, nec ab igne per artificium hominis plus virtutis accipere, quam optimum, ſiue cuiuſque ſpeciei indiuiduum habere aptum eſt, niſi in alteram ſpeciem transferatur. Et vim, actionemq; materialem, à Mundo materiali, vim alteratiuam, & effuſiuã à ſituali, vim mirificatiuã à Mẽtali, & hanc in illis, & illas in hac colligatas diuinitus eſſe, & quo ordine exercentur. Laminas ergo nihil habere à Cœlo, præter virtutes Phyſicas iam dictas, niſi ab arte, & mentali Mundo addatur, & quomodo ars id queat, & quando, & cum quibus.

ARTIC. III.

MIRVM ergo quomodo laminis aſtronomicis contuſis, & figuratis, tam diuinas Platonici imprimant virtutes, & in Orphei Lyra ſaxa, Feras, Flumina, plantaſque attrahendi: laminæ enim non poſſunt à cælo ſortiri aliquid præter id, quod maximum eſt in ſpecie ſua, niſi in aliud Ens ſpecie transformentur. Aurum ergo non habebit à cælo, niſi optimi auri virtutes, & metallorum, quorum ipſum eſt perfectio: non tamen indiuiduas ſpecierum rationes, ſed communes. Siquidem ferro duritiem, quæ omnia domat metalla, lapideſque, non ſuſcipit aurum à cælo: neque Aſinus aſtutias vulpis, neque plumbum vim magnetis: ſed quod ſuſcipere aptum eſt. At neque vim occidendi perforatione homines,

nisi vis ignea ipsum intra bombardam extrorsum expellat. Habet quidem peonia virtutem reprimendi succum flatulentum, quo efficitur Epilepsia, non autem omnem expellendi morbum. A cælo autem potest illam augere. Videmus enim sub alio cælo & in alio sole easdem herbas nasci cum maiori, ac minori virtute. Verum si nimis exponas soli peoniam, spiritum efflabit: nec faciet contra Epilepsiam, vim. Similiter neque magnes attrahet ferrum, si ignescat ita, vt flammula ex ipso sub cærulea elabatur: quam tamen alembico exceptam restitui posse per poros, vnde est egressa, magneti, compertum est: ergo vis illa non est à cælo nisi disponente sic, & sic. Si enim excesserit gradum Entitatis eius, aliud faciet: est tamen in magnete, quatenus sic est à cælo affectus, vt has suscipiat hoc in gradu vires. verum quidem est, quod metalla, ac lapilli præsertim transpicui, plus retinent suas dotes, quemadmodum dicebat Orpheus: quoniam non fiunt nisi à potentissimo calore, qui sua facie materiæ faciem exuperare queat, viribusque impuritatem, ergo primalitates in his efficaciores. Dicebamus enim in p. p. lib. 2. quod Astralitas illa Paracelsistarum nulla erat, nisi in gradu eminentiore primalitates contineret: & quo à materia secernuntur magis, eo sunt vigentiores: per ignem autem secernuntur, & quasi in furiam aguntur, sicuti patet in cane rabido ex caniculæ æstu: & in fulmine, metalla in aërem subito immutante: & in auro in oleum conuerso per ignem: quod potest alia metalla aurificare. Videmus enim quod eo virtuosius est in transmutationibus, quo spirituosius fit per ignem: non tamen terram, nec lapides transmutabit, sed metalla: sicut nec rabidus canis in rabiem aget palmam & cystallium, sed hominem ac bruta: in quibus suscepti veneni vis augeri valet, transmutando humores, & spiritus aliorum in caninos. Quod & frumentum facit, per suum spiritum terram vna cum aqua & calore sibi congruo conuertendo in frumentum: vis ergo transmutatiua, & alteratiua est in cunctis rebus iuxta species suas, & in eas tantum exercetur quæ illi specie vicinæ sunt res, & à cælo adiuuatur intra limites suos non vltra canis enim rabidus caninum facit hominem latrantem tandem præueneri vi: & rabidus felis felinos imprimet affectus & actus: visus est etiam Romæ præterito anno homo morsus à rabido gallo gallinaceo, qui ita in gallinaturam transiuit, vt cantaret brachia & manus agitando sicut Gallus solet alas, dum cantat. Vnde non desperandum Alchimistis, scripsimus in lib. 4. de sensu rerum, circa transmutationem metallorum Si enim sciuerint aurum in rabiem agere, per ipsum omnia in ipsum transmutabunt metalla, non autem homines planetasque.

Diximus quidem in supradicto libro, actiones alias esse materiales, quæ, scilicet, lapis grauat manum, sola sui mistione cum manu. Alias formales, quas ignis calefacit manum, non sola mistione sui cum manu, sed etiam à longe per diffusionem & multiplicationem sui caloris. Aliam esse Mirificam, & Primalitiam, seu Metaphysicam; quæ non vi caloris, neque frigoris, neque qualitatum passiuarum: sed secretiori ratione celebratur: vt cum Magnes trahit ferrum, & chorda cytharæ concordem sibi chordam pulsat ad sonum. Hæc vltima sola reperitur in Mundo mentali, secunda in Mundo situali solummodo per se inuenitur. Prima autem est solius materialis. At cum in situali exercetur actio primalitia, præsupponit simul materialem & formalem. Granum namque frumenti transmutat terram in frumentum ex virtute primalitatis: neque enim sui imaginem seruatam in grano effundit absque vi, imagines fabricante. Neque si calor natiuus definit in grano, tenuisque spiritus, frumentabitur: neque si materia tenuis, vt sedes virtutis, & crassa, vt vas, defuerint: colligauit enim Deus hos mundos, & vires earum in specierum corporearum productione Similiter neque calor effunditur absque potentia sensu tramore: neque materia grauat, aut, euitat ad certos situs absque propensione ex amore, qui est primalitas, ad illum situm: nec exercentur hæ actiones absque virtute Mathematici mundi, in quo extenduntur, & contrahuntur.

Quanto autem solutiores à materia sunt primalitates, eo virtuosiores inueniuntur: at donec materiam gerunt admistam ad certos gradus sunt validi, ad quos per materiam contrahuntur, & per propriam graduationem suæ Entitatis. Non ergo homo faciet quæ Angelus, nisi in Angelicam translatus naturam: neque hydrargirium, quæ aurum, nisi in auri transmutatus substantiam. Transmutatio autem fit à præpotentiore sui generis, hoc est, eorum, quæ in materia, vel re quasi materia se habente, communicant.

Laminæ ergo nihil à cælo consequuntur vltra naturam metalli, & lapidis, de quo fiunt, nisi in aliquid Ens transmutentur. Si quid autem amplius habent efficiuntque illud à cælo non est, sed ab aliqua causa admista, sicuti solet in Medicinis misceri res alterius virtutis; vel ab intelligente causa ita temperante per artificium: quemadmodum horologium ex ære confectum, non habet à seipso, neque à cælo, vt significet horas, quamuis cælum rotæ suæ æmulentur, vt causam vniuersalem, & idealem, sed habet ab artifice ita concinnante rotas & pondera, vt post minutas mutationes minutarum partium rotæ dentatæ ad horæ certam veniat pulsationem.

Docte ergo dixit diuus Thomas, quod quatenus ponuntur laminæ in certa specie artificij, consequuntur aliquid plusquam à materiæ viribus habebant, etiam à Cœli constitutione. Omnis enim res sua tempora habet, quibus Mundi causæ arrident magis. Non enim seminamus in Ianuario frumenta, neque in Maio, sed in Nouembre mense in Italia: alioquin non fructificabit. In Germania vero circa finem Aprilis, quoniam Satum in Nouembre frigus sæuissimum apud eos hyemale occideret granum, quod frigore in Italico blando cogitur solum ad radicationem maiorem. At neque non fructificat apud Germanos Satum in Aprili, vti apud nos: ibi enim dies æstiui maiores resarciunt quod defuit ante Aprilem. Nobis autem quibus minores, tantumdem non efficient. Seminant etiam Ægyptij post Nili inundationem, quæ fit in Cancro, & temporibus colligunt subsequentibus in nostro autumno. Qui vero æquatoris incolunt plagam, bis in anno. Sunt etiam arbores in Zeilan insula Eoi Orientalis, propè æquatorem singulis mensibus fructificantes: nobis autem non nisi semel in anno. vt hinc videas caloris vires cælestes tunc modo effectus producere vbi & quando concinnantur ad illos sub certis gradibus idealibus. Vt nihil mirum, si ranæ aliquo tempore ex guttis pluuiarum in terrenum cadentibus, puluerem statim exoriantur.

Laminæ igitur ab arte aliquid artificiosum for-

3. q. Sent.

tiuntur, non autem Physicum, nisi Physicis commistum caloribus, odoribus, figuris, & huiusmodi. Igitur non video qua ratione Scorpius in lapide Bezoar insculptus valeat contra Scorpionis ictus, nisi ex virtute ipsius Bezoar. Et cum in thure sigillatur sigillo Bezoar, thus aliquid virtutis à lapide, & specificationem à figura, vt ait S. Thomas, per impressionem illam suscipit, quæ in ipso crescat tanquam in symbolico. Odor enim solus adhoc potens est, magis autem & sapor vt Antimonij vsus manifestat. Nec quia nos Bezoar saporem & odorem non sentimus, non in existere arbitrandum, si ritè quæ de odoribus in 1. p. scripsimus, meminerimus. Nō ergo à cælo virtus illa sigilli captatur. Figuræ autem & caracteres Planetarum non valent nisi ad significandum nobis. Virtutem enim cæli non captant nisi per contusionem, & situationem, & concinnationem, vt supra dicebamus, & calefactionem: occultam autem vim primalitatum nequaquam, nisi ab imaginante mundo mentali. Possunt tamen mirificari, vt in cane rabido, qui mordens hominem facit caninum: quod tamen non facit canis non rabidus: cum plus momorderit.

Res Physicas in mari formas artificiatorum in terra referentes, non ab artis humanæ idea, sed à mentali, quę in Angelos, & in animas ab Archetypo communicatur, oriri. Nullam rem esse stupidam, insensatamque ad ea, quę ad sui spectant conseruationem. Caracteres & figuras laminarum esse significatiuas, non actiuas, licet præstent agendi commoditatem. Virtutes laminrum mirificas vltra speciem suam, quæ non est ab arte, esse ab intelligentia: & quomodo. Ergo nec Paracelsistas vim sanandi omnes morbos vnico medicamento: Nec Platonicos lyræ Orphæi mouendi omnia rectè tribuisse: eorumque rationes vanas esse.

ARTIC. IV.

SVSPICABITVR autem quis non immerito, quod quemadmodum nostra arte faciente aliquid noui in terra, statim illud nouum in mari exoritur, vnde piscis catena, & lorica, & atramentarius, & spatarius, & instar pilei, & instar Episcopi visuntur in mari pisces, an eadem ratione imprimeret in laminis sub certo cælo quas cupit virtutes. Nam sanandi morbos, & affectiones in generendi plurimas habent laminæ astrologorum, & caracteres magorum & sigilla, de quibus Petrus Aponus, & Arnaldus, & Paracelsistæ libros scripsere non paucos per artem, quam & Moysi ad scribunt in Serpentis Ænei erectione. Respondemus, omnes humanas artes ex primalitate secunda ortum ducere radicaliter, obiectiuè autem addisci ex ideis, quarum formas in naturalibus extrinsecè contuemur: ideoque sub certis temporibus, cum istæ formæ magis apparent, magisque mouent animum imaginosum ad aliquid simile conficiendum, & ex mentali mundo specialiter influitur affectio, & artificiosior ad illas imitandas disponentibus cæli vultibus: non vt in se, sed vt ad nos demittuntur, exoriri arts in animis humanis, sicuti feræ in Africa nouæ: Harmoniam facientibus cunctis mundis adhoc ipsum.

Quapropter nil mirum si in mari Episcopus piscis, & galerus, & catena exorti sunt, quando Deus horum ideas in nostras prouexit artes: non enim nostra imaginatio hæc fecit in mari, vt Auicennæ dicere conuenit, vires animæ cuiusque super omnia corpora ex sola imaginatione & fide extendenti: neque enim diutinam Alchimistarum imaginatio adhibitis etiam instrumentis & dispositionibus potuit vnquam producere ex plumbo aurum: licet fallaciter quidam Paracelsistæ de hoc glorientur: neque maxima affectio Medici imaginosi super amatum ægrotum sanitatem communicare valuit, etiam adhibitis pharmacis: nisi ægroti natura cooperetur sufficienter. Sic neque in mari homo produxit imaginator piscem catenam, sed virtus ideatiua rerum ex mundo Archetypo per mentalem in corporali emergens, vtens corporibus, vt susceptiuis: mentibus vt discipulis: calore & frigore vt instrumentis: & cælo vt instrumentorum officina, & sigillorum: quemadmodum sæpè docuimus; temporibus autem, & occasionibus, & rebus, vt deferentibus Fatum, necessitatem & Harmoniam. Inter causas autem mentales annumeramus homines artistas cum Angelis Artistis.

Rectè ergo Iāblicus, & D. Thomas, eos qui laminis, & sigillis plus æquo tribuunt, sese ludibriis Dæmonum exponere arbitrantur: figuræ enim, & caracteres, & voces significant rebus intellectum significationis habentibus, non stupidis, nisi in quo non sunt stupidi: non sunt autem vllæ res stupidæ in eo, quod ad suum gubernatum spectat immediatè: alioquin imperfecta essent opera Dei: vnde apes à longinquis regionibus florem repertum eunt per vim, nobis ignotam: equi insidias olfaciunt, canes ferarum odores, nobis occultos Aranea filamina tenuissima ad capturam Muscarum. Alciones maris serenitatem: pecudes pluuias venturas in causis præsentiunt, & erniosi, expressione quadam sympathiæ & antipathiæ, non autem ex prudentia diuiniori: imo ferrum sentit calibis, & magnetis præsentiam nobis occultam.

Cum ergo caracteres & cifræ non pertineant ad gubernatum, & multiplicationem caloris & aliarum Physicarum virtutum, nisi per accidens aliquando: non video quid valeant in laminis nisi ad cacodæmonum implorationem expressam, vel tacitam: ipsi enim ad vanitates omnes & deceptiones parati sunt. Deusque ludificationes nostras permittit, vt discamus ab eo quærere, quod nobis congruum est, vt filij à Patre. Igitur cum infirmitates sanent

sanant Magi per eiusmodi caracteres, profecto non à caracteribus, neque à materialibus hoc habent, nisi eæ sint materiæ, quæ talibus profligandis morbis Natura sunt aptæ, sed à causa intelligente applicante furtim sanat uam medicinam nobis ignotam: vel mouente calorem, & humores, & spiritus corporis, vbi & quomodo vtile est saluti, quas motiones omnes medicina facere nescit.

Igitur, neque Paracelsistæ ex certa quadam materia efficient medicamen omnibus morbis pellendis idoneum: quamquam roborent animalem spiritum, vt eos pellere possit: non enim cum omnibus antipathiam habet: nisi sanitatis habitus, qui ex spiritu solido & humido bene ad propria munera commistis, prontisque resultat, substantialiter foueatur. At quis poterit adeò spiritum hominis roborare, vt possit deinde claudicationem ex fractura, aut sectione tollere? eosue morbos, qui compagines conuellunt? De his autem dictum est in lib. 2. Par. 1.

At longè audaciores sunt Platonici, qui Orphei lyræ & cantui tam mirificas tribuere dotes. Cantus enim cum sit aëris pulsatio concinna ad hominis mensuram, nil potest facere nisi spiritum, qui concinnus est, vnde ad suam operationem, quæ est motus, inuitat, iuuatque, commouere, & ventilare, & purgare, ac proinde perficere & seruare: vnde sequitur voluptas: quæ sensum conseruationis ex primalitatum doctrina subsequitur. Quapropter, sicuti non est idem sapor & odor homini, & cani, & capræ, & aliis brutis, veluti in prima Parte probatum est: sic neque omnibus brutis musica humana placet, sed singulis, quæ est suæ speciei, apta nimirum ad conseruatiuas motiones spiritus. Omne enim mobile suo motu seruatur. Sic in Poëtica consonantias, & dissonantias humanas inuenimus, & illecebras & horrores earum. Igitur possibile non est, vt Orphei musica traxerit omnes feras, sed illas tantum, quæ nostro temperamento sunt affines, vt carduos, luscinios, ceruos, equos, delphinos: & huiusmodi: non autem muscas, colubros, & anguillas, & polypos. Et hoc quatenus sunt soni mouentes: non quatenus voces significantes: sic enim neque homines Scythas mouebit Italica vox musica. Nec quatenus mouentes omnino: sic enim omne minus potens etiam virgultum, & pilos, mouet omnis musica: sed ad delectationem non nisi ea res, quibus est consona. Vnde asini asinus voce exhilaratur, & lupus lupi: & alius homo aliis sonis.

Quapropter, non satis admirari queo audentes pronunciare fabulam pro historia. Trahebat quidem Orpheus homines rusticos ad musicam, qui ex ignorantia symbolum habebant cum lapidibus & feris. Vnde si nec bruta trahere poterat, quæ sonum sentiunt, & signum: quanto minus lapides & plantas res crassissimas, vocis & sonitus, præterquam sub ratione motus insufflantis, expertes.

Cœlum autem lyræ Orphei non potuit virtutem aliam dare supra species lyræ, & aliorum instrumentorum, non enim capax erat, nisi sigillationis suæ. Neque enim homo tales consequitur dotes. Frustra autem confugiunt ad lyram Dauidicam, quæ Dæmones vi diuina addita arcebat; vel spiritus infestatos à Dæmone per fuligines, & humores suscitatos, attenuebat, & purgabat, ita vt instrumenta illa Diaboli suum effectum non sortirentur. Helisæus vero non suscipit à lyra Prophetiam, & à cantu, sed purgat spiritum animalem, & sedat motus incompositos, vt fiat in mente quies, & aptitudo ad suscipiendas reuelationes à mentali Mundo. Soni medentur in Apulia commorsis à Tarantula: quatenus ad motum & choreas agitant vsque ad sudorem: cum quo sudore venenum eductum relinquit eos sanos. Damon ebrio sedat sono spiritus attenuando & componendo.

Ratio autem illa, quoniam Cœlum harmonicè mouetur, & omnia subsunt Cœlo: igitur & Orphæi ad Cœli modulamen concinnatæ lyræ: vanissima est. Omnes enim res habent proprias à Cœlo formationes, & dotes, quibus aliæ Cœli partes fauent, aliæ obsunt. Igitur non potest inueniri harmonia omnibus inferioribus consona, & perceptibilis simul. Nec vocalis (inquam) harmonia, neque realis. Omnis enim res certo numero, & mensura harmonizatis constat. Nec quia spiritus totius Mundi est vnus, eadem quoque erit harmonia. Harmoniæ enim est diuidere, nō vnire extra tēperiem. Singulæ n. res proprio tēperamento harmonico constant, ita vt aliis proximis temperie concilientur facilè, aliis vero aduersentur. Manifestum est enim, quod in corpore humano bilis infesta est sanguini, & vermes, qui in capite, & in ventriculo nascuntur, non habent symbolum, & harmoniam cum homine, in quo innascuntur. Ergo multo minus cum aliis.

Restat autem dubium, quomodo stupida planta Heri minitantis mortem nisi fructificet, vocem audiat, & serpens venefici carmen, vt testatur Psalmographus. Diximus quidem sæpè cunctis rebus inesse suæ conseruationis sensum, ac destructionis, ac proinde sentire quæ ad illam spectant. Vel Angelos custodes volentes, plus viuere plantam, adhibere ea, quæ ad fæturam faciunt: vel communis Animæ Mundi opus esse. Serpentes vero sonum, non significationem carminis sentire, nisi Dæmon adsit; nam & boues, & equos Magi verbo domant. Dauid autem ad vulgarem respexit opinionem, vt Theodoretus, & alij Patres conueniunt.

Serpentem æneum Mosaicum non ex Physiologia, nec ex Astrologia, quibus cum videtur communicare, vim sanandi omnes, sed ex diuino mysterio, accepisse.

ARTICVLVS V.

IISDEM ergo rationibus comprobatur, Serpentem Mosaycum non potuisse ex virtute æris, neque ex vi formæ Serpentis, sanare omnes aspectantes à serpentibus percussos Iudæos. Neque enim solus aspectus absque contactu & gestatione sigillorum, vt ipsi etiam fautores lami-

narum docent, vim sanandi habet: quanquam alij statuas in pernicies ciuitatum sese facere glorientur magi, & in salutem. Non enim statua, sed Dæmon affert vapores pestiferos,& ignes accendit in domibus,facitque applicando actiua passiuis,ea, quæ magi pollicentur,vt Platonici passim fatentur, & venefici & sagæ: de quibus multa habemus experimenta in sanctis tribunalibus contra eos erectis: præterea Serpens æneus non agit in ægros actione materiali, cum non tangat, neque formali, cum vires sui diffusiuas, qualis calor & frigus, non exerat: ergo vi mirifica primalitatum, vt magnes ferrum attrahit. Sed hæc virtus non extenditur à longè,neque tanta esse potest in materia crassa,vt ad omnes aspicientes veniret, sicuti virtus fulminis vagantis. Quod si fidem imaginosam aspectantium afferas, cum illa non agat ex parte obiecti in corpus, sed ex vi confidentis animæ, nec omnes benè confiderent, sequitur quod non omnes sanabantur. si vero fides in Deum autorem legis, præfigurantem aliquid in illo Serpente diuinitus futurum, quod Christus de se in Cruce eleuato interpretatur,quemadmodum sanguis Paschalis agni in liminaribus domorum percutientes Angelos è domo arcebat, tanquam figura & statua sanguinis Christi (eorum enim quos amamus & timemus & rem & imaginem amamus & timemus) tunc sequitur quod obiectum fidei illorum Deus ipse sanabat aspicientes. Neque enim sapientissimi Astrologorum post multa experimenta se talia per laminas Astronomicas efficere non posse amplius negant.

Vera miracula ad omnia contradictionem non implicantia à Deo solo fieri: res autem naturales ex temperamento, & Cæli dotibus nonnisi ad quędam mirabilia extendi; nec posse aliis communicari specificas speciebus, & indiuiduales indiuiduis. Dæmones & Angelos miracula non facere vera, nisi ex virtute Dei ad omnia se se extendente: Sed naturalium viribus vtendo, applicando actiua paßiuis nobis clam, & modificando, facere, quę miracula videntur, & non sunt.

CAP. IX. ARTIC. VI.

STVLTISSIME ergo etiam miracula temperamento cælitus dato ascribunt recentiores Peripatetici, ex eo quod pes Pyrrhi lienosos sanabat, & Psyllij & Marsi impune contrectabant Serpentes: vt magnes trahit ferrum, & fraxinus fugat colubros: omnis enim virtus à cælo & temperamento est vel specifica,vel indiuidualis & ad vnum. Magnes enim solummodo ferrum trahit,non autem aurum,neque pennam: & hoc ex natura speciei facit magnes omnis: nec habet dotes remoræ,neque hydrargirij,neque Chamæleontis: similiter Pyrrhus solum lienosos sanabat,non febricitantes,neque suscitabat mortuos, neque loquebatur linguis omnium nationum. At neque imperio verbi hæc faciebat, sed pollicis applicatione sanguinarius sic lapis sistit sanguinem, non autem vrinam: nec sanat febrientes. Cum autem qui miracula faciunt, virtute Dei se illa facere iactent: neque hoc aut illud miraculum, sed quælibet vtilia, ac necessaria, consequens est,vt non ex vi temperamenti specifica, neque ex indiuiduali operentur, sed virtute Dei omnia potentis propterea quod est omnia eminenter, omniumque continet virtutes,idcirco omnes dat. Nemo autem dat quod non habet. Propterea Dominus Iesus Apostolis suis diuersa temperamenta habentibus virtutem miraculorum omnium impartiuit: dare autem Pyrrhus aliis hominibus suam vnicam contractam virtutem non potuit, neque Marsi suam: ergo diuina est virtus in miraculorum patratoribus ac proinde diuinitus multiplicabilis. Iamblicus etiam de mysteriis disputando, probat miracula vera non à stellis, neque à natura fieri, sed ab ipsa diuinitate, quoniam non omnis homo quamuis Philosophus, & sanctus ea facit, nisi per inuocationem deitatis & religionem. *Nec quidem* (ait) *fit ex Anima & Deo vnum Ens faciens miracula: non enim Deus commiscetur Animæ, vt elementum elemento: neque enim æternum potest fieri temporale: quod accidit si vnum tertium ex eis fit.* Quibus verbis videtur Christi diuinitatem vnientem sibi humanitatem non credere, leui quidem ratione. Deus enim rerum Autor rebus omnibus est intrinsecus: & in Christo non est mistio Deitatis & Animæ, neque mutatio ipsarum: sed assumptio huius ad illam substantialiter terminatam in personam Deitatis: de quo mysterio in Theologicis erit sermo.

Reprobat etiam Iamblicus Porphyrij opinionem quod Anima possit generare de se potestatem demoniacam,imaginantem futura,& miracula facientem,dum conducit in vnum materias quasdam habentes virtutem eiusmodi præsertim acceptas exanimantibus sensu vigentibus;etenim Dęmones non nascuntur, nec moriuntur. Item Anima clausa corpore essentias producere extra se non potest tam eminentes. Item quænam potestas extrahit potestatem Dæmonicam ex materialibus? non anima cum sit corporata. Item nec Deus ipse,licet creare possit Dæmonem, ex materia educet Dæmonem, nisi prius ibi præexistat. Item nullum genitum habet aliquid quod à suis causis non datur. Si ergo anima & corpus non habent vim miraculariam & prophetalem, neque materiales res vllæ: sequitur, quod non poterit homo ex materialibus generare Dæmones miraculorum & vaticiniorum potentes. Nec compatientes Dæmones aliunde adsunt applicatis rebus animatorum, vt putat Porphyrius & Sagæ,nisi ex pacto tacito vel expresso cum eis: & si ex compassione & sympathia adsunt: sequitur quod vaticinium & miracula non habeant. Verum enim

vaticinium, ait Iamblicus, non est naturæ passibilis, & aliquo corpore, loco & tempore clausæ, sed ab his omnibus absolutæ, vt possit quocunque in loco & tempore facta pariter, simpliciterque prospicere. At inquam, si Deus esset ipsa rerum natura, vel commista vis, non posset facere nisi naturalia & naturaliter: probatum est autem contra Plin. & Var. quod sit abstractus & supra naturam in 2. P. & hoc nunc miracula pandunt.

Quam ob rem, cùm Deus solus nullis sit corporibus, & locis, & temporibus alligatus, neque res quædam vnius certæ sit Naturæ, sed omnes in se continens Naturas, ipse solus potest veras Prophetias dare & miracula. Ego enim quæ loco absunt à me, non video, ergo non possum ea docere. Similiter quæ absunt tempore. Igitur occulta pandere & futura, est eius, qui ambit omnia loca & tempora, vt dictum est in libro v. p. 2. Similiter miracula ille solus omnia facit, qui omnes habet naturas eminenter: non enim est miraculum, si auis volat, quoniam habet alas, neque si homo hominificat, aut scribit, quoniam habet humanitatem & artem scribendi: esset autem si homo volaret, & passer scriberet, aut homificaret. Igitur Dæmon cum non habet ignis naturam non potest absque adhibito igne ignire, neque absque frigido frigefacere: neque vitam dare quam non habet humanam cadaueri: & sic de singulis. Igitur omne ipsorum miraculum est per localem translationem rerum actiuarum & passiuarum: & sunt nobis miracula quoniam eas nescimus, sicuti bombardarum vsus visus est miraculum Americanis: similiter enim miraculizant Dæmones, atque homines: hoc autem illi plus habent quod melius rerum naturas norunt ac tempora producendi effectus, & facilius inueniunt applicantque actiuas passiuis. Similiter enim & futura magis norunt atque nos, quia causarum determinationes prænoscunt in concausationibus magis. Absentia vero, quoniam velocius & facilius, circuunt omnia loca: & ab aliis liberis distant spiritibus, qui nobis communicant. Verum homo sanctus etiam Dæmones docet & Angelos de futuris contingentibus & arcanis voluntatum, & mysterijs supernaturalibus: quæ tria Deus sibi reseruauit, & reuelat cui vult: non enim sunt de essentia beatitudinis beatorum, neque de existentia, vt in Theologicis abunde probauimus: quamobrem Iamblicum & Porphyrium damnauimus, putantes, omnes Deos vbique esse: & omnia posse, cum hoc solius infiniti sit Archetypique primi Entis, vt in 2. parte probatum est. Qui facit miracula vera solus. Etenim non indiget calore ad calefaciendum, sed facit, cum dicit: edicere enim eius est significatiuum simul & operatiuum: nostrum vero & aliarum creaturarum solummodo significatiuũ. sentiunt quidẽ omnes creaturæ creatorẽ, quoniã sentiũt seipsas creatoris nempè participationes: idcirco ad eius imperiũ mouẽtur omnia elemẽta & elementata, & essentiæ simplices & mistæ, magisquam ad sui ipsorum appetitionem & imperium, & notionum, quoniam Deus est rebus intrinsecus, vt largiens esse & operari: propterea que ei obediunt magis, quam sibi ipsis, cùm non à se ipsis sint, sed ab eo, sicut radij à sole, vt ait Augustinus. Ergo duplex genus miraculorum habemus, alterum, quo facit effectũm Deus absque causa, vt cum calefacit absque calore: alterum quo cum causa vbi & quando, & quomodo non potest de se causa, vt cum transfert montes, qui seipsos transferre non possunt: cum Animas reuocat ad vitam corporis, quæ de se vinculis vitæ religari nesciunt, cum febres & morbos pellit solo verbo absque pharmaco. Item, cum dat pharmaco id, quod de se non potest, sicut si per pimpinellam sanaret podagram. Cuiusmod rebus ad suam sanctitatem, & gratiam occultandam sæpè vtebatur sanctus Franciscus Paulanus. Angelorum vero & Dæmonum, & quarumcumque creaturarum imperium res nulla exaudit, nec sentit, quoniam sunt diuersæ essentiæ. Et hæc non dat huic vt sit, & operetur, sed vtitur hac in eo quod habet, vt coquus igne ad coquendum & assandum. Addit ergo solam ipse applicationem, & modificationem, ne comburat assandas res. Sic omnis creatura, & Angeli ipsi vtuntur aliis rebus, addendo solam applicationem, & modificationem, per se & per alias causas instrumentaliter ratione applicantis, principaliter vero ratione sui operantis ad modificationem. Igitur sydera principaliter agunt propter se. Ex actione enim sui diffusionem, & conseruationem tantummodo procurant, sed quatenus sunt instrumenta Dei, & intelligentiarum, inferiorum generationem non procuratam à se, sed ab applicantibus ad sic agendum, faciunt, vt ignis assat à coquo applicatus sic, qui per se solum ignit. Scire autem quid & quando & vbi talis effectus ex causarum applicatione nascitur, & quomodo & vbi, & quando alius, non est virtutis cuiusque sed Dei totaliter, & Angelorum ex parte. Propterea Pythagoras dixit, opportunitatem esse Deum, hoc est Dei ordinationem: & hanc ab Angelis procurari, quoniam exequuntur fati ordinationem à Deo fante productam ex mundo Archetypo per mentalem & Mathematicum vsque ad corporalem. Vnde sciunt quid quomodo, quando, & vbi est curandum atque futurum: non autem omne: neque enim sciunt modificationum omnium finalem partum, nec omnes, cum non ambiant omnia: præsertim quas Deus potest addere denuo aut in plus & minus, prout vult.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ PARS TERTIA METAPHYSICORVM.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

IN QVO DE RELIGIONE, ET VIRTVTE, & Lege, & Propheta, & Legislatore.

Humanam mentem agnoscere se extra propriam regionem esse euidentibus argumentis; ideoque similem deliranti, ægrotanti, & in tenebris degenti: propiereaque indigere auxiliis diuinis, quibus ad patriam regredi possit, nec mala sua, & quę declinare vult, & non potest, ex natura materiæ, & elementorum: sed ex aliqua culpa sui accidisse: ad quam delendam non nisi Deum Deorum valere.

CAP. I. ARTICVLVS. I.

MENS humana extra regionem propriam sese viuere ex eo nouit, quoniam seipsam ignorare seipsam experitur, sicut qui est in tenebris seipsum non videns. Similiter quoniam cognoscit se non posse cognoscere cognoscibilia meliora: & quod non prout sunt cætera nouit, sed prout apparent: ergo ex hoc scit se esse in loco vbi non potest ex sui natura & appetitu scire ac operari ergo extra patriam suam. Similiter, quoniam quæ bona & iusta vult exequi, non vult aut non potest, aut nescit omnino: imo videt meliora probatque & deteriora sectatur: cognoscere autem bonum & pulchrũ & iustum, est diuinitatis in ea inditum: non facere autem prout nouit est in regione non sua extare inditium.

Nullus vnquam, prout prædicat sanctissimè viuendum viuit, nec vlla Resp. & viuendi modus à Philosophis mirificè descriptus, & à diuis imperatus, habuit exequutionem adhuc in nostro mundo taliter, quod fiat voluntas Dei in terra mundi nostri, sicut fit in cælo mundi Angelici. sumus ergo fragiles in potestatiuo, ita vt valemus quod scimus esse noxium, & hoc cognoscimus, & verecundamur. Verecundia autem est summæ excellentiæ humanæ indicium, qua omne malum, etiam à fortuna illatum verecundamur, nedum ex nostra culpa natum: ita vt etiam se natos de vili progenie & patria & ruptos gestare calceos, & spuere, & stercus excernete, & manducare publicè, magis autem coire, quoniam sunt signa nostræ mortalitatis, & medicamina, homines verecundentur: & quasi in dignatur Animus viuere in corpore mortali: quoniam hoc non sibi naturale nec à Deo. Ergo aliquam culpam totius generis nostri ex hoc cognoscere licet, quam luere, & sciri erubescimus. Etenim vbi nulla est culpa, non verecundamur.

Quapropter non rectè Platonici, & Philosophorum sectæ causas nostrarum calamitatum in materiam reiiciunt. Ipsa enim de se non est mala, cum sit sedes & basis formarum pulchrarum, & bonarum, omniumque operationum, aptissima ad omnia bona ideantis Dei, & numerantis, & concinnantis, suscipiendum. Nec putandum est Deum relegasse Animas de mentali in corporalem mundum in pœnam, de qua pœna verecundentur, sicut scribunt Platonici & Origenes: hoc enim sæpè ostendimus esse falsum: neque putandum est Deum materiæ malæ & non suæ mentes bonas, & suas alligasse: ergo

ſuæ & bonæ. Ergo dedit etiam illis virtutem continendi corpora in ſuo officio & iuſtitia: iuſtum enim quod pulchrum: pulchrum eſt boni apparentia. Bonum autem deteriora melioribus ſubeſſe; ergo corpus ſpiritui; ſpiritum menti, mentemque Deo: ſic enim natura melius ſeruantur. Bonum enim eſt conſeruatiuum, & iuſtum eſt, quod æquatur fini, qui eſt conſeruatio, vt in politicis docuimus. Igitur hanc iuſtitiam perdidit animus cum Deo ſubditus eſſe noluit, à quo ſeruatur. Ergo non fabula eſt peccatum Angelorum, & Adæ in poſteros traductum, ſed ex arcanis naturæ relucens veritas, vt dictum eſt prius. Ergo dedit Deus menti humanæ, vt imperaret corpori, & animabus, & cunctis rebus, ſe deterioribus, imperio, tamen quod Dei imperium non impediat. Si autem imperaret homo ſyderibus, vt in terram deſcenderent, & elementis vt de ſuo loco migrarent, diuinæ ordinationi omnia ſeruanti officeret. ſicuti ſi ſuo pedi iuberet facere officium oculorum, & manui pedis, & iecur in locum cordis migrare. Imperium ergo rationale, & caſtum habet homo ſuper res cunctas: & omnis ſuperior ſuper inferiorem. Amittit verò, quando in ſuo ordine, & dotibus à Deo datis non permanet. Ergo cecidit homo ab hoc ordine, alioquin non tanta mala ipſum apprehendiſſent, nec corporis paſſionibus obediret ita turpiter, vt homo aſino, & eques equo, contra iuſtitiam, & pulchritudinem, eius Epiphaniam. Nec tribuendum hoc comune malum elementorum pugnæ vt alij docent, aut ordini rerum, vt Auic. putat: Nam iuxta noſtrum dogma non conſtat homo ex contrariis licet ex oppoſitis: item Mens habitans corpus, eſt immortalis, & viuaciſſima ita vt poſſit moderari corpus ne ipſam lædat. Natura enim negat Deum ſubieciſſe melius deteriori: & Auic. ipſe docet elementa ſubdita eſſe Animabus rationalibus. & temperantia producit vitam, vt Plato in Charn. docet & experientia Patrum & Heremitarum, intemperantes verò citò moriuntur. Ergo animi culpa facit corpus morboſum. & cognoſcit hoc, & non abſtinet.

Igitur cum homo etiam agnoſcat iuſtum & pulchrum, & bonum, & tamen non quod vult bonum, illud agat, nec quod materia vult, ſed quod inhabitans in eo peccatum, conſequens eſt, vt agnoſcat ſe indigere ſuperiori auxilio. Ergo quemadmodum trahitur ad inferiora in diſſimilitudinem, alienationem ad corporeum mundum per ſenſualitatis corporei ſpiritus illecebras & furias, & aggrauans corpus, & per hominum prauorum, & dæmonum ſuggeſtiones, & oblatas occaſiones; ſic etiam ad ſuperiora; vnde originem habet per reuerſionem ſui ad ſe ſuamque in originem, curari oportet ab oppoſitis melioribuſq; cauſis, videlicet per illecebras diuinarum pulchritudinum oblatarum à Mundi gubernatore per gratiã Autoris rerum, per ſuggeſtiones Angelorũ, & doctrinas bonorum hominum: & quidẽ maiora oportet eſſe auxilia quam deprauantes cauſæ. Ergo & quæ poteſtatiuum roborent, & cognoſcitiuum illuminarent, & volitiuum purgent, ſanctificentque, vt poſſimus fugere omnia mala, & ſectari omnia bona. Hoc enim ſpectat ad gubernationis rationem.

Hominem optimum viuendi genus, quo diuinum regrediatur in mundum, non poſſe tenere, niſi lege ſeruetur poſitiua, & naturali, quæ cum inſufficienter in officio teneret hominem, virtutibus opus fuiſſe Quibus nec ſufficientibus, additam religionem, quæ erat non quę non erat; Nec religionem optimũ eſſe, niſi Deus ipſe doctrina & exemplo nobis condeſcendendo affulgeret. & doctores legum & virtutum, & Religionis per ſapientiam Dei in ipſa reuelata, conſummari, & probari.

ARTIC. II.

COGNOSCIT homo ſeſe indigere legibus, id eſt regulis iuſtitiæ, per quas doceretur, quæ ſectanda ſunt, & quæ declinanda citra miſtionem bonorum & malorum, quæ in Mundo ſituali congeruntur; ac cogeretur contra ſenſualitates ſuas, vitam degere; neque hoc nouit, niſi poſt fabricæ corporalis abſolutionem, cum à malis lædi, à multis ſeruari coexiſtentibus; & quæ promittunt ſalutem, mala eſſe, expertus eſt; & quæ dolores afferunt, quandoque bona. Igitur per philoſophiam res cunctas expertus, ſcientias, & artes adinuenit. quibus res prius noſſet, & poſtea ad ſui vtilitatem tractaret. & in ipſis tractandis & agendis regulas poſuit, quales rerum vniuerſitas oſtendit rationabiliſſima, per noſtram conſimilem rationem agnita. Inuentum eſt enim quod Deus lege æterna, quæ verbum Dei eſt eſſentialiter cuncta regit deducitque ſuos ad fines, fini magno congruentes, & quæ videntur contra finem ſupremum accidere, ab eo non declinare. A lege æterna deriuatam agnoſcimus legem naturalem, qua res omnes proprios in fines per certa media deducuntur, qui eſt conſeruatio totius per conſeruationem partium ex lege naturali emanauit per modum concluſionis lex gentium omnibus neceſſaria ad omnes, vt de contractibus, de paſſionibus, de legatis: & per modum ſpecificationis poſitiua lex Nationibus ſingulis, præſentibus occurrens neceſſitatibus, & vſibus, idcircoque illis ceſſantibus non duratura, ſicut ius naturæ & ius gentium durant ſemper. Hanc poſitiuam, & Deus, & homo aliquando ponit, quæ docet omnia ad normam naturæ accidentalia redigere. de quibus in Theologia largitis loquebamur. At quidem experimento didicimus leges iſtas non ſufficere ad benè viuendum in Mundo corporali, vitam ordinatam ad vitas mentalis mundi. Imò in his legibus homines altercantur, & alij aliud credunt & faciunt: vnde ſciuimus nos indigere Deo Legiſlatore. & cum accepimus eius leges per viros ſanctiſſimos, qui proba-

runt ſeſe à Deo miſſos, adhuc agnouimus, nec leges prodeſſe exteriores, niſi ad docendum non ad exequendum, niſi ſibi intus quiſque eſſet lex.

Igitur virtutes colere oportuit, quæ ſunt regulæ tam affectionum, & paſſionum, & notionum noſtrarum, quam operationum, actionumque. Cumque de virtutibus & vitiis, & de recto, & æquo ſatis ſuperque in genere humano diſputatum eſſet, & alij aliter ſaperent, intelleximus, nos indigere doctore Deo, à quo per Prophetas à ſe illuminatos, & Angelorum magiſterio perfectos, moralia cuncta cognouimus. Cumque mox obliuio & affectio ſenſilium bonorum nos caperet: & à monſtrata via nos flecteret: & quiſque aliis benè prædicaret, ipſe autem malè operaretur, putaretque ſe deceptorem aliorum, non potius deceptum, ſicuti erat ſecundum veritatem, & fraudes alter contra alterum ſtrueret, indiguimus notitia altiori: maximè cum putaremus bonis huius Mundi, non ſufficientibus noſtro immenſo deſiderio, non nulla alia eſſe maiora, & veriora & ſufficientiſſima, ac deceptos eſſe eos, qui aliter prædicant. Hæc autem diuinitus tradita è cordibus emergens noſtris religio, nos diuinitus docens, ac diuino cultui mancipans, vt guſtaremus, Deo adhærentes, omnes veritates; nec cultu rerum aliarum affecti affectiones nouas nos alienantes à Deo induemur. Oſtenſa autem religione, quæ Natura, quæ diuina Ars eſt, in mentibus noſtris latebat: nam & cum fidelibus, inquit Eccl. in vulua concreatus eſt timor Domini, id eſt Religio; mox parentum diſciplina, & rerum pulchritudine teſtante, exciti, per extaſim ad ſuperiora rapti, & Mundi Archetypi bona guſtantes plurimi homines nobis annnciauerunt ea: vt quemadmodum ſciebamus ex malis huius Mundi nos eſſe extra patriam, nunc intelligeremus, quæ bona nos manent in mentali Patria. Nec ſufficit annunciatio Angelorum, niſi & homo per raptum ipſa cognoſcat. Sed cum indigeret corpus cibo & potu, & veſtimento, & homo ſuam originem admiratus ambitioſè viueret, velletque quaſi Deus etiam ab hominibus coli; affectiones induit nouas, & cum harum puderet, per hypocriſim eas occultauit, & qui optimi erant inter homines, agnouerunt ſeſe auxilio longè celſiori egere, vt poſſint agere quæ ſciunt agi oportere. hoc auxilium eſt noua prrticipatio deitatis. Omne enim datum optimum eſt à Patre luminum, vocatur à Theologis gratia gratum faciens, quæ poteſtatiuum roborat, cognoſcitiuum illuſtrat, & volitiuum Sanctificat in ſuo fine. Propterea prima virtus eſt ſanctitas ſanciens de vero fine, confirmanſque in illo: ne non veros & medios pro vero vltimo captemus. Propterea Theologi Chriſtiferi parcum & defectuoſum eſſe omnem modum reuertendi ad Deum docuere, niſi ipſe Deus nobis non potentibus ad ipſum aſcendere, condeſcenderet factus homo, vt homo deificaretur tali copula, & eleuaretur in Archetypum ex corporeo perfectiſſimè. Igitur ſacrificia Albæ Magiæ, & ſymbola inferiora, exhibita ad captandum influxum ſuperiorum, nihil valent ad erigendum hominem ad Deum, quando neque ſcientiæ, neque virtutes, neque leges id facere potuerunt, niſi diſpoſitiuè aliqualiter abſque ſpeciali gratia Dei. Vtrum autem euidenter, ac verè credibile ſit, Deum fieri hominem, vt legiſlatorem per ſapientiam, & redemptorem per potentiam & glorificatorem per amorem, ſequens libellus monſtrabit, ſatis in Theologia demonſtratum. Probè quidem probatũ eſt in ſuperioribus, quod ſi Deus non deficit in neceſſariis, ſui nobis notitiam, & auxilium dat: & Prophetas qui doceant vias ſuas. vnde Auic. in tract. 10. ſuæ Metaph. cap. 2. probat eſſe neceſſarios Prophetas: quoniam ſi Deus in naturalibus minutioribus non deeſt, vt cum palpebris dat pilos, & plantæ manus cauitatem & digitos, aliaſque vtilitates: multo magis prouidet toti Reip. hominum, indigentium doctoribus diuinis Prophetis, vt probatum eſt: quorum eſt audire (ait) Verbum Dei per Angelos, & videre eos transfiguratos ad Animaſtica, ex Animaſticis ad intelligentias eleuare: vt ait in 1. cap. ibidem. & miraculis comprobare dogmata, & promiſſa Dei. & ſibi ſucceſſorem parare ſummum Sacerdotem, vt Vicarium Dei pro ſe ſicut in vltimo cap. concludit.

Hominem quamquam pluribus legibus, & custodibus, & corporibus ſubditum, nihilominus eſſe liberum mente à coactione, non à miſeria. & potius liberum inuolendo, quam in exequendo. Deum ac Angelos non cogere libertatem, ſed iuuare per ſe; dæmones & mala inferiora, iuuare per accidens. & culpas & pœnas eſſe præter fatum legis æternæ. nec fatis ſolui niſi per Religionem, & per hanc verè liberari.

ART. III.

QVÆRET autem quis, qua ratione cum homo tot legibus diuinis humanis & naturalibus, & publicis, quæ propriæ leges vocantur, & priuatis, quæ dicuntur virtutes, ſubiaceat, & tot indigeat exterioribus auxiliis; poſſit dici ſecundum veritatem liber. Porphyrius anxius in his excipitur à Iamblico, docente; quod, & ſi homo quoad animam ſentientem, quam à cæleſtibus habet reuolutionibus, fato ſit alligatus, vt ſeruus, nec poſſit aliter ac ſolet operari: mouetur enim ad agendũ ex appetitu; appetitus autem ex cognitione: cognitio ex paſſione, prout enim benè vel malè afficimur, ſapimus, & amamus, atque odimus. Hæ autem affectiones ſunt ab obiectis, à calore, frigoreque, & à Cælo, & motu, & luce, & aſpectu. Similiter ab intelligentiis immutantibus vel tranſponentibus phantaſmata: vnde Auic. probat, quod nulla volitio noua eſt in nobis ab alia volitione; ſic enim itur in infinitum, nec à natura volitiua, ſic enim ſemper ineſſet: ergo ait ab extrinſecis obiectis, & motoribus naturalibus vel intellectualibus. quod verum eſt quoad ſpecificationem actus, non quoad exercitium. Anima enim ſemper ſeipſam mouet & vult. Specificatur tamen eius motio & volitio ab cauſis naturalibus diſpoſitiuè, ab intellectualibus etiam ſuggeſtiuè. Adeò tandem

etiam motiuè, non tamen compulsiuè: præterquam quod condidit naturam, & dedit facultates, & mouet aduolendum in communi; semper ad bonum: quam volitionem modificat animus: & sæpè torquet ad malum. Namque secundum mentem homo est liber non seruus: nam per illam potest copulari Diis supra fatum, ex circuitibus cælestibus, & inferiorum passionibus, causationibusque connexum eminentibus. Ergo & sic per Religionem Fato solui, & hanc fuisse sententiam Ægyptiorum sacerdotum, quam didicisse à Chaldæis Ægyptios docet Iamblicus: & sibimet adscribit Auic. Ergo inquam ab Abrahamo Chaldæo, vt Iosephus & Philo. Manifestum est enim, quod quando mens ad præstantiora his, quæ in sphæra generationis aguntur, reuocatur per contemplationes & ecstases, tunc fato istorum soluitur, exque ordine hoc in superiorum eleuatur ordinem; propterea que docuere per Religionem vinci fatum. Quod Theologi nostri quidam parum scrutati veterum dogmata damnarunt, quasi impossibile sit Dei decretum, quod fatum vocant, solui. & tamen cum Aristot. non omnia ex necessitate euenire contendunt: ipsique è contra necessitatem fati, id est fantis, & decernentis Dei omnia in omnibus defendunt. quam tamen Stoici a liberis mentibus ita explodunt, vt & prouidentiam in eas non extendi autument, sed relictas esse in manu consilij, Nos autem in 2. par ostendimus, solam mentem esse liberam, ac posse auxilio diuino exsuperare fata, id est leges & ordines secundorum entium & corporeorum, sicut auxilio Regis decreta iudicum, non autem Fatum, id est legem æternam fatalem à Deo fante verbum suum, & per verbum omnia. Et hoc etiam intellexit D. Thomas. etsi enim præter voluntatem Dei antecedentem quædam fiant, vnde rerum mutatur ordo vnus: non tamen omnes.

Idcirco non rectè damnantur idem sentientes Chaldæi atque Ægyptij. Nec rectè Stoici, (qui, teste Lactantio, vocant Fatum Dei, quod nos verbum Dei consimillimo sanè vocabulo) eiusdem prouidentiæ hominem subtrahunt. neque enim propterea filius est liber, quoniam est sub prouidentia Patris, vt filius, non vt mancipium sub eodem degens prouidentia. Etenim actus legis sunt docere, imperare, vetare, permittere, præmiare & punire. qui autem subterfugit legem æternā in vno actu nō effugit in cunctis: & mala, quæ facit & vult, sunt ab eadem lege permittente. bona verò ab eadem docente & iubente: sic de cæteris, vt in lib. 15. Theologicorum declarauimus.

Quod autē mens semper sit libera, ex eo patet, quoniam ex quo cogitur homo proijcere merces ne ipse submergatur vna cum naui, & remigare ne occidatur à Domino Triremis, & ad furcas suis pedibus damnatus ambulare. Nihilominus hæc non faceret, nisi simul vellet, quia sic oportere ad vitandum maius aut præsentius malum, cognoscit, aut futurum; & tamen in libertate sua est nolle facere quæ facit, & eligere minus bonum, & occidere se ipsum. Probauimus in Ethic. & Theol. hominem esse liberum à passione. omnes enim exuperat: & abiectis: omnia enim volendo vitat, & multo magis à Deo, qui suauius operatur: & nolens blasphematur ab homine ob superfluam libertatem. non enim à Deo mouetur contra Deum. Diximus etiam hominem esse liberiorem in volitione, quam exequutione: hæc enim ad concausas, & coexistentes res simul spectat, & ad corporalis Mundi retinacula, & situalis ordinem Mundi. Volitio verò ad mentalē. Propterea clamat. *Non quod volo bonum hoc ego, sed quod odi malum illud facio. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*: Cui consonat Trismegistus, oportere corpus prauitatis & ignorantiæ saccum exuere, & sepulchrum portatile; & adhoc inuocare Dei verbum regeneratorem: & hoc est Religionis actus, opusque. Videmus etiam libertatem hominis tantam esse, vt quod verat lex omnis, illud agat malum, quoniam permittitur à sola omnia condente æterna lege, quæ illi dedit libertatem. Propterea benè scripsit Chrysostomus, quod Adam non peccauit Deo volente, neque permittente, sed nolente & vetante. Siquidem manifesta est vetatio peccati præcedens, cum dixit: *Ex hoc ligno non comedas: alioquin morte morieris.* Quomodo autem permittit, qui vetat? permittit quidem fato æternæ legis quo fecit hominem liberum. vetat autem lege positiua, ac naturali, qua limitat illi libertatem ad bonum, non autem tollit & ad malum. & si quid prauę inclinationis ex culpa, & corrupto peream originaliter temperamento, inest: nihilominus adsunt contrariæ persuasiones ab Angelis custodibus, & argumenta à tota rerum Natura, Dei summè colendi gloriam prouidentiam, & amorem narrante, vt ad eius confugiamus auxilium, & insp rationibus diuinis ad rectum semper mouentibus, non secus atque corpus imbecillum, & molle, subditum mille malis, habet simul à cibo, etiam potu & aëre, & aqua, & cælo, & terra, vitæ conseruationem, & mortis effugium; & insuper à Patre, & matre directionem, auxilium & conseruationem. Item à Rep. & ab Agricolis alimentum, à militibus custodiam, à iudicibus tranquillitatem, à sapientibus hominibus doctrinam, & scientias; per quas omnes causas operatur hæc omnia Deus. absque his homo ex templo atque natus est moreretur. Et quamquam hæc plura sint tollentia, quàm afferentia mortem, tamen moritur homo tandem. & quod per horum auxiliorum ordines, & fatales leges cauetur, & prohibetur, per legem æternam permittitur, quæ est ambitus quàm latioris & latissimi sic etiam quamuis plurima sunt auxilia animæ mortem tollentia, quàm mala afferentia; nihilominus aliqui homines damnantur vetantibus fatis & permittente fato. Cuius mysteria nemo nouit. Quis enim Dei consiliarius fuit? credere autem oportet euidenter propter bonum, & ad bonum omnia facta esse. nec à fine supremo excidere, si neque à suprema æterna eximuntur lege. Mysteria autem loquitur Deus in nobis, dum religat nos sibi per regenerationem viuam. Igitur Religio & veritas ista docebunt, quæ nos fatis liberant. & verè liberant. Cæteræ enim leges ad hoc conducunt nulla enim virtus supra ordinem fatalem nos eleuat ad fontem fati, neque liberat à miseria, & coactione perfectiuè, sed inchoatiuè: quidquid sibi inaniter polliceantur Philosophi prophani.

De Religionis actibus, repræsentantibus Mundi corporalis, & per hoc mentalis, ordines & res: & quibus vns deprehendi potest reuelatio Religiosa ex parte reuelantis, reuelatorum, & modi & finis, & quomodo nulla scientia discursiua liberat nos omnino à deceptionibus: ideoque oportere adesse donum diuinum Discretionis spirituum, & propterea inquirendum esse quid sit Religio, & quot, & in qua reperitur hoc donum.

ARTIC. IV.

QVONIAM autem Religionis actus sunt, Adoratio, Sacrificatio, Consultatio Prophetalis, Benedictio, Iuramentum, Oratio, quæ omnia fiunt, vt reuertatur per hæc mens ad suã originem, & ad Mundum nempè Archetypum: & quia corpori est alligata, necessario habet hæc corporaliter facere: tum ad exprimendum foris, quod intus facit mentaliter: tum ad significandum omnia hæc bona sua ab Archetypo esse, sibique deberi: tum ad docendum eos, qui spectantes manu ducuntur à sanctissimis viris ad diuinas res. Vnde sapientissimus Moyses fabricatur tabernaculi atrium instar cæli mentalis: vbi semel in anno intrans sacerdos sacrificat Deo: exterius vero septem lucernas accendit, septem Planetis persimiles. Sacerdotem induit vestibus quæ totum mundum referendo, mentem nostram corporali mundo vestitam repræsentat, sese Deo religantem. Siquidem duodecim Zodiaci signa erant in rationali descripta, & duodecim lapides, cælestes vultus referentes: & aërei coloris camisiam, & cingulum cælestis, & sonantia in ora vestis tintinnabula, instar cæli inferioris Remp. vero constituit ex 12. principibus, docens, quod quando diuidebat Altissimus gentes & mundum, fecit ea iuxta numerum filiorum Israëlis, idest, duodenarium: alius textus habet iuxta numerum Angelorum Dei: credo autem principum, vt exponit Origenes. Siquidem vt Trismegistus, & Iamblicus, & Proclus vult, principes gubernatores mundi inferioris sub Pantoformio, sunt duodecim iuxta duodecim signa Zodiaci, à duodecim lunæ circuitibus, quæ dispensat eorum vires erga inferiora: sub his autem innumeri sunt ministri, ineisque incedunt septem Angeli magni assistentes, vt videas mundum corporeum mentali similem, à quo gubernatur, & ad eius exemplar Rempub. debere constitui, & gubernationem.

Et quoniam hæc sciri nequeunt, nisi Deo reuelante, & consulente, princeps pars Religionis est reuelatio & Prophetia. Idcirco disputandum quomodo agnoscantur boni ac mali Angeli, & Prophetiæ veræ à falsis: quod est fundamentum Fidei, in qua fundatur Religio sicut in basi. Fides autem non debetur nisi magistris non deceptis, nec deceptoribus, vt in principio dicebamus: & quamuis secreta mentis, & mysteria supernaturalia, & futura contingentia, solus Deus nouit, & Angeli, quibus ea reuelat: Diaboli tamen ex præteritis futura: per celerem motũ absentia; per signa mentis arcana: per causas effectus, cum determinari ceperint, norunt: ideo qui discernantur ipsi docendi sumus: nam in naturalibus quoque nil ab Angelis discriminantur, teste Dionysio.

Multas quidem notas ostendit Iamblicus, & Orpheus, ac cæteri antiqui scriptores, quibus bonos à malis Angelis discerneremus, ac reuelationes veras à falsis: præcipuè autem illæ sunt, quæ sumuntur ex parte reuelantis, ex parte reuelati, & ex parte finis, & ex modo reuelandi.

Ex parte reuelatorum scire licet, quod semper immiscet Diabolus veris falsa: Angelus bonus nullam admiscet falsitatem: non enim audet, quæ sibi reuelata non sunt edicere, neque quæ coniectatur ex argumentis, pro certis propalare, sed opinatiuè: sicuti cum Ioël docet quæ mala à Deo imminent, addit ex suo illud. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus.*

Ex fine vero, quoniam Angelus amat animas humanas, sibi sociandas sciens: ideoque salutaria & conferentia ad hanc societatem, docet. Diabolus vero inuidet huic saluti, proptereaque semper consilia præcipitationis immiscet & mendacia: licet aliquando coactus à Deo & Angelis veritatem fateatur in hominum vtilitatem: vtque sciamus eos non esse Deos, sed subditos Deo & bonis Angelis: sic Balaam Ariolus bona victus prædicat, & falsa consulit, vt liber animo etiam maculato: & oraculum Daphnidis se à Deo Christo tacere coactum prædicat, & Plutarchus stultè cessanti vapori ad vaticinium dispositiuo, id tribuit; oraculaque multa fuderunt vera, cogente Deo.

Ex modo pro prophetandi etiam differt reuelatio Dæmoniaca ab Angelica: omnis enim Prophetia vel fit in mente, vel in spiritu imaginante, vel in sensibus exterioribus: & hanc corporalem faciunt sæpè Dæmones, sub aliqua forma bestiali apparentes, aut humana prauè, & deformiter effigiata: aut si formosæ, semper relinquit aliquod signum indecori, & inhonesti, aut fætidi, aut horribilis. Angelus autem apparet vt plurimum humana forma decora honesta. bonum spirat odorem & lætitiam inserens. Nam & si à principio terret Danielem, in fine tamen consolatur. Cuius contrarium testantibus sancto Antonio & sancta Catharina Senensi, facere solet Dæmon, quippè qui à principio pollicetur bona, lętificatque, vt etiam facit peccatum, quod eius effectus est. In fine vero terrorem, tristitiam, & prauitatem relinquit: vt peccatum de quo saltem erubescimus & minuimur animo, corpore, fortunis.

Si vero fiat Prophetia intrante Angelo vel Diabolo in corpus: vtendoque spiritu imaginante ad loquendum per os Sybillę, aut Prophetę, tunc palam est ex Virgilij & Iustini & priscorum testimoniis,

nis,nosq; quotidie experimur,quod dæmonoplexia affecti loquuntur quasi à furente non intelligente, quæ dicunt,nec recordante. Item cũ corporis commotione,& oris distorsione,& in conditis actib. turpibusque vociferationib. & ambiguis sæpè numero. At cum loquitur Angelus in Zacharia, & Ezechiele,omnia pacata sedata honesta in sensibus, & moribus,& verbis conspiciuntur.

Quando autem in mente diabolus loquitur,nõ illuminat,nec cõfortat,vt Angelus,sed solum docet; & in hoc valde decipere potest, si misceat aliquid de suo.i.falsitatem, aut vanitatem, & inhonestum: aut ad minora bona pro maioribus. nec probat ea nisi fictis miraculis,& fallaciis:nec homo facilè liberatur ab eis cum innumeræ nationes olim, & nunc deceptę viuant. Et quoniam dæmon interuenit diuinationibus expacto,vel expresso,cum formulas verborum,ab eo institutas , & per sacra sua adiuratus comparet visibiliter:vel ex tacito pacto,cũ aliquod opus facimus,aut actum, qui est quasi cifra,& signũ inter inuocantem atque dæmonem , datam primo institutori artis curiosæ. vel cum non intendit quis à dæmone veritatem scire, sed facit ea,ad quæ non nisi dæmon respondere habet,vt sunt nugacitas & superstitio,impudicitia,illicitę artes:cum videlicet ars nec à causa,nec ab affectu,nec à signo dato à Deo, vel à Natura, vel ex condicto cum altero homine, procedit, sed à signis, vano ritu institutis, quod malum in Medicina, in Astrologia, & in multis bonis artibus,irrepere solet. Et in hoc secundo pacto deceptio multa inesse solet: propterea indigemus virtute diuiniori, quæ Theologis Christianis vocatur Discretio spirituum. Siquidem in Necromantia, & oraculis expressis per puellas ex tripode,& in incãtationibus,& ventriloquis,& arreptitiis:& apparitionibus dæmonum induentium cadauera, aut aërea corpora,facilè nõ decipimur: sicut nec in cribro forcipe appenso,nec in responsis ex annulo, & phiala, & chrystallo,& arca,& antro;sed in scientiis & somniis facilè præcipitamur. Item quoniam Angeli tenebrarum transfigurant se in Angelos lucis, sæpè numero: & sola religione depræhenduntur.nec omnes nationes propriam profiteantur, per quam sese tutos à diabolorum fallaciis arbitrantur,idcircò ante omnia de religione differere opus habemus. Et vtrum sicuti ad Christi nomen expauescunt diaboli, ita & ad nomen falsarum religionum expauescant; an expauere se simulent: & quibus viis istæ technæ depræhendantur,nunc differere oportet ante omnia; nam & summi boni adeptio, ex via ad ipsum simul aperiretur.

DE SVMMO BONO per Religionem.

Omnia appetere semper,& vbique esse,tanquam summum bonum, ergo Deum, ergo in ipso beatificari omnia,modo quodlibet tamen suo:idcirco ipsum plusquam se ipsa amare innato appetitu. Hominem verò etiam addito amore,& notitia, & hoc studium esse religionem: de qua inquirendum est.

CAP. II. ART. I.

QVONIAM rerum omnium appetitus in bonum tendit omne: quodlibet autẽ bonum, vel simpliciter, & per se bonum est , vel per aliud quatenus est via, aut signum,aut dispositio,aut pars per se boni.vidimus autem per se bonum esse per se Ens. Nullum autem Ens finitum per se Ens ostendimus, sed participatione Entis infiniti. Ergo Ens infinitum est summum per se bonum. Item in Ente quocunque finito est defectus alicuius Entitatis, & per consequens appetitus melioris, & contentio, & sæpè pugna & contrarietas,quæ est causa infelicitatis,& malorum omnium. Propterea diximus in solo infinito omnes appetitiones quiescere. Ergo reuersio ad illud, est iter ad bonum. Vidimus propterea Ens omne appetere,vt bonum,semper esse, & vbique,si posset. omnia calor occupare cupit, & planta, & homo similiter. vnde agnouimus res cunctas magis amare primum Ens infinitum quam se ipsas. Cum enim ipsæ sint mortales & finitæ & desiderent potius immortalitatem,& infinitatem,ergo magis Deum cupiunt immortalem infinitumque, quam se ipsas:quoniam ibi beatitudinem sese reperire secreta notitia intelligunt:vnde Theod. Mag.dixit. *Si quis naturas rerũ diligentius explorauerit , non animas tantum atque Mentes, sed quodammodo Entia omnia adorare, ac vouere Deo summo bono.* Hoc D. Thomas probat ex amore quo diligunt plus Deum quam seipsa etiam quæ videntur nobis insensata. D.Hier. verò ex eo quod omnia sentiunt creatorem,& imperium eius: licet apud nos videantur insensata. Ambr.a. ex laudatione,quam dant omnia opera Domini Domino, teste Dauid, Daniel, & tota Scriptura : & verè non metaphoricè,vt probat Dionys & alij.At homo non modo secreta vi, sed manifesta quoque Deo coniungi cupit,& in eo beatificari, & si non secundum corpus quia capax non est,saltem secundum animã. spreto ergo corpore,de cunctis rebus inquirit,& ad Deum propriam eleuat inuestigationem,ergo in eo beatificandus apparet aliquo modo excellentiori, quam qui cæteris competit rebus. Studium ergo huiusmodi religio est,vel religionis naturale fundamẽtum. Quod Ecclesiasticus,& Plato,& Iambl & Trism & Porphyr.& Lactant. & Pythag probauerunt. & quia plurimi religionem esse politicam inuentionem putant, idcirco eam naturalem esse super eminentiam virtutum contendentium ad Dei fruitionem animam euehere, declarandũ nobis est.

Res omnes à principio propriæ vniuersitates abstractas siue vi, siue illecebris, ad suum principium tandem redire, vbi securitatem, & conseruationem inuenire sentiunt. Sic & animas ad suam vniuersitatem, & hanc reuersionem esse Religionem.

ARTIC. II.

ENTIA cuncta semper esse cupiunt id, quod sunt, vt in 2.p. ostensum est. Sunt autem propter principium suum: idcirco ad principiū illud redire semper conantur, vt partes ad Totum vbi tota Entitas, & vniuersitas suæ Entitatis seruatur. Aquæ omnes à mare effluentes per spongiosos terræ meatus, veluti etiam per pannum, nos sursum ea attolli facimus, & secretos alembicos, tandem ad mare reuertuntur, quoniam moles aquarum tota in eo est, & Entitas aquæ ibi seruatur, magis quam extra originem suam, vnde recessit quodam amplificationis suæ desiderio quasi stimulo attracta ob finem, à prima causa amorosissima præconceptum. Similiter & tellus in arborem conuersa, & in fuliginem, vadit sursum: sed tamen ad propriam vniuersitatem redire mox delabens apparet, quasi confessa se non posse seruari extra illam. Calor tandem à sole effusus intra terram clauditur, efficit metalla, lapides, plantas, fluores, animalia; sed tandem expleto munere, & non expleto, quadam secreta vi appetitus sursum semper effertur, & ad cognata cælestia corpora, & ad solem regreditur, quoniam suam beatitudinem in cælestibus esse persentiscit, vbi est suæ Entitatis vniuersitas, in qua seruatur. Sic & animalia ad cætus suæ speciei reuertuntur, & finis omniū est reuersio ad suum principium quatenus est tota Entitas sui generis. Hanc reuersionem dico esse religionem omnium rerum, quoniam iterum suo se religant principio fatentes extra illud immortalitatem vel securitatem suæ Entitatis non inueniri. hoc etiam Dionys. & Theodoretus, & alij Platonici & Stoici intellexerunt. Quapropter & animæ aliquam esse vniuersitatem ad quam reuertantur censendum est. Si enim illa, quæ minus cognoscunt principium suum, semper illud appetunt, sectanturque secreta vi; multo magis anima, quæ cognoscit magis, ad suam vniuersitatem reuertitur. Ergo non vanè neq; stultè ad societatem Angelorum, Mundum .s. mentalem, & ad Deum, Mundum .s. Archetypum, contendit, sed naturaliter. Iter autem reuersionis è regione dissimilitudinis, id est ex mundo corporali ad mentalem, ostendit religio.

De duplici scientia innata, & illata: & de duplici amore orto ab illis; & de istorum repugnantia. & quod propter duplicem finem res recedunt à suo principio: quibus expletis reuertuntur; & de finibus mentis humanæ, & reuersione, vnde agnoscitur eius origo, & reuersio per religionem.

ARTIC. III.

VIDENTVR quidem res oēs duplici pollere cognitione, vt dictum est in 2.p. videlicet innata, & illata. Innascitur in nobis, & in cunctis rebus cognitio nostri esse & principij, vnde habemus esse. Idem.n. & principium & principiatum aliquo pacto, & differunt sicut essentiale, & participatiuum. Infertur verò, & additur nobis, & cæteris entibus, cognitio rerum aliarum extra nos; quæ nos mouentes faciunt nos sibi similes. Anima.n. & omnis vis cognoscitiua fit illa res, quam cognoscit, vel ex toto, vel ex parte, vt probatum est ibid. & omnes Philosophi fatentur, excepto Auic. putante intellectum addiscere, non esse fieri intelligibilia. sic.n. se super idem intelligeret, nec posset alia discere nisi deletis primis: sed esse fieri aptum, & scientiam esse aptitudinem recipiendi quando vult species notionesq; ab intellectu Agente seu diuino: quas seruat non in se, confunderetur.n. sed sensibiles in thesauro sensibilium non sentiente, & intelligibiles in thesauro intelligibiliū; qui est intellectus Agens extrinsecus. Quæ rationes (inquam) valerent, si scientia fieret per totalem informationē, & immaneret actu, nedum habitu, & aptitudine. Consentio quidem addiscere esse aptitudinem ad considerandum quando volumus, sed non ad capiendum ab abstractis intellectib. alioquin nihil dedisceremus, nec obliuisceremur, nec deciperemur, nisi abstractus intellectus etiam obliuisceretur aut deciperet, in quo est thesaurus intelligibiliū. At & illud videtur absurdū, quod thesaurus sensilium non sentiat: & teneat animasticè. si.n. corporaliter, nunquam innumerabiles species contineret distinctè, nisi in partib. sui distinctis: quas oporteret esse plures quam partes totius corporis Mundani. Fit ergo cognoscens res cognitæ aliqua modica ex mutatione nō totali, & ideo contingit confusio & obliuio interdum, & propter hoc. Dum ergo continuo fit alia, & alia res, quæ cognoscenda obijcitur, ipsa res cognoscitiua à se alienatur, & fit aliæ res; Ergo cognitio sui, & principij sui in ea occultatur & abditur: cognitio verò aliarū superadditur & manifesta est. sed quia semper amat se, & suum principium, palam fit, quod cognoscat innata notitia se, & suum principium. Ergo res oēs reuertuntur ad suum principiū, quando expediun-

In 6. Nat. p.5.c.6.

tur à cognitione,& negotio aliarum rerum.& sępè repugnat innata notitia cum illata. & quia omnis notitia parit appetitũ: idcirco appetitus repugnantes sunt in rebus. Calor enim animalis appetitu innato semper ad solem tendit: appetitu verò illato vult esse animalis pars. Vnde spiritus calidus, anima brutorum, nunquam vellet egredi de corpore. & edit,& bibit,& operatur opera animalis secundum notitiam,& appetitũ super additos. sed tamen semper attenuat se, & tendit sursum in Cælum, notitia & appetitu inditis. & sicut nosse & appetere se est causa noscendi, & appetendi alia, in quantũ noscit se factum alia: Ita etiam operari propter se est causa operandi propter alia. Dum.n.attenuat, & liquefacit, vt possit sursum euolare, conuertit simul cibum in fluorem ad nutrimentum corporis,& vaporem ad sui nutrimentum,& retentionem in corpore,& per consequens ad animationem, & vitam totius. Hic relucet sapientia conditoris.

2. Inquam, quod quæcunque recedunt à suo principio,& à notitia indita ad illatam, propter aliquem finem recedunt; quo expleto reuertuntur ad principium. Hic finis duplex est, alius scil. intellectus ab eis, alius à prima causa vtente eis. sicut finis aquæ ascendẽtis spongiosam per terram super mõtes, est sui dilatatio & amplificatio, sed tamen Dei est irrigatio plantarum, & terræ instauratio, & fluxus per campos ad vitam plantarum,& brutorũ. Sic solaris caloris finis est eius amplificatio ad frigoris destructionem: sed Dei, est generatio plantarum, aquarum, metallorum, & animalium, in quibus calor retinetur posteà volitione addita. quo munere expleto per volitionem inditam, semper sursum ad solem reuertitur.

Vtrum autem totus Mundus habeat huiusmodi reuersionem ad suum principium, deinde dicemus. sed nunc concludamus, quod & anima humana ob aliquem finẽ, partim à se, partim à Deo intellectum immittitur in corpꝰ,& illata notitia,& appetitu corporea sapit, & cupit præsentia. Indito verò, diuina & futura: ad quæ expleto munere suo reuertitur, vt nũc semper per religionem occulto sensu,& amore tendit. Et propterea sapientia, & desideria secundum religionem aduersantur desideriis & scientiæ secundum vitam præsentem; veluti innatum illato. Quis autem sit finis immissionis animæ secundum ipsam apparet quædam inclinatio accidentalis nascens à naturali. sicuti. n. calor solis ex eo, quod sẽper vult esse, cupit omnia in solarem substantiam conuertere,& hinc oritur effusio in terram, & generatio secundorum Entium nutu Dei: sic anima vellet corpora animare, & suum regnum in eis amplificare. At quoniam calor non effusus, sed effundens habet hunc appetitum: Anima verò est quasi quid effusum & deriuatum, non videtur esse animæ talis appetitus, nisi participatiuè, sed eius à quo effunditur. Idcircò dubitauimus vtrum sit animæ mundi: cuius nostra mens sit proles; sed quoniã hoc exclusimus, & posuimus Deum eius principium: quæritur cur Deus animat corpora mortalia per mentes immortales? An quia vult omnia in se conuertere, vt sol? aut vt dicunt Theologi, quoniam vult corpora quoque glorificare,& quasi in animæ naturam transferre, vt sol de terra cælum facit. Hoc quidem rationabile est, sed de Deo non sic facilè decernendum mihi puto. Sed hoc Theologis dimittendum: pro quib. etiam dixi mentem positam in corpore vt pugnet aduersus dæmones, veluti calor ponitur in terra à sole, vt pugnet aduersus frigus. & quod ex victoria animæ in tetro loco pugnantis, quasi quidam ludus cælicolis repræsentatur, & ponuntur animæ in corporib. sicut comici sub laruis personantur ad comediam agendam superis; qua expleta, restituunt mutuata spolia, & laruas ipsis elementis, & ad Deum euolant, qui iudicet de rectè dictis, & factis in comedia. Profectò adeò occulta sunt hæc, vt non parum sit si per verisimilitudines loquamur. Nam Theologi fidei reuelantis numinis, vti etiã Plato & Pythag.& Auic. faciendum iudicarunt, omnia committunt. Origenes, qui ratione inuestigat, suspicione erroris laborat: quoniam non facilè de his decernitur absque errore.

Profectò si mens, bona corporis spernit vt vilia, & ad diuina adspirat, Diuina sibi debẽtur, sicuti calori debetur cælestis regio; vnde spernit corpora moribunda,& ad cælestia eleuatur desiderio & motu, & ecstasi.

Religionem homini inditam esse naturaliter, & non additam modò, humanitus concluditur, & iterum confirmatur.

ARTIC. IV.

QVoniam verò de anima id certò nouimus, quod ad suum principium redire perpetuò secreta notitia, & amore perceptum, studeat, sicut calor ad solẽ. Propterea Deum esse eius principium inuenimus, quoniam ad Deum omnis perfecta Religio hominem erigit. Indidem apparet religio, non esse humanũ inuentum ob vitam præsentem, sicut Arist. vult & Epicurus; nam præsenti vitæ contraria est, sicut appetitus innatus illato. Nos.n.enim cibum,& coitum,& delitias, & otium appetimus secundum additos appetitus: Religio verò abstinentiam, continentiam, seueritatem, studium, & bona, quæ non videntur, proponit. Licet autem Religio præsenti quoque vitæ prosit, non propterea erit huius vitæ studium. Namq; vt diximus, dum innati appetitus operationes operamur, illatis quoque prosumus: sicut calor dũ attenuat, vt sursum vehat, nutrit corpus. Hoc enim est sapientiæ Dei consilium. sic dũ à coitu, & cibo abstinet homo, caret podagris, repletionib. distillationib. cæterisque malis ex crapula natis;& similiter afflictione acquirendi,& pugna & odio alienorum ista quærentium, & ægrè ferentium, quod nobis multum, ipsis modicum obtingat. Pręt. *Timor Domini*, qui est religio, vt dicitur Eccl. 1. *cum hominib. in vulua concreatus est.* hoc probat Hier. in ep. ad Galat. 1. & Iãb. de Myst. Ægyp. c. 1. ait. *Ante omnem vsum rationis inest naturaliter insita notio deorum: imò tactus quidam diuinitatis melior quam notitia, ex quo incitatur naturalis appetitus boni, ratiocinatio atque iudicium.* Hoc probat & D.Thom. ex Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vul-*

tus tui Domine. Et 3. cont. Gent. c. 119. *Instinctu*, ait, *naturali homo non solum cognoscit se obligatum colere Deum: sed etiam colere suo modo. i. per actus exteriores & sacra.* Item Plato in Protag. inquit. *Homo tanquã diuinitatis particeps ob cognitionem quandam Deum agnoscit, & cupit tanquam Autorem: amat vt Patrem: veneratur vt Regem: timet vt Dominũ. & sicut sol non cognoscitur sine lumine solis: ita nec Deus sine Deo. Ergo lumine diuino.* Et Ficin. 18. Theol. c. 8. & 9, *Religione*, ait, *intelligo instinctum ipsum omnibus gentibus communem naturalemque: quo vbique ac semper prouidentia quadam Regina mundi cogitatur & colitur, quam primo naturali sagacitate cognoscimus: deinde Philosophicis rationibus: postremo Propheticis verbis atque miraculis.* Et hoc omnium Gent. & Philosophorum, Stoicorum, Plat. Pytag. Gymnosoph. Bracman. &c. testimonio planum est. contra totam naturam ergo est Irreligiositas, præsertim contra Rationalem: ergo Religio maximè secundum naturam est.

Prætererea ostendimus, Deum esse, curam gerere omnium rerũ; præcipuè verò nobilium. Ergo maximè hominis, qui est inter animalia, & entia corporea nobilissimũ saltẽ secundum animã. Ergo à nobis colendũ esse: non modo quia est summum bonum, ac principium Entis, cui coniungi appetimus, amore innato, vt calor soli, à quo æternemur, sed etiam quoniam est nobilissimum super omnia. ergo honorabilissimum. & tertio, quoniam nostri tantam curam gerit; & quarto, quoniam dedit nobis esse, & operari, & fecit tot Entia ad vsum nostrum. Neque enim animalia, & plantæ, & lapides, & aquæ propter se, sed propter nos præcipuè esse videntur: & quodam modo finis omnium est homo. quod scientia confirmat humana, quæ de cunctis rebus tanquam ad se pertinentibus tractat. Itẽ innatam per sapientiam homo quando quid mali ingentis patitur, aut gaudium magnum adest, statim in Cælum oculos & palmas tendit petens auxilium, aut gratias agens. Hoc autem est naturalis religio. Omnia .n. Entia ad suum principium in his recurrunt, vt filij ad parentes naturaliter, & ad benefactores. & quia spiritus, cui mens primalitatum symbolo coniungitur, est cęlestis. ipsaque mens eius notitia afficitur passionibusque, propterea in Cælum respicit, quò & vultum habet erectum, non tanquam Cælum sit Deus mentium, sed quasi confitens autorem tantorum systematum, & cælestium Dominũ, esse implorandum, ipsumq; esse Deum.

Cætera Entia recurrere ad suum principium, vt æternentur, sed falli interdum. Animas verò ad primum principium, idcirco non falli. & religionem veram promittere immortalitatis securitatem.

ARTIC. V.

SED profectò, sicuti Entia contracta ad aliquod genus, recurrunt ad principium sui generis, à quo eorum esse conseruetur. sic & anima humana ad principium intellectuum, quem Paulus vocat Patrem spirituum. sed Entia cõtracta falluntur sæpè, quoniam principium eorum non est immortale, neque. n. terra, neque mare talia sunt, licet sic videatur Aristoteli secundum totalitatẽ eorum, nec Luna cui elephas inclinatur, nec sol, cui heliotropiũ Principium verò animorum, immortale per se est. Ergo solis animis, & intellectib. conuenit immortalitas: quorum religio & reuersio est ad Deum. Cæteris verò aliquo modo. Nam esse eorum contractũ, est remotum à diuinitate, & participant remotum, & parum: Animarum verò propinquum, & participant multum. Quapropter iam inuenimus finem hominis occultum esse reuersionẽ ad suum principium; & hinc religionem esse naturalem. vtpote ab Autore Naturæ, & non ab arte humana, & in recta natura etiam testimonium habet: dum innato sensu & amore creatorem sapiunt & amant magis quam se ipsa, vt probauimus in Antachit. ex Plat. D. Dionys. Thoma, Hierony. & Nysseno, &c.

Naturali Religioni accedere super additam, & non in illa, sed in hac, errores, & varietates contingere: propiereaque ad Deum pertinere veritatis reuelationem intentare.

CAP. III. ART. I.

SED non modo naturalis est religio hominibus; verum & posita secundum legem & artem inuenitur, quoniam à naturali esse dependet artificiale, sicut ab amore sui innato, amor aliorum, & notitia indita per extensionem fit addita. Et quoniam in hac addita cæcutimus. Propterea quod quidquid potens est, aut magnum, aut bonum nobis, eo quod repræsentat diuinitatis particulam, putamus esse Deum, vltra non discurrentes: Ideò religio posita à nobis est impefecta, & falsa interdum. Indita verò perfecta, & vera. & quia contingit, homines errare ob additas, idcirco ad Deum spectat si nostri curam gerit, religionem, & iter ad se propalare. quod in mundo nunquam defuisse mox probabimus, vt Socrates, Plato, & Seneca, & Pythag. ex ratione prouidentiæ agnouerunt: ac simul aperiemus quot sunt partes religionis, & in quibus consistit, & vnde tanta varietas in tanta re.

Religionem esse cultum proprij principij per reuersionem ab aliis; & aliter conuenire cæteris rebus, & homini: & huius duplicem esse Religionem, Contemplatiuam, & Actiuam, circa principium & emissionem à principio: & quomodo per ipsam reuersio est ad Deum secundum potentiam, & sapientiam, & amorem, simplices secundum mentem: & compositos, vt ad corporalia extensos; & eorum actus, & signa, & omnia dirigi ad vniones per amorem, sine quo vana est religio: & bonitas, & malitia, tituli sine subiecto.

ARTICVLVS II.

RELIGIO naturalis vnicuique Enti, est cultus proprij principij: & quæ immediatè à Deo emanant, immediatè colunt Deum: quæ vero non nisi per aliud, sicut calor solaris procedit à sole immediatè, sed tamen à Deo processit sol, non subito ad Deum per cultum reuertuntur, sed prius ad principium proximum, se conferunt. Sic aquæ ad mare, & concretiones in terram, & calores in cœlum redeunt, & quidem Entia hæc recedunt loco & situ à principio suo, quoniam materialia sunt. Et quantum habent de Esse, de Vero & de Bono Dei, quem participant: tantum habent de posse, scire, & amare sui principij, vt probat sanctus Thomas, & tantum de Religione, vt probant Platonici, & præcipuè Theodorus, & August. non per prosopopeiam, sed per veritatem, vt in Antimach. ex Hieronymo, & Patribus probauimus, & D. Thom. & Diony. A Deo vero non recedunt res vllæ loco. Ipse enim est omnia eminenter, & in omnibus est, & omnia in ipso: sed recedunt dissimilitudine & conuersione ad secunda Entia, à quibus tanquam bonis, licet fragilibus, rapiuntur ad se, & ex Archetypo Mundo exeunt ad Mentalem, ex Mentali ad Mathematicum, ex Mathematico ad corporalem, & ex hoc ad Situalem sola conuersione cognoscitiui, & appetitiui, & potestatiui, parum, vel multum; & à sua iterum totalitate ad partes. Homo autem triplici parte constat, mentali, & animali, & coexistentiali: per mentem à Deo recedit in animalem partem illapsa.

Animalis vero duplex est pars: nam alia tenuis, calida, lucidaque à sole est, & ad solem tendit: crassa vero à terra, & in ipsam vergit. Quoniam vero mens, licet à Deo recesserit, non tamen ipso inscio, & nolente, sed volente, sed permittente, propter opus Dei aliquod insigne: propterea reuersionem habet ad Deum duplicem. Alteram simplicem, qua se ad Deum eleuat, alteram compositam, qua operatur opus, ad quod emissa est iuxta Dei ordinationem, & non iuxta voluptatem additam. Idcirco vita hominis est duplex, contemplatiua, & actiua: & Religio est duplex. Etenim ex his duobus integratur.

Religio mentis est reuerti in Deum, Potentia, Sapientia, & Amore, ex totis viribus, ex tota mente, ex toto corde. Quapropter, cum vires intenderit, ad seruiendum Deo, & intellectum ad cognoscendum ipsum, & opera eius, & amorem ad amandum ipsum, & omnia opera sua, non propter se, sed propter ipsum à quo sunt: tunc verè Deo religatur. Hoc autem facere non finitur propter opus externum, cui dedicatur. Vnde pueri nihil ferè de Deo cogitant, quoniam ipsorum anima fabricando corpori, augendoque occupata, & affectibus superadditis obruta, principium suum, & se ipsam dediscit. Propterea magna virtus animæ est, si partem quoque animalem cogit seruire Deo, & cultui eius dedicat omnia exteriora, ne interior cultus incommodetur, & hæc est Religio composita ex mentali & animali.

Prima simplicis pars Religionis relucet in dirigendis potentiis ad cultum Dei, & cogendo animum ab exterioribus ad interiora: quam partem manifestamus exterius, cum abdicatis rebus temporalibus, & vxore & liberis, & nostra exteriori conuersatione, nos ipsos Deo dicamus: quod tamen Sacerdotali & Monachali exprimimus ordine in Republica, quæ est tertia pars hominis superaddita mentali & animali.

Secunda pars cultus interioris consistit in speculatione diuinorum & humanorum; & manifestatur in Philosophia, & Theologia. Omnis enim scientia pars est Religionis: & Iob ait (*Colere Deum sapientia*) & Dauid, *Initium sapientiæ timor Domini*, hoc est Religio. Quapropter Philosophi omnes iure naturæ, licet non Politica mancipatione, Religiosi sunt; quoniam vacant contemplationi operum Dei. Qua contemplatione in extasim ad superiora quasi per scalam contemplatarum rerum eleuantur, & ex his debent ad Sacerdotium nutriri, non ex militibus veteranis, vt Arist. & Atheistæ docent, putantes lucrum esse Religionem. Qui vero propter ambitionem, & auaritiam philosophantur, vt inde honorentur, & lucrentur, hi sunt mercenarij Sophistæ, adulterantes Religionem, & ex numero Philosophorum expulsi; sed maximè qui adulterant Theologiam, vel vsum eius. Vnde procedunt Hæreses, & Schismata, & Hypocrisis.

Tertia pars consistit in amore Dei, quem super omnia amamus, & nihil admittimus contra eius voluntatem: & nihil amamus nisi ipsum, aut propter ipsum, neque nosmetipsos, nisi quatenus effectus Dei: & hoc studium relucet in contemplatione charitatiua, potius autem vnione: quia ita Deo adhæret homo, vt prorsus eleuetur à rebus corporeis, & in extasim alteram quasi sine scala rapiatur, & mente & corpore interdum, vt Socrati euenit in lege naturæ, & quotidie in Christianismo visuntur exempla, vt in Francisco, Cahtarina, Bri-

rigida, & in multis illiteratis hominibus, qui non quærunt Deum in effectibus suis, sicut Philosophi faciunt, sed in ipso Deo, & hæc est via facilior, & breuior. Vtuntur enim sapientia aliorum quoad exteriora, quoad interiora vero sapientia indita: non enim possent amare ignotum Deum in effectibus suis: sicut Philosophi faciunt, sed in ipso Deo. & hæc est via facilior & breuior. Vtuntur enim sapientia aliorum quoad exteriora: quoad interiora vero sapientia indita: non enim possent amare ignotum Deum, & sic nihil vagantes per multitudinem infinitam operum Dei, in qua sæpè fallimur, & præcipitamur, vt Philosophi Epicurei, & Auerroistæ, aliique multi, putantes non esse sapientiam abditam in nobis, sed tantum additam, hi, inquam, immediatè suo coniunguntur principio. Nam & potentiatum intentio, & studium scientiarum ad hunc gradum amoris contendunt & amplificantur animo, ita vt operentur cum reuertuntur ad nos diuino modo cunctis benefici Hic est finis eorum, si steriles non sunt: proptereaque potentes in religionis operibus viri sacerdotales, elemosynarij, carnis suæ despectores, & qui tradunt se flagellis & Martyrio nihil prosunt sibi, nisi charitate adiuncta, sic Philosophi & Theologi sapientissimi sunt inane cymbalum (teste Paulo) absque charitate. Hæc vero sola hominem Deo copulat, & perficit religionem: & quidem præsupponit Potentiam & Sapientiam: quoniam ab eis emanat, sed innatis non illatis. Sic etiam nullum est verè peccatum si charitatem non expellit: quoniam vt diximus, voluntas facit peccatum, quoniam ipsa præsupponit potentiam, & sapientiam: ergo totus homo interior peccat per ipsam, & totus homo benefacit per ipsam & se Deo dat auctori totius, cui non nisi totum opus suum placere potest, perfectumque.

Quoniam vnionẽ mentis cũ Deo, quæ est religio, præcedit scientia: secundum innatã conueniunt Nationes in Religione, secundum additam disconueniunt, quoniam alij aliter sentiunt de Deo. Idcirco oportet Deum se hominibus declarasse.

CAP. IV. ARTIC. I.

QVONIAM essentialiter religio est vnio mentis cum Deo, vnde erat IESVS, vt omnes in eo vnum sint: vniri autem non possumus ignoto: oportet præcedere notitiam. Cognoscere autem non possumus quod supra nos est perfectè, neque pro tali cognitione acquirenda operari, orta est in Mundo diuersitas Religionum. Vnusquisque enim talem coluit Deum, qualem cognouit per se, vel alter sibi proposuit: sunt enim homines, sicut filij Dei, qui educati extra Patris Regnum, non norunt eum, sed vocant Tatam quemcunque obuium, & quem sibi proponunt nutritij patrem. Nutritij hominum sunt Patres Carnales, & legislatores, & Philosophi: quibus circa diuinas res fidem adhibemus. Quapropter cum alij dolo, alij vero ex ignorantia putarint Deum esse Animam mundi, alij cælum, alij solem, alij homines principantes, alij quicquid nobis benefacit, vnde poma & vitulos, & lapides coluerunt, & fluuios. Alij quidquid potens est etiam malefacere, vt Dracones, Cocodrillos, Serpentes. Propterea si verè mens nostra à Deo manat, credibile est, Deum sui cultum hominibus errantibus declarasse. Si enim in naturalibus tam prouidus, vt ciliorum etiam pilos excogitet, & glandulas ramis venarum & cætera: multo magis in his qua ad totum vitam: & ad politiam, & ad cultum sui prouidus probatur. Nõ quidẽ homo errat circa notitiam inditam. Omnes enim intelligunt Deũ esse potẽtissimum, sapientissimum, & optimum Ens, quo maius non potest cogitari, aut inueniri: quam sanè notionem de Deo cum illis proposueris statim fatentur, & credunt ita esse ex innata scientia: errat vero circa additam; quæ sopit inditam. Addita autem est ab obiectis. Obiiciuntur vero sensibilia. Idcirco quæsierunt Deum in sensibilibus, & decepti sunt. Diaboli quoque operati sunt mirabilia in his, vnde Deos multos credidit homo, & bonos & malos: & sic inter corporalia multiplicauit Deos veri Dei oblitus: quoniam errat in regione dissimilitudinis, imagines remotas, & partiales, pro imaginato, & totali reputauit numine, & religionem suam in his laruis veritatis occupauit.

Quapropter necesse est credere Deum, qui necessitatibus non deest, & superflua non admittit, dirigere hominem in his, quæ ad religionem pertinent. Proptereaque omnes nationes intelligentes innata scientia, indigere sese Deo reuelatore & rectore, à Deo religionem sese accepisse gloriantur. Hebræi per Moysen, Christiani per Christum: Mahometani per Angelum Gabrielem: Gentiles per Iouem. Alij per Apollinem: Iaponenses per Amidam: nam Legislatores & Principes suos putarunt esse Deos, ne dum Dei nuncios. Quod malum detestans Socrates & Plato in libro de Voto, instauratorem diuini cultus, id est, Religionis à Deo, si prouidus est, expectari oportere docebant. Auic. vero ad prouidentiam Dei pertinere dare hominibus, quo maximè semper indigent, Prophetam.

Sicut homo priuatus habet Religionem internam, sic ciuilis habet externam, quæ nihil valet, nisi interne sit signum verax; & quot partes requiruntur ad vtramque, & quem locum habet in Republica Religio, & de partibus & ordinibus Reipublicæ, fundamenta naturalia.

CAP. V. ARTIC. I.

SI homo sociale animal nõ esset, sufficeret ad perfectionem Religionis contemplatio Dei, & amor sui ipsius consecratio, quoniam mens, sapientia amore, & potestate pollet. Per hæc autem fit vnio. Cuicunque enim nostram contemplationem, & amorem, & operationem applicamus, illa cum re vnum efficimur. Quod amoris vulgaris vsus docet. *Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*, ait Paulus. Consecratio facit exhibitionem nostri ad Deum, tanquam principium creatiuum, & gubernatiuum, & conseruatiuum omnium. Contemplatio vero parturit eleuationem mentis: cuius pars oratio mẽtalis, qua beneficia petimus, & reddimus gratias: quod est agnoscere se illud à Deo habere: Dilectio vero vnit nos cum iocundæ fruitionis sensu, quam nonnisi experti intelligunt.

At quoniam homo est animal sociale, & non sibi soli viuit: oportet habere religionem communem cum cæteris quibuscum viuunt: sicut communia habet, quæ pertinent ad vsum corporis, & animæ. In hac autem Religione communi requiritur sacerdos, sacrificium, oratio, laudatio, deuotio, adoratio, consultatio Dei de occultis, & futuris: iuramentum: adiuratio: votum, consecratio, benedictio, & vnio cum Deo exterior vt Auicen. etiam in x. Met. & Plato & Pythag. docuere. Tota quidem Resp. est sicut vnus homo, qui constat mente, spiritu & corpore, & bonis externis. finis horum Mens: Mentis Deus. Sic Mens Reipublicæ est Religio erga Deum finem eius, spiritus est lex, corpus est cætus hominum multorum, qui variis partibus corporis particularis respondet, ita vt alij sint caput, alij manus, alij cor, alij oculus, alij pedes, alij ventriculus alij vngues, alij aliud membrum. Quapropter sacerdos in his, quæ ad mentem & Religionem spectant, est Primas: & potest vocari Mens Reipublicæ. Principes autem caput: custodes & ministri, legum sunt quasi Facultates spirituum vsibus fungentes: sic omnes magistratus. Milites autem agricolæ, & artifices, & Mercatores & serui, sunt pedibus, manibus aliisque partibus corporis consimiles, vt in politicis declarauimus. Sacerdos ergo qui est Mens sacrificat Populum Deo per potestatem: sicut Mens hominem Deo consecrat per potestatem. Sed quoniam Populus non potest Deo dari totus in seruitium totale, quoniam indigemus bonis externis procurandis ad vitam præsentem, quam Deus nobis commendauit à se dimissis: Propterea aliquod sacrificium fit publicè Deo in signum sacrificij mentalis totius populi, & in protestationem seruitutis erga Deum. Oportet ergo esse non vnum ex populo sacerdotem, sed optimum vt Auic. ait x. suæ Metaph. Deoque simillimum, qui mentis simulacrum, & Dei proximitatem non iniuria gerat: non enim ex militia veteranum, vt Arist. imperitè docet. Præter sacrificium indiget religio politica, etiam oratione vocali, nedum mentali: quoniam Populus corporeis occupatus nesciens Philosophari ritè de Deo, neque petere gratias, neque agere, vt docet, indiget audire sacerdotes prædicantes & orantes, & ab eis discere orare: & hoc etiam prodest sacerdotibus ad excitandam aliorum & propriam mentem: alioquin oratio vocalis valet nihil, nisi adsit & mentalis. Vnde Trismegistus putauit, Deum silentio colendum.

Consultatio in necessariis nos regi à Deo facit: idcirco absque Prophetia non potest Resp. viuere teste Salom. & Socrate. Iuramentum veracitatem stabilit inter ciues, quibus Deus contestatur. Adiuratio adigit per Deum ciues ad bonum: votum, terum religat, & fiduciam præbet in euentibus. Laudatio & Chorus ciues vnit coram Deo in charitate, & impetrat, & agnoscit Deum benefactorem. De quibus vide in 11. Theologicorum.

Ad vniendum verè populum cum Deo, nulla sufficit externa actio, sed Dei virtus id facit. Ad quam tamen captandam, inuenerunt sapientes instinctu Dei quædam symbola, quæ vocant mysteria & sacramenta Quibus Ægyptij, & Romani, & Hebræi vsi sunt, & omnes nationes. Vnde D. Thomas 4. d. 3. docet tria esse sacramenta naturalia cunctis nationibus instinctu Dei, communia; videlicet, sacramentum fidei, qua homo se & natos Deo commendat: vnde purgantur peccato etiam originali, & sacramentum Pœnitentiæ, quo cum peccat homo propria conscientia (quo nullum theatrum maius, ait Cicero) accusatus petit à Deo medelam: & sacramentum Matrimonij, quo agnoscit debere se procreare alios Deo, sicut & ipse procreatus est. At istis diuinitus deinde sacramentatis actibus vtuntur Christiani, & Gentes cæremoniosè insuper in lauacris, exhibitionibus, impositione manuum Sacerdotis, aliisque signis & precationibus, vt sunt in Christianismo Baptismus, exomologesis, ordo, vnctio, & similia, quæ fiunt verbis & rebus à certis personis. Quæ omnia oportet dicari Deo per benedictionem & consecrationem ex Mundo corporali ad mẽtalem, ita vt mens à Deo recta possit egredi ad regendum corporalia vti oportet. Non enim prosunt, nisi quod fit exterioribus signis foris, fiat etiam intus in significatis. Aqua enim lauat corpus: sed frustrà: nisi aqua inuisibilis lauet animam: quod scire non possumus nisi Deus id docuerit, & instituerit, & homo dispositus sit quantum ad se, & Deus signum ostenderit. Vnde in mysteriis Pythagoricis, & Ægyptiis, & Chaldaicis, & Hebraicis, semper Sacerdotes admonuerunt Populum, ne ad sacra accederent, nisi mundata conscientia. Similiter neque sacrificium

videtur prodesse, nisi mens simul sacrificetur. Sacrificare enim est secernere se à corporeis, caducisque auxiliis, & sacrum, id est, secretum se facere Deo in interiori Mundo mentali: vnde reportamus auxilium ad corporalia tanquam amici, & amantes Dei. Neque enim homo acceptat munus absque dilectione datum, Deus autem muneribus non indiget: sed propter nos ea expetuntur: vt nos ei per muneris symbolum protestamur esse Authorem omnium bonorum & nostri, nosque ipsos tradentes adhæreamus principio Entitatis nostræ: in quo liberamur à malis, & fiu mur bonis. Ob hoc enim aqua ad mare reuertitur, & calor ad solem: vnde rectè illos D. Thomas ait, qui coniunguntur Deo, exsuperare fatum secundorum Entium, in quod incurrerant: contestatur ei etiam Auicen.

Hic inspice fundamentum ordinum Politicorum. Nam mens libera est, sic & Sacerdos, & huic debetur primus honor in Republica, & suprema dignitas, sicuti tota hominum mens perficitur. Vnde Reges antiquitus Sacerdotes erant, vt Melchisedech. Nunc autem sacrantur. Sacerdotibus, subsunt Magistratus, tanquam spiritus: Magistratibus vero milites: & agricolæ, artifices tanquam corpus. His vero ciuitatis mœnia, & agri & fluuij, & pecora, tanquam bona externa corpori: & sic regitur optima politica: vbi contrarium vides, praua. Superstitio autem contrarios habet actus, idest, idololatriā, diuinationem à non Deo, periurium, inuocationes malorum geniorum: obseruationes vanas non à Deo, nec à natura institutas, & alia dictis contraria vt in Theologicis ostendimus.

Religionem naturalem esse vnam, Artificialem multiplicem, nec posse Rempublicam vllam sine Religione stare, & stultè Auerr. secus existimasse.

ARTIC. II.

QVONIAM ergo Religio naturalis vna est & in omnibus eadem, licet obscuretur passim à religionibus super additis ad eius imitationem, quam tamen non rectè exprimunt: ideoque superstitiones vocantur, & sectæ: propterea frustra quærebamus quo pacto Deus tot religionibus contrariis orbem humanum regit: omnes enim homines profitentur sese adorare verum Deum, & colere recto cultu: ergo diuersitas nulla est intus nisi sicut in scientia & modo. Nam illi aliud, & aliter Deum intelligunt: aliter isti, aliter & nos. Similiter, etiam vt ostendemus vna est lex, sed legum modi, & ritus & applicationes variæ sunt, prout alibi aliter rectius fieri videtur.

Hinc est quod nulla gens potest viuere sine religione, sed sine hac & illa potest. Fallitur Auerroës, qui putat posse stare Remp. sine Religione, veluti si quis hominem, esse hominem, posse sine mente putaret. Non enim peccata secreta, & proprij boni amor omittuntur ob bonum Reipub. nisi per Religionem, quæ in secreto Tribunali homines iudicat. Neque magistratus ipsi ab inferendis iniuriis abstinent metu legis, quo sunt exoluti per potentiam, nisi per religionem coërceantur. Neque finis humanus potest haberi nisi per vnionem nostram ad causas superiores. Vnde ipsemet Auerroës fatetur Beatitudinem acquiri per copulationem nostram cum intellectu abstracto, sed per rerum omnium scientiam adeptam. Igitur (inquam) paucissimis, vel nullis finis proprius datur: quis enim omnes scientias perfectè addiscit? stultum est autem putare totum genus humanum suo fine fraudari: fallitur ergo quoniam ipse non nouit vim charitatis arctiorem & validiorem ad beandum, quam scientiæ, quibus vix vnum beat Auerroës. Charitas autem fide pro scientia vtitur. Non enim amamus quod nescimus, aut non credimus. Vnde Auic. melius sentiens beat etiam post mortem omnes virtute etiam morali præditos. Quapropter & natura, & politica ostendunt, Religionem esse naturalem & necessariam, vt ex supra dictis patuit licet reuelatione sanctificetur. Diuersitas igitur est in cognoscendo obiecto religionis per notitiam illatam, & in modo colendi: & Porphyr. qui cum Dæmonibus commercium habuit, relicto Aristotele Platoni adhæret, & plures species religionis erga superos, & inferos docet. Sic Platonici & omnes Philosophi secundum naturam Philosophantès, etiam Auicenn. & Algazel Peripatetici, & omnes legislatores nationum, quibus fides adhibenda est magis quam insipienti, indoctoque Auerroi, Mancipio Aristotelis glorioso.

[*Margin, cut off:* Imp... impe... Aris... 6.7... Poli... liter... beat. in Po... Aris... naui...]

Quibus de causis proponuntur hominibus quædam credibilia secundum Religionem à Deo, per ministerium Angelorum, & Prophetarum, & quam stultum sit homini non credere.

CAP. VI. ARTICVLVS I.

HOMINES corporis curam & natorum, & vxorum, & Reip. gerentes, super additis abundant passionibus, scientiaque innata eisdem obruitur. Propterea non facilè possunt ad Dei veri cognitionem peruenire nisi per omnes scientias vagando vt dicit Auer. in quibus etiam accidit præcipitari in errores multos circa res à sensu abstractas, & inuisibiles, vt monet Auic. & patet de Epicureis, & Aristotelicis, & Atheistis, Macchiauellistis, & Saduceis: quibus omne sæculum abundat. Item alij reperiuntur, qui scientiarum studio idonei non sunt ob naturales indispositio-

dispositiones, alij autem ob pigritiam, aut infirmitates, idcirco necessarium fuit, si homo ad suum finem perducendus erat, vt Deus manifestaret veritatem Religionis sub quibusdam regulis, & præceptis, à quibus nemini liceat diuagari: quod & patres filiis præstant, antequam per se scire sint apti, & ambulare, & vestiri, vt intelligas curam Dei erga nos, per ministras causas in necessariis nunquã deesse: necessaria autem est fides, lex, Religio. Hæc autem per Angelos & Prophetas nobis prouidisse scimus. Idque illi tantummodo non credunt, qui Deum nostri curam gerere non putant: aut animam credunt esse mortalem. Vtrunque explosum est superioribus sermonibus: ergo hoc credibile est euidenter. Quæ autem à Deo proponuntur in Religionibus vera sunt: sed quoniam altissima, quæ de superis, & de futura spe sunt, non omnibus peruia sunt: oportuit à Deo doceri, & per miracula probari, quod à Deo sint: & quidem ita imprudens, & stultus est, qui non credit Angelis reuelantibus religionem, sicuti si quis rusticus Philosophica audiens dogmata contemneret, vel non crederet, propterea quod ipse capax non est. Multo quidem magis proteruus & insanus est Auerr. & pseudo politici putantes religionem esse fabulam propterea quod eorum sensui, & Philosophiæ non quadrat, sicut rusticus fabulam esse putat, quod sol sit toties terra maior, & obscuretur obiecta Luna, & quod sint Antipodes in globo terræ: qui etiam Lactantio doctissimo non Mathematico, impossibiles apparuerunt, & fabulosi, & similis error in aliis me quoque dedecorauit ante quam saperem, quomodo sapiendum est.

Cur de Virtutibus priuatis & communibus, ac de Religionibus iterum dicendum est.

ARTIC. II.

QVONIAM autem hoc dogma arduum est, & valdè necessarium est, fundamentumque tenet politiæ humanæ, & notitiam finis Mundi corporei totius, & humanæ spei, & negotiorum Dei cum hominibus, & copulæ Situalis Mundi cum Mathematico, & Mentali, & Archetypo. Absque enim hoc dogmate Mundus noster est quid casuale, & homo nascitur frustra, & absque fine. Et Deus est ipsa rerum congeries, doloribus non minus quàm voluptatibus, & stultitia, & temerario casu non minus quàm scientia & prouidentia; item non minus imbecillitate, quàm virtute, constans, vtrumque enim videmus in nostro Mundo abundare: propterea iterum sermonem de Religione, & Lege, & Propheta examinare decet. Et quoniam qui hæc negat, negat etiam virtutes & vitia constare natura, sed arte & opinione hominũ tantũmodò ad commoditatem præsentis vitæ inuenta nomina esse, sine re, ne alter alterum lædamus; sed iuuemus ad vitam communem necessitate congregati. Si enim non esset societas, neque virtus esset, nec vitium, nec religio, nec obedientia, nec inobedientia, nec veracitas, nec mendacium, nec charitas, nec odium, nec beneficentia, nec maleficentia, nec bellum, nec pax, &c. Ergo sunt inuenta, isthæc omnia ad cõuiuendũ. Et quia homo hominẽ Dominatorem non tolerat. Et cum potest peccare contra legem, clam peccat, non palam propter timorem, inuenta est Religio ad coercendos homines in secreto, & continendos in officio, & obedientia erga Legem & Regem, persuasos quod data est Lex & Rex à Deo. Et post mortem, quamuis nunc viris bonis mala, & malis bona contingant, esse locum apud Deum præmiorum & pœnarum in cœlis & inferis. Nunc autem explorata est terra, & hemisphærium, vbi Inferi & Tartarus ponuntur à Poëtis: & Locus Paradisi in Eden, & Insulis fortunatis: nec ista ibi inueniri. Item deprehensũm est cælum corruptibile, & stellas constare corporibus mutabilibus, sicut systema nostrum. Ergo Moses, Christus, Mahometes, Zamolxis, & alij Legislatores sunt officiosi mendaces, vt dicit Auerroes & Arist. & Varro olim suspicatur. Et Plato propter hæc vel consimilia argumenta narrat Democraticos negasse Deum, Inferos, Superos, & Religionem. Quapropter ante omnia disputandũm, vtrum virtus constet naturæ veracitate, an Artis mendacio. Ex hoc enim vtrum Religio sit ab Autore naturæ vel Artis, & vtrum omnes Legislatores & Prophetæ impostores sint, manifestum erit.

Virtutes, & vitia, & politiam natura, non opinione constare, & à conseruatione summo bono, & à destructione summo malo, perpendenda esse: & in Politica à conseruatione & destructione Reipub. *vnde patet legem esse virtutem communem & enormitatem vitium, & Naturæ authorem dedisse Philosophos, & Legislatores, qui regulas in vtraque vita ostendant: & propterea inquirendum, qui à Deo mittuntur, & qui à Diabolo, & qui à ratione, propria vel communi.*

CAP. VII. ART. I.

VIDETVR quibusdam virtus & vitium non constare natura, sed prout homines decernunt: nam idem actus apud alias nationes reputatur virtuosus, apud alias vero vitiosus. Imo homicidium est virtuosũ militi, vitiosum sacerdoti. Nos autẽ putamus secundum naturam ista decerni etiam si ho-

mo viueret solitarius. Virtus enim ad alios qualis est iustitia, & veracitas, & beneuolentia, & cætera nascitur à virtute erga seipsum, sicut scimus & amamus alia quia scimus nos affectos ab aliis, vt in 1. & 2. P. probatum est. Nobis ne corrumpamur virtus est Fortitudo, Solertia, Temperantia, Probitas, Hilaritas. Ex his vero erga alios oritur Militaris Ars, prudentia, officiositas, iustitia, beneficentia & cætera. Nec quia solitario virtutes multæ non coluntur, non sunt à natura. Siquidem, si non esset terra in ambulanda extra nos, non indigeremus pedibus: & nisi essent lux & colores, non opus esset oculis: nec si aëris motus deessent haberemus aures. Nec bos cornua, & leo vngues fortes nisi esset pugnandum. Nec propter hoc pes, oculus, Auris, cornu, rostrum, &c. non sunt à natura. Sicut ergo homo habet hæc quia coëxistit aliis rebus non minus naturaliter, quam Iecur & Diaphragma, quæ ad esse, non ad coëxistere spectant.

Sic non minus naturales, imò magis (quoniam Deus & Natura magis curat totum quã partē) sunt beneuolentia, misericordia, modestia, beneficentia, quæ homini associato cum aliis conueniunt, quam castitas, sobrietas, industria, patientia, quæ & solitario inesse natura videntur. Manifestum est autem secundum naturã ista dici, & non mendacio artis. Nascitur enim homo vt viuat quanto tempore præscripsit illi Author Naturæ. Vidimus autem summũ bonum esse conseruationem immortalem secundum mentem; secundum corpus vero & humanitatem indiuidualem, quoad licet. Quæcunque ergo facultates sunt in homine conseruatiuæ, appellantur virtutes; destructiuæ vero, vitia. Sic enim & virtuosum aurum dicimus, quod tanto pondere, puritate, colore & similaritate donatum est, quantum confert entitati auri, ac proinde conseruationi. Conseruari enim est esse. Vitiosum vero est, quod deficit pondere, mistum est ære, colore non natiuo, & inæqualitate partium constitutum est. Et quidem res omnes proprias habent virtutes, quæ illas in suo esse seruant, & vitia quibus à puritate sui esse respondentis ad ideam Authoris Naturæ, recedunt. Vnde omne vitium est falsitas entitatis, virtus vero veritas: sicut dictum est.

Homo autem constituitur spiritu, mente & corpore, & potest esse secundum corpus vitiosum, non autem secundum mentem: & è conuerso. Homo enim gibbosus, & podagra laborans, & iecoris inflammatione, vitiis corporis laborat. Qui tamen secundum mentem potest esse sanus, & contra morbos huiusmodi pugnare: Pariformiter iracundus, indoctus, piger, libidinosus animi vitiis laborat, non autem corporis, vt cum quis fatuus, atrabili spiritum infectante: vel luxuriosus est ob humores salaces, sed tamen corpore non peccat, neque mente, sed tantum affectione spirituali sensuali; quod etiam Paulo Apostolo accidit. Et sanè vitia & virtutes sunt æquè naturales secundum corpus & spiritum hominis & brutorum, & plantarum. Sed virtutes dicuntur naturales, quia sunt iuxta ideam authoris rerum. Dicimus enim virtuosum rheubarbarum, quod ad ideam rheubarbari attingit: vitiosum quod recedit: sic ensis dicitur virtuosus, si ideæ artificis respondet, vitiosus si dissentit. Proptereaque vitia dicuntur non naturalia, quoniam ab idea naturali recessionem indicant: sed tamen dicuntur naturalia, in quantum in ipsa natiuitate inseruntur interdum, vt homo natus leprosus, & timidus spiritu, dicitur vitiosus corpore, & spiritu naturaliter. Verumenimuero vitia corporis & spiritus non imputantur homini in culpam nisi adsit consensus mentis, quæ est pars hominis melior & Princeps: & secundum eius iudicium pensamus vitia, & virtutes; corpus enim & spiritus vera libertate carent, sed prout afficiuntur, operantur. Mens vero diuina particula est potens repugnare passionibus prauis à spiritu prouenientibus, nisi hic penitus insanus sit. Videmus enim hominem iracundum & mendacem posse mites operari operationes, & veraces: timidos quoque mortem pro patria lege perferre; quoniam timiditas est in spiritu, mens autem libera est, & potest suo arbitratu gubernare totum hominem, vt alibi probatum est. Gubernatio hominis duplex est, ad vitam scilicet temporalem, & ad æternam quam sibi mens præsagit, & Deus pollicetur. Sed illa ad istam dirigitur, vt deterius ad melius. Quapropter q̃m homines prout afficiuntur, operantur; afficiuntur prout cognoscunt, cognoscũt prout informantur: virtus erit, quæ affectiones, notiones & potestationes, & operationes ita regulat, vt prosint vitæ præsenti, & æternæ: vitium vero quæ affectiones, & operationes admittit noxias vitæ præsenti, & æternæ.

Quis enim non videt hominem ebrium corporalis vitæ iacturam per somnolentias, & podagras, & distillationes pati? & similiter æternæ, quoniam mens crapula spiritus sopita nil cæleste cogitat, sed magis à Deo recedit ad bona commutabilia & falsa: & ab Archetypo mundo ad corporalem: similiter qui ferè nihil cõmedit, is vitio inediæ laborat, patitur spasmum siccum, imbecillitatem, laboribus non potest resistere, neque Deo vacare, nisi gratia Dei miraculosa nutriatur: patet luxuriosos sibi nocere, ac proli: continentes vero vtrique prodesse. Mendaces Reip. exitiales esse, commercia euertere: veraces salubres sibi & aliis. Quapropter ex ipsa conseruatione noscuntur virtutes, & ex destructione vitia: illæ enim conseruant, aut disponunt ad conseruationem: hæc vero destruunt, aut disponunt ad destructionem: & quia non nisi qui scit quantum, & quo actio, & affectio conseruat, & qui potest regulare affectiones, & actiones: propterea virtus est sapientia potens, & volens. Si enim quis actum conseruationis nolens facit, virtuosus non est: & omnis virtus est sapientia, potens & volens: vel potius est regula, & decretum sapientiæ Non enim qui scit & potest & vult fortiter se gerere in bello, is virtuosus est, nisi anima decernat & præcipiat fortiter agendum esse: qui vero absque scientia fortiter agunt, hi casu, vel Dei impulsu spirituali ita agunt: & quia non semper, neque vbique, neque quemlibet idem actus conseruat: propterea videtur eadem res esse vitium, & virtus: homicidium hostis Reip. actus virtutis est, homicidium amici, actus vitiosus est: omnis autem conditio faciens actum virtuosum aut vitiosum à conseruatione, & destructione pensanda est, siue conseruatio sit in se, siue in filiis, siue in Repub. per famam: siue in Deo: & melior semper est præferenda. Quis nesciat ieiunium ægroto famelico malum esse, sano vero pinguique vtile, ex dictis causis?

Quapropter habemus virtutes, & vitia, non ex arbitratu cuiuscunque fieri, sed ex naturali sapientia, potentia, & voluntate constitui, dum finem præstituunt bonum, aut malum: & media parant æqua

fini bono, vel malo. Ex hoc sequitur leges quoque & enormitates esse secundum naturam, & non casu,& ad Artis placitum. Hominem enim sociabile Animal, vt Grues, Apes, Formicas, Natura facit, & iubet & cogit esse. Nascitur enim nudus inermis ambulandi cibumque procurandi eligendique vtile homo ignarus imperitusque. Ergo indiget societate parentum: parentes autem aliorum conuiuentium:neque enim vllus homo sufficit sibi ac suis parare panem, vinum,calceos,vestes,arma,quibus Animalia naturaliter sunt instructa. Multo autem minus parare habitationes,ciuitates easque ita regere vt omnes omnibus sint vtiles & ab inuicem non lædantur,sed iuuentur,ob hoc enim natura eos sociauit: contra naturam ergo agit qui socios lædit. Ergo prouidus Deus dat Philosophos & Prophetas & legislatores:qui regulis,idest,virtutibus seruet omnes. Non minus ergo secundum naturam rationalem sunt leges,quam virtutes:imo magis, quanto magis natura & Deus curat totum quam partem. Nam veluti homo in priuata vita habet regulas conseruandi se, quæ dicuntur virtutes,ita etiam in vita ciuili habet regulas, quibus conseruat se cum aliis, quæ dicuntur leges. Lex ergo est virtus communitatis,sicuti virtus est lex personalis: quidquid ergo est Reipubl. conseruatiuum secundum sapientiam publicã, illud est lex: quidquid ergo destructiuum, aut disponens ad destructionem,est enormitas,vel iniustitia. Et quoniam in aliis temporibus & regionibus aliæ regulæ sunt conseruatiuæ: Propterea videtur quod etsi Lex æterna & naturalis constent naturæ decretis, non tamen positiua Lex secundum naturam esse videtur, cum tamen ab illis fit vel per modum conclusionis vel specificationis. Hebræis leprosis vtile fuit olim non manducare carnem porcinam. Ergo Lex iusta extitit apud eos prohibens illam:procedebat enim ab hoc principio naturali:omne malum est fugiendum. Nunc autem illa non esset nobis lex, sed enormitas: quoniam à regula exit: regula autem est sapientiæ filia:sapientia producit regulam inspiciendo vtrum conferat fini optimo, vnde omnia dicuntur bona. Is autem est conseruatio. Nunc caro porcina est salubris in regione nostra. Ergo non esset lex prohibens eam, sed enormitas. Similiter plures vxores habere:quando homines pauci erant, & indigebant propagatione,erat lex permissiua vxorum: nunc vero esset enormitas, quando libidinis gratia foret, & non prolis.

At quoniam lex ordinat bona temporalia ad conseruationem temporalem, hanc vero ad æternam-sicuti & virtus in priuatis,quoniam mente & corpore constamus. Nosse autem bona æterna, & quæ conferunt ad illa, & quæ impediunt,summæ sapientiæ est opus: propterea non omnibus datum est de illis decernere. Sed in vita priuata habent Philosophos, qui virtutes & vitia ostẽdunt:in Politica vero Legislatores, qui similiter vitia destruentia, & virtutes,politiæ conseruatrices,docent. Præterea, sicut in vita priuata decreuit Natura pœnas & præmia vitiis, & virtutibus, quæ declarantur à Philosophis: ita in Politica decreuit pœnas & præmia,vt declarentur à Legislatoribus. Patet enim quod intemperatus statim luit pœnam doloribus podagræ, aut chiragræ, aut ventris torminibus: temperatus vero præmium habet, sanitatem iocundam. Similiter vir fortis præmium habet, securitatem & reputationem: Timidus pœnam habet, suspicionem, vilitatem, paruipensionem: audax vero vulnera, fracturas, iurgia, persecutiones. Sic in vita communi præmium est honor, dignitas,securitas, hilaritas, bonorum possessio, & filiorum & vxoris,his, qui virtuose operantur. Vitiosis vero pœnæ sunt, vituperium,subiectio, carcer, exilium, obiurgatio, tristitia, flagellum, amissio bonorum, & mors violenta.

Et quia naturale est, vt mens dominetur in homine, ita in Repub. religio: vtque bona ac mala iuxta eorum decretum pendantur. Et nemo possit præmium,& pœnam à se sibi,vel alibi applicare. Sed iuxta mentis decretum, quæ est lex priuata, & communis. Et ideo Augustinus ponit mentem Dei esse legem æternam: naturæ vero, participationem eius: politicam autem participationem naturæ:ex lege enim naturali, deriuantur positiuæ per modum conclusionis aut specificationis. quæ vero ab æterna per naturalem non deriuantur, aut repugnant, sunt ignorantum aut Tyrannorum fraudulentæ enormitates. Quapropter non viuunt secundum mentem, qui à lædente ciue pœnam exigunt pro arbitratu suo, & non ex legis ordine. Ipsi enim læsi sunt,& læsio est passio occultans veritatem.

Tandem ex his concludimus, quod quia, quæ sint bona, ac mala Re pub. & priuatis, & ad quem finem dirigenda est vita, & iuxta quam rationis mensuram sunt actus virtuosi vel vitiosi: nisi imponat rationi metrum Deus, vt Plato ait, occultum est. Idcirco Deus hoc declarauit per Philosophos: qui cum errarent, aut non inuenirent fidem, debuit mittere Legislatores, & Nuncios Prophetas, si nostri curam gerit. Id quod non casu, aut affectu, sed ratione philosophanti apertissimum est. Si enim Author Naturæ prouidet visui pilos palpebrarum, & voci gurgulionem: & extremitatibus vngulas, & araneis fila, vt retia texant, & brutis pilos, squammas, & cornua pro defensiuo & offensiuo instrumento, quoniam ratione ista sibi parandi, quæ inest homini, carent: multo magis prouidet homini politico necessaria, & magis communitati indiuiduis. Ergo ipse dat Philosophos, Doctores, Legislatores, Prophetas, vt Author naturæ & gratiæ prouidusque gubernator. Religio autem cultus est Dei factoris & gubernatoris. Ergo quia non omnis Legislator est optimus, & varij sunt inter se. Propterea sciendum est alios esse missos à Deo, alios à Diabolo, alios à propria astutia, & ambitione, alios vero à ratione naturali: & hoc erat quod examinandum proponebamus, & quare Deus permittit etiam seductores.

Quamuis virtus non posset doceri, tamen doctrinam & legem esse necessarias, quoniam obiecta virtutis, & actus, possunt doceri: & obedientia naturalis est cunctis: vt qui propria sapientia ignorant; aliena & communi sapiant, & illi obediendo conseruentur in hac vita ad æternam, & ideo necessarium esse Legem: & Religionem à Deo dari.

ARTIC. II.

SICVT aurum impurum potest igne purificari, fierique ex vitioso virtuosum, & corpus ab infirmitatibus curari, & arbores putatione, & fossione, & irrigatione reddi fructuosæ. Sic potest spiritus animalis virtuosus fieri per purificationem, exercitium, attenuationem, consuetudinem: & corporis humiditates, & fuligines, eius scientiam impedientes, purgari: at nunquam perueniet ad id, quod aliis dat natura: quapropter videmus alios subito addiscere & fieri sapientes, aliosque aliis artibus aptiores: quosdam vero ita rudes vt nihil fere discere valeant: alios ita timidos natura ob ingenitas fuligines, vt fortiter operari vix vnquam possint. Has autem non virtutes & vitia, vt vult Galenus, sed dispositiones esse ad virtutes, & vitia mentis, vt docet etiam S. Thomas, arbitrandum. Sed in spiritu esse verè virtutes, ac vitia dicimus: qui per consuetudinem nisi indispositio sit valida, potest meliorari, & deteriorari, licet parum: quapropter licet virtus non possit doceri, vt Cyrenaici dicebant, tamen obiecta virtutum docentur: qui enim natura sapiens est, fit sapiens per disciplinam, quia reuocat mentem ab aliis negotiis, & applicat se rebus scibilibus. Non ergo acquirit scientiam. Sed scibilia ad quæ specificatur scientia naturalis primalitatis: nam & modum sciendi, vt quoddam scibile acquirit. Non quidem spiritus fit tenuior, & organa graciliora, & cellæ cerebri meliores, & spiritus lucidior, & mobilior. Sed mouetur obiectis, assuescitque iudicio rerum. Sed potest quidam per pharmaca; & per obiecta, quatenus tamen mouent, attenuari, vt ventilatus aër, & cellæ expurgari. Nam etiam secundum ætates fit ista mutatio, vt cum de pueritia ad iuuentutem proceditur. Mens autem per spiritum addiscit: sed tamen potest eius resistere affectibus & perficere operationes, vt dictum est. Quapropter lex, & disciplina non est inanis, quoniam proponit obiecta bona & mala: & licet habitum virtutis non imprimat, tamen actus virtutis præcipiendo, & vitiorum vetando, & præmia, & pœnas adhibendo, reddit hominem vtilem sibi, & Reipub. quoniam timor pœnæ, & amor præmij cunctis rebus insiti sunt: quod ergo deest homini de sapientia, & regulis, id addiscit à lege, quæ est virtus communitatis, & operatur secundum illam, & viuit. Nam obedientia est filia timoris, & amoris, qui cunctis sunt naturales, vt à primalitate: ergo cunctis obedientia est naturalis. Ergo non frustra datur lex quamuis virtus non possit docendo imprimi. Nam actus & obiecta docentur: & quod non sapimus neque decernimus nos ipsi, sapimus & decernimus aliena sapientia, quam sectamur, & si non præimus.

Ad ipsos ergo legislatores veniamus: nam alibi contra priscos ostendimus virtutis studium esse vtile: & contra Arist. non esse habitum acquisitum (acquiritur enim facilitas non facultas) sed facultatem naturalem, seu decretum & Regulam Facultatis naturalis, idest, Rationalis ex innata additaque potentia, sapientia, & Amore, decernentis, quod agendum, propter quid, & qua affectione mouendum. Neque enim si naturale non est lapidi ire sursum, assuetudine ibit: quomodo autem virtus & vitium sint natu alia & secundum naturam rationalem dictum est prius: & quod per consuetudinem confirmantur, poliuntur, & ostenduntur, non autem generantur secundum se, sed secundum obiecta: imo habitus ipsi sunt post virtutem: & non generantur à virtute, actus virtuosos edente, ac habituante generaret enim seipsam. & omnem virtutem esse decretum sapientiæ volentis, & potetis, & nullam in parte irrationali residere, nisi dispositiuè aut executiuè, quoniam omnis virtus ratio est, vel rationis decretum, vt dictum est: & qui propria non pollet ratione, saluatur sectando alienam: & in Ethicis qq. hæc omnia demonstrauimus. Bonus idcirco ciuis est, qui obedire paratus est legi: bonus autem autem homo, qui & leges ferre aptus est sibi, & aliis, is enim sapiens, & decreta sapietiæ, quæ virtutes sunt nouit edicere. At quoniam hi rarissimi sunt, nec subito à se possunt recta cuncta decernere, & vitam præsentem ad futuram dirigere, Deus nobis consuluit, vt Principes, & legislatores sequeremur.

Profecto politia est propter corporum conseruationem: non enim vnus homo sibi sufficiens est ad parandum victum, & vestitum, & defensionem præsertim in infantia; necesse ergo habet genitoribus, & aliis vniri hominibus, & distributis officiis sese mutuo iuuare: corpora autem sunt propter spiritum, spiritus verò propter mentem, hæc ergo principatur: & quia ipsa secreta vi ad Deum tendit, virtutes, & leges facit, quæ ita præsentem tueantur vitam, quod ad Deum non impediant reuersionem: & hoc munus est sapientum: sed quia homo homini non ita principatur, vt in cunctis possit aliis prouidere, sicut neque caper capris, neque taurus tauris: sunt enim eiusdem speciei: ac proinde parum alter alteri præpollet, præstatque: itaque sicut bobus rectè dominatur homo, qui est superioris speciei, & eos à præcipitiis arcet, & à luporum obuia, & ad herbas ducit proficuas, & à noxio aëre abducit: similiter neque Aries pecudes rectè regit, sed pastor: itidem de hominibus censendum est. Nos enim mala extrinsecus adiacentia non videmus: neque enim Dæmones videmus, neque aëris infectionem, neque stellarum influxus, neque Dei decreta de futuris euētibus: cogitamus enim pro crastino alij arare, alij venari, alij ad curiā ire, alij scribere in domo: venit de cælo pluuia, & dissipat omnes coigitationes nostras: sed ille casu diuinauit, qui in domo operari decreuit

Ergo indiget homo sapientia, nedum Astrologica, & Politica, & Morali, sed etiam diuina, vt sciamus quid acceptum sit Deo cunctorum moderatori. ergo sicut boues bubulco, sic homines Angelis opus habent. Legislatores autem, quatenus Angelici viri sunt, excedentes quantum bubulcus boues, possunt in nobis principari, & principes imponere. Nam & bubulcus bobus præficit vnum ex eis, alligando tintinnabulum in collo eius, quo sonitu illius admoniti sequantur bubulcum ducentem taurum, cui tintinnabulum pendet. ergo stultissimus est Auerr. Arist. & Achitofellistæ, qui putant non esse Deum & Angelos, qui nobis principantur, & principes imponunt: tanquam si boues putarent se à boue tintinnabulario gubernari, & non à bubulco. Vnde faciunt consilium inter se: cras ibimus in nemus, comedemus, ibimus cum iuuenca. sed bubulcus cras alium ex eis vendit, alium occidit, alium aratro iungit, alios in campestria ducit. Sic accidit nobis. hoc serò cogitamus pro crastino, quæ facturi sumus opera, sed Deus hac nocte alium infirmitati, alij ad luctum filij, alium accersiri facit à summo Sacerdote; alium cogit in prædium exire. Quapropter stultissimi sunt qui putant non adesse causas inuisibiles nostri curam gerentes. Quin & sydera radiis, motu, & calore nos adigere ad diuersa tacito suauique impulsu tanquam funibus, & manibus videmus, sicut Sol heliotropium, Luna selinitem. Sol Oriens vocat nos ad opera, occumbens ad quietem, Luna ad Calendas, & Idus, &c. Serenitas enim alia in nobis consilia parit & firmat, scilicet laborandi in campo; tempestas verò manendi in domo: calor captandi fontes, & vmbras; frigus edendi multum in foco, & bibendi, & rixandi post crapulam: ex parua enim motione Physica occasionatur moralis motus, & decretum. Sunt ergo sydera instrumenta vt baculi, & stimuli & funes, & voces & signa Dei ad nos, commoda & incommoda monstrando. Nec tamen sufficientia, nisi adsint & Angeli nos docentes etiam morali suggestione, vel locutione, qui eligunt ex nobis optimum ad docendum in his, quæ non possunt nobiscum cõmunicare cum sint diuinioris ordinis, & nobis minus perceptibiles. Verè ergo Moyses & Prophetæ & Apostoli à Deo sint missi, & per Angelos, vt patebit.

Repetitur compendiosè argumentum prouidentiæ Dei in natura, & politica nec defectibus, & criminibus secundarum causarum excludi posse. & cur Legislatores & leges sunt à Deo, & tamen in multis deficiunt. & saluari omnes Nationes in vita Politica per leges bonas & tolerabiles: & qui saluantur etiam spiritualiter ad diuina bona: & in quibus excusatio locum habet circa triplicia genera præceptorum.

ART. III.

PROFECTO in natura experimur mirificam prouidentiam in cælis, in terris, in animalibus, & in homine per Philosophiam: & Astronomica præcipuè & Anatomes, considerantes totum partes, & particulas, & vsus, id credere cogunt. Similiter autem in Politica, si artes potestatiui, & cognoscitiui, & appetitiui, quibus sustentatur obserues, vnaque ad hęc prouisionem naturæ. Nam alij nascuntur fortes ad militiam, alij debiles ad seruitium, alij sapientes ad consilium, alij pij ad Sacerdotium, alij sapientissimi ad Legislationem. Error autem est in Rep. quando non applicat sua membra iis muniis, ad quæ nata sunt, sicut qui ambularet manu non pede, aut impediret pedes, aut oculos altero vsu, vel aliarum partium abusu; vt si homo haberet nasum vnius palmi, visum impediret. Hæc autem mala non sunt in natura, ex causis superioribus: sed ex principiorum proximorum prauitate, aut superfluitate, aut diminutione, aut cessatione, vt in monstris experimur, & in arte.

At non ita nocent, vt moralia primæ bonitati aduersa, & in bonum conuerti facilius possunt, vt in lib. 8. & 9. ostensum est. In Republ. autem damna vniuersa ex hoc abusu procedunt. Nam Principes & Sacerdotes fauore potentum, aut sanguinis, aut deceptionis, plerumque fiunt, & quando Principes secundum naturam eliguntur, sæculum est aureũ. & mox per negligentiam diuinorum mutatur in argenteum, æneum, & ferreum, & argillosum. Hoc autem permittit Deus nostræ libertati, vtque Dei prouidentiam & nostram libertatem, & simul imbecillitatem cognoscamus; nosque indigere Deo gubernatore, & vitæ meliori, quam omnis homo desiderat, reseruari. Et qui sic nõ philosophatur prouidentiam luce clariorem, negare cogitur. Item vt intelligas à Deo custodiri Remp. non à nostris Principibus, quorum & probitate & malitia vtitur Deus. Euenit enim in Legislatoribus, sicut in natura & in arte, varietas, antequam perficiatur Mundus. Sicut enim in fructibus plantarum alius cadit flos adhuc existens; alius carpitur acerbus, alius maturescit: alius est bonus, alius mediocris, alius malus. sic est homo, alius puer, iuuenis, vir, senex, bonus, mediocris malus multipliciter. Similiter artifex vt citharędus, initiatus, promot⁹, perfectus, malus bonus, mediocris. sic Medicus, sic Legista, sic Theologus, sic Propheta, sic Legislator, omnes in gradibus ætatis & probitatis & vitiositatis sigillatim. vt omnis ideationis impleatur numerus, donec compleatur & consummetur Mundus noster.

At dices, cur in Legislatorum, & Prophetarum missione, quos Deus ipse solet certis temporibus ad reformationem Mundi, quando maximè indigemus, creare, tam perniciosè sicut in natura & arte fallimur? Et cur Mahomet & heresiarchæ regnare, & leges dare aliis, & Mundum à proprio fine auertere, permittuntur, vnde paucissimi ad promissa bona, & ad Dei visionem beatificam perueniunt? Resp. omnis homo habet legis æternæ lumen, legem nempe naturalem in corde animæ insculptam, vt dicit Apostolus, & simul liberum arbitrium: & qui illa vtitur, salua ur ad bona Dei naturalia, Deus

autem & supernaturalia adiicere credendus est vt prom sit, & per hanc legem omnes iudicabuntur: vt dicit Apost. Rom. 2. Quod si aliis dedit legem particularem & scriptam, cum codicem naturæ legere dedidicissent; non propterea quemquam reliquit sine auxilio, & lege vere sufficienti, per quam multi ex omni natione saluantur, & possunt omnes. At si qui veniunt falsi Legislatores, à Deo tamen se mitti prædicant, alioqui nemo audiret eos, nec permitteret Deus. Quapropter in nulla natione reperitur Propheta & Legifer (non electus à Rep. vt Solon, &c.) qui à Deo se missum verè vel falsò non asserat; nec potest leges dare contrarias naturali immediatè. Nec enim concumbere cum bestiis, Parentes inhonorare, occidere amicos, Deum spernere, mentiri, ociosum esse, &c. vllus Legislator vnquam docuit, imo omnes in præceptis naturalibus conueniunt, & non errant: nec in iis, quæ per modum conclusionis ex lege naturali deriuantur, ideoque subito vt vera agnoscuntur; sicut est ius Gentium, sed in his quæ per modum determinationis, vnde non subito agnoscuntur: sicut verbi gratia multiplicare genus, est iuris naturalis; Ergo accipere vxorem, est iuris naturalis conclusio: vnam tantum, est Iuris Romanorum determinatio: quatuor, Iuris Mahometis. Item auferre malum est principium naturale: ergo punire latronem, est cōclusio illius Iuris; punire furca, vel pecunia, vel carcere, est Iuris positiui, specificantis conclusionem à Iure naturæ illatam. Et in hoc errant homines & dissentiunt erga humana; erga diuina verò concordant, in Quia sunt, non in Quid, & Quæ. Examen autem & distinctio veræ legis à falsa, & melioris à deteriori, nostræ libertati committitur, & metaphysica discernitur sapientia. Et Deus satagentibus adest, negligentibus abest, ait Ambr. Regulariter autem non permittitur Legislator à Deo quispiam, qui Deum esse negat; licet Gentiles associent illi alios Deos, vti Christiani sanctos. Namque sine Dei fide si sint omnes, non durat Resp. vno die, si plurimi vno mense, si tertia pars, vno anno. statim enim fræno conscientiæ exuti, se cædibus mutuis, furto, stupris, fraude, tyrannide, seditione perdunt. Neque ergo permittitur Legifer, qui non longe plura bona, quàm mala prædicet, sicut non permitteretur a natura adurens ignis, nisi longe plura bona, quàm mala sua vstione adduceret, &c. & ideo seruantur in Politica omnes vtcunque nationes. Homines autem qui mala legis suæ per ignorantiam inuincibilem non agnoscunt, saluantur etiam vita spirituali in omni lege, saltem ad bona diuina naturalia, si prout dictat ratio vixerint. Qui autem possunt facile agnoscere deceptionem, & reperire meliorem legem, & discernere, hi non saluantur si deteriorem non deserunt. Nec deceptor vllus, sed decepti tantum. Omnis Legifer dat præcepta triplicia scil. Moralia, iudicialia & ceremonalia. Moralia sunt Iuris naturalis axiomata vel conclusiones: ordinantes hominem ad proximum, ad Remp. & ad Deum. Iudicialia sunt eiusdem Iuris specificationes ordinantes hominem per præmium & pœnas ad obseruantiam Moralium. Ceremonialia non conclusiones nec specificationes sunt Iuris naturalis, sed sunt secundum naturam signa exteriora spontaneitatis ad obseruantiam legum, & illecebræ, captantes virtutum, & gratiæ Dei, quibus subiicimur, vt legem seruemus, & promissa Legislatoris capessemus. & propterea sunt aliis nationibus aliæ, & in sacris, & in politicis actibus. Qui autem ad certas solummodo ceremonias salutem referunt, vt Iudæi ad circumcisionem in sacris, & tactum genu Regis in Politicis, imperiti sunt spontè, cum fundamenta omnium legum, nempe Fides & Charitas naturalis erga Deum & proximum, nullis possit deesse, super quibus Deus solet addere supernaturales: Et ceremoniæ sint protestationes huius fidei & amoris, & signa, quibus Deus dat auxilia, sed non quibus ligauit auxilia, & valent coram hominibus non videntium cor non coram Deo, nisi sint ex corde: Nam & primum mysterium omnibus nationib. commune, vt notat S. Thom. est fidei quo quisquis credit in Deum, & per hoc cōmendat se, & filios, & sua Deo: ex quo eluxit in Politica Religionis protestatio sub diuersis ceremoniis, lauacris, circumcisione, &c. & sic ab originali, & actuali culpa mundantur. secundum est pœnitentiæ, quo à propris culpis, cum displicet errasse, à virtute & Deo, mundantur adulti. & ex hoc in Politica tribunal Iustitiæ emersit. Sacramentari etiam coniugium decuit, quo multiplicatur homo, & hoc in Politica erat contractus. At in aliis legibus adducuntur alia. duo ad Politicam i. consecratio ad sacerdotium: & ad regimen: & alia priuata, vt vnctio ad pugnā pro patria, & ad vincendam mortem. Item hoc principium hæreticum est naturæ: quòd Deus iubeat impossibilia. Et quod velit legem positiuam ceremoniarum obseruari ab eis, qui non audierunt prædicationem nunciorum Dei sub pœna damnationis. & quod Deus & natura defecerint hominibus circa necessaria ad salutem, & finem præstitutum à Deo: & quod præscius malorum nostrorum non fuerit: aut quod vlli nationi sexui, & ætati, & tempori non consuluerit, vt conclusio iuris naturalis dictat. Quod autem sic, aut aliter, vt Legislatores specificant, vel per Redemptorem hunc, vel per Prophetam alium, vel per Sacra hæc, &c. non tenetur homo iure naturæ scire sine prædicante, nec credere sine probante. Sed tantum esse paratus facere, quidquid Deus doceret & iuberet. Hæreticum etiam in Philosophia negare liberum arbitrium, & prouidentiam, & pœnas & præmia. Quod autem homines resurgant in corporibus; & pœnis & præmiis æternis sint afficiendi, naturaliter non intelligimus, sed rationabile esse cognoscimus, & iuxta mundi, & naturæ desiderium, at pœnas æternas non facile ratio humana admittit, sed statim origenizat. Fidei tamen inhærendum totius Ecclesiæ Catholicæ, i. vniuersalis, quæ scil. vniuersaliter acceptatur aut debet acceptari. Non enim potest totum decipi, sed Pars.

Sēt. 4. d.

Notæ decem, ex quibus Metaphysicus deprehendat, quæ religio & lex est à Deo, quæ à diabolo; quæ à ratione, & quæ ab astutia. Et vnde agnoscitur, quod lex aliqua à Deo data cessauerit, aut permanserit, alia noua surgente per nouos Prophetas, & Legislatores.

ARTIC. IV.

VT autem agnoscamus qui sint à Deo missi, & qui à ratione, & qui à diabolo simia Dei, hæc signa pando.

1. Qui à Deo mittitur, potest operari operationes mirificas, & supra Naturam, quam Deus præcellit: & tota Natura obedit illi: sicut qui mittitur à Rege defert diploma regis manu firmatum, cui omnes subitò populi inclinantur, & obediunt. Miracula ergo sunt diploma, sed ad incredulos.

2. Est martyrium, quod tanquam sigillum diplomatis est. si enim qui prædicant legem Dei, & vitam beatam præponit in obseruatione eius, si ipse præsenti vitæ ita inhæret, vt nolit pro illa lege, & vita, quam prædicat, mori, sed dolosa timiditate succumbit, is proculdubio à Deo missus non est, neque vitam meliorem sibi ab illo dari putat; idcirco hanc illi præfert.

3. Si fuit præconizatus ab aliis Prophetis præcedentibus, qui cum eo non sunt conuersati. Tunc.n. scimus non à se nec casu motum esse ad prædicandam legem nouam, sed à Deo, qui & ante præcones miserat.

4. Si quæ ipsa prophetat, euentus comprobabit. Si enim aliquod futurum esse dicit determinatè, & non venit, scimus illum hominem non fuisse à Deo, vero Domino præteritorum, & futurorum auctore.

5. Inspicienda est vita eius: si enim quæ prædicat facit, & secundum naturæ virtuosæ regulas viuit; diuinus est. Sin minus è contra, summum argumentum est ex vita, & adde; si sibi non est contrarius; neque aliis à Deo missis, neque discipuli inter se, neque ab illo discordant.

6. Si miracula, quæ facit, & vitam quam ipse degit, discipuli & sequaces faciunt, & degunt. Si enim non potest dare potestatem suis, vtique aliquid in eo latet faciens illa naturaliter, vt pes pyrri affectos lienе sanabat, & cognoscitur præceptor non esse deceptus, neque deceptor: si sequaces similia operandi facultatem ex lege accipiunt.

7. Si lex & Religio quam docet, transformat homines in Deos extasi, prophetia, & miraculis, & vitæ probitate, & martyrij voluntate decoratos.

8. Si præcepta moralia sint secundum naturam, & philosophiam rectissimam, nihil obscœni, impij, impossibilis ex contradictorio falsi, vitiosique admittentia.

9. Si ceremonialia sacra sint symbolica, fidei & spei, possibilia, & facilitent legis obseruantiam, & causent vnionem inter ciues & cum Deo; & sint vera in percipientibus fideliter.

10. Si quæ proponuntur credenda de Deo sint euidenter credibilia, vera, conformia rationi: vel si super excedentia, non contraria, non fabulosa: & transhumanant, an vilificant hominem. Fides enim vera, sanctaque hominem diuina sapere, & operari, & vel efacit. non historico sensu contenta, sed interno affectu rapiens est.

Qui autem à dæmonibus mittuntur ad nouam legem promulgandam, contraria habent signa: vel si hæc ipsa habent, falsa sunt, & apparentia tantum. Similiter etiam qui ab humana prudentia & astutia, à qua omnes missos fuisse putat Auerr. & Varro.

Qui verò à naturali ratione, vt Solon & Lycurgus hi non afferunt nouam Religionem, neque miracula & martyrium, & prophetiam; sed tantummodo præcepta moralia iuxta philosophiam, & aliquando symbola ceremonialia politicè, vel iuxta religionem iam institutam sub numinis auspicio veteri.

Primi à Deo missi, non possunt errare, & falsitatem proponere, neque per impotentiam, quoniam fortissimi sunt, & constantissimi: neque per ignorãtiam, quoniam testes diuini sunt edocti à Deo: neque per malitiam, quoniam non ambitione honoris, aut auaritia terrenorum bonorum, aut odiosè decipiendi alios cupidine, sed Dei iussu, & amore, & humani generis mouentur.

In hoc gradu video IESVM, Moysen Prophetas Hebræos in Bibliis sanctis registratos, & Apostolos Iesu, & sanctos viros eorum vestigia sectantes.

Secundi verò à dæmonibus missi non possunt dicere veritatem, nisi vt sub illa vendant falsitatem: experientia enim didici diabolos esse deceptores, fraudulentos, malignos, mendaces, inuidos, superbos, obscenos, alios magis, alios minus. Verum quoniam diaboli non possunt mittere homines ad ferendas leges, nisi permittente Deo ob melius bonum, sicut diximus de prouidentia loquentes: Non totam legem falsam proponunt; nec omnes per ipsam contaminantur, nisi deceptores ipsi, non a. decepti etiã deceptione non procurata, neque volita, neque vincibili. semper enim Deus, & vbique fauet innocentibus. In hoc numero vidi Mahometum, & Talmutistas, & Deos gentium, qui obscœnas leges, impossibiles, fabulosas, falsas, naturæ contrarias, & diuinis Litteris nunciorum Dei, ex parte intulerunt.

Naturales verò decipere non possunt cum sola ratione mouentur, & amore generis humani, nisi in quo ipsi decepti sunt. sic Lygurgus sanctas leges tulit circa moralia: circa verò ceremonialia & credibilia, religiosa, prauas, quoniã deceptus erat auctoritate priscæ religionis.

Sunt aliqui ex horum numero deceptores quoq; in eo in quo non decepti sunt, quoniam putant deceptionem perniciosam esse fugiendam, non autem

officiosam & vtile. Sicut Pythagoras finxit se duobus annis conuersatum cum diis: & Numa leges in Nemore meditabatur, ac deinde dabat eas Romanis tanquam ibi receptas à Deo. Et hanc deceptionem laudat Varro. & putat Romulum occisum à patribus, & occultatum vt crederetur ad Deo assumptus esse: ac proinde eius leges vt diuinæ obseruarentur: sic creditur Minos fecisse fingens se in antro cum Ioue loqui, nisi fortè diabolus eum decepisset, sicut Mahometum à principio. qui enim non missus fingit se missum, meretur illudi à dæmone mox simulante se esse Deum, aut Angelum, quod multa experientia nouimus nos, & Patres nostri.

Sed quibus omnes notæ prædictæ adsunt, à deceptionis passiuę actiuæque suspicione sunt immunes. Nam si Deus decipit eos tradens religionem, & dogmata de inferis, & superis falsa, vt homines in officio per hoc tenerentur. nihil est amplius disputandum: vbi enim nos Deus vult decipi, obedire debemus. Sed quia hoc dogma peruersum est, quod Deus sit mendax, & simulator, & soli Caluino conuenit, vtique religionem illam amplectendam iudico, quæ notis 10. prædictis à Deo insignitur; donec surgat Religio, quæ eadem habet signa Dei, & à priori illa recedant. ex hoc enim nouimus legem Mosaïcam cessare nutu Dei, quoniam prophetia, miracula, martyrium, transhumanatio credentium, cessauerunt in ea, & transierunt ad Christianismum, & Iudæi dati in reprobum sensum, colunt Talmudicas impietates, contrarias Moysi, Deo, & Naturæ. At quia prædicante Mahomete hæc dona Dei non recesserunt à Christianismo ad Mahometismum, idcircò cognoui ratione naturali Mahometem non esse à Deo missum contra Christianismum, sed ab impuro dæmone, qui charismata hæc dare non potuit illi, neque auferre Christianis. Inter quos quotidie video sanctos eadem miracula patrantes, quæ Apostoli olim, eademque vitæ sanctitate fulgentes. Quod si Porphyrius considerasset gentilismum Christianismo non præposuisset. Quod autem Mahometus dicit se non habere à Deo charismata, sed missum esse in potestate gladij, arguit ipsum deceptum esse, vel deceptum ac deceptorem. & similem fuisse Cyro, & Alexandro, & Tamerlani, & pyratis, & latronibus: qui similia fecerunt, & dixerunt, vt in Commentario, *Quod reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terra ad 4. Mundi nationes, demonstrauimus.*

De lege æterna, naturali, & Positiua, de Præceptis earum naturalibus, iudicialibus, & ceremonialibus; de sacris, sacrificiis, & sacramentis iuxta Philosophiam.

ARTIC. V.

QVONIAM necessaria sunt in omni Rep. præscriptio finis, & ordinatio mediorum, & gubernatio ordinatorum, donec ad finem suum perueniant; Legislator necesse habet hæc luculenter nosse: si enim poneret finem Reipub. lucrum, omnes fierent auari, & se inuicem fraudarent & deuorarent. si libertatem, omnes licentiosi fierent ita vt iactent faciendum sibi quidquid lubet. si victoriam, militarent contra totum genus humanum, & perderent, & perderentur; atque deletis hostibus contra inuicem pugnarent; si honorem, ambitio, & inuidia ciues contra inuicem armarent. si delitias, luxu, pigritia, socordia, ignorantia marcescerent, fierentque præda extraneorum. Si literaturam, sophistæ occuparent omnia, deciperent omnes, & essent omnes præda armatarum nationum. si bonum Principis, ille fieret tyrannus, bona & labores omnium in se conuerteret, & pro Deo adoraretur. si bonum paucorum, pauci omnia ad se raperent, & aliorum tyranni fierent. si populi totius bonum & libertatem; hi extinguerent nobilitatem & virtutes, & ex leges facti, mutuò, & ab extraneis deprimerentur.

Propterea sapientissimi hominum, natura duce, statuerunt finem Reipub. cultum Dei, factoris & gubernatoris omnium, nobis adipiscendum vt summum bonum, à quo omnia præfata bona sperentur, si iuxta Dei legem in rerum natura agnitam, & per Prophetas reuelatam, viuamus. Lex ergo est quæ media ad finem ponit: Sacerdotes, Principes, Iudices à primo gubernatore Deo immediatè vel mediatè authorizati gubernant per hæc media, vt ad finem perueniamns.

Triplex lex, æterna, naturalis, & positiua. Constatque omnis potentia imperandi, sapientia disponendi, & amore ducendi cuncta ad S. bonum finis.

Lex æterna est in Deo: cuius potentia facit omnia, quæ cum sit immensa, tamen in mediis modificatur iuxta cuiusque potentiam & tolerantiam; vt patet in cælestibus, & terrestribus. sapientia vero triplex. Prima est simplicis intelligentiæ qua nouit fines & media, & omnia facta, & facienda, & possibilia fieri; altera intuitiua, qua quæ facit & facturus est actu, nouit: & quoniam non omnia decernit nisi in communi; propterea quod creaturas rationales decreuit facere liberas, sicut alias coactas alias necessarias, alias contingentes, propterea tertia scientia ex dictis agnoscitur in eo, qua nouit liberas causas positas in potestate proprij consilij, in quacunque rerum serie ponantur, posse determinari ex se ipsis ad innumerabiles viuendi, & operandi modos, inter quos sunt modi illi pauci ad quos se determinabunt: & sic ordinat innumeris modis actus eorum, & quid facere ipse debet, si hunc vel illum modum eligent. Vnde sacri Theologi dicunt, quòd si primus homo non peccasset, alter modus viuendi successisset ac qui nunc est, altera Politica, alter Religionis ritus, & altera prædestinandi, & gubernandi ratio. Nec quidem series rerum, nec obiecta, nec passiones, nec Deus cogunt, aut determinant ad certum modum: nisi inclinando, suggerendo, occasionando; sed libera Mens iuxta sui quidditatem apud Plat. canoni-

zatam

zatam in constit. Apostol. se ipsam mouet, determinatque. Et determinationes inchoat, retractat, prosequitur, vt lubet ex arbitrio, & iudicio suo multiplici, quo similis est Deo, ait Thomas & Bernard. Amor Dei innixus æternæ legi omnia mouet ad bonum: Natura autem & ratio cum deuiant à bono, contra ideam, & contra intentionem Artificis summi Legislatoris Dei, deuiant, defectu, aut excessu, aut vitio proximarum causarum. Sed mala naturæ sunt volita à Deo permissaque per accidens, quoniam occasio aut causa sunt aliorum bonorum, vt cædes agni ad vitam lupi. Mala autem rationis liberæ seu moralia non sunt permissa nec volita à Deo, sed in omni lege vetita, quoniam sunt contra Deum Totum summum bonum, & ideo non possunt ordinari ad maius, aut æquale bonum: postquam autem fiunt, ordinauit Deus ex omnipotente bonitate, non ex natura mali, quæ est deordinatio, ergo non ordinabilis, sicut cæcitas non ordinatur ad visionem, vt probat sanctus Thomas; imo ait, Mundus iste esset melior absque malo moral, non autem sine Physico. Permittere tamen dicitur Deus mala moralia permissione cadente super conditione naturæ liberæ, vt faciat quidquid velit, non autem super actu peccaminoso, quem semper vetat, nec per potentiam impedit, sic enim tolleret cursum naturæ.

Lex autem naturalis est participatio legis æternæ indita rebus, quæ dirigit cælestia, terrestria, & elementata, & simul naturam rationalem ad quam cætera ordinantur, & mutantur ad eius mutationē. Post peccatum enim animalia à nobis rebellauerunt, & deteriora nobilioribus non obediunt, & spinas, & tribulos patimur. Et omnis creatura ingemescit. Præcepta autem naturalis Iuris, quæ moralia dicuntur, continentur in Decalogo & lege Mosi, & in Euangelio, & apud omnes Legislatores & Philosophos, & in illis non contingit errare, & discordare genus humanum, nisi in paucis ex barathro malitiæ.

Lex tandem positiua deriuatur ab æterna per naturalem, aut sicut conclusio, quale est ius gentium vt ex hac naturali, omne malum est profligandum, concluditur ergo latro est puniendus: vel per modum specificationis, vt latro est puniendus pecunia, furca, vel exilio, &c. prout quælibet Resp. sibi vtile esse nouit.

Legislator ergo omnis triplicia præcepta ponit sc. moralia, iudicialia, & ceremonialia. Per moralia ordinat hominem ad Deum finem, & ad proximos suos, & ad capessenda certa media, per quæ finem consequantur. Per iudicialia punit impedientes, & peruertentes à fine, & nocentes proximo, & præmiat promouentes, & præceptorum obseruatores. Per ceremonialia facilitat obseruantiam legum ad finem.

Propterea est duplex ceremonia, alia ciuilis, alia sacra. Ciuilis est salutatio inter ciues, inclinatio coram Principibus, cinguli militiæ traditio ascitis ad bellandum: assurgere coram sene & Magistratu. Lauare manus post cibum assumptum. Gestatio sceptri in manu Gubernatorum, & flagelli in manu lictorum, & clauis aurea Cubiculariorum Principis. Item vestimentorum varietas in Principe, in Sacerdote, in Plebeo, in milite, &c. sunt & ceremoniæ sacræ, quæ vocantur Ægyptiis mysteria apud Iamblicum, & Pythagoricos. Et non est Respubl. vlla, quæ his possit carere, vnde Hebræi circuncisionem, lauacra, sacrificia habent; Christiani Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, &c. Mahometani circuncis. lauacra, applicationes. Gentiles plura & varia sacrificia & sacramenta, vt Varro scripsit.

Sacra dicuntur res, & verba diuino cultui dicata. Dicari autem non debent nisi optima. Propterea non debent fieri Sacerdotes, nisi optimi hominum, sapientes pii animo.) & sine macula in corpore. Nec enim claudus, nec cæcus, nec leprosus, nec nanus, nec eunuchus, nec miles sanguinarius, nec infamis, &c. Similiter ex vasis, & domibus, & pannis, optima sacrari debent, omnium Nationum. nedum Mosis testimonio. Reges autem Sacerdotes habuit antiquitas tota. Hodie tamen sacrantur. Romani Magistratus, & mœnia, & templa, & quidquid venerandum esse volebant, & ab hominum iniuria custodiri, sacrabant. Reuera ea tantum quæ cultui diuino dicantur, sacra fieri debent.

Sacrificium dicitur quidquid offertur Deo per Sacerdotem, faciendo aliquid circa illud, vt occidere, comburere, manducare; & propterea si nil fiat dicitur oblatio: Vt pecuniæ, lapidis, vini, &c. Si fit, sacrificium est, quod præsupponit oblationem, & fit de animalibus, & frugibus apud cunctas nationes olim. Per hæc enim nobis necessaria protestabantur beneficia diuina, colebantque Deum vt factorem, & gubernatorem omnium, & propterea debebant esse optima quæque animalia, & sine macula Similiter & fruges optimæ. esset enim irreuerentia offerre deteriora, & improprium Deo tanquam deteriorum autori; vnde & immunda animalia, canes, asini, serpentes, lupi, pisces, & carniuoræ bestiæ, & aues, & porci à sacrificio arcentur iuxta legem Moysis.

In aliis tamen Nationibus porci, & simij etiam admittuntur, imo & homines mactantur. Quod nefas est, non quia immundum animal sit, sed oblatio immunda. Sacra enim in bonum Reipubl. & partium instituta sunt. cædes autem est summum naturæ malum: & contra finem sacrorum sacratur. Sacrantur cædes tyranni vt victima opima, ait Senec. quoniam tollitur malum, & Dei vindicis potestas agnoscitur; sed sacrificia ad beneficentiam propriè spectant; quidquid ergo in malum hominis, & odium, & in Dei inhonorationem, vel apparenter spectat, non est sacrificandum. Nullum sacrificium ex propria natura est Deo acceptum, sed ex nostra bona voluntate: nisi offeratur Deo Deus, qui non potest sibi non placere. Soli autem Christiani habent hoc à Deo institutum mirificum.

Sacramenta autem ceremonialiter fiunt, sed formaliter sacrificia non sunt. Signa tamen spontaneæ probitatis nostræ subdentis se Deo propter finem sunt, & signa gratiæ Dei per huiusmodi humiliationem, & deuotionem nobis captandæ. vel ex opere operato, quando institutor est Deus, & promissor, vt in Christiana lege rationabiliter creditur.

Sacramentari autem non debent à Legislatore omnes ceremoniæ, & actus hominis, nisi illæ quæ homines hominibus inter se, & erga Deum copulant in charitate in bonum priuatæ, & pu-

blicæ rei. Et quæ homines Deo subiiciunt ad captandum illius fauorem. Conciliant autem beneuolentiam, beneloquentiam, & beneficentiam inter homines, salutatio, contractus, comessatio, recessus à vita mala, accessus ad virtutes, defensio, cohabitatio, concubitus, medicatio, & applicatio omnium ad vnum, siue ritum siue officium, siue ministerium. salutatio est in omni natione vt mysterium naturale, non autem sacrum. Potest autem sacramentari si Deo placet. Innocentia eligitur ad sacra & complicatur sacramentis, sicut & salutatio multiplex, sed non sacramentatur. Contractus qui est venditio, emptio, donatio, permutatio, consociatio, non est sacramentatum apud Nationes, sed in lege Christi est sacramentum contractus coniugij ad concubitum, quo copulantur homines ad speciei propagationem, alimentum, & cohabitationem. comessatio solemnis fuit Græcis, & Romanis: Item Iudæis, quando sacrificia simul vorabant, præsertim in phase. At in Christiana lege sacramentum est Eucharistiæ mirificum, qua vniuntur Christiani inter se cum Christo. Æmulati sunt hoc Antiqui: imò Catilina, vt coniurati essent vniti miscuit vino sanguinem emissum ex omnium coniuratorum venis; vt alter alterius omnis spiritum biberet. Spiritus enim est in sanguine, & sic fideles inter se perpetuo forent. Doctrinatio religiosè quidem apud omnes Nationes vel ex parte fit.

At quatenus etiam recessum à malo affert, in Christi lege sacramentatur, vt quando homo peccat, aperiat Sacerdoti culpam, & capiat ab eo consilium & pœnitentiam; vnde Socrates sic fieri in sua Republica optabat ab omnibus coram iudice, non expectato accusatore, & testibus. Et hoc sacramentum est doctrinæ, & medicinæ simul. Defensio pertinet ad Sacramentum militiæ, quo vsi sunt Romani ad tutelam ciuium & patriæ, & omnibus Nationibus est solemne, præsertim quæ non Mercenarios, sed proprios habent.

Et quidem vngebantur alij, aut pectebantur ad pugnam, vt Leonidas: sed apud nostras est vnctio ad pugnam contra Diabolos, & vitia in principio vitæ: & in morte contra vltimum terribilium. Sacra tamen est militia semper pro Fide, & pro Patria, qua vtuntur nunc milites Ierosolymitani. Applicatio ad Deum finem hominum fit apud nos in baptismo, quo à culpis loti Deo dignè viuamus. Hoc etiam cohabitationem sacramentat. Vnde Iudæi circunciduntur, vt separati hoc signo ab aliis Nationibus vnitius conuiuant sibi & Deo. Applicattionem ad Reipubl. gubernatum, in sacris habet Sacerdotalis ordinatio.

At in Politicis etiam Magistratus in omni Natione sacrantur, & Reges ipsi vngebantur: vti nunc Rex Gallorum. At in Principe non est sacramentum, sed sola consecratio. Et Plato vt essent venerabiles populis, & à tyrannide abstinerent, ad sacerdotium consecrari Reges debere admonuit. Aristoteles autem sacerdotium, & militiam illis adscribit. Profectò opposita munia, nisi vbi pietas arma mouet, sicut Mosen & Leonem Papam quartum.

In ceremonialibus requiritur vt significent actu & verbo, quod intenditur, vt baptismus in aqua significat in corpore loto ablutionem animæ; vt fiat habitaculum gratiæ Dei, & natiuitatem in spirituali vita. Eucharistia nutrimentum, & communionem: pœnitentia medicamen infirmitatis spiritualis, &c.

Non debet fieri in materia impossibili sacramentum, neque in obscena, neque in fætida, neque in contraria suæ significationi. Quæ mala in Legibus Gentium præcipuè Americanorum vidimus. Indoctè Aristotelis statuam & sacra Priapi permittit ad vulgi satisfactionem, cum philosophice loquendum erat. sic timiditatis Plato de Diis loquendum iuxta morem Patriæ docens, à sancto Iustino insimulatur.

Sacramenta de iure naturæ ex instinctu Dei tria necessaria ponit omni sexui, & nationi & ætati communia S. Thom. videlicet Sacramentum Fidei contra peccatum radicale, Pœnitentiæ contra actualia, & Matrimonij, contra concupiscentiam: cætera sunt ad melius esse, & iuxta Legislatorum sapientiam. Sed à solo Deo institui posse vt conferant gratiam ad tollendas culpas & benè viuendum ex opere operato, rectè decretum est in fide Christiana. De tribus illis meminit Plutarchus, & Porphyrius, & Iamblicus, & Pythagoricis solemnia fuerunt eadem, & alia. de quibus in Theol. dicendum. Hic quæ natura docet aperuimus.

Dubitatio, quòd leges non sint à Deo, propterea quod eadem notæ cunctis adsint, & quæ notas habent certißimas, vt Christiana, proponunt impoßibiliora, & in Credibilibus, & Moralibus; & quòd sapientes religionibus non præstant fidem.

CAP. VIII. ART. I.

1. SED dicit Architosel: vt quid Deus in sua fœlicitate manens cassa solicitudine angitur ferēdi leges hominib. (Ast huic quæstioni satisfecimus non semel.)

2. Item si omnes nationes habent miracula, & prophetias, & martyrium, & successionem, cur huic potius credendum est, quam cæteris.

3. Item cum impossibiles fabulas, & Moyses de serpente decipiente Euam, & Christus de Deo trino, & Papa de Christo comesto in pane consecrato, & Mahometes de Luna à se refecta, & Gentiles de hasta quæ Romulo floruit, & de translato Cæsare in stellam, & de Romulo in Cælum, sicut de Christi ascensione, fabulantur Christiani: & vbique eadem dicantur; stultum est cuipiam fidem adhibere, sed omnia hæc esse astutorum hominum figmenta oportet, vel muliercularum, & vulgi decepti adauctas fabellas. quod passim apud Poetas videmus, & in vulgo decepto ab illis, & à præstigiatoribus miraculariis.

4. Item Christianismus omnibus notis decoratus impossibiliora proponit circa credibilia, & moralia: ibi enim Deus nascitur, moritur, resurgit, ascēdit, est trinus, comeditur, lauat aqua peccatum, & sanguine, & iudicat omnes homines in vallicula ad pœnas æternas pro peccatis temporalibus; hic verò præcipit pauperibus omnia dare, & mendicare, & castrari pro regno cælorum nusquam viso: & verberantibus, & tollentibus rem, cedere; non se defendere, non iudicare, nō cogitare de crastino, &c. quæ si obseruentur statim euanescit politia, & generatio hominum, & Principatus, & Respub. Quod si tantum aberrat hæc lex à naturali lege, quid de cæteris censendum est?

5. Lucretius autem addit esse hominum inuentiones ad terrendum populum: & religionem sæpè ruinam generis humani esse. Bocacius verò quod si veræ sunt leges, non potest agnosci, quæ sit à Deo inter Christianam Iudaicam, & Mahometanam; nam eadem habent signacula. veluti si Pater filiorum trium promittens hæreditatem cui dederit annulum, ac postea dedisset ternos, singulis annulum vnum, similem annulis reliquis in signo, pondere, forma, colore, & similaritate. His opinantibus respondendum est quantum ratio naturalis attingit: quoniam ad Theologos spectat sermo, & in Theologicis: & in Antachit. & in libro, *Quod reminiscentur, &c.* abundè diximus.

In lege Christiana dogmata credibilia quædam naturalia, quædam non esse contra naturam, sed supra naturam: & congruere fidei naturali. Moralia verò naturalia esse præcepta, vel consilia, plena veritatis, non absurditatis.

ARTIC. II.

CHristianismus omnes notas habet, quibus à Deo esse probatur. quod si impossibilia, & contraria naturæ docet, non habet omnes, vt ex dictis palam est. Idcirco ad hoc prius respondendum est: deinde notas examinabimus veras, ac falsas Negamus ergo quicquam impossibile, aut fabulosum in Christianismo contineri. Quod enim Deus factor, & gubernator omnium, & remunerator, cunctis nationibus in confesso est. quod autem vnus in substantia, & in personis sit trinus in 2. p. ostensum est; vbi Ens primum, Potestate, Sapientia, & Amore infinitis constare docuimus, & ex potentia sapientiam procedere: ex vtrisque verò amorem procedentem esse in eo, vnde procedit, alioquin non procederer. & eum vnde procedit, esse in procedente: alioquin non procederet simile prorsus, sed aliud à se. & tandem ostendimus has primalitates esse vnum Ens.

Quod autem verè Deus nascatur & moriatur, suaderi potest non esse contra Naturam. Deus enim vbique est, & omnia operatur in omnibus, & omnium rerum curam gerit. Ergo præcipuè hominum vt nobiliorum. qui quoniam indigent doctore Deo, & non solum homine, vt capræ homine, & non solum capro, si Deus prouidus est, & amator hominum; quid mirum si illis in forma hominis sese ostendit, qui in omni forma est eminenter? Neque enim Deus nascitur vt Deus, sed vt homo, sicut calor solis in planta non nascitur, sed planta. Potest quidem Deus assumere hominem, vt instrumentum actionum suarum apud homines. Non tamen patitur essentia Dei, sed humanitas assumpta; & ratione copulæ, prædicatur passio etiam de Deo, sed secundum carnem assumptam, & ipse Auerr. & Peri-

patetici increduli, patres Machiauellistarum, hoc credere tenentur, qui intellectum separatum incessanter in singulis hominibus incarnari personaliter docent; sicut de Dei incarnatione Theologi docent, teste Augustino & Thoma. Si dicis ad quid hæc vtilitas? Respondeo esse maiestatis opus. non enim ad altiora se, potest conscendere, ad humiliora verò descendere in se non valet, sed in effectibus suis; & sicut docuimus Deus vbique est omnia, sic nequaquam vilescat fieri homo. Quod verò reputāt stultum impij & maligni, qui pro amico nihil tale facerent, nisi gratia sui, hoc rationale existimant pij, & benigni homines. Vnde Plato dixit, solum Deum, si fieret homo, posse decenter esse doctorem, & mensuram hominum. quod ergo docere voluit Deus verbo, si etiam facto expressit, hoc ad doctrinæ confirmationem, & excellentiam spectat. Docuit, nobis aliam esse vitam post mortem: & hanc spernendam esse pro veritate, & honore Dei, & nulla mala timenda esse, nisi pœnam æternam, quoniam resurrecturi sumus, in Cælum ascensuri ita facientes: & hoc idem ipse fecit: omnia mala pertulit, & mortem pro veritate, resurrexit; ascenditque in Cælum, vt certi simus nobis idem conuenire. qui autem fabulas putant hæc, Dei benignitatem, & prouidentiam nō animaduertunt; & loquuntur vt opinantes, non vt testes. Apostoli autem testes sunt, miraculis, & sanguine & prophetia testimonium confirmantes non decepti, neque deceptores. Cupimus omnes Deum videre, & habere doctorem: ipse desiderio huic satisfecit, vt congruit nobis. cur non credamus? cætera redemptionis mysteria ex primo pendent: cuius redemptio secundum fidem est: doctrina verò secundum rationem.

Quod verò aiunt, contraria naturę doceri, falluntur sicut pueri, qui putarent esse contrarium naturæ: quod quis solis magnitudinem metiri per Mathematicam diceret.

In Moralibus verò sūma est rationalitas, quoniā fundat Rempub. suam super charitate, & fide & spe æternitatis optatissimæ, quæ ipsas primalitates exprimunt, & facit homines optimos, & subito, vitiū nullum tolerans, virtutes omnes portans, ad diuina promissa idoneum. & breuissimè præcepta omnia sub duobus concludit. s. in Amore Dei, & proximi. quæ obseruata sufficiunt: si non obseruentur, non sufficiunt mille millium præceptorum. Cæterę verò leges hominum super virtutibus secundariis fundantur, hoc est super prudentia, temperantia & iustitia, & fortitudine, quæ nihil sunt absque charitate, sapientia, & potentia, nec omnia vitia tollunt, nec virtutes omnes portant, nisi quatenus præsenti vitæ, & Politicè congruit. nec facit bonos homines, sed bonos ciues, & vix. & non sufficiunt. Qui charitatis legem habet, non occidit, non fornicatur, non reddit malum, suffert omnia, credit se natum benefacere cunctis quasi Deus: & scelestos beneficiis superat non armis. quod Socrates, Diogenes, & Telesius naturaliter docuerunt, nisi vbi in Reipub. ruinam eriguntur. Tunc enim charitatis est occidere membrum, & hostem malū, vt totū corpus, & amici boni seruentur: erga Deum ita afficitur, vt mirificus fiat, & ad Deum eleuetur, & spes supra humanas concipiat. Tribunalia autem, & iuramenta requiruntur ob violatam charitatem: ergo per accidens. Castrare se, & eiicere oculos propter Regnum Dei, non literaliter accipitur, sed moraliter: Continentia, Virginitas, & Paupertas non iubentur, sed consuluntur; vbi sic prodest philosophiæ. Nam & Ethnici hoc sciunt: qui connubio & bonis externis vale dixerunt, vt possent vacare sapientiæ: hoc idem accidit religiosis. Neque enim omnibus idem consulimus: sed de his alibi dictum est satis. Quapropter omnes notæ integræ in Christianismo inueniuntur. Vide lib de Agnitione verę Religionis contra Antichristianos, & Theologica, & *Quod reminiscentur*, &c.

Aperitur stultitia Boccaccij, & ostenditur non amplius adesse notas in Iudaismo, sed transisse ad Christianos: in Mahometismo verò nunquam fuisse: sed ceremonialia, & moralia eius pleraque esse contra Naturam, & veritatem, & confirmantur sacramenta Christiana secundum Naturam: in Gentilismo vero deesse notas palam est.

ARTIC. III.

AD Boccaccium dicimus, quod Gemmarius ipse imperitus est, idcirco non agnouit, quisnam ex tribus annulis sit ex auro, & quis ex auricalco. Moyses quidem habet notas, sed iam deletas: nec tamen habuit omnes. Defuit enim illi martyrium, & bonorum mundanorum contemptus, & propheticum præconium: qui enim de ipso prædixerunt, ab ipso citantur, nec alibi reperiuntur; sed miracula & euentus prophetiæ suæ de Christo, & de pœnis Hebraismi, & successio discipulorum prophetantium, & transhumanatio per illam religionem in multis sanctissimis conspicua, vt in Elisæo, Samuele, & aliis, & moralia, & ceremonialia vtilia illi tempori, & nationi, ostendunt ipsum missum à Deo. Nec fabulæ in ea sunt: vt imperiti nescientes spiritualia putant: sed quoniam lex sua non toti mundo est vtilis: & lauacra, & contaminationes erant pro leprosis, & sic abstinentia à suilla & anguilla, & aliis: & quia docet etiam excremēta tegere, & texturā & agriculturam, & alia quæ pueris congruunt, & sacrificia toto orbi impossibilia, & omnib. hominib. & propterea patet legem illam nō toti mundo datam, neq; semper; sed quasi pueris & infirmis, donec veniret, qui omnib. cōuenientem afferret, & in amorem proximi de Iustitia eam transferret, & bona cælestia propalaret: prætera cum iam notę veræ ex ea deletæ iam sint, & charismata ad Christianos tansierint, stultè Boccaccius annulum consimilem penitus in ea seruari docet, vbi nulla sunt religionis veræ charismata.

Sed longè magis fallitur, cum in Mahometismo eas intueri se putat, quos Mahometismus ipse se habere negat. Nam Mahometes caret diplomate miraculorum; & dicit se missum non per miracula, sed per gladium homines conuertere, & superare. Hoc autem signum commune est Tyrannis, & Latronibus, & Alexandro Magno, & Cæsari. Secundò, caret sigillo Martyrij: neque enim voluit mori pro lege propria, & scripsit Christum non fuisse crucifixum, sed alium pro eo: quod non modo reprobatur ab historia Christiana, & Gentilium, & Iudæorum: sed etiam ostendit, eum sic finxisse, ne sibi obiiceretur, cur nollet pro sua fide mori, sicut Christus.

3. Miracula, & Martyrium non reliquit suis, neque à Christianis abstulit, sicut Christiani à Iudæis. Imò in lege eius nemo transhumanatur. Sed Discipuli eius de Imperio contendentes, mutuis cædibus sese obtruncarunt: & inuenti sunt ambitiosi, auari, discordes, absque illa charitate, quæ maxima fuit inter Apostolos mutua, & totum genus humanum. Nec dilatauerunt Imperium nisi armis, non autem miraculis, patientia, & doctrina Dei, vt Apostoli vincentes suos quoque persecutores beneficio, & miraculis. Et licet quidem Mahometani, & Hæretici pro sua fide mortui sint, tanquam decepti, non tamen Deus miraculis eorum martyrium comprobauit.

4. Præcepta eius fidei, sunt fabulosa, penitus, & falsa, quod Deus sit in Solio sedens corporaliter: quod Angeli co nuti, cornibus de niue, & igne compositis, deferant Solium, tantæ magnitudinis, quod in mille diebus auis volitando non perueniret, de ipsorum altero in alterum oculorum: quod Gallus in cœlo deploret defunctos tot linguis & vocibus: quod sint septē tellures sub nostra. Quod bos magnus ab Oriente in Occidentem sustineat hæc systemata, Septem terras, & alia marina & aërea. Quod mons Caf sustinet cœlum, ne ruat: datque ei colorem subuiridem. Quod quinquaginta millibus Deus laborabit annis examinando peccatores in iudicio vniuersali. Quod Angeli duo à fæmella cuius concubitum expetebant, fuerint inebriati: quæ deceptis eis volauit per reuelatum nomen Dei ab illis in cœlum, quod facta sit Deo stella: quod in Paradiso comedemus, & bibemus, & coibimus cū mulieribus pulchris, & potabimus fluuios vini, butyri, &c. inania superius dicta, & indigna Philosopho, ne dum Theologo ab Auic. etiam Mahometano refutata. De quibus alibi. Moralia vero circa vxorum multitudinem reprobantur. Delectus ciborum conueniens solis leprosis, lauacra posi a à Moyse ad tempus, stultè ipse recipit. non intelligens virtutem legis. Abstinentia à vino, si esset de consilio, non de præcepto, mala non esset. Quoniam quibus obest vinum ad sanitatem, & sapientiam, congruit. Sed nesciuit quæ quibus conueniant leges. Luxuriam, & latrocinium contra Nationes prauè ponit. & se iactant recepisse à Deo gratiam in renibus, vt possit subagitare tot mulieres, quot possent 4. homines. Ecce signum Prophetæ stultissimi: nunquid natura dedit coitum ad voluptatem, an ad generationem? & hac cessante, coitu quid indigebimus, præsertim in Paradiso? Iste homo non intelligit virtutem Religionis, & interiorem voluptatem in copula cum Cælicolis & Deo, & ingressum de corporali ad mentalem Mundum: neque vnquam gustauit spiritualem ecstasim: & loquitur more brutorum: propterea falsò putatur habere caracteres veræ religionis. & licet Persæ ad sensum spiritualem hæc trahant, nihilominus destruunt textum, & intentionem præceptoris, sicut alibi ostensum est luculenter: vbi historias veteris, & noui testamenti falsasse ostendimus.

In Gentilismo vero paruas videmus notas: & eas conspurcatas dicteriis: ideo Lucretius religiones lacerat, putans omnes similiter prauas, & fundatas leges in ambitione dominandi habent, aut in sola ciuili iustitia omissa diuina; nisi quatenus ciuilitati congruit: nec omnia peccata vetant, nisi quæ proximi iniuriam continent, vt furta, homicidia, adulteria, &c. non autem fornicationem, inuidiam, ambitionem, ingratitudinem, pigritiam, auaritiam, prodigalitatem, pusillanimitatem, quæ vitia sunt naturæ noxia ad vitam præsentem, sed potius ad futuram: ergo non referunt humana ad diuina: sicut Plato iubet in primo de legibus. Neque ergo per vitam æternam & reuersionem ad Deum fiunt: sed è contra loquuntur de Deo quatenus præsenti confert vitæ: ergo mentem corpori subdunt, & religionem politicæ contra naturam. Præterea non præstant auxilium ad seruanda præcepta per religionem, & vnionem cum Deo, sed tantum modo instructionem, & non de omnibus.

At in Christianismo nullum vitium est non vetitum: neque quicquam iniustum quod non refertur ad finem æternæ fœlicitatis, quod natura omnis reuertens ad suam originem approbat: propterea arbitror hanc esse à Deo positam legem & Anulum hæreditatis habere. Fiunt quidem in Mahometismo, & Iudaismo sacra & purgationes delictorum, sed inani quodam modo extrinsecus, & in vi ceremoniarum id reponunt. Christianismus autem in spiritu Dei se dignificat: omniaque eius sacramenta naturæ sunt consona, & magiam cælestem sapiunt: aliorum vero humanam, aut Diabolicam, aut ridiculam, sicut alibi declarabimus contra Macchiauellistas. Conueniebat enim Deo legem dare & auxilium ad obseruanda præcepta, quod voluit per sacramenta communicari. Hoc ficto non persentiscunt, sed puro animo accedentes transhumanantur. Naturale est homini lauari à peccato, quod symbolum baptismi indicat. Nam & si non possit homo non peccasse, tamen proponens de cætero non peccare, potest Deo iubente lauari de præteritis: naturale est confirmari ad prælium & pugnas tentationum, vt fit per Chrisma. Naturale est coniungi mulieri ad propagandum & conuiuendum, vt per matrimonium. Naturale est aliquos præesse sacris & legibus, vt fit per ordinem sacerdotalem: naturale est peccanti seipsum obiurgare, & punire, & mordere sibi labium, vbi male locutus est. Sed naturalius aperire sapienti errorem suum & emendationem accipere, quod fit in confessione spontanea, quam Socrates in sua Rep. optat, & non coactam vt in tribunalibus fit, vbi etiam defenduntur, & excusantur peccata punienda contra ius & fas naturæ per oratores iniquos. Item qui vult in charitate vnire suos de eodem cibo suo illis dat, & si posset proprium carnem absque sui exitio, faceret quidem. Vnde conspirantes quidam bibunt de sanguine eodem ipsorummet conspirantium in eodem cratere: quoniam vt scimus per magiam naturalem eadem res à duobus comesta consimiliter afficiendo conciliat amicitiam, & fidelitatem: quapropter si Christus Deus

est, & potuit corpus suum tradere sacramentaliter suis vt omnes conuenirent secum in vno spiritu, videtur secundum magiam cælestem conformem naturali id fecisse: quod irrideat Auerr. quoniam ipse putat Deum manducari, & frangi, & pati, & rem glorificatam consumi: profectò Deus est vbique etiam in cibo, quem comedimus, non tamen ipse comeditur: quid mirum si in sacramento occulto modo, & mirabiliori se nobis communicat? Bonus est, amans est. Amator seipsum ante omnia dat. Hanc magiam alibi propalauimus, & miracula multa ipsam confirmarunt: & transhumanatio sanctè manducantium. Vermes & Muscæ in eo non habent Religionem: nec propterea, non adest Deus sacramentaliter, qui est vbique inter vilissima Entia absque sui vilitate; vt in secunda parte diximus. Vide lib. *Quod reminiscentur* & cætera.

Examen diuersorum cultuum, religionumque, & errores eorum & veritates panduntur.

CAP. IX. ARTICVLVS. I.

LAVS debetur cunctis bonis naturalibus, erga id ad quod sunt bona: vnde & vinum laudamus. Honor vero additur moraliter bonis, vt homini propter aliquam virtutem. Gloria post præclara gesta additur laudatis & honoratis. Pietas principiis essendi, vt genitoribus, & patriæ, à gentis exhibetur. Obseruantia additur Principibus gubernationis, & continet testificationes iam dictas, vt maius minores. Religio tandem continet laudem, honorem, pietatem, obseruantiam, gloriã, & superaddit recognitionem veræ diuinitatis per sacra, vt dictum est prius. Ergo Religio omnis bene perspecta subitò pandit suam veritatem & falsitatem sapientibus: cum sit testimonium exhibitum primo Enti. Et primò ea pessima est, quæ adorationem Deorum nobis inferiorum docet: vt qui colunt animalia, cocodrillos, serpentes, arbores, lapides, statuas, palam enim est, Deum esse meliorem homine.

Non enim colitur nisi melior à peiore. Cum autem hæc nobis sint inferiora stultè coluntur. Possunt quidem ex aliquo bono naturali laudari, non autem coli honore, cum moralibus careant virtutibus: nec obseruantia, cum nobis non principentur, doctrinaliter, aut politicè. Nec pietate, cum principia non sint nostri, multò minus Religione, quæ est testificatio addens præfatis, diuinitatis testimonium.

Contra Ægyptios, & Lybios, & Brasilienses, &c.

Secundò, peccant qui colunt pares sibi, similesque: præsertim mortuos, vt Herculem, Bachum olim: Et nunc Chinenses suos amicos faciunt Deos, nedum Tyrannos, & Magnates; & licet enim sint sapientiores aut fortiores, non tamen sunt specifica essentia meliores Decet tales laudari, & honorari, non autem, vt Deus coli. Christianismus vero colit Sanctos, sed non vt Deos, sed vt eos in quibus operatus est Deus, Virtutes, & Mirabilia. & Deum in eis. Nam honor est omnis virtutis, & artis, etiam coco conueniens ob particulam virtutis. Sed magnificatio additur vt honor maior virtutibus magnis pollenti: mirificatio verè diuinis affecto per Deum gratiis: nec plus homini dari potest, vt in Ethicis ostendimus. Hoc autem in sensu possunt Gentiles adorare viros sanctos: sed non Venerem, quam turpitudine laudant, & Iouem rapina, & lasciuia, & tyrannide: & Mercurium dolis, aliisque vitiis, nec bono ciui concedendis. Naturale quidem est colere meliores, in quo meliores, non in quo vitiosi.

Contra Græcos & Romanos.

Tertio peccant qui elementa adorauerunt, in quibus originem hominum, & secundorum Entium mirabantur. Sed quoniam homo vtitur eis ad vilia: & sunt corporeæ partes mundi per mentalis partes gubernatæ, honorem diuinum non merentur: sed laudem.

Contra Philosophos Gentiles.

Quartò qui solem & sydera & cælum: hi quidem minus peccant, quoniam immortalitatem in his mirantes quandam, & pulchritudinem, & vim effectiuam inferiorum, & mirabilem ordinem inter se, honore digna etiam putant: sed quoniam in eis defectus reperitur, & irregularitas, & corpulentia, & partialitas, non subito vt primæ causæ honorificanda sunt, sed vt statuæ diuinæ: magis autem ad reuerentiam, assistentiam mentium in illis.

Contra Tartaros, Persas, Americanos.

Alij minus peruersè totum mundum Deum esse putarunt.

Lucian. Cicero, Part. Varro.

Sed quoniam corpulentia mundi Deo non conuenit, & à corpore separata anima remanet illud demortuum, potius Deus esset mundi ipsius anima.

At quoniam finita est, nos autem intelligimus Deum immensum, & infinitum, corporis non indigum, idcirco optimi sunt qui Deum incorporeum colunt. Sed peccant qui plures Deos, quoniam infinitum non potest esse nisi vnum vt in primo probatum est.

Qui vero putant vnum esse Deum finitum ignoradt propriam vocem.

Arist.

Quomodo enim finitur nisi ab alio, vel ad aliud? qui curam gerere rerum humanarum nolunt, insipientes sunt.

Auer.

Sic etiam qui ipsum solicitari dicunt tanquam si finitus esset, corporeusque: maligni autem sunt qui Deum negligere homines & nobis non dare leges, autumant.

Contra Hor. Auer. Epicur. Ar.

Stultè autem timidi, qui etiam Dæmones colunt ne sibi malefaciant, quasi Deus non sit Dæmonum Dominus. Peruersè ergo Porphyrius Theurgiam docet qua per sacrificia Angeli boni alliciuntur ad nobis benefaciendum: & Geotiam, qua mali in mortuorum cadaueribus respondere coguntur: quis enim cogit Dæmones nisi virtute Dei? Bonum autem à malis quis expectet? si vero mala ab eis cupimus, recedimus à Deo: & non est Religio, sed superstitio exitialis: hæc de substantia religionis, &

Epicurei, Machiauellistæ.

legum & ceremonialium, quæ non valent nisi vt symbola, & signa, & excitamenta ad inuisibiles operationes. Nunc examinandæ sunt notæ veræ & falsæ.

Appendix.

IN lege Christi tutus ab errore ambulat, qui Christum non tanquam vnum ex sectariis (neque enim dicuntur Christiani à Christo, vt Platonici à Platone, sicut docet V. Synod. nisi grãmaticaliter) sed tanquam Dei virtutem, & Dei sapientiam & rationem primam, à qua per naturam dicimus rationales, & per dispensationem Christiani. Sine enim virtute Dei, neque esse, neque nasci possumus, vt probat Orig. & Iustin. & Hieronym. in 1. cap. ad Galat. Et ideo Patres habent pro Christianis omnes qui rationaliter viuunt, etiam si de Ratione incarnata nil audiuerint: imò, ait Christus, & qui non est contra nos, est pro nobis. Qui autem adorat vt Sectarium consulentem quibusdam tantum, & non omnibus, in neces. Est æquiuocè rationalis Christianusque, vt in Antachit. diximus.

Miracula non esse narrationes fabulosas, vel deceptorum hominum vel decipientium: sed verè fieri in mundo, licet aliqua sint fabulosa, & fictitia & maximè hoc patere ex testimonio Christianorum, quamuis in omne gente reperiantur.

CAP. X. ARTIC. I.

De an p. ... c. 4.

ALII putant miracula esse fabulas timidorum vel astutorum, vel deceptorum: alij esse omnibus communia à cælo, vel à Deo, vel à Natura communi, vt ait Horatius: alij ab Anima informante optimum temperamentum vt Auic. vel ab iisdem causis omnes leges autorizari: contra primos sic instamus.

Omnis propositio est vera, vel falsa: veritas & falsitas non est secundum opinionem, sed secundum rem: ergo est à testibus agnoscenda, non autem ab opinantibus: alioquin Antipodes non extant, nec æquinoctialis plaga habitatur. Testes autem fide digni non sunt omnes: neque .n. sensus nostri testificantes fideles sunt, nisi purgati, & sæpius experti, & sani, & cõtestantes idem. Testis enim passionibus obnoxius, est, sicut oculus croceus, cui omnia apparent crocea. Non diu expertus, est, sicut oculus videns prima vice remum in aqua, vbi apparet fractus, & flores aliquando in hyeme. Æger vero timore, & ignorantia & malitia, est sicut oculus lippus & auris dolens collecta sorde, & tactus febricitantis: quibus res non sapiunt prout sunt. Similiter testes varij sunt sicut sensus eandem rem videns in alio situ, & tempore, quo alter sensus vidit: ac propterea eandem rem referunt, vt diuersas. Cum ergo qui rem sciunt de visu, & non de aliorum opinione & sæpè & oculis non affectis neque animo, & possunt, & volunt illam dicere, quoniam non sunt cupidini, aut timori obnoxij, aut odio: fidem mereantur.

Testes autem qui Christi miracula viderunt, & prædicarunt, sint eiusmodi: nam de visu testantur miracula, mortem per crucem, resurrectionem, ascensionem, aduentum sancti Spiritus, & infusionem gratiarum, in quibus orbem vicerunt, non timentes mortem neque ambientes honorem: neque adulantes Christo quippè promittenti mortes, carceres, & pressuras in mundo: & cum sint multi docti, & in docti simplices: amantes veritatis, benefici generi humano, inimici vitiorum & fraudum: ergo omni fide digni sunt: Vnde ipsi profitentur se non opinari, neque fabulari: neque enim quis propter fabulam, aut opinionem eligeret mori: aiunt enim *quod vidimus testamur*, & ipse: *eritis mihi testes*: qui ergo propter opinionem contrariam, quam habent reiiciunt istorum testimonium, sunt nulla digni fide: & longè minus, quam qui dicunt Romam non extare & Cæsarem non fuisse in humanis. Præterea iidem testes miracula fecerunt in virtute illius fidei, & nunc successores eorum optimi eadem faciunt: & transhumanantur: ergo non fuerunt decepti, neque deceptores Alioquin si decepti, non facerent quod fecit præceptor eorum: neque euenissent quæ promisit signa (dicens) eos qui crediderint hæc sequentur. Si deceptores non existimarent gaudium & lucrum amissionem rei, & honoris & vitæ, & carceres, & ærumnas. Præterea adsunt contestes Iudæi & Gentiles eiusdem negotij. Stulti ergo sunt secus opinantes, quia ipsi id non vident. Oportet enim neque credere esse Ierusalem, quam nos non videmus, neque solem terra maiorem, quia aliter apparet sensui, non ratiocinanti: quod si testes fide digni de Romulo & de Virgine vestali, quæ tulit aquam in cribro defendendæ virginitatis gratia, falso insimulata, id testentur, credimus & nos illa: & tribuimus vel Dæmonibus: vel Deo, qui voluit Romulum exaltare & nouum Imperium: & illam innocentem saluare: quæ decepta inuocabat Deam falsam credens esse veram: & Deus verus affuit innocenti deceptæque. Nam etiam sæpè inuocantibus Dæmonem, respondet Deus, teste Ezech. & diuus Thomas. Agnoscit Iamblicus vera miracula, & vera vaticinia à solo Deo, sicut nos in libro præcedenti probauimus.

1. Ioan. 1.
Act. 1.
Marc. 6.

Miracula alia fieri per magiam diuinam: alia per naturalem: vel Seriam, vel Ludicram: alia per Diabolicam vtentem naturali nobis occulta. Et errare Plinium & Haly, qui à natura omnia, vel à cælo fieri putant: & Auic. & Porphyrium, qui ab intelligentiis: & Pompanatium, qui à temperie.

ARTIC. II.

QVi vero concedunt, miracula fieri vt Auic. & Plinius & Haly. sunt minus insipientes, quoniam testimonium non negant. Sed quod cælo, vel naturæ tribuunt, falluntur. Cælum enim in quantum corpus haud potest agere, sed pati: neque in quantum calidum agit aliud à calefactione, & illuminatione ad quas sequitur coloratio, emollitio, attenuatio: & dispositiones materiales: ad quas sequuntur opera mirabilia naturaliter, vt Plantarum generatio, & animalium, & lapidum, & meteorologicorum mirifico artificio, & virtute, per transmutationes prauias: quæ si causas corporeas stupidas inspicias, omnem excedunt admirationem, sicuti si Asinus volaret. Sed non dicuntur miracula, quoniam solita: miramur enim insolitum potius, quam magnum opus. Miracula autem, quæ verè sunt miracula absque materiæ præparatione, & applicatione actiuorum, & passiuorum artificiosa, solo iussu, & simplici verbo fiunt: & sæpè etiam sine his. Sic Petrus vmbra sanat infirmos, & voce suscitat mortuos: & contactu Helisæus. Si vero cælum agat miracula in virtute Angelorum, vt ait Auic. Tunc nos concedimus, sed virtute Dei, quoniam nulla creatura particularis potestatis potest immutare creaturas sibi non coniunctas, vt animæ proprium corpus: quod ipsa regat sola voluntate & affectione absque operatione exteriori. Nec ea quæ non regit absque applicatione actiuorum & passiuorum secundum naturā solo iussu, nisi omnipotens Deus, vt diximus loquentes de Angelis. potest quidem imaginatio in nos quoniam anima affecta afficit corpus: sed non extra nos, nisi quatenus afficit aërem sensitiuum, & imaginatiuum, & sibi proximum. & sicut calor non potest frigefacere, quoniam eius natura est determinata solum ad calefacet, sic nec Angelus potest nisi quod est Angeli, non enim eius natura est omnis natura, sicut Deus vt possit omnia: sed hoc tantum quod suum ingenium fert. Quare Angeli approximati mirifica faciunt non iussu vt Deus sed mouendo actiua passiuaque Entia, & miscendo, vnde prodit opus mirificum, sed non verum miraculum, nisi vbi operantur virtute principalis agentis supernaturaliter: qui etiam vtitur natura interdum nobis occulta, vt cum felle piscis sanat Thobiam: licet ipse conferat quid supernaturale.

Plinius autem tribuens eadem naturæ, putat magiam ex triplici scientia conflari, ex religione, ex Physica, & Astrologia: videmus enim, quod applicando actiua passiuis per Physicam, sub cōstellatione fauente illi effectui per Astrologiam, & cum fide per religionem indita, miraculosa fieri opera. Vnde Auic. *Confidentia* ait, *de bono medico sanat ægrotum*: & quos sanabat I E S V S, dicebat eis: *fides tua te saluum fecit*: hoc est vehemens credula affectio: & Galenus putat Esculapij Sacerdotes plures sanare solitos ægrotantes quam alij per Medicinam, propter credulitatem ægrorum: & quidem imaginantes infirmari, infirmantur. Equidem hanc sententiam ipse probaui in 4. lib. de sensu rerum, sed quoad miracula naturalia. Videmus enim à cælo consensiones lapidum & herbarum: & quod vires syderum, quibus ista subduntur, possumus nobis conciliare: quis enim heliotropia vtens, non fiat solaris? & Agricultura & nauigatoria, & Medicina indicant congressus syderum & Cardinalium punctorum occursum, vtiliter, & necessario, obseruandos esse. Nonne pulegium & ficcum floret in momento, quo Sol intrat in capricornum: & carduus cum in cancrum? Vide 6. & 7. Astrol. Vidimus quoque Physicas virtutes miras quoniam aliæ herbæ, & minerales venenāt hominem, aliæ stupore & frenesi agunt. Aliæ hilaritate afficiunt: frigefaciunt, exsiccant, humectant, inebriant, afficiunt somno, venere, torpore, dolore, sanitāte, ob causas ibi à nobis enarratas. Sic etiam possunt amorem conciliare, vt columbi duo amore iuncti, duobus sæpè exhibiti: & cor canis rixantis cum cato, in medio rixæ exceptum, & datum illi amico, & cati cor alteri amico, vim habent odium inserendi, si præsertim fiat hoc cum Afeta alterius, est in diametro, vel quadrato Afetæ alterius. Verba quoque vim magicam habent quoniam spiritum mouent ad iram, ad mansuetudinem, ad odium, ad spem. Sæpè vox vna exercitum animat, & facit victorem: & alium exanimat, victumque. Consuetudo magiam habet, vnde Scythæ seruos rebelles, quos armis domare non potuerunt, flagellorum ostentatione, quibus vinci consueuerant, domuerunt.

Consuetudo seruiendi Tyrannis facit eos amabiles, vt diximus: imò & Draconem apud Daniel, & Orcum apud Ariost. Prospectiua Magiam habet ad oculos præstigiis captandos. Musica ad aures. Quin & infirmitates sanat: & inducit iram sonus asper: mollis, libidinem: pietatem, placidus: magis autem vbi est significatiuus per vocem: vt spiritus non solum motu, sed significato afficiatur. Quantam autem vim habeat imaginatio, pecudes Iacob admonent, quæ coeuntes in aspectu virgarum albarum, ex quibus aqua eas refocillans gratissima excurrebat, fœtus albos parturiebant: in nirum vero, nigros: & mulieres appetentes & imaginantes fœtum cum nota rei appetitæ edunt. Et homo sanus, cui à pluribus dictum est per ludum. Tu es æger pallidus semiuiuus: credidit, infirmatus est, & mortuus, & hoc quotidie experimur. Quapropter miracula naturalia, triplici scientia conficiuntur. Verumtamen Plinius in hoc errauit: quod putat omnia miracula, etiam Moysis in Ægypto, & Pauli Apostoli, quando in Cypro excæcauit Elimam Magum, fieri naturaliter, & religionem esse scientiam naturalem: cum manifestum sit diuinitus datam esse hominibus, & ipsam solam per se absque syderum obseruatione & Physicarum

Arist. nat. lib. 27.

rum rerum adhibitione posse miracula facere. Quapropter quoniam ad Magiam spectant miracula, triplicem distinximus, diuinam, naturalem, & diabolicam. Diuina non adhibet Physicas res, neque constellationes obseruat. Quoniam Deus super hæc omnia extat, fidem vero requirit. Quatenus vult reddere aptum hominem ad suscipiendam gratiam miraculosam fructuosè: alioquin constat facta fuisse miracula ad conuincendos incredulos. Vt cum Elisæus sanat Naaman, & Moyses percutit Ægyptios 10. plagis: & Ælisæus Damascenos cæcitate Neque semper requiritur fides in operante miracula, vt putat Auic. ex eius imaginationib. o.iri. Nam Asina Balaam loquitur incredulo ipsa expers fidei, & in pariete cubiculi apparet manus scribens exitium Regis Balthazar in Babylone. Deus ergo facit miracula sine his requisitis. Magia diabolica vtitur naturalibus, sicut Magia naturalis: sed quoniam nobis est ignota, videtur mirabilis. Vtitur ergo naturalis illis tribus requisitis, vt dicebamus cum Plinio. Quapropter requiritur pręparatio materiæ, & locus, & tempus aptus. Et secundum hanc Apollonius Tyaneus, teste Iustino Martyre, multa mirabilia fecit. Sicut si inuentor archibugiorum non propalasset, sed solus vsus fuisset, fecisset miraculum naturale, quale & Salmoneus apud Virgilium affectauit facere. Sic Dedalus volans artificiatis alis: sic afficiens peste ciuitatem, inficiendo aquas, & qui tympano lupino exterrent pecudes, & qui magnetis motione in visa sub tabula moueri ferri laminaturam visam super tabulam faceret: & qui per prospectiuam pendulam in aëre imaginem videri faciunt, & qui aperta scatula ignem accendi faciunt.

Et hæc ars diuiditur in seriam & ludicram. Seria vtuntur Philosophi ad medicinas corporis, & spiritus, & ad affectiones, & passiones inferendas, & aëris, & aquarum mutationem, & trāslationem, & metallorum transmutationem. Et dum occulta est ars, vocatur Magia: eiusque potentes Magi, & Magistri, ludicra est, qua circulatores vtuntur. Facientes videri aleas moueri, quas pilo ceræ iuncto attrahunt sub luce languida, vel à longè siti: & clauum plumbeum sub palpebra absconditum fingunt de ore ad oculum transmittere per similem clauum ponentes in ore: & carnes assatas vermibus scatere faciunt, chordas cytharæ ex intestinis confectas, in minutias sectas iniiciendo, quæ à calore carnis & succo agitantur, & torquentur, vt vermes, & sanguinem in puluerem ex siccatione, & contusione, actum, inspandentes easdem scatere sanguine viuo faciunt: liquefacto nimirum puluere sanguineo in succo assatæ carnis: & similia quæ in 4. de sen rerum docuimus. Quapropter semper materiæ præparatio requiritur.

Magia autem Diabolica est ipsa naturalis, nobis occulta, qua vtuntur Dæmones. Idcirco fidem à nobis requirentes ad idololatrādum, & obseruationes stellarum, quoniam in illo tempore, & affectu, res fieri apta est. Hac vsos fuisse Augustinus putat magos, qui cum Moyse in Ægypto certarunt, vt Plin us & Numenius Platonicus testātur: & quidem facilè est Diabolis, virgam in colubrum vertere, vt videtur Augustino; quandoquidem natura subito ex gutta pluuiæ producit ranam: & in aëre ex fuliginibus fulmen ferreum & lapideum: potest & Serpens alius apparuisse, subtracta virga, vel sub terram immersa, & Serpente emerso simul, vt Iustinus opinatur. Multa sunt stratagemata hominum & vis naturæ magna: qui copulat ista simul, facit mirabilia immutando obiectum, aut medium, aut facultatem visiuam: idem enim accidit & singulis. Sed nunquam faciet Diabolus in certamen miraculorum vocatus, vt mortuus resurgat, nisi qui mortuus ab Epilepsia videbatur: quem Asclepiades Romæ suscitauit, delatum ad tumulum, admirante Plinio, & putante miraculum: quod tamen naturale fuit in fine passionis. Et Scotus enim vt aiunt sepultus est viuus ab insciis eius morbi, & deinde exclamauit de sepulchro. Sic & ille, quem Abenragel putat à stellis resuscitatum. Sed neque videas quatriduanum nos suscitari mortuos, neque febres abigi, & Dæmones & de iria: & claudos solidari, & mutos loqui ad præceptum hominis, absque Dei virtute. Nonne Iosue stare fecit solem ipsum? & Isaias regredi x. lineis, quod non sacræ literæ modo, sed & Chaldæi annotarunt? Quapropter & si Moyses doctus fuerit in magia naturali, tamen vicit magos per diuinam, quod & ipsi confessi sunt: & Petrus volantem Simonem in terram elisit vt Sueton. nedum nostrates testantur: & Paulus Elimam obcæcauit in verbo Dei, non præparando materiam, & tempus, & locum. Sed profecto sicut dantur Philosophi, ita & Sophistæ: & vt sancti ita hypocritæ: sic, vt magia vera, ita falsa.

Porphyrius vero concedit fieri non à sola natura miracula, sed ab Angelis & Dæmonibus. Sed quia non probat fieri absque viribus naturæ, nihil est quod immoremur ad eius reprobationem. Sed miraculum Mahometis, quo dicit se refecisse lunam propterea que maculas fracturæ habere, habet stultitiam in se. scimus enim testimonio Philosophorum, ante Mahometem Lunam habere maculas, quæ in ea apparent. Testes autem nullos habet oculatos, cum dicit lupos sibi locutos esse, & testam oui solus dicit, & nemo contestatur, & sunt miracula inutilia, fallacia. Non enim verbo, aut vmbra curationes præstitit aut suscitauit defunctos, vel montes transtulit. Vide quæ fecit Thaumaturgus in virtute Christi, & Helias in Iehoua, quæ natura & Dæmon præstare nulla possunt ratione. præparatio materiæ, inutilitas miraculi, & testimonium in cæteris fallax, ostendunt eius falsitatem, vel non esse miraculum supra naturæ vires.

Pomponatius Peripateticus stultissimè tribuit temperamento miracula. Non enim humorum æqualitas vim reuocandi animas defunctorum in Christo habere posuit, vt putat, sicut Pyrrhi pollex pedis lienosos sanat: & Marsis Serpentes non nocebant. Potest quidem temperies resistere læsioni, aut facere Physico tactu bonum, & malum Physicum: non autem præcepto moralem effectum, aut Physicum, & supernaturalem: nec virtutem indiuidualem communicare, sicut Christus Apostolis faciendi miracula: & si temperamento vt remoto à contrariis hoc det Auic. potius elemento puro & strenuo, quam contaminato aliorum contrarietate, ac debilitato, virtus hæc deberetur. Quare stulti sunt, qui saxa mouisse Orpheum cythara ex cælesti temperie putant: cum saxa non moueat eius exilis motus: nec significatio, quam non percipiunt. mouetur quidem spiritus animalis & percipit signum humanum, non autem saxum, & Planta: magnes ferrum trahit solum non autem lignum: & alteratione, non præcepto. Christus vero solo præcepto clementis, & elementatis, & morbis & Diabolis motum, & transmu-

tationem dat, quamuis sopitis, stupefactique consistent corporeitate primalitatibus. Item temperies naturalis est, non ergo gignit monstruosos affectus, qui potius in temperiei monstrosæ, & extrauaganti tribuendi videntur, vt in 4. lib. de Sensu rerum.

Auic. etiam valdè errat, dum perfecto temperamento, à contrariis semoto, vim attrahendi animam bonam ab intelligentiis: quæ deinde miracula faciat, quoniam, ait, omnia corpora sunt inferioris ordinis ad Animum, ergo iussu & imaginoso affectu ab ipsa miraculose mutari, docet. Esto enim quod Deus vel Colcodea temperato corpori increet animam: haud tamen illa anima potest imperiosè in omnia corpora: imo nec omnia potest in suum: non enim abigit febrem, nec sanat vulnera, & cæcitatem, etiam si sit Anima Prophetæ, vt Iacobi & Tobiæ, nisi Deus speciali fauore miraculum faciat. Nec corpora alienamutet. & argum. de fascino, nullum est. Nam spiritus & vapores fætidos emittendo, vt patet de Viterbiensi apud Vidã, hoc facit, vt & mulieres menstruatæ speculum inficiunt, non autem imperio. Item istæ virtutes indiuiduales sunt ad certos affectus, & incommunicabiles, vt virtus Psyllorum & Pyrrhi. At virtus Christi communis ad ventos & mare, & ad mortuos, & ad Dæmones, & ad corporea, & incorporea extendebatur, & communicata est Apostolis eadem facturis imperiosè: ergo nõ erat naturalis, vt magnetica, nec animastica, vt Ducis in milites: sed diuina, cui tota natura ad nutũ paret. Nec Vespasianus miracula apud C. Tac. expressa fecit, nec vestalis, sine Deo, si mira Diaboli non fuerunt, vt dictum est hic, & in 4. de Sensu rerum.

Prophetiam aliam esse diuinam, aliam naturalem, aliam diabolicam, vel Angelicam, & quo pacto ab his fiant, & in his causis, contra Arist. & Gal. qui atrabili; & Astrologos qui cælo: & Auic. qui excellentiæ mentis in bonã temperato corpore degentis; & hæreticos, qui casui eas tribuunt omnes. Item de subdiuisione earum.

CAP. XVI. ARTIC. I.

ERRIDENT alij Prophetiam tanquam rem stultam atræbilis passionem casu quodam futura prædicentem. Sic videtur Arist. sybillæ, & Prophetæ locuti in prob. sec. 30. & Bapt. Monopolitanus sanctis Brigidæ, & Catharinæ insaniam impingit atræbilis: non Dei illustrationem. Alij dicunt quidquid prædicimus, aliquando futurum esse, quoniam nihil est quod non accidat in mundo simile præteritis euentibus. Quapropter, *loquere & Prophetabis*, dicebat quidam hereliarcha. Nam verba tua alicui futuro euentui adaptari semper poterunt. Alij dicunt Prophetiam esse à sydere Mercurij in domo Saturni illustrato Veneris radiis: & præsertim Luna consentiente, ac probè affecta, vt videtur dicere Ptolomeus, & Astrologi. Alij putant in herbis esse vim prophetandi, teste Dioscoride. Alij in flatu astrorum, vt Plutarchus de Colophonio. Alij Prophetiam omnem diuino numine præeunte ortam, vt oracula Delfica & Colophonia, & Sybillina admonent. Ita Iamblicus: & ita videtur Plato in sympofio & in Mennone, ac Ioue docere. Ad calcho deam, & intellectum agentem confugit Auicen. Anax. & Alexander.

Montanus.

Nos autem experti sumus aliam esse Prophetiam diuinam, aliam naturalem, & aliam artificialem, aliam Diabolicam.

Diuinitus Prophetantes coniunguntur Deo mentis eleuatione, qui cum sit autor futurorum & absentium, eis præmonstrat absentia & futura ad vtilitatem videntium, & eorum quibus per illos reuelantur. Dignoscitur autem hæc à cæteris, quoniam nulla arte, aut præparatione naturali facta prædicunt futura nominatim, & hi intelligunt, quæ dicunt, ac meminerunt dictorum: sicut qui prædixit exitium Idolorum Samariæ per Iosiam, nondum natum de stirpe Dauid: & Isaias, qui de liberatione Populi per Cyrum facienda, & templi reædificatione, longè antequam captiuaretur, & destrueretur, prophetauit, & horum Prophetia miraculis sæpè probatur. Vnde vir Dei in signum quod missus esset à Deo, præcipit, altare scindi: & scissum est: & manus Regis extensa contra eum statim aruit, & ad preces eius sanatur: & sanitas promissa Ezechiæ in miraculo solis regressi decem lineis affuit: & euentu semper perficitur, nisi sit solummodo comminatoria, & conditionalis, vt Ionæ ad Niniuem. Ergo stultè dixit hæreticus, *loquere & Prophetabis*: & hæc non præuidetur in causis secundis, sed in solo Deo: vel per Angelum à Deo: & sic sybillæ prædixerunt de aduentu Christi tam clarè; vt Cicero, Plato, & Socrates aduentum Monarchæ instauratoris cultus diuini, & mundi, longè antè præstolati sint: & cum hæc in secundis causis naturaliter non reperiantur, vt effectus, quoniam excedunt ordinem naturalem, consequens est, vt diuina reuelatione tantum præsciri queant: neque enim tam aperte in causis sunt. Nam in instrumentalibus effectus vix latent: sed solum in principalibus.

3. Reg. 13.

Isaia. 4

Plato in Dial. de Voto. Cicer. de Diuin.

Idcirco Prophetæ munus triplex scilicet subdere se Deo per ieiunia & orationes, à quo concipere queat influxum. Item, accipere reuelationem, siue per sensum exteriorem, siue per imaginariam visionem, siue per intellectualem: & tandem populo eas promulgante: & si opus est miraculis comprobare: vt & Auic. testatur.

Prophetia vero naturalis est, cum quis à syderibus est ita affectus, & spiritus habet tenues facilè possibiles ab aëre, proptereaque dum aliquis in aëre effectus præparatur, communicatur illi: sicut enim aër aërem afficit, sic & spiritum nostrum aëreum, cui Mens insidet. Vnde Melancholici, non quia Melancholia diuinat, vt falso Arist. putat, cum Melancholia nõ sit nisi fæx vsti sanguis: sed quia spiritus eorũ

tenuissimus est, facilè patiuntur: propereaque amant quietem & solitudinem, quoniam quacunque re læduntur: idcirco motiones aëris latentes etiam, ipsis imprimuntur. Facilius enim afficitur tenuis res, quam crassa. Et quia aër sentit, non modo vt mouens, sed vt consentiens, afficit spiritum: qui proinde futuros effectus in illis motionibus ex mouentibus præuidet, & nescit vnde: & cùm attenuatur incalescens afficitur magis, & sentit in aëre affecto ex naturali præparatione, vel à Dæmone, vel ab Angelo, & prædicit futura, & absentia, sed mox spiritus ille tenuis elabitur, & non communicat passiones aggenerato ex sanguine spiritui: propterea non meminerunt post decantatum Oraculum. Et hi quiquem opus habent dispositione aëris tenuis qualis exibat ex spelunca Colofonia, vel imaginationis fatigatione, vt cum fortiter de Oraculis imaginantur. Tunc enim pati aptiores sunt, sicut qui imaginatur ægritudinem, ægrotat. Et quamuis Helisæus cum spiritus eius negotiis distractus, non posset reuelationes diuinas accipere, iussit pulsari Cytharam, quo spiritus sedaretur ab ira, & alienaretur à negotiis, & colligeretur ad illecebras Cytharæ, & attenuaretur, & purgaretur, ac proinde aptus fieret ad reuelationes. Nihilominus post Prophetiam recordabatur, & nutu Dei se prophetare per miracula ostendit. Ergo quando Prophetia incipit à mente, cui illabitur Deus, requiritur purgatio spiritus, & attenuatio, & attentio, vt illi subseruiat, quoniam per illum ad nos reuelatur. Neque anima mouet linguam, nisi per spiritum. Vnde Augustinus diuidit Prophetiam diuinam, vt alia sit corporea, quando reuelatio fit ab extra patentibus oculis, vt cum Daniel videt Angelos sibi loquentes: alia sit spiritalis, quā vocant imaginariam: quæ fit in spiritu immittendo nouas apparētias aut præteritas ordinando instar Typographi ad repræsentāda futura. Quæ apparentiæ in spiritu imaginante fiunt, vt dicit Augustinus. Propereaque Amos Rusticus loquitur de futuris sub vocabulis & similitudinibus rusticis de vncino, plaustro, trulla cæmentarij. Isaias nobilis videt templum, fumum, solium, Cherubim, & similia. Quoniam motiones seu species in spiritu seruatæ ordinantur ad Prophetiam: sicut qui ex his literis transpositis alium sensum eliceret, & significationem aliam.

Tertia est mentalis, quoniam incipit à mente, & non à spiritu, & non per imaginantem vim, sed intelligentem percepta, cui Deus illabitur. & hæc est diuinissima, & fit ea ratione, qua loquuti sumus de Bernardi illustrationib. & nunquā naturalis diuinatio à mente incipit: quoniam res naturales in illam non possunt: possunt autem in spiritum: & sic declarauimus effectus qui à cœlo fiunt, & ab aëre, & in aëre consilia & principia rerum posse Melancholicis communicari: & præuideri occulto potius syllogismo, quam reuelatione, & effectus in causis. A Prophetis vero diuinis, non vt effectus in causis, sed à significatoribus Angelis & à Deo præmonstrantur.

Quod ergo dicit Ptolomæus, est verum dispositiue quoad mentem: quoad spiritum vero, causaliter. Nam & mens tenui obuoluta spiritu, melius præsagit, quam in crasso. Vnde ieiunia & continentia conueniunt Prophetis ad spiritum attenuandum, qui deseruiat menti in supernaturalibus, & afficiatur à naturalibus.

In somnis autem feriatus ab externis negotiis, facilius subeuntis aëris percipit passiones, & præuidet ex eis, vt scripsimus in libro de Sensu rerum.

Similiter affecti re aliqua, illam facilius persentiscunt, vt erniosus temporis mutationem, & aues affectus aëris. Vnde & Prophetia naturali pollent, vt dictum est.

Prophetia vero Diabolica, & Angelica, quando non à Deo suscipiunt, pari modo est naturalis: quoniam ipsi in causis res præuident, sicut in atroci morbo Medicus mortem: & eas nobis reuelant: sed quoniam futura in causis impedibilibus sunt eis dubia: quoniam non sunt ipsi causæ rerum: nec causa causarum, vt Deus: propterea dubia dant Oracula, licet interdum vt fallant. Et quidem diu inquisiui de Oraculis Delphicis, & statuarum loquentium: & tandem alterius nouo experimento didici inclusum Dæmonem ea dare. Et ratio astipulatur. Nulla enim natura, aut sydus potest rationalem vim & loquacem infundere statuis, quæ de futuris prædicet tam versute. Facit homo animalia per transmutationes naturales, sed non rationalia, neque in lapide & ære, sed in calido & humido & solido simul. vt Paracelsus experitur & in 4. de sensu rerum examinauimus. At quoniam Dæmones & Angeli sapientissimi sunt in naturalibus, possunt longè ante, & multo certius, quam nos, præuidere effectus in causis. Vnde nauta de tempestatibus, Medicus de infirmitatibus, Astrologus de constitutionibus cæli, non ita doctè prædicunt, vt possint eorum discipuli saltem haberi: sed sicut non faciunt miracula, nisi vtendo naturalibus, sic neque prophetant, nisi ex causis naturalibus.

Prophetia tandem artificialis est multiplex, alia Astrologica, alia Politica, alia per sortes, alia per sacrificia, & elementorum motiones à nobis factas, aut per puncta iactatā fortuito, similiaque considerata, & per interpretationem, sicut somniorum, & spectrorum.

Diuinationem ex causis, & ab effectibus, & à signo, quod sit effectus causę, vel conditio, vel pars, vel sui consimilis, esse syllogisticam, & naturalem: aliam certam, aliam coniecturalem. A signo vero, posito à nobis, & non à natura, esse sępè vanam: quoniam non potest, nisi à Deo, vel Angelis, vel Dęmonibus haberi; qui signa vt signa, soli percipiunt & dant: & cur. & subdiuisio harum, & examen additur, vt congruit singulis scientiis.

ARTICVLVS II.

Omnis Ars speculatiua procedit vel à causa, vel ab effectu, vel à signo: & hoc tripliciter dato, vel à Deo, vel à Natura, vel ab hominis voluntate: & sola Scientia à signo posito ab homine est filia Curiositatis, & per se deceptiua: quæ v. ab causa vel effectu vel à signo posito à natura sunt filiæ studiositatis, & per accidens solū deceptiuæ.

EX his aliæ procedunt ab inspectione causarum primarum vt Astrologus ex coniunctione solis & Lunæ in signo aqueo, respiciente Saturno, prędicit pluuiam, vel mutationem aliam in aëre: aliæ vero propinquarum, vt Physicus ex nebularum albarum copia post Austrinam constitutionem, superueniente Boreali, iudicat niuis concretionem instare: & Medicus ex morbi dominio super virtutem natiuam iudicat instare mortem. Aliæ ab effectu, vt Medicus ex coctione vrinæ vires naturæ coquentis validas & superaturas morbum prognosticatur. Aliæ vero procedunt à signo: quædam naturali, quædam artificiali: ex naturali chiromanticus, & inspector linearum in fronte, & macularum in vnguibus, & pruritu auris, & oculi, & ex garritu auium Auruspex: & exinde Physicus. Ex artificiali vero vt Geomantia ex punctis, iactatis casu, elicit figuras: ex quibus de quæsitis diuinationem deducit. Similiter ex extis animalium occisorum, & ex motionibus & luce ignis ad hoc accensi, & ex nubeculis, & motibus aëris, & figuris cereis casu stillatis in aqua: & ex aliis multis, ab homine positis signis, Antiqui diuinabant. Adde inuocationes spirituum bonorum, & malorum, quadam arte factas, & vocibus, & simul adiurationes, sacrificia, precationes: quæ responsum reportabant in voce, vel in alio signo: & hæc omnia examinanda sunt, ne quid desit Metaphysicæ sapientiæ.

Quæcunque scientiæ procedunt per causas naturales, siue proximas, siue remotas, sunt pars sapientiæ, & religionis naturalis ancillæ & asseclæ. Nec falluntur, nisi quando accipiunt non causas pro causis, vt si quis putaret quamcumque Eclypsim indicare malum hominibus affuturum: vel extenderet causam ad effectum, quem non potest, vt si tertianam febrem simplicem putat afferre mortem, quæ tantum afflictionem vsque ad septimum fortè portendit: oportet ergo inspicere causationem, & vires, & causas peculiares, & communes, & impedimentorum vim: & deinde prognosticari.

Quæ vero procedunt à signo, vel sunt à signo posito solum à nobis ad significandum, vt caracteres, & puncta: vel à signo accepto, quantenus est effectus, vel conditio causæ, cuius effectum prænoscimus, aut pars. Sic procedit Physionomia: veluti Melancholicus humor est signum spiritus acuti apti ad diuinandum. Nam est effectus caloris adurentis, & nigrefacientis sanguinem, & spiritus tenues educentis: & caro mollis signum sensus facilis.

Similiter spontanea lassitudo est signum infirmitatis, quia est effectus causæ inferentis infirmitatem: & labia demissa, & vngues violaceæ sunt signum mortis, quia sunt effectus animæ discedentis à partibus extremis. Somniare læta somnia est signum salutis, quoniam spiritus lucidus, & multus speciebus lętis afficitur.

Aliquando hoc signum est effectus non causæ, à qua effectum speramus, aut timemus, sed causæ consimilis aliqua ex decem consimilitudinibus, dictis in 1.p. & plerumque ex hoc signo procedit diuinatio Physica, licet & priori vtatur. Sic Cato prophetauit quod Cæsar Reip. dominatum appeteret, & quod Marij spiritu esset afflatus, & rebus altis inhiaret: & sicut Rex Babylonis accersitus ab Hebræis discordantibus deuorauit vtrosque. Sic Rex Turcarum à Christicolis discordibus accersitus deuorabit vtrosque. Et sicut Numa Philosophus ad regimen euectus, sanctè gubernauit, ita si Philosophum nunc eligamus, sanctè gubernabit.

Hæc diuinatio à signo, quod est pars causæ, vel effectus eius, aut suæ consimilis, profectò coniecturalis, & plerumque certa, non tamen semper: & nulli non licet per coniecturam ita diuinare. Vnde ex bouis naribus captantibus aërem, & volatu hirundinis circa lacus, & coruorum crocitatione multa, qui sunt effectus præparationis pluuiarum, prophetamus de pluuia; Sed plerumque non semper: & Medicina & agricultura, & nauigatoria tales habent diuinationes: & quæ etiam à causis capiuntur.

At vtrum ex Bubonis cantu liceat nobis alicuius mortē diuinare, obscurum est. Nam si causę elementares mortem afferentes, afficiunt bubonem & cornicem ea passione vel simili, vtique licet diuinare ex eis, sicuti ex vulturum aduentu in exercitum, cædem multam quidam prædicunt: quoniam ad cadauera hæc animalia currunt: & causæ cælestes & aëreæ afficiunt eas, sicuti res morituras; & sicut vapor & aëris affectio causa pluuiæ afficit coruum ad crocitandum, & Muscas ad pungendum, & mixium lucernæ ad crassitiem: sed quoniam hoc ignotum est nobis: & sæpè à Dæmonibus possunt impelli ad vlulatum, talis diuinatio ad superstitionem vergit: & suspicione non caret. Romani vsi sunt pullorum tripudio ad omen bonum in bello, & tamen si quando illud pullarius falso nunciasset, omen bonum erat duci, pullario malum, teste Liuio. Similiter quæ augures ex volatu & garritu prædicebant.

Quapropter non videntur signa posita à natura, sed ab arte: cū enim mors & euentus bellorū & pacis & salutis, sint à causis intellectualibus effectiuè, & à naturalibus dispositiuè tantū, & instrumetaliter, profectò eatū prępatationibus nō afficiuntur aues,

ficut præparationibus tempestatum; idcirco eorum signis vtendum non est, quoniam possunt à Dæmone excitari ad quosdam actus eiusmodi, vel ab Angelis. & licet præsciant futura dæmones, non tamen nisi ex causis, quas falli contingit, si causæ sunt contingenter impedibiles. Potest dæmon in exercitu altero prouidentiam, audaciam, & robur, notare; in altero verò timorem, imperitiam, aliosque defectus; & hinc cladem, illinc victoriam prædicere: & aues ad tales prædictiones vrgere. Quapropter infimum locum habent artes, quæ procedunt à signis, positis à nobis: penultimum verò, quę à signis à Natura, vt signis non vt effectibus præparationis.

Homo quidem potest sibi signum idem, vt bonum accipere, & vt malum. vt si egrediens è domo mulierem pulchram primo videat, fœlix omen capit de eo quod proposuit agere. Alius verò ex fæminæ cuiuscunque occursu malum omen capit. Alius ex canis occursu bonum omen, alij malum sibi præfingunt. & quidem plerumque ita accidit. Est ne præstanda fides huic diuinationi? minimè quidem. quoniam tale signum à se ponitur, non à natura. Causa ergo offerens illud signum, vel auferens non est natura, sed alia causa, intelligens rationem signi, & significationis. In rerum enim Natura sunt corpora, quæ pati, & quæ agere apta sunt, id est calefacere, & frigefacere. Vnde accidit eis generare hominem, & lapidem & lignum, dum moderantur à causis artificibus superioribus, vt probatũ est. Neque à Cælo, neque à formis rerum corporeis euentuum per accidens signa nobis conferuntur, quoniam omnis forma per se sui tantum conseruationem intendit.

Quapropter & si offertur mulier, aut auis, quos pro signo nobis præscripsimus, nihil tamen eorum anima de significatione erga nos cogitat, & multo minus signa inanimata. Quapropter oportet quod obuiam fiant nobis instinctu causæ, intelligentis significationem erga nos, & præbentis occasionem illis vt nobis occurrant. Ergo imperitè ille Iudæus Ionathas in exercitu Regis gentilis militans, cum alij caperent omen malum ab aue volante à dextris, & triste clamante, occidit auem, dicens: quomodo præscire potest auis nostram mortem, quæ suam non præsciuit? namque illa auis non à se, vt significaret mouebatur ad carmen, sed à dęmone, vel Angelo, vel Cælo. & ipse erat sicut Epistola, quæ nescit legere se ipsam. sed multo stultiores sunt quidam Americani, qui putant aues tanquam de industria cognoscentes, quod nos ab eis oraculum petimus, respondere garritu, & volatu. Concurrit quidem Cælum, & calor & frigus, & passiones illatæ tanquam signa aliunde posita, sed secundum se non significantia. sicut si plures homines ambulantes dicerent, qui primus inuenerit herbam, quæ vocatur centaurea, ille sit princeps inter nos; Tunc herba illa facit Principem, vti signum non positum à natura, sed ab arte. At quod obuiet magis huic, quam illi, est fortuna huius, quæ impulit huc ad talem campi partem, & aspectum eius eò detorsit. Fortuna autem est bonus euentus, qui est à Cælo dispositiuè, & à causis Naturalibus, ab Angelis suggestiuè à Deo motiuè effectiuè. Dicitur enim fortunatus à Cælo, qui tales habet dispositiones caloris, & sanguinis & humorum quæ mouent eum potius sic, quam aliter: & robur vt possit exequi sic vt qui iacit talos tanta vi, & modo & ordine in talem situm, qualiter & quomodo humor & calor disponunt spiritum ad motum. aliter enim agit atrabiliosus, aliter sanguineus, & inter sanguineos alius aliter, & idem aliter in alio loco, tempore, situ, & sui affectione alia. Ego autem in lucris, & negotiis ita sum affectus, vt semper ad contrarium eligendum dirigar. Si vestior duplicibus, statim æstuat aër; simplicibus, pluit. Nec quippiam ir consulto facio, quin sequatur euentus penalis: prouidente sic Deo, ad ingenium exercendum; & ne dono eius spreto, operemur. Ab Angelis verò habet fortunationem, quia illuminat mentem eius, & suggerunt motiones in phantasia, vt ita moueat, & sciat operari. & fodiat sepulchrum in Terra, vbi latet Thesaurus, & non alibi. A Deo verò habet, vt vt ita possit, sciat & velit, & non aliter, quoniam Deus mouet solus voluntatem, & primalitates à priori regit. Angelus autem ab æquali: Cælum à posteriori. Dispositio Cæli potest falli, & fortuita fieri: & Angeli persuasio imitari. Sed non Dei motio, quoniam causæ particulares incurrunt casum respectu effectus, non autem vniuersalis, vt dictum est in 2. p. omnes enim fati sub catena, ab Dei voluntate ordinati, continentur causæ.

Flau. Iose. Antiq. l. 2.

Quapropter diuinare per signa posita à nobis, non contingit nisi à causis intellectualibus instigentur. quotiescunque ergo homo hæc signa, & sortes sibi proponit, is cum anima mundi, & Angelis, vel cum diabolis commercium init. Nam signum in ratione signi ab his tractatur, non autem à naturalibus causis. Propterea D. August. concedit diuinationes per sortes, quando expectatur à Deo exitus, de quo dubitamus, & non tentatur Deus; sed quia dubij sumus, & preces ad Deum præmittimus. quando verò ab aliis causis, vel quomodocunque quæritur, superstitio est. idcirco Leo Papa omnes sortes, & diuinationes per signa posita à nobis, execratur, quoniam contingit dæmones immisceri quodam pacto tacitè inito. Cum enim Deus non respondeat ad vanas, & temerarias interrogationes hominum, nos quærendo signa in variis expectationibus, necessario à dæmonibus vanissimis quodam modo tacito illa petimus. *Deus enim* ait Salomon, *aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu* Et sunt hæc signa, tanquam cifræ inter nos, & illos & licet homo non intendat ab eis significatum accipere, tamen cum sit res vana, nonnisi ab eis expectãdam esse intelligere debebamus. Ionathas Saulis filius à Deo quæsiuit omen ex verbis Philistinorum: qui fuerunt tanquam signum instinctu Dei loquentes; *veni huc*. Tunc iuit, & vicit. sed hominibus vulgaribus hæc non sunt concedenda, nisi cui Deus dedit talem cifram inter se & illum.

Sap. 1.

Quapropter Aurufpicina, Geomãtia, Hydromãtia, Neromantia, Pyromantia, & similes artes. quæ in signis à nobis positis, fundantur, ad superstitionẽ spectant. vt patuit ex dictis. Neque enim vt dicunt Geomantes, Cælum mouet manum nostram ad puncta tot punctuanda paria, & imparia, nisi sicut causa mouens, non autem vt signa conficiens, neq; enim Cælum, vt corpus illa signa intelligit: neque Angelus dirigit: qui fortè mouet Cælum: alioquin omnis motus esset ab eo modificatus, & nullus à diabolo, nec ab homine: homo ergo casu sine numero iactans puncta à causa inuisibili modificatur ad certum numerum sibi ignotum. Et quia scimus Angelos ludicris & vanis non fauere; consequens est, vt dæmonibus talis modificatio adscribatur, vt

plurimum, nisi vbi Deus dispensatiuè concurrit. Item Numa Pompil. per hydromantiam leges & Regnum, teste Augustino, gubernabat; nec sine superstitione. Liquefactum enim plumbum, aut cera in aquam deiecta, non accipit à natura figuras respondentes quæsitis nostris, similiter nec flammæ pyromantum, sed ab aliqua intelligentia signorum conscia: quæ signa nec aqua, nec cera, nec vapor sciunt aut intendunt.

Propterea hæ artes abigendæ sunt à Repub. bonorum. fortè etiam illæ, quę sortes ex librorum versibus capiunt, & proculdubio si per talos versiculorum numerum antè quærimus; si verò ex subita cogitatione, non item. sed potest dæmon proponere numerum imaginanti spiritui, & manum dirigere ad aperiendum paginam talem. ergo cauendum. Præterea licet somniare sit naturale, tamen si signa somni sunt ab arte, dæmoni subduntur, vt somniare aurum bonum mihi pollicetur: argentum verò malum: aliis verò aurum malum; ergo est pactum tacitum per somnia præsignata diuinare. Non autem si ex passionibus spiritus ab humoribus, & aëre fiant. Potest semper tamen dæmon spiritum afficere, sed magis insignis. & puto posse in Geomantia nos ponere figurã, quæ vocatur Tristitia pro vocata Puella. & idem erit. Ergo non nisi ab aliquo intellectu.

Vtrum artes, quarum signa ponuntur à natura, quatenus signa dumtaxat, sint amplectendæ ad diuinationem, tanquam inuentæ à studiositate, non à curiositate.

ARTIC. III.

SED vtrum illæ artes, quarum signa ipsa ponit natura, tanquã signa, & non tanquam partes, aut effectus causæ, sint amplectendę, anxiè addubitaui: quoniam vidi sæpissimè lineas in manib. hominis significationes certas habere quasdam, & experientia multa didici, & propè tempus mali euentus, aut boni fieri manifestiores in aliis, in aliis occultiores, & quasdam deleri. Similiter sunt plures anni, quod in punctis, & maculis albis, vel nigris, apparentibus in vnguibus, prognosticum boni, vel mali euentus experior, prodigitorum qualitate, & macularum magnitudine, situ, & figura. Neque mihi videtur dæmon posse opera Naturæ nostrę tractare: sed ipsam animam cognitione abdita, & instinctu secreto hæc signa præmonstrare ad notitiam illatam faciendam, censendum videtur: erratur tamen quia accipitur non signum huius, pro signo huius: vt si quis putarit vrinam nigram, quæ est signum mortis esse signum salutis. Distributio etiam signorum in lineis & maculis, & partibus astrologicè facta, videtur sæpè irrationalis. Similiter de lineis in fronte experimenta vera agnouimus multa. Quid ergo dicemus? Equidem si diaboli possunt eas causare, hanc diuinationem abiiciendam iudico: sin minus, nequaquam. De pruritu auriũ, & oculorum certus iam sum, quod à diabolo sæpè excitentur; prius tamen putabam esse cifram inter nos, & animam Mundi; & quemque suam cum ea posse statuere ex condicto. quoniam instante euentu bono salit oculus sinister: at conuerso affectu in malum, statim salit dexter, apud Romanos, è contra autem apud Græcos: si ergo Deus esset causa harum motionum, vtique semper, & omnibus saliret dexter cui finalis effectus respondet.

Præterea hoc signum est positum à nobis, vt somnia signata: & casus olei, vel vini. Si enim vis, vt dexter sit signum bonum, & sinister malum, itidem fiet. Præterea quidam amicus cum malum eueniret suis, sybilum in aure dextra præsentiebat extra aurem. Tunc ergo appetij, vt idem mihi eueniret, ac statim euenit. & semper ex inde ante malum, vel bonum euentum, habeo sybilum in sinistra, vel in dextra extrinsecus, & grandem. Aliquando dixi: si est verum hoc, replica mihi sybilum, & replicauit, sed sæpè euentus est fallax. ex quo agnoui hoc signum esse à significatore incerto rerum futurarum, ergo à diabolo: non à custode Angelo. sic sæpè proprio nomine me vocat, quando quid mali imminet, & ego in nomine Dei expello illum quãdo quid boni, læta custos Angelus spectra intra somnum & vigiliam pandit. Cum enim ad Pium V. piam Mentẽ eleuarem in persecutione sophistarum, qui videbãtur mecum disputare multi quos noueram, apparuit in ergastulo Pontificia maiestate indutus. & ait, Quid negotij tibi cum istis? Respondi, oderunt me, quia non facio scholam hominib. sicut ipsi, sed Deo soli. & statim surrexi ad clamorem meum, & tenendo pedes eius per 7. minuta horaria vociferabar vigilans. Alia vice cum essem puer, S. Marcus visus è loco suo venire, mihi in fronte signauit. f. & alteri puero crucem, qui fuit Sacerdos postea bonus.

Sed de lineis in manu Arist. putat, quod sit à robore, & flexione manus. Ego tamen expertus sum robustissimos viros habentes vitalem lineam perfractam in vtraque manu, cum mensura vitę ad fracturam venit, occubuisse violenta interdum morte in iuuentute, prout aliæ consignificabant lineæ. Porta noster hanc artem ex signis animalium naturalem facit. & ait, quoniam simia habet cingulum Veneris, & est libidinosa, omnes habentes cingulum illum sint libidinosi. sicut Arist. ex Physionomia animaliũ humanam inuestigat: sed id de Physionomia rationabile est, quoniam affectus fabricantis spiritus exprimitur in corpore fabricato, vt diximus. idcirco nos potius ex imaginatione prima a cõspectu obuij hominis elicimus syllogismum Physiognomicum. At delineationem manus nescio qua ratione ab effectu deducimus. Tum quia manus fabrefit à spiritu, sed recto ab anima Mundi præscientis in Deo, hanc & illum, & cuncta per Fatum, Necessitatem, & Harmoniam, curante vt diximus de fabrica corporis: sed tamen potest iuxta affectum spiritus exprimi. Tum quia spiritus fabricans has lineas, earum significatum ignorat; neque sapientior fuit in semine, quam nunc in fabrefacto corpore. & cur apparent maculæ significatiuæ in lineis manus nouæ, &

in vnguibus? Profectò opus naturæ ab intelligentiis, vt Peripatetici quoque Græci ac Latini fatentur: neque enim anima scit quomodo coquitur à se cibus, & distribuitur ad singulas corporis partes: & amplius concoquitur, & aggeneratur. sed facit hoc sub regimine intelligentiarum. Ergo earum impulsu exprimit maculas nigras ex sanguine combusto, & albas concocto in seminis morem. Ergo, quando enascitur linea in manu, vel in fronte, aut macula in vngue, significatiua, quemdam pruritum sentio ibi. & sicut formantur herbæ ab anima Mundi similes membris humanis, vt discamus quibus prosint: sic in his potest nos admonere.

Quapropter si dæmon non interuenit, has artes non reiicio, si interuenit, dicant Theologi. Illud quoque me mouet, quod apud Iob loquens Heliu sapienter, qui neq; à Iob reprehēditur, ait, Deus in manu hominum signat, vt nouerint singuli opera sua. & profectò istæ lineę non frustra sunt à natura, neque à Deo nolente, aut non cogitante; ergo illæ lineæ, & maculæ, cum non sint ad operandum sunt ad significandum, quippe cum alteri vsui non sint. Sed Pontifices hanc diuinationem prohibent, ne rudis populus ad superstitiones prolabatur. & quia putat signa esse infallibilia; nec à Deo posse mutari: & licet non subito: paulatim ad hanc impietatem prolabuntur. D. Thomas ait, multa prohiberi, vt falsa, multa vt periculosa: Caietanus verò non somnia, sed vana somnia vetari ex glossa Moysi elicit. Nam & Medici, & Politici, & matres & omnes nationes experiuntur veritates multas in somniis, vnde Arist. concludit non posse omnia esse falsa, nec à Deo, sed à natura, ait, quoniam Natura dæmonia est, id est, sapiens. sicut ergo nō omnia somnia, sed vana modo à Mose vetantur, vt Caiet. ait, sic non omnem chiromantiam sed vanam, nisi propter periculum. Porta montem, dictum Iouis, dat nunc soli; quia gallus solaris magnum habet illum, & in multis discordat ab antiquis, vt videantur signa non à Natura, sed ab arte. similiter Cardanus: sed cum eis imperitè dat pollicis Montem Veneri, quia est in simia magnus, & tamen cingulis Veneris est in annulari, vbi ponit Solem. Ego verò pollicem Soli tribuo pro dignitate, & ratione, & experientia. Cæteros vt apud antiquos, nisi quod annularem Veneri, & plantam Marti, & extremam tarsi crassitiem Lunæ, vt rectè correspondeāt. & hoc doctrinaliter non realiter. Et quia sæpè, interuenit error, rectè vetatur vulgo.

De Prognosi ex Physionomia & Somniis.

ART. VI.

PORRO minimè omniū improbauimus sciētias per signa à Natura posita diuinantes. qualis est Physionomia. Matoposcopia, & somniorum interpretatiua. idcirco ad has regredi fert animus.

Physionomia quintuplici signo procedit ad inuestigandum animi propensiones: non autem actus de nouo elicitos per liberum arbitrium. Quos etiam per immutationem vultus, & vestimentorum, & actionum, & passionum, Ecclesiasticus nosci docet. *Eccl. 19.* Primum signum sumitur ex nationum similitudine, in quo præualebit, qui nationum mores atque ritus ritè nouerit. Siquidem Galli rubicundi, albi, oculos cesij, capillitio rutilantes, habitu sanguineo, proceri que statura, animo leues, suspicaces, fraudibus expositi, licentiosi, grauitatis expertes, incepta non prosequentes, à principio tamen impetuosi. Cum enim viderimus hominem eorum vultu, ac statura præditum, etiam mores, & propensiones eorundem inesse illi argumentabimur.

Hispani vultu oblongo, fusco, breuis staturæ, nigra coma, habitu atrabilioso, serpentinis plerunq; oculis, graues in incessu, inueniuntur. Latet in eis patientia, obedientia, sobrietas, cautio, seueritas, iactantia, gloriositas, arrogantia, mendacium, primatus affectatio, vbi quid possunt, & imperiositas. vbi verò seruire coguntur, humillimè ministrant, ceremoniosi, ac religiosi. Cum ergo videris homines Hispanico habitu naturali, eorumque consuetudines in exterioribus actibus imitantes, eorum mores in eis latere prognosticaberis. sic etiam de cæteris faciendum Nationibus.

Secundum signum ab alterius hominis capitur similitudine non à Natione, cuius nimirum mores & actus benè pernosti. Qua ratione solent Politici argumentari. sic Cæsar imitans Marium, Marianos mores habere visus est Catoni. Confirmant argumentum virigemelli consimilia membra, & corporis habitum consimiles: qui & consimiles morib. vestibus, & fortuna: quorum experimenta plurima nostra tempestate habemus, multoque plurima in historiis.

Tertium signum à Stellis capitur: quæ in corpus & in humores directè, & in mores dispositiuè, valent iuxta S. Thom. placitum. Similiter alij sunt Saturnini glabri, colorem plumbeum, & cineritium Planetæ Saturni referentes: alij albi splendenteque vultu & oculis, referunt Iouem, eiusque gerunt propensiones. Eosdem quasi habent venerei, sed muliebriter magis. Stella enim Veneris colorem album, spissum, non satis constantem habet. Qui autem Martem stellam rubram ardentem imitantur, vultum rubrum, quasi ęneum subfuscum ac duriusculum, gerunt capillos rubros, oculos ferè glaucos habent, moresque martiales, audaciam, temeritem, furiam, impatientiam, promptitudinem manuū, armis delectantur, & rixis. Mercuriales homines colorem varium, qualis Mercurij stella, tenent oblongum vultum, oculos caprinos. & ea quæ Mercurij esse diximus in 4. lib. Astrologicorum. Hi sagaces, eloquentes, corpore inualidi, animo potentes, scientiis apti, fraudibus, mercimoniis; artibusque lingua, & ingenio exercendis. Lunares succi pleni rotunda facie maculosa, flauescente colore, oculis magnis: sæpè viridibus, & marinis oculis, capillitio longiori, & molliori. Hi variabiles, fatuitatis participes, celeres, ad negotia translatitia apti, nauticæ non expertes, sæpè pigri, & somno lenti, si alius Planeta admixtus non fuerit. Solares tandem vultum quasi rotundum habent, & radiantem. Ca-

pillos erectos, rutilantes, demissam barbam, venerabilem vultum, oculos splendidos, subalbos. Hi ambitiosi, magnanimi, pii, benefici, satellitium affectantes. Profectò nisi quis benè astrologica nouerit, & stellas in Cælo contemplatus non fuerit, ad hanc diuinationem non perueniet. Oportet etiam miscere Planetarum decreta, cum in vultu signa apparuerint commista. Amplius quoniam iidem Planetæ aliter affecti ad solem & ad Mundum, & ad inferiora, commutant eadem decreta vtiliter, & inutiliter, & benè & malè: oportet peritum esse astronomiæ, vt benè quis iudicet. siquidem Sol alibi magnanimitatem, alibi superbiam spondet. & Mercurius subtilitatem aliquando in scientiis, aliquando in sceleribus præbet. Et Iupiter in bona configuratione propensionem ad Religionem, in mala, ad superstitionem.

Quartum argumentum ex animalium similitudine capimus: natura enim ea membra, eoque modo fabricatur in animalibus, quæ & quomodo ipsorum conseruationi apta sunt. Conseruationem autem procurant iuxta affectiones, & notiones sibi connaturales. Ergo & membra easdem affectiones, & notiones referunt. Quapropter Aquila à longè escam contemplatura, visum habet acutum, vngues & rostrum aduncos, vt possit prædam capere, & dilaniare. Anates ex fundo aquarum cibum capturæ, collum longum, rostrum obtusum, & paleatum, sortitæ sunt, crura breuia, & pedes amplos, digitos mẽbranis coniunctos, vt possint super aquas facilè incedere. Item obseruabis in cunctis animalibus, ac simul ipsorum propensiones, moresque. Cumque hominem videris membra similia gerentem consimiles mores etiam in illo argumentabere.

Quintum desumitur ex coloribus & actibus, quos homo, vel brutum in aliqua passione positus ostentat. Quod enim in his accidentaliter est, habet alius naturaliter. Igitur quia timentes pallescunt & contrahuntur, irascentes verò rubescunt, & tument, oculosque turbatos ostentant. Qui Natura pallidus est, timidus est iudicandus. & qui signa irascentis habet iracundus. Et qui oculi nigrum superioribus palpebris tegunt, albumenq; ostentant instar canis coeuntis, eos libidinosos pronunciabis. Distinguens autem signa communia & particularia cuiusq; passionis, quominus decipiare.

Sextum argumentum facit illa subitanea affectio, quam in animo nostro imprimit occursantis hominis vultus, quanquam nostra simul nutrit imaginatio. Cum enim video hominem exporrectæ extrorsum frontis, statim imaginor me eãdem habere frõtem, & tunc offertur in animo meo passio præcipitantis sese in pericula: ac iudico illum hominem ad omnia præcipitosum. sic si video frontem inclinatum retrorsum, iudico illum cautum, seque à malis retrahentem. Itidem cum video hominem subnigrum, statim fingo me esse intra nigrum cubiculum, offerturque in animo meo species tristitiæ & melancholiæ, ac simul iudico huiusmodi hominem melancholicum, eosque habere mores, quos in medicinalibus facere atrambilem docuimus. sic de cæteris & in istis misce decreta. De fortunis autem eatenus suspicaberis, quatenus ad tales mores fortunas tales succedere, nostris experimentis, & historicorum, cognoueris.

At de metoposcopia idem iudicium, quod de chiromantia: non enim lineę manus & frontis concordant Planetis, vti solent à scriptoribus poni. Hoc solum ipse in multis vidi, quod rectæ lineę eleuatæ in extremis, & non interceptæ, profundæ, benè coloratæ, bonum in vita, & fortunam significare solent. clausæ, vel depressæ, & interruptæ, ab aliis lineis iuxta figuram interruptionis, contra: nec enim frustra Deus illas inscripsit. sed vulgo vetari debere præcedens sermo ostendit, saltem vt periculosum, & ignotum studium. Erratur autem quoniam signorum rationem non sapimus.

Somniorum rationem multiplicem nouimus.

Aliquando enim fit ex intrinsecis vaporibus, & humoribus. vnde Medici, somniantes mel, pituita dulci abundare putant. videntes tenebricosa, & serpentes, atrabili, quæ suscitat sua fuligine eiusmodi species seu notiones in anima sopitos, ob similitudinem; & nouas format. Bilis pungens spiritum implantatum, communicantem libero, rixas & duella videre facit, quoniam tales species ex his facilè renouatur. Manifestum est enim quoniam cibi pro sua Natura somnia faciunt læta, tristia, &c. id quod etiam in vigilia accidit ex cibis, & apparitionibus in pariete; vbi putant se videre serpentem, quia linea illa speciem serpentis in memoria latentem suscitat.

Alia fiunt somnia ex reliquiis motionum diurnarum. vnde nauita de mari, miles de bello, Rex de mundi mutationibus, & regnorum, somniant. Facilè enim suscitantur, quacunque similitudine vigentes notiones quotidianæ, & nouæ consimiles conficiuntur in phantasia.

Tertium somniorum genus fit ab aëre, & à Cælo, quem spiramus. sicut enim imagines futurorum ex causis afficientibus aërem sua causatione aliquando præsentiunt, quoniam res aëri communicata, dum inspiratur tangendo spiritum afficit eiusmodi notitiis. Sic ille apud Ciceronem per somnũ vidit sodalem à caupone interfici, & ter exoratus non surrexit ad succurrendum. Et amici venientis hoc sero in vrbem è longinquis regionibus, somniare solemus facile aduentum, si serenus sit aër; magis autem si cogitauerimus. vnde amici ob præuiam disponentem affectionem, & matres; & melancholici ob spiritus passibilitatem, benè somniant. Idemque accidit eisdem vigilantibus: ex qua vis enim motione statim subitaneo discursu ad totum procedunt. vt in 2. p. & in 3. de Sensu rerum docebamus. Et quoniam ante quam quis loquatur, ex solo imaginantis animæ motu in aërem susceptiuum verbi, potest significationem spiritus præuenire, vti visus tonitruum præ auditu.

Quintus somniandi modus est Angelicus. Species enim rerum nobis offert nouas in Phantasia, vel priores ordinat, sicuti Typographus literulas, ad aliquid noui significandum. & aliquando sunt immediatè signa rerum & imagines, sicuti est sermo hominis, & pictura. Sic Angelus monet Iosephum, & Mariam sanctissimam, vt filium duceret in Ægyptum. & hæc sunt somnia historica. Alia verò sunt Poëtica, vt cum res repræsentantur in somno non se ipsas, sed res alias significantes more fabulalarum, & parabolarum. Sic Pharao videt septem spicas steriles, & septem fœcundas, idemque vaccas, non sui, sed annorum significatiuas. & hæc somnia nunquam fiunt à Natura stupida, sed intelligente valdè. neque somniator eorum interpretationem nouit, sed vir Propheta, vt Daniel, & Ioseph.

Ioseph. quamque Auer. secus ruditer doceat. & si quis symbola & parabolas omnes sciret explicare, posset quippiam interpretari, sed non totum, nec absque formidine errandi.

Huiusmodi somniis Cacodæmones ludificant multos; vnde quilibet potest sibi ea præscribere absque symboli ratione. ita quod alij somniare aurum putant esse bonum, alij malum: quasi ex condicto cum intelligentiis. Nec quispiam à Deo ne sint, an à diabolo, intelliget, nisi discernendi inter spiritus donum habeat, nedum symbolorum rationes, de quo in præcedentibus dictum est. Veniunt quidem vaticinia nobis in somno, & in vigilia: sed non verè dormiunt, qui ita somniant, nec verè vigilant qui diuina vident: sed rapiuntur in aliud ferè vitæ genus: Magis autem cum animus à rebus exterioribus feriatur, & simul ab interioribus functionibus nutritionis; quod contingere solet inter somnum & Vigiliam, præsertim matutinam, vt dicitur in libro Iob. & Iamblicus experitur, & ego innumeris vicibus, ita vt iam statim iudicem quod ex prædictis generib. somniorum sit. Tunc enim perfecta distributione alimenti, necdum ingruentibus negotiis quotidianis per sensoria nos extra nos trahentibus, tutior & naturalior est somniatio, quamquā Deus supra Naturam semper operari queat: quam tamen dedit Naturam non violat. Non discernit autem homo dormiens, vtrum somniando an vigilando videat faciatque, quoniam Mens à sensoriis assueta sentire, illis clausis non potest animaduertere, quamuis aliquando somniet se somniare, aliquando vigiliam agnoscere, & ait, hoc nunc non est somnium.

Igitur in cunctis diuinationibus incertitudo, exiguitas, & obscuritas est, solum in diuinis vaticiniis certitudo, mentis sobrietas, & abundantia veritatis euentus, reperiuntur, vt etiam Iamblicus contra Porphyrium, & eos, qui vaticinia passionibus corporalibus animæ tribuebant; nec nisi delirantes diuinare putabant, cum hoc sanorum sit proprium, Deoque adhærentium, ex passionibus corporei mundi ad illustrationes mentalis & Archetypi ascendentium. Vnde Auic. in sua Metaph & lib. de An. p. 4. cap. 2. bene & sine frequenti illusione eos somniare putat, qui habent temperamentum optimum, sunt natura & moribus veridici, & non habent impeditam imaginatiuam passionibus innatis aut illatis, ita quod potest suscipere species à cælo, vel ab Angelis, quales offeruntur. Idcirco malè temperiti, & mentiri soliti, & ebrij, & infirmi, & tristes, & passionibus vexati, & cibi vaporibus, quod accidit ante digestionem, falso somniant. Similiter ad aliud dispositi. Amicus enim & Mater de amico, & de filio bene somniant, & Rex de regno. Cæterarum rerum species non facile admittunt puras, propriis præoccupati. Prudens purus & Propheta rectius se habet ad omnia somniorum genera: & ad vaticinia vera, quoniam facile illustrationes diuinas suscipit, quasi speculum purum. Deus ergo valdè miraculosè impuros potest prophetia donare.

Vtrum diuinatio Astrologica sit per signa à nobis posita, vel per causas, & signa naturalia.

ARTIC. V.

AT de Astrologica prophetia remanet quæstio, vtrum per causas procedat, an per occasiones, an per signa posita à Deo, vel à Natura, vel ab arte, studiosorum & curiosorum: & quidem declarauimus, quod per causas communes directè agentes in omne corporeum, indirectè verò in mentem. & quia communes sunt potest à particularib. dispositionibus secundorum Entium, & à nostra libertate & Angelica, eorum effectus variari, & frustrari, vt patuit in 1. 2. & 3. parte. Ideo libellum composuimus de Fato siderali per Physica remedia vitando, vtilissimum: sicut enim cæli æstum in vmbris, & frigus cæli in stufis vitamus, sic & cæteras passiones in oppositis vitamus. Sed quoad diuinas res sidera esse signa docuimus, vel executrices causas, instrumentalesque. Verùm nunc circa humanas se offert quæstio de trigonis, & terminis & domibus.

At de domibus quid naturale inuenimus, & in aliis capitalibus regionibus, alias cuique Planetas assignandas: quoniam aliter à sole afficiuntur regiones, & Planetarum symbolis coaptantur. Sed de trigonis in nostra regione valde ambigo, & de terminis, & exaltationibus. Videntur enim exaltationes à loco apogei acceptæ vbi immoratur, & exaltatur magis Planeta, & plus potest. sed cum Apogea translata iam sint, & non dignitates, videntur potius à solaribus dispositionibus destribui, vt in 2. par. diximus. De trigonis autem valde hæreo; nam licet sint quatuor, quoniam Synodus magna in singulis fiunt per 200. annos: sicut 12. signa, quoniam duodecim vicibus Luna soli iungitur in Zodiaco, tamen attributio fallax videtur. Cur enim primus trigonus à Ptolomæo sit Europæ datus, & non Orientali Chinæ, vt ab Arabibus fit? sic de cæteris. & non video rationes nisi probabiles, quia Europa fortior viribus, & ita expertus est Ptolomæus ex principiis Monarchiarum fortè sub trigonis in omni regione. sed cur Cancri trigonus detur marti, & præsit Africæ. Et quid de nouo orbe dicemus sine trigonis adhuc extra artem posito? sic terminos alios Ægypti, alios Chaldæi, alios Ptolomæus ponit; & quidem omnium rationes sunt æquè imbecilles.

Idcirco nisi Deus hanc scientiam reuelauit, vt Platoni videtur, incertissima est: idcirco potius climatū dispositionib. & symbolis detulimus. Et de significatis eclypsium, & Cometarum potius planam Naturam sequentes regioni cui apparent, & quæ Horoscopum habet ab illo signo, in quo fiunt, decernemus. Non enim quia apparent in signo posito à nobis, nisi dominante secundum Naturam, indicant super re, & loco, cui dominantur. Sed quoniam figuram aliter erigunt Arabes, aliter Chaldæi, aliter Porphyrius, aliter Ptolomæus, aliter Alcabitius, aliter Regiomontanus, & de stel-

larum viribus, & directionibus significatorum ad promissores, sunt varij, & tamen omnes profitentur veram diuinationem, fortasse quis putet Astrologiam procedere à signis positis à nobis. & quidem si sic est, ingeruntur Dæmones: sed quoniam non potest dæmon cometas, & stellas in alio situ ponere, quam cursus Naturæ habet: & in Cælo sunt constellationes, à nobis signatæ, vt nos agnoscamus; sed insuper à Natura positæ, vt agant in inferiora: Propterea hanc scientiam à communione dæmonum remotam magis nouimus, quam sit Physica aliæque artes ex fluxibilibus signis procedentes, vt in 2. p. & 3. lib. declaratum est. significationes Cometarum approbat Beda, August. Damasc. & alij Patres: Planetarum & fixarum naturales euentus omnes fere, & ipsa natura. Varietatem verò opinionum ex scientiæ incertitudine quoad nos procedere diximus. Nam satellitia, & constellationes magnæ, euidentes habent effectus, qui nos admonent de paruis coniectare proportionaliter. sed si qua sunt à nobis posita signa, vt dubito de trigonis, & terminis, dæmones ingerentur, non offerendo signa, quæ ipsi mutare non possunt, sicut possunt manum regere in punctuatione geomantica; sed res nostras, de quibus inquirimus, parabunt ad signa: vt fallendi occasionem habeant, & hoc potissimum in electionibus, & principiis actionum quas consulto cælo aggredimur. Nam in genituris fallere nequeunt: cum pariendi tempus, non possint tardare, neque accelerare, neque constellationes mutare nascentium. At in Astrologicis quantũ potuimus ad Naturæ decreta artem reuocauimus. Errari autem contingit, quando non causas pro causis, & non signa pro signis accipimus, sicut in Medicina. & de supernaturalibus ex naturalibus, dũ non eleuantur à Deo ad signandum, prognosticamur: & de futuris contingentibus, & moralibus certitudinaliter pronunciamus. Cælum agit physicè ideo in Agricultura, & Medicina, & Nauigatoria, aliisque Physicis euentibus, est scientifica: in quibusdam demonstratiua, in quibusdam probabilis prognosticatio. Non autem agit moraliter nec supernaturaliter, ideo in iis est sola coniecturatio, vt in q. Phys. dictum est.

Cultum Dæmonum esse superstitionem impiam, & incertam per eos diuinationem. eosque executores in malis, in pœnam, aut exercitium, aut exemplum, vt Angelos in bonis.

ARTIC. VI.

DIVINATIONES verò, & miracula, quæ faciunt pseudo magi impij per adiurationes, precationes, & sacrificia, procul dubio interuentu dæmonis fiunt; qui licet interdum vera prædicet, sæpè tamen fallit, & abducit hominem à cultu veri Dei ad suum: & hoc patet, quoniam apparent, dant responsa ambigua de futuris, mista de præteritis: præcipiunt sacrificari pueros, & innocentes, inuocare ipsum in speculis, vbi apparet, & dat responsa & signa: & vanitatibus, & sceleribus polluuntur, qui eum inuocant: & contra virtutem sibi, ac aliis hominibus noxij sunt, vitiosa aggredientes. Per hæc argumenta Iamblicus & Porphyrius Cacodęmones repræhendunt.

Quærunt homines cur diabolus delectetur malis nostris, vt in corpora humana ingrediatur. Equidem secundum Naturam nescio quid respondeam, nisi quia inuidi sunt maleficique & superbi, diuinum cultum affectantes, quæ vitia hominibus à Deo permittuntur: Ergo & in diabolis, propter melius, vt pugna frigoris contra calorem. Originem autem docent Theologi esse superbiam, qua voluerunt beati esse non secundũ Dei ordinationem, & odiosos prosequentur tanquam Deo sponte subiectos. Idcirco nobis sortem, vnde exciderunt ipsi, inuidẽt. Hæc doctrina rationabilis est, nec meliorem inuenimus: nam & calor & frigus, quia idem appetunt, sese oppugnant. Zoroaster apud Plutarchum de geniis malis sentit non Natura, sed electione malos. Delectantur autem corpora ingredi humana ad vexandum. Hoc autem faciunt tanquam Dei carnifices, alioquin continuo omnia vexarent, si permitterentur. vnde puto sicut Angeli nostris gaudent bonis, positique sunt ad procuranda bona nostra, sic diabolo, positos ad mala procuranda in exercitium, aut pœnam, aut exemplum. Ergo omnis infirmitas, & infortunium, licet sit à Cælo, & elementis, tamen à dæmonibus vtentibus causis naturalibus, executionem habent: quod patet in Iob, & in ea quæ patiebatur fluxum sanguinis. & dicit Christus, quod Satanas illam ita vexauerat. Ergo ægritudinibus, & corruptionibus cooperantur diaboli, sicut Angeli valetudinibus, & generationibus, & incrementis rerum naturã modificantes, vt Aug. & Chrysost. contestantur. & de hoc nihil prorsus iam ambigo, pluribus experimentis confirmatus. Confert ad dæmonoplexiam, atrabilis; ad fauorem Angelicum luciditas, & compositio spirituum: vt superius dictum est. Vita diabolitus comparatur cum maleficiis, & cultui diabolorum incumbitur.

Cur Deus odit peccatum: & pœnam exigit: vtrum omnes animæ reuertantur ad Deum, & cur creat damnandos.

CAP. XI. ART. I.

SED quæritur, cur Deo displicent peccata, & tortores adhibet, & requirit à nobis pœnitentiam & pœnam? & cum manducare non sit peccatum, cur manducare aliquid plusquam nobis confert sit peccatum, & Deo exosum? & cum malum nihil sit in Mundo, cur displicet ei magis, & minus in eadem actione, & mediocritas placet, cum ipse in excessu sit infinito, & non in mediocritate? & cur non punit animalia similiter peccantia? & cur peccaturas animas creat & damnandas? Resp. quod Deus amat effectus suos longè magis, quã effectus ipse amat se ipsum, quoniam à Deo est, non à se. Ergo odit Deus in rebus omne id, quod Ens à suo esse bono remouet. Essentia enim rei correspondet ideæ Dei, sicut omnis artifex amat suum artificium quando correspondet suæ ideæ prorsus. & non patitur defectum, aut excessum, quoniam videtur in sui vituperium vergere. sic Deus amat res iuxta ideam sui. Omnes ergo homines perfectissimos esse vult. quod autem deflectant ab idea, accidit à temperie, & à Cælo, & constitutione, & educatione, & has deflexiones intelligit Deus, & vult, aut permittit, vt diuersi gradus eiusdem ideæ multiplicentur. Neque exigit pœnam nisi naturalem per naturalia, dũ eos immutat, vt calorẽ reprimit per frigus. Et quoniam Entia hæc corporea non sunt propter se: ergo neque duratura in æternum, & mentalem rationalitatem non acceperunt; idcirco ab eis Deus rationem non exigit, quibus rationem non dedit, vt nec à pueris. Homo autem videtur factus, vt sit semper secundum animam, & accepit mentem; qua cognoscit vitium, & virtutem, id est cõseruatiuam electionem, & destructiuam: Propterea Deus odit quidquid faciunt homines contra mutuam conseruationem & priuatam. Siquidem vnicuique suam, & aliorum consimilium vitam cõmendat, vt dirigatur ad æternam. Licet ergo comedere plus non sit peccatum, tamen huic, cui nocet, est peccatum contra eius Naturam. Item mox contra Religionem, quæ in mente residet, & regulare habet naturam cum recedat sic ab idea: ad quam per pœnam reuerti oportet. Religio autem est reuersionis via ad Deum. Reuertitur autem, qui probè executus est mandata eius in vita præsenti, seruanda vsibus Dei. neque enim propter nos sumus, sed propter illum; sicut equus bonus sibi, & inobediens non est bonus: quoniam nobis propter quos est, bonus non est. Ergo qui eius innatæ legi contradicit, ab eo recedit, non reuertitur. Indiget ergo fræno, vt reuertatur. Propterea vis religionis est post illuminationem purgatio peccantibus, perfectioque omnibus. Licet ergo non sit malum in mundo, est tamen nobis aliquid malum, sicut & frigori, & particularibus cunctis. maximum autem est à Deo summo bono recedere, quod facimus peccando. Nobis autem virtus est mediocritas, non quia mediocritas, cum & excessus, & defectus sit aliquãdo & aliis, virtuosus; sed quia conseruatiua esse nostri mediocris: conseruatio autem est ad ideam stare: quod bruta ignorant: quoniam non propter se sunt, neque propter Deum consequendum beatificè, sed nostri gratia. sed cur non facit Deus omnes animas ad se reuerti, & peccare permittit? & damnari? an fortè post plurima sæcula omnia in Deum per purgationes iteratas salubriter reuertentur? Hoc ignoro: quoniam Origenes errauit, & à scripturis sanctis habemus, quod à Deo in finem recedentes, semper recedunt post mortem. hæc Deo curæ sint. Sed video non omnes calores qui à sole ad terram effunduntur, regredi ad solem, sed plures extingui inter frigora, licet occultari putet in Ente Trismegistus. sic possunt non omnes mẽtes ad Deũ reuerti, sed aliquæ quasi mori, & vinci à bonis cõmutabilibus voluerunt. sed de his alibi. Deus autem non debet naturam liberam nobis non dare, & suam bonitatem non effundere, propterea quia non nostra malitia ipsius effectus fædabitur, quoniam non illi, sed nobis fædatur, & ad gloriam eius; & ludum Cælicolarum prout balbutiendo dicere, & cæcutiendo intelligere per similitudinem à nobis sumptam, possumus, sed cum in alium rerum ordinem transibimus, quæcunque hic ratiocinati sumus, deliria forsan videbuntur, & blasphemiæ plerumque, vt Catharina nostra sybilla dixit.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ PARS TERTIA METAPHYSICORVM.

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

IN QVO

DE VITA MORTALI MVLTIPLICI, COMPOSITA ex vita & morte, & de vita æterna pura, seu de Beatitudine.

Epilogus eorum, quæ dicta iam sunt de Religione: & propterea dicendum de vita æterna.

CAPVT I. ARTIC. I.

IAM quidem patet Religionem esse hominibus secundum Naturam: quod verò hæc vel illa religio vera sit esse secundum fidem, quam Natio quælibet suo præstat Legislatori Legislatorem autem fide dignum decem examinauimus notis, quæ sunt miracula, martyrium, prophetia, præconium, sanctitas vitæ, successio eorundem donorum in discipulis. Transhumanatio obseruantium legem: veritas, puritasque moralium, præceptorum: rationalitas ceremonialium,& supernaturalium fides euidenter credibilis. & de his notis examinauimus miracula, & prophetiam, secundum magiam, & dedimus diuino Legislatori ista secundum magiam diuinam. Martyrium verò miraculis, & virtutis amore insigniuimus. Moralia præcepta ex vitiis ex virtutib. enucleauimus: vitia a. & virtutes à destructione, & conseruatione sui in se, in natis, in fama, & Reip. in ordine ad æternitatem. super naturalia verò ex symbola ratione communi, Metaphysica agnouimus, & ex vi testimonij accepimus. Cætera per se patent. Quapropter si Deus est, nostri curam gerit, & religio est. Ergo & nos alia vita manet, ad quam nos Religio dirigit. Ergo non verè moritur, nisi qui Deo vitæ Fonti de industria resistit: & deteriora melioribus anteponit: Quapropter de vita æterna, quæ nullius mortis est particeps, dicturi, prius quid sit vita & mors, & de omni genere vitæ compositæ ex vitabus & mortibus proloqui debemus.

Quid sit vita & mors humanitus considerata. Nec inueniri vitam puram, aut mortē puram in nostro systemate: ideoque de vita seu pura vita agendum: & cur apud quosdam Philosophos reputatur impoßibilis, apud plurimos non bona: quoniam varietatem pulchram, & mutabilitate ex mistura vitarum, & mortium emergentem, tollit.

ARTIC. V.

VITAM vulgo dicimus naturalem societatem permanentem animæ cum corpore, mortem vero eorum separationem. At quoniam anima etiam quæ post mortem permanet, vita dicitur tenuis sine corpore apud Virg. & vitam corpori dum inest dare anima dicitur, non autem è contra; pro-

fecto in essentia animæ consistit. essentiatur autem Anima potestate essendi, sensu essendi, & appetitu essendi, ac proinde operandi. Quod si vnum primordiorum istorum desit, vita extinguitur: & hoc Medicina attestatur. Cum enim pulsus omnino deficit, qui est potestatiui actus, moritur animal. Similiter si deficit sensus totaliter: aut appetitus totaliter, mors adest. Cum autem vitiatur vis, aut cognitio, aut appetitus, morbus fit, qui via est ad mortem. Propterea Deus, quia potentissimus, sapientissimus & amorosissimus est, dicitur viuus, verus, & sanctus, & dicit Ioan. Euangelista in hoc laudatus valdè ab Auicen. & Auerr. *Quod factum est in ipso vita erat.* Etenim (ait Auic.) triangulus qui creatus non est vita, sed accidens vitalibus corporibus, in Deo tamen est vita, & idea omnium triangulorum. Apud nos quidem vitàm habere dicuntur solum animata. Ergo solum Plantæ & bruta, & homines: quorum viuere est esse (inquit Arist.) at cum vita ipsorum sit ab elementis, profectò viuere etiam oportet elementa. Itemque cælestia corpora, de quibus teste Orig. & Hier. dixit Ezech. *Spiritus vitæ erat in rotis*, quorum motus naturalis est index. Ea enim mouentur quæ habent in se principium motus, & quæ appetunt & sciunt motu se aliquid acquirere vel fugere vel sese conseruare. Vnde ventus compressionis, mortiferæ sibi, impatiens, motum impetuosum edit, vt effugiat mortem: spatiumque amplum, vitale tenuibus rebus, quibus mors est compressio, nanciscatur: vitam antiqui ex sensu & motu indagauere, vt Arist. & Simpli. in 8. Phys. testantur.

Præterea, cum calor, Tellus, & Aqua, & Aër coniunctim, vitam animalum constituant: vnde Deus Telluri & Aquæ vt educant animas viuentes, & animalia, iubendo, ostendit in eis vitas esse: præcipue autem spiritus vitæ dicitur aura indita corporibus apud Mosen, & Prophetas. Ecclesiasticus autem ait in Cap. 43. loquens de cælo, & terra & elementatis rebus cunctis. *Omnia hæc viuunt & in necessitate obediunt Deo:* & Hier. *omnis*, ait, *creatura sentit creatorem:* & D. Thomas, *omnis creatura etiam quæ videtur insensata nobis, magis amat creatorem, quam seipsam:* & Christus. *Deo omnia viuunt*, qui *omnia implet*, ait Ierem. & hinc Virgilius. *Iouis omnia plena.* Et propterea ritè concludit vitaliter impleri. *Nec morti esse locum, Deum namque ire per omnes Terrasque Tractusque Maris, cælumque profundum:* & alibi hæc omnia *spiritus intus alit, & Mens agitat* &c. Quapropter mors est respectiuè non essentialiter. Cum autem mortuum fuerit corpus in vita animalis, viuit vita naturali, vnde & vermes viuentes generat: & excitatur ad præsentiam occisoris, & coluber occisus fraxini vmbram fugit, & fidiculæ ouium, & pelles, retinent sensum ouis, vt in Lib. de sensu rerum probatum est. Quapropter omnis substantia, omnisque essentialis virtus viuit, vita partiali & propria, non autem accidentia, quorum est inhærere: hæc enim eius cui inhærent vitam habent. Mundus vero tertius vita & communi viuit. & omnes mortes & vitæ secundorum Entium, eius vitam mortalem integrant, sicut in corpore humano, mors panis dum vertitur in chilum, & chili in sanguinem, & sanguinis in partes corporis: & partes corporis exhalant, moriendo corpori, sed non sibi, quia viuunt in aëre, ideoque corporis vitę reficiendæ requiritur cibus & potus & inspiratus aër, vt notat Cicero de nat. Deorum. & quæcunque ergo moriuntur in vno esse viuunt in altero. Hæc de vita radicaliter. At quidem ramaliter, vita est conseruatio rerum, vnitarum ad communem vitam, & non solius caloris natiui vt Arist. ait, sed solidi sanguinis. & spiritus & mentis, vsque ad mortem. Cursus ergo iste vitalis quoad corpoream partem substentatur, cibo, potu & spiratione: quoad animam studio virtutis, sapientiæ & probitatis. Ergo scientiarum & artium vsque ad mortem. Vtrum mors corporis possit vitari aut vita longius produci, diximus in Med. lib. 1. Ea enim tantum, quæ sunt indissolubilia, & contrarium præpotentius non habent, nec amorem extra, si composita sunt, vitalem, immortalia sunt: in rebus tamen nostratibus plus mortis, quam vitæ esse, ostendit mortis victoria, quæ tandem vincendo paulatim tollit vitam. Nunc ergo de multiplici humana vita, quæ mortibus vitabusque constat dicendum nobis est, ac postmodum de vita æterna quæ est beatitudo, sola vita, mortibusque nullis constans, sed terminatur in victoria omnis mortis consumaturque in æternitate: adeoque à nostro sensu caduco distat, vt videatur impossibilis plurimis, plerisque vero non bona: quoniam si vita terræ, aiunt, & aquæ non mutaretur per sui mortem, in Plantas, flores, metalla, & animalia innumerabilia, periret vniuersi pulchritudo, & varietas & incessabilis rerum amabilis nouitas: & quod mirificentissimum est, in eodem pũcto propter istam varietatem, est dies, nox, mane, meridies, vespere, media nox, imo & prima, secunda & tertia vsque ad 24. horam simul in toto mundo terrestri, ac simul Æstas, Hyems, Autumnus, Ver, in variis mundi partibus, & omne tempus in omni tempore & omnis temporis ætas in omni ætate, & ideo omnis mors in omni vita. Equidem hoc miraculum ego semper admiror, sed tamen cum sit bonum ex aliorum malo: & vita ex morte, olfacio aliquid melius, cum hæc cessauerint, si tædium status etiam cesset, quod in bonis diuinis stabilibus esse intelligo. in vita præsenti est continua mutatio & successio: & propterea etiam voluptates & res delectabiles, nedum dolorificę, nos fastidiunt: & mutare desideramus. In Archetypo autem mundo stabilitas bonorum non compositorum ex malo & bono, ex morte & vita & timore & spe, sed pura vitalis nos sustentabit æterna traquillitate: propterea neglectis dicteriis sponte miserorum hominum, ad verę vitæ verbum accedamus.

Hominem eam consequi vitam, quam sibi natiuitas educatio & disciplina adsciscunt.

CAP. II. ARTICVLVS I.

OMNIS hominum scientia ad vitæ humanæ perfectionem spectat. Vitam autem rectam aut prauam facit natiuitas pro fundamento: educatio pro confirmatione: disciplina pro assecutione. Bene nascitur qui à genitoribus non vitiatis corpore nec animo, non in perturbatione, nec prauis cogitationibus, tempore & loco apto seminantibus, originem habent. Indicant enim cum notis desideriorum & cogitationum maternarum nascentes, quod à Genitoribus indiuidualitates contrahimus. Imò & quibus cibis tempore coitus, & dum gestant vterum vescuntur parentes, eos appetere natos experimur. Quæ autem constellatio prodest, & quæ nocet, in ciuitate solis declarauimus.

Indicant etiam exordia regnorum & ciuitatum, quod progressus & fines latitant in principiis. Sunt enim horum extensio, vt in Astrologicis monebabamus. Prisci enim Romani ex pastoribus & agricolis exordium ciuitatis facientes, robustos, credulos, ac simplices, ideoque victores habuerunt. Ciuitas Venetorum ex confugientibus à facie Barbarorum conflata, produxit Venetos cautos, iusti tenaces, temperatos, mala præuidentes, & declinantes: meliores in retinendo, quam acquirendo. Ex inuasoribus alienorum exorditur regnum Turcicum: perpetuo aliena inuadens, ac ex hoc crescens. Idem, considera etiam in familiabus religiosis, & in regnis, & sectis.

Educatio vero multum confert. Etenim cum lacte vt Crysippus ait, bibuntur mores. Qua custodia vtantur infantes, quibus pannis, & cibis, & locis assuescant, valdè considerandum, vt in Medic. docuimus. Temperies enim infantis faciliusmutatur in bonum & in malum, quàm iuuenum.

Disciplina tandem ita operatur, vt firmet aut mutet mores. Et quidquid ex eis in vita subsequitur. Vnde mutatio Musicæ, aut Religionis, aut formæ vestimentorum, aut & cætera, Rempub. mutat sicut Plato, & nos in Politicis probabamus. Sic enim operatur homo sicut afficitur: Afficitur autem, vt cognoscit: cognoscit autem vt informatur suggestione magistri, & obiectorum præsentatione. Conuersatio etiam certior doctrina. Id enim pueri & simiæ faciunt, quod ab aliis factitari viderunt, præsertim summæ authoritatis viris, quales Philosphi, Legislatores, & Sacerdotes. Similes autem illis euademus, quos imitamur. Oportet autem vtrumque exercere, animumque, corpusque: ne vel sophistarum, vel armipotentum præda fiamus.

De multiplici vitarum genere comparando: quibus rebus & exercitiis, & artibus.

ARTIC. II.

VITARVM genera multa capessere potest homo, aut enim transhumanatur, aut humanatur, aut subhumanatur. Transhumanatio fit, vel per Deificationem, vel per Angelicationem. Hominem verè Deum non nouimus nisi Iesum. Dij gentium homines fuere praui, sed admirabiles facinorum magnitudine non verè diuinitatis splendore. Quorum etiam Poëtæ scelera canunt. Qui gratiæ Dei auxilio deificantur, sunt imitatores Iesu. Amant Deum non propter se, primò sed propter Deum: & seipsos propter Deum. Nihilque faciunt quod Deo hominum Creatore displicere sentiunt, & nihil non audent etiam contra propriam vitam, dum Deo vitarum datori placere sciunt. Et per illices fidei dogmatum, spei promissorum, charitatis diuinorum, Deum ad se accersiunt: potius autem ad Deum sese eleuant. Plotinus per Philosophiam, per Amorem, & per Musicam deificat homines. Philosophia perscrutatur in suis effectibus, & quantum cognoscunt, tantum amant. *Neminem diligit Deus nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat* (Sap. 8.). Sapore enim miro Deum gustant, amant, fruunturper gratiam, quæ conantibus non deest. Conantur, si imitantur quantum possunt: & petunt quod non possunt: adiuuantur enim vt possint. Nec Bythos relinquit Sophiam in amaritudine, vt mentitur Valentinus. Ex hoc fatum siderale superant, & mundi timores: armantur contra Sophistas & Hypocritas & Tyrannos, primalitatum falsatores. Amor ex speciositate rerum & bonitate, fontem pulchri & boni quasi per stillicidium gustat. Musica sonorum, pars est totius Musicæ: ex qua rerũ vniuersitas numerosè concinnata est. Cuius tanta est Harmonia, vt etiam mala tanquam semitoni & tropi concinnant. Inspice fabricam mundi, constructionem animalium: vim multiplicatiuam formarum actiuum, contentiuam spatij: transmutabilitatem materiæ, & admiratum intuebere rerum conditorem & artificium. Iesus autem præter hæc diuinitatis specula, sacramenta dat signacula nempè visibilia symbolica, quibus regeneramur in diuinam vitam, confirmamur, nutrimur,

lucramur. Inuisibilis enim fauor visibilibus operatur in sacramentis, & symbola hoc signant. Religio ergo deificat. Veh iis, qui spernunt sacramenta gratiæ, & deterius veh negligentibus sacramenta naturæ. Omnis enim res est diuinitatis signum sacræ, & testimonium, vt sacri scriptores, & Trismegistus & Pythag. admonuerunt.

Angelitus vita comparatur, cum ex laude in honorem; ex honore gloriam: ex gloria mirificationem ascendimus per scalam virtutum ad heroicum vsque gradum. Charitas pura non ficta non hæsitans, facit Seraphicum, Ioannem, & Franciscum. Sapientia non sophistica Cherubicos, Salomonem & Paulum. Iustitia, Thronos, Samuelem, & Zachariam, & Noé. Lex Dei Dominationes, Mosen, Petrum, & Gregorium. Mirificentia gestorum Virtutibus annumerat Heliam & Greg. Thaumaturgum. Potestatibus imitatio Machabæum, Dauid, & Constantinum, & Carolum Magnum. Principatibus multiplex beneficentia Syluestrum, Leonem, Ezechiam, Theodosium. Archangelici sunt Daniel, Ezechiel, Ioan. Baptista, & qui mirabilia Dei nunciauerunt. Angelici sunt qui bene præsunt hominibus: quoniam Angeli hominum sunt custodes, & præsides elementorum. Igitur per eos illices sibi quisque ordinem Angelicum & fauorem conciliat: qui symbolum virtutis eorum habent. Corporalia namque non alliciunt nisi significatiuè.

Humana vita duplex: priuata, & ciuilis. Priuata per œconomiam scientiam, & exercitium habetur. Curant vxorem, natos, famulos, domum, villam, boues, cæteraque vitæ instrumenta animata & inanimata: vt rationalis benigna vult natura. Hæc vita humanitus comparatur, vt & ciuilis. Quam capessentes Rempub. viuunt, Senatores, Magistratus legum, bellorum, & pacis periti, Historiarum, Poëtarũ, & Rhetorum suppellectili bene muniti: Reipub. formam in mundi regimine, & corporis humani habentes, beneuolentia, beneloquentia, & beneficentia vtuntur.

Prodest vtrisque cælitus comparata per illices, vt supra dictum est. Fiunt enim solares, iouiales, martiales, spectando & imitando sydera, & vtendo lapidibus, plantis, animalibus, sonis, saporibus, odoribus, coloribus, planetæ, cuius vires captant. Vnde disponuntur ad mores, quibus cælitus iuuantur.

Lib. 15. c. & seq. de vita coelitus comparanda.

Præterea siderationes proficuas captant, & vtuntur Astris in omni negotio, vt Albertus; sicut è contra bestiales seruiunt Astris, vt Nero: Sancti vero dominantur, vt Iosue. Amplius syderationes noxias vitant & Eclypses & cometas Apheticis genituræ ipsorum locis aduersas: Aut migrando in locum, quem illarum vis ex Astrologia scitur non tangere: vel in contrarium, vt de calido in frigidum. Aut sequestrando se à circumfuso aëre, quem constellatio corporaliter afficit, in aulam paulo ante bene clausam, pannis ornatam mundis lætisque: & candelas sydera imitantes adhibent ex cera & aromatum mistura confectas: odores acutos & suaues ex aceto rosaceo & thure & gariofilis aliisque id genus, semina pestilentialia circumfusi aëris dissoluentibus & arcentibus. Ignes in rosmarino, lauro, iunipero accensos. Se suaque corporis foramina porosque & vestes muniunt aceto rosaceo, & Musicam Iouialem, & iucundam & res & colores, sicut dicebat Ficinus contrarios maleficis stellis: & iuuenes hilares & Philosophos amicos optimè conuersantes secum habent: iis enim superari malũ ne inte imprimatur, ex Medicina ac Philosophia compertum, probatumque nobis in 7. Astrologicorum, cum ingenti hominum vtilitate, & liberi arbitrij victoria insigni: & malitiæ ignorantium elusione impiorum: hæc copula iis quæ supra diximus cum Ficino de vita cælitus comparanda.

Subhumana vita triplex: Terrena, Maritima, Bestialis. Terrena eorum est, qui terræ cultum curant, cælestia negligunt: fodiunt solum, in Cryptis habitant, excauant metalla, spiritibus subterraneis ludificantur: crassis cibis, tetris coloribus, sordido amictu vtuntur, natura exercitioque abiecti Gloriam, delicias, & ciuitatem auersantur.

Vitam vitapossit prolatari, dictum est in Med. & hic in lib. 15. & in Astrol. 7 & in Codicill. 2. p.

Marinam vitam colentes in mari habitant, elemento fluido, insidioso subter: superne vero aëre mobiliori: sunt propter hæc, leues corpore, infidi animo, versipelles, astuti: quoniam multa indigent arte, vt ab vtroque liquido elemento sese tueantur. Inconstantes, lucri cupidi: aliena inuadentes vi, vel solertia. Piscibus vescuntur & salsis. Voraces, salaces. Sunt vero deteriores lacunis adhærentes impuris fætidisque, ad pigritiam, & debilitatem, & stupiditatem referentibus. Salaciores enim, acutiores, & industriores efficit pelagi salsedo. Indicant hoc multo qui vtuntur sale. Quibus tamen si disciplina, educatio, & origo fauet, præclaros facit, vt Venetos, licet pigriores sint, ex quo tellus palustris ad eos accessit.

Bestialem comparant sibi vitam qui bestias curant, vt pastores & armentarij, non omnes, sed qui inter bestias bestialiter viuunt: cum eis habitant, dormiunt, loquuntur, delectantur, & coeunt vitiosi enormiter. Et à bestiis amantur ob symbolum & custodiam. Ciuilem cultum ablegant, bestiali oblectantur. Scientias negligunt: cupidine, ira, cæterisque bestiarum passionibus aguntur, rationem non audiunt. Quidquid appetitui obiicitur, prosequuntur: & pro illo pugnant non pro gloria & virtute. Alij luporum ingluuiem imitantur, alij auium instabilitatem: alij boum iugum, alij porcorum luxuriam & sordes. Propterea Pythagoras de transmigratione animarum fabulatur. Multum etiam interest soli, & cœli, & victus qualitas ad huiusmodi vitas comparandas

Vitam diabolitus sibi comparant quicunque quidquid valet contra vires superiores amplectuntur. Vel enim Deum esse negant peccatorum mole, aut ignorantia syllogismi obrui. Vel Deum odere vt iudicem, & cælicolas, & viros bonos, vt fastidiosos. Religionem abnegant, & prouidentiam, & iudicium Dei: quo impune & sine timore quidquid lubet facere assuescant. Se ipsos finem mundi optimum, nedum Reipub. faciunt, & non Deum. Imò sese pro diis haberi volunt Omnes ergo Tyranni, qui Deum pro fine non habent, Diaboli sunt. Et quoniam Diaboli ex Angelorum ordinibus ceciderunt: quidquid Angelicum simulatur, & peruersum cogitatur, est vita illorum. Non enim malitia est nisi in bono: nec potest durare ad momentum, nisi sub specie boni. Malum enim seipsum perdit: & cum integrum fuerit, intolerabile euadit.

Hypocritæ igitur sunt Pseudoseraphini: non seruiunt Deo, sed sibi seruiunt de Deo. Prædicant amorem, & virtutes, sectantur inuidiam, & vitia tam obstinata fallacia, vt non modo tu eos pro

ſanctis reputares:ſed ipſi ſic viuere aſſueti putant ſe ſanctos venditantes fraudem pro pietate. Mutant veſtes vocabula & vultum ad fallendum.

Pſeudo Cherubini ſunt ſophiſtæ ſimulantes ſapientiam, quam non habent: aut ſeſe habere putant, dum ornatè, non ex ratione, ſed vſu recepto grammaticantur, & ſubtiliter. Vulgarem Philoſophiam, quoniam ad ſecretiorem ſunt inertes, quaſi diuinam venditant: & qui eorum ſententiam non amplectuntur pro impiis habent. Ipſi Hæretici, & Pſeudo Scholaſtici, dictis ſanis aduerſi, ex inertia & ſtupiditate, quaſi per ſapientiam aduerſari videri volunt. Præiudicantes omnia, iudicantes nihil, in doctrinis, vt Marſanus & Coſtus, &c. Pſeudo Throni ſunt Iudices iniqui, & Magiſtratus pro muneribus, & affectu iudicantes: putantes religionem & iuſtitiam eſſe artem decipiendi & lucrandi, non vias ad Deum. Hanc ſententiam non ex Philoſophia, ſed ex peccatorum affectu deduxerunt: conſulunt leges Principibus pro peculio eſſe. Pſeudo-Dominationes, ſunt Hæreſiarchæ capita Sectariorum, adorantes Deum Mahozin non ratione, ſed temerè, non pro meritis, ſed ad libitum irrationalem, omnia facientem, & iudicantem, vt Mahometes, Caluinus, &c. Pſeudo-Virtutes, & Pſeudo Magi, Miracularij, qui cum Dæmonibus commercia ineunt & pacta. Vadunt nocturnis temporibus ad ſagarum conuentus: Diabolos adorant, promittentes deſideriorum omnium expletionem. Qui miracula fingunt ſine Diabolo, ad Hypocritas pertinent. Pſeudo Poteſtates ſunt Tyranni famoſiores Gygantes, ſectarij, Deo rebelles, hominibus noxij, temporaliter, & ſpiritualiter.

Pſeudo Principatus ſunt Tyrannunculi populorum Vexatores, Virtutum Exterminatores, quidquid libet audentes, vt Nero, Caligula, Domitianus: & quicunque quod placet non quod decet exercent dominatum. Pſeudo-Archangeli, ſunt Pſeudo Prophetæ, Pſeudo-Apoſtoli, Pſeudo-Angelorum anteſignani. Pſeudo-Angeli ſunt cuſtodes ſeipſos paſcentes non familiam, non gregem, non Remp. falſant opificia, monetas, vinum, epulas, merces, fallunt in contractibus. Præterea Aſſaſſini inſidiatores, latrones, periuri, carcerarij, lictores, carnifices, qui non zelo iuſtitiæ, ſed gaudio malorum alienorum his implicantur exercitiis: Item mentientes vultum fuco, ſtaturam ſandalis, amorem meretriculis illecebris.

Omnes ij habent Diabolum pro magiſtro ex pacto expreſſo vel tacito: ſeruiunt enim illi ac peccato ſponte. In ea vita profeciſſe quiſque putandus, in qua mox delectatur, loquitur, operatur, & ſomniat, vt Plutarc. adnotauit.

Quid ſit & quotuplex inſtinctus: & mentem humanam inſtinctu naturali, & diuino, & angelico, & obiectiuo, inſtigari ad quæritandum Deum, vt fontem beatitudinis ſuæ, aliorumque entium iuxta modum capacitatis cuiuſque illorum.

ARTICVLVS III.

INSTINCTVS quidem eſt cauſæ cognoſcentis impulſus, ſiue ad finem ſiue ad media: vnde differt à ratione, quæ ſeipſam mouet ex facto argumento: quando enim non facto à ſe argumento, res aliqua incitatur ad effectum aliquem dicitur inſtigari. & propterea quatruplex eſt, alius enim ad ſupernaturalia bona eſt, & hic inſtinctus principaliter eſt à ſolo Deo: qui mouet creaturam rationalem ad ſui adeptionem quatenus eſt beatificũ ſupernaturaliter obiectum Angeli autẽ poteſt eſſe miniſterialiter. Naturaliter vero Deus inſtigat omnia Entia ad amorem ſui ex parte fruendi: & iſta motio non eſt gratia informans, ſed ſolum mouens & excitans vel naturaliter vel ſupernaturaliter. Deus enim autor naturæ & gratiæ eſt: Alius eſt inſtinctus violentus, quo ſagitta à ſagittatore impellitur ad ſcopum, vt docet Thom. ver. 22. art. 1. Alius eſt inſtinctus regitiuus, quo Bailus inſtigatur à Rege, & ſeruus à Domino ad aliquid agendum. Alius naturalis, quo à ſui natura intrinſeco motus principio res aguntur ad finem ſponte vt grauia deorſum, & Canis ad coitum. Quæ inſtigantur violenter non cognoſcunt finem, nec rationem finis, & mediorum ad finem vt trochus. ſed extra notitia eſt in mouente per ſe. Quæ mouentur naturaliter cognoſcunt finem & delectantur illo, vt dicit ex Dionyſ. S. Thom. Appetitus enim omnis ſequitur prænotionem rei appetitæ, ſed non cognoſcunt rationem finis: vt canis cognoſcit coitum, ſed non rationem eius, id eſt, quod ad immortalitatem fiat canínæ ſpeciei: ducũtur autem naturali voluptate. Creatura autem rationalis cognoſcit finem, & rationem finis & mediorum ad finem: ſcit enim coitum eſſe propter immortalitatem ſpeciei, qui eſt finis: & medium eſſe generationem. Quæ autem ſupernaturaliter inſtingantur finem præſciunt & media.

Inſtigator enim confortat poteſtatiuum ſpe, illuminat cognoſcitiuum fide, & afficit volitiuum charitate ſui. Vbi autem mouet vt Autor naturæ; quia dedit formam & facultates & motum ad operandum iuxta eas, dicitur inſtigare ad finem præcognitum per certa media. Violenter autem mouens imprimit vim inſtar formæ quam natura impreſſit, & dat potentiam motiuam durantem, quouſque obſtacula, & naturæ aduerſa inclinatio, non præualent: & ſimul motum: vt qui trochum gyrant & lanceam iaculantur. Quæ mouentur regitiuè iuxta nouam notitiam præcepti operantur, ſponte quidem, ſed vel ſeruiliter, vel filialiter. Quæ autem naturaliter operantur à forma impreſſa ab initio habent vt operentur. Quæ rationaliter, præter hoc habent formas plures cognoſcibilium obiectorum, & connexiones eorum inter ſe, ſecum, & cum vtilitatibus mouentis ſeipſum, ita quod plura media capeſſunt ad finem, & vno

vnō deficiente vel minus bono apparente, conuertuntur in aliud & aliud & in hoc relucet maximè libertas.

Præterea res naturales habent duplicem finem, alium per se & propter se: & ad hoc non indigent impulsore, quoniam in se habent formam sui esse, potentia, sensu, & appetitu innatis essentiatiuis constantem, impulsiuam ad opus. In his quę faciunt propter aliud indigent instigatore. Calor enim vt calefaciat & amplificet se, sufficit nec indiget duci de actiua potētia ad actū (sicut de passiua) causatiuè, sed occasionaliter tantum. Calor enim nisi habeat obiectum calefactibile non calefacit: obiectum autem occasionem dat tantum non virtutem calefaciendi. At vt calor faciat animal, & organizet corpus, quod ex suo ingenio primordialiter non intendit, sed addita ex ratione Gubernantis, indiget & occasione & impulsu. Vnde omnes confitentur dirigi ab intelligentia non errante. Sed intelligentia prima Deus influit Necessitatem qua adiguntur, Fatum, quo ordinantur, Harmoniā qua delectantur facere quod volunt, non quod vellent, vt declaratum est non semel. Et cum dicunt Doctores, quod omnes res naturales mouentur à Deo præcognoscente finem earum, intellige de motione communi vniuersali, & immediata immediatione principalitatis causæ, & virtutis, & voluntatis, cuius obiectum est sola bonitas sui sparsa per omnia, sicuti & veritas, & vitalitas vnde omnia esse possunt, sentiunt, & amant, non autem immediatione attingentiæ, modificatiua formaliter: hoc enim à non-ente habet, & à particulari causa, vt particeps nihili est, sed modificatiua ordinabiliter. Intelligentiæ autem secundæ ordinant sub magnis influxibus ad finem à Deo præscriptum dirigendo, vnde floritio arboris vt floritio, sic, est ab arbore: vt artificiosa, est ab intelligentia, vt propter finem immortalitatis saltem successiuæ, est à Deo principaliter, ab Angelis directiuè, ab arbore executiuè: vt Necessitate, Fato, & Harmonia adigitur. Instigant ergo Deus, Angelus, obiecta agentia, & occasionantia, & conditionantia, passiones, violentia, & innata vis, vt calor calefacit vi sua. Quæritur autem à quo instigatur Mens humana ad quæritandum Deum, & adipiscendum, vt beatificatiuum fontem omnium bonorum. Patres enim aiunt aliquando instinctu naturali, aliquando diuino, aliquando reuelatione. Resp. mentem humanam quæritare Deum per se, & vt calor calefacit, & per aliud vt calor viuificat animal & nutrit: per se quidem, quoniam Mens essentiatur, potestatiuo, cognoscitiuo, & volitiuo sui, ac per hoc aliorum. Ipsa autem non est à se: amat enim & potest, & sentit se, ergo per amorem, & notitiam & potentiam, quæ à suo principio habet, & illud esse quærit infinite augere vt calor calorem, & æternare quia Deus principium ipsorum infinitus æternusque est. hoc autem non potest nisi in æterno sui principio adsequi: ergo naturaliter per se ad illud principium tendit: & propter hoc D. Thom. dixit quod ex instinctu naturæ dependentis à Deo est religio, qua Deum colimus, non modo interiori actu, qui est amare & nosse, sed externo etiam protestatiuo interioris: & hoc ex abditis habet, vt supra probauimus ex Ecclesiastico, ex Platone, Hieron. Iamblico, Ficino, & D. Thom. & quamuis dicat S. Thom. quod quantum habent res de bonitate, & veritate & Entitate, tantum habent de amore, & sapientia & vita; tamen probatum est, hoc participium esse eminentissimè in creatura rationali, & circa finem & media & rationem finis & mediorum, quæ non sunt aliis in Entibus, ideo beatitudinem hominis esse celsiorem vsque ad Deum per essentiam habendum: nam anima nostra porrigitur amando & intelligendo in infinitum quod Deus est; cætera ad finitas bonitates tantum. Item homo instinctu superaddito quæritat Deum idest, suggestiuo ab Angelis, motiuo ab ipso Deo, & dispositiuo ab omni creatura, quæ clamat, ipse fecit nos & non ipsæ nos: Adeamus ipsum. & hoc probarunt argumenta in secunda parte luculenter. Præterea ex lege, & præceptis, & reuelationibus & miraculis. & argumentis, item ab omnib. obiectis, & ex cura hominis super omnia naturalia, quæ in cælo & in terra, sicut calor curat Plantas & animalia ex secundo instinctu. Sic enim imitantur Deum autorem omnium potendo, sapiendo & amando. Nullum autem Ens instigatur ab exteriori causa naturaliter, vel secundum naturam, nisi habeat in se propensionem ad id, ad quod instigatur, sicut oculus à luce exteriori non afficitur ad videndum, nisi implantatam haberet lucem. Quæ autem violenter, nequaquam.

DE BEATITVDINE.

Denuo probatur, Beatitudinem hominis in præsenti vita non reperiri, sed aliam sibi conuenire, quam Sapientia, & Religio, & Amor proponunt: contra Aristotelem, Epicurum, Mahometem, & Aphrodisiensem.

CAP. III. ART. I.

Quæcunque sunt, ac fiunt in mundo visibili, videntur ad hominis generationem, & conseruationem ordinari. Pugna enim elementorum non quomodocunque ordinata est, neque temerè fit, sed ita vt nascantur lapides, metalla, plantæ, animalia, & homo. Et si suæ conseruationis amore, & contrarij destruentis odio, agant in inuicem: tamen qui hanc ordinauit pugnam, intellexit, ex ea pulcherrimam rerum distinctionem fieri, & multiplicem generationem, quam elementa non intelligunt, sed casu quodam efficiunt, Fato, Necessitate, & Harmonia, concurrenti-

tibus. Homo autem vtitur tanquam Dominus cunctis his rebus. Nam & si herbæ sint propter Animalia: tamen & herbæ & Animalia sunt propter hominem. Quæsiuimus autem prius, vtrum homo sit propter aliud Ens. Et inter corporea inuenimus nullum, cuius gratia sit homo. Neque enim elementis est vsui, neque elementatis, sed è contra. Oportet ergo hominem esse propter Angelos, & propter Deum. Hoc autem non adsequitur in præsenti vita. Ergo alia sibi vt præsagiunt, Animæ debetur, ad quã Religio ipsum euehit, & sagacitas, & desiderium naturale. Ergo perperam Arist. Beatitudinem truncam, & miseriis scatentem, & ignorantia plenam, in præsenti solum vita dat homini.

Præterea bona præsentis vitæ spernit homo, quoniam aliam sibi deberi intelligit. Et quidem bona fortunæ esse quasi nil ad humanum desiderium: neque si totum possideret Mundum. Tum quia sunt bona externa, & non sua. Vnde si quis Podagra, & Epilepsia, & Lepra laborans, esset Dominus Orbis, pro nihilo reputaret Orbem præ sanitate, quæ esset verius sua. Tum quia bona sunt nobis, non per se bonum. Tum quia scatent miseriis & laboribus, & stabilitate carent. Honorem quoque & famam nihil esse nouit: tum quia dantur prauis hominibus, & sæpe his, qui non fuerunt in humanis: tum quia pendent ab honorantibus, & sunt nobis extrinsecus: tum quia homo priuat se voluptatibus, & gaudiis pro honoris conseruatione. Fœlicitas autem non priuat nos voluptate. Tum quia bonus est honor, quatenus nos conseruat secundum nomen in aliis: quod bonum nos quasi non sentimus, tanquam si ad nos non pertineat. Bona quoque corporis homo agnoscit non esse verè bona, neque permanentia, neque in eis fœlicitatem locandam. Sanus enim & pulcher, si indiget pane, & scientia, infœlix est. Si vero habet bona corporis, & fortunæ, adhuc fœlix non est. Quoniam corpus est propter Animam, non autem Anima propter corpus. Ergo bona corporis sunt bona, quatenus Animæ deseruiunt. Ergo si deest Sapientia & Virtus, nihil sunt etiã apud Epicureos. Præterea, corporis bona sunt cõmunia nobis, & brutis: bruta autẽ sunt propter nos. Ergo bonum nostrum non est in corpore. Præterea, multa bruta essent homine fœliciora, quia sunt longioris vitæ, sana, robusta, & pulchra magis, & agilia secundum speciem suam. Stultum autem est reputare id, quod est gratia alterius, esse fœlicius illo. Neque in voluptatibus corporeis homo reponit beatitudinem, licet Epicurus, & Mahometes in hoc errent. Nam eadem beatitudo competit brutis, & quidem sanis magis, quam nobis ægris.

Item, hæc beatitudo coniungit hominem bonis infœlicioribus se, vt cibo, potui, & fœminæ. Stultum autem est arbitrari, melius à deteriore beari. Præterea, voluptates non propter se sunt, sed propter conseruationem hominis in indiuiduo, vel in specie. Ergo conseruationis est potius bonum. Præterea, hæ delectationes cessant & pereunt, adueniente eo, propter quod fiunt: imò in nauseam aut tristitiam commutantur: ergo non sunt bonum summum, per se nullius indigum: Sed ait Mahometus, quod in Paradiso comestio non afferet fastidium, & satietatem, neque coitus languorem: sed semper quandocunque vult homo, ibi comedet cum voluptate, & coibit cum mulieribus mundissimis absque satietate fastidiosa, & quoties vult: sed asininè loquitur: si n. non accidet satietas in cibo, & coitu: ergo semper Beati mãducant, & futuunt simul, qm̃ semper incessanter beãtur: & quomodo possunt hos actus simul facere.

Præterea hi actus, manducatio & coitus, sunt propter finem instaurandi deperditũ in corpore, & in specie. Sed ibi corpus nihil deperdet: alioquin mutaretur semper, & non esset idem, neq; fælix. At neque species, quoniam nemo moritur. Ait Mahometius: hi actus sunt solum ad delectationem. Tunc quæro. Num qui manducant, cacant etiam? an in sudores, & semen vertitur totum nutrimentum? Quicquid respondet, datur mutatio, & non Entitas. Item si nõ sunt propter finẽ sed solum delectationis gratia: & in hoc stat beatitudo, ergo sequitur, vt prius, quod semper simul comedant, & futuant, alioquin beatitudo interturbaretur. Quod si lassitudine, aut labore cessant ab his actibus, vel propter meliorem voluptatem: Ergo in his non est vera beatitudo. Præterea finis vltimus est appropinquare Deo, sed per has delectationes auertimur à Deo. Tandem furor est, putare quod voluptas maior sit in coniunctione rei deterioris, qualis est cibus & coitus, quam melioris, qualis est Angelus, & Deus. Vnde Auicen. quamuis Mahometanus in Metaph. Tract. 9. cap. 7. ait Prophetæ testimonio teneri esse resurrectionem corporum, & aliam vitã post mortẽ huius sæculi, & fœlicitates & miserias perpetuas. [At lex nostra ait, quã dedit Mahomet. ostẽdit fœlicit. & miserias, quæ sunt sm̃ corpus. At alia est promissio, quę apprehẽditur intellectu & argumẽtatione demõstratiua, & Prophetia approbat. & hæc est fœlic. & miseria animarũ postquã sunt exutæ à corp. suis, &c. Et mox docet, quod corporalis delectatio est asinorũ & pecorũ, quibus deest anima ad altiorẽ creata perficienda beatitudinẽ. Cuiꝰ perfectio abũdantior, nobilior, maior, diuturnior, & apprehẽsio fortior, & delectatio excellẽtior, & gloriosior. Ad quã nũc sumus nos, sicut surdus ad Musicã, & sicut infirmus ad sapores bonos, & glaciata manus ad voluptuosũ tangibile: & propterea voluptate asinorũ contẽtamur, donec sanemur, fiamusque idonei ad perfecta gaudia. Mox dico igitur (ait) quod perfectio animæ rationalis, est vt fiat seculũ intelligibile, & describatur in ea forma Totius, & ordo intellectus in Toto, & bonitas fluens in esse, vt incipiens à princip. Totius transeat ad substant. excell. spiritual absolutè: deinde ad animas pendentes ex corporib. deinde ad mouẽtes corpora. d. ad corpora cęlestia. d. vt hæc omnia sint in anima descripta sm̃ dispositiones & vires earũ, quousq; perficiatur in ea dispositio vniuersitatis: & sic transeat in seculũ intellectum instar esse totius mũdi: cernẽs id, quod est pulchritudo absolutè, bonitas absolutè, decor verus, &c.] Deinde nos nõ posse nisi spoliatos passionib. corporal. hanc verã beatitatẽ olfacere: nõ tamẽ gustare nisi adepto seculo intellectuali: sed postea examinabimꝰ. Cognoscit quoq; homoꝰ oẽs voluptates extra nos esse vanas, & plenas solicitudine, & alienatione, proindeq; ignorantia nostri, nisi nos in melius alienent, vt in Angelũ, aut in Deũ. Quapropter nullã beatitudinẽ extra se in corporalibus sibi cõuenire sũmam putat: cũ præsertim ex omnibus bonis externis malũ nasci possit, & amissio. Neq; in vitæ præsentis cõseruatione ponit beatitudinẽ, qm̃ vita præsens est corporea, corpus autẽ nobis est inferius, & deterius, & non beat. Itẽ est amissibilis. cũ ergo quis cogitat, se perditurum esse vitam, impletur infælicitate: stul-

tè Epicurus moriēs scripsit:cū ageremus extremum beatę vitę diē. Si n. est beata finē nō habet. Frustra. n. datur bene viuere: cui nō datur sēper viuere. scimus preterea, vitā vitiosorum esse plenam anxietatibus, suspicionibus, desideriis afflictiuis, conscientia propriæ ignorantiæ, & ignauiæ, atq; alienæ virtutis inuidia, odio, dolore: vt si cunctis abundet bonis, iuuent illū, vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram: auriculas cytharæ collecta sorde dolentes, ait Horat. Virtuosus autem gaudet bonis, & malis euentibus, si tamen putat esse mercedem post mortem: ergo si hæc fides hominem beat. Immo absque mercede virtus videtur hominem beare, quoniam contentus est, quicquid eueniat: & conscientia rectè factorum beatur: & carentia ignorantiæ suspicionis, & dictorum malorum. Sed tamen homo in his cognoscit, se beatum in comparatione ad scelestos: vt Stoici coguntur fateri, & Petrus dixit Simoni Mago. Nam reuera virtus non beat, sed est medium tendendi ad beatitudinem. Et sunt virtutes propter hominem conseruandum, & non homo propter ipsas, vt ridiculè docet Aphrodisiensis: sunt enim quædam virtutes purgatiuæ vt Pœnitentia, Iustitia, Vindicatiua, Temperantia Continentia, Ieiunium, Virginitas, Paupertas, quæ per se bonæ non sunt, neque virtutes, nisi quatenus remouent obstacula & vitia, & peccata, & parant hominem ad virtutem, & beatitatē. Neq; in virtutibus perfectiuis ad summūbonū, cuiusmodi sunt, fortitudo, prudentia, beneficentia, veracitas, gratitudo, solertia: qm̄ hę omnes reprimūt gaudia, & voluptates, & ponūt mediū in passionibus.

Apud S. Clem. R.

Hoc autem non est summum bonum: neque enim passiones & actiones modificatæ sunt bonæ, nisi quia conseruant: si quis enim nimis lætatur, aut tristatur, destruitur. Multi ex nimia lætitia mortui sunt, & vacantes gaudiis non aggrediuntur labores. & sunt præda aliorum, & fiunt inertes, & non seruantur. Quapropter repressio voluptatum, & dolorum & actionum moderatio ad hoc bonæ sunt, vt seruentur. Ergo conseruatio est verum bonum: & virtutes sunt viæ ad illam. Fortitudo ad conseruationem nostram & Reip. ordinatur. Iustitia ad vnionem membrorum Reip. vt mutuis se seruent officiis. Prudentia ad modificandas virtuosas actiones, ad vitandum noxia, & sectandum vtilia: & profecto non per se quæritur, sed vt conseruemur: vnde imprudentibus animalibus natura dedit vestes & arma; prudentibus vero manum, vt illa sibi parent: & vbi plurimum de prudentia, minimum de fortuna: quoniam prudentiam fortuna acquiritur. Fortuna autem est propter conseruationem. Quapropter in virtutibus perfectiuis non agnoscit homo bonum summum. Quid si prudens indiget pane, libertate & sanitate, & non est qui ipsum audiat? Tandem neque in virtutibus illuminatiuis inuenitur summum bonum, vt in sapientia, scientia, intelligentia: quoniam istæ indigent potestate, & bonis externis, vt acquirantur: neque homo his decoratus, sibi sufficit. Præterea si scimus quæ nobis prosunt, & frui non possumus, beati non sumus. Videtur quoque scientia esse propter conseruationem, vt sciamus vtilia, & noxia, illa sequamur, & ista declinemus. Et quamuis sapientia beare possit, tamen in hac vità non potest haberi, quoniam corpus impedit eam & alienatio animæ à te. & ignorantia tui quæ accidit à præsentis vitæ functionibus, beatitudinem remouent, & sapientiam labefactant, & paucissima scimus, & ex parte: & sapiens est solum, qui scit se nihil scire, vt in prima parte probatum est. Quas ob res cum omnia præsentis vitæ bona videantur homini imperfecta, ac malis plena: & ipse meliora intelligat extare, & eis inhiet, & propter illā spernet præsentia: consequens est vt alia vita hominem maneat, veraq; bona. Frustra enim dedisset illi natura cognitionem verorum bonorum, & contemptum præsentium, si vtrisque debet orbari, vt dicebamus prius. Præterea quod est propter aliud, per se non est bonum, nisi quatenus illi alio bonum est. Non enim dicimus gladium esse bonum, nisi bello aptus sit, & gladiatori bonus. Neque si esset longus centum palmis, neque si esset aureus, diceretur bonus, quoniam homini ad bellum, cuius gratia est, vsui non est. Neque equus ferox est bonus, qui Equitem elidit. Nam equus non est gratia sui à Deo factus, sed hominis. Si esset esset sui gratia, quo ferocior, & seruitutis impapatientior, eò melior esset. Omnia autem Entia dicuntur bona, respectu hominis. Homo vero respectu Dei. Ergo est propter Deum, vt equus propter hominem. Nemo enim bonus, quem Religio & Virtus non exornat. Hæc autem ad Deum, non ad se hominem ordinant. Nam priuant hominem suis appetitibus propter Deum. Virtus enim propter conseruationem est. Hæc vero in Deo solum est, ad quem Religio nos trans humanat. Æternari enim non potest homo æternitatis cupidissimus, nisi ab æterno per essentiam. Item, Virtutes in hoc Mundo, priuant hominem delitiis, & obiectis amoris; qui est primalitas Entis. Ergo esse hominis in hac vita, non seruatur in sua puritate, sed in contractione ad hoc tale esse. Homo vero cognoscit esse, super hoc esse. Illud ergo sibi conuenit. Propterea cessant Virtutes contractæ, & remanent primalitates puræ in beatitate æterna.

Præterea, ostendimus in tertia Parte, summum bonum esse conseruationem. Ergo æternitatem. Et quoniam in vita præsenti hæc non reperitur: ergo in alia, si alia nobis conuenit. Quod autem alia conueniat, patuit quoniam homo miserias huius vitæ agnoscit, & nullam reperiri sinceram beatitatem, & aliam sibi esse procurandam, & quia hic intellectus & voluntas non satiantur: & quia non est propter corpus, aliaque propter Entia vitæ præsentis elementaris, sed omnia propter ipsum: ipse vero propter superos, quod anxiè quæritat per studium & religionem. At in alia vita non est æternitas, nisi per adhæsionem ad æternum Ens: qui est Deus. Ergo in solo Deo beatur homo: & hoc quærebamus in principio, cum diximus Religionem esse reuersionem ad suum principium: quoniam Entia cuncta ad principium suæ entitatis reuertuntur, eo quod ibi solum inueniant securitatem suæ conseruationis.

Item, si beatitudo est intelligere diuina, & hoc non completur in hac vita: Ergo in alia. Hæc ratio est contra Aristotelem. Homo præterea non cognoscit, amatque hoc modo, & illud ens & bonum: nam in cunctis agnoscit defectum, & mistionem Non entis. Ergo amat bonum, & Ens purum, non contractum. Ergo id modo est finis eius, & summum obiectum. Multi errant ab hoc scopo secundum Sapientiam aliam, quæ facit alienationem Animæ à se, vt dictum est: sed secundum inditam omnes ad illum inclinantur: quo-

niam semper esse, & viuere absque malis appetunt, quod est deificari. Cætera vero Entia hoc & illud sēper esse; non autem simpliciter sēper esse cupiūt: Propterea reuertuntur ad principia contracta: homo vero ad principium purum, & summum, & quousque erigitur Sapientia & Amor internus, eo vsque potentia interna, quoniam sunt vnum, & primalitates pares. Potest ergo homo vitam in Deo accipere præsertim iuuante Deo, qui bonus est, & nihil dat frustra, neque impellit ad finem, nisi etiam det finem. Nec ponit nos in regione dissimilitudinis, & pestilentiæ, quam in nostris mentibus experimur: quæ bonum noscentes & probantes, sequuntur deteriora vitæ & Reipub. nec vnquam id quod docent faciunt: nec quod volunt adipiscuntur: nisi propter pœnam, aut meritum. Erit ergo tempus, cum ad propriam regionem nos reducat, efficacibus remediis, vt Philosophia, ne dum Christianorum, sed etiam Zoroastri, & Platonicorum, & Gentilium, & naturale desiderium contestantur.

Beatitudinem, quæ est conseruatio Entitatis humanæ, in summo Ente consistere, in vnione secundum potentiam, sapientiam, & amorem: nec consmmari, nisi in fruitione, quæ præsupponit habere, & sapere, & qualiter, & qualia.

CAP. II. ARTIC. I.

CONSISTIT autem Beatitudo non in sola possessione: qui enim habet aurum, & nescit vsum eius, eò non beatur. Neque in possessione & scientia. Qui enim scit cibum se habere in domo, & non manducat, illo non beatur. Neque in fruitione, & amore. Qui enim fruitur muliere, & non potest, aut nescit: nullum est gaudium eius: & qui cibo fruitur, & nescit modum, repletur donec intumescat nimis, & ægrotet. Ergo consistit beatitudo in possessione illius rei, quæ nos conseruet, & in sapore, & fruitione. Ens primum se ipso beatur. Quoniam semper est, & vbique, & infinitè, extensiuè, & intensiuè: & nullius indiget: sibi sufficit: se solum amat, intelligit, & potest: & in hoc potest omnia, scit omnia, & amat omnia. Mens autem humana finita est, & indiga. Beatur ergo adhærens infinito non indigo: non facta illud, vt lignum ignis, quoniam non esset quod est, sed sicut ferrum ignitum, quod est ferrum, & ignitum. Sic mens est mens, & deificata. Ergo & beata. Homo in præsenti vita est in Deo, & Deus in eo. Ergo habet Deum in se: sed non beatur: quoniam suæ tantum Entitatis potestate habet, non autem omni, nec omni sapientia: si enim cognosceret Deum, qui intra se est, beatus fortè esset. Item lapis, & lignum, & omnia Entia sunt in Deo, non tamen beantur, quoniam non cognoscunt eum: Homo vero cognoscit Deum esse in se, & vbique: non tamen beatur eò, quoniam non cognoscit ipsum per se intuitiuè: sed per effectus, & in alio argumentatiuè, vt qui scit cibum satiare famelicum non satiatur nisi manducet. Manducatio est gustatio interna, & sensus intrinsecatus: cognitio vero cibi est sensus extrinsecus, & per aliud. Quapropter homo non satiatur Deo per hoc, quia nouit ipsum ex effectibus, vt solem in luce effusa: sed quia attingit ipsum in se, quod Theologi vocant videre per essentiam, & intuitiuè, & non per syllogismum, & abstractiuè. Sed intuitus Animæ non est, sicuti intuitus oculi, qui videt res per species delatas à luce tincta rebus: sed videt per intrinsecationem rei in se, & sui in illam, sicuti per essentiam videt lucem, quantam potest tolerare: & per lucem rebus tinctam videt res: si autem confortatus esset spiritus videns in oculos totam lucem, videret per se iocundissime & per illam omnia illuminata simul, *Deus lux est* (ait Ioan.) in qua sunt omnia obiecta per ipsum visibilia.

In somnis quidem videmus multas imagines oblatas à natura, vel ab Angelis, & tamen absque luce solari: lux ergo deseruit ad deferendas imagines à rebus ad hominem videntem. Quando ergo anima rebus inhæret, ab intus videt eas præsertim si natura visibiles. Non enim oculus videt, sed est porta, qua visibilia intrant ad videntem. Ergo intelligere intuitiuum est intrinsecatio, per quam vnum fit aliud.

Cognoscere enim est fieri rem cognitam. Sic Anima, quoniam in hac vita non fit Deus, sed res, quæ ipsum defectiuè repræsentant, non potest beari: sicut nec per cibi visionem & tactionem cibari, nisi gustetur. Propterea sacræ literæ manducationi assimilant beatam visionem, vnde deceptus est Mahometes. Profectò ad cognitionem talem rei in se, sequitur fruitio, & delectatio, in quam consummatur beatitudo, sicut Entitas in amore, fluente ex sapientia, & potestate: & propterea videntur scire & posse, habere pro fine voluptatem. Sed voluptas de re aliqua non capitur, nisi per possessionem, & cognitionem intrinsecam: propterea de Deo in hac vita non capimus voluptatem, quoniam scientiam habemus de eo extrinsecam per hoc quod cognoscimus effectus eius: & sicut qui cognoscit cibum extrinsecè, non fruitur quia non gustat: sed quatenus sperat gustare fruitur quadam voluptate prænia, quia aliquo modo afficitur illo & fit ille: sic qui sperat mulieris amplexum, fruitur in spe non in re: sic in hoc mundo non potest reperiri fruitio Dei, nisi in spe, quatenus permittitur nobis spectantibus effectus eius, & gustantibus in eis aliquas voluptates, vnde intelligimus causam omnium esse voluptuosissimam, & in 2. P. ostendimus in hoc sæculo aliquos sapere Deum, & non per effectus solos summa, cum voluptate: sed transeunte propter corporis pondus: & profectò non beatur qui scit aliquam rem, nisi fruatur. fruitio autem ex scientia nascitur & potentia, vel ex posse & scire, sicut amor ex scientia & potentia. Quapropter rectè dicit Scotus, beatitudinem consistere in fruitione: quæ est actus voluntatis attingentis obiectum.

Nec minus rectè qui in possessione & compræ-

hensione: nisi enim potestas attingat bonum, sapientia illud non sapit, nec deinde amor illo frui potest, nisi possessio & sapor præcessit, iuxta doctrinam de primalitatibus. & rectè D. Thomas, qui ponit ipsam in intellectione intuitiua: quoniam assequimur, attingimusque bonum summum intellectione, quæ est sapientia sapore rei intrinsecus affecta: non autem sicut sapientia, quæ est in hac vita extrinseca: qua nihil intrinsecè cognoscimus, nisi nos ipsos. & tamē hæc nostri cognitio est adeò imdita ab additis notionibus rerum aliarum, quod nihil minus cognoscimus, quàm nos ipsos. Præterea in Mundo quando homo aliquid cognoscit, fit illud, & destruitur aliquo pacto in se: quoniam Entitates corporeæ sunt particulatæ, & contractæ, & per consequens contrariæ. Homo autem vnitus Deo per sapientiam, & potentiam sapit Deum, & non destruitur, quoniam in eo non reperit contrarietatem, vbi nulla est contractio. Propterea in hac vita est generatio, & via ad beatitudinem, non perfectio. Profectò voluntas est æquè primalitas, ac intellectus: idcirco in vtrisque æquè fit beatitudo, sed non minus in potentia, per quam summum bonum prius compræhendimus & possidemus, mox sapimus sapientia, & fruimur voluntate. Ergo de corporeo Mundo, ad quem exiuit Mens, reuertendo & ingrediendo ad Mentalem, Archetypumque beatur, primalitates suas, suumque esse contractum ad inopiam, magnificando, & amplificando in fonte vitarum copiosissimo.

Vtrum Beatitudo sit in actu voluntatis, an intellectus, aut in actu potestatis.

ARTIC. II.

QVANDO ergo quæritur vtrum Beatitudo consistat in visione, quæ est actus intellectus, aut in fruitione, quæ est actus voluntatis, aut in comprehensione, quæ est actus potestatis: quæstio nulla est apud nos, etenim est in vnione, seu possessione, quæ est actus potestatis, quia primo attingimus bonum, & sine qua non sequitur cognitio, nec voluptas, nec enim oculus cognoscit colorem, nisi ipsum prius tangat luce delatum; nec alius sensus obiectum vllum, nisi prius comprehendat, quemadmodum diximus in Physiologia. Est ergo in comprehensione, potentiæ actu, sicut dicit Apostolus: *Sic currite vt comprehendatis:* est & in sapore, actu intellectus, sicut dixit Iesus, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum.* Est & in voluptate, actu nimirum voluntatis, sicut dixit Dauid, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Siquidem nulla primalitas est extra essentiam, & nulla expers beatitudinis, aut minus particeps. Et quidem gustus potest aliquid gustare, & non delectari, nec tamen illo beatur, sicut gustus æger, aut plenus bile. Veluti potest aliquid possideri, & non cognosci.

Quapropter consummatio beatitudinis consistit in fruitione: adsecutio fit per comprahensionem: profundatio per intellectionem. Ergo per omnem primalitatem; & quatenus sunt vnum, quia omnes sunt in omnibus: & quatenus sunt plures, quoniam non nisi per actus omnium beamur. & profectò beatitudo est summum bonum, quod est obiectum voluntatis, licet per intellectum proponatur, & percipiatur, non tamen vt intellectum beat, sed vt volitum, sed tamen volitum vt intellectum. Item cognoscere & sapere est propter delectationem: & non è contra. Et quamuis actus voluntatis non sit primum volitum, sed obiectum intellectum, vt bonum, tamen illud non beat, nisi vt volitum. Volumus enim semper esse. Ergo quod nouimus dare esse. Actus volendi non facit beatum, sed amandi, & fruendi, quoniam consistit in coniunctione voliti, & volentis: & licet habere bonum sit causa delectationis, non tamē delectationē est fructus boni. Nam amor est proles potentiæ, & sapientiæ: sic obiectū potentiæ, & sapientiæ, quæ sunt eadem res habita intellectaque, causant fruitionem, & finem, & consummationem ipsorum: sed causant eam, vt intellectum illud est, volitum vtrumque, quod tamen est vnum.

Dubit. lib. 4. q. 5. nat. Sed contra est Plato in Philebo, & Arist. in 10. & hic. & Aprodis. delectatio potest esse bona, vt honesti obiecti, & mala, vt turpis. ergo per se non est bona. ergo non est beatitudo. Item datur Animalibus propter alium finem, in cibo propter conseruationem indiuidui: in coitu, speciei. ergo non propter se quæritur. Ergo non propter se bona, neque per se appetenda. Item delectatio est quietatio voluntatis in bono conuenienti: sed non propter hanc quietationem res agunt: non enim grauis tendit deorsum, vt quietet inclinationem: sed vt assequatur locum suum: ad quam sequitur quietatio concomitans finem. Hoc idem docet D. Thomas, & addit, quod delectatio perficit ad speciem rei, non autem sequitur.

Resp. Ad primum respondeo, quod voluptas quatenus est primalitas, non causatur, sed specificatur, & vt extra accidens est, intus essentialitas, & cum sit sensus boni fruitiuus, est bona per se: sed etiam ea, in quibus est voluptas, vt causant voluptatem, bona sunt, quoniam placent. nihil autem placet quatenus malum. non ergo quatenus voluptuosa, mala: sed propter annexum. vt Adulterium non est malum, quia voluptuosum, sed quia proximis iniuriosum. ex qua iniuria sequitur in nos vituperiū, & punitio. Neque nimius coitus malus, quia voluptuosus: sed quia debilitat, & perimit per accidens: sunt enim mala mista bonis in hac vita: vnde dolor quatenus dolor malus: sed mistus honori & sanitati, bonus videtur. Ideò sapiens est & virtuosus, qui vitat voluptates n[illegible]s malis: non qui odit voluptates. Neque Religiosi abstinent à voluptatibus præsentibus, nisi quia timent amittere futuras æternas in Deo, dum ab his illecti recedunt à vera æternaque iocunditate.

Ad secundum dicimus voluptatem esse affectionem innascentem ex sensu suæ conseruationis in

ſe, vel in alio: propterea in cibo, & Venere, & honorificatione iucundamur: & appoſita eſt à Deo, vt alliciat nos ad laborem manducationis, & prolificationis, & educationis. Nec propterea non eſt finis, quia præcedit finem. Nam ſicut ſpes eſt pars rei præconceptæ: ita principium plenum ſpe eſt pars, & in parte eſt ſapor totius. ſic iocundatur, qui ſeminat frumentum, quoniam præſentit fructum; quia ergo in his præſentimus conſeruationem, voluptate afficimur. & hoc probat tertia ratio quæ quietationem ponit (licet concomitantem; nos vero eſſentiantem beatitatis) poſt adeptionem boni. & hanc vocant delectationem. ergo voluptas conſumata eſt in bono acquiſito: prælibata vero in acquiſitione.

Propterea in hoc Mundo non datur voluptas vera, niſi prælibata impura, & initiata, non autem completa; quoniam acquiſita bona non ſunt verè bona, & amittuntur, vt corporalia; aut imperfectè acquiruntur, vt intellectualia. Idcirco omnia reuertuntur ad ſuum principium, vbi perfectè ſeruantur. ad quod ſequitur certa, conſtanſque voluptas, poſtquam agnoſcunt in cæteris rebus ſui defectionem.

Et quidem prælibata non trahit nos ad alium finem, ſed ad ſemet conſummatam in rerum principio: qui eſt finis & omnia beabuntur conuerſa ad primum Ens, quæ non ſunt propter Entia, in quorum vſu conſummantur. & beatitudo eſt conſeruatio. Conſeruatio autem pura non virtutibus contractis: ſed potentia acquiritur, ſapientia tenetur, amore conſummatur. Et de hoc in ſecunda parte, diximus luculenter. Beati qui fallaciam bonorum præſentium agnoſcentes, ad ſummum verè bonum totis viribus reuertuntur, qui eſt Deus benedictus.

An viam & terminum viæ ad Beatitudinem faciat intellectus adeptus omnium rerum creatarum, per quas deuenimus ad creatorem, vt Auic. putat: An potius nudatio & reuerſio à notitijs adeptis alienantibus nos à nobis ad notitiam intuitiuam noſtri, ac proinde Dei noſtri principij. Item vtrum imaginatio bonarum ſpecierum adeptarum, & ſperatarum, ſtatuant beatitudinem: & malarum damnationem gehennæ. vel requirantur obiecta noua, & applicationes tam ad beandum bonos, quam ad cruciandum ſceleſtos, & quomodo agant in animas.

CAP. III. ART. I.

DEVS omnipotens, omniſcius, omniuolens, ſummum ens, ſummum verum, ſummum bonum beatur quia poteſt, ſcit, & fruitur ſe ipſo puriſſimo non mutato nec alienato ab exterioribus obiectis cauſiſue, & quia nihil illi deeſt: idem eſt illi eſſe ac beatum eſſe. Mens autem omnis creata ſe poteſt, & ſcit, & amat, ex innatis eſſentialitatibus conſtitutionis ſuæ. At quoniam contractæ ſunt mutabilem ipſam faciūt: Omnis autem mutatio eſt aliqua mors: propterea non faciunt vitam veram, ſed miſtam, & non ſunt ad beandum ſufficientes, niſi principio ipſorum æterno immutabili veræque vitæ copulentur, ſicut aqua niſi reuertatur ad mare ſuum principium, à quo alienata eſt per exteriora itinera obiectaque. Omnis defectus cauſat deſiderium infœlix, donec impleatur. omnis additio exuberans, ſi vitiat, nocet ad infœlicitatem; ſi conſeruat, amplificat ad beatitatem aliquam. Nocet autem ſi alienat, iuuat ſi concordat. Ergo quoniam mutatur mens ab obiectis, & à ſui notitia & eſſe alienatur. Fit enim ea, à quibus afficitur, vnde in ſui cadit impotentiam, quoniam non ſe, ſed aliis poteſt; & in ſui ignorantiam, quoniam non ſe, niſi occulto modo, ſed alia ſcit: & in ſui diſamorem, quoniam non ſe niſi ſecreta: ſed alia amat deperitque vſque ad inſaniam: ex quibus potitis, & ſcitis, & amatis, reflectitur ad ſui potentiam, & ſcientiam, & amorem. vnde in ſcholis humanis dogma eſt, quod anima non cognoſcit ſe ipſam directè niſi reflexè, & ſimiliter debent dicere, quod non amat nec poteſt ſe, niſi reflexè. Ex eo enim quod amat alia reflectitur ad ſui amorem, & eo quod noſcit alia, reflectitur ad cognoſcendum ſe cognoſcentem eſſe. Et quia poteſt alia, potentem fieri.

Hoc autem falſum eſt: quinimo ex hoc enim quod poteſt, & ſcit, & amat ſe, poteſt, ſcit, & amat alia, vt probatum eſt ſupra. ſui autem amorem & notitiam, & potentiam eſſe quaſi oblitteratam, ergo mortis & infœlicitatis participē: & propterea occultam probauimus: ſicut oculi ſpiritus viſiuus ex hoc quod lucidus eſt lucem accipit; & illuminatus lumine accepto lumen extrinſecum nouit: & manus calefit, quia potentia eſt ad calefieri, & ex calore quo calet, quemque perinde noſcit vt quod & vt quo, pernoſcit & calorem ignis calefacientis vt quod.

Quando igitur mens ſpoliata fuerit omnium rerum motionibus, notionibus, & affectionibus, tunc quaſi ſpoliata participio mortis non impedita, ſe ipſam poteſt, ſcit, & amat clarè per eſſentiam, & beatur non ſe vt ſe, cum ſit modificatæ Entitatis & bonitatis mutabiliſque, ſed vt principio ſuo immenſo ſupra mutabilitatem ipſam eleuanti copulata, cui nimirum appetit, ſed non poteſt copulari niſi laruis obiectorum externorum, in quæ alienabatur à ſui notitia, ſpolietur. Tunc enim ſtatim videt ſe, & principium ſui eſſe Deum verumque bonum; ſicut aqua mari reddita, mare agnoſcit; quod antea extra poſita ignorabat pa-

iam, licet secretò amabat; & bona Dei naturalia per istam reuersionem gustat. Ad supernaturalia autem promissa non potest eleuari, vt Deum per essentiam habeat, videat, & fruatur, nisi diuino supernaturali auxilio, quod Theologi vocant lumen gloriæ, licet non modo illuminet facultatem intellectiuam, sed afficiat volitiuam, & corroboret potestatiuam, ac proinde totam essentiam animæ.

Etpropterea Philosophi gloriam animæ concedunt, sed non videre, & capere Deum per essentiam; quoniam istius luminis supernaturalis promissi notitiam non habuere. & sicut vespertilio dicit, solem in se non posse videri, quia non habet ipse oculum purgatum perpolitum, & fortificatum, vt Aquila: sic homo absque auxilio superno non credit tantas pollicitationes. Vnde Auic. in Tract.9. Metaph.cap.8. docet, quod homo nunc se habet ad beatitatem promissam, vt surdus ad musicam, & vt ægrotus ad cibos salubres, & lingua amaricata ad gustabilia. & quod ablatis laruis passionum & voluptatum pecorinarum corporalium, olfaciemus diuinum bonum, sed non gustabimus, nisi per adeptam rerum omnium intelligentiam; & per hoc desiderium suæ veræ perfectionis. Auer. etiam per intellectum adeptum putat posse copulari animam intellectui actiuo aliquando, & sic beari.

Vidimus autem in hac vita non posse hominem rerum scientiam omnium adipisci, sed aliquarum & non ex toto, sed ex parte, & non prout sunt, sed prout apparent, & solum Deo prout sunt esse nota. Quapropter impossib. est hunc intellectum omnia adipisci, & copulari Deo. Tanta præterea est maiestas, vt sicut folium in fornace, ita anima Deo viso sicuti est, & Semelis fatum incurreret. spoliatam verò corpore, vel scientias non deferre, vt putat Auic. quoniam species reponit in sensorio, vel in superiori intellectorio: alioquin non daretur obliuio, & pausa in intelligendo. Aut si portat species obliteratas, ex parte portat, & falsas, quasdam ex toto, quasdam ex parte; non ergo videtur medium tantæ copulæ aptum.

Propterea Theologi nostri addunt lumen gloriæ. At & illud quod Auic. ibidem tradit non est bene examinatum. Putat enim eos qui benè vixerunt, deferre secum opinionem beatitudinis suæ, & desiderium diuinorum, per id quod habent de intellectu adepto, sicut tepidum appetit calidum. Scelestos verò imbui pœnarum meritarum opinione, & gehennæ, & diabolorum. Istæ autem imagines remanent, & crescunt post mortem, & generant in anima passiones ingentes, illis lætas, istis pœnosas. & quoniam passiones animasticæ sunt fortiores corporalibus ad afficiendum; vnde aliqui præ lætitia nimia moriuntur: Alij præ tristitia canescunt subito; alij distorquentur ex imaginato malo, quod nullum est in Natura, & remanent distorti, vt in 4. de Sensu rerum ostendimus: Propterea putat Paradisum, & gehennam esse in anima; & comparari ex bona malaque vita mortali.

Nos quoque legimus in Ecclesiast. *Iusti mens quasi iuge conuiuium. Impius autem in tenebris ambulat.* Et in Isaia, *Vermis eorum non morietur.* Nam conscientia rectè factorum beat malefactorum infœlicitat. Et August. ait, *Iussisti Domine, & verè sic est, vt vnicuique pœna sit suus impius animus.* Et Senec. *Animus culpa plenus semet timet.* Et Christus, *Regnum cœlorum intra vos est:* & Paulus, *Non est Regnum Dei esca & potus* (vt putat Mahomet) *sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Verũ enim vero hæc omnia docent in anima fieri beatitudinem, & ab anima, non vt à se, sed vt à Deo est, *quem videbimus sicuti est*, vt dicit Ioann. Ergo illæ imaginationes bonæ, quas Auic. celebrat, sunt ab apprehensione summi boni, verè beantis. Malæ verò à priuatione summi boni, à quo recedentes obtenebramur, infirmamur, contristamur: non enim datur summum malum. Et quidem si solum à nobis in nobis esset gehenna & Paradisus soluti sumus maxima dubietate quæritandi locum gaudiorum, & locum pœnarum. Nam si & illud est Deus & Cœlum Cœlorum; hoc tamen, vt Orig. & Chrysost. & Thom. dubitant, non videtur locus inferorum; & ignis & vermis, & stridor dentium; quæ animæ spoliatæ non noceant. Virgilius etiam sic, ab anima corporeas labes pestesque non aboleri, donec igne purgentur; quam purgationem etiam Auic. admittit. Origenes autem pluries fieri per sæcula, donec totum malum ex creaturis contractum expurgetur; & solum bonum quod dedit illis Deus remaneat, & vt pluries purgatum aurum, tãdem omnia reuerti ad summum bonum, cum non detur summum malum à quo perenniter detineantur.

Idque Gregorius Nyssenus etiam suspicatur, & aliquando sanctus Hieronymus: ita quod sperant reuersionem omnium rerum, & hominum, & diabolorum, ad Deum victorem totius mali: sed quoniam Euangelium minatur impiis supplicium æternum, recessit ab hac sententia Hieronym. & Theologorum schola sanctorum: & commendat negotium Deo, qui dixit in 4. Esdræ ista quæritanti, & dolenti de perditione Gentium, & de pœna æterna. *Multum tibi deest, quam vt ames creaturam meam plusquam ego.* Quasi dicat, tu attende tibi, & sta præceptis. Hæc mihi curæ sunt. Ad principium quæst. ergo respondemus; Quod scientia acquisita, & operationes bonæ, non possunt beare, sed disponere ad beatitatem, quam dabit Deus: nec solis imaginibus fieri fœlicitatem & infœlicitatem, sed etiam obiectis diuinis, & infernalibus.

Nam scientia nostra, & probitas nostra est plena erroribus nedum imbecilla, plenaque sordibus, & vitiositate: ita vt oporteat exuere istas laruas, & ad nostri notitiam redire post alienationes tantas; & per hoc Dei nostri principij. Scelestos verò cruciari imaginosis malis, & corporeis afflictionibus. Nam si in corpore posita anima dolet, tristatur, cruciatur corporeis doloribus: Itidem potest detineri ab corporibus tenebrosis & vrentibus, ac simul proinde affligi ab eis. priuatio tamen summi boni est atrocior quàm passio sensibilium malorum. Possunt autem corpora in animam non de se, sed quatenus instrumenta iustitiæ Dei, quoniam furor Domini incendit Tophet. Sicuti furor Regis armat incenditque lictores viles, contra Principem virum lictoribus longe meliorem. Multo magis si anima communicaret igni in materia, vt vult Tertullianus: alioquin sufficit sola applicatio ad pœnosa corpora, & recessus à summo bono. Placide moritur ad vitam, qui ver-

mem conſcientiæ non portat; ad pœnam moritur atrociter, qui portat. Homo ergo faber ſortis ſuæ eſt.

Sicut ergo beatitudo erat comprehenſio diuinorum & viſio, & fruitio, id eſt, amplificatio potentiæ ſine imbecillitate: & veri ſine Falſitate, & Boni ſine malo, & vitæ veræ, id eſt non miſtæ cum mutatione, & morte, qualis eſt omnis vita mortalis, & vita extra Deum: ita damnatio erit imbellitatis, falſitatis, & malitiæ cumulus in modico radicali poſſe ſcire & velle: & inſuper anguſtiatio applicatæ animæ ad exoſa corpora contra ſuum poteſtatiuum: obtenebratio rerum, ne videantur contra intellectiuum: & dolor dirus contra volitiuum: Beatus inſuper omnia habet, omnia ſcit, omnia amat; damnatus nihil habet, ſed habetur; nil cognoſcit, niſi pœnoſum: nulla re gaudet, & ab omnibus contriſtatur. Corpora autem cœleſtia, & terreſtria mutabuntur in gloriam; quanta illis poteſt conuenire. Et quod Plato in Phædone de pretioſis lapidibus & rebus in loco beatorum imaginatur; ſacra quoque ſcriptura gemmantia omnia monſtrat in ſæculorum inſtauratione, & libera à ſeruitute corruptionis. De quibus in Theolog. & in ſeq. libro quædam perſcrutabimur.

F. THOMÆ

F. THOMÆ CAMPANELLÆ

PARS TERTIA

METAPHYS. RERVM.

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

IN QVO

DE SÆCVLIS SÆCVLORVM.

Vitam à virtute essendi dictam, soli illi per se conuenire, qui per se, & à se est: cætera cuncta esse mortalia, vel simpliciter, vel secundum quid. Mortem propriè esse compositionis, & compositorum ex diuersis. Mundum mentalem, & Mathematicum, & materialem, non mori: sed situalem modo: & an compositio istorum Mundorum inter se, & cum Archetypo, sit aliquando corrumpenda, & annihilanda: & an totus situalis sit corrumpendus; & an mentium vnio cum Archetypo sit dissoluenda post sæcula, & quid sunt sæcula sæculorum, inquirendum esse.

CAPVT I. ARTIC. I.

VITA dicitur à vi, hoc est essendi virtute potestateque: ea igitur ratione, qua sunt Entia cuncta, viuunt: & vbi sunt, & de quo sunt. Solus igitur de se, & per se, & in se viuens DEVS est vita immortalis semper eadem sibi permanēs, immutabiliter omnino: quoniam non est particeps alicuius Nihilitatis: ergo nec mortis. Quæ autem à se, & de se nō sunt, vitæ sunt in quantum ille, qui de se est, dat vt sint, viuantque: & quoniam vt diuinus probat Athanasius contra Arianos, & Iustinus Martyr contra Platonicos, quæ à se non sunt, nec de substantia eius, qui à se est, sed ex non præexistentibus & è nihilo, ea coæquari semper existenti à semetipso, non possunt: Etenim præcedit eorum Nonesse ante eorum esse; propterea mortalia sunt omnia. Sicut enim potuerunt aliquando non esse, sic etiam poterunt aliquando non esse, si voluerit qui dat esse subtrahere quod dat esse, & per eiusdem voluntatem possunt perpetuari. Scimus autem illi placere quod melius est: vnde optima speramus. Retinent autem quæcunque à se non sunt æternaliter, sigillum suæ Nonentitatis, ipsam scilicet mutationem. Non enim semper eodem modo, ac sibi ipsi semper eadem permanent: sed mutantur, aut in substantia, aut in qualitate, aut in quantitate, aut in operatione, aut in actione, & passione: Maxima autem mutatio est in substantia, & hæc propriè absoluteq; vocatur mors. Cæteræ verò secundum quid, omnis siquidem mutatio aliqua mors est. videtur tamen maximè mors esse compositorum. Cum enim nec materia corrumpatur, nec forma ideans materiam, neque primalitates, sed modos & existentia istorum; qui modus atque existentia nascitur ex copula idearum cum materia, atque sigillatione materiæ: consequens est vt compositi, & compositionis, & existentiæ ipsorum, huius & illius, sit propriè mors. Mundus ergo mentalis est perpetuus, quoniam compopositionem substantialem non admittunt Entia sua, sed solam essentiationem habent, de qua dictum est in pr. parte lib. 2. Mundus Mathematicus quoque æternus est, id est immortalis: non enim habet compositionem, neque mistionem: sed essentiam ex primalitatum participio, & sua extensione. Mundus etiā materialis non moritur Materia .n. essentiatur sua corpulentia, nullis cōtraria primalitatum participio. Igitur solus situalis corrumpitur

Mundus quippe qui ex ideis formarum & numerorum mentalis Mundi, & ex eodem mentali effusis, componitur, ac simul ex instrumentis concinnantibus compositionem, ac seruantibus per assistentiã sacrorum Opificum. sunt autem instrumenta hæc indeficientia per successionem multiplicabilia, & amplificatiua sui, & minuibilia, & destructiua sui, vt possit innumeris modis concinnari materia, & vires actiuæ primalitatum: nec deficere opificium, donec placuerit causarum causæ. Sunt hæc instrumenta calor & frigus, vt sæpè probatum est. Modificationes autem, omnes passiones materiales, & copulationes substantiales, & accidentales. Sectiones autem numeri.

Quæritur autem, vtrum totus situalis Mundus corrumpendus sit, an solummodo, quæ intra ipsum fiunt compositiones. Item an compositio Mundi situalis cum Mathematico dissoluenda sit. Item an Mathematici cum mentali sit perennis nodus. & tandem vtrum mentalis cum Archetypo sit aliqua compositio indissolubilis ita, vt quæ mentes beantur in Archetypo æterna fruantur pace, vt docet Christiana Theologia. an pertæsæ mentes, vel oblitæ malorum corporalis, desiderent in corporalem iterum regredi, vt Virgilius & Platonici aliquando docent in Phædro. & perpetuis circuitibus mundus corporalis habitandus sit mentibus. an expleto hoc circuitu, nulli consimiles reuersuri sint, sed viuant in Deo per sæcula sæculorum, sicut in sacris Literis cantatur; & quæ sunt ista sæcula sæculorum.

Virg. 6. Plat. Phædr.

Omnes Mundi situalis secundas compositiones dissolui, nec reuerti easdem numero sed specie, cum non eędem causationes succedant, licet causę eędem numero; possęque eadem numero reuerti, si eędem partes & causæ essentiales, licet alię sint existentiales. & an requiratur eadem numero materia prorsus. Nec propterea Albumasarem cum ijs qui omnium reuersionem expectant, rectè sentire: nec mutationes fieri ita in circulum, vt non in rectum, nisi respectu materiæ, & causarum, non autem materiationis, & causationis, & qualificationis.

ARTIC. II.

PROFECTO omnes concretiones intra situalem mundum quasi ex accidenti factas, & propter alium finem, dissolui quotidie experimur: redire tamen easdem specie propria quotannis, quod sol in eosdem circulos reuertitur agendo consimiliter, tellus quoque consimiliter patitur; & eisdem modis, & radiis ingrauidatur, vt non mirum sit, quod easdem res parturiat. Similes enim causæ & causationes, sunt similium effectionum, & effectuum. Imo si eædem sunt causæ numero, causationes autem non eædem numero, sed specie, iidem effectus reuertuntur specie: siquidem idem Sol, eadem tellus; eademque numero arbor, non eosdem numero fructus facit; nec iidem parentes numero, eosdem filios numero, quoniam non eadem causatio; identitas autem causationis requirit identitatem materiæ recipientis, & formæ & temporis, & loci. sed tempus & locus respiciunt identitatem, & alteritatem existentialem non essentialem.

Quapropter si Deus eamdem animam eidem corpori rursus adiunxerit, vt in Lazaro, non erit alius homo numero, qui mortuus est, ab eo, qui reuixit, nisi in dogmate eorum, qui nihil idem numero ingenito, & corrupto esse volunt in Peripato imprudentissimo.

At non propterea Albumasar, & quicunque reuersionem sæculorum eorundem prædicant, vicere: diximus enim in lib. 1. huius 1. p. non posse Planetas vnquã & tellurem, & elementa ad eosdem situs, & causationes redire. Tum quia Anomaliæ, & ascensus, & descensus eorum id non permittunt: tum quia si redirent, non rediret eadem tellus, sic tot alterata modis per sæcula nostra, vt causationem eandem non admittat. & quamquam Durandus putat, non oportere esse eandem materiam numero easdemque particulas in viuo, & resurgente; materia enim non est propria huius, & illius, sed communis, in cuiusque sygillatim aptabilis substantiam; vnde ex eodem pane numero, nos duo specie maducamus. & caro vnius hominis manducata ab altero, fit caro illius alterius, & qui mortuus est septennis, si resurget iuxta Theologorum Christianorum doctrinam, perfectus quasi triginta trium annorum, tunc manifestè addetur illi materia, & in eundem numero hominem eius conuersio terminabitur cum præexistente. Nihilominus alij Theologi identitatem particularum materialium numeraliter optant, vt veritas resurrectionis veritatem omnipotentiæ Resuscitatoris declaret.

At cum hoc fieri nequeat absque contradictione, quoniam populi plurimi Americani, & Africani, & subpolares carnibus humanis nutriuntur, & horum materia in illorum materiam cedit, sufficiet ad numeralem vnitatem Animorum eadem veritas numero, & totalitas fundamentalis partium corporis, quamuis particulæ aliæ accedant, aliæ recedant, vt in nostro corpore experimur, cuius identitas alteritatis expers esse, sicut identitas mentalis, & spatij, & Archetyporum, non potest.

At dicet quis, tellurem reuersuram ad eam dispositionem quam à principio accepit, vt causationes easdẽ faciat & patiatur, & succedat alter Typhis, vt Virgilius canit, & altera Argos, & altera bella: atq.

Eclog. 3.

iterum ad Troiam magnus mittatur Achilles. At hoc esse nequit; alterationes enim præteritæ à futuris mutantur, & semper tellus immutatur in rectum, non in circulum; propterea de priuatione ad habitum non datur regressus. & licet circulus cæli sit idem numero, & tellus non tamen circulatio, nec proinde causatio: alioquin dies hesterna esset hodierna, & præteritus annus, præsens, sicut Sol est idem hodiernus, & hesternus. Tellus quoque licet sit eadem numero heri & hodie, & hoc anno, ac præterito secundum substantiam, non tamen secundum qualitates, & quantitates numericè, sed specificè tantum: suscipit enim incessanter nouas mutationes: ita quod in fine sæculorum non erit earundem qualitatum, quarum à principio secundum partes, ex quibus res nostræ fiunt; nec eadem frigora, & calores, & siccitates & fluores, & viscositates, & monticuli, & fossiculi, & constituationes, & figurationes reuertentur. Declarabimus etiam, quod insufficiens erit tellus ad reparationem omnium rerum in ipsam corruptarum, si simul reuertere habent. si autem seorsum per circulationes: nequaquam eædem numero erunt, vt nec poma huius anni, pomis sequentis; & tamen nunc eædem arbores. tunc verò aliæ numerò, cum circulus explebitur 36. millium annorum, vt videtur Albumasaro, ann. 49. millium, vt Alfonso, an. 23816. vt Copernico, vel paulo, pauciorum, vt Albategnio conuenit dicere.

An non modo secundum partes, & compositiones partiales, sed etiam secundum totum, situalis mundus renouandus sit, vt videtur doctissimis Theologis: quibus etiam Cælestia immutanda videntur, & cur mundi posteriores solui à prioribus non possint, sed è conuerso; & qui posteriores conuertantur in priores, vt beentur meliorenturque & quomodo.

ARTIC. III.

DIXIMVS quidem omnes cōpositiones mundi situalis dissoluendas: nunc de toto mundo dicendum foret, quem alij Theologi, nihili immutatum iri autumant, nisi in partibus sublunaribus. Qui autem vlterius philosophantur, & in superlunaribus idem affirmant Theologi doctissimi quibus sacra scriptura fauet, cum ita Cælum sicut transiturum docet, & Cælos magno impetu transituros, & Cælum & Terram nouum successurum, quoniam priora sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabuntur. & iam experimenta plurima macularum in Sole, & Ioue, & Veneris decrescentis, crescentisque, & elterationum, quas in stellato etiam orbe, nouum sydus anno 1572. in Cassiopęa sub Thycone declarat, & alterum in cygno anno 1600. alterum in serpentario 1604. pro secunda Theologorum opinione, sententiam ferunt. Sybillæ quoque, & Seneca de Consolatione, & Origenes doctissimus omnium, rationabilissimè admonet, quod cum Sol retraxerit lumē suum summū, vt dicit sacra Scriptura, omnia sydera, quæ ab eo habent lumen, & motum continuum, & in certo situ retinentur & ordine, necessario cadent ab illo ordine, & confundentur, & impingent sydera syderib. & omnia turbabuntur, vt Sybilla, & Lucanus cecinere. Ergo mundus situalis conflabitur in chaos, atque iterum renouabitur, sicut dicitur in Psalmodia Dauidica, cuius authoritas omnes opiniones præcellit.

Matt. 24. *2. Pet. P∫.* *Psal. 101.*

At quidem si plura sunt Theatra systematum, quorum centra sint fixæ stellæ, tunc si stellæ fixæ mutabuntur, omnia theatra corruent: sicuti si Iupiter, omnia medicea astra. & cum tellus nostra deficiet, quid ab ea accipiet amplius, aut dabit Luna nostra? Certè cessantibus mutuis emolumentis, cessabunt & compositiones: etenim in humano systemate, cum sanguis, aut spiritus, aut soliditas, proprias functiones omittet, tota compositio soluitur: maximè autem cum pars principalis deficit.

Solem autem deficere posse sacra eloquia testantur, & siquidem compositus est ex igne, & tellure, quam lux eius expansa nobis abscondat, vt moderni probant, vel si lucem ex se non habet, sed est vas luminum aliundè exceptorum, vt alij contendunt; vtique deficiat aliquando, rationabile est: vnde ruina mundi situalis statim consequatur. At si fons caloris lucisque est purus, res alias in ignis substantiam aliquando conuertat, sicut in Physiologicis opinabamur.

Nolanus. *Patritius.*

At mundum situalem à materiali separari, non posse scimus, cum hic sit illius basis; neque materialem à Mathematico: potest tamen prior à posteriori, sicut animus à corpore.

Et quoniam priores mundi, & systemata illorum, non alliciuntur à posterioribus tanquam indigentes, vel symbolicorum attractu: Non enim ferrum attrahit magnetem, sed magnes & Calybs ferrum, & Aurum Mercurium; at non è conuerso, vt Proclus opinari tenetur: nihil enim melius à deteriori acquirit, nisi fortè gloriam, quod ipsum meliorat; propterea putabit quis mundum situalem conuertendum in materialem, relictis situalibus propensionibus, quæ ex contrarietate multiplicantur; Materialem verò in Mathematicum, omissis concretionibus, si spargatur in subtilissimas extensiones, cuiusmodi putatur esse Cælum. Mathematicum verò in mentalem dimissis corporum amplexibus crassorum, & in species ornatissimas mentales sublimatum. Mentes autem Deiformes factum iri, vbi non vnum mundum, sed innumeros contemplentur, & ipsum autorem, dimissa cura inferiorum, & generabilium, & hoc vt dicit Apost. *Cum omnis creatura, quæ ingemiscit, & parturit vsque adhuc, liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, qui ait. *Ecce noua facio omnia*, & quidem res à Deo exeunt ad dissimilitudines, & varietates procedunt; & tandem ad Deum reuertuntur hoc ordine, vt sit ipse Deus om-

Rom. 5. *Apoc 21.*

nia in omnibus. Idcirco Theologi etiam in corporibus diuinitatis fulgores, vt in speculis, repræsentatum iri, docent sæpissimè.

At quoniam terra vt carcer impiorum aliquibus videtur in sua fœditate remansura, & corpora humana animabus, vt vestes, iterum assuenda, quomodo non pugnent istæ sententiæ videamus.

Ex sæculis exiguis generum, & partium, & deueniendum esse ad notitiam sęculorum magnorum, & vniuersitatum mundialium. Sęcula ferarum, & auium & lapidum esse alia ab humanis; & cur ponantur humana in spatijs octoginta annorum.

CAP. II. ART. I.

MENS humana intra cerebri exigui palmum vinculis vitæ corporalis contracta, ex exiguis ad magna argumentando resurgit, in mentalem sese retrahens amplissimum mundum: Quapropter de sæculis magnis loquemur per Analogiam, cum de paruis fecerimus sermonem. Videtur quidem sæculum idem esse quod generatio, & rerum genera, vti Lucretius vsurpat. Genera enim nostratia ob varias generationes dispertiuntur: à quibus etiam denominantur, vel quas denominant, vnde sæculum ferarum, sæculum lapidum, dicere consueuit. Et quoniam generatio horum fit per mutationem; mutatio enim omnis est de non esse ad esse, cum fit Deo faciente; & alias simul de esse ad non esse, cum fit Deo permittente, & ordinante in bonum. Huiusmodi autem successio Entis & Nonentis, vt probatum est in 2. p. tempus est; propterea spatium temporis notissimæ nobisque maximè mutationis, quam Sol facit mutando sedes cæli in circulo obliquo, cuius mutationis spatium vocatur annus, vocauerit sæculum humanum, illud quidem in quo hominis vita durare potest. Hinc sæculum veteres dicunt esse spatium centum annorum; sed sæculum caballorum, dicitur spatium viginti annorum; sæculum canum decem; sæculum coruorum ducentorum; frumenti sex mensium; quercus annorum quingentorum. ita quod à quibus motibus luminarium, & Planetarum mensuram habent res inferiores, ab illis sæculorum suorum spatia mutuantur.

Nobis autem sæculum humanum octuaginta annorum esse videtur, sicut Dauid canebat, qui 70. an. dedit communis speciei indiuiduis vulgaribus; fortioribus verò 80. *amplius* enim *labor est*. ait, *& dolor.* & quidem omnis Ciuitas intra 80. an. mutatur, ita vt præteritorum nullus sit ciuis, sed omnes noui ex nascentibus. Quamquam alij plures perueniant ad annos paucissimi, atque extra regulam: sunt tamen alij qui ad quadraginta non perueniunt, alij nec ad 30. alij nec ad 20. alij nec ad 10. alij nec ad 5. Sunt etiam Populi Africani, qui decrepiti sunt in an. 40. quorum fœminæ gerunt vterum in sexto. Chinenses verò transiliunt annum centesimum: propterea mulieres eorum tardiores ad concipiendum; nam & plantæ, quæ cito intereunt, citò fructificant; quę tardius, tardè, vt in Phys. *Psal. 89.*

Hominum ante diluuiū ætas fuit vsque ad noningentos annos, sed pauciorum quàm nunc, quando modicum vitæ spatium compensetur. Ergo in nostro calculo vitæ longitudo priorum cum multitudine vitarum posteriorum ad sæculi hypotheses statuendas, & ad consumptionem rerum paucitas vitarum prisci sæculi cum longitudine. Tantum enim deuorat homo centum annis: quantum duo homines in quinquaginta annis.

Ex Diametri, & Peripherię terrestris mensura, quanta sit eius totius superficies, & quot homines alat, si Italia alit nouem milliones, & tellus continet mille trecentas, & triginta sex Italias iuxta certiorem computum.

ARTIC. II.

PORRO supponamus telluris ambitum esse triginta millium miliariorū, quorū quodlibet cōtinet mille passus: passus a. quinq; pedes, pes palmas quatuor, palma quatuor digitos cōtinet. sunt qui minimū circulum terræ faciunt 28. milliū stadiorum, qui sunt viginti tria millia, & quingenta milliaria: qui a. maximè triginta duo millia milliaria: nos a. pro calculo, & quoniam ad vires argumentorū prodest nobis ista suppositio, ponimus triginta millia, cuius diameter est nouem millia quingenti, & quadraginta quinq;: per quem si circulum multiplicabimus, vt quidam volunt, habebimus superficiem conuexā totius telluris ducentorū octoginta sex millionum, & trecentorum quinquaginta milliū milliariorū. Si verò triā gulos dimidiæ sphæræ terrestris, cū triangulis alterius medietatis iūgendo formabimus quadratā 360. cuilibet gradui suū adscribendo tunc facto calculo rationabiliori inueniemus superficiem totam esse ducentorū viginti quinq; millionū milliariorum.

Et qm̄ Italia nostra continet longitudinis mille ac decē milliaria; latitudinis verò maximę quatringenta, vbi ex Alpib. porrigi incipit, mediocris a. centum quinquaginta. minimæ tandē viginti duo, quanta est inter sinum Scillaceū, & Santeuphemianum, ita quod vt ad regulā perducatur eius mensura, possūt dari mille ac decem milliaria logitudinis, & centum latitudinis. Vnde multiplicata longitudine per latitudinem conficiuntur vndecim millia superficiei totius. per quam si partiamur totius terræ superficiem secūdo loco positam inueniemus contineri in ea bis mille ducentas viginti septem Italias, in prio-

ri autem bis mille octingentas triginta quinque.

Pars autem terræ, quæ habitatur, supponatur esse esse ad superficiem, quam occupant maria non destituta prorsus habitatoribus, cum cingant insulas multas, esse vt tria ad duo (quamquam alij putent è contrario dicendum) tunc sequitur quod pars terræ habitata continet mille trecentas triginta sex Italias. Multo autem plures, si sexta pars terræ dumtaxat ab aquis occupatur, vt Esdras in libro quarto admonet. Nunc autem priori vtamur numero, secundum quem pars terræ habitabilis continet mille trecentas; & triginta sex Italias.

Et quoniam Italia hoc tempore quo scribimus, alit nouem milliones hominum, vt ex computo historicorum non satis castigato, sed circiter accipimus ex numeratis domibus, dando cuique personas quatuor, vti solent Regij Computistæ. Scimus tamen aliquando plures aluisse, vt sub Romanis, quando generatio diligentius curabatur, & cælibatus religiosorum hominum & fœminarum non seruabatur: nam & Iudæa tunc temporis alebat personas septempliciter plures atque in nostro sæculo: aliquando vero pauciores, cum videlicet peste, aut bello minuebatur, aut fame: quod etiam in Italia, & in cunctis accidit regionibus. Supponamus tamen gratia sermonis nostri, quod Italia dat nouem milliones, & quod ad omnes regiones pro rata totidem habeant singulæ colonos, quamquam aliæ longè plures pro rata, vt Chinenses, & Cataini: aliæ pauciores, vt Lybica, & Suppolaris. Tunc sequitur, quod cum vniuersa superficies habitabilis contineat mille trecentas triginta sex Italias, alat simul duodecim millia, & viginti quatuor milliones hominum, id est, duodecies mille, & viginti, & quatuor milliones.

Si tota superficies terræ alit duodecies mille, & viginti, & quatuor milliones hominum: consequens est, vt alat simul computatis omnibus animalibus, terrestribus, aëreis, & aquaticis eiusdem ponderis sexcentos viginti quatuor milliones, super ducenties, quinquagies, & bis mille milliones.

ARTICVLVS III.

HVNC numerum hominum tellus habet, sed longè maiorem bestiarum terrestrium, & marinarum, & volucrum, quorum plurimæ sunt species: & licet singulæ non adæquent speciem hominis. Duæ forsan aut tres æquabunt, canes enim & cati, & asini omnes forsan tot sunt, quot homines. Similiter equi & boues simul tot sunt, quot homines, saltem pondere, & si non numero. Elephanti & cameli, quoniam non vbique sunt, sua magnitudine æquant numerum hominum: pecudes, capræ, lupi, vulpesque simul compensant numerum, forsan & magnitudinem. Simij, feles, mures, mustelæ, herinacij, testudines & porci simul idem efficiunt. Leones, vrsi, tygres, struthiones, rinocerotes, hipopotami, aliæq. bestiæ rapaces, itidem hominum compensant molem & numerum. Serpentes autem omnes, atque reptilia simul, quauis parua mole, numero tamen magna adæquant speciem nostram. An muscula tandem variorum generum faciunt suum numerum nostræ quantitati parem, si simul cuncta comprehendantur.

Ita quod inuenimus tellurem alere nouies, aut decies eundem hominum numerum, ergo ducentos quadraginta milliones super centies & vigesies mille milliones.

Addunt huic numero animalia aërea, vnum numerum humanæ speciei: quoniam leuiora sunt, etsi numero incompræhensibilia. Animalia autem marina, cum sint fæcundiora, & passim grandiora terrestribus ob humiditatis copiam. Quapropter exuperant etiam decies hominum speciem, quæcunque viuunt in aquis simul computata. Igitur tellus, & aqua, & aër habent sexcentos viginti quatuor milliones super ducenties, quinquagies bis mille milliones.

Dicendum esse de pondere totius telluris, & omnium simul hominum, & animalium, soluendarum gratia quæstionum plurimarum de sæculis.

CAP. V. ARTIC. I.

AD soluendas autem quæstiones plurimas, pondus tot specierum animantum inuestigare hic etiam oportet. Quærebatur enim vtrum tota tellus conuertatur ad secundas res, quas ex ipsa generat cœlum (aquam hic cum tellure compræhendimus) & quoniam aliquando diximus res omnes in omnes res, & singulas in singulas quasque conuerti per decursum sæculorum, & tunc finem sæculorum mortalium, quæ ex vitis, & mortibus constat, affuturum: an verum sit, quod singulæ partes telluris in omnes species rerum, immutentur, & indiuidua: & hoc fiat per generatio-

nem, an per aggenerationem.

Et tandem si omnes rerum species, & indiuidua reuiuiscent, iterum in pristinas formas, pristinasque materias, vtrum sufficiat telluris corpus ad ipsarum restaurationem.

Pondus totius speciei humanæ per septuaginta sæcula: ac insuper omnium animalium, Terræ, Maris, & Aëris in eisdem sæculis.

ARTIC. II.

DEMVS igitur vnicuique humanæ speciei indiuiduo quinquaginta sestertiorum, quorum singulum continet vncias triginta tres, iuxta vsum Neapolitani Regni. Hoc autem rationabiliter facimus, cum homo est annorum quadraginta, vel cum est triginta trium: in illo enim tempore est vitæ sæculi dimidium; in hoc est Resurrectionis spes, quemadmodum plurimi Theologi Christiani, ex Apostolo Paulo interpretantur. Scimus quidem alios longè plura sestertia continere vsque ad centesimum, & vltra: alios longè pauciora vsque ad quinque, & quatuor, vt qui moriuntur intra vuluam, & statim, ac nascuntur. Compensentur primo pondera excedentia, & deficientia in quinquagenis.

Ex hoc sequitur, quod si habitabilis tellus alit duodecim millia millionum hominum, ac insuper viginta quatuor milliones, quorum quilibet ponderat sestertia quinquaginta: omnes simul ponderabunt sesttertionum quadraginta vnum millionem millionum, & octingenta sexaginta millia millionũ, & insuper ducentos, & triginta milliones, in sæculis septuaginta, quæ ætate mundi vsque nos à principio faciunt, donando cuique sæculorum sexaginta millia millionum, & insuper centum viginti milliones, multiplicatis duodecim millibus millionum hominum, & viginti quatuor millionibus per quinquaginta, quantum est pondus singulorum in sestertiis. vel secundum alterum computum erunt hominũ in 70. sæculis, octingenta quadraginta vnum millia millionum in sexcenta octoginta milliones, quæ sestertia sunt 42. milliones millionum, & 84. millia millionum.

At si multiplicentur per viginti hæc duodecim millia millionum, ac viginti quatuor milliones, sicuti dicebamus, quod species animalium terrestrium, & aquatilium, & aëreorum efficiebãt vigesies humanæ speciei quantitatem, tunc profectò conuenient vni sæculo ducenta quadraginta millia millionum, & insuper quadraginta octo milliones: quæ in sæculis septuaginta præteritis multiplicata per septuaginta faciunt sexdecim milliones millionum, & octingenta triginta tria millia, & sexcenti milliones: quorum pondus est octingenta quadraginta & vnus milliones millionum. Et insuper sexcenta octaginta millia millionum.

De Mundi ætate, ac sæculis variæ Nationum & Philosophorum sententiæ proponuntur ad solutionem nostrarum quæstionum, earumque emendatio.

CAP. VI. ARTICVLVS I.

SÆCVLA vitæ mundi nostri non esse æterna in 2. P. & in P. lib. 3. P. iam demostrauimus: quot autem præcesserint ante nos variantur opiniones. Plato enim, qui mundum à Deo facit, innumerabilia sæcula præcessisse in Dialogis de legibus insinuat. Lucretius vero recentem facit mundum, sumpto argumento ex eo, quod artes inuentæ adhuc expoliuntur tanquam ad perfectionem non deductæ: aliæ vero inueniuntur. Nec ante bellum Thebanum & funera Troiæ, Res alias alij cecinere Poëtæ: tanquam Poëmata sint res nouæ, & magna bella, & euentus pridem inceperint.

Bracmani vero Indorum Philosophi octo millia annorum solarium faciunt nostri mundi vitam: & iam præteriisse volunt sex millia sub ex Diis, quorum quisque in suo millenario perfecto defunctus sit, & alius septimus ordine accepit principatum: quo defuncto succedat octauus. Deos autem mori docuere Stoici, & Plutarchus de morte Pan in libro de oraculorum taciturnitate historiam texit.

Diodorus lib. 3. asserit Chaldeos habuisse literas ante tempus Alexandri magni per annorum quadraginta tria millia: concordat Plinius, qui literas in laterculis Babylonis impressas narrat, inuentas septem millibus annorum ante tempora Nini, qui extitit ducentis annis post diluuium vniuersale: ante vero nos 3750. ferè.

Strabo etiam tempore August. quando natus est Christus, dicit præcessisse literas in Hispania sex millibus ante annis. Herodotus quoque historiam Ægyptiam adducit quindecim millium annorum ante sua tempora. Plato alteram nouem millium ante se, in Athlantico. Cicero etiã ex historia Panetij per septuaginta millia annorum in Babylone obseruata fuisse sydera scribit. Vnde videtur forsan

quibusdam vel infinita præcessisse sæcula: vel innumerabilia: vel longè plura, quam hodiernis temporibus numerant, Chinenses, Mauri, Turcæ, Iudæi, & Christiani supra omnes nationes sapientissimi.

Quod autem infinita non præcesserunt, ipsa temporum natura, & rerum mortalitas, & origo totius Entis cum transitu vsque ad nos, nos docuere. Quod non innumerabilia probauit non ineptè Lucretius, quanquam Arist. respondet, easdem artes & scientias pluries perditas fuisse, & pluries denuoque inuentas, quæ iam perpoliuntur: historias autem non haberi priscorum temporum, quoniam diluuio, vel incendio perierunt. Sed cum diluuia vniuersalia ipse non agnoscat, nisi illud sub Noë, quod Deucalioni adscribunt Græci: nequaquam omnia perditum iuisse potuere monumenta: etenim vel aliæ nationes, quas diluuium & incendia non deleuerunt, illa seruassent, vel homines qui in Arca apud nostrates dicuntur seruati, vel in monte Parnasso apud Græcos: quod si Arist. contrarias affert, testimoniis destitutus, nos contradicimus per oppositas & per testimonia Moysi, & Prophetarum, & Manasseę Damasceni, & Hieronymi Ægyptii, & Rabinorum, Iudæorum: qui ab exordio mundi vsque ad sua tempora texunt historias, visas fide dignas cunctis ferè nationibus: ex quibus facilè soluuntur contraria argumenta. Gentiles autem non ita facilè nostris respondebunt, vt in primo lib. 3. P. ostensum. Præterea Historia Diodori, & Ciceronis de tot millibus annorum Chaldaicarum obseruationum, confutatur per testimonium Calisten's, qui cum Alexandro magno contra Orientales progressus, testatur se deu ctæ Babylonis in Archiuiis non inuenisse supra quinque mille annos quippiam temporis, vt Simplicius & Porphyrius testantur, & Berosus Babylonius, qui Chaldaicas, & aliorum nationum probrè scrutatus est. Herodotus mendax in multis inuenitur à Plutarcho. Platonis Historia sicut asseritur ita confutatur in Strabone, & in aliis sunt etiã errores numerorum irrepentes passim: nam in Versionibus Bibliorum idem accidit, vt ex sequenti patebit narratione.

Incertitudo annorum mundi, & varietas opinionum, vnde acciderit inter Scriptores & Bibliorum sequaces, & quanta. Item, quæ verisimilior sententia, & quot sęcula ferat.

ARTICVLVS II.

SIQVIDEM nos, qui testimoniis innitimur diuinis, & non solis opinionibus, vti Gentiles, certum annorum mundanorum numerum habere non potuimus, quanquam omnes in Mosaica historia omnium, & antiquissima, & veracissima, fundemus sentẽtiam: tota autem difficultas est ab orbe condito, vsque ad Christi aduentum: à quo ad nos iam pertransiere mille sexcenti, ac viginti anni, ab Ecclesiasticis viris & Prophanis inuiolabiliter obseruati. Numerat Flauius Iosephus ab Orbe condito ad Christum annos 4192. Raby Moyses Gerundiensis 4058. Pontanus Burdegalensis 4088. Methodius 5000. Hyppolitus, Epiphanius, Hiero. 5095. Eusebius & Interpretes septuaginta duo Bibliorum 5199. Berosus 5049. Isidorus 5210. Astronomi Christiani multi 5328. S. August. 5351. Lactant. Firmianus 5500. Orig. 434. Onufrius 6310. Ambrosius plures. Rex Alphonsus (qui merito cum suis Arabibus exploditur, quoniam figuram natiuitatis mundi sumunt impossibilem, & in multis aliis conuincuntur à Pico) ponit 6984. vsque ad Christum: ergo vsque ad nos 8604. quot neque Bracmani numerant neque effusiores Chinenses. Hebræi autem pauciores numerant quam quælibet natio, quibus ob historiæ puritatem, & nationis antiquitatem plus defertur à cunctis. Vnde Picus etiam cum eis, præcipuè cum Baal seder, qui ab exordio mundi vsque ad Christum numerat annos 3516. Rabby Nasson. 3740. Rabbyni recentiores 3160. Rabby Leui 3780. Talmudistæ 3784. S. Hieronymus 3941. Beda 3951. Alij 3954. Alij 3969. Ioannes Lucidus Samosateus cum Philone Hebræorum doctissimo 3960. & hic numerus ab omnibus ferè historicis, & Chronologis, & Astrologis, licet duos addant hi.

Tanta autem varietas est ob scriptorum inaduertentiam in numeris transcribendis, Regum, & Patriarcharum, & Sacerdotum, qui in Iudæa regnauerunt: maxime autem in Græca versione, facta in Ægypto ab interpretibus 72. sub Rege Ptolomeo Philadelfio. Item quoniam Menses, & dies, quibus vixerunt, & horæ non describuntur ab Hagiographis: quod sanè in tanti temporis transactione varietatem non modicam parit: idcirco nos cum pluries numerare decreuissemus præteritos annos, placuit tandem acquiescere præfato numero, cunctis hodiernis temporibus probatissimo: propterea ergo sæcula humana inuenimus septuaginta, quibus desint anni octo: quos tamen rationabiliter credimus addendos à Deo: non enim instat dies Domini, renouantis omnia, ante hoc octennium: quemadmodum in Articulis Prophetalibus diligenter disputabamus.

Qui autem annorum numerum ab Eclipsibus venantur, verum adsumunt argumentum, si historiam de Eclypsibus ante diluuium saltem de prima sub Adam haberemus. Herodotus enim & Græci non habẽt historiam nisi à Nino post Cataclismum nec hoc sufficeret: sed necesse est scire an fixæ retrocedere inceperint & quo tempore: nomen datura enim signorum hoc non admittit: incæpissent enim non ab Ariete sub Prometheo, sed longè ante, vt dictum est in lib. 11. cap. 7.

Præterea nescimus an sint annomaliæ anomaliarum, ergo nec locum certum à cardinalibus punctis cum & hæc, & Apogea, & obliquitas depræhendantur instabilia, vt supra ostendimus, ergo figura natalitia Mũdi etiã ignoratur, quidquid Alfonsus & Vecchectus opinentur in tanta historiæ confusione.

De pondere totius telluris, & omnium hominum 70. sæculorum, & quod ad ipsorum restaurationem sufficiet pro carcere damnatorum: sed in Mahometis dogmate ponentis sæcula plura, & resurrectionem omnium animalium, minimè sufficere, certis rationibus comprobatur.

ARTICVLVS III.

PORRO cum inuenerimus numerum hominum, qui in 70. sæculis vixerunt, & trãsierunt, esse octingenta quadraginta vnum millia millionum, & insuper sexcentos octoginta milliones, quorum pondus per quinquaginta singulorum sestertia computatum, inuenitur quadraginta duo milliones millionum & insuper octoginta quatuor millia millionum, facilè soluemus quæstiones de resurrectione mortuorum: etenim telluris circunferentiam linealem, quam triginta duorum milliariorum accepimus, deductas in pedes habet centum quinquaginta milliones pedum, cuilibet milliario tribuendo quinquies mille pedes, hoc est mille passus. Diameter est autem iuxta Mathematicorum peritiam quadraginta septem millionum & insuper habet septingenta & viginti quinque millia pedum. Cubauimus deinde sphæram terrestrem, & inuenimus pedum cubicorum cubatæ sphæræ esse centum & quinque millia, & septingenta sexaginta tres milliones millionum, & sexcenta & viginti vnum millia millionum.

Tunc correcto numero cubi in sphæram: illius enim proportio ad hanc est viginti duorum ad vndecim, inuenimus esse quinquaginta duo millia, & octingenta, & septuaginta duos milliones millium millionum, & quingentos, & octo milliones millionum, & ducenta triginta sex millia, & octingenta, & quinquaginta duo millia, & quingentos milliones.

Cumque tribuerimus vnicuique cubato pedi sestertia triginta terræ non satis adstrictæ, qualis in telluris penetralibus, facto experimento inuenimus totius pondus minimum esse sestertiorum vnum millionem millionum, & quingenta octoginta quinque millia, & centum septuaginta quinque milliones millionum: millium millionum: & ducenta quadraginta septem millia, & centum & quatuor millionum millionum, & trecenta septuaginta quinque millia millionum.

Qui numerus ponderis terræ superat numerum ponderis hominum sæculorum 70. præfatorum sestertiorum, sexdecim millionibus millionum, & septingentis, Septuaginta nouem millibus quadringẽtorum nonaginta duorum millionum. Et quidem quoniam pedibus nostrates vsi sunt digitorum, quasi quatuordecim, sunt autem in passibus Geometrarum pedes digitorum sexdecim: sequitur quod longè magis excedit numerus terrenorum sestertiorum, atque nos potuimus: vnde in dogmate Christiano, qui resuscitat solummodo homines in fine sæculorum, sufficit tellus ad corpora instauranda, & insuper remanebit quanta sufficiens est basi mundanæ & carceri damnatorum si in eius centro cruciandi sunt, quemadmodum in Theologicis disputamus.

At si etiam animalia sunt resuscitanda, vt in dogmate Mahometano, & Indorum creditur, tunc telluris parum superèrit: excedit enim sextertiorum mille octingenta tribus millionibus, & trecentis quatraginta sex millibus & septingentis.

At cum Mahometes ponat ante nos sæcula innumerabilia, & plusquam mille: profectò non sufficiet illi tellus ad restaurationem hominum, & brutorum: longè autem incommodat dogmati eius, atque nostro: ipsius enim penitus euertit: nam vsque ad iudicium vniuersale ponit sæcula innumerabilia: nos autem pauciora: imo propè finem nos esse in Prophetalibus declarauimus: præsertim, si non nisi sex millibus annorum sit duratura Machina mundi, sicut Rabbini docent & Patres plurimi, ex eo quod in sex diebus factus est mundus, teste Moyse: vnus autem dies à principio respondet mille annis in processu vitæ, est enim effectus extensio causæ, & progressus principij extensio: quod & Dauid in psalmo attitulato Moysi, & Apostolus Petrus docuere, sicut in primo libro huius 3. P. docebamus. Hæc autem Archana, non à Physiologicis, sed ab oraculis Prophetarum discere oportere Plato in Timęo, & Socrates, & Pythagoras, & peritissimi quique Philosophorum rectè admonuerunt, ne dum Christiana Theologia, quæ euidentiam suæ fidei habet in miraculis, & Martyrio, & Prophetiis, euentu certo comprobatis.

An tota tellus in res omnes vel in quasdam transmuteturper generationẽ: & an per aggenerationem rerum, quas alit, sit tota immutanda, & quanta sit ad ea, quę ex ipsa hauriuntur alimenta in sęculis humanis, & animalibus.

ARTICVLVS IV.

SVPEROSIVS adhuc inquirendum, an tota tellus in res omnes, an in singulas immutanda sit, antequam periodus sæculorum mortalium absoluatur: ex eo enim quod in tot homines & animalia, & Plantas inuertitur, & insuper in lapides, & in metalla, quæ omnia corrupta iterum in terram

terram reuertuntur, vel in eodem sæculo, vel in pluribus: etenim & metalla & lapides perpetuo iidem numero non sunt, sed comminuūtur, & in terram iterum reuertuntur: cogitare quis posset totam tellurem in horum substantiam per reciprocationem cedere. Qui enim homines Neapolim habitant in sæculi vnius spatio, quasi adæquant pondere, mœnia & domos, & hortos Neapolitanos: magis autem si consideres quantum comedunt, & ingeritur, & egeritur ex eis.

Siquidem vnus homo in vna die manducat tria sextertia, vnum panis, vnum obsonij, nempè carnis, piscis, olerum, leguminum, fructuum, casei, & huiusmodi vnum tandem vini, & aquæ, Bibit enim ad minimum vnam vini phialam, quæ duodecim vncias Neapoli habet, & vnam aquæ cum dimidia, adde & alteram dimidiam vini in vespere. Scio enim alios longè plus bibere, præsertim in Germania, & Mauritania, alios longè minus. Cum ergo in vno sæculo viuant hominum duodecim millia, & viginti quatuor millionum in toto mundo, & singulis manducet in quatraginta annis, quantam ætatem vni tribuimus in dimidio sæculi, quatraginta tria millia, & ducenta sextertia. Etenim in vno anno solari, dando vnidiei sextertia tria, homo consumit mille, & octaginta sextertia. Ergo in quatraginta annis absumet quatraginta tria millia & ducenta.

At si computemus annos sæculi, & homines duodecim milliones, & insuper viginti quatuor milliones, tunc in sæculo vno octaginta annorum, absumentur sextertiorum septingenti nonaginta octo milliones millionum, & septingenti quinquaginta & quinque millia, & ducenta millionum.

Qui numerus excedit eum, in quo tellus excedebat pondus hominum. Si autem simul numeres sextertia, quæ ab animalibus consumuntur, excedent prorsus terræ magnitudinem.

Porro Neapolis alit quingenta millia hominum, qui in vno die absumunt quindecim millia sextertia: in vno autem anno sunt sextertiorum quinque milliones & quatringenta septuaginta millia ita quod plus terræ, quam ager Neapolitanus habet in hominum substantiam verti decursu temporis oportet: plus autem vsque ad centum, si numeres animalia, & Plantas, quæ ex terra aluntur.

Nisi transmutatio esset earundem rerum in easdem specificè, terram iam totam consumptam esse oportere. Tot esse morientes quot viuentes, & quot nascentes in vno seculo, & anno, & varietatem horum numerorum compensari per ordinariā quantitatem mediocrem, sicuti accidit in omnium rerum vita, etiam motionum cælestium. Nec res omnes in omnes conuerti posse; nisi mundus in alterum Mundum vertatur totus; & ideo inquirendum esse de Mundis.

ARTIC. V.

ET quidem si non circularis esset transmutatio: ita vt iidem homines in terram acti, sæpius à nascentibus ex cibo in semina verso, quem terra subministrat, iterùm manducentur, & egerantur acti in stercora, & tandem in renouata cadauera: tunc oportet totam tellurem iam perditum iuisse, manducatione, & generatione rerum ex ea grassantibus in ipsam Vnde quanquam homines nascentes sint tot, quot morientes, vti per numerationem parrochorum agnouimus, ac viuentes sunt eiusdem numeri cum illis in decem ferè annis. Et species humana durat sicut species fluuij: cuius aquæ nostro conspectu præsentes, & has ripas tangentes, tot ac tantæ sunt, quantæ quæ præterlapsæ sunt ante, & quantæ, quæ à tergo sequuntur. Siquidem eadem moles, & repletio eadem fluuij semper apparet, sicuti etiam flammæ de lucerna nutritæ. Homo autem aquæ labenti in sacris literis comparatur. Quod si quando plures, si quando pauciores, id accidit præter ordinem consuetum. Nam & fluuius aliquando plenior, & altior, aliquando humilior: compensantur autem vices istæ excedentes, & deficientes in mediocritatibus. Quapropter omnium rerū sæcula videntur sibi inuicem similia. Sicut enim homines, sic bruta nascuntur & moriuntur eodem numero suæ speciei, & aliquando plura, aliquando pauciora, vti fluuius, & flamma: & ipsius cœli motus, sub quo istæ fiunt mutationes. Vnde Astronomi velocitatem Planetarum, & tarditatem, cum eorundem mediocritate venantur, & compensant in extruendis ephemeridibus, similiter etiam anomalias Fixarum, & Apogeorum, & Excentricitatum, & Obliquitatis: vt videas omnia sæcula omnibus sæculis similia, & cœlestia terrestribus.

Atqui, si ita res habet, non videbimus totius terræ mutationem, quoniam non perrectam, sed per circularem viam fit eius immutatio in superficialibus partibus suæ circunferentiæ ad mille passus profunditatis tantum. Si quando autem Deus pugnam inter mundos permitteret, tunc hunc mundum in alios verti oporteret, quemadmodum Epicurei docent de interitu mundorum, & instauratione ex inuicem.

Istæ autem mutationes videntur similes his, quæ fiunt in conuersione alimenti in corpore nostro: in quo totum mutatur nunquam, particulæ autem omnes mutantur sigillatim, & paulatim singulæ: magis autem spiritus, cruor, & caro, quam neruus & ossum, vt in lib. secundo Medicinalium declarauimus.

Qui autem putant materiam appetere formam in Peripato, dicunt etiam terræ centrales partes sursum efferri paulatim appetitu transmutationis: vt euincant, quod omne materiale tandem corrumpitur ob materiæ appetitum, & non ob contrarij modo prę potentiam. Nos autem non putamus ignem, sicuti est putus velle corrumpi, neque terræ partes centrales, nisi causis ab externis euer-

tantur & affligantur: nulla enim res suæ destructionis est appetens, nullaque forma bene regnans in deuicta materia, qua cum sit vna, appetitum sibi repugnanti contrarium, non extinguit. Ergo si radij Planetarum in centro terræ concutiuntur, & ignem generant, vt quidam Platonici putauerunt, fieri potest, vt omnis pars transmutetur, haud tamē in omnem. Neque enim quæ longè absunt in suas correlatiuas relatione absentiæ, sicut neque partes lunæ nostræ in partes Veneris stellæ: neque vna fixa in alteram, nisi succedat vniuersalior mutatio & turbatio rerum, qualis fortè foret, si veluti Origenes opinatur, obscurato sole, cuius radiis cunctæ mouentur errantes stellæ, situm mutent, & ordinem: turbatæque alteram in alteram offendat, & impingat. Propterea quomodo iste mundus sit interiturus inuestigare oportet, & an tunc materiæ omnes, formas omnes in sæculis alterius analogis sortientur.

Opinio Epicureorum de infinitate Mundorum casu nascentium, & morientium, sæculaq. sic facientium innumera. Et Empedoclis de vno Mundo sæpius facto, ac refecto per casuales vices, aut Geniorum purgationes: & Origenis de sæculis eiusdem Mundi toties reciprocantis, quot sæcula requiruntur ad purgationes omnium animorum, & dæmonum, ita vt tandem ad Deum reuertantur omnia, & vbi ipsorum natura desiderat.

CAP. VII. ARTICVLVS I.

PLVRES hac in re opiniones tentari possunt. Prima Epicureorum ex Democrito, putantium casu omnia fieri: ac Mundos esse infinitos numero, qui ex atomorum cōcursu temerario constituuntur, & ex eorumdem ictibus continuis ab intus, & ab extrinseco concussi Mundi euertuntur, & iactati fato sæpius reficiuntur in varias formas, prout casus ipse fert nullo ordine, nulloque intellectu isthæc curante. Quod ex eo firmabant, quod rerum natura in multis reprænhensibilis depræhendebatur.

Secunda Empedoclis, qui Mundum sæpè mori, destruique, sæpeque nasci, construique ex propriis ruinis imaginatur, prout amor aut odium copulat, dissociatque contextas rerum strues. Qua ratione hoc fiat non intelligunt, sed necessitati, fatoque cuidam, & successioni id attribuunt. Sæcula ergo sunt Empedocli magna Mundorum vitæ sibi succedentium. Quapropter plurima sæcula nascentium præcessere Mundorum: pluraque succedentium, vt Phœnix ex propriis refecta cineribus exemplo est. Concordant huic sententiæ Philosophi Indorū, qui in cineres redactum, Mundum iterum instaurari, oportere aiunt: hominesque ex ouo vno reficiendos instar auis.

Additur Salomon in Ecclesiast. huic sermoni cui verbum Dei portantis omnia verbo virtutis suæ, per quem facit, & sæcula, vt inquit Apostolus, inspirauit vt scriberet: *quid est quod factum est, nisi quod futurum est? & quid est quod faciendum est nisi quod factum est? Nihil sub sole nouum. Nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Ex quibus verbis opinionem accipit Origenes, quod plura sæcula antè nos fuerunt, & mundi congestiones multæ: & quod plurimæ etiam dissoluentur non casu quodam, vti præfati Philosophi putauere, sed ordinatione diuina. Cum enim propter mundum mentalem factus sit corporalis: & mentes humanæ alligantur corporibus tanquam carceribus, in suo dogmate, vnde clamat Apostolus, *Quis me liberabit de carcere mortis huius?* quod etiam confirmat D. Ambrosius in libro de bono mortis. Et Ecclesia in exilio nos esse fatentur, donec ad patriam reuertamur: vtque oues errantes Deus reuocaret, ad nos venisse, *habitu inuentus, vt homo*, ipsos quoque peccantes Angelos in exilium, & damnationem corporali gehennæ alligatos fateamur in dogmate Christiano: quod etiam Pythagorici & Platonici, & veteres Philosophi prædicauerunt: consequens est, vt tot sæcula succedant in mundo nostro, quot requiruntur ad Animorum purgationem, & exilium, & pœnas. Scimus autem homines plurimos mori in peccato, quos iniquum est redire ad mentalem mundum, aut Archetypum: oportet ergo eas cruciari, donec purgentur, ac iterum in mundum situalem redire, vt ex bonis operibus paradisum mereantur: non enim videtur Origeni conueniens, vt voluntas Dei, quæ vult omnes saluos fieri, non impleatur: neque natura patitur, vt mentes corporibus perpetuo detineantur non suis, & appetitus naturalis defraudetur: neque diuinæ bonitati conuenit vt perpetuo crucientur (vnde Deos duos Marcion introduxit) neque iustitiæ, vt inquinatæ in paradisum Archetypum reuertantur: consequens ergo est, vt omnes pœnæ sint purgatoriæ, Animorum & Dæmonum: & toties eos in corpora redire, donec discant benè agere vt mundæ tandem in Deum recipiantur. Vnde cum Esdras deploraret æternam perditionem tantarum animarum, Respondit Deus: *multum tibi deest, vt diligas creaturas meas, plusquam ego.* Igitur si nos earum salutem cupimus, multo plus Deus: ergo saluabit tandem omnia in circulis & per circulos sæculorum, & sæcula mortalia: tot erunt, quot ad hoc opus requiruntur.

Empedocles etiam, teste Plutarcho, in lib. de Iside & Osiride, genios suppliciis corporum purgari autumat, & tandem expiatos lustratosque pristinæ naturæ restitui: quod Origenes de Dæmonibus pariter sentit. Et quide putat Emped. vnum esse vniuersum immensū, cuius exiguā partem esse mundum, qui fit & refit ob dictas causas: quanquam Aristoteles Empedoclem casui ista tribuentem accuset, non sic Plutarchus in De Placitis Philosophorum: magum autem fuisse Empedoclem nemo ignorat. Ergo Deos & genios agnouisse: nec omnia casu mutasse nisi fato Deos etiam subiecisset: quod etiam Stoici faciunt, excipientes Deum primum: cæteros vero fato, ac morti subiicientes. At maiestati Deorum congruentius loqui eos putat Plutarch. qui eos liberos faciunt, per Mundos plures vagos: qui visitatis afferunt bona, & cum abscedunt ad alia systemata infelicitates derelictis.

Infinitatem mundorum ab omnibus improbari: Nec vnitatem mundorum ritè probari. Propterea Platonem posuisse suspicatiuè mundos quinque, Petronem verò centum octoginta tres, & quomodo.

ARTIC. II.

MVNDOS non esse infinitos numero in Parte 2. Vol. huius declaratum est. Etenim infinitas & prouidentiam tollit, & Deum & Diuinationem, temerarioque casui contra sensum, & rationem, non rationali causæ adscribit, vt etiam Platonici, & quicunque rectè philosophantur docuere, cum infinitum nonnisi vnum esse queat, nec quæ tanto ordine, & arte reguntur ab causa irrationali, & non Ente, qualis est casus, oriri queant.

Hanc sententiam cum Plato explosisset, dubitauit, an quinque essent mundi, quoniam quinque elementa, ac quinque corpora regularia esse videbantur. Siquidem ex cubica constat tellus figura: ex icosoedra aqua: ex octoedra aër: ex pyramide solida, quatuor triangulis scalenis, quorum quilibet in sex resoluimus, ignis. Cœlum vero ex dodecaedra duodecim pentagonorum, quorum quilibet in quinque æquilateros secatur.

Petro Himereus mundos facit centum octoginta tres, in triquetra figura collocato in spatio immenso, ita vt in quouis latere sint sexaginta: in angulis vero tribus mundi tres eminent: omnes sensim tangi, & circuire quasi in chorea. Planitiemque interclusam in ipsorum medio esse omnium mundorum focum communem, & dici campum veritatis, vbi reposita sunt exemplaria præteritarum, & futurarum, & præsentium rerum immobilia, quæ ambit æternitas. Ex qua quædam portio defluit in res temporales mundorum.

Plutarchus cum opinionem mundorum infinitorum confutasset, tanquam quæ prophetiam euertit, & rationem, & legem, & numerum, & virtutem, eos non rectè censere putat, qui vnicum esse mundum cum Arist. propterea contendunt quod tellus aliorum mundorum ad nostræ telluris vniuersitatem, vbi est centrum mundi vniuersale, venirent. Etenim in spatio immenso non datur centrum: & cuiusque systematis proprium est cētrum, quo concentrantur, vt vniantur, atque seruentur, & sint quēadmodum nos sæpè ostendimus. Item nec propterea, ait, plures mundi sunt negandi, quod aliorum in alios defluxus concuteret istos, ac perturbaret, & euerteret. Cuiusque enim mundi materia contineretur propria forma, nec excrementum, aut ictum emitteret, sed benignum contactum, & influxum, sicuti sydus in aliud sydus, vti patet: quæ emanatio non destruit, sed seruat sydera. Stoicorum etiam rationem soluit, quæ docet, si plures sūt Mundi, plures esse Ioues: etenim ab vno Ioue possunt regi omnes Dij præfecti Mundorum; sicut membra humana differentia, ab vna mente. Nec quia materia est vna, vnus sit (ait) Mundus: possunt enim esse plures materiæ, & vna in plures partita, sicuti materia humana in plures homines. Imò (ait) Deus patronus amicitiæ & iustitiæ Mundos plures fecerit inter se amicabili societate gaudentes: nec enim iustum, vt solitarius vnus in spatio immenso, timidus fluctuaret absque commercio, & amicitia sociorum. Item, idea Mundi communis est pluribus, vt idea hominis: Mundus autem noster non est communis, sed suas habet differentias, quibus ab aliis differat Mundis.

Defensio Platonis de quinque Mundis à Theopompo, & Theodoro, apparet inanis. Plutarchi quoque pro eadem Apologia examinatur, ac irrita ostenditur.

ARTICVLVS II.

QVÆRITVR autem, cur quinque Mundi apud Platonem non impugnantur: sed certo isthoc numero statuuntur. Quinarius enim neque cubicus est, neque quatratus, neque triangularis, neque perfectus, neque illam offert elegantiam numerorum studiosis. Ratio quoque Platonis obscura, & impertinens videtur, qua quinque corpora æquangula, & æquilatera, æqualibusque contenta superficiebus, vult ea in materiam venisse, ac statim quinque confectos esse Mundos.

Respondet Theodorus Solensis, pyramidem esse omnium simplicissimum corpus, ex paucissimis quatuor basibus, ac triangulis scalenis viginti quatuor compositum. Dodecaedron vero compositissimum ex duodecim basibus, & duodecim pentagonis: quorum quisq; in triangulos æquilateros quinque secatur; quorum quisque ex triangulis quinque constat scalenis, vnde trecenti sexaginta fiunt trianguli. Quæ figura est cœli in 360. gradus dispartiti. Octoedron ex octo æquilateris, distinctis in quadraginta octo scalenos, vt duplum sit ad pyramidem. Icosadron ex viginti basibus æqualibus, continentibus scalenos centum viginti: quod est duplum atque dimidium insuper ad octaedron; quoniam sic ex ignis portionibus duabus, qui est pyramis, generatur vna aeris, & quarta pars minus dimidia aquæ, quæ est Icosaedron. Ex vna vero aëris duæ ignis, & dimidia minus tertia aquæ: ex aquę vero vna duæ aeris cū dimidia.

Itaque ad generationem illud fit, quod minimum magis, ac facilius, & est in causa generationis omnis. Et quidem non ipse primum elementum, sed aliud in alia materiæ parte. Ita quod quinque elementa, & mundi.

Hanc declarationem irridet Ammonius: quoniam cubus non commutatur in præfata corpora, cum isoscelibus constet: ergo vbi primum cubus occupauit materiam, non potuit aliorum mundorum subsequi generatio, cum non queat vltra diuidi: si autem ignis occupauit, tellus subsequi non potuit, nec mundus cubicus: & cum aliorum triangulorum sit dodecaëdron, declaratum non est, qui ex eadem materia factum sit.

Plutarchus autem aliter examinat Platonem: quod videlicet, duplex est natura: altera sensibilis, mutationique subiecta: altera intellectualis stabilisque: in qua sola Diuersi natura facit multitudinem, & oppositionem plusquam locorum distantia in corporibus.

Principia autem idealia Plato statuit Ens, Idem, Diuersum, Motum, & Quietem: ad quorum exemplar nasci oportuit mundos quinque. Cubus enim telluris repræsentat quietem. Pyramis ignis respondet motui, Dodecaëdron complectens omnia, correspondet Enti, Icosaëdrum, idest, Aqua, Diuerso: octoëdrum tandem Identitati, seu eidem; qui in aëre.

Præterea vnitas refert finitudinem formantem, & specificantem omnia. Binarius materiæ in finitudinem omnimodis formabilem: ex materia autem & forma primus resultat numerus, qui est ternarius primus imparium. Qui cum Binario primo parium sub vnitate Principe omnium efficit quinarium. Numeri ergo duo primi accedentes materiæ in quinque mundos eam distinxere, & non plures, nec pauciores, Platoni. Vnde Panta, quod est totum, à Pente, quod est quinque, dictum putant.

Item ex primo quatrato, & vnitate fit quinarius, & primus hic numerus sesqui alteram continet rationem. Item quinarius facultatem habet diuidendi, & secundum eum natura diuisit, vt plurimum. Quinque enim sensus nobis dedit, & quinque animæ partis scilicet vitalem, sentientem, appetentem, irascentem, ratiocinantem: Quinque digitos in manu. Rhea quinque peperit Deos. cælum & terra, Quinque Zonas habent. Quinque sunt Planetarum conuersiones; etenim Sol, Venus, & Mercurius vnam tantum habent: quatuor reliqui. In Musica quinque sunt interualla, Diesis, Semitonium, Tonus, sesquitonium, ditonus, & in Harmonia Tetrachordorum iidem: Primus etiam numerus circularis est ex quinquies quinque.

At quidem nulla ratio iam dictarum cogit, quinque esse mundos. Si enim, vt dicebat Theodorus, quia ex igne solido simplicissimo fit aër: & ex hoc aqua, & ex aqua duæ aëris partes cum dimidia: & rursus ex aëre duæ portiones ignis: ex terra autem nulla fit mutatio in alterum elementum, vt habetur in Timeo: sequitur sane, quod duo tantum sint mundi. Quæcunque enim in inuicem conuertuntur, vt potè composita ex eisdem triangulis sola numerositate differentibus, ea vnum componunt mundum. siquidem res vnius mundi conueniunt in genere subiecto, vt possint in inuicem mutari: alioquin ex diuersis nulla fieret indiuersa transmutatio: ergo neque generatio, & corruptio: quas videmus in nostro systemate inesse: & sine qua mundi Pulchritudo, & varietas cessaret. Quod si tellus, vt Plato iudicat, in alia elementa non transit, sed quasi basis est mundi, & eorum quæ in ipsa manente basi transmutantur: tunc profecto non poterit esse nisi vnus mundus compositus ex duobus elementis altero intransmutabili, sed alterabili tamen ab altero transmutabili, proptereaque distincto in plures regiones. Aqua enim & aër & ignis eiusdem sunt substantiæ, vt Plato docuit, nosque etiam asserimus, quod duo elementa prima facimus ignem, & terram. De cælo etiam nil dubitamus asserere, quod sit igneum. Nec quia dodecoëdron est, ignis vero pyramis, non sit igneum: dodecaëdron enim ex pyramidibus constat, & ex scalenis, ex quibus pyramis, in eius quoque dogmate.

Si quis autem quærat, cur in nostro mundo non solus ignis reperitur, sed opus est tellure: tunc manifesta ratio sese aperit: quoniam videlicet idem non potest transmutare seipsum, neque rerum distinctio ex vno oriri actiuo elemento, nisi cum alio pugnans alteretur & transmutentur in media Entia: quemadmodum in Phys. q. disputabimus, contra eos, qui omnia constare, vel ex sola aqua, vel ex solo igne, vel ex solo aere, nostrum autumant mundum. Quod si duo requirantur saltem elementa, profecto tellus non erit transmutabilis, vt fiat generatio, idque nos in 2. lib. primæ partis, contra Platonem, & chimicos quosdam recentiores ostendimus rationibus euidentibus atque Chimicis experimentis, post multas transmutationes, quarum non nisi vnam examinauere Platonici.

Præterea mirum, quomodo ex eo, quod sunt corpora quinque regularia, quinque mundos facit Plato, cum vnus mundus necessario ex quinque omnibus constare debeat corporibus, alioquin non esset integer. Vnde si ex nostro mundo auferas vel tellurem, vel ignem, vel aquam, in confusionem veniat & corruat, oportet: neque secunda Entia in eo seruentur. Qui enim in Theologia Christiana dicunt mare in sæculi renouatione abolendum esse, hi generationem, & corruptionem cessaturas etiam docent, & figuram mundi huius immutandam. Pythagorici etiam, qui ex sydere quouis systema faciunt mundiale, ponunt in singulis syderibus tellurem & ignem & aërem, & aquam.

Quod etiam Plato interdum docet cum Timeo. At si propterea constare mundos quinque autumant, quod ex quinque corporibus constent quidem singuli: sed in alio prima figura sit cubus: in alio pyramis, in alio octaëdron, in alio icosaëdron, in alio dodecaëdron, sicut Epicurei etiam cogitant, mundos variarum figurarum: hi profecto distinguere debeant, an toti mundo ista figura conueniat, vel cælo: non toti vni: sic enim ex vno tantum corpore constatet, sicut aqua, & non esses ex cunctis velut animal membris: si autem cælo tantum, vel terræ tantum, tunc dabitur cælum quod reuera non est cælum, esset enim cubicæ figuræ nec proinde mobile in gyrum, cuiusmodi est cælum nostrum. Similiter & tellus esset pyramidis, ineptaque basis & potius non basis rerum. Præterea quo pacto faciemus cælū terreum opacum, aut aqueum ponderosum, & tellurē pyramidalem, & lucidam & transpicuam? siquidem figura est substantialis forma Platonicis, vt ex dictis patet: oportebitque ad figuræ commutationem, omnes commutare qualitates: cum enim ex terra fit ignis purificatus lucet & transparet, & mouetur, nec amplius opacat, torpet, & tenebrescit.

Plutarchi quoque ratiocinatio nihil demonstrat, neque quod sit vnus mundus, neque quod plures, imo ex eo quod Deus est vnus, concludendum erat, quod etiam si plurimos effecerit mundos, hos sub vno ambitu contineri oportebat quemadmodum Pythagorici rectè statuunt, sydera intra id, quod continet omnia tanquam mundos seminando, vtque possint inuicem foueri, tenuitate cælesti circundantur, per quas effluxiones, & lumina, & aliis in alia astra deferantur. Præterea si videtur Plutarcho irrationabile, vt vnus mundus solus fluctuet intra spatium immensum nullo sociorum mundorum fotus commercio: cur non est inconueniens, vt quinque mundi tantummodo intra vastissimum campum quasi quinque ciceres intra magnum ahenum, aut quinque pisces in toto mari, aut quinque Aristæ in campo Taneos, vagentur? posuisset saltem centum octaginta tres, sicut Petronis est sententia.

Illa itidem correspondētia mundorum ad quinque ideas, videlicet, ad Idem, Diuersum, Ens Motum, & Quietem, exilis videtur, & fallax. Non enim hæ sunt ideæ primæ, sed Vnitas, Ens, Bonum, Verum: obiecta nempè primalitatum, & coëssentiamentum sicuti cum de mundis quinque in lib. 5. secundæ partis, loquebamur, probabatur. Præterea: neque idem fecisset sibi figuram octaëdram aëris: sed cum sit vnissimum idem ex nulla figura partibili componi potest, sed ex simplicissima: quæ potius est in igne. Pyramis enim eius pauciores continet scalenos. Item cum res mutabiliores, & variabiliores, longè sæpius recedant ab identitate, quam minus mutabiles: tunc oportuisset telluri adaptare Identitatem potius, quam aëri, semper agitabili, incessanterque variabili, omnique ex causa dissipabili, partibilique. Tellus enim nec mutatur in aliud elementum, nec tantis agitatur varietatibus, quas ab eodem excludit Dauid, cum Deo canit. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, post vbi dixit elementa mutari, & mundum.

Præterea, vt in secunda Parte probauimus. Identitas est vnitatis res, & Entis: Diuersitas vero multiplicitatis, & Non-entis. Mirum est autem, quomodo Diuersum dat aquæ, vnitæ magis in seipsam? Idem vero aëri, disperso magis, & non Entitatis, & vacuitatis capaci.

Præterea, in ideatione, & formatione, neque ex Diuerso fit Idem, neque ex Eodem Diuersum, neque enim ex linea fit albedo, neque ex albedine linea, & motus. At ex aqua fit aër, & ex aëre aqua. Itemque cum fit ex aqua aër, tenditur ad Diuersum, quoniam plures erant aëris portiones ex vna aquæ. Et cum ex aëre in aquam, cogitur diuersitas ad identitatem. Ergo potius aquæ identitas, & aëri diuersitas tribuendæ erant. Aëris etiam vaporisque species sunt plures, quam aquarum.

Præterea, vanum est magnificare ideas motus & quietis, instar ideam Entis, cuius est totum esse, motus autem & quietis potius non entitas, & passio, & operatio alicuius entis, non totius, vt in 1. & 2. parte dictum est.

Ratio de binario & ternario primis materialibus numeris, non suadet omnino. Sed enim ternarius est primus numerus ex materia, idest, ex Binario, & ex forma, idest, ex vnitate compositus: mundus autem non est simplex res, sed composita: ergo si plures ponendi sunt mundi, tot erunt, quot primæ compositiones: ergo tres. Numerum autem ternarium diuinum esse Pythagorici docent, ne dum Christiani. Item triangulus, prima figura composita, idem probat. Item tres primalitates aptabunt sibi tres mundos: in quorum primo præualeat potentia, in altero sapientia, in tertio amor.

Altera ex nomine ratio fallit: non enim Pantà à Pente dicimus, sed potius vt Aristot. docet in primo de Cœlo, Pythagorici colebant Deum ternario, & de ipso dici *Totum*, & *Omne*, docebant; non de Vno, deque de Binario, cuius est nomen *Ambo*.

Quod quinarium celebrat in digitis, non propterea in Mundis probabit.

Neque sensus sunt quinque, sed sensoria, & tantum quatuor. Tactus enim est omnium. Præterea, si sensoria quinque haberent pro obiectis Mundos quinque, valeret: nunc autem non. Præterea, organa potestatiui, & appetitiui, non respondent quinario, sed commoditati.

Neq; quinque sunt Animæ partes, sed tres, tribus primalitatibus respondentes: vitale enim & irascibile potestatiui sunt: sentiens & ratiocinans cognoscitiui: cætera volitiui.

At cur non duos mundos, cum duplex sit manus, duplex pes, duplex oculus, duplex auris, duplex narix?

Quod adducit ex Musicis, non probat, nisi quod Musica ex quinque est, ergo & mundus: sed illa quinque ad ternarium reducuntur, vt palam est: & Arist. in 3. Meteororũ ternario cuncta constare Pythagoricis, etiam Iridis colores dixit. Item solus ternarius est numerus simplex non compositus ex numeris sed vnitatibus: nec proinde diuisibilis in partes æquales in numeros, sed vnitates.

At quid dicent de quaternario, cui nomen Dei, tetragrammaton respondet: inuiolabilis Pythagoræis numinis iuramentum? Item elementa quaternaria ponit Plato, & cælum ex eis, cur ergo nunc quinque mundos, & non quatuor?

Ratio de primo circulari numero, quam nos addimus suadentior est. Sed quaternarius ex aliquotis suis faciens decem, quod est totum: & denarius, cum verè sit totus numerus, ad denos mundos nos trahens: & senarius ex partibus aliquotis: & septenarius ex primo impari primoque pari, vt August. notat & ex aliis prærogatiuis, pugnabunt pro se rationes, ergo istæ nil adstringunt.

Examen, & mysterium 183. Mundorum Petronis, ipsorumque incertitudo.

ARTIC. IV.

SENTENTIA Petronis de 183. mundis triquetra figura dispositis, non probatur Plutarcho. neque ratione, sed traditione sese illam habuisse narrat: nec reuelari hominibus, nisi semel intra annos cIↃↃ, ac solum sanctissimis. Mihi autem videtur hic sermo adumbrare sanctæ Monotriadis mysterium sanctis viris pridem reuelatum: ex quibus Petro accepit sermonem. Etenim hi mūdi ex tribus constant sexagenis. Sexagenum autem commodissimum esse numerum, ipsa circulorum, & Cæli distributio, & Mathematicorum vsus confirmant: atque ex ternarij replicatione in duplici denario conficitur. Multiplicatio ergo ternarij per Binarium materialem in totalitate celebratur. Item illi tres Mundi in angulis 180. mundorum, repræsentant tres primalitates Monotriadis sanctissimæ. & quoniam quælibet primalitas est in qualibet per identitatem realem, & coinesse reciprocum, vt in 2. p. declaratum est: idcirco quælibet habet suum mundum repræsentantem omnes alios Mundos. Mundi autem habent in medio campum veritatis triangularem, id est essentiam, quam constituunt primalitates tres, & in qua subsistūt. Proptereque & ipsa triangularis dicitur, & in ea esse ideas æternas declaratur, quoniam essentia, vt imitabilis, est rerum omnium idea; cuius plures respectus ad creaturas sunt ideæ plures, & infinitæ numero, sicut declaratum est in primis sermonibus, & Theologia Sanctorum contestatur.

At quidem id mirabile est, quomodo 180. esse Mundos laterales, iste cognouit, nostris incognita prioribus. forsan ex mysterio monotriadis hoc argumentatus est, addiditque.

Nec quidem declarauit, quot sæculis constent ipsorum vitæ, an verò perpetui sunt, & quomodo Rex sæculorum illis præsideat.

Dicitur quidem Deus fecisse sæcula per verbum suum, in Epist. ad Hebr. & alibi, Rex sæculorum nominatur, & regnare per infinita sæcula sæculorum. Sed quid sint ista sæcula, vitæ ne mundorum, an generationes nostri Mundi, an vitæ succedentes huic generationum multitudini, non declaratur; nos autem infra enucleabimus idipsum.

Valentini hæretici de triginta Æonibus & sæculis, in diuinis: & de paßione Sophiæ, vnde fauente sotere productus est demiurgus factor Mundi corporalis, & diabolus. & de rerum productione, & seculorum in naturalibus, instar seculorum in diuinis, opinio declaratur.

CAP. VIII. ART. I.

AVSVS est tamen Valentinus hæresiarcha, vt Tertullianus & Irenæus narrant, triginta sæcula ponere; & triginta generationes in indiuinitate: vnde forsan triginta Mundos ponere opus erat. Porrò fingit Pleroma, quasi tabulatum immensum, intra quod Æones describit. Ponit in primis Biton. i. Profundum immensum æternum infinitis retro sæculis in summa quiete degentem. Qui ex Sige .i. ex Silentio, seu cogitatione genuit masculum Nun .i. mentem, seu intellectum tanquā ex vxore simillimum Patri omninò infinitæ virtutis, & simul fœminam, quam vocat Veritatem. Ex mente autem, & veritate per coniugium natum esse verbum & vitam. De verbi & vitæ copula oritur homo, & Ecclesia, ergo sunt 30. Æones vsque modo.

De sermone & vita producit quinque paria Æonum, Bythion, & Mixim .i. profundum, & mixteonem: Agerato, & Henesim. i. Nonsenescentem & Vnionem: Authophien, & Hedonem .i. per se Naturalem, & Voluptatem. Acineton, & Synerasim, id est, Immobilem, & Commistionem: Monogenem, & Macariam, id est Vnigenitum, & Fœlicitatem.

De homine & Ecclesia sex paria Æonum producit intra idem Pleroma, videlicet Paracletum, & Fidem, quam vocat Pistim, Patricon, & Elpim, id est Paternum & Spem. Metricum & Agape .i. Maternum, & Caritatem: Ainum, & Synesim. i. laudem, & semper Mentem .i. intelligentiam, vel prudentiam. Ecclesiasticum, & Macaridem: quā interpretantur Beatitudinem. Theletum, & Sophiam scilicet Perfectamabilem, & Sapientiam.

Tunc ait, omnes istos Æones Bytum protoplastum affectasse agnoscere, sicut Nus, i. Mens, seu Intellectus primogenitus cognoscit: proptereaque inuidia tactos, cum non possent: hancque inuidiam in Sophia vltimo Æone consummatam. Qui ex desiderio inquirendi genuit ex se sola, sicut vultur, ignorantiam, pauorem, mœrorem, & stuporem: quę passiones in substantias & materiam, ex quibus genitus est Mundus materialis, versæ sunt, vt mox docebimus. Non tamen perditum iuit Sophia in sua aporiatione inquirens Bython, quoniam incidit in Horon, qui Pleroma terminat exterius, & ab ipso retinetur. Horon interpretatur Terminus, Crux, &

Redemptor. Nus verò .i. Intellectus, relegata extra Pleroma passione Sophiæ, quam ex illo desiderio genuerat recepit Sophiam intra Pleroma, liberauitque ab angustiis.

At ipse Intellectus genuit intra Pleroma insuper duos Æones posteriores sc. Christum, & Spiritum sanctum, masculos: quorum munus est concinnare, & consummare Pleroma.

Christus ex hoc docuit Inapprehensibile Patris Bythi esse causam perpetuitatis. Apprehensibile vero generationis: nec apprehendi nisi per Num. i. Intellectum Filium primogenitum. Spiritus sanctus verò docet gratiarum actionem pro doctrina hac Christi, & inductionem in requiem per ipsam.

Et tunc cognitores transformantur in sermones, in homines, in Christos: Cognitrices vero in Alethias, in Zoas, & Ecclesias, & peræquantur in pleromate, & fiunt vnum.

Deinde omnes Æones facti vnum ex collatione eius, quod quisque habet optimum sui, producunt Iesum, soterem, Christum, sermonem ex omnium defloratione constructum. cui Angelos satellites adiungunt.

Hic Soter cum Paraclito sua vxore, vel Angelo, misertus abortæ passionis Sophiæ, quam passionem vocat Enthimesim, sicut Intellectus miserabatur prius Sophiæ matris huius Enthimesis, proiectæ extra Pleroma, & adhuc nitentis ad Bythi cognitionem redire: ipsam informat. Atque ex ea scil. Enthimesi, quę etiam dicitur Achamot, triplex materia manauit, secundum quod meret, ignorat, pauet & stupet. Ex pauore enim tenebræ manarunt; & timore & ignorantia, spiritus nequitiæ, & malignitatis: ex tristitia, & lachrymis, humida maris, & aquarum Natura. Passio materiam genuit. Item ex risu eius & conuersione per ipsum soterem, manauit substantia animalis: ex imaginatione, & gaudio substantia spiritualis.

Achamot ergo constituit omnia genera rerum per Iesum ei subuenientem. Ex sua enim animali substantia constituit Demiurgum, Deum nostri Mundi, factorem omnium ex matre. Qui ad honorem Æonum fabricat infra suum pleroma, quod vocat sabbatum, & tabulatum, septem Cælos intellectuales vocatos & Angelos. Quorum quartum Cælum vocant Paradisum, & Archangelum. & sub his elementa 4. & homines: & hoc ignorando quid faceret, & matrem propriam nesciendo, fecit, & putando se omnia esse.

At ex spirituali materia orta ex Achamot, dicunt productum esse diabolum, meliorem demiurgo Deo nostro, vtpote ex spirituali genitum Natura. Hominem vero à Demiurgo creatum ex materiali terra non quidem hac arida, sed de inuisibili corpore fluxili, & fusili, & afflatu suo illum animatum, & circumdatum carnali superficie .i. tunica pellicea.

Demiurgus etiam (inquit Valentinus) dum afflat in hominem, dat illi ignorans doni, semen etiam spirituale, inditum sibi ignoranti ab Achomat. Hoc semen est Ecclesia ad imaginem Ecclesiæ Æonis primi pleromatis. Ergò homo est materialis, spiritalis, & animalis. Iesus autem apparuit ad saluandum animalem hominem. induit autem ab Achamot spiritalem substantiam. à Dimiurgo animalem: corporalem verò ex animali substantia; nihil autem materialis accepit, vtpote salutis alienum, transisseque per Virginem materialem, quasi per canalem, non autem aliquid ex ipsa accepisse. Hic IESVS sponsabitur Achamot, quam transfert tandem intra Æonas supremi pleromatis.

Nec ex reuelatione sibi facta, nec aliis, nec ex sacris Literis potuisse Valentinum Aeonas triginta ponere in diuinis: sed tres tantum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: ergo nec secula exteriora, nec Mundos triginta, sed tantum tres. qui vnus.

ARTIC. II.

QVÆRIMVS autem à Valentino, vtrum hanc doctrinam acceperit per reuelationē à Christo, aut ab Apostolis & Prophetis, aut sibi factam an verò ex propriis syllogismis, deductis secundum sacrarum literarum doctrinā. Non quidem ex reuelatione sibi facta. Etenim hanc probare debuisset miraculis, Martyrio, Prophetia, cæterisque notis: per quas huiusmodi homines examinari oportet secundum rectam Philosophiam, & Theologiam, in superiori libro expositam. Quod cum non fecerit, illi fides nulla debetur: Cum præsertim plurimi nebulones, & hæretici consimilia cōfixerunt. Nec ex sacris Scripturis accepit: nam licet in illis Deus vocetur Rex sæculorum, & fecisse per verbum sæcula & duraturus, & regnaturus in sæcula sæculorum, & fiat mentio de sæculis æternis, & diebus æternitatis: non tamen triginta esse sæcula internarum emanationum, nec ergo externarum vllibi docemur. Satisfit autem facilè præfatis autoritatibus, si sæcula intelligamus rerum generationes, quemadmodum Philosophi solent vsurpare; & tempora illarum, sicuti supradictum est. & ab his, vti mos est hominum, ex notioribus ignota nominare, vocatam esse, ipsam æternitatem immutabilem quoque sæculum. & quoniam videbatur nobis parum dixisse ad tantam rem, additum esse sæcula sæculorum. Nam etiam Dauid dicit Deo suo: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Scimus autem annos Dei non esse mutabiles, & distinctos instar nostrorum: sed nos ita loqui oportere, sicut cum Deum dicimus sapientem à nostra sapientia, & sapore rerum. & videntem à nostro visu, & audientem à nostris auribus; non vnde imponitur nomen, sed ad quod, respiciendo. Similiter & Daniel vocat Deum, *antiquum dierum*, cum nulla anti-

quitas, nec dies nisi analogicè in eo sint, aut metaphoricè. Micheas quoque *dies æternitatis* etiam nominat: in qua tamen nullus est dies.

Si verò putat Valentinus ex sacris Scripturis per argumenta Aeonas haberi, fallitur omnino: nō enim alias processiones internas ibi habemus, nisi eas, quæ sunt filij à Patre, & Spiritus sancti, ab vtroque, in quo consummatur pleroma infinitatis. Cætera autem vanissima sunt, vt probauimus in 2. Theologicorum.

Quapropter tria tantùm sæcula exteriora fieri oportuisset vel Mundos tres, aut generationes tres. vnde Abbas Ioachim tres ponit ætates Mundi, quarum primam Patri, secundam Verbo, tertiam Spiritui sancto attribuit. Et licet Dauid dicat legem datam per mille generationes, hoc est per mille sæcula; nihilominus istę generationes reducūtur ad tres mundi: esto enim quod humanę sint mille, tres tamen sunt nostri mundi, sicut & Helias videtur docuisse Talmudistis: nos autem posuimus septem ætates Mundi per millenaria incedendo, iuxta Dauidis interpretationem non inutilem.

Quàm irrationabiliter Valentinus producit Aeones, & pleromata in singulis productionibus, conuincitur validis rationibus & oraculis.

ARTIC. III.

QVOD si per syllogismos aliquid plus, quàm per scripturas expressum est, arbitratus se Valentinus scire, id quod nedum sacræ Literæ damnant contra minuentes, aut addentes suis oraculis, sed etiam Plato, & quicunque de reuelatis veritatibus doctrinam amplectuntur; nos tamen monstrabimus ineptè Valentinum suos Æones descripsisse, & contra scripturam, & naturam. Quæro enim, an Pater, Bythos vocatus, manserit in sæculis æternis retro sine prole, vt ipse Valentinus videtur velle, an semper fuit cum sua prole. si absque mansit; ergo fuit absque intellectu, vt insanus, & absque fœlicitate, vt miser, & absque vita vt mortuus, & absque sermone vt mutus, & absque veritate vt mendax. Hæc omnia sunt ipsi vt filij, & Nepotes. Et quidem videtur acceptare, quod fuerit mutus. Ait enim quod Bythus, id est, profundus de Taciturnitate, quam vocat sygem, vxore genuisse Intellectum: Igitur qua ratione erat cum Taciturnitate, ante verbi Natiuitatem, erat pariter cum mendacio ante natiuitatem veritatis.

An fortè taciturnitas, vt priuatio adiungitur Patri, non autem mendacium, neque mors, quoniam res malæ sunt: At si vnquam, priuatiuè sumantur præfuerunt in Patre. sed Pater est æternus, & infinitus: infinito autem nihil deest. Ergo nulla priuatio erat in Bytho. ergo genuit quod prius erat, non quod non erat. ergo ab æterno, ergo non fuit infinitis sæculis retro cum taciturnitate; sed istę generationes sunt emanationes æternę, & intrinsecus, & potius essentiationis formalitates & rationes, sicuti nos in prima & secunda parte docebamus.

Sed concedatur Valentino secundum modum intelligendi dictum esse, quod Pater fuerit ante generationem sæculis multis infinitis: & quod genuerit ex silentio, potius autem ex cogitatione secundum meliorem interpretationem, ipsum intellectum filium, nam ex memoria fœcunda etiam Theologi generant nostrates, alij ex Natura fœcunda, alij ex potestate Entitatis; Fœcunditas enim indicat abundantiam virtutis, qua communicare sese, quod fœcundum est valet. Attamen quæ loquuntur processiones Aeonum, sunt irrationabiles.

Veritas enim non est aliud, quid & fœmineum respectu Intellectus, sed ipsamet Mens intellectusque sapientiaque. Licet quatenus est intelligens dicatur Intellectus, quatenus verò est intellecta, dicatur Veritas: absolutè autem Mens. Nec rectè masculinitas, & fœminitas ponuntur in Deo, nisi grammaticaliter: fœmina enim defectum dicit valoris, mas sine fœmina non generans, etiam indigentiam habet.

Quapropter solum grammaticaliter, & poëticè ista coniugia celebrari debebant. Illa autem secunda processio prorsus falsa est, qua ex intellectu, & veritate generat verbum & vitam. Verbum enim est ipsa sapientia, vt expressa, ac genita. quapropter vel intellectus est ingenitus, vel si genitus est cum veritate, ipsemet est sermo, seu verbum. Non ergo danda est secunda generatio pro verbi productione. & Scotus, qui dicendo, verbum generat, & Durandus, qui manifestando, & Thomas, qui intelligendo, non distinxerunt hanc generationem à prima. Generatio enim cum sit expressio, ista omnia præincludit. non enim est sicut generatio hominis, à quo exit mox verbum exterius distinctum ab interiori.

Nostra etiam Metaphys. tres tantum nouit primalitates, & sapientiam à potentia deriuat absque recessu, in qua Verbum, Veritas, Mens, & quidquid ad cognoscitiuum spectat, concluditur. Memoria enim fœcunda præcedens non gignitur, sed est ipsa potestas, vt in dictis locis declarauimus. Vita etiam est potestatiui obiectum: mirum ergo qui Valentinus ex veritate, & Intellectu ipsam cum verbo producit: cum potius ex vita & Bytho, Intellectus, & Verbum, & Veritas, vital actu deriuandi essent. Et quoniam ex Intellectu & Potestate statim subsequitur voluntas in cunctis rebus, secunda deriuatio erat ponenda processus amoris de sapientia, & potestate, vt rectissimè Theologi Spiritum sanctum de Patre & Verbo. Vnde Ptolomæus quidam sectatur Valentini, Bytho coniuges duas dat, cogitationem, & voluntatem: ex quibus generat veritatem fœminam similem cogitationi, & Monogem, id est intellectum, similem voluntati masculum.

Ridiculus sanè, qui voluntatem facit vxorem masculam, propterea quod cogitationi efficaciam præstat, cum constet cogitationem præire, volitionem cogitatorum subsequi: nec vnigenitum esse filium voluntatis, sed naturæ. Haud fœlicior in tertio

tio partu eſt Valentinus, cum ex verbo,& vita generat Hominem, & Eccleſiam. Etenim Eccleſia eſt congregatio hominum, vel Deorum: Congregatio autem non ex verbo, & vita, ſed ex numero, & vnitate naſcitur, vt in ſecunda parte dictum eſt. Numerus autem ex diuiſione, & influxu Nihili, quod intra pleroma non recipitur. Homo etiam productus intra pleroma, idealis eſt; idea autem eſt Verbum, & non ex verbo, vt alibi diximus; vel producitur in eſſe cognito cum verbo. At hac ratione non modo homo, ſed cunctæ res productæ ſunt in verbi manifeſtatione.

Præterea, cum ex verbo, & vita producit quinque paria videlicet Profundum,& Mixtionem:Non ſeneſcens,& Vnionem; Per ſe naturalem, & voluptatem; Immobile, & Commiſtionem,Vnigenitum,& Fœlicitatem, prorſus delirat. Profundum enim ex Bytho,id eſt profundo erat producendum; & cum ſit menſura magnitudoque ad poteſtatiuũ ſpectat, non ad verbum tertio loco genitum. Mixtio non ex vita erat facienda cum non naſcatur, ac ſemper ſit primalitatis primæ obiectum; quæ vt eſſentialitas eſt primalitas, vt obiectum ſui, vita. Mixtio autem non ex vita,ſed Vnitate,quæ ex multis facit miſcendo vnum. Stultè quidem vnionem, miſtionem,& commiſtionem, tanquam tres filias ponit in diuinis. Cum hæc omnia ſint eſſentiationis vocabula,primalitatem,identitatem,& coinexiſtentiam ſequentia, & ſuperflua in diuinis, vt res ponuntur, aut realitates tres; cum ſola vnitas euacuet eorum rem, & ſignificationem.

Præterea non ſeneſcens, & ſemper naturale, conueniunt Bytho, ſuntque vocabula Innaſcibilis, & nati. Mirum quomodo tàm longè ab eis producuntur, quæ præinſunt. Item ſemper naſci, aut produci eſt omnium manationum res in diuinis: maximè autem Nus: Cur nunc quaſi noua realitas additur ex verbo, & vita, cum potius verbum ſit, quod ſemper naſcitur, quam productor ſemper naſcentis. Mirum quomodo Monogenes ex verbo, & vita, cum nullus Vnigenitus ſit in pleromate Valentini, ſed Nus cum veritate, verbum cum vita, & Monogenes cum fœlicitate, naſcantur. Fœlicitas etiam, & voluptas ex verbo, & patre, ad inuicem conuerſis, vt ita loquar, ſpirantur, & ſunt ipſe amor, & Spiritus ſanctus; vt mirum ſit, quomodo tam poſteriores. & cur tacetur amor maſculus, & voluntas.

Vnde quidam Valentini ſcolares hanc coniugiorum infœlicitatem, quaſi odientes, dicunt, Deus cum cogitauit proferre hoc, dictus eſt Pater; Cum protulit dictus eſt veritas, cum voluit ſeipſum probari, hoc Homo pronunciatus eſt.quos autem pręcogitauit, cum protulit, tunc Eccleſia nuncupata eſt. ſonuit homo ſermonem, ſeu verbum; & hic eſt primogenitus filius.ſermoni acceſſit vita,& Ogdoas prima concluſa eſt.

Benè quidem, vt prolator eſt Pater, at non idem perſonaliter, vt prolatus eſt veritas filius, ſed tantum eſſentialiter. neque idem eſt homo, vt volitus, ſed ſpiritus, & amor. Idealitas enim hominis non eſt realitas perſonalis, ſed reſpectus ad creaturam, vt cognitam, & producendam: qui reſpectus non eſt ſolus humanitas, ſed omnis Entitas; eſt enim eſſentia Dei, vt imitabilis.

Præterea veritas, & verbum vnius ſunt prolationis, & diſtinguuntur ſicut prolatio, & prolatum, quæ in Deo ſunt vnum; idcircò cum Deus profert veritatem profert verbum, & verbo. ruditer ergò homini prolatio verbi adiicitur: & profectò ſi iſte dictis Valentini non hæſiſſet, fuiſſet melior ad diuinorum notiones, quam cæteri Ex vita ſermonem, & non è contra nouiſſet. Nec Eccleſiam attuliſſet, vt realitatem aliam, ſed vt eſſentiationem eſſentialitatum in vnitate, aut vt multitudinis ideam, quæ ad realitatem perſonalem non pertinet.

Redeamus ad Valentinum, qui ex homine, & Eccleſia producit paria ſex, videlicet Paracletum, & Fidem: Paternum & ſpem, Maternum & Caritatem, Laudem,& Prudentiam. Eccleſiaſticum, & beatitudinem, voluntatem & ſapientiam) ſtultiſſimè quidem. Paraclitus conſolatur Eccleſiam in noſtro Mundo tanquam Deus, & ſicut Paſtor Gregem, ergo intra pleroma non procedit ab Eccleſia, & ab homine. Item homo & Eccleſia differunt, vt vnum, & multa congregata. Congregatio autem eſt per fidem, & ſpem, & caritatem; ergo non producitur à multitudine & homine fides, ſpes, & caritas, ſed participantur, vt virtutes, & media ad beatitatem. Mirum præterea, quomodo voluntas, & ſapientia, quæ ſunt Entis eſſentialitates, producuntur ab eſſentiatis, & ſint ſuorum natorum nati. Paternus etiam, Maternuſque ſunt in Bytho,& Sige: quomodo ergo nunc producuntur ab homine, & Eccleſia eorum natis?

De voluntate, & ſapientia, quam inſipienter loquantur, tota ſecunda pars huius voluminis declarauit; & nunc mirum quomodo fieri potuit, vt ſapientia neſciret Patrem; & ſimul omnis perſona diuina ignoraret: Solus autem Intellectus Nus ſciret. quomodo enim ſapientia ignorat; ergo non eſt ſapientia, & quomodo intellectus ſapit ſine ſapientia? & quomodo homo parturit Sophiam ipſe non Sophus, ſed ignorans, Bython? Fabula autem de inuidia in diuinis ſceleratiſſima eſt; ponitque in Monotriade, quam facit Ogdoadem, nedum inæqualitatem, & priuatiua vitia, ſed etiam poſitiua, qualis inuidia. & tandem in ſapientia afflictionem, cuius ſapor debet eſſe ſumma voluptas.

Paſſiones autem Sophiæ valde imperitè prædicant: ignorantiam, pauorem, mœrorem, & ſtuporem. Sapientia enim non parit niſi ſcientias & lumen, non ignorantias & tenebras. Nec quia non poterat perdiſcere patrem, parit ignorantiam; ſi enim hoc non poſſet, non eſſet verè Sophia; ſi poſſet, ergo non peperit imprægnata ab hac impotentia.

Præterea ignorantiã, Pauor, Mœror, & Stupor, ſunt paſſiones poteſtatiui coniugio Impotentiæ copulati. Impotentia autem eſt ex nihilo, & eſſentialitas nihili. At intra pleroma Entis ſummi nihilitas nulla reperiri poteſt; falſo ergo ibi maritant Nihilum cum Sophia. Horus autem, id eſt terminus inquiſitionis, non erigit Sophiam cadentem in has paſſiones, ſed deiicit. Etenim terminus nullus in perſcrutatione ſummi Entis, cum ſit infinitus, & incompræhenſibilis. & cum putas te perueniſſe, non perueniſti, ſed in inquiſitione defeciſti, vt ait ſanctus Leo Papa.

Quapropter non datur terminus, & cum nos

beabimur in Deo, in hoc beabimur, quod non ſit finis eius ſapientiæ, & omnipotentiæ: nec appetitus ſatiatur ad nauſeam, vt fit interminatis, ſed adulteriorem amorem, vt dicit Apoſt. *In quem* (ait) *deſiderant Angeli proſpicere.*

Illa tandem productio Chriſti, & paracliti intra pleroma, ſtultiſſima eſt. Non enim Nus abſque fœmina potuit producere, ſi nec Bythos potuit de ſe, Valentino. Nec illa productio eſt vltima, ſed prima, ſicut eſt ſapientiæ, & amoris manatio in primalitatibus.

Doctrina etiam illius Chriſti falſa, non enim beamur per id quod non appræhendimus, ſed per id, quod appræhendimus; nec enim homo pecunia, quam non habet, ſed, quam habet, fruitur, & gaudet. Nec Spiritus ſanctus apud nos de hoc gratias agendas curat, ſed de acceptis donis, accipiendiſque appræhenſione vera, vt dictum eſt, cum de beatitudine fuit ſermo.

Productio tandem Ieſu ſoteris extra pleroma, & ſatellitum Angelorum, eſt Scripturis ſanctis contraria, & rationi. Ieſus enim qua verbum Dei, eſt intra pleroma: qua homo extra. Angelicum autem pleroma intermediat vt in 5. lib. 2. parte. Nec paſſiones Sophiæ vaniſſimas curaturus aduenit, ſed res creatas à Deo Patre Ente ſumno; cuius participio ſunt. Si enim caſu quodam, & mala ex afflictione Sophiæ nata eſſent elementa, & animalis, & ſpiritalis ſubſtantia: tunc omnis bonitatis expertia eſſent, nec capacia diuinarum idearum, & concinnitatis, & ordinis. Nec Soter illas curaſſet.

Hic notà commentum Diaboli, quomodo docuit Valentinum, quod Deus noſtri Mundi, & Mundanorum factor, ſit ignobilior ipſo Diabolo, vt animalis ſpiritalis, & quomodo ignoranter facit omnia noſtri Mundi Entia; & quomodo homini dat ſpiritum, ignorans quid faceret, & fabricatur cuncta ad Æonum honorem, ſibi ignoratorum. At quæſo quomodo non etiam triginta ſæcula caduca iſte Deus Demiurgus produxit, ſed ſolum Cælos ſeptem, & quatuor elementa? Item ſi Deus noſtri fabricator ignorat Bythum & pleroma, & Geneologiam diuinorum; vnde tu quæſo, Valentine illud ſciuiſti? nunquid ſapientior, & melior es Deo Cæli, & Terræ, & cunctorum authore, & tui ipſius?

Præterea Soter, qui per Virginem venit ad nos, fatetur ſe eſſe filium Dei factoris Cæli & Terræ, & Apoſtolus ait, quod omnia in Sotere creata ſunt, & per ſoterem ſæcula; & ipſe eſt (ait) ante omnia, & omnia in ipſo conſtant, qui eſt principium. Qua fultus nunc doctrina tu doces, Ieſum ſoterem eſſe ante Deum factorem Cæli & Terræ: *Ante quem*, vt ait Iſaias, *non eſt firmatus Deus, neque poſt erit alius*: Præſertim cum ipſe Soter dicat, *Pater maior me eſt*, & *ego à Patre exiui.* Hunc autem Patrem non eſſe fictitium illum Bythim, ſed Cæli & Terræ autorem & ſæculorum, omnes Apoſtoli, & Prophetæ vno docent ore. Diuus etiam Petrus apud ſanctum Clementem contra Simonem Magum, probat non eſſe alium Deum, præter Patrem Ieſu Soteris, nec illum Soteris, nec illum alium eſſe bonum, ſi quis illum aſſerat: quando quidem noſtri cura non tangitur; nec ſenſum, aut ſcientiam nobis tradiderit, qua ipſum cognoſcamus eſſe, ſicuti tradidit nobis Deus Cæli & Terræ noſtræ quinque ſenſus, & prophetias, & rationem, & doctrinam.

Quod Chriſtus Soter fuerit verus homo in Theologicis probamus: & hiſtoria Euangeliſtarum, & Iudæorum, & Gentilium conteſtatur, & paſſio, & mors, & reſurrectio, & nutritio, & cætera.

Geneſes ac ſæcula Heſiodi Gentilium Antiſtitis examinantur.

ARTIC. IV.

In Theogo.

AT quidem non magis fælices in ſæculorum deſcriptione Theologi Gentium fuere. Heſiodus enim Aſcreus conterraneus noſter ipſorum ante ſignanus, ante omnia præſupponit Chaos & Tellurem, ex quo primitus oritur Amor ſi Platoni credas, vel præeſt amor. Abſque amore non fit generatio, nec ſæculum vllum. D. ex Chao oritur Erebus, & nox ſecundi ſæculi. Erebus Noctem grauidat, quæ parturit Æthera, & Diem 3. ſæculi.

Tellus autem primum genuit ſibi parem Cælum ſtellis ornatum. Quocum concumbens parturit Oceanum: Coeum, Creum, Hyperionem, Iapetum, Theam, Rheam, Themin, Mnemoſymenem, & poſt hos natu minimum Saturnum 4. ſæculi. Qui Cyclopas & Leſtrigones dedit: Caſtrat Cælium Patrem, Telluris matris ſuaſu auxilioque. Exque pudendorum ſanguineis guttis nati ſunt Gigantes, exque genitalibus in mare iactatis, Venus: quam comitatur Amor & Cupido ſubſequitur. Nox proinde parturit Fatum, Parcam, Martem, Heſperides Nymphas, Hemeſin, Fraudem, Amicitiam, Senium, Contentionem.

Contentio verò laborem, obliuionem, peſtem, dolores, pugnas, cædes, prælia, ſtrages. 6. ſæculi. Saturnus in 7. ſæculo ex Opi vxore generat Iouem, Iunonem, Neptunum, Plutonem, Glaucam. Impetitur à fratre Titane, & Nepotibus: liberatur à Ioue; venit in Italiam ſæculum condit aureum. Oceanum etiam ſuos filios facit, & Iupiter, & Neptunus: quorum generationes ſunt innumeræ.

At quidem Chaos præfuisse non vno modo intelligitur. Si enim est Chaos materiale, in quo latebant elementa, vt canit Ouid. vel Homiomeria vt Anaxag. perperam dictum videtur quod Dij ex eo orti sint. Videtur autem Hesiodus in Theogonia Terram & Chaos vna componere, ita quod corporea moles, ex quibus Cælum & Terra, omniaque mox ex iis elementata ortum habent. sit idé quod tellus. Nam intra inane posita, & ab actiuis viribus distracta, versa est in duo prima mundi corpora, Cælum & Terram. Et quamuis Lactanctius auersetur Chaos, ne videatur Deus ex præexistenti materia, non ex Nihilo, creasse: tamen Patres vel natura, vel tempore præsupponunt informitatem: vnde per ideas & numeros facta distinctione sit factum Cælum & Terra, & omnis ornatus eorum. At quomodo nasci ex materiali Chao Dij potuerint, non satis potest intelligi.

Cum autem Plato dicit Terram esse matrem Deorum, prout lex Reipub. & Poëtæ asserunt, manifestè confirmat eos errasse. Nam ipse ante Chaos Deum Deorum præsupponit, qui ex informi iactata mole mundum formet, statuatque. & quasi sex dierum generationes, & sæcula Mosaïca imitatur. Vnde Rabbini 6. millia annorum per sæcula sex mundo dant, vt in xi. lib. declarauimus. Imitantur enim sæcula Genesim. si autem Chaos respectu nostri intelligatur Thesaurus idearum in mente Dei, qui effusus in materiam omnia gignat, & materialia, & immaterialia entia, vt videtur sapere Hesiodus, & Orpheus: Profectò & nos has productiones approbamus, si tamen & materia creatur. Ante enim omnia natus est Amor, id est voluntas Dei ad producendum ex massa omnium in verbo Dei repræsentata, volendo enim, & amando Deus deduxit essentias ad existentias, & hoc videtur nobis esse Chai distinctio, sed secundum apparentiam. secundum rem enim ita omnia in Deo sunt vnum, vt nullam confusionem inordinatam faciant. Propterea videtur Hesiodus Chaon & Tellurem, & Amorem vna posuisse. quoniam in Patre omnia vt impressa, in Verbo omnia vt expressa, in Spiritu omnia vt volita, præesse videntur.

Oritur autem in 2. sæculo Erebus & Nox, id est vis actiua, & materia ordine naturæ. vt declaratum est in lib. 11. licet enim multipliciter nominetur Erebus apud Poëtas, tamen Nox est Tenebra materialis, quæ non potest ingrauidari, nisi à vi actiua confusa in principio, & hæc est duplex, calor, scilicet & frigus. ex calore attenuante materiam fit Æther & lux, quam non peperit Nox nisi calore vincente tenebras, id est materiæ faciem. Quod autem addit tellurem genuisse Cælum omnino falsum est, cum sint opposita, nisi intelligas ignem ex Tellure accensa, propter quod vocatur Vesta, & in tenuitatem acta, genuisse Cælum & Stellas, vel ex materia partita in globos per calorem, & in ordinem deuenisse.

Deinde rectè addit Oceanum ex Tellure & Cælo natum, calor enim liquefaciendo terram genuit aquas sicut in lib. 11. & in q. Phys. declaratum est, & testimonio Hieron. Lactant. & Greg. Nyss. confirmatum: sed quod Dij cæteri nati sint ex Cælo & Terra, præsertim Themis, Mnomosynes, & aliæ incorporeæ virtutes, omnino reiiciendum. Nisi aliud Cælum, & alia Terra superioris ordinis inuisibilium ad huiusmodi principiationem præisse intelligantur: & quidem de Diis Gentium ita sentire conuenit, quoniam homines non Dij fuerunt. sed secundum Philosophiam aliter sentiendum, vnde Varro apud August. distinxit inter Deos poëticos, & ciuiles, & philosophicos. Poëtæ enim omnem vim malam & bonam, & iuxta gustum vulgi pro Diis habent. Ciues verò in Repub. eos colunt à quibus benefacta receperunt. Philosophi optima mundi corpora, vt Cælum, Terram, Sidera, luminaria: sed cum hæc antecedat, & ambiat animus humanus, veram deitatem super omnia nobis capibilia extollit. Et sicut Varro Deum esse mundi animam cogitauit, & Patres adorasse partes mundi vt partes Dei sine errore putat; ita Cicero & Seneca pro Ioue intelligunt Deum verum, omnipotentem, omniscium, optimumque. pro Hercule filio, Iouis fortitudinem, pro Apolline, prouidentiam: pro Pallade sapientiam; pro Venere amorem: pro Saturno intellectum, &c. Numero etiam Deorum addiciunt Cacodęmones, ita quod Pestis, somnium, dolor, strages, pugna, & similia sunt dęmones, iis præpositi malis. Æquum enim est, ait Chrysost. & August. vt sicut Deus per Angelos bonos dispensat bona, ita per malos mala. sæcula ergo tam situalis mundi, quam mentalis tot sunt apud Gentes, quot generationes Deorum. Quod verò Nocti, id Materiæ seu Terrę, seu occultę causę productionem Parcarum, & Mortis, & Amicitię, & Nympharum adscribit, non videtur adserendū. Amicitia enim ab Amore non à nocte est. similiter & Nymphæ. Contentionis verò ritè progeniem assignauit. Sed ad istorum declarationem multa essent dicenda, sed non vtilia nisi poëtis.

Appendix.

ADmonet nos locus iste addubitandi, vtrum corpus incorporea parere, & è conuerso, possibile sit, & num abstractum concreta, quemadmodum sæpe legimus in Alcorano, & hic Hesiodus docet, cui primum Nox, id est, tenebricosa moles, Fatum, parcas, amicitiam Nymphas, Somnium, & Mnemosynem generat, & contentionem. Contentio verò, laborem, obliuionem, pestem, dolores, & huiusmodi materiatas res. Nobis etiam calor & frigus incorporeæ vires, rerum generāt elementa, glaciem, plantas, &c. Imo ipsa discordia distinxit materiam primā in elementa duo contraria: & lis, & amicitia cognoscuntur ab oue, lupo, cane, cato, tanquam res. Vnde Seneca disputat, vtrum virtutes, & vitia sint animalia ex corporibus, & animis constituta. Et quidem sic esse concludere videtur.

At cum sint innumeræ virtutes, & vitia in anima, erit anima subiectum, & locus infinitarum rerum: siquidem Senecę corporea est, vt Deus spiritus mundi; & nascerentur, & morerentur in anima plura animalcula incessanter. Nos autem arbitramur, Deum non esse corporeum nec incorporeum, vt Iust. ait: sed potius dici incorporeum, licet supra vtrumque. Et propterea creasse, & corporea vt Cælum & Terram, & incorporea vt Angelos, & mentes; & medias creaturas, id est calorem, & spatium incorporea, sed corporata; quorum vtrumque de se incorporeum: sed tamen calor magis accedat ad actiuum Angelum, spatium magis ad passiuam molem. Generatio enim non fit à corpore, nisi vt informato viribus incorporeis;

nec vires incorporeæ intenduntur & amplificantur, nisi quia sunt in corpore receptiuo. Vires autem materiales non generant, nisi quatenus primalitatibus constant incorporeis: nec res incorporeas extra corpus, nisi corporatas, vt ipsæ sunt Amicitia ergo & discordia nascuntur in animis & exinde contentio: nascuntur & in corporibus sed à viribus incorporeis. At non sunt corpora per hoc, neque animalia, sed passiones, notiones, & affectiones, vel solius animæ: vel compositi ex corporea mole, & incorporeis primalitatibus, igitur concretæ, non abstractæ, hic & ibi. Porro abstractum forsan generet concretum, sed non è contra, vt Angelus formas corporatas ideando, concinnando corpora, & vires eorum, ad certos gradus & mensuras, non de se producendo, sed coaptando & ordinando, productiuas causas. Non ergo ex nihilo, vt Deus: nec ex propria substãtia, incorrupta, per dilatationẽ, vt calor: sed ex aliena ab ipsis ordinata, vt ab Agricola fruges, & à Medico sanitas exinde resultans, vt videtur Augu. & Thomæ. Vtrum autem aliqua saltem vis aut qualitas pertinens ad primalitates simplices, vel corporatas, possit manare ab Angelis & Diabolis, vel totum quod dant aliunde sub ministretur per motum localem rerum alterantium, quæstio est. Et soluitur affirmando vtrumque: hilaritas enim & tristitia, & probitas & improbitas, videtur ab eis communicari: sed fortasse occasionaliter, nam Coluber & Auis etiam causant in nobis passiones, notiones & affectiones occasionaliter: & consimiliter probitatem & improbitatem: quæ à solo Deo causaliter dari possunt & occasionaliter. Ardua res Sed quidem animam posse in formare corpus, & viuificare, quamuis non corporea sit & superioris ordinis, probat D. Thomas in 2. contra Gent. ex eo quod intelligentiæ informant cælum animando secundum Arist. Sed hæc probatio est ad hominem & per incertius. Posse autem probari ex hoc, quod compatitur, & congaudet, & coalteratur cum corpore, & operationes animasticæ multæ sunt totius coniuncti, non solius animæ: sicut ferri ignitiuitio. Labes etiam corporeas permanere in anima separata purgandas etiam docet Virg. & Plato, vt in luce color viridis. D. Thomas autem concedit hoc intentionaliter, sed idem est, ac non fortiter, vt colores iridis: sed fortius, dicit Auicen. qui per imagines beat & cruciat. Has communicationes negare non possumus. Licet non intelligamus quid imprimat Angelus Angelo, & animæ, & corpori cum suo ritu tanguntur. Hoc tamen videtur dicendum, quod concretum generat concretum respectu virium agentium, & corporeitatis deferentis & conferentis: non autem abstractum nisi secundum vocem: vt frigus generat dolorem in stomacho, quia facit stomachum dolere. Et calor calorem in manu, quia facit calidam manum, non autem calorem abstractum. Posset tamen abstractus calor materiari & calefacere: non autem Seraphin nisi primalitatum gratia nobis corporetur, vt mens humana: & cùm illuminat & afficit Cherubinum, non generat in eo. Abstracto lumen, sed reddit Cherubinum illuminatum. Accidens enim nullibi est naturaliter sine subiecto. Accidentia autem sunt virtutes & vitia occasionata à creaturis. Anima enim se ipsam mouet ad illas, facitque. solus Deus potest creare abstractas & concretas. Generationes ergo Hesiodi in concreto sunt accipiendæ. In abstracto enim nullæ, nisi primalitatum communicatio ineffabilis in ente primo, & secundis in rebus vt entia sunt.

Opinio Zoroastri, & Magorum de sęculis & principibus, & fine sæculorum: & Chaldęorum, & Empedoclis, & Pythagorę, & Aristot. & Platonis, & Gręcorum de principibus, proponuntur disputandę.

CAP. IX. ART. I.

ZOROASTER, vt refert Plutarchus in libro de Iside, & Osiride, duos Deos fecit, alterum malum, vocatum Arimanium, alterum bonum Aromazam; mediumque horum Mitram. Oromazen è luce purissima natum, Arimanium à caligine. Res cuiusque generis bonas ab illo, vt plantas fructiferas, pulchras, metalla, vtilia animalia mansueta, pulchraque; mazas verò ab isto vt plantas steriles, deformes, qualis tamarix, filix, plumbum, pulices, &c. Orimalen sese triplicasse, & supra solem tanto sese interuallo extulisse quantum Sol distat à Terra, & Cælum stellis decorasse: & sicut apud nos sex Deos creauerat videlicet Beneuolentiam, veritatem, æquitatem, sapientiam, diuitias, voluptatem; ita super Cælum fecisse Deos viginti quatuor, atque in ouo posuisse.

Arimanum verò, qui apud nos suos ediderat Deos, videlicet Maleuolentiam, Mendacium, Iniquitatem, Ignorantiam, Paupertatem, Dolorem, genuisse post modum Deos viginti quatuor malos; mox perforasse ouum, in quo erant boni reconditi, atque ita permista fuisse bona malis. Fatale tamen tempus affore, quo purgata tellus his malis, perditoque Arimanio, vna erit Monarchia, vna fides, vna lex sancta, hominesque probissimi, beatiquè vnica vtentes lingua.

Theopompus addit de sententia Magorum, Zoroastris assectarum, ter mille annorum alterum Deum superare, alterum succumbere; & per alia tria millia bellum inter se gerere, & alterum alterius opera demoliri. tandem Plutonem, seu Ariminium deficere, & tunc homines fore beatos, neque alimento vtentes, neque vmbram emittentes. Deum porrò, qui ita machinetur, quiescere ad aliquod tempus, non quod lon-

gum sit Deo, sed rectum, & mediocrè tanquam hominis dormientis.

Chaldæi istas vices tribuunt, & contrarietates Diis, id est, stellis beneficiis, hoc est, Ioui, & Veneri; ac maleficiis, Marti, & Saturno: Medios faciunt Solem, Lunam, Mercuriumque, vt in Astrologicis diximus. Vnde sæcula possunt æstimari ab eis, ita quod à principio regnauit Saturnus altissimus Planetarum per 360. annos, quantus est numerus cælestium partium apud Trimegistum: & formationum, & terminorum, vt dicunt Astrologi, & tunc fuisse vitam rusticam. Per alios trecentos sexaginta Iouem: & tunc vitam ciuilem: per totidem Martem, iuxta ordinem Planetarum, & tunc confusionem & bella. per totidem Solem, & tunc Leges & Imperia. per totidem Mercurium, quando doctrinæ, artes, & mercimonia regionum: Luna est vltima, quando itinera per totum orbem, & inuentio regionum nouarum, mutabilitas morum, & temperamentorum, & legum: donec iterum stabiliat sibi sæcula Saturnus, aut Mundi interitus sequatur. At quoniam totus numerus annorum, non est nisi bis mille quingenti, ac viginti: qui numerus annorum, ferè in Abraham completus est, aliter est signandus. Profectò quis rectius dabit vni Planetæ annos mille, & tunc septem millibus durabit Mundus, & septimum millenarium erit requiei, & Sabbati in terra. Octauum enim in cœlo succedet super naturalis beatitatis, vt D. Ambros. & Origenes interpretantur. Sed qua ratione cuilibet mille damus? qua etiam diem vnum cuilibet: vnde adhuc Christiani post Romanos, & Græcos, & Ægyptios, à Chaldæis edoctos, dies Planetis dicatos, cuique suum ex nomine habent. Idem faciunt in horarum custodiis prisci Chaldæi. Quam doctrinam haud improbandam censet D. Thomas in Opusculis. Posset quis etiam sæcula Planetarum ex triplicitatibus colligere, vt quę fiunt in prima triplicitate per centum octoginta annos, dentur Planetæ primo, quæ in secunda secundo; & sic de cæteris. Et cum octingenti ferè annorum sint singuli periodi: consequens est, vt Mundi duratio sit annorum quinque millium, & sexcentorum. Sed vtraque opinio Mundum iam defecisse facit, qui tamen stat. Nec congruum videtur, quod Solis triplicitatem, & Iouis regat Saturnus à Principio.

Præterea, istæ triplicitates aliter se habent in altero Mundi hemicyclo: in quo Libra est primum dodecatemorię signum, sic etiam Domus. Ergo minus absurda est sententia millenarionum. Sed cum mala & bona in cunctis dictis temporibus agnoscamus. Ergo omnes Planetas semper regnasse oportet, semper enim & mouentur & illustrant suo fulgore terram. Verum quidem est, quod aliquando plus vnius quam aliorum vis præualet, cum videlicet in principio nouo alicuius mutationis angulariter, & ouentaliter interregnant. Hoc & in synodis, & diametris luminarium experimur, & in ecclipsibus, & in diei, & lunationis, & anni quartis, de quibus sufficienter in Astrologicis. Attamẽ non sub omni meridiano idem Planeta est angularis: ergo, &c.

Alij faciunt Deos Pacem & Bellum, cum Empedocle, & Heraclito, & Homero, & prout ista regnant benè vel malè rebus nostratibus cedit.

Pythagorici vicissitudinibus bonorum & malorum principiorum. Etenim Vnitas, Finitudo, Quies, Impar, Æqualitas, Dextrum, Lux, Quadratum, Masculus, Rectum, bona ferunt. Binarium vero, Obliquitas, Infinitudo, Par, Inæqualitas, Fœmina, Motus, Sinistrum, Tenebra, altera parte longius mala. Sed Arist. bona & mala fortunæ & priuationi tribuit: sed sæcula ipsorum non ponit, nisi vt ferunt inundationes, & incendia: quod a Platone accipit, sed rationes horum non affert.

Plato Identitati, & Diuersitati: sed in libris de legibus, vt Plutarchus adnotauit mundum cieri ad minimum duabus animabus dixit: quarum altera bonorum, altera malorum sit efficax: mediam ponit appetentem bona, sed vicissim ab vtrisque regnatam. hanc puto materiam esse. Melior præualet, sed deteriorem funditus aboleri, ne fas, ne generatio, & corruptio deficiant. Et quia radicata est in mundo, & in anima mundi: hinc est in nobis ratio, & consilium à meliori: sensualitas & stultitia, & passiones à deteriori. Has animas Ægyptij vocant Osirim, & Typhonem; alij genios bonos, & malos. Alij Angelos & Diabolos. Lactantius Christum & Diabolum, qui inuidet Christo primogenito Dei, ipse secundus, & ex inuidia lapsus in malum, mala peperit: & peccata nobis suggessit cum suis satellitibus. Idem prorsus Zoroaster affirmat: neque enim Deum vult esse Geniorum malorum principem, sed creaturam primigeniam; sæcula autem ex horum pugna oriri.

Græci autem in quatuor Regna discerpunt mundum, idest, elementa, quatuor diis inter se pugnantibus subdita: quibus si dominia dant sæculorum, quatuor vel octo sæcula facient millenaria.

Examinantur iterum opiniones Platonis, & Zoroastri, & aliorum circa Principes sæculorum. Confirmaturque vnitas diuinitatis, & vitiorum origo repanditur; & quæ mala desinunt esse in fine sæculorum.

ARTIC. II.

NOS autem in 2. P. euidentius probauimus, vnum Deum: neque pacem & bellum Deos esse, sed accidens quoddam ex copia à Deo, & inopia à Non ente in rebus, fato ac necessitate, & Harmonia exortum. Item nec quatuor esse elementa contraria, quorum quodlibet à suo Deo gubernatur, sed duo. Nec propterea plures oportere ponere Deos: quoniã cõtrarietas & pugna, non est à Diis neque à discordia, sed concordia, quoniam res consimiles amant eamdem ditionem in materia: ideoque altera potestas, alteram deturbare conatur: & quomodo calor & frigus non sunt res ita dissidentes, vt Deos duos ostendãt, sed maximè natura conuenientes: vt duo figuli,

quorum alter alterum odit, aut duos reges bellantes: propterea quod idem simul affectant lucrum & regnum. Quæcunque autem desiderant idem, non sunt natura, sed ex accidenti discordantia, quoniam videl. illud idē non sufficit duobus. Ergo non causaliter discordant, vnde Deos duos causantes pugnam, concludas, sed occasionaliter ab eadem causa finali, & efficienti compulsi. Insufficientia autem accidit ex Inopia. Inopia ex nihilo. Quando ergo Deus inopiam tollet, & desideria explebit contrariarum potestatum, tunc cessabit bellum, regeneratio & corruptio: vtque ait Apost. *creatura liberabitur à seruitute corruptionis*. Quod autem tertium Ens, quod vtrique appetunt, idest, materia, non probet tertium Deum, similiter declaratum est in p. & 2. P. quoniam potestatiuum principium duas causas producit actiuam & passiuam: cognoscitiuum similiter duas idealem, & formalem: volitiuum etiam duas, perfectionem, & finalem.

Concessimus tamen esse pugnam geniorum bonorum & malorum, sicuti est bonorum & malorum hominum: at illa pugna non declarat duos mundi Principes: aut duas origines, quemadmodum nec homines boni & mali, duo genera hominum faciunt: sed vnum: nec Deos duos, sed vnum: vnde ipsemet, Zoroaster, Arimanium agnouit non esse Deum, sed Genium, & duobus geniis natis è luce, & tenebris, præficit alterum Deum non natum, qui sæcula consumet: etenim in hoc est melior Manicheis, qui duos deos faciunt materiæ commistos & pugnantes, nec minus miseriarum malo quam bono tribuunt. Plato etiam detestatur Deorum Dualitatem, & pluralitatem. Animas autem ponit contrarias per accidens, sicut & Genios elementa quoque varios genios habere nos etiam cum illis statuimus, & bonos, & malos: sed bonos principari: neque elementum aquæ creditum est Diabolo, neque tellus, neque aër: sed vnumquodque à suo Angelo, dicto in sacris literis Dominatione, aut principatu, regitur: sub quo Angeli boni ac mali propter executionem diuinæ beneficentiæ, & iustitiæ militant. Quapropter errat Theopompus, cum putat per tria millia annorum alterum superare alterum: semper enim probitas vincit: Malitia autem permittitur ad bonitatis splendorem, & exercitamentum. Benè quidem cogitauit tunc fore mundum beatum, cum Arimanius, idest, Diabolus perdetur, & vincetur: nam & hoc in sacris literis reuelatum est in quarto Esdræ, & in Ioannis Apocalypsi, vbi Michaël ligat Satan in abysso, & tunc sequitur resurrectio virtutum: & deinde soluto Diabolo fiet bellum nouum per vniuersum orbem: & tunc in stagnum ignis tam Diaboli, quam praui homines recludentur, & fiet cælum nouum & terra noua: & sequestrabitur bonitas à malitia, quæ nunc mixta laborant pugnantque.

Id autem quod scribunt Arimanium vitia peperisse verissimum est: Diabolus enim peperit peccatum superbiæ, ex quo inuidia & cætera pullularunt, inobedientia, maleficentia infidelitas, mendacium, quæ Diabolus homini per suggestionem commiscuit, vitiauitque bonum à Deo creatum. Fabula tamen de ouo, in quo Deus 24. virtutes, quas Deos vocant, conclusit, rupto per Diabolum creatorem suorum Deorum, ex quo mixtio: mali cum bono successit, aliquid veri indicat. Deus enim in paradiso, quasi intra ouum homines posuerat, virtutibus cunctis plenos: ipse autem Satan irrupit in eos suadens mala, & rupit ouum, idest, custodiam originalem. Similiter cum Angelos creauit intra innocentiam originalem, quasi intra ouum, quod originem custoditam hominum refert, ac proinde superum. Diabolus autem extra factus, rupit ouum illud, & traxit ad se tertiam partem Angelorum, vt dicitur in scripturis sanctis: ac deinde hominem contaminauit.

Quapropter non rectè dixerunt quicunque vitia esse naturalia docuere, Deus enim bonus omnia bona beneque facit: ergo & homines & Angelos. Ipsi autem occasionem peccandi ex bono malè acceperunt, dum plus & maius quid esse volunt, quam quod datum est illis à Deo: vt autem sic velint non esse à Deo Ente summo, summoque bono instigante, neque mouente, neque imaginationes has faciente, vt dicunt Stoici, excusantes Deum per hoc, quod solas imaginationes vitiorum facit, sed non volitiones: quas solus homo facit, & adiungit imaginationibus: sic enim vt Plutarch. arguit, Deus ipse causa esset, & tentator. *Deus autem intentator malorum est*, ait, Iacob. Apost. & Ecclesiasticus, *ne dicas*, ait. *ille me implanauit*, idest, Deus, *non enim sunt ei necessarij homines impij*. Tentationes ergo, & imaginationes prauæ suggeruntur à Dæmone, vel fabricantur à spiritu animali, caduca appetentis. Deus autem auxilium præstat menti humanæ, quo illas vincat, tam per se immediatè, quam per Angelos bonos; & quoniam sunt plura & digniora auxilia, quam scandala & tentationes, propterea Deus iustè iudicabit mundum in fine sæculorum.

Mala igitur moralia à Diabolo, mala Physica ex pugna contrariorum.

Mala Metaphysica omnia sunt à Deo vtente illis ex nihilo ipsorum fonte in bonum, quemadmodum in 2. P. probatum est.

Mala autem Pythagoræorum non verè esse mala, sed respectiuè vt supra probatum est, non essentialiter: vnde nec Deorum pluralitatem conuincunt, neque sæcula inimica, sed diuersitatem rerum, vt sæpè declaratum est.

Quas ob res à summe bono omnia mala sublatum iri expectamus, tam Physica, quæ sunt mors, & & labor, & bellum, quam moralia, quæ sunt iniquitas, fraus, cæteraque vitia: quam Metaphysica, quæ sunt permissiones horum ad bonum vsum: & hoc secundum originem, qui posuit post plurima sæcula, & reuersiones animarum, fieri ista omnia.

Qui autem sobriè magis loquuntur in Christiano dogmate, nequaquam omnia mala tolli volunt, nisi Physica, cum generatio, & corruptio cessabunt: moralia autem concludi oportere in locum pœnarum, quem vocant gehennam, separarique prorsus à bonis: ergo non erit medius locus, nec extrema miscebuntur: nec ergo vitium in cælicolis, nec virtus in gehennicolis; ergo manebit malum Metaphysicum: hoc est, priuationes in multis, & non Entitates: vsus mali in bonum, quoniam iustitia diuina in eis relucebit ex qua laudandi Deum occasionem habent beatorum cœtus.

De incertitudine seculorum post Mundi nostri instaurationem, siue ad merita comparanda, siue ad alium finem; corrolarium, & correctio. Item de puerorum, & eorum qui legem Naturæ seruarunt, aut non seruate pœnituerunt, statu post sæculorum renouationem.

ARTICVLVS III.

IGITVR sæcula illa, quæ post mundi renouationem expectant alij, aut quo saluentur, qui cruciandi sunt, aut quo beati tædio quodam pertesi cadunt ad inferiora, desiderio corporalium: aut quo, qui mortui sunt in vulua, & ante vsum liberi arbitrij, iterum reuiuiscent, siue vt viuant semper in quadam fælicitate naturali, quemadmodum suspicantur S. Gregorius Nazianzenus, & Nicolaus Lyranus, & Scotistæ, & Thomistæ plurimi & est D. Thom. expressa: siue vt merita sibi comparent, quibus ad gloriam supernaturaliter beatorum admittantur: hæc, inquam, sæcula omnia in certa sunt, & partim falsa ex fine. Non enim qui semel beati sunt diuinaque fruuntur essentia fonte bonorum & voluptatum, possunt aliud appetere melius; nemo autem mutat, nisi melioris spe statum suum. Qui autem cruciandi sunt, in æternum sic erunt: quoniam quæ fides nobis pœnas & præmia reuelat, eadem cruciatus æternos facit, exceptis purgatoriis. Iudicia autem Dei aliunde nobis non innotescunt, præsertim Arcana politiæ mundi totius. Omittendi ergo sunt sub prouidentia.

Sed opinio Origenis iuxta sensum rationalem humanum, belle incedit: sed fallax ratio nostra sæpè nos monet, vt reuelatis veritatibus non nostræ prudentiæ innitamur. De puerorum tandem naturali beatitudine, & eorum, qui secundum naturam, rectè vixerunt, aut in fine pænituerunt, in opinione sumus, sicut & cæteri. Nulla enim reuelatio certa secus, aut sic docet. De cõparatione meritorũ etiã incertior, præsertim in Metaph. vbi nonnisi naturalem beatitudinem argumentis pertingimus. Quapropter id solum agnouimus, quod Deus naturales & sanctos appetitus saturabit sui visione, possessione & fruitione.

Quod autem corpora hominum resurgent ad vitam, & suo modo sint beanda, ex fide habemus, non ex argumento. Fidem tamen hanc nullis argumentis posse infringi verè cognoscimus: quoniam nos parui potentes Dei omnipotentiam non assequimur. Corpora autem posse beari etiam videmus, dempta grauitate, quam consequitur quicquid extra suum systema transfertur, vt in pp. probatum est: dempta etiam mortalitate, quod consequitur quidquid à suo contrario, & sua propensione ad certum locum segregatur omnino cum ex diuersis est compositum partibus, quarum quælibet ad proprium locum oppositum anhelat, vt in nobis accidit. Tenebras autem & malitias posse à corpore segregari, multorum transpicuitas monet, & purificatio metallorum. Item si causæ & occasiones malorum desint, de quibus si sigillatim in Theologicis nostris sermo verax conflatur: ipsa tandem anima, quam receptum iri intra pleroma mundi mentalis rationabilissimum est credere (siquidem res omnis ad propriam vniuersitatem, vt seruetur contendit, vnde aquæ ad mare labuntur, terrestria ad terram, ignes ad solem ponderant, propenduntque) affectat nunc corporis translationem in melius esse: & sicut particeps fuit vitæ infælicis, & instrumentum ad fæliciorem per exercitium redeundi: ita affectabit, cum reuersa fuerit ad suam originem, corpus quoque eleuari. Deumque bonum eiusmodi desideriis satisfacturum, credibile est, sicut etiam de pœnis corporum fides inde astruitur, quod occasio mali etiam afficienda sit male.

An omnis Mundus ab omni Mundo dissociabitur in fine sæculi: an vero deterior in meliorem transferatur: & gradus sint fælicitatis per has conuersiones & societates, non amplius læsiuas, sed melioratiuas associatorum.

CAP. X. ARTIC. I.

HINC soluendæ erant quæstiones de Mundorum dissociatione, ita quod materia liberetur à formis, & sigillationibus, quibus incessanter afficitur: spatium à materiæ concussionibus, & conceptionibus, & immotionibus. mentes à corpulentia, & spatiositate quantitatiua, receptæ in Mundum Archetypum. Sed cum credamus, corpora in melius immutatum iri, sicut & mentes, forsan illa sententia arrideat, quod inferiora beentur per translationem ad superiora: & ergo non ad primum Ens æqualiter, nisi secundum participationis mensuram. Non enim ita beari potest corpus suis limitibus circumscriptum modicissimis, quemadmodum Mens spatiosissimè per innumera penetrans corpora, suoque intellectu,

& volitione ad infinitum, ferè sese expandens.

Corpora ergo purificata spiritaliaque facta instar spatij expandentur, formasque diuiniores suscipiēt sic, & mentaliores. Spatium vero mentibus proximius fiat subditum mentalibus, ideis,& figurationibus. Mentes autem Archetypo Mundo mirificentius adhærentes,Deum sapiant, & in Deo omnia possint, omnia videant, omnia velint,fruanturque omnibus. Ergo tempus in perpetuitatem; perpetuitas in æternitatem; æternitas in æternitatis eminentiam, prout capere possint,eleuabuntur, & omnium mundorum appetitiones saturabuntur. Et quoniam non erit eleuatio & translatio hæc localis, sed dignificationis,& nobilitationis:poterunt simul mentes cum spatio, & cum corporibus esse & in hæc gloriam suam effundere: at dum conuertuntur ad corpora, videre naturaliter omnia,& frui omnibus fruitione naturali vt docet S. August. in corporibus etenim diuinitatis radij fulgebũt. Dum vero ad Archetypum mundum conuertuntur, videre Dei essentiam, & per ipsam supernaturaliter beari, nec posse ab hac excidere beatitate, vt dictum est.Sic Augustinus adumbrat has notitias sub nominibus visionis matutinæ,& vespertinæ,& meridianæ: adde & nocturnæ.Matutina enim est,qua res in Deo, vespertina, qua Deum in rebus; meridiana qua Deum in Deo: nocturna qua res in rebus intuentur.

Sæcula finem huius Mundi sequentia, vel esse Metaphorica, vel Analogica alterius ordinis rerum, & vicißitudinum diuinarum, nostris dißimilium.

ARTIC. II.

SÆCVLA ergo quæ sequentur infinita, & perpetuæ æternitates, vocata in sacris litteris, non erunt per periodos, & vicissitudines rerum varias, vti nnuc per annos & menses, & triplicitatum excursiones, factas à Planetis magnis, sed per stabilitatem, & immutabilitatem fruitionis, quam mens humana sata in corporibus extra locum suum, assueta per vicissitudines gaudere,& tristari, & noua expectare, & nouitatibus succedentibus gaudere; quoniam noua addiscit,& fit sic melior, & medicinam suorum malorum agnoscit; non potest credere.Quod enim eodem modo semper permanet,videtur nobis truncum, & iners, & inexpertum: & non lætari, nisi quia tristati sumus, vt qui medicina gaudent malorum potius,quam salute bonorum fruendo. Propterea intelligunt ibi sæcula,& tempora,& vices:quæ reuera non sunt, nisi forsan mysteriorum diuinorum nouæ manifestationes & succedentes sibi inuicem.Id quod non intelligimus hactenus.Quis enim infinita sæcula sæculorum iudiciorum Dei super suas creaturas manifestādorum, tam corporeas,quam incorporeas,assequatur cogitatione non errante? Putant alij esse Mundorum successiones corporeorum,vt Empedocles, & Origenes. Quis autem scit vtrum Mundorum mentalium?Etenim infiniti sunt in verbo Dei, vt Chrysostomus sapit. Quis scit, an per vices manifestentur mentibus incorporaliter secundum cognitionem naturalem? Nam insuper naturali nullæ vices. Haud equidem probem Mundos transmutationis, & corruptelæ capaces,qualis est noster,Deum creaturum, qui hunc etiam abhorreo, eiusque renouationem desidero totis votis & animis.

Sæcula nostri Mundi Aristotelica carere finali causa, & accusare rerum authorem; ideo non sola acceptanda: sæcula vero Platonica per incendia & diluuia ad purgationem facta, esse insufficientia, & præludia, & typos vltime purgationis, & rerum renouationis.

ARTICVLVS III.

IGITVR neque placet Aristotelis,& Platonis dogma, æternās nostrum Mundum hac in facie, qua nunc est, licet Plato animorum circulationes in futuris sæculis nostri Mundi etiam celebret; nam has circulationes cessatum ire oportet, cum sint afflictiuæ, & mutabilitatis, & corruptionis gestamina.

Cum autem dicitur in Timæo, & in Ciuili, & in Atlātico, quod incendia & diluuia vniuersalia sunt fines præteritorum sæculorum, & principia sequentium per vices, factis in cœlo certis exorbitantiis ad purganda mala præterita, non rectè admodum ponuntur. Etenim nullum sæculum mortale, neque ante, neque post diluuium Noë & Deucalionis, & Phoronei, & aliorum, malis vacauere Moralibus, nec Physicis. Sic neque post, neque ante incendium Phaëtontis & Sodomorum. Oportet ergo meliores succedere purgationes,& illam finalem quæ omnia mala tollat, vel separet prorsus mala à bonis, vt Zoroaster,& Chaldæi, & Christiani,& Iudæi,& Mahometani expectant.Diluuia autem & incendia hæc particularia, esse typos, & pignora illius vltimi incendij, quando iudicabitur sæculum per ignem,vt Sybillæ, & Poëtę, & Apo-

& Apostoli intimauerunt, sanctus Chrysostomus interpretatur Si enim nullæ purgationes tales vniuersales in quibusdam Regionibus contingerent, tunc non crederemus vltimam conflagrationem totius orbis, nullis exemplis ante delineatam. Si vero Deus omnes culpas nunc puniret, non esset expectandum vniuersale iudicium: non enim bis in idipsum iudicat.

Diluuia & conflagrationes vniuersaliter in toto orbe non posse fieri stellarum viribus, nisi omnes descendentes simul terram exurant; at secundum regulas Astrologiæ humanæ nequaquam, nisi aliud Deus eorum viribus addat, sicuti sub Noë. Et quantopere errent in hoc Astrologi: & quid possint exorbitantiæ cælestes, nec natalitium Mundi nostri sciri thema posse.

ARTICVLVS IV.

QVOD autem non sic naturaliter ista accidat, vt natura authorem naturæ excludat, sicut Arist. putat, & Astrologi multi, ex eo patet, quod eiusmodi diluuia, secundum naturam non fiunt, nisi vbi in signis aqueis, vt Astrologi docet, fiunt coniunctiones magnæ Saturni, & Iouis: tunc cũ simul reperiuntur luminaria, & cæteri Planetæ: hoc autem impossibile esse, calculandi ratio astronomica ostendit: neque enim quando factus est cataclismus sub Noë, tales coniunctiones præcesserunt si calculum benè consulas: & Albumasar, & Alliacensis Cardinalis, Synodum Saturni, & Iouis in Cancro faciunt ante diluuium plusquam ducentis annis. Scimus autem synodum non habere vim nisi per centum octoginta annos, quibus in sua triplicitate durant. Picus autem longè plures ante annos quasi mille præcessisse synodum illam computat ex tabulis. At neque si paulo ante, propterea cataclismus vniuersalis sequuturus erat. Cum deinde plusquam septies in cancro facta sit eiusmodi synodus, nec diluuium acciderit. Similiter, quæ sub Phaetonte celebratur incendiosa, in signis facta igneis.

Præterea neque vniuersalis esse potest, sed in nostro tantum hemicyclo citra æquatorem: vltra enim non sunt ignei Aries, Leo, & Sagittarius, sed aërei, vt probauimus in Astrologicis Libra autẽ, Aquarius, & Gemini, sunt ignea ibi: similiter neque aquea ibi Cancer, Scorpius & Pisces: sed terrea: ergo non possunt facere mutationes vniuersales. Neque si addas alios Planetas, & apertiones portarum: sic enim faciunt quod nos sæpè probauimus in regionibus quibusdam diluuia comportabilia.

Igitur aliquid maius addit naturæ autor viribus stellarum, cum cataclismos, & incendia facit. Id autem videtur esse nouus cometes, aut nouum sydus: sed nostro tempore nouum sydus apparuit sub Tychone, & cometes tresditi anno præterito, neque quid tale attulerunt, quale historiæ narrant.

Exorbitantiæ vero obliquitatis luminarium, & excentrotetis, & Apogeorum, de quibus supra scribebamus, mutant quidem multa: sed nisi simul fiant, & extra ordinariè, & in anomaliarum summa varietate nihil tale efficient, vt probatum est.

Vtrum autem fuerint istæ exorbitantiæ, aut aliquãdo alius fuerit cursus Planetarũ videlicet ab occasu ad ortũ, aut de polo ad polum, nulla historia habetur, sed coniectura Platonis, quam non facilè quis acceptet; sicut nec coniecturam F. Mariæ Ferrariensis propter polorum alternam migrationem: Deum autem posse subito rerum ordinem mutare, ex miraculis certo scimus. Quapropter sæcula huiusmodi à Deo, non solum à stellis, nisi vt eius instrumentis, agnoscimus: alioquin certis temporibus euenirent, sicut æstas, & hyems, dies & nox. In Physicis quoque etiam demonstrauimus cometas non esse stellas aliorum mundorum ad nostrum descendentes: neque Deos visitatores.

Nos autem annos Saturnios, & Iouios, & Martios obseruauimus, & Lunares, & Solares: nec nisi quæ consueuerunt reuerti comperimus: & Tybris inundationes, & Italiæ diluuia, non semper respondere consuetis constellationibus: imo quando non fiunt in quarto trigono synodi magnorum Planetarum, accidere etiam diluuia, vt Petrarcha testatur de illo Neapolitano. At non defuerunt aliæ constellationes, quæ hanc potius quam illam terram afficiunt, & ventorum vis vndique afferens imbres, Qui etiam climata considerat eisdem temporibus alio modo affecta, & in variis diuerso: & quomodo eadem hora est simul dies & nox & manè & sero, & æstas & hyems & autumnus & ver & omnis anni ætas in aliis atque aliis paralellis terrarum, intelligit vniuersalia mala non posse à cælo vbique fieri: nec bona: nisi quid Deus nouæ adiungat virtutis.

Illud etiam non rectè positum conuincimus Astrologis, quod exordium mundi describunt, solem in Ariete locando, & Planetarum singulos in domibus suis: & Arietem in medio cæli. Etenim cum omnia puncta cardinalia possint esse exordium anni, non magis credibile est in Ariete, quam alibi solem fuisse. Præterea cum in altero hemicyclo aries non sit exaltatio solis, sed Libra, dicent Accolæ eius, nos illis iniuriam facere, & rerum autori, omnia nostro modo componentes, & non vt rerum fert natura. Præterea non datur cæli Zenith vnus, sed infiniti: quærendum est ab his, vbi erat Sol in hac constitutione? in cuius regionis meridiano, & cur in illa non in alia? Nec reddẽt vnquam rationem. Præterea nos probauimus factum esse mundum sole existente in Libra & excurrisse ad antarticam regionem: cur ergo nunc in Ariete concedam? Aiunt, quia ibi exaltatur. Verum est, inquam, nobis: sed non omnibus. Numquid pro nostra solum regione conditus est mundus? Item qui sub æquatore habitant, habent duplex ver. æstatẽ duplicem, & Autumnum & hyemes duas: & cum habitent sphæram rectam, nosque obliquam, iudicium ipsorum sequendum est. Rectus enim iudex sui & obliqui est. At suppolaribus totus annus est dies vnus vnaq; nox Ergo minus varietatis patientur. Ergo ipsi nobis variabilioribus norma erunt,

vt primum mobile aliorum mobilium, ſicut Ariſt. & Aſtronomi docent.

Præterea probatum eſt ſupra, non poſſe conſtitui figuram Planetarum exordij mundi, nec annos mundi ſciri certo, nec horas: ergo impoſtura eſt quidquid affirmant. Præterea cum fixas in anteriora ferri iam inuenerimus, & exorbitantias in excentricitatibus, & obliquitatibus, & punctis cardinalibus, & ſitibus: & ſolem iam terræ factum propinquiorem, quaſi centum & decem millibus milliariis: profecto neſcimus, an vbi ſunt Arietis ſtellæ, tunc fuerit Sol, cum potius in Tauro, aut in Cancro ſtellato fuiſſe, calculus indicet, ſicut in Prophetalibus comprobauimus. At ſi ab Aggeo Propheta ad nos cæpit anticipatio cardinalium punctorum, quando annunciata eſt à Deo, & mundus præparabatur ad Dei corporationem, vt ibi ſcribebamus, aliquid veri dicunt Aſtrologi eodem calculo vtentes, & dodecatemoria eadem. At cum variata fuerit per vnum fere ſignum, nequaquam concludunt de Themate natalitio mundi id, quod ſtatuerunt.

Epilogus veritatum, in qua conueniunt omnes rationabiliter loquentes de ſeculis, noſtri Mundi inſtaurationem facientibus ſequentibuſque.

HOc autem bene concludunt omnes nationes, mentes humanas eſſe in regione diſſimilitudinis, & peſtis & corruptelæ: temporaque ceſſatura corruptionis: inſtaurandum eſſe mundum: reſque omnes ad ſuas origines reuerſuras: ſæculaque melioris ordinis ſubſequutura mutato tempore in æternitatem abſorto, & morte in vitam, & erit omnia in omnibus agnitus verus benedictus Deus.

FINIS.

INDEX CAPITVLORVM, ARTICVLORVM, & Quæstionum rerum Metaphysicarum

PRIMÆ PARTIS.

SVMMA PROOEMII.

Veritatis Doctorem indubitata fide, dignum solum esse Deum, qui loquitur nobis, aut res facto exprimendo, aut voce reuelando. Homines vero omnes mendaces, vel quia timent, vel quia ignorant, vel quia sic volunt, nec esse fide dignos, nisi vbi loquuntur tanquam testes rerum lectarum in libro Dei, qui est Mundus, vel ab ore Dei diuini Scriptores, & quibus notis dignoscantur ab his qui proprio arbitratu, vel humana in Schola opinantes, loquuntur. Ob id necessariam esse Metaphysicam, & ob alias causas, & de quibus consideret. Et Arist. non tradidisse Metaphys. sed Logicam in xj. libris, & in postremo impietatem, & ob hanc & ob alias causas nouam cudi oportere: & quæ in hac noua tractanda sunt.

METAPHYSICORVM Dogmatum Liber II.

Tractatus de Cathegoriarum ratione.

Index Capitulorum, Articulorum, & Quæstionum

DE MATERIA. PARS II.

PARS IV. DE QVANTITATE, seu affectione materiali.

PARS QVINTA, CAP. V.
Artic. I.

DE CATHEGORIA VSVS.
Cap. 10. Pars 2. Art. 1.

APPENDIX AD II. LIBRVM primæ Partis Metaph.

CAP. XV. PARS SECVNDA, DE Prædicamento essentiæ speciatim.

De Prædicamento finitudinis.

De Qualitate.

Libri tertij Capitulorum, & Articulorum Index primæ Partis.

PRIMÆ PARTIS, LIBRI IV. qui de organo scient.

INDEX.

LIBRI V. QVI EST DE scientiarum ideatione, & distinctione.

INDEX
CAPITVLORVM, ET ARTICVLORVM
SECVNDÆ PARTIS.
LIBER SEXTVS.

INCIPIT TRACTATVS de secunda primalitate.

INCIPIT TRACTATVS
de tertia primalitate.

REASSVMITVR TRACTATIO
quod omnia vere entia essentiantur tribus primalitatibus.

De Primalitatibus non entis.

re

De Infinito.

Libri octaui secundæ Partis Capitulorum & Articulorum Index.

Libri Decimi, Partis secundæ Cap. & Artic. Index.

INDEX
CAPITVLORVM,
ET ARTICVLORVM
TERTIÆ PARTIS.
LIBER VNDECIMVS.

LIBRI DVODECIMI
Partis 3. Capitulorum & Articulorum
Index.

Cap. 6.

LIBRI DECIMITERTII PARTIS III.
Capitulorum & Articulorum.

INDEX.

LIBRI DECIMIQVARTI PARTIS tertiæ Capitulorum & Articulorum.

INDEX.

LIBRI DECIMIQVINTI PARTIS tertię Capitulorum & Articulorum

INDEX.

LIBRI DECIMISEXTI, IN QVO de Religione, & virtute, & lege, Propheta, & Legislatore. Capitulorum

INDEX.

LIBER XVII.

De Beatitudine.

LIBER XVIII. IN QVO DE sæculis Sæculorum.

FINIS.